John Crawford,
M. D.

No.______
THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY
OF
MARYLAND.
PLATES.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

http://archive.org/details/fridericihoffman23hoff

FRIDERICI HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERUM OMNIUM PHYSICO-MEDICORUM SUPPLEMENTUM SECUNDUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM;
QUIBUS CONTINENTUR
OPERA VARIA QUÆ IN MAGNA OPERUM
COLLECTIONE ET PRIMO SUPPLEMENTO DESIDERANTUR.

PARS SECUNDA.



GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCLIII.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

14177

CONSPECTUS
PARTIS SECUNDÆ
DISSERTATIONES PRACTICAS CONTINENTIS.

Diſſertatio Medica de Generatione Febrium. Pag. 1
Diſſertatio Medica de vera motuum febrilium indole ac ſede. 10
Diſſertatio de Febrium Intermittentium novâ hypotheſi. 17
Exercitatio Medica exhibens Obſervationes quaſdam Practicas circa Febres tertianas anno 1701. *graſſantes.* 22
Diſſertatio Medica de tutâ ac facili Febris Quartanæ curatione. 28
Exercitatio Medica exhibens obſervationes clinicas circa curationem Quartanæ. 34
Diſſertatio Medica de Febre Purpurata maligna. 40
Diſſertatio Medico-Practica de Diarrhœâ in febribus malignis aliiſque acutis morbis ſalutari. 49
Diſſertatio Medico-Practica ſiſtens Hiſtoriam febris malignæ Epidemicæ Petechizantis hactenus Halæ graſſantis. 56
Diſſertatio Medica de Febribus Meſentericis. 64
Diſſertatio Medica tradens compendioſam & clinicam Praxin Inflammationum cum cautelis. 71
Diſſertatio Medica, caſum ægri Ophthalmiâ laborantis exhibens. 77
Diſputatio Medica proponens Hæmorrhagiarum praxin clinicam & compendioſam cum cautelis. 82
Diſſertatio Medica de Hæmorrhagiarum genuinâ origine atque curatione, ex principiis mechanicis. 87
Theſes Medicæ de Vomitu cruento. 94
Diſſertatio Medico-Practica de Morbo Nigro Hippocratis. 103
Diſputatio Medica de ſalubritate Fluxûs Hæmorrhoïdalis. 110
Diſſertatio Medica de Apoplexia. 116
Diſſertatio Medica tradens compendioſam & clinicam praxin Dolorum cum cautelis. 142
Diſſertatio Medica de Doloribus. 149
Diſſertatio Medica de Cephalea cum immoderato hæmorrhoïdum fluxu ſæpius repetente. 156
Diſſertatio Medica de Paſſione Iliacâ. 166
Diſſertatio Medica de genuino & ſimpliciſſimo doloris podagrici remedio. 173
Diſſertatio Medica de curâ Doloris Podagrici præſervatoriâ per ſimpliciſſima remedia. 180
Diſſertatio Medico-Practica de Podagrâ retrocedente in corpus. 187
Diſſertatio Medica de Convulſionibus. 193
Diſſertatio Medica ſiſtens compendioſam & clinicam ſpaſmodico-convulſivorum morborum praxin cum cautelis. 201
Diſſertatio Medica de verâ morbi hypochondriaci ſede, indole, ac curatione. 207
Diſſertatio Medica ſiſtens Affectum ſpaſmodico-Hypochondriacum inveteratum. 216
Diſſertatio Medica de præcipuo ſtudioſorum morbo, ejuſque genuinis cauſis. 223
Diſſertatio Medica de ſomnambulis. 230
Diſſertatio Medica de Aſthmate convulſivo cum hydrope thoracis. 237
Diſſertatio Medica de Tuſſi Convulſivâ. 245
Diſſertatio Medica de Morbis Oeſophagi. 251
Diſſertatio Medica de Vomitu. 257

Diſſer-

CONSPECTUS PARTIS SECUNDÆ.

Diſſertatio Medica de Dyſenteria. pag. 263
Diſſertatio Medica de Morbis ex Atonia cerebri nervorúmque naſcentibus. 274
Exercitatio Medica exhibens Praxin Clinicam & compendioſam morborum ex vitio glandularum & lymphæ ortorum. 283
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Cataracta. 290
Diſputatio Medica de Auditu difficili. 297
Exercitatio Phyſico-Medica de mentis morbis ex morboſâ ſanguinis circulatione ortis. 303
Diſſertatio Medica ſiſtens explanationem adfectus maniaci levioris rariſſimo ſenſuum quorundam augmento ſtipati. 314
Diſſertatio de præcavendâ Polyporum generatione. 321
Diſputatio Medica de Atrophia. 339
Diſſertatio Medica de morbis cum colore cutis depravato, 344
Diſſertatio Medica de Scirrho Hepatis. 357
Diſſertatio Medica de morbis Lienis. 365
Diſſertatio Medica de morbis Pancreatis. 374
Diſquiſitio Medica circa curioſam Pulli Gallinacei in fœminâ cachecticâ formati hiſtoriam. 380
Diſſertatio Medica de Genuinâ Chloroſis indole origine & curatione. 389
Diſputatio Medica de Hydrope Aſcite. 397
Diſſertatio Medico-Practica ſiſtens ægrum hydrope ex quartanâ laborantem & reſtitutum. 409
Diſputatio Medica de Hydrope Pericardii rariſſimo. 414
Diſputatio Medica de Apepſiâ. 422
Diſſertatio Medica de Bradypepſiâ ſive tardiori Ventriculi concoctione. 427
Diſquiſitio Medica circa affectum pectoris rariſſimum, perpetui ſucci nutricii ex Thorace ſtillicidii. 434
Diſquiſitio Medica de Incontinentiâ Urinæ ex partu difficili. 445
Diſputatio Medica de Exulceratione Veſicæ. 449
Diſſertatio Medica de affectu raro ſcorbutico puſtulari. 459
Diſſertatio exhibens caſum de Purpurâ Scorbuticâ, prægreſſo hæmorrhoïdum fluxu nimio, ex principiis ſolidis deductum. 466
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Oſſium Inflammatione. 478
Diſſertatio Medica de ſphacelo ex cauſâ interna feliciter curato. 500
Diſputatio Medica de amputatione membrorum Sphacelatorum. 509
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Luxationum ſyntheſi in genere. 516
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Membris Fractis. 530
Diſſertatio Chirurgica exhibens Ulcerum Æthiologiam veram, & circa curam cautelas. 543
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Morbo Lazari. 553
Diſſertatio Chirurgica de Fiſtula Maxillari. 559
Diſſertatio Chirurgica de Fiſtula ani feliciter curandâ. 564
Diſſertatio Medico-Chirurgica de Synoviâ, ejuſque origine. 572
Diſſertatio exhibens Praxin Clinicam morborum Infantum. 579
Exercitatio Medica de Animalibus humanorum corporum infeſtis hoſpitibus. 586

FRIDE-

FRIDERICI HOFFMANNI DISSERTATIONES PRACTICÆ.

Library of the UNIVERSITY OF MARYLAND SCHOOL OF MEDICINE.

DISSERTATIO MEDICA DE GENERATIONE FEBRIUM.

Primùm edita Anno 1715.

§. I.

DIVERSÆ indolis cauſas, variis morborum generibus invehendis idoneas, hactenus in conſpectum adduximus: egimus quoque de earum domicilio, ubi feralem ſuam vehementiam exerceant: nunc rei ordo quoque depoſcere videtur, ut paulo preſſius exponamus, quomodo & in quas corporis partes perniciales morborum cauſæ ſuam vim ac operationem exſerant, varia ſymptomata producendo. Prius vero, quam hoc noſtrum inſtitutum exſequamur, opere & labore dignum videtur, breviter ſtrictimque explicare, quo modo morbificæ cauſæ in genere in corpore noſtro progenerentur. Noſtra vero hoc de negotio ſic fert ſententia: quemadmodum univerſi corporis & ſingularum ejus partium vigor, & actionum integritas, a libero & moderato fluidorum per omnes meatus circuitu, & inde conſequente inutilium partium per varia emunctoria excretione proxime dependet: ita ex impedito vel quovis modo læſo fluidorum circuitu & excretionis negotio fatiſcente proximas morborum cauſas materiales deducimus. Quandocunque enim ſanguis non æquabili & moderato flumine per corporis vaſa libere fertur, fiunt inde vel ejus ſtaſes aut ſtagnationes vel viſcerum obſtructiones, quæ fœcundiſſimæ morborum ſunt procreatrices, ſiquidem ſanguinis in vaſis ſtaſes inflammationes periculoſas, febres, ſphacelationes proferunt: ſtagnationes vero affectus maxime ſpaſmodicos, nimia ſeri vel ſanguinis profluvia, nec non affectus paralyticos ſoporoſos pariunt: viſcerum vero pertinaces obſtructiones, quæ ab impedito ſanguinis motu identidem fiunt, gravium maxime morborum chronicorum, ut ſcorbuti, hydropis, phthiſeos, aſthmatis, cachexiæ & id genus plurium plerumque ſunt genitrices. Præter ſanguinem vero & humores circulo vitali deſtitutos, aliæ adhuc fiunt æque potentes morborum cauſæ quæ magis in agilitate ac tenuitate firmas ſuas agunt radices. Hæ vero ex excrementitiis ſordibus, in corpore retentis & pejorem ex mora indolem nanciſcentibus, incunabula ſua trahunt, adeo ut, pro differente excrementi natura, diverſæ etiam in morbis producendis actiones reſultent. Ex tenuiſſimo enim & putridæ indolis miaſmate, acutæ, contagioſæ & malignæ fiunt febres. At ſi materia tenuis ſalino-cauſticæ eſt naturæ, moleſta irritatione vehementes ſpaſmos, febres quoque & convulſiones parit. Quæ crudioris vero & fixioris ſalinæ ſunt indolis retenta eroſione, ut videmus in morbis chronicis & exulcerationibus, magis lædunt & nocent. Quoniam vero in ſuperioribus tres præcipuas morborum claſſes, febres maxime & ſpaſmodicos periodicos, neque mi- nus

nus chronicos affectus, qui ex atonia & obſtructione colatoriorum proficiſcuntur, conſtituimus; etiam ſingulas has claſſes ſeorſim ſpectare & quomodo ex ſanguinis & humorum impedito motu vel excrementis retentis generentur, hoc loco proponere apud animum, divina ope adjuti, conſtituimus.

§. II.

In noſtra vero meditatione initium merito facimus a febribus, quarum tanta eſt vis ac frequentia, ut fere omnibus adſiſtant vel ſuperveniant morbis. Neque ulli morboſi motus, præterquam eas, in turbanda motuum vitalium œconomia tantæ potentiæ deprehenduntur. Harum itaque & generationem & quomodo earum cauſæ in corporis ſenſibiles partes agant & ſymptomata producant, in præſenti exponemus. Ante vero, quam id effectui demus, non alienum a ſcopo noſtro erit, Veterum, neque minus nonnullorum Recentiorum, ut CAMPANELLÆ, HELMONTII, SYDENHAMII de febribus ſententiam & conceptum, quem ſibi formarunt, examinare. Veteres, febrem pugnam naturæ cum morbo, & de hac pugna judicium criſin dixerunt. Ex Recentioribus vero laudati Viri febrem ſalutarem naturæ ſive Archei motum vel excandeſcentiam habent, qua corpori inſenſum & corruptionem minitantem humorem ejicere moliatur. Quidam hanc adjiciunt illuſtrationem, quod natura, ſive principium agens & movens corporis noſtri, interna quadam notitia, ratione, intentione & directione inſtructum ſit, quare ex morali æſtimatione cauſæ morbificæ nocentis ſanguinis circulum augendo, eum ad certa loca certis temporibus dirigat, ut celeriter per congrua colatoria excernatur, id quod præſentaneam corpori noxam minitatur. Ex eo colligunt, febrem eſſe abſolute & perpetuo in ſe & ſua natura ſalutarem motum, adverſus cauſam morbi unice directum, adeoque, minime pro effectu morboſo & paſſivo, ſed potius pro activo remedio eſſe habendum. Id quod maxime exinde confirmatur, quia plures ſine remediis & ſine Medicis ex febribus convaleſcunt. Quamvis vero hæc febrium theoria ſpecioſa admodum & medendi ſcopo accommodata videatur, neutiquam tamen iis, qui in eruenda veritate non nominibus, ſed rebus, non ſpeculationibus, ſed demonſtrationibus, non metaphyſicis, ſed phyſicis cauſis delectantur, ſatisfacit.

§. III.

Etenim inſtar regulæ in veritate indaganda tenendum eſt, quod in demonſtratione nihil loco principii vel primæ cauſæ ponendum ſit, quod non prius tam clare fuerit probatum atque perſpectum, ut nullus amplius dubitandi locus ſit. Jam vero, quod in fibris motricibus ac membranis corporis noſtri Ens ratione vel intentione præditum reſideat, quomodo evidentibus & convincentibus argumentis probari poſſit, equidem non video. Neque minori probatione hoc ſuppoſitum indiget, quod anima, quæ certos tantum motus in partibus membranoſis occurrentes percipit, & certos etiam tantummodo motus muſculorum dirigit, omnes reliquas partium actiones, imperio voluntatis non ſubjectas, & quas naturales vel vitales adpellant, perficiat & omnium actionum in corpore noſtro cauſa ſit. Neque per perverſam phantaſiam aut animi affectus toni partium aut pulſus cordis & arteriarum turbatio momentum probationis exhaurire videtur: Lubenter enim concedimus, & varias impreſſiones animæ & cogitationes non ſecus ac alia externa elementa, alimenta, venena jus & potentiam in motus corporis vitales habere, eos varie adficiendo vel etiam turbando: minime tamen ex eo conſequitur, ut, quod alterat & turbat hos motus, unica & vera horum quoque cauſa ſit. Condonandum utique id eſt majoribus noſtris, qui corporum eſſentiam in extenſione mere paſſiva omnis motus & actionis experte collocabant, qui ordinatiſſimæ fabricæ corporis noſtri agnitione carebant, & vitalem humorum circuitum & variorum colatoriorum ſtructuram ignorabant, neque minus vera phyſices, chymiæ, anatomiæ ac mechanices notitia, ſine qua omnis medica theoria caca ac trunca eſt, erant deſtituti. Jam vero noſtris temporibus meliora edocti ſcimus, omni corpori ineſſe principium motus, ſive eſſentiam ejus non tam in extenſione, quam principio quodam nitente & renitente conſiſtere, & tot eſſe agentia & principia motus, quot ſunt corpora. Novimus porro ex mechanicis & æternis motuum legibus, motum localem nonniſi inæqualem virium motricium mutuam actionem & reactionem eſſe, adeo, ut demendo vel addendo corpora pro lubitu motus vel ſiſti vel augeri vel imminui poſſit. Novimus quoque ex ordinatiſſima partium ſtructura ordinatiſſimum & plane mirabilem certa proportione & tempore fieri motum. Novimus denique a ſolo contractionis & dilatationis fibrarum motu omnes actiones animantium tam in ſtatu, qui ſecundum, quam qui præter naturam ſit, dependere. Tandem vero compertiſſimum eſt, calorem & frigus, humiditatem & puritatem aeris, item copiam & intemperiem alimentorum, animi quoque affectus, nec non medicamenta ac venena ex ſe & ſua natura motus vitales augere & imminuere ac permutare poſſe. Ad dilucidationem hujus argumenti perquam curioſa anatomica experimenta multum faciunt, quod nempe cordis muſculi atque auriculæ in cadavere poſt thoracem apertum mulieris & canis jam penitus quietæ, ſolo inflatu aeris in ductum thoracicum ſuas pulſationes reciprocas ſyſtoles & diaſtoles non adeo brevi tempore repetere & continuare inceperint, quemadmodum ea legere poſſumus in Excellentiſſimi BRUNNERI *Tr. doctiſſimo de glandulis duodeni.* Quomodo aeris admiſſione vel ſubtractione vita animantium pro lubitu intercipi, penitus tolli vel etiam revocari antliæ pneumaticæ beneficio poſſit, rem inter experimenta phyſica arbitror eſſe notiſſimam. Ecquis etiam eſt, qui ſolide negare auſit, vitam noſtram, ſanitatem, morbos ac mortem a cauſis mere externis iiſque proximis, minime vero remotis aut inſtrumentalibus dependere.

§. IV.

Neque etiam illud concedere poſſumus, quod motus febriles & alii morboſi abſolute & perpetuo ſint ſalutares, in conſervationem corporis tendentes. Equidem motum in corporibus animantium progreſſivum, & qui in circulum abit, in ſe & ſua natura dicimus ſalutarem, quia corpus à putredine defendit inutilia excernendo; ſicut contra quietem ſanguinis in animantibus ſemper pernitioſam habemus, quia ex hac & morbus & mors proxime ſuam originem mutuatur. Num verò ille ſanguinis & humorum auctus circulus, qui ſemper cum ſpaſtica ſtrictura fibrarum corporis fit, qualis eſt febrilis, in ſe & ſua natura dici poſſit ſalutaris, hoc non facile adfirmaverim, eo, quod hunc motum vehementer & cito ſalutares corporis ſuccos & vires conſumere & ad chronicas ægritudines, ſi diu durat, corpora diſponere, imo facile, viribus exhauſtis, ad inflammationes & ſphacelationes mortiferas, quæ in diſſectis corporibus veluti mortis cauſæ reperiuntur, tranſire animadvertimus. Siquidem plures inflammationes lethales, ut ventriculi, inteſtinorum, meningum

ningum denuo febribus ſuperveniunt. Accedit & illud, quod maximopere attendendum eſt, ſub intenſa & vehementi febrili ſanguinis commotione & circulatione excretiones laudabiles materiæ corpori noſtro infeſtæ per ſudorem, urinam aut alvum non facile fieri, ſed ſemper remittente ſpaſmo & placidiori facto ſanguinis motu demum perfici, quemadmodum id in declinatione intermittentium & acutarum fieri obſervamus. Neque tamen inficiamur, ipſum febrilem & concitatum motum ſæpius, ſed non ſemper, eſſe ſanguinis copioſi, ejuſque ſtagnationum imo obſtructionum magnam medicinam atque remedium, uti perpulchre more ſuo febrem CELSUS adpellat. Neque negamus, tenuiſſimam, vel etiam acerrimæ indolis febris cauſam, nervoſis partibus inſiſtentem, viſcoſiore ſanguine, a nimio calore ſubtiliores ejus partes conſumente, reddito, ſæpius corrigi & emendari, ſive ſecundum veterum modum loquendi coqui, ut idonea ad excernendum fiat febris.

§. V.

Suppoſito itaque partium ſolidarum & fluidarum corporis noſtri in ſe activo mechaniſmo, ſtatuimus cauſas febrium & morborum non eſſe ſecundum HELMONTIUM mere occaſionales, ſed potius per ſe & viribus ſuis eſſe activas, neque aliter ac venena agere in partes nerveo-membranaceas & fibras motrices, motus vitales turbando vel pervertendo. Hoc vero aſſertum neutiquam tam craſſe eſt accipiendum, ac ſi cauſæ morborum ſolæ, ſine concurſu motus, jam in corpore vivo exiſtentis, præternaturales motiones in corde & fibris efficiant, ut potius morbus tam ex actione cauſæ, quam reactione motuum vitalium dependeat. Equidem jam ordo tractationis poſtulare videtur, ut quid moveat cordis muſculos tam in ſtatu ſano, quam in febrili explicemus: at inſtituti noſtri ratio, cum uberiorem hujus rei diſcuſſionem hoc loco prohibeat, paucis duntaxat innuimus, liquidum nerveum, (quod nemo negare poteſt, ſi ordinatiſſimam cerebri & nervorum fabricam circumſpicimus,) & tenuiſſimam aereo-æthereo-elaſticam ſanguinis arterioſi portionem, motus vitales, qui ſyſtole & diaſtole continentur, celebrare; ſiquidem animadvertimus diſſecto femoris nervo vel arteria ligata protinus pedem fieri paralyticum, ſalva muſculorum, quæ genuina ſunt motus inſtrumenta, fabrica, quam utique anima, quæ indiviſibilis eſt, ſi ab ipſa motus fierent, poſſet adhuc facile movere. Quoniam vero cerebrum & nervi in omnibus animantibus præcipuam motus, præſertim ſyſtaltici activi, materiam ſubminiſtrant; ad diaſtolen vero maxime ſanguis concurrit: hinc quoque recte colligimus, in omni præternaturali præſertim aucto motu ſolidarum partium, ſicuti fit in febre & ſpaſmo, genus nervoſum principaliter & primario eſſe affectum inque omnibus morboſis motibus pati. Neque aliter cauſæ morborum nobis agere videntur, quam quod genus nervoſum & membranoſum extraordinarie & præter naturam lædant atque afficiant. Pro diverſitate autem harum cauſarum actio quoque morboſa in nervoſas partes multum differt: vel enim ſanguinis & humorum nimia copia, in ſtaſi, & ſtagnatione ſenſui & motui vacantes partes nimium diſtendit, premit aut trahit, vel excrementitia, acris, cauſtica materia eas nimium vellicat, arrodit, lancinat aut ſubtilis putrida corrupta materia liquidum, quod nervi vehunt, homogeneum plane imminuit aut deſtruit. Quoniam vero plane mirabilis eſt nervorum ac membranarum inter ſe conſenſio, magnaque ejus potentia in ſanguinis circulum exiſtit, hinc non mirandum eſt, a minimo etiam, valde tamen activo, morbi principio univerſum corpus in conſenſum pertrahi, graviſſima ſymptomata producendo.

§. VI.

Igitur quod attinet primo ad naturam febrium explicandam, nulla mihi videtur febris in corpore ſubnaſci poſſe, niſi ubi membranæ & partes nerveæ ſint ſpaſmo detentæ, ex quo etiam univerſali fibrarum ſpaſmo omnia febribus ſupervenire ſolita ſymptomata, eorumque ratio rectius deducitur. Quia vero in nulla febre clarius ejus ortus & generatio perſpici poteſt, quam in intermittente, ubi ſub ſingulis paroxyſmis nova ſubinde febris fit acceſſio, hinc etiam nulla, præter hanc, clarius febris naturam ac geneſin declarat. In omni videlicet febre primo oritur partium membranoſarum ſpaſmus, qui ſanguinis circuitum maxime inæqualem præſtat, dum ipſum a partibus exterioribus, veluti a circumferentia ad interiora ceu ad centrum pellit. Et hoc jam ſuo tempore magnus medicinæ parens HIPPOCRATES, quo nemo ſolidius & magis mechanice febrium generationem explicuit, annotavit. Qua de re elegantiſſimus locus extat *Lib. de flatibus* §. 11. dum inquit, *decedente a partibus extremis ſanguine, viſcera & partes contremiſcunt. Sunt autem quædam corporis partes ſanguine plenæ, quædam vero exſangues; exſangues itaque propter frigus non tremunt, ſanguine autem abundantes contremiſcunt. Nequit enim fieri, ut ſanguinis multitudo conquieſcat.* Quibus graviſſimus Auctor perquam evidenter indicat, ſanguinis circuitum in febribus maxime eſſe inæqualem, dum a partibus exterioribus ſanguis ad interiora repellitur. Hæc vero inæqualitas ſanguinis circuli a nulla alia cauſa, quam univerſali quadam ſpaſtica fibrarum ſtrictura, eſt derivanda, a qua etiam omnia, quæ febribus jungi ſolent, ſymptomata, originem ſuam trahunt. Incipit hic ſpaſmus maxime in cute, cujus pars exterior ex tenuiſſimis fibrillis & papillulis nerveis, exquiſito ſenſu ac motu præditis, conflata eſt: hæc ab illuſtri MALPIGHIO corpus reticulare vocatur. Quandocunque itaque has teneras nerveas & tendinoſas cutis partes ſpaſmus exagitat, integumentum hoc conſtringitur, vaſa comprimuntur, pori ac meatus, qui ſudorem evehunt, anguſtantur, unde habitus corporis ſubſidet, detumeſcit, venæ diſparent atque excretio per ſudorem cohibetur, glandulis miliaribus ſub cute poſitis compreſſis, & partes extremæ frigore & horrore corripiuntur propter copioſos nervorum ſurculos a pari vago intercoſtali cervicali ſecundo, brachialibus, dorſalibus & inferioribus lumbaribus ad univerſam cutim extenſis, qui ſpaſtico motu agitati horrorem vel etiam rigorem producunt. Solet vero hic ſpaſmus non tantummodo in cute ſubſiſtere, ſed, ſi vehementior eſt, ad partes etiam interiores vagatur & ferme totum membranoſum genus in conſenſum trahit, &, ubi pericranium occupat, gravem cephalalgiam parit: in perioſtio contuſivum artuum dolorem, qui quartana correptis perquam familiaris eſt, ſuſcitat. Cum vero ad plexus meſentericos diſpergitur, gravem & preſſorium dolorem circa primam lumborum vertebram, ubi horum nervorum ſedes eſt, ingenerat. Quia vero hæc ſpaſtica ſtrictura etiam ad ventriculi & inteſtinorum membranas procedit, hinc anxiæ & flatulentæ hypochondriorum & abdominis tenſiones fiunt, alvus clauditur, nauſea fit, & ad vomendum conatus, præſertim in tertianis, circa mutationem frigoris & horroris eſt. Et quia ingens conſenſio, propter communionem nervorum, ventriculi eſt cum renibus, hinc urina, quæ præſente frigore & horrore profunditur, tenuis &

& clara ſine ſedimento fertur. Hæc vero ſpaſmi febrilis vehementia ſæpius tanta eſt, ut etiam ad meninges adſcendat, quare dantur caſus, ubi ſub ipſo frigore epilepticorum more ingentes membrorum jactationes, agitationes cum maximis præcordiorum anxietatibus & ſpaſticis artuum contorſionibus annotati fuerunt. vid. Cl. PEZOLDI *obſ.* 4. *pag.* 5. Ita quoque RAYGERUS *in obſ.* 34. *pag.* 60. notavit initium tertianæ cum frigore inſtar convulſionum epilepticarum concutiente & convellente, uti etiam BALLONIUS *Lib.* 1. *Epidem. pag.* 22. in tertiana continua parvas manuum contractiones animadvertit.

§. VII.

Sub hiſce anguſtiis ſpaſmodicis neceſſe eſt, ut ſanguinis liber curſus ac iter per venarum tubulos compreſſos impediatur, unde per arterias regurgitat ad cor, ubi ejus oppreſſionem cum anxietate, pulſu parvo, debili & frequenti efficit. Accedente vero poſtea copioſiori liquidi nervei adfluxu, fortior & celerior cordis & arteriarum fit ſyſtole, & ſic majori niſu & preſſiore ſanguis per vaſa longe celerius & citius fertur, inde exurgit calor, qui ex vehementiori attritu partium ſanguinis ſulphurearum ad fibras & vaſa ſpaſmo rigidiora reddita, naſcitur. Recte enim & omnium primus *Cl.* BORELLUS *Lib. de motu animalium pag.* 337. caloris febrilis augmentum ex circuli ſanguinis celeriori motu derivat. Sciendum vero hoc loco eſt, ſub auctiori calore nondum remittere ſpaſmum, ſed per totum febris decurſum continuare, neque dubium eſt, quin ipſas etiam arterias, quæ identidem nervoſis & muſculoſis tunicis gaudent, occupet, quare in omni febre pulſus celer, qui ex frequentia dignoſcitur, cum quadam duritie conjunctus eſt, non ſecus ac in omni affectu ſpaſmodico durum & renitentem pulſum, utut non ſemper celerem, obſervamus. At remittente ſpaſmo, remittit etiam calor, pulſus redit ad ſtatum naturalem & relaxato demum fibrarum tono larga ſudoris fit profuſio, urina quoque craſſior & ſaturatior emittitur, & jam facile ſedimentum deponit, alvus facilius ſecedit, quæ ſub impetu febris tam fortiter ſtricta & clauſa erat, ut clyſterem infuſum retineat, qui declinante febre plerumque ſua ſponte rurſus ejicitur.

§. VIII.

Quemadmodum vero in intermittentibus novus ſemper febrilis inſultus exacte quatuor temporibus diſtinctus ſtatis temporum periodis recurrit: ita in continuis idem ſpaſmus per plures dies, licet cum quadam remiſſione, continuat, neque prius definit, niſi ſub declinatione, cauſa morbi penitus ſubacta & expugnata: & ſic cutis atque emunctoriorum tonus relaxatur, hinc excretiones, quæ morbum ſolutum denunciant, prompte fiunt eæque criticæ adpellari ſolent. Ex hiſce jam facile efficitur, in continuis cauſam febris talem obtinere locum & ſedem, ubi ſpaſmis continuo genus nervoſum adfligitur, cum in intermittentibus alium plane locum & domicilium habeant, ubi non continuo, ſed per intervalla nervoſas membranas laceſſunt. Ex hoc jam conſequitur, ut omne illud, quod univerſi corporis membranas & cutim ſpaſtice contrahere valet, febri etiam inducendæ idoneum ſit, quare etiam rectiſſime Veteres & inter eos magnus noſter HIPPOCRATES & GALENUS nunquam fieri febrem ſine rigore, qui ſpaſmi ſpecies eſt, præcedente, exiſtimant; quo de argumento egregius extat locus in FOESII *Commentar. in Hipp. S. VII. §.* 56. Quomodo ex ſpaſmo febrilis commotio oboriatur, evidens exemplum videmus in terrore, qui exacte ſimilem motum, ut febrilis eſt, excitat. Is enim in principio fortiter partes extremas conſtringit, quæ frigeſcunt, horrore concutiuntur, diſparentibus vaſis & ſublata omni, quæ per habitum corporis fit, excretione, & tum recurrit ſanguis ad interiora, cor ac pulmones, ingentemque ibi facit oppreſſionem atque anxietatem, quam poſtea ingens cordis palpitatio, ſyſtole auctior, pulſus citatior, & diffuſus per corpus calor, qui finitur largo ſudore, inſequitur; ſique corpus debile paulo vehementior terror adficit, ut membranas cerebri ſimul graviter infeſtet, convulſiones non raro epilepticæ conjunguntur. Evenit etiam ſæpiſſime, ut motus hi febriles, non ſecus ac aliæ febres, ſua tempora ac periodos obſervent. Denique & ipſa vehemens ira ejus eſt indolis, ut ſanguinem celerrime & febrilem in modum, cum pulſu frequenti & duro, commoveat, non quod hic, ut in terrore fit, ſpaſmus prius in partibus externis incipiat, ſed quia ſubito internas membranas occupat.

§. IX.

Igitur cum ſpaſmus nervoſi generis maxime ſit cauſa febris præcedens, patet jam clare ratio, quare vulnerationibus nervoſo-tendinoſarum partium tam expedite febris ſuperveniat. Memini ante aliquot annos ſtudioſo acuti cultri apicem in pedis digitum incidiſſe, atrox inde mox ſecutus eſt dolor, quem febris continua per aliquot dies cum anxietate, vigilia, quin imo cum delirio, excipiebat. Apparet quoque hinc facile ratio, quare gravioribus ſubinde inteſtinorum in colica ſpaſmodica, articulorum in arthritide, ureterum a calculo inhærente, doloribus febriculoſæ commotiones, quæ cum frigore & horrore incipiunt & calore ac pulſus celeritate continuant & ſudore terminantur, in praxi conſpiciantur. Et ſcite HIPPOCRATES *in Coacis prænot.* 75. febres ex doloribus vehementibus diuturnas judicat: Et ob dolorem inguinis & glandularum febrem diuturnam denotat. *v. l. c.* §. 73. Et quid familiarius eſt quam quod ad dentitionem infantum febres accedant. *v.* HIPPOCRATIS *aph.* 25. *S. III.* Neque alia ex cauſa inflammationibus continuo fere jungitur febris, quam, quia ob ſanguinis in vaſculis ſtaſin ejuſque ad vicinas partes copioſiorem adfluxum & ſtagnationem, partes nervoſæ fortius premuntur, tenduntur, ut non tantum in parte inflammata calor præternaturalis, ſed & in univerſo corpore producatur, eo, quod gravis nervoſæ partis tenſio totum membranarum genus in conſenſum pertrahat. Mirabilis enim eſt conſpiratio membranarum & nervorum in univerſo corpore. Simili quoque ratione abſceſſibus jungi ſolet febris. Recte enim HIPPOCRATES *Lib. de flatibus* §. 7. *ex inflammatione & tenſione abſceſſuum fit febris.* Exemplum hujus rei clariſſimum habemus in variolis, quæ, quando ſuppurari incipiunt, nova gignitur febris & eo gravior ac periculoſior, quo cutis, ut in juvenili ætate, eſt ſtrictior & ingens variolarum copia adeſt. Puerperis tertio die ordinario febrem accedere, res perquam omnibus nota eſt. Dicitur hæc lactaria & ortum habet a ſucco lacteo copioſius ab utero ad glandulas mammarias, quæ molliori & delicato ſenſu gaudent, appellente. Glandularum, ut parotidum, bubonum abſceſſus nondum maturi, ſi aperiuntur, ob dolorem & tenſionem febris ſubinde ſupervenit. Hujus rei exemplum adducit HILDANUS *Cent. V. Obſ.* 65. qui ex bubone minus mature aperto febrem, cum vigilia & inquietudine, ſuſcitatam notavit. Et in genere glandularum tumoribus

moribus febres accedere malas, auctor eſt HIPPOCRATES *aph. 55. Sect. IV.*

§. X.

Neque vero quid clarius febrium generationem, quam abuſus thermarum Carolinarum, demonſtrat. Res enim per quotidianam fere experientiam compertiſſima eſt, ſi quando corpus aut ſanguine aut ſero repletum, ante ſectionem venæ, vel primarum viarum evacuationem, aut ante uſum thermarum internum in balneum, præſertim nimis calidum, incautius procedit, quod protinus febre continua, interdum etiam intermittente, ad plures dies infeſtetur. Ineſt enim Carolinis, ob copioſam calcariam adſtringentem terram, magna vis cutis fibras conſtringendi & repellendi, unde etiam pedum tumores brevi tempore abigit ulceraque exſiccat. Quodſi itaque ab intenſiori balnei calore ſanguis fortiter incaleſcit, & ſalinæ excrementitiæ ſordes exhalare nequeunt, ob clauſa ſpiracula; ſed in cutis vaſculis remanent: protinus a tenſione fibrarum nervearum febrilis motus ſuſcitatur. Unde quoque in ſanguineis & calidioribus corporibus, a tranſpiratione prohibita, febres ſynochas, ardentes, vel etiam tertianas gigni in propatulo eſt.

§. XI.

Ulterius ex tenſione ſola & vellicatione partium nervoſarum febrem generari poſſe, perquam curioſo experimento practico annotavimus. Laborabat ante aliquot annos magni nominis Theologus ex plane ſingulari affectu. Is ob pleuritidem male curatam incidit in empyema, lobum dextri lateris totum conſumens, quod interius ruptum ingentem & plane ſtupendam puris quantitatem in thoracem effudit, qua per paracentheſin evacuata, æger ex orco quaſi revocatus fuit. Interea per plures annos quotidie ingens copia non amplius puris, ſed boni odoris & dulcis ſaporis ſingulis diebus humor profluxit, qui non ſine ratione ex ramo ductus thoracici (quales copioſi circa glandulam thymi diſperſi, autopſia teſte, videntur) empyemate aperto & eroſo effluere judicatus fuit. Conſilium hinc datum fuit a chirurgo, ut ad impediendam forſan putrilaginem, ſingulis menſibus decoctum, quod ex vino Hiſpanico conſtabat, ſiphone injici curaret, quod etiam factum eſt. Retulit vero nobis non ſemel candidus & gravis vir, quod ab injectione hac ſemper in febrem per unum vel alterum diem durantem inciderit, cujus non alia videtur ratio, quam quod ab ejuſmodi decocto tendinoſæ & nervoſæ diaphragmatis ac pleuræ partes, paulo fortius tactæ, febrem induxerint.

§. XII.

Ceterum a ſpaſmodica partium, quæ ſenſui, tono ac motui ſerviunt, ſtrictura & quæ in generanda febre fere omne fert punctum, earum quoque recidiva proficiſcitur, cui intermittentes maxime obnoxiæ ſunt, præſertim cauſa morbi non penitus expugnata. Jam vero experientia compertum eſt, nihil æque ad intermittentium recidivam promovendam facere, quam ſi quis boreali vento vel aeri frigido & humido, qualis eſt in locis ſubterraneis, declivioribus & circa fluvios vel aquas ſtagnantes, corpus paulo liberius exponat. Quandoquidem frigus in corpus per ſenſibiles cutis partes irruens, mox conſuetum repetit ſpaſmum, qui ex horripilatione, extremorum frigore ac dolore circa lumbos cognoſcitur, quem poſtea ſemper motus & calor febrilis ſubſequitur. Deinceps paulo validius propinatum catharticum facile recidivam ſuſcitare, res certæ experientiæ eſt, quod vero ex nulla alia cauſa fit, quam quod forte purgans ſpaſmos in primis viis moveat, quibus poſtea aliæ membranaceæ partes ſimilem in motum haud difficulter pertrahuntur. Iracundiæ quoque affectus, ſicuti in concitandis febribus continuis & intermittentibus multum valet: ita quoque earum recidivis lubenter velificatur, quia genus membranoſum ac fibroſum prompte in ſpaſmos conjicit.

§. XIII.

Evenit vero in praxi ſæpius, ut cauſa febris neglecta, præpoſtere & nimis cito variis artificiis paroxyſmi cohibeantur & ita univerſalis ille, qui ad febrem inducendam neceſſarius eſt, ſpaſmus ceſſet: attamen loco hujus alii vehementiores particulares ſpaſmi ſuccedant & certa loca graviter exagitent; nihil enim frequentius occurrit, quam quod intermittentibus, china chinæ vel aliis adſtringentibus male curatis, colica ſpaſmodica, affectio cardialgica vel hypochondriaca ſuperveniat. Quare memoratu digna hanc in rem eſt obſervatio, quam *Cl.* RAYGERUS *in Obſ. pag. 89.* ſcriptis reliquit: *Comitiſſa febri tertiana duplici notha laborans, topico liberata, loco febris ſtatis horis atrociſſimos dolores colicos experta eſt. Aliis emplaſtro febris ceſſavit, ſed die paroxyſmi tenſio ventris, cordis compreſſio, lancinatio extremorum & faciei diſcoloratio acceſſit.*

§. XIV.

Quum itaque febres ſpaſtici maxime & nervoſarum partium ſint morbi; hinc ratio amplius non obſcura eſſe poteſt, quare omnes ii, qui ſenſibilioris ſunt naturæ, temperamento ſanguinei, cholerici, juvenes & qui facile animo commoventur, & fibras teneras, ſtrictas tamen ad ſpaſticas motiones ſubeundas proclives habent, tam facile in omnis generis febres incidant, vel febriles commotiones (Germ. Aufwallung des Geblüts) experiantur. Certum namque eſt per experientiam, unum corpus præ altero facilius eſſe febribus obnoxium. Qua de re eximius locus ex HIPPOCRATE *Lib. 2. prædict. §. 20.* adduci meretur: *Alii*, inquit, *præ vulneris dolore, quod grave nullo modo erat, ſpiritum quidem duxerunt* (id eſt, bene reſpirarunt) *verum delirarunt & febrientes mortui ſunt. Quicunque enim aut corpus febricitans habent aut mentem turbatam, talia patiuntur.* Præterea obſervamus, quod qui fibras non adeo mobiles, ſed denſas & reſiſtentes habent, neque adeo ſenſibilis ratione corporis & animi ſunt indolis, ut ſenes, melancholici, item phlegmatici & duro vitæ genere gaudentes, corpora minus prona in febres obtineant.

§. XV.

Igitur quia in producenda febre omne fere momentum ſpaſmi, iique univerſales fibrarum ſenſilium corporis abſolvunt: liquido inde diluceſcit, ea remediorum genera, quæ ſpaſmos ſedant atque compeſcunt, optima eſſe antifebrilia. Neque hæc adſertio ſuo caret fundamento, ſiquidem præter ea, quæ cauſis febrium expugnandis dicata ſunt, probatæ & expertiſſimæ virtutis antiſpaſmodica in impetu febrilis commotionis retundendo omnibus aliis palmam præripiunt. In floribus chamomillæ vulgaris in ſubſtantia datis, eorum extracto, eſſentia & oleo genuino deſtillato profecto paucis nota, ſed expertiſſima medicina antifebrilis latitat, cujus operatio in nullo alio conſiſtit, quam quod genus nervoſum adflictum ſoletur & ſpaſmorum vehementiam mitiget atque deliniat. Nitro quoque bene depurato in temperando febrili æſtu nihil excellentius eſt, eo, quod

quod partim ipſam acrimoniam bilioſam mitiget, partim etiam nimis tenſas fibras relaxet & poros cutis aperiat, quo partes ſulphureæ tenues ſanguinis, a quibus concluſis æſtus maxime oritur, exhalare poſſint & ob id in omnibus acerbioribus doloribus, febribus & ſpaſmis lenem diaphoreſin provocat, qua calor nimius mitigatur. Tum ſingulari febrium inſultus mitigandi potentia ipſa theriacalia gaudent, præſertim quando aliquot horas ante acceſſionem intermittentis vino calido offeruntur, unice vero eorum operatio in virtute ſedativa antiſpaſmodica & diaphoretica requieſcit.

§. XVI.

Verum enimvero cum magna, imo plane mirabilis, cortici chinæ, martialibus & omnibus fere adſtringentibus ad cohibendos intermittentium inſultus efficacia inſit, merito in quæſtionem venit, unde ea dependeat? Nos ſumus ejus ſententiæ: adſtringentia quidem in ſe non ſpaſmos ſiſtere, ſed potius roborando & firmando partes fibroſas & membranaceas, quæ poſt violentas in paroxyſmo ſtricturas ordinarie valde relaxantur, efficere, quo minus materia febrilis tenuiſſima acris ſe ipſis rurſus inſinuet, atque eas ad contractiones ſpaſticas cogat. Mira vero eſt adſtringentium potentia & operatio per univerſum corpus, unde forte adſtringens, dum adhuc in ventriculo moratur, in remotis partibus ſanguinis profluvium compeſcit. Et hæc quoque eſt ratio, quare clyſteres ex cortice chinæ chinæ incocto adſtringentes redditi, ſecundum Helvetii inventionem, febriles acceſſiones compeſcant. Similis operandi ratio eſt emplaſtrorum, quæ ex roborantibus & adſtringentibus parata & manuum pulſibus adplicata, ad paroxyſmos ſiſtendos magnam efficaciam exſerunt, dum enim genus nervoſum roborant, faciunt, ne tam facile in criſpaturas ſpaſmodicas a febris cauſa adigantur. Neque alia videtur eſſe ratio, quare emplaſtra veſicatoria ex allio, item ex flammula Jovis, ranunculo, pipere, telis aranearum, araneis, fuligine manuum carpis admota, paroxyſmos cohibeant, cum enim ſale cauſtico quo vigent, totum fibrarum genus extra paroxyſmum conſtringunt, non admittunt facile, ut aliena materia eas ſubeat atque exagitet. Ceterum, ubi graviſſime per ſpaſticas contractiones genus nervoſum adfligitur, ſicuti quandoque fit ſub acceſſione quartanæ, linimenta nervina, ſpirituoſa, antiſpaſmodica ventriculo vel ſpinali medullæ admota egregium levamen adferre a Practicis non ſemel obſervatum eſt. Novimus clyſteribus, ex herbis nervinis antiſpaſmodicis paratis, cui injecti balſami noſtri liquidi, quem vitæ vocant, inſigni quantitate ex quartana laborantes mirifice fuiſſe ſublevatos.

§. XVII.

Poſtquam itaque ſatis clare & evidenter oſtendimus, ſpaſmum partium earum corporis, quæ ſenſui & motui vacant, tam in frigore, quam in calore præcipuam & principem ſymptomatum eſſe cauſam, & ſine illis febrem nec fieri nec continuari poſſe: ordo & ratio rei jam exigit, ut quænam febrilium ſpaſmorum ſint cauſæ, & quo principio agant, circumſpiciamus. Dicimus vero, febres non ſecus ac alios morbos ex duplicis maxime generis cauſa materiali ſubnaſci, altera in mole magis materiæ, altera in tenuitate & infenſa materiæ qualitate conſiſtit. Ad primum ordinem pertinent ſanguinis & humorum in vaſis ſtaſes atque congeſtiones, liberum ſanguinis circulum intercipientes, unde potiſſimum dolores, inflammationes & febres fiunt, quemadmodum id præclare Hippocrates *Lib. de flatibus* §. 13. exprimit his verbis: *ſanguis ipſe natura calidus exiſtens, vi coactus per anguſtam viam tranſire celerrime non poteſt, cum multa impedimento ſint obſtacula & oppilationes, quapropter etiam pulſus ſiunt circa has partes affectas. Hoc ergo modo febres ſiunt & cum febribus dolores ac aliæ quædam ægritudines.* Poſterioris ordinis cauſæ febriles ſunt ſordes excrementitiæ, tenuiſſimæ & alieniſſimæ indolis, ob tranſpirationem potiſſimum liberam interclusam in corpore remorantes. Unde non ſine ratione ſapientiſſima antiquitas febres, præſertim acutas, a prohibita tranſpiratione deduxit, & meretur in hujus rei illuſtrationem egregius locus ex Hippocrate adduci, qui *Lib. II. de Diæta* §. 45. ita ſcribit: *quicquid ab excretione intus remanet, non ſolum huic parti laborem exhibet, ſed etiam ei, quæ humiditatem* (id eſt eam, quæ ab excretione impedita remanſit) *ſuſcepit: non enim commoda eſt corpori, ſed infeſta, tanquam enim circuitum non habens, ſed quieſcens caleſit, tum ipſa, tum quæ allabuntur & ſic febrem fortem inducit. Calefacto enim ſanguine & attracto celerem circuitum faciunt ea, quæ in corpore ſunt, & tum reliquum corpus a ſpiritu purgatur, tum quod compactum & coaleſcens attenuatur & ſimul ex carne foras ſub cutem extruditur, atque hoc ſudor calidus vocatur. Hoc autem excreto & ſanguis in naturalem ſtatum reſtituitur & febris remittit & laſſitudo ſedatur maxime tertia die.* Quo præclaro & plane ſingulari loco graviſſimus noſter auctor clariſſime febris cauſam & rationem ejus formalem neque minus ſcopum ſanandi ſeu cauſam finalem proponit. Cauſa videlicet eſt excrementum cutis retentum, quod quieſcens & circuitum non habens, peſſimæ naturæ fit ac motus febriles inducit; eſſentia vero ſeu ratio formalis conſiſtit in celeri circuitu eorum, quæ in corpore ſunt; effectus eſt, partim ut a tenui excremento ſanguis purgetur & compactum, quod remanet, attenuetur. Cauſa finalis eſt, ut & ſubtile & tenue per ſudorem extrudatur, & tunc ſequitur curatio, febris remittit, laſſitudo ſedatur.

§. XVIII.

Neque profecto aliter ſeſe res habet in ortu aliarum febrium, ſive continuæ eæ ſint, ſive intermittentes, malignæ vel benignæ, exanthematicæ vel minus tales, ubi cauſæ materiales excremento maxime per ſudorem retento vel ad primam regionem deſcendente continentur. In quam ſententiam etiam inclinat Helmontius, uti videre eſt ex *Lib. de febribus*, item *Lib. de retentis.* Plura enim ſunt, quæ tum per eſculenta & potulenta, tum per aerem interiora corporis noſtri ſubeunt, & quæ naturam alieniſſimam ac virulentam plane habent, ut ſunt multæ exhalationes & partes ſalino-cauſticæ putridæ, corruptæ, quæ partim ex animantibus putrido morbo correptis, partim ex infectis atque ex putridis ſtagnantibus aquis in aerem feruntur, vel etiam ipſo in aere ex variorum effluviorum commixtione & confermentatione ſubnaſcuntur. Hæc, ubi corpus noſtrum ſubeunt & rurſus exhalant, nihil nocent, quando vero ſubſiſtunt & aliis malæ indolis humoribus ſeſe adſociant eoſque inſtar fermenti in ſimilem naturam arripiunt, tunc utique fomes & cauſa epidemicarum maxime, variæ indolis, febrium ac morborum ponitur ac ſtatuminatur. Hæc excrementa vero partim in primis viis & maxime in duodeno & valvulis inteſtinalibus, partim in vaſculis ſubcutaneis minimis retinentur. In hiſce quando firmiorem ſedem habent, febres maxime pariunt continuas, in inteſtinorum vero canali ſi reſtagnant, magis periodicas & malignas quoque contagioſas inducunt. Prohibita vero tranſpiratio generationi intermit-

termittentium etiam velificatur. Tunc enim excrementa ſubcutanea ad primas vias, per ſuccos lymphaticos & bilioſos, regurgitant, ubi cruditates, ex vitio diætæ oberrantes & concurrentes, fomitem intermittentium conſtituunt. Recte enim præcipuam febrium ſedem ac domicilium in prima regione FERNELIUS ſtatuit, qui *Tract. de febribus pag.* 16. ſcribit: *Omnium febrium ſedes & origo in prima eſt corporis regione, circa præcordia, ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas. Hæc ſunt publica corporis ſentina, in qua omnis humorum colluvies confluit cumulaturque.* Nam ſicuti ventriculus & inteſtina varios diverſæ indolis humores, ut bilem, lympham ſalivalem, mucum à ſanguine recipiunt: ita etiam rurſus corruptos humores ſanguini affundunt, adeo, ut magna conſenſio ſit ventriculi non modo ratione ſolidarum & nervoſarum univerſi corporis partium, ſed & ratione fluidarum & ſuccorum: ſiquidem depravatis & corruptis humoribus prima in regione hærentibus, univerſa ſanguinis & humorum maſſa inde luit: ſicut etiam contra vitiatis ſanguine & lympha, mox inde primæ viæ noxam ſuſcipiunt.

§. XIX.

Neque ullum dubium eſt, quin intermittentes, & quæ per periodos recurrunt, febres, ratione materiæ fixam ſuam ſedem maxime in primis viis habeant, ex quibus corruptus & febrilis humor, certo temporis ſpatio, ad ſanguinem rurſus in ſufficienti quantitate delatus, intra membranas ſpaſmos febriles de novo inchoat, donec motu & calore materia diſcuſſa ex cute projiciatur. Videtur autem in quotidianis humor magis eſſe ſeroſæ & corruptæ ſalſæ naturæ, in tertianis acris bilioſæ, in quartanis viſcidæ & acidæ. Etenim quotidianæ & ſemitertianæ corporibus ſeroſioribus, vitæ ſedentariæ addictis, debilioribus quoque, cachecticis; tertiana magis cholericis & qui alimentis calidis & aëre calido veſcuntur; quartanæ vero melancholicis, & qui craſſum habent ſanguinem, multumque acidi in primis viis collectum, familiares eſſe deprehenduntur.

§. XX.

At vero quæſtio hoc loco naſcitur, cur intermittentes, præſertim quartanæ, tam diu durent & ad annos ſæpius protrahantur, cum tamen, ſi materia febrilis lateat prima in regione, facilius inde poſſit exturbari. Sed fatemur hic aperte, Medicos eſſe utplurimum in culpa, qui raro has febres pro differentia corporum, atque cauſarum, temporum, aliarumque circumſtantiarum recte tractare norunt, nec ſatis mature ad febris mineram præſcindendam convenienti emetico, purgante vel ſale deterſivo aut mercuriali remedio ſe accingunt. Accedit, quod vacuo die corpus in continua tranſpiratione, quæ tunc temporis valde ſuppreſſa eſt, teſte languido & tardo pulſu, non bene conſervant: tum quoque materia febrili maxima ex parte victa, roborantia, inter quæ utique cortex chinæ primas tenet, plus juſto ſæpius formidant: Sicut & contra alii cum hoc cortice, nimis cito & præmature atque intempeſtive exhibendo, magnum errorem committunt & maximum exitium adferunt: at febris, quo diutius adfligit, eo magis corpus & ejus vires conſumit, ipſosque humores in excrementa convertit, quæ, ſi non rite expurgantur, ſemper de novo, facto ad primas vias adfluxu, materiæ febrili ibi hærenti alimentum ſubminiſtrant. Deinceps a diuturniori febre non parum læſionis viſcera experiuntur, ſiquidem immoderato æſtu ſubtilior ſanguinis pars reſolvitur, & feculentior derelicta vaſculoſam & mollem hepatis ac lienis itemque pancreatis ſubſtantiam ita obſtruit & infarcit, ut poſtea non modo difficilius eradicetur, ſed & viſceribus induratis & tumefactis (germanice dicunt Fieber Kuchen /) gravis & longus morbus febrem excipiat. Tandem, quo diutius febris corpus detinet, eò plus genus nervoſum ac membranoſum ſpaſticis contractionibus adſueſcit, ut vel a leviſſima cauſa, ut aura boreali aut affectu animi, aut difficilioris coctionis cibo adſumto, febrilis motus revertatur.

§. XXI.

Poſtremo & illud monendum eſſe cenſeo, quod in continuis non minus ac in intermittentibus plerumque materia tenuiſſimæ molis, ſed naturæ validiſſimæ & alienæ, peccare ſoleat. Manifeſtum id eſt à priori, dum à ſola prava exhalatione vel morboſo inquinamento ſive miaſmate intus ſuſcepto contagioſæ mali moris febres, ipſa quoque peſtilentia, petechiales, item variolæ, morbilli, purpuraceæ epidemicæ progenerentur. A poſteriori quoque innoteſcit, dum dictis his in morbis, ubi ad habitum corporis materia tenuis detruſa fuit, mox febris & ſymptomatum vehementia ſeſe remittit. Quin & in tertiana, in ore & labiis obortis ulcuſculis, acceſſio ſemper mitior redditur, & quartanæ, ſi iis ſcabies vel alia cutis exulceratio ſupervenit, protinus vel decrementum ſumunt vel plane deſinunt, unde perite ſcribit JOH. LANGIUS *in Epiſt. XVI. Ego plus centies vidi, cum poſt aliarum febrium, tum præcipue quartanæ criſin obortam ſponte, citra omne medicamentorum ſubſidium exoleſcere.*

§. XXII.

Quod vero minimæ molis materia corpus ſubito in gravem febrilem vel etiam convulſivam commotionem conjicere poſſit; id præter alia morſus & ictus ira percitorum animantium teſtantur. Pauxillum enim eſt, quod fibrillis cutis nervoſis ſeſe inſinuans graviſſima pathemata ſuſcitat. Atque mirabile eſt, quod venenum, cujuſcunque etiam ſit generis, intus ſæpe innoxie ſumatur, ſed exterius cuti ſauciatæ admiſſum & cum humoribus noſtris immediate commixtum, vix emendabilem noxam adferat. Ita de oleo tabaci ſcribit BORELLUS *Lib. de motu animalium*, quod filum eo inunctum & per cutem trajectum protinus animal interficiat. De ſucco hellebori albi prodidit CRATO *in Epiſt. Lib. II. pag.* 227. *ſi lingua ſuccus deguſtetur, nulli noxius eſt, ſanguini vero communicatus, exitioſus. Et ſi quis acu ſaltem eo ſucco infecta punctim lædatur & exiguum ſaltem vulnus accipiat, paucis horis poſt extinguitur.* Ita etiam notum eſt, mercurium vivum intus magna in copia ſine noxa ſumi poſſe, at ſi articuli, partes nervoſæ & ſubcutaneæ, præſertim in ſcorbuticis, ipſo inunguntur, graves læſiones infert. Quotidiana porro experientia confirmat, tenues, acres ſordes in ſcabie, variolis, morbillis, purpura, podagra, arthritide, eryſipelate ad cutis habitum delatas & ob varias cauſas repulſas, graves generis nervoſi læſiones producere: ut ſunt acutæ febres, aſthmata, inflammationes & ſpaſmi violenti. Ex quibus omnibus recte & non ſine inſigni ratione argumentamur: ſubſiſtentes in cutis vaſculis excrementitias ſordes & ex mora pejores redditas, gravium febrium & ſymptomatum cauſam ſubminiſtrare, adeo, ut non mirum ſit in ſanguineis ſynochas ſimplices & putridas, in ſanis diarias, inque bilioſis ardentes & cauſos, in

cachecticis periculiſ plenas ſemitertianas vel quotidianas continuas, in ſeroſioribus catarrhales ſuſcitari, ſiquidem maxima eſt omnium nervorum & membranarum corporis cum cortice & integumento cutis valde nerveo & tendinoſo conſenſio atque conſpiratio.

§. XXIII.

In variolarum & morbillorum morbo identidem materia valde ſubtilis, acris, cauſtica delinquit, quæ ſolidas & membranoſas partes forti ſtrictura & eroſione adfligens, variorum ſymptomatum genitrix ſit: ita laſſitudines, dorſi, capitis, artuum & lumborum dolor, abdominis tenſio, ſicca tuſſis, calor præternaturalis nauſea, vomitio, crebra ſubinde dejectio, quæ eruptioni ordinario præcedere ſolent, non alii cauſæ niſi ſpaſmis debentur. Denique ſub eruptione quæ contingunt, alvi adſtrictio, ſalivatio, facies tumida, convulſio ſæpius epileptica, delirium, hæmorrhagia identidem ſpaſticam conſtrictionem partium abdominis membranoſarum & humorum ad caput congeſtionem ſignificant. Ipſa denique cutis a puſtulis eroſio atque exulceratio acrimoniam cauſticam abunde patefacit, neque ignotum eſt, a variolarum morbo ſæpe ſæpius phthiſicas pulmonum exulcerationes, neque minus in artubus gravia & mali moris ulcera, cariem, furunculos, contracturas, arthrides, quandoque inſequi. Morbilli quoque ipſis pulmonibus infeſti eſſe ſolent, unde cum tuſſi gignuntur, ſique minus perite tractantur, perquam facile in aſthma convulſivum aut catarrhum ſuffocativum, præſertim in infantibus, transeunt.

§. XXIV.

De ortu horum morborum, qui profecto peculiaris indolis ſunt, eo, quod faciem occupent & ferme totum humanum genus non intactum relinquant, neque facile, ſi radicitus curatæ fuerint, revertantur, non una eademque, ſed diſſidens admodum eſt auctorum ſententia. At vero impuritatem ſucci nutritii in utero materno hauſti & in corporis quadam parte relicti variolarum: pravitatem vero ſucci, qui ex lactatione fit, morbillorum materialem cauſam exiſtere, veriſimillimum videtur. Confirmationem huic ſententiæ, memorabilis ſequens obſervatio adjicit; Frequentius videlicet annotavimus illos infantes vel pauciſſimas habere variolas, vel plane ab iis per omnem vitam eſſe immunes, quorum matres decenti ſanguinis miſſione, primarum viarum evacuatione & convenienti diæta tempore impraegnationis utuntur, vel in quibus ſanguis ſuperfluus eo tempore per uteri vaginam, ſicuti quandoque accidit, ſeſe exonerat. Deinceps notavimus quoque infantes, quibus per tineam capitis, achores, vel faciei puſtulas, auriumque & oculorum defluxiones impuri ſeri facta fuit excretio, parcius, vel plane morbillis non laboraſſe. Hoc vero jam maxime in quaeſtionem venit, ubi hæc peculiaris impuritas tamdiu ſine noxa delituerit. Qui in contextu ſanguinis eam latuiſſe ſibi perſuadent, mea quidem ſententia admodum falluntur, ſiquidem ſanguinis & humorum maſſa, ob continuam novi ſucci alibilis acceſſionem & perpetuam partium ſanguinis diſſolutionem & ejectionem, non ſemper ſibi conſtat, ſed continuis mutationibus obnoxia eſt. Adeo, ut ſanguis, qui ante menſem per cor & vaſa fluxit, nullo modo jam idem numero, natura, atque temperie in vaſis adſit. Poſito quoque, quod diſſolutione fermentativa aliena materia, ſub ſanguinis involucro contenta, extricetur, idque etiam in morbo variolarum fiat, tunc utique illud nos premit dubium, quare non eodem motu fermentationis ſimul quoque morbillorum principium evolvatur, cum experientia conſtet, rarius hos morbos jungi, ſed unum alterum antecedere vel longius demum ſequi.

§. XXV.

Igitur in tam perplexis difficultatibus noſtra ſententia eſt: horum morborum ſemina ac fomenta glandularum anguſtiſſimis ductibus eſſe incluſa. Nulla enim corporis pars ad detinendum humorem magis idonea eſt præterquam glandula, ubi facile ex diuturna mora alieniſſimam & plane virulentam indolem contrahit. Res clariſſima eſt in tumoribus glandularum, quæ diutiſſime & cancri & morbi venerei elementum complectuntur. Deinceps morborum, qui fluxione acri vel exulceratione aut mali moris puſtulis corpus noſtrum infeſtant, ut ſunt ſcabiei & herpetis genera, tinea capitis, puſtulæ venereæ, chronicæ oculorum lippitudines: apud infantes cruſta lactea, plerumque ſuas radices in glandularum tumoribus firmas agunt, ex quibus ſecedens acris & corruptus humor perpetuo ſuccos transfluentes vitiat atque contaminat, quod eo magis accidit, quo celerius humor malignus intra glandularum vaſa incarceratus a vinculis ſuis ſolvitur. Nobis itaque veriſimillimum videtur, quaſdam in certis locis glandulas eſſe tumidas & obſtructas, quarum aliæ variolarum, aliæ morbillorum fomitem complectuntur, & quæ ſucceſſive vere & autumno ab auſtrina catarrhali acris conſtitutione, poris cutis occluſis, inteſtinam partium ſanguinis præternaturalem agitationem efficiente, aperiuntur, quo fit, ut humor acris & corruptus, lympham & ſanguinem contaminans, ingentes illas turbas, quæ in variolarum morbo conſpiciuntur, excitet, donec per glandulas ſubcutaneas ad ſummam cutem fuerit protruſus.

§. XXVI.

Ex hac dicta hypotheſi jam facile ratio deduci poterit, quare, qui ſemel variolis & morbillis correptus & recte curatus fuerit, etiam iis graſſantibus non amplius corripiatur, & quare interdum nonnulli recidivam patiantur, ſi videlicet non omnes ſimul & ſemel, ſed quædam tantum glandulæ diſſolutæ fuerint. Patet quoque porro ratio, quare nonnulli ex infantibus, ante variolarum & morbillorum morbum, nunquam recte valeant, ſed variis moleſtiis & fluxionibus adficiantur, quæ, poſteaquam hæc mala experti fuerint, penitus ceſſant, corpore facto & auctiore & robuſtiore. Denique non obſcura inde eſt ratio, cur mercurialia, item ſulphura antimonii rite correcta & inter alia ante invaſionem horum morborum uſurpata, officium in mitiganda ſymptomatum malitia præſtent exoptatiſſimum.

§. XXVII.

At vero, ſequitur jam paulo curioſius indagandum, quænam corporis glandulæ potiſſimum horum morborum fomites contineant. Sed hac in re non majorem certitudinem vel majus lumen obtinere poſſumus, quam per diligentiorem anatomen & inſpectionem corporum hiſce morbis extinctorum, ſiquidem nulla veritas in medicina, niſi per anatomen, quæ unus medicinæ oculus, & per phyſicam experimentalem, quæ alter eſt, non neglectis practicis obſervationibus, haberi poteſt. Quo lumine deſtitutus Medicus, præſertim in ſede & cauſis morborum dignoſcendis, plane cœcus eſt & nihil certi ſcit. Optandum vero hic vehementer foret, ut hoc in caſu majorem haberemus copiam ſectionum poſt mortem

tem variolis defunctorum. Ego non plures, quam duas tantum accurate conſignatas offendi, quarum una extat *Miſcell. natur. curioſ. Dec. II. A. IX. Obſ.* 280. ubi facta anatome pueri variolis extincti, in meſenterio plurimæ glandulæ majores & minores, tractui inteſtinorum confines, lividæ, ſed adhuc molles repertæ ſunt, in inteſtinis tenuibus glandularum plexus nonnulli ſiderati, inprimis autem glandulæ ſolitariæ inteſtini coli tumentes & nigræ extiterunt. Altera obſervatio anatomica reperitur *in* Bartholini *Epiſt. Cent. III. Epiſt.* 29. ubi in cadavere Mariæ Auriacæ, Principis Regiæ, ex variolis defunctæ, ventriculus anteriori parte inflammatus, intus aphthis multis & in fundo longiori glandula præternaturali obſitus fuit. Ex quibus hiſtoriis diſcimus, glandulas ventriculi & inteſtinorum in hiſce morbis merito poſſe accuſari, dum a lympha impura & viſcida inteſtinales in fœtu facile obſtruuntur, meſentericæ vero a vitioſo lacte extra uterum labem & tumorem patiuntur. Neque quicquam obſtare videtur, quo minus ſedem horum morborum & quidem variolarum in inteſtinalibus, morbillorum vero in meſenterii glandulis majoribus conſtituamus. Nam ſymptomata, quæ ſub primo morbi fiunt inſultu, ut ſunt anxietates, nauſeæ, vomitiones, tormina, diarrhœa, quæ in infantibus ſæpe per totum morbi decurſum adſunt: item ſalivationes, aphthæ in ſtatu contingentes, in inteſtinorum canali morbi ſedem eſſe ſufficienter declarant. Jam etiam clarius ratio intelligi poteſt, quare miaſma varioloſum aere & ore hauſtum, cum ſaliva paulatim ad ventriculi ſinum deſcendens, tam facile hoc malum, glandulas has reſolvendo & emolliendo, inferat; item cur laxantia eo tempore, quo graſſantur variolæ, exhibita in iis provocandis, id quod ſæpius notavimus, ſingulari facultate gaudeant. Intelligimus quoque exinde, quare leniora emetica, nec non laxantia cum mercurio dulci, & mitigati ſpiritus minerales acidi, nec non terrea contemperantia mature exhibita & copiam variolarum & ſymptomatum vehementiam admodum imminuant; niſi enim in prima regione fomes morborum talium ſubſiſtat, videtur horum remediorum uſus eſſe ſupervacaneus. Nihilominus hanc noſtram hypotheſin ac meditationem in ulteriorem inquiſitionem ſollertioribus Medicis ac Anatomicis etiam atque etiam commendamus.

§. XXVIII.

Sequitur jam, ut etiam de ratione & generatione purpuræ, tam albæ miliaris, quam rubicundæ, ſententiam noſtram dicamus. Primo vero notandum eſt, quod in chronicam & acutam ea recte diſtingui debeat, illa periculi expers, hæc majoris diſcriminis plena, utraque autem principio tenuiſſimo acri, ſalino cauſtico, quod velut excrementum retentum intra corpus fuit, debetur. Chronica, quæ per aliquot ſæpe menſes exercet, cacochymiæ vel ſcorbuti maxime ſoboles; acuta vero, magis putredinis comes eſt, hac tamen diſtinctione, ut rubicunda plus ex corrupto ſanguine, alba vero & miliaris ex vappida & putreſcente acida cauſtica in glandulis lympha proveniat: ſiquidem a retentis menſibus, vel in puerperis a ſuppreſſis varias ob cauſas v. g. terrorem, refrigerationem, lochiis, frequentius hoc malum infeſtat. Miliaris vero acuta ſæpe ſæpius aliis acutis & putridis, inflammatoriis quoque puerperarum febribus, item morbillis nec non variolis ſupervenit, ita ut, declinante priori morbo, demum in ſcenam prodeat novo periculo terrens.

§. XXIX.

Quod vero ad purpuram chronicam attinet, ea, non ſecus ac ſcabies contumax, nobis ex glandulis obſtructis originem ſuam trahere videtur: nam ſicuti ex diuturna mora humor in vaſculis detentus plus malignitatis contrahit; ita lympham ſemper vitiat & ſimili charactere imbuit. Obſervamus maxime, quod qui dulcibus, cibis farinaceis crebrius utuntur & vitæ ſedentariæ indulgent, ad purpuram, tam acutam, quam chronicam maxime ſint proclives. Quibus vero in locis aquas habent ſtagnantes putridas, & ubi aer putridis particulis, præſertim ex aquis ſtagnantibus eſt inquinatus, ibi hoc malum eſt familiariſſimum. Deinceps notavimus, quod feminæ, quæ fluore albo crebrius corripiuntur, in purpuram etiam facile incidant, & quod hi affectus multum ſororientur & tranſmutentur, unde præſente fluore albo rarius viſitur purpura, quæ eo vehementius adfligit, quo citius hic fluxus ſupprimitur, unde reſtituta hac fluxione protinus purpura ceſſare ſolet.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
DE
VERA MOTUUM FEBRILIUM
INDOLE AC SEDE.

Primùm edita Anno 1723.

PRÆFAMEN.

EX univerſa morborum claſſe nullus præter febrem eſt, qui gravius & frequentius humana affligat corpora iiſque interitum minetur. Febris enim eſt, quæ nec ſexui ulli, nec ætati, nec temperamento, aut loco parcit, ſed omni tempore ſæviſſime & frequentiſſime homines infeſtat; ut hinc optimo jure univerſalis morbus dici & haberi debeat. Et ut ut ſæpiſſime principalis morbus ſit, tamen plurimis etiam aliis gravibus iiſque chronicis paſſionibus aſſociatur, quemadmodum apparet in hydrope, phthiſi, cachexia, quibus plerumque funeſtum imponit finem. Immo, ſi dicere licet quod res eſt, mors a cauſa interna proficiſcens rarius ſine febre contingit. Ex quibus clare apparet, non infenſiorem naturæ humanæ, qui illi exitium & deſtructionem minatur, hoſtem exiſtere, quam febrilem morbum. Quamvis vero proinde non dubitandum ſit plurimos in morbo perire ex febre; attamen & id negari nequit, ſed res planæ & perſpectæ experientiæ eſt, plures a febre ſaneſcere & meliorem ſanitatis ſtatum, quam antea, per febrem recuperare, ut inde etiam præclari & olim & noſtris temporibus viri febrem in ſe & ſua naturà non eſſe noxiam & inſalubrem, ſed potius præſidium vitæ & ſanitatis pleno ore affirmare non dubitarint. Quum itaque motuum, qui febrem efficiunt, tam diverſa ſit natura atque operatio in corpus noſtrum, ut per hos vel homo pereat, vel per eoſdem, cauſſa morbi ſublata, ſanitati reſtituatur; oportet utique maxime omnium veram motuum febrilium indolem, proprietates, potentiam atque diverſum effectum, quem in corporibus humanis exſerunt, paulo ſtudioſius indagare atque intimius dignoſcere Medicum; quo poſtea de febrium eventu, nec non eas curandi methodo certius & rectius judicium formare poſſit. Verum enim vero quo utilior & magis Medico neceſſaria eſt doctrina de febribus, eo magis dolendum eſt, in univerſo ſcientiæ medicæ ambitu, nullam tantis difficultatibus & tam diverſis hypotheſibus atque opinionibus eſſe ſubjectam, quam illam, quæ de febribus agit; adeo, ut quid veri & ſolidi ſtatuendum ſit, vix in tanta ſcriptorum copia & varietate reperire liceat. Quapropter nec oleum nec operam me perdere poſſe credidi, ſi inaugurale profectuum meorum ſpecimen editurus, huic potiſſimum argumento enucleando animum adjicerem, meamque de *motuum febrilium natura & ſede*, ſententiam, paulo planius & liberius declararem. Quibus cœptis ut benigniſſimum Numen deſideratiſſimam ſuam gratiam addat, eſt quod devotiſſime precamur!

§. I.

DUm itaque de motuum febrilium genio atque indole diſſerere animus eſt, primo omnium id pro certo & explorato ſupponendum eſt: a nullo unquam morbo tam ſubitam, præcipitem & gravem mutationem & turbationem in functionibus partium corporis noſtri, quam in febribus, animadverti; neque ullam fere partem eſſe, quæ non patiatur atque affecta ſit, ſive quis intermittente, ſive continua febre laboret. Ingens enim adeſt ſub omni febrili motu virium languor, ciborum appetentia perit, digeſtio ceſſat, alvus ſuum deſerit officium, nutritio intercidit, ſumma adeſt anxietas & jactatio corporis, ſomnus laudabilis deficit; dolor caput, laſſitudo omnes artus torquet; urina & ratione quantitatis, & conſiſtentiæ, & coloris, eſt mutata; univerſum corpus æſtuat, ægrotat quoque mens, arteriarum & cordis pulſus plane eſt immutatus, ſolito fre-

frequentior, extrema corporis ſæpius horreat & frigent.

§. II.

Quum itaque tanta tamque gravis mutatio in functionibus partium corporis humani ſub febre deprehendatur; nullus vero effectus in corpore ſine cauſſa proportionata fiat, facile quidem pateſcit: graviſſimi momenti eſſe id, quod præternaturalem hunc ſtatum parit; ſed veram & adæquatam ejus cauſſam recte indagare ac invenire, res non adeo facivis, ſed plane ardua eſt. Nolumus enim hac in re veteres & recentiorum quoſdam imitari, qui, mirabilium in corpore humano effectuum veras cauſſas ſi ignorant, nil niſi mera nomina maxime obſcura allegant, confugientes in hac de febribus doctrina, ad calidum innatum in corde accenſum, fermentationem ſanguinis præternaturalem ſumme calidam, flammulam vitalem auctam, archeum furibundum, validam naturæ adverſus morbum pugnam, fermentum febrile, turbationem craſeos ſanguinis ab æthere peregrino factam. Nos miſſis ſterilibus ejuſmodi commentis, ex intima potius rerum naturæ philoſophia, quam recentiores mechanicam appellant, veras vitæ, ſanitatis, morborum & mortis, immo omnium mutationum, quæ in corpus humanum incidunt, cauſſas dilucide explanari poſſe putamus. Nimirum obſervarunt ſagaciſſimi noſtro hoc ævo rerum naturalium indagatores, omnes mutationes, operationes atque effectus, qui in rerum corporearum natura contingunt, a ſolo motu & ſola corporum ad motum diſpoſitione proficiſci; ita nempe, ut pro varia corporum ratione molis, figuræ, ſitus & nexus diverſitate, diverſi etiam motus producantur. Hinc quemadmodum in univerſo unum corpus ſemper agit in alterum & pro diverſa illa actione & reactione diverſæ reſultant actiones; ita pari ratione certus quiſque & determinatus in corpore, præſertim organico, effectus, ab adæquato, ſpecifico & certo partium motu provenit. Quod ſi itaque tantæ turbationis ac læſionis functionum, quæ in febribus apparet, cauſſas inquirere velimus, eaſdem ex nullo alio fonte, quam ſolidorum & fluidorum, e quibus machina humana compoſita eſt, mutata diſpoſitione & turbato motu derivare debemus.

§. III.

Ut autem eo clarius innoteſcat, in quo potiſſimum febrilis morbus a ſanitatis ſtatu recedat, operæ erit omnino pretium, ut hunc quodammodo delineemus. Nimirum omnium actionum integritatem, quæ ſanitatem conſtituit, in corpore exiſtere, animadvertimus, ſi placidus, moderatus, liber & æquabilis ſanguinis & fluidorum per compagem corporis noſtri mere vaſculoſam motus atque curſus eſt. Quum vero fluidorum motus a ſolidorum ſive fibrarum nervearum, ex quibus præter vaſa etiam tota corporis noſtri compages contexta eſt, reſiſtentia, tono, robore, oſcillatione, elaſticitate & contractili potentia maxima ex parte dependeat; hinc in ſtatu ſanitatis moderatum eſſe cordis & arteriarum pulſum & ſolidorum reſiſtentiam ac tonum æquabilem intelligimus, adeo ut non nimis tenſa & aucta ſit fibrarum contractilitas nec nimis laxa & remiſſa. Si conſtitutis hoc modo ſolidis, fluida debita temperie, mole ac fluxilitate gaudent, æquabilis & ſecundum vaſa proportionatus humorum ſit circulus, nec una pars plus vel minus quam debet, recipit, omneſque & ſecretiones, & excretiones, ad vitam conſervandam, nutritionem perficiendam vireſque ſuſtinendas perquam neceſſariæ, vigent.

§. IV.

Conſtituta ſic vera actionum, quæ in ſtatu ſano ſecundum naturam, ordinem & regulam fiunt, cauſſa, motu nempe æquabili ſolidorum & fluidorum; facillimum jam erit in veram tantæ turbationis & læſionis omnium actionum in febribus cauſſam inquirere, quæ viciſſim vix alia eſt, quam inordinatus, irregularis & inæquabilis ſolidorum & fluidorum motus, cujus naturam ut curatius paulo deſcribamus, neceſſarium non minus quam utile erit. Tenendum itaque eſt, in omni febrili acceſſione duplicis generis in ſolidis & fluidis motum inordinatum obſervari; alter, qui prior & ordine præcedit, ſtatim ab initio febris fit, & in partibus externis atque extremis & ubi minimorum vaſculorum copia adeſt, maxime in integumentis corporis præſertim cute viget. Increſcit nempe in ſolidis hiſce & nervoſis partibus, quæ minima tantum vaſa admittunt, vis contractilis, qua fibræ in ſe redeunt & coarctantur, atque vaſcula & tubuli ſubnexi anguſtantur & comprimuntur, ut fluidorum per hæc ipſa fluxus & refluxus ſufflaminetur. Aucta hæc motus contractorii ſpecies, quæ Græcis ſpaſmus dicitur, non modo univerſam cutim & omnes partes externas occupat, ſed etiam inæquabili harum partium motione reddita, ingentem mutationem fluidis quoque corporis noſtri infert; ſiquidem impedito libero per anguſtiora vaſa tranſitu, affluens humor reprimitur ad partes interiores, ut earum vaſa majorem, quam par eſt, ſanguinis copiam recipiant & ſic ab inæquabili ſolidorum motione motus quoque ſanguinis & fluidorum fiat inæqualis. Is enim nobis æquabilis fluidorum dicitur motus, quando fluida non majorem impetum faciunt in unam, quam in alteram partem; & vis ſolidorum contractilis æquabilis dicitur, quando premit æqualiter liquida in omnibus partibus. Proinde quandocunque partes externæ præter naturam ſpaſmo conſtringuntur, ſanguis repellitur ad interiora, & extrema detumeſcunt, refrigeſcunt, rigent, horrent, vaſa diſparent, aſperitates exſurgunt & perſpiratio liquidi per cutis colatorium impeditur; fluida vero cum impetu ad interiora delata cephalalgiam, inquietudinem, phantaſiæ perturbationem, anxietatem & gravitatem pectoris, virium oppreſſionem, pulſum frequentem, debilem & parvum, dolorem dorſi, intumeſcentiam abdominis a flatibus & angorem gignunt. Spaſticum hunc partium ſolidarum motum, qui a ſuperficie corporis ad interiora convertitur, atque in intermittentibus clare conſpicuus eſt, ſenſim paulatimque alter contrarius in ſolidis & fluidis partibus ſubſequitur; quo cor cum vaſis interioribus, vigore motus ſyſtaltici aucto, cum impetu quodam & vehementia ſanguinem omniſque generis fluida ad exteriora, & ſuperficiem corporis urget & pellit. Hinc ſub eodem calor totius corporis valde increſcit, pulſus fit magnus & celer, habitus corporis tumet & rubet humidique fit appetentia. Atque hic duplex ſibique oppoſitus motus formalem febris rationem continet, inque ejus conſideratione vera & rationalis febrium theoria conſiſtit.

§. V.

Hæc hactenus tradita mechanica febrium doctrina, quæ in inæquali ſanguinis motu atque influxu in partes maxime conſiſtit, non recenter excogitata eſt, ſed antiquiſſimo & optimo artis noſtræ parenti cognita jam tum & perſpecta videtur, quippe qui *libro de flatibus* hæc notatu perquam digna prodidit verba: *deſiliente ab extremis corporis partibus ſanguine, & viſcera & carnes contremiſcunt. Aliæ enim*

corporis

corporis partes copioſo ſanguine refertæ, aliæ exſangues tunc exiſtunt; atque exſangues quidem ob frigus minime conquieſcunt ſed concutiuntur, quæ vero ſanguine replentur, ob ſanguinis copiam contremiſcunt & inflammationes excitant. Præter HIPPOCRATEM notandus quoque PERGAMENUS, qui *libro II. de cauſ. ſymptomat. cap. 5.* eximio ſane loco translationem ſanguinis a partibus exterioribus ad interiores, & rurſus ab interioribus ad exteriores, hunc in modum proponit: *eſt quædam ex primis & principaliſſimis motionibus ipſa naturalis caloris intro foraſque delatio multas animi paſſiones ſequens: ſimul autem cum ipſe & ſpiritus & ſanguis modo intro & ad principium feruntur ac contrahuntur, modo foras diſtenduntur & funduntur. Et licet motus hos evidentur perſpicere cum aliis multis tum in ipſis animi perturbationibus e. g. terrore & ira, ille intro & ad principium ſpirituum & ſanguinem una cum refrigeratione corporis ſuperficiaria ſubducit & contrahit, hæc vero foras agit, fundit & calefacit.* Quæ luculentiſſima allata teſtimonia liquido ſane demonſtrant, veteres motus hos reciprocos ſanguinis, qui fiunt a peripheria ad centrum ſive ab exterioribus ad interiora & rurſus a centro ad peripheriam, ſive ab interioribus ad exteriora, in ſtatu præternaturali probe non ſolum obſervaſſe ſed & intellexiſſe.

§. VI.

Maxime vero omnium in hac motuum febrilium conſideratione ſciendum eſt: febrem, ſive motuum, qui febrem conſtituunt, univerſum apparatum primario & eſſentialiter ſyſtematis nervoſi, ſive partium ſolidarum fibroſo-nervearum, quæ ſenſibus & motibus maxime vacant, eſſe affectionem præternaturalem, & quidem maxime ſpaſmodicam: cui principaliori cauſſæ poſtea circulatio humorum intenſior cum pulſuum vehementia & celeritate, aliaque febribus communia ſymptomata debentur. Nam quicunque febris eſſentiam in ſola ſanguinis circulatione nimium aucta verſari contendunt, ii non leviter mihi errare videntur, quum frequentiſſime contingat, ut a motu & exercitatione corporis vehementiori, a potu ſpirituoſorum liberaliori, a balneo nimis calido, vel etiam ab æſtu ſolari nimis fervido univerſum corpus incaleſcat, pulſuumque adſit & vehementia & celeritas, nec tamen febrem adeſſe dicendum ſit. Hinc niſi a præcedente ſpaſtica ſolidorum contractione cordis & arteriarum pulſatio augeatur & calor intenſior reddatur, hæc febriles commotiones mentientia phænomena neutiquam pro iiſdem haberi debent.

§. VII.

Poſteaquam igitur adſtruximus febrem eſſe totius generis nervoſi affectionem ſpaſmodicam, ulterius tenendum eſt: febriles ſpaſmos non tantummodo in partibus externis atque extremis, ubi horrorem, refrigerationem & manifeſtam ad oculum vaſorum & pororum ſubſidentiam efficiunt, ſubſiſtere, ſed etiam ad interiora tranſire; ita tamen, ut hanc vel illam partem gravius affligant, quamvis non æquali in ſingulis febribus gradu atque vehementia. Ut enim a nobilioribus partibus, capite nempe, incipiamus, frequentiſſimum tam intermittentium, quam continuarum febrium ſolet eſſe ſymptoma cephalalgia, quæ dolore non tam gravativo, ſive diſtenſivo, quam potius acuto, pungitivo & preſſorio conſpicua eſt, & a ſpaſtica membranarum, quæ cranium tegunt, ſtrictura oritur. Nam quo magis tenſæ & conſtrictæ ſunt membranæ, eo graviorem dolorem ab influxu copioſioris liquidi patiuntur. Nihil quoque eſt frequentius quam quod febricitantes variis phantaſmatibus, quæ vigilantibus æque ac dormiturientibus obveniunt, torqueantur, ut etiam vel ex leviſſima cauſſa timore & terrore percellantur, aut plane male cohærentia loquantur, ipſeque ſomnus vel nullus ſit, vel inſomniis gravioribus turbatus. Quæ omnia a nulla alia cauſſa, quam a membranarum, quæ cerebrum ejuſque anfractus interiores cingunt, æquabili tono ſublato & reſiſtentia aucta, uno verbo, ſpaſtica ſtrictura, proficiſcuntur. Dein nimia humidi appetentia, cum oris, faucium & linguæ ſiccitate plerumque febribus laborantes affligere ſolet; cujus inexhauſtæ ſitis cauſſa non defectui humidi, ſed ſpaſticæ glandularum oris, faucium & œſophagi, quæ has partes perpetuo humectant, ſtricturæ debetur, id quod vel ex eo clariſſime apparet, quia largiſſimi etiam potus copia non ſiſtitur, & non tantum in nimio æſtu, ſed etiam in principio intermittentium, ubi extrema horrent & frigent, ſæpiſſime urget. Porro ii, qui febre detinentur, de inſigni anxietate circa præcordia cum ſpirandi anguſtia & pectoris oppreſſione conqueruntur; quarum afflictionum cauſſam, qui a ſtrictura membranarum ventriculi ejuſque orificiorum clauſura, quam inflatio diaphragmatis liberum motum impediens ſequitur, deducunt, ii mea quidem ſententia non errare videntur. Plurimis quoque febribus, præſertim intermittentibus, conatus ad vomendum vel frequens vomitio complicatur, qua non modo ingeſta, ſed & bilioſa magna in copia rejiciuntur, ut miranda ſæpe ſit ejectorum copia; cujus bilioſi & crebrioris vomitus cauſſa tam ventriculi convulſioni, quam etiam univerſo ſyſtemati canalium biliariorum, qui per totum hepar diſperguntur, ſpaſmo & convulſione afflicto tribuenda eſt. Conflatus enim totus ille bilioſus canalis eſt ex membranis admodum fibroſis & nerveis, ad ſpaſticas ſtricturas admodum diſpoſitus, quemadmodum videmus poſt iram & aſſumtum emeticum, adaucto hujus canalis motu, bilioſum, quem vehit humorem, maxima in copia in ventriculi vel inteſtinorum cavum repelli. Dantur etiam febres cholericæ, quæ copioſis vomitionibus & alvi dejectionibus ſtipantur, ob intenſiorem redditum contractilem & ſpaſticum bilioſi per hepatis viſcus diſperſi canalis, nec non ventriculi & inteſtinorum motum; id quod vel ex eo clare diluceſcit, quod hæ incongruæ ejectiones conveniente anodyno repetitis vicibus oblato, citra ullius materiæ correctionem brevi tempore commodiſſime ſiſti & compeſci queant. Ut plurimum vero alvus tenſa, dura & clauſa ſive compreſſa in febre eſt, ut nec flatus neque excrementa libere tranſeant; quod itidem vehementis ſtricturæ, qua inteſtinorum membranæ muſculoſo-nerveæ afficiuntur, effectus eſt. Urinæ quoque tenues, aquoſæ, ſine ſedimento, ſæpius in febribus, ſed malo omine, redduntur cum crebro ſimul ad mingendum ſtimulo, manifeſto indicio, veſicam & ductus urinoſos nerveo-membranaceos gravi ſtrictura & nimia contractione eſſe affectos.

§. VIII.

Præterea individuus febrium comes eſt pulſus celer & durus, a ſpaſtica quadam ſtrictura oriundus, qua arteriarum tunicæ muſculares & nerveæ majorem tenſionem & reſiſtentiam acquiſiverunt. Accedit intenſiſſimus ille æſtus, qui pariter ex validiori facta tenſione atque ſtrictura ſyſtematis vaſculoſi, per quod liquida tranſire debent, oritur. Nam quo velocius liquidum vehitur per conſtrictos & tenſos tubulos, eo plus inteſtinus partium attritivus motus, qui caloris fons eſt, increſcit. Compertum porro eſt, plerarumque febrium, ſive intermittentes ſive continuæ ſint, inſultus invadere cum dolore

dorſi,

dorſi, languore ac laſſitudine membrorum, dolore infeſtante maxime primam lumbarem vertebram, cui adhæreſcit inſignis nervorum plexus, qui meſentericus audit, & hinc nullum eſt dubium, quin a tenſione & contractione ejuſdem fixus hic dolor ſubnaſcatur. Laſſitudo vero artuum & contuſivus, qui non raro corripit pedes, dolor, a male affecto perioſtio derivandus venit. Denique quemadmodum ſumma illa inquietudo & corporis jactatio, cum magna anxietate juncta, afflicti generis nervoſi fœtus ſunt & peſſimum ſignum exhibent; ita tendinum ſubſultus, convulſivi & interdum epileptici motus & arteriarum inæquales ac tremulæ motiones, prodromi mortis exiſtunt, & a graviſſime afflicto genere nervoſo originem ſuam ducunt.

§. IX.

Quamvis vero non facile quiſdam dubitaverit, in omni febre totum vaſorum & fibrarum genus præternaturali tenſione & ſpaſtica conſtrictione laborare, & hanc ipſam eſſe omnium ſymptomatum, quæ febrem comitantur, & intenſi etiam æſtus cauſſam, originem ac fontem; id tamen nondum ſatis a doctiſſimis etiam ingeniis explanatum novi, in qua potiſſimum parte primario affecta incipiat hæc ſpaſmorum tragœdia, ut poſtea in univerſas nervoſas corporis partes propagetur. Ut itaque in harum rerum difficultate meam quidem clarius exponam ſententiam, aſſero: in illis locis eſſe motuum febrilium & præternaturalium, quibus ſolida afficiuntur, principium conſtituendum, in quibus, & ex quibus, omnia ſolida, ex fibris & membranis nerveis contexta, ſuum naturalem tonum, motum, potentiam motricem ac robur accipiunt. Quemadmodum vero notum ex mechanicis eſt, ſolida quieſcentia a corporibus in motu jam conſtitutis vim & potentiam a loco & ſitu ſuo ſe dimovendi accipere; ita etiam nihil ſane dubii ſupereſt, quin omnes corporis noſtri partes ſolidæ, quæ naturali ac mechanica diſpoſitione & ſtructura ad motum ſubeundum gaudent, vim ſuam motricem a fluidis tenuiſſimis, quæ in motu jam ſunt conſtituta, & hinc ab Hippocrate recte impetum facientes partes dicuntur, nanciſcantur. Nam uti in macrocoſmo ætheris & aëris fluidum, ut patet ex eorum calore & elaſticitate, mirabilem in corporibus etiam duriſſimis movendis effectum edunt, ita pari ratione certo certius eſt, liquidum illud tenuiſſimum aëreo-æthereis elaſticis particulis refertum, quod ex ſanguine in cerebri & medullæ ſpinalis anguſtiſſimis canaliculis ſeparatur, & per nervoſos ductus, poros ac interſtitia ad membranas & fibras fertur, his ipſis ſecundum naturam, tonum, robur & potentiam movendi impertire, & præter naturæ ordinem etiam hos motus augere atque intendere. Etenim in eo utique & cerebri & ſpinalis medullæ, quæ ex obſervatione Malpighii ſemper primum formantur in utero, & ſine quibus nullus ſenſus vel motus perficitur, conſiſtit officium, ut agiliſſimum magna vi motrice inſtructum liquidum a ſanguine ſeparent, idque per univerſum corpus amandent. Veteres non inepte hoc fluidum ſpiritus animalis nomine inſigniverunt, eo quod obſervaverint, animam ſine eo nihil operari poſſe, & hoc abſente ceſſare illius operationem in corporis partes.

§. X.

Aſſerimus itaque cerebrum & ſpinalem medullam eſſe illas partes, a quibus motionis & ſenſationis modus, origo & cauſſa peti debeat, pro qua noſtra aſſertione ulterius quoque militat: quod in omnibus morbis, qui ſedem ſuam habent in cerebro, vel ejus membranis, ut ſunt mania, melancholia, phrenitis, apoplexia, epilepſia & affectus ſoporoſi, non modo cordis & arteriarum pulſus, ſed & tonus naturalis omnium ſolidorum mirifice immutetur, & præternaturalis reddatur, ſanatis vero iiſdem ad ſtatum naturalem redeat. Porro ex attenta in praxi medica obſervatione liquido conſtat, pari ratione in morboſis ſpinalis medullæ afflictionibus, cujus cenſus ſunt abolitiones ſenſuum & motuum in artubus, vel etiam agitationes eorum ſpaſmodico-convulſivæ, ſemper inſignem pulſuum, toni ac roboris, quo gaudent ſolidæ, fibroſæ ac nerveæ partes, varietatem & præternaturalem mutationem animadverti. Denique quanta mutatio in pulſu cordis & arteriarum, nec non tono univerſi ſyſtematis nervoſi, ab animi gravibus affectibus, ira, timore proveniat, quotidianæ obſervationis eſt; actiones vero animæ non immediate in ſolida, ſed in fluida tenuiſſima, quæ ſolida regunt, operari, & rationi & experientiæ convenientiſſimum eſt. Etenim res perquam notiſſima eſt, animam nihil plane operari poſſe in corporis partes etiam per intenſiſſimam voluntatem, vitiatis illis partibus, quæ fluidum illud ſubtiliſſimum ad partes ſenſui & motui inſervientes tranſmittunt; id quod experimento clare innoteſcit, quo ligato vel abſciſſo, qui ad muſculum quendam tendit, nervo, protinus omnis ſenſus & motus hujus muſculi, ſalva ejus ſtructura, exſpirat. Et præterea ſi anima ſolidis & duris corporibus vim motricem addere eamque augere poſſet, id ſane longe facilius fieri poſſe in fluidis, quæ jam in motu conſtituta ſunt, & quorum vires tantum modo ad hunc vel illum locum magis vel minus determinari debent, certiſſimum eſt atque veriſſimum.

§. XI.

Conſtituta jam ſpinali medulla cum cerebro omnis ſenſus & motus origine ac cauſſa; ad ſpaſmorum febrilium originem conſiderandam tranſcendimus, & tum experientia, tum ratione ſuffragante, hanc de eorum generatione fovemus ſententiam: quod ex medulla ſpinali, nec non ex membranis cerebri motuum febrilium ſpaſticorum, qui univerſum æquabilem ſanguinis curſum ac iter pervertunt, & fortiorem impulſum ſanguinis conciliant, origo prima ducenda ſit. Certiſſima enim febris imminentis, vel etiam ejus recidivæ, indicia ſunt, laſſitudo & gravativum quaſi totius corporis pondus, dolor capitis & circa primam lumborum vertebram fixus, cum languore omnium actionum animalium, levis frigoris per ſpinam dorſi decurrentis ſenſus, cum horripilatione & refrigeratione extremitatum partium, quam poſtea oſcitatio, pandiculatio, præcordiorum anxietas & abdominis tenſio comitantur. Præterea in quartana, nonnunquam etiam in tertiana, ſubinde tanti tremores & concuſſiones corporis cum frigoris & horroris ſenſu, ac quaſi contuſivo pedum & preſſorio capitis dolore, fiunt, ut convulſivas artuum agitationes adeſſe facile quiſpiam crediderit. Vidit etiam ſæpius Ill. Dn. Præses in ſenibus ſub tali acceſſione phantaſiæ alienationem junctam cum mentis aberratione. Ad graves has & infeſtas commotiones componendas, non præſentius antiſpaſmodicis datur auxilium, teſte Ill. Dn. Præside, qui ejuſmodi in caſibus præter liquorem anodynum mineralem cum eſſentia caſtorei mixtum, pulveres nitroſos cinnabarinos, cum caſtoreo & croco nuptos, tempeſtive datos, nec non clyſteres oleoſos demulcentes, balnea ex aqua dulci & linimentum nervinum ſpinali medullæ calide applicatum,

catum, die præſertim intercalari, optimo cum ſucceſſu adhibuit.

§. XII.

Ad hanc de geneſi febrium doctrinam eo clarius exponendam & explanatius percipiendam, eximium ſane momentum mihi conſerre videtur artificialis febrium productio, cujus rei luculentiſſima quotidie in Carolinis thermis videre licet exempla, quod nimirum harum ſalubrium aquarum minus tempeſtivo & prudenti uſu brevi tempore & pro lubitu febres excitari queant. Nam ſi quis ſanguine vel impuris humoribus repletum corpus, intermiſſa conveniente evacuatione, vel thermarum potu, nimis cito & ſtatim ſub primo adventu in balneum paulo calidius dimittit, & aliquanto diutius ibi moratur, mox febriles prodromi, ut laſſitudo, anxietas, inquietudo, vigiliæ, dolor dorſi & capitis, horripilatio, pulſuumque mutatio inſultum minantur, & niſi cito convenientia præſidia opponantur, pro diſpoſitione corporis, vel continua, vel intermittens, aut ex iis compoſita, hemitritæus aut erratica, periculi non expers, exoritur. Rationem hujus peculiaris effectus, qui non tam facile ab immoderato etiam aliorum fontium mineralium abuſu & calido etiam balneo expectandus eſt, in virtutem Carolinarum conſtrictoriam rejicimus, quæ tanta eſt, ut recentem vel etiam inveteratum pedum tumorem brevi tempore per balneum abigat, & exulceratas ac ſcabie infectas partes conſolidet. Quando itaque ſanguine & impuritatibus refertum corpus in balneum dimittitur, ſubcutaneis vaſis & fibris conſtrictis, non modo tranſpiratio impeditur, ſed & humorum impetus ad interiora augetur & retrovertitur; hinc vaſa minora membranarum cerebri & ſpinalis medullæ ſanguine infarcta, accedente præſertim a calore externo nimia ſanguinis expanſione, oſcillatorios & tremulos ſolidorum motus præter naturam adaugent, & febriles ejuſmodi commotiones gignunt.

§. XIII.

Meminit quoque Celsus *Lib. VI. cap. 9.* febris per artificium provocatæ, & de curatione lentarum febrium agens, jubet: ut ad lentam, quæ eſt ſine intermiſſione, febrem curandam, corpus ex aqua frigida tractetur; quoniam interdum ſic eveniat, ut horror oriatur & fiat initium quoddam novi motus, ex quo, cum magis corpus incaluerit, ſequatur etiam remiſſio quædam. Quamvis enim non perpetuo ex refrigeratione partium externarum a balneo aquæ frigidæ motus febrilis gignatur; certiſſimum tamen eſt, id in diſpoſitis corporibus, quibus jam mitiores motiones febriles inſident, uti videmus in lentis, poſſe contingere.

§. XIV.

Hæc artificialis febrium productio multum ſane facit ad geneſin febrium eo facilius explicandam atque dilucidandam. Ex ea enim pateſcit, quare ſub veris & autumni tempore, in locis maxime humidioribus & paludoſis, ſubjecta quædam, præſertim juvenilia, ſenſibilioris naturæ, corpore impuris humoribus turgido, veſtibuſque non ſatis bene munito, tam facile incidant in febres, præſertim ſi poſt potum ſpirituoſum, aut nimiam corporis incaleſcentiam ſeſe veſpertino aëri paulo diutius objiciant.

§. XV.

Contemplationi febrium per artificium productarum addendum denique eſt Baglivi memorabile experimentum, quod *in Praxi medica p. 53.* his verbis proponit: *ut cognitio veræ cauſſæ febrium magis illuſtretur certiorque reddatur, cœpi duobus abhinc annis nova noſtra methodo febres in canibus aliiſque animantibus excitare, infundendo in venas varii generis liquores, ſpirituoſos, aromaticos, acres, acidos & ſimiles; eoſdemque etiam cum cibo & potu miſcendo, donec febris excitata ſit: qua excitata obſervo diligenter vehementiam ejuſdem, inappetentiam, languorem, alvi ſiccitatem, tremores, periodos, aliaque id genus accidentia.* Quo tentamine, utut in animantibus brutis inſtituto, edocemur: ſanguinem impuris, ſalſis, acribus & ſtimulantibus particulis nimis onuſtum, in nervoſis partibus, quæ temperata maximè & blanda humiditate gaudent, irregulares & anomalas paſſiones, quæ tandem in febriles deſinunt, ſuſcitare poſſe, idque maximè omnium, ſi externo frigore corripiantur, accidere. Hoc enim in febrium primordia ſtudioſius inquirentes ſæpiſſimè fieri deprehendimus, quando corpora impura vel cruditatibus primarum viarum ex nimia venæſectione, diuturno præcedente morbo, animi affectibus, vel cibis incongruis & malæ digeſtionis ibidem coacervatis, obſeſſa ſunt, & frigidiori nocturnæ auræ exponuntur; quoniam hac ratione non facilè diſſolvendus humorum acrium ad membranas ſpinalis medullæ & cerebri fit decubitus.

§. XVI.

Quamvis autem uberius hactenus demonſtraverimus, in omni febre ſpinalem medullam cum membranis & nervis ſuis præternaturaliter eſſe affectam; neutiquam tamen exiſtimamus, ſemper primario & proximè in hiſce febrium cauſſam hærere, ſed potius aſſeveramus, eandem in aliis locis nervoſis nonnunquam latitare & per conſenſum ſpinalem medullam afficiendo febribus ſic dictis ſymptomaticis originem præbere. Notiſſimum enim iis, qui artis exercitio vacant, eſt, nervoſarum & tendinoſarum partium læſionibus, ſive a punctura, ſive a contuſione vel vulneratione fiant, febrem aſſociari; quin immo atrociores, quæ partes nerveas infeſtant, dolores, ſpaſinis febrilibus perpetuo fere ſtipari, eamque ob cauſſam graviorem inteſtini ilei aut coli dolorem, & qui a calculo ureteribus vel ductibus biliariis impacto naſcitur, aut qui articulorum nerveotendinoſis ligamentis inſidet, nunquam niſi febre & ſpaſmo comitatum infeſtare. Porro ob nimis laceſſitam a prorumpente dente gingivam in infantibus graviſſima ſymptomata, febrem, convulſionem & epilepſiam exoriri, in vulgus notum eſt. Simili præterea modo a ſola tunicarum inteſtinalium per vermes arroſione totum nervoſarum partium ſyſtema in conſenſum rapi, & febres & motus convulſivi, epileptici ſupervenientes planum faciunt atque teſtatum. Denique in abſceſſu ſi incipit puris generatio, ingens & dolorifica reddita fibrarum tenſio febri ingenerandæ ſola ſufficit; uti id clariſſime apparet in variolarum morbo, eo inprimis tempore, quo efflorеſcentiæ in ſuppurationem abire incipiunt.

§. XVII.

Quum vero nulla in univerſo corpore pars præter ventriculum & inteſtinorum canalem, propter membranaceam fibroſo-nerveam ſtructuram, & inſignia illa nervorum paria, a quibus ramificationes accipit, octavum nempe & intercoſtale, tanta gaudeat ſympathia & conſenſione cum cerebro, ſpinali medulla eorumque membranis, immo cum toto nervoſarum partium genere; non ſane mirandum eſt, a graviter læſa & afflicta ventriculi & inteſtinorum ſubſtantia totam œconomiam motuum & functionum naturalium ſubverti: neque tantum nerveas & muſculoſas

ſas partes ſævas ſpaſticas contractiones pati, ſed & febriles motus in toto vaſorum genere, ſi ad illud ſpaſmorum vehementia pertingit, excitari. Clariſſimum hujus rei exemplum exhibet venenum cauſticum, quod ſumptum, ſola arroſione nervearum ventriculi & inteſtinorum tunicarum, brevi tempore vim ſuam motuumque violentiam in univerſum fibrarum & vaſorum ſyſtema ſpargens, ordinem & œconomiam motuum, qui fiunt ſecundum naturam, pervertendo, vitam, niſi cito ſuccurramus emollientibus & relaxantibus, adimit. Neque prorſus diſſimilia ſymptomata a bile cauſtica, in ventriculi & duodeni cavitate ſtagnante, hypochondriaca vel cholerica paſſione laborantes graviſſime infeſtant. Ex quibus dictis jam liquido apparere arbitror, febrilium & ſpaſticorum motuum proximam & materialem cauſſam in remotis a cerebro & ſpinali etiam medulla partibus ſedem ſuam collocare poſſe; quamvis poſtea ejus potentia & vis ob communionem & conſenſionem partium demum ad motuum tonicorum & nervorum ac membranarum nervearum fontem, intelligo medullam ſpinalem & cerebrum, tranſcendat.

§. XVIII.

Quapropter in hac febrium doctrina merito diſtinguendum eſſe cenſemus, inter ſubjectum morbi ſive motuum febrilium ſpaſticorum, quod in nervorum & membranarum eſt principio, & inter ſubjectum cauſſæ morbificæ, ſive febrilis, quod non ſemper ibi eſt, ſed in diſſitis etiam partibus nonnunquam deliteſcit. Sæpiſſime enim, ut noſtra quidem fert ſententia, febrium, tam intermittentium, quam continuarum, præſertim quæ contagio ſerpunt, cauſſa, focus ac fomes prima in regione collocari debet: maxime quando conſideramus, nullam corporis partem morborum cauſſis ingenerandis & fovendis tam aptam eſſe atque idoneam, quam hunc alimentorum & excrementorum nerveo-membranaceum canalem. Hic enim non ſolum diverſæ indolis ingeſta recipit, ſed etiam communis quaſi ſentina eſt, in quam ex univerſo corpore valde activæ & fermenteſcibilis, ex parte etiam peregrinæ & excrementitiæ indolis humores, confluunt: neque dubium eſt, quin materia excrementitia, a ſuppreſſa potiſſimum perſpiratione retenta, lymphaticis & bilioſis humoribus intermixta, tandem ad hunc canalem transfundatur. Accedit quod morborum ſeminia, miaſmata, immo virulentæ & peregrinæ indolis, quæ aëre vehuntur particulæ, cum ſaliva, cibo & potu intus hauſtæ, feralem ſuam vim ibi primum exerceant. Tandem nec illud prætermittendum eſt, quod nullum viſcus, vel corporis pars ſit, in qua humores tam facile ſtagnare, diutius hærere & mora corrumpi poſſint, quam in canali illo, qui tot flexuris, plicis, valvulis ac cellulis inſtructus eſt.

§. XIX.

Nemo itaque non facillime perſpiciet, ad fabricandas cauſſas morbificas & præbendam iiſdem ſedem non eſſe aptiorem primis viis locum. Qua re inducti non dubitamus aſſerere: intermittentium pariter ac epidemiarum & contagioſarum febrium cauſſam in prima regione ponendam & ex ea primam motuum febrilium & ſpaſmorum originem petendam eſſe; quod argumentum & copioſe & accurate in Dn. Præsidis Diſſertationibus *de duodeno multorum morborum ſede* & *de conſenſu partium* pertractatum eſt. Habemus etiam hac in re clariſſimorum Medicorum conſentientem auctoritatem & maxime Helmontii, Ettmulleri, Sylvii, Baglivi, Diemerbroeckii & ex antiquioribus Fernelii, qui *libro de febribus cap.* 10. hunc in modum verba facit: *omnium febrium propria ſedes & origo in prima eſt corporis regione, circum præcordia; ex iſta ſede febrium horrores rigoreſque ſuſcitantur. Omnium eadem ſimiliſque cauſſa, caloris nempe frigoris, rei pungentis aut quovis modo moleſtæ vehemens incurſio in corporis ſentientes partes confertim facta.* Solenne enim eſt a contagio hauſto exortas febres cum nauſea, anxietate, corporis jactatione, inappetentia, horripilatione, capitis & dorſi dolore, interdum etiam cum ſingultu, ſyncope & vertigine inchoare, mox cutem inhorreſcere & pulſum mutari: ubi profecto Medicus prudens, in principio accitus, medicamentum emeticum cum temperante mixtum propinando, vel etiam pro ratione circumſtantiarum repetendo, & demum ſubjungendo ſudoriferum, funeſtam ſæpius febrem ex toto avertere, vel ſaltim ejus vehementiam mirifice mitigare valet. Quod conſilium, maxime in febribus caſtrenſibus, morbo ſic dicto Hungarico, petechiis quoque, variolis & morbillis ſi tempeſtive & prudenter ſequamur ad eas abigendas & ſanitatem redintegrandam omne fert punctum. Febrium vero, quæ intermittunt, itidem in prima regione focum atque originem quærendam eſſe, clariſſime comprobat experiſſima eas ſanandi methodus, quæ in eo potiſſimum verſatur: ut primæ viæ, quam primum fieri poteſt, per potum emetico-laxantem v. g. mannatum, cum ſale abſterſivo & tartaro emetico mixtum, ab excrementitiis ſordibus probe repurgentur, interpoſitis pulveribus abſorbentibus & ſalino-deterſivis, idque aliquoties repetatur; dein finita acceſſione & vacuis diebus per diaphoretica perſpiratio promoveatur, & denique motus febriles, cauſſa morboſa prius ſublata, ſiſtantur, adhibitis hunc in finem antiſpaſmodicis & roborantibus, quo illis ſpaſmi compeſcantur, hæc vero univerſum nervoſarum partium genus roborando, æquabiliorem fluidorum circuitum cum excretionibus & ſecretionibus convenientibus reſtituant, neque minus ſtagnationem & decubitum humorum in partibus debilioribus præpediant, ne nova materia febrilis generetur. Lentarum febrium, cauſam & fomitem plerumque etiam prima in regione deliteſcere exinde dilucide pateſcit, quod eædem maxime aliis morbis ſuperveniant & demum ex iis prodeant, ſi, quando corpus adhuc viribus exhauſtum & ventriculus imbecillis eſt, ingens ciborum copia, neglecta ſimul perſpiratione, ingeritur, ut poſtea cruditas ſemper ex cruditate gignatur & colluvies acido-viſcidorum bilioſorum colligatur.

§. XX.

Præter has recenſitas febrium ſpecies, quæ in prima regione gignuntur, dantur adhuc aliæ, quæ cauſſam materialem itidem non in cerebro & ſpinali medulla collocatam habent. Accenſemus hiſce ex continuis febres ſic dictas inflammatorias, quæ primam & fixam ſedem in partibus inflammatione affectis habent, & exinde in membranarum ſyſtema vim ſuam diſpergunt, ut poſtea febriles ſpaſtici motus totum corpus occupent. Quemadmodum vero omnes internæ inflammationes febribus ſtipari ſolent; ita hoc maxime in iis evenit, quæ in nervoſis partibus conſiſtunt, & propterea majus periculum alunt: ſicuti videmus in inflammatione ventriculi, inteſtinorum, phrenitide, quibus acutiores & periculoſiores complicantur febres, quam pleuritidi, peripneumoniæ, hepatitidi, vel meſenterii aut uteri inflammationi.

§. XXI.

Porro commemorandæ ſunt aliæ adhuc febres, quæ ex intermittente & continua compoſitæ & a Græcis variis inſignitæ ſunt nominibus, inter quas notiſſima eſt hemitritæus. Duplex enim harum febrium ſedes ac cauſſa eſt: una in primis viis exiſtens, typum intermittentis febris molitur, altera in viſceribus & partibus internis præternaturaliter affectis & inflammatis delitefcit, & febrem facit continuam; quare hæ febres in ſe quidem ſunt continuæ, ſed a cauſſa intermittentium ingentes exacerbationes accipiunt.

§. XXII.

Dantur etiam febres, quæ cum ingenti horrore & frigore invadunt & intermittentes mentiuntur, nonnunquam etiam periodos certoſque typos exhibent, quarum tamen nonnullæ vel ſtatim in principio, vel exactis aliquot paroxyſmis, in continuas non ſine periculo tranſeunt; id quod maxime in plethoricis & impuris corporibus poſt refrigerationem, graves animi affectus, vel medicamenta irritantia & calidiora adhibita, contingit. Nec ratio generandi in obſcuro nobis poſita videtur: etenim quando corporis vaſculoſa ſuperficies externa nimis a ſpaſmis conſtringitur, reprimitur ſanguis ad partes interiores, qui ſi copioſus, ſpiſſus & craſſus eſt, perquam facile in debiliores partes cum impetu intrudi poteſt, ut ibi non tantum ſtagnationem, ſed etiam ſtaſin, quæ inflammationum mater eſt, concipiat; eodem modo certiſſimum eryſipelaceæ inflammationis futuræ indicium eſt, ſi hominem ſanum ex improviſo ſimul & ſemel ingens frigus cum terrore & horrore corripit.

§. XXIII.

Hactenus de motuum febrilium indole ac ſede fuſius atque curatius, quantum quidem inſtituti tulit ratio, diſſeruimus; jam nihil ſupereſt, quam ut ex univerſa illa conſideratione hæc adhuc in felicioris Praxeos uſum & fructum delibemus.

I. Radicati quidem ſunt febriles motus maxime in vehementi nervoſarum partium ſpaſtica conſtrictione; attamen non ex omni particulari ſpaſmo, vel dolore, aut convulſione ſit febris, ſed hæc tum demum exoritur, quando univerſum genus nervoſum, membranæ cerebri & omnes vaſorum tunicæ, quæ ſyſtaltica & contractili vi inſtructæ ſunt, in conſenſum pertrahuntur.

II. Notabilis in continuis maxime ſymptomatum fit remiſſio ſub ſpaſtica contractilitate mitiori reddita; plenaria vero intermiſſio contingit, quando ad tempus hæc ſpaſmorum tragœdia ceſſat: nec febris ex toto tollitur, niſi ſpaſticorum motuum vehementia penitus fuerit ſublata.

III. Creſcente ſpaſmorum vehementia, increſcit quoque in febre periculum; immo ipſa mors ſub ſpaſmis, & per ſpaſmos vehementiores accedit.

IV. Aucta cordis & arteriarum ſyſtoles, & ſanguinis ad partes extremas impulſus validior factus, vehementiæ ſpaſmorum mirum in modum reſiſtit: unde ſub pulſu vegetiori, intenſiori æſtu & aucta ſiti, major ſpes felicis febrium eventus ſupereſt, quam ſub languido, parvo & intermittente pulſu, extremorum frigore humidique appetentia extincta. Hic enim ſanguinis circulus eſt illa *Hippocratis* natura, morborum & potiſſimum febrium optima medicatrix, quæ ut febrilem materiam eliminet & ſpaſmos ab ea prodeuntes tollat, mora eget, quo illud certis temporibus, quæ critica vocantur, efficaciſſime & cum euphoria perficere queat.

V. Omnis medentis intentio in perſanandis febribus eo dirigenda eſt, ut omnia ea, quæ liberum ſanguinis curſum impediunt, removeantur, nihil, quod vehementiam ſpaſmorum augere poſſit, admittatur, æſtus intenſior, qui ſuccos vitales ipſaſque vires deſtruit, attemperetur, ſanguis fluidus & in proportionata quantitate, ne copia vel defectu peccet, ſervetur, & denique ne quidquam vel vi vel præcipitantia ſub toto morbi decurſu agatur, ſed omnia circumſpecte & moderate ſub beneficio & exſpectatione opportuni temporis adminiſtrentur. Hæc potiora ſunt in curatione febrium momenta & præcipuæ iiſdem medendi indicationes, quas qui curatius expendet & ex earum præſcripto cuncta perficiet, illius & conſiliis & auxiliis exoptatiſſimus nunquam non reſpondebit finis.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
FEBRIUM INTERMITTENTIUM
NOVA HYPOTHESI

Primùm edita anno 1694.

§. I.

NULLUS morbus tam familiaris ac infenſus corpori humano eſt, quam ipſa febris, utpote quæ ſola non tantum machinam noſtram invadit & ſæpe opprimit, verum etiam frequentiſſimè aliis morbis ſeſe aſſociat, illoſque longe graviores & acerbiores reddit. Imo nullus fere morbus eſt, qui non aliquid febrilis mentiatur; adeo morbus hic univerſalis eſt. Verum turpe dictu eſt, almæ Medicinæ facie hoc ſeculo maxime coruſcante & ſplendidiore facta, morbi hujus vulgaris cauſam nondum accurate detectam ac demonſtratam eſſe, ſed ſaltim meras ac vanas de cauſa febrium, illarumque origine ac geneſi, in foro Medico proſtare opiniones ac conjecturas, quæ animo curioſo & attento minus ſatisfacere poſſunt. Tot fere opiniones ac illarum divortia de febribus ſunt, quot celebres in arte Medica Scriptores. Quiſque ferme ex principiis ſuis male formatis, & plerumque fictis, in ſcenam produxit de febribus hypotheſin. Verum cum non niſi, quod intellectu clarum, perſpicuum, & diſtinctum, in rerum ſcientiis & cauſis detegendis admittere debeat mens, ex quibus deinde circumſpecta ratione deducta, non niſi vera eſſe poſſunt, hinc in tractatione totius Medicinæ eo allaborat *Excell. D. Præſes*, ut ad principia clariſſima, intellectu facillima, ſimpliciſſima, ipſaque mechanica, quæ omnium ſunt prima, & ex quibus totius univerſi opera conſtructa ſunt, reducat ipſam Medicinam, & ex illis, quæ perplexa, abſtruſa, & recondita hactenus fuerunt, clariſſime & ad oculum demonſtraret. Et quoniam ex ejus ore hactenus hauſi novam hanc circa febrium intermittentium hypotheſin, ex principiis mechanicis deductam, & quæ ſatisfacere videtur omnibus occurrentibus dubiis & difficultatibus, & in hoc omnibus hactenus detectis præferenda, non dubitavi, quin loco *Diſputationis Inauguralis* hanc hypotheſin ventilandam mihi ad manus ſumerem, ut contradictione aliorum forſan illa clariorem lucem accipiat. DEUS ex alto annuat noſtris conatibus clementiſſimè.

§. II.

Præſupponimus febribus intermittentibus, non ſecus ac pene omnibus morbis, aliquid ſubeſſe ſpaſmodici, & partes corporis noſtri impetum facientes, ſeu ſpiritus ſic dictos animales, cerebri nervorumque incolas hic pati, & præternaturaliter eſſe affectos; etenim in ipſis nervis pleraque ſe prodere ſolent ſymptomata, eaque ipſa ſunt ejuſmodi, ut ab alio fonte, quam nervoſo, vix derivari ac peti poſſint. Certum ac ſtatum eſt ex principiis Phyſiologicis, ſubtiliſſimum iſtud cerebri & nervorum fluidum, ex particulis aëris nobilioribus, elaſticis; & ipſius ſanguinis & ſeri ſubtilioribus corpuſculis conflatum, primarium partium corporis noſtri, tam fluidarum, quam ſolidarum, eſſe movens, impulſumque faciens, unde omnes partes debitum ſuum vigorem ac robur indipiſcantur; proinde microcoſmico hoc movente præcipuo à ſtatu & motu ſuo naturali deflectente, omnes qui ab eo in machina noſtra celebrandi motus dependent, non poſſunt non partim imminui ac ſuccumbere, partim deſtrui, unde morborum ipſiuſque mortis origo, & cauſa petenda. Uno verbo ſpiritus animales, juxta VERULAMIUM, ſunt quaſi rota ſuprema, quæ omnes alias rotas in corpore humano circumagit.

§. III.

Notiſſimum eſt & perpetuum per Medicinam, ſpaſmum ſeu motum contractivum fibrarum nervearum, membranacearum, & muſculoſarum, eſſe affectum ſpirituum animalium, & notare illorum motum in ipſis fibris, quæ omnes tubulatæ ſunt, inæqualem, inordinatum, & confuſum, nimiamque ac impetuoſam fibrillarum illarum expanſionem ac inflationem, quod ita procedit: fluidum nervorum blanda elaſticitate præditum, in naturali ſtatu placide & æquali motu cujuſcunque generis fibras apertas & patulas ſubire, illaſque vigorare, expandere, & ad ſenſationem, motum, ac nutritionem ordinatam diſponere debet: ex obſtructione autem ac occluſione fibrillarum anguſtiſſimarum tubulatarum, ſolidiſſima ſpirituum animalium corpuſcula, vi inſigni motrice inſtructa, motum ſuum rectilineum æquabilemque percurrere impediuntur, hinc, dum reſiſtentiam in vaſculis inveniunt, reſiliunt, reflectuntur, & ex reflexione potentia motrice adaucta, in ipſas fibrillas inſultum ac impetum efficiunt, illaſque plus juſto diſtendunt, ſicque contractionem dolorificam ipſis inducunt. Claret namque ex principiis Geometricis, lineam longam, quod ſi incurvetur, fieri breviorem; pari modo fibræ partium ſolidarum, expanſione incurvatæ, longe breviores evadunt, ſicque mutua acceſſio fit parietum, adeoque contractio, & ad fluidum, quod in ipſis fibris hæret, excernendum, compreſſio ac ſtimulatio; quo mechaniſmo etiam perficitur cordis ſyſtole, ex hac dependens impulſus ſanguinis in ipſas arterias.

§. IV.

Quod ſi itaque ipſa ſymptomata febribus complicata, & quæ inter initia ingruere ſolent, paulo curatius inſpiciamus, illorumque rationem apte reddendam evolvamus, apertiſſimum erit, non melius explicari hæc poſſe, quam per ſpaſmodicam contractivam fibrillarum harum diſtenſionem. Præludunt ut plurimum febribus pandiculationes, cutis evadit aſpera, ſcrotum corrugatur, pulſus ſolito tardior & contractior eſt, alvus adſtricta, clyſteres applicati non operantur, urina ſuppreſſa, vel longe dilutior mingitur, anhelitus adeſt difficultas, tranſpiratio cutis inhibetur, excretiones aliæ v. g. ſanguinis menſtrui, ſuſpenduntur, quæ omnia fibris coarctatis & in arctius ſpatium coactis, introrſumque retractis, adſcribenda veniunt.

§. V.

Longe autem apertius ſpaſmodicos motus in ipſis febribus indicant ingentes illi rigores, qui levioribus velitationibus, quandoque ad immanes concuſſiones partium progrediuntur, non abſimiles ipſis convulſionibus, & in dorſo, ſpinalique medulla plerumque primum perſentiuntur; in illis perſonis, maxime fœminis, quibus ſyſtema nervoſum admodum imbecille eſt, ſumme moleſtas dolorificas hypochondriorum contractiones, ventriculi & inteſtinorum everſiones, vomitioneſque, pathemata ſic dicta hyſterica, & ſpaſmodica excitant. Porro moleſtas nervorum atque membranarum irritationes, vel convulſioſiones in paroxyſmo febrili teſtantur immanes dolores artuum, pedum, capitis &c. & hæc eſt ratio, cur illi qui decedunt febribus, ſemper in ipſo frigore convulſionibus adauctis fatis cedant, & quod frigus longe ſit moleſtius ipſo calore. Extremis itaque ſic coarctatis & compreſſis, exprimitur omne fluidum, & ſanguis in ipſis partibus cutis contentus, unde accidit, ut frigoris ſenſus moleſtus adſit, qui non niſi à quiete & motu ceſſante inteſtino ac circulari ſanguinis, per extremas illas partes oritur; partes extremæ v. g. naſus cum fronte, pedes frigent, ungues liveſcunt, venæ quæ antea turgebant in ipſa cute fiunt minores, & ſenſum fugiunt, omneſque partes fluidæ in cortice cutis contentæ, introrſum retrahuntur & à circumferentia ad centrum coguntur, propter partes conſtrictas & coarctatas, hinc in frigore tranſpiratio quoque & ſudor multum cohibetur.

§. VI.

Reſtat jam ut diſpiciamus, quâ ratione inſignis illa corporis incaleſcentia fiat, & quomodo ab hac cætera ſymptomata dependentia v. g. oris ſiccitas, ſitis, pulſus celer, vigiliæ non raro cum delirio, horror, urina rubicunda cum magno ſedimento, hæmorrhagiæ dependeant. Nimirum certum eſt, per compreſſionem & contractionem fibrillarum, extrudi in illis hoſpitantem materiam, incongruam, acrem, viſcidam, quæ in ſanguinem ubivis præterfluentem tranſit & propter difformitatem particularum & inteſtinum contrarium motum maſſam ſanguineam in magnos excitare tumultus, illiuſque mixturam mirum in modum turbare apta eſt. Non autem ſolum materia incongrua in tubulis contenta in corpus repellitur, ſed & propter conſtrictionem violentam vaſorum extremorum ſanguis & omne fluidum repellitur, & retrocedit, ſicque in vaſis interioribus fit coacervatio & collectio ſanguinis: quare externæ detumeſcunt arteriæ & venæ, internæ autem majores fiunt & diſtenduntur, ſanguis ad efficienda interſtitia minora comprimitur, ſphærulæ elaſticæ tam ſanguinis quam ſpirituum animalium violenter comprimuntur, quo fit, ut arteriæ, quæ fibris etiam motricibus conſtant, diſtenſione illa ad contractionem & extruſionem ſanguinis vellicentur, hinc niſu conſtrictivo ſanguinem expellunt, unde pulſus cordis & arteriarum celer; ſpiræ elaſticæ ſpirituum ſummo niſu reſtitutionem ſuam affectant, mirum iterum expanduntur, æther elaſticus per reſpirationem ſanguini communicatus, poros ſanguinis arctiores vi quadam perrumpere nititur, hinc maximus & confuſus inordinatus hoc modo in ſanguine & ſpiritibus animalibus oritur motus, & quidem inteſtinus. Dum enim ſanguinis circulatio inæqualis, & per corporis extrema quadantenus ſublata eſt, motus ille inteſtinus creſcit, & vis illa movendi elaſtica ſanguinis & ſpirituum, quæ per progreſſivum liberum motum ſeſe exerere debebat, jam impetum facit in ipſas ſanguinis particulas, illas undiquaque & ad omnia latera in circulum movendo, ſitumque illorum turbando, ex quo confuſo circulari particularum motu, maximus oritur calor & ardor corporis noſtri.

§. VII.

Potiſſimum autem inteſtinus hic maximus ſanguinis motus dependet ab æthere, beneficio aeris hauſto, dum rectilineum ſuum iter per poros ſanguinis præternaturaliter conſtitutos abſolvere non poteſt, propter reſiſtentiam & pororum ſanguinis coarctationem, quaqua verſum in omnia latera refringitur, atque reflectitur, hinc motus vorticoſus & circularis, & exinde ſummus calor ac ardor, cujus eſſentia in circulari & celerrima particularum ſubtiliſſimarum exagitatione conſiſtit, exſurgit. Quod autem æther propter impeditum motum rectilineum, qui ipſi connaturalis eſt, ob reſiſtentiam, & ſpatiola ſanguinis arctiora in circulum ſeſe movere incipiat, ex ipſis Mechanicis patefit: dum nimirum omne corpus ſphæricam figuram habens, in celerrimo motu exiſtens, & ad corpus durum, ubi reſiſtentiam invenit, latum, reflectitur, & in hac ipſa reflexione circulum deſcribit.

§. VIII.

A violenta itaque ætheris per ſanguinem trajectione, motioneque ejus circulari fortiori facta, & nimia ſphærularum ſanguinis, & ſpirituum animalium compreſſorum elaſtica expanſione, corpuſcula ſanguinem conſtituentia mira agitatione commoventur, confunduntur, & intervalla horum corpuſculorum ſive pori diſtenduntur, ſicque ſanguis rarefit, hinc accidit, ut vaſa propter calorem & motum fortiorem arterioſa nimium turgeant, ad pulſum fortiorem ac celerem ſtimulentur, particulæ ſanguinis & ſeri evaporabiles fortiſſimo hoc motu diſſipentur, ſerum, quod materiam omnium humorum excrementitiorum conſtituit, inſpiſſetur, unde facile patet plurimorum ſymptomatum ratio.

§. IX.

Urina rubicunda & pauca in febribus mingitur, quæ frigefacta craſſum deponit ſedimentum, propter diſſipationem humidi, & inſpiſſationem particularum ſulphureo-ſalinarum ſanguinis: ob eandem rationem alvi excrementa exſiccantur, ſudor & ſputum viſcidum fit, capitis dolores febribus familiares oriuntur ex diſtenſione vaſorum capitis, tam internorum quam externorum nimiâ, & conſequenti partium vicinarum preſſione: Ex eodem fonte fluunt quoque hæmorrhagiæ; vigiliæ propter celerrimum ſpirituum animalium per cerebri & cerebelli anguſtiſſimos tubulos transfluxum fiunt, & quando ratio enormi huic motui

motui amplius imperare nequit, mentis abalienationes & deliria præſto ſunt.

§. X.

Ex hiſce jam adductis clariſſime patet, febrium eſſentiam, originem & generationem aptiſſime explicari & demonſtrari poſſe, ex ipſis æternæ veritatis Mechanicis, & mere naturalibus principiis, ſic, quod alii diverſis nominibus, terminis obſcuris, & concipiendi modis notarunt, nos apertius jam concipimus, quid ipſum ſit. Veteres aſſignabant febrilem cauſam calori præternaturali, ſeu flammæ in corde accenſæ, & per totam ſanguineam maſſam ſe diffundenti, alii archæo excandeſcenti, & contra cauſam morbificam ſe armanti. Quidam ex recentioribus ſubtiliori cogitatione rem aggredientes, calorem deducere volebant ex efferveſcentia contrariorum humorum, it. ex fermentatione præternaturali ſanguinis, propter fermentum peregrinum, extra ſanguinis pomœria conſiſtens, & per vices cum ſanguine mixtum: alii accuſabant motum ſanguinis circularem adauctum, & mixturam maſſæ ſanguineæ, ratione ordinis ac ſitus, pororum & particularum, turbatam, propter fermentum peregrinum, minima quantitate inſenſum, partim ſpiritus animales, partim ipſum ſanguinem inquinans. Nos repudiatis illis omnibus inſufficientibus fundamentis & principiis, quæ neutiquam rigoris & frigoris ordiniſque typorum rationem reddere poſſunt, ex ſimpliciſſimis motus principiis & legibus, cauſam febrilem determinare & definire conamur, firmiterque concludimus, febrem non niſi motum eſſe inæqualem partium corporis noſtri fluidarum, præprimis ſpirituum animalium. Inæqualitas autem motus hujus fit exinde, dum nimirum ille motus, qui uni parti ſubtrahitur, creſcit & augetur in altera. Uti autem natura in omnibus amat æquilibrium, ſic quoque perfecta ſanitas, & vita noſtra in æquilibrio motus, & æquabili temperie ac motione partium fluidarum per ſolidarum tubulos conſiſtit, quo æquilibrio ſervato, tota machina in vigore eſt, quævis partes deſtinata ſua munia ad votum obeunt. Motu autem iſto æquabili deſtructo, & anomalo reddito, ſtatim ἀταξία in omnibus actionibus vitalibus celebrandis ſeſe exerit, adeoque in febribus, dum per extremas partes vaſaque capillaria nimis anguſtata ſpiritus animales, ipſeque ſanguis in circulatione ſua quadantenus ſiſtitur, particulæque elaſticæ comprimuntur, neceſſum eſt, ut in interioribus vaſis non ſolum ſanguis, & ſpiritus animales in quantitate augeantur, ſed & motus longe fortior & validior fiat.

§. XI.

Explanata & dilucidè ſic expoſita ipſa formali cauſa febrium, operæ jam pretium eſt, ut inquiramus, quidnam illud ſit quod taliſmodi inæqualem motum in ipſas partes corporis fluidas introducere poſſit, & quomodo ſpaſmodicæ illæ contractiones immediate frigoris naturam, & hinc ſubſequentem calorem ſanguinis, ceu productum, conſtituentes, oriantur. Diximus ſuperius, quando per fibrillas apertas & patulas ſpiritus animales, ſerumque arterioſum ſubtile placidè movetur, actiones vitales optime eſſe conſtitutas; vice verſa, quando fibræ illæ, maxime quæ muſculos conſtituunt, à materia quadam viſcoſa, acri, ſunt obſtipatæ, turbatum ac irregularem fieri motum, dictum ſpaſmodicum: Ut itaque firmemus hanc cauſam, primo probandum nobis incumbit, quod fibrillæ hæ cavitatem habeant; ultro quidem fateor, hanc ad oculum non patere, verum ex effectu ſufficientiſſimè convincimur, fibrillas has eſſe tubulatas, & id maxime omnium teſtatur augmentum & decrementum illarum in negotio nutritionis; deinde quod longe minores fibrillæ, licet ad ſenſum deſtitutæ ſint omni cavitate, cavitates in ſe contineant, per quas etiam certi humores circulantur, uti id patet in pediculo, & cauda anguillæ, ubi per microſcopium accuratè fabrefactum per tenerrimas fibrillas ſanguinis transfluxum & circularem motum apertius cernere licet. Si itaque veri ſunt tubuli iſtæ fibrillæ, certum eſt, illas quoque obſtrui & occludi poſſe, quo pacto autem id fiat, res altioris indaginis eſt, maximè cum illud occurrat difficillime ſolvendum dubium, quod nimirum tota febris omniſque morbus per certum ſaltem tempus invadat, reliquo autem quieſcat & homo ſanus ſit.

§. XII.

Ut itaque & huic dubio ſatisfaciamus, ſtatuendum eſſe videtur, paroxyſmum febrilem declinare & remittere, dum æqualis motus ſpiritibus animalibus partibuſque fluidis reſtitutus fuit, ipſis his partibus, roborato elatere, obſtructiones minutiſſimarum fibrillarum circa cutem maximam partem expugnantibus, quare plerumque ſub declinationem paroxyſmi febrilis tranſpiratio augetur & ſudor longe largior fluere ſolet; indicio manifeſto: apertos jam eſſe illos ipſos tubulos, qui antea ſub ipſo rigore & contractione ſpaſmodica valde erant occluſi. Duplex autem hic occurrit quæſtio: primo per quas vias fibrillæ iſtæ obſtruantur, & quare iſti tubuli ſemel iterum aperti, poſt febrium declinationem denuo occludantur, & novi paroxyſmi occaſionem ſubminiſtrent. Quod primum attinet, ſtatuimus, arterias & nervos eſſe cardinalia illa præcipua vaſa & canales, ex quibus omnes pene fluores, & liquida in corpore exiſtens materia, originem ſuam nanciſcitur, & uti ſuccus gelatinoſus nutritius beneficio arteriarum allatus per fibrillas illas circulatur, ſic nullum dubium eſt, etiam materiam viſcidam, acrem, poris fibrillarum harum incongruam ſimul cum ſucco illo nutritio, impellente ipſo ſanguine arterioſo, huc deferri poſſe, ſicque mineram febrium ibi conſtituere. Quod ſecundum membrum attinet, veri videtur ſimile, in omni febrili paroxyſmo non ſemper in totum recludi conſtipatos illos extremarum partium tubulos, ſed in illis ſæpiſſime reliquias quaſdam remanere, & quamvis etiam hoc fieri poſſit, probabile tamen eſt, tum tubulos iſtos minutiſſimos calore corporis fortiſſimo, motuque celerrimo agitatos, extra naturam ſuam ac ſphæram diſtendi, ampliari, uno verbo, poſt paroxyſmum poros minutiſſimos fieri patentiores. Hoc accidit, ut lege circulationis ad has diſtentas partes etiam particulæ magis incongruæ, viſcidæ, ibi deponantur, quæ per tranſpirationem minus diſſlari poſſunt, ſicque unus paroxyſmus ſemper cauſare poteſt alterum, & ſic videmus, dilatationem nimiam pororum tubulorumque in extremis partibus, cauſam eſſe, ut hic ſubſiſtere poſſit materia quædam acris viſcida.

§. XIII.

Incongrua autem hæc materia in illorum tubulis flaccidis aliquantiſper ſine notabili moleſtia ſtabulari poteſt, utpote tum à vehementi ſanguinis concitatione libera, tum propter viſciditatem mollioris genii continentia vaſa minus exercet, moleque exigua intra conceptacula placide per plurium horarum, imo dierum ſpatio coërceri poteſt, ubi vero tractu temporis uſque adeo impleta fuerint vaſcula hæc, ut abſque moleſtia ulteriorem diſtenſionem tolerare nequeant, fibrillæ hæ lancinantur, & in motus contractivos ad moleſtum hunc hoſpitem extrudendum

 com-

componuntur, ſicque rigor inducitur, quæ quidem lancinatio & irritatio, quamvis uno in loco forſan incipiat, ſive hoc apud originem medullæ oblongatæ contingat, ſive in canaliculis, dicto tamen citius, in univerſum ſyſtema nervoſum, tanquam admoto pulvere pyrio accenſo, propagatur, ſicque fit, ut ad corrugationes, arctioreſque contractiones totus fibrarum tractus adigatur, ſicque non ſolum materia mixturæ difformis, acris, viſcida, ſtagnans cum ſanguine miſcetur illum turbando, ſed & propter retropulſionem ſanguinis ad maximum in corpore æſtum occaſio ſubminiſtratur; æſtus autem hic non prius ſedari poterit, quam exantlata vel ſufflaminata fermenti hujus affuſi activitate, vel per congrua evacuatoria corporis illâ amandatâ; ſic naturalis ſanguinis craſis & motus æqualis integer iterum fit, paroxyſmus ceſſat & apyrexia ſequitur.

§. XIV.

Poſita & ſtatuta ſic cauſa paroxyſmos febriles excitante, neceſſe eſt, ut quoque inquiramus, quænam ad hanc cauſam conſtituendam ſymbolum ſuum contribuant. Ex omnibus autem maximum momentum hic ponit aër, qui quoniam materiam ſpiritibus animalibus & ſanguini elaſticam communicat, pro diverſitate agitationis & motus ſui, & variorum effluviorum in ipſo contentorum miros effectus in corpore noſtro producere poteſt, dum nimirum incongruas, ſubtiles tamen, multas particulas in ſanguinem & ſpiritus animales inducit, & prout magis calidus vel frigidus eſt, poros cutis vel nimis patulos & apertos reddit, vel illos nimis conſtringit, vaſaque corporis noſtri & tubulos vel nimis diſtendit, & ſanguinem in ipſis rarefacit, vel nimis conſtringit, fluidumque in illis contentum condenſat, non ſecus ac in thermometro videmus, à calore & frigore aëris fluidum vel rarefieri, vel condenſari. Aëri itaque potiſſimum adſcribendum eſt, quod febres epidemicæ ſint, & certo anni tempore frequentiſſimæ. Sæpiſſime obſervavimus, quando præceſſerit tempeſtas frigida, & aër conſtrictivus borealis humorum ventilationem ac tranſpirationem plus juſto impediverit, ſecuto poſtmodum aëre calidiori, qui particulis ſuis ſubtilibus, elaſticis, aperit plus juſto poros & fibrillas cutaneas, materiamque viſcidam excrementitiam in corpore ſtagnantem rarefacit, febres generari copioſiſſimas.

§. XV.

Quæcunque itaque extrema vaſculorum cutaneorum nimis aperiunt, illaque apta reddunt, ut inibi hærere & ſtagnare in poris & glandulis ſubcutaneis incongrua quædam materia poſſit, illa ad febrem efficiendam multa contribuunt. Exinde patet ratio, cur poſt intempeſtivum balneorum, ſudoriferorum uſum, fortiorem incaleſcentiam corporis à motu, vini vel ſpiritus vini ingurgitatione, à motibus animi fortioribus invadere ſoleant febres. Porro quæcunque in corpore noſtro excrementum viſcidum, acre, mixturæ ſanguineæ & glandularum ſecretoriarum poris minus conveniens & incongruum generant, illa ad febrium productionem remote multum conferunt, quare retentio excrementorum v. g. ſudoris, menſium, alvi, cohibita tranſpiratio, digeſtio & chyloſis depravata, chylus viſcidus, crudus, ab alimentis vel in copia, vel nimis viſcidis, craſſis, ingeſtis confectus, vel chylus menſtruo ſalivali minus activo & ſpirituoſo non ſatis ſubactus & præparatus, & charactere vitioſo acido in primis viis vitioſo imbutus, copioſiſſimam febrium mineram præbent. Familiare in praxi eſt, à cibo cum nauſea aſſumpto, item à cibo poſt fortiorem animi motum capto ſubnaſci febres. Videtur enim veriſimile, chylum amicum & congruum mixturæ ſanguineæ fieri à menſtruo ſalivali, quod impregnatum eſt laudabili ſpirituum animalium bene & in craſi ſua conſtitutorum copia, qui poros ſanguini familiares, & ſimilem partium ſitum formare debent, vitiatis autem, vel in temperie, vel in motu ſuo illis ipſis ſpiritibus, chylus quoad poros & particularum ſuarum ſitum difformis mixturæ ſanguineæ redditur, hinc particulæ quædam irregulares, à motu ſanguinis minus ſubactæ, in extremis vaſculis facile hærere & mineram ſuppeditare poſſunt febrium.

§. XVI.

Tradita ſic noſtra hypotheſi circa febres intermittentes, ſymptomatumque cum ſuis momentis ſylloge, proximum eſt, ut explicemus ac ſolvamus magnorum duorum phænomenorum rationem, quæ mirum in modum torſit & fatigavit hunc uſque in diem Clariſſ. Medicorum ingenia. Primo, cur febres quædam ſingulis diebus, quædam tribus, vel quatuor diebus ſuſcitentur, deinde, cur accurate periodos ſuas ſtatas & typos ſervent, ut etiam ad horam certam nonnunquam redeant. Hoc ut clarum evadat, neceſſum eſt, ut prolegomeni loco notemus, materiam febrilem morbificam & quantitate & qualitate eſſe diverſam, & magis vel minus copioſam, acrem, vellicantem, ſalinam. In quotidianis itaque & tertianis concludimus, majorem acredinem materiæ febrili eſſe immixtam quam in quartanis, & quæ tardius recurrunt, ubi major viſciditas & copia delinquere debent; quò acrior autem & mobilior eſt materia morbifica, eò citius vellicat fibras & ad contractiones ſpaſmodicas adigit, ſicque paroxyſmum febrilem citius accerſit; in quartanis autem majori eget mora & fermento, & tunc quantitate magis eſt moleſtum, quam qualitate. Et eadem eſt ratio, cur tempore verno & æſtivo magis fiant febres quotidianæ & tertianæ, in autumno autem & hyeme magis quartanæ; item, cur illi, qui ſanguine craſſo & acido præditi ſunt, magis quartana corripiantur, illi autem, qui ſanguine ſubtiliori volatili & bilioſo, magis quotidiana & tertiana laborent. Et hinc quoque ratio peti poteſt, cur febres quotidianæ citius curari poſſint ipſis quartanis, materia morbifica illarum longe mobiliori exiſtente; ſal quoque ſalinum acre lymphæ mixtum indicant aphthæ & oris exulcerationes tertianariis familiares. In quartanis autem acidum & viſcidum peccare, exinde liquere puto, quoniam emetica & purgantia in illis vix operantur, & fortiori appetitu præditi ſunt.

§. XVII.

Cum itaque pro diverſa conſtitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerentur vel retardentur, fluit exinde, alterata & mutata materiæ morbificæ figura, mole ac motu, febrem unam tranſmutari poſſe in alteram, quod in praxi etiam frequentiſſime experimur. Sic obſervavi ab intempeſtivo uſu præcipitantium & acidorum it. Chinæ Chinæ non ſolum longe pertinaciores factas fuiſſe febres, ſed & tertianas tandem mutatas fuiſſe in quartanas, deinde nihil magis familiare eſt, quam ut ex tertiana ſimplici, tertiana duplex fieri poſſit nimio abuſu volatilium ſpirituoſorum & calidorum medicamentorum.

§. XVIII.

Alterum quod ſpectat phænomenon ſolvendum, cur nimirum ſtato die ac hora recurrere ſoleant febres, dicimus præſuppoſita certa quantitate ac qualitate

litate materiæ morbificæ, quæ fibrillas cutaneas vellicare apta eſt, fieri rigorem & febrem. Cum autem in omni paroxyſmo maxima pars materiæ morbificæ diffletur, neceſſe eſt ut requiratur certum quoddam tempus, quo iterum fiat certa collectio apta ad vellicationem. Cum autem, uti in tota rerum natura, ſic quoque in noſtro microcoſmo, omnia certo numero, pondere, & tempore fiant, & circulatio ſanguinis quoque juſtos ſuos rhythmos ſervet, facile inde colligere pronum eſt, cur certo ſaltim temporis ſpatio generetur talisſmodi proportionata materia febrilis: deinde tribuendum quoque eſt multum hic conſuetudini naturæ, ſeu ſpecifico ac determinato motui ſpirituum animalium per actus repetitos ipſi impreſſo; facile enim ſpiritibus certa motus idea imprimi poteſt, quæ etiam firmiter retinetur, ita ut tunc ordinatos ſuos juxta illam efficiant motus. Sic notum eſt, quando quis conſueſcit certa hora vigilare, ſomnum vel cibum capere, certo iſto recurrente tempore, etiam ipſi non cogitanti obrepit ſomnus, vel evigilat, vel appetitus adeſt cibum capiendi; ſic quoque multi morbi ſunt periodici, dolores, hæmorrhagiæ, quæ per certum menſem vel etiam annum iterum recurrunt. Patet quoque inde, cur menſes vel hæmorrhoides exacte typos ſuos ſervent. Hinc etiam ſæpiſſime contingit, licet omnis cauſa febrilis abſit, & febricitantes bene ſeſe habeant, recurrere iſtum motum ſpirituum ordinatum febrilem. Juvat tunc contraria impreſſione ſpirituum motum immutare & alio vertere, hunc in finem commendant acria veſicantia dolorem excitantia; ſic quoque variæ impreſſiones per amuleta, affectus animi, terror, triſtitia, ira, ebrietas & alia ſæpe febrem curant.

§. XIX.

Clariſſime ſic determinata vera febrium eſſentia & cauſa tam proxima quam remota, obvium eſt perſpicere, in quonam conſiſtat vera methodus febribus medendi & quidnam in curatione efficiendum & qua facultate quoque inſtructa debeant eſſe medicamenta, quandoquidem curatio nil niſi cauſæ morbificæ ſublatio eſt, & determinatio cauſæ morboſæ indicat quoque ſtatim remedium & ipſius vim. Proinde quæcunque irregularem & inæqualem contractivum ſpaſmodicum motum, qui in frigore accidit, placide demulcent & mixturam ſanguinis turbatam in ordinem redigunt, ejuſque circulum æqualem reddunt, illa febrem mitigare & ante paroxyſmum adhiberi poſſunt, cujus generis jam ſunt omnia blandè diaphoretica, vi aperiente & ſimul anodyna donata, v. g. theriaca aſſumpta cum vino calido, quod medicamentum efficaciſſimum eſt in compeſcendis paroxyſmis, vel acetum deſtillatum cum lapidibus cancrorum, diaſcordio Fracaſtorii, croco, aqua florum ſambuci in decenti quantitate mixtum, & tribus vel quatuor horis ante paroxyſmum propinatum, exſpectando blandum ſudorem; ſic acerbitas paroxyſmi mirum in modum mitigatur. Conducit quoque hunc in finem magna in quantitate propinare quatuor horas ante paroxyſmum infuſum Herbæ Theæ. Conſentit hanc in rem Hippocrates *lib. de locis in hominibus c.* 39. qui febricitantibus ſuis etiam propinavit calida, ubi inquit: *Cum laſſitudo, febris & plenitudo detinuerit, multa aqua lavandum, & quam maxime calefaciendum eſt, quo calor, aperto per ſudorem corpore exeat, & in potu exhibenda eſt calida. Potus enim calidus in corpus ingeſtus ex ægro corpore detrahit, ſive urinas educat, ſive ſudorem eliciat, undique enim apertum & reſpirans corpus ac motum, faciet quod conducat.* Calidam quoque aquam, ſi ſudoris adſunt indicia, ſuadet Celsus, ut ſudor per omnia membra diffundatur ad febris diminutionem, *v. lib. III. cap.6.* Quod ſi autem motus ſpaſmodici fortiores complicati ſunt febrili inſultui, quales ſunt hyſterici, & poſt rigorem calor corporis intenſiſſimus ſequatur, optimum conſilium eſt immiſcere caſtorina, opiata, cinnabarina, & ad compeſcendum calorem nitroſa, ſingula tamen juſta ſub doſi.

§. XX.

Tunc autem curationem perfecte inſtituimus, quando omne conſilium eo dirigimus, ut cauſam morbificam tollamus; hinc ad febrem radicitus exſtirpandam ea conveniunt, quæcunque corrigunt & ſubtrahunt fomitem febris, nimirum quæ materiam febrilem in poris ſubcutaneis ſtagnantem, prout eſt acris, acida, viſcida, corrigunt & ad ſtatum naturalem reducunt, illamque per evacuatoria congrua proſcribunt. Cum autem focus & ſedes materiæ febrilis potiſſimum ſit in primis viis & in maximo illo alimentorum canale, inteſtinis fabricetur, ex mala digeſtione & variorum humorum, nimirum bilis, ſucci ſalivalis, & pancreatici commixtione; primo omnium erit intentio, ut ſaburrâ copioſorum vitioſorum humorum depleamus primas has vias, ipſumque ventriculum, præſuppoſitis ſufficientibus indiciis, per lenia emetica ipſaque purgantia, & ſic ſæpe unico purgante vel emetico debellatur febris. In genere tamen monendum duco, omnia draſtica & fortiora purgantia, quæ multas incongruas, & inimicas ſpiritibus noſtris, acreſque particulas, & cum materia febrili ſymbolicas recondunt, hic eſſe vitanda, ſed magis in uſum vocanda ſunt ſecura, ſemper tamen cum ſalinis, abſterſivis, aromaticis mixta, ut non ſolum evacuemus, ſed ut ſimul alteremus & corrigamus noxias & devias humorum qualitates. Præter hæc jam in debitam ſuam craſin reducunt, & qualitate hoſtili præditos humores corrigunt, illoſque per evacuatoria ſua proſcribunt, per renes vel per ſudorem, omnia ſalina, incidentia & ſolventia viſcidum v. g. ſal digeſtivum Sylvii, flores ſalis ammoniaci, tartarus vitriolatus, tartariſatus, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum: Secundo omnia ſale fixo alcalino imbuta, uti ſunt omnia ſalia vegetabilium fixa, & omnia terrea alcalia, & omnes herbæ amaræ, illarumque eſſentiæ & extracta, quæ non ſolum viſciditates humorum incidunt, ſed & acidum vitioſum in corpore ſubigunt & figunt. Tertio, omnia ſale volatili oleoſo inſtructa, quæ maxime in quartana, & illis febribus, quæ viſcidum acidum copioſum pro cauſa habent, conducunt.

§. XXI.

Fomite itaque morboſo ſubtracto robur ipſis vaſculis & nervulis partium extremarum conciliandum eſt, ſimulque maſſa ſanguinea leniter conſtringenda ac roboranda, ne ita ad ſeceſſionem particularum acrium, & ad confuſum turbatum motum apta fiat. Huic intentioni quam optime ſatisfacit laudatiſſimus Cortex Chinæ, qui circumſpecte & probe obſervatis circumſtantiis uſurpatus, divinum medentibus præbet auxilium, omnibuſque antifebrilibus hactenus notis palmam præripit, utpote non agit principio quodam ſtyptico, acetoſo, ſed blando, terreſtri, leniter tamen conſtringenti, amaro, naturæ & nervis amico elemento, parietes & villos fibrarum laxos roborat leniterque conſtringit, ut ad motum promptiorem animentur & omnis ſubſiſtentia in illis ipſis vitioſi humoris impediatur. Dum enim medicamentum hoc leniter conſtringit, ſimul ipſis fibrillis robur,

bur, motum, & elaſticitatem fœnerat, unde ad motum animantur & ad materiam inhærentem extrudendam promptiores evadunt. Totum autem arcanum curandi febrem per Chinam Chinam conſiſtit in ejus applicatione. Quod autem illud ipſum medicamentum adſtrictiva facultate magnas ſuas exerat vires, alio loco demonſtrandum ſibi ſumpſit *Excell. Dn. Præſes.* Omnia autem adſtringentia in debellandis febribus magna pollere efficacia, patet ex ipſo alumine, ex radice tormentillæ, viſco quercino, tinctura martis, liquore martis, pulvere teſtarum ovorum, concharum, maximè ſi cum aceto propinentur, tunc enim aluminoſum miſcelâ induunt naturam. Hoc tamen coronidis loco notandum eſt, Corticem Chinæ in ſubſtantia, præmiſſis præmittendis longe eximiorem & præſtantiorem eſſe omnibus ex ipſo præparatis eſſentiis, extractis, infuſis & aliis ex ipſo compoſitis medicamentis. Verum hæc quoad novam hanc demonſtrandi febrium intermittentium cauſam & curationem hac vice ſufficiant.

DISSERTATIO MEDICA
EXHIBENS
OBSERVATIONES
QUASDAM PRACTICAS CIRCA FEBRES TERTIANAS ANNO 1701. GRASSANTES

Primùm edita Anno 1701.

PROOEMIUM.

SCITE non minus quam veriſſime ſcribit magnus noſter HIPPOCRATES *Lib. III. Aph.* 1. *Mutationes defectioneſque temporum maxime pariunt morbos, & quæ in ſingula anni tempora incidunt, inſignes mutationes frigoris aut æſtus, cunctaque alia ſic pro ſua natura.* Et certe, ſi rem accuratius perpendimus, plurimi, iique infenſiſſimi mortalium generi naſcuntur ex aeris intemperie ac vitio morbi. Si enim pro certo & explorato habendum, aerem ſuſtentare ac nutrire perpetuo corporis noſtri proprium movens, hinc facile intelligitur, maximam potentiam & jus illum ipſum poſſidere in corpus noſtrum, adeo, ut ſi annus quidam intemperie laboret, ejuſque tempora a naturali ſibi debita temperie deflectant, non poſſint non inde ſuboleſcere varia morborum genera. Optandum hinc vehementer foret, ut ii, qui evehendæ arti medicæ operam aſſiduam navant, aerem cuivis loco, ubi degunt, proprium, per totum annum, qui pro diverſitate ventorum diverſam nanciſcitur indolem, ſedulo annotent, nec non ſimul graſſantium morborum indolem ac viam, qua uſi fuerint, ipſos ſanandi, ita profecto brevi tempore & praxis noſtra rationalis certa demonſtrativa reddi & majoribus incrementis ſplendeſcere Medicina poſſit, quam per multa antea ſecula factum eſt. Decrevit apud animum Dn. Præſes ſingulis annis eorum, qui populariter graſſantur, morborum hiſtoriam recenſere, ſicuti & ſuperiori anno jam ſpecimen hujus rei in lucem publicam emiſſum eſt. Nos jam in præſentiarum loco inauguralis ſpeciminis obſervationes quaſdam non minus theoriæ quam praxi utilitatem ac lucem fœnerantes ex febre hoc anno dominante tertiana, quæ non modo in hac urbe, ſed & in vicinis & remotis locis plures invaſit, eruere atque expromere conſtituimus, quod inſtitutum ut in proximi ſalutem & Dei honorem unice vergat, eſt quod humillimis precibus a divino numine deſideramus.

OBSER-

OBSERVATIO I.

Febris tertiana hoc anno familiaris naturam habuit continuæ.

NOtiſſima in foro medico res eſt, intermittentes cum frigore incipere, ita ut per plures ſæpe horas intenſo cum frigore ac horrore ſingulis recurrentibus paroxyſmis, perdurent. At vero res ſe longe aliter habuit in noſtra febre. Etenim non tantum in principio, ſed & ſubſequente tempore ſine ullo ferme horrore vel frigore invadebat ægrotantes, mox ſeſe exſerens per ardentiſſimum calorem, inquietudinem, corporis jactationem, vomitionem moleſtiſſimam, pulſuſque vehementiam continuam, ut in ſummo periculo ægrum conſtitutum & febrem perfecte continuam adeſſe judicaveris. Et tametſi ſequens dies mitior appareat, nihilominus & virium collapſus cum calore perſeverante febrem non deſiiſſe indicabant; tandem poſt diem demum quintum vel ſextum levis notabatur horror, qui ſignum tertianæ edebat, fervor tamen totius corporis non uti alias in tertiana contingit, hora quinta vel ſexta terminabatur, ſed in viginti ſæpius horas maximo ægri incommodo porrigebatur. Notatu erat dignum, quod tam ingens accenſus in ſanguine fuerit calor, ut mentis actiones plane turbaret, quoniam in vigore morbi perfecte delirare viſi fuerunt ægri, dum non tantum in actionibus ſuis inſueta atque impetuoſa præcipitantia utebantur, ſed & animi ſui ſenſa male cohærentibus verbis exprimebant, ſive ſe explicare, quid velint vel cogitent, non potuerunt. Eveniebat id ipſum præcipue, quando ob ſummam debilitatem oculos claudebant, & in medio quaſi vigiliarum & ſomni ſtatu verſabantur. Super omnia vero animadverſionem merebantur anxietates fere intolerabiles inquietudini corporis junctæ, cum perpetuo vomendi conatu ac deſiderio, quæ cuncta pathemata invaleſcebant, prout in abdomine major ſentiebatur intumeſcentia flatuumque retentio alvique conſtrictio. Nam erat notabile, quod in ipſo paroxyſmo nullus clyſter propter flatuum in inteſtinis reſiſtentiam potuiſſet admitti, ceſſante autem vehementia morbi ſingulis paroxyſmis in fine eorundem venter detumeſcebat, dolor dorſi, qui in principio erat acerbus, remittebat, flatus ſponte exibant, & anxietates nec non vomitiones ceſſabant. Hæc omnia autem maxime ſucceſſu temporis fuerunt facta mitiora, ut tandem perfecta ἀπυρεξία altero die viſa fuerit. Obſervatione perquam dignus hac in febre fuit dirus ac diuturnus ille æſtus. Verum enim vero ſolet hoc effato clariſſimi WILLISII *libro de febribus Cap. III.* ſolenne eſſe nonnullis epidemicis intermittentibus. Hinc *libro de febr.* inquit: increbuit hoc autumno febris intermittens, cujus acceſſiones tanto cum calore eoque intenſiſſimo ægros exercuere. In pleriſque adfuit vomitus immanis, minime vero frigus & ſudor, poſt 4. aut 5. demum periodos ingruente paroxyſmo parum algere & poſtea aperte rigeſcere ſolebant. Obſervavit etiam ſimiles Vir commendatiſſimæ experientiæ SIMONIUS *in Synopſi de humoralium febrium natura Cap. VII.*, cujus verba dum recenſet doctiſſimus SENNERTUS *Lib. II. de Febrib. cap.* 3. ita pronunciat, Febres has fuiſſe continuas; cujus tamen ſententia non ſatisfacere videtur. Quamvis enim in principio harum febrium univerſa videantur ſatis confuſa, nec typus manifeſtus & calor pulſuſque agitatio alterno die remaneat, ut continuarum febrium naturam videantur exacte æmulari, tamen ſi longius protrahuntur, perfecta tandem ſuccedit ἀπυρεξία, utut ſine ullo frigore manifeſto invadunt.

Inquirendum hic jure meritoque eſt, unde hac febris tantam ardoris vehementiam ſuſceperit, ut nulla continua febris in eo cum ipſo fuerit comparanda, & poſtea qua de cauſa nullum ferme apparuerit frigus. Statuendum autem hoc loco eſſe exiſtimamus, a fortiori ſanguinis nimis ſulphurei bilioſi inteſtino motu hoc ipſum ortum fuiſſe. Quemadmodum enim ex phyſicis compertum eſt, formale caloris eſſe motum inteſtinum, & materiale principium ſubminiſtrari ſulphur, quod non niſi mixtum quoddam eſt ex particulis æthereis modo ſingulari in terra ſale & aqua concentratis arctiſſimeque unitis, ita etiam in confeſſo fore apud omnes peritos non dubito, ſulphur vel principium inflammabile noſtri ſanguinis, quando motu verticillari vehementer agitatur, fontem eſſe omnis caloris. Igitur quo major copia ſulphuris deliteſcit in ſanguine, eo major etiam ad frigoris defectum & caloris augmentum eſt propenſio.

Sententia hæc noſtra adſtrui videtur exinde, quod febris hoc anno graſſata tenerioris ac rarioris texturæ cutis, nec non temperaturæ cholericæ & bilioſi ſanguinis homines, ætate viros & juvenes, eoſque qui latis gaudebant venis, plus adorta fuerit, quam qui contraria natura fuerunt.

Maxime omnium autem experti ſunt exinde detrimentum, qui diæta calida aromatica plus juſto fuerunt uſi & vinis ſpirituoſis, dulcibus, Gallico, Hungarico, Italico corpus repleverunt. Et quod erat notabile, potus ipſo in morbo adminiſtratus paulo ſpirituoſius tanto ardore ſiccabat fauces & præcordia, ut ſitis inextinguibilis inde naſceretur, ipſum caput non levem noxam inde ſuſciperet.

Simile quoque notatum fuit circa medicamenta, quæ tenuitate ſua partium calorem ordinario & motum in ſanguine augere ſolent. Hæc leviori ſaltem doſi admiſſa tantum caloris augmentum addebant, ut huic reſtinguendo omnis opera debuerit adhiberi. Quapropter etiam amarorum uſus, qui alias ſumme proficuus in quovis intermittentium genere celebratur, penitus abeſſe & exſulare debuerit.

Quandocunque vero paulo altius ac ſubtilius, ortum ac cauſam hujus febris repetamus, valde videtur probabile, aeris, qui autor omnium epidemiarum morboſarum conſtitutionum eſt, intemperiem ac ſtatum eſſe accuſandum, & uti recte jam ab aliis fuit animadverſum, præcedentes annos eſſe morborum, qui ſequenti anno graſſantur, fabros atque autores, ita etiam neceſſe eſt, ut ejus originem ab aere præcedentis anni ducamus ac derivemus. Jam autem notum eſt, ſuperiorem æſtatem intenſe fervidam fuiſſe, cujus beneficio etiam largum boni vini & maturarum uvarum proventum debemus. Excepit hanc autumnus ac hyems non modo lenis ſed & ſquallida, potiſſimum nebuloſa ac turbida. Succeſſit ver in prioribus menſibus amœnum, in poſterioribus valde rigidum, aſperum, ac frigidum, ventis regnantibus borealibus, noctibuſque perſeverantibus per longum tempus glacialibus, etiam ad medium uſque Maii, unde etiam præter morem vegetabilium augmentum arborumque flores retardabantur.

Jam vero videtur ſimillimum, in antecedente æſtate, ubi multi bilioſi morbi ac febres dominatum habuerunt propter aëris & ætheris motum calidiorem, magnam ſulphuris in animantium ſuccis copiam fuiſſe ingeneratam, quæ per temperatum autumnum aut hyemem aucta magis, quam impedita eſt. Accedentibus demum frigoribus adulto jam vere facto diſſlatio ſuccorum ſuperfluorum humoriſque

bilioſi,

bilioſi, qui ſub perhumido talis modi aeris ſtatu plus juſto adaucti fuerunt, non recte fuerit facta, ſed ſtipatis cutis meatibus naturam plane heterogeneam, nempe ſalinam acrem, iſti humores contraxerunt, unde materia febrilis cauſticæ ac tenuis indolis delata in calidiſſimum ac bilioſiſſimum hominum ſanguinem, eum mirum in modum exagitando, non potuit non fere continuum ardentem calorem ſine ullo frigore producere.

Quapropter qui vino ſpirituoſo ac generoſo nimium indulgendo ſulphur in ſanguine accumularunt, majores moleſtias a calore ipſis in acceſſionibus experti fuerunt; quorſum etiam referendum, quod remedia calida ſulphur foventia, ipſaque amara ſudorifera ex febrium claſſe deſumta incendium maximum cum delirio produxerint, utpote tali in caſu ſulphuris efficaciam imminuentia ac refrænantia, calorem unice exſtinguunt & periculoſis moleſtiis ſuccurrunt, ex quorum cenſu eximiam laudem merentur nitroſa, acidula, & hujus generis alia.

Neque hoc loco ſilentio prætereundum eſt, quod infuſa herbæ Thee, Veronicæ, &c. calide pota, quæ alias in omnibus intermittentibus deſideratiſſimum medentibus ferunt auxilium, in liberali doſi aſſumta, hac in febre plus nocumenti quam fructus attulerunt, dum anxietates, calorem promoverunt; paroxyſmo autem declinante & diſpoſito ad ſudorem corpore illorum uſus habuit locum; quæ univerſa non aliam ob cauſam fiunt, quam quod calidus potus ferociam ac motum partium corporis ſulphurearum nimis adauxerit. Interea nec actu frigida proficua videbantur, quoniam ventriculi & inteſtinorum ſpaſmodicas contractiones augendo vomitiones immanes & moleſtiſſimas ſupra modum ſollicitabant.

OBSERVATIO II.

Tertiana hæc epidemia non cauſam & originem agnovit bilem.

VEteres unanimi ore ferme omnes ſentiunt, univerſas febres, maxime autem tertianam, originem ſuam ducere ex bile. HIPPOCRATES *libro de natura humana* cauſam febrium aſſignaturus concinne admodum αἱ δὲ χλεῖστοι, inquit, τῶν πυρετῶν, γίγνονται ἀπὸ τῆς χολῆς, *plurimæ febrium a bile fiunt.* Moti ſunt in eam ſententiam principaliter eam ob cauſam, quoniam conſpexerunt bilioſum flavum humorem, maxima in copia vel per ſpontaneum obortum alvi fluxum, vel per laxantia aut emetica, repetitis vicibus per aliquot dies, dictis in febribus evacuari, cujus generis ac naturæ excretio in ſanis alias corporibus non viſitur. Deinceps quoque argumentum hujus aſſertionis deſumſerunt ex urina, quæ in hiſce febribus ordinario flammea & ſaturato croceo colore tincta perpetuo fere adparet, adeo ut talis coloris urinæ genuinum & pathognomicum tertianarum ſignum a longo tempore habitum fuerit, & addocuit experientia, quamdiu in tertianis viſitur talis urina, de remiſſione vel ceſſatione paroxyſmi non eſſe cogitandum. Simulac autem hic color in lotiis perit, vel dilutior apparet, mox febris vehementia mitigatur vel plane exſpirat. Deinceps bilem in tertianis peccare, ex eo argumentati ſunt, quoniam homines ictericos reddere, ad minimum flaveſcente colore cutim imbuere ſolet, conquerentes ſæpius de moleſtia ac dolore circa dextrum, ubi bilis ſedes eſt, hypochondrium. Accedit & hoc, quod univerſa ea, quæ bilem augendi & exaltandi facultate pollent, noxia; contra, quæ ipſam imminuunt, ac ejus vim ac caliditatem reprimunt, proficua in ſanatione deprehenduntur. At vero, tametſi non negemus, ſicuti etiam in ſuperioribus expoſitum eſt, redundantiam bilis & partium ſulphurearum in ſanguine, ſæpius in febre noſtra eſſe præſentem, & inde quoque caloris vehementiam & continuitatem in multas horas dependere, nihilominus bilis copiam hic unice pro cauſa allegari, concedere non poſſumus.

Nam homines, qui bilioſiſſimum in venis alunt ſanguinem, tamen ab invaſione hujus febris ſunt immunes, cum, ſi cauſa eſſet adæquata & genuina redundantia bilis, neceſſe foret, ut febre hac corriperentur; quin imo luculenter teſtatur experientia, ictericos, in quibus non modo in hepatis vaſis præter naturam iſte humor accumulatur, ſed & in ſanguinem abundantius adducitur, nihilominus febris eſſe expertes. Ulterius ſi formalem cauſam tertianæ conſtitueret bilis exſuperans, purgantia & vomitoria, quæ magna vi hunc humorem ſurſum & deorſum expellunt, genuina eſſent adverſus hanc febrem præſidia, cui tamen refragatur praxis, quæ oſtendit, purgantibus etiam fortiſſimis non auſcultare hunc morbum. Deinde quid regerere velint hujus ſententiæ aſſertores, non video, dum amara ferme omnia, quæ bilem ipſam in ſubſtantia generant, ſunt ſecuriſſima in febribus intermittentibus diuturnis, & præſertim tertiana autumnali, in quibus fiduciam certam collocare poſſit Medicus, præſidia.

Addimus & illud, quod non tertianæ præciſe tantum bilioſos & calidioris intemperiei, ſed & ſeroſos phlegmaticos torpidioris naturæ homines adoriatur, neque ipſis infantibus parcat.

Inquirendum autem hic merito eſt, cur in nullo ferme morbo vel febre tanta redundantia bilis in urina, alvi fecibus & egeſtis per vomitum conſpiciatur, quam in tertiana, præſertim valde ardente & per plures horas corripiente. Aſſerimus autem, exſuperantem hanc bilem non pro cauſa, ſed potius pro effectu & producto febris habendam eſſe. Etenim tertiana, licet in longum tempus porrigatur, non deſiſtet tamen bilioſi humoris generatio in urina & alvi fecibus luculentiſſima conſpicienda. Simulac vero ſiſtitur vel præſcinditur ipſa febris per convenientia & ſpecifica remedia, e. g. corticem chinæ, mox urinæ dilutiores, diſparente penitus flammeo illo colore, evadunt, alvique ſcybala ad naturalem colorem redeunt.

Ex eo liquidiſſime illud fluit, bilem, quæ in hoc morbo tanta in abundantia aſſociatur excernendis humoribus, eſſe ſobolem febrilis ſanguineæ commotionis. Nam ſicuti certum eſt, bilem naturaliter produci ex particulis ſanguinis pinguibus oleoſis, cum terreis & ſalinis per inteſtinum ſanguinis motum intime junctis & connexis, ita facile conſtat, motum inteſtinum ſanguinis, quo magis invaleſcit, eo copioſiorem imo magis activam progenerari bilem; unde æſtatis tempore, & ubi calore variis de cauſis exæſtuant humores, bilem largiſſimam generari deprehendimus, quod maxime valet de latentibus & hecticis febribus, ubi ipſe ſanguis continua agitatione præcalida & præternaturali in bilem aliosque excrementitios humores diſcerpitur ac reſolvitur. Igitur ſi ceſſat febrilis ſanguinis commotio, ceſſat etiam nova bilis productio, unde febre deſinente urinæ tenues albæ evadunt, & corporis membra, quæ antea nimio calore & ſiccitate afficiebantur, jam poſt morbum defectu caloris laborant, & a mitiore etiam frigore læduntur; cujus rei ratio hæc recte ut opinor datur, quod ſulphureæ ſanguinis partes, quæ balſamum & nativum calorem ſecundum naturam fovere & efficere debent, ſub febrilibus paroxyſmis penitus conſumtæ fuerint, ſanguine hinc

in

in venis relicto crudo, effœto, vappido. Ex dictis jam facile intelligitur, cur morbi chronici obſtinatæ indolis ex cruditatibus primarum viarum & ſanguinis provenientes ſæpenumero tertianas diuturnas preſſo pede inſequantur.

OBSERVATIO III.

Tertiana epidemica ex minima materiæ acris cauſticæ mole naſcitur.

Sententia hæc ſtabiliri exinde videtur, quod ex aeris vitio ſeu intemperie originem ſuam nanciſcatur. Equidem plures Autorum, inter quos etiam Willisius, eâ ſunt in opinione, quaſi per illum cœli præternaturalem ſtatum ſanguis impuram & bilioſam ſibi contrahat indolem. Verum enim vero non facile quis ſibi perſuadere poterit, a ſola impuritate humorum vel intemperie produci morbos epidemios; nam infinita eorum exempla videre licet, qui tempore talis epidemicæ conſtitutionis toti ſani, deque nullo ſymptomate fuerint conqueſti, derepente in febrim incidunt. Quomodo autem cognoſci poteſt ingens illa ſanguinis alteratio, quando nullo omnino ſigno ſe prodit? Et optima ratione ſcribit Fernelius febre ſoluta corpus etiamnum permanere impurum. Sæpe enim ex impuro corpore, inquit, & putredine referto vidimus quartanam non ſimplicem modo, ſed & duplicem & triplicem propriis antidotis abigi nullâ purgatione præmiſſa, & ſtabili impuritate. Statuimus igitur potius, valde exiguum eſſe febris epidemiæ intermittentis principium, idque valde ſubtile cauſticum, & hinc magis perniciale. In univerſum enim ſervandum eſt, non dari humanæ naturæ infenſius quoddam ordinatos & conſervationi corporis inſervientes motus deſtruens principium, quam cauſticum, quod ſubtilitate, adeoque ſumma vi activa penetrante donatum eſt. Omnis enim generis venena, quæ in parva mole vitalem œconomiam celerrime pervertere apta ſint, ad principium ſubtilitatis corroſivæ merito referuntur, quamvis non negandum ſit, hæc, quæ dicuntur venena, ratione operationis & gradus longe multumque inter ſe differre. Primum autem quod exiguum ſit illud, quod febrem tertianam inducere poteſt, vel ex eo patet, dari etiam epidemias contagioſas tertianas. Quamvis enim id ipſum communiter a Medicis non tradatur, ſententiam tamen hanc ſtabilivit experientia, recte obſervante Neucrantz *de purp. p.* 19. ita ſcribens: *Nec enim tertianæ, quartanæ continuæ febres contagio ad alios tranſplantantur, quod ſeminaria ita elaborata iliis deſint, niſi forte epidemiæ ſint, tunc enim propriam* contagii *eſſentiam jam conjunctam gerunt.* Ita etiam Sennertus *L. II. de febribus Cap.* 20. meminit quartanæ epidemicæ valde contagioſæ, & *Cl.* Meibomius *in diſſ. de febribus intermittentibus* teſtatur ſe contagium in tertianis epidemiis non tantum Helmſtadii, ſed & Wolffenbutteli clare obſervaſſe, ubi plus quam dimidiam hominum partem afflixerunt, ubi contigit, ut omnes in una aliqua domo numeroſa admodum familia a decumbentibus ſtatim corriperentur, ſi, qui ad miniſtrandum circa lectum, imprimis novi acceſſiſſent, cum tamen nulla adeſſent malignitatis indicia, nullus etiam moreretur.

Quod porro parvum ſit febris hujus principium, & illud de ingenio ſubtilis cauſticitatis, multi ſunt, qui id confirmare videntur. Primum enim, ſi in humoris quantitate cauſa hujus febris radices agat, certe ex evacuantium claſſe petita remedia aliquem uſum haberent neceſſe foret. Jam autem & purgantia & emetica ac ſudorifera, nec non venæ ſectiones ex ſe & ſua natura ad febrem abigendam ſunt inſufficientia, neque etiam alterantia, quæ manifeſtam ſalinam qualitatem invertunt, huic ſcopo accommodata deprehenduntur.

Quod autem minimum ratione molis ſit illud, quod febrem ſuſcitat, vel ex eo clarum fieri poteſt, quod terminari ſoleant hæ febres frequentius, paucis ſaltem quibuſdam puſtulis circa labia, genas, digitos, ut Sennertus *L. II. de febrib. c.* 16. obſervavit, erumpentibus. Imo notabile eſt, quod qui gravibus ſymptomatibus in ea laborant puſtularum eruptione facta paulo poſt ſibi ſani videantur. Rhodius *cent. I. obſ.* 27. notavit, exanthemata a quacunque febre prodiiſſe, & Prævotius conſpexit maculas plumbeas ac lividas poſt duplicem tertianam. Langius *in epiſt.* 7. *lib. I.* ita ſcribit: vidi plus centies, ſcabiem per aliarum febrium tum præcipue quartanæ κρίσιν obortam ſponte excuſſiſſe, citra omne medicamentorum ſubſidium. Conferri etiam poſſunt exempla, quæ proponit Sennertus *in paralip. ad febres p.* 126. Equidem belle id notavit Willisius *de febribus p.* 132., quod non ſemper febris penitus ceſſare ſoleat, puſtulosis licet labiis apparentibus, quod nempe accidit, quando ingens materiæ peccantis eſt copia, & tunc ſæpe in toto corpore exanthemata apparent. Cæterum plus vice ſimplici annotavit *Dn. Præſes* arthriticos & podagricos dolores ſponte ceſſantes vel intempeſtive retropulſos degeneraſſe in febres intermittentes. Similem cauſam jam ante ſeptimanam hic conſpeximus, ubi vir robuſtioris naturæ podagrico affectus dolore, poſtquam ab imperito homine cataplaſmate externo ſedatus fuerit, vel potius intro repercuſſus, in tertianam incurrebat diris ſymptomatibus, nempe aſthmate convulſivo ſtipatam, & niſi medicina prudenter affectus fuerit tractatus, difficilis fuiſſet ad ſanitatem reditus. Et perquam dignum hic erat notatu, quod ſedata febre dolores ingentes ipſos artus per aliquot dies adhuc excruciaverint. Ad noſtrum ſcopum ſpectare & illud mihi videtur, quod externa, quæ cauſtica & veſicante facultate pollent, carpis manuum & pedum admota febrim ſæpius unice abigant; cujus generis ſunt cataplaſmata ex flammula jovis, ranunculo, araneis, fibris hellebori, ſale communi, ruta parata, quorum operandi ratio in eo, ut opinor, conſiſtit, quod poros cutis cauſticis ſuis particulis diſponant ac præparent, ut ejuſdem naturæ materiam febrilem cum ſanguine ad has partes delatam eo commodius cribrando ſeparare ac ſequeſtrare poſſint. Tandem & illud conſiderationem meretur, quod parvæ doſes famigeratiſſimi iſtius ſpecifici antifebrilis, nempe corticis chinæ, febrem tollendi vel ad tempus illam ſuſpendendi virtute polleant certiſſima, quod certe minime evenire poſſet, ſi magna ſit peccantis materiæ moles.

Ultimo loco materiæ febrilis indolem cauſticam vellicantem ac rodentem evidentiſſime comprobant atque adſtruunt irritationes iſtæ immanes œſophagorum & ventriculi, nec non membranarum ubivis exſtantium ſenſibilium, unde cardialgiæ, vomitiones, anxietates, ſpaſmi inteſtinorum, ventris tormina, dolores artuum, pedum, ſurarum tenſivi & moleſti, tuſſes, urinæ ardores, originem ſuam certiſſime petunt.

OBSERVATIO IV.

Materia febrilis in ſanguine generatur, primis autem in viis habet ſedem, ibique operationem ſuam exſerit.

Ante omnia meretur hoc loco expendi ac trutinari, qua ratione dicta materia febrilis producatur, & ubi ſedem ac operationem ſuam habeat. Jam autem pro rato ac firmo habendum eſt, certis ſaltem anni conſtitutionibus graſſari tertianas; nihilominus & docta ac ſtabilis practicorum ſententia eſt, nunquam febrem oriri, niſi libera humoris tenuiſſimi per cutis ſpiracula difflatio fuerit prohibita, ſive id fiat per externa admiſſa frigora, corpus improvide expoſitum ventorum borealium flatui, ſive per victum aut cibum ingeſtum plane perverſum copioſum, cruditates plurimas ſanguini ingenerantem. Quin imo frequens confirmat obſervatio, recidivas febrium ex eodem fonte promanare, adeo ut non facile quis recidat in morbum, niſi in diæta peccaverit, vel tranſpirationem debitam corporis impediverit. At vero hæc ad febris epidemicæ aliorumque hujus generis morborum generationem ſufficere non poſſunt, cum ſæpe numero hæc ipſa fiant, nec tamen tales morbi propullulent. Igitur recurrendum nobis merito eſt ad ipſum aërem, qui commune ægritudinum promptuarium eſt, cujus tamen ſpecificam in ſingulis morbis naturam allegare & explicare res valde difficilis, & arcanis naturæ receſſibus recondita videtur; ſi tamen conjectura principiis phyſico-mechanicis ſuperſtructa locum hic, ut merito habere debet, invenit, vero videtur valde ſimile, in aere diverſiſſima morborum ſemina poſſe generari idque non tam ex primarum qualitatum intemperie vel gravitate & levitate, quam commixtione & inteſtina actione variarum partium in aere exiſtentium. Quis enim negabit diverſiſſimæ naturæ & pro indole variantium ventorum nec non caloris in aerem elevari ex omni animantium, vegetabilium, ac mineralium genere effluvia, quæ inteſtina ætheris actione de novo miſcentur, connectuntur, ſicque ceu nova producta peculiarem naturam, craſin ac virtutem induunt. Clarum & conſpicuum id præcipue eſt, ex generatione perfecti ſulphuris mineralis, quod in fulgure luculentiſſime percipitur, in productione ſalium, nitri, vitrioli, ſalis communis, &c. Quis itaque negare conabitur, cauſtica corpuſcula mediante intima mixtione ætheriſque agitatione in aere generari ac concipi poſſe? quæ variis modis lædere ac pervertere motiones ſanguinis fluidique nervei vel ſanguinis texturam ac naturam violare poſſunt, præſertim cum continuo aere veſci opus habeamus.

Quod ſi itaque taliſmodi peregrina nempe cauſticæ, ſalinæ, ſulphureæ naturæ effluvia cum ſanguine & lympha communicantur, varias alterationes inducere apta ſunt. Equidem non in omnibus individuis ſimilem eundemque edunt effectum, neque etiam in inſtanti malitiam ſuam produnt, ſed a ſanguinis temperie contraria ſæpius invertuntur, vel correcta & mitigata mox foras vigore naturæ proſcribuntur, vel diu citra activitatem ſub contextu ſanguinis viſcoſi hærent ac deliteſcunt; unde non in omnes cadunt ſimiles morbi, ſed tunc demum hoſtilia & naturæ humanæ infenſa deprehenduntur, quando cum ſimilis naturæ principio in ſanguine ſeſe aſſociantia majorem nocivam vim acquirunt, vel ſi ad cutem delata non excernuntur, ſed veſtigia relegunt, & de novo cum ſanguine miſcentur.

Nobis igitur videtur probabile, heterogeneas iſtas cauſticas particulas ex aere in ſanguinem delatas, præſertim ſi ſtipatis cutis meatibus non excluduntur, bilem, lympham, alioſque humores excrementitios inficere ac charactere acri cauſtico imbuere.

Cum autem in primis viis concurrant varii generis ex ſanguine humores, nempe birioſi, lympha pancreatica inteſtinalis ad ipſius chylificationis negotium: hinc ſi ipſi fuerint materia ſubtiliſſima cauſtica impprægnati, non poteſt non ciborum ſuccus ſimili natura imbui, qui de novo ad ſanguinem & poſtea ad membranas ſenſiles delatus, varios ſpaſmos, contractiones, tenſiones, dolores, cutis conſtrictionem, vomitiones irritatione ſua hoſtili certo tempore producit, & ſic ex ambitu corporis ad interiora & vaſa majora ſanguis coactus pulſum arteriarum citatiſſimum procurat, quo ipſo mirum in modum agitatus & concuſſus inteſtinum ardentiſſimum calorem ſuſcipit; cui deinde reliquorum ſymptomatum ratio eſt refundenda. Videtur itaque mihi propria ſedes intermittentium febrium recte collocari in inteſtinorum canali, & maxime in valvulis iſtis & plicis, quibus tenuia inteſtinorum referta ſunt, ubi nidulans materia iſta hoſtilis cum lympha & bile deducta & cum muco inteſtinali ſtabilis facta præterlabentem ſuccum ex alimentis inſtar fermenti inficit, illumque acredine hoſtiliſſima perfundit, qui tandem per ſubſtantiam inteſtinorum villoſam in vaſa lactea & poſtea in totum corpus delatus febrem, ut diximus, efficit, eamque calidiorem, quo major eſt ſulphuris in ſanguine redundantia. Occurrit hic regula, magni quæ momenti eſt, conſideranda, & talis eſt: Principium quoddam morboſum naturæ ſumme infenſum quamdiu cum ſanguine intime mixtum eſt, eſſe innocuum. Simulac autem ab ipſo ſeparatur & propter excretionem impeditam rurſus ſanguini affunditur, veneni naturam imitari totamque œconomiam in motionibus ſuis pervertere & graviſſima pathemata inducere idoneum eſſe.

Pernicialis autem hæc febrium materia certa quantate per certum tempus rurſus in primis viis collecta primam ſuam tragœdiam ludere incipit. Hinc meretur notari, quando rem probe advertimus, incipere ſemper intermittentes in abdomine, dum lumbos dolor fixus tenſivus occupat, regio umbilicalis & ſtomachalis intumeſcit, flatuumque retentio ac alvi conſtrictio fit, niſus ad vomitum, ſitis, ἀγρυπνία, anxietas, jactatio corporis, tenſio, oriuntur; ſuccedunt poſtea pandiculationes, oſcitationes, laſſitudo ingens, cutis conſtrictio, ardor, pulſus frequentia & inæqualitas, & ejus generis plura. Peti hinc facile poteſt ratio, quare, quæ alvum ſolvunt & fibras inteſtinales relaxatas roborant, flatuſque diſcutiunt, & calore temperato & balſamica virtute abdominis partes ſolantur, uti litus ex oleis aromaticis compoſiti ſymptomatibus febris non minimum allevamentum afferant. Ceterum inter alia materiæ febrilis prima in regione ſubſiſtentiam arguit ſapor iſte in ore per totum morbi decurſum etiam ipſo declinante nauſeoſo-ſubdulcis, quaſi glycirrhyzam ſapiens, vel quandoque etiam amaricans.

OBSERVATIO V.

Non datur excellentius antifebrile ipſo cortice Chinæ.

Si ullum ex medicamentis titulum meretur ſpecifici certi ac experti, & quod præſentiſſime opem fert, profecto eſt cortex chinæ in intermittentibus, cui ſimile & quod cum ipſo comparari poſſit, non facile in tota rerum natura deprehenditur. Nullum enim ſimplex cognitum eſt, quod tanta virtute adverſus

verſus febres polleat, vel ſimile efficere poſſit. Plures ex diuturnitate intermittentium graviſſimos & lethales morbos ſibi contraxerunt, qui ſervari unice potuiſſent prudenti hujus medicamenti uſu. Expertiſſimi medicorum, WILLISIUS, MORTONUS, SYDENHAMIUS, DYGBAEUS, miris encomiis hujus corticis præſtantiam extollere & ceu expertiſſimum remedium ubivis prædicare, modo recte quis ipſo utatur, conſtantiſſime aſſeverant, & retulit nuper Berolini Dni. Præſidis, qui ipſe ibi ex hac laboravit febre, excellentiſſimus Menzelius, practicus experientia non minus quam eruditione commendandus, ſe intra aliquot annos ultra mille febricitantes ſine ullo recidivæ metu feliciter hoc cortice ſanaſſe. BOYLEUS *de militate philoſophiæ naturalis cap.* 1. *part.* 2. de febribus dicit, vix de centum unum hoc adhibito remedio non convaluiſſe.

Operæ autem pretium fore judico, ut modum agendi hujus excellentiſſimi remedii paulo accuratius inquiramus. Conſiſtere autem ille mihi videtur tum in materiæ febrilis correctione, tum in ejus juvanda e corpore expulſione. Jam autem in ſuperiori obſervatione fuſius explicatum fuit, prima potiſſimum in regione hærere & oberrare primam febris materiam, eamque in tenuiſſima acredine cauſtica irritante poſitam eſſe. Cum autem ſit naturæ volatilis ſpiculatæ, nihil ferme ejus alterationi vel immutationi quadrat, quam quod ex fixis, terreis, immobilibus partibus conſtat, hac mea ſententia irretire, ligare ac figere ſales taliſmodi tenues cauſticaque ſpicula optime poſſunt. Notiſſimum autem, corticem chinæ vel ipſo ſapore teſte plurimas cuſtodire terreas, fixas, cum ſubtili acido nuptas partes, unde ſaporis etiam & virtutis adſtringentis eſt; cum hiſce, ſi intime uniuntur & miſcentur peccantis materiæ atomi, ipſa hac unione defraudari ſua efficacia valde credibile eſt. Confirmatur hæc ſententia vel ex eo, quod alia ſtyptica adſtringentia ex fixa terra & acido compoſita ſimili fere virtute cum cortice chinæ in debellandis febribus vel earum paroxyſmis ſuſpendendis ſplendeant, ſicuti id notum eſt de radice pentaphylli, plantaginis, cortice fraxini, viſco quercino, radice & extracto tormentillæ, alumine, liquore martis ſtyptico, tinctura martis Haſſiaca, & hujus generis ſimilibus, non alia, ut cenſeo, ratione, quam figendo & liquando ſulphuream iſtam ſalinam tenuem cauſæ febrilis qualitatem. Quodſi autem evenit, ut incarcerata ſubſtantia hæc acris tenuis rurſus ſui juris fiat & a compedibus ſuis liberetur, de novo febris reſurgit: ita jam manifeſta eſt ratio, cur liberaliori uſu volatilium vel ipſius ſpiritus ſalis ammoniaci profligatæ jam viſæ febres de novo revocari queant; quod experientia certiſſime docet, & dudum quoque id animadverſum fuit a *Doctiſſ.* ETTMULLERO *in diſſ. de uſu & abuſu præcip.* Deinceps hujus aſſerti claritas vel exinde adſtrui poteſt, quod parvæ hujus remedii doſes tempore intermiſſionis exhibitæ febrium vehementiam vel mitigare vel derepente tollere ſoleant, quod neutiquam contingere poterit, niſi immediato contactu reſidens ipſis in inteſtinis febrile fomentum mutationem quandam a china ſuſcipiat. Eſt enim conceptu difficillimum, a parva taliſmodi doſi, ſi in toto corpore & ejus fluoribus oberret cauſa, illam ipſam poſſe alterari, præſertim ſi conſideremus, craſſiores & terreſtres chinæ partes non per venas lacteas, ſed tantum paucam, quæ extrahitur, ejus portionem tranſire ad ſanguinem. De cætero notum eſt, chinam chinæ in ſubſtantia longe eſſe efficaciorem, quam ſi ex ipſa infuſum, extractum, vel eſſentia paretur. Etenim talia facilius tranſeunt, nec diu morando in inteſtinis impetum febrilis materiæ coercere poſſunt, quod magis valet de ſubſtantia ejus craſſiori, fixiori & terreſtriori. Ex hiſce ulterius pateſcit, quare alia fixa, terrea, v. g. ſpecificum Strobelbergeri, Crollii, terra ſigillata, cornu cervi philoſophice præparatum, cornu cervi uſtum, corallia, maxime ſi cum acido liquore vel cremore tartari ad imitationem antifebrilis ſpecifici Kargeri miſceantur, ad paroxyſmos febriles tollendo tanta polleant efficacia.

Secundo loco cortex chinæ multum ſavet febrium ſanationi, quoniam excretionem & diſcurſionem ſeminis febrilis promovet. Præſtat illud ipſum tonum partium fibroſarum ac nervearum roborando. Cum enim, uti olim latius deduximus in *diſſert. de chinæ chinæ modo operandi, uſu & abuſu*, china chinæ principio agat conſtringente atque balſamico amaro, non poteſt non omnia corporis excretoria glanduloſa fibraſque motrices morbo nimium delaſſatas & a tono dejectas roborare ac vigorare; uno verbo ad promtiorem motum obeundum incitant; hinc excretiones peccantium humorum feliciores & expeditiores evadunt.

Nunquam autem ſecura & felix poteſt cedere febrium cura, niſi facta fuerit peccantis materiæ evacuatio. Jam autem ſæpius notatum fuit, Chinam Chinæ ipſam alvum initar purgantis exercuiſſe, ita ut non raro in praxi ad inhibendam hypercatharſin anodynis alvi fluxus debuerit cohiberi. Accidit etiam nonnunquam, ut non ſolum ſudor, ſed & urina copioſa poſt ejus uſum prodeant, teſtimonio SYDENHAMII & JONES *tr. de febribus.* Quin imo, quod rarius viſum, ſalivæ inſignis fluxus ab ejus uſu in febribus non una vice a Dn. *Præſide* notatus fuit. Feliciſſimæ autem operationis hujus remedii indicium eſt, quando excretiones ſubſequuntur liberaliores; ita enim non facile recidiva metuenda eſt. Nam aurea ſunt GALENI verba *Lib. 3. de Criſibus Cap.* 7. Si quis ſubito de morbo liberatur, omnino huic aliqua evacuatio effatu digna contingere debet. Experientia quoque docuit, ſi per chinæ uſum febres tolluntur citra evacuationem viſibilem, rem auſpicato non ſuccedere, cum certiſſime vel recidiva vel pejor morbus expectandus ſit; ut itaque recte & non in detrimentum magis febricitantium divino hoc remedio utamur, neceſſariæ ſunt quædam cautelæ: Primo non ſtatim in principio febris china chinæ eſt offerenda. Utiliſſimum enim eſt, præſertim iis qui ex plethora laborant, ut paroxyſmi quidam præcedant, quibus ſanguis depurari ac imminui egregie ſolet. Nihilominus & tali tempore non feriandum eſt, ſed ea, quæ fluxiles reddunt humores, poros aperiunt ſanguiniſque reſolutionem adjuvant, ipſo in paroxyſmo, ut natura in ſuo opere adjuvetur, propinanda ſunt, cui ſcopo ſervit egregie pulvis ex antimonio diaphoretico, ſale abſinthii, nitro compoſitus, æquales invicem partes miſcendo, de quo ſingulis 4. horis grana XII. vel XV. exhibenda ſunt. 2) Paroxyſmis quinque aut ſex finitis china chinæ cum mercurio dulci qui accommodatiſſimum febrium eſt purgans & cum arcano duplicato mixta propinanda eſt duabus vel tribus vicibus extra paroxyſmum. Inſigne enim ſtratagema eſt, cum ipſa chinâ chinæ talia miſcere, quæ excretiones promovent, nec tamen principio morboſo efficaciam quandam addunt. Quemadmodum autem omnia fere purgantia propter ſalis cauſtici, quo operantur, affinitatem cum materia febrili nocent, febremque augent, ita illud minime a mercurio dulci poteſt expectari. 3) Alvo ſufficienter aperta & bilioſo in copia excreto humore, quod etiam pulvere cornachini, ſi mercurius dulcis non placet, fieri poteſt circa ſeptimum paroxyſmum pulvis chinæ chinæ cum floribus ſalis ammo-

ammoniaci martialibus mixtus, qui præſtantiſſimam in coercendis febribus habent efficaciam, intermiſſionis tempore aliquoties & mox ante paroxyſmum offerri poteſt. Sudor utplurimum ſubſequitur largiſſimus, per multas horas durans, & hic feliciſſime ac ſecuriſſime febris expugnatur. Hac via ſi procedimus, non opus eſt, ut in tanta doſi china chinæ offeratur, qualis nunquam ſine ventriculi ſubverſione magnoque faſtidio accipitur. Deinceps hac ratione & correctioni febrilis materiæ & ejus excretioni invigilamus. 4) Chinæ chinæ uſus, ſive in electuarium redigatur, ſive cum ſale tartari & aqua deſtillata cum ipſa fiat infuſum, per duas ad minimum ſeptimanas adhuc continuandus & eſſentiis balſamicis ſtomachicis ventriculus roborandus, nec non a craſſo & pleno victu abſtinendum. Niſi enim continuetur per aliquod tempus cum hac medicina, ex voto non operabitur, utpote materia febrilis de novo ſemper ſuggeritur ex ſanguine. Quare rectiſſime MORTON continuatum & repetitum uſum commendat. Ita feliciſſime ſine ullo metu recidivæ vel pejoris morbi debellari poterit febris.

OBSERVATIO VI.

China Chinæ imprudenter adhibita maximum damnum afferre corpori poteſt.

CONſentiunt in eo ferme omnes Practici peritiores, quod nempe ex chinæ chinæ uſu intempeſtivo varia procreari poſſint mala. Ita *Cl.* ETTMULLERUS *de uſu & abuſu præcipit*; ſcribit, ſæpius chinæ chinæ aut Strobelbergeri, ſimiliumque ſpecificorum abuſu palliatæ febres duplicatæ aut triplicatæ reſurgunt, aut præter languorem totius diſpoſitionem ad icterum relinquunt, vel colicam convulſivam atrociſſimam concitant; & loco cit. §. V. ordinario abuſum chinæ alvi occluſio pertinax, tumor abdominis, ejuſque durities ac dolores tenſivi inſequi ſolent. Conferri in hanc rem merentur WILLISIUS *de febribus de febribus Cap.* 4. *pag.* 157. CHIFFLETIUS *de pulvere peruviano.* BARTHOLINUS *Cent. V. Hiſtoria* 50. SYDENHAMIUS *method. curandi febres pag.* 82. *& obſervatione circa morbos acutos pag.* 96. *&* PIENS *de febribus Part. II. cap.* 12. *p.* 275. Imprudenter autem ſecundum noſtram mentem exhibetur, ſi ſtatim in principio paroxyſmi opprimuntur in plethoricis & cacochymia bilioſa laborantibus, quibus talismodi intima febrilis commotio admodum proficua eſt. Deinde quando tertiana & quartana ex victu perverſo aut viſcerum obſtructione nata fuerit, ſi autumnalis fuerit, porro urinæ tenues & crudæ apparent, alvus adſtricta & cutis ſtipata eſt, adhibetur. Tunc enim recte ab hoc medicamento abſtinemus, & potius prius diſſolventibus ſalinis, balſamicis, amaris, attenuationem humorum & reſerationem obſtructionum adjuvamus.

DISSERTATIO MEDICA
DE
TUTA AC FELICI FEBRIS
QUARTANÆ CURATIONE,

Primùm edita Anno 1696.

§. I.

OMNIUM morborum naturâ ſuâ nullus tam lentus & contumax eſt, quam febris quartana, quæ etiam multorum ſeculorum decurſu in ludibrium tranſiit medentium, qui cum horrore ſemper quodam ejus ſanationem aggreſſi ſunt, quam deinde cum pudore iterum demiſerunt. Equidem varium ejus eſt ingenium, & una præ alia longe obſtinatior pro individuorum, climatis, anni, aliorumque varietate. Notarunt antiquiores, plures in annos ipſas protractas, modò triſti, modo felici eventu. JOHANN. RHODIUS *Cent. I. obſ.* 14. memoriæ prodidit, febrem hanc per tredecim, imo ad viginti duos annos duraſſe. GABELCHOVERUS *cent. 6. obſ.* 47. quartanam annos quadraginta octo durantem commemorat. Apud MARCELLUM DONATUM legitur *Lib.* 1. *Hiſt. Med. c.* 14. Thraſimenum Grammaticum ſupra quatuor & viginti annos quartanâ continenter laboraſſe, etſi continentiſſimus erat moribus, ſummâque ſobrietate. Nos autem hodierno tempore per Dei beneficium ac gratiam reſtitutâ orbi medico genuinâ philoſophia experimentali altius in cauſas morborum penetrantes, & præſentioribus remediis inſtructi præ veteribus etiam deſperatis ac rebellibus morbis medendi gloriam nobis vindicamus. Teſtis eſt præter alios morbos & ipſa quartana, quæ alioquin pertinaciſſimæ indolis, veterum curandi modum eludens, tuto jam & feliciter, & quandoque brevi tempore depulſari poteſt. Placuit in præſenti loco ſpeciminis inauguralis de hujus febris ingenio, cauſis ac geneſi curatius quædam prælibare, & poſtmodum brevem, tutam medendi viam ac rationem ſubnectere. Divina ſapientia ac gratia ex alto meditationibus & conatibus noſtris benigniſſime adſiſtat.

§. II.

Quidnam humorum ſanguiniſque motum ac im-

petum

petum in intermittentibus efficiat, & quænam genuinæ febrium & earum circuitus cauſæ ſint, diſputatio fuit inter Medicos plena diſſenſionis, & adhucdum maxime controverſa. Nos miſſis variarum circa hanc rem opinionum divortiis, quarum examen in aliud tempus forſan rejicimus, ex ſolo mechaniſmo ac craſi partium fluidarum corporis noſtri, febrium cauſas evolventes, & ipſius quartanæ generationem in præſentiarum adſtruere allaborabimus. Nimirum inconcuſſum medicæ veritatis tam in phyſiologicis, quam pathologicis fundamentum eſt motus ille in circulum abiens fluorum machinæ noſtræ vitalium, ex quo, ceu fonte, innumeræ veritates facillime detegi ac duci poſſunt. Hoc enim ſalvo & vigente tam vita quam ſanitas recte ſe habet, & ſimulac ille detrimentum ac vitium capit, vel in æquilibrio ſuo deficit, protinus actionum vitalium læſio vel morbus apparet. Cauſa primaria, & primum quaſi impellens, emboli vicem gerens, eſt ipſe cordis muſculus cauſa circularis ſanguinis, humorumque motus mediante ſpirituum animalium & ſanguinis elaſticâ virtute præditi influxu; ſecundario ad jugem hunc vitalem itum ac reditum totum ſyſtema muſculoſum ac fibroſum contribuit, cor influxum ſanguinis ad partes, reliqui muſculi refluxum ab ipſis præſtant; utrumque motu abſolvitur. Cor magis ſenſibili ac validiori, muſculorum genus per totum habitum diſperſum magis remiſſiori & minus ſenſibili gaudet. Ambo amice ad vitales actiones obeundas conſpirare debent. Unus alterius poſcit opem; in utroque ſi obſervatur æquilibrium & proportio, ſecundum naturam omnia fiunt; læſâ hac proportione ſtatus illico præter naturam præſens eſt.

§. III.

Quocirca prudenter illi Medici faciunt, qui tum ex ipſa humorum temperie ac craſi, tum ex motus ſanguinis influi & reflui, utriuſque circulationem abſolventis, natura ac indole morborum genuinas cauſas depromunt ac ducunt; quandoquidem principia hæc non vanis ſpeculationibus innituntur, ſed ex ipſa rerum natura fluunt. Secundum hæc principia, ac apprime circulationis ſanguinis ac humorum inæqualitatem febrium, alias perplexam & obſcuram doctrinam, etiam tractabimus, & quartanæ, quæ noſtræ conſiderationis eſt, cauſas eruemus. Nimirum in febribus, maxime intermittentibus, & illarum paroxyſmis, manifeſto conſpicimus circulationem ſanguinis inæqualem. Ineunte paroxyſmo extrema corporis & cutis, motu tonico facto validiori, ſpaſmodice conſtringuntur, unde oſcitationes, pandiculationes, tremores, rigor, horror, frigus, immanes artuum, pedum, & ſpinalis medullæ dolores contuſivi & oſteocopi, ventriculi & inteſtinorum everſiones, præcordiorum anxietates, quæ omnia effecta ſpaſmi ſunt, dependent. Fortiter ſic conſtrictis & coarctatis ſolidarum extremarum partium fibris influxus & refluxus ſanguinis in has non legitime & æqualiter fit, vel etiam prorſus ſanguinis influxus in ipſas ad tempus ſuſpenditur; & inde jam conſtat ratio, cur tempore rigoris ac frigoris cutis ariditas, corrugatio, ſudoris & tranſpirationis ſuppreſſio fiat, & quare venæ, quæ antea ſanguine turgebant, fiant minores, ſenſumque fugiant & ſummæ partes, naſus, pedum ac manuum digiti calore & colore ſuo deſtituantur. Extremarum hoc ſpaſmo contentum ibi fluidum reprimitur, & *reflui cuncti ſucci ſiunt*, ut veriſſime ſcribit HEURNIUS *in comment. ad aph. II. l. 1. Hippocr. ad centrum corporis; unde opprimitur anxiaque evadit reſpiratio ac alvina regio ab impuris ſuccis incurritur.* Etenim in majoribus vaſis plurimis colligitur ſanguis & motus & calor cordis ac arteriarum fit major; unde deſinente frigore celerior & citatior fit pulſus ſanguiniſque impetus, qui, cum per conſtrictos & anguſtiores ſummarum corporis cutiſque partium poros liberiorem tranſitum non habeat, eo celerius per anguſtiſſimas vias, anguſtiam compenſante celeritate, movetur. Inde ingens corporis incaleſcentia ejuſque habitus turgeſcentia, venarum inflatio, diſtenſio, cephalalgiæ, vigiliæ, humidi defectus in ore ac faucibus, urina pauca, incocta & ſalibus ſaturata dependent, donec impetu hoc ſanguinis remittente ſpaſmo liber & æqualis ſuus circulus reſtituatur, pori aperiantur, & materia hærens ibi vitioſa eliciatur, quod utplurimum fit mediante ſudore, qui paroxyſmum febrium ſolvit, ubi morbus omniaque ſymptomata evaneſcunt, cunctæque actiones ſecundum naturam iterum fiunt.

§. IV.

Hæc generalis intermittentium geneſis & idem fiendi modus eſt, nam differunt ſaltim ratione materiæ peccantis & ſanguinis dyſcraſiæ ac periodorum. Quemadmodum enim ſanguis ex elementis quatuor ipſo ſenſu teſte potiſſimum compoſitus eſt, nimirum ſubſtantia aquea, oleoſo-ſulphurea, ſalina, & viſcida mucilaginoſa: ſic, prout unum elementum præ alio magis abundat & ſuperfluum eſt, pro diverſitate temperamentorum, ætatum, anni temporis, eo facilius ad hujus vel illius febris generationem proclivitas & inclinatio eſt. In tertianâ duplici humor peccans magis mobilis eſt, & ſeroſæ ac acris indolis, in tertiana exquiſita ſulphureum oleoſum, in quartana acido-mucoſum principium peccat; unde hæc lentiſſima, quoniam ex humore minus mobili minuſque irritante pronaſcitur.

§. V.

Tardiorem autem in quartanariis eſſe ſanguinis motum & dyſcraſiam in humoribus ſive particularibus ſive univerſalibus adeſſe acido-viſcidam, plurimis ex phænomenis clarum ac perſpicuum eſt. Veteres hunc morbum fieri putarunt ex humore melancholico, ſeu melancholia aduſta, prima in regione putreſcenti. Per melancholiam autem intellexerunt acetoſam & viſcidam ſanguinis diſpoſitionem. Optime GALENUS *l. 3. de ſymptomatibus* perhibet, ex ſanguine non aliter melancholiam fieri, quam ex vino acetum. Invadit autem quartana maxime eos, qui melancholicum humorem, puta ſanguinem craſſiorem lentioriſque motus congeſſerunt. Hujuſmodi ſunt lienoſi, hypochondriaci, & qui olim alias febres erraticas & adurentes paſſi ſunt. Ob hanc cauſam veteres quartanæ ſubjectum ſplenem putarunt. Ipſe HELMONTIUS quartanam in ſplene veniſque illi contiguis hoſpitium habere ſcribit *lib. de Febr. c. 10. §. 6.* ſæpius etiam ipſi quartanarii circa regionem lienis tumorem & dolorem ſentiunt. vid. BONETI *Anatom. practica*, it. TIMÆUS *in caſu medicinali 6. it. 50.* Porro gignendæ huic febri talique ſanguini peccanti apti ſunt frigidi ac ſicci, qui gracili & glabro ſunt corpore, ætate conſtante, vel jam inclinante, qui curis & mœroribus confecti ſunt, ad actiones ſequiores, cibis olim addicti craſſis, terrenis, ac acidis fæculentis: ſuccreſcit etiam hic morbus præſertim autumno, regione cœlique ſtatu inæquali, quoniam tunc minus celer, qui omnia animat, vigorat, movet, motus ætheris eſt, adeoque tunc lentior humorum circulatio, evaporatio, & inde copioſior craſſorum humorum collectio.

§. VI.

Quod autem ulterius hac in febre craſſities humorum ad aciditatem etiam vergens delinquat, comprobant ſubſequentia phænomena, nimirum frigus hac in febre magis intenſum, contundens, quo corpus univerſum tremore concutitur, dentes hic ſtrident, articuli vero & oſſa quaſi pondere obteruntur, & ob id quoque pulſus acceſſionis initio multo quam naturalis languidior, minor, tardior, ac rarior, poſtea vero ſatis validus ac celer, & interdum inæqualis, calor autem non tam vehemens accenditur, uti in tertiana. Urina primis diebus tenuis, alba aquoſaque, poſtea vero & colore & contentis mutabilis. Tandem accumulationem ſordium pituitoſo-viſcidorum in ſanguine confirmant ſuppreſſio ſudoris, cutis ſicca, arida, item facilis quartanæ tranſitus, maxime diuturnæ, in melancholiam hypochondriacam, hydropem, icterum nigrum, morbum tabificum. Acidum primis in viis ſtagnare aperiunt acidi vomitus, appetitus fortior, & vires emeticorum ac purgantium ſuppreſſæ. Raro enim emetica vel etiam draſtica purgantia hiſce in ſubjectis operantur. In diſſectis cadaveribus quartanariorum ſanguinem craſſum lentum, corporaque alba reperiſſe teſtatur SCHENCKIUS. In omnibus febricitantibus ſcribit OLAUS BORRICHIUS *in Act. Haffn.* ſe ſanguinem reperiſſe pauco ſale volatili inſtructum. HELWIGIUS *obſ. 69. p.* 228. mentionem injicit quartanarii ſecti, qui prius ictero laboravit, ubi inventum fuit hepar & lien inſolitæ magnitudinis, utraque ſubdura, & tartarus lienis cellulis inciſis prodiit. Serum in abdominis cavitate ſtagnavit, & inteſtina lumbricis referta.

§. VII.

Fomes autem & minera, quæ vel ipſum ſanguinem inficit acido-viſcida dyſcraſia vel materiam vitioſam febrilem perſpirationi ineptam ſuggerit, quærenda potiſſimum eſt primis in viis, & maxime in canali illo magno alimentorum inteſtinali, inque tunica villoſa ac glanduloſa duodeni & jejuni, ubi valvulæ exſtant copioſiſſimæ, quæ, uti chyli celeriorem tranſitum per inteſtina paululum morantur, ſic quoque glutinoſam & vitioſam putridam materiam facile retinere queunt, qua deinde chylus tranſiens imbutus ac collutulatus ſanguinem inficit & deturpat. Sordes autem hæ irregulares ſanguiniſque mixturæ infenſæ ad corticem cutis mediante ſanguinis impulſu detruſæ ibi propter inconvenientiam pororum ſubſiſtunt, quos deinde infarciunt, ventilationem ac perſpirationem debitam prohibent, denique ſpaſmum (cujus ſemper beneficio ſpiritus illud, quod naturæ infenſum eſt, amoliuntur) iſtum febrilem excitant. Quod autem ulterius tranſpiratio vitiata vel ſuppreſſa ſordium excrementitiarum ſæpius unica cauſa febris ſit, condocet præter alia epidemica hæc febris, quæ a ſola aëris prava conſtitutione ortum ſuum ducit, & ſola perſpiratione reſtituta curatur. Epidemia talis fuit in Weſtphalia 1689. Memorat etiam SENNERTUS *de Febr. l.* 2. *c.* 20. *p.* 296. 1616. accidiſſe talem toti Germaniæ, & Wittebergæ tam familiarem, ut etiam infantes modo natos corriperet, & vix domus aliqua eſſet, in qua non quartanarius unus, vel etiam plures decumberent. Veteres pene omnes in intermittentibus accuſarunt prohibitam tranſpirationem, quæ poſita eſt in clauſione meatuum cutis; hæc autem fit ſecundum GALENUM 9. *meth.* 7. & 3. vel quia pori & meatus replentur, vel quia conſtringuntur, & dum caro inter meatus exiſtens conſtringitur, replentur meatus a viſcidis lentis craſſis ſuccis. Notandum autem hic eſt de quartanæ ingenio, aliam alia longe eſſe obſtinatiorem, & differre eam ut plurimum pro humorum varia diſpoſitione, nimirum ubi ex pravo victu vel diætæ vitio orta fuerit, facilius tollitur; item ſi ab affectibus ſeu motu animi efferaciori excitata fuerit. Ita etiam, quæ ab aëris vitio naſcitur, quia in omnibus individuis ſanguinis temperies ab aëre non tam ſubito vitiatur & in acido-viſcidam mutatur. Ex adverſo, quod ſi adoritur corpora ſegniora, craſſis & feculentis ſuccis infarcta, quæque obſtructionibus pancreaticarum vel meſaraicarum glandularum laborant, duram lienem habent, ibi longe difficilioris ſanationis, & multo obſtinatior exiſtit, eludens etiam præſentiſſima alioquin præſidia.

§. VIII.

Utut autem per ſe omnis periculi expers & ſecuriſſima ſit, neminemque facile per ſeſe jugulet, teſte CELSO *l.* 3. *cap.* 15. ſed potius a graviſſimis morbis, melancholia, epilepſia, lepra, liberet, vid. HIPPOCRATEM *l.* 6. *in Epid. tit.* 9. nonnunquam tamen calamitoſa viſitur, maxime ſi cachecticis & ſcorbuticis, item ſenibus ſupervenit & præpoſtera cura tractatur. Facile enim tunc in hydropem, aſthma, icterum nigrum, & ſuffocativum catarrhum, melancholiam hypochondriacam cedit; adeoque ejus cura recte & circumſpecte inſtituenda eſt, quam jam tradita exactiori morbi ætiologia eo facilius perſequi poterimus; cum enim juxta CELSUM *Præf. lib.* 1. *recte putamus curaturum, quem prima origo cauſæ non fefellit.* Primum itaque veram medendi rationem non ex cerebro natam, ſed firmis rationibus ſuperſtructam, longiorique uſu & experientia aliorum feliciſſimorum Practicorum, nec non noſtra comprobatam tradam; poſtea breviter ſtrictimque ſaltim perſtringam infauſtum vulgarem modum curationemque, & remediorum præpoſteram exhibitionem, quibus haud raro medicinam facientes ad magnam ægrotantium perniciem utuntur. Primo nimirum medentis intentio eſſe debet hic, vitioſam inteſtinis inhærentem materiam corrigere, & blande educere. Secundo obſtructiones, ſi in viſceribus ſunt, pertinaciores circumſpecte & potentioribus remediis reſerare, tertio perſpirationem toti corpori procurare, & ultimo mixturam ſanguinis turbatam reſtituere & tonum partium extremarum roborare.

§. IX.

Ante omnia Medicus omnem conferat operam ſtudiumque, ut primam alvinamque regionem expurget, & ibi reſidentem materiam, correctam tamen, expellat. Non autem huc quadrat omne purgans, ſed illud maxime indicatur, quod humorem acido-viſcidum, qui alias difficilioris purgationis eſt, ad temperiem reducit, & ad purgandum aptum reddit; quo ſpectat HIPPOCRATIS tantopere commendata coctio humorum atque purgantis acceptionem. Purgandus autem hic humor eſt per inferiora, quoniam eo craſſus amnis viam affectat. Veriſſime enim ſcribit HIPPOCRATES *in lib.* 4. *§.* 9. *melancholicos liberalius pleniuſque per inferiora purgabis.* Hinc paſſim in obſervationibus legitur, diarrhœas, imo dyſenterias quartanis ſupervenientes illas ſolvere, de quibus legi meretur obſervatio in *M. N. C. ann.* 9. *p.* 373. *decad. II.* item SCHENCKIUS *p.* 741. Quartanam feliciter cum decocto aperiente & purgante curatam vid. *in l.* 1. *obſ.* 1. THONNERI, item pulvere purgante *lib.* 1. *obſ. II.* Securiſſima autem hic ſunt purgantia leniora, corrigente ſimul qualitate prædita, v. g. folia ſennæ, rhabarbarum, epithymum,

mum, polypodium, &c. Solo infuſo foliorum ſennæ cum aqua & oleo tartari per deliquium inſtituto RIVERIUS feliciſſime ſe curaſſe quartanas, plus viginti obſervationibus confirmat. vid. *cent. obſervat. plures*. Oleum tartari per deliquium ſolutionem coloratiorem & ſaturatiorem extractionem præſtat, & acidum humorem ſimul mitigat. *Beatus* ETTMULLERUS *in diſſ. de uſu & abuſu præcipitantium* identidem hujus infuſi uſum magnificat. Poſſunt autem pro re nata huic certe addi laudatiſſimum centaurium minus, antifebrilium excellentiſſimum, tam vi obſtructa liberandi & evacuandi, quam corrigendi, item polypodium, rhabarbarum, helleborus niger, epithymum, fumaria, &c. Si quis infuſum aut febrile laxans in formula expetat, ſequens fidum expertumque commendari meretur:

Rec. fibrarum hellebori nigri,
radicis polypodii
foliorum ſennæ ſine ſtipite ana unc. j.
Herbæ abſinthii
centaurii minoris
trifolii fibrini
fumariæ ana Mj.
raſuræ ligni colubrini,
corticis citri recentis ana drachm. iij.
Tartari tartariſati, unc. jß.
ſpiritus ſalis ammoniaci, drachm. iij.
quo irrotentur ſpecies.

Infundi hæc poſſunt duabus menſuris vini, quotidie hauriendo tempore intercalari bonum hauſtum. Si potentius qui ad infarctus viſcerum liberandos quis reddere velit, adjiciantur aliquot drachmæ limaturæ martis. Præterea commendandi quoque ſunt clyſteres primis diebus. Alvus enim mollis ſemper eſt ſervanda. Et memoria tenendum, quod docuit GALENUS *l. ad Glauc. II.* & AVICENNA *I. quarti. tr.* 2. *c.* 64., nempe initio utendum eſſe mollibus clyſteribus, deinde deſcendendum eſſe ad acriores; inque quartanariis hoc maxime neceſſarium eſſe, quoniam ſuapte natura alvos mire adſtrictas ſemper habent.

§. X.

At vero ſi tenacitas humoris & obſtructionum vehementia fortius incidens ſimulque evacuans poſtulat, ex mercuriali proſapia illud petendum eſt. Mercurialia quippe recte & decenter præparata chronicorum radices firmiſſimas potenter exſtirpant, & partim gravitate ſua, & ab ea dependente fortiori motu inteſtino ſanguinis, partim tenuitate & ſubtilitate, vitream juxta veteres pituitam etiam in diſſitis & anguſtiſſimis locis conſiſtentem fundunt & diſſolvunt. Laudatiſſimus hic eſt mercurius dulcis cum auro fulminante, vel foliis ſaltem auri ſulphuriſque antimonialis particulâ, trituratus bene ac mixtus; puratus hac ratione non tam facile in conſortium arripit ſpicula ſalino-acida in fluoribus corporis noſtri undulantia, quibus junctis alias utplurimum corroſivam naturam induit. Ejuſmodi commatis eſt famigeratiſſimum illud Riverii, qui feliciſſimus quartanarum fuit depulſor, antiquartium, quod *beato* HOFFMANNO *docente in clave p.* 275. nil niſi mercurius dulcis eſt aſſociatus mercurio vitæ, cujus adjunctione hic emeticam ſuam valde amittit potentiam. Quod autem medicamentum hoc minerale fuerit & purgans, inde elucet, quoniam ſemper pene ſedes octo, decem, imo viginti excitavit, in diſpoſitis etiam nonnunquam ſimul vomitum, imo alvum poſt operationem ſemper fluidam mollemque ſervavit, quod mercurialium purgantium proprium eſt. Hoc remedio ſolo purgante unica vice, vel nonnunquam bis aut ter exhibito quartanas profligatas feliciſſime fuiſſe, teſtatur Autor plus viginti hiſtoriis, *vid. ejus Cent. obſervation.* Quandoquidem mercurius ſalivationem quaſi inſtituit inteſtinalem, glandulas illorum, imo pancreaticas, quarum in laterali obſtructione SYLVIUS intermittentium ſedem ponit, non ſecus ac in ore fit, ſtimulando, proritando & ſerum viſcidum fundendo. Salivationem mercurialem in quartana per 12. dies celebratam mirum laudat WILLISIUS *de Febr. p.* 198. Hinc etiam ſcribit Excell. DOLÆUS *in Encyclopædia medica*, mercurium dulcem cum arcano duplicato exhibitum raro ipſum feſelliſſe. Aurum fulminans commendat HOEFFERUS *l.* 3. *c.* 3. *p.* 257. *in Hercule medic.*

§. XI.

Quod ſi autem quartana chronica eſt, & ex viſcerum infarctu ac obſtructione pronata, obſtructa illa prius aperienda ſunt, viſciditates humorum diſſolvendæ, ſi feliciter ſuccedere debeat cura. Omne hic punctum abſolvunt martialia ſibi relicta, nullo acido tacta vel infracta, quæ & acorem primarum viarum quartanariis proprium deſtruunt, & tonum viſcerum labaſcentem blandâ ſuâ adſtrictione erigunt. Horum virtus autem exaltatur ſalibus deterſivis, v. g. ſale abſinthii, arcano duplicato, nitro fixo, nitro antimoniato, quæ partim diſſolvendo, partim ſtimulando in obſtructionibus reſerandis egregiam locant operam. Taliſmodi autem medicamentum majorem adhuc vim ac penetrantiam acquirit, ſi ipſi aſſocietur antimoniale ſulphureum, quo nomine laudari meretur regulus antimonii ſic dictus medicinalis, magnum in chronicis reſolvens, vel panacæa Glauberiana, quæ Connerdingiano jam nomine venditur, & nihil aliud eſt, quam ſulphur antimonii certâ encheireſi præcipitatum. Hæc refracta doſi cum martialibus & ſalinis mixta & circumſpecte in tempore exhibita imperato poſt ejus uſum motu obſtructiones potenter reſolvit, vitreamque pituitam in meatibus etiam remotioribus conſiſtentem fundit. Tale remedium apprime utile eſt illis, qui cachectica hypochondriaca habent corpora, & quibus altius inſidet morbus. Poſſunt etiam martialia ſub forma pilularum, ſi opus eſt, adminiſtrari, mixta cum aloe & gummi ammoniaco. Hujuſmodi pilulis per quindecim dies uſurpatis quartanas feliciter ſuſtulit in corporibus, ubi hypochondria tumida & ſcirrhoſa, dura, apparuerunt RIVERIUS, *vid. cent.* 3. *obſ.* 97.

§. XII.

Sublatis ſic obſtructionibus, quæ genuinæ quartanarum rebellium genitrices ſunt, ante omnia perſpiratio corpori, quâ ſuppreſsâ potiſſimum fiunt febres, libera concilianda eſt, quod accidit partim internis partim externis remediis. Diaphoreſis enim & ſudores febricitantibus bonos eſſe, unanimi conſenſu ipſi veteres, etiam ipſe HIPPOCRATES *Sect.* 4. *aph.* 36. teſtantur. Addit HEURNIUS commentario *in aphoriſ. p.* 251., illos ſudores maxime optimos eſſe, quibus nihil deſideratur in qualitate, copia, tempore, & excernendi modo, & qui manant toto corporis habitu & elidunt ſerum venis conceptum. Ratio hinc fluit, cur tempore æſtivo & verno, ubi corpora magis perſpirabilia ſunt propter ſubtiliorem aerem, facilius curationem quartanæ ſuſcipiant & non raro ſolo aere verno valde rebelles ſponte ſanationem recipiant. In autumno vel hyeme, ubi conſtricta magis omnia ſunt, tam reſpectu fluidarum, quam ſolidarum corporis partium difficillima eſt omnis curatio. Proſunt autem hic non dia-

phoretica fortiora, ſed quæ blande agunt ſimulque ſpiritualſcentiam ac ſubtilitatem ſanguini ac humoribus concilient, leniterque poros, ut blanda fiat diaphoreſis, aperiunt; hinc non ſimul & ſemel ac vi quaſi ægri cogendi ſunt ad ſudorem, ſed juvat magis talia exhibere intercedentibus diebus frequentius, ut hac ratione in continua quaſi ſed blanda diaphoreſi corpus ſervetur. Specificâ autem ac miti virtute conſpicua ſunt maxime amara, e. g. eſſentia vel extractum ſcordii, gentianæ, contrajervæ, abſinthii, centaurii minoris, tinctura tartari, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus ſalis tartari volatilis, crocus, camphora, diaſcordium Fracaſtorii, lapides cancrorum, ſalia fixa, item infuſum herbæ Thée, centaurii minoris, veronicæ, vinum calide aſſumtum cum theriaca ac lapidibus cancrorum, tinctura bezoardica media & volatilis, item ſalia volatilia cum momento opii mixta, bezoardicum minerale, cinnabarina, & quæ ſunt alia. Pro ruſticis & gregariis vulgo impenſe æſtimant ſuccum ſtercorum, nimirum columbini, ſuilli, anſerini, ſumtum cum vino vel ſpiritu vini. De egregio eorum effectu evolvi poſſunt *M. N. C. Decur. II. ann. 6. p.* 104., *it. Decur. II. anno IV. obſ.* 15. Quandoquidem hæc ſale nitroſo ſulphureo ſuo, quo pollent, fortiter ſudorem pellunt, & poros partium extremarum aperiunt.

§. XIII.

Extrinſecus ad poros cutis occluſos reſerandos, & ſerum ibi hærens eliciendum balnea & pediluvia tam ab ipſis veteribus, quam nonnullis recentioribus ſummo cum fructu adhibita fuerunt. Kozaccus *in Tr. de ſale* judicans in pedibus fermentum febrile latitare, præſcribit pediluvia, ſeu pedes uſque ad genua in lixivium tepidum juſſit immergere hora una & altera ante acceſſionem, immerſoſque in eodem cuſtodire; qua methodo ſe plures quartanas difficillimas feliciter curatas fuiſſe commemorat. Horum uſum commendat quoque Hagendornius *in M. N. C. dec. II. anno 6. obſ.* 144. item Wedelius *in Pharmacia acroamatica l.6. c.7. Sect.2. pag.* 512. Notabilem hiſtoriam, ubi per balneum curata fuit febris quartana, referunt quoque *M. N. C. decad. II. anno 9. p.98.* Knoefelius famigeratiſſimus Archiater ad quartanam propulſandam frequentiſſimo in uſu etiam habuit pediluvia ante paroxyſmum. vid. *Decur. I. anno 6. & 7. pag.* 172. Methodus Hippocratis ſanandi quartanam his verbis continetur: *In quartana pharmacon deorſum purgans bibendum dato; deinde caput purgato, poſtea rurſum infra purgato. Si vero his factis non ceſſet, interpoſitis duabus invaſionibus poſt purgationem multa calida ipſum lavato, & ſeminis hyoſciami magnitudinem in vino bibat. vid. lib. 2. de morb. p. m.* 130.

§. XIV.

Liberatis ſic obſtructionibus tam in primis viis, quam in corporis habitu conſiſtentibus ante omnia craſis & mixtura ſanguinis, quæ in febribus admodum turbata, eſt reſtituenda, ejuſque motus promovendus roborando amicis & lenioribus adſtringentibus ipſum tonum ac robur partium & viſcerum. Omne autem hic punctum abſolvit laudatiſſima & polychreſta jam China Chinæ, medicamentum revera divinum, omnibuſque antifebrilibus hactenus notis palmam præripiens, quod agit totâ ſua ſubſtantia, i. e. non juxta certas ſuas partes, ſed quatenus omnes hæ partes totum quid conſtituunt, quod variis indicationibus febrium ſatisfacit. Ex principio enim balſamico ſubtili reſinoſo, ſulphure amaro & ſubſtantia terreſtriori adſtringenti ipſe cortex hic compoſitus eſt, uti id longius deductum eſt *in diſſ. de Chinæ Chinæ modo operandi, uſu & abuſu, Excell. Dni Præſidis.* Nimirum cortex hic principio ſuo reſinoſo aromatico leviterque adſtringente mediante menſtruo ventriculi extracto ſanguinem non modo in mixtura ſua firmat, ſed & fibroſis partibus tam muſculorum quam cutis leniori adſtrictione ſua novum vigorem ac robur inducit, ne ibi amplius hærere queat vitioſa materia. Quod modum exhibendi attinet, optime datur in forma ſicca vel liquida. In forma ſicca vel ſolus pulvis, vel cum aliis antifebrilibus & maxime ſalibus mixtus, vel etiam in pilulis, quæ cum ſolutione tragacanthæ præparatæ minorem nauſeam creant, vel etiam in forma boli, ſi miſceatur cum Rob juniperi. In forma liquida offertur vel in infuſo cum vino aut Francico aut Rhenano, præmiſſâ leniori decoctione, vel in eſſentia, ſaturata tamen, cum tinctura tartari & ſpiritu vini tartariſato parata, vel etiam in extracto.

§. XV.

Tradita jam methodo rationali quartanas ſanandi reſtat jam, ut quaſdam cautiones circa uſum & applicationem horum remediorum ratione temporis, doſeos, individuorum, annectamus, cum potiſſima ratio medendi illis in ipſis verſetur. Nimirum 1.) nunquam fortioribus purgantibus, calidis, exſiccantibus, tractandi ſunt quartanarii, nec in principio, nec in medio, nec etiam ſudoriferis fortioribus. Facile enim horum intempeſtivo uſu in duplicem, imo continuam, & ſæpius lethalem tranſeunt. vid. Riverius *in praxi p.* 74. Sudorifera autem fortiora, maxime ante debitam purgationem, ſummas anxietates præcordiales, cephalalgias, ſoporoſos affectus, & purpuram in ſcorbuticis, imo inflammationes excitare queunt. 2.) Venæ ſectio in illis, qui plethorici ſunt, conſuetas habuere evacuationes ſanguineas, illas forſan ſuppreſſas, quique ſanguinis miſſionibus aſſueti, ſuadenda eſt, maxime in pede, & quidem morbi vel in principio, vel etiam in augmento. Quod ſi autem quartanæ diutius duraverint, viribus fractis, & cachectico quaſi reddito corpore omnes omittendæ ſunt. 3.) Vomitoria raro uſurpanda, niſi ad vomitum inclinent, nauſea adſit, & a pravo victu malum ortum. 4.) Ante debitam evacuationem & humorum diminutionem omnia elixiria, eſſentiæ calidæ, ſpiritus oleoſi, omniaque calida diaphoretica maxime ante paroxyſmum adminiſtrata longe ſæviora reddunt ſymptomata. 5.) Ante debitam evacuationem & pororum apertionem, ſanguiniſque ventilationem omnia adſtringentia, terrea, ſtiptica, ipſaque china cane pejus & angue vitanda ſunt, utpote quæ in febres lentas, in hecticam, hydropem, melancholiam hypochondriacam, cachexiam, facile præcipitant ægros, & recidivas pejores reddunt. Ante paroxyſmum autem adhibita, venis adhuc turgentibus ſuccis impuris, maximas anguſtias, anxietates etiam cardialgicas & ſyncopticas circa præcordia efficiunt. 6.) Poſt debitam humorum peccantium temperaturam & evacuationem in blanda diaphoreſi corpus ſemper tenendum eſt, qua viis factis apertis & urina mutationem paſſa, nempe craſſior evadit, medicamenta ex china propinari poſſunt. 7.) China chinæ debilioribus ſtomachis magis in liquida forma, robuſtioribus autem in forma ſicca offerenda eſt, & ſemper diebus intercalaribus pauca ſed ſæpius repetita doſi, ita ut ſingulis diebus, horis, doſis certa, ipſis individuis accommodata offeratur, ſi ſitis & calor intenſiſſimus cum nitro antimoniato dari poteſt, ſtatim autem a paroxyſmi declinatione offerenda ſunt remedia ex china chinæ. Nunquam danda eſt in plethora, tranſpiratione impedita, ubi alvus adſtricta, vel primæ viæ viſcidis humo-

humoribus turgent; nec unquam adhibenda eſt in paroxyſmo, vel etiam ante paroxyſmum. 8.) Chinæ chinæ uſus per ſeptimanam vel etiam duas continuandus eſt, & tunc nulla ſudorifera, calida, purgantia, vomitoria, turbantia, vel in uſu ejus, vel poſt ejus uſum, exhibenda ſunt. Si in ipſo paroxyſmo contractiones iſtæ ſpaſmodicæ pedum, medullæ ſpinalis, nimium torquent, externe antiſpaſmodica linimenta partibus affectis, item ſcrobiculo cordis, regioni abdominis applicari poſſunt. De uſu horum legi poteſt *obſ.* 180. *anni* 9. *Decuriæ II. M. N. C.* idem Hoeferus *in Hercul. medico l. 6. p. 360.* 9.) Cavendum maxime eſt in curatione quartanarum, ne victus craſſus, plenus, cibus copioſus, vel etiam potus copioſus ante acceſſionem, vel etiam ipſo in paroxyſmo aut intermedio tempore præbeatur. Quantum vero talis noceat, febrimque nutriat, dici vix poteſt. Hippocrates *ſect.* 7. *aph.* 62. dudum id notavit, dum inquit, ſi quis febricitanti dederit cibum, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit. it. *in aphoriſ. II. l.* I. in paroxyſmis a cibo abſtinendum eſt, nam ejus acceſſio damno eſt. Egregiam rationem tradit Heurnius in hunc aphoriſmum inquiens: eo enim tempore reflui ſunt cuncti ſucci ad centrum corporis, unde opprimitur anxiaque evadit reſtrictio, ac alvina regio ab impuris ſuccis incurritur. Si cibum tunc dederis, in impuritatem ille abit, ac diſtento hypochondrio pectus opprimitur. Unde anxia reſpiratio ac calor cordis major, præprimis autem ova in febribus nunquam danda ſunt, de quo vid. Montani *Conſultationem* 77. Nec panis copioſus, ex hoc enim plenitudo omnium peſſima eſt. vid. Mercurialis *Sect. I. l. de aëre p.* 46. Quare etiam quartanarii illi ſemper citius convaleſcunt, quibus appetitus minor eſt.

§. XVI.

Tandem omnes quartanarii blande ſunt tractandi, nec febris nimis maturanda & ſiſtenda eſt, nec etiam nimis protrahenda. Extrinſeca pulſibus vel plantis pedum applicata cauſtica veſicatoria, acria, dolorem excitantia, quando in declinatione febris eſt, remittit nimirum cauſa ejus ſubjugata, paroxyſmum avertere poſſunt, dum ſpiritus avocant a conſuetis cutis ſpaſmis ad alias motiones illos determinando. Quo ſpectat etiam ipſum opium, quod ſimili ratione tunc temporis exhibitum paroxyſmum fugare & ſiſtere poteſt; cujus tamen uſus peſſimus, quando vaſa diſtenta adhuc ſunt ſuccis craſſis. Poſtremo ad meliorem illuſtrationem & confirmationem illorum, quæ in ſuperioribus diximus, hiſtoriam quandam clinicam cum curandi methodo ſubnectere placet, quandoquidem medica praxis ſemper melius docetur per exempla, quam per morborum capita. Nimirum vir robuſtus, annum agens XLV. ſanguine craſſo copioſo præditus, ad vitam ſedentariam pronus, craſſo victu utens, facilis ad iracundiam, & mœrorem intrinſecum proclivis, ante annum ſanguinem emiſit ex hæmorrhoidibus. Menſe Octobri, quo multæ febres familiares erant, nulla præcedente cauſa extrinſeca cœpit inhorreſcere, laſſitudo occupat corpus, & artus quaſi contuſi ſentiuntur, mox evomit pituitam copioſam, viſcidam, viridem, præcedente inſigni anxietate præcordiali. Subſequitur calor totius corporis cum cephalalgia, cutis denſa & arida eſt, color urinæ naturalis, etiam finito paroxyſmo die quarto eadem repetunt ſymptomata. Medicus perſpiciens adeſſe quartanam, ſtatim ſpecifica opponit; nimirum juſſit quotidie uti elixirio amaro cum ſpiritu ſalis ammoniaci acuato ad ſexaginta guttas, & infuſum herbæ Thee in copia ante paroxyſmum. At vero hic longe erat ſævior, tam ratione doloris capitis, quam artuum & anxietatis. Medicus recurrens ad magis ſpecifica uſum chinæ chinæ ſuadet, illamque in ſubſtantia tam tempore intermiſſionis, quam acceſſionis exhibuit, ait inſigni cum damno; augebantur enim in paroxyſmo anxietates præcordiales, pectus quaſi oppreſſum erat, viribus magis proſtratis, interim continuatio fit cum china chinæ, alvus magis clauditur, & in paroxyſmo vomitus poſt ſummas illas anxietates fiunt majores, nonnunquam cum levi lipothymia, maxime ſi vomitus non bene cedit. Malo ſic brevi adaucto alius Medicus adhibitus eſt in conſilium, ille præpoſteram ægroti tractationem perſpiciens curam aggreditur longe alia ratione, & primum venam pedis juſſit aperire, effluxit ſic ſanguis ſatis laudabilis, mitiore ſic paroxyſmo ſubſequente, poſtea intercalaribus diebus infuſum ordinat leviter evacuans, quod conſtat ex foliis ſennæ, epithymo, taraxaco, paſſulis, tartaro tartariſato, & ſyrupo roſarum ſolutivo. Clyſteribus quoque mollientibus alvina regio ad expurgationem bene præparata fuit. Infuſo uſus eſt per unam ferme ſeptimanam: ipſo in paroxyſmo linimento nervino ſpina dorſi & pedes inuncti fuerunt; ſic dolores iſti contuſivi immanes leniores facti ſunt, mitior redditus paroxyſmus, urina ſaturatior, & ſudor poſt febrem largior, quam antea. Interpolata quoque fuit tinctura martis Zwolfferi mixta cum extracto centaurii minoris. Finitis ſic ſex ſeptimanis adhibitus fuit ſequens pulvis: *Rec. Limaturæ martis drach. ij. Chinæ chinæ drachm. iij. Mercurii dulcis, ſalis abſinthii, arcani duplicati, ana drachm. j. laudani opiati liquid. gutt. iij.* m. f. pulvis divid. *in doſ.* 12. De hoc pulvere omni die duo fuere aſſumti, mane & veſperi, poſtea mox lenior factus eſt paroxyſmus, & pulvere conſumto æger in conſtantem rediit cum morbo gratiam.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

EXHIBENS

OBSERVATIONES

CLINICAS CIRCA CURATIONEM QUARTANÆ,

Primùm edita anno 1728.

PRÆFAMEN.

EA temporum noſtrorum felicitas, ut nobis merito præ Veteribus gloriam difficilibus ac contumacibus morbis medendi vindicare poſſimus, poſteaquam per Phyſices experimentalis & Anatomes ſubtilioris ſcientiam, & pathologica de morborum cauſis doctrina in clariori luce conſtituta, & efficaciſſima generoſa proſtant morborum præſidia. Teſtimonio ex multis eſt ipſa quartana, morborum longiſſimus fere maximeque rebellis. De hac priſcorum ipſiuſque experientiæ fide conſtat, quod non tantum per plures hebdomades, nec per plures modo menſes, verum per plures etiam ſæpe annos, modo funeſto, modo auſpicato eventu, trahatur. Teſtem citamus JOANNEM RHODIUM, qui *Cent. I. obſ. XIV.* exemplum quartanæ, quæ per tredecim immo viginti duos annos, perſtitit, conſignavit. GABELCHOVERUS *Cent. VI. obſ.* 47. caſum refert de quartana, per quadraginta & octo annos affligente. Et MARCELLUS DONATUS *lib. I. hiſt. med. cap. XIV.* de Thraſymeno Grammatico narrat, quod ſupra viginti quatuor annos, quartana continenter laborarit, etſi moribus fuerit continentiſſimus ſummaque ſobrietate. Hinc jam pridem in Medicorum ludibrium abiit, ut ſæpenumero cum horrore ad medicationem acceſſerint & demum cum pudore eandem iterum dimiſerint. Nec tamen hoc adeo mirum. Veteres quippe vera morborum & præcipue illorum cauſarum notitia caruerunt, vires & modum operandi remediorum adæquatum ignorarunt ac efficacibus ad ſuperandam morborum pertinaciam ſufficientibus auxiliis fuerunt deſtituti. Paucis quoque fuit id, quod omnium febrium curandi ratio poſcit, exactum ſcilicet judicium, quum non una eademque methodo cunctæ, præſertim quartanæ, poſſint ſanari & individuorum aliarumque circumſtantiarum diverſitas novam & cuivis accommodam requirat medicationem. Jam vero ſublatum eſt hoc Medicorum ſcandalum, & quartana tuto nunc & feliciter, interdum etiam brevi tempore, depulſari poteſt, niſi quis generoſis auxiliis eandem aggredi & oppugnare gratis pertimeſcat. Quod ut teſtatius pateſcat, inpræſentiarum ego quidem utilem non minus quam civibus meis acceptum laborem me ſuſcepturum ſperavi, ſi reditum ad penates meditans, ſpecimini profectuum edendo truculentum hunc & in regionibus borealibus, maritimis, maximeque patria mea, frequentem admodum morbum eligerem, ac de ejuſdem genio, cauſis & ſecuro curandi genere curatius paullo diſſererem ac ſecundum ductum DN. PRÆSIDIS totam hanc doctrinam aliquot ampliſſimi uſus & in experientia fundatis obſervationibus comprehenderem ac illuſtrarem. Addat cœpto divina clementia gratiam uberrimam!

OBSERVATIO I.

VEtus & communis Medicorum error eſt: quartanam omnium febrium eſſe ſecuriſſimam neminemque jugulare. Etenim in nullo morbo, præter epilepticum, vel poſt venenum aſſumtum, tam graviter nervoſarum partium ſyſtema in univerſo corpore pati & ſpaſticis conſtrictionibus agitari, quam in hoc, uberius teſtantur ſæva illa pathemata, quæ ſubinde in ipſius acceſſione & paroxyſmo præſto ſunt. Sane immane illud partium externarum frigus, horror, rigor & tremor linguæ labiorumque, cum colliſione & dentium ſtridore, totius corporis pallor, unguium & faciei livor, difficilis & anxia reſpiratio, pandiculatio, capitis, lumborum, artuum & tibiarum contuſivus dolor, inquietudo, corporis jactatio, ſumma præcordiorum anxietas, tuſſis, corporis

ris laſſitudo, vomitus, nauſea, alvi cum ventris torminibus ſtrictura, mens emota, delirium formale, pulſus durus, contractus, celer, inæqualis, urina tenuis, ſtimulus ad mejendum & quandoque deſidendum, cutis arida & ſicca, quid aliud arguunt? quam graviſſime læſum & præter naturam ſpaſmis affectum eſſe univerſum nervoſarum partium ſyſtema. Deinceps ipſius experientiæ ſuffragio conſtat: quartanam infantibus, præſertim ſi laborantis, vel medentis acceſſerit error, ſæpe eſſe funeſtam, dum cum epileptico, uti aliquoties vidimus, inſultu accedit, vel lethali eventu in eundem terminatur. Senili quoque ætati admodum infenſus eſt hic morbus, & aliquot ſub ipſo frigoris paroxyſmo mortuos novimus, nullo æſtu, ſed ejuſmodi pathematibus ſubſequentibus, quæ venenum aſſumtum comitari ſolent. Hinc Riverius *de febr. cap. de quart. p. m.* 74. tradit: quod ſenes, qui ſexageſimum annum ſuperarunt, quartana correpti, plerumque moriantur; licet hoc aſſertum non perpetuum ſit, ſed contrarium per ipſam, tum nobis, tum aliis conſtet experientiam. Gravior præterea hic morbus majuſque periculum metuendum, ſi ab inordinato & ſævo animi affectu, terrore, aut ira ſuſcitatus fuit, præſertim in ſenibus; ipſi quoque hi animi impetus multum exacerbant paroxyſmos, eo quod immediate & proxime nervoſarum partium genus afficiunt & ſpaſmis inducendis infeſti ſunt. Nulla demum febris eſt, quæ tam facile, inprimis ſi perverſa medicatione excipiatur, diſponit ad longos & immedicabiles chronicos morbos, hydropem, cachexiam, morbum nigrum, melancholiam hypochondriacam, icterum nigrum, paralyſin & id genus alios, quam quæ quarto quovis die impetit. Atque adeo non levis & periculi expers habenda, ſed magnam in medente diligentiam, circumſpectionem & prudentiam deſiderat.

Observatio II.

Rariſſimæ ſunt febres quartanæ, quæ a cauſis internis proxime gignuntur, ſed familiariſſimæ, quæ a cauſis externis, & maxime aëris diuturno præternaturali ſtatu naſcuntur, adeoque epidemice graſſantur. Confirmat hoc experientia, qua conſtat, quartanas rarius unum vel alterum, ſed certis temporibus plures ſimul corripere, tum ſcilicet, quando æſtas præceſſit præter morem admodum calida & ſicca. Sennertus jam *de febb. lib. II. cap.* 20. *pag.* 296. auctor eſt, anno cIↄIↄxvi. poſt æſtatem nimis fervidam, totam Germaniam invaſiſſe quartanam, ac Wittebergæ potiſſimum tam fuiſſe frequentem, ut etiam infantes modo natos corripuerit, & vix aliqua fuerit domus, in qua non unus, vel plures quartanarii decubuerint. Idem teſtatur Bartholinus *Cent. I. hiſt. anat.* 95. memorans: anno MDCLII. præter morem & cœli ſub quo degit conſuetudinem, aërem æſtate fuiſſe calidiſſimum & ſicciſſimum, tumque quartanam populares maxime habuiſſe circuitus. Ipſe Dn. Præses anno MDCLXXXIV. obſervavit, in Weſtphalia Majum, Junium, Julium & Auguſtum, tum ſicciſſimos & calidiſſimos menſes, attuliſſe quartanas tam atrociter graſſantes, ut nullæ fere ædes ab iiſdem tam in urbibus, quam pagis, fuerint immunes. Sunt etiam in recenti adhuc memoria ſuperiores anni MDCCXIX, MDCCXXVI. & MDCCXXVII, quibus ob eandem aëris intemperiem, febres anomalæ varii generis, nullum typum ſervantes, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, ſimplices & duplices, nec non continuæ, multos epidemice infeſtarunt. Hinc recte utique cum Hippocrate *Sect. III. aph.* 21. quartanæ æſtivis morbis accenſendæ, & perperam in ſcholis medicis earundem geneſis ſoli autumno tribuitur, licet ipſæ ſubſequente frigidiori aëre, Septembri vel Octobri menſe, demum prodeant.

Observatio III.

Error eſt, in omni quæ quarto die redit febre, infarctus viſcerum abdominis, potiſſimum lienis & hepatis, præſto eſſe, & cum acido-viſcidis humoribus, potiſſimam ejuſdem præbere cauſam. Illa potius quæ motus febriles ſpaſticos ſuſcitat in nervoſo & vaſculoſo genere materia, uti in omni febre, ſic etiam in quartana, activæ indolis & cauſtica quadam imbuta eſt acrimonia. Hanc vero adeſſe plura ſunt quæ confirmant. Etenim æſtivus, uti modo evictum dedimus, morbus eſt quartana, æſtas vero, vel omnium conſenſu, bilis copioſæ & acris proventui velificatur. Dein eodem, quo quartanæ epidemice graſſantur, tempore tertianæ quoque continuæ, nec non dyſenteriæ invadere ſubinde ſolent, luculento indicio, cauſam omnium eſſe eandem, copiam nempe recrementorum acrium & bilioſorum, ſub æſtatis fervore in corpore genitorum. Tum tertiana, quam bilis acris ſobolem eſſe tantum non omnes dicunt, facile tranſit in quartanam, quartana vero ſimplex, acrium, calidiorum & ſudoriferorum, nec non purgantium uſu, in duplicem haud raro, ob ſubtiliorem redditam inde magiſque penetrantem bilis acrimoniam, mutatur. Accedit, quod ſuperveniente ſcabie ſicca, vel etiam humida, aut ulceribus, vel defluxionibus ſalſis obortis in pedibus, motus hi febriles conquieſcant, protinus autem redeant, quam primum ulcerationes & hæ materiæ acris excretiones ſalutares improvide externis ſiccantibus & adſtringentibus cohibitæ. Ne dicam inter exempla eſſe, pueros, qui accedentibus quartana adhuc durante variolis, hanc evaſerunt. Demum non tantum viri conſiſtentis ætatis & ſenes, verum etiam infantes, pueri & juvenes, qui tenuem ſanguinem & fluxiles humores in venis alunt, promtumque adhuc horum per viſcera abdominis progreſſum habent, quartana, præſertim epidemice circumeunte, prehenduntur. Notavit hoc Mercurialis quoque & de Imperatore Augusto *prælect. Bonon. pag.* 198. memorat, eundem decimo ſeptimo ætatis anno jam quartana laboraſſe. Quin noſmetipſi novimus, puerperas quartana detentas, infantes eodem ſtatim poſt partum conſpicuo morbo affectos, in lucem edidiſſe.

Observatio IV.

Quemadmodum una eademque morbi cauſa, pro diverſa conſtitutione ratione partium ſolidarum & fluidarum in corpore, diverſa ſymptomata inducit: ita idem hoc etiam obſervare licet in quartanis, quando populariter graſſantur. Videlicet, ſi poſt nimium æſtatis fervorem incidunt in corpus juvenile & agile, paroxyſmus diutius durat, æſtus maxime intenſus in liberalem ſolvitur ſudorem, ſitis quoque & inappetentia magis urget. Ubi cacochymica diſpoſitio & materia purpuræ, jam adeo frequentis, ſimul ſubeſt, pathematibus longe acerbioribus incedit, major virium eſt proſtratio, vigilia, mentis emotio, præcordiorum anxietas ac purpura demum prodit, qua levi ex cauſa retrocedente, febriles paſſiones increſcunt graviuſque affligunt. Quando venæ copioſo & craſſo ſanguine, ob vitam ſedentariam victumque craſſum & durum, refertæ, hypochondria vitio laborant, corpus ſenile eſt & diuturnior animi triſtitia præceſſit, periculo, uti *obſervatione I.* diximus, non vacat, ſed longius extrahitur & non modo in ægrotante exquiſitam victus & vivendi rationem, ſed & in medente circumſpectum, in adminiſtrandis congruis debito ordine & tempore remediis, judicium poſcit,

poſcit, ne in longos & capitales tranſeat morbos. In ſubjecto, viribus per ſenium, valetudinem, pravam vitæ rationem, aut animi pathemata exhauſto, facile fit continua, virium poſt paroxyſmum languore, cum pulſu frequenti, lento calore & appetentia proſtrata, nec non urina ſedimento carente alvoque ſicciori dignoſcenda, nec periculi expers eſt. In puerili ætate facile repetere ſolet, imbecille quoque & cauſarium reddit corpus, eo quod non modo teneri hi ægri ægre medicamina aſſumunt, nec legibus diæteticis rite obtemperant, ſed & ventriculum cruditatum ex victu minus ſalubri proventui aptum, & habitum corporis laxum ad ſiſtendam allabente frigida humida aura perſpirationem, dipoſitum, obtinent.

Observatio V.

Pervulgatus in prognoſi intermittentium, ac præſertim quartanæ, error eſt, malum & periculum ægris imminere, quando anomalæ ſunt, typum non ſervant & vagis, non certis, temporibus redeant, vel etiam ſi ex ſimplici duplex, vel triplex fit. Contrarium certe quartanæ, quæ ſuperioribus annis noſtras regiones afflixerunt, uberrime confirmarunt, & multiplici experientia Dn. Præses graſſantibus anno MDCLXXXIV Mindæ in Weſtphalia quartanis edoctus eſt, longe citius illas diſceſſiſſe, quæ typum non ſervarunt, ſed alia atque alia facie invaſerunt, quam quæ una ſerie uno eodemque inſultu infeſtarunt. Idem notavit Bartholinus & *Cent. III. hiſt.* 55. diſertis ſic ſcribit verbis: *quartana, ubi ægrum læto omine eſt relictura, varium induit typum variaſque inſtar Prothei formas; conſtans vero ſi eſt, & ſemper eodem tenore affligit, ſive ad interitum vergit, ſive gravioribus ſymptomatibus, hydrope, phthiſi, &c. ſui abſentiam eſt recompenſura; ſi vero ſalutis ſpes eſt, variat vices.* Refragari quidem videtur huic aſſerto Celsi auctoritas, qui *lib. III. cap. XV.* hæc prodidit: *quartana neminem jugulat, ſed ſi ex ea facta quotidiana eſt, malum.* Verum quam quotidianam nominavit noſter, procul dubio eſſe voluit continuam, quæ omnium multum, uti meminimus, periculi alit. Contra ea duplex quartana, quando bini paroxyſmi uno impetunt die & ſubſequentes ambo dies, vacui ſunt, non adeo metuenda. Quartana quippe ſi diu eodem gradu eodemque typo perſiſtit, fovetur utique quam maxime a ſanguine & ſucco craſſo lentoque, nec tam facile mobili, qui ad infarctus viſcerum & glandularum obſtructiones promtior eſt, quam ſi humores ſunt acres quidem & bilioſi, tenuiores tamen & ad emotionem magis promti. Dein præter illam proximam, quam cum tertiana ſimplici & duplici communem habet cauſam quartana, bilioſam nempe ſuccorum acrimoniam, adeſt etiam quædam humorum viſciditas & lentus ſanguinis per totum corpus, maximeque abdominis viſcera, progreſſus; crebriores vero paroxyſmi, ſi rite decurrunt, ejus ſunt indolis, ut ſuccos ſubſiſtentes concutiant & diſcutiant, lentos viſcidoſque diſſolvant, eaque propter non tantum periculi metuendum, quando numero plures ac repetiti inſultus præſto ſunt, quam ſi torpidior natura ſegniter motus adminiſtrat, nec adeo vegete ſpiſſeſcentes & ſubſiſtentes pravos ſuccos amolitur. Supervacaneus hinc metus eſt, quando ex quartana ſimplici & conſtanti rariori intenſo frigore ſtipato paroxyſmo, a medicamentis, non quidem nimium calefacientibus, ſed amaricantibus & perſpirationem elicientibus, crebriores acceſſiones ſunt factæ.

Observatio VI.

Quartana, uti omnis intermittens, ſi rite decurrit atque excipitur, remedio ſæpe eſt & adverſus morbos præſidio. Id enim jam a priſcis temporibus per experientiam in comperto, eandem ab aliis morbis defendere ipſiuſque artis principes Hippocrates, Asclepiades, Galenus & Celsus, prodidere, ſe eodem pro remedio uti. Potiſſimum teſte Hippocrate liberat a morbo comitiali aliiſque convulſivis motibus, nec non, uti *lib. VI. epid. tit.* 7. aſſirmat, a melancholia & lepra. Obſervatum quoque fuit, corpora a quartana firmari ſolidaque majus adipiſci robur, ut non tam facile rurſus morbis pateant. Hinc Cicero *ad famil. lib. ult. epiſt.* 10. ſcite ſcribit: *ſed quando in quartanam converſa eſt vis morbi, ſpero, te diligentia adhibita, etiam firmiorem fore.* Et Gellius *noct. Att. lib. XVII. cap. XII.* ex Platone hæc habet: *quartanam paſſos convalere, vires integras recuperare, fidelius conſtantiusque poſtea valentes.* Magnæ itaque prudentiæ eſt, noſſe, quando & quomodo abigenda ſit quartana. Quandoque enim apprime pro ſanitate eſt, tantiſper ipſam ſinere, nec cito paroxyſmos reprimere. Scilicet, quando metus eſt infarctus & obſtructionis in interioribus, nihil pernicioſius, quam adſtringentibus, vel ſopientibus febriles motus cohibere. Convenientibus potius remediis, præſertim amaris, aperientibus decoctis & vinis medicatis, naturæ opus ſecundandum & ſalutares hi ad expediendas obſtructiones motus ſuſtentandi, quin quodammodo augendi, maxime in iis, qui ex victu duro & craſſo, vita ſedentaria excretionumque ſanguinearum ſuppreſſione, eoſdem incurrerunt. Nam ſi languidiores, tardiores, remiſſiores, minuſque ſufficientes ſunt & tamen diu durant, chronici ex viſcerum vitio morbi, inde plus ſæpe incrementi, quam decrementi ſortiuntur. Tanto vero magis circumſpectio adhibenda, ſi hæc febris ab aëre æſtivo ſervidiori genita, medio demum Auguſti prodit & per hiemis decurſum perſtat. Tum quippe ob aëris humidiorem & frigidam conſtitutionem, æthere vividiori & calidiori deſtitutam, attenuatio, exaltatio & ſpirituaſcentia ſanguinis depreſſa, liberiorque perſpiratio prohibita fuit, & ipſa jam febris diuturnitas indicio eſt, ſubeſſe ſimul lentorem ſeri ac lymphæ tardioremque ſuccorum per canales & ductuum anguſtias motum. Semper igitur in curatione quartanæ individuorum ratio habenda & videndum: num ingens adſit humorum craſſities, major vel minor ad infarctus & obſtructiones diſpoſitio, & an viſcera magis, vel minus vitio laborent, ne præpoſtera medicatione & motuum ſuppreſſione augeantur hæc ac detrimentum inducatur. Nam qui quartana moriuntur, utplurimum hydrope, phthiſi, tympanitide, aſthmate ſpaſmodico, vel febre lenta decedunt, & poſt mortem ſecti, conſpicuum & ſuccorum & viſcerum exhibent vitium. Teſtis inter alios eſt Schenckius, ſe in venis eorum, qui hoc morbo vita functi, cruſtam albam pituitoſam repériſſe, & in quartanarii, qui ictero prius laborarat, cadavere, hepar & lien inſolitæ magnitudinis, utraque ſubdura, tartarum in ſucciſis lienis cellulis, ſerum in abdominis cavo ſtagnans, & inteſtina lumbricis referta fuiſſe, prodidit Helwig *obſ.* 69. *pag.* 228.

Observatio VII.

Quamvis intermittentes, & quartanæ etiam, nonnullis corporibus præſidio ſint, adeoque non temere ſiſtendæ, vel cohibendæ; ea propter tamen, minime ſemper quartanæ curam diutius extrahendam, cenſendum eſt. Magni utique momenti & ardua res eſt quartanæ curatio, & hæc vel ſola ſufficit ſagacioribus ad cognoſcendam medentis peritiam atque judi-

judicium. Etenim ſi ullo in morbo, certe febre quæ quarto redit die, prudentia adhibenda & morbi cauſa corporiſque ægrotantis conſtitutio curate inveſtiganda, eo quod non in omnibus una eademque methodo, nec iiſdem remediis oppugnanda, ita prorſus, ut quod uni prodeſt, alteri ſæpe graviter noceat. Hinc recte & perite tractata in purgatoriam & roborantem ſæpe cedit medicinam; præpoſtera vero medicatione excepta, tantam inferre poteſt perniciem, ut ægri in grave diſcrimen ipſumque interitum adducantur. Fundamentum autem curationis verſatur in remotione cauſæ, quæ febriles motus ſuſcitat. Hæc ſi ita eſt comparata, ut non ſolis medicamentis expugnari queat, ſed motuum febrilium miniſterio in paroxyſmo ſimul ſit excutienda, imprudens utique molimen eſt, per ſedativa & adſtringentia eoſdem compeſcere velle ac ſiſtere. Contra ea, quando hæc febrilis materia brevi tempore contemperari poteſt atque expelli, ut poſthac nullum detrimentum accedat, ſed integrum & ſalvum reddatur corpus, nulla utique valida ſubeſt ratio; propter quam febris impetus non ſit componendus, ſed cura differenda. Prius tum maxime tenendum eſt, ubi quartana, præſertim autumnalis, prehendit corpus, ſuccis impuris craſſis repletum, craſſo ac pleno, duro ac ſalſo victu utentes, ſub cœlo frigido & humido degentes, corpus minus exercentes & hæmorrhoidum, vel menſium ſuppreſſione laborantes; in quibus cura non tam prompte & facile expediri poteſt. Poſterius vero ex voto ſuccedit in iis; qui agile, juvenile, antea ſanum & gracile obtinent corpus & a præternaturali tantum aëris nimis calida conſtitutione prohibita ſimul perſpiratione & accedentibus ex male digeſto cibo cruditatibus, febrem nacti ſunt. Egregium igitur Celsi eſt monitum *lib.* 3. *cap.* 15. præcipientis: *cum quartana tarde admodum finiatur, niſi primis diebus diſcuſſa eſt, diligentius ab initio præcipiendum eſt, quid in ea debeat fieri.* Teſtatur certe *Dn.* Præses, ſe multoties ſtatim in principio tertianas & quartanas, ſuperatis vix quatuor vel quinque paroxyſmis, tuto ac feliciſſime debellaſſe, præmiſſis ſcilicet, ſi opus fuerit, emeticis, vel aliis primas vias blande expurgantibus remediis, & oblato poſtea debita doſi, proportione ac tempore, congruo medicamento roborante, cujus baſis cortex chinæ, injuncto demum eo vitæ regimine, ut liberati tantum ad aliquod tempus frigus humidum, ventos ſeptentrionales, cibum crudum & gravis materiæ nimiamque corporis fatigationem vitarent. Novimus quoque ſpaſmos & ſæva ſymptomata, a copioſis bilioſis acribus primam regionem obſidentibus recrementis, in imbecillibus, præſertim feminini ſexus perſonis, oborta & quotidie fere revertentia, brevi tempore medicamentis temperantibus, nitroſis, leniter laxantibus, vel etiam emeticis, ac poſtea electuario cum cortice chinæ rite adhibito, ſine omni noxa penitus fuiſſe ſublata. Viciſſim plurima nobis innotuerunt exempla, ubi Medici initiante febre cauſis ipſius tempeſtive occurrere ignorantes, copioſis purgantibus, viſcidos humores attenuantibus, ſalinis & deterſivis, nec non diaphoreticis, ſudoriferis, præſertim eſſentiis alexipharmacis; medicationem exorſi, febrem non modo diuturnam effecerunt, ſed & pereunte ſomno, appetentia ac nutritione, corpori ſubtraxerunt vires, ut ægroti durante virium languore, diu cum ſanitate in gratiam non potuerint redire. Etenim per diutius extractam, præſertim auctiorem & longiori paroxyſmo invadentem febrem, ſummam ſucci concipiunt dyſcraſiam, quin, ſi humores tenues ſunt & bilioſi, tota ſanguinis & humorum maſſa diſſolvitur, & purpura, uti ſuperioribus annotavimus annis, excluditur, vel etiam quando idonea non applicantur præſidia, partes ſpirituoſæ, roſcidæ, nutritiæ avolant, & relictis craſſioribus, lenteſcunt ac corrumpuntur ſucci, ad morbos poſtea chronicos diſponentes.

Observatio VIII.

Venæſectio in intermittentibus & quartana anceps eſt remedium, ac inſignem Medici exigit prudentiam. Quando enim ſine indicatione, nulla urgente plethora, vel ſanguinis ſubſiſtentis ad alias partes derivatione, vel diſcuſſione, adminiſtratur, efficit, ut ſanatio fiat difficilior & ſpaſmi febriles acceſſionis tempore increſcant. Inſignem vero præſtat ſæpe utilitatem in quartana contumaci, quando ob ipſam febris diuturnitatem, viſcera abdominis ſanguine tenaci & craſſo ſunt infarcta. Neque inutilis eſt ſanguinis miſſio in inferioribus inſtituta, in quartanariis, qui hypochondriaco laborarunt malo & hæmorrhoidalis fluxus inordinatum, vel plane ſuppreſſum experti ſunt ſucceſſum. Virum novimus conſiſtentis ætatis, & hæmorrhoidum fluxui aſſuetum, quartana ſex & quod excurrit menſibus detentum, qui fruſtra datis multis & probatiſſimis etiam remediis, ſola venæſectione in pede admiſſa, a rebelli morbo fuit liberatus. Idem teſtatur Zacutus Lusitanus, fidem faciens, plures ſanguinis ſubtractione e quartana levatos, alios prorſus immunes evaſiſſe a morbo, qui non ceſſerat multis antea adhibitis præſidiis. De monacho quodam quartana per quindecim menſes afflicto, narrant *M. N. C. Dec. III. Ann. IX. obſ.* 59. quod adhibitis incaſſum omnibus, tandem phlebotomia feliciter convaluerit. Potiſſimum Botallus multus eſt in commendanda venæſectione hoc in morbo, & eandem, ſecus quam Galeni aliorumque Medicorum placita ferunt, etiam repetere, quin tum quoque quando hydropis metus, inſtituere jubet, idque multis & rationibus & exemplis confirmat. Multi quidem alia omnia volunt, & hanc ſententiam veluti paradoxam rejiciendam eſſe cenſent: ſed conſideranda morbi tempora, ipſa corpora, vires & fluidorum ac ſolidorum diſpoſitio, tumque lis facile poterit dirimi. Hinc Chesneau cum diſtinctione hoc remedii genus recte admittit & *obſervat. pag.* 440. venæſectionem in malleolo inſtituere præcipit, declinante febre, nunquam in principio. Quod ſi vero unquam, certe in gravidis quartana correptis neceſſarium eſt, ut ſanguis ſubtrahatur, ne abortum incurrant, idque ſummo cum fructu factum eſſe multis exemplis confirmatum habet Dn. Præses.

Observatio IX.

Emetica, cum ratione uſurpata, etiam in quartana uſu non deſtituuntur. Scilicet materia ac febrilis fomes prima in regione maximeque ſuccenturiato illo ventriculo, duodeno, hæret, ex corruptis, bilioſis acribus ſalſis ſuccis ob perſpirationem aliasque excretiones ſufflaminatas conflatus, ac per ductus biliarios & glanduloſos eo delatus, cruditatibus ciborum mixtus & in flexuris inteſtinorum diutius moram nectens, deteriorem adhuc indolem nervoſis partibus maxime infeſtam contrahit. Hinc dein vitioſa hæc materia ſucceſſive per venas lacteas & lymphaticas ad ſanguinis & humorum maſſam, & cum his ad membranas cerebri, ſpinalis medullæ, ventriculi & totius corporis advehitur, ac univerſalem ſpaſmum, qui febrium eſſentiam conſtituit, ciet; per motum vero ſanguinis & inteſtinum calorem auctiorem, ex nervoſis hiſce partibus diſcutitur iterum, ſpaſmi remittunt febriſque ſilet, donec certo quo-

dam interpoſito tempore, de novo iterum ad latibulum prius confluant pravi ſucci novumque ſuſcitent paroxyſmum, uti quidem Dn. Præses, quod ſine oſtentatione dicere licebit, primus omnium, hanc produxit ſententiam, & quoque in *diſſertat. de recto corticis chinæ in febribus uſu*, pluribus expoſuit. Quum itaque materialis febris cauſa primis in inteſtinis maximeque duodeno hoſpitetur; optimum omnino illud eſt auxilium, quo breviſſima via eliminatur, antequam ſanguinis ſinum ſubeat & nervoſum ſyſtema afficiat. Perficitur vero hoc quam optime per emetica, quippe quæ non ſolum ſentinam illam e latibulis per ſuperiora compendioſa via exturbant, ſed etiam bilioſos, pancreaticos & glanduloſos ductus ſimul concutiunt atque ex iiſdem impuros ſuccos exprimendo, ſubtrahunt materiam fomiti febrili denuo colligendo aptam. Hoc nomine Simon Paulli cum aliis, nec non Rulandus, mirifice commendant radicem, vel etiam folia aſari, quia ipſis ſimul inſit vis quædam roborans & aromatica. Noſtris vero temporibus palmam merito omnibus præripit radix hypecacuanhæ, quæ pariter & ſtimulantem, & roborantem, & aromaticam poſſidet facultatem, omniumque tutiſſimum eſt vomitorium. Hæc in ſubſtantia ad drachmam dimidiam cum aliquot tartari vitriolati granis oblata, egregii eſt uſus, ac plura novimus exempla, quotidianas, tertianas & quartanas febres conquieviſſe, præmiſſa hac emetica medicina & uſurpatis poſtea aliquot doſibus electuarii noſtri roborantis. Nec ſilentio prætereundum, nos multoties in quartanis & quidem rebellibus, brevi tempore perſanandis, ſpectatam deprehendiſſe virtutem emeticorum, quæ venereæ ſunt proſapiæ. Graſſabantur inprimis, quum Dn. Præses anno MDCLXXXIV. in Weſtphalia artem exerceret, quartanæ populariter, tumque multi ex plebeiis & ruſticis vitriolo cyprio, aſſumta bis vel ter, tribus vel quatuor ante paroxyſmum horis, cultri aqua prius diluta circiter ejuſdem cuſpide, ſanati fuerunt. Innotuit etiam ante aliquot annos allatum ex Haſſia antiquartium, ex vitrioli albi granis XV. & croci X. ante paroxyſmi acceſſionem quatuor vel quinque horas ſumendum. Fecimus ipſi cum hoc experimentum & binis exemplis confirmatum habemus, febrem inde conquieviſſe, ſed remanſit conſtrictio & gravativus circa præcordia, præſertim poſt paſtum, dolor, qui tamen juſculis avenaceis cum butyro tandem etiam ceſſit. Fuit præterea celebri quondam Jenenſium Profeſſori Moebio, nec non D. Præsidis B. Parenti frequenti in uſu ſal emetico-diaphoreticum, quod ex vitriolo Goslarienſi, manifeſto venereæ indolis, & nitro, æquali portione in crucibulo calcinatis confectum, quo in omnis generis intermittentibus ſingulari uſi ſunt cum fructu. Emetica quippe venerea id præ aliis peculiare ſervant, quod valde conſtringente ſimul polleant virtute, qua ductus bilioſos & glanduloſos, per quos febrilis confluit materia, conſtringendo, affluxui ejuſdem aditum præcludant, ſicque febrem abigant. Tenendum vero in genere: validiora eadem eſſe, eaque propter magis ſervire robuſtioribus atque plebeiis, quam tenerioribus, imbecillis, exquiſitius ſentientibus & delicatiori ventriculo gaudentibus.

Observatio X.

Et veterum, & recentiorum, conſtans ſemper fuit ſententia: quartanas blandis & benignioribus eſſe tractandas, neque ullo modo validioribus & purgantibus acribus & ſudoriferis irritandas, ne pejora inde prodeant ſymptomata. Suffragatur huic aſſerto & ratio, & experientia. Nam quia, ut ſupra oſtenſum, ſymptomata in intermittentibus, adeoque etiam in quartana, arguunt, ſyſtema nervorum ipſumque ventriculum nervoſum, cujus ingens cum nervis univerſi corporis conſenſio eſt, affectum eſſe & læſum; in propatulo omnino eſt; ea omnia, quæ eminentiori facultate prædita ſunt commovendi, vel vellicandi nervoſas partes, plus detrimenti quam emolumenti afferre. Tanto vero magis quartanæ æſtivæ & epidemice graſſantes, quæ ab acrimonia valde bilioſa originem trahunt, ejuſmodi acribus, validis, ſtimulantibus, plus exacerbantur. Igitur temperata potius, leniſſima & quæ ingens levamen ac delinimentum generi nervoſo ſpaſmis affecto conciliant, in uſum vocanda illiſque longe ſunt præſtantiora. Hinc quando alvus, quæ ſubinde adſtricta, aperienda, præſtat id efficere magis clyſteribus emollientibus, quam purgantibus & gloriatur Crato *in conſiliis lib. V. conſ. XXVI.* ſe magni nominis virum quartana laborantem ſolis ſanaſſe clyſteribus. Optima vero enematum ingredientia ſunt, quæ præter vim emollientem, paregoricam & ſpaſmos ſedantem obtinent, ut ſummitates millefolii, flores chamomillæ vulgaris, ſambuci, tiliæ, ſemen cumini, brodium carnis vitulinæ, vitellus ovi, cum pauxillo ſalis gemmæ. Deinceps lenioribus iiſque præſtantiſſimis adverſus quartanam præſidiis accenſendus eſt, balnei dulcis aliquot ante paroxyſmum horis uſus. Magno hæc jam apud Veteres fuit in pretio, & recte utique, quandoquidem iiſdem non modo fibris tenſis & ſpaſmo conſtrictis laxitas & mollities reſtituitur, ſed & ſanguinis & humorum motus ac impetus ab interioribus ad exteriora ad augendam perſpirationem feliciter allicitur. Celsus ipſe *lib. III. cap.* 15. id remedii genus eum in finem commendat, & feliciter eodem febres quartanas expugnatas eſſe, paſſim teſtantur Medicorum obſervata. Gabelchoverus *Cent. VI. obſ.* 68. ejuſmodi exemplum conſignavit, & in *M. N. C. Dec. III. Ann. VII. obſ.* 62. de ſenicula quartana laborante narratur, quod perſentiens acceſſionem paroxyſmi in ſpina dorſi, immiſerit ſeſe collotenus balneo, ex floribus chamomillæ, origano, ſideritide, abrotano & aqua communi, reſidens tamdiu, donec putarit jam eam totam evanuiſſe: poſtea repoſitam in lectum obdormiviſſe, ſudore largo perfuſam, nec expertam amplius paroxyſmum. Balneis ſubſtitui poſſunt pediluvia, de quibus refert Kozac *de ſale*, pedes ad genua uſque in lixivium tepidum ſe juſſiſſe immergere, hora una, vel altera ante acceſſionem, immerſoſque in eo cuſtodire, & hac methodo plures quartanas difficillimas feliciter ceſſiſſe commemorat. Pediluviorum quoque uſum plurimum commendat Hagendornius in *M. N. C. Dec. II. An. VI. obſ.* 144. id quod pluribus etiam confirmatur *Ao. IX. pag.* 98. nec non *Dec. I. Ao. VI. & VII. pag.* 172. ubi memoratur, Cnoeffelio frequenti ad quartanam propulſandam in uſu fuiſſe pediluvia ante paroxyſmum. Demum in antiquartiorum numero, ſi paroxyſmi ſpaſtici graviores ſunt, laudem ferunt linimenta medullæ ſpinali & regioni abdominis illita, de quorum uſu legi poteſt *obſ.* 185. *A. IX. Dec. II. M. N. C.* item Hoefferus *Hercul. med. lib. VI. pag.* 360. Paranda hæc ex axungia humana, urſi, oleo lumbricorum terreſtrium, lavendulæ, balſamo de copaiva, ſpiritu vini rectificato, & ante paroxyſmum cum frictione ſunt applicanda.

Observatio XI.

Sicut cohibita perſpiratio, magna præſertim jam intemperie exiſtente in humorum maſſa, vel vitioſa cruditate in primis viis, princeps & præcipua eſt quar-

quartanæ cauſa; ita in proclivi eſt judicare: totum curantis conſilium unice eo eſſe dirigendum, ut hæc cauſa removeatur. Scilicet intemperies calida, ſive acris bilioſa, ſive tenax & viſcida contemperanda & emendanda, prima regio a ſordibus vitioſis collectis, quæ quaſi fomitem præbent febris, per commoda laxantia & emetica deplenda, & inprimis perſpirationis ſucceſſus omnibus modis, vigorem & robur addendo cordi & arteriis, promovendus. Neque vero hoc loco intelligimus largiſſimam ſudoris prolectionem arte procuratam; eo quod ſæpe univerſum corpus ſudore diffluit, manet tamen febris & deterior ſæpe redditur, ſed talem ſordium per cutis ſpiracula exhalationem, quæ a circulatione ſanguinis auctiori a ſolidorum robore, non vero imbecillitate fit. Hoc fine ex fonte remediorum diæteticorum, ſive potius ex ſex rerum non naturalium cenſu, motum, laborem & exercitationem corporis, vel per equitationem, curſum, vel ſaltationem, aliquot horis ante paroxyſmum commendamus. Novimus hac ratione multos febrem evaſiſſe, & idem teſtantur *M. N. C. Dec. III. obſ.* 100. nec non GABELCHOVERUS *Cent. III. curat.* 39. Eſt quoque de exercitationis in quartana utilitate illuſtris locus in CELSO l. c. ſic habens: *quo die quis febrem exſpectat, ante ſurgere & exercere dareque operam oportet, ut in ipſam exercitationem tempus febris incurrat; ſic enim ſæpe illa diſcutitur.* Plebejo porro experimento in comperto eſt, nonnullos liberali hauſtu vini amari, ex centaurio minori, carduo benedicto & abſynthio, paullo ante paroxyſmum & corpore intenſius commoto, quartanam contumacem diſcuſſiſſe. Sunt quidem qui erroneam fovent ſententiam, ſudoris prolectionem ante acceſſionis tempus naturæ intentioni eſſe adverſam, adeoque nocere, & conquieſcente tantum paroxyſmo inſigniter prodeſſe: nihilominus creberrima compertum habemus experientia, plures, præſertim plebejos, hauſtu ſpiritus vini vulgaris, cum granis decem piperis, groſſo modo contuſis, ingurgitato & tecto poſtea bene corpore in lecto, ſudaſſe, ac repetito bis vel ter remedio ex toto convaluiſſe. Pariter, de balſamo vitæ Dn. PRÆSIDIS ad viginti guttas cum totidem liquoris anodyni, quatuor vel quinque horis ante paroxyſmum ex vehiculo calido, uſurpato, teſtantur, febrem crebrius recidivantem ſic fuiſſe ſanatam. Denique neceſſarium eſt, poſt declinationem, ceſſante febre, cum corpus ſponte in ſudorem ruit, cavere, ne ſudor externa refrigeratione, vel interius ſumto potu frigido intercipiatur aut impediatur. Si ſecus fit, diuturnior non modo redditur febris, ſed & facile ſuccedunt contracturæ, item tumores pedum œdematoſi; conſultum potius externo temperato calore & interius diluente calido potu illum ipſum placide promovere atque elicere.

OBSERVATIO XII.

Cortex chinæ, utut multorum ſiniſtris, ſed perverſis judiciis pernicioſiſſimum ſit & ad morbos chronicos ducens medicamentum, recte uſurpatus tamen incomparabile adverſus quartanam etiam ſuppeditat remedium, hanc maxime ob cauſam, quod a tono dejectas fibras per motus febriles roboret, & roborando circulationem ſanguinis ipſamque perſpirationem promoveat. Plura de hoc legi poſſunt in diſſertatione nuperius habita Dn. PRÆSIDIS *de recto corticis chinæ uſu in febribus.* Præter ea vero quæ ibi dicta, heic in genere monendum: I. quod non prius ad ejus uſum ſit deſcendendum, quam probe primis viis expurgatis, demta plethora & viſceribus integris atque apertis; II. quod tutior ejus uſus ſit in bilioſa quartana æſtiva epidemica, quam in autumnali melancholica, ex viſcerum vitio & tenacibus ſuccis progenita, & quæ propius attingit hiemem, & quod tunc magis e re ſit hunc corticem in decocto ex vino exhibere, adjectis amaris, aperientibus & diaphoreticis, uti ſunt ſummitates centaurii minoris, herba cardui benedicti, radix gentianæ, ſal tartari; III. quod totum arcanum exhibendi corticem chinæ in eo conſiſtat, ut debito tempore & debita doſi offeratur & ſemper cum diaphoreticis permiſceatur: hæc vero ſi penſi habentur, & corticis doſis non proportionata, vel ejus uſus debito non modo continuatur, plus utique nocet, quam prodeſt.

DISSERTATIO MEDICA
DE
FEBRE PURPURATA
MALIGNA

Primùm edita Anno 1718.

PROOEMIUM.

EX omni afflictionum & gravium morborum genere, qui humanum corpus de integritatis ſtatu deturbant planeque dejiciunt, eæ imprimis febres eminent, quæ mali moris ſunt, & vulgari malignitatis appellatione inſigniri ſolent; neque tantum eam ob rationem, quia ſummum vitæ periculum ſibi conjunctum habent, ſed etiam propter abſtruſum & latentem genium, quo incedentes ægre cognoſci & non ſine magna difficultate dijudicari poſſunt. Princeps tamen ac palmaria cauſa, cujus reſpectu ejuſmodi febres malignitatis nomen obtineant, ea nobis eſſe videtur, quod earum vera ac genuina indole non ſatis adhuc a Medicis perſpecta pauciſſimi convenientem atque commodam iis medendi rationem intelligant. Inde eſt, quod exitioſæ hæ febres, non ſufficientibus auxiliis repreſſæ, latiſſime ſerpant, ac repentina, & inopinata ſtrage haud parum multos in optimo etiam ætatis ac ſanitatis flore conſtitutos miſerum in modum jugulent. Quemadmodum vero perniciales febres plerumque tecte agunt, & nonniſi occultas generi humano inſidias ſtruunt, ita ſummam circumſpectionem & cogitate inſtitutam medendi rationem deſiderant. Atque hinc Medici prudentis & cordati eſt omnem animum, curam, & cogitationem in exquirenda vera harum febrium indole altiſſime defigere, ut graviſſima hæc mala eo majori dexteritate ac certitudine propulſare valeat. Equidem perpetuo in arduo ac difficili collocatus eſt aditus ad eas cauſas, quæ in magnis præſtandis effectibus multum poſſunt, eo quod ſub minimæ molis habitu utplurimum deliteſcant & agiliſſimo agendi principio inſtructæ ſint. Jam quum ad illud cognoſcendum ſenſuum noſtrorum infirmitas haudquaquam adſpirare poſſit, ratio etiam ſenſuum miniſterio deſtituta in judicio de iis ferendo ſæpiſſime vacillat & claudicat. Quanquam autem interiores & reconditas rerum cauſas apertius & quaſi præſentes a priori intueri non ſemper datum ſit, exactius tamen conſideratis phænomenis, interque ſe invicem collatis effectibus in prono atque proclivi eſt, de horum effectuum cauſis earumque viribus ſolidum proferre judicium. Nobis jam bono cum Deo conſtitutum eſt ſpeciminis inauguralis loco naturam & cauſas febris purpuratæ malignæ, quæ anno 1715. per ver atque æſtatem Quedlinburgenſes turbavit muros, ejuſque curationem proponere; quod ut feliciter inque generis humani ſalutem eveniat, numen immortale ardentiſſimis precibus ſollicitamus.

CAPUT I.

De Definitione.

F*Ebris purpurata maligna* eſt cordis atque ſanguinis motus præternaturam auctus, abſque remiſſione typum ſuum abſolvens, cum macularum rubrarum eruptione conjunctus, a materia putredinoſam ac deſtructoriam elementorum ſanguinis diſſolutionem moliente & inflammationem internarum partium plerumque accerſente.

Genus conſtituit ſanguinis cordis atque arteriarum motus præter naturam auctus, quod demonſtratur ex pulſu celeriori ac frequentiori, item ex calore corporis totius ſummo, qui eſt a motu.

Differentia ſpecifica conſiſtit in eo, cum diximus, quod abſque remiſſione typum ſuum abſolvat, unde

a febri-

a febribus intermittentibus differt, quæ effato HIPPOCRATIS *S.* 4. *aph.* 43. nihil periculi alunt. Si ſecus contingat, fit tantum per accidens atque per errorem medentis, facta nempe materiæ peccantis ex primis viis ad maſſam ſanguineam imprudenti detruſione. Ratione malignitatis quoque a reliquis febrium continuarum diſcrepat ſpeciebus, quæ quidem ſunt acutæ, non vero malignæ. vid. WEDELII *pathol. dogm. ſect.* 1. *c.* 7. Si vero quæratur, ad quodnam acutorum genus ſit referendus hic noſter affectus, reſpondemus, quod pro malignitatis vehementia varie ſuam luſerit tragœdiam. Alios enim tertio, quarto, aut quinto die morti tradebat, in quibus morborum acutorum primum conſtituebat genus, in quibuſdam vero ad ſeptimum, decimum quartum, aut decimum octavum perdurans diem finiebatur ad mortem, in quibus ad ſecundum & tertium acutorum genus erat referendus.

CAPUT II.

De Subjecto diſſerit.

DE ſubjecto acturi illud diſpeſcimus in *Subjectum morbi & cauſæ.*

Subjectum morbi eſt vel *primarium*, quod eſt cor cum maſſa ſanguinea. Conſtat enim, quod cor ſit principium & fons omnis ſpiritus atque motus vitalis, & ſic ab illo dependentis caloris naturalis; quod ſi naturalis, certe ab eidem & ſanguini inducta intemperie per miaſma quoddam ad ſtagnationem & deſtructionem elementorum ſanguinis ſeceſſionem diſponens, ſedes quoque erit ac fons caloris præternaturalis. Hinc GALENUS *L.* 1. *de diff. febr. c.* 3. *ſive enim exuſtio, ſive ſolis operatio calorem excitet in corpore præternaturalem, nondum tamen febris eſt, niſi cor caleſiat.* Non igitur audiendus HELMONTIUS *qui lib. de febr. c. x.* orificium ventriculi febrium malignarum ſubjectum principale eſſe contendit, quod tamen cum ventriculo potius ſubjectum cauſæ erit nominandum; vel *ſecundarium*, quod eſt corpus univerſum, quatenus per ſæpius reiteratam ſanguinis circulationem reliquæ maſſæ humorum, & ſic omnibus corporis partibus communicatur malignitas; in ſpecie vero macularum purpurearum ſubjectum dicimus eſſe epidermidem, integumentum corporis commune exterius, in quo vaſa ſanguifera atque capillaria glandularum in modum ſunt contexta & mira arte fabrefacta, per quorum ductus materia peccans ad inſtar vaporis a natura extruditur inſenſibilis & in ejuſmodi maculas purpureas, quæ nihil aliud ſunt, quam ſalia ſulphurea ſanguinis per putredinem reſoluta, redigitur. Major vero in illis partibus, quæ a calore foventur, illarum fit proventus; nam calor poros vaſorum retinet apertos, qui in partibus, quæ frigori ſæpius exponuntur, facile obſtruuntur, & ſic materiæ peccantis tranſgreſſum impediunt.

Subjectum cauſæ partim in primis viis, partim in aëre quærendum. In primis viis ventriculus ſtatim venit examinandus. Quod ſi enim hujus vel calor, vel menſtruum, vel motus tonicus deficiat, læditur chylificatio, & tunc ventriculus crudum atque vitiatum ſanguini ſuppeditat chylum, qui craſin ſanguinis vitiando illum ad varia morborum genera diſponit. Qualis enim chylus, talis ſanguis; qualis ſanguis, talis motus vitalis; qualis motus vitalis, talis quoque ſanitas.

Hepar quoque, quatenus bilem ſecernit vel viſcidiorem, vel copioſiorem, vel acriorem, accuſari meretur. Bilis viſcidior enim mediantibus particulis ſalino-alcalicis fixis humoribus & maſſæ ſanguineæ lentorem quendam inducit, atque ad ſtaſin diſponit, unde illa, quæ in ſecretoriis tanquam inutilia a maſſa ſanguinea erant ſecernenda, remanent ac in corruptionem & putredinem abeunt. Bilis copia ſulphur ſanguinis nimis exaltat, eique majorem ſpirituaſcentiam & motum inducit; Unde ſerum blandum gelatinoſum abſumendo ac deprimendo elementa ſanguinis diſcedere facit, atque corruptioni tradit. Bilis acrior denique erit in culpa, quatenus itidem humores noſtros nimium diſſolvit, & debitam maſſæ ſanguineæ craſin diſtemperat. Hinc quoque HIPPOCRATES *l. de nat. hum.* vult, omnes febres eſſe ex bile. Tacemus viſcera reliqua ac glandulas majores, quæ ſi minus recte fungantur officio a natura illis commiſſo, ſubjectum cauſæ eſſe poſſunt.

Aër pro temporum locorumque varietate immutatus maxime erit accuſandus, vid. *Excell. Dn. Præſid. diſſert. de aëris intemperie, multorum morborum cauſa*, quomodo vero hic ad generandum hunc morbum concurrat, infra videbimus.

CAPUT III.

De Cauſis.

CAuſa hujus affectus immediata eſt ſyndrome & intenſio omnium motuum vitalium cordis, arteriarum, fibrarum, ratione pulſus & toni, omniſque motus progreſſivi & inteſtini partium fluidarum, a contagio ſive materia ſubtiliori putredinoſum diſſolutorium motum univerſæ machinæ minitante, in aëre maxime hoſpitante. Si vero fluidum hoc aëreo-æthereum multis ſalinis, acribus vel putridis, terreſtribus atque ad motum minus aptis particulis eſt refertum, reſolutionem atque ſeceſſionem particularum ſanguinis minatur totalem; unde quoque BAGLIVI *prax. med. l.* 1. *pag.* 50. *ait: Febres per æſtatem ob aëris mutationem ſævientes, non ab acidis ſed alcalino-acribus producuntur ſalibus. Variæ enim telluris & mineralium particulæ vi caloris ſolis in aërem elevatæ, illic per novos ſupervenientes calores magis atque magis attenuantur, cohobantur atque volatiliſantur, unde ſummam volatilitatem & alcalinam acrem indolem potius quam aciditatem naneiſcuntur, ſanguinique per inſpirationem communicatæ cum ſanguine m ſuam diſſolvunt primo, & ex diſſolutione mox coagulationis effectus ſuboriuntur*; vel ſpiritus ligantur vitales ac debilitantur; unde propter motum tonicum vaſorum deſtructum liberior ſanguinis per vaſa impeditur regreſſus, vaſa minima obſtruuntur, adeoque ſanguinis circulus fit inæqualis, unde ad putredinem, ſtagnationem ac corruptionem properat. Hujus rei fidem nobis faciunt fidæ variorum autorum obſervationes, ubi cadaverum ejuſmodi febribus malignis exſtinctorum viſcera deprehendere nigricantia atque ſphacelata, vid. BONETI *Anat. Practic. lib.* 4. *ſect. I. obſ.* 57. Sed quomodo hoc principium contagioſum, heterogeneum atque morbificum vel extra vel intra corpus generetur, examinabimus in ſequentibus.

Cauſa mediata proxima eſt ſanguinis ſtatus plethoricus vel etiam cacochymicus ob ſtrictiorem vaſorum & cutis habitum, fibraſque ſpiritu animali turgidiores ac ſenſibiliores; inde enim ſanguinis fluidi cum ſolidis partium fibris major fit attritio, colliſio & reſolutio.

In cauſis mediatis remotioribus inveſtiganda veniunt,

I. *ex naturalibus ætas*, quæ eſt puerilis atque juvenilis. Pueri enim ac juvenes ſanguinem habent præ aliis floridiorem, calidiorem, & fibras teneriores, imbecilliores ac ſenſibiliores, unde illarum tonus facile deſtruitur. Adde, quod in hac ætate ſæpius committatur error circa diætam.

Temperamentum ſanguineum ratione particularum oleoſarum & ſulphurearum, a leviſſimo etiam ſtimulo reſolutionem concipientium, accuſari meretur. *Phlegmaticum* mediante lympha partim varia ex aëre recipit heterogenea effluvia; partim etiam propter ſulphur ſanguinis depreſſum, lentorem, ſtaſin, atque corruptionem humoribus inducit. In *Cholerico* particulæ bilioſæ acres & ſulphureæ ſanguinis a ſero blando deficiente minus diluuntur, & ſic eo facilius accenduntur.

Habitus corporis cacochymicus, ſcorbuticus, atque obeſus variis putridis, ſalinis atque lentis humoribus impletus his quoque favet febribus.

Sexus ratione omnes tam mares quam feminas invadit promiſcue. Cum vero fœminæ viris ſint feroſiores, illæ quoque ad morbum hunc videntur magis diſpoſitæ. Viri, cum ſint illis calidiores ac ſicciores, hoc morbo correpti gravius decumbunt.

II.) *Ex non naturalibus* aër pro diverſa locorum atque temporum varietate alteratus in conſiderationem venit. Corpuſcula enim virulenta ſubtiliſſima arctiſſimos poros ſubeunt, & vi ſua potenti centralem fluidorum diſſolutionem machinantur; miaſma vero aëre vectum & ad ſpiritus, quibus prorſus eſt improportionatum, delatum, animale maxime deſtruit fluidum & ſanguinis miſcelam vel nimium diſſolvit vel coagulat, & quod maximum eſt, ſemper inſtar fermenti ſe multiplicat, ita ut ex corporibus ejuſmodi infectis copioſiſſima ejus naturæ exhalent corpuſcula, quæ a diſpoſitis ſubjectis recepta eandem ludunt tragœdiam. Vitiatur vero aër α) ſi ventis non exagitetur atque difflетur ſalubribus, β) ſi varii putridi, fœtidi, ac maligni vapores ipſi commiſceantur. Sic de nebula ſingulari febris malignæ lethalis cauſa vid. *Ephem. Germ. dec.* 3. *Ann. IX. obſ.* 94. & de fermento pellionum peſtilentem fœtorem ſpirante AMMANNI *med. crit. caſ.* 81. item de febre petechiali maligna ab olfactis floribus, quibus cadaver pueri febre acuta defuncti ornatum erat. *M. N. C. Dec.* 3. *ann. VII. obſ.* 193. γ.) Si in qualitate excedit prima, v. g. in humiditate, ſiccitate nimia, &c. Hinc DIODORUS SICULUS *lib.* 5. *hiſt.* ex aëre pluvioſo corruptis inde frugibus peſtilentiam narrat enatam; nam aëre exiſtente nebuloſo ac pluvioſo ætheris vis, quæ alias in celerrimo motu verſatur, ab humidi exſuperantia nimium retunditur, unde motu ætheris ſic refracto labaſcunt humorum ſanguiniſque motus, ſpirituum vis debilitatur, & inclinatio fit ad putredinem.

Aſtrorum quod attinet influxum, illis vis alterandi corpora noſtra denegari non poterit. Sic Saturni & Jovis, item Saturni & Martis adſpectus graves caſus mortalibus prænunciant, quia plerumque has ſiderum conjunctiones epidemici acuti imo contagioſi morbi ſequi ſolent. Quin ex his peſtis imminere periculum, variorum autorum obſervationes oſtendunt. Sciendum tamen quod aſtra ad hunc vel illum affectum ſaltem diſponant, non vero proxime & immediate producant.

Cibus ratione quantitatis ſi plus infarciatur, quam natura expoſtulat, ratione quoque qualitatis ſymbolum ſuum contribuit. Omnes cibi flatulenti, & facile ſubeunt putredinem. De febre ardente ab eſu malorum Armeniacorum vid. *M. N. C. dec.* 3. *ann. V. obſ.* 114. Sic fructus quidam in ſe ſuaque natura hominibus ſunt pernicioſi; de vi deleteria ſolani ſylvatici Belladonna dicti vid. SCHENCK. *lib.* 7. *obſ.* 9. Poſſunt vero cibi quidam per accidens tales fieri, unde GALENUS *lib. de cib. bon. & mal. ſucc. item lib.* 1. *de diff. febr. c.* 3. ex pravis aut corruptis alimentis morbos peſtiferos exoriri, demonſtravit. Fiunt vero tales 1.) quando fructus terræ ex prava anni aëris aut tempeſtatis conſtitutione putreſcunt ac corrumpuntur; 2) quando in longiſſimum tempus reſervantur, ut putredinem concipiant. PETR. BORELLUS *cent.* 2. *obſ.* 32. febres malignas ab eſu carnis animalium ægrotantium ortas refert.

Potus ratione quantitatis, ſi ultra modum ingurgitetur, quoque nocet. Tonus enim viſcerum inde debilitatur, ſerum in ſanguine augetur ſulphur ejuſdem deprimendo & ſpiritus animales debilitando. Hinc poſtmodum in corpore generantur varii humores putridi, ſtagnantes, & varia ſalcem miaſmata ab extra concipiuntur, robore nempe ac vi naturæ debilitatis, cujus rei vidimus exemplum in ſtudioſo quodam, qui nimiis compotationibus addictus tandem febre petechiali in florido ætatis ſuæ abripiebatur vigore. In qualitate nocet, ſi quando vel vina vel alia nondum fermentata vappida aſſumuntur potulenta, vel aquæ turbidæ bibuntur, ſtagnantes & paludoſæ. De aquæ, in qua lacertæ computruerant, & alius, in qua cannabis diutius fuerat macerata, potu lethali vid. SCHENCKIUS *lib. VII. obſ.* 4. 5. Hinc nos quoque morborum acutorum ac malignorum frequentius Quedlinburgi evenientium cauſam ponimus non ultimam in aquarum ibidem vitiata qualitate. Hæ enim variis ſordibus atque ſterquiliniis patent.

Somnus nimius humores reddit torpidos, vappidos atque ſtagnantes. Ex hoc ephemeram vidit JOH. RHODIUS *cent. I. obſ.* 3. Vigiliis vero nimiis ſpiritus debilitantur. Idem eſto judicium de quiete ac de ſomno.

Motus vehementior ſanguinis circulum auget, ſerum ſanguinis blandum abſumit & ſulphur expandit.

In *excretis atque retentis*, in fœminis menſtruorum, aut in viris hæmorrhoidum, vel aliarum quarumvis excretionum ſolitarum ſuppreſſio accuſanda eſt, quia illa, quæ natura ſecretioni deſtinavit, ſi retinentur, facile in corruptionem abire valent. Hæmorrhagiæ & Veneris uſus nimius ſpiritus debilitant & corpus enervant. Ex *affectibus animi* ira ſpiritus quaſi efferatos reddit, circulum ſanguinis auget, & motum humorum turbat. Ex gaudio nimio febrim ardentem obſervavit RHODIUS *Cent. I. obſ.* 4. Timor contra, terror & triſtitia ſpiritus figunt & circulo humorum lentorem quendam inducunt. De febre maligna ex terrore vid. TH. BARTHOLINUS *act. Hafn. vol.* 2. *obſ.* 85.

III.) *Ex præternaturalibus* NEUCRANTZ *de Purpur.* illam pleuritidi, anginæ, peripneumoniæ aliiſque inflammationibus obſervavit ſupervenientem, & nos quoque illam cum variolis & febre exanthematica ſtricte ſic dicta vidimus. Præpoſtera quoque morborum benignorum tractatio, tam quoad regimen, quam quoad medicamentorum uſum malignitatem inferre valet. vid. *Excell. Dn. Præſ. diſſ. de converſ. morb. benign. in malign. per imperit. medic.*

CAPUT IV.

Differentias ſuppeditat.

AFfectus hic I.) ratione eſſentiæ, & quidem α) Febris ipſius differt a ſimplicibus putridis, quarum

quarum cauſæ in ſola putredine quærendæ, unde non ſunt contagioſæ. Eſt vero hæc vere maligna, varie Medicorum doctiſſimorum ſolertiam illudens providam. Jam enim continentis, jam continuæ, intermittentis larvata incedebat ſub ſpecie.

(β) Petechiarum ratione variat. Hæ enim a) in quantitate continua ſunt minores, granis miliaribus ſimiles: b) in quantitate diſcreta in aliis erant copioſiores, in aliis pauciores, pro majori vel minori malignitatis præſentia: c) quoad colorem exacte rubent ad differentiam purpuræ puerperarum, d) in qualitate ſunt malignæ ad differentiam purpuræ ſcorbuticæ benignæ in ictericis, ſcorbuticis, cachecticis.

γ) Ratione vehementiæ pro majoris vel minoris malignitatis præſentia variat.

δ) Ratione decurſus maxime diſcrepat. Quoſdam enim intra 4. 5. dies morti tradebat, in aliis vero intra 7. 14. aut 18. dierum ſpatium ſua decurrebat tempora.

II.) Ratione cauſarum varia eſt pro harum varietate atque numero.

CAPUT V.

De Diagnoſi.

FEbrim hanc indicant imminentem laſſitudo atque gravitas artuum. Nonnunquam ſub arthriticorum dolorum ingruit ſpecie, id quod ſæpius Excell. D. Kaulitzius obſervavit; parotidum tumor, inflammatio & dolor accedit, quem ſubſequitur horror quidam levis per intervalla recurrens, cum ſuccedente calore non adeo conſpicuo, ut tibi perſuaderes, febris intermittentis ſpeciem eſſe. Sed latet anguis in herba, & malignitatem certiſſime minatur. Appetitus eſt proſtratus, cum vomitu graviſſimo in quibuſdam ad terminum uſque vitæ perdurante, ſitis præter modum urget. Pulſus adeſt celer, frequens ac magnus, inæqualis interdum atque intermittens cum ſumma ac ſubitanea virium proſtratione. Anxietates ſentiuntur præcordiales, per intervalla recurrentes cum tuſſi ſicca ac reſpiratione difficili, dahero die patienten öffters wegen / ſie haben ſich entzundet.

Dolores capitis intenſiſſimi, ſomnus in principio adeſt paucus, in augmento vero nullus; unde oriuntur deliria, quæ tamen non ſunt vehementia, præcipue in illis, qui frigidi ſunt, laxioris & mollioris habitus, qui etiam non tanto corripiuntur æſtu. Contra qui calidioris & bilioſioris ſunt conſtitutionis, majorem experiuntur æſtum, majoremque anxietatem, vehementiſſimam cephalalgiam, ſitim inexhauſtam, pulſum celeriorem; ſimiliter delirio tentantur magis furioſo, oculi rubent, torvum vident cum lacrymarum involuntaria effuſione & inſequente delirio, cujus ratio hæc eſſe videtur, quia delirium fit ab inflammatione cerebri, hæc autem a ſtaſi ſanguinis in ejus vaſis. Cum itaque ſanguis impeditius circa caput circulatur, ſerum ſecedit, & irrigando fauces per glandulas oculorum involuntarie effluit, cruor vero craſſus hærens in vaſis illa diſtendit, ac ruborem parat. Summa in illis reperitur corporis inquietudo propter plenariam motus vitalis deſtructionem, & tandem motus convulſivi ſunt metuendi, qui tamen ſtatim aderant in morbi principio interdum, qua in re cum variolis analogi quid habebat, id quod cum in virgine quadam honeſtiſſima, nunc beatorum numero adſcripta, tum in aliis annotavimus frequentius. Sudores frigidi copioſi excernebantur, hæmorrhagiæ & profluvium alvi exſurgebat interdum, communiter tamen alvus erat leviter obſtructa. In nonnullis Dyſuria, in aliis vero plane contrarium obſervabatur, dum continuo quodam urinam reddendi incitabantur ſtimulo; hæc vero, quæ reddebatur, erat tenuis rubra, nonnunquam ſanorum ſimilis, quæ tamen in morbi declinatione fiebat turbida, cum ſedimento rubro arenoſo.

Præcipuum vero hujus febris ſignum pathognomicum eſt petechiarum eruptio, quæ interdum primo ſtatim morbi die ſine ulla aliorum ſymptomatum præſentia in ægrotis quibuſdam munia adhuc domeſtica obeuntibus, cum vomitu vehementiſſimo & motibus convulſivis, in aliis autem ſecundo, tertio, quarto die, vel etiam ſerius, quod tamen accidebat admodum raro, in conſpectum veniebant.

CAPUT VI.

Prognoſin exhibet.

MOrbus hic eſt acutus, malignus atque periculoſus, adeoque in hoc effato HIPPOCRATIS *lib. II. aph.* 19. nullum certum poteſt dari vel ſalutis vel mortis indicium; unde Medicus judicium ſuum ſuſpendat, non tamen auferens ſpem recuperandæ ſalutis.

Acutus eſt ratione partis affectæ, quoniam hoc pernicioſum virus ipſa cordis penetralia, adeoque fluidi noſtri animalis primariam petit officinam. Periculoſus eſt pro ſubjectorum hoc affectorum, ætatis, conſtitutionis ac anni temporis differentia & diſſimilitudine. vid. HIPPOCRATIS *lib. II. aph.* 34. Periculoſus denique eſt pro majori & minori ſymptomatum frequentia, proque ſua in genus humanum exercente truculentia, unde ſi plures inde abripiantur, erit quoque gravior & pejoris moris. In ſpecie vero parotidum tumor atque inflammatio, quæ cum petechiarum eruptione ceſſat, liberiorem ſanguinis atque humorum circulum oſtendit; ſuperveniens vero petechiarum eruptioni perfectam humorum ſtagnationem notat, unde impeditur deglutitio, adeo ut hanc ob cauſam ægroti potum per nares reddiderint. Calor corporis quoque intenſior, eo morbus quoque gravior atque periculoſior erit dicendus. Vomitus ante tempus eruptionis contingens & cum illo ceſſans non vehementer erit timendus, ſed ultra hoc perſiſtens peſſimi eſt ominis, quia virus iſtud malignum genus nervoſum afficit, & vel per conſenſum tunicam ventriculi nervoſam, vel etiam per eſſentiam lædit. Sitis modum non excedens bona, quia exinde humidum aliquo modo reſtituitur depauperatum, naturamque ſtimulos adhuc ſentire naturales, clare oſtendit, deficiens autem Medicum vigilare jubet. vid. CHRIST. LANGII *miſc. curioſ. med.* Hinc LANGIUS ægrum monere jubet, ut citra appetitum frequentius bibat. Sitis inexhauſta ac inexplebilis mala propter intenſiſſimum partium internarum incendium & humidi laudabilis plenariam conſumtionem. Pulſus celer ac magnus bonus eſt, notat enim naturæ & ſpirituum animalium robur; celer & parvus malus dicendus ob debilitatum naturam; intermittens non ita fauſti exiſtit ominis, indicat enim ſanguinem ad ſtaſin properantem. GALENUS tamen *lib.* 2. *de præſag. ex pulſ.* vult, multos ſenes cum pulſu intermittente evadere, pueros vero & juvenes non item; ſed ſciendum, quod ſi pulſus æqualiter intermittat, eſſe aleam periculi plenam propter ſuccumbentem naturam, inæqualiter

autem intermittens ſpem præbet redintegrandæ ſalutis. Anxietates præcordiorum poſt purpuræ eruptionem ceſſantes naturam monſtrant triumphantem, poſt illam autem remanentes ſunt periculoſæ, nam malignitatem quandam adhuc in receſſu habent. Dolores capitis intenſiſſimi cum agrypnia & pavoribus in ſomno peſſimum præbent omen. vid. HIPPOCRATES *l. IV. aph.* 67. propter nervoſo generi infixum virus, unde convulſionum & deliriorum exiſtunt principium. Somnus, qui oculis ducitur ſemi-apertis, lethalis, vid. HIPPOCRATES *l. 6. aph.* 52. ob debilitatam facultatem animalem ſpirituumque animalium depauperationem. Oculi rubri, tenebroſi, ac ſqualentes, item tactus atque ſaporis defectus periculum minantur. Auditus deficiens facta per μετάστασιν criſi naturæ ſpem certiſſimæ præbet ſalutis; corporis inquietudo & frequens jectitatio mala, ſummam enim turgeſcentiam atque ebullitionem notat humorum. Convulſiones febrim hanc antecedentes non adeo periculoſæ, ſupervenientes vero aut illam inſequentes malæ atque lethales *Divini Senis* effato *lib.* 2. *aph.* 26. Hinc quoque VALESIUS & PLATERUS ſingultum in febribus ardentibus atque malignis utplurimum dixere lethalem; & EPIPHANIUS FERDINANDUS Deum teſtatur, hoc ſignum in febribus malignis ad mortem prædicendam ſe nunquam decepiſſe. Attamen Excell. D. KAULITZ ſingultum in his morbis iterum iterumque obſervavit non uſque lethalem; vide quoque *M. N. C. Dec.* 3. *ann. VII. obſ.* 127.

Sudores frigidi copioſi cum hæmorrhagia narium apparentes extra diem criticum mali, vid. HIPPOCRATES *lib.* 4. *aph.* 37. & 42., item de hæmorrhagia narium in febri maligna maculoſa lethali vid. PHILIP. HOECHSTETTER *Dec. I. caſ.* 4., quia non ſunt critici, ſed ſymptomatici. Alvus leniter obſtructa bona, notat enim motum naturæ fieri a centro ad peripheriam corporis, continuo vero fluens, & quidem ab initio, periculoſa, vid. *Excell. Dn. Præſ. diſſ. de diarrhœa in febb. mal. ſalut.* §. *XXI.* Urinæ ſuppreſſio mala, cum conatibus vomendi lethalis, indicat enim ſphincterem eſſe vel inflammatum vel convulſum; continuus e contrario mingendi impetus in die critico contingens eſt ſalutaris, quia per hypoſtaſin morbus terminatur ad ſalutem, a primo vero ſtatim incipiens initio, cum ei adjuncta ſtranguria malus, nam ſummam humorum innuit acrimoniam, maximamque colliquationem, unde humidum laudabile magis abſumendo reliquam maſſam humorum ad ſtaſin diſponit. Alvi atque urinæ dejectio, quæ fit non ſentientibus ægris, mala ac lethalis utplurimum dicenda, denotat enim aut ſenſus atque mentis abalienationem, aut exſtinctum partium naturalium robur, quæ functionibus ſuis præeſſe amplius nequeant. Vidimus tamen hujus rei quoque contrarium in femina quadam, quæ alvum ſine ſenſu deponebat, nihilo tamen minus evadebat. Urinæ rubræ, tenues, ſine ſedimento, malæ, vid. HIPPOCRATES *Lib.*4.*aph.*72., quia ſummum corporis totius indicant calorem, nullamque fieri liquoris heterogenei atque maligni ſecretionem, ſed illum potius ad cerebrum & maſſam ſanguineam detrudi. Urina turbida atque craſſa, jumentorum ſimilis, & talis ſemper permanens mala, vid. HIPPOCRATES *L.* 4. *aph.* 70. propter humorum crudorum atque craſſorum multitudinem. Urina clara ſucceſſu temporis turbida evadens bona, ob inchoatam jam a natura ſecretionem, & contagii morboſi ſubactionem. Petechiæ quo pauciores in tanta periculoſiſſimorum ſymptomatum apparent frequentia, eo quoque morbus gravior erit dicendus; monſtrant enim fore ut natura ſub hoc onere ſuccumbat. Imprimis lethalem pronunciant eventum, ſi retrocedant, poſtquam apparuerunt, quia tunc materia morbifica ad interiora cordis penetralia remeat; quo major atque copioſior e contrario harum fit eruptio, eo quoque ſpes exſurgit major redintegrandæ ſalutis, quia provida natura vi roboris ſui virus iſtud ſibi maxime infenſum e corpore atque maſſa ſanguinea eliminat & ad exteriores corporis partes protrudit; non vero intelligimus illam copiam, quæ per errorem atque ignorantiam medentis a ſudoriferis volatilioribus poteſt provocari, ſed illam, quæ a natura ſecernitur cum levamine. Petechiæ, quæ primo ſtatim morbi die erumpunt, periculoſæ ſunt atque utplurimum lethales, nulla enim poteſt fieri ſecretio ſalutaris morbo exiſtente adhuc crudo; illæ vero, quæ in juſta quantitate continua & diſcreta tertio, quarto die, vel etiam ſerius erumpunt, majorem ſpem præbent ſalutis. Petechiæ cum doloribus articulorum, quales in arthriticis eſſe ſolent, & ſpaſmis conjunctæ, lethalem eventum pronunciant. Facies cadaveroſa pallida, in qua oculi concavi & tempora deprehenduntur collapſa, mala eſt atque lethalis. Reſpectu cauſæ periculoſior eſt hic morbus, ſi a vitio quodam contingat naturæ inhabitanti, quam ſi a contagio. Periculoſiſſimus vero dicendus eſt, ſi utrumque concurrat.

Ratione decurſus acutorum more intra 14. 21. dierum ſpatium, qui utplurimum evadunt, vel etiam citius ſua decurrit tempora, & terminatur vel ad ſalutem vel mortem. Eventus ſalutis raro fit in his febribus, quantum experientia conſtat, per hæmorrhagiam narium, ſæpius per diarrhœam, vel etiam ſudores, cum rigore ſalutari, vid. HIPPOCRATES *lib.* 4. *aph.* 58. Sudores enim critici teſtantur de liberiori ſanguinis circulo facto, & quaſi naturæ victoria. Diarrhœa critica ſolvit morbum, quoniam poris hepatis antea obſtructis, jam autem reſeratis, particulæ ſulphureæ, bilioſæ, acres in ſanguine ſtabulantes jam expeditius ſecernuntur, & ad inteſtina mediante bilioſo humore amandantur ſtimulumque talem efficiunt.

Ad mortem terminatur accedentibus convulſionibus, ſudoribus colliquativis, anxietate præcordiali, de tranſitu ſanguinis difficiliori & impeditiori per venas anguſtas & copioſas, factaque ejus in pectore ſtaſi teſtante, deglutiendi difficultate, hæmorrhagia narium & diarrhœa ſymptomatica.

CAPUT VII.

Siſtit curam ex fonte chirurgico.

CUra tribus nititur indicationibus, *curatoria*, *præſervatoria*, & *vitali.*

Indicatio curatoria abſolvitur remediorum ſubſidiis ex fonte *chirurgico*, *pharmaceutico* & *diætetico* depromptis. Chirurgia nobis primo offert venæ ſectionem, de qua videndum, num in hoc noſtro affectu aliquem afferat uſum, nec ne. Sed hic magnus a ſe invicem diſſentientium & in partes longe diverſas abeuntium nobis ſiſtitur numerus. Quidam enim illam cum HELMONTIO *lib. de febb. c.* 4. §. 33. fraudulentum appellant ſublevamen, incertumque remedium, ex quo non poſſit ſperari ſalus, falſo forſan hoc innixi fundamento, quod *Sanguis primigenius*, verba ſunt *Excell.* D. STAHL *in diſſ. de err. med. pract. c.* 3. *ſit verus iſte vitæ theſaurus, qui numero idem per totam vitam homini durare ſoleat atque debeat*; unde leviſſimam hujus jacturam judicant eſſe periculoſiſſimam & fere lethalem, adeoque venæ ſectionem

ctionem abſolute damnant. Alii nulla in conſilium adhibita recta ratione Empiricorum more illam promiſcue in leviſſimo etiam & ſæpius contrario inſtituunt affectu, certiſſimam atque non fallibilem unquam exinde ſibi pollicentes ſalutem. Alii denique, qui ſtrenui medicinæ dogmaticæ atque methodicæ ſunt ſectatores, de ſanguinis miſſione uti in aliis, ſic quoque imprimis in hoc affectu circumſpectius agendum eſſe exiſtimant, dum ad malignitatem, vires, ætatem atque temperamentum reſpiciunt.

His probe penſitatis uno omnium cordatiſſimorum Medicorum ore atque conſenſu memoriæ proditum atque experientia comprobatum legimus, quod hæc in febribus malignis minime locum inveniat. WILLISIUS enim *de medic. oper. in corp. part.* 2. *ſect.* 3. *c.* 1. inquit: *Si cruoris mixtio plurimum ſolvi & peſſum ire incipit, uti in peſte ac febribus malignis, a phlebotomia omnino abſtineatur, quippe ſanguine detracto ſpirituum (quorum intereſt maſſam ſanguineam a putredine atque corruptione vindicare) penus diminuitur, proinde ut omnia in diſſolutionem exitialem tendant*; id quod confirmat D. STAHL *in diſſ. de ven. ſect. patrocin. ſect.* 3. *c.* 2., ubi præterea addit, quod in febribus ejuſmodi non ſit quæſtio de ſanguine conſumendo, ſed de materia tenuiſſima & ſimul agiliſſima vaporetenus e corpore expellenda; & huic utique ſententiæ velificatur & ratio & experientia. Ratio, quia detracta ſanguinis portione pars quoque roboris noſtri vitalis evacuatur, unde poſtea depauperatis ſpiritibus ac vaſis ſanguineis exinanitis vires magis proſternuntur, & natura imbecillior evadit ad extrudendam atque e corpore eliminandam malignitatem. Experientia, dum experientiſſimi ac longo uſu exercitatiſſimi practici eam in hoc affectu deprehendere minus ſalutarem, quin noxiam ſæpius. Videri poſſunt pluribus hac de re RIEDLINUS *obſ.* 48., *M. N. C. dec.* 3. *ann. VII. obſ.* 132. HOECHSTETTERUS *Dec. I. caſ.* 6., BORELLUS *cent.* 1. *obſ.* 55. Hinc quoque BENED. VICTOR *Faventinus* dixiſſe fertur, in his febribus, ubi malignitas major, quam febris, a phlebotomia tanquam a diabolo eſſe cavendum; & quamvis LEONARD. BOTALLUS *c.* 7. *de cur. per ven. ſect.*, & cum eo SYDENHAM *Sect.* 3. *c.* 3. in peſte aliiſque febribus malignis ſanguinem in larga detrahere ſuadeant quantitate, ad libras IV., & quidem reiteratis vicibus, illis tamen neutiquam poſſumus aſſentiri; nam quo major ſanguinis detrahitur quantitas, eo altiores malignitas aget radices.

Quod vires atque ætatem attinet, minime locum inveniet in debilitate atque proſtratione virium, quæ huic noſtro morbo admodum eſt familiaris; neque in puerili aut decliviori ætate; in hac enim ſanguis juſta ſpirituum deſtituitur copia, in illa vero iſte per ſe eſt imbecillior. Si vero quid movendum, move, & quidem in principio, primis ſaltem morbi diebus in illis tantum ſubjectis, quæ ſunt temperamenti plethorici.

Quærendum vero adhuc eſt, num venæ ſectio ſit inſtituenda, cum jam maculæ purpureæ apparuerunt. RIVERIUS & cum eo PAUL. DE SORBAIT. it. BONETUS *theſ. med. pract. art.* 3. *de febr. petech.* aliique reſpondent affirmative, hac tamen cum cautela, ut ad tempus eruptionis bene attendatur. Si enim ſtatim primo vel ſecundo morbi prorumpunt die, illas non criticas, ſed ſymptomaticas aſſerunt eſſe dicendas. Sed cum & harum eruptio motum naturæ ſignificet a centro ad peripheriam tendentem, & petechiæ raro critice, frequentius vero ſymptomatice erumpant, conſultius illa omittitur ex cauſis antea dictis. Adde quod natura inde in opere ſuo turbetur ſanitatis cauſa ſuſcepto.

Cucurbitulas RIVERIUS miris in hoc affectu extollit laudibus, dum poſt inſtitutam ſanguinis miſſionem ad motum naturæ inchoatum expulſivum continuandum ſcarificatas adhibere ſuadet. Sed PETR. BORELLUS *cent.* 1. *obſ.* 40. hanc ſubnectit cautelam, quod in calore atque impetu ſanguinis majori a cucurbitulis ſcarificatis ſit abſtinendum; harum vice loco commendat cucurbitulas ſiccas partibus ignobilioribus admotas.

Veſicatoriorum uſus admodum eſt egregius ad evitandam phrenitidem atque exinde dependentia deliria. Revellunt enim & materiam ad caput tendentem, ibique generi nervoſo inſidias ſtruentem alio derivant. Cum vero unum non ſufficiat, illorum plura partibus diverſis applicare jubent autores, & quidem nuchæ, parti interiori ulnæ in utroque brachio & inguinibus, felici ſemper cum ſucceſſu. Videri de his poſſunt *M. N. C. dec.* 3. *ann. V. obſ.* 167. & *ann. IX. obſ.* 101. PETR. BORELLUS *l. c.* THOM. BARTHOLIN. *act. Haſſn. vol.* 3. & 4. *obſ.* 44. RIVERIUS quoque *lib.* 17. *c.* 1. revellendi fine plantis pedum applicat cataplaſma ex raphanis præparatum, quod poteſt ibidem evolvi.

CAPUT VIII.

Fontem aperit pharmaceuticum.

IN cura pharmaceutica, quantum fieri poteſt, cito, tuto atque jucunde peragenda & methodice adminiſtranda, potiſſimum reſpiciendum 1) ad ſubjectum cauſæ ſeu mineræ morbificæ latentis fontem, 2) ad cauſam ſeu malignitatem ipſam, & 3) ad ſymptomata hinc inde dependentia, adeoque juxta hæc cura erit inſtituenda.

I.) Ad ſubjectum cauſæ reſpicientes autores primo loco vel purgans, vel vomitorium cum clyſteribus ſæpius injectis adhibent.

Purgantia quod attinet, illa non temere ac promiſcue in uſum ſunt trahenda, dum humoribus multis jam ſalinis, acribus atque heterogeneis particulis impletis horum uſu novus facile poteſt accedere ſtimulus, ut majora illis inde inducantur incommoda. Nam 1.) ratione ſalis humores jam nimium reſoluti magis fiunt tales, & in majorem abeunt colliquationem; 2.) ratione acrimoniæ ſalinæ ſtimulantis noxii pariter ac laudabiles educuntur humores, qui tamen in tanto artuum æſtu ſollicite erant aſſervandi atque cuſtodiendi; unde diarrhœa non præcavetur, ſed promovetur, & vires proſtratæ jam ante labefactæ magis dejiciuntur; id quod etiam ſufficeret ad deteſtandum hoc in caſu purgantium uſum. Et quamvis Excell. Præſes, Patronus noſter ſingulariter colendus diarrhœam dixerit ſalutarem in *diſſ. de diarrh. in febb. mal. ſalut.*, hoc tantum intelligendum eſt de diarrhœa critica, non vero ſymptomatica aut colliquativa, quam clariſſimus autor quoque ab illa diſtinguit. 3.) Ratione particularum ſulphurearum humores ad majorem expanſionem & vehementiorem incaleſcentiam diſponunt; nam ſulphur eſt principium activum, elaſticum, oleoſum, reſinoſum, inflammabile; ideo quoque erit principium ignis, expanſionis, & per conſequens etiam caloris præternaturalis. De agyrta quodam, qui purgante remedio nobili febre petechiali laboranti mortem contraxit, vide ECKARD Ungewiſſenhafften Apothecker *p.* 373. Hinc idem quoque monet, quod purgantia in febribus malignis ſint vitanda, etiam in principio.

Si vero quis urgeat, exempli gratia cum morbum hunc a manifeſta quadam cacochymia & in primis

viis

viis commorantibus cruditatibus viſcidis atque bilioſis dependere certum atque exploratum ſit, id quod indicabunt nauſea, oris amarities, borborygmi acidi, bilioſi & nidorulenti, nos primis ſtatim morbi diebus, quando ſcil. nulla graviora adhuc adſunt ſymptomata, cum HOECHSTETTERO *Dec.* I. *caſ. VI.* & *D.* CHRIST. HELLWICH *obſ.* 132., *Eph. Germ. dec.* 3. *ann.* 7. inſerta, leniens quoddam benignum propinaremus, qualia ſunt e. g. *manna, cremor & cryſtalli tartar. tartarus vitriolatus, magneſia alba, folia ſennæ, rhabarbarum, mixta cum nitroſis, humectantibus, bezoardicis, it. ex compoſitis pilulæ balſamicæ Becheri, D. Stahl, tartareæ Quercetani, alexipharmacæ D. Kaulitz &c.* vel *Rec. aquæ florum acaciæ, ulmariæ ana unc. j. mannæ calabrinæ electæ drachm. VI. ſyrupi roſarum ſolutivi drachm. V.* M. D. S. Abführendes Träncklein auf ein mahl zu nehmen.

Sal volatile vitrioli, quod ex capite mortuo vitrioli, ex deſtillatione olei vitrioli reſidui & borace Veneta juſta proportione ſingulari quodam ſublimatur artificio & colore ſperma ceti æquat, in febribus malignis veſperi a ſcrupulo uno ad drachm. ß. exhibitum arcani inſtar laudatur a Gallis, ideo quod leniter alvum ſolvit, & materiam in primis viis commorantem educit felici cum ſucceſſu. Sic quoque *materia perlata a ſcrupul. ij. ad drachm. j.* data in febribus hiſce eſt egregii uſus, qua de re exſtat locus apud WERLOSCHNIG. *in epiſt. IX. & XVI. tractatui ſuo de curatione verno - autumnali* annexis. Commendari hic quoque meretur *decoctum iſtud laxativum*, quod paratur ex *tamarindis, manna & taleolis citri* gratiſſimi ſaporis in calore nimio, & ſic etiam in noſtro affectu valde proficuum, cujus deſcriptionem videſis in *Excell. Præſ. diſſ. de præſtantia mal. citr. in med. c.* 4.

Vomitoria ab autoribus variis miris in hoc affectu extolluntur laudibus. Sic RULANDUS *c.* 7. *de lue Hungar.* ita loquitur: *qui ſunt ad vomendum faciles, viriumque robore adhuc valentes, citius a fomite malignitatis liberantur, minuſque periclitantur ſævitia luis vomitorio accepto.* HARTMANNUS *in prax. chymiatr. p.* 357. huic accedit ſententiæ, dum ait: *In febribus malignis curandis feliciorem modum invenire fas non eſt, quam qui a vomitione incipit, & per media neceſſaria tandem in confortantibus deſinit. vid.* WERLOSCHNIG. *l. c.* Cum vero vomitoria volatilitate atque irritatione præ purgantibus adhuc polleant majori, & in hoc noſtro affectu ſpontanea quædam utplurimum ad vomitum adfuerit propenſio, de illorum uſu provide admodum ac circumſpecte erit agendum. Inprimis vero ſi quid urgeat, benigniora erunt eligenda, & quidem in principio, qualia ſunt *tartarus emeticus à gr. j. ad ij. cum cremore & cryſtallis tartar. vitriolum emeticum,* item *aqua benedicta Rulandi* qua D. SIMON PAULLI *de febr. malign. p.* 95. ſe cito, tuto atque jucunde cum tertianas tum febres malignas ſæpe abegiſſe, ingenue fatetur. De horum vero uſu imprimis valet iſtud: In principio, ſi quid movendum, move, poſtea vero quieſce.

Clyſteres RIVERIUS & cum eo HOECHSTETTERUS mire deprædicat, dum illos per totum morbi decurſum ad educendam ex inteſtinis atque abſtergendam materiam viſcidam, bilioſam, acrem, non obſtante alvi etiam fluxu, adhibere jubet, paratos ex emollientibus, abſtergentibus atque refrigerantibus, vitatis tamen ſtimulantibus & purgantibus, diarrhœam excitantibus majorem.

II.) Cauſa ſeu malignitas, cum ſit principium quoddam heterogeneum, fermentificum, flammulæ vitali noſtræ & maſſæ humorum maxime infenſum, eique per aërem communicatum, eò omni cura atque induſtria erit allaborandum, ut fermentum iſtud malignum, quo poteſt fieri citius e corpore per inſenſibilem tranſpirationem & lenem diaphoreſin eliminetur, & ſanguini ſua ſyſtaſis ac craſis reſtituatur.

Finem hunc ut obtineamus, adhibenda ſunt bezoardica, non volatilia, quorum ſcilicet uſum propter rarefactionem atque reſolutionem, quam humoribus inducerent adhuc majorem, iterum iterumque deprehendimus minus proficuum, quæ ſi quibuſdam ex cauſis indicentur, non niſi refracta doſi ſunt adhibenda; ſed α) media qualia ſunt *tinctura bezoardica Wedelii, Michaelis, Rolffinckii, eſſentia alexipharmaca D. Præſidis, Stahlii, eſſentia myrrhæ, ſpiritus theriacalis ſimplex & camphoratus, bezoardicus Wedelii, elixirium alexipharmacum D. Kaulitz, eſſentia ſcordii, ſerpentariæ virginianæ* β) fixa, quæ inſimul agunt abſorbendo, motum humorum nimis efferatum inhibendo & ſanguini ſuam craſin reſtituendo, v. g. *antimonium diaphoreticum, cornu cervi philoſophice præparatum & uſtum, lapides cancrorum, mater perlarum, unicornu verum, terra Lemnia & ſigillata omnis generis, bezoardicum Joviale, lunare, ſolare, lapis bezoar. orient. & occident.* item ex compoſitis *pulvis bezoardicus Wedelii maj. & min. Sennert. bezoardic. Anglicus alb. pannonicus ruber, epilepticus Marchionis, cordialis Dornerellii*, & innumera alia ex materia medica huc repetenda mixta invicem cum nitroſis, camphoratis, cordialibus, cinnabarinis, antepilepticis, aliiſque pro re nata varie immutandis, item ex acidulis *mixtura ſimplex rectificata, clyſſus antimonii, tinctura papaveris rhœados* &c. Calculi in hominum veſicis reperti vim diaphoreticam tempore ingentis illius peſtis, quæ anno 1624. & 25. Leidam & reliquam fere Hollandiæ civitates miſere devaſtavit, in penuria lapidis bezoardici BONTIUS expertus eſt ſatis egregiam atque præſtantiſſimam. vid. *Robert.* BOYLE *de utilit. philoſ. experiment. exercit. V. c.* 5. *p.* 223.

Si propter nimiam ſanguinis ebullitionem atque humorum colliquationem macularum retardetur proruptio, id quod evenire in quibuſdam ſolet, proſunt quam maxime acidulata & diaphoretica fixa cum nitroſis v. gr. *Rec. Antimonii diaphoretici, concharum ppt. bezoardici mineralis, nitri tabulati, ana ſcrup. unum, pulveris viperarum Italicarum, ſerpentariæ Virginianæ, ana gr. XV. M.*

Potui ordinario inſtillari poterit *clyſſus antimonii* vel *tinctura papaveris rhœados, florum* 4. *cordialium*, item *ſpiritus ſic dictus regius, ex ſpiritu roſarum ſalis, & confectione alkermes* paratus, ad guttulas aliquot, ſpiritus hujus regii deſcriptionem, vid. in *Excel. Præſ. B. Patris theſauro Pharmaceutico.*

Interponi his poſſunt potiones diapnoicæ, diluentes atque temperantes ex aquis bezoardicis deſtillatis, v. gr. *Aqua ſcorzoneræ, ulmariæ, ſambuci, calendulæ, ſcordii, cardui benedicti, Mariæ, cinnamomi borraginatæ & bugloſſæ, ceraſorum nigrorum, cornu cervi citrata, cordialis Herculis Saxoniæ frigida, galegæ, aquilegiæ, &c. Rec. Aquæ ſcorzoneræ, acaciæ, cardui benedicti, ana unc. ij. florum tiliæ, cinnamomi borraginatæ ana unc. j. antimonii diaphoretici, matris perlarum, lapidum cancrorum præparatorum, ana drachm. ſemis, cinnabaris nativæ præparatæ ſcrup. unum. mixturæ ſimplicis rectificatæ drachm. unam ſemis, ſyrupi de acetoſitate citri ad grat.* M. Item emulſiones ex *ſeminibus cardui benedicti, mariæ, citri, aquilegiæ, napi toſti, v. g. Rec. ſeminum cardui benedicti, aquilegiæ, citri ana drachm. duas, aquæ ſambuci, florum calendulæ, ulmariæ ana unc. unam, tiliæ, borraginis ana unc. ſem. F. l. a. Emulſio, colaturæ adde oculorum cancrorum drachm. unam,*

ſacchari

ſacchari perlati q. ſ. S. Kühlende Milch &c.

III.) Ad ſymptomata quoque in ſpecie erit reſpiciendum, & quidem in tumore tonſillarum deprehendimus proficuum *emplaſtrum de meliloto cum diaphoretico Mynſychti & oleo amygdalarum dulcium calide malaxatum & applicatum*, item ſacculos ex herbis reſolventibus, diſcutientibus atque paregoricis paratos, ex *floribus chamomillæ Romanæ*, *meliloti*, *verbaſci*, *herba abſinthii*, *chereſolii*, *cum croco*, *myrrha & camphora*, calide in forma ſicca, vel ſi nihil impediat, cum lacte coquendos & applicandos. Interne ad arcendam inflammationem poſſunt præſcribi varia gargariſmata ex *aqua nymphea*, *plantaginis*, *roſarum*, *prunellæ*, *ſempervivi*, *addito nitri depurati & ſyrupi cujuſdam parum*. Vel etiam gargariſma minoris apparatus poterit eſſe ſequens, quod fit ex decocto herbæ theæ, aut decocto hordei mundati, & nitro antimoniato, non neglectis diaphoreticis atque reſolventibus internis.

Si adſunt vomitus enormes, illi refrænandi ſunt antiſpaſmodicis, roborantibus, interne & externe adhibitis, v. g. *Rec. pulveris bezoardici Anglici*, *epileptici Marchionis ana ſcrup. duos*, *cinnabaris nativæ præparatæ*, *vel cinnabaris antimonii*, *ſuccini*, *ana ſcrup. unum*, *caſtorei præparati gr. vj. olei citri veri gr. j. M.* Si vero medicamenta per vomitum rejiciantur, tunc obſervandum, quod SYDENHAMUS *de febr. peſtilent.* ſcribit *p.* 166. *quod ſi vomitio interpellat, medicamentum ſudoriferum tantiſper propinare differo, donec ſolo tegumentorum pondere ſudor promanare incipiat. Nam cum materiæ morbificæ radii verſus ambitum corporis ſeſe exporrigunt, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eiſdem introrſum reflexis, ac in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes ultro ſedantur.* RIVERIUS hoc in caſu mire dilaudat *ſal abſinthii ad drachm. unam in cochleari ſucci limonum recentis exhibitum.* Externe ventriculo poterit imponi ſequens vel aliud emplaſtrum. *Rec. Emplaſtri de baccis lauri unc. duas*; *theriacæ Andromachi drachm. duas*; *olei nuciſtæ expreſſi drachm. unam*, *olei deſtillati carvi*, *fœniculi*, *menthæ*, *ſuccini ana guttas tres. M.* Vel ſi hoc minus arrideat, quia exinde nonnulli pororum metuunt obſtructionem & macularum retardationem, loco hujus potent adhiberi *balſamus vitæ Schroederi*, *Dn. Præſidis*, illinendo illo regionem ventriculi & deſuper ponendo linteamenta calida, vel, quod melius, ſacculum calidum ex herbis ſtomachicis, roborantibus atque nervinis paratum. Siccitati & ariduræ oris ac linguæ conſulitur, ſi os ſæpius cum decocto herbæ theæ, in quo tantillum lapidis prunellæ fuit ſolutum eluatur, item aqua rubra ad fauces, vel etiam mucilagine ſeminum cydoniorum aut gelatina cornu cervi citrata. Humoris vero ſalivalis aliquo modo reſarcitur defectus, ſi ægro tantum bibere concedatur, quantum expetit; ubi tamen loco potus ordinarii eſſe poteſt, decoctum hordei cum cornu cervi & ſcorzonera, addito ſucco citri, vel etiam potus herbæ theæ.

In ſubitanea virium proſtratione danda ſunt analeptica, cordialia, reficientia interna, & externa, v. g. *Rec. Aquæ florum tiliæ*, *borraginis*, *ſambuci*, *acaciæ ana unc. j. ſemis*; *e typhis cornu cervi citrat. unc. unam*, *coralliorum alborum*, *matris perlarum*, *lapidum cancrorum præparatorum*, *antimonii diaphoretici ana ſcrup. unum*, *ſpiritus theriacalis ſimplicis drachm. unam ſemis*, *eſſentiæ ambræ ſcrup. unum*, *ſyrupi florum tiliæ q. ſ. M.* Externe ad cor, & pulſus poſſunt applicari ſacculi ex *ſpeciebus pro epithemate cordis*, *radice contrayervæ*, *ſerpentariæ virginianæ*, *myrrha*, *floribus anthos*, *croco & camphora* parati, item epithemata ex *aqua carbuncul. cum moſcho*, *floribus ſambuci*, *ro ſcorum*, *aceto rutaceo*, quæ tamen fugienda ſuadet WEDELIUS *exercit. pathol. therapeut. exerc. 1. c. 5.* maxime ſi ſint frigida & aquoſa, ne ſcil. ab illis impediatur diaphoreſis & malignitas a peripheria ad centrum propellatur. Quod ſi autem applicanda videntur, calida ſaltem atque ſpirituoſa trahantur in uſum.

In agrypnia emulſiones ante memoratæ habent locum, additis *ſeminibus 4. frigidis majoribus*, *papaveris albi*, non neglectis bezoardicis malignitati debitis. Externe temporibus illinantur balſamica ſuaveolentia, ſulphure ſuo blando vaporoſo ſpiritus animales placantia, eorumque motum efferatum demulcentia, v. g. *balſamus Cellenſis apoplecticus* variorum autorum & multa alia, vel ſequens unguentum: *Rec. Olei nucis moſchatæ expreſſi unc. ſemis*, *olei lavendulæ*, *majoranæ*, *citri*, *ſalviæ*, *chamomillæ Romanæ*, *carvi deſtill. ana guttas ij. M.* De delirio febrili cum pertinaciſſimis vigiliis cerebro ruffi canis recentiſſimo *in aqua nymphea* cocto, & croco conſperſo, ſedato, vid. PAULLINUS *cent.* 4. *obſ.* 64.

Si morbo huic ſuperveniunt motus convulſivi, adhibenda veniunt antepileptica, antiſpaſmodica, nervina, v. g. *aqua florum tiliæ*, *lavendulæ*, *roſmarini*, *epileptica Langii*, *hirundinariæ cum caſtoreo*, *ſpecifico cephalico Michaëlis*, *raſura ungulæ alces*, *cranio humano*, *cinnabari antimonii*, *nativa*, *ſuccino*, *caſtoreo*, & ex his compoſiti pulveres epileptici variorum autorum, aliaque innumera ex materia medica ſatis nota varie inter ſe miſcenda. HOEFERUS in *Hercul. med. l. 6. c.* 2. pinguedinem inſtar ceruminis aurium flavam, quæ reperitur infra cervorum oculos, hoc in caſu mire extollit; & PRIMEROSIUS *lib.* 4. *c.* 16. lacrymarum cervi facit mentionem, illaſque pariter dilaudat.

In ſuperveniente ſingultu D. KAULITZ præter jam memorata antepileptica nervina *oleum bezoardicum* WEDELII ad mentem *Excell. Præſ. in diſſ. de præſt. mal. cit. ex oleo citri compoſitum ad guttas* iij. vel ultra in vehiculo conveniente exhibitum iterum iterumque deprehendit proficuum ſalutari cum effectu.

Ad hæmorrhagias ſymptomaticas præcavendas DOLÆUS *Encyclop. med. dogm. l. 4. c.* 5. epithema commendat ex ſucco ſempervivi, aceto, nitro & camphora paratum, & teſtibus applicatum; præſentes vero ſedant nitroſa diluentia, abſorbentia, colliquationi humorum debita pariter ac diluentia, v. gr. *Rec. Aquæ ulmariæ*, *acaciæ*, *burſæ paſtoris*, *ana unc. duas*, *cinnamomi cydoniatæ unc. j. ß. coralliorum rubrorum præparatorum*, *lapidum cancrorum*, *ana drachm. ſemis*, *nitri depurati ſcrup. unum*, *tincturæ coralliorum drachm. unam*, *ſyrupi de acetoſitate citri unc. unam. M.* Tali porcini calcinati in aqua tormentillæ ad drachm. unam exhibiti vim in ſedandis hæmorrhagiis ſatis egregiam vid. apud PAULLINI *cent.* 4. *obſ.* 65. vitanda tamen maxime ſuademus ſtyptica, quæ malum non tollunt, quin potius augent.

Inter topica, quæ hæmorrhagiis ſedandis inſerviunt, ab autoribus paſſim recenſentur varia. Sic quidam lapidem hæmatitem, item bufonem exſiccatum, vel vitriolum cyprinum in utraque manu vel ſub axilla detinere jubent; burſæ paſtoris in una, & jaſpidis in altera manu retentione hæmorrhagiæ a LANGIO certo ſedari dicuntur experimento, vid. pluribus WEDELII *amœnit. mater. med. l. 2. ſ. 2. c.* 19. Cum vero hæc omnia propter actuale frigus & vim ſtypticam agant medicamentis illis inhabitantem, potius iſta omittuntur, quoniam exinde etiam malignitatis a peripheria ad centrum poteſt fieri regreſſus. Sin hæmorrhagiæ modum excedant, gutta una atque altera cruoris ſtilletur ſuper pulverem a

WEDELIO

Wedelio *l. c.* deſcriptum, vel etiam ſuper caput mortuum vitrioli, felici admodum cum ſucceſſu.

In diarrhoeæ cura *pulvis bezoardicus Anglicus*, *epilepticus Marchionis*, *cordialis Dorncrellii*, *corallia rubra & alba*, *terræ ſigillatæ omnis generis*, omnem implent paginam. Ceterum in genere hic monendum eſſe operæ duximus pretium, quod in hac cura ex experientia *Excell. Præſidis*, D. Stahl *& D.* Helwich *l. c.* ab adſtringentibus, volatilioribus, atque opiatis, imo a regimine calidiori in- & externo, niſi quid urgeat, ſollicite ſit abſtinendum, quia ab hoc humorum productam colliquationem, ab illis vero, adſtringentibus ſcil. atque opiatis, ſudoris alias ſalutaris impeditam obſervarunt excretionem.

In macularum retroceſſione bezoardica volatilia, calidiora, cum regimine calidiori injungenda externo.

Præſervationis ergo autores varia commendant amuleta ex venenis, nempe ex *arſenico* & *mercurio* parata, cordique appenſa, ex quibus tamen nullum fere autores varii obſervarunt uſum, ſed quod ſæpius morbis ejuſmodi contagioſis anſam præbuerint majorem. vid. D. Bohn *diſſ. de prophylax. peſt. dub.* §. 23. *item Dn. Præſid. diſſ. de method. curand. peſtem* §. 19. & Bernhard. Verzascha *obſ. 66. Magnificus* Wedelius loco amuleti *radices colchici & plantaginis* commendat in pectore geſtatas. vid. Wedelii *diſſ. de plantagine c. 3.* Sed majori cum fructu commendanda ſunt varia, quæ proſtant maſticatoria, maxime cum a *Dn.* Dobrezinski *in M. N. C. dec. I. ann. 9. obſ.* 170. ſalivæ ſæpius reiterata ejectio tanquam optimum peſtis & febrium malignarum commendetur præſervativum, quoniam lympha eſt miaſmatum vehiculum. Ex horum numero ſunt *myrrha*, *cubebæ*, *radices zedoariæ*, *galangæ*, *cortices citri*, de quorum vi balſamica a morbis malignis, imo peſte ipſa præſervante videri poteſt *D. Præſid. diſſ. ſæpius allegata*, tempore matutino maſticata; eandem quoque ob cauſam herbæ nicotianæ, cujus fumi dulciſſimum nectar amatores tantopere æſtimant, uſum concedimus moderatum. *Excell. Dn. Præſes* præſervandi fine adhuc commendat *decoctum veronicæ & ſcordii*, quia ſanguinem fluxilem ſervat, putredinem arcet, dyſcraſiæ atque malignitati humorum reſiſtit.

Optimum vero ſtatuimus eſſe præſervativum, ſi animi affectus, curæ mordaces, timor, terror & triſtitia exſulent, & animus ſit tranquillus atque inconcuſſus. Hinc quoque *de peſte per muſicam curata*, verba ſunt Dan. Georg. Morhoff. *in diſſ. de vitr. per voc. ſan. rupto. c. 17. antiquis autoribus traditur, a qua ſaltem præſervari potuiſſe credibile eſt, cum per muſicam excitati ſpiritus animales vividi ſemper & efficaces, facile diſpulerint maligni aëris nebulas, quæ ſpiritibus per motum & quietem quaſi fixis facilius ſe inſinuant, atque humores & ſanguinem ad fermentationem diſponunt.* De febre maligna per Muſicam curata poterunt evolvi *M. N. C. dec. 3. ann. IX. obſ.* 27. Sed hæc obiter, properamus nunc ad diætam.

CAPUT IX.

Diætam præſcribit.

Diæta in ſex rerum non naturalium legitima & ad hunc affectum maxime accommodato conſiſtit uſu. Aër ſit temperatus, inter calidum & frigidum medius, purus; & ſi de contagio fuerit ſuſpicio, variis ſuffimigiis correctus, v. g. *myrrha*, *ſuccino albo fragranti*, *thure*, *maſtiche*, *floribus lavendulæ*, *roſarum rubrarum* &c. Vitetur e contrario frigidus atque humidus.

Cibus ſit εὔπεπτος καὶ εὔχυμος, v. g. juſcula caponum, galli gallinacei, carnis vitulinæ, hordei mundati &c. Vitandi vero ſunt aromatibus conditi, nimis ſalſi & durioris concoctionis.

Potus ſit tenuis, tepidus, clarus ac defæcatus, v. g. cereviſia ſecunda, potus herbæ theæ, decoctum hordei cum cornu cervi & ſcorzonera, addito ſucco citri ad gratiam. Fugiendus frigidus, turbidus atque ſpirituoſus; adeoque vini uſura ægris plane erit interdicenda, licet Manget *bibl. medic. pract. tom. 2. lib. 6. p.* 199. vini uſum in febribus malignis concedat, dicens: *Vinum, perquam optimum eſt, ſed ſit modicum & dilutum. Solo quippe vini uſu plerique a febribus malignis liberati referuntur. Eſt enim cardiacum ſimulque alexiterium & ſudorificum, ſpiritus vivificans, & putredini reſiſtens.* Idem hoc Raymund. Joh. Fortis *lib. de febb. p.* 280. confirmat; vini rubri uſum in variolis & ipſa febre maligna Paullin. *cent.* 2 *obſ.* 22. invenit ſalutarem. Pleuritidem vini potu ſedatam refert Joh. Rhodius *cent. 2. obſ.* 16. ubi quoque exſtat, quod Cæſar Crivellatus in febre maligna, quin & petechiali ipſa, ex vini potu convaluerit, illiuſque uſum in plurimis poſtea deprehenderit utiliſſimum. De ſalubritate vini in petechialibus febribus vid. *Ephem. Germ. curioſ. dec. 2. ann. 4. obſ. 169. & ann. 6. obſ. 20. item ann. 7. obſ.* 145. Sed quæ Medicorum iſte Cicero, Celsus, habet verba, hic non incongrue apponere licebit:

Sæpe quos non reſtituit ratio, temeritas adjuvat.

Somnus quovis modo procurandus, ſitque moderatus. *Vigiliæ* vero nimiæ abſint ex cauſis jam notis.

Motus quilibet violentus, & frequens corporis jectitatio ac denudatio vitanda; item monente *Excell. Præſide* fugiendum eſt, ne ægroti diutius corpus in erecta teneant poſitura, ſive ſurgendo, ſive in lecto ſedendo, quia morbi vehementia mirifice inde augetur. Sentiunt enim poſt talem ſitum debilitatem maximam, animi deliquium, anxietates circa præcordia, quin imo maculæ quandoque recedunt, cujus cauſa non ab aëre frigido externo arceſſenda, ſed quia in malignis cum ſpiritus & vires deficiunt, ſyſtole cordis, qua ſanguis ejicitur in arterias, debilis & imbecillis eſt, unde ad ſanguinem perpendiculariter ſurſum movendum ad caput non ſufficit, cum perpetuo motus perpendicularis gravium ſurſum valde ſit difficilis. Quandocunque itaque cerebrum ſufficiente ſanguinis affluxu deſtituitur, ſpiritus etiam pauciſſimi generantur & ſeparantur in cerebro, a quorum ceſſante influxu poſtea cor motum ſuum plane amittere incipit, unde animi deliquium, extremorum frigus, pororum conſtrictio, exanthematum retroceſſio, & quæcunque tandem per tranſpirationem erant ſeparanda, ſanguini denuo admiſcentur, & novas alterationes inducunt. *Quies* tum corporis tum animi diligenter injungenda ægrotis.

Excreta reſpondeant ſemper ſtatui ægroti. Dum vero alvus leniter obſtructa hoc in affectu ſit minus periculoſa, itaque hæc non temere erit ſollicitanda. Sin ſit pertinaciſſima & anxietates inde augeantur præcordiales, illa officii ſui erit admonenda clyſtere quodam emolliente.

Animi pathemata cane pejus & angue fugienda. Animus e contrario ſit quietus ac tranquillus, in Deo ejuſque voluntate placide acquieſcens divina, & ab hac morbi hujus dubii admodum atque ancipitis vel ſalutis vel mortis fide inſtructus firmiſſima in Chriſtum expectans eventum.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
DE
DIARRHOEA IN FEBRIBUS
MALIGNIS ALIISQUE ACUTIS MORBIS SALUTARI;

Primùm edita Anno 1700.

PROOEMIUM.

SI quid perpetuo genuinæ pathologiæ medicæ & rationalis praxeos incrementum adhuc moratur, certe eſt peſſimus rerum quæ facti ac effectus ſunt, ſeu experientiæ ſolidæ neglectus. Quandoquidem in confeſſo eſt apud omnes cordatos & exercitatos Medicos, firmiſſimum & quaſi primum theoriæ medicæ fundamentum eſſe experientiam, ſive attentam & ſollicite factam obſervationem illarum rerum, quæ & ægrotantis & morbi naturam atque ingenium patefaciunt, remediorumque effectum nobis oſtendunt. Quam ob rem qui non inſiſtit huic fulcro, is profecto vanam, inanem atque infidam in medium afferet theoriam. Res ipſa id ſufficienter comprobat, quot enim proſtant in foro medico circa morborum ortum & cauſas hypotheſes, opiniones, quæ quoniam non depromptæ ex obſervationibus veris atque completis, certe omni uſu in praxi deſtituuntur. Quinimo animadvertimus indies cuncta ferme in praxi hiſce hypotheſibus & citra experientiam excogitatis rationibus evenire adverſa atque contraria, præſertim quantum morborum geneſin, eventum, nec non remediorum effectum attinet. Nolumus autem hoc loco id exquiſitius perſequi, aut diutius huic propoſitioni ſtabiliendæ & confirmandæ immorari, ſed unicum tantummodo exemplum hic attigiſſe nobis ſuffecerit. Neminem namque latere poteſt, qui parumper rerum medicarum gnarus eſt, quam pernicioſus & exitialis communiter creditus fuerit alvi fluxus in morbis acutis, inque primis malignis febribus, adeo ut in vitæ periculo verſari certiſſimo ille fuerit judicatus, cui alvum moventia pharmaca dictis in morbis fuerint adminiſtrata, vel ſi non cito diarrhϾ ſponte provenienti conveniens ſedativum fuerit propinatum. Recepta hæc medendi via complures per annos fuit, & principum Medicorum ſtabilis ſententia adhuc erat, venenum ejuſmodi evacuationis genere intro ad cor & viſcera vitalia revocari, quoniam firmiter ſibi perſuaſum habebant, dictos hos morbos omnes ac ſingulos à tenui eoque virulento vapore, qui & ſanguinis ac ſpirituum mixturam contaminet, putridumque calorem inferat, oboriri, qui non per aliud emunctorium, quam habitum corporis ac cutis ſpiracula deturbari debeat. Quem in finem primarius ſcopus habitus fuit, alexipharmacis & bezoardicis ſudoriferis exiliſſimam & pernicialem hanc materiam foras proſcribere. Quum vero multiplici experientia & Domino *Præſidi* aliiſque ſcientiſſimis praxeos ſolidioris innotuit, & ipſe edoctus quoque ab ipſis ſum, alvi fluxum petechialibus variiſque malignis & acutis febribus complicatum non modo innoxium, verum potius ſaluberrimum fuiſſe notatum, ita ut morbi hi graviſſimi feliciter ejuſmodi excretionis genere fuerint ſoluti. Et quoniam conſenſum aliorum celeberrimorum Virorum etiam ex antiquitate circa hanc rem reperirem, non dubitavi argumentum hoc utiliſſimum tractandum ſumere, & ſpeciminis inauguralis loco paulo propius illud evolvere, evidentiſſime oſtendendo tam experientia, quam autoritatibus & rationibus pulcherrimis munitus, alvi fluxum non eſſe pernicioſum febrium malignarum aliarumque ſymptoma, ſed potius feliciſſime hoc ipſo critice ſolvi morborum dictorum potentiam. Hoc inſtitutum quo felicius procedat, Deum T. O. M. ſupplex veneror, ut gratia ſua efficaciſſime noſtris meditationibus adſiſtere ac benedicere velit.

RARY
founded 18.3
HOOL OF MEDICINE

§. I.

PRius autem quam me accingam ad præſentis negotii tractationem, utile fore judico exponere, quid per diarrhœam hic intelligam. Nec enim mens mea eſt, quamvis excretionem alvinam hic proficere, probe gnarus, interdum quoque illam valde noxiam atque exitioſam eſſe, præſertim cum per totum morbi decurſum duret, vel in principio morbi gravius affligat; nam talis colliquativa vires, quæ hiſce in morbis ſtudioſe ſervandæ ſint, totaliter evertit atque proſternit. Mali etiam moris eſt, ſi ejecta ſanguinea, nigra ac fœtida fuerint, qualia etiam juxta HIPPOCRATIS effatum funeſta ſunt. Nec porro illam intelligimus quæ ſymptomatica Medicis audit, & ex ſalis cauſtici inflammatorii quod foras ad cutim protrudi debebat retroceſſione ac decubitu ad ſenſibiliſſimas inteſtinorum membranas, naſcitur, & morbi vel vehementiam, vel ejus inordinatum ac pravum morem ſignificat. Verum de tali fluxu alvino nobis hic ſermo eſt, qui vel circa dies ſic dictos criticos, aut declinationis tempore evenit, & non adeo frequentia ſedum vires dejicit, ſed potius illas ipſas ſucceſſive erigit. Talem ſalutarem eſſe, nec facile cohibendum, ſed potius prudenter moderandum, vel etiam promovendum pro circumſtantiarum ratione judicamus.

§. II.

Dum autem hoc argumentum agitare & exequi conſtitui, mihi primum omnium incumbit, de experientiæ certitudine proſpicere, ſive firmare ac ſtabilire autoritatibus irrefragabilibus hoc aſſertum, ut dubitatio de ipſius rei veritate locum habere amplius minime poſſit. Ex antiquiſſimis autem ipſe HIPPOCRATES prodeat, qui in *libris epidemiorum* refert, multos hiſce morbis laborantes alvi excretione fuiſſe ſanatos. Hunc excipiat GALENUS, qui in *Sect. IV. §. 21.* multas verè peſtilentes conſtitutiones alvi fluore judicatas recenſet. Plures vero hujuſcemodi dejectiones in peſtilenti hoc morbo longo conſpeximus, quæ non magis in iis qui exitio proximi erant, quam aliis ſalutares apparebant; & *lib. V. meth. medendi cap.* 12. inquit: cæterum qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile ſanati videntur, quod præſiccatum iis præpurgatumque totum corpus fuerit, quippe cum evomuerint ex iis nonnulli & omnibus venter profluxerit. Conſimilem alvi fluorem obſervavit GALENUS in quadam peſtilenti conſtitutione, retulitque fuiſſe ſalutarem *lib. de atra bile Cap. IV.* Simile quoque iis effecit longa hac prolixiori æſtate peſtilentia orta nec paucis eorum, qui ſervati fuere, nigrorum dictorum excretio per inferiorem ventrem fiebat, die maxima ex parte nono, vel ſeptimo vel undecimo. Porro præſtantiſſimus quoque Italus GERHARDUS COLUMBA *in lib. de febre peſtilentiali* mirifice commendat excretionis alvinæ effectus in ſolutione harum febrium, ubi ſcribit p. 231. quod in illa conſtitutione peſtilenti fere omnes, quibus alvus copioſe ejecit, licet cum ſignis cruditatis fuerit, tandem liberatos fuiſſe. Procedente enim, pergit, alvi fluore, indies coctionis ſigna ſuperveniebant, morbus evadebat clementior, & tandem alvi fluore perſeverante fideliter & integre ægri judicabantur.

§. III.

Ad rem quoque noſtram pertinet obſervatio MORÆI feliciſſimi Practici, qui de maligna febre tertiana duplici continua paroxizante elegantem conſcripſit tractatum, in quo plus quam viginti obſervationibus accurate deſcriptis notavit, has febres, quæ partim cum petechiis, anxietate maxima, manuum tremore, inquietudine ſumma, nec non motibus convulſivis, viriumque languore maximo junctæ fuerunt, diarrhœa, quam vel ipſe procuravit clyſteribus lenientibus, electuariis lenitivis, vel ſi adfuerit iiſdem remediis adjuvaverit, ſanatas feliciſſime fuiſſe. Doctiſſimus VALLERIOLA *in obſerv. med. lib. VI. de febr.* refert, puellam quandam 8 annorum in lethalem febrem continentem graviſſimis & lethalibus ſymptomatibus ſtipatam incidiſſe, cum ingenti delirio, vigiliis, crebris animi deliquiis, & ſine cibo fere 8. dies manſiſſe, omniaque illi data rejeciſſe, cumque morti jam proxima eſſet, ac prorſus deploratæ valetudinis, fluxu alvi tandem licet ſumma cum virium proſtratione ſuborto liberatam fuiſſe; alvi enim fluor dies totos plus minus 14 perſtabat, & multa biliosa, fervida, porracea, & peſſime olentia dejecta fuerunt, tandem remediorum uſu forinſecus adhibitorum, impetum humorum cohibentium, ventris fluxu ſedato ægra integra ſanitati reſtituta fuit. Similem ferme JOH. SCHENCKIUS *in obſ. lib. VI. de febr.* annectit obſervationem de juvencula febre continenti gravi correpta, cui die 14 largus ſanguinis fluxus e naribus acceſſit, hocque reſtincto alvi fluor ingens ægram corripuit, quo etiam a periculoſo hoc morbo liberata fuit.

§. IV.

Attentionem etiam merentur, quæ nobis tradit LAZARUS RIVERIUS *in ſuis obſerv.* qui *cent.* 1. *obſ.* 47. mentionem injicit febris continuæ malignæ, quæ alvi fluxu moderato feliciter terminata eſt; & quamvis aliquot diebus elapſis, ob errores in diæta commiſſos recidivaſſet, nihilominus & hæc alvi fluxu tam natura quam etiam arte, clyſtere nempe laxante, excitato ſalutariter quoque ſoluta fuit. Similem obſervationem idem Autor commemorat *in eadem centuria obſ.* 57. ubi puella 7 annos nata, febre continua, per ventris fluxum excitatum a clyſtere circa veſperam injecto, liberata fuit, dejecit nempe quinquies tota nocte materiam pituitoſam, bilioſam, & valde fœtentem. Celeberrimus quoque hic Autor, alvi fluxum in febre quadam maligna cum exanthematibus, non ſiſtentibus ſed attemperantibus ex lacte paratis tractavit, & feliciter ægrum ſanavit, qua de re legi poteſt *obſ.* 34. *cent.* 2. Deinceps & notabilis eſt illa hiſtoria, quam refert *cent.* 2. *obſ.* 87. ubi vir laboravit febre maligna per ſex ſeptimanas, cum tanta virium dejectione, ut brevi moribundus videretur, hunc ſolis laxantibus per intervalla reiteratis, ex infuſione ſennæ in aqua cichorei cum ſyrupo roſarum & ſale tartari paratis, priſtinæ ſanitati reſtituit. Sic etiam purgationem ſumme proficuam advertit in febre purpurata maligna, & quidem in ipſo ſtatu morbi; poſt catharticum enim medicamentum exhibitum, quod conſtabat ex ſennæ drachmis duabus, rhabarbari drachma una ſemis in decocto refrigerante infuſo, addendo colaturæ mannæ & ſyrupi roſacei ãã drachmam unam, non ſolum blande purgatus eſt, ſed eadem die puſtulæ quamplurimæ animadverſæ ſunt inſtar variolarum ad ſuppurationem accedentes, magno numero circa veſicatorium applicatum, ſparſæ vero per dorſum, lumbos & nates; altero die puſtulæ hæ majori ex parte ruptæ apparuerunt, & ad exſiccationem tendentes, & poſtquam aliquot diebus elapſis purgatio reiterata fuerit, febris omnino deſiit ac paucis poſtmodum diebus perfecte convaluit, uti *obſerv.* 21. *cent.* 1. hoc teſtatur. HORSTIUS, fide dignus autor *libr. obſerv.* 10. affirmat cauſum cum anxietate maxima, vigiliis, jactatione varia conjunctum critica diarrhœa bilioſa

bilioſa ſolutum, qua plus quam vigeſies alvus bilioſa excreta dejecit.

§. V.

Ex Recentioribus referri etiam meretur Doct. Apinus in *tract. de febre epidemica* ubi pag. 147. hæcce ſcribit: *Solutionis harum febrium modum per diarrhœam quod attinet, obſervavimus ſane in hac epidemica conſtitutione plus vice ſimplici, ubi mox inter initia fluxus incideret alvinus, ægros brevi tunc morbo liberatos & non ita graviter affectos fuiſſe.* Et interjectis quibuſdam, dicit: *nec ſaltem in hoc morbi initio ſalutares deprehendimus diarrhœas, ſed & illo amplius provecto facilem iteratamque alvi ſolutionem miro ægris profuiſſe levamini vidimus, etiamſi petechialis fuerit febris, quin etiam diarrhœam profuſiorem morbo poſt diem 13. ſupervenientem indemnem ac plane criticam fuiſſe notavimus*, & hæc aliquot obſervationibus confirmat. Joh. Rhodius in *obſerv. med. cent.* 2. *obſ.* 85. vidit quoque diarrhœam ſanguineam febri malignæ ardenti accedentem criticam, nec non meminit febri fluxu bilioſo adveniente quamplurimos evaſiſſe.

§. VI.

Memorandum circa hanc rem quoque eſt, quod pulchre notavit Excell. Dn. Stahlius Profeſſor hujus Academiæ celeberrimus in *Problemat. de Febribus ſub titulo ecthymaticæ* 32. *p.* 13. dum ita ſcribit: *alvi adſtrictionem in petechiis nocuam potius quam ullo modo proficuam eſſe, diarrhœam vero ſi non actu utilem, at nihil periculi directe inferre.* Et *problem.* 40. *p.* 14. inquit: *Purpuram albam poſt petechias non bene exeuntem diarrhœam ſubſequi, utile.* Eleganter quoque Henric. Screta in *tract. de febri caſtrenſi maligna cap.* 4. *p.* 331. *Diarrhœæ criticæ in hiſce morbis non ſunt ſiſtendæ, niſi diutius durando vires nimis exhauriant.* Et *cap.* 11. *p.* 174. *ventris profluvia critica ſive flava ſint ſive cinericea, modo non ſint dejectiones ſinceræ, fœtidæ aut atræ portiunculæ carbonum inſtar excrementis immixtæ, quæ plerumque lethi prænuntii ſunt, quamvis ægri inde multum debilitentur, materiam virulentam educunt ac malum infringunt.*

§. VII.

Idem quoque aſtruit Cl. Willisius *de febribus cap.* 4. hiſce verbis: *diarrhœa nonnunquam etiam circa morbi ſtatum & in declinatione ejus accedit, quâ natura victrice craſſiora ſanguinis purgamenta hoc modo critice excernuntur.* Bonetus in *theſauro ſuo med. practico p.* 71. §. 63. *de putridis febr.* talia profert: *ſola criſis, quæ fit per alvi fluxum, ſolet eſſe ſecura, cui tamen non eſt ita fidendum, ut ab omni purgatione abſtineamus, ſordes enim adhuc præcordiis & affluens alimentum corrumpunt, unde aut recidiva, aut alterius morbi cauſa oritur.* Idem Autor *tit.* 3. *de cauſo cap.* 2. ita loquitur: *quibus paulatim & per multos dies in febribus ardentibus ſive bilioſa, ſive pituitoſa, ſive dyſenterica alvus ejecit, evaſere.* Celeberr. Ettmullerus *p.* 364. *de febre maligna petechiali* ait: *quod ſi maculis jam apparentibus ſuperveniat alvi fluor, caute tractandus, & non adeo ſubito ſupprimendus, niſi copia exceſſerit, quod natura evacuationem ſenſilem moliatur, idque præſertim ſi affectus non tam ex contagio, quam ex interno contentorum ſpontaneo vitio ac corruptione originem ducat, ita tamen regatur, ut macularum expulſio quantum poſſibile promoveatur, non verò ab iſto alvi fluore cohibeatur.*

§. VIII.

Poſtremo etiam de noſtra experientia quædam hic addenda ſunt. Graſſata fuit per duos ferme annos hic loci febris maligna cum & ſine petechiis, quæ infeſtavit & e medio ſuſtulit non paucos, in hac ipſa non modo Dn. Præſes, ſed & famigeratiſſimi hujus loci Practici, & ipſe ego, cui ſæpius licuit ægrotantes Dn. Præſidis dexteritati commiſſos viſitare, & totum morbi decurſum obſervare, ſedulo adverterunt non modo ſudorem cum diarrhœa junctum, ſed & ſolum alvi fluxum perutilem ſaluberrimumque fuiſſe, præſertim circa diem ſextum, nonum vel undecimum, ita ut qui evaſit, mediante ſudore vel diarrhœa, vel utraque excretione ſimul a malo hoc fuerit liberatus, quam rem fuſius etiam jamjam tractavit Exc. Dn. Præſes in *diſput. de febre petechiali.* Et notabile fuit, quod omnes illi, quibus alvus fuerat obſtructa majores anxietates, cephalalgias, deliria & circa fauces pathemata inflammatoria experti fuerint, quin imo ſi cohibita fuit intempeſtive alvi dejectio ipſa mors non raro inſecuta fuerit.

§. IX.

Poſtquam itaque ſufficienti & irrefragabili experientia præſtantiſſimorum Practicorum corroboratum à nobis fuit naturam, quæ ſcitiſſime ab Hippocrate morborum medicatrix nuncupatur, ſæpe numero in acutis & malignis febribus opportune & ſaluberrime per alvum ſponte moliri excretionem materiæ admodum noxiæ ac peccantis, & hoc pacto morbum per quam commode vincere ac expugnare. Neceſſarium jam eſſe arbitror, ut paulo penitius expendamus atque inveſtigemus, annon arte quandoque iſtum motum ac beneficium naturæ adjuvare ac promovere liceat. Hoc autem negotium ut rite exequamur maxime omnium etiam nobis opus eſt experientia certa atque indubitata, quæ omnibus rationibus longe ſuperior, & ut antiquitatem etiam in teſtimonium vocemus primus prodeat Hippocrates à quo ſæpe dictum in libris ſuis & maxime *Sect. IV.* §. 47. malum eſſe ſi in febribus nihil excernatur per alvum, item *in libro de affection.* convenire in omnibus morbis ventrem clyſtere purgare, & *Sect. I.* §. 24. ubi natura turget in acutis ibi eſſe purgandum. Ex Arabibus Avicenna docet, febrem peſtilentem ventris ſolutionem requirere. Affirmat quoque hanc medendi rationem Sennertus *lib.* 11. *cap. VI.* de purgatione talia proferens: Cum fomes & materia, quæ febres malignas augere poſſit, plerumque in primis viis conſiſtat, in febribus malignis imo peſtilentialibus & peſte ipſa non incommode primas vias evacuantur, hoc enim niſi fiat, nec ſymptomata mitigantur nec malignitas obtunditur, nec alia cum fructu & ſucceſſu tentari poſſunt. Superius laudatus Moræus *in tract. de maligna febre paroxizante* deprehendit evacuantia ſumme proficua tam in morbi acceſſu, quam in ejus progreſſu, & hoc confirmavit plusquam 20. obſervationibus ſelectis, non autem in uſum admiſit acriora & calidiora, ſed ſaltim lenitiva & primam regionem detergentia, nam uſus eſt clyſtere, quod conſtabat ex cremore hordei, vitello ovorum, melle violaceo, oleo violarum, interne autem miniſtravit pharmaca leniſſima ægrotantibus & maxime in uſu habuit familiariſſimo pulpam tamarindorum, item infuſum ex rhabarbaro, foliis ſennæ, cremore tartari, manna, aqua acetoſæ compoſitum, & hiſce remediis, etiam alvi fluxu præſente quandoque pro circumſtantiarum ratione, uſus eſt, ut naturam in hoc opportuniſſimo excretionis genere maximopere juvaret.

§. X.

Conſulendus præterea Donckers, qui in *tract. de morbo puncticulari* variis obſervationibus atque experimentis adſtruit ac evincit, alvi purgationem, a qua etiam curam inchoavit, valde proficuam repertam fuiſſe in omnibus qui ex hoc morbo ægrotarunt; probe autem notat, non vehementia, quippe quæ craſin naturalem humorum plus turbant, ſed blanda ſalina aciditate prædita huic ſcopo congrua eſſe; quandoquidem hæc ipſa impuritates ac cruditates putridas prima in regione collectas, quæ morbi vim augent, non modo abſtergunt, verum etiam ſimul in ſanguine particularum ordinem & contextum corroborando ipſius conſiſtentiam ita confirmant, & quantum poſſunt adverſus contagium defendunt, ut purgantia ſimul & confortantia ſive aliquo modo etiam alexipharmaca dici mereantur, cujus generis dilaudat pulpam tamarindorum, extractum caſſiæ, cremorem tartari, arcanum duplicatum, ſal acetoſellæ, ſpiritum vitrioli coagulatum, nitrum præparatum, quibus ſalibus diagridium commode admiſceri poteſt. Laudatus *Autor* ſequens electuarium in epidemia hac conſtitutione petechiali frequenti uſu probatiſſimum invenit: cujus ſolius ope morbum hunc, antequam malignitatis vim indueret è veſtigio intercepto ejus fomento, expugnatum fuiſſe certo deprehendiſſe ſcribit, inque omni ſexu ætate ac temperamento ſemper id ipſum præſcribere ſolitus eſt. Electuarium autem eſt ſequens. Rec. Diagrydii gr. xij. cremoris tartari, pulpæ tamarindorum, caſſiæ recenter extractæ, confectionis alkermes ãã drachmam ſemis: ſyrupi cichorei cum rhabarbaro drachmam j. ſpiritus vitrioli gr. vj: Miſce, fiat electuarium, aſſumatur diſſolutum in cochleari vini vel cum juſculo, vel alio conveniente liquore. Pulchre autem advertit circa purgantium in genere uſum, illa non ſemper doſi completa & integra eſſe propinanda, ſed in mediocritate conſiſtendum, quoniam complures, qui alias alvi ſunt durioris, in principio hujusmodi febrium in diarrhœam ſunt proclives, alterque altero facilius movetur, unde facile exhibito purgante in plena doſi ſubſequi poteſt pernicioſa hypercatharſis. Non autem tantum inchoavit curam taliſmodi purgantibus, ſed & ejus finem hiſce impoſuit, & intermedio tempore etiam ſi neceſſitas poſtulavit ipſis uſus eſt.

§. XI.

Conſentit porro in eandem methodum medendi febribus malignis Cl. Riverius Practicus magni nominis, qui in *tract. de febre peſtil. ſect.* 3. *cap.* 1. hæc tradit. Enemata non ſolum in morbi principio ad primam regionem ab excrementis liberandam, ſed etiam toto morbi decurſu uſurpanda ſunt, ſi alvus ſponte non fluat, idque ſingulis vel alternis diebus. His enim quotidiana excrementa educuntur & quædam materiæ morbificæ portio ſenſim detrahitur; tum etiam humores ad ſuperiores partes vergentes ad contraria loca, eaque naturæ conſentanea retrahuntur; hæc autem enemata, ſcribit, ex decocto emolliente ac refrigerante componenda ſunt, additis laxantibus benignioribus; acria enim & diagrydiata nimium irritant naturam ad excretionem, & ſæpe pernicioſos alvi fluxus inducunt. Idem Autor *Sect.* 3. *cap.* 1. *p.* 140. *de febre peſtilenti* notatu digna hæc habet: utplurimum in morbi hujus declinatione coctionis ſignis manifeſte apparentibus, purgatio eſt inſtituenda, neque ſemel tantum, ſed ea non raro bis terve per intervalla repetenda, ut pravi humores funditus eradicentur; alioquin periculum eſt recidivæ aut ſaltem ægroti longe tardius convaleſcunt. Elegans quoque locus extat hac de re in *tract. curioſo de febre petech. Pancr. Eunonymi p.* 276. Lenientia & minorativa, ait, in principio exhibita, ſive jam per os ſive per anum ingerantur, nec naturam turbabunt, nec malignitatem augebunt, ſed materiam primis in viis hærentem ſuavi naturæ ſolamine evacuando ejuſdem in morbum victoriam accelerabunt. Grulingius Practicus eximius *in tract. de febre* ſuadet etiam lenitiva purgantia in acutis febribus, ſi nempe corpus ſcateat cacochymia, vel obſtructa ſit alvus a fecibus nimio calore induratis. Crato celeberrimus ille Archiater ad ſanandas malignas febres decoctum veronicæ cum butyro bene ſalito ad alvum laxandam injicit. Savanarola benigna etiam in uſum vocat dejectoria, quia morbus ut ait, non dat inducias, nec humor poteſt à natura probe concoqui. Primerosius *lib. IV. p.* 427. ſcribit, clyſteribus uti poſſumus quotidie, vel etiam alternis diebus, decocto refrigerante, decocto hordei, vel ſero lactis cum ſacharo, butyro, oleo & melle violaceo.

§. XII.

Cæterum ſi quis paulo ſollicite ſcripta Practicorum evolvere geſtiat, pleniſſimum aſſenſum circa hoc aſſertum reperiet; pauca ſaltim adhuc referre animus eſt. Occurrit autem primo Horstius *de febre hungarica:* qui *obſ.* 33. pronuntiat ſequentia: quotidie in hiſce febribus allaborandum eſt, ut alvus ſit libera, quod poteſt fieri cum manna, in brodio prunorum diſſoluta, vel foliis ſennæ; quod ſi fluxus alvi vel diarrhœa adſit non ſtatim ab initio ſiſtenda & adſtringenda niſi vires ſuccumbere videantur, ubi rhabarbari uſti drachma ſemis cum hauſtu decocti hordei eſt exhibenda. Bonetus *lib.* 1. *de febr. tit. IV. c.* 21. *de putridis ſimplicibus continuis p.* 140. §. 21. inquit, purgationes in febribus continuis putridis neceſſariæ ſunt, tum ut cauſam, quæ febrem facit illique proxime juncta eſt, minuamus, præparemus ac auferamus. Carolus Gallus *de febr. malig. & peſtil. c.* 11. *p.* 8. circa hanc rem profert hanc ſententiam; inchoante peſtilenti febre peccantem iſtam materiam educere convenit, coctionem enim expectare non opus eſt, & ubi ſemel & ſemel evacuari non poteſt ipſa materia putrida & venenata, bis, ter, vel quantum opus fuerit, erunt iteranda pharmaca, neque enim eadem ratio eſt ſervanda in hujuſmodi venenatis humoribus ac in cæteris; verum, cum alieni turgentes & venenati ſunt manu adjutrice indigent, ut quam primum evacuentur ac è corpore expellantur. Cum quo etiam convenit Theod. Angelutius à Belfort, it. Petr. Salius Diversus Medicus Veronenſis aliique.

§. XIII.

At vero non tantummodo aliorum autoritatibus res agenda eſt, ſed propriam experientiam ac obſervationem allegare poſſumus. Vidit enim D. Præſes in multis febribus, non tantum malignis & petechialibus, ſed & bilioſis acutis laborantibus diarrhœam vel ſponte provenientem aut remediis adjutam circa dies criticos valde proficuam ac ſalutarem fuiſſe, imo audivimus non tantum in his ſed alibi graſſantibus febribus acutis epidemiis idem obſervatum fuiſſe ab Exc. Dn. Stahlio aliiſque Practicis peritiſſimis. Neque poſſumus hoc loco ſilentio tranſmittere efficaciam mirabilem remedii ſingularis ad febres malignas perſanandas, quod apud nos hoc anno innotuit, & magnæ famæ Profeſſori Theologo à peritiſſimo Viro aliunde tanquam ſecretum communicatum fuit, quod ſedes movendo præſentiſſime ſæviſſima ſymptomata mitigat atque imminuit. Te-

ſtibus

ſtibus ſapore, odore, colore ac virtute compoſitum eſt ex oleo vitrioli non valde concentrato cum ſpiritu vini mixto in quo videtur maſſa pilularum purgantium valde amararum diſſoluta: ſapor eſt vehementer acidus cum inſigni amaritie, exhibetur promiſcue nullo reſpectu habito temperamentorum, ætatis, ſexus, in febribus continuis malignis, etiam petechiis & purpura præſentibus, tantum quod doſis individuo proportionata & aliquoties, donec alvus fluat, repeti debeat: neque nocet quocunque tempore morbi offeratur, modo alvus non ſponte fluat, ſed potius obſtructa ſit, quam prompte ſolvit, ſex vel ſeptem imo ultra ſedes movendo, quod quando accidit in morbi ſtatu & circa tempora quibus morbus ſolvi ſolet, res felicius ſuccedit & graviſſima ſymptomata, qualia ſunt delirium, anxietas præcordiorum, ſomnus profundus, faucium periculoſa inflammatio notabiliter ſeſe remittunt. Dignum autem notatu eſt, circa hujus remedii uſum hac opus eſſe encheireſi, ut nempe poſtquam aſſumtum fuerit inſignis quantitas potus congrui tamen ſucceſſive ſuperingeratur, forſan hanc ob rationem, ut ſordes putridæ bilioſæ a ſanguinis maſſa ſecedentes eo melius diluantur ac eluantur, & medicamenti etiam vis corroſiva in tenues inteſtinorum membranas impediatur. Novi & intellexi hoc ipſum remedium compluribus præſenti anno febre maligna laborantibus feliciſſimo cum ſucceſſu ſemper, imo tutiſſime, quod primo intuitu videtur incredibile, fuiſſe oblatum, & nullum ferme quibus fuit exhibitum demortuum fuiſſe, quæ indubitata & certiſſima experientia ſatis ſuperque confirmat ſupra laudatorum Medicorum medendi viam per laxantia.

§. XIV.

Tametſi autem nihil præclarius ducamus in ſanatione periculoſarum febrium, quam laxante primam regionem, quæ multum ſordeſcit & per quam natura, ut ita loquar, occupata eſt impuritates corruptivas craſſiores ſeri & ſanguinis ſalino-ſulphureas exterminare, ſemper apertam tenere, nihilominus non omnia purgantia vel laxantia iſti ſcopo obtinendo congrua atque idonea ſunt; imbecilliora enim, dulcia, fermenteſcibilia & quæ ventriculum gravant hic plane exulent, validiora autem & quæ ſale acri inflammatorio cauſtico inſtructa ſunt nocentiſſima, ſed tantummodo talia deſiderantur, quæ membranas inteſtinorum ſeniles innocenter, ſufficienter tamen, ſtimulant ac irritant, & ſimul facultatem cuſtodiunt putrida illa effluvia bilioſæ impuræ materiæ quaſi præcipitandi & figendi, cujus generis præter ſupra laudatum elixir, ſunt ſalia nitroſa, imo acida fixiora, ſtimulo, ſi opus eſt, purgante exaltata & nominatim arcanum duplicatum, cremor tartari, nitrum purificatum, clyſſus antimonii ſulphuratus, ſpiritus vitrioli coagulatus, pulpa tamarindorum, quæ cum granis aliquot diagrydii ſulphurati, aloes roſatæ aut mercurii dulcis pro lubitu opportune miſceri poſſunt. Hæc ipſa enim partim putredinoſo motui inteſtino partium agilium ſulphurearum & ſalinarum in ſe agentium oppoſita ſunt, & conſequenter malignitati, partim etiam inteſtina ſtimulando ſeceſſum ſordium impurarum corruptibilium mucidarum & bilioſarum procurant, & magno cum fructu ſi prudentem nanciſcantur Medicum propinantur, & certe longe majorem & præſentiorem effectum ac virtutem exerunt, quam omnia celebratiſſima bezoardica alexipharmaca ſudorifera, quæ craſſas ſordes, quibus non reſpondet tenera & anguſta cutis textura, minus prompte educunt, ut potius ſubtiliſando malignos humores, qui foras ejici debebant, in ſanguinis & humorum maſſam periculoſe reducant & revehant.

§. XV.

Poſtquam itaque in medium præclaras autoritates, teſtimonia firmiſſima & indubitatam experientiam ad ſtabiliendam noſtram medendi febribus acutis methodum produximus, ipſius rei momentum jam etiam poſcere videtur, ut conquiſitis ſolidis rationibus ac fundamentis illa quæ diximus & adduximus uberius firmemus ac corroboremus. Ut autem hoc eo melius procedat, repetendum quaſi ab ovo eſt, in quonam conſiſtat vera malignitatis in febribus cauſa. Aſſerimus autem omnem malignitatem, quæ morbis complicatur, in ſanguinis, qui vitæ fundamentalis humor eſt, turbatione quoad mixtionem & motum localem quærendam eſſe, quæ quo majora ſuſcepit incrementa, eo majus periculum, majorque virulentia invaleſcit. Nam quandocunque functiones corporis vitales rite ſuccedere ac perfici debent, ſanguis bene mixtus, hoc eſt temperatus, fluidus eſſe debet, nec non jugi ac perenni circulo per minimos tubulos omniaque ſecretoria & emunctoria ſolennia circumvolvi, ita etiam recte ea quæ ſuperabundant, quæ incongrua ſunt, ſeparantur ac excernuntur, ex adverſo ea quæ utilia vitæ, mixturæ ſanguineæ apta ſunt, uniuntur, colliguntur & ad ſanitatis & mentis uſum conſervantur. Temperies itaque & motus ſunt, quæ vitam ac ſanitatem tuentur, quæ corpus atque humores per ſe ad putredinem ſumme proclives ab ipſo corruptionis actu defendunt, unde quo læſio circa hæc dicta major eſt, eo periculoſior quoad vitam exſurgit ſtatus. Læditur autem principaliter ſanguinis mixtura per motum inteſtinum putredinoſum, utpote hoc ipſo nativa & ad vitam ſumme neceſſaria ſanguinis textura dulcis gelatinoſa fluida pervertitur, diſſolvitur, atque proportio & unio corpuſculorum ſanguinem conſtituentium violatur, diſrumpitur, unde non poteſt non ipſum animal perire & ejus actiones omnes ceſſare, quamobrem non inepte Veteres malignitatis naturam in putredine collocarunt & optima ratione malignas febres putridas dixerunt, quod vocabulum profecto ipſam rem optime exprimit, atque exhaurit.

§. XVI.

Quandocunque itaque ipſo in ſanguine & humoribus putredinis vis ſe exerere incipit, protinus omnes motus & actiones vitales in corpore labaſcunt ac præter naturæ ordinem ac regulam cuncta contingunt & malignitas ſe exerit, cujus ſequentes notæ ſunt: nempe maxima virium proſtratio ac lapſus cum pulſu exiliſſimo ſumme debili frequentique, ſomni defectus vel nimius ſopor cum ſubſequente mentis ac rationis turbatione, ſudoris largiſſimi fluxus, urinæ naturalis color & conſiſtentia, anxietas circa præcordia intenſa & exanthematum varii generis eruptio. Ut itaque præſens hæc corruptio tollatur & ulterior ac profundior avertatur, provida natura ex directione ſapientiſſimi corporis humani architecti motus inſtituit, ſive motu contra morbificam cauſam ſe armat, hic enim inſtrumentum eſt aptiſſimum, quo morbus profligatur, machina conſervatur, & illud ipſum quod ipſi inimicum eſt, foras ejicitur. Talis autem motus celerior & frequentior cordis arteriarumque dicitur febris, & eum in finem ex neceſſitate tamen cauſali inſtituitur ac ſuſcipitur, ut ſanguis à præſente materia corruptibili ipſoque actu putredinoſo mediante intenſiore circulo ſeu motu progreſſivo & conſequenter in ſecretoriis facta ſequeſtratione liberetur & corpus ſervetur, quare non inepte

epte CAMPANELLA, aliique febrem ſanguinis medicinam nuncuparunt. Etenim nulla alia via & nullus alius modus indagari atque excogitari poteſt à corruptione præſente & ulteriori ſanguinem vindicandi quam beneficium ſecretionis ac excretionis illarum rerum, quæ heterogeneæ indolis ſunt, & motum ſanguinis inteſtinum nativum, ejuſque mixtionem naturalem turbant; hinc etiam omni in ſebre, ſi felix eventus ſubſequi debet, advertimus ſalutares materiæ hoſtilis evacuationes ſive per ſudorem, ſive per urinam aut alvum, quæ ſi debita quantitate, modo, convenientique tempore inſtituuntur, inque ſalutem ægrotantis vergunt, criticæ ſalutares appellari ſolent; hiſce enim præſentibus non tantum morbus judicatur ſed & ſolvitur; quare maximopere artem medendi exercentes operam dent, ut probe animadvertant atque obſervent excretiones in morbis, quæ ſi non debito modo vel tempore contingunt recte exinde periculoſi morbi formari judicium poteſt; nam ſi ex defectu virium motricium illud quod ſuperfluum eſt & extraneum plane non excernitur, non poteſt non inde maxima ſubſequi noxa, ab intus recondito & ſervato hoſte intima vitæ deſtruente; quando autem materia vitioſa tantas jam vires nacta eſt, ut putredo magnam quantitatem ſanguinis diſſolverit, excretiones nimiæ & præter naturæ ordinem, quæ ſymptomaticæ dicuntur, contingunt, quales ſunt ſudoris maxima profluvia, copioſæ urinæ, enormes alvi fluxus, nimiæ ſalivæ effuſiones, quæ virium totalem conſumtionem indicant, & certæ ſubſecuturæ mortis prodromi ſunt.

§. XVII.

Cum itaque extra dubium poſitum ſit, in febribus malignis & petechialibus maximam in ſanguine adeſſe impuritatem ac corruptionem, (quare etiam cachectici, cacochymici, phlegmatici ob defectum virium & tranſpirationem impeditiorem miaſmati contagioſo ipſique hoc morbo maligno præ aliis ſemper plus ſubjecti ſunt) & certum quoque ſit, non alia ratione corruptibiles has impuritates à ſanguine poſſe ſeparari, ſi machina ſervari debeat, quam per excretiones; deinde notum ſit materiam corruptam in ſanguine & ſecernendam non unius ejuſdemque eſſe naturæ, hinc perſpicuum facile eſt non unam excretionem hic ſufficere, ſed per diverſa excretoria ſecerni debere materiam hoſtilem. Ut autem hæc dicta etiam corroboremus autoritatibus. Primum egregium locum adducere placet ex ipſo VALLERIOLA *lib. 2. obſ. 6.* quo ipſo manifeſto adſtruitur, illud quod intus accendit febrem, ſecerni debere, ita autem inquit: *quum quod accenditur ei quod tranſpirat par fuerit, nec augeri, nec minui febris videbitur: ſed pari tenore perſtare, ſibique ſimilis permanere, ac ſi nihil illi vel demeretur, vel adjiceretur. Ubi vero quod accenditur, eo quod tranſpirat amplius fuerit, intendi febrem, & ſe ipſa indies auctiorem fieri neceſſarium quidem eſt, quum multum ſit quod putret, exiguum vero quod foras effluit; perinde atque quum majus eſt quod effluit & tranſpirat, quam quod accenditur, tum certe minui febrem aperte cernemus.* Alter locus, quo demonſtratur non unam ſufficere excretionem extat apud GALENUM qui in *lib. 2. meth. cap. 8.* hæc docet: *non omnis humor faciens febrem etiamſi totum habitum corporis occuparet, poteſt per cutim excerni, niſi ſolum tenuior, ut ichor & flava bilis, neque is omni febris tempore.* Et eodem loco ſcribit: *ea quæ putreſcunt non tantum per urinam, alvum, & os ventriculi quam etiam per cutim expelli debent, nec humores corruptos omni tempore nec omnes evacuat febris per ſudorem,* & porro eodem loco ejus verba egregia hæc ſunt: *ita utique & putredinem quæ in vivis eſt orta ſanalimus, id ſcilicet, quod jam corruptum eſt omni ratione evacuantes.* Vacuationis autem modum aſſignans ſubdit, at *vacuationem quidem illius per urinam, dejectiones, vomitum ac ſudores moliemur.* Ad extremum explicat, quibus ſuccis præter naturam ſudores conveniant, cum *lib. 14. meth. cap. 1.* inquit, *cutis vero denſitas non æque eſt huic bili pervia, niſi ſi admodum tenuis aquoſaque ſit, talis namque eſt etiam, quæ quotidie cum ſudore exit.*

§. XVIII.

Ex quibus egregiis locis clariſſime conſpicitur, quam præclare olim habitum fuerit excretionis negotium in febribus, & quod non una evacuatio ſufficiat expellendæ materiæ putridæ indolis diverſæ, craſſioris nempe & tenuioris. Quis enim dubitabit ipſo motu inteſtino putredinoſo ſanguinem diſſolvi, partim in tenuiſſimam vaporoſam ſumme agilem materiam, partim etiam in craſſiorem ſalino-oleoſam mucidamque, nec non in ſeroſam ſalinam, ubi quævis ſubſtantia peculiare ac congruum requirit evacuatorium, illud enim quod craſſum & denſum eſt per arctiores & ſtrictiores cutis poros eliminari nequit, ſed requiritur tale viſcus quod poros capaciores obtinet & ſequeſtrandæ materiæ ſulphureæ ſalinæ craſſiori dicatum eſt; & talis modi eſt ipſum hepar, quod partem à ſanguine ſalino-ſulphuream, quæ partim ob activitatem facile corruptionem ac impuritatem, ſi intus remaneret, intenderet, naturaliter ſeparat, neque in ſtatu præter naturam ipſiſque in febribus otiatur, ſed talem ſulphureo-ſalinam maſſam, quæ præcipuam corruptionis cauſam conſtituit ſequeſtrat, vel potius ſequeſtrare debet. Cum autem illa ipſa per ductus conſuetos ad inteſtinorum canalem ceu ad viam regiam expulſionis gratia amandatur, quivis ex hiſce perfacile intelliget, evacuationem materiæ taliſmodi corruptæ per alvum in febribus valde neceſſariam eſſe, præſertim quando jam ipſa natura ſponte hanc evacuationem per tales vias inſtituit atque molitur, nam quanta pernicies exinde poteſt exſurgere, ſi quis ſubſtantiam taliſmodi agitatiſſimam, valde corruptivam in corpore vellet retinere, aut ejus excretionem cohibere? ita non modo pabulum ac fomentum novum ſubminiſtratur malignitati, quando in ſanguinem cum aſſumtis regurgitat, verum etiam remediorum probatiſſimorum efficacia commixtione hujuſmodi materiæ nocentis putridæ infringitur, contaminatur ac labefactatur, quo facto vires morbi mirum quantum increſcunt ac adaugentur.

XIX.

Quis itaque ex dictis apertis oculis non perſpiciet, quantum damni afferant, imo in mortem præcipitent ægros perverſiſſima methodo illi, qui alvum in malignis & petechialibus apertam judicant noxiam, & ad illam ſiſtendam adſtringentibus, ſtipticis, theriacalibus, opiatis utuntur? vidimus hac ratione non una vice ſymptomata omnia facta graviora, anxietates adauctas, periculoſam faucium inflammationem ſubſequentem, purpuram albam, omniaque in pejus mutata ipſamque mortem ſæpe numero advenientem. Falſiſſima enim eſt perſuaſio, in malignis tantum peccare ſubſtantiam tenuiſſimam halituoſam quæ per ſudorem expelli debeat, unde vulgaris intentio medendi eſt ſudoriferis calidioribus & alexipharmacis ſpirituoſis totam abſolvere curam, & quidem peſſimo modo; dum enim ſic perpetuo ægrotantes in hypocauſticis & lectis calidis tenent, & ſudoribus miſerrime diſcruciant, nihil aliud efficiunt, quam ut putridam illam fœtidam bilioſam materiam, quæ alvo debebat excludi, ſanguini rurſus affundant,

dant, & majori introducta materiæ volatilitate atque agilitate, vires morbi mirum quantum adaugeant. Addimus & hoc, quod ſudorifera alvi fluxum, ſi forſan ſaluberrime ipſa natura illum inſtituit, ſiſtendi ac cohibendi facultate polleant, ut id pulchre inter cæteros notavit Riverius *in obſervationibus* ſuis. Quare tutiſſima via eſt in ſanatione febrium malignarum, omnia evacuatoria aperta ſervare & ſanguinis motum blande & æquabiliter procurare per totum corporis ambitum, ſive brevibus, blandis diaphoreticis tranſpirationem promoventibus & blandis alvum ſtimulantibus totam curam peragere, & reliqua omnia naturæ beneficio committere.

§. XX.

Poſtremo etiam neceſſarium duxi ſubjicere aliquot ſingularia, quæ nempe circa hoc argumentum & novam tractandi methodum febres malignas, ſemper inſiſtendo ductui Dn. Præſidis experti ſumus, & perutiles quaſdam cautelas complectuntur. Primum itaque annotavimus, febres ardentes ſic dictas à Veteribus cauſos bilioſas quæ æſtate proveniunt, nec non petechiales & malignas in perſonis cholericis & teneræ conſtitutionis ſponte inclinare ad alvi profluvia, illoque ſalutariter plerumque terminari, ſi certo modo ac tempore contingant; ubi tale quid annotatur & maxime in principio morbi, non opus eſt alvum fortiter ſtimulantibus, multo minus purgantibus acrioribus, tali autem in caſu non diſſuademus clyſteres lenientes, imo interne nitroſa magna cum potus quantitate, ut nempe hac ratione primæ viæ ſemper detergantur & materia bilioſa acris & ardens evehatur; potus autem non cereviſia frigida, ſed decoctum ſcorzoneræ, cornu cervi citratum eſſe debet, quod tepide & etiam calide aſſumi poteſt. 2. docuit aſſidua experientia ſubjecta phlegmaticæ ſic dictæ complexionis, habitus corporis plenioris ac laxioris, quæ ordinario colluviem humorum prima in regione alunt, morbi exordio leni emetico, vel ſpiritu vitrioli coagulato in ſale abſinthii addito ſtimulo purgante abſque periculo fuiſſe purgata, quoniam deterſa ſic copioſa mucida & bilioſa materia mitior ſucceſſit febris & alvus circa dies criticos ſponte & feliciter ſoluta fuit, quod ferme ordinario obſervavimus, quando primis morbi diebus alvus aperta fuerit. 3. non tantum præſervationis cauſa graſſantibus epidemiis acutis ante illarum invaſionem laxantia, quorum catalogum ſupra deſcripſimus, varia doſi variaque forma data tutiſſima fuerunt, ſed & quando jam morbus occupavit artus, & febris accenſa fuit, ſine bono effectu nunquam exſtiterunt, utpote hiſce longe conſultius bezoardica & diaphoretica ſubjunguntur, quoniam craſſioribus crudioribus per alvum eductis, reliqua viroſæ & tenuioris materiæ ſubſtantiæ melius diſſlantur & per cutim educuntur.

§. XXI.

Quarto pro explorato habemus, circa diem ſeptimum imo nonum alvum pertinaciter clauſam, quando lethalia fuerint ſequuta ſymptomata, nempe delirium, vehemens faucium inflammatio, vel etiam lethargus, nihilominus exhibita purgantia ſpecifica, nempe acida penetrantia, ex quorum numero ſupra nominatum elixirium eſt, effectum præſentiſſimum edidiſſe, & ægros fuiſſe miraculoſe ſervatos. 5. Annotatum ſæpiuſcule fuit diarrhœam circa nonum incipientem ad 17. imo 20. uſque quandoque perſeveraſſe, etiam purpura alba præſente, quotidie ejectis crudis bilioſis fervidis ſpumoſis peſſime olentibus & nihilominus ægrotantes viribus collectis cepiſſe refici, nullis aliis adhibitis, quam quod tantum forinſecus linimenta ſpirituoſa balſamica ad tonum roborandum inteſtinorum regioni epigaſtricæ & hypogaſtricæ admota fuerint, non omiſſis internis diluentibus, attemperantibus, diaphoreticis. 6. Novimus etiam exempla, ubi in principio morbi, Medico ignorante qualis morbus futurus ſit, innoxium purgans oblatum fuit, cujus uſum mox ſubſecuta fuit eruptio purpuræ malignæ remittentibus anxietatibus. 7. Non poſſumus etiam quin hoc loco mentionem faciamus, non omnem & quamcunque diarrhœam in febribus malignis ſalutarem & boni ominis ſemper inventam fuiſſe; utpote memoria recolimus, aliquot cachecticos alvi profluvio prius fuiſſe tentatos, cui poſtea ſucceſſit febris maligna cum ſimili fluxu perſeverante, qui tamen circa diem ſeptimum e vita diſceſſerunt, quoniam diarrhœa hæc fuit ut vocant Medici colliquativa & de plenaria ſanguinis putredinoſa diſſolutione & inteſtinorum inflammatione teſtimonium affert. 8. Nonnulli etiam mortui fuerunt præſente alvi fluxu, qui tamen non tam criticus quam ſymptomaticus fuit, ex inflammatione inteſtinorum natus, ſive ob collapſas vires non ſufficiens.

§. XXII.

Ultimo non ſilentio prætereundum ipſum regimen, quod adminiſtrandum eſt ægrotis, quando alvi fluxus præſens eſt; conſiſtit autem in eo, nempe in hypocauſto temperate calido ægri ſervandi ſunt, & tantum juſcula avenacea item decoctum ſcorzoneræ, decoctum cornu cervi vel cereviſia temperata vel aqua hordei cum fœniculo pro potu concedenda. Quandocunque autem alvus non fluit & obſtructa eſt, clyſſus antimonii ſulphureus, nitrum vel ſpiritus vitrioli ad ſufficientem tamen quantitatem doſi repetita donec alvus fluat porrigenda ſunt, & deſuper decocta præfata in larga ſatis quantitate bibenda. Poſtea ægros fideliter admonemus, ne in erecta diu corpus teneant poſitura, ſive ſurgendo, ſive ambulando, aut in lecto ſedendo; plus vice ſimplici enim obſervavimus morbi vehementiam ſtatim adauctam, maculas in cute prius conſpicuas ſeſe abſcondiſſe præſentiſſimo cum periculo, adeo ut etiam mors brevi ſpatio fuerit ſubſecuta. Cibos ſolidos nullos admiſimus, ſed morbo vergente ad declinationem & poſt illam liquidos tantum & facilioris ſolutionis adminiſtravimus; mirifice enim ciborum nutrientium & juſculorum ſic dictorum confortantium abuſus morbum nutrit, naturam gravat, excretiones ſufflaminat, & recidivam graviorem parit. Quando diarrhœa nimis debilitantur, externe ſpirituoſa nempe oleum menthæ, carvi, nuciſtæ, temperata cum oleo liliorum alborum admovenda ſunt, & ultra theriacalia & diaſcordium Fracaſtorii ad ſummum, pulvereſque terreos bolares non adſcendendum eſt, magno enim cum periculo ſemper ſiſtitur vi diarrhœa, ſed principalis intentio ipſius Medici debet eſſe, ut ſub tali alvi fluxu & vires quodammodo conſerventur, & corpus in diaphoreſi & tranſpiratione permaneat, in quo ferme totius rei cardo & Medici prudentia conſiſtit.

DISSERTATIO MEDICO - PRACTICA
SISTENS
HISTORIAM FEBRIS
MALIGNÆ EPIDEMICÆ PETECHIZANTIS
HACTENUS HALÆ GRASSANTIS,

Primùm edita anno 1699.

PROOEMIUM.

POSTQUAM ſuperiori anno hyemem valde placidam, lenem, humidamque, vappidam, autumno ſimilem, ventiſque auſtrinis ſtipatam, & poſtea tempus vernum humiditate ac calore abundans experti fuimus, & per ſex menſium ſpatium & ultra ſæviter per noſtram urbem variolarum morbus eodem tempore graſſatus eſt; ſub æquinoctium vernale alius in ſcenam prodiit affectus, adultis præcipue infeſtus, majorique malignitate præditus, unde etiam e medio non paucos ſuſtulit. Fuit autem Febris quam veteres dixerunt putridam, cum petechiis variiſque exanthematibus juncta, cujus naturam atque ingenium prout ſeſe nobis obtulit, per attentam obſervationem atque experientiam tam propriam, quam aliorum hic loci celeberrimorum Practicorum paulo ſolicitius deſcribere, pertractare & perſequi ſpeciminis loco inauguralis divina aſſiſtente gratia apud animum conſtitui.

CAPUT I.

Complectens Hiſtoriam Morbi.

§. I.

INvaſit hic morbus ratione ætatis, maxime juvenes & viros: infantibus tenellis, puerili ætati, & ſenibus pepercit; ratione ſexus, majorem ſtragem edidit in maribus, quam fœminis. Adortus autem eſt præcipue perſonas conſtitutionis ſanguineæ, item ſanguineo phlegmaticæ, nec non ſanguine copioſo inſtructos, obeſos, habitus corporis laxioris, ſpongioſioris, & qui venas plurimas, anguſtas tamen & minimas habuerunt. Graciliores, cholericos & illos quibus fibræ partium magis compreſſæ & conſtrictæ, venæque ampliores fuerunt, non tam frequenter hoc malo detentos vidimus. Infenſiſſimus, imo lethalis fuit illis, qui ex nimia intemperantia, præſertim abuſu vini generoſi, nimia voracitate, præpoſteris & vehementibus affectibus impuritatem ſanguinis & cacochymiam ſibi contraxerunt, vel morbis prægreſſis aut aliis rationibus vires corporis deſtruxerunt. Quod contagium & modum ſe propagandi attinet, non adeo vehementer contagii vis atque activitas ſeſe exeruit in omnes promiſcue, maxime autem in vicinos & diſpoſitos, ita, ut plures ex una domo ſimul ægrotaverint, pauca vero exſtant exempla, ubi peregrini accedentes infectionem reportarunt, quin imo ſine contagio ipſum morbum ſubnatum & intus progeneratum fuiſſe experientia frequens edocuit.

§. II.

Primum autem recenſendum hic eſt, quæ ſymptomata, quas læſiones, quos effectus produxerit, quæ pro diverſitate ætatis, ſexus, temperamenti, valde fuerunt diſſimilia. Ut ordine procedamus, primo enumerabimus illa pathemata, quæ fere omnibus ſubjectis fuerunt communia, & in quibus merito hujus morbi eſſentia ponenda eſſe videtur. Fuerunt autem illa inſignis & ſubita ſtatim inter initia morbi virium jactura atque proſtratio, unde laſſitudine ſumma & gravitate membra corporis affecta, ut præ nimia debilitate corpus nec movere, nec erecta ſtatura incedere potuerint; protinus enim vertigo, vel leve animi deliquium non ſine inſigni vitæ diſcrimine ſuboriebatur: maxima hæc virium concuſſio permanſit & duravit per totum morbi curſum, & hoc certe ſymptoma fuit præcipuum & individuum fere omnibus, qui febre hac detenti fuerunt. Poſtea etiam in ſingulis ferme ſubjectis deprehenſus fuit pulſus arteriarum imbecillis, parvus, debilis, frequens tamen, modo quod interdum major vel minor celeritas & inæqualitas conjuncta fuerit. Deinceps in omnibus ferme ægrotantibus minor & remiſſior calor cum ſiti parva, urina ſanorum ſimillima annotatus fuit. Et tandem, qui hac febre afflicti

flicti

flicti fuerunt, vel aſſidua vigilia, aut continua ſomnolentia fatigati fuerunt. In his itaque magna fuit communio & identitas, cum nullus ferme fuerit, qui non dictis, quæ pathognomonica nobis inde audiunt, pathematibus fuerit divexatus.

§. III.

Inſuper diverſitas ſymptomatum in plurimis quoque fuit obſervata, prout temperamenta & ætates variarunt, vel acceſſio facta fuerit aliarum rerum externarum. In ſanguineis ſymptomatum maxima fuit confuſio & inconſtantia; notavimus autem in illis ordinario dorſi dolorem majorem, anxietatem circa præcordia graviorem, cephalalgiam acutiorem cum faciei & oculorum rubore, vigilia, delirio: maculis quoque rubris conſperſum fuit illorum corpus. In his ubi ſanguis magis aduſtus, vel mobilior aut bilioſior fuit, & habitus corporis ſtrictior, eveniebant plus ardor externus intenſior, vigilia cum æſtu & corporis jactatione ac inquietudine, ſiti: accedebant etiam loquacitas, faucium inflammatio, delirium, quod comitabantur oculi protuberantes, feroces & ſplendentes. Quicunque habitum corporis laxiorem, obeſum habuerunt, & ſanguinem copioſum ſero viſcido ſcatentem in vaſis cuſtodiebant, non exceſſivo calore nec ſiti nec inquietudine afficiebantur, ſed ſomnolenti, debiliſſimi, moroſe taciturni jacebant: ſomnus autem utplurimum fuit turbulentus, & variis ac interturbatis inſomniis plenus, à quo male ſeſe habebant, & cum expergiſcebantur, ſemideliri erant. Similia etiam in illis vidimus, qui ad temperamentum ſic dictum melancholicum accedebant.

§. IV.

Dicendum etiam aliquid eſt de excretoriis actibus ſive humorum vel ſanguinis evacuationibus & præcipue hæmorrhagiis, ſudore, alvi fluxu, & urina. Diverſis autem modis in hiſce ſeſe exeruit affectus, in nonnullis enim diarrhœa obſervata fuit per totum morbi curſum, & quidem ſpumoſa, variegati coloris, moderata tamen neque inſalutaris: plurimis acceſſit circa diem criticum, nonum, undecimum vel decimum quartum cum copioſo ſudore; & talis critica & valde ſalutaris notata fuit. In univerſum etiam animadvertimus, non tantum hoc tempore, ſed & alio ubi ſimilis putridæ continuæ febres regnarunt, ſemper melius fuiſſe cum ægris, quando alvus fuerit lubrica & fluida, quam ubi obſtructa & conſtricta, tunc enim majores anxietates, cephalalgiæ, circa fauces affectus inflammatorii, vel etiam purpura alba, malum ſæviſſimis ſymptomatibus ſtipatum ſucceſſerunt.

§. V.

Sudorum ratio non fuit ubique eadem, continui & per totum morbi tractum durantes malitiam morbi, naturæ oppreſſionem, infauſtumque eventum ſignificarunt. Udor autem ac mador per totum morbum continuus, optimum præbuit ſignum: quando diebus ſic dictis criticis nono vel undecimo copioſius inceperunt ægri ſudare, præcedente vel etiam concomitante ſimul diarrhœa, ſymptomata notabiliter quoad ſævitiem ſe remiſerunt, & major animi vigor, mentis conſtantia, pulſus æqualitas, & maxima reconvaleſcentiæ ſpes apparuerunt. In univerſum enim obſervatum eos, qui ex hoc periculoſiſſimo morbo evaſerunt, mediante ſudore, vel diarrhœa, vel utraque ſimul excretione, a malo fuiſſe liberatos. Interdum quoque eveniebat, tantam profuſionem ſudoris ſecutam, quæ ad ſeptimanam fere durans, vireſque convellens, hecticum morbum innata fuerit.

§. VI.

Narium hæmorrhagia largior non adeo bene ceſſit, præſertim ſi per crebras vices iterata fuerit, utpote tali immodico ſanguinis effluxu vires ſimul auferuntur; vidimus tamen & in principio illam copioſam cum diarrhœa ſimul invadentem citra tamen vitæ periculum. Eodem modo menſium fluxus in fœminis ſat largus apparuit die tertio vel quarto, innoxius tamen. Provocata autem fuit ſanguinis per nares excretio, nimio ſtragulorum calore, vel volatilium ſanguinem exagitantium abuſu, imprimis in ſanguineis & plethoricis; hæmorrhoidalis vero ſanguinis ejectio a nemine uti audivi annotata fuit.

§. VII.

Urinæ fluxus & color ac conſiſtentia non eodem modo ſeſe etiam habuit in omnibus; utplurimum tamen urinæ fuerunt ſanis ſimiles, interdum tenues & turbidæ, pallidæ, citra ſedimentum, quod deinde circa diem decimum quartum, imo vigeſimum cum reconvaleſcentiæ ſignis etiam in conſpectum prodiit; vidimus tamen & urinas poſt emiſſionem ſtatim turbidas factas non ſine fœtore. In quibuſdam die ſtatim tertio morbi urina in largiſſima quantitate profluxit, ubi gravativus ſimul capitis dolor, torpor, mentis ſtupor atque turbatio ſuccedebant, & quando die ſeptimo copioſus & liberalis ſudor accedebat, ſymptomata dicta feliciſſime evaneſcebant, & ægri ſervabantur. Quidam in parciſſima quantitate ipſam reddebant per aliquot dies, ita ut tantum aliquot guttulæ inſtar aquæ limpidæ cernerentur in vitro urinali, quod evenit præſertim in illis, qui diarrhœa vel vomitione frequenti affligebantur.

§. VIII.

Tandem dicendum etiam aliquid eſt de vomitu, hunc cum ſingultu obſervavimus per totum ferme morbi curſum lethalem. Conamen ad vomendum ſeſe obtulit frequentius, præſertim poſt medicamenta aſſumpta, vel quando gravis terror ante morbi invaſionem corripuit ſubjecta, vel emeticum in principio morbi fortius aſſumptum. Singulare autem ſymptoma in nonnullis perſonis, & quidem funeſtum quod prænuntiavit eventum, occurrebat, nempe poſtquam liquidum quoddam aſſumptum fuerit, & in ventriculum deſcenderit, ſimulac ægrotus leviter ſaltem corpus commovebat vel erigebat cum murmure & borborygmo in os aſcendebat & regergitabat humoris limpidi quantitas, quæ ferme cochlearia duo replere poterat: Simile ſymptoma lethiferum cum ſingultu etiam ante dimidium anni in viro honorato febre maligna mortuo obſervavit Excell. Dn. Præſes per aliquot dies durans, ubi poſt inſtitutam ſectionem inventum, fuit hepar in concava parte plane putridum, nigrum, inſtar picis, qualis corruptio & ſphacelatio etiam in diaphragmate, inteſtino duodeno & pyloro quoad partem conſpiciebatur.

§. IX.

Quod ipſas maculas, exanthemata & petechias attinet, neque in omnibus idem modus, ſimilitudo aut identitas fuit deprehenſa; etenim quidam illis plane carebant, quorundam autem corpora ipſis erant refertiſſima; in proruptione & emiſſione in cutem etiam non æquale ſervabant tempus, quoniam in nonnullis ſtatim inter initia morbi apparebant, cum de nullo alio ſymptomate, quam de in-

ſigni

ſigni languore conquerebantur extra lectum, quod tamen minus fuit ſalutare: In aliis circa diem ſeptimum vel nonum etiam conſpectui ſeſe dabant, quod non erat infauſtum. Ordinario occupabant exanthemata hæc collum, dorſum, femora, in facie rarius viſa, quanquam & nos ſcimus exemplum, ubi circa frontem, tempora & mentum oculis ſat vivide & rubicunde ſeſe ingerebant; in abdomine, pedibus & manibus parcius ſeſe oſtendere ſolent. Ratione coloris & figuræ diverſæ fuerunt, meliores rubræ & parvæ, pejores magnæ, lividæ & ad viridem & violaceum colorem accedentes.

§. X.

Memoranda hinc quoque venit ſingularis quædam excretio in cute, quæ purpura alba ſive miliaris, quoniam granis milii ſimilis eſt, appellari ſolet, germanice: das weiſſe Frieſel/ exanthema hoc mali moris ſuccedit maxime petechiis, & multos etiam horrendis ſuis ſymptomatibus quibus ſtipata erat, antequam prodiret, interfecit. Invaſit præcipue illos, quorum alvus erat tenſa & dura, cutemque ſiccam & aridam poſſidebant, imprimis autem die nono vel etiam decimo, poſtquam petechiæ diſparere inceperunt, ægros adoriebatur & quidem cum anxietatibus maximis, ſumma virium animique defectione, extremorum refrigeratione.

§. XI.

Quod ſigna attinet ex quibus de morbi magnitudine, reconvaleſcentia ægri & morbi eventu formare peritus Medicus judicium poterit, illa etiam quæ nos obſervavimus, exponamus; rarius nempe reconvaleſcentiam conſecuti fuerunt, qui metu ac formidine mortis continua detinebantur, omniaque reſpuebant remedia, qui porro obeſi erant corporis & venas ſanguine copioſo & intemperato infarctas habebant. Signa autem utplurimum funeſti eventus fuerunt ſudor frigidus cum pulſu frequenti, debiliſſimo, & etiam intermittente, reſpiratione frequenti, parva, deliria, & convulſivi motus ſeu tendinum contractiones in manuum carpis deprehenſæ: hiſce ſymptomatibus plurimi occubuerunt. Delirium futurum præſagiebant feroces oculi cum rubedine, lachrymarum effuſione, ſitis defectus, inquietudo & jactatio corporis, pulſus celeritas, inflatio capitis. Peſſimum quoque & periculo pleniſſimum ſignum fuit macularum retroceſſio, quæ vel admiſſo improvide frigore, vel detento corpore diu in ſitu erecto, vel gravi terrore incuſſo, frequentius accidebat, ſubſequebatur mox ſumma debilitas, extremorum corporis refrigeratio, reſpiratio anheloſa & anxietas circa præcordia vehementiſſima. Contra autem fauſta atque bona ſigna fuerunt, quietus corporis ſtatus, mentis conſtantia, ſitis, ſomnolentia & macularum die ſeptimo demum vel nono in cutem progreſſio, alvus liquida, ſurditas circa diem criticum accedens & ad tempus perſeverans, & imprimis habitus corporis gracilis, tenuis & conſtrictus, hæc enim promiſerunt reconvaleſcentiam. Quoad morbi eventum, plurimi mortui fuerunt die undecimo, nonnulli etiam die ſeptimo, quicunque autem cum morbo redierunt in gratiam, die undecimo, vel etiam decimo quarto, imo decimo octavo demum virium collectionem & ſymptomatum remiſſionem experti fuerunt, ita, ut qui evadebant, ſex ſeptimanarum ſpatio, antequam integre ſanarentur, opus habuerint, in cujus medio fere tempore febris ſolvebatur, reliquum medium in ſupervenientibus aliis accidentibus occupabatur, & ad recolligendas vires requirebatur. Unicum adhuc hoc loco merito memorandum, eſt idque maximi momenti, cujus plane nulla apud Autores reperitur mentio, nempe obſervatum fuit, non tantum in noſtro, ſed etiam ſæpius in aliis malignis ab Excellentiſſ. Dn. Præſide, quod ſi ægrotantes diutius in erecta corpus teneant poſitura, ſive ſurgendo, ſive in lecto ſedendo morbi vehementia mirifice mox adaugeatur & increſcat, ita ut etiam mors brevi fuerit ſubſecuta; ſentiunt enim poſt talem poſituram mox debilitatem maximam, animi quoddam deliquium, extremorum frigus, anxietates quaſdam circa præcordia; quinimo maculæ in cute conſpicuæ ſeſe abſcondunt, cum maximo periculo. Vulgariter exiſtimant, ob frigoris admiſſionem ſubſequi gravia hæc ſymptomata, at vero, quod a frigido aere externo, qui nec aderat, & à quo etiam admodum ægri defenſi erant, id non proveniat, inferius diſcutiemus.

§. XII.

Tandem nec ſilentio involvere debemus, quid in cura actum & notatum fuerit, & à quibuſnam rebus atque remediis male vel bene ſeſe habuerunt hac febre laborantes; primum omnium autem notandum venit, medicamenta alexipharmaca, volatilia ſalia, bezoardica calida, ſpirituoſa, quæ vulgariter ceu efficaciſſima remedia commendantur, magis nocumentum ac damnum attuliſſe, quam auxilium, præſertim ſi in nimia quantitate, & cum regimine calido ſudorifero exhibita fuerunt. In genere obſervavimus, dicta volatilia, ſudorifera & quæcunque ſanguinem & humores exagitant, in malignis & continuis febribus, etiam affectibus inflammatoriis ſemper fere plus nocere quam juvare, imo nota ſunt nobis exempla, ubi præſervationis cauſa hæc fuerunt aſſumta, cum regimine ſudoris, ubi mox ipſo contagio corpora infecta fuerunt: nihilominus excipiuntur caſus ubi dicta hæc volatilia alexipharmaca cum analepticis remixta, & moderate ac caute uſurpata opem ferunt & tulerunt inſigniſſimam, quod præſertim valet, ſi ex macularum retrogreſſione, vel corporis ſive ex terrore, ſive ex frigoris externi admiſſione, aut ſtatura erecta, refrigeratione, anxietates, uti ordinarie ſolet, & debilitates inſenſiſſimæ ſequuntur, tunc enim ſpiritus excitando, & ſanguinem ex centro ad peripheriam commovendo, dictis ſymptomatibus egregie ſuccurrunt.

§. XIII.

Quod venæ ſectionem concernit, hæc præſervationis cauſa quando nempe morbus irrepſit in domum, in corporibus plethoricis & quibus ſanguinis evacuationes tam naturales quam artificiales conſuetæ erant, feliciter ceſſit, ſicut aliqua communicata nobis ſunt hac de re exempla; minus autem feliciter, quando jam debilitas & virium proſtratio inſignis adfuerit, ſucceſſit ſanguinis emiſſio. Cum vomitoriis res ita ſeſe habuit; in illis, quibus regio prima obſeſſa fuit vitioſiſſimorum humorum copia, lene ac tutum emeticum, & præſervationis cauſa, & in curationis principio admiſſum, exoptatiſſimam tulit opem; nihilominus adhuc nota ſunt exempla, ubi inter initia etiam aſſumptum vomitorium effectum ſuum edidit, verum circa morbi progreſſum ac ſtatum, vomendi continuum deſiderium, nauſeam, ardorem circa regionem cordis, anxietatem cardialgicam ſuſcitavit, vel potius hiſce malis anſam ac cauſam ſubminiſtravit. Veſicatoria mihi à celebri hujus Urbis Practico maximopere laudata fuerunt, quando nempe in ſtatu morbi, ubi delirium, vel ſopor, convulſiones, jam ægrum adoriebantur,

cervici

cervici fuerunt admota. Opiata omniaque ſoporifera penitus a nobis omiſſa fuerunt, quoniam in hoc morbo motus vitales jam imbecilles ſunt, unde vires magis deſtruendo, motus impediendo, & excretiones retardando, malignitatem majorem efficiunt, & ad mortem magis ægros quam ſalutem deducunt.

§. XIV.

Optima autem & ſecuriſſima medendi methodus in hiſce morbis, quam plus centies fidam & bonam expertus eſt Dn. Præſes ſequens fuit: nempe in principio morbi, pulvis bezoardicus, mixtus cum nitro purificato & camphora, remedio maximi momenti, aliquoties exhibitus & reiteratus fuit. Per morbi progreſſum vero & ſtatum, mixturæ ex aquis temperatis, alexipharmacis, diaphoreticis, analepticis, antiſpaſmodicis, & pulveribus cordialibus bezoardicis conſtantes, fuerunt conſtantiſſime exhibitæ. In potum inditum fuit nitrum vel ſpiritus vitrioli philoſophici & frequens potio decocti cornu cervi citrati, it. radicis ſcorzoneræ calide & frigide ſumme proficua notata fuit. Circa diem criticum leniora alexipharmaca, & quæ ad ſudorem diſponebant, adjecta fuerunt, hinc vel mixtura vel tinctura bezoardica vel eſſentia ſcordii, mixturis admixta, aut camphoræ granum, pulveribus conſuetis bezoardicis adjectum. Hiſce vulgaribus temperatis, lenioribus, benedicente ſummo Numine feliciſſime maxima hujus morbi, item aliarum malignarum febrium vis expugnata ſæpius fuit.

§. XV.

Neque etiam ſileri debet uſus externorum; ita clyſteres lenientes, vel pure oleoſi in alvo nimis adſtricta, vel torminibus ac cruciatibus ventris expertiſſimi fuerunt reperti. Spirituoſa quoque, confortantia, analeptica, theriacalia, aromatica externe pulſibus & regioni ventriculi applicata, vel naribus ſuſcepta vires reſtaurando auxilium tulerunt exoptatum. Quoad regimen ægrorum commendata fuit aeris uſura, ſereni, limpidi, puri, temperate calidi, hypocauſta enim nimis calefacta, vel exceſſivus calor a ſtragulis & lectis ſemper fere depauperando vires, & actus excretorios turbando, nocuit. Cibi præcipue ſolidi nulli admiſſi fuerunt, ſed in declinatione & poſt illam, tantum liquidi & facillimæ ſolutionis exhibiti; in genere enim animadverſum fuit in omnibus acutis & continuis febribus liberalem uſum ciborum, etiam nutrientium, juſculorum ſic dictorum confortantium, particulis oleoſis alibilibus ſcatentium, damnum ſemper præſentiſſimum attuliſſe, imprimis circa dies criticos, ſtatum morbi, aut præſentibus evacuationibus criticis, ſiquidem mox major virium jactura, excretionum impeditio deprehenſa fuit. Noti nobis ſunt, ubi poſt declinationem, immodicus uſus ciborum ſolidorum recidivam morbi gravem peperit. Et hæc jam de cura ſufficiant.

§. XVI.

Qui ſibi ab hac lue epidemica metuebant, hi conſilio prudenti Medicorum præcavebantur purgationibus levioribus, quem in finem uſurpatæ fuerunt pilulæ ex extractis balſamicis, amaricantibus, rhabarbarinis, & aloeticis compoſitæ. Plethoricis ſanguinis detractiones rite fuerunt adminiſtratæ, decoctum veronicæ & ſcordii, quod ſanguinem fluxilem ſervat, putredinem arcet, dyſcraſiæ & malignitati humorum reſiſtit, ceu omnibus individuis accommodatiſſimum commendatum fuit & commendari meretur. Præterea decens vivendi ratio adhibita & imprimis cibus potuſque moderatus, temperatus, nec varius, abſtinentia ab affectibus utiliſſima ſunt & fuerunt, ad corpora cuſtodienda a lue tali diriſſima.

CAPUT II.

Exhibens Ætiologiam hujus morbi.

§. I.

Febrem hanc nominavimus continuam, epidemicam, putridam, malignam, & petechizantem. Febris fuit, quoniam mutatio fuit in pulſu & calore corporis naturali obſervata; pulſus enim frequentia cum calore præternaturali eſſentiam febris ſufficienter abſolvit. Continua fuit & acuta, quoniam nullas habuit intermiſſiones, ſed ſaltim ſymptomatum remiſſiones, & quia celerem obtinuit motum, citoque ad terminum ſuum ſalutarem, vel exitialem pervenit; morbus enim acutus ſimpliciter ad vigeſimum diem ad ſummum extenditur. Maligna dicta fuit ob plures rationes, primo quia graviſſima & periculoſiſſima ſibi conjuncta habebat ſymptomata; ſecundo etiam quoniam mali moris erat, in eo, quod prima fronte levibus ſignis & remiſſo calore vires occupabat, ut ſecura omnia & tuta apparerent, quo ipſo imperiti & incauti Medici miſere ſæpiuſcule decipiuntur, qui talem febrem pro catarrhali, & hectica frequentius in principio agnoſcunt, ubi tamen ad mortem repentina fit mutatio. Eleganter Bassianus Landus verſipellem hujus febris naturam inſinuat *in Jatrologia*, inquiens: ad initia Medico facilis ſe malignus morbus præbet, ſed progreſſu temporis virus habet & clandeſtinis inſidiis oppugnat, & nullum de ſe prius judicium fieri permittit, quam exitium paraverit & oppreſſerit; uſque adeo incertæ ejus notiones ſunt, ut dum anima eſt ægrotorum magnam plerumque ſpem Medico faciat. Appellata fuit à nobis petechizans, ſive naturam & morem petechialis febris referens, ſententia enim noſtra non fuit pure petechialis, quia non tam contagioſa, non tam truculenta peracuta & interficiens fuit, quam pure petechialis, quæ ab Autoribus paſſim peſti æquiparatur, quare etiam Petechiæ dictæ fuerunt quaſi Peſtichiæ à peſte, quod Italis id primum obſervantibus, naturam ejus ratione vehementiæ ſymptomatum & contagii penetrantioris æmulabantur; Fracastorio enim referente Anno 1505. & 1528. in Italia primum apparuere, cum prius notæ non eſſent, etſi certis regionibus, ut Cypro & vicinis inſulis fuerint familiares, atque ibi diu cognitæ & deſcriptæ ab aliis, quod & fecit Forestus ſub titulo febris quotidianæ continuæ. Reſervato itaque hoc nomine atrociori & magis lethifero morbo, petechizantem noſtrum vocavimus, partim quoniam exanthemata petechiis ſimilia in cutim emittebantur, partim quoniam ſimilia cum petechiis ſecum ferebat ſymptomata; differt autem in eo, quod in petechiali major contagii & ſymptomatum adſit atrocia, dum ferme ſine ullo temperamentorum vel complexionum delectu, in omnia etiam ſaniſſima & robuſtiſſima corpora graſſatur, & tragœdiam ſuam brevi finit, & ſæpius lethaliter ſub maxima ſymptomatum ſævitia; ex noſtra autem febre plurimi evaſerunt, & diſpoſiti, intemperantiæ, crapulæ & ebrietati dediti magis perierunt; neque tanta ferocia vis morbi graſſata eſt in omnes promiſcue, neque morbus fuit peracutus, cum undecimo die plerique occubuerunt. Veteres hanc febrem ſolebant vocare puncticularem, neque ipſi Hippocrati fuit ignota, hujus

jus enim meminit *libr.* 2. *Epidemiorum p.* 3. in hunc modum : *fiebant autem in febribus æſtivis , circa ſeptimum , octavum & nonum diem aſperitudines in cute miliaceæ , culicum morſibus magnitudine ſimiles , non valde pruriginoſæ.*

§. II.

In quonam malignitatis ratio in hac febre conſiſtat, certe utile & dignum ſcrutinio exiſtit. Videtur autem diverſus malignitatis gradus nobis in eo verſari , quod in peſte & puris petechialibus, miaſma exiguæ molis activiſſimum immediate afficiat ſpiritus , etiam ſaniſſimorum hominum , horumque craſin ac motum invertendo ac turbando omnes motus vitales & naturales ſecretorios pervertat , totamque œconomiam animalem brevi deſtruat ; in putridis autem ſic dictis & acutis febribus malignitas remiſſior eſt , & intus magis generatur ac producitur , & initium ſuum ducit ex ſanguinis & humorum putredine , ſeu potius diſpoſitione ad ſtatum corruptionis. In utroque morbo ſpiritus qui præſunt motibus corporis noſtri, qui vires motrices cunctis partibus ſuppeditant , affecti ſunt , in peſte magis immediate , in putridis magis mediate. Antiquiores omnium malignarum ſubjectum non ſine ratione judicabant eſſe cor , quoniam credebant viſcus hoc principium eſſe & fontem omnis ſpiritus , motuſque vitalis in corpore. Tametſi autem pars hæc ſolida , principaliſſima & prima omnium fluorum corporis noſtri ſit movens , non enim ut ſolida ſpectatur , ſed quatenus vigorata & actuata eſt tenuiſſimo ſpirituoſo fluido , circulum ſanguinis vitalem efficit , & à putredine corpus præſervat ; eluceſcit tamen exinde ſpiritum , ſeu ſubſtantiam impetum facientem , in ſanguine contentam , tenuiſſimam pati maxime & affici in morbis malignis , id quod deprehendimus ex ſubito illo virium motricium in membris corporis prolapſu atque jactura , ſc. motuum , qui animæ ſerviunt , abolitione , animi in robore ſuo ac vigore actionum defectione , pulſu arteriarum imbecilli , exili , parvo , inæquali , propenſione ad lipothymiam , quæ cuncta deſignant morbi malignitatem & ſpirituum defectum vel deſtructionem.

§. III.

Optima ratione priſci Medicorum febres tales , e quarum numero noſtra fuit , dixerunt putridas , & ex putredine actiones vitales deſtruente illarum cauſas derivarunt ; rectiſſime enim putredo definiri poteſt , quod ſit diſſolutio mixtionis ſive elementorum , quæ ad conſtitutionem certi mixti faciunt , unde putredine quando corpus tangitur , ejus forma , textura , craſis , ſapor , color , odor , virtus , penitus ſimul evertitur. Ad talem putredinem inclinat maxime ſanguis animantium , cum liquor fluidus & heterogeneis variis elementis per ſe corruptibiliſſimis compoſitus ſit ; nihil enim magis ad putredinem concipiendam aptum eſt , quam liquor particulis oleoſis , ſulphureis , ſalinis , viſcoſis ſtipatus , quæ cuncta & ſenſus teſtimonio & analyſi chymica docente deprehenduntur in ſanguine noſtro , qui etiam quandocunque quieſcit , ab aere circumfluo , calido & humido in motum putredinoſum , fœtidum mox abripitur. Jam autem principalis hic & fundamentalis animantium humor ad putredinem propenſiſſimus , non tantum à putredine ſervatur , ſed & ipſas ſolidas partes ab hac præſervat , idque mediante motu progreſſivo , ſive in circulum abeunte , unde quamdiu ſanguis per partes vel totum corpus perenni motu ac circulo circumvolvitur , vita fruitur corpus , & putredo amovetur ; ſimulac autem ſtaſis fit in parte , vel motus ille totaliter ceſſat circularis , mox vel partialis ſphacelatio , ſive mors ſeu totius corporis corruptio ac deſtructio præſto eſt. Siquidem quando jugiter ſanguis & motu inteſtino & progreſſivo per tubulos totius corporis vehitur & revehitur , & heterogeneæ , activiſſimæ , agiliſſimæ , aereæ , ſeroſæ , ſalino-ſulphureæ partes , quæ putredinoſum ſemper motum in corporibus mixtis inchoant & abſolvunt , per debita emunctoria continuo ſequeſtrantur ac ſeparantur , ipſe ad corruptionem tranſire nequit. Quando itaque circulatorius motus imminuitur , & ſpirituoſæ in ſanguine partes deficiunt , nulla ſequeſtratio corruptibilium particularum accidit , hinc facile judicandum , hac ratione cruorem diſponi ad ſtaſin , ſtagnationem , imo ad deſtructoriam ſeceſſionem elementorum ipſum conſtituentium , ſive putredinem.

§. IV.

Ex dictis itaque dilucidum ac perſpicuum eſt , ex ſanguinis in vaſibus ſtaſi ac diſpoſitione ad corruptionem dependere ac explicari etiam debere omnia febribus putridis & petechialibus familiaria ſymptomata. Staſes vero corruptivæ , inflammatoriæ , ſphaceloſæ ſanguinis in viſceribus & partibus , quæ non tam cauſa morbi , quam potius effectus ejus ſunt , ſufficientiſſime deprehenduntur tum temporis in inſpectionibus cadaverum , ubi ſæpe numero viſcera ſphaceloſa , ſanguine craſſo , coagulato & concreto infarcta inveniuntur , ſicuti memoriæ prodiderunt paſſim Autores & Obſervatores , nominatim SPIGELIUS *lib. de ſemitertiana , cap.* 4. BARTHOLINUS *cent.* 3. *ep.* 4. GISELERUS , *obſ. de peſte* , 81. DIEMERBROECK , *libr.* 4. *de peſte , hiſt.* 15. COITER *obſ. anat. chirurg. p.* 110. CORN. GEMMA , *in deſcriptione hemitritæi peſtilentis* , HIERONYM. COCHUS , *de peſte & venenatis morbis , cap.* 15. RIOLANUS *enchirid. anatom. lib.* 2. *cap.* 27. Ab eadem ſtaſi ſanguinis dependent quoque anginoſæ & pleuriticæ inflammationes , dolores capitis phrenitici , anxietates circa præcordia , tormina ventris , diarrhœæ , hæmorrhagiæ. Ex eodem fonte , nimirum ſtagnatione ſanguinis & ſeceſſione elementorum ipſum componentium fluunt & fluxerunt quoque in noſtro affectu frequentes ſudores , urinæ copioſæ , tenues , quæ experientia ſuffragante rariſſime in morbis acutis bonum præbent indicium ; ſubſequitur illas etiam frequentiſſime delirium ; quando enim ſerum ſic ſecedit à ſanguine , reliquus craſſior factus non modo in viſceribus , verum etiam in capite ſtagnat & inflammationem parit , cui ſeceſſui ſeri a ſanguine quoque debentur exceſſivæ , debilitantes ad ſyncopem interdum uſque dejectiones per alvum. Interdum etiam accidit , ſalivam in abundantia effluere per os & tuſſi ejici copioſam materiam , quæ dicta maxime explicanda ſunt de excretionibus ſymptomaticis ; quæ enim critice fiunt & cum ſalute , illæ magis dependent ex motu ſanguinis circulari , alacri ad partes accedente.

§. V.

Quod exanthemata , maculas in præſenti concernit affectu , certe illæ bene diſtingui debent , inter criticas & ſymptomaticas ; criticæ dicuntur , ubi ſuperata ſanguinis putredine motu accedente rurſus vegeto , natura particulas reſtiles putridas ex corpore ad externas partes tranſmittit , & tunc ſequitur ſymptomatum diminutio , & talis die nono vel undecimo ſi accidit , neque nimiæ ſunt vel peſſimi coloris ſalutem afferunt ; ſymptomaticæ vero ſunt , quæ copioſæ , & ſtatim primis diebus , ſub colore etiam infeſto , nempe livido , violaceo vel flaveo in cutem mittuntur ; illæ enim indicant putredinem & corruptionem

tionem intenſiſſimam. Sunt autem maculæ illæ nihil aliud, quam ſalia ſulphurea ſanguinis, per putredinem reſoluta, & tales frequentius in petechiis accedunt die nempe non critico & coctionis ſignis aliis non præſentibus, unde morbum non leniunt, ſed potius peſſimum præbent indicium, unde bene concludit SENNERTUS, *libr.* 4. *de febb. c.* 11. eos non recte ſentire, qui exiſtimant bene cum ægris agi, ſi magna macularum iſtarum copia erumpat; tantum enim abeſt, ut materiam in venis virulentam tollant, ut potius materiæ copiam arguant & periculum portendant. Obſervavimus etiam hoc tempore & Excellentiſſ. Dn. Præſes ante ſex annos hic graſſantibus febribus petechialibus, quod, ſi paucæ, vel plane nullæ appareant, melius ſit ſignum, & provocari illas magna copia poſſe à Medicis imperitis per medicamenta calida ſudorifera ſanguinem multum exagitantia ſive inteſtinum ejus putredinoſum motum promoventia, item intemperato lecti calore. Cognitum etiam habemus poſt mortem eruptas fuiſſe petechias, quod ex putredine adhuc vigente & vapores emittente accidit. Quod dictum eſt de petechiis, etiam tenendum circa purpuram albam, quæ ſoboles eſt ſalis acerrimi cauſtici, mediante ſero craſſo ac vapido ad glandulas miliares ſubcutaneas adducti. Salina corroſiva indoles pateſcit exinde, quod quando retropellitur, diarrhœas, tormina ventris, cardialgias, aphthas, faucium inflammationes excitare ſoleat.

§. VI.

Cætera ſymptomata atque phænomena circa diverſa temperamenta & ætates animadverſa noſtro in morbo commode ex diverſa temperie, diſpoſitione, motuque ſanguinis deducuntur. Homines temperamenti phlegmatici, ſanguinei, habitus corporis pinguioris, carnoſioris, laxioris, nec non intemperantiæ dediti, ætatis mediæ, plus lue noſtra correpti fuerunt præ aliis, quoniam in tali complexione major ad concipiendam putredinem illamque propagandam eſt proclivitas, ob ſerum copioſum ſulphureum & habitum corporis flaccidum, quo ſanguinis & humorum circulatio infringitur & labefactatur. Idem valet etiam de iis, qui corpora multum habent debilitata ſive per graviores curas, animi angores, præpoſteros affectus, aut morbos antecedentes longiores; hæc enim omnia ſpiritus conſumunt & exhauriunt, & conſequenter ad motum ſanguinis tardiorem ejuſque vapeſcentiam, excrementorumque retentionem anſam præbent largiſſimam. Cacochymici autem, ſcorbutici & cachectici, enormiter tali in affectu eandem ob rationem patiuntur, illorum quippe vaſa ſuccis turgent pravis, excrementitiis, unde in his ordinario majus vitæ periculum obſervatur, ſimiliter in obeſis, qui rariſſime hoc morbo decumbentes evadunt, utpote ipſi corpora habent minus perſpirabilia, venaſque anguſtas & compreſſas, per quas difficili negotio ſanguis circulatur, quamobrem videmus in praxi obeſos ad tales morbos, qui à ſtaſi ſanguinis inflammatoria initium ſuum ducunt eſſe propenſiſſimos; conſentit in hanc rem CELSUS, *libr.* 2. *cap.* 1. *obeſi*, inquit, *plerumque acutis morbis & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, quod in corpore tenuiore vix evenit*; graciles enim corpus habent ἀραιὸν ac perſpirabile. Quare autem noſtra lues infantibus, quæ corpora ſimiliter habent humida & laxa pepercerit, ratio hæc videtur, quoniam plurimi ex noſtræ civitatis infantibus, variolas ante aliquot menſes experti fuerunt, quorum miniſterio illorum corpora depurata & quodammodo defecata fuerunt; accedit etiam quod febris acuta magis ſit morbus ætatis juvenilis & virilis quam infantilis & puerilis, quoniam circulatio in infantibus, quod etiam ex pulſu cognoſcitur, longe celerior & citatior, tranſpiratio & excrementorum propulſio major quam in aliis ætatibus, ob neceſſarium & urgens forſan nutritionis plenioris negotium.

§. VII.

Symptomata ſanguineis familiaria, ut dorſi dolor, capitis acutus, anxietas circa præcordia, vigilia, delirium, teſtantur cuncta de tranſitu ſanguinis difficiliori & impeditiori per venas anguſtas & copioſas, factaque ejus ſtaſi tam in capite quam in pectore. In cholericis obſervatus intenſior ardor, pulſus celerior ac vehementior, ſitis magna, linguæ inflammatio, furor à ſuperabundantia ſulphurearum particularum in ſanguine, & inde dependente motu inteſtino citatiori accerſenda veniunt. Continuus ſopor, calor parvus & remiſſior, ſitis defectus, in phlegmaticis & melancholicis ex ſpirituum defectu, ſero copioſo motuque inteſtino depreſſo merito deduci debet. Quibus alvus fuit obſtructa illi majores anxietates, cephalalgias & circa fauces pathemata inflammatoria experti fuerunt, quoniam per diarrhœam ſerum putridum, vapidum, bilioſum, quod ex ſtagnante circa meſenterium ſanguine per glandulas inteſtinales vel etiam pancreaticas ſecedit, tunc ejicitur; id quod, ſi non accidit, ex ſtagnatione majore acrimonia concepta, memorata ſymptomata producit. Urinæ tenues & ſanorum ſimiles, quæ non modo in præſenti lue, ſed fere in omnibus malignis viſuntur, deſignant calorem ſanguinis inbecilliorem, qui partim ab inteſtino, partim etiam a progreſſivo ſanguinis motu impulſuque cordis & arteriarum dependet; ubicunque enim pulſus frequens & vehemens eſt, ibi quoque calor intenſus deprehenditur, quo ipſo ſanguis fluidus fit, humidum multum conſumitur atque tranſpirat, & ita urinæ craſſæ, rubicundæ neceſſario efficiuntur. Quoniam autem in malignis ob deficientem ſecundum Veteres facultatem vitalem, ſive potius ob defectum particularum impetum & motum facientium in ſanguine, motus cordis & arteriarum imbecillior eſt, & conſequenter etiam tranſpiratio minor, facile apparet, urinam quoque aquoſam ob copioſum humidum exiſtere debere. Accedit etiam, quod copioſa & tenuis urina, uti jam dictum, à ſeceſſione ſeroſarum particularum a ſanguineis craſſis propter motum ſanguinis progreſſivum tardiorem dependeat.

§. VIII.

Lues noſtra feliciter ſoluta eſt, per diarrhœam, vel per ſudorem, accedentem circa diem nonum, decimum, vel undecimum; teſtatur nempe evacuatio per ſudorem de liberiori ſanguinis facto circulo & quaſi naturæ victoria. Enimvero noſtra non eſt opinio, per evacuationes illas tantum ejici mali cauſam, & ob hanc rationem reconvaleſcere ægrum, ſed potius ſtatuimus, evacuationes tales liberiores & liberaliores deſignare iterum naturæ robur, motum cordis & arteriarum vegetiorem, quo motu poſtea ſanguinis circulus iterum incipit ſecundum naturam fieri, unde corporis etiam ſordes tempore morbi varie conceptæ & retentæ tunc liberius per evacuatoria congrua educantur atque ejiciantur. Diarrhœæ fieri ſolent, quoniam poris hepatis antea obſtructis jam autem reſeratis particulæ ſulphureæ, bilioſæ, acres, in ſanguine ſtabulantes jam expeditius ſecernuntur & ad inteſtina mediante bilioſo humore amandantur, ſtimulumque talem efficiunt. Plurimi mortui fuerunt die undecimo, quod ipſum denotat morbum noſtrum non fuiſſe peracutum; præcedebat autem mortem ſudor frigidus cum mentis turbatione, pulſu debiliſſimo,

biliſſimo, reſpiratione frequenti & parva, tendinum contractione, decubitu pravo. HIPPOCRATES hinc optime in *Coacis tit. 9.* delirium in ſpiritu & ſudore lethale; ibidem: decubitus incertus qui à citato Medicorum principe dicitur ἀνεμοθὸς, ubi neſciunt ægri, quo loco corpora collocare debent, malum ſignum eſt. Cuncta enim hæc rem indicant partim motus vitalis plenariam deſtructionem, partim vires naturæ omnes exhauſtas. Quod autem ante delirium feroces oculi cum rubedine, lachrymarum effuſio, ſitis defectus, capitis inflatio adſit, ratio facilis eſt, delirium enim fit ab inflammatione cerebri, hæc autem a ſtaſi ſanguinis in ejus vaſis, & quoniam ſanguis ſtagnat ſeu impeditius circa caput circulatur, ſerum ſecedit & irrigando fauces ſitim extinguit, perque glandulas oculorum involuntariè effluit; cruor craſſus autem hærens in vaſis illa diſtendit, pulſat ac ruborem ibi parat, tumidumque caput & oculos rubicundos reddit.

§. IX.

Quod ſitus & poſitura corporis erecta tam noxia & pernicialis ſit, tantaque pericula poſt ſe trahat, ratio hæc videtur: in malignis cum ordinario ſpiritus & vires deficiant, ſyſtole cordis, qua ſanguis ejicitur in arterias debilis & imbecillis eſt, unde ad ſanguinem perpendiculariter ſurſum movendum ad caput non ſufficit, cum perpetuo motus perpendicularis gravium ſurſum valde ſit difficilis: quandocunque itaque cerebrum ſufficiente ſanguinis affluxu deſtituitur, ſpiritus etiam pauciſſimi generantur & ſeparantur in cerebro, a quorum ceſſante influxu, poſtea cor motum ſuum plane amittere incipit, unde non tantum animi deliquium accidit, verum etiam extrema corporis frigeſcunt, pori conſtringuntur, & ita exanthemata, maculæ & quodcunque per tranſpirationem debebat evacuari, retropellitur, relegatur, & denuo ſanguini nuptum ipſi vehementes novas alterationes inducit, vel etiam ipſam mortem accerſit.

§. X.

In cura nocuerunt ſudorifera volatilia immoderatius adhibita, quoniam motum inteſtinum putredinoſum adaugent, unde obſervatum, petechias tali ratione in majori copia produci imo generari poſſe, quoniam diſſolutionem elementorum ſanguinis promovent: vel etiam horum magis, quam par eſt, adhibitione, cephalalgiæ, anxietates & inflammationes, vel ſudores copioſi ſæpiuſcule advocantur. Nihilominus horum remediorum uſum & quidem moderatum etiam aliorum alexipharmacorum ſuaſimus ſtatim in principio morbi, quamdiu adhuc circulatio ſanguinis eſt in quodam vigore, ita enim accidit circulatione facta majori, diſſipari magnam portionem materiæ peccantis; neutiquam tamen imperari regimen ſimul magnum ſudoriferum debet, & quando corpora vel plethorica vel cacochymica ſunt, ita enim petechiæ magis in lucem ſiſtuntur. Denique & illud obſervationem meretur, quod bezoardica volatilia, tempore, quo criſis inſtat, vel etiam illa præſente in moderata doſi admiſſa motum jam debilem & languidum factum denuo ſtimulando evacuationes criticas egregie adjuvent & expediant, in quo tamen etiam cauti & parci debemus eſſe, ne nimios ſudores efficiamus & ad lentas febres ita diſponamus corpora. Cæterum abſtinuimus in cura à venæ ſectione, quoniam illa ipſa plane non eſt idonea putredinem tollere, ſed obſervatur, detractâ ſanguinis copia corpora magis debilitari, imparia deinde fieri vincendo morbo. Opiata propter pulſum debilem & vacillantem vireſque exiguas, maxime in ſomnolentiâ plane non fuerunt uſurpata, quoniam damnum & vitæ diſcrimen inferre in malignis ſolent.

§. XI.

Curandi hanc luem methodus optima ponebatur in applicatione remediorum diaphoreticorum nec non analepticorum & humectantium, temperata enim ſunt indicatiſſima, ſiquidem cuncta, quæ nimium movent ſanguinem ac humores, vel evacuationes efficiunt, quoniam vires conſumunt, exulare debent, vi enim curari talis morbus renuit, ſed patientia ante omnia & tempore opus eſt, unde cura non præcipitanda. Brevibus autem materiam remediorum, ex qua noſtra deſumſimus præſidia hic apponere placet, nempe ex aquis in uſum vocavimus aquam florum ſambuci, acaciæ, tiliæ, ulmariæ, roſarum; herbæ ſcordii, ſcabioſæ, cardui benedicti; ex ſyrupis, acetoſitatis citri, granatorum, julepum roſarum; ex pulveribus, matrem perlarum, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, ſuccinum, terram ſigillatam, cornu cervi uſtum, philoſophice præparatum, nitrum purificatum; ex alexipharmacis, camphoram, eſſentiam ſcordii, ejuſque extractum, vincetoxicum, mixturam ſimplicem, tincturam bezoardicam; ex acidis, ſpiritum vitrioli philoſophicum, ſpiritum nitri dulcem; ex humectantibus, decoctum ſcorzoneræ, raſuræ cornu cervi; ex confortantibus, aquam florum aurantiorum, oleum citri recens cum ſaccharo, confectionem alkermes, de hyacintho; balſamum vitæ Excell. Dn. Præſidis, vinum; ex antiſpaſmodicis, eſſentiam caſtorei, ſpiritum cornu cervi ſuccinatum, ſpiritum formicarum volatilem, ſpiritum eboris. Ex præfatis mixturæ, pulveres, potiones pro varietate ſymptomatum & circumſtantiarum confectæ & concinnatæ variæ fuerunt. Quod ſymptomata attinet, ipſis proſpeximus ſequentibus; in nimio vomitu, anxietate præcordiorum, enormibus diarrhœis & ventris torminibus externe theriaca cum oleo nucis moſchatæ expreſſo, camphora, oleo caryophyllorum & balſamo peruviano mixta regioni ſtomachali applicata fuit. In diarrhœa etiam nimia vires deſtruente uſi fuimus pulvere bezoardico nitroſo cum momento camphoræ & theriacæ cœleſtis; obſervavimus enim omnia illa quæ inflammationi reſiſtunt & ſalia cauſtica corrigunt & diſcutiunt in taliſmodi diarrhœis eſſe præſentiſſima. Ita etiam legimus apud RIVERIUM *cent.* 1. *obſ.* 24. delirium & alvi fluxum ſedatum fuiſſe à pulvere ex camphora & nitro compoſitum. In phrenitide & acutiſſimis cephalalgiis, ſpiritum vini camphoratum cum aceto roſaceo, & oleo ligni rhodii mixtum, externe adhibuimus ſummo cum fructu. In ſopore nimio nec non delirio naribus fuit oblatus & temporibus admotus etiam vini ſpiritus camphoratus & ſpiritus ſalis ammoniaci, cum oleo rutæ, lavendulæ ac cinnamomi mixtus. Pulſibus acetum roſaceum forte cum aqua carbunculi erigendarum virium cauſa applicatum fuit. Ad fallendam & extinguendam ſitim electuarium quod frequentiſſime in uſu habet Excell. Dn. Præſes compoſitum ex ſaccharo canarienſi & ſpiritu nitri ſuppetias tulit eximias. Quando extremorum frigus fuit obſervatum cum anxietate, horrore, divinam opem experti fuimus, ab alexipharmaco-analepticis, quibus annumerandus ſpiritus formicarum volatilis, vel eboris cum balſamo vitæ ſupra citato qui ad guttas 20 datus fuit, quo calor ad partes externas debitus redditus fuit. Hiſce divina gratia abſoluta fuit cura, quæ & experientiæ multivariæ, & ratiocinio firmiſſimo nititur ac ſtabilitur.

CAPUT III.

Oſtendens ortum ac cauſas hujus febris petechizantis.

§. I.

SUfficienter & clariſſime, ut puto, in ſuperioribus demonſtravimus, rationem formalem noſtri affectus conſiſtere in diſpoſitione ſanguinis, ad deſtructoriam & putredinoſam ejus elementorum ſeceſſionem, hanc autem fieri à ſpirituaſcentia & motu progreſſivo ſanguinis deficiente, atque abundantia & congeſtione impurarum ſeroſarum ſordium; reſtat jam ut diſquiramus etiam, quænam diſponant corpus noſtrum ejuſque fluores ad talia. Primum omnium notari meretur, motum tam inteſtinum, quam progreſſivum vitalem ſanguinis & humorum dependere ab anima ſecundum Veteres ſic dicta ſenſitiva, ſecundum Recentiores à fluido tenuiſſimo, æthereo, elaſtico, quod partim in ſanguine, partim purum & ſeparatum in nervis continetur, & ſpiritus vel vitalis, vel animalis nuncupari ſolet. Hic ſpiritus motuum, actionum tam voluntariarum, quam involuntariarum, omniſque ſenſationis autor ac faber eſt, & genuinus vicarius ac inſtrumentum accommodatiſſimum animæ rationalis, quo ipſa perpetuo in ſuis functionibus perficiendis utitur; cum autem hic ſpiritus ceu principale corporis noſtri movens, originem ſuam atque pabulum ducat ex aere, tanquam catholico fluido & univerſali animantium movente, quod ab ipſius ſanguinis temperie ac conſtitutione varia diverſimode modificatur; unde facillime ſequitur ac intelligitur, aerem maximam potentiam ac jus habere in corpus noſtrum, id vel alterando, deſtruendo, vel conſervando. Optima ratione & rectiſſime HIPPOCRATES *libr. de morbo ſacro* ſcribit: Aer motum ac ſenſum partibus præſtat, eſt enim revera aer anima animantium. Latini animam ἀπὸ τοῦ ἀνέμου à vento ſive aere acceſſunt, & Græci ψυχὴν ἀπὸ τοῦ ἀναψύχειν, quod aeris eſt proprium, volunt deductam, & ab eadem fortaſſis mente VARRO animam definivit, per aerem ore conceptum, tepefactum in pulmone, fervefactum in corde, diffuſum in corpus.

§. II.

Et ut aer vitæ cauſa digne reputari poteſt, ita & interdum morborum & mortis exiſtit autor, ubi a natura ſua & ad vitam conſervandam requiſita ſalubritate deſciverit; ſi enim bene conſtitutus animalium omnium, maxime, quæ donantur reſpirationis organis, vitam tuetur, multo magis, ſi prave conſtitutus eſt, eorum vitæ incommodum afferet. Conſtat etiam attenta experientia, quod qualis aeris ſtatus fuerit, talis quoque ſanitas, motus corporis, habitudo & diſpoſitio ad agendum, vel obeundas animales functiones. Serenus, purus, fluidiſſimus, uti vitalis eſt, & auram vitalem accendit, ac circularem motum ſecretioneſque excrementorum moderatas efficit; ita impurus, otioſus, vappidus, multis humiditatibus repletus, variis inquinamentis corruptus & ratione qualitatum immoderatus, pervertendo motum ac craſin ſpirituum atque humorum, varios & graviſſimos morbos exſuſcitat. Derivamus hinc merito mala plurima epidemica, quæ ab anomaliis ſubitiſque aeris mutationibus ac præternaturali temporum conſtitutione nunquam non oriuntur; hujuſque rei fidem facit luculentiſſimam ratio, experientia atque autoritas. Sapientiſſime inquit HIPPOCRATES *Sect.* 3. *aph.* 8. conſtantibus anni partibus, ſi tempeſtates convenienter ſuccedunt, bene morati, faciles ac ſecundi judicii morbi, at incertis, male moratis maleque conſtitutis temporibus adverſi, difficiliſque incidunt. *Idem* graviſſimus autor *y.* 1. *ſect.* 3. mutationes defectioneſque temporum maxime pariunt morbos, & quæ in ſingula anni tempora incidunt, inſignes mutationes frigoris aut æſtus cunctaque alia ſic pro ſua natura.

§. III.

Cum itaque per totum ſuperioris anni autumnum, hyemem etiam ac ver currentis, continua ferme humiditas, tepor, auſtrinus & pluvioſus aeris flatus regnaverit, non potuit aliter fieri, quin humana corpora exinde inſigniſſimam noxam ac detrimentum acciperent, etenim continua tali tempeſtate humida atque imbroſa, ventis flantibus auſtrinis corpora præſertim mollioris ac ſpongioſioris texturæ, conſtitutionis phlegmaticæ, fibræ motrices partium ſolidarum laxantur, & tonum ac robur, quod ad circulum ſanguinis continuandum valde neceſſarium eſt, amittunt. Spirituaſcentia quoque ſanguinis, à qua & inteſtinus calidus & circularis motus pendet, debilior fit, utpote vivida illa elaſticitas & aeris & ætheris, quæ expanſivum motum in viſcoſa illa humorum textura exercet & excitat, humiditate illa nimia labefactatur & retunditur, & conſequenter hoc modo ſanguis tardius movetur, excretiones ſumme neceſſariæ imminuuntur, & ad putredinem fit diſpoſitio. Quandocunque autem impeditur in circulo ſuo ſanguis, neceſſe eſt, ut accumulentur etiam multæ impuræ, ſeroſæ ſordes, quoniam excrementorum ſecretio a circulari ſanguinis motu principaliter dependet, unde non mirum, ſi poſt longiorem & continuam tempeſtatem humidam, tepidam, excitentur morbi partim putridi, partim à ſeri exſuperantia & ſtaſi dependentes, ſicut ſunt: tuſſes, catarrhi, febres catarrhales, rheumatiſmi, arthritides, catarrhi ſuffocativi, variolæ, morbilli, diarrhœæ, febres putridæ, malignæ.

§. IV.

Ex quibus dictis luculentiſſime patet ſolum aerem cauſam præbere poſſe graviſſimorum epidemicorum morborum, & etiam exinde ſubnatum fuiſſe noſtrum affectum, non tantum hic loci ſed paſſim in quam plurimis aliis. At vero memorandum hoc loco eſt aliquid, quod promte exinde fluit & ſequitur: quomodo præſervari à vitio aeris tale malum, quod oritur, poſſit, nempe quantum fieri poteſt corpus defendendum & cuſtodiendum ab injuriis iſtiuſmodi aeris, & ipſe corrigendus accenſione lignorum, gummatum reſinoſorum, interne autem ſalia volatilia oleoſa, leniora diaphoretica, blandaque purgantia, aloetica, rhabarbarina, cum diæta moderata laudabili, abſtinendo a variis cibis, intemperantia, ebrietate, nimiaque venere, prudenter & circumſpecte uſurpanda, & vires quantum fieri poteſt conſervanda. Qui enim vires ſibi defraudat, tali aeris ſtatu, vel graſſante jam epidemico malo, ille præparat corpus non tantum ad ipſius luis invaſionem, verum etiam extremo periculo & morti ipſe ſe ſubjicit, corpora enim quo magis ſunt debilitata, eo majori ſunt expoſita periculo & verſa vice. Et hæc jam de præſenti ſufficiant.

DISSERTATIO MEDICA
DE
FEBRIBUS MESENTERICIS,

Primùm edita Anno 1728.

PROOEMIUM.

FEBRIS eſt quidem tam univerſalis, familiaris & ſonticus morbus, ut nulli ætati, nulli temperamento nullique ſexui parcat, omnes regiones omnique tempore infeſtet & tres fere hominum partes abſumat. Quod vero magnopere mirandum, nulla in pathologicis doctrina tam intricata tantiſque premitur difficultatibus, ac ea, quæ de febrium natura, generatione & curandi ratione tractat, quo fit, ut in therapia quoque ingens medentum ſit diſſenſus, quænam remediorum genera in expugnanda hac, vel illa febre proficua, & qua in curatione utendum ſit methodo? Quin adeo ſterilis adhuc & manca eſt recentiorum pathologia, ut plurimi ſint, qui, ubi motus febriles vel horum cauſæ ſedem obtineant, ignorent & alia omnia, quam quæ veritate ſubnixa, credant ac afferant. Placet in exemplum adducere febres, quæ in meſenterio nidum habent ac latibulum. Harum certe variæ ſpecies, quæ frequentiſſime in praxi occurrunt; altum tamen de iis, in Veterum æque ac Recentiorum practicis libris eſt ſilentium. Solus BAGLIVUS earundem *in operibus* ſuis injicit mentionem, licet, uti omnia quæ de ipſo proſtant, fragmenta exhibent compilata, ita etiam in eo, quod *de febribus meſaraicis* agit *capite*, parum ſolidi, & quod rite connexum, ſed plura confuſa, quin aliena, reperiunda. Exquiſitiorem igitur utilis hæc & ſcitu neceſſaria materia meretur diſquiſitionem, quæ tamen eo difficilior omnino habenda, quo minus exculta & quo magis neceſſarium, ut ratione duce & comite experientia, cum cura adornetur. Interim faciemus jam periculum, iter tantiſper frangemus & ſpecimine hoc inaugurali febrium meſentericarum varias ſpecies, originem, diagnoſin, prognoſin & curandi rationem, curatius paullo atque uberius evolvemus, ſummum Numen ſupplices implorantes, ut feliciter cedere jubeat conamen!

§. I.

AGemus igitur de febribus, quarum ſedes in meſenterio. Eſt hoc viſcus, quod magis quam ullum aliud morborum proventui favet & commodum focum gravibus & exitialibus chronicis paſſionibus ſubminiſtrat. Cenſura vero utique dignum, quod morborum ibi hoſpitantium ſcrutinium, a medentibus penſi ſit habitum & tantum non videatur prætermiſſum. Unicum forſan ex Veteribus qui celebritatis famam adepti excipimus FERNELIUM, qui *lib. VI. Path. cap.* 7. de morbis meſenterii agit & latibulum multarum gravium & diuturnarum chronicarum affectionum in eo conſtituit: *ego*, inquiens, *affirmo & profiteor*, *choleræ*, *melancholiæ*, *diarrhææ*, *languoris*, *lentarum errantiumque febrium*, *addo hypochondriaci affectus*, *ſcorbuti*, *latentium denique morborum cauſas*, *me in his plerumque ſedibus animadvertiſſe*, *quorum depulſione*, *deploratis ſalus redditur.* Præter hunc etiam ſæculo abhinc Islebienſis quidam Medicus, MATTHIAS MARTINI, integrum *de morbis meſenterii abſtruſioribus* conſcripſit libellum, in quo quidem de meſenterii infarctu, inflammatione, abſceſſu, dolore colico, melancholia hypochondriaca copioſe agit; de febribus vero ex meſenterio, nihil quod memoratu dignum adjicit, & præterea anatomicis inventis & rationibus phyſico-mechanicis deſtitutus, ubivis nihil fere aliud, quam obſoletas auctorum opiniones & formulas, nitido tamen ſtilo, promit.

§. II.

Nos jam alia incedemus via, ac ut pathologica hæc de febribus ex meſenterii labe doctrina claris ac perſpicuis nitatur fundamentis, præmittemus ex anatomicis meſenterii hiſtoriam, quoad ſtructuram, ſitum, connexionem, partes e quibus coalitum, adjuncto ſimul genuino ipſius uſu. In quo quidem primo monendum loco, nos per meſenterium non ſolum illam quæ tenuia inteſtina connectit & colligat, meſeræum Anatomicis dictam partem, ſed etiam eam, quæ craſſis, & maxime colo adhæreſcit, & meſocolon audit, intelligere. Utraque febri ſedem præbet, ſed ratione ſtructuræ, ſitus, connexionis atque etiam uſus intercedit differentia, cujus

jus ratio in quo ſit poſita, eruendum utique.

§. III.

Meſeræum itaque jejuno & ileo inteſtino eſt connexum, ex triplici membrana, ſuperiori ſcilicet, inferiori & media celluloſa, ſeu adipoſa, quæ pinguedinis ſuſtentaculum, conſtatum. Super medium tam arterioſa, quam venoſa vaſa, nec non nervorum ſurculi diſcurrunt, innumeræ quoque in ipſa glandulæ conſiſtunt; ſuperior vero & inferior lamella magis vaſa, quæ lympham & chylum vehunt, habet. Tota vero compages pendula in abdomine hæret, & tam per robuſtam peritonæi membranam firmiter primæ lumborum vertebræ concreta, quam etiam per conſpicuum ramum ex arteria aorta, arteriæ meſaraicæ nomine notum, nec non nerveum plexum, ex pari octavo, intercoſtali & lumborum vertebris prodeuntibus conſtatum, alligata eſt atque appenſa. Vena a dextro venæ portæ eſt ramo, ſiniſtro ad pancreas & lienem abeunte.

§. IV.

Meſocolon craſſa comitatur inteſtina longeque alium ac meſenterium ſervat tractum, cum ipſo colo communem. Incipit ſcilicet in coſta ilii dextri lateris & cum colo aſcendit ad dextrum renem & inferiorem hepatis partem, poſtea ad omentum convertitur, ſub quo infra ventriculum pergit ad ſiniſtrum latus, ubi ſub diaphragmate circa lienem conſpicuam, colo ſurſum prius ac deorſum iterum in annuli figuram reflexo, efformat flexuram, inde ad renem ſiniſtrum porrigitur ac demum muſculum pſoas & os ſacrum, incurvato ad formam literæ S tractu, tranſcendens, ad pelvim peritonæo adhæreſcens tendit. Vaſa lactea obtinet perpauca, glandulas etiam paucas ac minores habet & ex meſenterico medio & inferiori nervorum ramo exiguos ſortitur ſurculos, per peritonæum ad meſocolon & tunicas coli ſerpentes.

§. V.

Id vero obſervatione inprimis dignum, tam arctam quidem meſocoli & omenti eſſe connexionem, ut ſicuti aliquoties, primus quod ſciam, D. Præses publice demonſtravit, una videatur omenti & meſocoli continuatio, diverſa autem utriſque eſſe ſanguiſera vaſa. Meſaraicæ enim ſuperioris ramus ad meſocoli in dextro latere partem, & in ſiniſtro, ubi annularis illa recurvatio, diſcedentis ex aorta circa tertiam lumborum vertebram meſaraicæ inferioris ramus fertur; quæ vero omentum perreptant arterioſa vaſa, cœliacæ arteriæ ſunt propagines. Eadem ratione ex vena meſaraica ſuperiori ramus capax ſatis dextrum meſocoli ductum perluit, omentum autem venas ſuas, quas cum ventriculo habet communes, a cœliaca ſiniſtra ſortitur. Et longius porrecta meſocoli in ſiniſtro hypochondrio portio peculiarem habet venam, quæ nec cum omento, nec cum dextri lateris meſocolo, nec cum meſeræo connexionem alit, ſed ortum trahit quandoque ex ramo ſplenico ſiniſtro, plerumque vero in illo venæ portæ angulo, qui eſt inter ramum ſplenicum ſiniſtrum & meſentericum dextrum. Dicitur hæc vena hæmorrhoidalis, & recto ac perpendiculari itinere, innumeros per meſocolon ſurculos ſpargens, coli ſubſtantiam pertranſit ac in pelvi recto potiſſimum inteſtino ramum impertit, qui κατ᾽ ἐξοχὴν audit hæmorrhoidalis, & apertus ſanguinem per alvum ſecedentem fundit. Probe igitur interna hæc hæmorrhois, quæ venæ portæ propago, diſtinguenda ab illo venæ iliacæ ramo, qui ad externum ani limbum decurrit & externarum hæmorrhoidum eſt ſcaturigo.

§. VI.

Vaſa deinceps lactea peculiarem ideoque notandum per meſenterium ſervant curſum. Scilicet lactiferi hi canales ex villoſa, ſeu potius celluloſa tenuium tunica, ramificationibus innumeros arcus efformantibus exorti, in ramos primum coëunt ampliores, qui in capillares iterum finduntur canaliculos, & deſinunt in glandulis variæ magnitudinis, collectius circa centrum conſidentibus; ex his vero poſtea, juxta obſervationem Whartoni, novi iterum ramuli lactei emergunt, qui progreſſu in majores coaleſcunt ramos & chylum verſus meſeræi centrum & ad capſulam chyliferam vehunt, ductui thoracico demum infundendum. Licet autem porro innumeri fere nervorum ſurculi tam ad meſenterium ſtricte ſic dictum, quam meſocolon & omentum abeant, hæc tamen abdominis viſcera, ob defectum nervearum, in quibus ſenſatio tantum viget, tunicarum, omni propemodum ſenſu ſunt deſtituta; coli autem tunicæ, nec non peritonæi membrana, ab iiſdem nervorum propaginibus, exquiſite ſentiendi nanciſcuntur facultatem. Atque adeo clare pateſcit, meſenterii vaſa perquam facile a craſſis ſuccis infarctum vel obſtructionem incurrere & vi motrice valida impulſiva carentia, ob interruptum chyli & lymphæ per eorundem anguſtias curſum morbis occaſionem præbere, & multis, & magnis.

§. VII.

Neque etiam in hac meſenterii hiſtoria prætereundum, quod cumprimis medico ſervit uſui, meſæreum nimirum & meſocolon tam copioſis & amplis arterioſis ac venoſis vaſis eſſe dotatum, ut largam ſanguinis copiam recipere & cuſtodire queat. Jam vero tam uber ſanguinis affluxus nec ad calorem, nec ad nutritionem meſenterii æque ac inteſtinorum, in quibus tenuibus ramificationibus canales terminantur, neceſſarius eſt; in ſapientiſſime autem fabrefacta corporis humani machina nihil fruſtra factum, ideoque cui uſui hoc deſtinatum, merito indagandum. Noſtra igitur ſic fert ſententia: exundans ſanguinis copia graves corpori ſtruit inſidias & mole ſua perquam facile vitales motus, viſcera nobiliora infarciendo, interturbat, hinc tam multi & magni in meſenterii minus exquiſiti ſenſus viſcere conformati canales, qui exuberantem cruorem non modo ſuſcipere, ſed &, ſine illa quæ ex ipſius congeſtione & ſtagnatione in reliquis viſceribus redundat noxa, aliquamdiu aſſervare poſſunt, ne ſanitas cum vita periclitetur.

§. VIII.

Hic autem tam affatim ad meſenterium confluens ſanguis tarde adhuc & languide per ipſius compagem circumagitur. Muſculoſæ enim & nervoſæ in membranoſo meſenterii & meſocoli tractu deficiunt tunicæ, quæ tamen ad imprimendum ſuccis circulantibus impulſum & promovendum eorundem progreſſum inſigniter faciunt. Vena portæ eſt, quæ pulſu carens, vice tamen arteriæ fungitur, & tam ex hoc, quam aliis contiguis viſceribus ſanguinem recipit eundemque ad hepar lento admodum flumine ducit. Vena ex meſentericarum numero hæmorrhoidalis perpendiculari itinere per meſocoli tractum excurrit, remota longius a ſuo eſt ortu eamque ob cauſam ſegniter per ipſius alveum procedit motus. Neque tamen hoc etiam ſine exquiſita ratione & ſalutari ſcopo ita contingere, cenſendum.

§. IX.

Videlicet tardior hic ſanguinis per meſenterii venas curſus, ſecretioni ſucci bilioſi in hepate, lymphæ, humoris fermenteſcibilis, item ſeri mucidi excrementitii in inteſtinorum cavo, egregie ſervit. Etenim ſi curatius paullo rem expendimus, craſſa præſertim inteſtina, egregium tam ſeri, quam ſanguinis copioſioris præbent excerniculum, potiſſimumque illa, quæ colon interius obducit tunica, jure dici poteſt pituitaria & mucoſa, eo quod in ipſius compage multum utique ſeri ex ſanguinis ſinu ſequeſtratur, quod mora in mucum denſatur & per alvi ſeceſſum cum ſcybalis eliminatur. Tenuia vero inteſtina tunicis glanduloſis multiſque plexibus glandiformibus ſunt dotata, quæ multum ſeroſi humoris ex vaſis meſaraicis abſorbent ac ſegregant. Teſtatum certe hoc facit copioſa illa in alvi fluxibus tam criticis, quam arte procuratis egeſtio, ita prorſus, ut quandoque aliquot ſeroſi humoris ex meſaraicis vaſis expreſſi menſuræ, in cachexia vel hydrope laborantibus, oblato validiori purgante, cum impetu & dolore exturbentur. Quæ quidem ſeroſa evacuatio ſicuti apprime pro ſanitate eſt, ita non minus eximium ad morbos tam arcendos, quam perſanandos, præſtat uſum ſanguinis fluxus ſic dictus hæmorrhoidalis, qui ob eundem difficilem ſanguinis per venam meſentericis connexam regreſſum, in recto inteſtino ex dehiſcentibus arteriolarum nimis dilatatarum oſculis ſuccedit.

§. X.

Quamvis autem lentior hic ſanguinis per vaſa meſenterii progreſſus, utilitate ad corporis ſalutem polleat inſigni, idem tamen hic fœcunda multorum longorum & difficilium morborum genitrix & nutrix eſt. Etenim quando ſanguis & ſucci nimium ibi coacervantur, neque exitum per inteſtinorum tunicas, neque hæmorrhoidalia vaſa ſortiuntur, ſtagnationes inde fiunt, infarctus & ſtaſes, ſubſequunturque poſtmodum corruptiones, putredines ac innumeri morbi, quorum omnium vero geneſin jam evolvere, noſtri non eſt inſtituti, ſed meditationi tantum ſubjiciemus eas febrium ſpecies, quæ in his ſedibus conſiſtunt, quas eam ob cauſſam *meſentericas* appellare libuit. Hæ vero ſecundum noſtram ſententiam & obſervationem optime in acutas & chronicas diſpeſcuntur. Illæ uti fere ſemper ab inflammatione & ſtaſi ſanguinis in tenuiſſimis partium exquiſitiori ſenſu pollentium vaſculis natales ducunt; ita hæ utplurimum a ſtagnatione, vel etiam effuſione & corruptione, humoris copioſi, præſertim ſeroſi, in canalibus, vel extra eos, ortum debent.

§. XI.

Quæ inflammatoriæ febres, acutæ & continuæ ſunt, interno ardore, dolore, præternaturali æſtu, virium proſtratione, anxietate & inquietudine ſeſe produnt, ac non tam in ipſo meſenterio, quam potius in inteſtinorum tunicis muſculoſo-nerveis, vel etiam peritonæi membrana, cui craſſa adhærent, conſiſtunt & pro diverſitate locorum quæ occupant, nec non pro diverſa cauſæ gravitate & vehementia, variis incedunt ſymptomatibus, nec una eademque ratione dijudicari debent. Quod ſi enim dolor acutus eſt ſupra umbilicum & ſub ventriculo, cum febre, nauſea & vomendi conatu, indicium præbet, laborare eum coli tractum, qui infra ſtomachum a dextro ad ſiniſtrum latus porrigitur. Qui in dextro hypochondrio ſub coſtis ſpuriis urget doloris ſenſus, præter naturam affectum & inflammatum eſſe coli principium ubi ileo committitur, arguit, quemadmodum etiam Spigelius *de ſemitert.* in iis, qui hac febre defuncti, ſphacelatum deprehendit hunc coli locum. Acuti cum febre cruciatus in ſiniſtro latere, ſub lumbis ubi muſculus pſoas ſitus, in colo & meſocolo, præſertim ubi peritonæo adhæret, mali ſedem eſſe produnt. Quando vero medium abdomen circa umbilicum cum febre gravius dolet, tenuia utique inteſtina inflammatione eſſe affecta, certum præbet indicium.

§. XII.

Merito tamen conſiſtentes his in ſedibus inflammationes, in leviores & graviores ſunt diſtinguendæ. Leviores exterioribus tantum inteſtinorum tunicis, quæ nonniſi membranarum meſenterii ſunt productiones, inſident; graviores vero altius ipſam inteſtinorum ſubſtantiam pervadunt eorumdemque interiora ipſaſque glandulas tangunt, ideoque & profundiores ſunt, & ampliores. Quæ ſuperficiem occupant, non tantum periculi alunt, ſed adhibito laudabili regimine & congrua medicina, intra quartum, vel ſeptimum diem diſcutiuntur; quæ autem interiora profundius obſident, niſi per diarrhœam aut ſanguinis fluxum ſolvantur, longius extrahuntur, quin in ſuppurationem ruunt & in hecticam deſinunt.

§. XIII.

Sunt hæ ſimplices febrium meſentericarum ſpecies; dantur vero aliæ adhuc complicatæ indolis, quæ ex continua adeoque quotidiana, ac intermittente tertiana ſunt compoſitæ, & cognoſcuntur ex pulſus frequentia, præternaturali æſtu & virium nec non ſomni & appetentiæ defectu, ita tamen, ut hæc pathemata alternis diebus, præcedente levi horrore & partium externarum refrigeratione, ingraveſcant & exacerbentur. Veteres, Hippocrates atque Galenus, hanc febrem vocarunt ſemitertianam, ſive hemitritæum; Recentioribus autem, unicum ſi excipimus Spigelium, qui peculiari tractatu de eadem egit, fere incognita. Nonnulli enim horum eam intermittentem malignam vocant, nonnulli eandem plane confundunt cum tertiana continua, a qua tamen multum utique diſcrepat. Hæc quippe non adeo periculoſa & gravibus quidem ſymptomatibus per aliquot dies inſiſtit, tertio autem utplurimum paroxyſmo plenaria ſymptomatum accidit remiſſio & febris perfectum tertianæ intermittentis typum induit, ſemitertiana autem eſt continua, licet non tam acerbis ſymptomatibus ſtipata, & quotidie circa veſperam, & alternis diebus, levi præcedente horrore, ingraveſcit, junctum ſæpe habet abdominis dolorem ventriſque tumorem, quandoque ad aliquot hebdomades prorogatur, quandoque etiam in morbum chronicum, lentam febrem & hecticam concedit.

§. XIV.

Duplex hinc omnino compoſitæ hujus febris cauſa & duplex quoque ac diverſa, probe jam notante Fernelio, ipſius ſedes. Continuæ ſcilicet nidus ac fomes tam in meſenterio, quam in annexis inteſtinis, & cauſa inflammatio, levior tamen, ipſis in inteſtinis, quam etiam nunquam non in demortuis reperit Spigelius. Tertianæ vero & ſymptomatum tertio quovis die exacerbationis cauſa deliteſcit in inteſtinis, ac præſertim duodeno, quod ob difficilem per inflexum ipſius cavum contentorum tranſitum, ob numeroſas ſub tunica in eo villoſa glandulas, bilis & ſucci pancreatici, nec non crudorum ex ventriculo ſuccorum confluxum horumque per longiorem moram mutuam

quaſi

quaſi confermentationem, variorum morborum ac febrium, quæ certis periodis exacerbantur, focum præbet. Noſtra quippe ſic fert ſententia: quando pravus & morbificus ſuccus, ex primo præſertim inteſtino, per lactea vaſa cum chyloſo liquore ad ſanguinem & inde ad nervoſas corporis partes, maximeque membranas quæ ſpinalem medullam cingunt, certa quantitate & certo tempore fertur, oritur inde univerſalis in univerſo fibrarum & nervorum ſyſtemate ſpaſmus, qui prius non deſinit, quam materia illa, motus inordinatos ciens, per ſubſequentem æſtum ex ſedibus fuerit excuſſa, poſteaque tam diu ſilet, donec collectus iterum certa quantitate debito tempore vitioſus humor accedat, novumque motuum ſuſcitet impetum, ſeu paroxyſmum.

§. XV.

Hæ itaque & his ex cauſis prognatæ febres ancipites admodum ſunt & ſimplicibus intermittentibus longe perículoſiores, eo quod fundamentum inflammatio & indoles continua, nec ſymptomatum plenaria remiſſio, nec ad reparandas vires ſpatium. Majus adhuc periculum, ſi ventriculus ſimul inflammatione affectus, id quod ſingultus, nauſea, vomendi conatus, faucium ardor, extremorum refrigeratio, animi inquietudo & quandoque defectio, arguunt. Veteres eapropter hanc febrem habuerunt periculoſiſſimam, immo malignam & peſtilentem. Eadem quoque de hujus febris periculo Spigelii ſententia, qui omnium optime ex Recentioribus de ejuſdem indole ac ſede egit, nec poſſumus, quin notatu præ reliquis dignum ejuſdem locum heic inſeramus, ita habentem: *quotieſcunque mecum repeto, quæ in curationibus febrium putridarum, quæ in diſſectionibus mortuorum a ſemitertiana obſervavi, toties nil aliud potui agnoſcere, quam putredines ſemper in vaſis conſtitiſſe. Erant enim in diſſectis cadaveribus inflammationes ex ſanguine bilioſo & pituitoſo factæ, circa jecoris cavam partem, in ventriculo, inteſtinis, tam craſſis, quam tenuibus, meſenterio, omento, liene & ſæpius in una partium commemoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis cauſæ erant, ſupervenientе gangræna, vel ſphacelo alicui loco (etiamſi quandoque exiguus eſſet,) partium prædictarum. Jam qui a me curati fuere, (ſi non alvi fluxus inſignis proveniebat, aut locus inflammationis non eſſet admodum ſenſibilis, ut jecoris, lienis, pancreatis, meſenterii, omenti) dolores in ventre immanes, continui, certis plerumque horis ſe exacerbantes, vel intermittentes aliquamdiu, eos affligebant, quos ex inflammationibus ventriculi & inteſtinorum ortos fuiſſe, ex facto abſceſſu, ſanie pureque, aut bile ſanioſa & concocta, per ſeceſſum vel vomitum redditis, certo ſciebam.*

§. XVI.

Notandum autem, quod meſaraicæ hæ febres, tam inflammatoriæ, quam ſemitertianæ, ex continua & intermittente compoſitæ, in nulla regione magis ſint familiares, quam in Italia, Romæ, Venetiis, ubi clerici, aulici, juvenes, otioſe viventes ac genio indulgentes, frequentiſſime eaſdem incurrunt. Teſtantur hoc cum Galeno, Spigelius etiam atque Baglivus, & Italicum clima ad progignendas ejuſmodi febres utique admodum eſt proclive. Aeſtus enim interdiu urens multa bilioſa, acria, calida gignit recrementa, nocturnum vero quod incidit frigus exhalationem eorundem per cutis poros impedit. Solenne deinceps Italiæ quibus lautius vivendi genus eſt incolis, potum injecta glacie perfrigerare & ſic frigidum nimis avide ingerere. Hinc omnino in proclivi eſt judicare: in corporibus ex pinguiori victu & quiete ſuccis repletis, recrementis acribus ſcatentibus, accedente frigido potu, infarciri ac repleri meſenterii ſtagnationi apta vaſa, ſtaſin cum inflammatione oboriri & ſic febrem demum accendi. Idem quoque cœli interdiu fervidus calor & ſubſequens noctu algida aura, in cauſa eſt, quod in Pannonia ſemitertianæ hæ febres frequentiſſime incidant. Quin ſunt inter exempla, qui tantum æſtatis tempore in montium cavernas & frigidas vinarias cellas concedentes, aliquandiu ibi commorati ſunt & perfrigeratum hauſerunt vinum, illico febrem hanc inde reportarunt.

§. XVII.

Præter hemitritæas meſentericis etiam febribus accenſendæ, quæ cum alvi fluxu, ſive puro, ſive cruento & atrocibus ventris torminibus ſtipantur. Neutiquam tamen omnis alvi fluxus, ſive copioſa cruenta, vel incruenta dejectio, a ſanguine & humoribus in meſenterio ſtagnantibus derivanda; ſed ſæpius intra inteſtinorum cavum pravus, corroſivus & bilioſus humor, cauſa ejuſdem delitеſcit. Meſenterii autem vitio illæ tantum debentur, quæ epidemice & certis temporibus invadunt, neque ex alimentorum vitio, ſed ex præternaturali aeris præſertim calidi nimis & ſicci conſtitutione oriuntur & febrem junctam habent continuam. Vidimus ſuperiori anno, ob inſolitum diuturnum ad medium fere autumni productum calorem; univerſam fere Germaniam pervagantes febres, non modo intermittentes varias & anomalas, ſed & continuas cum dyſenterico alvi fluxu ſociatas, quæ unice acrium bilioſorum in corpore humorum copiæ in acceptis ferendæ.

§. XVIII.

Scilicet quando in corporibus multis acribus bilioſis recrementis refertis, excretio per cutis ſpiracula, ab aura frigidiori nocturna, vel frigido hauſto, ac ut opulentiorum mos fert, glaciato potu, intercipitur; perſpirandæ hæ ſordes, promtiſſime utique ac omnium facillime feruntur ad eas partes, quæ imbecilliores quibuſque ob defectum ſufficientis potentiæ motricis ſyſtalticæ, vel perpendicularem vaſorum tractum, difficilior fluidorum eſt progreſſus, cujus generis potiſſimum ſunt meſenterium, meſocolon & omentum. Quando igitur his in ſedibus, maximeque inteſtinorum tunicis quarum intima eſt a meſenterio, incluſus hæret ſanguis & humor acris, febrem ciet leviter inflammatoriam continuam; alvi vero cruentus etiam fluxus, vel ex nimium ampliatis & laxatis, vel exeſis plane & diruptis vaſorum oſculis ſuccedit. Et hæc omnino ita evenire uberius confirmat diſſectio eorum, qui hoc morbo interierunt. Diſſecuit Spigelius dyſentericum ſemitertiana defunctum, ac *l. c. cap. IIX. §. 9.* teſtatur: venas majores hepatis ſanguine fuiſſe vacuas, ventriculi tunicam interiorem leviore eryſipelate inflammatam, venas meſaraicas & quæ ad ventriculum ac omentum tendunt diſtentas & craſſiori ſanguine refertas, omentum conſumtum & ſemiputrefactum, durum quoque pancreas & cholodochum ductum obſtructum.

§. XIX.

Infantibus porro & pueris familiariſſimæ ſunt ejuſmodi lentæ febres, quæ inſigni abdominis tumore, ſuperiorum marcore, tuſſi ſicca, virium proſtratione, inappetentia & vago æſtu, poſt cibum ſumtum & circa veſperam increbeſcente, ſeſe produnt, alvo interdum adſtricta, interdum etiam fluxa, alba multa & mucida dejiciente. Naſcuntur autem hæ vel

a ſucco chyloſo nimis viſcido, tenaci, villoſam inteſtinorum tunicam & minima lacteorum oſcula obſtruente, quo inflatio inteſtinorum & chyloſa inducitur diarrhœa. Quandoque etiam ortum trahunt a lympha nimis viſcida tenaci, quæ glandulas meſenterii farcit, obſtruit ac magis magiſque accumulata mirum diſtendit. Facile tamen ſuccreſcunt ejuſmodi febres & occaſionem ipſis potiſſimum præbent, nimia infantum voracitas, cibi qui craſſum chylum reddunt, defectus tenuis potus corporiſque refrigeratio. Quæ vero corripuerunt, diu detinent corpora, nec, ſicuti omnes, quæ ex glandularum nerveæ ſubſtantiæ nimia expanſione oboriuntur febres, periculo carent, ſed, niſi convenienti occurratur medicina & vivendi ratione, perimunt infantes, inventis poſt mortem plerumque glandulis meſenterii ingentis magnitudinis, inteſtinis inflatis & tumidis ac pulmonibus corruptis.

§. XX.

Aliud febrium meſentericarum genus, lentæ eſt indolis, quod poſt alvi fluxum, ſimplicem & cruentum, imprudenter adſtringentibus, vel opiatis cohibitum, ſequitur. Ratio generationis in proclivi. Sub alvi quippe fluxu motus humorum a corporis peripheria vergit ad meſenterium & inteſtina, eaque propter rationalis medendi methodus hæc eſt, ut exitus primum præbeatur ſubſiſtentibus ibi & exitum affectantibus copioſis ſuccis, poſtea vero horum motus ab interioribus ad exteriora blande divertatur, quo intercepta reſtituatur perſpiratio. Ubi vero præpoſtero plane modo hæc omittuntur, ac potius per validius conſtringentia humores illi exitu intercluduntur, aliter fieri nequit, quam ut firmius longe vaſis & glandulis meſaraicis impingantur & corrupti demum hecticas febres, vel cachexiam & hydropem inducant. Multos etiam novimus, qui poſt dyſenteriam avidius ingerentes alimenta tantum, mortem arceſſiverunt.

§. XXI.

Pari ratione poſt variolarum & morbillorum morbum gignuntur ſæpe meſentericæ febres, eæque lentæ, in infantibus ac pueris, quæ in funeſtam nonnunquam degenerant hecticam. Nimirum quando decedentibus his exanthematibus, corpus a prognatis ſub morbo etiam impuris & corruptis ſuccis non repurgatur, perſpirationis, qua reliquiæ impuritatum optime diſſlantur, ſucceſſus per corporis refrigerationem impeditur & ventriculus adhuc imbecillis incongruorum eduliorum mole aggravatur; fieri aliter vix poteſt, quin copioſi & pravi humores ad meſenterium ejuſque vaſa deſcendant & ſtagnationes, infarctus, obſtructiones, glandularum tumores, ex parte etiam inflammationes, ibi producant, cum ingenti abdominis tumore & inflatione, ſuperiorum tabe, inappetentia, inquietudine, æſtu, tuſſi ſicca & alternante quadam horripilatione. Quæ omnia pathemata ad aliquot nonnunquam menſes perſiſtunt & quandoque nonniſi morte finiuntur.

§. XXII.

Neque adeo in artis exercitio rarum eſt, poſt intermittentes, præſertim male tractatas & intempeſtive opiatis ſopitas, aut conſtringentium ipſiuſque chinæ corticis præpoſtero uſu cohibitas, ſuccedere lentas & meſentericas febres. Ratio hujus eventus in propatulo. Intus enim in corpore excrementitiis multis bilioſis ſuccis referto, perſpirandæ ſordes retentæ & ad inferiora ipſumque meſenterium delatæ, bilem & ſuccos ſalivales fermentativa vi præditos inquinant, & accedentibus ſimul crudis ex mala digeſtione ſuccis, fomitem conficiunt febrilem. Primaria hinc in earundem curatione indicatio, ut impuri & inquinati ſucci corrigantur, per ſuperiora, ſi res poſtulat, aut inferiora, poſtea educantur, & ſaluberrimum demum perſpirationis negotium ipſeque ſanguinis ad exteriora motus roborantibus & diaphoreticis dirigatur. Contra ea quando antequam hæc facta dantur conſtringentia, quæ minima in villoſa tunica oſcula & glandulas occludunt, humores jam ſubſiſtentes lentos magis reddunt ac impingunt, lentæ utique & latentes febres, cum virium proſtratione, inappetentia, carnis conſumtione & æſtu junctæ non poſſunt non oboriri, quæ tandem in hecticam, vel in cachexiam & hydropem tranſeunt.

§. XXIII.

Tenendum tamen, lentas has ex meſenterio male affecto febres, non eſſe permutandas cum quotidianis intermittentibus. Ambæ enim inſigniter differunt. Intermittens quippe quotidiana ordinario ante meridiem accedit & conſpicuum intermiſſionis tempus, pulſu a celeritate & vehementia ad imbecillitatem & tarditatem reducto, exhibet; in lentis vero meſaraicis febribus, non datur caloris ac pulſus celeris perfecta intermiſſio, ſed tantum aliqualis remiſſio & circa veſperam ac noctem pathemata ingraveſcunt. Quotidianæ nidus ac fomes eſt in inteſtinorum flexuris, lentæ vero in meſenterii compage. Illæ non tanto periculo ſtipatæ ac hæ, melius etiam medelam admittunt & convenientibus emeticis, laxantibus, deterſivis, poſteaque roborantibus facile cedunt; quæ vero ex meſenterio, non tam faciles curatu, longius extrahuntur ac ſæpiſſime in hecticam concedunt.

§. XXIV.

Sic generantur, ſic incedunt & ſic quoque curate diſtinguendæ ſunt meſentericæ febres omnes & ſemitertianæ. De eventu vero earundem hæc adhuc notanda. Solvuntur nimirum quandoque alvi fluxu, quandoque colicis doloribus, qui deſcendiſſe ad inteſtina materiam quæ febrem ſuſcitarat, indicio ſunt. Sæpius etiam notavimus, feliciter eas nonnunquam cruenta ſine torminibus diarrhœa, ſive fluxu vulgo vocato hepatico, oborta, nonnunquam prodeunte per ani ſeceſſum copioſo nigro fœculento ſanguine, eſſe diſcuſſas. Deſinunt præterea quandoque in intermittentem, quandoque in continuam quotidianam, quæ tamen quam facile iterum fit ſemitertiana. Quin nulla omnino febris tam facile redit, quam ea quæ ex meſenterio, tanto certius, quando æger in diæta aut vitæ regimine, vel medens in medicatione errorem admittunt, potiſſimumque calidiora & purgantia ſub finem propinata, ut recrudeſcat faciunt.

§. XXV.

Jam ad methodum his febribus recte medendi accedimus, quæ circa eaſdem vel arcendas, vel perſanandas verſatur. Ad præſcindendas igitur ipſas, removenda omnia, quæ ex cauſis externis eas inducendi facultate pollent. Stomachi potiſſimum & ingeſtorum ratio habenda, ac videndum, ne ventriculus nimis obruatur, tanto minus cibis qui craſſum ſanguinem & lentos ac glutinoſos ſuccos ingignunt, quorum in numero ſunt maxime dulcia, acida, fructus horæi, caſeus, placentarum genera omniaque ex paſta confecta. Vitandus porro frigidus potus, aër quoque frigidus & humidus omniaque quæ perſpirationis ſucceſſum impediunt. Cavendum ab omnibus

bus purgantibus, quæ robur ac tonum inteſtinorum & quæ meſenterium conſtituunt partium mirifice dejiciunt. Animus præterea ſit tranquillus, nec corpus nimium exæſtuetur, inprimis paullo poſt paſtum, nec ſi commotum interius, vel exterius, refrigeretur. Medentes vero ſolicite caveant, ne diarrhœas, febres, hæmorrhagias, vel alias excretiones ſalutares imprudenter ac intempeſtive compeſcant. Venæſectio egregie defendit ab his febribus corpora, quæ ex victu lautiori & otioſa vitæ ratione ſuccorum contraxerunt copiam, & tum maxime neceſſaria eſt, quando menſes vel parum, vel plane non exſolvuntur, quando fluxus hæmorrhoidalis non ſuccedit, nec alia critica ſuperflui ſanguinis evacuatio præſto eſt.

§. XXVI.

In ipſa vero curatione abſtinendum a copia remediorum, ab adſtringentibus, teſtaceis, ipſo chinæ cortice, a dulcibus, a calidioribus, a purgantibus & opiatis. Neque etiam ſanguinis miſſio indiſcretim admittenda. Ubi enim inflammatio levior, nec corpus adeo plethoricum, omittenda hæc; contra ea, ſi ad ingignendam ſanguinis copiam diſpoſitus habitus, vaſa, præſertim in extremis, turgida, tuto utique in principio vena ſecatur, ne inflammatio gravior & profundior fiat & ad interiores inteſtinorum tunicas propagetur. In ipſius quoque dyſenteriæ epidemicæ principio ſanguinis miſſio cum bonis ægrorum rebus inſtitui poteſt, eandemque Sydenhamus jam eximie commendat. Non tamen perpetuum & hoc eſt ac quibuſvis ſuadendum, ſed tunc, quando vehemens febris in corpore juvenili, ſanguine redundante, alvus ſimul cruenta dejicit & atrocia urgent tormina, tum utique ad declinandum inflammationis augmentum & ſphacelationem inteſtinorum arcendam, nullum auxilii genus præſtabilius venæſectione, eaque intermiſſa, aliquoties ſeptimo aut nono die ægros interiiſſe, annotavimus.

§. XXVII.

Deinceps ſicuti in omni inflammatione, ſic etiam in ea, quæ meſentericis in febribus præſto eſt, apprime conducunt diluentia, humectantia & diaphoretica leniterque nitroſa, quippe quæ eidem validiſſime reſiſtunt, nimiumque ardorem ac ſitim extinguunt. Baglivus hinc recte commendat in ſemitertiana medicamenta ex nitro, item decoctum hordei cum nitro antimoniato. Ad promovendum vero magnum illud in his morbis alvi beneficium, præter clyſteres, ex floribus paregoricis & emollientibus ac ſeminibus carminativis & ſapone Veneto paratos, ea ſunt tutiſſima, quæ mannam, rhabarbarum, paſſulas minores, adjecta portione ſalis medii temperati, uti eſt terra foliata tartari, aut tartarus tartariſatus, habent, & ex ſero lactis dulci leniter decocta ſunt, modo ventriculus ferre poſſit. Hæc enim clementer & ſine ſanguinis commotione, vel nervoſarum partium ſtimulo, aut ſine virium jactura, primas vias a ſordibus vitioſis & copioſis viſcidis deplent & ad meſenterii quoque ab humoribus ſtagnantibus infarctum removendum & evacuandum multum conferunt. Conducunt tamen etiam egregie temperatæ ejuſmodi balſamicæ pilulæ, quæ ſecundum Beccheri exemplar præparantur & nonniſi extracta amara, gummata moderate balſamica & aloën bene correctam, in refracta tamen doſi, continent, quarum moderato, ſed frequentiori uſui, ſi pulvis quidam ſalinus, aperientis & deterſivæ indolis, interponatur, febres illæ, quæ ex intermittentibus, diarrhœis vel hæmorrhagiis imprudenter cohibitis, naſci ſolent, feliciter, adjunctis diluentibus, expugnantur & abiguntur.

§. XXVIII.

Ad obſtructionem dein ab amurca tenaci, craſſiori tunicæ villoſæ inteſtinalis removendam, vel etiam ad glandulas meſentericas fartas & obſtructas expediendas, ſolus liquor ſalis tartari per deliquium paratur, vel is cum liquore nitri antimoniati mixtus, adjecto tantillo extracti croci & aliquot granis extracti cardui benedicti, parva, ſed repetita doſi, per aliquot hebdomades uſurpatus, miram promittit opem & efficaciam, uti D. Præses multoties obſervavit. Ad æſtum porro his in febribus temperandum & acrimoniam humorum, quæ calorem accendit, obtundendam, diluentia, ut ſerum lactis, vel ptiſanæ, ex raſura cornu cervi, ſcorzonera, paſſulis, radice cichorei & ſemine fœniculi confectæ, item emulſiones ex amygdalis, vel ſolo ſemine cucurbitæ paratæ, cum aquis florum tiliæ, primulæ veris, acaciæ, ceraſorum nigrorum, omnibus aliis virtute præſtant. Sed opus eſt in hiſce maxime morbis patientia, quia lentæ ſunt febres & lentam etiam poſtulant curationem, cui nihil magis, quam remediorum copia & varietas adverſatur.

§. XXIX.

Quod ſi vero lenta febris, & quidem ad hecticam inclinans, paullo gravior, a ſuppuratione intra meſenterium facta præſto eſt, tunc omnia etiam ea, quæ jam commendavimus, diluentia, refrigerantia, temperantia, clementer evacuantia uſui ſunt; ſimul tamen curare oportet Medicum, ut accommodata medicina, expurgatis purulentis ſordibus, conſolidationem exulceratarum & exeſarum partium promoveat, quem in finem quam maxime proficua decocta herbæ veronicæ, ſcabioſæ, ſonchi, marrubii albi, florum bellidis, hyperici, ſummitatum millefolii, ſive ex aqua, ſive ſero lactis, decocto cornu cervi, aut juſculo carnis, frequentius uſurpata. Tandem quod attinet ad uſum aquarum medicatarum in meſenterii morbis, & maxime febribus inde oriundis lentis, eæ quæ temperatiſſimæ ſunt & ſubtilioris indolis prætereaque ſale alcalino fœtæ, uti Selteranæ, Emſenſes, vel etiam Wildungenſes, ſi pro potu ordinario bibuntur, utique ad obſtructiones reſerandas & humores viſcidos diluendos, præ omnibus aliis laude ſunt digniſſimæ. Sicuti enim multum refert, in curandis potiſſimum chronicis morbis, qualis ſit laborantium potus, ita, ut ſalubris morboque expugnando ſimul accommodus in meſentericis his febribus præbeatur, curandum.

§. XXX.

Poſſemus nunc hanc diſquiſitionem pluribus quæ nobis ad manus ſunt exemplis illuſtrare; brevitati autem ſtudentes, alii loco & tempori id reſervamus, & inpræſentiarum binos tantum caſus, de longis & difficilibus ex meſenterio morbis, coronidis loco annectimus. Pauci nimirum elapſi ſunt dies, quum ad D. Præsidem adduceretur miles quidam, facie lividus, corpore macilentus & languidus, pulſum tamen celerem cum quadam duritie exhibens. Conquerebatur hic graviter de alvi fluxu, per tres continuos menſes ipſum adeo detinente, ut quotidie octies, vel decies deſidere cogeretur, ſecedentibus nonnunquam ut naturaliter fieri ſolet excrementis, nonnunquam vero ſanioſa, nonnunquam ſanguinolenta materia, ſine ſcybalis, appetentia ciborum ſimul imminuta faucibuſque aridis. Inquirenti in tam chronici mali cauſam reſpondit: ſe graviter aliquando

in

in ſiniſtro dorſi & thoracis latere verberibus eſſe percuſſum, ut locus etiam ſugillatus comparuerit & dolor ſucceſſerit impenſus, prӕterlapſis autem aliquot diebus, doluiſſe hypochondrium ſiniſtrum ibique ſupra os ilei protuberaſſe tumorem aliquot hebdomades ſubſiſtentem, donec obortis in ventre torminibus, alvus ſponte fuerit ſoluta, multaque ſanioſa, fœtida, atro etiam ſanguine tincta, copioſis ſeceſſerint dejectionibus. Ex eo quidem tumorem ſubſediſſe & dolorem quoque evanuiſſe, ſed diarrhœam perſtitiſſe & adhuc ipſum mirum exercere ac vires abſumere. Dimiſſus igitur eſt conſilio, ut ſerum lactis dulce, noſtra methodo paratum, quotidie ad menſuram unam, nec non infuſum ex ſcabioſa, veronica, ſanicula, mentha, meliſſa, millefolio, floribus hyperici & papaveris erratici frequentius potaret, quibus etiam effectum, ut poſt aliquot hebdomadum decurſum rediens, gratus profiteretur, parciores longe eſſe dejectiones, corpus vegetius, meliora omnia, nec de perfecta impetranda ſanitate dubium.

§. XXXI.

Nullum certe eſt dubium, quin in hoc abſceſſus fuerit in meſenterii compage obortus, qui demum ruptus, effuderit in inteſtinorum cavum ſaniem & cruorem, per ani ſeceſſum excretum. Qui vero factum, ut a ſuperiorum percuſſione, in abdominis penetralibus inductum apoſtema, diſquiſitione omnino dignum. Nos quidem ab impedita ſanguinis in partibus plagis gravius contuſis circulatione, mali ducimus natales, unde factum, ut in homine plethorico ſanguis majori copia fuerit delatus ad meſenterii diverticulum, ibidemque collectus, demum putreſcere cœperit & in abſceſſum conceſſerit. In meſenterio enim ſæpius oboriri ſtagnationem, ſi in remotioribus partibus ſanguinis progreſſus interceptus, non novum. Ipſi novimus, hoc facto meſenterium cum omento pure & ſphacelatum fuiſſe inventum, vulnere lethali diaphragmati inflicto, cruorem vaſa meſenterii perrupiſſe & abdomen inundaſſe, & in aſthmate ſpaſmodico, a polypo in appenſis cordi canalibus, meſeræum ibidem ſanguine multo oppletum, vaſa ipſius diſtenta partim, partim plane diſrupta comparuiſſe.

§. XXXII.

Alter ſimili fere morbo laborans erat ruricola, habitior & quadratus. Pronus hic in truncum cum ventre ceciderat acuminatum & ex eo exquiſitum in abdomine, paullo ſupra umbilicum, perſenſerat dolorem, cum animi deliquio, accenſa ſimul, præcedente horripilatione & refrigeratione, febre. Poſt aliquot dies ſanguinolentam & ſanioſam per ſuperius & inferius os ejecit materiam multam, eoque facto, ſiluit febris, remanſit tamen languor & appetentiæ proſtratio. Cumque elapſis circiter quatuordecim diebus, domeſticis laboribus manum admovere inciperet, denuo recruduit abdominis dolor, animi defectione, horrore & febre ſtipatus, cum extremorum frigido ſudore, ut animam agere videretur. Sequuta vero diarrhœa cruenta & ſanioſa per aliquot dies, ſymptomata iterum mitiora facta ac remiſerunt, ſed vix ſeptem dierum fuerunt induciæ, quibus circumactis, priora repetierunt pathemata cum febre, obortoque alvi fluxu, conquieverunt rurſus. Imploratum igitur D. Præsidis auxilium, qui crebriorem decocti avenacei uſum cum humana, vel canina axungia, butyro potabili rubro & balſamo Locatelli ſuaſit, ac demum decocto herbarum vulnerariarum alchimillæ, agrimoniæ, ſaniculæ, pyrolæ, fragariæ, veronicæ, florum bellidis, hyperici aliarumque, ex cereviſia, ægrum hunc ad ſanitatem, fortunante Deo, traduxit.

§. XXXIII.

Celebris jam ille Italorum Medicus, Benedictus Sylvaticus, abſceſſus ſubinde in meſenterio ſuccreſcere notavit, & notatu imprimis digna, quæ habet *Cent. II. conſ. LXXXVII.* ubi ſic ſcribit: *meſenterium ſæpe fit ſentina multorum excrementorum, ac obtuſi ſenſus quum ſit, diuturnas tolerat affectiones & in quo non raro ſuboriuntur apoſtemata ſuppurantia, qualia frequentiſſime a me fuerunt obſervata, quæ tandem ſubſidebant per dejectiones purulentas iterumque ſtatutis temporibus recurrebant & oliteſcebant denuo per ſimiles dejectiones, non raro cruentas, ita ut impoſuerint quibuſdam illas pro dyſentericis habentibus.* In noſtro certe ægro lapſu illo in ſtipitem acuminatum quaſſatus forſan fuit excurrens infra ventriculum ſupra umbilicum coli tractus, quo inductus dolor, raptis etiam in conſenſum reliquis inteſtinis, febrem ciens & per ſpaſmodicam ſimul ſtricturam in meſenterii canalibus detinens ſanguinem, qui in purulentam poſtea corruptionem abiit, perrupit & alvo exiit. Latius vero ſemper ſerpſit malum & relicta iterumque commota vicina arrodens materia, mali recurſum iterato induxit, donec, acrimonia ipſius obtunderetur, abſceſſus abſtergeretur demumque poſt ſemeſtre ſpatium in robuſto & agreſti corpore conſolidationem reciperet.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
TRADENS
COMPENDIOSAM
ET CLINICAM PRAXIN INFLAMMATIONUM
CUM CAUTELIS,

Primùm edita Anno 1705.

PRÆFATIO.

PLURES mortalium extinguuntur vel febre vel inflammatione. Febris eſt inflammatio corporis univerſalis; inflammatio vero febris eſt particularis, quamvis & ſucceſſive reliquum totum corpus in conſenſionem pertrahat. Citiſſime hi affectus necare ſolent homines, ſanos antea & valentes, utpote operatio ignis & caloris perpetuo eſt celerrima. Chronici morbi, quia æſtus & caloris diuturni ſunt expertes, diutius perſiſtunt & corpus affligunt, nec tam cito interficiunt. Ex quo intelligitur calorem ſi exceſſivus ſit vitæ eſſe inſenſiſſimum. Verum enim vero dicendum & hoc eſt, calidos & igneos morbos id habere commodi, quod non tanta egeant opera & difficili methodo, vel remediorum copia, quam chronici; ſed profecto ſimpliciſſima eſt via & methodus perpaucis & ſimpliciſſimis remediis iis medendi. Quin imo ita comparata eſt peracutorum affectuum natura, ut motu hoc intenſo ſe ipſos ſanent & reſtituant corpus ſine ſingulari medica ope. Et ibi maxime valet illud HIPPOCRATICUM: *Natura*, motu nempe & calore inſtructa, *optima morborum medicatrix eſt.* Accedit & hoc, quod hi morbi accurate ſervent ſua tempora, quibus vel ad mortem, vel ad ſalutem tendunt; unde critica vocantur; qualia in morbis chronicis non deprehenduntur. Tametſi vero methodus medendi hiſce affectibus non adeo ſit difficilis, nihilominus vera pluribus eſt incognita. Conſtitui in præſentiarum ſecundum ductum Præſidis breviter & aphoriſtice exponere, & tradere ea, quæ ſub certa & conſtanti experientia vidimus ſanationi horum morborum accommodata. DEUS ſecundet laborem!

DE PERIPNEUMONIA

OBSERVATIONES.

I.

INflammatio pulmonum, quo magis ſuperficialis eſt, inſtar eryſipelatis, eo minus periculi alit, quo profundior, eo periculoſior eſt.

II. Pulmo mirifice infarcitur ſanguine, & ab eo diſtenditur, unde magna reſpirationis difficultas & pectoris oppreſſio cum metu ſuffocationis & expectoratione impedita adeſt; ſuccedit quoque delirium cum facie rubicunda; dum ſanguis divertitur ad cerebrum, oculos feroces efficit.

III. Quo reſpiratio eſt facilior & expectoratio liberior, eo minus periculi adeſt: malum ſignum præbet diarrhœa, vel urina copioſa.

IV. Solvitur hic morbus plerumque ſeptimo die largo ſudore, expectoratione, quandoque etiam hæmorrhagia.

V. Frequens eſt vere & hyeme, quandoque epidemia, & ſubjecta ſanguine glutinoſo copioſo gaudentia adoritur, ſub pleno victu, & quando poſt immodicam corporis calefactionem per commotionem factam vehementer ſeſe refrigerant, ſive per aërem, ſive per potum.

VI. Senibus ob debilitatem valde infenſa, & lethalis, nec non iis, qui polypoſas concretiones in pulmonibus habent: quique pereunt hoc morbo, plerumque nono die moriuntur, idque ſuffocatione, ſive ſuppreſſa expectoratione.

VII. Diſſecto cadavere, pulmones mirum diſtenti, inflati, duri & infarcti craſſo ſanguine apparent, & fundum in aqua petunt.

CURA-

CURATIO.

Verſatur in eo, ut pulmones quam citiſſime infarctu ſanguinis liberentur I. per Venæſectionem.

II. Materia incarcerata vel ſtagnans, reſolvatur & per inſenſibilem tranſpirationem & blandam diaphoreſin diſcutiatur, quo facit pulvis ſequens cum appoſita mixtura diaphoretica: *Recipe antimonii diaphoretici, ſive ceruſſæ antimonii, dentis hippopotami, lapidum cancrorum, ana drachmam unam, nitri purificati drachmam ſemis, cinnabaris nativæ grana decem, miſce fiat pulvis; doſis eſto ſcrupulus unus;* poteſt ſumi ſingulis quatuor horis cum aqua florum ſambuci, vel emulſione amygdalarum aut papaveris.

III. Mixtura diaphoretica eſto talis: Rec. *Mixturæ ſimplicis drachmas tres, ſpiritus nitri dulcis drachmam unam, ſyrupi papaveris rhœados drachmam ſemis, miſce: doſis ſint guttæ triginta.*

CAUTELÆ.

I. Venæſectio non modo in juvenili ſed & ſenili ætate hoc in affectu optima eſt, & ſecundum vehementiam morbi repetenda, præſertim ſi corpus plethoricum ſit. Emittendus vero ſanguis eſt ſimul & ſemel, ſatis largiter, facto amplo foramine, & quidem melius in latere oppoſito, in lecto, præcedente blanda diaphoreſi per infuſum veronicæ vel ſcordii, ita enim ſanguis fluidior factus facilius reducitur in ordinem.

II. Poſt venæſectionem ad ſudorem corpus blandum ſub quiete tamen diſponendum eſt, idque commode præſtari poteſt ſequenti mixtura, quam optimam deprehendimus: *Rec. Aquæ florum ſambuci, cardui benedicti, ſcabioſæ, aceti deſtillati, ana unciam unam, lapidum cancrorum drachmam j., lapidis prunellæ grana X., ſpiritus ſalis ammoniaci guttas viginti, diaſcordii Fracaſtorii drachmam ſemis, julepi roſarum quantum ſatis, miſce.*

III. Reliquum tempus curationis pulvere præcipitante nitroſo cinnabarino & mixtura ſimplici aut ſpiritu nitri dulci conſumi poteſt.

IV. Anodyna tam externe quam interne in ſenibus, & ubi profundior eſt inflammatio, difficiliſque reſpiratio, cautiſſime danda ſunt; facile enim accedit delirium & expectorationis ſuppreſſio: circa diem vero criticum ſeptimum inſtar veneni ſunt. Si vero dolor valde eſt acutus, ætaſque eſt juvenilis, diaſcordium cum diaphoreticis mixtum, præſertim ſub morbi initiis, excellens eſt remedium.

V. Externe oleum hyoſciami cum unguento altheæ camphorato & ſpiritu ſalis ammoniaci mixtum, coſtis inunctum, præſertim ſub gravi dolore, egregium eſt: caute vero offerendum eſt ſenibus, & qui habent difficilem expectorationem. Quandoque etiam utilis eſt ſpiritus vini camphoratus, cum croco mixtus externe, dum inflammationem impedit: ſed videndum eſt, ne nimium calorem excitet.

VI. Ad juvandam expectorationem ſequens electuariumvalde proficuum eſt. *Rec. olei amygdalarum dulcium unciam ſemis, ſpermatis ceti drachmam ſemis, ſacchari canti unciam j., olei aniſi, ligni ſaſſafras ana guttas ſex. Miſce: doſis drachma j.*

VII. Quantum fieri poteſt bibat ſemper æger calide & quidem decoctum cornu cervi cum ſcorzonera.

VIII. Die ſeptimo, ſicuti omnis inflammatio, ita peripneumonia, quando feliciter res ſuccedit, ſolvi ſolet, hinc circa illud tempus in quiete ſervandum corpus eſt, non obruendum cibis, nec ulla ſtimulantia aut anodyna, vel externa refrigerantia permittenda.

IX. Quemadmodum in omni inflammatione, ita in hac, omne regimen calidum & inæquale præſertim quoad lectum & hypocauſtum eſt vitandum, laudatur autem temperatum.

X. Purgantia ſicuti in principio omnis inflammationis: ita & in peripneumonia valde ſunt inimica.

DE PLEURITIDE SPURIA

OBSERVATIONES.

I. Differt peripneumonia a pleuritide, ſive vera pleuritis a ſpuria, dum in illa affectus eſt pulmo, in hac pleura: ibi ſtagnat ſanguis, hic ſerum acre: ibi eſt dolor obtuſus gravativus, hic acutus: ibi pulſus vehemens, hic magis durus: ibi magnum periculum vitæ, hic non adeo formidandum, tantum quod mala adminiſtratione facile cedat in empyema, phthiſin & hecticam.

II. In utraque eſt tuſſis, febris & dolor lateris, & expectoratio difficilis, & cum malum nil niſi rheumatiſmus ſive arthritis ſit intercoſtalis, hinc venæſectio etiam, niſi urgeat plethora, non ſpecialiter indicatur, ſed ſufficiunt hic ſola diaphoretica, uti liquor noſter bezoardicus ſuperius deſcriptus, pulveres præcipitantes cinnabarino-nitroſi: externe vero egregium eſt emplaſtrum Vigonis cum mercurio crudo, addito croco, camphora, oleo hyoſciami.

CAUTELÆ.

I. Si lympha ſit nimis acris & tuſſis vehemens, pillulæ ſtyracis circa noctem optime juvant; emulſiones quoque ex pinearum nucleis recentibus, ſemine cardui Mariæ cum decocto cornu cervi egregiæ ſunt.

II. Quando 14. die tuſſis non ceſſat, indicium eſt empyematis futuri, & tunc externe balſamum ſulphuris cum oleo lini paratum admixta camphora egregium eſt.

III. In principio pleuritidis ſpuriæ ſpiritus vini camphoratus cum opio, croco, oleo nucis moſchatæ deſtillato mixtus externe tutiſſimus eſt.

DE INFLAMMATIONE VENTRICULI ET INTESTINORUM

OBSERVATIONES.

I. Affectus non adeo rarus eſt & valde etiam periculoſus; male autem cognoſcitur a Medicis. Deſignatur ardore & dolore vehementiſſimo circa ſcrobiculum cordis, ſiti, ad vomendum proclivitate, extremorum frigore & interno æſtu, anxietate maxima, ab aſſumptis, ſive liquidis, ſive ſolidis peſſime ſeſe habent: læduntur maxime a frigido potu.

II. In graviore malo accedit ſingultus, deliquium animi, corporis inflatio, & frequens per intervalla limpidi liquoris in os regurgitatio.

III. Fit plerumque a potu frigido corpori valde calefacto immiſſo, item a gravi iracundia, præſertim ſuppreſſa, & cibo deſuper aſſumpto: ſæpiſſime autem fit a venenis corroſivis & cauſticis, vomitoriis & purgantibus draſticis, præſertim ſi potus frigidus ipſis ſuperingeratur.

IV. Quandoque febribus ardentibus & bilioſis, item cholerico morbo, inflammatio duodeni & partis pancreatis, quæ jacet juxta duodenum, complicatur; quando comitem habet icterum, tunc a cholodocho ductu, inflammatione conſtricto, bilis regurgitat ad ſanguinem.

V. Oeſophagus quoque nonnunquam inflammatur, idque fit in malignis morbis, dyſenteria, febribus

bus bilioſis, venenis aſſumptis, & tunc ſentitur æſtus & dolor maximus ſecundum longitudinem dorſi, & mox regurgitare ſolet potus aſſumptus ad os, inflammantur vero inteſtina, plerumque in paſſione iliaca, dum ob herniam incarceratam fæces per inteſtina non poſſunt tranſire, interdum etiam in graviſſimo dolore colico.

VI. Signa inflammationis inteſtinorum ſunt tormina acutiſſima, & contractiones dolorificæ circa umbilicum, alvi conſtrictio firmiſſima cum febre, vigilia, extremorum frigore, interno ardore inſtar prunæ candentis.

VII. Omnis hæc inflammatio quo levior, ſuperficialis, & eryſipelacea, eo facilior ſpes diſcuſſionis: quo profundior, & corpus magis cacochymicum, eo magis periculi, & ad ſphacelum ac interitum tranſitus.

CURATIO.

Intentio curativa non alia poteſt eſſe quam ut blanda diaphoreſi ſucceſſive diſcutiatur inflammationis materia, deinde ardor, nimiuſque dolor contemperetur: cui ſcopo idonea ſunt reperta ſequentia:

I. Recipe ſpiritus nitri dulcis bene præparati unciam ſemis, camphoræ grana ſex, miſce: doſis guttæ XX. vel XXX.

II. Recipe pulveris Marchionis drachmam unam, nitri purificati grana ſex, theriacæ cœleſtis granum unum. Miſce: fiat pulvis, dividatur in tres partes.

III. Rec. Eſſentiæ caſtorei paululum inſpiſſatæ drachmam unam: doſis ſunt guttæ decem.

IV. Rec. Spiritus vini camphorati unci̇as duas, olei nuciſtæ deſtillati unciam ſemis, balſami peruviani drachmam unam, croci, opii ana ſcrupulum unum: ſolve & filtra, quo linimento externe pars affecta calide foveatur.

CAUTELÆ.

I. Si plethoricum eſt corpus, mox in principio venæſectio juvat, cavendum autem ab ea penitus eſt ſi extrema frigeant, pulſus debilis & languidus, vires dejectæ, & malum jam increverit, neque conducit tunc quando inflammatio nata fuerit a cauſa externa, venenis &c.

II. Vitanda ſunt vinum, omnia ſpirituoſa, frigida, acria, acida, purgantia & conſtringentia, opiata quoque majori in doſi, hæc enim omnia inflammationem augent, & ad ſphacelum diſponunt. Potus aſſumendus eſt tepidus, nec nimis calidus, neque frigidus, doſi vero parca.

III. Si à corroſivo veneno malum oritur, lac cum oleo amygdalarum, ſed tepidum, magna in quantitate hauriatur, poſtea vomitus nimius ipſa theriaca ſiſtatur. Præſtat in omni inflammatione primarum viarum per clyſteres alvum ſervare apertam.

IV. Si inflammatio ventriculi jungitur morbillis, purpuræ, petechiis &c. cave a medicamentis vel tantillum acribus, ſtimulantibus, acidiſque, ſpirituoſis quoque. Cremor hordei, juſcula avenacea, gelatinæ omnium ſunt optimæ, præſertim ſi à manifeſta acrimonia, prima in regione contenta, ſuſcitetur malum.

V. Si quis ſpiritum nitri dulcem cum camphora ferre nequeat, ſubſtituatur phlegma vitrioli dilutum cum ſyrupo papaveris rhœados mixtum, quod accommodatiſſimum eſt febri, quæ ſæpius jungitur hiſce inflammationibus.

VI. Reſpiciendum maxime eo eſt, ut corpus conſervetur in debita quiete, leni calore, blandaque diaphoreſi, atque ſudore, atque omnes animi affectus inſtar veneni habeantur.

DE ANGINA.

I. Angina eſt inflammatio muſculorum tam laryngis quam pharyngis. Si laryngis muſculi laborant, difficilior reſpiratio eſt: ſi pharyngis, deglutitio. Et hæc eſt vera angina, & cognoſcitur ex ardore, dolore, tumore faucium, deglutitionis & reſpirationis difficultate; collum tumet, facies fit rubicunda, lingua inflatur & obſcure rubicunda cernitur & dolor uſque ad cervicem ſeſe extendit.

II. Alia eſt angina ſpuria & pituitoſa, hæc magis externe viſibilis, tumores glandularum magis habet comites, minoris eſt periculi, neque affectus tam acutus, fauceſque ſcatent multa pituita acri rodente, ſcorbuticis & catarrhoſis valde familiaris, autumnali tempore oritur, jungitur plerumque catarrhalis febris.

III. Differt quoque angina ab aphthis ſive puſtulis ardentibus in lingua & faucibus. Neque angina vera confundi debet cum ſpaſmo fauces conſtringente, reſpirationem ſufflaminante, qui hyſtericis familiaris eſt.

IV. Notandum quod angina & vera & ſpuria plerumque epidemici affectus ſint. Aphthæ ſymptomata ſunt cum feroſa inflammatione faucium ſæpiſſime febrium ardentium, bilioſarum, malignarum, catharralium, epidemicarum, variolarum, morbillorum, dyſenteriæ, ventriculi & oris inflammationis, vel etiam ſi diarrhœa nimis cito ſupprimitur in febribus, alvuſque conſtricta eſt: vel ſi excretiones eryſipelaceæ, nonnullis ſubjectis ſcorbuticis conſuetæ, ceſſant vel ſupprimuntur.

CURATIO.

Quoniam angina vera à ſtagnatione ſanguinis fit, glanduloſa vero inflammatio faucium à valde acri erodente lympha; tunc in priore, ut ſanguis diſcutiatur, videndum eſt, in poſteriore ut acredo lymphæ demulceatur, ſerumque divertatur per alia loca.

I. In angina itaque vera venæ ſectio ſub lingua mox in principio, vel etiam, ſi plethora ſuadet, altero die in brachio inſtituatur.

II. Ante omnia alvus aperiatur & clyſter applicetur.

III. Camphora cum nitroſis mixta omne punctum abſolvit, poteſt ſpiritus nitri dulcis cum pauco camphoræ miſceri, & addi aliquid de eſſentia croci, & ſpiritus Buſſii, vel nitri grana XX. cum uno camphoræ miſceantur.

IV. Cataplaſma ſequens in omni inflammatorio faucium affectu egregium eſt. *Rec. Nidum hirundinum cum ſtercore numero unum, herbæ cardui benedicti, ſcordii, ana manipulum unum, florum meliloti, ſambuci, ana pugillos quatuor, radicis liliorum alborum unciam unam, theriacæ unciam ſemis, croci drachmam unam, camphoræ drachmas tres, coque in aqua florum ſambuci.*

V. Ubi faucium eſt inflammatio, oriſque ſunt ulcuſcula, ſequens gargariſma uſui erit. *Rec. Radicis althææ unciam unam, herbæ ſalviæ, prunellæ, tormentillæ, ana manipulum unum, florum ſambuci, pugillos tres, ficus pingues numero X., paſſularum majorum uncias duas, radicis glycirrhizæ drachmas ſex, coque in ſufficienti quantitate aquæ communis; colaturæ poteſt addi nitrum purificatum.*

CAUTELÆ.

I. In angina vera poſt venæ ſectionem & ſudoriferum externe ſpiritus vini camphoratus cum eſſentia croci & caſtorei mixtus applicari poteſt, quod

valet etiam quando à ſpaſmo faucium fit apud hyſtericas conſtrictio.

II. Quando faucium ſubſtantia glanduloſa eſt inflammata pulvis noſter præcipitans nitroſus ſubjunctis laxantibus vel pillulis polychreſtis vel infuſo ex rhabarbaro, foliis ſennæ, paſſulis & tartaro compoſitum erit optimum. Externe emplaſtrum melitoti cum croco & balſamo peruviano mixtum.

III. In aphthis externe commodiſſimum eſt linimentum paratum ex mucilagine ſeminis cydoniorum cum aqua roſarum, ſambuci, ſpermatis ranarum; addi poteſt crocus, mel &c.

IV. Inter gargariſmata merito debent exulare omnia acria, omnia conſtringentia, omnia frigida, ſpirituoſa. Si vero inflammationi jungitur in ſcorbuticis magna putredo & fœtor oris, tunc ſpiritus vitrioli gargariſmatibus infuſus vel quandoque etiam pro re nata, ſpiritus ſalis ammoniaci adhiberi poſſunt.

V. Pediluvia in omni faucium affectu, derivando ſanguinem & humores verſus inferiora, laudatiſſima eſſe ſolent; ſi inflammatio putredinoſa ſcorbutica diu vexat, eſſentia ſuccinata cum tinctura antimonii acri, liquor cornu cervi ſuccinatus, item pillulæ noſtræ purgantes polychreſtæ in uſum vocari debent.

VI. Videndum in inflammatione acuta & ardente faucium, num ægri poſſint ferre gargariſmatum injectionem per ſyphonem, quandoque enim hoc motu malum exaſperant, dolorque & inflammatio augetur.

DE PHRENITIDE

Observationes.

I. Phrenitis eſt inflammatio membranarum cerebri, quæ ſeſe manifeſtat delirio feroci cum oculis fulgidis, febre ardente, vigiliis aſſiduis, rubore faciei, arteriarum vehementi circa tempora pulſu. Differt phrenitis à mania, dum illa eſt affectus acutus & ut plurimum febrium ſymptoma valde periculoſum: mania vero malum chronicum ſine periculo & febre.

II. Omnibus inflammatoriis febribus, in peripneumonia, variolis, morbo Hungarico & ardentibus bilioſis facile accedit: viris magis familiaris quam fœminis, juvenibus quam adultis: præcedere ſolet intolerabilis capitis dolor, pulſatio interna in capite, urina copioſa turbida & alba, pedum frigus, corporis rigor, oculorum ferocia, vigiliæ diuturnæ, & ſubſequi ſæpius ſolet vel nimium calidorum, vel nimium opiatorum dictis in morbis abuſum, deſinit in convulſionem & tertio die plerumque eſt fatalis.

III. Terminatur ſalutariter per narium hæmorrhagiam, per longum ſudorem, qui tamen eſſe debet cum febris & pulſus remiſſione; quandoque ceſſat, ſomno profundo oborto, ſed remittere etiam debet calor. Stillicidium ſanguinis ad paucas guttas in continuis febribus circa quartum vel ſeptimum diem, in morbillis, in variolis malignis, prænunciat ut plurimum phrenitidem ſequentem.

CURA.

I. Curatio hujus perículoſi affectus verſatur in eo, ut ſanguinis congeſtio a capite divertatur, & quaſi ad inferiora derivetur.

II. Ut ſtaſis ejus in membranis cerebri impediatur. Ex medicamentis commendatiſſimum eſt ex nitro & camphora mixtum. *Rec.* exempli gratia *nitri purificati ſcrupulum unum, camphoræ grana tria, cinnabaris nativæ grana decem. Miſce, offeratur ſingulis tribus horis.* Externe pulmo calidus vituli capiti raſo applicetur, vel ſpiritus vini camphoratus cum oleo ligni rhodii & eſſentia caſtorei mixtus ſedulo admoveatur collo & nuchæ.

III. Delirium phreniticum avertunt alvum aperientia, inter quæ egregium locum obtinet ſequens remedium. *Rec. Auri fulminantis grana decem., arcani duplicati drachmas duas, miſce pro una doſ. in convenienti vehiculo.*

CAUTELA.

I. Venæſectio in brachio, ſi phrenitis eſt ſymptoma febrium, caute, vel nunquam adminiſtranda; poteſt autem, ex ſublingualibus imminente delirio mitti ſanguis vel etiam more Ægyptiacorum nares ſunt ſcarificandæ; præſente vero delirio, venam ſub lingua tundere non licet, partim quod commode fieri nequeat, & ob metum quoque lethalis hæmorrhagiæ; in continuis febribus alvum fortiter ſtimulantia, niſi inflammatio in primis viis id impediat, egregie delirium diſſipant, ſed in variolis, morbillis, purpura cavendum ab illis, ſique ante eruptionem hoc malum contingat, ultro ſæpius facta eruptione ſolet ceſſare & applicatio ſpiritus vini camphorati cum oleo ligni rhodii mixti laudem meretur.

II. Alvus irritanda eſt clyſteribus ſtimulantibus, ex ſalibus acribus. In omni phrenitidis metu cavendum eſt maxime ab opiatis & narcoticis, præſertim ſi febris fuerit conjuncta maligna & pulſus debilis. Teſtantur obſervationes ab incauto uſu opiatorum in febribus, mentis alienationem fuiſſe inductam; quando vero delirium accidit ob dolores, vel a cauſa externa, vel ab humorum acrimonia, tunc emulſiones papaveraceæ & cataplaſmata ex nucleis perſicorum, ſemine papaveris, ſucco roſarum, oculorum cancrorum fluviatilium egregia ſunt.

III. Cavendum maxime eſt in ſtatu malignarum & catharralium mali moris, ne theriacalia, item diaſcordium Fracaſtorii magna in quantitate adhibeatur, neque diarrhœa ſudoriferis vel adſtringentibus cohibeatur, facile enim ſequitur delirium.

DE OPHTHALMIA.

I. Ophthalmia eſt inflammatio membranarum oculi; differt dum ſaltem tunica adnata eſt ſedes, & minoris momenti; majoris vero ſi profundior & reliquæ tunicæ, præcipue ſclerotis, & uvea ſimul affectæ: major enim eſt metus ſuppurationis & ſubſequentis cœcitatis. Inducitur ſæpius non modo à cauſa externa acri, corroſiva, vel aſpera materia injecta, ſed etiam ab interna, ebrietate, motu animi fortiori, hæmorrhagia narium ſuppreſſa, vel venæ ſectione conſueta omiſſa.

II. Sæpiſſime ophthalmia eſt epidemia, ubi conſtellationes planetarum & mutationes ſubitæ ventorum ſunt attendendæ, quæ dum mutationem & inæqualitatem aeri introducunt, ſanguini & humoribus hinc inde ſtaſin inferunt; a ſcabie, imo tinea capitis retropulſa, vel puſtulis faciei à coſmeticis retrocedentibus, refrigeratione capitis tranſpiratum impediente ſubnaſcitur quoque.

III. Majorem meretur obſervationem, quando rebellis eſt, diu durat, cum hemicrania jungitur, ſenibus accedit, & glandulæ colli inflatæ & induratæ percipiuntur.

IV. Infantes & pueri ſanguine turgidi, quibus vaſa capitis turgent à ſanguine & humoribus, & ad hæmorrhagias narium proclives ſunt, ſæpius corripiuntur inflammatione & acri ex oculis defluxione.

V. Nonnunquam hic affectus eſt periodicus, & certis ac ſtatis anni temporibus revertitur.

CURATIO.

I. Abſolvitur iis remediis, quæ ſanguinis & humorum impetum & congeſtionem à capite & oculis divertunt ejuſque ſtaſin in tunicis oculorum diſſipant. Quem in finem commendari meretur.

II. Hoc purgans: Rec. *Mercurii dulcis grana X. auri fulminantis, diagrydii ſulphurati ana grana VI. detur cum juſculo prunorum.* Poteſt ejus uſus aliquoties repeti. Alvo aperta, circulus ſanguinis in ordinem eſt redigendus ſequenti diaphoretico: Rec. *Tincturæ Bezoardicæ, Spiritus nitri dulcis ana drachmam unam, eſſentiæ anodynæ guttas X. Poteſt ſumi ad guttas XL. cum infuſo ſeminis fœniculi, vel radicis valerianæ, loco herbæ thee, aut juſculo calido.*

III. Si ſubjectum eſt plethoricum, temperamentum ſanguineum, ætas juvenilis, ſanguinis excretionibus corpus aſſuetum, ante omnia venæ ſectio vel in manu vel in pede adminiſtranda, aut cucurbitulæ nuchæ applicandæ ſunt.

IV. Pediluvia, quibus profunde immergantur pedes, egregie derivando humorum impetum à capite, efficaciſſima ſunt.

V. Inter externa laudem meretur ſequens: Rec. *Aquæ florum ſambuci, roſarum, ſpermatis ranarum ana unciam ſemis, magiſterii ſaturni, tutiæ, ana drachmam ſemis, ſacchari ſaturni grana VI. camphoræ grana duo miſce, applicetur tepide.*

CAUTELÆ.

I. Si affectus eſt chronicus & ſæpius revertitur, præſertim in infantibus, veſicatoria nuchæ applicata, vel etiam fonticuli in brachiis ſolatium afferunt præſentiſſimum.

II. Quando ſuperficialis eſt & à cauſa externa producta, ſæpius tantum albumen ovi cum aqua roſarum & pauca aluminis quantitate remixtum & conquaſſatum, omne abſolvit punctum. Vehementer vero ab his, & omnibus repellentibus abſtinendum eſt in ſymptomatica, præſertim ſcorbutica & profundiori.

III. In ſenibus contumaces ophthalmiæ, & cum gravi capitis dolore junctæ ſæpius non ſine magno emolumento tractantur cum ſpirituoſis, uti ſpiritu vini camphorato, vel melius balſamo vitæ Præſidis, applicatis hiſce circa ambitum partis affectæ.

IV. Collyria frigide applicata, præſertim ſi urget gravior æſtus in oculis, nocentiſſima ſunt, & non ſemel inde obſervata fuit viſus imminutio & oculorum turbidus aſpectus.

V. Nonnullorum oculi plane recuſant topica, ſive aquea, ſive ſpirituoſa, aut demulcentia ſint, quo caſu in temperato tantum calore pars affecta ſervetur, lucem & ſplendidum omnem colorem fugiendo.

VI. Quemadmodum vitriolum veneris parce & caute applicatum cum aquis ophthalmicis præſervat ab acribus defluxionibus: ita hoc & alia acria nocentiſſima ſunt oculis, ubi morbus vel defluxio eos occupat.

VII. In ſcorbutica & diuturna ſæpius repetente, habenda eſt ratio hypochondriorum & ventriculi, unde acidulæ, thermæ, martialia, ſtomachica, balſamica, tunc eximiam locant operam.

VIII. Cavendum eſt ab omnibus ſpirituoſis acribus, raphano, allio, ſalinis, ſive ſint medicamenta, ſive alimenta, vento ſeptentrionali, maxime omnium vero alvus ſemper lubrica, emollientibus & lubricantibus cibis eſt ſervanda.

DE INFLAMMATIONE HEPATIS

OBSERVATIONES.

I. Rarior eſt affectus peripneumonia, ſed perículoſior, præſertim, ſi non in ſuperficie conſiſtit, ſed profundiorem ſedem habet, inque parte concava exſtat, ubi propter varios ductus in hepar ingredientes & egredientes, vaſa ſanguinea, nervos, ductus biliarios valde ſenſibiles, gravibus ſymptomatibus infeſtus eſt; hæc ſunt ſingultus, vomitus, cardialgia, ardor & dolor fixus ſub ſcrobiculo cordis, verſus latus dextrum, febris, tuſſis ſicca, inſpiratio difficilis, alvus adſtricta.

II. Quando in convexa parte eryſipelate hepar affectum, tunc in coſtis ſpuriis lateris dextri dolor gravativus, conſtrictivus & punctorius percipitur cum tuſſi, febre, reſpiratione difficili, & tunc mentiri ſolet pleuritidem.

III. Diſtinguitur hepatitis à pleuritide dolore & febre, remiſſiori reſpiratione, & dolore infra diaphragma, hæc facilius diſſipatur & die ſeptimo finitur ſudore; vel etiam quandoque hæmorrhagia; illa vero ſi res male ſuccedit in convulſiones periculoſas abit, vel ſi diutius durat, aliquid hectici vel hydropici ob abſceſſus latentes poſt ſe relinquit.

IV. Obnoxii huic malo ſunt ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi & poroſi, & qui ſolennes & conſuetas naturales aut artificiales ſanguinis miſſiones non amplius habent; maxime vero fit à refrigeratione vel externa vel interna corporis intenſe calefacti ſive per potum ſpirituoſum, ſeu per ſudorifera, balnea, ſpiritus vini abuſum, ex vehementi iracundia eaque cohibita, & deſuper ſumpto cibo vel potu frigido: jungitur inflammatio duodeni & ductuum biliariorum, pancreatis cum gravibus ſymptomatibus.

CURATIO.

I. Maxime laborandum eſt, ut blanda diaphoreſi, vel ſanguis, vel alius humor ſtagnans diſcutiatur. Eum in finem blanda, ſed continua, ſub temperato regimine, opus eſt diaphoreſi & diflatione halituoſa, quod poteſt præſtari per bonam mixturam ſimplicem aut noſtram diaphoreticam, quarum principale ingrediens ſemper eſſe debet ſpiritus nitri dulcis cum volatili ſpiritu vel etiam camphora nuptus.

II. Interpolari debent ea quæ fixioris indolis ſunt, quæque æſtum ſimul temperant, & dolores mitigant, uti eſt pulvis noſter præcipitans nitroſo cinnabarinus.

III. Utile eſt, infuſum frequenter bibere veronicæ, ſcordii, calide & loco potus ordinarii decoctum cornu cervi cum hordeo & ſcorzonera.

IV. Commendari meretur ſequens linimentum contra inflammationes parti affectæ admovendum. *Recipe ſpiritus vini camphorati unciam unam, nitri artificialis in aqua florum ſambuci ſoluti drachmam unam, eſſentiæ caſtorei, croci ana drachmam unam ſemis, miſce.*

CAUTELÆ.

I. Venæ ſectio mox in principio adhibita magnæ plerumque eſt efficaciæ, in progreſſu autem morbi die quarto vel quinto non facile adminiſtranda.

II. Abſtinendum ab omnibus fortioribus ſtimulantibus, ſive purgantia ſive ſint ſudorifera; temperata enim in febre inflammatoria optima; nihilominus

nus alvus lubrica ſervanda clyſteribus, & interne ultra arcanum duplicatum & annum fulminans non aſcendendum eſt loco ſtimuli.

III. Opiata & papaveracea cautiſſime ſunt propinanda, laborioſum plerumque & gravem ſomnum inſomniis terrificis plenum nec non anxietates & inquietem efficiunt, quæ membrorum jactatione ſeſe manifeſtat.

IV. Abſtinendum ab omni frigido potu, præſertim ſi ſingultus & diarrhœa complicantur, aut icterus adeſt, ſed præſtat omnia tepide ſumere.

V. Si in ullo morbo certe in hoc iracundia & omnis animi commotio, inſtar veneni eſt, ſed plerumque accidit, quod ante hunc morbum propenſitatem ſentiant ad præcipites affectus animi qui omni modo ſunt cohibendi.

VI. Cavendum etiam ne recidiva fiat quæ iracundiam & repentinam & præmaturam refrigerationem corporis, abuſum vini, vel nimium generoſi potus ſequitur.

CAUTELÆ.

I. Venæ ſectio in pede præſertim in plethoricis item applicatio hirudinum in hæmorrhoidibus obſtructis vel frictio, vel leniora purgantia in diſpoſitis ad hunc fluxum, egregium afferunt ſolamen & præſervant ab hoc malo.

II. Cavendum eſt à lacte, & magis ab ejus cura, præſertim in diſpoſitione ad nephritidem vel calculum, in plethoricis lac nunquam bonum eſt, ſed ſerum lactis optimum, multo magis ſi cura inſtituatur cum hoc ipſo.

III. Exterius unguentum de Comitiſſa mixtum cum ſaccharo ſaturni, unguentum de alabaſtro lumbis applicetur non ſine emolumento. Externe vero, oleum terebinthinæ, juniperi, ſicuti omnia calida vitanda ſunt, abſtinendum quoque à vino & a ſpiritu vini & ab omnibus calidis diureticis. Corpus quoque conſervandum in quiete, multo minus equitatio utilis eſt.

DE INFLAMMATIONE RENUM ET VESICÆ

Observationes.

I. Dicitur hic affectus nephritis, & fit ex ſanguine ſtagnante circa renes: ſymptomata ſunt ardor in lumbis maximus, mictio difficilis, febris jungitur quandoque, ſanguineis item vomitus, alvus adſtricta: degenerat facile, ſi perſeverat, in tabem & hecticam & vias urinarias ipſoſque renes ad generationem calculorum valde diſponit.

II. Diſtinguendum inter leviorem & profundiorem inflammationem renum eſt; illa minus pericuIoſa, hæc diuturna, & hecticos affectus relinquit; præcedere ſolet inflammationi renum dolor in lumbis gravativus, mictus paucus & rubicundus.

III. Obnoxii ſunt huic affectui ſanguinei, & qui hæmorrhagiis ſive per anum ſive per nares aſſueti, vel copioſum ſanguinem habent in venis, quem non evacuant phlebotomia.

IV. Diſponunt ad hoc malum omnia diuretica calida & fortiora, vini & ſpiritus vini abuſus, ſicuti etiam balnea & equitatio.

V. Inflammatam veſicam patefaciunt dolor circa regionem pubis cum pondere conſtringens, mictus difficilis, ſtranguria, urina pauca & glutinoſa turbida, teneſmus & lenta febris. Magis familiaris eſt viris quam fœminis, ſenibus quam juvenibus, præſertim hæmorrhoidalibus, aut calculo renum vel veſicæ laborantibus; malum ſolet eſſe diuturnum & difficilioris ſanationis, degenerat quandoque in verum ulcus.

CURATIO.

Horum affectuum ferme eadem eſt curatio, ſed diſtinctio eſt adhibenda inter principium & progreſſum morbi, utpote ibi venæ ſectio præſertim in pede, nec non nitroſa cum camphora mixta omne punctum abſolvunt; ſi vero materia purulenta adeſt, decoctum ſequens valde eſt proficuum. *Rec. Radicis chinæ, ſcorzoneræ, altheæ ana unciam unam, liquiritiæ unciam ſemis, hederæ terreſtris, agrimoniæ, urticæ mortuæ, ſcordii ana manipulum unum, ficuum pinguium, paſſularum majorum unciam, florum ſambuci, hyperici ana pugillos tres, ſeminis aniſi unciam ſemis; coque in menſura aquæ & vini, adde lapidum cancrorum unciam ſemis.* Eſt egregium decoctum vulnerarium & quod urinarias vias abſtergendo, conſolidandoque confert.

DE INFLAMMATIONE ERYSIPELACEA

Observationes.

I. Eryſipelas ordinario invadere ſolet ſubito cum horrore vehementi, ſubſequitur magnus æſtus, pulſus vehemens & celer, quandoque etiam poſt horrorem die primo vomitus, laſſitudo corporis, & dolor, tenſio, rubor, tumorque in pede, vel in facie. Tertio autem vel quarto die plenarie eryſipelas partem occupat. Si pedem adoritur, in ejus latere glandulæ iliacæ tument, dolent & inflammatæ ſunt.

II. Quandoque eryſipelaceæ febres ſunt epidemicæ & mali moris, faciem plerumque occupantes cum dolore capitis, affectu ſoporoſo, & quandoque ad quatuordecim dies extenduntur, inter quod tempus per inſenſibilem tranſpirationem, vel ſenſibilem diaphoreſin finiuntur.

III. In ſenibus eryſipelas ſi ſæpius revertitur, præſertim, ſi cacochymici fuerint, tandem eo moriuntur, febre, delirio vel affectu ſoporoſo ſuperveniente.

IV. Retroceſſio ejus, vel veſicularum eruptio ſæpius funeſta eſſe ſolet.

V. Subnaſcitur ex cruditatibus primarum viarum, iracundia, tranſpiratione prohibita, præcedente terrore, amat maxime corpora cachectica & cacochymica.

CURATIO.

Perficitur quando ſerum bilioſum acre in tubulis minimis & poris cutis ſtagnans diſcutitur, cruditates viſcidæ in primis viis abſterguntur, & ardor ſanguinis temperatur. His indicationibus reſpondent ſequentia:

I. Pulvis præcipitans nitroſus noſter detur interpolato uſu liquoris noſtri bezoardici.

II. Clyſtere alvus aperiatur. Interne vero ad eam aperiendam commodum eſt ſequens. *Recipe foliorum ſennæ, rhabarbari ana drachmam unam, decocti tamarindorum uncias duas, infundantur calide, adde tartari tartariſati, vel arcani duplicati drachmam unam, ſyrupi de manna drachmas duas, miſce pro una doſi.*

CAUTELÆ.

I. Venæ ſectio caute inſtituenda eſt, præſertim jam morbo præſente, periculum enim eſt ne retrocedat malum, vel ejus expulſio inhibeatur; in plethoricis

thoricis tamen robuſtis corporibus uſum quandoque habet, ſed poſt eam propinato temperato diaphoretico cum regimine.

II. In facie ſi conſiſtit, mali moris eſt, præſtat abſtinere ab omnibus topicis, & internis tantum inſiſtere.

III. Ex improvido uſu topicorum, adſtringentium, unguentorum, cataplaſmatum, exulceratio, vel ſphacelatio obſervata non ſemel fuit. Tutiora ſunt ſicca, pulveres ex farina fabarum, camphora, myrrha, croco, floribus ſambuci compoſiti, & calor temperatus.

IV. In eryſipelate diuturno, ſcorbutico, magis fixo, in cacochymicis corporibus diu ſæpe protrahitur cura, & ad defendendum ſphacelum, præſertim ſi membrum refertum eſt veſiculis, & flacceſcit, linimentum ſupra titulo de inflammatione hepatis contra inflammationes commendatum emolumento erit.

V. Cave ne in ſoporoſo affectu, qui quandoque ſymptoma eſt eryſipelatis, calida & volatilia adhibeas, efficiunt enim gravium ſymptomatum acceſſiones.

DE INFLAMMATIONE UTERI

OBSERVATIONES.

I. INflammatur uterus ſæpiſſime in puerperis cum graviſſima febre continua, cui quando complicatur delirium vel diarrhœa, præſens vitæ adeſt periculum.

II. Naſcitur adfectus à ſuppreſſis lochiis; cauſam præbent terror, refrigeratio, ira & tormina ac pathemata abdominis ſpaſmodica.

III. Quando menſes nimium profluunt, & ſtypticis tam internis, quam externis ſanguis repente ſiſtitur, inflammatio accedit, & ex hac ſæpius apoſtema cum maximo dolore & ſubſequente hectica.

CURATIO.

I. In ſuppreſſis lochiis venæ ſectio eſt utiliſſima.

II. Pulveres bezoardici, nitroſi, nec non liquores diaphoretici temperati in uſum trahantur.

CAUTELÆ.

I. Nocentiſſima ſunt omnia calida pellentia, myrrhata, ſuccinata ad promovendum lochiorum fluxum, ſed potius febri, dolori & ſpaſmo eſt reſiſtendum.

II. Caſtorina ſemper commiſceantur remediis.

DISSERTATIO MEDICA, CASUM ÆGRI OPHTHALMIA LABORANTIS EXHIBENS,

Primùm edita Anno 1717.

LECTOR BENEVOLE.

INTER ſenſus externos viſum primatum obtinere, nemo erit, qui facile contradicet, ſi modo animo ſolerti volvat ac penſitet ſummam ejuſdem neceſſitatem ac utilitatem, ſimul intimius perluſtret, hac duo lumina a ſapientiſſimo creatore non ſolum ornamenti cauſa homini conceſſa, ſed & ab actionibus humanis externis & internis præſertim motu locali, pane inſeparabilia. Quot enim calamitatibus ac incommodis non eſſet obnoxius, ac quomodo vitæ ſuæ genus inſtituere vellet, cum quaſi in tenebris involutus miſerrime, tanquam in obſcuriſſimo carcere vitam degere deberet, ſi hiſce deſtitueretur. In majorem vero admirationem abripimur, ſi harum partium nobilem intuemur ſtructuram, earundemque diverſum ſitum ac varietatem perluſtramus. Mirabilis enim oculorum conſtructio ac fabrica ſi penitius conſideretur, certe immenſa ſummi Dei ſapientia neminem non in admirationem & ſtuporem abripiet, utpote qui in his organis condendis tanto excellentius artificium adhibuit, quanto viſus reliquos ſenſus externos nobilitate, præſtantia ac dignitate antecellere debuit. Cum vero ſtructura eorundem ſubtiliſſima ſit, facillimo negotio tam a cauſis internis quam externis, variis affectibus notis, multis etiam adhuc ignotis & nullis nominibus inſignitis corripi, ac aliorum functio ſeu uſus multiplici modo vel imminui, vel depravari, vel aboleri poteſt. Ex quibus quoddam exemplum, & quidem viſus inſigniter immi-

nuti, jamjam ad abolitionem vergentis, ab autoribus ophthalmiæ dictæ, in præſenti exercitio inaugurali tibi propoſui, quod, dum caſtra ſecutus, vidi, ac quomodo primum ſymptomata ex illegitima tractatione exacerbata reddita ſint, poſtmodum vero curatione ac emendatione juxta ſaniora medicinæ fundamenta inſtituta, ſymptomata hæc gravia ſucceſſive decreverint, & ſic ægrotus, antea jam puſillanimis redditus, maximo cum gaudio, ſine ingenti remediorum farragine, ac ſæpius mutata probatione, variaque ſæpe ſatis crudeli in hiſce affectibus juxta methodum ſatis artificialem ab autoribus aliquando proficuam obſervatam, tractatione in integrum fuerit reſtitutus. Faxit vero DEUS T. O. M., ut cœpta mea vergant in ſui gloriam, proximi commodum ac propriam ſalutem. Tu vero, ſi quædam inveneris minus adæquate propoſita ac elaborata, ignoſcas, quæſo, æquo animo meæ tenuitati, ac cum nemo in hoc univerſo perfectus ſit, cogites, nec me privilegium de non errando poſſidere. Interim mihi fave, & Vale.

CASUS.

Miles 24. annorum, conſtitutione bilioſa, & per conſequens temperamento magis accelerato præditus, vigilias agens tempore nocturno, & quidem aere pluvioſo ac ventoſo exiſtente, poſt aliquod temporis ſpatium ſentit dolorem ac calorem in oculo dextro, poſtmodum ruborem, inflammationem, ac lacrymarum crebram profuſionem. Medelam quærens tractatur collyriis, conſtantibus ex aquis odoratis & ſapidis, v. g. fœniculi, ſerpilli, euphraſiæ, &c. cum nitroſis ac ſalibus adſtringentibus, v. g. ſaccharo ſaturni, &c. ac terreis partibus, ſimul etiam evacuatur purgantibus; hiſce vero nihil proficientibus, purgantibus additur ſtimulus mercurialis, attamen in vanum adhibentur; calor enim, dolor, rubedo, ac inflammatio inſigniter augentur, accedebant lemæ, tunica adnata, quæ alias alba exiſtit, inelevabatur, ac rubra, maſſæ carnis ſimilis, conſpiciebatur, viſus autem adeo erat imminutus, ut oculum diurno tempore non aperire, & aperto nihil prorſus cerne potuerit, uſque dum ſequenti modo & ſequentibus remediis ſanitati priſtinæ fuerit reſtitutus.

RESOLUTIO.

§. I.

Hicce affectus, quo præſens ægrotus laborat, nominatur ophthalmia; cujus etymologiam, cum parum utilitatis præbeat, hic non tractabo, ſed potius ad conceptum, qui ad medicam diſciplinam pertinet, & ex quo poſtmodum reſolutio morbi fluit, me accingam. Deſcribitur autem ophthalmia ab autoribus, quod in ea inflammatio, dolor, rubor oculorum ac lacrymarum profuſio inveniatur. Ex hiſce patet, quod formalitas juxta autores in inflammatione conſiſtat. Cum vero hæc tantummodo ſymptoma ſit, formalitatem non conſtituit, ſed affectus primarius potius eſt intumeſcentia ſeu tumor, quod in §. VI. clarius juxta modum fiendi demonſtratum dabo.

§. II.

Partes affectæ in hoc affectu ſunt tunica adnata, ſeu album oculi, ac glandulæ lacrymales, & pro hac differentia partis affectæ ophthalmia inter ſe differt, ac diſpeſcitur in humidam & ſiccam. Humida erit, ſi ſimul cum tunica adnata & glandulæ lacrymales adficiuntur & ſtimulantur, ſerumque nimium excernunt, unde & hæc ſpecies cum epiphora ſeu lacrymarum profuſione conjuncta: ſicca vero, ſi hæ glandulæ a lympha in iiſdem ſtagnante corripiuntur, aut orificia eorundem plane obſtructa ſunt.

§. III.

Pro differentia autem ſubjectorum & eorundem temperamentorum hæc ophthalmia quæque variat. In temperamentis enim retardatis, ſeu ubi viſcidiores humores, i. e. partes terreæ cum aquoſis inter ſe congelatæ, ſalibus ac principio activo ſentiente, i. e. ſpiritibus animalibus magis magiſque deſtitutæ inveniuntur, ſymptomata leviora aderunt, & quidem dolor, ſed tantummodo premens ac gravativus, aliquando cum lacrymarum profuſione, attamen vix aut plane inſenſibili. E contrario in temperamentis magis acceleratis, i. e. ubi major acrimonia juxta autores, ſeu partes ſalinæ cum ſulphureis, terreis, ac lapidoſis diverſimode inter ſe mixtæ reperiuntur, & per conſequens major motus acceleratus ſpirituum animalium adeſt, ſymptomata longe graviora, ut calor, inflammatio, dolor acutus & pungens &c. in oculis inveniuntur.

§. IV.

Et ſic res quoque comparata eſt in præſenti ægro. Signa enim ſeu ſymptomata ibi graviora reperiuntur, ſcil. dolor pungens, rubedo, ac inflammatio ingens, ſimul cum lemis conjuncta. Ergo & hocce ſubjectum temperamento magis accelerato præditum eſt, & conſequenter inſignem quantitatem ſic dictæ acrimoniæ poſſidet. Modum igitur fiendi hujus ophthalmiæ in præſenti ægro juxta cauſarum modum agendi ſic mihi concipio. Nempe cauſæ procatarcticæ ſeu primitivæ ſunt ſex res dictæ nonnaturales, quæ omnia, ſi legitimo modo hiſce utimur, ad conſervationem noſtræ naturæ tendunt; quando vero illegitime adhibentur, ſucceſſive maſſam ſanguineam corrumpunt ac magis magiſque acrem efficiunt præcipue cibi nimis ſaliti ac aromatizati, potus ſpirituoſiores &c. per ingens temporis ſpatium ſemper continuati, ex quibus tandem ultimato commiſſus error cauſæ occaſionalis nomen obtinet, quæ in noſtro ægro aer frigidus ac pluvioſus fuit.

§. V.

Cum autem hæc cauſa occaſionalis, ſcil. aer frigidior, tanquam corpus naturale, immediate agat in noſtrum principium activum ſentiens ſeu ſpiritus animales, ſubſtantiam eorundem imminuendo, & ſic particularem defectum ſpirituum introducendo. Hicce defectus ſpirituum particularis conſtituit ophthalmiæ cauſam antecedentem, ex quo defectu poſtmodum ſanguis in vaſis ſanguiferis, & lympha lacrymalis in glandulis ad ſtagnationem diſpoſita eſt, tanquam cauſa proxima hujus intumeſcentiæ, quam autores ſub nomine ſtaſeos humorum exprimere ſolent; & ſic morbus primarius eſt conformationis pravæ,

væ, & quidem in magnitudine intumeſcentia ſeu tumor.

§. VI.

Quia vero hæc lympha atque ſanguis particulis ſalinis ac ſulphureis majori in quantitate in præſenti ſubjecto præditus fuerit, ſalia hæc ſe in poros ſubſtantiæ oculum conſtituentis inſinuarunt, præcipue in tunicam adnatam ac glandulas lacrymales, nec non in tunicam glanduloſam oculi orbitam cingentem, ibidemque majorem motum ſpirituum animalium acceleratum introduxerunt, hinc ſymptomata huncce morbum concomitantia, nempe dolor ac ſpaſmus; & ſi hicce motus ſpirituum animalium acceleratur & ſpiritibus vitalibus in ſanguine communicatur, in ſpecie oritur inflammatio. Hinc & aliter res comparata eſt ratione cauſarum in quibuſdam ſymptomatibus ad hancce ophthalmiam conſtituendam occurrentibus.

§. VII.

Quia vero hic omnes ſymptomatum ſpecies occurrunt, ſingula ſeorſim pertractabo; nempe ſymptoma actionis læſæ eſt viſus imminutus. Cum autem viſus ſit ſenſus, & omnium ſenſuum a cauſis internis depravatorum formalitas in vitio aliquo ſpirituum conſiſtat, & hujus cauſa proxima eſt vitium ſpirituum, & quidem in præſenti ſubjecto motus tam animalium quam vitalium progreſſivus, & aliquali modo inteſtinus acceleratus; cauſa vero antecedens vitium humorum, & quidem juxta autores acrimonia bilioſa. Symptoma qualitatis immutatæ eſt rubedo, ſi ſcil. tunica adnata, quæ antea alba, & pauciſſimis ramificationibus ſanguiferis ſenſibilibus interſperſa, naturalem colorem amittit, dum ſanguis in eadem ſtagnat, & propter continuum affluxum vaſcula maximopere extendit, ſic primum rubicunda poſtmodum autem a majori diſtenſione vaſculorum ſubtiliſſimorum maſſæ carnis ſimilis, i.e. in totum rubra evadit.

§. VIII.

Symptoma excretionis adauctæ eſt lacrymarum profuſio, quæ alias epiphora ſeu illachrymatio nuncupatur, quando ſalia acria ſcil. glandulas lacrymales & ſubcutaneas in tunica glanduloſa, orbitam cingente, ſpiritibus repletas, lympham ſecernentes ac continentes ſtimulant, ut major affluxus lymphæ ad eaſdem concitetur, illæque poſtmodum eandem copioſius dimittant, quam par eſt. Symptoma excretionis imminutæ ſunt lemæ, quando ſcil. huic lymphæ magis minuſve acri ſeu ſalibus præditæ etiam partes terreæ, paucæ lapidoſæ, & in hoc ſubjecto etiam partes ſulphureæ admixtæ ſunt, tunc inter dormiendum a ſalibus margines clauſarum palpebrarum ſtimulantibus motus ſpirituum acceleratus ibidem concitatur, qui particulas fluidiores aquoſas expellit, ac reliquæ interim congregatæ remanentes in tantum ſpiſſiores evadunt, & ad inſtar glutinoſæ materiæ nimio calore exſiccatæ palpebras clauſas ſervant.

§. IX.

Tandem ſymptomata urgentia in præſenti ægro ſunt dolor, calor, ac inflammatio. Cum enim noſtra ſenſatio in regulari motu ſpirituum animalium progreſſivo ac inteſtino conſiſtat, ſic præternaturalis i. e. dolor ex motu eorundem magis accelerato oritur. Ergo formalitas & cauſa proxima hujus doloris ſunt ſpiritus, & quidem in motu ſumme accelerato progreſſivo ac aliquali modo inteſtino conſtituti, ob cauſam antecedentem, nempe vitium humorum magis minuſve particulis ſalinis ac ſulphureis præditorum, quæ ſalia a ſulphureis magis acuta hicce humoribus inhærentia ſeſe in poros fibrarum flexilium inſinuarunt, ibidemque motum ſpirituum inſitum ac influum propter ſpicula ſua acceleratum reddiderunt, qui, ut ſeſe ab hac cauſa moleſta liberent, majori in quantitate affluxerunt, fibras haſce ferme ad lacerationem uſque extenderunt ac diſtenderunt, & ſic ingratam ſenſationem i. e. dolorem introduxerunt.

§. X.

Ex hoc dolore, ut ſymptomata ſymptomatum, ſecuta ſunt calor & rubedo, cujus rubedinis modum fiendi in antecedentibus §. VII. ſub nomine ſymptomatis qualitatis immutatæ deſcripſi; calor autem præternaturalis, ex hoc dolore reſultans, itidem cauſam proximam vitium ſpirituum & quidem motum eorundem ſumme acceleratum, cauſam vero antecedentem hocce acre vitium humorum agnoſcit. Inflammationis vero, tanquam ſymptomatis urgentis, modus fiendi ſic ſe habet: nempe gradu intenſiore tantum a dolore ac calore differt; cauſa enim proxima eſt motus ſpirituum non ſolum progreſſivus, ſed & inteſtinus, majori in gradu acceleratus redditus, tam vitalium in ſanguine, quam animalium in ipſa ſubſtantia partis læſæ, adeo ut ſanguis ferme ad reſolutionem diſponatur; cauſa vero antecedens ſanguis acrior in parte affecta ſtagnans.

§. XI.

De prognoſi nunc adhuc quædam adjicienda ſunt, & hæc pro diverſitate ſymptomatum concurrentium magiſque urgentium variat. Si enim mitiora ſunt, & illegitime tractantur, affectus quidem per longum temporis ſpatium retineri poterit, eventus vero & finis non adeo moleſtus erit, quam ſi ſymptomata magis urgentia adfuerint, ut dolor, calor, inflammatio inſignis, & lacrymarum effluxus ſalinus & acris; hæc enim, niſi legitime tractantur & mitigantur, a lacrymarum effluxu palpebræ facile erodi poſſunt, ac tunica cornea tumefacta & obſcurior reddita functionem abolitam introducere capax eſt maximo cum opprobrio curantis & detrimento ægrotorum.

§. XII.

Nunc me ad therapiam, & quidem primo generalem accingam, i. e. ad formationem indicantium, indicationum & indicatorum. Quæ ſi juxta autores inſtituerentur, quadruplicis generis eſſent, nempe primo indicans præſervatorium, quod a cauſis morborum deſumant; ſecundo indicans curatorium, quod ab ipſo modo petunt; tertio indicans mitigatorium, ſeu ſymptomaticum, quod ſymptomata præſertim urgentia ſuppeditant; & tandem quarto conſervatorium, a viribus ægroti deſumptum. Ex hisce nunc indicantibus quatuor quoque indicationes eruuntur, videlicet alia præſervatoria, alia curatoria, alia mitigatoria, ac tandem vitalis ſeu conſervatoria. Haſce indicationes ſic dictis indicatis ſeu remediis abſolvunt, quæ ex triplici fonte, nempe pharmaceutico, diætetico, ac chirurgico deſumunt.

§. XIII.

Inſufficienter autem hæc indicantia ac indicationes deductæ ſunt. Videlicet indicans curatorium a morbo deſumptum non niſi empiricum eſt, quia nuda tantummodo nominalis indicatio exinde fluit, v. g. febris indicat antifebrilia, hydrops antihydropica, ac ophthalmia ophthalmica, &c. Si vero

quis libros autorum introſpicit, adeo varia reperiet ſub nomine horum indicatorum, v. g. aliquando aquoſa, terrea, lapidoſa, ſalina, ac anodyna proficua fuiſſe, quæ certe non ex ſpecifica ac appropriata virtute, ſed potius ob diverſitatem cauſarum hosce morbos conſtituentium haſce operationes ediderunt.

§. XIV.

Deinde indicans mitigatorium, quamvis & a ſymptomatibus urgentibus deſumtum ſit, pariter nihil novi aut ſingulare quid indicat, ſed etiam, prout antecedens curatorium nominalem indicationem juxta autores ſuppeditat, v. g. dolor ſiſtendus, calor mitigandus, &c.; uti & indicans vitale ſeu conſervatorium a viribus ægroti deſumtum, quod non ex ipſo indicante præſervatorio ſimul fluat, ſi modo hocce indicans non adeo promiſcue ex quibuſvis cauſis morbificis deſumeretur, ſed potius juxta cauſarum diverſitatem inſtitueretur, tunc facile appareret, quomodo & indicans præſervatorium & curatorium & mitigatorium ac conſervatorium ex ſolis morborum cauſis commode & ſufficienter erui poſſit.

§. XV.

Videlicet cauſa morbi proxima ac antecedens ſemper vere curatorie indicant, ſiquidem emendatis vitiis humorum ac ſpirituum morboſa conſtitutio utique ſublata eſt in morbis vere internis, i. e. qui a cauſis internis immediate proveniunt. Porro cum omnia ſymptomata eaſdem agnoſcant cauſas internas, ſaltem inverſo ordine in quibuſdam, & præcipue urgentia pro cauſa proxima ſemper habeant aliquod vitium ſpirituum, etiam hoc reſpectu indicatio mitigatoria a cauſa morbi interna indicabitur. Imo cum defectus & debilitas virium ſit vitium ſpirituum, & hac ratione cauſa morborum interna indicabit indicans conſervatorium ſeu vitale, nempe quod vires non amplius deſtruendæ, ſed potius ſint conſervandæ. Tandem indicans præſervatorium pariter deſumitur ex cauſis, ſed tantum procatarcticis & occaſionalibus dictis, videlicet ex regimine ſex rerum non naturalium, ſeu diæta legitime inſtituenda, ne ægrotus circa haſce res antea commiſſos diutius continuet errores, & exinde vel cauſa proxima vel antecedens morbi foveatur ac magis exacerbetur.

§. XVI.

Igitur juxta hancce methodum therapeuticam generalem ſpecialis cura hujus ægroti abſolvi debuiſſet ex triplici fonte, nempe pharmaceutico, diætetico, & aliquali modo chirurgico. Videlicet cauſam proximam hujus ophthalmiæ, & quidem intumeſcentiæ, ut morbi, nominavi humores acres, ſeu ex ſalibus acidis ac partibus ſulphureis conſtantes, i. e. ſanguinem, ac lympham ſtagnantem, ut indicans. Exinde talis fluit indicatio: humores acres ſtagnantes pro conditione ſua ſunt temperandi, ad fluorem redigendi & eliminandi; quæ abſolvitur ſic dictis indicatis ſeu remediis humores temperantibus, ad fluorem redigentibus & eliminantibus, qualia ſunt terrea, lapidoſa, aquoſa, leniora ſalina & laxantia.

§. XVII.

Cauſa vero antecedens erat defectus ſpirituum particularis, ut indicans, circa hancce partem affectam, i. e. oculum contingens, ex quo hæc fluit indicatio. Defectus particularis ſpirituum eſt reſtituendus; & poſtea indicatum; remediis particularem defectum ſpirituum reſtituentibus, qualia ſunt iterum leniſſima ſalina cum ſulphureis, & ad meliorem operationem efficiendam aquoſis calidis mixta, quia juxta canonem chymicum ſalia non agunt, niſi ſoluta.

§. XVIII.

Et ſic cura inſtitui debuiſſet, ſi ab initio ſtatim morbo occurrendum fuiſſet. Quia vero ſymptomata magis urgentia acciderunt, quæ morbum magis exacerbatum reddiderunt, & non diu ſine inſigni functione læſa, i. e. viſu læſo vel plane abolito ægrotum detinuiſſent, ideo Medicum poſtremo advenientem ab ordinaria cura avocarunt, ut primum hiſce ſymptomatibus magis urgentibus, nempe dolori, calori, ac inflammationi, remediis tam internis, quam externis proſpiceret, & poſtmodum curam magis generalem, i. e. ad vitium ſpeciale humorum in toto corpore abundans emendandum inſtitueret.

§. XIX.

Nominavi autem horum ſymptomatum urgentium cauſam proximam motum ſpirituum ſumme acceleratum, ut indicans, ex quo indicatio ſecuta eſt: motus ſpirituum ſumme acceleratus eſt compeſcendus; & indicatum; remediis motum ſpirituum ſumme acceleratum compeſcentibus, qualia unice ſunt anodyna. Cauſa antecedens vero ſunt humores acres, ut indicans, ex quo in antecedentibus nominata indicatio fluit, nempe humores acres eſſe temperandos & eliminandos; & indicatum: remediis acres humores temperantibus ac eliminantibus, qualia ſunt terrea, gelatinoſa, glutinoſa, ac leniter laxantia.

§. XX.

Quia vero pars affecta externa eſt, & hæc quidem non ſpeciale quid, ſed tantummodo modum applicandi remedia, ac gradualem differentiam eorundem indicet, ideo & hiſce internis externa combinari debuerunt juxta eandem cauſarum internarum diverſitatem. Ex qua ratione ſequens collyrium fuit inſtillatum, ac lintea eodem madefacta ſæpius de die reiterata, præſertim circa noctem oculo fuerunt impoſita ac applicata:

Rec. Aquæ papaveris erratici
rosarum albarum ana unc. jß.
tutiæ ppt.
lapidis ſciſſilis ppt. ana ſemi drach.
croci orientalis gr. 10.
M. Detur ad vitrum: ſignetur Aqua ophthalmica, quam ſæpe agitans in oculum inſtillabis.

§. XXI.

Interne autem ad vitium humorum, nempe acrimoniam bilioſam temperandam, & motum ſpirituum acceleratum aliquali modo compeſcendum ſimul reſpiciamus. Formula ſequens in forma pulveris fuit præſcripta:

Rec. cornu cervi uſti ppt. drach. iij.
coralliorum rubrorum ppt. drach. ij.
matris perlarum ppt.
arcani duplicati ana ſemi drach.
extracti opii cydoniati Langelotti gr. iij.
Miſce: divide in 8. partes æquales: ſignetur Pulvis cujus una doſis mane abſorbebitur, altera vero poſt meridiem.

§. XXII.

Quia vero ordinarie circa noctem omnia ſymptomata exacerbantur, ideo ſequens formula ad motum ſpirituum acceleratum tanquam cauſam proximam horum

horum ſymptomatum maximopere reſpiciens in uſum fuit tracta.

Rec. Extracti Fumariæ drach. iij.
opii cydoniati Langelotti drach. j.
Miſce detur ad vitrum : ſignetur Eſſentia cujus 40. gutt. abſorbendæ petendo lectum.

§. XXIII.

Hiſce per tres dies ſimul cum inferius nominato infuſo continuatis neceſſarium fuit, ut primæ viæ aliquali modo repurgentur, ac affluxus humorum eo derivetur. Quia vero bilis acrior commota facile nova ſymptomata circa alias partes excitare poteſt: ideo ſequens laxans ſub forma fluida, ex alterantibus, & laxantibus ac anodynis conſtans fuit adhibitum, quod ter quaterve dejectiones alvinas introduxit:

Rec. Radicis liquiritiæ,
polypodi querni,
jalappæ ana drach. iij.
Herbæ plantaginis
malvæ ana manip. j.
Coque in ſufficienti quantitate aquæ ſimplicis; ſub finem coctionis adde
foliorum ſennæ ſine ſtipitibus drach. iij.
florum papaveris erratici pug. iij.
paſſularum minorum ſemiunciam.
Ebulliant. colaturæ unciæ 8. dentur ad vitrum : ſignentur Potio laxat. ſumenda in duas doſes.

altera portio poſt duos dies fuit reiterata, interim diebus intercalaribus uſu pulveris, guttularum ac infuſi fuit continuatum. Ad lemas vero ſeu ſordes abſtergendas & ſalia diluenda in hac conglutinatione palpebrarum, quæ ſatis tenax erat, lac calidum fuit applicatum.

§. XXIV.

Poſt uſum horum medicamentorum ſymptomata ingenti cum gaudio ægroti fuerunt mitigata, nempe dolor, color ac inflammatio ſucceſſive evanuerunt, in tunica adnata, quæ primum maſſæ carnis ſimilis, i. e. in totum rubra, color primum pallidus, poſtmodum & albus conſpiciebatur; ſanguis vero in eadem antea ſtagnans ad majora vaſa ſanguifera ſe recepit, ita ut hæc inſigniter tumida ac dilatata reperirentur, quæ tamen poſtmodum minora ſucceſſive evaſerunt. Ideo ab uſu pulveris abſtentum fuit, & guttulæ minori in quantitate, nimirum primum ad guttulas 30. poſtmodum 20. adhibitæ ſunt, uſque dum in totum omittendas eſſe ex declinatione ſymptomatum appareret.

§. XXV.

Remanebat autem ſymptoma excretorum, nempe lymphæ lacrymalis ſalinæ ac acris profuſio, exinde judicatum fuit maſſam ſanguineam univerſaliter hiſce ſcatere debere vitiis. Exinde & illam emendandam, ac affluxum hujus lymphæ acris alíorſum, nempe ad publica magis organa excretoria, derivandum eſſe. Ad hancce indicationem nunc inſtituendam ſequens pulvis præcipitans ordinatus fuit, de quo bis de die quantitatem aliquam aſſumere debuit.

Rec. cornu cervi uſti ppt.
corallii rubri ppt. ana dr. iij.
ungulæ alc. ppt. dr. j.
oſſis ſepiæ ppt. ſemidrachmam.
Miſce: dentur ad ſcatulam : ſignetur Pulvis ſorbendus bis in die, minori quantitate.

§. XXVI.

Ad diluendam autem hancce acrimoniam bilioſam, ſequens infuſum ex glutinantibus & temperantibus conſtans loco thee ſemihoram poſt pulverem aſſumtum de mane bibendum fuit præſcriptum:

Rec. Raſuræ ligni ſaſſafras ſemiunciam
radicis liquiritiæ
polypodii querni, ana dr. iij.
altheæ dr. ij.
herbæ hederæ terreſtris manip. ij.
fumariæ
hepaticæ nobilis
florum papaveris erratici, ana manip. j.
violarum purpurearum pug. ij.
corticis aurantiorum rec. dr. iij.
ſeminis aniſi ſtellati dr. j.
Inciſa & contuſa dentur: ſignetur Species ſumendæ tanquam Thee.

§. XXVII.

Hiſce per duos dies continuatis laxans ſequens ad majorem affluxum lymphæ ad ſtomachum & inteſtina concitandum tertia die de mane fuit exhibitum, quod iterum alvum tribus vicibus laxam reddidit:

Rec. Oculorum cancrorum ppt. ſcrup. j.
ſcammonii ſulphurati gr. vj.
arcani duplicati gr. x.
Miſce: detur: ſignetur Pulvis ſumenda pro doſi.

§. XXVIII.

Sequentibus diebus iterum pulvere antea nominato ac infuſo eſt uſus, poſtmodum & laxans reiteratum ter quaterve fuit. Externe vero collyrium fuit immutatum, ac quia ſymptomata mitigata obſervabantur, anodynum omiſſum eſt, & loco antecedentis ſequens fuit præſcriptum ac applicatum:

Rec. aquæ fœniculi
florum cyani ana unc. j.
lapidis ſciſſilis ppt.
calaminaris ppt. ana ſemidrachmam.
Miſce: dentur ad vitrum: ſignetur Aqua ophthalmica.

§. XXIX.

Ex fonte diætetico indicans & indicatio præſervatoria deſumta eſt pariter ex cauſis, ſed procatarcticis & occaſionalibus, nempe ex ſex rebus non naturalibus primum intermittendo, ſcilicet fugiendo aerem frigidum, cibos ſalitos, & potum ſpirituoſiorem, nimium motum, ac præcipue pathemata animi vehementiora. Poſtmodum hic fons & curatorie aliquali modo inſervire poteſt ac debuit, nempe faciendo & admittendo, quæ vitioſos humores ac ſpiritus emendare valent, nempe aerem magis temperatum, aſſumendo cibos glutinoſos ac gelatinoſos, potum vero magis dilutum ac bene defæcatum. Tandem ſi quis applicationem linteorum collyrio madefactorum ac deligationem oculi ſub nomine remediorum ex fonte chirurgico deſumtorum comprehendere ac explicare velit, haud graviter errabit, quia hæc deligatio aliis in morbis externis ex hoc fonte ſpecialiter indicatur.

§. XXX.

Sic poſtmodum omnia ſymptomata in totum ceſſarunt, & functio magnopere imminuta i. e. viſus imminutus fuit emendatus, ut poſtea modo priſtino ſeu naturali eundem inſtituere potuerit. Oculus vero albedinem ſuam exiliſſimis ramificationibus ſanguiferis interſperſam recuperavit, majori etiam effluxu lymphæ lacrymalis ſimul ceſſante ægrotus enarratis remediis ex legitimis indicantibus ac indicationibus fluentibus in integrum fuit reſtitutus, & ſic gravis hujus ophthalmiæ inductus fuit finis.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA,

PROPONENS

HÆMORRHAGIARUM

PRAXIN CLINICAM ET COMPENDIOSAM,

CUM CAUTELIS.

Primùm edita anno 1705.

PRÆFATIO.

SANGUINEM eſſe optimum vitæ theſaurum, qui cuſtodiri & ſervari debeat, quique animæ ipſius quaſi vehiculum & inſtrumentum ſit, ſapientiſſima antiquitas pulchre ac ſcite pronunciavit. Cum ſanguine enim vita amittitur, perit robur ac vis omnis vitalis cunctis corporis membris, ſanguine etiam abſente vel ejus motu per cerebrum impedito protinus animæ omnis operatio concidit atque extinguitur: Nihilominus & hoc veriſſimum eſt, ſanguine nimium abundante nihil exiſtere perniciosius, quod corpori univerſo ac vitæ minetur ac ſtruat ruinam. Igitur illud idem, quod eſt vitæ fundamentum, mox ejus deſtructivum evadit.

Inutilis enim omnis, etiam temperatiſſimus, ſanguis eſt, niſi progrediatur & circuletur per corporis omnis generis canales, nam qui circulatur tantummodo vitæ & ſanitatis fons eſt; hic animæ conjunctionem ac nexum cum corpore perficit. Ex quo facile intelligitur nimium ſanguinem quia non poteſt commode in circulo ſuo moveri, atque a natura regi & ſubigi, non modo noxam inferre; ſed graviſſimorum malorum, imo ipſius mortis, cauſam conſtituere efficaciſſimam. Quapropter natura, divina illa morborum medicatrix, providiſſimo conſilio ſanguinem quantitate peccantem cum ſaluberrimo ſucceſſu atque eventu per varias vias ſæpiſſime excludit.

Verum, cum etiam interdum in excernendo ſanguine natura plus juſto excedat, vel per vias minus congruas id ipſum faciat, quandoque etiam plane inutilis & ſymptomatica ſit talis evacuatio, hinc prudentis Medici eſt hæc omnia probe diſtinguere & naturam vel in negotio hoc imbecillem adjuvare & ſtimulare, vel erroneam corrigere aut excedentem componere, & quoniam hoc ipſum frequentius occurrit in praxi medica apud animum conſtitui in præſenti hoc argumentum agitare & oſtendere, qua methodo & quibus cautelis omnis generis hæmorrhagiæ tractandæ ſint. Deus ter optimus maximus adſiſtat clementer noſtris conatibus.

DE HÆMORRHAGIA NARIUM

OBSERVATIONES.

I. NArium hæmorrhagiis ſubjecti ſunt, maxime omnium pueri, adoleſcentes & juvenes; rarius iis corripiuntur adultiores & ſenes.

II. Qui habitum corporis obtinent turgidum, vaſis copioſis & exilibus plenum, temperamento ſanguinei ſunt, ingenioſi, laute vivunt, corpus motu vehementer exercent, vinum bibunt & venæſectionibus non ſunt aſſueti, narium hæmorrhagias frequentiſſime experiuntur.

III. Tempore vernali & autumnali, præſertim in diuturna auſtrina conſtitutione, ſicuti omnes commotiones & evacuationes ſanguinis, ita etiam per nares ſolennes & ordinarie in diſpoſitis accidunt.

IV. Hæmorrhagiam imminentem præſagiunt capitis dolor gravativus, facies tumida, pulſatio vehemens arteriarum circa collum & tempora, faciei & oculorum rubor, narium ſiccitas & pruritus, lachrymarum involuntaria effuſio, colli tumor.

V. Quandoque in periodica & conſueta hæmorrhagia præcedit extremorum frigus præſertim pedum, alvus adſtricta, dolor tenſivus circa hypochondria.

VI. Quando ſanguinis ordinaria per nares evacuatio ſupprimitur, ſive per adſtringentia, externa & interna,

interna, ſive nimium refrigerantia, dolor capitis, vertigo, aurium tinnitus, ophthalmia, otalgia, eryſipelas capitis, angina, anguſtia pectoris in adultioribus etiam apoplexia ſupervenire ſolent.

VII. Periculoſæ ſunt omnes hæmorrhagiæ narium in hypochondriacis, cachecticis & hydropicis, morbos enim hos reddunt deteriores; funeſtæ etiam plerumque exceſſivæ in malignis, petechialibus & continuis, quoniam defraudant vires; tolerabiliores in variolis, morbillis, febribus intermittentibus.

VIII. Notabile eſt quod in omnibus ferme hæmorrhagiis pulſus ſoleat eſſe major & vehementior, appetitus vero debilior cum oris ſiccitate.

CURATIO.

I. NImiæ hæmorrhagiæ verſatur in eo ut ſanguini impetuoſius ex partibus remotis delato ad caput liberum & expeditum tranſitum concedamus ejuſque circulationem per corpus æquabilem efficiamus, eum a capite divertamus, nimiaſque tenſiones & conſtrictiones viſcerum & partium in remotis partibus corrigamus. Medicamenta huic ſcopo inſervientia ſunt ſequentia:

II. Exhibeatur pulvis nitroſus cum pauxillo camphoræ animatus: *Recipe nitri cryſtalliſati optimi Indici drachmam ſemis, camphoræ granum unum, eſſentiæ anodynæ guttas quatuor; detur cum aqua florum tiliæ, primulæ veris vel aqua fontana pura ſingulis tribus horis.*

III. Injiciatur in potum tinctura florum bellidis vel roſarum cum phlegmate vitrioli & ſpiritu nitri rectificato præparata, indendo menſuræ cereviſiæ unciam ſemis: Vel *recipe ſpiritus nitri dulcis & ſpiritus vitrioli dulcis ana drachmam unam, ſpiritus ſalis ammoniaci guttas X. dentur pro doſi guttæ* 40.

IV. Immittantur pedes uſque ad genua aquæ calidæ.

V. Venæſectio inſtituatur in brachio tres vel quatuor uncias ſanguinis educendo.

VI. Externe ſequens epithema utile erit: *Recipe aceti roſacei, aquæ ſpermatis ranarum ana unciam unam, nitri drachmas duas, ſpiritus vini camphorati drachmam unam ſemis, olei ligni rhodii ſcrupulum unum, opii ſcrupulum ſemis: hoc epithema collo fronti cum linteo duplicato frigide applicandum eſt*, niſi morbus acutus cum exanthematibus id impediat.

VII. Tinctura terræ catechu cum ſolutione vitrioli immittatur in nares, ſi nimium enormis fuerit hæmorrhagia.

CAUTELÆ.

I. Hæmorrhagiæ criticæ probe ſunt diſtinguendæ a ſymptomaticis adeoque conſuetæ & ſalutares non vi cohibendæ, nec per interna nec per externa ſtyptica, alias graviſſima mala ſunt metuenda, proſunt tamen pulveres bezoardici nitroſi, ſpiritus nitri, item vitrioli dulcis.

II. Hoc etiam obſervandum eſt in febribus continuis & intermittentibus, item in variolis & morbillis. Quandocunque hic ſanguis cohibetur præſens hiſce in morbis adeſt delirium.

III. In omni hæmorrhagia alvum apertam ſervare per clyſteres vel per ſalia aperitiva, optimum conſilium eſt.

IV. Ab aëre frigido corpus præſertim & pedes ſunt defendendi, alias ſanguinis fit translatio ad caput major, præſtat potius totum corpus ſervare in blando & moderato lecti ac hypocauſti calore.

V. Ad externa ſtyptica & ſiſtentia accedendum non eſt, ſi pedes frigent, facies pallet; item in principio, ſed debet præmitti venæſectio; quando totum corpus æqualiter calet & in diaphoreſi jacet, conferunt.

VI. Ligaturarum applicatio, pulveres ſympathetici, geſtatio bufonis ſub axilla, omniaque amuleta, nec non inſperſio aquæ frigidæ ex improviſo in nucham, partim non certa & fida, partim non ſecura ſunt remedia.

VII. Externe ſpiritus vini rectificatiſſimus toti abdomini & hypochondriis applicatus egregiam opem quandoque tulit, ſpaſmos partium harum ſiſtendo ſanguiniſque liberum curſum per has partes efficiendo.

VIII. Præſervant a nimiis hæmorrhagiis exercitationes moderatiores, abſtinentia a victu pleno, aromatibus, ſpirituoſis, medicamentis aloëticis &c.

IX. Præſervant venæſectio circa æquinoctium inſtituta, infuſa rhabarbarata cum paſſulis, tamarindis, pulveres præcipitantes nitroſi, uſus acidularum &c.

DE HÆMOPTYSI.

Obſervationes.

I. DIſtinguitur hæmoptyſis a ſputo cruento, quod ſcreatu excernitur, & ex interiore gurgulionis faucium ac narium ductu emergit, hoc enim parcius & obſcuro colore tinctum eſt & pituita permixtum. Diſtinguitur præterea à ſputo cruento, quod provenit ex arteria aſpera parcius quoque, & cum tuſſi, pruritu, ſapore ſalſo comitatum eſt, atque è vaſculis tunicæ, quæ bronchia veſtit, eroſis proficiſcitur.

II. Sanguis, qui ex pulmonibus immediate provenit, eſt fluidus floridus & cum impetu ſæpius fit citra tuſſim violentam vel vehementem. Conjungitur hæmoptyſi gravativus pectoris dolor, reſpirandi difficultas atque anguſtia propter ſanguinem ibi congeſtum.

III. Affectus hic perquam familiaris eſt juvenibus adoleſcentibus præſertim ab anno 20. uſque ad 30. vel 35. & maxime iis, qui habitus corporis ſunt laxi atque ſpongioſi, vaſorum anguſtiorum & temperamenti vulgo ſic dicti ſanguinei, in quo ſtatu ſanguis ordinario impeditius movetur. Rarius vero hæmoptyſi laborant, qui vaſa habent ampla & corpore robuſtiore ac compactiore præditi ſunt.

IV. Sanguineo-phlegmatici, cachectici & qui faciei pallidæ ſunt, ad hunc affectum valde inclinant, maxime omnium vero literati ſedentaria vita gaudentes, hypochondriaci.

V. Iracundia, terror, motus corporis vehementior, abuſus vini, perfrigeratio à ventis maxime ſeptentrionalibus excitant in diſpoſitis faciliimè hoc malum.

VI. Obſervatione conſtat, quod illi, qui multum clamant, vociferantur, concionatores & qui in aere frigido fortius corpus movent, proclives ſint ad hunc affectum.

VII. Conjungitur plerumque huic graviſſimo affectui flatulentia circa primas vias & præcedere ſolet maxime hanc ejectionem cruentam frigus partium externarum, cutis horripilatio, vaſorum detumeſcentia & ſanguinis quaſi aſcenſus ſenſibilis ex partibus inferioribus ad ipſa præcordia.

VIII. Illud obſervandum, quod qui ſemel vel aliquoties hoc affectu affligitur, frequentius in illum ipſum incidere ſoleat, & ſi parum recte curetur, tabem vel phthiſin & hecticam febrem poſt ſe relinquat, ſi vero legitime curatur & regulæ diæteticæ obſervantur, omnis periculi expers eſt & non

difficili negotio perſanari poteſt, niſi jam ipſa viſcera in hypochondriis ſita plane deſtructa & obſtructa fuerint.

CURATIO.

Verſatur in eo, ut ſanguini liber circulus non tantum per pulmones ſed per totius corporis vaſa concilietur ac concedatur, ſimul obſtructiones & ſpaſmodicæ contractiones, quæ occaſionem huic malo ſubminiſtrant, tollantur. Expediri hoc poteſt ſequenti methodo: nempe in paroxyſmo conſultum eſt, niſi jam magna quantitas ſanguinis profluxerit.

I. Venam ſecare brachii vel pedis, ut ſanguinis motus à pectore divertatur.

II. Pulvis præcipitans nitroſus D. Præſidis offeratur ſingulis quatuor horis.

III. Præſentiſſima potio hæc eſt. *Rec. Aquæ plantaginis unc. duas, ſpiritus nitri rectificati gt.* 12. *ſpiritus vitrioli dulcis gt.* 20. *miſce pro una doſi.*

IV. Si hæc non ſufficiunt reſiſtendo malo tinctura antiphthiſica Gramanni cum eſſentia anodyna dimidia parte remixta ad guttas 30. vel 40. ſumi poteſt.

Extra paroxyſmum cura ita dirigi debet:

1. Rec. *Antimonii martialis cachectici, nitri purificati, arcani duplicati ana drachm. unam. Miſceantur: fiat pulvis: dividatur in doſes 6. de quibus ſingulis diebus una matutino tempore eſt aſſumenda.*

2. Rec. *Extracti rhabarbari, fumariæ, agrimoniæ, centaurii minoris, cardui benedicti, limaturæ martis, myrrhæ, ſuccini, ana ſcrup. unum: ſalis ſuccini grana x. Miſceantur: fiant pillulæ ex ſcrup. uno num.* 20. *de quibus circa noctem ſemper ſumi debent* 12. Hæ enim blande alvum ſtimulant, bilem acrem educunt, digeſtionem & ſanguinis ſpirituaſcentiam promovent, ſtagnationi reſiſtunt. Conſultiſſime etiam his pillulis addi poteſt extractum caſtorei & camphoræ momentum, ut ſpaſmodicæ contractioni ſatisfiat.

3. Rec. *Tincturæ tartari drachm. duas, ſalis volatilis oleoſi Sylvii drachm. unam: miſceantur: doſis ſunt guttæ triginta.*

CAUTELÆ.

I. In hoc affectu omnia ſtyptica fortiora necnon narcotica fugienda ſunt, quæ menti ſolent ſtuporem arceſſere: item omnia auſtera opiata in fortiore doſi vitanda: hæc enim anxietates & oppreſſiones pectoris ſuffocatorias excitant, phthiſin, aſthma progignunt & firmando viſcerum obſtructiones gravius reddunt malum.

II. Venæ ſectione præcaveri poteſt malum ſi verno vel autumnali tempore, maxime circa æquinoctia, inſtituatur; conſultius vero eſt temperantia, & blandiorum laxantium uſu ſanguinis nimiam generationem præpedire.

III. Qui diſpoſiti ſunt ad hunc affectum, omni ſtudio caveant aëris inæqualitatem, præſertim frigidos boreales ventos, item temperent ſibi ab iracundia, ad quam ordinario ſolent eſſe paratiſſimi.

IV. Vulgaris eſt ſententia, ſalia volatilia ſanguinis ebullitionem augere & promovere ejus fluxiones, quod etiam ſuo tempore & loco ſalvum eſt: Verum cum hæc remedia antiſpaſmodica inſigni virtute gaudeant, & plerumque ſpaſmi periodicæ hæmorrhagiæ cauſa exiſtant, certa & frequens experientia docuit, ſale volatili oleoſo aniſato ad guttas 20. propinato duabus horis ante invaſionem ſublatam conſuetam hæmoptyſin in momento fuiſſe.

V. Quando malum nimis pertinax eſt, accedendum ad anodyna & antiſpaſmodica, ex quorum claſſe laudandæ ſunt pillulæ de ſtyrace, de cynogloſſa, it. pulvis ex raſura dentis hippopotami, rhinocerotis, unicornu animali, hæmatite præparato, ſemine hyoſcyami.

VI. In paroxyſmo clyſtere alvus aperienda & manus immittantur in vinum calidum, ita egregie ſanguis derivatur à pectore.

DE NIMIO MENSIUM FLUXU.

OBSERVATIONES.

I. Immodicus ſanguinis ex utero fluxus dicitur, quando vel nimia quantitas cruoris ſimul & ſemel excernitur, uti fit in abortu, vel quando diutius menſes ad dies decem vel quatuordecim durant, aut fluxus bis intra menſis ſpatium revertitur.

II. Quando cum copia ſanguis ſimul ejicitur viſcoſus, nigricans, fœtidus, vel acris, genitalia erodens, denotat cacochymiam & dyſcraſiam ſanguinis ſcorbuticam.

III. Solet nimium menſium profluvium valde familiare eſſe temperamento ſanguineis, quæ ſpongioſi & poroſi habitus corporis ſunt, vaſaque multa & anguſta habent; quæque ſunt activæ & ſenſibilioris naturæ, alvi tardioris vel etiam hypochondriacis & hyſtericis paſſionibus obnoxiæ.

IV. Comitatur nimium ſanguinis profluvium ut plurimum tenſio & inflatio hypochondriorum, dolor gravativus circa lumbos, inguina, flatulentia abdominis cum appetitu dejecto. Accedit horripilatio extremorum, facies fit pallida, vaſa detumeſcunt, relaxatur, humidior & tumidior fit vagina, jungitur quandoque etiam dolor in capite, anxietas circa præcordia.

V. Diu durans immodicum uteri profluvium diſponit corpora ad cachexiam, febrem lentam, pedum œdemata, hydropem, tabem, magnamque debilitatem affert toti corpori.

VI. Diſponunt ad hunc fluxum abuſus acidorum, vita ſedentaria, nimius corporis motus, affectuum animi intemperies, aloëticorum & nimis pellentium uſus, Venæ ſectionis conſuetæ intermiſſio, cachexia.

CURATIO.

Alia eſt in paroxyſmo, alia extra paroxyſmum in eo reſpiciendum eſt a Medico, ut circulatio ſanguinis per univerſum corpus libere & æqualiter diſpenſetur, ſimulque ſpaſmi abdominis & viſcerum qui urgent ſanguinem & impetuosè illum congerunt circa uterum, ſedentur, cui ſcopo ſatis faciunt ſequentia:

I. Detur mixtura ſequens:

Recipe Aquæ plantaginis, portulacæ ana uncias duas, aceti unciam ſemis, coralliorum rubrorum drachmam unam, eſſentiæ anodynæ gutt. 10. *ſyrupi papaveris rhœados drachmas tres; miſce: dentur duo vel tria cochlearia pro una doſi.*

II. Valde proficuus eſt ſequens pulvis:

Recipe hæmatitis præparat. drach. unam, nitri purificati drachmam ſemis, camphoræ granum ſemis; Miſce: fiat pulvis: dividatur in tres doſes.

III. *Recipe eſſentiæ coralliorum cum ſpiritu nitri dulcis & vitrioli dulcis ſecundum compoſitionem Dn. Præſidis unciam ſemis, dentur gutt.* 40. hæc eſſentia egregie ſiſtit ſpaſmos & tumultum ac orgaſmum effrenem ſanguinis & ſpirituum ſedat.

IV. Acetum roſaceum cum camphora, nitro, ſaccharo Saturni, oleo ligni rhodii mixtum lumbis & pubi linteo commode applicetur.

Remit-

Remittente fluxu tranſeundum eſt ad ea quæ obſtructiones reſerant, tonum partium roborant & noxias irritantes humores per alvum evacuant, quo nomine commendamus uſum pilularum polychreſtarum Dn. Præſidis vel Becherianarum, quæ juſta doſi ſingulis ſeptimanis ter ſumi poſſunt.

V. Frequens ſit uſus martialium, inter quæ laudem merentur tinctura martis cydoniata, tinctura martis Zwolferi, item antimonium martiale cachecticum, vel ſolum vel cum arcano duplicato mixtum, interpoſitis ſemper paſſulis rhabarbarinis, & tamarindinatis.

VI. Sal volatile oleoſum Dn. Præſidis moderatè ſumtum inter cibos ad gutt. 20. vel 30. ſpiritualſcentiam ſanguinis blande promovendo, obſtructiones reſerando, utiliſſimam confert opem.

CAUTELÆ.

I. Ipſo in paroxyſmo convenit brachia cum manibus immittere vino calido, ſi vero fuerint paupercula ſufficit tantum aqua calida.

II. Venæ ſectio ad divertendum ſanguinem ab utero, non in pede, ſed in manu inſtituatur; in principio autem ut adminiſtretur conſultum eſt; ſtatim vero poſt ſanguinis miſſionem in calore temperato & blanda diaphoreſi corpus ſervandum eſt.

III. Adſtringentia ac ſtyptica valde diſponunt ad phthiſim, malum hypochondriacum, inflationes viſcerum, molas, inflationes & abſceſſus in utero & hujus generis alia.

IV. Acidularum potus, item thermæ Carolinæ hoc malo correptis valde ſunt proficuæ, abſtineant autem ab hiſce præſente ſanguinis fuſione, præſervant enim magis quam curant.

V. Effuſo nimium & cum impetu ſanguine per uterum ſive in abortu aut partu, abſtinendum omni modo eſt à copia alimentorum, victu pleno; natura enim debilis ſubigere dum hæc nequit, præparat cruditates, gravium chronicorum morborum procreatrices, potius parum edendum eſt, ſed ſæpius, & juſcula confortantia ex carnibus ſumenda.

VI. A veneris uſu tali in caſu abſtinendum eſt; vitanda quoque omnia intemperata, nimium frigus, æſtus, motus corporis æque ac animi vehemens. Mens tranquilla, corpus quietum, alvus aperta commendantur.

DE NIMIO HÆMORRHOIDUM FLUXU.

OBSERVATIONES.

I. Nimium fluere dicuntur hæmorrhoides quando ſanguis largiter non modo, ſed & longo tempore profluit, dum alvus deponitur & corpus ſimul imbecillum ac languidum reddit.

II. Quicunque in adoleſcentia vel juventute perfrequentes habuerunt narium hæmorrhagias, ii ſi facti fuerint adulti facile afficiuntur hæmorrhoidum fluxu, præſertim ſi lautius vivunt, diæta vinoſa utuntur, otio indulgent, longè magis vero ſi fuerint hypochondriaci.

III. Hæmorrhoides ſunt vel internæ vel externæ; plerumque fluunt internæ & tunc præcedunt dolor & gravitas lumborum, flatulentia in hypochondriis, ardor & quaſi palus infixa in oſſe ſacro hærere percipitur.

IV. Nimium & longum hæmorrhoidum profluvium teſtatur de viſcerum infarctu à ſanguine ſtagnante, de ejus circulatione per abdominis viſcera valde impedita, quæ omnia, dum vires proſternuntur increſcunt; & ſic via panditur ad malum habitum, hydropem, aſthma, lentamque febrem.

V. Nihil periculoſius eſt quam conſuetum hæmorrhoidum fluxum, etiam quando nimius eſt, ſiſtere vi, ſtypticis fortioribus atque narcoticis; facile enim tranſitus fit ad cachexiam atque hydropem.

CURATIO

Eo potiſſimum dirigenda in & extra paroxyſmum, ut libera progreſſio ſanguinis per abdominis viſcera & hypochondria concilietur, ſpaſmodicæ contractiones ſiſtantur & nimius orgaſmus ſanguinis componatur. Cui ſcopo inſerviunt ſequentia:

I. Utilis eſt pulvis præcipitans nitroſus cum camphora mixtus vel ſine ea propinatus; nitroſa mitigando humorum acrimoniam, æſtum ac orgaſmum nimium deprimendo, omnibus hæmorrhagiis quadrant.

II. Spiritus nitri vel etiam ſpiritus vitrioli dulcis non vulgares, ſed debita encheireſi præparati, virtute antiſpaſmodica ſpectatiſſima imbuti ſunt, & frequentius intra potum ſumantur.

III. Creber uſus pillularum polychreſtarum ex extractis amaris & gummatibus reſinoſis, balſamicis præparatarum addito croco martis tenuiſſimo aperitivo; tales pillulæ roborante, aperitiva & balſamica ſua vi egregiè in ordinem redigunt ſtagnantem ſanguinem, ipſumque depurant per univerſi corporis emunctoria.

IV. Martialia liquida temperata præſertim extra paroxyſmum etiam in ipſo utilem conferunt opem, uti ſunt: tinctura martis Zwölfferi, mars ſolubilis Williſii, tinctura martis cydoniata, vinum chalybeatum, rhabarbarinum, paſſulatum.

CAUTELÆ.

I. Venæſectio debito tempore inſtituta, nempe circa æquinoctium, in diſpoſitis præſervat ab hoc affectu; ipſo in fluxu etiam admitti poteſt.

II. Si hæmorrhoides fuerint externæ pulvis colophoniæ vel ſanguis draconis cum albumine ovorum mixtus non ſine ſucceſſu applicatur.

III. Quando dolor inflammatorius inteſtini recti cum teneſmo excipit nimium fluentes, internè nitroſa in liquida & ſolida forma, pillulæ polychreſtæ, item Becherianæ utiles ſunt; per clyſterem oleum lini recens applicare conducit.

IV. Purgantia omnia, aloëtica quoque, clyſteres acres in nimio hæmorrhoidum fluxu cane angueque pejus fugienda, neque aſcendendum facile ultra rhabarbarina, quod in ſubſtantia cum tartaro tartariſato præſentiſſimi effectus ſunt.

V. Ad fortiora ſtyptica narcotica, item ex hyoſcyamo parata tranſeundum planè non, vel rariſſime eſt, metu, ne turbæ graviores tranſeant in mentem vel chronicorum affectuum fundamentum conſtituatur.

VI. Nihil magis exacerbat hoc malum quam vini aut ſpiritus vini ingurgitatio, adſtringentium uſus internus, aloës immodica exhibitio, ira, corporis motus & flatulentus cibus.

DE MICTU CRUENTO.

OBSERVATIONES.

I. Cognoſcitur vel ex ſanguinis grumis fundum in urina petentibus, vel ex colore urinæ ſanguineo, conſiſtentia craſſiori, vel denique ex evaporatione, quando permanentia carbonibus injici ur, fœtor

fœtor & empyreuma malè olens naribus ſeſe offert; judicatur vero facillime affectus, quando purus ſanguis effluit.

II. Ex renibus originem ducit, quando lumborum dolor fixus & acerbus præceſſerit, vel etiam dolor circa ilia & inguina gravativus percipitur, interdum horrendus dolor circa pubem præcedere ſolet cruentæ mictioni, dum ſanguis congrumatus, ſtagnans in ureterum ductu obliquo circa introitum veſicæ, diſtenſionem dolorificam parit.

III. Quando ex veſica vel urethra ſanguis profluit, dolorifica cum ardore mixtio obſervatur, nec non paucus ſanguis cum pure vel ichore mixtus prodit.

IV. Stillicidium ſanguinis ex præputio rarior affectus eſt; diſtinguitur verò à mictu cruento, dum illud continuo fit & citra urinæ miſſionem, hic vero in mictionis conatu tantummodo invadit; illud guttatim ſtillando, hic cum urina profluendo accidit.

V. Cruenta mictio ſymptoma ſolet eſſe eorum, qui nephritide laborant, vel hypochondriaci ſunt, ſanguine abundant & conſuetas olim habuerunt per venas ſedis emiſſiones cruoris.

VI. Accidit interdum hic adfectus in juvenili ætate apud cholericos, poſt hæmorrhagiam narium conſuetam ceſſantem, à vini potu lautiori ſine ullo damno.

VII. Urina cruenta in variolis, morbillis, petechiis, peſte, magnum prænunciat periculum.

VIII. Arte inducitur ab improvido uſu ſtimulantium, nempe cantharidum, oleorum calidiſſimorum, præſertim balſami ſulphuris terebinthinati, olei juniperi &c.

IX. Fit quoque à cauſa externa, caſu ab alto, contuſione & gravi in lumbis percuſſione.

X. Criticum & ſalutarem obſervavimus cruentum mictum in vetula pectoris oppreſſione & gravibus incommodis circa abdominis viſcera afflicta.

CURATIO.

Dirigenda eſt pro cauſarum indole.

I. Quodſi malum fuerit ex plethora vel ſanguinis conſueta excretione ſuppreſſa, venæ ſectio juvat.

II. In morbis acutis & ab acrimonia ſalina venientibus, nitroſa cum pauxillo camphoræ, item emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis nec non papaveris albi ſemine, omne indicationis punctum abſolvent.

III. Si ex cantharidum uſu fit, lacticinia in copia ſumta juvant.

IV. Si ex calculo oritur, oleum amygdalarum dulcium præſens erit remedium, item inſeſſus ex emollientibus paratus.

V. In nimia ſanguinis ebullitione procurata à calidioribus à vini potu, nitroſa & acidulæ opem ferent egregiam.

CAUTELÆ.

I. Sicuti in omni excretione ſanguinis nimia ſtyptica & narcotica fugienda, ita etiam in hac ipſa; facile enim ſuccedit inflammatio & ulcus renum, veſicæ & poſtea hectica.

II. Motus corpòris, præſertim vectio in curru, quando malum præſens eſt, hoc exacerbat, alias ad præſervationem egregius eſt, & quandoque in totum paſſionem hanc aufert, niſi in partibus ſolidis lateat labes.

III. Egregius eſt in tali affectu potus calidus, ſubſtituendus herbæ thee, & paratur ex meliſſa, agrimonia, pimpinella, radice glycyrrhizæ, veronica, hedera terreſtri &c. in paroxyſmo & extra paroxyſmum proficuus.

IV. Si adeſt hypochondriaca affectio, uſus rhabarbarinorum, martialium & pilularum balſamicarum D. Præſidis commendationem meretur.

V. Quando fluxus nimius & impetuoſior eſt, cohibeatur mixtura ſequenti:

Recipe *Aquæ plantaginis, portulacæ uncias duas: aceti deſtillati drachmas ſex, coralliorum rubrorum ſcrupulos duos, hæmatitis præparati ſcrupulum unum, laudani opiati grana duo, ſyrupi myrtillorum drachmas duas.*

VI. Epithema diſcutiens ex aqua florum ſambuci, aceto roſaceo, ſpiritu vini camphorato, nitro paratum & tepide regioni inguinali iliacæ & lumbis applicatum, non contemnendum præſtabit operam.

VII. Vitentur omnes animi affectus, omne frigus, præſertim ventus ſeptentrionalis, equitatio, omnia ſalita, acria, ſpirituoſa.

VIII. In morbis acutis & malignis mictus cruentus non ſiſtendus eſt opiatis, quæ etiam maxime nocent, ſi infarctus ſanguinis circa renes & abdominis viſcera in cauſa eſt, ubi etiam a lacticiniis cavendum & incraſſantibus; camphora, ubi temperamentum cholericum, ætas juvenilis, exulet.

DE VOMITU CRUENTO ET SECESSIONE NIGRA PER ALVUM.

Observationes.

I. Affectus hic fœminis magis familiaris eſt quam viris, quoniam hic ſexus ſanguinis excretiones conſuetas & ordinarias habet, quæ ſi ſupprimantur vel turbentur, natura facile per inſuetas vias exitum ſanguinis molitur.

II. Accidit vomitus cruentus ſæpiſſime fœminis circa menſium tempus ordinarium, quando illi ceſſaverunt fluere; ipſum comitantur alvi adſtrictio, murmur ventris, dolor tenſivus hypochondrii ſiniſtri, dorſi.

III. Obſervavimus vomitum cruentum in fœminis annoſioribus, morbillis & variolis laborantibus inter morbi initia, ſine tamen periculo.

IV. Malum hoc præſens vires proſternit, anxietatem præcordiorum cum ſudore frigido parit, valde periculoſum viris lienoſis, hypochondriacis, præſertim ſi per alvum ſimul excernitur nigricans, fœtida materia, & tunc affectus dici ſolet morbus *Hippocratis.*

V. In morbo nigro, teſte autopſia anatomica, plerumque lien magnus, obſtructus vel induratus aut corruptus, vaſa brevia lienis nimium diſtenta & ſanguine infarcta & diſrupta ſunt in inteſtino ileo: identidem vaſa ſanguinea rupta nigricantem materiam in eorum cavitatem ejiciunt.

VI. Vomitus ſanguinis periodice recurrens in fœminis circa tempus menſium prænunciat graves obſtructiones in hypochondriis, ſanguiniſque ibi interceptum motum, & hinc minatur cachexiam ſcorbuticam, tabem, hydropem.

VII. Notatu dignum eſt, quandoque nigrum alvi fluxum evenire in hypochondriacis, in tumoribus eryſipelaceis, cancroſis.

VIII. Quando fæces nigræ alvinæ incredibili fœtore ſunt ſtipatæ, lethale indicium eſt.

IX. Obſervavimus vomitiones nigras in partu difficili, lethales tamen.

CURA-

CURATIO.

Nititur hac indicatione, ut ſanguini liber curſus per totum corpus mediante blanda diaphoreſi concilietur, & qui ſtagnat in primis viis, blande educatur, tandem obſtructiones & infarctus ſanguinis in hypochondriis reſolvantur, quem in finem conferunt ſequentia:

I. In paroxyſmo liquor noſter bezoardicus deſcriptus in praxi clinica febrium ſingulis duabus horis ad guttas 30. offeratur cum aqua menthæ ſine vino.

II. Recipe: *Rhabarbari pulveriſati drachmam ſemis, ſolutionis oculorum cancri, nitri purificati, ana grana ſex: miſce, fiat pulvis pro una doſi.*

III. Clyſter emolliens ex lacte, nitro, ſyrupo violarum & oleo roſarum paratus exhibeatur.

IV. Externe cataplaſma coctum cum vino rubro ex abſinthio, mentha, floribus roſarum rubrarum, lavendulæ, chamomillæ romanæ, nuciſta, caryophillis, calidè regioni epigaſtricæ & umbilicali applicandum eſt.

Extra paroxyſmum commendamus uſum pilularum polychreſtarum, vel etiam infuſum laxativum chalybeatum rhabarbarinum, tincturas martiales temperatas.

CAUTELÆ.

I. Quando ab aſſumto veneno proficiſcitur malum, theriaca cum magna quantitate olei amygdalarum dulcium propinetur.

II. Ex retardatione menſium ſi oritur, venæſectio commodè inſtitui poteſt in pedibus; convenit quoque hæc ipſa in vomitu cruento ſymptomatico febribus continuis complicato in initio.

III. Ab omnibus ſtypticis acidis, auſteris ſtudioſe cavendum, hæc enim anxietates præcordiorum, inquietudinem, cardialgias efficiunt atque augent.

IV. Nunquam frigida ſunt offerenda, quæ ſanguinem coagulando mirifice nocent & ventriculum ad inflammationem diſponunt; ſemper vero tepide ac calide bibendum eſt infuſum veronicæ, ſcorzoneræ, hederæ terreſtris, florum hepaticæ vulgaris.

V. Pediluvia quoniam æqualem diſtributionem ſanguinis efficiunt & derivant eum ad partes externas, operam etiam locant egregiam.

VI. Quando ſyncope ſupervenit, balſamus vitæ Dn. Præſidis externe applicandus, interne quoque ad paucas guttas ſumendus.

DISSERTATIO MEDICA DE HÆMORRHAGIARUM GENUINA ORIGINE ATQUE CURATIONE, EX PRINCIPIIS MECHANICIS,

Primùm edita Anno 1697.

§. I.

QUEMADMODUM ex fluidi ſanguinei probe mixti perenni atque in orbem æquabilem abeunte, mediante cordis partiumque corporis muſculoſarum vigore, motu, ſanitatis ratio unice petenda eſt: ita certe genuinas morborum cauſas ortuſque ex eodem proficiſci fonte, nemo niſi qui ignarus ſolidioris theoriæ medicæ eſt, ibit inficias. Etenim duo in univerſum ſunt fundamenta, exiſtimo materiam & motum, quibus ſicuti naturæ operationes omnes continentur, ſic in medicis conſideratio machinæ, tam ſecundum quam præter naturam, his ipſis innititur. Enimvero quicunque Medicus exquiſitam mixtionis ſanguinis ejuſque motus tam ſecundum naturæ leges ac ordinem, quam præter illum in corpore celebrati habet notitiam, ille perplexas multiſque ambiguitatibus immerſas in phyſiologicis & pathologicis difficultates non modo dirimere, verum etiam genuinum morborum genium ac ortum, ad rationalem praxin ſtabiliendam ſumme neceſſarium, aptiſſime detegere poterit. Medicorum recentiores in id cumprimis incumbere conſueverunt, ut ſaltim in omni morborum genere materiæ devias qualitates vitiaque ſatis ſolerter explicent atque ſcrutentur. At vero paucos reperies, qui motum partium fluidarum, qui tamen præcipuum & fundamentale naturæ, quo utitur inſtrumentum eſt, in indaganda morborum indole ac geneſi rite attendant atque expendant, & ad eundem meditationes ſuas decenter dirigant. Quandoquidem motus revera eſt, qui vitam conſervat, dum homogenea ſuccorum vitalium intime unit & miſcet, heterogenea autem ſecernit, ſicque craſin vitalem a corruptione præſervat; in quo maximam partem vitæ ratio atque integritas conſiſtit. Motus rurſus eſt, qui ſolus nullo præſente materiæ vitio ipſam ſanguinis & humorum craſin totumque corpus mirifice alterare & morbos progignere poteſt, luculento exemplo affectuum animi, vel etiam intenſi atque acerbi doloris, qui graviſſimorum ſymptomatum parens, quotidianâ exiſtit experientiâ. Quocirca prudenter illi faciunt, qui præter conſiderationem materiæ in eruendis morbo-

rum cauſis etiam ad motus humorum attendunt, mechanica atque hydraulica principia in ſubſidium vocando ſimul morbos explicare ſatagunt. Exemplo jam nobis ſint ſanguinis excretiones, quæ toto genere præter naturam contingunt, quas Græci Hæmorrhagias duxerunt appellandas. Hæ, utut familiariſſimæ ſint, nihilominus circa ejus geneſin ac cauſas ingentes difficultates ac dubia occurrunt, quæ neutiquam vulgari explicandi methodo dilui ac explicari poterunt. Inſtructus itaque ſufficienti doctrina principiorum mechanicorum ab *Excellentiſſimo Dn. Præſide* in præſentiarum loco ſpeciminis inauguralis tentato, ingenium meum circa hæc exercendo, quouſque in genuinis hæmorrhagiarum cauſis ac phænomenorum rationibus reddendis progredi liceat. Quibus conatibus ut Aeternum Numen proſperrimos largiatur ſucceſſus devotiſſima mente precor.

§. II.

Ut autem ſcopum noſtrum ad votum attingamus, res poſcere videtur, primum omnium paucis ea repetere atque afferre, quæ contingere circa hoc affectu laborantes quoad diverſa phænomena ac circumſtantias obſervata fuerunt, ut ſic exquiſitius hæmorrhagiarum hiſtoricâ cognitione perſpectâ felicius rem in eruendis cauſis faciamus progreſſum. Primum autem erumpere ſolet ſanguis ordinarie ex illis locis, quæ textura gaudent teneriori ac rariori, per quam nimirum vaſa tenuiſſima undiquaque diſperſa ſerpunt, nec firmis membranis circumtenſa latitant, ſed potius in ſuperficie morantur. Quo privilegio maxime gaudent interior narium pars, bronchia, pulmonum, ventriculi & inteſtinorum capacitas, caro gingivarum, recti inteſtini extremitates, interior uteri & vaginæ ſubſtantia, viæ urinariæ, per quas dictas partes ſanguis ordinarie diductis & nimium apertis vel ruptis vaſis prorumpere ſolet. Extraordinarie quandoque natura tam potens eſt, ſicuti fidem obſervationes faciunt, ut per inſuetas vias, per quas alias naturaliter in tali anguſtia ſanguis non exit, ſeſe copioſe exoneret. Ita per minimum digitum ſanguinem excretum vidit SALMUTH *Cent. III. obſ.* 36. Ex genu & manu proſilientem menſtruum in fœmina obſervavit BARTHOLINUS *obſ. anat.* 1. *hiſtor.* 30. Ex mammis ſaltu eundem prodeuntem memorat PANAROLUS *Pentec.* 4. *obſ.* 15., item AMATUS *Cent. II. obſ.* 24. Plura exempla rariſſimarum hæmorrhagiarum vid. in HOFFMANNI *methodo medendi p.* 211. 251.

§. III.

Deinde ſanguinis eruptio inprimis ſolemnis ac familiaris eſſe ſolet plethoricis, qui ſuperfluo, quam digerere & capere vaſa queunt, gaudent ſanguine, uti gravidis, & qui evacuationes ſanguinis ordinarias ſuppreſſas habent; nec minus illis, qui ſanguine oleoſo tenui fluido calido gaudent, habituſque corporis mollioris & ſpongioſioris ſunt, & vulgo ſanguinei dicuntur, ſanguis e naribus potiſſimum ſtillare ſolet. Cholerici, qui venas fovent latiores, & ſtrictiorem corporis habitum poſſident & ſalino ſulphureo mobili ſanguine gaudent, iidem ſæpius ſanguinis fluxu adficiuntur, præcipue ex internis partibus, nimirum ex venis pulmonum aut ventriculi, uti obſervationes teſtantur, promanante. Quibus ſanguis exſuperans & crasſitie peccans in venis eſt, vulgo ſanguineo-melancholici audiunt, iis maxime ætate correſpondente frequentior ſolet eſſe fluxus hæmorrhoidalis. Summatim autem hic tenendum, hæmorrhagias magis adoriri illas perſonas, quæ alacritate ingenii & ſpirituum mobilitate ac partium ſenſibilitate alios antecellunt, quam phlegmaticas ſegnioris ac torpidioris indolis. Memoratu quoque dignum eſt, excretionum ſanguinearum diverſas ſpecies diverſis ordinarie contingere ætatibus, ſapientiſſimo HIPPOCRATE jam dudum id recte notante, *vid. Sect.* 3. *aphor.* 27. 29. 30. Videlicet pueri & adoleſcentes ſanguinis profluvium potiſſimum patiuntur e naribus, rarius vel plane nunquam e pulmonibus, in juvenibus exitum ſuum cruor maxime molitur per pulmonum vaſa, unde hæmoptyſis & exinde profluens phthiſis huic ætati familiariſſima. Viri, & qui in vergente ætate conſtituti ſunt, per ſedis venas vel etiam urinarias magis evacuantur, conſentiente ubivis experientia. Porro quavis ferme anni tempeſtate hæmorrhagiæ infeſtant corpora, ita tamen, ut vere ac æſtate nares ſanguine ſtillare magis ſoleant, autumno autem & hyeme hæmoptyſes, vomitiones, ſanguineæque mixtiones, nec non apoplexiæ ſanguineæ ex rupto arterioſo in cerebro vaſe lubentius graſſentur. Dignum autem notatu eſt, nonnullis individuis contingere has ſanguinis excretiones certis temporum periodis, ita ut recurrente eodem anni vel menſis tempore ſolenniter repetere ſoleant, niſi ipſas convenientibus remediis ſanguiniſque miſſione aut alia vivendi ratione antevertamus.

§. IV.

Deinceps quotidiana confirmamur experientia, omnia illa, quæ ſanguinem tenuem ac mobilem reddunt, ejuſque texturam laxant, ipſumque concitatiori motu exagitant, promtiſſime progignere hæmorrhagias, exemplo validioris & vehementioris corporis motus, balneorum & thermarum uſus. conf. PLATER. *lib. III. obſ. pag.* 238. & HOEFER *de Med. p.* 231., WILLISIUS *Pharm. ration. p.* 86. Quantum acria, ſpirituoſa, ſalſa tam loco alimentorum quam medicamentorum aſſumta, item ſalia volatilia oleoſa, aloetica purgantia noceant iis, qui hæmorrhagiis ſubjecti ſunt, & quam facile hunc affectum provocare queant, nemo niſi praxeos ignarus negare poterit. Pari ratione, quibus ſanguis in receptaculis ſuis vehementiſſima inteſtina motione agitatur, uti in varioloſis, & febre ardente laborantibus id evenit, ii nimiis ſanguinis profluviis ſubjectiſſimi eſſe ſolent, quæ interdum ſalutem, interdum etiam maximum periculum afferre conſueſcunt. Identidem effrenibus hæmorrhagiis anſam dat ſæpiſſime præpoſterus atque immoderatus pathematum animi uſus, inque primis vehemens excandeſcentia & terror, tali tamen differentia, ut illa in partibus externis magis provocet, hic in interioribus ſuſcitet ſanguinis effuſiones.

§. V.

Subjecta, quæ hoc ſanguinis affectu exerceri ſolent, utplurimum ſunt hypochondriaci, & conqueruntur de flatibus, anxietatibus circa præcordia, dolore ac tenſione hypochondriorum & ceteris, quæ comitari ſolent digeſtionis vitia, ſymptomatibus; vel etiam cachectici ſunt & ad hydropem inclinant ac ſæpe numero colorem faciei pallidum habent, viſcera infarcta, lienem tumefactum, jecur ſcirrhoſum. Quam in ſententiæ partem accedit quoque FERNELIUS *meth. med. p.* 14., quando ibi ſcribit: quibus viſcera & jecur imbecillum & ſcirrhoſum evadit, illis ſæpe ſanguis e naribus fluit, non ſecus ac hydropicis. Id quod confirmat quoque HEURNIUS *in Aphor. Hipp. p.* 191. inquiens: quibus facies colore ſubviridi ſuffuſa eſt, hepate laborant, & ſignum eſt jam adfuturi hydropis frequens in iis cruoris per

nares

nares effuſio. Ex inflammatione notabiliori viſcerum non raro prodeunt ſanguineæ excretiones. Sic a pulmonis vel pleuræ inflammatione ſanguinis per tuſſim rejectio pendet. Ex inflammato hepate hæmoptyſin ſubortam notavit HOFFMANNUS *meth. med. p.* 530. In iis, qui ex calculo vel renum inflammatione moriuntur, hæmorrhagiæ largiſſimæ conſpiciuntur. Ex hepatis obſtructione indeque redundante ictero nigro lethalis ſuccrevit hæmorrhagia narium, prout videre eſt in *Miſcell. Curioſ. Decad. II. Ann.* 2. *p.* 218. Hæmorrhoides hypochondriacorum, qui infarcta a rudi & craſſo ſanguine infimi ventris recondunt viſcera, ſymptoma eſſe res omnis dubii expers eſt. Ulterius paſſim experimento frequenti perdocemur, a tumore inſigniori externo partis cujuſdam inflammatorio cancrum vel etiam ſphacelum minante, item a fortiori læſione vel contuſione membri, ejuſdemque luxatione, vel ab inflicto vulnere, vaſorum dilaceratione, dependere ſæpius, niſi mature ſuccurramus per venæ ſectionem, incompeſcibiles hæmorrhagias; quod itidem evenire ſolet, ſi membri cujuſdam corporis eximioris, v. g. pedis vel manus abſciſſio prægreſſa fuerit. Optime annotavit HILDANUS *lib. de dyſent.c.*1., quod ſanguineus alvi fluxus in illis, quibus membrum aliquod abſciſſum eſt, proveniat.

§. VI.

Tandem notabile eſt, ubicunque in parte quadam plus ſolito ſanguis prorumpere geſtit, in hac prius obſervari quædam ſingularia pathemata. Ita e naribus profluvium prænunciat caput pulſans & diſtentum, faciei totius, oculorum præprimis, item narium ac malarum plus juſtior rubedo ac calor, nec non gravis & exardeſcens quoque capitis dolor. Ante ſanguinis per uterum fluxionem tenſio circa hyponchondria, dolor dorſi & lumborum, laſſitudo corporis, & in cute conſtrictio quædam cum horripilationis ſenſu facieque pallida accidit. In dejectionibus per alvum cruentis cutem aridam & rigoris ſenſu affectam inque interioribus abdominis partibus cumprimis inteſtinis ſæviſſimum ſpaſmum ac tenſionem perſentiunt ægrotantes. In vomitu cruento frequentiſſime dolor, ardor, tenſio ac pulſus circa hypochondrium ſiniſtrum percipitur. In hæmoptycis anxietas præcordiorum, ſpirandi anguſtia, dolor gravativus circa diaphragma, vel etiam tenſio & motus ſpaſmodicus in abdomine ſentitur. Quod ſi hæmorrhagias præmature vel nimis cito aut alimentis acidis incraſſantibus aut remediis adſtringentibus, opiatis, vel etiam externis cohibeamus & ſupprimamus, pernitioſa nonnunquam ſymptomata inſequi ſolent. Poſt hæmorrhagiam narium præpoſtere ſuppreſſam anguſtiæ & anxietates circa pectus ad ſuffocationem uſque, reſpiratio citata, in pueris aſthma, cephalalgiæ ſuccreſcunt, in adultioribus apoplecticum paroxyſmum ſanguine extra vaſa in cerebri cancellis reperto, facillimo negotio excitare valent. Hæmorrhoides ordinarie fluentes a cauſa quadam ſi intercipiuntur, mictum cruentum, tumorem lienis, inflammationem renum, ulcus veſicæ, ſpaſmum circa hypochondria, iſchiatidem ſanguineam, hydropem parere ſolent, conſentiente ubivis experientia. Menſes ex quacunque cauſa ſuppreſſi palpitationem cordi, pectori anguſtiam, præcordiis anxietatem, corpori laſſitudinem, hypochondriis dolorem gravativum inducere ſolent. Ultimo loco tenendum hoc eſt, violentas has ſanguinis eruptiones nunquam radicitus ſanari, ſed ſemper recurrere, vel periculoſiora alia mala ulterius cauſari, ſi ſolis adſtringentibus, incraſſantibus, opiatis, acidis curam perficere velimus, niſi evacuantibus, deobſtruentibus martialibus & traumaticis convenientibus illam tentemus.

§. VII.

Traditis ſic & enumeratis omnibus, quæ ad accuratam hiſtoricam hæmorrhagiarum cognitionem ſufficere videntur requiſitis, e re fore exiſtimo pro meliori cauſarum indagine perpauca ſaltim ex phyſiologicis præmonere atque repetere. Scilicet pro certo ac rato habendum eſt, ad vitam & ſanitatem efficiendam requiri jugem ac circularem ſanguinis motionem non tantum per ductus corporis majores verum etiam capillares ac minutiſſimos. Secundo, vaſa ſanguinem vehentia inter ſe connexa ac copulata ſunt ita, ut venæ nihil aliud ſint, quam arteriæ continuatæ, deinde ex tunicis arteriolarum formantur quoque tubuli ſuccum ſaltim nutritium a ſanguine in ſubſtantiam partium carneam derivantes, nec non illi, qui lympham ex partibus revehere ſolent. Tertio pulmones, hepar, lien, non niſi congeries ſunt innumerorum vaſculorum, tam arterioſorum quam venoſorum aliorumque, ex quibus deinde glandulæ, quæ nil niſi curvaturæ arteriolarum ſunt, vaſaque lymphatica & alii ductus excretorii enaſcuntur. Quarto in venis anguſtioribus & minoribus impeditior ſanguinis motus eſt, in majoribus liberior & facilior. Quinto ſtructura fibrarum, quibus partes ſolidæ conſtant, illarumque vigor ac tonus a ſpirituum elatere dependens magnum contribuit ſymbolum ad circulationem ſanguinis per venas promovendam; hinc ſi debilitatus & labefactatus eſt, difficilis ſanguinis fit circuitus. Sexto ſanguinei & pueri habitum corporis ac partium rarum, laxum, ac poroſum habent, per quem multæ anguſtæ venæ tranſeunt; cholerici autem & melancholici, item juvenes & viri ſtrictiore ac arctiore præditi ſunt partium ſolidarum ſtructura, & venas poſſident capaciores & ampliores. Septimo ab externo frigore item a terrore, triſtitia, habitus corporis externus magis conſtringitur, ſub aëre autem calido & humido magis relaxatur. Octavo impetus motus ac fluiditas ſanguinis dependet maxime a copia partium ſulphurearum volatilium ætherearum ſanguini inexiſtentium, nec non ab aëre calido & validiore cordis impulſu. Nono, conſtat ex hydraulicis, quando aqua fluit ex uno canale in quinque vel ſex alios canaliculos, & primo æquabilis per omnes fit motus, quod duobus obſtructis vel obturatis vis ac impetus aquæ in ceteros patentes incumbat & aquam longe vehementius ac antea factum, propellat.

§. VIII.

Ex hiſce jam adductis ac invicem collatis liquidiſſime conſtare arbitror, hæmorrhagias enormes, quibuſcunque etiam in locis fiant, non proficiſci vel pendere ex ſanguinis orgaſmo, turgeſcentia, vel nimia rarefactione, ut ob id exitum per vaſa affectet. Etenim ſanguis univerſus a copia particularum nobilium ſulphurearum turgidior factus, qua ratione ſaltim in unam partem impetum ſuum exſerat, ibique coacervetur atque colligatur, quod ſemper in hæmorrhagia certæ partis accidit, penitus obſcurum & intellectu difficillimum eſt, & ſequeretur potius, ſi ſanguis rarefactus cauſa eſſet hæmorrhagiæ, quod in omnibus partibus, ubi vaſa facile hiare atque reſerari poſſunt, ſimul contingant effuſiones ſanguinis, quoniam ubivis æqualis venarum eſſet dilatatio atque expanſio, quod autem minime accidit, adeoque potius illa ratio perſcrutanda remanet, quæ efficit collectionem & coacervationem ſanguinis certa tantum in parte. Deinde quoque falſum eſt in hæmorrhagiis

giis ora atque orificia vaſorum per partium extremitates diſperſa nimium ſaltem hiare, aperiri, atque reſerari. Enimvero perpetua connexio arteriarum atque venarum in corpore eſt, ita ut ſecundum naturam nunquam ſanguis extra vaſa & receptacula ſua ſit. Sique ſine intima copula venarum arteriæ adſtent partibus, frequentiſſimæ eſſent extravaſationes ſanguinis, obſtructiones, inflammationes atque nimiæ effuſiones, quæ tamen rarius eveniunt; nec enim facile apparet, quo pacto ſanguis extravaſatus minima orificia venarum capillarium, quæ facillime ſubſidere queunt, ingredi poſſit, præcipue ſi a frigido aëre coagularetur.

§. IX.

Porro etiam ex his jam dictis & ulterius dicendis conficitur, in hæmorrhagiis minime locum habere a Veteribus tantopere accuſatam diairesin ſive exeſionem & eroſionem vaſorum ſanguinem capientium. Etenim tantam acredinem cauſticam deliteſcere in ſanguine, ut ſolidas partes exedat atque conſumat, vix credibile eſt, nam partes ſalinæ etiam ad acredinem uſque in ſanguine ſub jugo tenentur oleoſi & ramoſi principii, & poſito, a ſanguinis conſortio illas jam eſſe ſeparatas, facilius tunc inducerent ulcera, quam hæmorrhagias, quæ ſaltim certo tempore invadunt; quod non poſſet fieri, ſed ſanguis continuo exſtillare deberet, ſi ob vaſis ſanguiflui eroſionem & dilacerationem contingeret ſanguinis effuſio. Accedit, quod difficillimum conceptu ſit, quare ſaltem ſalia illa cauſtica unam partem aggrediantur, non autem plures ſimul in corpore, ſicque compluribus in locis iſtæ effuſiones fierent neceſſe eſt. Addimus, quod ſcorbuticis & lue venerea affectis, qui ſanguinem ſat potenter cauſticum alunt, perpetuæ ac propriæ eſſent hæmorrhagiæ, quod tamen rarius evenit. Denique etiam pars exeſa ac corroſa non tam cito conſolidari ac ſanari poteſt. Notum autem eſt fluxum ſanguinis craſſiſſimi unica venæ ſectione vel paregorico remedio aut ſolo terrore incuſſo quandoque ſiſti.

§. X.

Præter hæc Veteres adhuc in ſanguinis eruptione præternaturali culparunt nimiam vaſorum ſanguifluorum laxitatem & tenuitatem, quaſi per poros vaſorum ſanguis tenuior relicto craſſiore exſudet, verum qua ratione in hæmorrhagiis talis modus locum inveniat, non video; etenim ex tunicis admodum firmis conſtructa vaſa ſanguinis ſunt, quæ non facile vapori, tantum abeſt humori tranſitum concedunt, neque concipiendum, quidnam, & quare ſaltim in certa parte cauſetur hanc laxitatem pororum, reliquis poris partium ſalvis. Cæterum & pauca revera eſſet materia & lento gradu procederet, quæ ſic debebat ſeparari. Plurimi tam ex Recentioribus, quam ex Veteribus ex plenitudine ac ſanguinis exſuperantia inordinatas has ſanguinis excretiones ducunt atque derivant, verum nec mihi ſatisfacere videntur. Equidem non diſſimulamus, ſanguinem ceu humorem utiliſſimum ad auctionem & nutritionem in otioſis & multum comedentibus plus juſto generari atque accumulari poſſe, illumque ſæpius maximum conferre ſymbolum ad productionem hæmorrhagiarum, maxime ſi cacochymia, quæ preſſo pede plenitudinem inſequi ſolet, ſimul immiſceatur. Utrum autem ſanguinis exundantia ſola in ſe conſiderata æqualiter omnia vaſa ac vias corporis premens in certa ſaltim parte tantam congeſtionem cum tumore & dolore conjunctam, quæ individuus hæmorrhagiarum comes eſt, ſuſcitare queat, minime percipio. At copiam & redundantiam humorum non genuinam atque immediatam fluxionis ſanguineæ cauſam conſtituere, arguunt illi, qui paucum ſanguinem continent, nihilominus ſubinde hæmorrhagia corripi ſolent, neque illam antevertere poſſunt, quamvis matura ſanguinis miſſione vaſa depleantur.

§. XI.

Quidam animadvertentes periodicam in hæmorrhagiis revertendi rationem exiſtimarunt, non commodius illas explicari poſſe, quam per fermenti ſingularis vim atque activitatem, dum in partium ſolidarum tubulo deliteſcens certo tempore certoque ætheris influxu excitatum in ſanguinem agit, ipſumque varia commotione exagitat. Verum uti perplexa hæc fermentorum morbificorum doctrina mera fictitia eſt, & illorum, qui vera principia neſciunt & nunquam illa edocti ſunt, aſylum, ſic nec hic locum inveniet. Quis enim concipere poteſt, qua ratione fermentum ſumme actuoſum, ſine actione tamen quietum, ſalva tamen manente ejus textura in parte quadam ſolida, quæ jugi ac perenni transfluxu materiæ fluidæ perfunditur, hærere & certo ſaltim tempore in motum morboſum excitari queat. Taceo alia, quæ in noſtro negotio minime explicari queunt. Conf. de hac re *Diſſ. de Ferm. morbif. ſub Excell. Dn. Præſide habita.* Tandem nec illi admittendi ſunt, qui in naturalibus automaticis & a ſolo mechaniſmo dependentibus & ex neceſſitate quadam ſurgentibus machinæ noſtræ actionibus ens libere dirigens motus ſanguinis certum in finem & ad certas partes afferunt. Etenim contra analogiam rationis eſt aliquid ſtatuere, quod minime, quatenus cum re ipſa cohæreat, mens ſana concipere poteſt, neque ſtatim confugere ad rem plane abſonam a ratione debemus, ſi explicatio phænomenorum per poſſibilia principia non mox ſuggerat, vel ob ſenſuum & intellectus noſtri imbecillitatem ex claris principiis deduci nequeat.

§. XII.

Ad examinis incudem ſic revocatis variis præpoſtere ratiocinantium ſententiis nunc exponendum erit, quænam genuina origo ac geneſis ſanguinei profluvii in corpore noſtro ſit. Itaque ſit cenſeo, hæmorrhagiarum cauſam immediatam & continentem motum eſſe ſanguinis liberiorem in circulatione ſua impeditum. Quando enim ſanguinis circulationi maxime in venis, per quas lentius propter perpendicularem ſitum nec non impetum ſanguinis ceſſantem & elaterem languidiorem circulatur, obex ponitur, ut minus commode per illas redire atque transfluere queat; regurgitat ſic in vias patentes, quas accedente impetu ſanguinis a tergo mirum copia ſua diſtendit tandemque perrumpit, ſicque lernam hanc producit. Videmus id in hydraulicis, ubi obſtructo uno canale in alios apertos vis aquæ incumbit, per quos non tantum fortius fluit, verum etiam quandoque vi & violentia illos diſrumpit. Vaſa autem, quæ præter naturam aperiuntur, mea ſententia non ſaltim arteriarum ſed & venarum extremitates eſſe poſſunt. Naturaliter arteriæ ſanguini advehendo ad partes, venæ autem ipſi revehendo dicatæ ſunt. Verum enim vero ſecus hic obtinet in ſtatu, qui eſt præternaturalis, nam opus non eſt, ut ſanguinis effluxus ita contingat, ſicuti affluxus ad partes naturalis per arterias; & huic meæ ſententiæ patrocinatur quoque VESALIUS Anatomes uſu præſtans *Lib. V. de Fabric. corp. hum. cap.* 15., qui hominem diſſecuit defunctum ex nigro arquato jecoriſque mira duritie, quique ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari conſuevit, invenit ramum

ramum venæ portæ ſub coli inteſtini fine & tota recti longitudine in meſenterio ductum pollicis fere craſſitiem æquare & ſanguine turgere, conterminis cavæ venæ ramis nihil prorſus immutatis. In vomitu cruento ex vaſis brevibus ſanguinem manaſſe in ventriculi ſinum, & hic nuperrima ſectione obſervatum fuit, liene reperto a ſanguine infarcto & hepate ſcirrhoſo. Tandem etiam venulæ tenuiori tunica conſtant, quæ facili negotio diſtenditur atque laceratur, utut non negemus, illud quoque in arteriolis capillaribus, quæ & diſtendi & diſrumpi poſſunt, fieri poſſe.

§. XIII.

Impeditur autem ſanguinis æquabilis & liberior per venas motio, ſi vel nimium infarctæ atque obſtipatæ a craſſa amurca ſint in membro vel parte corporis notabiliori, ubi multæ vaſorum ramificationes; vel liber ſanguinis circulus ſupprimitur per partem ob tumorem vel inflammationem, contuſionem, læſionem, aut ſpaſmodicam quandam conſtrictionem. Adeoque obſcura amplius ratio eſſe non poteſt, quamobrem, qui diuturnis hæmorrhagiis vexantur, ut plurimum ſint hypochondriaci, vel obſtructa & imbecillia ob tonum labefactatum viſcera, imprimis lienem, hepar, pancreas, meſenterium habeant. Declarant id maxime ſectiones cadaverum, quarum leviter quaſdam attigiſſe ſufficiat. Sic in hæmoptyco diſſecto latus ſiniſtrum pulmonis a tumore ſcirrhoſo obſeſſum vidit WILLISIUS *in Pharmacia p.* 90. Ita etiam in hæmoptyco reperti fuerunt pulmones copioſiſſima materia argillacea per totum obſiti, & ventriculi dextri auricula inſignis magnitudinis. vid. *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec.* 2. *an.* 6. *obſ.* 217.; BLANCARDUS *in anat. Pract. obſ.* 46., lienem tumentem & vaſa meſenterii atque omenti ſanguine infarcta invenit. In vomitu cruento demortuo hepar durum & ſcirrhoſum, lien quoque tumidus & ſanguine impletus repertus fuit: vid. BLANCARDUS *l. c. obſ.* 23. *it. obſ.* 32: Item WEDELIUS *in Amoen. medic.*, BARTHOLINUS *in hiſt. anat. p.* 249. *it. Miſc. Curioſ. Dec.* 2. *anno* 4. *obſ.* 86. Eadem plane eſt ratio, cur ſpaſmodicæ contractiones internarum partium, dolores & tenſiones hypochondriorum ordinarie fere præcedere ſoleant ſanguinis eruptiones. Notabilis circa hanc rem eſt hiſtoria, quæ extat in *Miſc. Cur. Decad.* 2. Vir 30. annorum, pallidæ faciei, de dolore gravativo ac æſtu in hypochondriis tranſitorio tamen conqueritur, item reſpiratione difficiliori, horripilatione, ſanguinis parum ad aliquot menſuras per vomitum excrevit. Rediit ſemper prægreſſis doloribus gravativis lateris ſiniſtri; humores ad 24. & ultra excreti fuerunt; ſecto cadavere inventum fuit duodenum grumo ſanguineo repletum propter diſruptionem vaſorum meſaraicorum, lien major fuit ſolito. Sic etiam vomitus cruentus factus fuit in autumno prægreſſo ſemper dolore ſummo in ſiniſtro latere. vid. *Miſcell. Curioſ. dec.* 2. *a.* 4. *obſ.* 88. Ratio dictorum eſt, in omni dolore fibrarum muſculoſarum tenſio ſpaſmodica quædam eſt, partis affectæ ſubſtantiam conſtringens & coarctans, unde liberior ſanguinis & humorum circulus præpeditur per has partes, quibus præcluſis majori impetu ac copia irruit in vicinas patentes, quas nimium diſtendit, & diſtenſione tandem aperit. Familiariſſimum in praxi occurrit, impetuoſas & vix ulla arte compeſcibiles ſuboriri hæmorrhagias præpoſtero affectuum animi uſu, præcipue excandeſcentia animi & terrore; ubi notabile eſt, quod in terrore extimæ corporis partes fortiter ſpaſmo conſtrictæ ad interiora magis ſanguinem repellant, unde palpitatio cordis, præcordiorum anguſtia, pulſus inæqualis, quæ nunquam non individui terroris ſubiti comites eſſe ſolent, oriuntur. Contra autem in iracundia ſanguis magis ad peripheriam corporis movetur vehementi impetu; unde in procinctu eſt ratio, quare per inſuetas & anguſtiſſimas vias ſanguinem expulſum præcedente ira referant hiſtoriæ. vid. STALPART VON DER WIELE *cent.* 4. *obſ.* 44. Æſtate familiariores ſolent eſſe per nares vel uteri venas hæmorrhagiæ, hyeme hæmoptyſes, vomitiones, & mictiones cruentæ, item apoplexiæ ſanguineæ, (quæ mea ſententia nihil aliud ſunt, quam extravaſationes ſanguinis in cerebro, propter ſanguiflui cujuſdam vaſis ruptionem) quandoquidem frigus motu ſuo rectilineo partiumque rigiditate ſpiracula cutis condenſat, & ſubſtantiam externarum partium coarctat, unde recurrit & reprimitur ſanguis ad cor vaſaque interna, ubi copia ſua ac impetu, præſertim in illis, qui ſanguine abundantiori gaudent, ea facile vaſa diſtendere & rumpere poteſt. In æſtate autem cum laxior, rarior, & ſpongioſior ſit habitus corporis, facilior quoque ibi ſtagnatio & congeſtio cruoris fieri poteſt. Eadem ratio mihi videtur, qua de cauſa pueris & adoleſcentibus magis nares ſtillent ſanguine, in juvenili autem & virili ætate hæmoptyſes, in vergente mictiones cruentæ & hæmorrhoides frequentius accidant; laxior enim in pueris extremorum ſubſtantia eſt, in juvenibus autem & viris ſtrictior. Hinc regurgitat magis ſanguis ad interiora. Quod autem ſenes & hypochondriaci hæmorrhoidali fluxu corripi ſoleant, videtur mihi cauſa, quod in his motus ſanguinis propter lentorem & craſſitiem ac ſpirituaſcentiæ defectum per viſcera abdominis præcipue lienem, hepar, meſenterium lentior ſit, ibique facile etiam ob venæ portæ ſtructuram ſubſiſtat, ac tumida viſcera reddat, unde, qua data porta, ſive per renum ſive per ani venas exitum affectat.

§. XIV.

Et illud jam ſatis, opinor, perſpicuum erit, qua de cauſa poſt graviorem membri contuſionem, caſum ab alto, luxationem, vulnus, tumorem inflammatorium, vel etiam exſtirpationem tam frequentes proveniant ſanguinis per varias partes proruptiones, uti compluribus familiaribus hiſtoriis oſtendere eſt. Cum enim ſanguis circulum æqualem abſolvere nequeat obice poſita & præcluſo debito in parte ſpatio ejus vis ac impetus in alia vaſa vicina apertaque incumbit, ex quibus capillamentis nimium dilatatis tandem exitum quærit. Poſita ſic impeditiori ſanguinis per vias motione pro vera hæmorrhagiarum cauſa, dubium haud minimi momenti occurrit, quamobrem præſente continua cauſa, nimirum obſtructione, non ſemper etiam hæmorrhagiæ inſiſtent, ſed ſaltim certo tempore & ſæpius ſtata periodo vel ſaltim poſt uſum calidorum, vini, exercitationes, & motum corporis, vehementiorem ſolis fervorem, & ejuſmodi generis alia. Dicimus itaque, ſanguinem ordinarie in hypochondriacis, & illis, quibus viſcera imbecillia ſunt, non effundi, niſi vel motu celeriori vel copia ſimul delinquat. Si non ſuperabundat, ſed placide movetur citra ſingularem congeſtionem in certa parte per corporis membra pervadere poterit. Quando autem certo tempore de novo coacervatur vel ab interna vel externa cauſa ad motum concitatum incitatur, ejus transfluxus impeditur, ſicque regurgitans affectum hunc, de quo ediſſerimus, producit. Obſervamus frequenti experimento, ſanos, & quibus viſcera ſalva ſunt, a ſola ſanguinis exundantia vel tenuitate fluxum etiam ſanguinis pati, quod eandem ob rationem accidit, quia copia ſanguinis non libere per minutiſſimas venas

nas circulari poteſt, partim quod nimia diſtenſione elaterem viſcerum atque vaſorum labefactet, partim quod etiam ordinarie cacochymia viſcida inſequatur plenitudinem. Quapropter hærens ſanguis accumulatus circa ſanguinea viſcera, nimirum pulmones, lienem, hepar, (quæ ferme conſtant ex meris vaſorum maxime ſanguiferorum myriadibus membrana ſaltim circumtenſis) liberum circulum impediens, vel etiam naturam ad ſpaſmum, qui quandoque etiam ex plenitudine fit, irritans, ad alias vias magno impetu cruorem pellit. Quo magis autem talis ſanguis exundans in motum celerem agitatur, eo majus in libera ſua circulatione impedimentum adipiſcitur. Febribus tam intermittentibus, quam etiam acutis, imo malignis, variolis, itidem morbillis & affectibus ſpaſmodicis libenter complicantur hæmorrhagiæ, quoniam a cauſa morbifica ſæpius cauſtica corroſiva genus nervoſum ac fibroſum vario modo irritatum & exagitatum ſanguinem quaquaverſum tumultuarie per alias vias celerrime, per alias tardiſſime, ſicque ſumma inæqualitate dimovet, unde non poteſt non fieri, quin inæquabilis ſanguinis circulus per vaſa inæquales etiam in partibus faciat congeſtiones, dum aliquæ deplentur, aliæ autem cruore replentur atque infarciuntur. Quinimo ſola ſanguinis in motu celeritas velificatur quam opportune generando affectui noſtro. Compertum eſt ex hydraulicis mechanicis, quod ſi aqua per canales ſenſim ac ſenſim anguſtiores fluere debet, atque uno impetu infunditur, animadvertatur, quod non tam ſubito poſſit anfractus canalium ſubire, quin regurgitet, & quadantenus in motu ſuo impediatur. Quanto igitur magis hoc in humano corpore fieri poterit, in quo canalium reperiuntur myriades, quorum interior cavitas modo eſt amplior, modo anguſtior.

§. XV.

Ex dilucidatis ſic genuinis hæmorrhagiarum cauſis facile jam prognoſeos ratio & medendi cura emergit. Scite ait HIPPOCRATES *lib. de Flatib.* qui cauſas affectuum probe cognoſcit, poteſt valde ea afferre, quæ corpori proſunt. Quoad prognoſin ſemper periculoſior cenſenda hæc fluxio, quo magis eſt interna & viſcus nobilius, ideoque hæmoptyſis facile producit phthiſin; mictus cruentus calculum aut nephritidem, item veſicæ inflammationem; cruenta vomitio tabem atque hydropem, quod etiam valet de nimio hæmorrhoidum & menſium fluxu. Secundo, quo majori in copia ſanguis, vitæ fons, profunditur, inque parvo temporis puncto ingens copia, eo gravior læſio & vaſis majoris dilaceratio in culpa eſt. Tertio, quo vires magis fluxus proſternit, eo cenſendus periculoſior. Salutaris ille eſt, qui ſanguinem ſuperfluum (præſertim ob ſuppreſſam conſuetam evacuationem redundantem) debita in quantitate evacuat, & cum euphoria conjungitur; periculoſus, ſi ſanguis non adeo abundat, & nimius fluxus eſt. In morbis malignis enormis & vix coërcibilis hæmorrhagia ingens minatur periculum. Quinto, ſæpius repetentes hæmorrhagiæ indicant labem & imbecillitatem viſcerum, & quo plus ſanguinis effunditur, eo imbecillitas hæc majora accipit incrementa, & morbos producit rebelles chronicos.

§. XVI.

In curatione autem caput eſt, ut ipſo in paroxyſmo, ſi nimium exceſſerit ſanguinis eruptio, ſiſtatur, quantum poſſibile, maxime derivato fluxionis impetu in alias partes. Plurimi Practicorum a venæ inciſione curandi & ſiſtendi hæmorrhagias auſpicium petunt, putantes, detracto ſic ſanguine per venam lateris oppoſiti minorem illius copiam & minori velocitate in partem laborantem fluere, ſicque locum contractioni affectæ partis concedi; ideoque ſi menſes vel hæmorrhoides fluunt, venam in manu incidendam præcipiunt; in hæmoptyſi autem & narium hæmorrhagia in pede venæ ſectionem celebrant. Quamvis autem ab hoc remedio plenaria cauſæ remotio & obſtructionis ſolutio expectanda haud ſit, remittit tamen impetus ſanguinis ad partem, ipſeque fluxus ad tempus, ut deinde remedia tam externa, quam interna eo feliciorem poſſint locare operam. Præterea etiam, ſi redundantia ſanguinis occaſionem huic affectui ſubminiſtret, mature inſtituta venæ ſectio antevertere ipſum poterit. Præter venæ ſectionem conferunt etiam balnea, pediluvia, vel immiſſiones manuum in aquam vel vinum calidum. Notabile eſt, quando ſanguis impetuoſe effluit ex partibus inferioribus, fluxionem hanc opportune ſiſti poſſe per manuum immiſſionem in aquam vel vinum calidum. Quod ſi e naribus fortius erumpit, pediluvium impetum fluxionis felicius cohibere ſolet. Atque hæc cauſa eſſe videtur, quoniam aqua calore ac humiditate ſua ſubſtantiam cutis tubuloſam & fibroſam mirum relaxat, unde major copia ſanguinis in hanc partem magis ſpongioſam redditam, quam ordinarie ſolet, infunditur, adeoque turgeſcentia ejus exoritur. Itaque decreſcit impetus ad partem laborantem; ſicque non ſine ratione Veteres revulſionem optimum prorumpentis ſanguinis eſſe remedium firmiter crediderunt. Simili ex fundamento fluit applicatio cucurbitularum ſine ſcarificatione hypochondriorum regioni. AMATUS LUSITANUS *cent.* 2. *curat.* 100. refert, ſe mediante cucurbitula ſplenis regioni admota intenſiſſimam ſæpius ſedaſſe hæmorrhagiam, & ſic revera revulſio ſanguinis, ſive per venæ apertionem ſive per ejus invitationem ad alia loca fiat, nimiam ſanguinis fluxionem ſiſtere vel impendentem arcere poterit. Etenim revulſio fundamentum habet in hydraulicis; nam data alibi porta aquæ minor fit effluxus, de qua re fuſius videri poteſt BELLINUS *in tract. de ſanguinis miſſione.*

§. XVII.

Reſtat jam, ut paulo penitius excutiamus, quid de illo hæmorrhagias ſiſtendi modo ſtatuendum ſit, cum plurimi practicorum in frequenti uſu habeant epithema ipſo in paroxyſmo frigidum ex aceto, bolo, ſucco ſemper vivi, alumine, ſpermate ranarum, teſtibus interdum nuchæ, vel etiam mammis, pedibus, nonnunquam etiam hepatis regioni applicare, qua ratione deſperatas hæmorrhagias mirabiliter compeſci poſſe ſibi perſuaſum habent. Alii ex improviſo affuſionem aquæ frigidæ in nucham commendant. Et quoniam experientia ſæpius correſpondere ſolet de indaganda ratione ſolliciti ut ſimus, opus erit. Ratio videtur hæc eſſe, quod ejuſmodi actu & potentia frigida locis nervoſis & membranoſis, & quæ eximio pollent ſenſu applicata, ſpaſmo quodam afficiant ac conſtringant has partes, unde tota cutis textura glanduloſo-tubuloſa ac nervea in conſenſum tracta ſimiliter coarctatur, ſub quo coarctationis actu ipſa vaſa aperta partim clauduntur, partim etiam uberior ſanguinis in extremis partibus congeſtio præpeditur. Verum enim vero duo maxime circa horum applicationem notanda veniunt. Primum ut perſonæ, quibus hæc remedia adhiberi debeant cum effectu, tenerioris ac ſenſibilioris ſint indolis. Secundo ut non niſi, quando ex partibus externis, uti ex ano, naribus, utero ſanguis effunditur, minime autem, quando ex ſinu ventriculi, pul-

pulmonibus aut renibus promanat, uſurpentur, alias impedito ſanguinis influxu per conſtrictionem in partes externas ſanguis majori impetu regurgitat, & reprimitur in vaſa corporis interiora, quæ diſtenſione ulterius aperit, & graviorem effuſionem efficit. Sic Horstius *lib.* 4. *obſ.* 46. notabile habet exemplum, quod ex tali epithemate regioni hepatis applicato ſuppreſſa quidem fuerit narium hæmorrhagia, ſed inſecuta diarrhœa bilioſa. Tandem etiam cavendum, ne, quando ex abundantia ſanguinis hæmorrhagia fit, & nondum ſufficiens effluxit, in uſum vocemus illud remedium. Ex hiſce jam dictis confici poteſt ratio, quare in extremis excitati graves dolores, terrores, lipothymiæ, ſiſtere ſoleant ſanguinis fluxum nimium per nares, uterum. Vulgo ſolet ligatura doloroſa in minimis digitis, item illorum incurvatio commendari; quæ omnia juvant, quatenus extrema ſpaſmo conſtricta a ſuperficie corporis ad interiora fortiter ſanguinem reprimunt.

§. XVIII.

Quæſtio jam oritur, quid de ſtypticorum externorum uſu in ſiſtendo ſanguinis nimio profluvio ex naribus, utero, vel aliis partibus ſentiendum ſit. Notum eſt, hunc in finem commendari varia, quæ efficaciam ſuam ſatis promte nonnunquam exercere ſolent, v. g. caput mortuum vitrioli, ſanguis draconis cum ſpiritu vitrioli mixtus, pulvis colophoniæ cum ſucco plantaginis, ſal ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium in aëre in liquorem redactum, vitriolum Cypreum; quæ omnia partim ſanguini firmum ac ſtabile coagulum inducunt, partim etiam poros parietum coarctant & conſtringunt. Horum omnium uſus cautiſſimus eſſe debet. Talia enim adhibere nunquam convenit, ſi nimia ad partem affectam ſit ſanguinis congeſtio, vel nondum ſatis effluxum. Nihil enim efficimus, quam ut vi ſanguinem cohibendo ipſum in vicinas partes majori cum periculo impellamus. Sic nihil ſolet eſſe familiarius, quam ſi nimis cito ſanguinem ſiſtimus e naribus fluentem; ut ipſum repellamus ad pulmones & aſperam arteriam, ubi aſthma ſuffocationis metum non raro inducit. Henricus ab Heer *obſ.* 5. notabilem affert hiſtoriam, ubi hæmorrhagiâ narium externis cohibita, mox tota facies in magnam molem ſurrexit, ac ſenſu & motu privata fuit, faucibus & aſpera arteria ſanguine grumoſo repletis. Menſes fluentes externis præpoſtere cohibiti palpitationem cordis, reſpirandi difficultatem, laſſitudinem corporis gravativam, dolorem in lumbis excitant. Non ſemel notavit Dn. Præſes, ab hæmorrhagia narium conſueta intempeſtive externis ſuppreſſa exortam fuiſſe ſanguineam & lethalem apoplexiam. Præ aliis etiam argumento eſſe poteſt ſanguis hæmorrhoidalis, qui ſi certo tempore conſuevit evacuari, poſtmodum a cauſa externa ſiſtitur, inflammationem renum, veſicæ, mictum cruentum, vomitum ac ſputum ſanguineum producere aptus ſit. Hinc notanter dicit Mayerne *in praxi p.* 314. Si ſupprimuntur hæmorrhoides adſtringentibus, refluxus fit ſanguinis ad partes nobiliores, unde phthiſis, hydrops, cancer, mania, epilepſia.

§. XIX.

Tandem in cura reſpiciendum maxime eſt ad cauſam, quæ utplurimum eſt ſpaſmus partium internarum, & locum potiſſimum invenit in paroxyſmis periodicis vel a præpoſtero affectu animi, v. g. excandeſcentia, nimio dolore ſubortis hæmorrhagiis. Tali in caſu paregorica blanda motum concitatum ſanguinis & ſpirituum componentia commendata ſibi habeat Medicus. Ex horum cenſu laudem inſignem merentur papaveracea omnia, aqua papaveris rhœados, ejus eſſentia ex ſucco recenti & ſpiritu vini rectificatiſſimo parata, emulſio ex ſemine papaveris, opiata; & ex his eminent maxime laudanum methodo Sydenhamii paratum, item per fermentationem Langelotti, trochiſci alkekengi, qui ex opio, papavere, ſemine hyoſcyami & croco ſuam habent virtutem, diacodium *Montani*, maſſa pilularum de cynogloſſa, quæ tam in forma pilularum, quam pulveris exhibita in omnibus hæmorrhagiis effectum ſpondet excellentiſſimum. Referri huc debet opium correctum miſcela purgantium, ut illud accidit in pilulis *Wildeganſii*, & pilulis *Matthiæ*, quæ omnia optime miſceri poſſunt cum nitro, quod certe in omnibus præternaturalibus ſanguinis effluxionibus præſentiſſimi effectus eſt; utpote ſulphur ſanguinis nimis exaltatum enervat & figit, obſtructiones aperit, ſerumque fluxile reddit, & alvum ſervat apertam, ut maxime in hæmorrhagiis utile atque proficuum ſit. Quapropter opiata cum nitroſis mixta ceteris paribus ipſo in paroxyſmo indicatiſſima ſunt. Propinari poſſunt in forma liquida cum aquis diluentibus, antiſpaſmodicis, ut expeditior fiat operatio. Quodſi bilioſa acredo tam in primis viis, quam in maſſa etiam ſanguinis in quantitate peccet, omnia illa, quæcunque acres ſulphureas partes obtundunt, ſal tenue incraſſant, in uſum vocanda veniunt, cujus generis ſunt terrea, uti terra ſigillata, bolus Armeniæ, hæmatites, corallia, quæ cum aqua plantaginis, primulæ veris, papaveris rhœados, portulacæ quam commodiſſime exhiberi queunt, addito pauxillo nitri. Quod ſi impetus fluxionis maximus periculum præſens vitæ indicet, nonnulli ad ipſa ſtyptica confugere ſolent, qualia ſunt tinctura lapidis hæmatitis, liquor martialis qui ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci paratur, vitriolum a conſortio venereo liberatum, pulveres varii ſtyptici, quæ omnia partim ſanguinem incraſſando ac condenſando, partim etiam fibras vaſorum ſanguivehorum ac partium ſolidarum tonum conſtringendo non raro divinam afferunt opem. Ubi tamen notandum, quod extra paroxyſmum adſtringentia, opiata, terrea, aliaque ſanguinem incraſſantia, ſi malum ab obſtructione viſcerum proveniat, ſumme ſunt pernitioſa. Magis hic conferunt terrea, quæ obſtructiones internarum partium ſolvunt, & hypochondria ab infarctu ſanguinis ac humorum liberant; cui ſcopo inſerviunt blanda laxantia, quæ primas vias a ſaburra bilioſa deplent. Recte ſcribit Sydenham *pag.* 96., niſi purgantia accedant, facile fit recidiva. Rondeletius curavit quendam ſingulis diebus duas vel tres libras ſanguinis excernentem ſolis ſyrupis ſeroſos humores evacuantibus. Nos infuſa ex tamarindis, foliis ſennæ, rhabarbaro, nitro, tartaro tartariſato confecta magnopere commendamus. Etenim in quacunque hæmorrhagia alvum ſervare apertam ſive extra paroxyſmum ſive intra paroxyſmum ſumme proficuum eſt. In ipſo paroxyſmo clyſteres ex uſu eſſe poſſunt. Sunt nonnulli practici, qui vomitoria admodum laudant ad præſervationem, vid. *Henr.* Petræus *diſſ.* 47. & Riverius *lib.* 9. *c.* 3.; quod tamen non valet in ſanguinis vomitu vel hæmoptyſi, ſed potius in nimio menſium fluxu.

§. XX.

Inter omnia radicem enormium hæmorrhagiarum egregie præſcindunt martialia, dum acidum obſtructionum elementum abſumunt, ac tonum & robur fibris vaſorum nimium laxatis ac debilitatis addunt atque fœnerant, ſicque contentos humores in motum celeriorem cient atque urgent. Commendatiſſima autem hic ſunt martialia pure ſibi relicta, uti limatura

tura

tura martis in crocum mediante ſola aqua pluviali redacta, item antimonium martiale cachecticum. Hæc duo æquali portione cum nitro præparato & arcano duplicato mixta quotidie bis drachmam ſemis pro doſi exhibendo extra paroxyſmum contumaciſſimas omnis generis hæmorrhagias frequenti Dn. Præſidis experimento ſuſtulerunt. Præter hæc leniores tincturæ martiales commode quoque hic locant operam, uti tinctura martis pomata, cydoniata; magiſterium martis Mynſichti, & ante omnia tinctura martis Zwölferi, quæ virtute aperiendi & roborandi mirifice ſe commendat. Et notabile eſt, medicamenta hæc martialia & ſanare nimium menſium fluxum, & ſuppreſſum quoque producere poſſe. Præterea obſtructiones profligando laudabilem operam collocant in compeſcendis hæmorrhagiis chronicis infuſa ex herbis vulnerariis & amaris, quæ utplurimum ſale quodam ſubtili nitroſo ac balſamico agunt, qualia ſunt agrimonia, hedera terreſtris, veronica, ſcordium, ſcabioſa, card. benedictus, flores hyperici, bellidis, papaveris rhœados, quæ inſtar herbæ thee cum aqua bibi poſſunt vel etiam redigi in extracta, formaque pilularum exhiberi, ut blanda ſic introducatur ſanguini tenuitas ac ſpiritualeſcentia, quæ blande etiam ſolvendo obſtructiones hæmorrhagiarum genetrices hos morbos egregie antevertere poſſunt, qua virtute etiam laudantur pillulæ ſic dictæ Becherianæ, quæ ex extractis herbarum amaricantium & balſamicarum, nec non ex gummatibus, ut mihi relatum eſt, præparantur. Tandem proſpiciendum maxime ventriculo ac digeſtioni eſt extra paroxyſmum hæmorrhagiarum. Utplurimum enim ægrotantes ibi maxima ſentiunt incommoda. Laudem autem merentur blanda carminativa ac balſamica, uti nuciſta, crocus, zedoaria, quæ inter ipſos cibos offerri poſſunt. In uſu ſex rerum non naturalium ſummo ſtudio evitentur maxime exceſſiva quoad aërem, inprimis cibum ac potum & affectus animi. In hiſce enim temperies, moderatio & æquilibrium, uti ſanitati faventiſſimum, ita in omni morborum, etiam hæmorrhagiarum genere eſt ſumme proficuum ac neceſſarium.

THESES MEDICÆ
DE
VOMITU CRUENTO,

Primùm edita Anno 1729.

PROOEMIUM.

RECTISSIME olim de officio ventriculi publico cecinit Q. SERENUS SAMONICUS:

Qui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti vera ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra ejuſdem firmantur cuncta vigore.

Cardo enim ſanitatis in eo potiſſimum verſatur ut ventriculus, ceu univerſalis corporis noſtri coquus, exacte ſuo fungatur munere: nam quamdiu ille robore ac vigore pollet, debita quoque procedit aſſumtorum digeſtio, bonus fit chylus, & ex hoc laudabilis generatur ſanguis, vitæ & virium theſaurus. Prudenter itaque illi Medicorum agunt, qui in morbis tollendis ante omnia hujus viſceris habent rationem, quippe illo integro, ſalubre & corpus eſt; ſic male affectus, maximis valetudinibus præbet initia.

Vix vero ulla in humana machina exiſtit pars, quæ facilius promtiuſque offendi ac deſtrui queat, quam hocce ciborum receptaculum, ob copiam & ingentem varietatem ingeſtorum, ſuccorumque eo confluentium, aliaſque ob cauſas; hinc haud numerandæ morboſæ in illud cadunt affectiones: quas inter merito recenſendus eſt Vomitus cruentus, quem pro ſpecimine inaugurali ad examen revocare conſtitui. Sed quum dicendorum uberrima ſit copia, & magni jam Medici paſſim in hoc argumento deſudaverint, non omnia ejus capita ad unguem pervolvam, verum theſes tantum quaſdam pro viribus ingenii mei pertractandas elegi. Adſpiret conatibus meis, Summum, cujus auxilium devotiſſimis precibus imploro, Numen.

THESIS

THESIS I.

Sanguinis vomitione ex ventriculo rejectio, vomitus cruentus dicta, differt ab aliis hæmorrhagiis, ratione partis affectæ, & modi excernendi.

Actum agerem, ſi in recenſendis differentiis quarumlibet ſanguinis excretionum, corpus humanum affligentium, multa verba facerem, quoniam permulti practicorum in ſcriptis ſuis eaſdem, acri judicio inveſtigatas, oculis lectorum expoſuerunt: paucis tamen earum mentionem injicere neceſſum duco, quæ cum vomitu ſanguinis id commune habent, ut per os ſolvant exturbati. Inter has primo ſeſe offert hæmoptyſis, quæ in eo a noſtro affectu diſcrepat, quod ex ipſa pulmonum compage aſperaque arteria, ſanguis ſincerus floridus rutilans & majori ex parte ſpumoſus, mediante tuſſi, feratur. Haud vero juſte, ſecundum nonnullorum doctrinam, hæmoptyſeos a ſanguinis vomitu differentia in eo collocatur, ac ſi per illam ſanguis arterioſus, per hunc vero venoſus rejiceretur: cujus aſſerti veritatem inferius aptior examinandi erit locus. Huic ſinceri ſanguinis ex thorace excretioni mox ſubjungimus ſputum cruentum, cujus locum affectum fauces parteſque ſummi oris conſtituunt, quique per ſcreatum abſolvitur, utut interdum quoque, quando ſcilicet ex vaſculis ſanguinem vehentibus, & circa epiglottida aſperæque arteriæ principium reptantibus, adapertis emanat, aut ex ſuperioribus faucium nariumque anguſtiis, ad hæc loca deſtillando delabitur, cum tuſſi ferina catarrhali ſtipatum excernatur. Nec minus ſanguinis ſputum exigua ſua quantitate ſeſe prodit, quoniam in ſtriis tantum, laticem ſalivalem rubro colore tingentibus, eliminatur; qualis etiam ſolet eſſe, quæ ex gingivis, dentiumque cavis ſuctione prolecta, profluit, & ſimplici ſaltem ſputatione exſcreatur. Longe aliter vero in vomitu cruento res eſt expedita, ſiquidem ſine tuſſi ſcreatuque, ut plurimum craſſus, immoratione concretus, nigreſcens, glomeratus copioſuſque ſanguinis cruor, cum moleſto ac anxio ad vomendum conatu, reliquiſque vomitionum ſymptomatibus, ex ventriculi cavitate, in quam prius divertit, impetuoſe & confertim pellitur atque rejicitur. Nitide hanc differentiam Henricus ab Heer in *obſervat. medic. XX.* exponit, aliud eſſe, inquit, ſpuendo cum tuſſi ſanguinem ſcreare floridum, flavum, ſpumantem, vel ſpumam verius, aliud craſſum cruorem vomitu deplere. Nec ſilentio hic prætereundum eſt, Dominicum Panarolum affectum noſtrum Choleram appellare ſanguineam, eo quod pars cruoris ſimul per alvum deſcendat: ſed diſcernere hos morbos convenit, illamque ad hæmorrhagiarum claſſem potius referimus, morbumque nigrum Hippocratis cum aliis nuncupamus.

THESIS II.

Cauſæ vomitus cruenti ſunt innumeræ.

Quemadmodum omnium morborum agmina non ex una, ſed pluribus ſimul concurrentibus cauſis producuntur, quarum aliæ in ſcholis vocantur propinquæ, aliæ, his ſubſervientes quam plurimæ, remotæ: ita vomitus cruentus ſimilibus infinitiſque generatur ex cauſis. Si proximam & continentem tam gravis morbi quærimus ætiologiam, in ſolidis eam reperimus partibus; in vehementia ſcilicet ſpaſmorum, quibus vomitus, ſeu retrogradi motus periſtaltici fibrarum muſcularium ventriculi & nonnumquam ipſorum inteſtinorum inducuntur, unde contenta illorum, ſanguis nempe cum aliis in eorum tractu collectis expelluntur. Cauſam proximam materialem ſeu efficientem accuſamus ſanguinem extravaſatum inque ventriculi cavo hærentem: apertionem vero vaſorum cauſam antecedentem proximam ſtatuimus. Reddunt deinde nunc propius nunc remotius hominem ad hunc affectum idoneum omnia, quæ partim ſolidorum tonum immutant partim ſanguinis maſſam in mixtione ſua & motu turbant. Primarium autem inter has cauſas procatarcticas locum obtinet abundantia ſanguinis, quæ extenſiones vaſorum, ſpaſmos lacerationes canalium, compreſſiones in minimis vaſculis indeque ſtaſes, obſtructiones milleque cruciatus alios inducendo, multarum affectionum, inprimis hæmorrhagiarum vomituſque cruenti fœcunda eſt mater. Et hæc ſanguinis nimia copia, præcipue ab excretionibus ejus ſive naturalibus ſive artificialibus conſuetis, cohibitis vel omiſſis, inducitur atque fovetur; unde plerumque fœminarum neceſſariæ vacuationis vitioſam emanſionem, vel ſuppreſſionem, vomitus cruenti auctorem eſſe, multi, ut Amatus Lusitanus *Cent. VII. curat.* 17. Rulandus *curat. empir. C. III. cur.* 4. Schenckius, aliique viri annotarunt; & Salmuthus *Cent. II. hiſt.* 24. a menſibus in gravidis retentis eundem proggtum obſervavit. Eadem quoque ratione in viris hæmorrhoides ſuppreſſæ procedunt, hancque ſanguinis excretionem excludunt, uti *Eph. N. C. D. II. A.* 4. *obſ.* 91. & *Dec. III. An.* 4. *obſ.* 102. aliique practici ſatis comprobarunt. Neque minus ab evacuationibus artificialibus neglectis, præſertim in iis, quibus menſtrua vel hæmorrhoidalis ſanguis haud rite amplius profluunt, præter alios Magnif. D. D. Præſes aliquoties annotavit. Alias jam cauſas abundantiam ſanguinis ingenerantes, ob brevitatis ſtudium lubens prætereo: illud tamen adhuc ratione ſanguinis interſerere convenit, quod etiam qualitate ſua & motu perverſo locum inter hæc cauſarum genera mereatur. Si enim vel nimis firma particularum cohæſione ſpiſſitudinem adipiſcatur, productio ejus acriter impeditur, difficilis languiduſque motus, obſtructiones in capillaribus canalibus, ſtagnationes & pathemata ſpaſmodica oriuntur. Vel ſi admodum fluxilis exiſtat, ad graves congeſtiones, orgaſmum apertionemque vaſorum fundamenta præbet. Deſcendo nunc examinatis a fluidorum vitio deſumtis principalioribus ætiologiis ad motus inordinatos ſolidorum, qui fertiles æque hæmorrhagiarum proindeque vomitus cruenti ſunt productrices. Hi vero motus ſolidis inhærentes, quando vel nimium intenduntur, producunt effrænatos nervoſarum partium diſtenſiones, quæ humorum circulum inæqualem reddendo, hunc morbum apte excludere valent; vel ſi nimium ex prægreſſa ſpaſmorum atrocia debilitantur, atoniam & imbecillitatem partibus hiſce inducunt, unde ſtagnationes affluentium humorum materiaque novorum ſpaſmorum ingeneratur, ut ſic per circulum una afflictio alteri manum porrigat. Innumeris autem modis ſolidorum intenſior motus fieri poteſt, inter quos, ſuperius adducta ſanguinis copia, & quæ fibrarum robur afficere ulla ratione queunt, referri merentur. Poſſem itaque multas & longe plures alias cumulare vomitus cruenti cauſas remotas, quales ſunt externæ, ut ictus, contuſiones, vulnerationes, vel ab extra corpori illata, venena, vomitoria, purgantia, acria remedia, animalcula, quale exemplum Riverius *Cent. IV. obſ.* 26. de deglutita hirudine refert, poſſem, inquam, cumulare innumeras cauſas, ratione errorum in rebus ſic dictis non naturalibus commiſſorum, inprimis animi pathematum, ut Henr. ab Heer. *l. c.* ab iracundia

iracundia memorat, item ratione temperamentorum, ætatum, vitæ generis, prægreſſorum morborum, ut ex quartana, ex ulcere conſolidato tibiarum obſervante RHODIO *Cent. II. obſ. 65.* aliarumque morbificarum cauſarum; ſed quoniam longum nimis ac operoſum foret, omneſque hæ cauſæ novum & incongruum in fluidis & ſolidis corporis noſtri partibus ſtatum excitando, illaſque ad vomitionem cruentam præparando, ludunt, hæc qualiacunque quoad ætiologias hujus affectus, theſeoſque veritatis confirmationem ſufficiant.

THESIS III.

Accurata collectio ſignorum nobis in cognoſcendo hujus morbi genio multum lucis fœneratur.

MAnifeſtis quidem ſeſe ſignis profert hæc ſanguinis ex ventriculi cavo profuſio, ordinaria tamen, quæ ſonticum hoc malum præcedunt ipſique inhæreſcunt, ſequentia enumerantur ſigna. Præcurſores, qui illud imminere annuncient, ut plurimum habet crebras ſputationes, miras anxietates in regione præcordiorum, tenſivos & gravativos dolores ſpaſmoſque per intervalla repetentes hypochondrii, præſertim ſiniſtri, conſtrictiones cardialgicas ventriculi, cum fuſis ſudoribus frigidis, inprimis extremorum, calore & frigore alternante: ſentitur pondus & compreſſio in hac ſtomachi regione, cui ſe jungunt variatio in pulſu, interdum vertiginoſa capitis turbulentia, imo animus ſubinde deficit; quæ ultima maxime eo morbi ſtatu adſociantur, quando in larga quantitate ubertim, vel reiteratis mox vicibus fluidum hoc vitale foras propellitur. Inter hæc nauſea urget, & moleſtus anxius & irritus vomendi conatus, donec tandem vomitus in actum erumpit, ſanguiſque cum contentis in ventriculi antro permixtus eliminatur: ſique non protinus corpus a materia, unde gravatur, vomitione depleatur, ſanguis prodit concretus glomeratus & niger. Ventriculo poſtea a ſarcina liberato, levatus quodammodo æger videtur, preſſio ſpaſticaque conſtrictio vel plenarie ceſſant, & ſic unica vomitio ſufficit, vel paululum ſaltem remittunt, & nunc longiori nunc breviori temporis intervallo, imo ſtatis nonnumquam horis hæc cruoris revertitur ejectio, & tunc non ſolum gravi animi occupantur defectione, pulſus redditur debilis & frequens, cibi deſiderium ſubſidet, ſed vigor quoque virium diminuitur, nitor oris perit, vividique coloris flos expalleſcit. Nec hæc omnia omnibus, ſed alia aliis accidunt, pro diverſo cauſæ, hanc excretionem producentis, & circumſtantiarum habitu. Sic alii cruorem fœtidi odoris nigricantem vomitione extundunt: quibuſdam pulſus magnus & vehemens, imo febris jungitur: nonnulli ægerrime ferunt hanc rejectionem, viribus inde valde depauperatis: alii contraria experiuntur, præſertim quibus ſolitæ ſanguinis excretiones plus juſto retinentur. Notante ETTMULERO *Oper. pract. comp. Lib. I. Sect. VI. c. 3.* dolor magis ad dextrum hypochondrium excurrit, ſuperioremque etiam lumborum partem infeſtat dolor gravativus, ſi pancreatis vitio vomitus ſanguinis oriatur: rurſuſque alia alii patiuntur. Univerſam vero horum ſymptomatum ſyndromen, qua hic vomitus ſtipatur, ejuſque genium conſideraturus, illum inter affectus ſpaſmodicos, in ſolidis partibus fundatos, refero, commodeque ſignorum rationes exinde peti poſſe ſentio; quippe in ſpaſtica nerveorum ventriculi laterum ſtrictura omnis vomitus eſſentia conſiſtit, licet ob prægreſſum ſanguinis exitum claſſi hæmorrhagiarum totus morbus accenſeri mereatur. Deinde quoque fluida noſtræ machinæ ſequuntur motum ſolidorum, & vice verſa, fereque nulla ſanguinis ab interna cauſa proficiſcens effuſio ſine ſpaſmis, vel eos ſubſequente atonia, prægreſſis, evenit. Aucto enim per ſupra adductas aliaſque innumeras cauſas ſolidorum tono, humorum inæqualis fit circulus, ab ambitu extremiſque partibus corporis ad interiora ſanguis urgetur, organa & vaſa excretoria conſtringuntur, eliminanda retinentur, unde copia impuritaſque ejus magna ſumit incrementa, congeſtiones, tranſlationes ad alia loca, imo effuſiones ipſius, ut in hoc affectu in ventriculi cavum, vomitus, aliaque gravia mala emergunt: ſpaſmo deinde, qui ſanguinem cum impetu ad alias partes congerebat, evaneſcente, remanet in illis debilitas, & ex hac ſtagnationes humorum, pabulumque novorum inſultuum ſubminiſtratur, qui levi accedente cauſa denuo tragœdiam ſuam agunt, hæcque ſymptomata progignunt; quæ omnia pro more ſuo ſolidiſſime deduxit Illuſtris D. Præſes in Tom. II. Medic. Syſtemat. ration.

THESIS IV.

Uti rectius hæmorrhagiarum ætiologia ab arteriis quam venis repetuntur: ita quoque vomitus cruenti rationem exinde petimus.

PLerumque in ætiologia excretionum ſanguinis, arteriis neglectis, venæ nominantur, ac ſi illis ſolis id negotii competeret. Urgetur ante omnia experientiam docuiſſe, ſanguinem ex venis ſponte apertis profundi, quod tamen non ſine plane contraria legibus naturæ ratione evenire poſſe arbitror: minime autem inde concluſio deducenda eſt, ſemper ex venoſo ſyſtemate hiſce in fluxionibus mitti ſanguinem. Longe enim firmioribus ac validioribus argumentis ea ſtabiliri poteſt ſententia, quæ arteriis illud munus tribuit, eaque partim ex ipſo ſanguinis motu circulari, partim ex ipſa fabrica & ſtructura vaſorum aliiſque phænomenis deſumemus. Per arterias itaque impulſu cordis valido omne ſanguinis flumen ad minima etiam corporis puncta defertur; per venas vero ad idem principium, unde venerat, cor nempe refluit; venæ proinde quod vehunt liquidum ex arteriis hauriunt, arterioſuſque perpetuo a tergo appulſus ſanguis, illius, qui in venis eſt, regreſſum prohibet; unde magnum ſane eſſet poſtulatum, ſanguinem periodum penitus adverſam ac retrogradam capeſſere, ſi ex venis foras emanaret. Pollent quidem ſpaſmi, hæmorrhagiarum fabri, ea potentia, ſanguinem jam mole turgeſcentiaque peccantem, vel in alio loco obſtaculum invenientem, ad partem quamdam pellendi, aſt non ſolæ venæ ab iis afficiuntur, quia, ut verbis acutiſſimi BOERHAAVE *Inſtit. Medic.* §. 214. utar, nulla in univerſo corpore particula ſenſibilis ſit, quin habeat arteriolam, ut docent vulnuſcula, microſcopia, injectiones: quare & arteriæ eidem ſuccumbunt cladi, licet minori gradu ob renitentiam majorem pulſumque a tergo continuo urgentem illis proprium. Reperiuntur utique venæ in majoribus ſuis divaricationibus reſpectu arteriarum longe tenuiores, hincque dilationi ſpaſmoque magis expoſitæ; arteriarum autem minimarum craſſities cum tunicarum in venarum radicibus tenuitate fere convenit, ſuntque arteriolarum ultima tam anguſta, ut ubi in venas abeunt, omnes arteriarum proprietates exuant, nec exacte venæ ab iis diſcerni queant. Quis igitur dubitabit, tam ſubtiles arteriarum canales non pariter extendi ampliari & urgeri poſſe, ut latera eorum ab invicem dehiſcant?

hiſcant? inprimis cum in illo loco maxima fiat diſtenſio a fluidorum impetu, ubi tunicæ ſunt molliores ac ſubtiliores: hic autem ille locus eſt, ubi arteriæ cum venis cohærent, & canales illarum conici cylindraceam quaſi acquirunt figuram, inque initia venularum terminantur. Quando igitur ob ſpaſmum ſanguis venoſus, ultra ferri neſcius, pondere ſuo inferiorem aſcendentem premit, arteriæ vero pulſum ſuum continuando ſemper novam liquidi copiam cum impetu ſuggerunt, regreſſumque venoſi impediunt, aliter fieri nequit, quam ut ultima arteriolarum, utpote tenerrima tunica inſtructa, dilatentur, aperiantur, ſanguinemque emittant, vel lateralia vaſa ultra modum dilatata, ſanguinem, loco ſubtilioris liquidi quod antea vehebant, tranſmittant. Ex eodem fundamento obviam ire licet illorum objectioni, qui ſanguinem arterioſum cum impetu ſaltuque proſilire exiſtimant. Noviſſe enim convenit, maximum intercedere diſcrimen inter arteriarum majores ramos, & inter extremitates illarum capillares, quæ, tunica ſua craſſiore amiſſa, pulſationem ſaltumque eludunt: id quod etiam ſcarificatio docet, in qua venulæ æque ac arteriolæ ſimul aperiuntur, ſanguine tamen non cum ſaltu eructante. Teſtatur tamen ipſa etiam autopſia cum ſaltu quoque ſanguinem ſub hæmorrhagiis interdum protrudi, & præter alios WEDELIUS *in Eph. Germ. D. I. A.* 3. *obſ.* 22. commemorat exemplum fœminæ ſenilis, in qua tamquam e ſiphunculo ſanguis per vaſa in anum explicita cum ſaltu profluxit. Quod ſi porro quantitatem iſtam liquidi vitalis, quæ in hæmorrhagiis fundi ſolet, ponderemus, facile colligere licebit, venoſum minime ſufficere; protinus enim illud, quod in venula aperta uſque ad radices ſuas fuit contentum, effluet, niſi ex corde per arterias novus affluxus ſubminiſtraretur. Obloquitur deinceps ipſa vaſorum ſtructura; venæ enim ex radicibus exiguis in ampliores ramos excurrunt; arteriæ contra ex ſpatio ampliori in anguſtiſſimum properant: hinc ſi ſanguis venoſus funderetur, ex patenti alveo colligi, & contra ſuum progreſſivum motum in anguſtiores ductus & per aperturam remeare deberet, quæ ſane poſtulata omnibus microcoſmi motuum legibus aperte repugnant. Non minus quoque hiſce reſpondetur illi dubio, quo ob difficilem ſanguinis ad fontem ſuum regreſſum, ipſius promtam ſtagnationem, reditum & effluxum urgent: ſtructuræ enim venarum jam propoſitæ, & appulſui continuo arterioſi ſanguinis, ſi addas valvularum in venis apparatum, venarum numerum longe majorem, aliaque, quibus venoſi fluidi progreſſus ad cordis ventriculos adjuvatur, adminicula, facile & hoc removeri poſſe dubium exiſtimo. Neque arteriarum poſt mortem ſanguine depletarum conſpectus aliquid contrarii involvit, idque contractioni arteriis propriæ in acceptis ferendum eſt, qua liquidum contentum in venarum propellunt radiculas, in quibus, majori ſpatio nunc accepto ulterius ad ramificationes illarum derivatur, ita quidem, ut ſuperato earundem reniſu omnes cruore infarctæ compareant. Magnam denique lucem noſtræ ſententiæ fœneratur illud phænomenon, quo effuſiones ſanguinis ordinario in iis locis contingere obſervamus, ad quæ dives hujus liquidi copia, multæque arteriæ dimittuntur ad ſecretiones deſtinatæ, uti in naribus, renibus, ventriculo, utero: & ut maneamus circa uterum, attenta conſtat animadverſione, quod poſt lochiorum fluxum, item poſt omnes majores ſanguinis effuſiones, non amplius rubicundus ſanguis, ſed tantum lympha quædam effluat, hanc ſine dubio ob rationem, quia arteriolæ ultimæ, quæ ob anguſtiam globulos ſanguinis non admittebant, a motu liquidi vitalis vehementi diſtenſæ & apertæ, eliminato ſanguine, qui eos antea dilataverat, nunc ad naturalem ſuum ſtatum redeunt, nec ſanguinis purpuram, ſed fluidum tantum liquidum tranſmittunt. Plenaria enim non opus eſt ruptione vaſorum, ſed fiſſura tantum laterumque dehiſcentia ſufficit. His ita poſitis perſpectu facile eſt, rectius in doctrina hæmorrhagiarum ad arterioſa quam venoſa reſpici vaſa. Tuto quoque opinor eandem de arteriis hæmorrhagiarum ſcaturiginibus adſtructam ſententiam, ad illam ſanguinis excretionis ſpeciem, quæ vomitus vocatur cruentus, applicari poſſe, quum ſimilis ſimilium ſoleat eſſe ratio: attamen in ſequenti theſi paulo curatius & preſſius eam perquiremus.

THESIS V.

Hinc ſanguinis in vomitu cruento profluxus non ex vaſis brevibus venoſis fit, ſed ex arteriis brevibus.

Antequam ad ipſam exponendam hanc theſin progrediar, brevem quamdam vaſorum brevium præmittendi delineationem urget neceſſitas. Et ut prius de arteriis ex cœliaca oriundis dicam; illa, ubi digiti tranſverſi latitudine ex aorta exiit, in duos dividitur ramos, ſiniſtrum & dextrum. Hic ſiniſter noſtræ conſiderationis eſt; qui primo gaſtricam ſiniſtram ſpargit, & ex hac epiploicam ſiniſtram & gaſtro-epiploicam, pergendo deinde format pancreaticas, & in lienis viſcus antequam immergitur, arterias breves tres vel quatuor ordinario dimittit. Notari autem hic inprimis meretur, arterias breves cum gaſtricis anaſtomoſi gaudere, ita ut flatus in has breves arterias immiſſus promte per gaſtricas redeat. Venæ vero breves ad ſplenicam tendunt, quæ in venam portæ terminatur. Simulac enim truncus venæ portæ parum obliquo tractu ſub duodeno & pancreate proceſſerit, venas cyſticas accipit, deinde in duos ramos diſpeſcitur, cujus dexter ad meſenterium diſcedit, ſiniſter ad lienem; in itinere aliquando admittens duodenam & hæmorrhoidalem internam, poſtea gaſtricam, coronariam ex gaſtricis oriundam, epiploicas, gaſtro-epiploicas, pancreaticas: mox ubi ad lienis parenchyma pervenit, tres vel quatuor ſurculos ex tunicis ventriculi ſiniſtræ partis ortos aſſumit, vaſa venoſa brevia dicta, quorum ſanguis cum lienari redeunte junctus per ſplenicam venam ad commune oceani gremium, nimirum venam portæ, fertur. His animadverſis proximum eſt, ex quo genere horum vaſorum ſanguis vomitu cruento rejectus eructet, contemplari; nec auctores unam eamdemque hic tuentur ſententiam. Multi putant illum ex venis brevibus in cavum ventriculi expelli, idque eo magis, quia ſanguis plerumque nigricantis coloris, qualis venoſus lienaris vulgo habetur, evomitur, & quod hic vomitus ſæpe hypochondriacis, quorum lien haud raro atro cruore refertus, cum magnis tenſionibus in hypochondrio adfligat, ubi ſanguinem craſſum per venas breves ad ventriculum deduci & vomitu depleri arbitrantur. Sed minime hiſce cauſis color iſte debetur, dignumque videtur hac occaſione paululum evagari, & ratione ſanguinis, qui vomitu rejicitur ut plurimum craſſi & nigreſcentis aliqua inſerere. Medici enim ſuperiorum ſæculorum, inter quos LOMMIUM *Obſ. Med. L. II. p.* 131. adducam, a jecinore proficiſci ſanguinem ſplendidiorem ac magis purum, quem autem lien fundit, turbidiorem ſubnigrum & interdum acidum: alii recentiorum ex arteriis profluere ſanguinem fluidiorem & rutilantem, ex venis grumoſum & fuſci coloris, exiſtimant. Neutra vero horum ſententia veritatis fulcro nititur. Nam utut priorum ſententiam, ex hepate aliquando delabi poſſe ad ventriculum

triculum ſanguinem haud negaverim, illum tamen fluidiorem eſſe lienari minime concedimus, quum ſolida anatomicorum hujus ſæculi experimenta ſatis confirment, lienis ſanguinem dilutiorem, floridiorem ac magis attenuatum eſſe hepatico, id quod & lienis fabrica, & copia arterioſi liquidi, ad hoc viſcus detruſi, involvunt, ita ut lien pro machina ſanguinem attenuante & propellente ad portam merito habeatur. Alteri ſententiæ in tantum quidem aſſentio, quod arteriarum ſanguis fluidior exiſtat venoſo in vaſis ſuis contento: docet tamen obſervatio, ſanguinem cito poſt extravaſationem in ventriculo rejectum, dilutiorem & minus atro colore conſpurcatum reperiri, ſi vero diutius in eo moram nectat, coagulatum nigrumque prodire. Simulac enim motu cordis & arteriarum ſanguis caret, per quietem acidumque ventriculi, in reliquiis a cibis potibuſque deliteſcens, concreſcit, & magis ad ſolidi indolem accedit; quoniam acidum hoc cum ſanguinis parte ſulphurea & alcalina congrediens non modo colorem ſuum & conſiſtentiam mutat, ſed & peſſimum induit odorem. Nunc redeundum eſt in viam, & indagandum, an vaſa brevia venoſa mittant ſanguinem? Omne vero anatomicum ſcrutinium probat, per hæc vaſa a ventriculo reduci liquidum, proindeque contra conſuetum ſuum curſum regredi oportere: fieri enim natura nequit, ut venæ quidquam a liene ad ventriculum devehant breves: etſi etiam per ſpaſmodicas tenſiones & preſſiones ſanguinis foret regreſſus, longe facilius in truncis ſuis, ventriculum inter & lienem exiſtentibus, quam in ſuis ramis, per tunicas ventriculi, crepaturam multum impedientes, reptantibus, aperientur. Seorſim quoque ea eſt venarum ventriculi conſtitutio, ut omnes inter ſe conjunctæ & valvulis deſtitutæ, ſanguis liberum habeat ſurſum deorſumque exſpatiandi campum: nam injectus ſiphone liquor, vel flatus in vas breve immiſſus, vaſa gaſtrica tranſit, cunctaſque hujus viſceris venas prompte replet. Poſſemus etiam ad probationis augendam vim obſervationem Loweri *in tract. de Corde Cap. V.* allegare, qui in concurſu venarum brevium cum ſplenica notabilem valvulam notavit; ejus tamen, quia rariſſime forſan reperitur, tantum meminiſſe ſufficiat. Quid autem reſpondeamus obſervationi Auctorum, qui vaſa brevia aperta invenerunt, aut ſanguine turgida? Hic primo monendum duco, me experientiæ plurimum deferre, ſed fere ſemper generaliori titulo vaſa nominari brevia, non accurate venas aut arterias indicando, imo paucos Anatomicorum arteriarum brevium injicere mentionem: hinc an non pari jure ad arterias applicari poſſint hæc dicta, &, ſi forſan aliquando inventa apertio aut turgeſcentia venarum brevium, utrum inde aſſertum a particulari ad univerſale formandum ſit, merito quæro? imprimis cum ratione venarum, quæ ſanguine poſt mortem diſtentæ apparuerunt, cauſam arteriarum contractioni tribuendam eſſe jam ſupra demonſtraverimus? Venis itaque ab hoc negotio exceptis cum Highmoro, Conringio *lib. de ſang. generat. & motu C.* 22. Rolfincio *diſſ. anat. L. VI. c.* 27. aliiſque graviſſimis viris arterias breves hunc plorare ſanguinem exiſtimo, & quæ in priori theſi generaliter adſtruxi, hic ſpecialiter applicare decet. Subjungam vero adhuc obſervationem practicam, qua in vomitu cruento correptis non raro lienem vel obſtructum vel infarctum, imo ut Illuſtr. D. Præses obſervavit, cartilagineum reperimus, & ſequens ex ea eliciam ratiocinium, quod lienis vaſculis obſtructis, appulſus per arterias ad illa ſanguis neceſſario regurgitet, & majori impetu in vaſa, quæ juxta ſunt, breves nempe arterias feratur ad ventriculum, & niſi data per venas aperta via reducatur, facile ultima arteriolarum, utpote tenerrima tunica conflatarum veniſque continuarum, extendantur & aperiantur. Nec opus demum eſt, ut in ventriculo a perruptione arteriarum remaneant ſtigmata ſeu cicatriculæ, uti nec in utero tales, quando plethora per menſes evacuata eſt, oculum ſubeunt: diſtentis enim antea arteriis, & nunc emiſſo ſanguine ad priſtinum ſtatum redeuntibus, ea diſparent.

THESIS VI.

Nec alias vias excludo, per quas ſanguis ad ventriculum deferri poſſit.

Longius enim petitum eſſe videtur, quando de vaſis brevibus unice philoſophamur, ſiquidem & ratio & experientia dictitat, ex aliis etiam partibus vaſiſque ſanguinem fundi: fieri autem hanc ſuſionem vel in reliquis ipſius ventriculi locis, vel in vicinia ipſius, unde adhuc aditus ad ſtomachum patet convenit: proindeque duodenum ſuperioremque tenuium inteſtinorum tractum volo, ex quibus haud difficile, teſtante id vomitu, materia collecta in ventriculi gremium amandatur: nec negaverim ex reliquo etiam inteſtinorum tractu, eorum periſtaltico motu inverſo, contenta deduci in ventriculum, quæ alias per inferiorem portam ſolent expurgari, uti ex paſſione patet iliaca. Sylvius & Ettmullerus ex pancreate ad duodenum & ventriculum ſanguinem plerumque deponi aſſeverabant. Scultetus *obſ. XXX. Armam. chir.* & Dionis *Demonſtr. VII. oper. chir.* illum ex vaſis lingualibus in infantibus diſciſſis profluentem & deglutitum, tandemque in ventriculo coacervatum cum ſubſequuta morte annotarunt. Sed miſſis his viis aliæ adhuc reperiuntur; & primo adſunt rami vaſorum gaſtricorum, ubique per hoc nobile viſcus diſſeminatorum, ex quibus non ſolum Blancardus, Bohnius aliique auctores ſanguinem fundi obſervarunt; ſed quoque idem ſana ratio ſuadet: quia ſanguis venoſus in vena portæ propter obſtructionem quandam hepatis facile poteſt accumulari, unde obſtaculo præſente, in flumine ſuo tardatur ac reſtagnat, ſanguinique ſubſequenti venoſo gaſtricarum venarum reſiſtit, a qua preſſione & reſiſtentia vaſa antea dictarum arteriarum lateralia & ſecretoria dilatari poſſunt & aperiri; quid? quod per vaſa eroſa tunicæ vaſculoſæ ventriculi a venenis, vel diſrupta ex vulneratione, [quæ ut accurate brevia lædant vaſa haud credibile eſt] eundem ex hiſce gaſtricis arteriis effluxum produci putaverim. Nec videtur repugnare poſſibilitati talem evacuationem per arterias meſaraicas in inteſtinis tenuibus, præſertim in duodeno & ileo fieri, unde per pylorum mediante vomitu ventriculum ingredi, ac rejici poteſt, in primis cum membranæ horum inteſtinorum ſint admodum teneræ: neque injuſte Riverius *Cent. I. obſerv.* 45. exiſtimat, ſi vomitus cruenti paroxyſmus ab excretione ſanguinis per alvum inchoetur, vaſa meſaraica apertionem hanc ſuſtinere: cui & id adjiciendum eſſe æquum reor, in enormi vomitu ſanguinis vix ſufficere poſſe cruorem, quem vaſa ventriculi largiuntur, niſi inteſtinorum vaſa ſimul partem quandam ſuppeditent. Ita quoque juxta Cel. Bergerum in *diſſ. de hæmorrhoidibus*, vix quidquam obeſſe video, quo minus pars ſanguinis aliquando ex hepate per ductum cholodochum in duodenum & exinde ad ſtomachum urgeri poſſit, & quidem iis circumſtantiis, quando nempe vel craſſus corruptus ſanguis in ramificationibus hepatis collectus, vaſis eamdem labem affricat, eaque perforat, vel nimis ſeroſus ac minus cohærens poros

vaſorum ſelleorum laxando in ramos ductus biliarii cum bile confluit, & per laudatam viam ad duodenum amandatur.

THESIS VII.

Ad periodicum vomitum cruentum explicandum cauſæ mechanicæ ſufficiunt.

PEr cauſas mechanicas illas intelligo, quæ fundamentum ſuum in contextu illo ſolidorum & fluidorum, ex quibus corpus noſtrum coaluit, & in motu ſuo conſervatur, mutuantur: quamdiu enim hic ordo ſtructuræ microcoſmicæ viget, nullus noſtram machinam affligit morbus; ſimulac vero hic ordo deſtruitur, morborum aperitur ſcena. Vix autem ab ulla alia cauſa magis ille turbatur, quam a motibus ſpaſmodicis, meritoque in illis fundamentum morborum periodicorum quærimus, uti egregie Illuſtr. D. *Præſes Med. rat. P. II.* admonuit; quippe nulla datur morboſa affectio, per intervalla certa repetens, quæ ſine ſpaſmis peragatur. Hi vero vario modo ſuum huc conferunt ſymbolum. Peculiare enim id illis eſt, ut partes, quas ſemel occuparunt, reddant imbecilles: quo vero pars eſt imbecillior, eo facilius iterum vehementiæ illorum ſuccumbit, eoque promtius perverſum motum repetit: nam diſſipata, conſtrictione, agitatione & contorſione fibrarum par ſpaſmos, delibatiſſima humorum lympha, quæ partibus robur conciliat, aliter fieri nequit, quam ut tono ſuo afflictæ partes dejiciantur, quo deinde dejecto, inæqualis non ſolum humoribus inducitur circuitus, ſed quoque in illis partibus fiunt a fluidis congeſtiones ſtagnationes novorumque ſpaſmorum fundamenta. Imo ſpaſmi partibus ſolidis talem acquirere valent habitum, ut poſtea leviſſima accedente cauſa, eos naturæ inimicos motus denuo exerceant; præſertim quum ſpaſmi humores maxime ad infirma ablegare ſoleant loca. Cur autem hi ſpaſmodici motus accuratas temporum periodos ſervent, id cauſæ in certa illa quantitate humorum ſub determinato illo temporis ſpatio collecta, poſitum eſt. Quemadmodum enim certus motus proportionatam cauſam moventem certumque tempus requirit, quo durante certa quantitas humorum ad motum inducendum potens colligi debet: ſic non video quid obſtet, vomitum cruentum periodicum, proportionata ſanguinis quantitate intra periodum iſtam collecta, & ad novos ſpaſmodicos motus inducendos valida, denuo ſuboriri. Sufficit vero quantitas perexigua; quia partibus ſolidis per ſpaſmorum atrociam talis labes, atoniam puto, inducta eſt, ut ſanguine qualitercunque reparato, ille ad hæc loca debito robore deſtituta majori in copia ruat, ibique congeſtus vaſa ultra diametrum ſuam conſuetam diſtendat, & priſtina orificia, per quæ una vel altera vice exitum invenit, reſerat. Jam autem fere ſemper in affectu hoc periodico ſuppreſſæ excretiones ſolennes, inprimis quæ per uterum & ani vaſa fiunt, indeque major, quam corpus commode fert, producta ſanguinis quantitas, cauſam largiuntur, ita ut fœminis fluxu ſuo ſalutari deſtitutis, inſuper plethoricis lautaque diæta utentibus, ſtato illo tempore, quo menſtruæ purgationes erumpunt, accidat, harumque vices ſuppleat. Imo animadvertimus, menſtruo vel hæmorrhoidum fluxu reſtituto, ſponte ſua hunc vomitum evaneſcere, ut teſtantur *M. N. C. D. I. ann. I. obſ. 95.* manifeſto indicio ſuperfluam ſanguinis copiam, nunc per congrua loca eliminatam, ſpaſmis vomituque cruento anſam præbuiſſe.

THESIS VIII.

Quod propter connexionem vaſorum uteri cum vena portæ oriatur a menſibus ſuppreſſis vomitio cruenta, haud admitti poteſt.

AD hanc formandam theſin occaſionem mihi ſuppeditavit Clar. CHRIST. WEISBACH *in cura omnium morborum c. p. de Vom. cruento*, qui ob conſtitutionem venæ portæ ejuſque communicationem cum venis uteri, originem ac cauſam vomitus ſanguinis a menſibus ſuppreſſis detegere contendit; ita ut quando ſanguini per uterum exitus denegatus, ille in venam portæ copioſius confluat, ſtagnet, & per hepar non promte percoletur, unde ſpaſmi in abdomine oborirentur, qui tandem ſanguinem venæ portæ in vaſa brevia ventriculi urgendo ac reprimendo, vomitum cruentum producerent. Cui deductioni reſpondeo: ex ſuperius dictis, quibus aſſerui ſanguinem arterioſum in hæmorrhagiis mitti, jam pateſcere, venoſum exſulare debere, proindeque, hanc de vena portæ cum uteri venis connexione ſententiam ſuo deſtitui ſolido fundamento: attamen quum & aliæ rationes ſuppetant, hanc allatam connexionem vaſorum evertentes, eas ex anatomica partium diſquiſitione deſumtas afferre decet. Sanguis enim ex utero refluus per ſpermaticas & hypogaſtricas venas in cavam effunditur, non vero in venam portæ: recenſentur quoque hæmorrhoidales venæ, quarum externa ſimiliter in cavam terminatur mediante hypogaſtrica: interna vero, quæ ſanguinem ex craſſis inteſtinis, veſica & vagina uteri revehit, ad venam portæ properat: communicant etiam juxta Cel. SALZMANNUM *in diſſ. de vena portæ*, hæ venæ hæmorrhoidales inter ſe, ſed ex ipſo utero provenientes ramulus, qui cum hæmorrhoidali interna & per hanc cum vena portæ communicatione gaudeat merito poſtulatur, eumque nondum ulla Anatomicorum detexit ſolertia. Concedamus inſuper adeſſe ob arctum inteſtini recti cum veſica & utero nexum tales ſurculos, quia venarum luſus in corpore humano magnus eſt, quam, quæſo, & quantam ejuſmodi exiguæ venulæ ſanguinis copiam revehere valebunt, quæ tantas turbas in machina corporis excitare poſſit. Ut jam de refluxu ſanguinis lienaris per hæmorrhoidalem, indeque producto lienis infarctu, taceam, quem fictitium eſſe, legibuſque hydraulicis reclamare Clar. NICOLAI *in Diatribe de vaſorum directione* candide detexit. Quare aliam certe latere cauſam vomitus cruenti, a menſibus ſuppreſſis ſuſtentati, concludimus, quæ utique quærenda venit non in vaſorum communicatione, ſed nervorum conſenſu, iiſque rebus, quæ nervoſas partes morboſe afficiunt; inter quas præcipue recenſenda ſunt, plenitudo vaſorum totius corporis a copia ſanguinis ex cohibita menſium excretione ingenita, indeque orti ſpaſmi, quibus omnia corporis noſtri vaſa expoſita ſunt, & unde etiam alias ſanguinis excretiones ex eadem cauſa ſtrui ſæpius experimur. Hunc commemoratum conſenſum nervorum, indeque ductam rationem anatome docet. Ita uterus & adjacentes partes communes ſuos nervos partim ex nervo ſacro, partim ex intercoſtali, ejuſque inprimis inferiori plexu meſenterico accipiunt. Cumque nervus intercoſtalis permultis in locis cum pari octavo, vago dicto, in collo, thorace & abdomine plexus formet; hæ vero ad uterum abeuntes nervorum propagines arctiſſime cum intercoſtali cohæreant, imo ab eo ipſum ortum trahant, luculenter patet, ob ſpaſticas ſtricturas his nervis inductas varias commotiones in ſyſtemate vaſorum produci poſ-

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY SCHOOL OF MEDICINE Founded 1813

ſe, monſtrante paſſione hyſterica, maloque hypochondriaco.

THESIS IX.

Neceſſe eſt ut Medicus accurate perluſtret materiam in vomitu cruento rejectam.

UTi formatum prudenter judicium de futuro morbi decurſu & eventu, Medici famam maxime auget & promovet: ita per temerariam minuſque conſiderate prolatam prognoſin non ſolum ſe, ſed & totam artem ſalutarem dat turpiter. Proinde Medicus inter alia ſaluberrima monita & hoc caute cuſtodiat, ne uno vel altero ſigno obiter tantùm conſiderato ſe decipi patiatur, morbumque toto cœlo ab alio diſtinctum falſo pro eodem venditet. Accidit idem quandoque in vomitu cruento, juvatque ſequentia hic inſerere ad probandam theſin exempla, ubi Medici in judicio ex materia vomitu excluſa ferendo valde hallucinati ſunt. Ita Illuſtr. D. PRÆSES *in Med. Conſult. T. II. p.* 81. conſignavit caſum ægri inflatione ventriculi & duodeni hypochondriaco ſpaſmodica excruciati, qui interdum per eructationem materiam nigricantis & brunni coloris ejecit, quam Medicorum alii pro nigra & corrupta bile, alii pro vomitu cruento, nonnulli pro vomitu critico hæmorrhoidali venditarunt. Sed inſtituto ab Illuſtri viro hujus eliminati magmatis accuratiori ſcrutinio, nil ſanguinis in gremio ſuo fovere, ſed potum ſuccoladæ originem huic materiæ dediſſe clare demonſtravit. FEL. PLATERUS *Lib. III. obſ. p.*783. vomitionem ſanguinis annotavit, ubi ſuſpicio fuit lienis vel hepatis portionem ſimul redditam fuiſſe, quæ tamen pulpa ficuum, perluſtratione & examine docente fuit. Convenit igitur hanc vomitu depletam ſarcinam examinare, & an certo ſanguis ſubſit, expiſcari, ſi aquæ injiciatur, illaque colorem inde mutuetur rubicundum, ſeu, quod adhuc certius eſt, materia illa prius evaporata, carbonibus vivis admoveatur, ubi ſub combuſtione ſanguis fœtido ſuo ſalis volatilis odore ſe prodet: quibus facile alia ſcrutandi experimenta adjici poſſunt, addendo & miſcendo cum variis aliis rebus.

THESIS X.

Fœminis familiarior eſt quam viris: hiſque magis exitialis quam illis: infantes rariſſime infeſtat, ſed frequenter adultos.

CUm fere impoſſibile ſit, ob ingentem individuorum & circumſtantiarum variationem certis regulis omnem vomitus cruenti prognoſin comprehendere, hanc ex ea generalem & quotidiana experientia comprobatam theſin proponere, & maxime in rationes ejus inquirere ſatis videtur. Quæſtio itaque erit, cur fœminis obſervetur hæc affectio familiarior quam viris? Sed ſcire proderit, eam ſtructuræ & habitus corporis partium, quibus ſequior ſexus gaudet, eſſe rationem, ut ſpongioſi, laxi, exilioribus vaſis inſtructi, ſubtilis ac imbecillioris ut plurimum ſint corporis, ideoque variis ægritudinibus exponantur. Tardior enim inde ſanguinis peridromus peragitur, langueſcit, major ejus copia, quam ferre valent, in iis generatur, ex qua humorum abundantia, niſi per uterum evacuetur, hæmorrhagiis aperitur porta. Porro rationem hujus quæſtionis ſuppeditat naturalis illa menſtrua evacuatio fœminis ſolummodo competens, in cujus congrua excretione valetudo feminarum proſpera maxime verſatur, unde ea non rite ſuccedente vel plane cohibita, inſigne in hunc elegantiorem ſexum redundat damnum: non ſolum enim humores plus juſto colliguntur, ſed quoque ubertim aggravati, motus ſollicitant, congeſtioneſque ad alia loca inducunt, ſpaſmiſque lenocinantur. Deinde quoque ratio aſſerti noſtri deſumenda venit, ex majori illa generis nervoſi ob teneritudinem, flexibilitatem majorem & ad citatiorem motum aptitudinem, in ſexu ſequiori ad ſpaſmos motuſque inordinatos præ viris propenſione, unde ad animi commotiones ſpaſticaſque ſtricturas ſubeundas valde obſervantur proclives, quarum ſane maxima vis eſt in pervertendo motu ſolidorum ac fluidorum: imo ob imbecille hoc nervoſarum partium genus corporiſque compagem vires motuſque quodammodo deficiunt, excretiones labaſcunt, ſuccique accumulantur. Conſiſtit vero ſanitas mortalium maxime in æquabili & liberiori ſanguinis periodo & vacuationibus debite ſuccedentibus; hæc autem a prædictis aliiſque cauſis in fœminis facile perverti poſſunt, quare non mirandum illis noſtrum quoque affectum familiariorem eſſe viris. Nunc ad alterum deſcendo theſeos noſtræ membrum examinandum, cur nempe viris magis exitialis ſit vomitus cruentus quam fœminis? Et ſimiliter ex ſtructura corporis maximeque ſolidarum partium rationem deſumo. Viri enim ut plurimum firmo, robuſto, fibris ſolidis ac compactis, magis renitentibus prædito corpore fruuntur, unde hoc morbo afflictos neceſſe eſt ut cauſa longe gravior urgeat, & ſpaſmi quoque hæmorrhagiarum ſoboles vehementiori cum impetu aggrediantur, quia fibrarum major adeſt durities & ſoliditas: quo fortior autem cauſa, nimirum intenſior ſpaſmus vexat, eo majus periculum & vehementiam alit, eo profundior inſequitur labes, imbecillitas, compreſſio ſanguinis ad locum affectum, viriumque reſolutio: & hic ſpaſmus ſemel fibris motricibus communicatus, non tam cito eas deſerit, ſed diu talem infeſtum motum continuando, plerumque cum ipſo vitæ exitu terminatur, lethali ſphacelatione & νεκρώσει in ventriculo relicta, vel ſi aliquando remittat, vix ſenſibili tamen admiſſa cauſa, eodem, atque ob fibrarum tonum reſolutum, etiam vehementiori inſultu recrudeſcit mortemque accelerat. Quibus adhuc addendum eſt, quod ſexus nobilior non tantam ſanguinis copiam quam elegantior gignat, proindeque magnam ejus jacturam non ſine damno experiatur: ſique abundantiam quamdam humorum foveat, nec per hæmorrhoides, quibus quantitas ſanguinis ſalutariter evacuari ſolet, exitum inveniat, certe major inde labes ob habitum ſtrictiorem in eos redundat, quam in fœminas ſpongioſa carne onuſtas. Ultima denique theſeos noſtræ verba expoſtulant rationem quare infantes rariſſime, adultos vero frequenter vomitus cruentus adfligat? Quam meo quidem judicio ab ætate rectiſſime peti exiſtimo, hujus ſiquidem magna efficacia eſt in morbis invitandis: quare certis ætatum periodis certos morbos accidere, & proprios infantili ætati morbos maxime caput affligere animadvertimus, cujus fundamentum in diſpoſitione ſolidarum partium ad motum & ad humores in motum redactos & adductos recipiendo non injuſte quærimus. Infantum enim fibræ flaccidæ ac debito robore adhuc deſtitutæ ſunt, unde languidus cordis ſolidorumque motus, qui ad vomitum cruentum inducendum minus eſt idoneus, quamquam ſanguinis aliorumque humorum in iis conſpicua habeatur abundantia, quæ tamen eo ætatis luſtro ad dilatandam & augendam partium ſolidarum ſubſtantiam commode impertitur: hinc deficiente plenitudine humorum, ceſſat primaria vomitus cruenti cauſa, in adultis vero elater fibrarum eſt major, cordis motus

tus & arteriarum longe validior, ob augmentum corporis tunc ætatis maxima ex parte abſolutum largior ſanguinis productio, & in fœminis quoque menſium negotium accedit, proindeque hujus ætatis ſubjecta hæmorrhagiis vomituique cruento magis expoſita ſunt atque ſuccumbunt.

THESIS XI.

Venæ ſectio in vomitu cruento raro omittenda eſt.

Opportunus hic locus eſt, quamdam noſtri morbi inſerendi curationem, quæ pro diverſis cauſarum fundamentis temporiſque ratione diverſimode quoque debet inſtitui. Hinc durante paroxyſmo, ea quæ ſanguinis redundantiam minuunt, orgaſmum ejus ſedant, affluxum a parte ſuccumbente divertunt, ſpaſmorumque vim mitigant, requiruntur, ut venæ-ſectio, pediluvia temperata, inprimis clyſmata emollientia, & ex remediorum fonte nitroſa, præcipitantia & antiſpaſmodica ex duris animantium partibus parata, ut ſunt: ungula alcis, dens equi marini, cornu cervi ſine igne paratum & ejus generis plura. Neceſſe quoque eſt, urgente vomitu, periculumque virium vitæque minante ad roborantia tonica, leniſſima adſtringentia & anodyna deſcendere, ut ſunt: coralia rubra, terra ſigillata, bolus armena, cornu cervi uſtum præparatum, cortex & extractum caſcarillæ, ſpecies de hyacintho, maſſa pilularum de cynogloſſa, de ſtyrace, temperatæ tincturæ martis, & alia ejuſdem virtutis: quibus externa commode adduntur, ut emplaſtra ſtomachica, cataplaſmata ex aromatibus herbiſque fragrantibus in vino decoctis confecta. Sedata quadantenus hiſce remediis ſanguinis eructatione, animus curantis ad ſanguinem in grumos concretum, & in primis viis quieſcentem diſſolvendum, & per inferiora educendum dirigatur, cujus præſentiam faciei color luridus, debilitas pulſus, ſtomachi inflatio produnt, & huic ſcopo egregie reſpondebunt clyſmata & ex rhabarbaro deprompta. Poſt paroxyſmum vero morbi cauſas ſedulo Medicus inveſtiget, circulum ſanguinis in ordinem redigat, evacuationes ſolennes cohibitas reſtituat, & quantum fieri poteſt radices morbi ulterioremque mali proventum præſcindat. Omnium vero harum cauſarum medendi viam præmonſtrare non mearum eſt virium, ſed exercitatioribus relinquo practicis, quorum ſcripta evolvi queunt: attamen ne ſtatim filum orationis de curatione abrumpam, in hac & ſequenti theſi quædam ad curam pertinentia, ſpecialius ſcrutabimur, quorum agmen ducat venæ-ſectio, quæ merito inter generoſa maximam & nocendi & juvandi efficaciam poſſidentia refertur remedia, proindeque omni qua poteſt fieri circumſpectione a Medico ſuadenda. Neutiquam autem mihi mens eſt ut contendam, venæſectionem unicuique ſubjecto omnique morbi ſtatui adminiſtrari oportere, ſed cum pleraſque in tollendo vomitu cruento reſpiciat, imo fere abſolvat indicationes, eam & proficuam & raro intermittendam eſſe pronuntiamus. Primo enim abundantiam ſanguinis, multorum morborum & inprimis vomitus cruenti fœcundam matrem, minuit. 2) Ex hac copia ſanguinis provenientem vaſorum ſuperonerationem, innatæque eorum contractionis deſtructionem, prohibet, ſicque debilitato tono vaſorum ſuccurrit; detracto enim onere, quod vaſa antea ultra ſuam diametrum diſtenderat, vires ſuas priſtinas colligunt, movendaque fluida commode propellere valent. 3) Exercitio contractionis extenſorum antea vaſorum reſtituto, æqualem ac debitum ſanguinis progreſſum reſtituit, pulſu nempe reddito fortiori ac celeriori: hinc quoque ſtaſes a nimia copia generatas præoccupat, & præſentes, ſanguinis affluxu vigente, reſolvit ac diſcutit. 4) Ceſſantes in locis conſuetis naturales hæmorrhagias, ex quibus, teſte experientia ſæpiſſime vomitus cruentus reſultat, ad debita & congrua ſua loca invitat: ita ut ſi a menſibus ſuppreſſis ille inducatur, fere ſemper maximo cum fructu, ſanguinis miſſio in pede ſuſcipiatur: quorſum etiam omiſſæ artificiales ſanguinis evacuationes pertinent. 5) Sanguinem ad ventriculum ruentem & decumbentem derivat ac revellit, periculumque imminens avertit: nam inſtituta ſanguinis miſſione derivatoria ac revulſoria, ut vocantur in ſcholis, quæque in remotis fieri debent partibus, ſanguis ad venam arte apertam magis fertur, quantum nempe circulationis lex ac vaſorum communio ſituſque permittunt, & quatenus ſanguinem hac ratione a parte morboſa avocat, efficit, ut per arteriarum canales ingreſſuro fluido viæ pateant, & per venarum ductus impedite refluat, ſublata quæ inepta erat copia. 6) Immoderatum nimium ac ulteriorem ſanguinis ad ventriculum affluxum compeſcit, intercipit & prohibet. Et denique, ne nimis longus ſim, 7) craſin ipſius quoque ſanguinis emendat, dummodo ſpiſſos & lenteſcentes ex tardiori circulatione humores, a quibus ſe- & excretionum liber ſucceſſus impediebatur, & ad effuſiones eorum remote pabulum ſubminiſtrabatur, fluidiores reddit, reſtituendo ſanguini per auctum tonum vaſorum promptioremque in orbem agitationem, particularum diſcontinuationem. Tanti itaque fructus ex detracto nimio ſanguine obſervantur, patetque ex hac recenſione, non ſolum quo caſu in hoc noſtro affectu ſanguinis miſſio locum inveniat, ſed quoque eam præſervandi & quodammodo tollendi gratia, non facile negligendam eſſe, quum nullum hactenus ſuppetat in arte ſalutari remedii genus, quod tam multis explendis indicationibus ſimul & ſemel inſerviat. Reſtant vero adhuc circa ejus adminiſtrationem quædam monenda, & primo convenit eam intactam relinquere, ubi vires non ſuppetunt, & hoc generoſo remedio ferendo impares ſunt, aut alia obſtacula, quorſum animi deliquia referimus, eam prohibent, ne mortem exhauſto vitæ theſauro, acceleremus. Secundo quantitatem emittendi ſanguinis, venæ-ſectioniſque pro cauſa urgente repetitionem, ex magnitudine plethoræ, cauſarum ratione, morbi impetu viriumque robore eſſe menſurandam. Tertio venæ-ſectionis uſum neceſſario continuandum eſſe, præſertim præſervandi ſcopo circa æquinoctia, ne malum repullulet, idque eo magis tenendum cenſeo in plethoricis otioſis plenamque diætam ſectantibus.

THESIS XII.

In vomitu cruento laborantibus cavendum ab adſtringentibus, copioſis liquidis, exagitantibus medicamentis, & victu incongruo.

Refero ad adſtringentium claſſem ſtyptica, vitriolata, martialia, ſaturnina & aliquo etiam modo actu frigida, quibus magna ineſt efficacia ſiſtendarum hæmorrhagiarum, utut modus operandi eorum plane ſit ſingularis ac admirandus, ita ut promtiſſime in diſſitas partes corporis effectum edere, & ratione hæmorrhagiarum, mollientes adjuvare, & fluentes cohibere obſerventur. Videtur veri tamen ſimillimum, ea in vomitu cruento coercendo agere partim fluida coagulando & inſpiſſando, fibras & vaſcula criſpando poroſque contrahendo, & conſtrictis illis ulteriorem ſanguinis eruptionem interci-

intercipiendo. Notari autem oportet, nil ſanitati magis inimicum eſſe, quam paulo majores ſanguinis per vomitum cruentum profuſiones ſtatim validis adſtringentibus aggredi, nec opus eſt ulla probatione, quum multa loquantur exempla. Succedunt enim proxime anxietates, cardialgiæ ſyncopticæ, atroces circa hypochondria ſpaſmi, indeque enatæ ſtaſes vel ſeri vel ſanguinis inflammatoriæ in ventriculo partibuſque adjacentibus, obſtructiones, cachexia, hydrops, viſcerum corruptiones, morbi chronici, periculoſæ aliis in partibus eruptiones, & innumera alia pathemata. Cum vero rarius ſubitaneum vitæ periculum ejuſmodi ſpontaneas hæmorrhagias ſubſequatur, longo autem frequentius adſtringentium abuſu funeſta & longa invaletudo remaneat, minus cauſæ eſt, extemplo ad ancipitem hunc ſiſtendi modum feſtinare. Siquidem ejuſmodi vomitus cruentus vel a ſanguinis nimia copia provenit, vel ab internarum partium ſpaſmo variis ex cauſis inducitur, utique ingens damnum emerget, ſi fluxus hic ſubito compeſcatur: ſi enim ex ſanguinis copia producatur, ſalutaris eſt; ſi in motibus perverſis ſpaſticis fundamenta habet, illi adſtringentibus non mitigantur, ſed potius cum ipſis augentur eruptionibus: numquam autem, quod maximum eſt, cauſa morbi eradicatur. Proinde in uſu horum remediorum Medicus inprimis ſit providus, temporaque morbi bene diſtinguat, & ad quem gradum in oblatione illorum progredi liceat. Interdum enim ſumma neceſſitas adſtringentium opem exigit, ſanguine nimirum impetuoſe per vomitum cum manifeſta virium jactura, & ſubſecuturo inevitabili vitæ exitu effuſo. Sed cautela eſto, ut a leniſſimis incipiamus, & prius ſpaſmis leniendis ac coercendis, abundantiæ ſanguinis deplendæ, & impetum humorum ad congrua loca divertendo, omnem admoveamus manum. Porro quoque vomitu cruento detentus copioſum liquidum vitet, diximus. Neutiquam vero hic omnem potum excludimus, ſed tantum copioſum, qui ad ſanguinis jacturam reſarciendam primo intuitu proficuus eſſe videtur. Potus enim roborans, tepidus, convenienti doſi hauſtus, nunquam prohibendus: in nimia copia vero ingurgitatus, inprimis decocta, relaxando fibras ventriculi, earum tonum elaterem ac robur imminuunt, digeſtionis vim deſtruunt facileque ad novam ſanguinis proruptionem, vaſis robore deſtitutis, iterum diſponunt: ſanguis etiam per decoctorum abuſum fit nimis fluxilis, liquidus, unde nova extimeſcenda hæmorrhagia. Deinde omnia, quæ ſanguinem exagitant, nervoſaſque partes ad motus præternaturales ſubeundos ſtimulant, in hoc affectu cane pejus ac angue fugienda veniunt, ut ſunt emmenagoga, purgantia, emetica, imo ipſi motus fortiores ac incongrui corporis. Sic nil frequentius eſt, quam ut menſium vitio indeque enata chloroſi laborantibus, menſes pellentia ab improvidis porrigantur; qua tamen imprudenti medicatione ſæpe incompeſcibiles vomitus ſanguinis producti leguntur. Et de emeticis purgantibuſque omnes practici candide monent, quod, qui ſemel vomitum talem paſſus, ex toto iis abſtineat, ne horum uſu remediorum ventriculo & inteſtinis ad vehementes ſpaſmos irritatis, ſanguis priorem perruptionis locum cum certa ægri pernicie, quærat ac inveniat. Calida quoque remedia & motus corporis fortiores, maſſam ſanguinis in motum conjiciendo celeriorem, & ad debiles partes coacervando, anxietates, recidivas excretionum, virium lapſus, animi deliquia, & alia triſtia accerſunt ſymptomata præſertim in ſubjectis labe viſcerum afflictis. Noviſſime, ſicuti victus prava ratio, in omnibus & præcipue in hoc morbo maxime nocet, tormina & ſpaſmos procreando, ventriculum onere gravando motumque ejus augendo, vomitumque hunc invitando: ita diæta exacta, quæ proportionem inter vires victumque obſervat, maximum affert ad curationem hujus morbi pondus, nec facile perfecta ſine ejus circumſpecta obſervatione ſperanda erit valetudo.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA

DE

MORBO NIGRO

HIPPOCRATIS,

Primùm edita Anno 1701.

PRÆFATIO.

QUEMADMODUM ſanguis ſanitatis & vitæ, ita etiam morborum & mortis præcipuum fundamentum & princeps cauſa exiſtit. Sanguinem vitæ theſaurum & genuinum animæ inſtrumentum eſſe, concors omnium tum Philoſophorum tum Medicorum eſt ſententia. Equidem hoc nomine non intelligendus eſt quivis in venis contentus humor, ſed tantum prærogativa & dignitate hac fruitur, qui debita proportione ratione quantitatis, & laudabili ratione qualitatis temperie inſtructus, motu æquabili ac libero in circulum abeunte gaudet. Et taliſmodi jure meritoque nuncupari debet vitalis, quoniam animæ & vitæ functionibus adminiſtrandis exiſtit aptiſſimus. Sicuti autem ſanguis ſecundum naturæ ordinem conſtitutus cauſa ac autor ſanitatis ac proſperæ valetudinis eſt: ita ſi a naturali & ſibi debita temperie quantitate ac motu deflectit, illum præcipuorum, imo graviſſimorum, affectuum originem ac fontem eſſe, pro indubitato habendum. Siquidem nullus ferme exiſtit morbus vehemens, ſive acutus, ſive longus, ubi non ſanguis vel mole, vel mixtione, vel quod palmarium eſt motu perverſo irregulari delinquit. Exemplum hujus aſſertionis luculentiſſimum præter alia plura nobis ſubminiſtrat morbus ſic dictus ab HIPPOCRATE niger, in quo ſanguis corruptus nigricantis picei coloris, tum per ſuperiora tum per inferiora non citra ingens vitæ diſcrimen excernitur. Affectus hic graviter a magno HIPPOCRATE delineatus non raro in praxi occurrit: nihilominus vehementer mirandum eſt apud rerum medicarum ſcriptores parcè admodum ejus mentionem reperiri. Conſtitui igitur ſub benigniſſima divini Numinis gratia & aſſiſtentia perutile hoc in foro medico argumentum paulo exquiſitiori diſcuſſione, quam certè meretur, ventilare.

§. I.

DEſcribit abunde hunc affectum magnus noſter HIPPOCRATES *lib.* 2. *de morbis ſect. V. in fine.* hiſce verbis a *Foeſio* ſic ex Græco in latinum tranſlatis: *Bilem atram tanquam fecem vomit, interdum quidem velut ſanguinem, interdum vero velut vinum ſecundarium, quandoque etiam velut polypi atramentum, quandoque acidum tanquam acetum, nonnunquam vero ſalivam & pituitam tenuem, nonnunquam bilem ex viridi pallidam. Et cum nigrum quidem cruentum vomuerit, cadem olere videtur, fauces & os ex vomitu incenduntur, dentes obſtupeſcunt, & quod vomitione rejectum eſt terram attollit, cumque vomuerit paulo melius habere videtur, neque ſine cibo eſſe, neque copioſiorem cibum ingeſtum ferre poteſt. Verum cum jejunus fuerit, viſcera ſtrepitum edunt, & ſaliva aceſſit. Ubi vero cibum ſumſit, pondus in viſceribus percipitur, pectus & dorſum tanquam ſtylis pungi videntur, latera dolor detinet, febris levis eſt, caput dolet, oculis non videt, crura gravantur, color nigricat & imminuitur. Huic medicamentum purgans crebro propinato, & ſerum & lac, ſi anni tempus ferat, & cibis abſtineat dulcibus, oleoſis & pinguibus, utaturque quam maximè frigidis, & alvum ſubducentibus, caput purgato, & poſt potiones medicamentorum per ſuperiora purgantium, niſi debilis fuerit, ſanguinem e brachiis detrahito. Quodſi alvus non dejiciat, molli infuſo ſubluito. Crapula & venere abſtineat, ſed ſi Venere utatur jejunus, foveatur, & ſole abſtineat, neque multum exerceatur, neque deambulet, calida non lavet, acria non edat, neque ſalſa. Quæ cum feceris, cum ætate etiam morbus fugit, etiamſi corpus ad ſenectutem comitetur; ſi vero denigretur ad mortem uſque comitatur.*

§. II.

In hoc deſcripto affectu mentio quidem tantum fit vomitionis nigræ, & ipſius ſanguinis vel polypi atramenti naturam & colorem præ ſe ferentis, ſapo-

 ris

ris acidi, dentes ſtupefacientis, terramque attollentis: juncta ſunt inſignis ventriculi imbecillitas, febris levis, laterum dolor, ponderis ſenſus in viſceribus. Cum autem ipſa experientia crebcrrima atteſtante in ſimili affectu non modo per os nigricans picem fluidam referens materia excernatur, ſed & una per inferiora ac alvum tranſeat; hinc non tantum de vomitu, ſed & dejectione nigra, tractationem noſtram ſuſcipiemus. Morbus hic ab antiquis dicitur vomitus melancholicus, item vomitus atræ bilis, ſecalis, qua de re *vid.* FORESTUS *lib.* 18. *obſ.* 17. Quandocunque enim Veteres materiam quandam ſive per os ſive per alvum excretam ab ipſa naturâ nigram perſpiciebant, atram retorridam bilem & humorem melancholicum id vocarunt, & tales dejectiones nigricantes atræ bilis valde funeſtas credebant, atque pronunciabant. Hinc HIPPOCRATES *lib. IV. aphor.* 22. ſcribit: *incipientibus morbis quibuſvis, ſi bilis atra ſurſum deorſumque effluat, funeſtum. Idem eod. lib. aph.* 24. *Dyſenteria, ſi ab atra bile ortum duxerit, funeſta.* Exiſtimarunt nempe Veteres melancholicum quendam ſuccum, nigricantis coloris, cujus ſedes ſit in liene, in multis chronicis morbis peccare; hunc dixerunt bilem atram, retorridam: & quando lienoſi, & qui dolore atque tumore hypochondrii ſiniſtri laborabant, per alvum dejiciebant atri coloris ſaburram, ſibi perſuadebant, eſſe hunc atrabilarium & melancholicum humorem. Et quoniam periculum talem excretionem poſt ſe trahere experientia addocebat, ob id funeſtas tales excretiones judicabant. At vero pro noſtra ſententia, Veterum atra bilis, ubicunque de illâ mentionem faciunt, neutiquam bilis eſt talem colorem & naturam ſuſcipiens, ſed potius ipſe ſanguis craſſus, feculentus, ſive ex mora & ſtagnatione diuturna, intra ſubſtantiam lienis vel vaſa meſenterii; ſive ex miſcela acidi in ventriculo hærentis, atrum taliſmodi piceumque colorem induat. Primo enim ſæpius incredibilem quantitatem per plures dies nigricantis talismodi materiæ effundi ſive per os ſive per alvum pro certo habendum, qualem vero quantitatem neque bilis in cyſtide fellea, neque humor pro illorum hypotheſi in liene ſtabulans nequaquam conſtituit. Deinceps ipſe HIPPOCRATES non obſcurè innuit, per bilem atram ſanguinem craſſum & feculentum intelligendum eſſe, ſiquidem l. c. mox in principio addit: ægros vomere bilem atram tanquam fecem, interdum velut ſanguinem, interdum vero velut vinum ſecundarium, quandoque etiam velut polypi, qui piſcis eſt, atramentum, quod eſt ſanguis nigricans. Et deinde rurſus *aph.* 23. *lib. IV.* pronunciat: *bilem atram aut tale quippiam, quod feculenti ſanguinis ſpeciem referat, efferens morbo acuto laborantibus lethalem effectum poſt ſe trahere.* Equidem non poſſum hic ſilentio præterire, bilem in veſicula hepatica contentam tingi quandoque colore aterrimo; tale quid ante aliquot annos vidi in generoſo juvene de *Lockowin* variolis defuncto & diſſecto, ubi cyſtis fellea, quæ firmiter in ingreſſu ad duodenum conſtricta & clauſa erat, nigerrima apparebat, quem colorem adhuc exſiccata & a me ſervata retinet, & repleta ac tota infarcta erat ſucco craſſo nigerrimo inſtar picis. An hic color ex diuturna ſtagnatione vel ex commixtione alterius ſucci aut ſanguinis extravaſati ortus fuerit, ſpeculationi curioſorum relinquo. Nihilominus tale quid rariſſimè contingere & noſtram affectus cauſam exinde non poſſe derivari, plura adhuc ſunt, quæ me avocant, quo minus in hanc ſententiam quem deſcendere.

§. III.

Materiam itaque hanc tetri atri coloris, quæ partim per alvum, partim per os foras ejicitur, nihil aliud eſſe, quam ſanguinem feculentem corruptum, & ob ſtagnationem diuturnam, vel ob admixtionem acidi in ventriculi ſinu & inteſtinorum cavitate, aterrimum factum jure cenſendum eſt. Hic vero partim per vaſa ventriculi & quidem brevia, partim per meſaraica & inteſtinalia nimis diſtenta & tandem diſrupta in ſinum ventriculi & inteſtinorum præter naturam effunditur, & per has vias poſtea irritatione facta ejicitur. Naſcitur vero, ut opinor, corrupta hæc atra materia ex ſtagnatione & impedito motu ſanguinis in ramificationibus venæ portæ, dum per omnia ferme abdominis viſcera maximeque hepar & lienem tardiſſime progreditur & circulatur, unde vaſa ſanguinea ſanguine ex diuturna mora corrupto replentur, infarciuntur, & ob id mille malorum, ſpaſmodicarum compreſſionum, dolorum tenſivorum gravativorum, flatulentiarum, aliarumque graviſſimam læſionum occaſionem præberi, merito exiſtimandum eſt.

§. IV.

Affectus itaque noſter non facile alia ſubjecta, quam quæ morbo laborant hypochondriaco infeſtat atque exercet, unde ſi evolvimus hinc inde diſperſas & annotatas dejectionum nigrarum obſervationes, clariſſime deprehendimus ea ſubjecta hoc ipſo affectu fuiſſe correpta, quæ temperamento fuerunt melancholico ſeroſiori, aut ſanguineo melancholio nec non illi qui dolorem gravativum ac æſtum in hypochondriis præſertim ſiniſtro illorumque inflationem, anguſtiam, difficilem reſpirationem alvique obſtructionem vehementer conqueſti ſunt, quæ deinde ſymptomata vomitus & ſedes ſanguinis fœtentes nigricantes conſequuntur. Luculenter hujus aſſertionis argumentum ipſe HIPPOCRATES confirmare videtur, quoniam in morbo, quem deſcribit, nigro, ægrotantes humorem ſapore acidum corroſivum dentes ſtupefacientem & terram attollentem, nec non bilem ex pallido viridem una ejicere affirmat. Jam autem non major quantitas acidi exceſſivi puri non facile in ullo ſubjecto, quam in hypochondriaco reperitur, ſicuti id vomitus viridiſſimi ex acidi & bilis miſcela orti & feces acerrimæ rectum quandoque exedentes inteſtinum abunde teſtantur. Et ob id martialia, & quæcunque acidum deſtruendi ſingulari facultate gaudent, ad hypochondriaca tollenda pathemata omnium Medicorum conſenſu ſunt præſentiſſima. Mittimus perpetuas iſtas roſiones, morſicationes, tormina, quibus indies cruciantur & vexantur, quæ a nulla alia cauſa, quam ſale acido, proficiſci vero videtur ſimillimum. Nolumus hic ſuſius diſquirere & ab inſtituti quoque noſtri ratione alienum eſt, unde & quâ de cauſa tanta acidi copia in hypochondriacis corporibus progeneretur. Breviſſimis tamen docemus ac inculcamus ob defectum motus inteſtini, qui in ſanguine viget, & ſalium volatilium parens eſt, in hypochondriacis lympham magnam aciditatem, ad quam ſemper inclinat, ſuſcipere, quæ a ſtagnatione mirum augetur & intenditur. Sed ut ad inſtitutum redeamus, ipſa experientia abunde comprobat noſtro morbo maxime hypochondriacos affici. Audiamus SOLENANDRUM egregium obſervationum medicarum ſcriptorem qui *conſ.* 7. *ſect.* 2. *p.* 121. ait: *Obſervavimus, hypochondriacos aliquot quibus iſtæ corporis regiones & potiſſimum ſiniſtrum hypochondrium multo nigro ſucco, tanquam atro jure diſtentæ repletæque erant.* *Novi-*

Novimus quibus ſimilis ex iis locis humor, ſupra infraque abſceſſit, quod licet cum periculo conjunctum eſſet, tamen evaſiſſe plures ſcio, & honeſto Viro Johanni Philippo Sleidano Fratri bis illud intra annum accidiſſe memini, & ante menſem honeſta & nobilis Matrona de Lutterdorff iſtius atri ſucci, & quod mirum eſt fere inſipidi, ex dextro hypochondrio ad libras ſex vel ſeptem vomitu rejecit & hi plerumque aſcite moriuntur.

§. V.

Teſtantur etiam obſervationes anatomicæ originem hujus mali quærendam maxime omnium in liene, cujus ſubſtantia mirum in modum vel corrupta aut putrefacta, aut ad minimum tumida ſanguine copioſo infarcta deprehenſa fuit; ex hoc viſcere vero ater hic corruptus cruor per vaſa brevia ſtomacho infuſus paſſim legitur. Affert Riolanus *Anthropologia libr.* 2. *fol.* 114. *cap.* 17. in lienoſis à vaſe brevi, ſæpiſſime copioſas immodicas ſanguinis ſusque deque ejectiones emanare ſe vidiſſe & in Nobili quodam Senatore, qui rejectione ſanguinis per ſuperiora & inferiora de liene prodeuntis interierat, deprehendiſſe vas breve, minimo digito latum & in ventriculo adapertum. Idem teſtatur Realdus Columbus *rerum anatomicarum lib.* 15. *pag.* 492. de Cardinali Cibo, qui ſanguinis vomitu & dejectione nigra nigrâ obierat. In ejus autem cadavere diſſecto præſente *Antonio Muſa Braſſavolo* reperta eſt vena è liene prodiens ſupra modum tumefacta, nec non ex eadem non tantum in ventriculum ſed & inteſtina ejectus ſanguis. Idem etiam confirmat Wedelius *in Phyſiologia reformata* de gravida muliere vomitu cruento mortua, in qua vas breve apertum & valde tumefactum inventum fuit.

§. VI.

Lienem autem præcipuum morbi nigri eſſe ſubjectum patet identidem ex inſpectionibus cadaverum hoc affectu demortuorum, ita teſte Felice Platero *libr.* 2. *obſerv. pag.* 469. lien in hujuſmodi cadaveribus inſtar coagulatæ ſanguinis maſſæ apparuit absque ulla ſubſtantiæ ſoliditate. *Et* Theophilus Bonetus *Medic. Sept. lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 4. vocatum ſe ait ad ſenatorem ſexagenarium, qui per os ejecit humorem nigredine cum atramento certantem, & ſingulis poſtea hebdomadis redibat affectus. Cadavere aperto vitium lienis deprehenſum fuit, qui ſumma parte carcinomate exeſus, intus & extra nigricans erat, in ventriculum ſarcina ſe exonerans.

§. VII.

At vero non exiſtimandum eſt a liene ad ventriculum per vaſa iſta tantum brevia ſanguinem hunc ferri, ſed quoniam vaſa hæc per mutuas anaſtomoſes cum vaſis ventriculi gaſtricis & epiploicis communicant, utpote flatus & liquores in vas breve immiſſos in ipſa aſcendere vaſa gaſtrica certiſſimum eſt experimentum: hinc concludere perfacile eſt etiam alia ventriculi vaſa ejus orificiis apertis ſanguinem ſtagnatione corruptum poſſe in ventriculum effundere. Et quum vaſa omnia venoſa, quæ ad ventriculum, pancreas, lienem, hepar, omentum, meſenterium abeunt ac tranſeunt, nil niſi ramificationes ſint venæ portæ, in cujus truncum etiam ipſum ſanguinem hepati inferendum ex dictis partibus reducunt, liquido conſtat, ſi ſanguinis motus per hæc viſcera intercipitur, ipſum ſtagnantem non modo per vaſa ventriculi, ſed & per inteſtinorum cavitatem poſſe effundi. Non videtur enim credibile eſſe, quod dejectio illa per alvum piceæ materiæ copioſæ tantum proveniat ex ventriculo. Confirmatur autem in hac ſententia Dn. Præſes, quod infantem unius menſis vidit nigerrimas rejectiones habentem & ex hiſce etiam mortuum, in cujus aperto cadavere, non in ventriculo tantum, ſed in inteſtino ileo & colo materia taliſmodi nigra fuit reperta, vaſis ad hæc inteſtina abeuntibus ſimilis coloris materia repletis, quum in reliqui corporis venis ac arteriis nihil fere ſanguinis inveniretur.

§. VIII.

Sæpiſſime hoc malo affecti conqueruntur de atrociſſimis colicis doloribus, ubi probabile eſt, ſanguinem tunc ſtagnare circa inteſtinum colon & poſtea per ejus vaſa ejici. Nam compertum habemus experientia, quod illi hypochondriaci, quibus hæmorrhoidalis fluxus conſuetus ſupprimitur, horrenda colica ſpaſmodica non raro vexentur, non aliâ de cauſâ quam quod ſanguis ille feculentus & ſtagnans atque ex morâ acris factus, ſenſibiliſſimas inteſtini hujus tunicas ad ſpaſmodicas contractiones ſtimulet atque invitet. Retulit mihi honoratiſſimus Dn. Parens defunctum nuper Conſiliarium Bambergenſem ex graviſſimis doloribus colicis a meſenterii & inteſtini coli ſphacelatione ortis: & ipſe æger ante anni ſpatium non ſine magno vitæ diſcrimine continuis animi deliquiis junctis hoc morbo periclitabatur, & primo quidem ſanguinem ichoroſum, ſubſequentibus diebus ingentem copiam materiæ atramento haud abſimilem per vomitum, tandem per alvum quoque ſimilem dejecit.

§. IX.

Affectus itaque noſter valde eſt familiaris iſtis hypochondriacis, qui hæmorrhoidali fluxui adſueti ſunt, & poſtea hic ipſe variis de cauſis ſupprimitur vel imminuitur. Agnoſcit nempe ſanguinis per hæmorrhoides excretio idem principium eaſdemque cauſas quam noſter affectus, nempe ſanguinis motum per viſcera abdominis, præſertim meſenterium, lienem & hepar impeditum. In univerſum illud obſervari meretur, excretionem nullam ſanguinis facile fieri ex interno principio ſi liberè & æqualiter per partes ſolidas ac tubulos ſanguis fluidus movetur ac circulatur; ſimulac autem in notabili quodam viſcere per venas ejus motus propter compreſſionem ſpaſmodicam, ſive propter ſcirrheſcentiam, infarctum, impeditur, mox vigore legum hydraulicarum ad alia aperta vaſa impetu vergente ſanguis per hæc nimium diſtenta & aperta ejicitur. Quum itaque hypochondriacos viſcera ſcirrhoſa vel infarcta poſſidere, nec non horrendis ſpaſmodicis conſtrictionibus & compreſſionibus circa abdominis viſcera torqueri pro indubitato aſſerendum ſit, hinc manifeſto liber motus ſanguinis progreſſivus impedimentum ac remoram accipiat, & facile ex eo patet, cur oſcula vaſculorum in taliſmodi partibus, ubi non craſſa tunica tecta ſunt, v. gr. in inteſtino recto, nimium diſtenta adaperiantur, & ſic ſanguinem hunc ex mora quandoque craſſum, feculentum factum ejiciant. Et hæc eſt ratio, quare in hypochondriacis, qui fluxu hæmorrhoidali correpti fuerunt, diſſectis vaſa non tantum hæmorrhoidalia, ſed & ramos venæ portæ admodum tumefactos grandes, ſæpius conſpiciamus. Meretur huc adduci elegantiſſimus apud Mortonum *de phthiſi* extans *locus pag.* 420. quando hepar inquit præternaturaliter conſtringitur, quod accidit in ictero, malo hypochondriaco, hydrope, affectibus animi per venam portæ non bene ſanguis colatur, & vaſa hæc ultra tonum jam diſtenta ſenſim in magnam molem urgentur, modo affluxu immodico hæmorrhoidum internarum (in quem ejuſmodi ægri

gri valde ſunt diſpoſiti) vel ab aliqua alia vaſorum ruptura non præveniatur. Ita VESALIUS *lib. 5. c. 15.* obſervavit in icteritio quodam, fluxu hæmorrhoidali è vivis ſublato, hepar multum tumefactum & venæ portæ ramum per totum inteſtini recti ductum ad craſſitiem ferè pollicis adauctum. GUARINONIUS *conſult. 5.* §. 4. affirmat, ſe in hypochondriacis non modo inveniſſe obſtructas meſenterii venas, ſed & adeo dilatatas, ut ſpeciem inteſtinorum potius quam venarum præ ſe ferrent. Ex dictis jam facile ratio elici poteſt, quare noſter affectus nunquam fere accedat, niſi præcedente gravi dolore tenſivo conſtrictorio lateris ſiniſtri, dorſi, aut ventris & colicis torminibus antecedentibus, utpote dolorum natura eſt ſpaſmo conſtringere partes, coarctare vaſa & liberum motum impedire: & aliorſum ſanguinem premendo ejus effuſionem enormiter concitare.

§. X.

Ulterius confirmatum habemus experientiæ fide, ſeminas hypochondriacas & hyſtericas, quæ ex menſium defectu vel imminutione laborant, hoc morbo corripi frequentiſſime. Ita WELSCHIUS *Dec. 4. Curat. V.* meminit uxoris ſpleneticæ & hypochondriacæ, de variis ſymptomatibus præterea cardiacis & hyſtericis querentis, caloribus quibuſdam volaticis & menſtruis ſine ordine nunc diminutis, nunc nimiis, cordis anguſtia, aliiſque, beneque habuit uſque in autumnum, quo ſuppreſſis fere ex toto repente menſtruis, vomitu atri ſanguinis pituitæ permixti correpta eſt cum alvi fluxu ſimili, deinde ſuppreſſione. Etenim quemadmodum ſanguis in fœminis menſtruus ſuppreſſus lubentiſſime exitum è ventriculo affectat, ſicuti id obſervationes etiam inferius memorandæ ſufficienter comprobant, ita multo magis accidit, quando hypochondria vitio laborant, & ſanguis per abdominis viſcera non rectè & ſecundum naturæ leges movetur.

§. XI.

Affectus noſter peculiaria eaque gravia ſymptomata habet conjuncta. HIPPOCRATES *l. c.* viſcerum ſtrepitum, pectoris & dorſi punctionem, laterum capitiſque dolorem, crurum laſſitudinem, viſus imminutionem, colorem corporis atrum huic malo complicari aſſerit. CAELIUS AURELIANUS antiquus & optimus rerum medicarum ſcriptor *lib. 2. de tardis paſſionibus Cap. XI.* ſcribit. Accedit vomitioni cruentæ animi deſponſio cum faſtidio cibi & ſalivarum fluore, & corpore frigido, & pulſu obſcuro vel demerſo. Illud maximè animadvertitur in praxi, præſentaneum virium languorem, imo animi defectionem preſſo ſubſequi pede cruoris nigri vomitionem. Cauſam hujus rei rectè videtur GALENUS explicaſſe, dum ſanguinem in ventriculo ſtagnantem veneni naturam induere aſſerit, & ob id lipothymias, cardialgias, extremorum perfrigerationes aliaque ſymptomata emergere ſcribit. Et obſervatione perquam dignum eſt, non modo corruptum & pravum ſanguinem in ventriculi ſinum effuſum gravia talisinodi ſymptomata quæ modo recenſita ſunt producere, ſed & purum bonum, & qui ab omni labe & corruptela videtur immunis id præſtare: ad quam rem evincendam pertinet hiſtoria RIVERII *Cent. 1. Obſ. 15.* relata, ubi poſt exercitium vehemens vir quinquagenarius ſanus parum ſanguinis evomuit, & non nihil ejuſdem per alvum excrevit: ſequentibus diebus ventriculi gravitate premebatur cum cardialgia, & quando tractabatur regio ventriculi, dolorem ſentiebat, manus ſubfrigidas habebat, & parum ſitiebat. Valde credibile eſt notabilem illum languorem viriumque defectionem cum dolore cardialgico, corporis perfrigeratione, quæ cuncta ſanguinis ſtagnationem in ventriculo excipiunt non inde tantum oriri, quod propter defectum ſanguinis deficerat cor, ipſumque cerebrum; utpote minor ſæpe eſt ſanguinis rejectati quantitas, & tamen hæc identidem comites habet graviſſimas paſſiones, ſed potius ab hoſtilibus effluviis quæ, dum acidus ſuccus in ventriculo ordinario reſidens & liquor gaſtricus ſalivalis in ſanguinem quaſi motu inteſtino fermentatorio agit, exurgunt, hæc in nervos recepta ſpirituum craſin ac motum turbant, pervertunt & ſæviſſima dicta ſymptomata inferunt.

§. XII.

Morbus niger paſſim ab Auctoribus & ipſa quoque acclamante experientia habetur pro periculoſo, & tametſi non ſtatim interficiat, chronica tamen & obſtinatæ indolis relinquit poſt ſe mala, è quorum cenſu maximè omnium eſt aſcites, in quem aliquoties hunc morbum paſſi tandem incidunt. HIPPOCRATES *lib. 4. aph. 21. dejectiones omnes nigras, quales ſanguis niger, ſponte prodeuntes & cum febre & ſine febre peſſimas judicat.* Et *eod. lib. aph. 22.* ſcribit: *morbis quibuſvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum vel deorſum prodierit, lethale.* Et *ſequ. aph. 23. ejuſd. libri: quibuſcunque ex morbis acutis vel diuturnis vulneribuſque aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, aut tale quippiam, quod feculenti ſanguinis ſpeciem exhibet, effluit, poſtridie moriuntur.*

§. XIII.

Quod autem in aſcitidem facile incidant illi, qui crebrius noſtro affectu vexantur, abunde id obſervationes docent. Et taliſmodi poſſunt evolvi & legi apud MARCELLUM DONATUM *hiſt. Med. mirab. lib. 4. cap. 9. & apud* DODONÆUM *cap. 26.* SCULTETUM *armam. obſ. 73.* Etenim Hydrops ex hypochondriorum vitio, atque potiſſimum hepatis induratione, occalleſcentia, teſtantibus obſervationibus ortum ſuum habet, quandocunque iſta libera ſanguinis per vaſa hepatis nempe venam portæ & arteriam hepaticam advehentes, & cavæ ſurculos revehentes circulatio impeditur, & progreſſio ſanguinis in hoc amplo viſcere intercipitur, nec bilis quæ balſamum chyli & ſanguinis eſt, cruditates viſcidas, acidas valde vitæ inimicas emendans, non ritè elaboratur, vel ſecernitur, neque etiam lympha per vaſa lymphatica, quibus numeroſiſſimis ſcatet hoc viſcus, recte ſecernitur, movetur, ac circulatur, unde vaſorum diſtenſiones, diſruptiones, ſeri extravaſationes ex inæquali circulo oriuntur. Cum itaque dejectiones nigræ illo teſtentur de vitio circa abdominis viſcera, meſenterium, lienem & hepar, hinc malo confirmatiori facto & ſubnata duritie ipſo in hepate, paratiſſime ſubſequitur moleſtiſſimus hic chronicus affectus.

§. XIV.

Quandoque tamen hic morbus per alvum nigra dejicientibus ſalutaris & criticus habitus fuit, ita *lib. 3. de morbis vulg. ſect. 7.* HIPPOCRATES in ſcenam producit ægrum vehementi febre decumbentem, e cujus ſiniſtra nare ſanguis effluxit, lien intumuit, & femur ſiniſtrum dolor prehendit, tandem ſecutæ fuerunt dejectiones nigræ, pingues, glutinoſæ, fœtidæ, & per totum morbi decurſum nempe per viginti ferme dies ſtercora nigra ſecuta fuerunt cum menſtruis tenuibus, tandem die quadrageſima pituitoſa alba alvus dejecit, ſudore multo ex toto cor-

pore

pore diffluente, & ſic perfecte judicatus eſt. Elegans autem eſt commentatio Foesii in hunc locum, qui exiſtimat variam iſtam ſeceſſionum complexionem & febrile incendium ex medii ventris obſtructionibus conceptaque putredine & perniciosa ſuccorum permixtione ortum habuiſſe, & quamvis nigræ dejectiones ab Hippocrate damnentur, multis tamen ex cauſis ſalutares eſſe poſſunt, ſi eæ intelligantur, quæ fæcem aut limum ſanguinis in hepate, aut liene genitum deturbent. Nam & nigras ipſas dejectiones crebro in morbis apparere, hujuſmodi ſanguinis fæce & limo per alvum demiſſo, lieneque repurgato, ſcribit Galenus *Comment. in aph.* 21. *lib. IV.* Et in pernicioſis longiſque affectibus ex malignis febribus magniſque viſcerum obſtructionibus obortis retorridum hujuſmodi ſanguinem ſalubri judicatione per alvum repurgari non raro conſpectum eſt. Spectat huc etiam obſervatio *Clariſſmi* Heurnii *in Comment. aph. Hippocratis* 22. *lib. IV.* Adfui febricitanti Illuſtriſſimæ matronæ, quæ a pepaſmo urinæ, alvo aterrima excernebat. Hæc ab his viſis mirum terrebatur, a nobis autem in ſpem erecta ſummi Dei beneficio evaſit. Et eaſdem quoque dejectiones in obſtinatiſſimis & longiſſimis icteris morbo ad ſolutionem tendente ſalutares fuiſſe deprehenſas idem confirmat Foesius *l. c.* Quo pertinet Bartholini *hiſtoria* 41. ubi notat cruentas dejectiones ſupervenientes meſenterii obſtructionibus ſalutares. Et ſanguinis miros fluxus in lienoſis vide recenſitos *in* Marc. Donati *l.* 4. *hiſt. med. mirab. c.* 9. ubi ſanguinem craſſiorem & nigricantiorem qui fluit ex venis externis ejiciunt, quoniam internæ a vena portæ, externæ a cava oriuntur hæmorrhoidales.

§. XV.

Differt autem morbus niger Hippocratis & modo deſcriptus affectus a vomitione ſanguinis puri. Sæpiſſime contingit & obſervatur in praxi medica in fœminis, quæ valde propendent in hanc ſanguineæ excretionis ſpeciem, poſt menſium diuturnam retentionem circa ordinarium fluxus tempus abſque omni periculo excerni per vomitum ſanguinem. Ejuſmodi vomitus ſanguinei exempla paſſim occurrunt apud autores. Ita Timæus von Guldenklee *in caſibus medic. lib. IV. c.* 14. meminit cujuſdam matronæ nobilis 40. annorum quæ retento ultra biennium fluxu menſtruo ſingulis menſibus circa ultimam lunæ quadraturam copioſiſſimum ſanguinem vomitu rejecit, & hæc, cum a Chirurgo ſanguinem ſiſtentia exhibita erant, peſſime ſeſe ab ipſorum uſu habuit. Et notabile eſt, quod ſcribit autor, quod cum nullis remediis fluxus menſium reſtitui potuiſſet, duraverint hi vomitus citra ullum valetudinis incommodum, uſque ad quadrageſimum octavum annum, quo ſponte deſierunt, valetudine corporis deinceps variis morbis ſubinde tentata, ut plerumque deficientibus per ætatem menſibus fieri ſolet. Ita notabilis quoque eſt hiſtoria, quam refert Joh. Rhodius *Cent.* 2. *obſ.* 64. dum Patavii duas fœminas vixiſſe tradit, alteram Deo dicatam, cœlibem alteram, quæ imminenti fluxu menſium pridie ſanguinem abſque incommodo rejecerint, imo vomitum præſenſerint, quem ſi Medicus cohibere tentaret, varia ſuboriebantur ſymptomata ipſo vomitu ſublata. Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 32. exemplum ſuppeditat fœminæ, cui ſolitæ menſium purgationes per annum ſubſtiterant, quæque ſtatis menſium vicibus vomitum ſanguinis ſatis ſubinde grumoſi patiebatur ſine ulla de liene querimonia. Similia exempla qui deſiderat evolvat Dodonæum *Med. obſ. ca.* 26. Joh. Langium *Lib.* 1. *Ep.* 40. *Miſcellanea Curioſa anno* 2. Blancardi *Collect. Phyſica Cent.* 1. *obſ.* 69. Schenckium *Lib. IV. obſ. Medic.* Quando ejuſmodi ſanguinis rejectione afficiuntur fœminæ, non conqueruntur de hypochondriorum tenſione, lienis tumore, aut pathematibus ſpaſmodicis hyſtericis; quod ſi enim hæc præſentia ſunt, non vomitus ſimplex cruentus, ſed noſter morbus præſens eſt. Denique nec illud prætereundum ſilentio eſt, quod Hippocrates *lib. de morbis mulierum ſect. V.* ſanguinis vomitum virginibus magis contingere pronunciat quam conjugatis, hac ſine dubio de cauſa, quodſi fœminæ ſemel iterumque fœtum enixæ ſunt, vaſa ſanguinea menſtruis emittendis dicata longe ampliora habeant, quam nondum impraegnatæ, hinc cum uterus etiam major & capacior in his ſit quam in virginibus, vaſa non tam cito anguſtari & occludi & ſic occaſionem ſanguinis regurgitationi ad partes ſuperiores ſubminiſtrare poſſunt. Vomitus modo deſcriptus cruentus ſimplex certo reſpectu ſalutifer criticus ac utilis eſt, omniſque periculi expers, hinc etiam prudenter tractandus nec facile reſtringendus. Sanari autem poteſt modo per divertentia ſanguinis motus rurſus ad uterum invitetur, ut menſes ordinem, tempus ac ſtationem ſuam priſtinam obſervent, id quod jam dudum etiam ab ipſo notatum Hippocrate *ſect. V. aph.* 32. *mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus vomendi fit finis.*

§. XVI.

Deinceps morbus noſter valde diſcrepat à dyſenteria. In hac quandoque nigræ dejectiones conſpiciuntur & ob id dyſenteriam ab atra bile funeſtam prædicat Hippocrates *lib. IV. aph.* 24. & pulchrè Heurnius *in hunc aphor.* hujus materiæ ex hepatis videlicet & lienis vitio ac calamitate ortum deducit. Uno verbo hypochondriacis conſummatis dyſenteria ſuperveniens & noſtrum affectum ſimul provocans habetur ab Hippocrate pro funeſta & morbifera, quod etiam experientia confirmat. Ex hiſce patet hos morbos quandoque invicem complicari poſſe, notabilis tamen inter hoc intercedit differentia, quoniam dyſenteria eſt morbus epidemius acutus, plerumque autumnalis contagioſus cum ſæviſſimis tormentis, nec non ſpaſmis circa abdominis & umbilici regionem junctus; noſter autem affectus eſt chronicus tantâ atrocia tormentorum deſtitutus, certis tantum ſubjectis omni autem tempore familiaris.

§. XVII.

Neque etiam ad hæmorrhoidales excretiones hoc malum poteſt referri. Tametſi enim ſæpe numero per hæmorrhoides etiam ſanguis ſatis craſſus, fæculentus ac ater proſcribatur, qua de re conſuli poteſt Forestus *lib.* 23. *obſ.* 3. 4. 5. *item* Lud. Mercatus *Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. Attamen in tali caſu non modo vomitio cruenta, ſed & alia noxia, quæ ſemper perpetui comites ſunt noſtri morbi incommoda atque pathemata deſunt, utpote hæmorrhoidalis fluxus utplurimum criticus, ſalutariſque eſt, & egregium levamentum hypochondriacis ſymptomatibus affert. Et nihil novi eſt ex hæmorrhoidibus quandoque enormiter fluere ſanguinem. Notabilis eſt ille fluxus cujus meminit Panarollus II. *Obſ.* 46. in nobili Hiſpano à 4 annis quotidie libram unam ſanguinis per venas ſedales excernente cum optima corporis valetudine, ita ut ab illo tempore plus quam mille libras ſanguinis ſine ullo detrimento amiſerit. Recordor inquit, Clariſſ. Raygerus *obſ.* 44. cujuſdam Reverendi Viri in proximo oppido Raikendorff, cui non infrequens erat ultra duas libras quan-

quandoque una die excernere, ſed cum magna virium proſtratione, neque tamen cito ſiſti debuit hic fluxus, ſtatim enim ſanguis regurgitavit ad pectus & hæmoptyſin introduxit. Differt etiam præterea noſter morbus à rejectione per alvum nigra quæ ex ulcere non modo ipſorum inteſtinorum ſed & ventriculi provenit. Memini olim civem Mindenſem correptum acerbiſſimo dolore, nec non tumore circa regionem ventriculi, appetitus erat dejectus, & poſt cibum dolor ille increſcebat. Vomitu utplurimum rejiciebat cibos, accedebat marcor omnium partium, dolor articulorum, virium proſtratio cum frequenti lipothymia; alvi excrementa in nigrum colorem mutata erant. Per integrum fermè annum miſerè ſic afflictus tandem placide fato conceſſit. Cadavere aperto totus ventriculus parvus craſſiſſimus quaſi carnoſus & albicans inveniebatur: Intrinſece rubra punctula inveniebantur: levi inciſione materia ſanioſa nigra putrida exſtillabat; In venis & corde parum vel nihil ſanguinis exiſtebat. Cauſa antecedens hujus mali fuit largiſſima ſpiritus vini matutino tempore potio. Neque confundendus noſter morbus eſt cum rejectatione nigrâ, quæ ex hauſtis venenis corroſivis, vulneribus aut martialibus adſumptis oboritur. Poteſt quoque huc referri hiſtoria, cujus meminit FORESTUS *lib.* 18. *Obſ.* 19. meminit nempe puellæ annum agentis 22. quæ vomitu continuo longo tempore laboraverat & bilem tanquam picem valde atram una cum vermibus dejiciebat: erat bonæ conſtitutionis, neque febricitabat, nec circa ſtomachum dolebat, appetitu nonnihil deficiente. Secuta fuit ſimilis alvi per inferna dejectio, fuit curata decocto abſynthii, centaurii minoris, rhabarbari &c. Vero videtur ſimile vermes inteſtinorum ſubſtantiam & ſimul vaſa ſanguiflua arroſiſſe & tali ratione truculentum hunc affectum excitaſſe.

§. XVIII.

Tandem etiam multum differt morbus niger Hippocratis ab excretione per alvum nigerrima, quæ ex quodam carcinomate ſanguineo tumore hanc vel illam partem externam occupante naſcitur. Expertus id ipſe ſum in infantulo unius menſis, cujus manus unica nocte tota conſpiciebatur inflammata: accedebat mox tumor inſignis, quem paulo poſt durities, livor, venarum inflatio ſequebantur. Infans continuo ejulatu mirè per tres ferme dies conficiebatur: ſeceſſit per alvum materia inſtar carbonis nigra: tandem ex hoc periculoſo ſymptomate moriebatur. Diſſecto tumore maligno, cuncti ſubſtrati muſculi una cum vaſi exeſi, corrupti, putrefacti apparebant, ſanguine fœtido in cavitate ſtagnante: paucus in reliquis corporis vaſis ſanguis reperiebatur præterquam quod, partim in ventriculo, partim etiam in inteſtinis, nigricans illa materia conſpiceretur & inteſtinalia vaſa ſimilis coloris ſanguine turgida apparerent. Nullum dubium eſt ob motum ſanguinis in parte inſigniter inflammata impeditum alias vias cruorem quæſiviſſe & data porta in inteſtinis & ventriculo erupiſſe. Confirmor hac in ſententia ex eo, quod ſæpe numero graviſſimas partium externarum contuſiones, & vulnerationes ſanguinis enormem eruptionem è naribus vel etiam alvum ſecutam viderim.

§. XIX.

Tandem etiam non rarum ac inſolitum eſt ex viſceris cujuſdam interni gravi facta contuſione, vaſorumque ſanguineorum læſione vel ruptura, cruentam eamque nigram per alvum ejectionem ſubnaſci. Ita memini virum ætatis 65. annorum laboraſſe ante aliquot annos ſanguinea vomitione nec non ſimili ejectione per anum, & picis liquidæ nigræ præ ſe ferebat faciem. Huic malo occaſionem præbuit maxima corporis commotio & ingens niſus in ſaccis aſinis molaribus imponendis, erat enim piſtor & ob id vaſorum ruptura procul omni dubio facta eſt: nullus autem tumor vel dolor in hypochondriis obſervabatur, fervor tamen febrilis non defuit: tertio die omnibus fruſtra tentatis diem ſuum obibat. Conſentit hanc in rem peritiſſimus PLATERUS, qui in *Praxi pag.* 726. ſcribit: à contuſione aliqua facta circa viſcera ventriculo vicina ſanguis nonnunquam evomitur.

§. XX.

Poſtremo tametſi affectus noſter magnam cognationem alere videatur cum fluxu hepatico, differt tamen etiam multum ab hoc ipſo. Hujus natura teſte GALENO *lib.* 3. *de cauſis ſymptomatum cap.* 2. in eo conſiſtit, quod frequentiſſime per alvum reddatur humor aquoſus, in quo diſſoluta videatur aliqua portio ſanguinis inſtar loturæ carnis nuper mactatæ. Quod malum licet primis diebus videatur facile ab ægrotantibus tolerari poſſe, tamen non multo poſt permutatur in ſummam virium omnium imbecillitatem ac proſtrationem cum quadam nauſea & febre. Degenerat interdum hic affectus in hydropem vel per virium diſſolutionem in tabem aut atrophiam.

§. XXI.

Notæ autem & characteres eſſentiales morbi nigri ſunt dolor, inflatio hypochondrii ſiniſtri, anxietas & anguſtia præcordiorum, alvi adſtrictio, & menſium vel hæmorrhoidum conſuetarum ſuppreſſio, quam deinde ſubſequitur vomitio nigra cum ſucco acido vel bilioſo, & nigra quoque per alvum ſeceſſio, cum appetitu dejecto, virium proſtratione, cardialgia, ſyncope. Sæpius etiam truculenti colici dolores hunc affectum antecedunt. Sic memorabilis eſt hiſtoria in *M. N. C. Dec.* 2. *Ao. X. in appendice pag.* 86. recenſita. Quidam colicis doloribus crebro affligebatur cum dejecto ſenſim appetitu. Medicamenta etiam generoſiſſima nil quicquam proficiebant. Acceſſit denique tympanites, & paucis ante obitum diebus vomitus omnium ingeſtorum atramento nigerrimo ſequebatur, adeo ut emulſiones amygdalarum crebrius ipſi propinatæ vix ingreſſæ per vomitum reverterentur atramenti ſcriptorii facie. Et quod impenſe mireris, qualitatibus aliis aut parum aut nihil immutatis, ſiquidem & odor & ſapor emulſionis integrè permanebat.

§. XXII.

Quod ad medelam hujus truculenti & ad ſanandum difficillimi affectus attinet, opportunè illa diſpeſci poteſt in ea quæ in paroxyſmo & extra illum ſunt agenda. Ipſo in paroxyſmo optimum erit, ſicut in aliis ſanguinis eruptionibus convenit, blanda diaphoreſi poros cutis aperire, & antiſpaſmodicis peſſimos illos viſcerum ac vaſorum ſpaſmos, qui præſentiſſimè irritare taliſmodi periculoſas ſanguinis rejectationes ſolent, cohibere: hac ratione & liber ſanguini motus reſtituitur & ulteriores periculoſæ & inſignes eruptiones præcaventur. Ad ſcopum hunc obtinendum laudem inſignem merentur pulveres bezoardici cum nitro & camphora in debita proportione mixti, & cum aquis diaphoreticis, floribus ſambuci, cardui benedicti, ſcabioſæ propinati. Præterea eximia ſunt dens hippopotami præparatus, unicornu verum, ungula alcis, lapis manati, quæ cum momento theriacæ cœleſtis vel extracto caſtorei miſceri

ceri poſſunt & virtute adverſus ſpaſmos fulgent præſtantiſſima. Quodſi autem vehementior ſit ſanguinis fluxus eſſentia terræ catechu roborata cum anodyna & liquore martiali erit adhibenda. Deinceps alvus clyſtere emolliente & abſtergente eluenda eſt. Illud autem tenendum quod æger in temperato calore lecti ſervari debeat & maxime omnium tegulæ calefactæ & pannorum calidorum admotione ventriculi regio ſit fovenda. Internè juſcula calida, infuſa etiam veronicæ, ſcabioſæ, cherefolii, hederæ terreſtris hic quadrant optimè. Tandem meum conſilium eſt linimento camphorato ex aqua Anhaltina, camphora, croco, oleo nuciſtæ, balſamo peruviano compoſito, non modo abdomen, ſed ſiniſtrum potiſſimum latus frequenti inunctione fovere ac tractare, utpote camphora in tali morborum genere ob penetrantiam & diſcutiendi, qua pollet, facultatem optimarum virium eſt.

§. XXIII.

Extra paroxyſmum infarctus iſti hypochondriorum, nec non viſcerum obſtructiones reſpiciendæ & quantum fieri poteſt, non modo obſtructa reſeranda ſunt, ſed & ſanguini liber & expeditior motus per abdominis viſcera eſt reſtituendus. Faciunt ad explendas has indicationes egregie hoc in caſu ſuum officium acidulæ præſertim Schwalbacenſes cum prudentia aſſumtæ. Præter has majorem in modum laudo ac commendo uſum pillularum balſamicarum, quæ ex extractis amaris, balſamicis gummatibus, limatura martis, extracto rhabarbari concinnatæ ſunt, & in omnibus hypochondriacis & hyſtericis pathematibus opem deſideratiſſimam ſolent afferre, præſertim ſi arcani duplicati, ſolutionis oculorum cancri, antimonii martialis cachectici, invicem mixtorum uſus interpoletur. Ipſe HIPPOCRATES in allegato loco ſummopere commendat alvum ſubducentia, capitiſque purgationes: neutiquam autem valida hic in uſum vocanda, ſed ultra rhabarbarina liquida non facile aſcendendum. Denique ſuadet ipſe graviſſimus Autor, niſi debilis fuerit æger, ſanguinem ex brachiis detrahere. Textus Græcus Hippocratis ſonat: ἀπὸ τῶν χειρῶν τοῦ αἵματος ἀφιέναι: vertit FOESIUS, ex brachiis ſanguinem mittere; ſed WELSCHIUS mavult, ex manibus interpretari, ut nempe illæ venæ ſecandæ intelligantur, quæ lienares a vulgo, a ſemi-barbaris ſalvatellæ dicuntur, quarum utilitas ADRIANI SPIGELII *judicio Fabr. hum. corp. l. V.* propter anaſtomoſes cum arteriis copioſiſſimis aliis non immerito præfertur, quamvis ex ſanguinis circulatione nonnulli delectum minus ſollicitum, alii etiam inutilem exiſtiment, quem tamen non contemnendum eſſe TH. BARTHOLINUS *orat. IV. Eph. IV.* defendit.

§. XXIV.

Cum opiatis & adſtringentibus fortioribus in & extra paroxyſmum cautiſſime eſt mercandum, imo tutiſſimum conſilium eſt, quantum fieri poteſt iis abſtinere, utpote illa vires valde opprimunt & lypothimias accerſunt: hæc autem obſtructiones non modo firmant, ſed & motum liberum ſanguinis intercipiunt, humores incraſſando, imo quandoque irritatione ad ſpaſmos ipſa vaſa & viſcera invitant. Et tametſi interdum ad tempus effectum quendam producant, & cohibeant nimiam fluxionem, graviores tamen poſtea inducunt exacerbationes dictis de cauſis. A frigidis omnibus internis & externis ſummopere quoque cavendum, item à nimio veneris uſu, motu violentiori: & mens ab affectibus gravioribus libera ſervanda: quorſum etiam ſpectant venti frigidi ſicci elaſtici, quibus ſi corpus exponatur paulo liberius, ſanguis ad impetuoſiores motus plus juſto irritatur. Inter cibos carminativa & balſamica temperata commendo, quippe quæ chylum condiendo & blandam ſanguini ſpirituaſcentiam introducendo in omnibus ſpaſmodicis & hypochondriacis pathematibus abigendis, vix habent par remedium: Sed hæc hac vice de noſtro affectu ſufficiant.

DISPUTATIO MEDICA,

DE

SALUBRITATE FLUXUS HÆMORRHOIDALIS,

Primùm edita anno 1697.

§. I.

ACCIDIT ſæpius naturæ, quæ optima tutrix vitæ & curatrix morborum eſt, beneficio, ut mediante excretione præter naturam ſanitatem ac vitam tueatur atque conſervet, & ſic ſalutare morborum remedium frequentius exiſtat talis excretio, quæ ſub naturali lege minimè continetur. Teſtantur id ſpontaneæ hæmorrhagiæ, quæ quantum fructum atque emolumentum ſaluberrimo afferant eventu, notiſſima in foro medico res eſt; quandoquidem natura vitalem purpuram, exundantia ſua occultam perniciem corpori intentantem, per vias conſuetas expellens, varios eosque graviſſimos amolitur & præcavet morbos, ſicque ſæpius in ſeram uſque ætatem extendit ſanitatem. Sicuti enim ſanguis tanquam optimum vitæ ſanitatiſque pignus merito ſemper ſervandum, ita ſi exſuperat nec in debita proportione cum vaſis conſiſtit, vires proſternit, obſtructiones morborum genitrices parit, membris pondus ac gravitatem inducit, & ipſi vitæ præſentem parat perniciem, niſi vel matura venæ ſectione plethoræ ſuccurramus, vel ipſa natura ſanguinem, quem vaſa capere & digerere nequeunt, excernat: proinde obſervamus omnibus fere ætatibus ſolennes eſſe hæmorrhagias. Pueri ac adoleſcentes ſanguinis profluviis e naribus magis ſubjecti ſunt juxta *aph.* 27. *S.* 3. HIPPOCRATIS. In juvenibus ſanguis magis molitur exitum per venas pulmonis, unde hæmoptyſis, *vid. aph.* 29. *ſect.* 3. Fœminæ omni menſe purgantur per uterum. Viros & provectioris ætatis hæmorrhoidales excretiones exercent, monente id eodem HIPPOCRATE *ſect.* 3. *aph.* 30. Excretiones hæ, ſi conſuetudinem tuentur, & quaſi in habitum tranſierunt, à quacunque etiam cauſa ſuppreſſæ, peſſima ac infinita mala pro ætatum & individuorum differentia excludunt. Nos jam in præſentia ſaluberrimi hæmorrhoidalis fluxus uſum in graviſſimis & perſanandis & præcavendis morbis generatim recenſere inſtituimus, ſubjungendo, qualis pernicies machinæ accedat, ſi hic fluxus in aſſuetis intempeſtive ſuppreſſus fuerit. Exoramus autem ſupplici prece Numen Divinum, ut inſtituto huic gratia & auxilio ſuo benigniſſime adeſſe ac annuere velit.

§. II.

Quod vocem hæmorrhoidum attinet græca eſt & dicitur αἱμοῤῥόιδις, latine hæmorrhoida, componitur ἀπὸ τῦ αἵματος & verbo ῥέειν, Germanice die Ruck-Ader / Affter-Ader / oder güldene Ader / propter commodum, uti SOLENANDER *Conſ.* 20. *ſect.* 4. rectiſſimè innuit, quod valetudini præſtat, quoties naturæ beneficio tempeſtive apertæ aut qualitate noxium humorem aut quantitate gravantem deponunt. Quod enim utile eſt, id aureum ſubinde vocare ſolent; AETIUS *L.* 14. *cap.* 5. definit affectum hunc, quod ſit dilatatio quædam locorum in ſede facta, vaſis quibuſdam iſtis apertis & progreſſu temporis callosioribus factis. Venæ, per quas ſanguis fluit, in ano ſitæ ſunt: & dividuntur in internas & externas. Internæ vocantur, quæ ſunt ſuperiores & ad interiorem inteſtini recti partem locatæ ſunt. Exteriores ſunt inferiores recti inteſtini finem amplexantes. Interiores ſunt ſoboles venæ portæ, & oriuntur à ramo meſaraico ſiniſtram meſenterii partem potiſſimum intercurrente, quique colo inteſtino, qua recto continuatur, exporrectus eſt: venæ hæ perforant communem mediamque recti tunicam & variis ramulis inter rugoſam & hanc ſerpunt. Externæ à venæ cavæ ramo hypogaſtrico per muſculum cingentem inteſtinum rectum diſperguntur. Per dictas has venulas ſanguis expurgari ſolet, qui dicitur hæmorrhoidalis, quod alias circulationis legi minus reſpondet: quandoquidem arteriæ ſanguini advehendo ad partes, venæ autem ipſi revehendo dicatæ ſunt. Verum enim vero ſecus hic obtinet in ſtatu, qui eſt præter naturam, nam opus non eſt, ut ſanguinis effluxus ita contingat ſicuti affluxus ad partes naturalis per arterias. Et vero ſimillimum eſt, maximam partem, utut non omni tempore, in hæmorrhagiis venarum ora recludi, eò quod ſolæ venæ videantur ad extrema partium hiare arteriarum finibus per venas conjunctis. Confirmat hanc ſententiam & modus fluendi, qui non fit per ſaltum, quemadmodum effluit ex arteria vulnerata, ſed ſucceſſive & tardè; denique arteriæ diſtentæ pulſant, in vaſis autem ſedalibus ſanguine turgidis, nullus obſervatur pulſus. Et ocularis experientia id demonſtrat. VESALIUS *Lib.* 5. *de Fabr. corp. human. Cap.* 15. qui hominem diſſecuit, defunctum ex nigro arquato jecoriſque mira duritie, quique ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari conſuevit, invenit ramum venæ portæ ſub coli inteſtini fine & tota recti longitudine meſenterio ductum pollicis fere craſſitiem æquare & ſanguine turgere, conterminis cavæ venæ ramis nihil prorſus immutatis. In vomitu cruento ex vaſis brevibus ſanguinem manaſſe in ventriculi ſinum & hic nuperrimè ſectione obſervatum fuit, liene reperto ſimul infarcto à ſanguine ac hepate ſcirrhoſo. Accedit quod in venis facilius ſtagnare & ſubſiſtere poſſit, quam in arte-

riis

riis propter retrogradum difficiliorem motum & valvulas, quæ ſanguine craſſo ſtipatæ, motioni ſanguinis remoram injiciunt; ſanguis autem, qui ſedalibus venulis vehitur, inclinat eo facilius ad ſtagnationem, quo magis illarum ſitus eſt perpendicularis: ſicuti perinde obſervamus in venis cruralibus, quæ propter ſanguinis perpendicularem & proinde difficiliorem aſcenſum facile diſtenduntur, & craſſo ſanguine opplentur, unde varices oboriuntur. Adde quod compages inteſtini recti valde laxata ſit, unde promtior ſanguinis ſubſiſtentia, & venulæ tenui tunica obvolvantur, quæ facili negotio diſtenduntur atque lacerantur, quod ſimile in naribus, pudendis muliebribus, faucibus accidit.

§. III.

Equidem per hæmorrhoides ſanguinis evacuatio fit generalis, & per eas plethora ſolvitur ac univerſum corpus repurgatur; magis tamen ille, qui in partibus conterminis moratur, excernitur. Sic per venas exteriores, quæ cum renibus, pudendo, utero, veſica communicant, quando ſanguis fluit, uteri, veſicæ & pudendi affectibus confert. Menſibus ſuppreſſis horum loco hæmorrhoides haſce fluxiſſe obſervationibus conſtat. Vid. HIPPOCRATEM *L. Epid.* HEURNIUM *in comment. aph.* 11. *ſ.* 6. HOLLERIUM 4. *in ſ.* 3. *aph.* 30. *Acta Haff. vol.* 2. Et viduis quibuſdam loco menſium commode fluxiſſe hæmorrhoides, compertum eſt; in gravidis, quoque uti annotavit HOLLERIUS *l. c.* utiliter fluxere in duabus mulieribus Nobiliſſimis jam quatuor menſes utero gerentibus, in quibus partus tempeſtivus conſecutus eſt & ſaluberrime adolevit. Erat autem frequens & multus fluxus, ſanguis fere dilutus, qui uti ſubſiſtebat, gravius habebant ægræ, excluſo levabantur. Interiores ad ſedem pertinentes venæ, cum ramificationes venæ portæ ſint, cum meſenterio, liene, pancreate, hepate, omento communicationem habent, & ſanguis ex ipſis provocatus dicta viſcera ab amurca feroſa & ſanguinea egregie liberat & purgat, unde melancholicis, atrabilariis & hypochondriacis maximè confert, quandoquidem, dum ob viſcerum, inprimis lienis, obſtructionem aut aliud quodcunque ipſius vitium ſanguis non ſatis ſubtiliſatur & depuratur, ipſe fæculentus obice in viſceribus poſita, vel eructatur ad ventriculum vel beneficio venarum ani certis quibuſdam intervallis, uti mulierum menſtruæ purgationes ſolent, excernitur: Facilè enim ob meatuum obturationem non admiſſus unde fluebat, rurſus regurgitat, atque ſua gravitate per ramum ad inteſtinum rectum pertinentem deorſum procumbit ibique tantiſper reſervatur colligiturque, donec nimium turgentes venæ, oſculis reſeratis per anum, manare illum ſinant. Etenim ſi ullo in corporis loco ſanè circa meſenterium, lienem facile ſanguis ſubſiſtit & ſtagnat. Multum ad hoc facit ſtructura ſingularis venæ portarum. Notabile eſt ſanguinem ex inteſtinis, toto meſenterio, omento, liene, pancreate revehi in venam portæ tanquam in communem alveum, ubi vice arteriæ fungitur, & hepatis viſceri ipſum infundit; quoniam autem hic ſufficiens & ad tale negotium perficiendum neceſſarius impulſus deficere videatur, lentius per hæc viſcera & venam hanc ſanguis procedit, & ſi ipſe craſſitie nimia peccat, & actuoſis tenuibus ſpirituoſis partibus privatus eſt, facilis ſtagnatio circa has partes & viſcera ſubnaſcitur, unde lienis, qui ex innumeris cellulis conſtructus eſt, ſubfarctus, hepatis & pancreatis obturatio ac tumor preſſo ſequitur pede, ex quibus deinde propullulant hydropes, turbationes & ſpaſmi circa hypochondria, vomitiones cruentæ, inflammationes renum & meſenterii, fluxus nimius ſanguinis ſive in viris per hæmorrhoides ſive in fœminis per uteri venas, colicæ ſpaſmodicæ, pathemata hyſterica, arthritides, alvi adſtrictiones, & ſexcenta alia mala, quæ omnia fluxus hæmorrhoidalis, maxime ſi ſua ſponte & critice à natura inſtituitur, mirum levare ſolet, evacuatâ ſic ſanguinis fæculenti & copioſi portione.

§. IV.

Per has venas non tam fluidus & floridus ſanguis, ſed potius craſſus, ater veteribus dictus, atrabilarius, vel etiam ſerum acre ſanguinis tinctura ſaltim imbutum, item tartareum, ſabuloſum, quale in arthriticis & calculoſis vidit SCHNEIDERUS *L.* 3. *de catarrh. Cap.* 7. *ſ.* 1. expurgatur. SENNERTUS *in praxi L.* 3. *p.* 2. *ſ.* 2. *cap.* 12. annotavit: materiam per vaſa excretam non abſimilem albumini ovi in hypochondriacis: non raro ſuccus niger putridus ſecedit, forſitan quod lien & meſenterium corrupto tali humore infarcta fuerint. Obſervavimus, inquit SOLENANDER, hypochondriacos aliquot, quibus iſtæ corporis regiones & potiſſimum ſiniſtrum hypochondrium multo nigro ſucco, tanquam atro jure, repletæ diſtentæque erant. Novimus, inquit porrò *Sect.* 4. *Conſ.* 20. quibus ſimilis ex illis locis humor ſupra infraque abſceſſit, quod licet cum periculo conjunctum eſſet, tamen evaſiſſe plures ſcio & honeſto viro *Phil. Joh. Schleidano* Fratri bis illud intra annum accidiſſe memini, & ante menſem honeſta & nobilis matrona de Blitterſtorff illius atri ſucci & quod mirum ferè inſipidi ex dextro hypochondrio ad libras 6. vel 7. vomitu rejecit. Quantitas materiæ, quæ evacuatur, varia eſſe ſolet & tempus quoque evacuationis varium: nonnunquam extenditur ad libras aliquot, quandoque durat ad integrum menſem, quandoque recurrit ſaltim annuo ſpatio, interdum etiam menſtruo. Sic proſtant exempla, ubi viri non ſecus ac fœminæ ſingulis menſibus ſanguineam fluxionem per hæmorrhoides experti ſunt. Vid. *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec.* 1. *A.* 2. *p.* 294. *item* MARCELLUM DONATUM *in hiſt. medica L.* 4. *C.* 19. Exercet hic fluxus maximè atrabilarios & qui temperamentum ſanguineo-cholericum vel ſanguineo-melancholicum poſſident, hoc eſt, qui copioſum & craſſum in venis continent ſanguinem. GALENUS *comment. in* 6. *aph. L.* 2. lienis fœturam hæmorrhoides appellat, quibus, inquit, melancholicos, ſplenticos potiſſimum affici, his torqueri, his ſublevari communi conſenſu receptum eſt. Quicunque viſcera hæc, hepar & lienem, quorum officium eſt ſanguinem depurare a ſordibus, ipſique tenuitatem ac fluiditatem fœnerari, dura, tenſa & obſtructa habent, illi maximè obnoxii huic fluxui ſunt. Qui hepate laborant, purgantur maximam partem per hæmorrhoides, ſcribit SOLENANDER *in Conſ. p.* 374. Qui longas viſcerum obſtructiones fovent, & diuturnas febres paſſi ſunt, facillimè ipſa experientia teſte tentantur hoc fluxu.

§. V.

Similiter & ferme omnes hæmorrhagiæ immodicæ, niſi causâ extrinſecâ excitatæ fuerint, obturationem vel vitium viſceris cujuſdam pro fundamento agnoſcunt. Nam ſanguis, quando ejus libera motio & circulatio per viſcera & partes corporis impeditur, regurgitat ad alia loca, vaſa nimium diſtendit, illorumque ora extrema aperit, unde ingens naſcitur hæmorrhagia, quam compeſcere difficile eſt, niſi Medicus viſcerum obſtructionibus invigilet, & remediis liberiorem ſanguinis curſum procuret, ſicuti id in nimio menſium vel etiam hæmorrhoidum fluxu ſanando compertum eſt. Elegantер ipſe GA-

LENUS cauſas, ex quibus ſanguis per ſedis venas profluit, complexus eſt, *in meth. med. L. 1. Cap.* 20. ubi, inquit, præter melancholici ſucci redundantiam accidit illis fluxus hæmorrhoidum, qui ſolita exercitia omiſerunt, aut pleniori victu uti ceperunt quam antea, vel quibus conſuetæ è nare vel utero excretiones ſupprimuntur, mos erat venam tundere, iis hæmorrhoides oboriuntur. Hæc omnia enim ſanguinem accumulant, illumque impurum ac craſſum generant. Quando enim deficit motus in ſedentaria vita, ſanguis & humores non libere ventilantur, illorumque perſpiratio impeditur, copioſæ ſordes viſcidæ in venis colliguntur, ſuperfluus humor non excluditur, unde ſtaſes ſanguinis circa venam portæ & viſcerum infarctus ſuboriuntur, qua de cauſa otioſi & tranquillitatem ſectantes, litterati, monachi, præ omnibus affectu hypochondriaco, qui quaſi fons hujus inordinati fluxus eſt, corripiuntur. Sanguinis enim per motum diviſio ad vitam & ſanitatem valde neceſſaria eſt. Motu, exercitatione, craſſus melancholicus ſanguis comminuitur, corrigitur, dividitur, unde robur ac calorem viſcera aditusque corporis accipiunt. Diſponunt porrò ad fluxum prædictum victus nimis craſſus, & immoderatior uſus ciborum ſalinorum, duratorum atque viſcoſorum, qui craſſum ac fæculentum humorem ac ſanguinem natura ſuâ apti ſunt ingenerare, quandoquidem taliſmodi cibis excoquendis tenerum fermentum ac calor imbecillis ſufficere haud poteſt, unde crudus, minus ſpirituoſus naſcitur chylus, qui crudum & craſſum procreat ſanguinem a viſceribus non facile ſubigendum ac ſubtiliſandum; ſic temperamentum ſanguinis naſcitur a Veteribus dictum melancholicum, & faciei color ad viriditatem inclinans, qui experimento FORESTI pathognomonicum hæmorrhoidibus laborantium ſignum eſt. Et hanc ob rem viris & ſenibus, qui propter defectum ſpirituum ſeu caloris nativi crudum & copioſum ſanguinem facile colligunt, familiariſſimus affectus hic eſſe ſolet conſentiente experientia & ipſo quoque HIPPOCRATE attentiſſimo obſervatore, *vid. L. de aere, aquis & locis Cap.* 4. item *ſect.* 3. *aph.* 30. Præterea quibus conſuetæ ſanguinis excretiones ſuppreſſæ ſunt, vel quibus mos erat ſanguinem emittere è vena, illi ad affectum hunc maximè inclinant. Ordinarie fœminæ minus corripiuntur hoc fluxu propter menſtrualem ſanguinis excretionem, quâ plethora ſufficienter ſolvi ſolet, ſi ſupprimitur, hæmorrhoides ſupervenire ſolent. Memorabilis hic eſt obſervatio HIPPOCRATIS *Epid.* 4. *C.* 13. de filia ædili, quæ menſibus non prodeuntibus per duos annos hyeme habuit hæmorrhoides: ſolet quoque gravidis ſolemnis eſſe hæc fluxio propter ceſſantem debitam tempore ingravidationis ventilationem, ac variarum ſordium ſeroſarum accumulationem, præcipue quoniam à fœtu ſimul comprimuntur rami iliaci, ut liberior ſanguinis circuitus hac ratione ſufflaminetur, quam ob rem gravidæ in cruribus experiuntur varices, quæ hæmorrhoidum vices ſubire ſolent. Qui aſſueti ſunt venæ ſectioni, & illam temerè omittunt, victum autem conſuetum ſervant, otio indulgent, corpus non ſatis exercentes, illi facile experiuntur catarrhos, odontalgias, ophthalmias, pleuritidem, cephalalgias, itidem corporis gravitatem & maxime tenſionem iſtius partis, ubi vena tuſa fuit.

§. VI.

Hiſce deductis reſtat ut inquiramus qua de cauſa remedia ex aloe parata, item alliacea ad fluxum hunc tam facillimè diſponant. Annotavit FALLOPIUS *de ſimp. medicam. Facult.* ſe quoties hæmorrhoides aperire voluit, pillulis de aloë uſum fuiſſe & ex centum illorum qui aloë utuntur nonaginta hæmorrhoidalem fluxum paſſos fuiſſe. Ob crebriorem aloes uſum Venetos, Patavinos hæmorrhoidibus familiariſſime tentari, ut quaſi ibi endemiæ ſint, autor eſt FONSECA *Tom.* 1. *Conſ.* 27. *Calvinus* ex immodico aloes uſu in ulceroſas hæmorrhoides ſanguiniſque ſputum incidit teſtante id *Beza* in ejus vita. Eandem facultatem ciendi hunc fluxum cuſtodiunt quoque alliacea, quare Judæi propter familiarem illorum uſum hæmorrhoidibus valde obnoxii ſunt. Effectuum horum ratio ſubeſſe hæc videtur. Aloë ſuccus eſt gummeo-reſinoſus, ſale ſubtili acri ſulphureo conſtans, qui à lympha gaſtrica & inteſtinali facillimè diſſolvitur, cujus ſubtilior pars ſanguini communicatur, craſſior ac gummoſior firmiter adhærens valvulis inteſtini recti continua ſtimulatione ipſum exercet, unde ſanguis in motum concitatum adactus & propter obſtructionem vaſorum in viſceribus non æquabilem motum ſervans maximo impetu in alias vias patentes irruit & orificiis apertis erumpit: Per venas recti exitum autem molitur propter irritamentum illud, quod aloë præſtat in ipſo inteſtino. Enim vero aloetica in hæmorrhoides non ſolum impetum ſuum exercent ſanguinem effundendo, ſed pulmonum, uteri & renum vaſa quoque aperiunt, maximo ſæpe cum ægrotantium detrimento. Similem effectum exerit quoque allium ſalis volatici ſulphurei ſylveſtris prægnans, quod ebullientem ſanguinem reddit, hinc intra vaſa contineri neſcius, maxime ſi obſtructiones viſcerum liberiorem & æquabilem ejus motum impediunt, repagula ſolvit, & exitum præter naturam affectat. Quorſum referimus omnia calida ſpirituoſa ſulphurea, ſanguinem diſcurſivo motu actuantia, ac animi vehementiores commotiones, quæ in ſanguineis fluxibus concitandis inſignem habent potentiam. Præcipue autem tentantur hoc fluxu, qui longas habuerunt viſcerum obſtructiones, ſplenis tumores, febres diuturnas paſſi ſunt, quique hac ratione ſub febrilibus paroxyſmis dyſcraſiam acidam viſcidam ſanguinis viſcerumque atoniam ſibi contraxerunt. Itidem qui hepate laborant & affecti ſunt, & uno verbo omnes hypochondriaci, quique ſanguinem craſſum & copioſum generant & corpus minus perſpirabile & pervium habent. Taliſmodi obſtructionibus partium, quæ ſanguinis depurationi & ſubtiliſationi ſerviunt, multæ accumulantur ſordes pituitoſæ & viſcidæ, quæ corpus gravant & premunt, ſanguinis liberiorem ventilationem & motionem impediunt, & ſic cauſam effectricem effrænis hæmorrhagiæ quandoque ſubminiſtrant. Ultimo diſponunt quoque ad hæmorrhoides alvi ſcybala diutius retenta, quæ, dum diſtendunt inteſtina, ſanguinis fluxum & refluxum quodammodo morantur & ſub exitu duritie ſua vaſa ani lædunt, atteruntque. Eandem ob cauſam HIPPOCRATES & SOLENANDER *ſect.* 4. *Conſ.* 20. equitationem & vectionem ad hunc fluxum diſponere ſcribunt. Vocis concitationem, dum violentia deorſum movetur ſanguis, incommoda etiam hæc promovere docent *Ephem. D.* 2. *A.* 3. *obſ.* 226.

§. VII.

Præſagiunt autem diſpoſitionem effuſionis ſanguineæ per hæmorrhoides dolor & ardor lumborum & maxime ſiniſtri hypochondrii, ponduſque in ipſo, ructus, flatus, murmura, ſpaſmi inteſtinales & ſenſus quaſi pali infixi inteſtino recto. Quæ omnia a ſtaſi ſanguinis & ejus impetu facto vehementiori ad has partes defluunt. Similiter id accidit in aliis hæmorrhagiis: ſic in narium profluvio facies rubicundior

cundior & tumidior fit, pulſant vehementius colli & temporum arteriæ, quæ etiam plus ſolito conſpicuæ ſunt, capitis adeſt dolor gravativus, nares pruriunt, quæ omnia mox ſequentem hæmorrhagiam notant. Imo menſes mox præſentes patefaciunt lumborum & regionis epigaſtricæ tenſio, gravitas, æſtus, tempus conſuetum, pulſus auctus, propter congeſtionem copioſioris ſanguinis circa has partes. Et utcunque hic fluxus in corporibus ſanis & qui ſanguinem laudabilem continent beneque valent, non accedat, neque iis procurari tam facile debeat, ut ejus conſuetudo fiat, niſi forſan diſpoſitio hæreditaria ſubſit, attamen ſaluberrimus ſæpe eſt & multorum morborum medicina. SOLENANDER fluxum hæmorrhoidalem expreſſis verbis elegans & abſolutum naturæ benevalentis & munia ſua recte adminiſtrantis opus vocat, cui ſubſcribit JULIUS CÆSAR CLAUDINUS *Conſ.* 30. Quod hæmorrhoides fluentes longam ſanitatem promittant & a morbis liberent probat exemplo patris ſui FORESTUS *L.* 23. *obſ.* 3. Item quod longam ſenectutem polliceantur vide JOH. PETRUM LOTICHIUM *L.* 4. *C.* 10. *obſ.* 1. *& Eph. nat. Curioſ. D.* 1. *A* 4. *&* 5. *Obſ.* 69. Prudentiſſime autem circa hunc fluxum conſulit GALENUS *in L.* 3. *de humor.* 20. inquiens, non ſemper conſultum eſt, ut ſanguis per inferas partes ex hæmorrhoidibus effluat, ſed tum, cum nigra dejiciuntur, & cum hominis natura multum hujuſmodi humoris accumulat, alioqui natura non eſt tali evacuationi adſuefacienda, quippe quæ utrumque exceſſum periculoſum habeat; ſi vero ob ſolam plethoram vexata natura hæmorrhoides excitarit, tolerari poterunt, donec vacuatum ſit, quantum redundat, aut quod ſatius eſt, ſanguine per aliam venam detracto ſupprimantur ſtatim. Imo quotieſcunque immodice fluunt, nimius fluxus quamprimum ſiſtendus erit. Veruntamen ſi nunquam ante fluxerunt, nec æger morbis iſtis magnis, de quibus in præcedente aphoriſmo dictum eſt, obnoxius ſit, ſanguis in corpore quantitate aut impuritate peccare videatur, non debent provocari hæmorrhoides, ſed aliis potius remediis occurrendum nempe venæ ſectione, purgatione, bona victus ratione. Quod ſi autem æger prædictis morbis conflictari ſolitus ſit, & natura iſtam vacuationem ante per intervalla tentaverit, tum ſane ad προφύλαξιν ab imminentibus malis & ad curationem præſentium venæ ani aperiri poſſunt, præſertim quando tument ac dolent. Quemadmodum autem hæmorrhoidalis fluxus ex plethora & cacochymia ſive ſanguine copioſo craſſo & impuro ſubnaſcitur: ita egregie corpus a plethora & cacochymia liberat & ſymptomata inde metuenda quaſi in herba jugulat, uti loquitur CASPARUS HOFFMANNUS *L. de Liene C.* 116. Etenim dum ſanguinis craſſi & impuri, quem vaſa ac viſcera capere & dirigere nequeunt, diſcernitur portio, ille qui remanet longe melius attenuari, circulari & contemperari poteſt.

§. VIII.

Porro dum hæmorrhoidalis fluxus ſanguinem congeſtum & ſtagnantem circa lienem, meſenterium, & venam portæ, copia & craſſitie corpus prementem evacuat, egregie confert lienoſis, hypochondriacis & melancholicis. Præclare itaque monet HENRICUS AB HEER *obſ.* 20. quando ſiniſtri hypochondrii dolor ſentitur, pondusque in ipſo, quærendum an laboraverit hæmorrhoidibus apertis? Si hoc affeverat, ſecuri de illorum ſanitate eſſe poſſumus, & aſſumenda aloe non lota, & ſuppoſitorio appropriato alvus irritanda. HIPPOCRATES 6. *Epid. ſect.* 6. ſcribit: *Hæmorrhoidum apertionem indurationem lienis ſanare, ſanguinem atrabilarium ſive craſſum & copioſum ſolvendo. Melancholicis hæmorrhoides ſupervenientes per quam ſalutares eſſe aphoriſmus eſt* 11. *L.* 6. HIPPOCRATIS: utpote revellunt & evacuant ſanguinem, qui in vitio erat. Quare diadoſis illa præclare ad ſalutem facit, unde naturæ conſilium imitari Medici in his morbis debent, & etiam pedum venas aperire, uti id prudenter monet HEURNIUS *in commen. ad eandem aph.* Spectat huc quoque exemplum melancholici illius, qui cum noctu vagaretur per vias, forte vulneratus eſt in crure & multo effuſo ſanguine à melancholia liberatus. FORESTUS *lib.* 10. *obſ.* 16. hæc habet: Quamdiu hæmorrhoides moderatè per ſe fluunt, raro quis melancholiâ capitis, ſed iis adſtrictis maximè, quod etiam in monachis Carthuſianis & aliis melancholicis obſervavimus. Et alio loco ſequentia ſcribit: Quia corpus hoc multo abundat ſanguine, & illo ſatis craſſo & melancholico, præſertim verò in venis meſenterii & illis, quæ ad lienem pertinent, eam ob rem maximè utile fore cenſerem, ſi ſanguis mitteretur, neque tamen ex ſuperioribus venis, cum non ſemel, uti nobis relatum eſt, hoc anno inde fuerit miſſus, ſed ex mariſcis vel hæmorrhoidibus, & quamvis noverim, id genus remedii à Germanis non facile admitti, tamen nullum mihi videtur in hoc negotio efficacius & præſtantius. Ipſe HIPPOCRATES *Lib. IV. Epidem. in fine.* Alippum inſaniâ correptum hæmorrhoidibus reſtitutum fuiſſe teſtatur. GALENUS *Lib. IV. Aph. Comm.* 25. & proprio exemplo aliorumque *Lib. VI. Epidem. Sect.* 5. *Comm.* 29. comprobat, qui clauſis hæmorrhoidibus in veſaniam ſæpè inciderunt, & reſeratis his ab ea liberi evaſerunt. Similem hiſtoriam inſaniæ obortæ propter ſuppreſſionem fluxus hæmorrhoidalis proponit quoque ZACUTUS LUSITANUS *in praxi Medica admirabili Lib. I. obſ.* 59. Melancholiam ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus ortam, annua autem evacuatione curatam videbis apud GALENUM *eundem Lib. III. de humoribus Comm.* 26. *& Lib. VI. Aphor.* 27. ANTONIUM ZIMARAM *in Comm. cap.* 10. *Lib. de Somn. Ariſt. Item* MOXIUM *Lib. I. de morb. mul. cap.* 45. In hanc rem porrò notabilis eſt *aphor. XXI. Sect.* 6. ipſius HIPPOCRATIS. *Melancholicis aut inſanientibus ſine febre, ſi varices ſuperveniunt inſaniam ſolvunt.* Dixerunt Veteres tranſpoſitionem materiæ melancholicæ in alium locum ſive metaſtaſin ſic fieri, idque ſalubriter, dum ſanguis craſſus, qui in cerebro facit melancholiam, convertitur ad hæmorrhoides vel varices. Varix naſcitur aliquando in teſticulis, genis, mammis, in ventre infra umbilicum & maxima ex parte in crure & gravidis præſertim familiaris eſt. Et ſicuti hæmorrhoides ſunt intumeſcentiæ venarum ad anum pertinentium, ſic varices venarum dictarum partium. Varices itaque hæmorrhoidum vicariæ nonnunquam eſſe ſolent, & vice verſa: facile ſic apparebit ratio, quare hernia varicoſa fluxu hæmorrhoidali mediante ſanata fuerit, teſtantibus id *Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. ann.* 6. *obſ.* 79.

§. IX.

Præterea & nephriticis admodum ſalutaris ſolet eſſe fluxus hæmorrhoidalis juxta *Aphor. XI. Sect.* 6. Nephritis probè diſtinguenda eſt ab ipſo calculo & ab eo ſuſcitato dolore. Illa enim inflammatoria ſtaſis eſt ſanguinis circa regionem lumbarem ubi ardorem & dolorem cauſatur: quandoque terminatur in mictum cruentum nimium reſeratis vel dilaceratis vaſorum renalium orificiis, interdum quoque ad calculi generationem diſponit, dum læſa ſubſtantia renali tubuloſa, urinæ liber tranſitus impeditur, & morando

morando extra vaſa ordinaria ipſa ſedimentum tartareum, quod ſubinde ſucceſſive concreſcit in calculum, deponit. Qua de cauſa in omni nephritide peſſimum eſt diuretica calida acria, & olea deſtillata varia exhibere; ſic enim certiſſimè vel mictum cruentum, urinæ ſuppreſſionem, ipſumque calculum accerſimus. Quod optimum monitum eſt LAUR. SCHOLZII *in conſiliis ſuis pag.* 725. Sanguinem ſic ſtagnantem circa regionem lumbarem vaſaque diſtendentem maximo cum emolumento & fructu evacuant venæ hæmorrhoidales: Qua de cauſa qui illarum fluxum experiuntur, plerumque laborant dorſi lumborumque dolore, & quadam quaſi tenſiva laſſitudine. Vidimus quendam inquit HOLLERIUS *in Aph. Hippocr. Comm. p.* 640. qui intolerabili cruciatu renum affligebatur, is nulla phlebotomia nulla purgatione potuit levari, niſi hæmorrhoide aperta, ubi ſtatim quievit morbus. Quando ceſſat in aſſuetis hic fluxus, in mictum cruentum obſervationibus teſtibus frequentibus incidunt ægrotantes, quale exemplum recenſet THOMAS REINESIUS *epiſtola* 44. *item* HILDANUS *Cent. II. obſ.* 11. Spectat huc quoque ſingularis obſervatio, quam ex communicatione *Excellentiſſimi Dn. Doctoris* STAHLII *Profeſſoris hujus Academiæ celeberrimi* habeo nempe: Vir ſexaginta duorum annorum, gonagrico pathemate in ſiniſtro genu, ab aliquot retro annis per vices infeſtatus, diætæ per plures annos vinoſæ, habitus corporis ſanguinei leviter phlegmatici, ex uſu largiore generoſi vini Thuringici, & inſuper facto in rhedâ itinere, tempore autumnali, corripitur Iſchuriâ, cum dolore ſiniſtri lumbi, & coxæ ad os ſacrum gravativo: Mingit magnam copiam ſanguinis, partim floridi, partim coagulati in magnos grumos. Sedatur hæc initio multo conſilio & arte: poſt paucas ſeptimanas fluit nonnihil ex hæmorrhoidibus, ſed caret ſufficiente ſucceſſu molimen, levatur tamen ſenſibiliter à gravativo dolore, & laſſitudine tenſivâ in artubus. Poſt annum recrudeſcit malum in renibus, occupatur adſtringentibus, accedit febris acuta, fit translatio inflammatoria ad fauces, enaſcitur gangrænoedes corruptio linguæ & faucium, moritur.

§. X.

Porro ſpectat huc quoque ſingularis caſus à *Magnifico Domino Præſide* notatus, nimirum Generoſus vir 45. annorum temperamenti ſanguineo-melancholici, aulicæ vitæ deditus, aſſuetus victui duriori, vino liberalius utens, lumborum dolore vexatus, in hæmorrhoidalem fluxum incidit, quo ipſe dolor ſenſim conquieſcit. Poſt 4. annos ceſſantibus hæmorrhoidibus & omiſſa ex conſilio Medici venæſectione, cui alias aſſuetus erat, dictæ diætæ indulgens, infeſtatur dolore ſæviſſimo ſiniſtri lumbi, ut inſomnis multas noctes traduceret; urina mingitur rubicunda, vires proſternuntur, appetitus ceſſat, alvus adſtringitur. Medicus & quidem famigeratiſſimus vocatur in conſilium, cui calculi præſentiam ſuſpicatus ſpiritum ſalis, nec non eſſentiam zedoariæ volatilem, ad flatus diſſipandos propinat, per longum tempus: dolor indies augetur, fixiorque redditur, cum magna anxietate, animique crebrâ defectione. Alter Medicus in conſilium adhibitus propter venarum turgeſcentiam & ſanguineum corporis habitum ſuadet venæſectionem in pede, maxime cum antea æger ei aſſuetus fuit & hæmorrhoidali fluxui ante aliquot annos obnoxius: Qua celebrata, ſanguis cum impetu erumpit, ad ulnam uſque exiliendo, dolor poſtea lumborum pauxillum remittit, vires interim fractæ manent, circa ſiniſtrum hypochondrium tandem dolor ſeſe magis extendit, vomitu æger tentatur, fruſtra datis omnibus abſterſivis balſamicis aperientibus ſtomachicis internis & externis, tandem cruentæ vomitiones ſequuntur, quibus etiam animam exſpirat. Nullum hic dubium eſt, ſi ſtatim in principio admiſſa venaſectio fuerit, ubi morbus nondum radicem egerit & vires exhauſerit, ſanatum illum fuiſſe, cum non niſi ex ſtaſi & congeſtione ſanguinis circa lumbos, meſenterium & lienem ſubnatus fuerit. Ceterum HOLLERIUS *in Commentar. ad Aphor. cap.* 55. hanc inſinuat hiſtoriam: Cuidam nobili, in graviſſimo renum dolore pus ſanguinem & craſſam pituitam emingenti, cum hæmorrhoides aperirentur, incredibili celeritate dolor conquievit.

§. XI.

Inſuper fluxus hic ſaluberrime accidit iſchiadicis & arthriticis. Arthritidem ortam fuiſſe è ceſſatione hujus fluxionis *vid.* FRIDERICUS LOSSIUS *Lib. III. obſ.* 24. Sic porro PETRUS MONAVIUS *teſte epiſtola ad Cratonem* 236. à ſuppreſſis hæmorrhoidibus in arthritidem laborioſam incidit. FORESTUS *Lib.* 23. *obſ.* 4. *de Cornelio Zozio* Hollandiæ præſide ſcribit: ipſum apertis hæmorrhoidibus liberatum eſſe ab omni arthritico malo. Pertinet huc quoque notabilis hiſtoria à prælaudato Viro *Dn. Stahlio* mihi communicata. Nimirum Vir 44. ann. habitus corporis ſanguineo-melancholici, diætæ vinoſæ, quondam Hungaricis, nuper etiam Auſtriacis vinis largius uſus, V. S. aſſuefactus aliquandiu negligens, oblatis interim occaſionibus frequentioribus iracundiæ, corripitur autumno 1664. coxendicum, hinc genuum, hinc pedum manuumque doloribus mox increſcentibus, & noctes dieſque torquentibus per 3. 4. ſeptimanas, verno primo tempore deinde & proximo autumno. Sequentibus duobus annis, modo vere, modo autumno, modo hyeme humidiore & languidiore. Cura diligentis Medici Practici docti & periti referantur denique hæmorrhoides, quibus per vices, licet non ſtatas, fluere continuantibus, omnium dolorum podagricorum expers vixit vir ad annum uſque 76. ſuæ ætatis. Meretur quoque hic recenſeri obſervatio I. *lib. IV.* THONNERI, ubi quis ſævo & penè immedicabili dolore iſchiadico coxæ dextræ infeſtatus fuit, & varia etiam validiſſima purgantia aſſumta, veſicatoria admota, opiata exhibita, vena in talo aperta, localia adhibita, clyſmata injecta, ſed omnia incaſſum: Cum autem dolor vagabundus obſervabatur in abdomine modo in regione meſenterii anguſtiam cauſans, modo a coxa in crus deſcendens, ratus THONNERUS id mali prodire à copioſo & craſſo ſanguine, qui quærens exitum & non inveniens tantam peperit moleſtiam, unde ſuaſit applicationem hirudinum, eo magis, cum intellexerit ipſum alias fluxui hæmorrhoidali eſſe obnoxium. Sic in momento omnis cruciatus evanuit, emiſſo ſanguine rubeo admodum craſſo omnis ſeri experte. Similem fermè hiſtoriam novit *Magnif. Dn. Præſes*, ubi vir temperamento-cholerico-ſanguinei, iracundiæ deditus vino liberalius utens per plurium menſium ſpatium ex malo iſchiadico graviſſime laboravit, qui omnibus remediis ſudoriferis, purgationibus, lignorum decoctis, mercurialibus, opiatis irritis poſt uſum aquarum ſalubrium Hornhuſanarum ſale & nitro turgidarum incidebat in hæmorrhoides, ſicque perfecte in ſanitatem reſtitutus fuit.

§. XII.

Porrò ſanguinis profluvium ex hæmorrhoidalibus venis egregie hydropem & tabem præcavet juxta HIPPOCRATIS *aph. XII. lib. 6. Si quis hæmorrhoides diuturnas ſiſtere velit, niſi una fluere ſinatur hydropis vel tabis metum affert.* Quare cavendum, inquit HEURNIUS *in Comment. ad eundem aphoriſmum*, ne quibus conſuetæ ſunt fluere, ſupprimantur, cum fæculentus ille ſanguis remanens ſcirrhum in hepate facile producat, vel tranſpoſitus in pulmones ibi vas rumpat & hæmophtyſin cauſetur. Itaque una vena aperta tenenda, vel vena in ea periodo ſecetur, vel fæcis plenus ſanguis purgetur, vel diæta remedium afferat. Cuidam mediæ ætatis nimia præcipitatione fundebantur hæmorrhoides, quum Medici & Chymici cuncta tentaſſent, nec ſuccederent: juſſi, ut una intacta reliquæ tangerentur colcothare, ita appellant craſſamentum illud à vitrioli olei deſtillatione relictum, ſic illico conſtitit malum. Hydropem ab obſtructione hæmorrhoidum productum fuiſſe, autor eſt JOH. RHODIUS *Cent. III. obſ.* 5. *item* FRIDER. LOSSIUS *Lib. III. obſ. med.* 26. Quod phthiſin attinet refert AMATUS LUSITANUS *Cent. V. curatione* 3. quibuſdam qui his evacuationibus aſſueti fuerant, ſanguinem ſine tuſſi per os ſubſiliiſſe, deſiiſſe autem cum hæmorrhoides eſſent apertæ. GALENUS quoque *Cap. VI. de venæ ſectione adverſus Eraſiſtratum* mentionem facit hæmophtyſeos & intercoſtalium inflammationum obortarum propter fluxum hunc ceſſantem. RIEDLINUS *obſ. med.* 360. hæmoptyſin, ulcus in collo, veſicæ tabem, mictionem cruentam, denique ipſam mortem ex hæmorrhoidum ſuppreſſione annotavit.

§. XIII.

Tandem egregia de ſalubritate hæmorrhoidum notavit HIPPOCRATES *Lib. VI. Epid. Com.* 3. & ad finem *lib. de humoribus*, ubi dicit: hæmorrhoides non ſolum ſolvere melancholiam & renum paſſiones, verum etiam & pleuritidem & peripneumoniam & maniam & phagædenica ulcera, furunculos, vitiligines, denique omnia, quæ habent melancholicum humorem permixtum. In dictis enim morbis & inflammationibus utplurimum peccat ſanguis craſſus, ſerum glutinoſum, quo evacuato ab atrocia ſua remittunt dicti affectus. Ulcera fiſtuloſa ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus nata fuiſſe docent *Miſcell. nat. cur. Dec. II. ann.* 1. *obſ.* 42. Ex iiſdem ceſſantibus ſcabiem malignam notavit GABELCHOVERUS *curat. med. Cent. III. cur.* 22. ſecundum MERCATUM *lib. III. de morb. intern. cap. VII.* anginam & epilepſiam avertunt.

Ex hiſce adductis clariſſimum eſt, quantum levaminis & utilitatis expectandum à moderato & bene ordinato ſanguinis hæmorrhoidalis profluvio, & quam ſolerter Medicus in ſanatione morborum, ad excretionem hanc utrum conſueta fuerit nec ne reſpicere debeat, ut nimirum ſemper natura duce operetur & eo motus naturæ medicamentis dirigat, quo ipſa inclinet & vergat. Sic prudentiſſime rem ſuam inſtituit, & optato ſuo fine perfacile potiri poteſt. Fluxus ſane hæmorrhoidalis multis individuis familiaris eſt, ſecus ac vulgariter putamus, & dici vix poteſt, quam negligenter Medici inquirant in hoc excretionis negotium, & quam inſuper illud habeant in praxi ac dirigenda prudenter curatione. Si ſemel natura ducere ſanguinem per has vias amavit, in morbis ſupervenientibus ſemper attentus oculus ad hanc fluxionem habendus eſt, ſique venæ hæ tument, vel dolor, ardor & pondus in lumbis percipitur, facile provocari poſſunt, nimirum aloeticis intrinſece, extrinſece frictionibus, ſuppoſitoriis, fomentis paratis ex herba malvæ, ebuli, centauri, cyclaminis, ſucco ceparum, felle taurino, pulpa colocynthidis, ubi tamen cavendum ſedulo eſt, ne fortioribus excitetur inflammatio. Veteres inverſo recto inteſtino actione laborioſiſſima & valde dolorifica, nimirum inciſione & hirudinum applicatione provocarunt hunc fluxum; Verum & eo reſpiciendum, ne cum ſphincter ani partim nervoſa ſubſtantia, partim nervoſo circulo conſtet, extrinſecis læſionibus acribus & mordacibus inflammationem, corruptionem, fiſtulas excitemus. Tutius ſemper eſt adhibere tunc demum hirundines aliaque jam dicta, ſi tumentes venæ fuerint & natura per hos ſanguinem ducere velit. Sed hæc de ſalubritate fluxus hæmorrhoidalis ſufficiant, alia utiliſſima in hac materia practica reſervamus bono cum Deo in aliud & commodius tempus.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

APOPLEXIA,

Primùm edita Anno 1728.

PRÆFATIO.

EAM eſſe complurium, qui ex cerebri vitio oriuntur, conditionem morborum, comperimus, ut, quanto magis reliquos adfectus vehementia periculique gravitate ſuperant, tanto ægrius, ſi veræ illorum originis, & naturæ ingeniique rationem habeas, cognoſcantur, atque tanto etiam difficilius omni remediorum præſidio vinci, & expugnari queant. Multi jam inde ab antiquis temporibus ex Medicorum fuerunt familia, qui cum illos tanto humani generis exitio deſævire, totque cædes & funera parare cernerent, in debellandis iis ingenia mirifice exercuerunt. Quorum laudibus meritiſque, etſi nihil detrahere cupio, quum eos naviter, magnaque induſtria, in illo argumento deſudaviſſe, atque multa etiam, quæ obſcuriora erant, e tenebris in lucem revocaſſe ſatis intelligam: multa tamen adhuc eſſe, quæ jure meritoque poſt eorum labores deſiderentur, nemo ex idoneis intelligentibuſque harum rerum exiſtimatoribus, opinor, dubitabit. Venit mihi hoc loco in mentem recordari Medici cujuſdam Londinenſis, ejuſque præſtantiſſimi, qui a Collega ſuo GUALTERO HARRIS interrogatus, quare, cum alios morbos tam feliciter, tantaque nominis gloria pertractaverit, ſolos capitis affectus prætermittat, nec de iis quicquam in publicam lucem edat, nihil aliud cauſatus eſſe dicitur, quam quod eorum perſanandorum rationem nondum penitus perſpectam exploratamque haberet. Quæ vox, uti ſummam ingenui animi laudem meretur, ita omnes Medicos officii monet, ut eorum morborum indolem, origines, atque cauſas, varioſque eventus, & efficacem medendi rationem eo diligentius perquirere, omnibus ingenii nervis connitantur. Principem fere locum ex his tenet Apoplexia, velox & truculentum malum, quod illico nonnunquam, & præter omnem ſpem expectationemque homines jugulavit. Videas enim nonnullos, qui antequam de ullo morbo cogitaverunt, ex hoc attonitos concidere; atque oculi ictu omnem mentis vitæque uſum perdere, alios, qui læti beneque valentes lectum ingreſſi erant, mane in eodem, ſed exanimes & interemtos reperiri, alios, quibus cum mitius agit, adeo tamen diſſolvi, ut, ſi a cordis & pulmonum qualicunque motu diſceſſeris, mortis imaginem repræſentare videantur. Quapropter dignum ego hoc argumentum exiſtimavi, quod data diſſerendi copia pluribus in præſenti perſequerer, & quantum per ingenii vires licuit, accuratius enuclearem. Quanquam enim jam alios in eodem explanando verſatos eſſe non ignoro, non tamen ſatis cauſæ fuit, quare conſilium mutarem. Nec forſan aliis præpoſtere, & actum velut agere videbor, cum, ſi qua alia in doctrina, in hac profecto multa ſuperſint, quæ illuſtrari, augerique & novis ſubinde locupletari acceſſionibus queant. Operæ autem me facturum eſſe pretium putavi, ſi ea, quæ hiſtoria morbi complectitur, ex celebrium Medicorum fide percenſerem, & deinceps ad ſuas quodque cauſas revocarem, nexumque omnium eruerem, tandem vero idoneam morbi, quoad licet, propellendi rationem, atque remedia etiam nonnulla, noſtris in terris non adeo cognita explicarem. Multa eſſe, quæ copioſius ediſſerere, multa, quæ addere potuiſſem, ingenue fateor. At vero veniam mihi daturum eſſe Lectorem Benevolum plane confido, ſi meminerit, arctos admodum, & anguſtos eſſe limites, quibus ejuſmodi, qualem jam molior, libellus circumſcribi ſolet. Quod reliquum eſt, Deum precor immortalem, ut hanc quoque operam meam quantulamcunque fauſtam felicemque & auſpicatam eſſe jubeat.

§. I.

§. I.

Atque ut nunc ad ipſum, quem exponendum ſuſcepi, morbum progrediar, ordineque agam, primo quidem loco, ut accuratam apoplexiæ rationem, veramque ideam evolvam, diſtinctiuſque proponam, neceſſe erit. Enimvero, re diligentius expenſa, per apoplexiam *a*) quam Latini etiam ſiderationem *b*), nervorum reſolutionem *c*), morbum attonitum *d*), ictum ſanguinis, & guttam *e*), noſtrates vero den ſchlag die hand Gottes, *f*) den Tropff appellare conſueverunt, illum intelligi video morbum, quo motus voluntarii, ſenſuſque tum externi, tum interni abolentur, ex intercepto fluidi nervei per cerebrum, & nervos, itu, redituque ortum *g*). Quam definitionem ita comparatam eſſe arbitror, ut ea omnia, quæ ad affectus naturam pertinent, complectatur. Etſi enim alii, & tantum non omnes, repentine, atque ſubito, & veluti temporis momento, omnem motus, ſenſuſque, & cogitationis vim, velut extingui, ſimul commemorant: id tamen cum non ſemper eveniat, rectius hoc loco omittendum exiſtimavi. Videas enim nonnullos, in quibus non illico, ut dicunt, ſed ſenſim, ſenſimque & temporis ſucceſſu, hæc omnia ita contingunt, adeo,

a) Vocis hujus origo ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν reperitur, quod percurrere Græcis denotat, quoniam apoplexia tacti ilico inſtar victimæ ad aram, unico ictu, clava, vel ſecuri percuſſæ, proſternuntur. Mos enim antiquis fuit, ad aras Deorum, quos victimis placaturi erant, animalia unico ictu ita percutiendi, ut in terram confeſtim prociderent, & quæ a victimatio ita cæſa extemplo proſternebantur, proprie percuſſa dici conſueverunt. A quo ritu nomen Apoplexiæ, quod eadem velocitate hominem aggreditur, ortum eſſe docte notavit NYMMANNUS *de Apopl. pag.* 2. HIPPOCRATES quidem apoplexiæ nomine, nonnunquam ſolam paralyſin complectitur, e. g. *Aph. VI.* 56. *VII.* 40. ut præter alios inprimis FOESIUS *in Oeconom. Hippoc. pag.* 79. notavit & nonnulli apoplexiam paralyſin univerſalem; paralyſin autem apoplexiam particularem non immerito dici poſſe exiſtimant, cum CAMERARIO *in Syſtemate Cautel. Med. c. VIII. Pathol. pag.* 272. At vero, quamvis propinquam inter ſe habeant cognationem, ita, ut jam olim ARETÆUS, ἀποπληξίην, παραπληγίην, πάρεσιν, παράλυσιν, ἅπαντα τῷ γένει ταὐτά dixerit Diuturn. Lib. I. c. 7. in permultis tamen a ſe diſcrepant, atque intereſt omnino, ut accuratius diſtinguantur.

b) Græci etiam ἀστροβολισμὸν inde vocant, quaſi infauſti, & peſtilentis cujuſdam ſideris afflatu oriatur. Atque hoc malo affectos ἀστροβλήτους, latini ſideratos, dicunt. Quamvis his vocibus alius interdum ſignificatus tribuatur. Hinc illuſtrantur duo MARTIALIS verſus, alter *lib. II. Epigr.* 86.

Sidere percuſſa eſt ſubito tibi Zoile lingua,

quem etſi JO. RHODIUS *in Ind. ad Scribonii Largi Compoſ. Med.* de linguæ paralyſi, & BECHMANNUS *de origin. lat. lingu.* voce ſidus, de ejuſdem Sphacelo, rectius tamen LOTICHIUS *in not. ad Petron.* de Apoplexia explicat; alter *Lib. VI. Epigr.* 91.

Hoc opus eſt, ſubito fias ut ſidere mutus.

Ipſam vero nominis originem altius repetere juvat. Antiquiſſimis enim temporibus, cum ſacerdotes ſibi ſolis ſapientiam omniumque rerum cognitionem vindicarent, atque ægrotantium quoque curam ſuſciperent, ſi quem morbum eſſe videbant, abſconditum ſatis abſtruſumque, qui tamen admirationem plebis & velut ſtuporem quendam excitabat, eidem Θεῖόν τι ineſſe, vel ex ignorantia, vel lucri cauſa vulgo perſuadebant. Atque idem etiam de Apoplexia prædicarunt. Quippe veterum fuit opinio, ſidera ipſa eſſe Deos, aut ſaltim Deos iiſdem tanquam ſedibus ſuis, & domiciliis uti, quam in rem NATALIS COMITIS *Mythol. Lib. I. c.* 7. videatur. Hinc Scipio apud CICERONEM in *Somn. Scip.* ea divinis animata mentibus, perinde ac PLATO *in Timæo* ἔμψυχα animata, & ζῶα animalia vocat. Ut de Chaldæorum ſomniis taceam, de quibus THOMAS STANLEIUS in *Hiſt. Philoſ. Orientalis* conſulatur. Et quemadmodum Philoſophorum permulti, in primis Stoici, putabant, animum humanum ex ſtellis veluti eſſe delapſum, atque poſt mortem illas tanquam patriam ſuam repetere, vid. LIPS. *Phyſiol. Stoic. lib. III. c.* 8. & 9. STEPHANI MORINI *Diſſ. Philol. V.* & GATAKERI *Annot. ad Marc. Ant. libr.* πρὸς ἑαυτὸν *Lib. II. p.* 35. ita plebi quondam præcipue perſuaſum fuit, mentes Imperatorum atque Principum, qui poſt obitum conſecrati, relatique in Deorum numerum erant, ad ſidera contendere, iiſdem velut præeſſe, aut plane in ea mutari. vid. de hoc SUETONIUS in *Jul. Cæſ. cap.* 88. DIO CASSIUS in ADRIANO, & SERVIUS ad *Virg. Ecl. IX. v.* 47. Præterea multi ex veteribus arbitrantur, fulmen ex igne ſtellarum eſſe conflatum, quod in primis ex PLINII *Hiſt. Nat. Lib. II. cap.* 20. patet, atque hinc fulmen ſidus appellaverunt. Conf. HEURNIUS *de morb. Cap.* 23. & ROLFINCKIUS de *Aff. cap. Diſſ. IX.* Imo omnes cœli injurias, fulmina, pluvias, grandines, ſideris cujuſdam infauſti, & peſtilentis nomine eſſe vocata a LOTICHIO ad Petronianam locutionem, velut peſtilenti quodam ſidere afflavit, obſervatum fuit. Conf. & BARTHIUS *ad Claudii Panegyr. de IV. Conſ. Honor. p.* 30. Quare cum inter utroſque, cum qui Apoplexia, tum qui fulmine tacti proſternuntur, non minima intercedat convenientia, etiam apoplexiam ſiderationem dixerunt. Quum vero & fulmina ad Jovem fulminatorem, & reliquorum veluti Deorum principem, qui ea ſuis veluti ipſius manibus in terram jacularetur, referrent, ipſique fulmini aliquam divinitatem tribuerent, & locos illo percuſſos ſacros exiſtimarent, ut vel pueris conſtat, ob hanc duplicem, quam commemoravi, cauſam, apoplexiæ Θεῖόν τι ineſſe, eademque Deos ultores, ad coercendam hominum impietatem & caſtiganda ſcelera, uti olim creditum fuit, ex perſuaſione inprimis ſacerdotum, quorum fraudes jam pridem notavit HIPPOCRATES *Lib. de morb. ſacr.* vid. & LANGIUS *Lib. I. Ep.* 25.

c) Forſan, quod nervorum vis adeo minuitur, ac ſi a cerebro ſpinalique medulla avulſi ſolutique eſſent.

d) Attoniti proprie vocantur, qui fulmine afflati conſternatique ſtupent, vel quibus tantum vicini fulminis percuſſio, aut fragor immanis, terrorem, ſtuporemque incutiunt. Vid. imprimis CORN. CELSUS *Lib. III. c.* 27. quem nunquam hac voce ita uſum eſſe, ut apoplexiam morbum attonitum, ſed potius ea affectos attonitos appellaverit GUASTAVINUS *loc. ſelect.* 22. *p.* 152. contra Mercurialem monet.

e) Quod nomen inepta atque ridicula PARACELSI opinione nititur, quam *Lib. 6. Paragraph. c.* 1. propoſuit, ac ſi tres in capite ſanguinis guttulæ eſſent, quarum ſi dextra prolaberetur, paralyſin dextri lateris efficeret, ſin ſiniſtra procideret, paralyſin ejuſdem lateris pareret, ex mediæ vero lapſu ipſa apoplexia oriretur.

f) Prior denominatio cum græca voce ἀποπληξίας multum convenit. Utraque vero eo reſpicere videtur, ut in declaranda morbi origine Deum velut ex machina advocet, ad eundemque omne id fine rerum naturalium interventu referat, quod apoplecticis evenire ſolet. Forte enim opinio hæc a priſcis per manus tradita, ad noſtram uſque ætatem propagata fuit.

g) Hoc ſignificatu jam veteres apoplexiæ vocem uſurparunt ita PAULUS AEGINETA *Lib. III. c.* 28. Κοινῆς ἀρχῆς τῶν νεύρων παθούσης, κακοῦ δὲ πάντων τῶν κατὰ τὸ σῶμα μορίων ἀπολεσάντων, τήν τε κίνησιν ἅμα, καὶ τὴν αἴσθησιν, μετὰ τοῦ τὰς ἡγεμονικὰς ἐνεργείας βεβλάφθαι, ἀποπληξία τὸ πάθος καλεῖται.

adeo, ut ante motus vel linguæ vel brachii magis magiſque deſinat, poſtmodum autem malo adultiori, poſt aliquot horas, dies, & hebdomades, & reliquæ partes, ipſumque caput infeſtentur. Ita Theologum quendam Altorfinum refert Cl. Peyerus, *h*) initio ſtatim nec manum, nec linguam moviſſe, cum tamen motus capitis, auditusque, & viſus, per aliquot adhuc horas ipſi fuerint integri, donec & his tandem abolitis ægrotans vitam cum morte commutarit *i*). Nec vero eorum probo ſententiam, qui de morbi natura expoſituri, motus cordis pulmonumque, quibus ſanguis per corpus circumagitur, atque aër intra pulmones admittitur, ſalvos aut ſaltim ſuperſtites prædicant. Quod ſi enim eæ tantum actiones, quæ, voce in ſcholis Medicorum recepta, animales dicuntur, perdi ſolent, reipſa patet, reliquas, quas vitales appellamus, ſupereſſe adhuc, nec eſſe opus, ut ſigillatim de earum incolumitate exponatur, ubi propria & ſingularis morbi natura brevi conciſaque oratione explanatur. Verum ſi vel de his taceam, ii tamen facile refutantur apoplexia ſubito funeſta, & quæ ictu velut oculi non ſenſus tantum, motuſque, ſed ipſam quoque vitam extinguit, motumque cordis, & reſpirationem ſuſpendit, vel potius plane tollit, ut nulla eorum veſtigia amplius relinquantur, quam veram eſſe apoplexiam, nemo rerum teſtimoniis convictus, credo dubitabit.

§. II.

Hiſtoria morbi & I. quidem ſymptomata præcedentia.

Antequam vero ipſe morbus tam truculentus aggreditur, quibuſdam, quæ antecedunt, ſymptomatibus, pernicialem ſuam acceſſionem prænuntiare, & hominem monere velut periculi, aliquando ſolet. Sæpius enim totum corpus languidum maxime, torpidum, laſſum, & plane ſtupidum redditur, ut jam olim magnus Hippocrates annotatum reliquit; Artus tument aliquantum, & tremunt, atque ſingulari quodam formicationis ſenſu ac ſi formicæ hinc inde diſcurrerent, quem Veteres forſan voce palpitationis, aut *παλμȣ͂*, & Cælius Aurelianus ſaltus membrorum declaraverunt, infeſtantur, ipſiſque velut in oſſium medullis ſingulare doloris pungentis, lancinantiſque genus perſentiſcunt, &, ubi non procul abeſt apoplexia, cum toto corpore refrigeſcunt. Caput vero vertigine tentatur varia, nec antemeridiana tantum, quam & alii frequentius experiuntur, ſed promeridiana etiam, & interdum nocturna. Dolores capitis, præcipue in occipite, oriuntur, iidemque ut plurimum ſubiti, acuti & profundiores, qui gravitate quadam & compreſſione agunt, diutiuſque perſeverant. Sopor ingraveſcit, & ſomnolentia, ſomnus fit admodum profundus, in eodemque interdum ſtridor dentium, atque incubus etiam frequentior, poſt eum vero ſenſuum hebetudo totiuſque corporis languor potius, quam refectio evenit. Venæ tument jugulares, facies evadit coloratior, cum capitis plenitudine, & viſus variis modis obſcuratur. Nanque nunc caligines quædam oboriuntur, nunc vero ſplendor & coruſcationes generantur, & ſubito evaneſcunt, iterum vero confeſtim redeunt, atque iterum etiam pereunt. Ipſi autem oculi pallidi turgidique comparent, & lacrimis, utut inviti, perpetuis madent. In auribus ſuſurri atque tinnitus oriuntur repentini, iidemque vel diutius perſiſtunt, vel, ſi remiſerint, frequentius revertuntur. Ipſa etiam mens multum perturbatur, ſtupidiorque triſtis & anxia redditur, memoriæque & ingenii vis ſenſim ſenſimque enervatur. Neque minus lingua reſolvi videtur, ut nunc maxima, eaque ſubita motus impotentia, nunc balbuties, & vox tremula conjungatur, quæ ſi ſæpius redeant, fere non fallax apoplexiæ acceſſuræ ſignum expromunt. Labia nonnunquam tremunt, mucuſque & ſaliva largo in os proventu derivantur & ſternutationis quidem conatus excitatur, ſed ex impotentia non ſuccedit. Reſpiratio ad minimos motus evadit anheloſa, cum anxietatibus anguſtiiſque præcordiorum, & pinnis narium compreſſis. *k*) Urina non longe ante lapſum excernitur, velut æruginoſa, atra, modica, in qua velut farina quædam ſubſidet. Præter quæ omnia Cælius adhuc Aurelianus, frequentem indigeſtionem, difficilem excretionem, & tandem vehementem meningis ſaltum in pueris annotavit. *l*) Quæ ſymptomata, niſi pleraque animadvertas, (omnia enim in uno eodemque homine vix convenient) apoplexiam certo prædicere non licet. Ex iis enim nonnulla diu multumque, ſæpius etiam ad vitæ exitum, ſine magno ſanitatis detrimento tolerantur, ut vertiginis auriumque tinnitus exemplo patet, neque ullam apoplexiam ſuo acceſſu portendunt. Quare non unum alterumque, ſed ſi plura ſimul compareant, ad animum revocentur. Aliquando autem, etſi nihil horum anteceſſerit, atque homo ſanus, beneque valens, de nullo morbo cogitet, ex improviſo plane, & præter omnem opinionem attonitus redditur, atque inter epulas ſæpe & pocula, choreaſque & tripudia ita proſternitur, ut ſine omni motu ſine ſenſu & mente jaceat, perinde ac ſi fulmine, vel infauſto quodam ſidere afflatus perculſuſque fuiſſet.

§. III.

Symptomata præſentis apoplexiæ communia.

Ita enim agitur cum homine, ubi nunc ipſa apoplexia ad vigorem, vimque agendi maximam perducta ingraveſcit. Quippe niſi ſenſim ſenſimque animales actiones ceſſant, (§. I.) quod rarius evenire ſolet, homo, momento temporis, & antequam ipſe animadvertat, miſer, ſuique impotens, cum clamore, ut plurimum ſimili eorum, qui ſtrangulantur, in terram prolabitur, & trunci ſtipitiſque inſtar immotus jacet, ac profundiſſimi ſomni imaginem refert, difficilemque ſpiritum ore hiante atque ſtertente ægre admodum trahit. De iis enim qui extemplo exanimantur,

h) In Diſſ. de Apoplexia, Helmſt. habita.
i) Conf. & Pelargi *obſ. Clin. p.* 239. de anno 1721.
k) Boerhaave Aphor. de cognoſc. & curand. morb. §. 1010. 1020.
l) Lib. III. de Morb. Acut. c. 5.

tur, nihil amplius dicam, cum ad Medicorum curam porro non pertineant. Quibus vero vita adhuc ex gravi periculo ſervata fuit, iis tamen ſenſus motuſque periit omnis, adeo, ut ſi crus, brachiumque vel confringeretur, vel perforaretur, nullum tamen ex ſententia Foresti, in affectu præcipue graviori, ſenſus indicium prodituri eſſent. Univerſi corporis membra languida atque flaccida, & velut relaxata evadunt, ut ſi pes bracchiumque elevetur, pondere ſuo, ut in cadaveribus, iterum delabantur. Nec lingua officium præſtat, motu ſermoniſque uſu, qui in primo morbi inſultu adhuc integer fuerat, deſtituta. *m*) Quanquam Celeberrimis Medicis Vratiſlavienſibus, loquelam per aliquot adhuc horas nonnullis ſuperſuiſſe, obſervatum fuit. *n*) Palpebræ retinentur velut ſuſpenſæ, & oculi rigidi, quaſi vitrei, & nec plane aperti, nec plane clauſi conſpiciuntur, ex quibus ſerum & lacrymæ nonnunquam manant. Liquidum, quod ori infunditur, nunc quidem per œſophagum demittitur, nunc vero etiam per os reddi & reſilire ſolet. In nonnullis contorſio quædam ſpaſmodica os adeo conſtringit, ut magna opera vix ac ne vix quidem aperiri queat. *o*) Sæpius vomitu naturæ ope producto, ingens materiæ etiam ad nigredinem corruptæ colluvies eliminatur ex ventriculo, nonnunquam & alvi fit dejectio, & urinæ ſua ſponte excernuntur. Licet vero attonitus homo, ſi hanc ejus faciem rite intuearis, mortuo non adeo diſſimilis videatur, ſuperſtites tamen ſemper habet motus, quibus vita proxime ſuſtentatur & conſervatur, ſyſtolen & diaſtolen cordis, atque reſpirationem, etiamſi ut plurimum & hæ turbentur ſimul, & pervertantur. Ac pulſus quidem interdum a naturali ſuo vigore parum recedit, nonnunquam plenior & ſatis validus, at inæqualis, interdum parvus, debilis atque crebrior reddi conſuevit. Pari etiam ratione reſpiratio interdum parum mutatur, niſi quod aliquantum fiat difficilis, & cum ſtertore ac ſibilo conjungatur. At vero in aliis magis anhelosa evadit & inæqualis, cum graviori etiam ſtertore, ita ut æger propemodum ſuffocetur, atque pectus non aliter laboret, quam ſi vinculo quodam adſtrictum, magnis licet conatibus ſe agitans, attolli tamen haud queat, ſpirituſque anxie & ægre multo cum ſibilo elidatur. Atque vehementer errat Cl. Bartholomæus de Moor, *p*) quando Apoplexiam comminiſcitur, ab omni prorſus ſtertore liberam, cujus errorem docte, ut ſolet, notavit Illuſtr. Bergerus, & hoc ipſo a congeneribus morbis apoplexiam diſtingui oſtendit. *q*) Qua in re conſentientes ſibi habet Rhasen *r*), Casparem Hoffmannum, *s*) Justum Cortnummium *t*) & Laurentium denique Bellinum *u*) qui omnes ab apoplexia ſtertorem nunquam abeſſe, graviter pronuntiarunt. Neque audiendos eos eſſe puto, qui in apoplexia reſpirationem eo uſque imminui exiſtimant, ut plane ſublata eſſe videatur. Quod etſi apoplecticis, ubi morbus ingraveſcit, evenire non ignoro, rem tamen tunc jam conclamatam eſſe, atque veram acceſſiſſe ſyncopen, idoneis ex argumentis arbitror. Ut adeo, qui apoplexiam ſine reſpiratione cordiſque motu eſſe propugnant, morbos inter ſe diverſos commiſceant, atque peſſimo erroris exemplo turbent. Namque illud profecto exercitatione artis, & crebra prudentum obſervatione ſatis conſtat, ſiderationem non ſemper ſimplicem eſſe, ſed nunc cum ſyncope, nunc epilepſia, nunc catarrho ſuffocativo ſociari, atque pro horum conditione adfectuum, multa adſciſcere ſymptomata, quæ propria alias perpetuaque non habet.

§. IV.

Symptomata ſingularia Apoplexiæ ſanguineæ.

Ut vero in viam redeam, atque ſingulares & jam, quæ modo adſunt, modo abſunt, afflictiones recitem, videas in nonnullis faciem atque genas rubicundo & florido admodum colore eſſe ſuffuſas, qui tamen ingraveſcente morbo, & periclitante magis reſpiratione in obſcuriorem & plumbeum mutatur. Vaſa, quæ per faciem, & inprimis circa tempora diſtribuuntur, diſtenduntur admodum & turgent, ut hinc totus vultus tumeat, atque ipſe etiam ſanguis ex ore, naribus atque auribus profundatur. In his liberior ſubinde reſpirandi vis ſupereſt, ſenſuum vero omnis vigor plane interceptus videtur. Antequam e vita decedunt, præter dentium ſtridorem, convulſionibus agitantur variis, ita, ut pectus cum ſtertore, roncho, & ſonitu attollatur & elevetur, atque ventriculus per vomitum invertatur. Poſt obitum cruor ex ore & naribus aliquando manat, maxime, ſi ſanguinis fluxus qui diu familiaris fuit, imprudenter prohibitus malum provocaverit, & caput in mirificam magnitudinem diſtenditur. Atque in ejuſmodi incidunt apoplexiam temperamenti ſanguinei, vel cholerici, vel ex utroque mixti, ætatiſque virilis, & victus lautioris, & multo abundantes ſanguine, homines, quam ſibi maxime ex abuſu vini liquorumque aliorum inebriantium, ſalutarium ſuppreſſione hæmorrhagiarum, & ira graviori contrahere ſolent. Quodſi, ut morbi gravitas poſtulat, obſervationes, ex cadaverum hac apoplexia demortuorum ſectione natas, in ſubſidium vocamus, patet, vaſa ſanguifera, quæ per utramque meningem, atque ipſum cerebri corticem admirabili ordine feruntur, ſanguine nunc liquido, nunc concreto diſtenta atque turgida, & velut varicoſa comparuiſſe, nunc vero diſſolutis iis ſanguinem modo inter cranium, & duram matrem, modo inter hanc & piam matrem, modo inter hanc & cerebrum, modo in hujus anfractus & ventriculos, nunc in baſin cranii delapſum, & interdum

m) Ob frequentiam hujus ſymptomatis Hippocrates morbum hunc frequenter ἀφωνίαν ſimpliciter dixit.
n) In Hiſt. morb. Vratiſlav. Ann. 1702. p. 15.
o) Wepferus in Hiſtoria Apoplectic. p. 443. edit. noviſſ.

p) Pathol. cerebr. c. 25.
q) Diſſ. de Apoplex. §. 4.
r) C. IX. ad Manſ. de re med.
s) Animadverſ. in Mont. c. 14.
t) de Morbo attonito c. 37.
u) de morbis capitis p. 437

dum ſatis magna copia repertum eſſe, quod a locupletiſſimis teſtibus BARTHOLINO *x*), LUDOVICO DURETO *y*), CAROLO FRACASSATO *z*), qui auctoritate magni Hetruriæ Ducis corpora hoc morbo extinctorum diligenter ſecuit, immortalium meritorum Viro JO. JACOB. WEPFFERO *aa*) qui incredibili induſtria, veram morbi originem atque ſedem per inciſiones cadaverum perquirere allaboravit, THEOPHILO BONETO *bb*) & literatiſſimo Italiæ Medico JOANNE MARIA LANCISIO *cc*) atque celeberrimo etiam PETRO DIONIS *dd*), & quis omnes enumeret? cumulatiſſime comprobatum fuit.

§. V.

Symptomata ſingularia pituitoſa.

Videas contra & alios, in quibus longe diverſa eveniunt, ita ut facies pallida, & exſanguis, & vaſa nulla cernantur cruore tumida, motus omnes uno velut impetu ceſſent, reſpiratio quam maxime turbetur, cum ſtertore ſibiloque longe vehementiori, totumque corpus tepore velut quodam perfundatur, & ſi mors propius adſit, ſpuma ex ore prodeat. Invadit quam maxime homines temperamenti phlegmatici, aut phlegmatico-melancholici, ætatis ſenilis, otioſos, & corporis exercitationibus parum deditos, oriturque potiſſimum ex tempeſtatum viciſſitudinibus, aeriſque temperie humida & frigida, abuſu ejuſmodi alimentorum, catarrhalium evacuationum ſuppreſſione, fitque tum maxime, ubi torpor & ſtupor, & aurium tinnitus, atque tumor interdum œdematoſus anteceſſit. Ipſa etiam inciſione illorum poſt mortem inſtituta, comperimus, in eorum cerebro, non cruorem, ſed humorem magis ſeroſum, nunc limpidum, nunc glutinoſum atque pituitoſum, maxime in ventriculis eſſe accumulatum, ut præter alios a MARCELLO DONATO *ee*), COLUMBO *ff*), HORSTIO *gg*), TULPIO *hh*), ROLFINCKIO *ii*), FERNELIO *kk*), PLATERO *ll*), HENRICO AB HEER *mm*), RIOLANO *nn*), BONETO *oo*), & qui primo loco laudandus erat, nec unquam ſatis collaudabitur, WEPFFERO *pp*) obſervatum eſſe conſtat.

§. VI.

Diviſio apoplexiæ in ſanguineam atque phlegmaticam confirmatur.

Atque ex his, quæ hactenus (§. 4. 5.) attuli, ſatis opinor cognoſcitur, duplicis eſſe generis apoplexiam, aliam ſanguineam, aliam ſeroſam, quarum illa ſanguini florido & copioſo, vaſaque cerebri nimium diſtendenti, hæc vero pituitæ potius & relaxationi partium debetur. Quamvis enim in operibus poſthumis MALPIGHII levis & puerilis hæc appelletur diſtinctio *qq*), atque ab Illuſtri etiam BERGERO reprehendatur *rr*), quod utraque apoplexia ex turbato per tubulos cerebri ſanguinis circuitu ſuſcitetur: eam tamen merito retinendam eſſe juſtis ex cauſis exiſtimo, quod ipſam & ſymptomatum, & cauſarum προηγουμένων æque ac προκαταρκτικῶν, eventuum, atque ipſius etiam curationis, diverſitas ſatis tuentur.

§. VII.

Gradus Apoplexiæ

Neque minus etiam vi eorum, quæ ſupra commemoravi (§. 3. 4. 5.) morbus attonitus recte vehementia, magnitudine, & gradibus diſtingui ſolet, de quibus tamen recte conſtituendis admodum diſſentire Auctores animadvertas. Ex mente DIVINI SENIS noſtri in leviorem atque fortiorem dividitur *ss*); GALENUS vero *tt*) & cum quondam ſub ejus imperio univerſa propemodum res eſſet Medica, omnes, quos numero plurimos habuit, ſectatores, quatuor gradus proponunt, eoſque a reſpirationis gravitate diſtinguunt. Alii vero & tres, alii duos gradus comminiſcuntur. Quod ſi vero prout par eſt, graviorum leviorumque ſymptomatum, atque imprimis ſtertoris nunc vehementioris, nunc lenioris rationem habeamus, commode ad duas revocari claſſes, & leviorem eſſe aliam, aliam graviorem, facile patebit. Et levioris quidem exemplum proponitur ab Illuſtr. FRIDER. HOFFMANNO Præſide meo graviſſimo *uu*), ubi quidam ſubita, & inopinata vertigine correptus, perdito omnium uſu ſenſuum, velut fulmine tactus in terram proſternitur, mox autem intellectu atque ſenſu redeunte ſe iterum erigit, quamvis ſtupidus & temulentus aliquamdiu permanſit.

§. VIII.

Differentia a morbis cognatis.

Quæ enarravi ſymptomata, eo quoque pertinent, ut tum ipſe morbus recte cognoſcatur, tum ab aliis morbis, cum quibus aliquam videtur habere cognationem, dignoſcatur. Certe enim tantum non omnes, qui ſubita morte diſcedunt, apoplexia interiiſſe, percelebrata vulgi ſermonibus opinione feruntur. Imo interdum & Medici in eundem errorem conſentiunt, &, ubi repentina mors ægrotum jugulavit, veræ ignari cauſæ, ſemper apoplexiam arguunt, quos propterea ut olim GEDEON HARVEUS, ita noſtra ætate Illuſtris HEUCHERUS *xx*) optime reprehendit. Neque ſane decet Medicum morbos

x) Cent. II. Hiſtor. Anat. 60.
y) Comment. in Prænot. Coac. pag. 336.
z) Diſſ. Epiſtol. de cerebro ad Malpighium.
aa) In Hiſtoria Apoplecticorum Amſtelodami MDCCXXIV. denuo edita.
bb) In Sepulchreto S. Anat. Pract. Lib. I. Sect. II.
cc) De mortibus ſubitaneis elegantiſſimo libro.
dd) Sur la mort ſubite.
ee) Lib. II. Hiſt. Med. Mirab. c. VI.
ff) Anatom. c. 15.
gg) Obſerv. Anat. 3.
hh) Lib. I. Obſ. c. 3.
ii) Lib. I. Diſſ. Anat. c. 13.
kk) De abdit. rer. cauſ. Lib. III. c. 15.
ll) Practic. Lib. I. c. 2.
mm) obſ. II. pag. 120.
nn) Anthropol. p. 178.
oo) l. c.
pp) l. c.
qq) p. 85.
rr) l. c. §. 13.
ss) Sect. II. Aphor. 42.
tt) Lib. III. de loc. affect. c. 7. & 10. & Commentar. ad modo dictum Hippocrat. locum.
uu) Tom. IV. Med. Conſultat. Dec. IV. caſ. 4.
xx) in Diſſ. de error. circa cauſas mortis ſubitæ a §. 9. ad 13. Præclare HEUCHERUS notat, plebem & Medicos nonnullos, mortis ſubitæ cauſas non ſtatim obvias, vel ab apoplexia, ſyncope, catarrho ſuffocativo, vel a veneno etiam aſſumto arceſſere,

bos inter ſe diverſos confundere, ſed potius, quibus rationibus inter ſe diſtinguantur, accuratius intelligere, plurimum profecto intereſt. A ſyncope igitur, ut ab hac exordiar, diſtinguitur apoplexia, primo, quod in illa motus cordis atque arteriarum plane deſiiſſe videtur, vel maxime tamen minuitur. In hac vero tametſi infirmior pulſus redditur, ſibi tamen magis conſtat, validiuſque micat. Deinde in illa omnis reſpiratio pariter ſublata videtur, quæ in hac tamen perdurat, utut cum ſtertore & ſibilo conjuncta. Poſtea illa juniorem & ſenilem ætatem, nullo habito diſcrimine, hæc vero utplurimum ſenilem, vel ei propinquam infeſtat. Demum in illa oculi cernuntur clauſi, vel ſaltim torpidi, in hac vero rigidi, & vel plane, vel aliquantum aperti. Tandem in illa vultus expalleſcit non ſecus ac in demortuis, in hac autem, præcipue ea quæ ſanguinea vocari ſolet, genæ totuſque vultus rubent. In epilepſia variis motibus caput & reliqua membra agitantur, & contorquentur ſecus ac in apoplexia evenit. Et quamvis uterque interdum affectus conjungatur, uterque tamen ſuis etiam notis & indiciis diſcernetur. Epileptici enim velut ſumma vi proſternuntur, cum apoplectici ſuo deſtituti robore, & fulcimentis, tantummodo prolabantur. Quæ ſuffocatione uterina laborant, acclamationes voceſque aliorum exaudiunt, & reliquis ſenſibus fruuntur integris, & intelligunt, quæ ſecum agantur, & acta referunt, multiſque adeo cauſis ab apoplecticis diſtinguuntur. Quantum a catarrho ſuffocativo apoplexia abſit, ille intelliget, qui lapſum apoplecticorum in terram, & ſpumam ex ore prodeuntem recordatur, atque ſimul qualemcunque ſenſus motuſque, quæ in illo ſupereſt, incolumitatem cogitat. Lethargus paulatim ingraveſcit, motumque cordis & reſpirationem parum mutat, eoque laborantes, quamvis ſomnolenti, excitantur tamen, & voce utuntur libera. Carus itidem pedetentim invadit, atque febrim, ut a nonnullis vox ea uſurpatur, conjunctam habet, reſpirationem relinquit liberam, tactumque & reliquos ſenſus incolumes, remediiſque interdum penitus perſanatur, nec ulli morbo alii, ut in apoplexia haud raro fieri aſſolet, viam aperit. Ut vel exinde cognoſcatur, quo diſcrimine morbi hi ſoporoſi & attonitus diſtinguantur. In catalepſi, rariſſimo certe affectu, repentinus & fortiſſimus corporis rigor oboritur, per quem ægrotantes, in eo ſtatu, quo prehenſi fuerunt, detinentur, ut deinde totam ſtaturam, geſtus oris oculorumque, & membrorum poſitus conſervent, velut in ſaxum & ſtatuam converſi. Apoplectici autem non toto obrigeſcunt corpore, ſed flaccidi membris, & velut relaxati ſe amplius non ſuſtentat, & tota mole corporis in terram proſternuntur.

§. IX.

Quotquot vero frequentius cum malo tam atroci, & exitioſo conflictantur, eos omnes vel populari obſervatione liquet, eſſe homines virilis aut ſenilis ætatis, adeo, ut jam olim ſummus HIPPOCRATES noſter illud inter ſenum morbos retulerit. *yy*) Atque ſanguinei quidem poſt annum quadrageſimum, phlegmatici vero paulo ſerius & provectioribus annis eo affliguntur. Quod idem jam olim, quem modo collaudavi, HIPPOCRATES præclare intellexit, qui apoplexias ab anno quadrageſimo ad ſexageſimum eſſe crebriores, pronuntiavit. *zz*) Neque tamen propterea tenellos atque juvenes plane immunes putemus, eos inprimis, qui multum in venis alunt ſanguinem, eundemque vel ſpirituoſi potus abuſu, vel iracundiæ fervore incendunt. Ita, quamvis JUSTUS CORTNUMMIUS, unicum tantum per vitam ſe vidiſſe referat Apoplexiæ exemplum in infante *a*) bini tamen Cl. Medici Vratiſlavienſes *b*) atque unum AMATUS LUSITANUS *c*) itemque HAGENDORNIUS *d*) commemorant. Atque Cl. pariter Medici Berolinenſes exemplum recitant pueri, qui ex fluore auris ceſſante apoplexia interiit *e*), TULPIUSQUE *f*) & BINNINGERUS *g*) de juvene, & Vratiſlavienſes de virgine quatuordecim annorum attonitis exponunt. *h*) Neque vero illud præteriri debet, ad ſanguineam apoplexiam pronos magis atque proclives eſſe homines ſanguineæ aut ſanguineo-cholericæ temperaturæ, quum ſeroſa in phlegmaticos atque ſeroſos facilius incidat. Et quemadmodum habitiores atque obeſos ætatem grandiorem haud facile aſſequi, HIPPOCRATES jam *i*) atque GALENUS *k*) notaverunt; ita & apoplexiæ eos admodum eſſe obnoxios, binis exemplis, quæ apud TIMÆUM A GULDENKLEE extant *l*) confirmatur. Atque notius propemodum eſt, quam ut multis exponi debeat, quantum momenti ad morbum data occaſione producendum habeant ſanguinis evacuationes, ſive naturæ beneficio ſive artis auxilio ſuſcipiantur, ſi poſtquam antea diu multumque repetitæ, & in conſuetudinem verſæ fuerant, deinceps intermittuntur. Quod ſi præterea ad corporis fabricam reſpicias, homines colli brevioris & toroſi, atque ſex ſæpe vertebris tantummodo exſtructi proni ad apoplexiam eſſe, a compluribus, ſigillatim LOMMIO, *m*) WILLI-

Cauſæ προηγούμεναι.

ſere, vel externam aliquam violentiam, aut medentis Medici errorem, arguere, vel dæmonis præſtigias, & illuſiones, aut numen iratum juſtum ſcelerum vindicem, ſine omni ſæpius ratione & judicio allegare. Eundo per claſſes ſingulorum optime demonſtrat, ubi hæc illave cauſa adducta fuerit, qua ratione aperuerit errorem Anatome, quam optimam de cauſis mortis ſubitæ magiſtram eſſe oſtendit.

yy) Sect. III. Aph. 31.

zz) Sect. VI. Aph. 57.

a) de morb. atton. c. 19. p. 74.

b) Hiſt. Morb. Vratiſlav. A. 1702. p. 8.

c) Cent. III. Obſ. 22.

d) Cent. I. obſ. 32.

e) Act. Med. Berolinenſ. Vol. II. Dec. I. p. 39.

f) Lib. I. obſ. c. 7.

g) Cent. IV. Obſ. 4.

h) l. c. p. 9.

i) Sect. I. Aphor. 3.

k) de morb. different. lib. III. c. 9.

l) Lib. VI. c. 2. vid. & BARTHOLINUS Cent. I. Ep. 2. & FORESTUS Lib. X. Obſ. 70.

m) Obſ. Med. p. 72.

ſio *n*), Boerhaave, *o*) Vratiſlavienſibus *p)* memorantur. Patent eidem admodum, qui otio & torpori ſomnolentiæque indulgent, & nullis corpus laboribus commotionibuſque exercent. Venit mihi hic in mentem recordari eorum, quæ celeberrimi, quos ſæpius prædicavi, Vratiſlavienſium Medici, ubi de attonitis ſui temporis exponunt, ſimul notant, *q*) deſides fuiſſe omnes & otio deditos, nec ullam inter ea, quæ ore aſſumſerint, corporiſque exercitationes, ſervatam eſſe proportionem. Nullo autem anni tempore corpora apoplexiam tam promte ſuſcipiunt, quam autumno & hyeme. Qua ratione pridem eam Hippocrates inter hybernos morbos numerat, *r*) atque illi etiam, qui in ſuis Ephemeridibus Medicis morbos ex aëris intemperie notos recenſent, crebro admodum in hyemalium numero morborum apoplexiam enarrant. Denique non contemnenda videntur, quæ nonnulli memorant, eſſe quoſdam velut hæreditatis jure huic affectui deſtinatos, cum Hoefferus familias quaſdam propter nativam cerebri imbecillitatem malo huic admodum obnoxias cognoverit *s*) illiuſque ſententiam ſuis alii auctores obſervationibus confirment.

§. X.

Cauſæ προκαταρκτικαί.

Quibus vero ex cauſis morbus hic excitetur, eas tot tantaſque eſſe video, ut a quibus exordiar, ipſemet propemodum ignorem. Principem tamen locum merito ſuo ſibi vindicant, quæ peſtis & pernicies quædam noſtratium perpetuo fuerunt, perpetuæ commeſſationes & ingluvies, atque ebrioſitas, vini, & omnium liquorum ardentium & inebriantium, maxime autem vini, quod vocant, aduſti, abuſus, quibus certe noſtrates adeo delectantur, ut Henricus ab Heer non alia de cauſa Septentrionis populos apoplexiæ ut plurimum funeſtæ obnoxios eſſe exiſtimet. *t*) Atque de Romanis ſuis, quotquot vidit, apoplecticis idem pronuntiat Illuſtris Lancisius, *u*) neminem eorum vitæ ſobriæ admodum deditum fuiſſe. Nec alio, mea quidem ſententia, exemplo clarius intelligitur vis ejuſmodi liquorum, capiti perquam inimica, quam illius aulici, quem Cl. Peyerus ex ſpiritus vini abuſu in apoplexiam incidiſſe refert. *x*) Cujus cum poſt obitum incideretur cadaver, vaſa capitis non tantummodo haud parum erant tumida, ſed ablato cranio diſciſſiſque meningibus ipſius ſpiritus vini odor copioſe exhalabat, atque nauſeam quandam & moleſtiam adſtantibus excitabat, manifeſto argumento, ipſas hujus liquoris particulas quaſdam uſque ad tenuiſſimos cerebri tubulos veniſſe, atque tot in capite afflictiones demum mortiferas exſuſcitaſſe. *y*) Alterum ab his locum tribuo variis ſanguinis detractionibus, quas natura ad levandum, & a variis morborum generibus liberandum corpus noſtrum inſtituere ſolet, quibus non immerito & reliquas ſanguinis eductiones arte factas adjungendas puto. Quarum illæ, ſi vel ſua ſponte deſinunt, aut inſigniter minuuntur, aut intempeſtivis retinentur medicationibus, hæ vero diu multumque repetitæ, poſtmodum plane negliguntur, ingens ſæpe, & quod vix expectaveris, detrimentum afferunt. Id quod cognitum fuit Medicis Vratiſlavienſibus, qui candide fatentur, *z*) in ſua urbe vix unum alterumque attonitorum fuiſſe elatum, qui non ejuſmodi evacuationes cum naturales, tum arte factas neglexerit. Certe quibus in pueritia narium hæmorrhagiæ fuerunt frequentiores, quæ provectioribus annis vel ex ſanguinis per alia loca diminutione, vel aliis etiam cauſis deſierunt, in ſenectute autem redeunt, ii ſi vel plane eaſdem reprimant, vel ſua ſponte iterum ceſſantes non juvent, cum aliis graviſſimis capitis affectibus, tum inprimis apoplexia facile & præter opinionem divexantur. Quod idem etiam fit, ſi hæmorrhagia narium uſque ad ſenectutem perſeveravit, nec unquam intermiſit, poſtea vero imprudenter coercetur. Idque ſuo teſtatur exemplo aurifaber ille Lauſannenſis, qui cum identidem ab ineunte ætate ſanguinis per nares fluxionem perpeſſus eſſet, poſtea ad ſexageſimum annum provectus, cum grave aliquod periculum ſibi inde metueret, eandem quidem compeſcuit, ſed funeſto admodum eventu. Quippe ipſemet non ita multo poſt apoplexia graviori oppreſſus vitam cum morte commutavit. *aa*) Hæmorrhoides, quarum ſalubritatem noſtra iterum ætate adeo prædicant, & extollunt, dici non poteſt, quantam ſanitati labem affricent, ſi vel ſponte vel arte coerceantur, adeo, ut cum alios innumerabiles fere morbos, tum inprimis etiam apoplexiam pariant, alantque, quod ut jam olim magnus Hippocrates tradidit, *bb*) ita ex recentioribus Amatus Lusitanus *cc*), Schmidius *dd*) atque Illuſtris cum primis Lancisius *ee*) ſuis obſervationibus confirmant. Neque alienum videbitur, ubi in hoc argumentum incidi, novum aliquod funeſti ex hæmorrhoidum perturbatione eventus exemplum exponere, quod mecum a perito prudentique Medico communicatum fuit. Quippe Chirurgus quidam Caſtrenſis annorum triginta ſex, temperamenti

n) de Anim. brutor. P. II. P. 143.
o) Aphor. de cognoſ. & curand. morb. §. 1010.
p) l. c.
q) l. c.
r) Aph. III. 23.
s) Herc. Med. c. 1. p. 4. vid. Hildesheim Spicil. VI. de Apopl. p. 509. Forestus Obſ. X. obſ. 47. 80. Sennertus Lib. II. Prax. Part. I. c. 11.
t) in Obſ. Med.
u) de mort. ſubitan.
x) Diſſ. de Apopl. Helmſt. habit.
y) Plura exempla apoplexiæ ex his cauſis ortæ vide apud Fonſecam Lib. I. conſ. 86. Forestum Lib. X. obſ. 69. Carol. Pisonem de colluv. ſeroſ. p. 88. Wepfferum libr. cit. var. loc.
z) Hiſt. morb. Vratiſlav. 1702. pag. 25.
aa) Hildanus Cent. III. Obſ. II.
bb) in Prænot. Coac.
cc) Cent. V. 3.
dd) Diſſ. ſingulari Altorfii habita, qua apoplexiam lethalem ortam ex inconſulta hæmorrhoidum ſuppreſſione per adſtringentia & opiata facta propoſuit, ubi etiam ex relatu Celeberrimi Baieri apoplexiam ex hæmorrhoidibus ſponte ceſſantibus productam, ſed tamen curatam enarrat.
ee) l. c. p. 46.

peramenti cholerico - melancholici, laboribus itineribuſque ab ineunte ætate aſſuetus, vini inprimis aduſti amantiſſimus, hæmorrhoides tam cœcas, quam fluentes antea expertus, hyberniis autem & otio aliquot annos fruens, tunc liber ab iis, quum de anguſtiis pectoris, quibus mox tuſſis ſicca & preſſio in dorſo gravans conjungebatur, ita ut nec libera eſſet reſpiratio, nec ſupinus commode decumberet, quereretur, Medicum quem jam collaudavi, adiit, conſilium ejus exploraturus. Hic auctor illi ſuaſorque fuit, ut ſanguinis per venæſectionem detractione facta, motu corpus exerceret, pulveribuſque temperantibus uteretur, & de hæmorrhoidibus reſtituendis cogitaret. Ille vero ſubridens abiit, venamque in brachio incidit, ſed vehementiſſimas pectoris anguſtias auxit, ad quas mitigandas, ſecta iterum brachii vena, emetico, quod a Medico graviter ante improbatum fuit, ſibi ſoli ſapiens, ut hæc gens aſſolet, morbum aggreditur, atque id etiam efficit, ut ille uno quaſi ictu totus ſuperatus videretur. Quum vero paucis diebus poſt eadem ſpirandi difficultas, & pectoris anxietas redirent, emeticum repetit, nec ſine felici, ut putabat, ſucceſſu. Denique vero affectus tanta vehementia, tantoque impetu recrudeſcit; ut res jam conclamata eſſe videretur. Rubebant genæ, tota facies erat turgida, venæ jugulares maxime conſpicuæ, ſudor largus & anxius, tremor omnium artuum, pedes frigidi, reſpiratio anheloſa, & crebra, pulſus celer & durus, præcordiorum anxietas tanta, ut ne caput elevare quidem poſſet. Ex ore manabat ſine intermiſſione tenue ſputum, conjuncta tuſſi; alvus erat obſtructa, & quies nulla; in ſella ſedebat æger, cum nec jacere, nec obambulare ipſi ob interclusum ſpiritum, & ſuffocationis metum liceret. Idoneis autem remediis a Medico ſuſcitatus, revocatis etiam hæmorrhoidibus, liber ab omnibus iis moleſtiis optime ſe habuit. Accedentibus vero hæmorrhoidibus cœcis, cum hirudinum uſum detrectaret, nec dolores exquiſitos æquo animo ferret, in ſcipientibus, quæ ipſi tamen candide diſſuaſerat Medicus, omnem ſpem fiduciamque collocavit. Quapropter veſperi, antequam in lectum ſe recepit, quinque grana maſſæ pilularum de cynogloſſa aſſumſit, doloribuſque extemplo mitigatis, & ſopore reſtituto, exoptatum hunc eventum Medico ſuo hilaris mane enarravit. Obſtupuit hic, obſervataque urinæ, quæ cereviſiæ ex hordeo coctæ perquam erat ſimilis, mutatione, ægrotantem ea de re interrogavit reſponſumque ab illo tulit, ſe aliquot granis maſſæ pilularum de cynogloſſa uſum eſſe, optimeque valere. Vix ea dixerat, cum in conclavi, in quo cum Medico deambulat, hemiplexia tactus proſternitur, ex qua non ita multo poſt etiam deceſſit. Nec aliter agitur cum fœminis, ſi ſanguinis fluxus, quos peculiares habent, menſtruus atque lochiorum, ſubſiſtant, atque ad alias partes cruor propellatur. Ex utrorumque enim cum menſium *ff*) tum lochiorum *gg*) ſuppreſſione ortam Apoplexiam conſtat, ſuoque damno experta eſſe memoratur ab Hildano *hh*) mulier illa, quæ ſanguinem menſtruum non per vias a natura conſtitutas, ſed per os atque nares ſatis copioſe hucuſque reddiderat; quum vero ejus rei pertæſa fluxum intempeſtive ſedaverat, in apoplexiam incidit, eandemque mortiferam, & poſt horas ab obitu triginta ſex ſanguinem ex locis memoratis adhuc excrevit. Verum miſſis his ad alias etiam cauſas progrediamur, & cum tantam eſſe vim aeris ad ſanitatem tum confirmandam, tum invertendam compertum quiſque habeat, videamus etiam, quantum ad procreandam apoplexiam valeat. Atque hanc profecto nunquam tam crudeliter & tam frequenter in vitam ſalutemque hominum deſæviiſſe pridem a præclaris quibuſdam Medicis annotatum fuit, quam ubi poſt æſtatem admodum ſiccam & fervidam hyems urſit frigida quidem, ſed humida ſimul & pluvioſa. Hæc fuit ratio, quare anno MDLXII. tanta hominum multitudo apoplexia deceſſerit. *ii*) Atque cum anno MDCLXXXXIII. æſtas eſſet adeo fervida, ut omnia ſqualore & ſiccitate confici & conſumi viderentur, frigus vero ineuntis anni MDCLXXXXIV acutiſſimum, æſtas vero quæ ſubſequebatur ſuperiori longe ardentior, & per quinque continuos menſes nullis terra pluviis irrigaretur, donec demum circa calendas Octobres primæ deciderent, eædemque ad menſem Aprilem perſeverarent, tanta copia, ut poſt hominum memoriam non viſæ fuerunt uberiores, atque quindecim dies pluvioſi, vix unico ſereno diſtinguerentur, Romæ annis jam commemoratis, ut præclare docet præſtantiſſimus Romanorum Medicus Georgius Baglivius *kk*) epidemica invaſit apoplexia, adeo quidem aſſidua, ut quovis propemodum momento ſubita mors metuenda eſſet. Atque in eandem ſententiam Ephemerides Germanorum Medicæ referunt, ſub humido pluvioſæ hyemis temperie anno MDCC Vratiſlaviæ, *ll*) anno MDCCII Berolini *mm*), & anno MDCCV Auguſtæ Vindelicorum *nn*) Apoplexias crebras admodum atque familiares fuiſſe. Neque minus Illuſtris Lancisius *oo*) quando de Apoplexiis Annorum MDCCV & VI frequentioribus differit, omnem earum originem ab æſtate fervida & ſicca, autumno deinceps pluvioſo, & tandem hyeme inæqualiter boreali & auſtrali repetit. Eandemque ob rationem Anno MDCCXII *pp*) atque Epperiis MDCCXVIII tantam hominum copiam attonito prehenſam eſſe morbo ille intelliget, qui cum eodem antecedentem tempe-

ff) Vid. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. Obſ. 225. Fontan. Reſponſ. & Curat. Med. Lib. I. p. 25.

gg) Ballonius Paradigm. p. 318. Eph. N. C. Dec. II. Ann V. p. 71.

hh) Cent. III. obſ. 12.

ii) Forestus Lib. X. Obſ. 70. Conf. Hippocratis Aphor. III. 16.

kk) Oper. p. 683.

ll) Ephem. Nat. Cur. Dec. *III*. Ann. 9. & 10. App. p. 20.

mm) l. c. p. 81.

nn) l. c. p. 38.

oo) de mort. ſubit. Lib. *II*. c. 11.

pp) Ephem. N. C. Cent. I. App. p. 30.

tempeſtatem diligenter comparabit. *qq*) Præterea quoque ipſum frigus, acre nimis & intenſum, in primis ſi tempeſtas magis mitis & clemens præceſſerit, apoplexias generat admodum frequentes, & memini, cum ineunte anno MDCCXXVI frigus acutiſſimum ſubito oriretur, Lipſiæ multos domi ſuæ, nonnullos in triviis & compitis, alios in itineribus attonitos concidere. Eo autem gravius erit detrimentum, ſi poſt ejuſmodi frigus calor immodicus in conclave admittatur, quod binis exemplis Celeberrimi Medici Vratislavienſes comprobarunt. *rr*) Atque in Finlandia Cl. JUNCKERUS *ss*) memorat apoplexia omnis ætatis homines ſine diſcrimine tentari, potiſſimum ex repentina frigoris cum calore permutatione, quando poſt capitis in templo perfrigerationem calida hypocauſta ingrediuntur. Idem interdum iis evenire ſolet, qui caput ante aqua fervente in balneis lotum mox aeri frigido imprudenter exponunt. *tt*) Plures itidem videas attonitos, ideoque in ſummum vitæ periculum adductos eſſe ex ulcerum inveteratorum manantium *uu*) itemque fonticulorum *xx*) coalitu vel caſu vel conſilio facto, nec minus coryzæ, tuſſis humidæ, pedum ſudoris, catarrhalium affectuum ſuppreſſione, ſcabie *yy*) variolis *zz*) petechiis aliiſque exanthematibus ex ambitu corporis ad interiores ejus partes repulſis, & arhtritidis pariter in corpus regreſſione, de qua GUILIELMUS inprimis MUSGRAVE multum diſputat. *a*) Atque dignum mihi commemoratione viſum fuit, quod Illuſtri Præſidi *b*) debeo, exemplum Viri cujuſdam Generoſiſſimi, qui cum per ſex dies pulveribus mercurialis proſapiæ a chymico quodam ad ſopiendos podagræ dolores ipſi datis uſus eſſet, ex quibus & dolores ſimul ſemelque conquieverant, noctu miſerrima atque ægra valetudine fuit, maneque apoplexia tactus repentina morte periit. Multis etiam affectuum impetus exitio fuit, & aliis quidem mœror & ſollicitudo, ſubitaque animi conſternatio, ut matronæ illi, poſtquam mortem filii per literas intellexerat; *c*) aliis terror, quemadmodum multos ex terræ motu BEROALDUS *d*), ex fulminis autem vicini ictu perterritos SCHENCKIUS *e*) in apoplexiam incidiſſe prodiderunt; Pluribus vero iracundia præceps & vehemens, cujus quidem exempla enumerare omnia, longum nimis atque ab inſtituto meo alienum foret. *f*) Qui fervent libidine, & veneri nimis indulgent, præter alia quibus ſe exponunt, damna, facile etiam apoplexia tententur. Et quoſdam in ſinu fœminarumque amplexibus ea prehenſos eſſe ex Medicorum hiſtoriis patet, refertque HENRICUS AB HEER *g*) nobilem quendam quinquagenarium, cum ducta virgine ſuæ ſortis inter uxorios amplexus apoplexia correptus, ſed ab eadem induſtria Herrii liberatus antea fuiſſet, poſtquam ad eaſdem furias rediit, in uxoris ſinu ſubito animam exhalaviſſe. Atque Vratislavienſes memorant *h*) DANIELEM BECKERUM Medicum & Profeſſorem Regiomontanum, cum ſecundam ducturus uxorem naturæ torpenti & languidæ medicamentis ad excitandam Venerem idoneis opem tuliſſet, in certamine fortiter inito, ſuccubuiſſe, ſubitaque morte oppreſſum eſſe, quod & pluribus ejus generis exemplis a BARTHOLINO *i*), LUDOVICI *k*) atque recentiſſime Illuſtri PRÆSIDE *l*) declaratum fuit. Præter hæc illa omnia, quæ ſoporem, ſtuporem, atque νάρκωσιν quandam capiti conciliant, in numerum cauſarum jure meritoque veniunt. Et de medicamentis quidem ex opio confectis bina jam exempla ſuperius, cum de hæmorrhoidum ſuppreſſo fluxu agerem, attuli, quibus & alia addere, ſi quidem id opus foret, perfacile eſſet. Ut adeo mirari ſubeat, eſſe nonnullos, atque inter hos A. BERNERUM *m*) qui in ipſa apoplexia opiatorum uſum commendandum putent. Abſinthiacorum abuſum apoplexiæ ſuſcitandæ admodum eſſe aptum Illuſtris WEDELIUS præclare obſervavit *n*) atque lupulum eadem ex cauſa pridem SEBIZIUS arguit. *o*) Ecquis vero crediturus eſſet, eam eſſe Nicotianæ vim, ut vel ipſum hunc truculentum gravemque affectum provocet, niſi id aliorum exemplis planum atque manifeſtum redderetur. Quod multis mirum videbitur, qui hanc herbam ſummis in deliciis habent, & dies noctesque ejus uſu extrahere ſolent. Sane ex Celeberrimo HELWIGIO *p*) intelligimus, ipſius tempore Maſſiliæ in Galliis duos fuiſſe fratres mercatores Hollandos, qui voluptatis gratia inter ſe contenderint, quis eorum plures fiſtulas exhauſturus eſſet, atque alterum eorum ſeptendecim, alterum duodeviginti exſuxiſſe, ſed poſtquam uterque attoniti erant redditi, alterum extemplo exſpiraſſe, alterum per duas adhuc horas animam egiſſe. Quod & ſuo comprobant teſtimonio Medici Vratislavienſes *q*) qui omnes, quotquot Anno MDCCII Apoplexia prehenſi

qq) Breßlauer Natur = und Kunſt Geſchichte Winter= Quartal 1719. pag. 41.
rr) loc. cit. Winter=Quartal. 1718. p. 823.
ss) in Conſpect. Medic. Theor. Practic. cap. de Apopl.
tt) Exemplum attulit AMATUS LUSITANUS Cent. I. Curat. 36.
uu) Breßlauer Natur = und Kunſt = Geſchichte Winter= Quartal Ann. 1718. pag. 523. PELARGI Obſervat. Clinic. Ann. 1722. p. 365.
xx) WEPFFERUS loc. cit. p. 443.
yy) Ephem. N. C. Dec. I. Ann. I. Obſ. 58. MOEBII inſtit. p. 265.
zz) FORESTUS Lib. X. obſ. 70.
a) in libello elegantiſſimo de arthritide ſymptomatica.
b) Extat Tom. *III.* Med. Syſtem. Sect. *I.* cap. V.
c) HILDANUS Cent *VI.* Obſ. 12.
d) in libello de terræ motu.
e) vid. Lib. I. Obſ. 151.
f) FORESTUS Lib. X. Obſ. 70. Levem apoplexiam ex ira RIEDLINUS Cur. Medic. Millenar. p. 611. Gravem vero LUCAS TOZZI Med. Pract. p. 77. notant. vid. & VERCELLONI epiſtola de bile imminuta & aucta Cl. Bianchi inſcripta.
g) Obſ. Med. 18.
h) Hiſt. Morb. Vratiſl. l. c.
i) Cent. VI. Hiſt. 94.
k) Ephem. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. pag. 352.
l) Diſſ. de morbis ex nimio veneris uſu p. 17.
m) Diſſ. de apoplexia, cum catarrho ſuffocativo §. 53. quæ cum ejus libello de applicatione Mechaniſmi ad Medicinam conjunctim prodiit.
n) Amœn. Nat. Med. Lib. I. Sect. III. c. 6. p. 163.
o) Exercit. Pathol. Tom. I. p. 67. & 78.
p) Obſ. Phyſ. Med. 45.
q) Hiſt. Morb. Vratiſlav. Ann. 1702. p. 25.

prehenſi fuerint, tabaci fumo eſſe abuſos aſſeverant. Peſtifera atque pernicioſa omnium, qui ex mercurio, antimonio, aliiſque mineralibus prodeunt, vaporum atque exhalationum indoles, ſi non aliis documentis conſtaret, certe eam morbi morteſque metallurgorum aurifabrorum, atque ciniflonum, qui ſæpius ex Apoplexia intereunt, ſatis oſtenderent, quemadmodum & eos, qui Venetiis ſpecula mercurio illinunt, apoplexiæ admodum obnoxios eſſe Celeberrimus quondam ETMULLERUS annotatum reliquit. *r*) Dici vero non poteſt, quantum detrimenti vitæ ſanitatique fumi & exhalationes ex carbonibus vivis & ardentibus ſi inprimis a frigore intenſo, & in conclavi non adeo ſpatioſo & clauſo coarctantur, afferant, quod cum multi alii tum ipſe etiam Imperator Jovianus *s*) atque Pariſiis quinque homines in cella ſubterranea ſuo experti eſſe damno memorantur. *t*) Atque ejuſmodi carbonum fumum humida magis tempeſtate & in locis anguſtioribus perniciałem eſſe commonſtravit experimento Illuſtris Chriſtianus WOLFFIUS acutiſſimi ingenii Philoſophus *u*), qui carbones ardentes laminæ ferreæ impoſitos ſub campana antliæ pneumaticæ ampliſſima collocavit, ut vapor ex carbonibus, & humiditas ex madido, quod ſuper diſcum extenditur, corio, commiſcerentur. Huic incluſit aviculam, quæ, ſimul atque campana eſt impoſita, extemplo convulſionibus agitata extinctaque fuit. Remota campana fœtor admodum ingratus exhalavit; avicula autem, utut liberiori aeri reddita, more aliarum, ad vitam non rediit. Præter hos autem ſcimus, & alios eſſe vapores, qui ex muſto & cereviſia fermentante conſurgunt, atque ſi in loco anguſtiori haud ſatis expandi queant, hominibus, qui ibi diutius agunt, multas moleſtias faceſſunt, atque ipſam interdum apoplexiam producunt. *x*) Quando collum arcte nimis per focale conſtringitur, ex levi hac, ut multis videbitur, cauſa, apoplexia interdum, & præſens vitæ periculum oriri ſolet. Vidi ipſe hoc in juvene, qui venuſtatem ſibi conciliaturus nodo arctius conſtricto fauces & collum coarctaverat; at cum vino aliquantum largius eſſet uſus in convivio, de ſella ſubito in terram proſternitur, ſenſus motuſque expers & ſuffocationi proximus, qui tamen ſoluto vinculo, venaque brachii inciſa, ſenſim ſenſimque aliis quibuſdam medicamentis adjutus ad ſe redibat. Atque monent nos profecto Medicorum Hiſtoriæ eſſe ejuſmodi cauſas complures, quæ exigui admodum momenti, nec tanto malo excitando pares primo quidem intuitu exiſtimabantur, interim tamen, ſi cerebri, nervoſique generis & atonia, aut abundantia, ebullitioque ſanguinis conjungatur, non ſine magno periculo invadunt. Quemadmodum aliis ex aſſiduis profundiſque meditationibus *y*), aliis ex decliviori corporis inter dormiendum poſitu *z*), aliis quod caput nudum ferventibus ſolis radiis expoſuerint, aut pronum obverſumque aſtuanti foco diutius objecerint, ſideratione affectos eſſe conſtat. Gravidæ etiam, ubi ad medium circiter geſtationis tempus venerunt, in levem aliquando apoplexiam incidunt, nullius tamen gravioris, aut funeſti eventus, ſed quæ brevi iterum terminatur *aa*), non ſecus ac in iis decurrere ſine magno aliquo diſcrimine ſolet apoplexia, quibus vel ex hypochondriaco, vel hyſterico affectu accidit, atque propter ea levis vel ſpaſmodica ab Illuſtri Præſide hinc inde appellatur. Pari modo, qui acidulis abutuntur, eos nonnunquam & ob hanc cauſam attonitos eſſe redditos clarum eſt exemplis atque perſpicuum. Id quod HENRICUS AB HEER de Sexagenario quodam Landgravio ex acidulis reduce *bb*) atque ſimile etiam Franciſcus HILDESHEIM *cc*) Medicique Vratislavienſes *dd*) enarraverunt. Supereſt, ut de iis cauſis, quæ in cerebro tacite aliquando naſci, & niſi per anatomen in cadaveribus luci oculiſque exponantur, abſconditæ admodum & abſtructæ eſſe ſolent, nonnihil ediſſeram. Quo nomine tumores inprimis intelligo, cujuſcunque generis, in cranio cerebroque genitos, ex quibus ille commemorabilis præ reliquis videtur, quem in Ephemeridibus Germanorum Cl. ſiſtit SCHOBERUS *ee*) oſſeum, ſpongioſum, in bregmatis oſſe ſiniſtro interne conſpicuum, qui primo dolorem capitis atrocem, guttam ſerenam, motus epilepticos, demum vero etiam apoplexiam excitavit. Apoſtema ſive Abſceſſus, raro quidem intra cerebrum, in meningibus vero frequentius & propter eaſdem fere rationes, ob quas ſanguis extra vaſa ſua delabitur, oriri ſolet. Donec fit ſuppuratio, capitis dolorem, aut torporem fere tantum inducit. Ubi vero diſſolvitur apoſtema, ſanies in cerebrum profuſa id erodit paulatim & exedit, atque in putredinem vertit, ſicque apoplexiam tandem parit. (*ff*) In compluribus etiam ex Apoplexia demortuis, facta poſt obitum cadaverum inciſione, polypoſæ concretiones, vel in arteriis carotidibus, atque vertebralibus, vel ſinubus duræ meningis, vel venis jugularibus vel aliis reperiuntur, obſervatque JO. GEORG. GREISELIUS

r) Prax. eo capite, ubi de Apoplexia agit. vid. & de vaporibus mercurialibus LANGIUS Lib. I. Ep. 43.

s) EUTROPIUS Lib. X. cap. 9. Breviar. Hiſt. Roman.

t) Vid. Hiſtoire de l'Academ. Royale des Sciences l'ann. 1710. pag. 727. Conf. & PLUTARCHUS in Vit. Parallel. vit. Marii MARC. DONATUS Lib. II. Hiſt. Med. Mirab. c. 17. PAULUS CASATUS Diſſ. Phyſ. de Igne Diſſ. VIII. CHESNEAU Obſ. Lib. I. p. 78. LANCISIUS l. c. Lib. I. c. 4. RAMAZZINI in Supplem. diatrib. de morb. artific. Hofmannus Bedenken von ſchädlichen Dampff der Holtz Kohlen Breßlauer N. u. K. Geſchichte Herbst-Quartal 1719. p. 729.

u) V. ejus allerhand nützliche verſuche zu genauerer Erkäntnis der Natur u. Kunſt. Tom. III. c. 7. p. 479.

x) PLATERUS Lib. I. Obſ. p. 18. ZACUTUS LUSITANUS Med. Princ. Hiſt. Lib. I. obſ. 10. Breßlauer Natur- und Kunſt-Geſchichte Herbſt-Quartal 1717. p. 220.

y) Illuſtr. HOFFMANNUS Tom. III. Med. Conſult. p. 119.

z) quem jam LOWERUS notavit Tract. de corde cap. 11.

aa) Vid. WEPFFERI Hiſt. Apoplect. in Auctar. Hiſt. XV. HOLLERIUS de morbis intern. Lib. I. c. 7. & Hiſtor. morb. Vratiſlav. l. c.

bb) Method. Special. p. 144.

cc) Spicileg. VI. p. 526.

dd) libr. jam citat. p. 24.

ee) Ephem. Nat. Cur. Dec. *III.* Ann. 9. & 10. Obſ. 253.

ff) WILLIS Pathol. cerebr. c. 2. & BONETI ſepulcret. Lib. *I.* Sect. *II.* Obſ. 30.

Greiselius (*gg*) quotquot apoplexia aut catarrho ſuffocativo defunctos aperuit, in omnibus polypos, aut in corde, aut in cerebro, aut in utriſque in conſpectum veniſſe. Ultimo tandem loco cauſæ prodeant externæ, eædemque violentæ, ictus capitis, gravioraque ejus vulnera, & ad corpus durum alliſio, prolapſus ab alto, cerebri concuſſio, & reliqua quorum exempla cum uniuscujuſque quotidiana experientia facile cognoſcuntur, tum ut de aliis auctoribus taceam, magna in Wepferi auctario copia commemorata extant. (*hh*) Sane cum effectus, qui ab ejuſmodi gravioribus capitis læſionibus proficiſcuntur, ſæpe numero cum iis plane conveniant, quæ in apoplexia ab internis cauſis nata accidere ſolent, non patet ratio ſatis idonea, quamobrem non æque illos hoc nomine omnes complectamur. Ac ſæpius quidem leviores cauſæ ſufficiunt, quod exempla apoplexiæ ex alapis vehementioribus ortæ ab Illuſtri Franckenau (*ii*) collecta ſatis declarant. Inprimis vero etiam quorundam animadverſione compertum eſt, omnes oculorum ictus admodum eſſe exitioſos, ex quibus gravis capitis & cerebri concuſſio, ſanguinis extra vaſa ſua profuſio, ipſaque apoplexia ſubinde excitata fuit. *kk*)

§. XI.

Theoria morbi ad quam recte intelligendam nonnulla ex Anatome & Phyſiologia præmittuntur.

Hæc igitur fuerunt (§. 2.3.4.5.9.10.) quæ crebra effectorum atque eventuum obſervatione, atque accuratiori experientia de gravi hoc morbo cognoſcuntur. Quæ ſi diligentius inter ſe contendo, atque ad naturalium rationes motuum, quibus progreſſus, atque circuitus liquidorum in corpore noſtro conſervatur, refero, omnem vim morbi, & primam originem, in cerebro eſſe ſitam, facile intelligo. Ut vero, quam nunc exponere atque enucleare ingredior, affectus hujus theoria, eo magis plana eſſet cuivis atque perſpicua, conſtitutum habeo, nonnulla, quæ quidem eo pertinere videbuntur, ex anatome & phyſiologia antea repetere, nec tamen ea copioſius ediſſerere, aut omne argumentorum genus, quibus confirmari ſententia queat, expromere, vel cum iis, qui forte diſſentiunt, multa & longa diſcrepatione conflictari [ejuſmodi enim qui deſiderat, hunc ad illos ſcriptores, qui ea de re data opera expoſuerunt, remittendos puto] ſed breviter omnia ſummatimque, & quantum inſtituti mei intererit, complecti atque enarrare. Quod ut ordine procedat, placet, initio itinera & decurſus vaſorum, quibus ſanguis ad cerebrum vehitur, paulo curatius perſequi & perveſtigare. Ac primo quidem commemorandum eſt, poſtquam arteria magna ex ventriculo cordis ſiniſtro egreſſa, atque arcuato flexu incurvata fuit, eo ex arcu in dextro latere oriri carotidem dextram, cum qua ſubclavia ejus lateris ad extorum ut plurimum coaluiſſe videtur. *ll*) Siniſtra vero ex eodem arcu in latere ſiniſtro erigitur. Utraque ſtatim profundo ſitu, trunco ſingulari, & fere indiviſo, juxta tracheæ latera, ab incurvatu & compreſſu liberæ, rectiſſimo itinere ad caput contendunt, in collo autem pone tertiam ejus vertebram in duos dividuntur ramos *mm*) quorum alter cerebrum pervadit, alter vero per partes capitis externas ramos ſuos diſtribuit. Interni vero rami, quam primum proceſſum ſtyloideum attigerunt, ampliores aliquatenus redditi *nn*) incurvantur, & per quartum foramen ſub oſſe petroſo in canali oſſi ſphænoideo inſculpto, & ſub dura matre prorepentes, ſurſum paululum verſus poſteriorem apophyſin ſellæ turcicæ aſcendunt, mox iterum intortæ ad latera ephippii deſcendunt, ſtatimque ambitu quodam incurvatæ aſcendunt, ac duram meningem ad latera infundibuli perforantes, verſus cerebrum feruntur, infinitiſque ramuſculis tum per hoc tum per meninges diviſi procedunt. Vertebrales vero arteriæ ex ſubclaviis ortæ & ſurſum porrectæ ſtatim inter foramina apophyſibus vertebrarum tranſverſalibus inſculpta recto itinere progrediuntur, & involucro membranoſo vaginali communitæ, ac mirifice circa ſuperiores colli vertebras intortæ, *oo*) ſimul ac vero ex vertebrarum foraminibus emerſerunt, per magnum occipitis foramen cranium ingreſſæ, depoſita robuſtiori membrana, cum carotidibus conjunctæ multis modis divaricantur. Utraſque enim has arterias cum carotides tum vertebrales crebra cadaverum inciſione comperimus, validas atque ex tendineis filamentis conſtantes tunicas, in quibus omnis agendi vis & elater ineſt, ubi cranium ſubeunt, exuere, atque adeo venis non multum diſſimiles hoc quidem loco videri. Præterea vero eædem illæ ab oppoſitis plagis in mutua oſcula coëuntes, ſicque orbicularem in ſpeciem in pia matre, præcipue ea, quæ inferiorem cerebri, & cerebelli partem inveſtit, commiſſæ, inde ſtatim ramos emittunt, qui ſimili ratione & ordine aliis ramis occurrentes iterum minores ejuſmodi circulos conſtituunt, atque eodem artificio per totam piæ matris ſuperficiem, in ramuſculos, quos nulla amplius oculorum acies aſſequitur, fere evaneſcunt. Ut tota hæc membrana maxime hac textura conſtet, atque adeo non modo carotides dextræ cum carotidibus ſiniſtris, atque vertebrales dextræ cum vertebralibus ſiniſtris, ſed ipſæ etiam carotides atque vertebrales inter ſe mutuis ἀναστωμόσιοι coëant, ſanguinemque aliæ in alias transfundant. Ipſa vero hæc vaſcula minima tenui meningi intertexta, multis & numero fere infinitis divaricationibus in minores ſemper atque minores ramuſculos dirimuntur, qui mirifice inter ſe complicati, contortique

gg) Ephem. N. C. A. 1670. obſ. 74.
hh) a p. 294. ad 374.
ii) Diſſ. de Alapis §. 22. quæ nunc extat in ejus ſatyris medicis.
kk) Fernelius de abdit. rer. cauſ. c. 15. & Sculteti, Armament. Chirurg. Obſ. 21.
ll) Vid. Ruyschii Theſaur. Anat. I. p. 9. IV. 44. VI. 81. VIII. 15. Epiſt. Probl. *III*. Tab. 3.
mm) Vid. Cant. Impetus primi Anatomici Lugduni Batav. 1721. in fol. editi.
nn) Quam diametri extenſionem ſolus Cowperus in obſervat. Medic. pract. annotavit.
oo) Vid. Nicolai Diatribe de directione vaſorum.

tortique & ſerpentinis progredientes anfractibus in tubulos tomenti inſtar exiguos, & plus quam capillares, imo infinite parvos mutantur, ex quibus omnem cerebri, & cerebelli, *pp)* qua patet corticem contexti, nunc quidem cognoſcimus, poſtquam ea Illuſtris RUYSCHIUS Anatomicorum noſtræ ætatis facile princeps, glandulis, quas ſuperius maxime ſeculum eo loco poſuit, velut exauctoratis, feliciſſima ſua arte in lucem protraxit. *qq)* Atque tenuiſſimæ hæ vaſculorum extremitates deſinunt tandem in tubulos medullares, longe adhuc exiliores, longe anguſtiores, quos & ratio idoneis argumentis aſſequitur *rr)* & Celeberrimus LEUWENHOECK poſt multos labores vitro optico adjutus, ſuis oculis uſurpavit. *ſſ)* Fibræ hæ, quarum omnem congeriem, medullam cerebri appellant, variis modis inflexæ & convolutæ, varios deinceps proceſſus, eminentias, atque etiam cavitates, maximam partem qua uſum adhuc incognitas, efficiunt, iterumque collectæ, & coagmentatæ medullam oblongatam conſtituunt, quæ extra cranium progreſſa in ſpinalem mutatur. Verum ex his iterum fibrillæ aliæ & filamenta prodeunt, quæ in unum veluti faſciculum collecta, & membranis ſuis inveſtita inſtar funiculorum cylindricorum in omne deducuntur corpus & nervi appellantur, quorum ex cerebro decem, vel ad aliorum mentem, novem paria, triginta autem vel triginta duo paria ex ſpinali medulla oriuntur, omnibuſque ejus partibus numero innumerabili, & artificio plane ſingulari, intexuntur. Quos ipſos nervos cum multi dicerent ex compluribus conflatos eſſe tubulis, atque canaliculis, quamlibet teneris admodum & exiguis, nec eadem tamen omnium eſſet opinio, atque conſentirent alii, alii diſſentirent, poſt tot diſputationes concertationum plenas in medium prodiit accuratiſſimus obſervator ANTONIUS LEUWENHOECK, qui eos utique pervios, & fibris medullaribus haud diſſimiles eſſe, ex obſervationibus, quæ per exquiſita vitra ab ipſo inſtitutæ fuerunt, egregie oſtendit. *tt)* Reſtat, ut de venis breviter exponam. Atque initio quidem de venis, quæ inde ab exiliſſimarum arteriarum extremitatibus ortæ cerebri corticem alluunt & pervadunt, neutiquam, ut ſolent nonnulli, ego quidem dubito, cum probe perſpectum habeam, nullos eſſe canales alios, quibus ſanguis ad cerebrum vectus iterum reduci queat. Illæ vero ipſæ ubi longius progreſſæ, ad piam duramque matrem pervenerunt, magis in oculos incurrunt, & tortuoſo admodum itinere feruntur, donec tandem in ſinus duræ matris cruorem exonerant. Horum enim complures *uu)* Sapientiſſimus rerum parens & opifex architectatus in ea membrana videtur, ut veluti diverticula quædam eſſent, & receptacula, in quæ omnis ex cerebro ſanguis, qui copioſe admodum eo vehitur, derivari queat. Qui deinceps poſtquam per horum tractus & in nonnullis per varios anfractus motus projectuſque fuit, tandem in venas jugulares internas propellitur, quæ bis vel ter ſacci in modum in progreſſu ſuo admodum expandi ſolent, ut velut v[illegible]læ videantur, tandem vero in ſubclavias deſinunt, per quas ſanguis a cerebro rediens in truncum ſuperiorem venæ cavæ & poſtmodum in auriculam cordis dextram reducitur, ut ex hac, confecto tandem itinere, cordi reſtitui queat. Neque alio ſane conſilio, omnem illam, quam admiramur, cerebri fabricam, eleganti conſtructam artificio eſſe, nec ſanguinem tam copioſum eo agi & evibrari exiſtimemus, niſi, ut in extremis arteriolarum apicibus, ubi in cerebri cortice in fibras medullares deſinunt, fluidum quoddam ſubtiliſſimum, magnaque agendi vi præditum a reliquo ſegregetur ſanguine, quod veteres, & nonnulli etiam noſtra ætate ſpiritus animales nuncuparunt, nos vero perpetuo fluidum nerveum dicturi ſumus. Quod etſi complures noſtro etiam ſeculo, & nuper admodum data opera, Dn. D. GOELICKE *xx)* atque noviſſime Cl. MORGAN *yy)* in dubium vocari vel exterminari plane e republica Medica, voluerint: tamen, ſi quid ego video, validis ſatis ſe tuetur argumentis, atque a Cl. etiam BURGGRAVIO egregie propugnatum fuit. *zz)* Ubi itaque fluidum iſtud a ſanguine ſeceſſit, per medullares fibras ac deinceps per nervos ad univerſum corpus propellitur & perenni ſuo acceſſu muſculis vim & robur tribuit, eoſque movet, & agitat; iis vero in partibus, quas ſenſuum miniſterio natura deſtinavit, ex contactu & preſſione nervoſarum extremitatum ipſum agitur, undiſque conceptis, & motu, quem a primo corporis impulſu habet, ad cerebrum propagato, efficit, uti in ipſa etiam mente, ideæ rerum externarum excitentur. Ut adeo ſine ejus adjumento facile conſtet, nec motum in corpore humano, nec ſenſum fore ullum. Quid? quod ipſas etiam mentis vires & actiones adjuvet, & quodammodo determinet, ut pro varia conformatione cerebri & nervorum fluidi diverſa indole, ipſa etiam cogitandi vis mutetur, atque nunc omnes operationes rite exerceantur, nunc vero capiant vitium, atque intellectus fatiſcat, & relangueſcat memoria, judiciumque reddatur hebetius, & omnes animi vires atterantur. Atque hic conſenſus concentuſque, qui inter motus corporis atque animi cogitationes intercedit, ab omnibus admittitur, ex quocunque etiam ſyſtemate cauſæ ejus atque rationes explicentur. Cæterum, cum ſua quiſ-

L 4 que

pp) BRUNNERUS tamen Carotides ad cerebrum non pervenire obſervavit, ut ex Ephem. N. C. repetit NICOLAI l. c. p. 31.

qq) Vid. Epiſt. Probl. XII. Theſ. Anat. III. & alibi paſſim.

rr) Vid. BOERHAAVE Inſtit. Med. §. 265.

ſſ) Epiſt. Phyſiol. 34. p. 341.

tt) l. c. Epiſt. 36. pag. 354.

uu) de numero horum ſinuum Auctores admodum inter ſe diſſentiunt. vid. RIDLEY Anatomy of the Brain, cap. 5. & PAULLI in Not. ad Horn. microcoſm.

xx) In libro qui inſcribitur: Spiritus animalis e foro medico relegatus.

yy) In libro quem patrio ſermone edidit Philoſophical Principles of Medicine vid. Act. Erud. Lipſ. latin. præſent. anni Menſ. Februar. ubi ejus recenſio extat.

zz) In libro, qui Cl. Gœlicke oppoſitus fuit.

que experientia cognitum exploratumque habeamus, duplicem eſſe motum humani corporis, alterum, qui invitis etiam nobis inſciiſque perennat, eaſque, quibus vita & incolumitas noſtra conſervatur, functiones reſpicit, alterum vero, quem ſcientes volenteſque exercemus; WILLISIUS, quod ſciam, primus fuit, qui horum potiſſimum motuum originem a cerebro, illorum a cerebello repetendam eſſe oſtendit. *a*) Atque in illius poſtea ſententiam conceſſit RAYMUNDUS VIEUSSENS *b*) de nervorum doctrina optime meritus, qui, prout multis in hanc rem inquiſivit experimentis, ſæpius vidit, nobiſque annotatum reliquit, ſi canis cerebellum ipſe aperto cranio fruſtulatim exemerit, animal ſubito exſpiraviſſe, utut ſalvum & incolume cum oblongata medulla cerebrum fuerit; alio autem tempore, ubi cerebrum a medulla oblongata avulſit, non ilico periiſſe. Ipſe etiam Illuſtris BERGERUS, etſi alio loco WILLISII ſententiam rejicit, aliquando tamen aliud agendo memorat *c*) cum canum quorundam vivorum adhuc cranium, ad explorandos opii effectus, aperuiſſet, aliquem eorum, impatientem laboris & moleſtiarum, cerebrum vehementi capitis commotione projeciſſe, & relicto illaeſo, integroque cerebello vitam adhuc egiſſe, eodem autem profundius diſſecto momento extinctum eſſe. Quæ obſervationes moverunt multos, ut WILLISII ſententiam comprobarent, interque hos inprimis PERRAULTIUM, *d*) BOHNIUM *e*) BOERHAAVE, *f*) & acutiſſimum WOLFIUM *g*) qui eandem pluribus & illuſtravit, & confirmavit.

§. XII.

Tardior per vaſa cerebri ſanguinis circuitus, etiam in ſtatu naturali.

Tam copioſo autem flumine ſanguis fertur ad cerebrum, ut, ſi calculo Cl. MALPIGHII fidem habeamus, ſi non dimidia, ſaltim tertia ejus pars eo compellatur. *h*) Ne vero juſto velocius, & majori, quam par erat, impetu, ſimul ac e corde projectus fuit, rectis in arteriis aſcenderet, arcus incurvatus multum ejus vim minuere, & primum veluti ictum ſuſtinere videtur. Admirabilis illa, quam ſuperius aliquantum explicui, vaſorum utriuſque generis fabrica, variæque illæ complicationes, & anfractus eo potiſſimum reſpiciunt, ut ſanguinis per cerebrum motus hac ratione retardetur. Quod iis clarum erit, atque perſpicuum, qui cogitant, ad vaſorum reſiſtentias, quibus fluidorum motus & influxus ſimul determinantur, præcipue referri conditionem canalium, per quos ea protruduntur. Etenim cum frictio multum augeatur, ut hæc ex mechanicorum ſcholis repetam *i*), ſi linea directionis corporis incedentis, ad ſuperficiem ſuper quam incedit, fuerit obliqua, ſatis exinde patet, in variis illis curvaturis & complicationibus arteriarum, ubi in quovis flexionis puncto angulus incidentiæ mutatur, & nova reſiſtentia oritur, ſanguinis per eas progreſſum non eſſe ſine inſigni frictione. Nihil vero æque motum velocitatemque fluidorum cohibet, & retardat, ac frictio, quod cum ab aliis tum inprimis a Cl. MARIOTTE ſcite demonſtratum fuit. *k*) Quo fieri omnino debet, ut ſanguis dum per tortuoſos, & varie curvatos ductus capitis progreditur, ob eandem frictionem maxime retardetur. Accedit & hoc, quod in arteriis mutua *ἀναστομώσει* conjunctis cruor oppoſitis veluti niſibus ſibi occurrere videatur. Unde & ipſe ejus impetus aliquantum minui ſolet. Præterea, cum arterias, quæ per cerebrum ejuſque meninges diſtribuuntur, aliunde jam conſtet, tendinea, atque robuſta tunica eſſe deſtitutas, cujus vi & elatere ſe alias conſtringunt, & ſanguini, cujus niſu expanduntur, reſiſtunt, & ſyſtole hac, novo velut impetu propulſant, nova ex cauſa, ſanguinis per cerebrum iter difficillimum redditur, ut facile in arteriis cumuletur, eaſdemque diſtendat. Atque tria hæc, ſanguinis nimirum copia inſignis, tardior per cerebrum progreſſus, & arteriarum expanſio clare admodum oſtendunt, perfacile eſſe, ut ſanguis pro re nata iis in vaſis ſubſiſtat, atque ſe ipſum libero in venas ſocias aditu intercludat, novi autem acceſſu ſemper cumuletur, vaſa dilatet, multaque & graviſſima mala pariat.

§. XIII.

Motus duræ matris.

In ſubſidium vero data his partibus a provido naturæ auctore fuit dura mater, quæ motu & contractione ſua, tum ſanguinem tum nervorum fluidum aliquantum propellit. Placet enim mihi ſententia, quæ a medicis duobus Romanis GEORGIO BAGLIVO *l*) & ANTONIO PACCHIONI *m*) qui multa induſtria argumentum hoc excuſſerunt, propoſita fuit, quam miror a tam paucis receptam eſſe medicis, cum tamen & illorum experimentis ſatis comprobata fuerit, atque ad explicandas permultorum motuum, qui tam ſecundum, quam præter naturæ ordinem in corpore noſtro contingunt, rationes, multum momenti afferat. Quippe exiſtimant Viri literatiſſimi, duram membranam non telam membranoſam ſimplicem & inveſtiendo tantum cerebro deſtinatam eſſe, ſed ex variis fibrarum ordinibus conflari, lacertoſque fibroſos, perquam robuſtos, & ſolidos continere, iiſdemque admirabilem quendam & inſignem ineſſe elaterem, cujus beneficio ſe placide conſtringat ea; & hac ſyſtole ſanguinis nervorumque fluidi decurſum adjuvet. *n*) Neque vero illam putant intra ſolum coerceri

a) Anat. Cerebr. C. XV.
b) Neurograph. univerſ. Lib. I. c. 10.
c) Diſſ. de vi opii rarefaciente.
d) Mechanique des animaux Part. II. c. 7.
e) Renunc. vuln. Sect. II. c. 1.
f) Inſtit. Med. paſſim
g) von dem Gebrauch der Theile in Menſchen / Thieren und Pflantzen S. Phyſ. Dogmat. Tom. III. §. 172.
h) Exercit. Epiſtol. de cerebro ad Fracaſſatum.
i) Secundum theorema 663. Element. Mechanic. WOLFFII.
k) Traité du mouvement des eaux p. 256.
l) de fibra motrice.
m) de duræ meningis fabrica & uſu: it. Epiſt. ad Ludov. Teſti. vid. Act. Erud. Ann. 1701. p. 415.
n) Vid. & JOANN. HIACINTHUS VOGLI in fluidi nervei Hiſtoria.

erceri cranium, ſed longius produci, atque ita expandi, ut omnes aliæ totius corporis membranæ, fibræque membranaceæ ejus propagines, & ſoboles eſſe videantur.

§. XIV.

Ipſa apoplexiæ theoria.

Verum ratio inſtituti me monet, ut his præmiſſis demum ad explicandum omnium, quæ cum apoplexia conjunguntur, φαινομένων nexum deveniam. Idque nulla alia ratione promtius expeditum iri puto, quam ſi ea omnia ad turbatum ſanguinis per vaſa cerebri & meningum circuitum, indeque factam tubulorum medullarium compreſſionem, ſecretionemque & derivationem fluidi nervei interceptam, refero. Etenim ſi ſanguinis per utraque meningis & cerebri vaſa itus reditusque quacunque ex cauſa retardatur (§. 12.) utique inde eveniet, ut cum ſecundum conſtitutas Naturæ leges, vi motuque cordis novus perpetuo per arterias carotides & vertebrales eo compellatur, & evibretur, cui vero ex arteriis in venas ſocias nullus patet aditus, vi preſſuque ejus, quaqua verſum in latera tunicarum nitentis, arteriæ, quibus omnis renitendi facultas periit, diſtenduntur, expanduntur que, & hinc tubuli medullares, quos tam exiguos, & anguſtos eſſe ſupra memoravi, comprimantur atque exinde ſecretio ac derivatio fluidi nervei ad corpus coerceatur. Quæ cerebri compreſſio quantum ad turbandam atque invertendam ſenſus motuſque rationem valeat, ut eo rectius intelligatur, non alienum videtur, recitare exemplum hominis cujuſdam, qui poſtquam magnam cranii partem caſu neſcio quo perdiderat, haud ita pridem Lutetiis Pariſiorum ſtipem oſtiatim petiit, atque a multis viſus obſervatuſque fuit. o) Etenim cerebro, quod denudatum erat, leniter admodum preſſo, ſcintillas ſibi ex oculis egredi, ille prodidit; ex violentiori autem ejus compreſſione aurium tinnitum percepit, poſtea vero, aucta hac, vertigine, & ſopore correptus fuit, atque demum in veram apoplexiam incidit; His tamen peractis, quando remittente preſſione ſibi relictus fuit, ad ſe ſenſim ſenſumque rediit. Atque eadem fuerunt φαινόμενα, quæ in canibus, quorum cerebra denudaverant, & nunc mitius nunc gravius compreſſerant, clariſſimi Viri, WEPFFERUS atque PEYERUS notaverunt, quorum operas, ut veritas eo magis eruatur, cuilibet facili negotio imitari licet. Præter hæc vero ad confirmandam ſententiam meam idoneos atque locupletes teſtes advoco Viros celeberrimos, qui obſervationes de Apoplexia anatomicas nobis reliquerunt. (§. 4. 5.) Ex eorum enim relatu ſatis conſtat, vaſa apoplecticorum multo cruore eſſe turgida, quæ difficilem ſanguinis circuitum indeque factam ſui expanſionem ſatis opinor, arguunt. Ex nimio eorum infarctu aliquando evenit, ut vel eo in loco, ubi arteriæ cum venis conjunguntur, paululum ſecedant, vel violentia quadam plane diſrumpantur. Unde ſanguinem in cerebrum profundi nemo non videt. Nec aliam puto eſſe cauſam, cur & ſeroſus humor nonnunquam in cerebrum delabatur. Quando enim ex intercepto ſanguinis in venas regreſſu cruor intra arterias accumulatur, ſerum, quod una cum ſanguine, & in nonnullis quidem maxima copia advehitur, eo copioſius extrudi, atque ſecedere ſolet, nec modo in cerebro, ſed pulmonibus quoque & aliis partibus reperitur, potiuſque effectus, quam cauſa mali eſſe videtur. Quod ſatis evincitur experimento LOWERiano. Si enim vena jugularis aut cruralis in cane vivo per horam conſtringitur, hydrops vel capitis, vel crurum inde excitatur, quod lympha alias per venas cum ſanguine abitura, nunc eo copioſius per vaſa lymphatica ſecedit, eaque vel diſtendit, vel plane diſſolvit. Atque ex his non difficile erit, ingenio atque ratione aſſequi, quomodo cuncta inter ſe conſonent, atque conſpirent, & ab una hac cauſa, omnia ea, quæ ſuperius percenſui, oriantur (§. 2. 3. 4. 5.) Ac primo quidem nunc nullo fere negotio intelligamus, licet, quare motus ſenſuſque tam cito pereant, atque omnia membra, poſtquam muſculis robur & tonus ſubtractus fuit, relangueſcant, & relaxentur, & corpus ilico in terram proſternatur, & quare etiam omnis mentis vis & cogitatio tam repente velut intereant. Atque ita etiam ſe res in reliquis habet. Quando enim muſculi, quibus laryngis atque linguæ, itemque pharyngis motus debentur, nec minus & ii, quibus maxilla inferior attrahitur, relaxantur, nulloque amplius fluidi affluxu recreantur, inde evenit, ut vocis uſus pereat, & nihil quicquam deglutiri poſſit, atque os hians & apertum cernatur. Si idem ſphincteri ani, vel veſicæ urinariæ contingit, fæces, & urina non amplius retinentur, ſed ſponte prodeunt. Quando ſanguis in carotides internas jam ſatis turgidas non admittitur, in externas ſecedit magna copia, atque hinc fit, ut vaſa faciei adeo intumeſcant, & in conſpectum veniant, ac genæ rubore quodam ſuffundantur, diſruptoque vaſe quodam ſanguis externe profundatur, & caput copia ejus, maxime, ubi putredo acceſſerit, miram in magnitudinem poſt obitum diſtendatur. Et cum ex ratione, quam jam attuli, lympha copioſior per difficiliorem ſanguinis circuitum ſecernatur, id quidem efficitur, ut humores quoque oculorum, copioſius in ſua deriventur receptacula, oculoſque diſtendant, ut exinde prominentes rigidi, & quaſi vitrei compareant, quemadmodum & lacrymæ ex eadem cauſa uberius manant. Quamdiu cerebellum ſalvum & incolume conſervatur, facile eſt intellectu, motum cordis & pulmonum ſupereſſe adhuc, illo autem violato, & hunc aboleri. Verum tamen ut plurimum nobilia hæc viſcera, vel ob hanc cauſam, in ſocietatem laborum vocantur, quod ubi per cerebrum turbata fuit circuitio ſanguinis, hic neceſſario majori copia ad vaſa alia, atque hinc etiam pulmonum propellatur, eademque expandat, unde reſpiratio difficilior reddi ſolet, atque ipſum etiam cor, ut molem ſanguinis, cujus inſignem alias partem cerebro impertit, per reliquum corpus circumagat, majori longe impetu connititur. Quum & pectus ſuos habeat muſculos, quibus

o) Vid. Cl. BORETII Diſſert. de Epilepſia ex depreſſo cranio, Regiomont. habit.

bus attollitur, patet, iis reſolutis reſpirationem iterum periclitari, atque pectus inprimis adeo compreſſum, & velut vinculo adſtrictum videri. Qua quidem ratione fieri oportet, ut, dum aër in pulmones admiſſus, nec rite iterum exploſus, in trachea, & gutture diutius agitatur, atque alius ab alio conſequenter per loca inæqualia & aſpera protruditur, ad rimulam laryngis membranaceam, & epiglottidem allidendo, harum agitatione & tremore partium cum ſonitu & ſtertore tandem elidatur. Quoniam ſpaſmus duræ matris ſæpius cum apoplexia ſanguinea conjungitur, ex eo omnes convulſiones cujuſcunque generis fuerint, atque ipſos etiam vomitus repetendos arbitror. E contrario in pituitoſa apoplexia relaxari meninx iſta & omnem motus impetum amittere videtur. *p*) Reſpirationem in ſanguinea liberiorem, quam in ſeroſa eſſe exiſtimo, quod qui ſanguineam experiuntur, illorum ſanguis tam copioſo ſero & phlegmate haud abundat, ut proinde nec tam largo proventu in pulmonum veſiculas, quam in phlegmaticorum corporibus ſecedere poſſit. Quum phlegmatici venas alant non adeo copioſas, & ſanguinem minus ſincerum, floridum, atque elaſticum, ſed multa potius pituita permiſtum, nec facies rubet, ſed expalleſcit potius, nec tument venæ, nec alia eveniunt, quæ a copioſo ſanguine proficiſcuntur. Teporem corporis motuum febrilium indicem eſſe arbitror, quibus inteſtinus ſanguinis motus ad materiam pernicialem diſſolvendam diſcutiendamque excitatur. Quum ſecundum naturæ leges liquidum quoddam in bronchiis & aſpera arteria ſeparetur, id quidem eo copioſius, ſi ſanguis ægre admodum per pulmones agitur, ſub his laboribus ſecedet. Aer igitur, qui difficulter etiam per tracheam fertur, eidem permiſcetur minutatim, idque ſenſim ſenſimque in ſpumam attenuat, atque per aſperam arteriam ad os compellit. Unde etiam nonniſi præſente maximo ſuffocationis, imo ipſius mortis, periculo ſpuma in ore comparet. Quum ſenſim ſenſimque generari morbus & cerebrum pariter atque nervi ſucceſſu temporis vitium capere queant, antecedent quædam interdum, quæ morbi adventum denuntiant. (§.2.) Ea vero omnia vel ſanguinis ad caput congeſtionem indicant, vel ad motus ſenſusque læſiones commode referuntur, quorum ratio ex iis, quæ huc uſque diſſerui, apte exponetur. Quotquot ſuperius commemoratæ fuerunt cauſæ, eæ omnes id efficiunt, ut ſanguinis per vaſa cerebri progreſſus admodum turbetur, atque cerebri fibrillarumque ejus compreſſio oriatur. Aliæ enim externe cerebro incumbunt, aliæ humores in vaſis totius corporis, inprimis capitis cumulant, aliæ ex aliis partibus cruorem majori copia ad cerebrum propellunt, aliæ ſanguinem commovent, & rarefaciunt, aliæ lentorem, & viſciditatem ejus pariunt, aliæ utramque meningem & ſinus ac vaſa cerebri, vel relaxant, vel conſtringunt & coarctant, vel planè diſſolvunt (§. 8. 9.) Id quod nunc eo, quem ſupra ſecutus ſum, ordine, commonſtrabo. Ac primo quidem nemo eſt, qui ignoret, ſanguineis magnam ſanguinis eſſe copiam, vaſa autem exigua, paululum laxiora, & ad impetum ſanguinis ſuſtinendum non ſatis vegeta, quæ hinc facile ab humorum copia diſtenduntur. In ſenibus vero fibrarum tonus maxime mutatur, ut in aliis eæ partibus rigidiores, in aliis vero laxæ admodum evadant, atque hinc uterque ſanguinis motus admodum turbetur. Unde & partes, ex quibus cruor eſt compoſitus, non accurate inter ſe permiſcentur, ſed ex connubio ſuo ſenſim ſenſimque diſſolvuntur. Neque vero etiam ſanguis rite amplius ab inquinamentis ſuis & quiſquiliis per emunctoria, quorum naturæ parens varia in corpore noſtro exſtruxit, repurgatur. Ipſi etiam ventriculo priſtinus in ſenectute haud amplius conſtat vigor, nec alimenta in chylum mutat, reficiendæ naturæ admodum idoneum. Qua ratione pituita in ſanguine multis quotidie modis augetur. Quod ſi ergo ſanguis ejuſmodi viſcidus & mucoſus majori impetu & copia ad caput fertur, nec dura matre admodum debili & relaxata ulterius propellitur, apoplexiæ & quidem potiſſimum ſeroſæ via commode aperitur. Interim tamen fit facile admodum, ut & juvenes, qui ſanguine abundant, ſi eundem quibuſcunque ex cauſis nimium commoverint, in eundem morbum incidant. Cur brevioris colli homines facilius quam reliqui hoc morbo tententur, haud aſſeveranter dixerim. Si quid tamen ego conjectura aſſequor, quæ vero per anatomen magis confirmanda foret, ſingularis forſan vaſorum fabrica, & tortuoſus magis, quam in aliis decurſus efficiunt, ut ſanguinis ex capite regreſſus multum retardetur ejuſque congeſtio longe facilius eveniat. Quare iis, quibus copioſus per venas ſanguis fertur, apoplexia præ aliis minetur, ratio tam plana eſt, atque evidens, ut pluribus verbis explicari haud debeat. Quum vero obeſiores & ipſi vel ſincerum ſanguinem copioſum, vel multa pituita permixtum in vaſis alant, & ut plurimum otia ament, totoque die deſideant, ſomnoque largiori delectentur, patet, quare & ipſi ad affectum hunc inclinent. Per vitam enim otioſam, mulliſque exercitatam laboribus, ſanguinis circulus admodum vitiatur, & multæ quiſquiliæ, quæ alias per tot naturæ exitus foras amandari ſolent, retinentur, fibræque elaſticæ perquam torpidæ & languidæ evadunt, &, ſi lautior in primis victus acceſſerit, ſanguinis copia multum augetur. Somni autem tempore affluxus fluidi nervei ad muſculos impeditior redditur, omneſque corporis fibræ admodum reſolvuntur. Quare etiam pulſus atteriarum & reſpiratio multum relangueſcunt, habitus vero corporis cum vaſis tumet, ſanguinis autem circuitus per caput totumque corpus parum retardatur. De iis, qui hereditatis veluti jure morbo exponuntur, nihil definio, quum affectuum hereditariorum ratio abſtruſa adhuc & abſcondita, nec recte ab ullo unquam explicata fuerit. Quamobrem ut opinor ſatius erit, ignorantiam fateri ingenue, quam obſcuris, ineptis, atque jejunis vocibus, quæ nec intelligi nec explicari poſſunt, eandem obtegere, atque opinionum commenta conſectari, quibus nihil aliud efficitur, quam ut multa dicendo nihil extricetur.

p) Vid. inpr. Lancisius de mort. ſubit. Lib. *II.* obſ. 1.

tur. Ingluvie & commeſſationibus multus generatur ſanguis, qui deinceps data occaſione facile ad ebullitionem excitatur. Præterea vero copioſiora ea alimenta ventriculum obruunt atque infirmant, ut nec chylus, nec ſanguis melior inde prodeat. Idem etiam damnum afferunt potus ardentes, atque inebriantes, qui multas in ſtomacho cruditates pariunt, vireſque ejus convellunt, chylique elaborationem & ſecretionem turbant quam maxime, in ipſo autem ſanguine id ſimul efficiunt, ut gelatinoſa ejus portio coeat, & in coagulum mucumque mutetur. Ita ſenſim, ſenſimque morbum producunt. In aliis vero longe velocius eum accerſunt. Ubi enim ii qui ſanguine & ſuccis affluunt, ardente & ſpirituoſo ejuſmodi liquore abutuntur, omnes ſumma effervescentia humores incendi ſibi atque agitari ſentiunt, ut exinde vaſa corporis confeſtim diducantur, atque caput in primis petatur, & meningum ac cerebri tubuli diſtendantur. Quibus crebra & frequens narium fuit hæmorrhagia, ad eorum capita ſemper ſanguinis congeſtionem fuiſſe factam exinde intelligimus. Quæ ubi perſeverat, nec tamen per defluxiones diſſolvitur, ſanguis magis magiſque in vaſis cerebri accumulatur, atque eadem expandit. Atque hæc etiam reliquarum hæmorrhagiarum, aliarumque ſanguinis emiſſionum eſt ratio. Primo enim dum per eas aliqua ſanguinei laticis copia ordinarie alias detrahitur, omiſſis iiſdem iſta in corpore remanet, noviſque quotidie acceſſionibus augetur. Deinceps autem ita naturæ fert conſuetudo, ut ad illas vias, per quas exitum ſanguini parat, inſignem antea ejus quantitatem vehat atque compellat. Quando itaque egreſſum, quem molitur, ſanguis non invenit, aucta ejus identidem copia ſæpenumero contingit, ut eæ partes, ad quas delatus ille fuit, ſpaſmo conſtringantur (quod potiſſimum ex menſtrui atque hæmorrhoidalis fluxus ſuppreſſione accidit) & cum impetu cruorem intus contentum ad alia viſcera projiciant, qui in iis maxime ſubſiſtet vaſis, & accumulabitur, qui minori robore & elatere renituntur. Aeſtate admodum æſtuoſa & fervida humores expanduntur inſigniter, atque canales per quos progrediuntur, diducunt. Ubi vero humidior deinceps tempeſtas ſucceſſerit, fibræ magis relaxantur, & tonus atque elater vaſorum multum minuitur, ut languidiori longe impetu humidum propulſent. Quibus ex cauſis cum aliis in partibus facile humorum fit decubitus, tum præcipue in capite, quod liberum, nec ut reliquum corpus, pluribus munitum integumentis, aeris injurias maxime experitur. Præterea vero cum tranſpirationi ejuſmodi hyemis humidæ frigidæque conſtitutio non parum officiat, ſeri colluvies in corpore maxime augetur. Nam quamvis & frigus boreale illam turbet, id tamen minori fit periculo, partim quod humores corporis, ut reliqua fluida, inde aliquantum conſumuntur, partim etiam, quod tonus vaſorum fibrarumque robuſtior redditur, ut hæc ſuperflua non modo ſine ſanitatis detrimento tolerari queant, ſed etiam per alias vias e corpore exterminentur. Inde enim videmus hyeme frigida, plus urinæ excerni, quam ipſa æſtate. Neque etiam aliam ob rationem fit, ut, quamvis ſecundum experimenta SANCTORII per triginta annos inſtituta, perſpiratio ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hybernum adeo minuatur ut ſingulis diebus libra una decedat; *q)* nullum tamen ejuſmodi detrimentum inde oriatur, quam ſi verno vel æſtivo tempore ea per intempeſtivam perfrigerationem impeditur. Quum acre & intenſum frigus ſpaſmos & conſtrictiones partium externarum efficiat, quibus comprimuntur vaſa, & coarctantur, atque ſanguis magis ad interiores partes deducitur, facile accidit, ut vi ejus copiaque in minimis vaſculis aucta, ſibi ipſi viam præcludat, canaleſque diſtendat, & in iis detineatur. Accedit & hoc, quod frigus ſanguinem coagulat, & tranſpirationes ſiſtit, partes vero teneriores, & exquiſito ſenſu præditas, ut membranas quam maxime ſtringit, & contorquet. Qui caput aqua calente lavant, ii & multum ſanguinem eo alliciunt, & caloris vi admodum turgidum atque rarefactum. Quando autem per frigus immodicum mox iterum vaſa coanguſtantur, ſanguis eo jam adductus, veluti in anguſtias redigitur, viiſque interceptis, liberum in cerebri tubulis eundi ſpatium amplius non habet. Quod ſi materia inutilis atque corpori inimica, a connubio ſanguinis jam tum ſeparata, & ad cutis ambitum tubuloſque ſubcutaneos naturæ imperio & robore profligata, aut ad alia loca levandæ valetudinis cauſa depoſita, vel ſponte iterum recedit, vel per injurias externas repellitur, incredibile propemodum dictu eſt, quam variis atque exitioſis malis corpus excruciet. Quippe acris ejuſmodi corrupta, & corrodendi vim habens materies, veneni naturam velut induere videtur, & licet mole valde exigua, inſigni tamen corpuſculorum ſuorum ſubtilitate in partes nervoſas exquiſitiori ſenſu præditas agit, & truculenta inſtar veneni ſymptomata excitat. Membranas enim maxime infeſtat, earumque inflammationes, ſpaſmos, convulſiones, præſertim in corpore a morbis jam imbecilli producit. Tantas vero nocendi vires, tantamque virulentiam, quas, priuſquam ex habitu corporis repulſa fuit, non prodidit, non alia ex cauſa habere videtur, quam, quod, donec ipſa ſive putredine ſive cauſtica ſua indole corpori inimica, ſucco & ſanguini permiſcetur, atque per vaſa rapitur, ſic involuta & celerius promota, liberum agendi ſpatium non inveniat, deinceps vero, ubi ex reliquarum ſanguinis partium ſocietate receſſit, ſui juris facta, & ab involucro libera, viſceribus adhæreſcat, atque pernicialem ſuam naturam longe promtius declaret. Nequid dicam, quod ex ſanguinis communione excluſa, omnis motus agitationiſque expers, mora ſubtilior & acrior reddatur. Ac quamvis etiam in ſanguinea vaſa recipitur, nunquam tamen cum reliquo ſanguine humoribuſque ita ſubigitur, ut eidem intimius remiſceatur, ſed potius inſtar veneni ſubtilis in nervoſas partes ſe altius penetrat, ibidemque ſpaſticas atroces ſtricturas efficit. Quodſi itaque duram meningem aggreditur, & eas, quas jam memoravi, ſtricturas generat, ſpaſmo contorta cerebrum & cerebellum complectitur, &

q) Vid. Medic. Static. Sect. II. Aph. 7. 8.

& ita comprimit, ut ſanguinis per ſua vaſa decurſus tardior longe & difficilior inde evadat; vel eadem hæc meninx poſt diuturniorem conſtrictionem relangueſcit tandem, atque reſoluta maxime & relaxata ſanguinis, & nervorum fluidi progreſſum ſuo motu haud amplius adjuvat. Iracundia nimium in ſanguine fervorem & ebullitionem excitat, eumque a corde ad partes remotas maximo cum impetu circumagit. Unde fit, ut facies plerumque rubicunda & inflata reddatur, oculique torvum videant & velut ſcintillulis micent, vaſa, quæ antea erant inania, intumeſcant, & in conſpectum facile veniant, pulſuſque & reſpiratio maxime increbeſcat, cor palpitatione conflictetur, denteſque ſtridant, & ſpuma ore excernatur. Quamobrem dum ſanguis hoc modo ad cerebrum evibratur, variis ille conturbationibus occaſionem ſuggerit, ita ut alios cernendi, audiendique ſenſus delinquat, alios tantus tremor teneat, ut pedibus inſiſtere non poſſint, alios epilepſia, alios apoplexia invadat. Contra vero a terrore habitus corporis conſtringitur, vaſaque in ſe recedunt, & detumeſcunt, & cum faciei pallore partes externæ frigus quoddam perpetiuntur, & contremiſcunt, excretionesque ceſſant vel diminuuntur, atque cor inuſitata laborat palpitatione, & præcordia ſuffocante propemodum anxietate ſtrangulantur. Ex quibus clarum ſatis eſt, atque perſpicuum, ſanguinem eo tempore ab externo corporis habitu magis ad interiores revocari partes, atque ubi apoplexiam parit, majori copia & impetu ad cerebri vaſa proruere, eaque admodum dilatare, ut circuitus ipſius exinde retardetur. Triſtitia animique angor vires ſubtrahit, tonumque & robur partium enervat, ac pulſum efficit exiliorem & lentum, appetentiamque & digeſtionem alimentorum ita dejicit, & corpus adeo mutat, ut non ſecus ac in terrore facies expalleſcat, cutiſque flaccida, & tranſpiratio remiſſior reddatur, partes vero externæ refrigeſcant, alvuſque crebris tentetur dejectionibus, & ſomni tranquillitas admodum turbetur. Quæ omnia ita comparata eſſe videmus, ut congeſtioni ſanguinis, & tardiori per difficiles vias motui multum tribuant, idque eo magis in cerebro, quo magis illud affici atque infirmari moerore intelligimus. Venere vires proſternuntur, atque cerebrum & nervoſum genus imbecille admodum evadit, corporiſque non minus, quam animi vigor, & alacritas pereunt. Præterea ſub ipſo veneris actu & congreſſu fervidiori, ut Illuſtris Præſes egregie expoſuit *r*) quando animus ex ideis rei venereæ commoveri admodum, & extra ſe poni conſuevit, deſtructo animalium æque ac vitalium æquilibrio motuum, legitimus partium uſus, earumque functiones non mediocriter pervertuntur, magnaque fit ſanguinis ebullitio, & celer per ſua vaſa decurſus, quod pulſus eo tempore velox, & vehemens cordis palpitatio, tremores partium, pedumque vacillationes ſatis declarant. Ubique itaque ſub hoc fervore ſanguis ad vaſa cerebri magno impetu deducitur, ibi facile intra meningum canales & cerebri arteriolas coactus & compreſſus Diſtendit eorum latera, atque expandit. Illuſtris Bergerus, diſſectis canum, dum ab aſſumto opio ſomnolenti erant & ſtupidi, craniis, arterias cerebri obſervavit tum majores tum minimas, ſanguine admodum turgidas atque expanſas, tanquam inflammationem paterentur, eleganti ſpectaculo comparuiſſe, ſectaſque ſanguinem floridum & tenuem profudiſſe. *s*) Ipſæ etiam arteriæ per medullarem nervorum opticorum ſubſtantiam ad oculi uſque retinam productæ, hujuſque reticulari expanſioni intextæ ſanguine tumebant. Nullum vero eſt dubium, quin ex omnium, quæ ναρκωσιν excitant, uſu ſimile quidquam eveniat. Inde vero cognoſcimus, ubi ſulphur ejuſmodi anodynum vaporoſum humoribus admixtum fuit, eo tenuiſſimas cerebri arteriarum membranas extendi & dilatari, adeoque ſanguinis difficilem admodum reddi progreſſum. Atque ex mente quidem Illuſtris Bergeri, opii ſal acre volatile & ſulphureum in parte gummoſa, reſinoſaque coactum, a motu ſuccorum corporis ſolutum atque exagitatum, hoſque intus viciſſim exagitans, inſignem ſanguinis æſtum & ſubitam rarefactionem, indeque omnes illos effectus producere putatur. Aliam vero tenet ſententiam Illuſtris Præſes, *t*) qui ſulphur ejuſmodi vaporoſum altius membranarum & nervorum poros ſubire, & puriſſimum nervorum fluidum deſtruendo, tonum ac motum ſolidis ſubtrahere exiſtimat. Sed de his diſquirere opinionibus meum non eſt, nec ad inſtituti rationem pertinet, cum ſatis illud liqueat, & utraque e ſententia confirmetur, vaſa meningis, & cerebri per ea diſtendi inſigniter, ſanguiniſque progreſſum maxime retardari. Atque eadem etiam ratione in iis, qui carbonum fumo interierunt, cerebrum maxime affectum, vaſa meningum omnium ſanguine expanſa, infarcta & veluti inflammata reperiuntur. *u*) Ineſt vero carbonibus æque ac materiis fermentantibus principium φλογιςὸν maxime elaſticum, quod ab efficacia fermentationis aut ignis aperti excitatur, magnaque vi & copia expellitur, & vel cum humido, ut in muſto, vel terreſtribus particulis ut in carbonibus commiſtum expandere ſe nititur, & quando ſpatium in locis clauſis non invenit, vaſa ſæpius magno impetu disjicere ſolet. Ubi vero per inſpirationem in pulmones admiſſum, atque ibi liberum ſe dilatandi ſpatium nactum fuit, quam maxime ſe explicat. Quapropter dum pulmones tanta, quanta vapor expanditur, vi, reagere atque ſe contrahere haud poſſunt, alternus eorum motus ceſſat, & reſpiratio vitium capit, & liber per vaſa pulmonum ſanguinis tranſitus turbatur. Quo fit, ut hic majori copia & impetu ad cerebrum pulſus, eodem modo, ut ſæpius declaravi, arterias meningum diſtendat, & ſenſim ſenſimque in iis cumuletur. *x*) Vapores mercuriales aliique, indole ſua venenoſa ſpaſmum partibus nerveis

r) Diſſ. de morb. vener. uſu.
s) de vi opii rarefaciente Diſſ.
t) Med. Syſtemat. Tom. *II*. Part. *II*. c. 7.
u) Vid. Hiſtoire de l'Academ. Royale des Sciences Ann. 1710. pag. 727.
x) Vid. inpr. de vaporibus muſtaceis Illuſtr. Stahl. Zymotechn. fundam. c. X.

nerveis & membranoſis inducunt, ut proinde, ubi ſimilem in cerebri meningibus conſtrictionem efficiunt, ſanguinis decurſus, per arctiorem harum compreſſionem maxime impediatur. Collo per focale arctius conſtricto, comprimuntur venæ jugulares, hincque refluxu intercluditur ſanguis, & in capite colligitur, atque ſi liquoris vinoſi abuſu commotus fuerit, vaſa diſtendit, atque expandit. Eandem ſanguinis commotionem ſolis radii ſuſcitant, omniſque ignis calor; meditationes autem cerebrum atque meninges enervant quam maxime, ut impulſus, quo ſanguis alias projiciendus erat, inde relangueſcat. Quum ſub decliviori capitis ſitu ſanguis per venas jugulares ægrius ad cor redeat, in affectibus autem hypochondriacis atque hyſtericis, ſpaſticæ conſtrictiones perpetuo conjungantur, quæ ſanguinis circuitum pervertunt, ut hac ratione major ejus quantitas ad ſuperiora moveatur, atque præterea ex partibus externis tunc pariter adſtrictis, & frigidis, ad interiora viſcera, atque adeo, ſi reliqua conſentiant, ad ipſum etiam cerebrum cruor amandetur, facile nunc morbi attoniti ex his cauſis origo intelligetur. Quando gravidæ ex ipſa graviditate in apoplexiam incidunt, nullam aliam cauſam eſſe ſuſpicior, quam quod compreſſione venæ cavæ ab utero gravido facta ſanguis itidem majori copia & abundantiori flumine ad partes ſuperiores vehatur, quamvis interdum & ſpaſmi abdominis in iiſdem accedant. Nec in iis, qui ex acidularum abuſu attoniti fiunt, aliam cauſam cogitando aſſequor, quam quod ubi eæ per colatoria conſueta non rite iterum ex corpore proſcribuntur, & eliminantur, mole humorum aucta, tubuli in meningibus & cerebro nimium diſtendantur. Tumores vero, apoſtemata, polypi, manifeſto ſanguinis circuitum turbant, atque fibras cerebri medullares comprimunt, quod itidem in læſionibus externis violentis fieri ſolet. Namque vel fragmenta cranii introrſum verſus cerebrum adiguntur, vel cerebrum alia ratione inſigniter concutitur, vel vaſa diſrumpuntur, & ſanguinem copioſum profundunt. Quæ profuſio nunc quidem a vi inſtrumenti ad interiores cerebri partes adacti, nunc vero a ſola graviori cerebri commotione & concuſſione proficiſci ſolet.

§. XV.

Prognoſis. Ex iis itaque, quæ hactenus in hanc ſententiam ediſſerui, ſatis opinor clarum manifeſtumque, eſſe, quo jure apoplexia affectus gravis truculentuſque appelletur. Quotquot enim ea, inprimis ſi fortior fuerit, percelluntur, brevi admodum temporis intervallo naturæ concedunt, & vix horas viginti quatuor ſuperant. Et quamvis HIPPOCRATES attonitum ſeptem diebus interire arbitretur *y*) id tamen non de alia, quam de leniori intelligo apoplexia, atque in mea etiam ſententia variis Medicorum ſententiis confirmor. CÆLIUS quippe AURELIANUS graviori Apoplexiæ tertium diem conſtituit, atque NENTERUS *z*) exemplum fœminæ, quæ ex fortiori apoplexia ſub finem tertii diei obiit, tanquam ſingulare enarravit. Utique vero hic apoplexiæ gradus in oculis animoque habere decet, cum, quæ cum gravioribus ſymptomatibus, & reſpiratione difficiliori conjungitur, vehementius ſemper portendat periculum, quam quæ iiſdem deſtituitur. De utraque autem valet ſententia, quam jam olim tulit HIPPOCRATES, qua vehementiorem plane non, debilem vero difficulter ſolvi exiſtimat. *aa*) Neque minus & ipſæ cauſæ, ſi diligentius expendantur, judicium acuent, ut de periculo certius conſtet, cum longe gravius afferat, quæ febribus acutis, epilepſiæ & læſionibus capitis majoribus accedere ſolet apoplexia, quam quæ ex levioribus cauſis exoritur. Triplici autem exitu terminari ſolet. Vel enim perfecte deſinit, quod in Apoplexia paululum fortiori rariſſime contingit, vel ſi ſuperatur, alium morbum relinquit, vel ipſam denique mortem arceſſit. Quibus itaque indiciis hæc quodammodo prænoſci queant, breviter exponam. Atque ex vitæ ſalutiſque ſignis, de quibus initio dicere decrevi, primas tenent reſpiratio aliquantum libera, pulſuſque, & faciei color, qui a naturali parum recedit, & motus ſenſuſque paulatim redeuntis veſtigia; quæ utique omnia eventum minus funeſtum pollicentur. Pari etiam modo animum erigunt naturales ſanguinis evacuationes, quæ quum ſuppreſſæ antea fuerint, nunc inſtaurantur, quemadmodum jam HIPPOCRATES *bb*) largiorem hæmorrhoidum fluxum, alii menſtruum fluorem, *cc*) alii uteri hæmorrhagiam *dd*) apoplexiæ optimo fuiſſe remedio prodiderunt. Nonnunquam etiam in ptyaliſmum, & fluxum oris lymphaticum, qualem lue venerea laborantes poſt inunctionem mercurialem, aut infantes dentitione difficili affecti, experiuntur, ſalutari cum eventu vertitur, *ee*) eandemque abſceſſu in crure ſiniſtro per μετάςασιν producto feliciter a natura ſuperatam eruditiſſimus BORRICHIUS memorat. *ff*) Quodſi attonitus vena inciſa aliquantum rectius valeat, & reſpiratio pulſuſque melior reddatur, magna profecto ſalutis ſpes ſupereſt, ut optime PROSPER MARTIANUS doctiſſimus HIPPOCRATIS interpres notatum reliquit. Si liquida aſſumta non per nares & os reſiliunt, ſed penitus delabuntur, ſi acriter vellicatus aut punctus æger aut tandem intenſa voce compellatus palpebras movet, & labia quodammodo comprimit, ſi ſudor lenis præcipue in apoplexia manat multus, æquabilis, calidus, levans, itemque urina multa & craſſa excernitur, alvi fluxus *gg*), ve-

y) Sect. VI. Aph. 51.
z) Fundam. Medic. cap. de Apopl.
aa) Sect. *II.* Aph. 52.
bb) Coac. Prænot. Lib. *VIII.* Sect. *II.* theſ. 3. p. 905. ex editione, quæ cum Hollerii & Jacotii ampliſſimis commentariis Lugd. Gall. 1576. in fol. prodiit.
cc) ZACUTUS LUSITANUS de Princ. Med. Hiſtor. Lib. X. Obſ. 33.
dd) Ephem. Nat. Cur. Dec. *I.* Ann. 9. & 10. p. 366.
ee) SENNERTUS Prax. Lib. *I.* Part. *II.* c. 33. BARBETTE Prax. l. c. 2. & DECKERS in notis ad h. l.
ff) apud WEPFFERUM Hiſt. Apopl. pag. 510.
gg) BOERHAAVE Aph. 1017.

hementiores etiam ab initio vomitus *hh*) oriuntur, omnia hæc meliora portendunt. Magnam ſalutis ſpem præſidiumque in febri ſuperveniente HIPPOCRATES collocavit. *ii*) At vero HOLLERIUS, ubi HIPPOCRATIS locum in Coacis prænotionibus commentariis ſuis illuſtrat, parum ſibi ab ea pollicetur, neque Uratislavienſes viderunt ullum per febrim reſtitutum, licet in permultis pulſum febrilem obſervaverint. *kk*) Quotquot vero HIPPOCRATIS ſententiæ fidem habent, non tamen de vera hujus febris indole conſentiunt. Febrim lentam non intelligi vel ex iiſdem Coacis præſagiis liquet, ubi ea adveniens mortifera eſſe judicatur. *ll*) FORESTUS de febri ardente explicat. MARTIANUS eſſe eam ex ephemerarum genere putat, magnam requiri BOERHAAVE, *mm*) minus vehementem, morbo tamen proportionatam EELGERUS *nn*) contendit, cujus & mihi præ reliquis placet ſententia, quoniam ſi initio ſtatim, ubi robur corporis aliquantum ſibi adhuc conſtat, maxime in pituitoſa apoplexia, excitetur febris, ejus ope id forſan efficitur, ut ſanguis lentus & viſcidus, in vaſculis cerebri non rite progrediens, aucto liquidorum motu diſſolvi, atque protrudi paululum queat. Inter ſigna denique ſalutaria retulit CÆLIUS AURELIANUS, ſi partes quædam ſpaſmodice i. e. ſaltu errante agitentur. Pauciſſimis tamen tam felicibus eſſe contingit, ut ſalvi plane atque incolumes hoc ex morbo eluctentur. Plures qui ad vitam redeunt, quaſdam morbi reliquias adhuc circumferunt, ex quibus gravioris, ex quo emerſerunt, periculi ſemper reminiſcantur. Aliis enim pedes epidroſi perpetua madent, alii de ſenſuum vitiis, partium reſolutione, artuum tremore, ſpaſmo cynico, flatibus & borborygmis in abdomine aſſiduis querelas movent. Alii perpetim ex leviſſima etiam cauſa, imo & ſine cauſa lacrymantur, alii omnem memoriæ vim perdiderunt, ut ne minimorum quidem recordari queant, & fere repuerascant. Omnium autem frequentiſſime, inprimis in phlegmatica apoplexia, paralyſis relinquitur, & nunc quidem omnium cervici ſuppoſitarum partium, quæ paraplegia appellatur, & raro evaneſcit, ſed ſemper memoriæ judiciique, & motuum læſiones conjunctas habet, & ſoporoſos, hebetes, tremulos, timidos, & vertiginoſos efficit, *oo*) nunc unius tantum lateris, & frequentius quidem ſiniſtri quam dextri, & hemiplegia dici ſolet *) nunc unius tantum partis, & paralyſis particularis, aut pareſis vocatur. Atque hanc medicamentis idoneis, tempeſtive & mox poſt apoplexiæ deceſſum uſurpatis, & per aliquot hebdomades continuatis eſſe ſanabilem nonnullis exemplis Celeberrimus SCHACHERUS, Ordin. Medic. in Academ. Lipſ. Decanus perpetuus, atque Therapiæ Prof. Primar. Patronus atque Præceptor meus, ætatem pie devenerandus cum privatim de hoc affectu exponeret, confirmavit. Aliquando apoplexia in epilepſiam, quæ nonnullis ſalutaris fuit, aut gravem melancholiam mutatur. Quod ſi vero intra tres vel quatuor dies nec perfecte deſinit, nec remittit, nec in paralyſin convertitur, ut plurimum jugulat. Mortem denuntiant ſtertor magis magiſque ingraveſcens, & in pituitoſa, ſpuma, quæ in ore collecta comparet *pp*) quæ tamen probe a ſaliva illa viſcida, quam ſuperius non ſine ſalutari eventu profluere commemoravi, diſtinguatur. Spuma non niſi parva, nec adeo copioſa prodit, & ex imo quidem pectore paulatim ſurſum fertur, & ſenſim ſenſimque augetur, adeo ut in nonnullis etiam per nares & os excreta fuiſſe dicatur. Neque minus funeſtum prædicunt eventum tremor partium, facies cadaveroſa, ſudor frigidus guttatim hærens, partium præcipue ſuperiorum, cum anguſtiis pectoris conſociatus *qq*), oculi nebula quadam infecti, ex quibus infauſtum ſignum petitur. Denique non niſi ſummum vitæ periculum præſagire licet, ſi errhino in nares inſufflato ægrotans non ſternutat, neque titillationem quandam perſentiſcit, ſi vena inciſa nullus ſanguis proſilit, ſi poſt venæ ſectionem nullo modo levatur, imo ſi poſt eandem res in deterius labantur, *rr*) ſi clyſter, utut minori copia injectus iterum effluit, ſi ſphinctere reſoluto alvus ſponte delabitur, ſi levior apoplexia magis magiſque ingraveſcit, ſi pectus ſubinde attollitur, convulſionum violentia concuſſum, atque in ſanguineis ipſum etiam caput convulſionibus agitatur. De pulſu adhuc habeo, quæ pauca moneam, ne Medicus in errorem ſe induci patiatur, atque ex ejus conditione neglectis reliquis judicium ilico ferat. Non raro enim accidit, ut fortibus admodum & validis ictibus arteriæ ad vitæ uſque exitum micent. Imo obſervatum fuit a nonnullis in parte reſoluta, & paralyſi affecta majorem fuiſſe pulſus impetum, quam in membris aliis. In primis vero pulſus, qui ex parvo in magnum mutatur, aucta ſenſim ſenſimque magnitudine, rem fere conclamatam eſſe denuntiat. Tandem ii omnes, qui ſuperato tam atroci morbo ad vitam ſanitatemque redierunt,

hh) Breßlauer Natur- und Kunſt-Geſchichte Herbſt Quart 1717. p. 389. und Winter-Quart. 1718. p. 524.

ii) Vid. Sect. VI. Aph. 51. & Coac. Prænot. Sect. *II.* Lib. VII. th. 4. pag. 907.

kk) Hiſt. Morb. Vratiſl. Ann. 1702. Cum quibus & alii conſentiunt in den Natur und Kunſt Geſchicht. Winter-Quart. 1718 p 524.

ll) Lib. II. theſ. 5. τὰ ἐξαίφνης ἀποπληκτικὰ λελυμένως ἐπιπυρετήναντα, χρόνια ὀλέθρια, ubi Jacotius in Comment. vocem λελυμένως ſolutionis in modum, recte ad ſequentem referendam putavit.

mm) Aph. de cognoſc. & cum morb. §. 1017.

nn) Diſſ. de Apopl. §. 15.

oo) Boerhaave l. c. §. 1018.

*) Admiratione dignum eſt, quod a tribus Italiæ Medicis, LANCISIO, de mortibus ſubitan. VALSALVA de aure humana & MORGAGNI in Adverſar. Anatom. obſervatum fuit, in hemiplegia nunquam hemiſphærium cerebri ejus lateris, quod in corpore relaxatur, eſſe affectum, ſed in hemiplegia dextri lateris cerebri latus ſiniſtrum, in ſiniſtri vero lateris paralyſi, dextrum cerebri ſegmentum, vitium aliquod capere.

pp) HIPPOCRATIS Sect. II. Aphor. 43. FORESTUS obſ. X. 74.

qq) Ἐν τοῖσιν ἀποπληκτοῖσιν ἐπὶ τῇ δυσφορίῃ τοῦ πνεύματος ἱδρὼς ἐπιγενόμενος θανάσιμον. HIPP. Coac. Sect. *II.* Lib. VII. theſ. 4. Conf. LOMMII Obſ. Medic. p. 73. & MICHAEL Opp. pag. 372.

rr) Vid. CELSUS Lib. III. c. 28.

dierunt, facile data occaſione in eundem recidunt, atque tunc longe difficilius, & majori cum vitæ periculo eluctantur. Neque enim cuivis tam felici eſſe contingit, ut illi apud GRUBELIUM ss) mulieri quæ quinquies licet attonita feliciter tamen raro admodum exemplo reſtituta fuit. Qui antea liberati, levi de cauſa, vel ſine occaſione lacrimantur, tt) & torpidi, ſtupidique manent, de motus ſenſuſque vigore admodum dejecto, ipſiuſque imminuta vi memoriæ & linguæ quadam impotentia crebras querelas movent, & frequentiori tentantur vertigine, ii quidem omnes, ſi quem leviorem etiam errorem, in vitæ victuſque ratione admiſerint, priſtino iterum periculo, & graviori damno exponuntur.

§. XVI.

Curatio morbi præſentis. Poſtquam igitur de indole atque origine morbi, varioque ejus eventu ſatis pro inſtituti ratione egi, nunc ad extremum conſtituta ordinis lege, de ipſa ejus curatione quædam adjicere conſtitutum habeo, qua cum laboranti ſubvenire valetudini, tum ſartam eam tectamque conſervare, vel tueri queamus. Atque ut de priori primo loco edifſeram, ſumma ope niti decet Medicum, ut in tempore advocatus, mature atque tempeſtive, ubi ſpes aliqua ſalutis adhuc ſupereſt, de idoneis remediis cogitet, antequam radices ille agit, & adultior factus nulli amplius medicinæ locum relinquit. Quando vero attonitum animam jam agere primo ſuo acceſſu videt, tum quidem ſatius foret, ab eodem penitus abſtinere, ne remedia alias præſtantiſſima in ſuſpicionem quandam, ipſaque ars in odium, & invidiam adducerentur; At enim vero, cum ita ferat noſtri conſuetudo ſæculi, nihil ipſi eorum prætermittendum erit, quæ ad redintegrandam valetudinem alias pertinere putat, quamlibet fruſtra illa fore animus facile præſagit, ne officium deſeruiſſe, & humanam neglexiſſe ſalutem videatur. Ante omnia igitur curæ cordique habeat, ut ægrotus in loco temperato, & lucido potius, quam tenebricoſo, ac cervice non declivi & ſupina, nec tamen plane erecta collocetur. In lecto reponi eos vetant nonnulli, quod in eodem facilius ad ſomnolentiam, quam ſellis inclinent. Qua in re tamen parum momenti ſitum eſſe arbitror, in primis, ubi ſumma infirmitas lectum poſtulat. Id modo obſervandum erit ſedulo, ut pedes vel plumis vel integumentis a frigore ſatis defendantur, atque hoc fotu humores ad partes inferiores magis magiſque invitentur. Quibus rite decenterque factis Medicus magna cura atque diligentia eo reſpiciat, ut turbatus ſanguinis circuitus tempeſtive inſtauretur, atque id, quod cerebri fibrillas comprimit, ad partes magis remotas, per revulſionem, ut in ſcholis dici ſolet, revocetur, atque ex corpore educatur; deinceps ægrotus ex profundo illo ſomno variis excitetur irritamentis, & denique ſanguis æquali iterum flumine per corpus diſtribuatur, atque caput & nervi roborentur. In his enim omnem morbi curationem eſſe ſitam prudentiores dudum perſpexerunt. Plurimam proinde ſpem valetudinis in ſanguinea apoplexia oſtendit venæ ſectio, mox principio mali ſine mora matureque inſtituenda, quæ ad hunc affectum ſuperandum magna ſemper ubivis terrarum in exiſtimatione fuit, atque cum ipſa a natura, quando ſuo ex ingenio varias ad ſolvendum morbum hæmorrhagias excitat (§. 14.), comprobatur, tum ab omnis ævi præſtantiſſimo quovis Medico, tanquam præſens & efficax remedium prædicatur. Hujus enim ope fit, ut, quando vaſa, quæ tumida ante & diſtenta fuerunt, a mole humorum quadantenus liberantur, ad tonum illa, & ſyſtolen ſuam redeant, eoque contentum propellere ſanguinem jam minus compreſſum & magis mobilem, majori vi atque impetu poſſint, quo non modo liberior hujus progreſſio & circuitus, ſed ipſis etiam vaſis iterum ſe pro viribus conſtringendi facultas reſtituitur, ne amplius expanſione ſua cerebri fibrillas comprimant, & coarctent. Quamvis autem de copia emittendi ſanguinis nihil certo definiri queat, quæ ex vaſorum plenitudine, habituque pulſus, & conditione virium, non modo præſentium, ſed quales antea etiam fuerunt, quam malum ingraveſceret, & reliquis optime determinatur, multum tamen intereſt, ut largius paululum educatur, vel venæ ſectio pro re nata iterum iterumque repetatur. Quoniam igitur in iis capitis morbis, qui ſanguinis congeſtioni, vaſorumque diſtenſioni debentur, quæ in vicinis partibus inſtituitur, venæ inciſio fructuoſa præ aliis & ſalutaris exiſtimatur *) primo quidem, more in noſtris terris recepto vena aperiatur brachii, & ſanguis largiori copia ad octo vel decem uncias detrahatur, vel ſi certis ex cauſis fieri id nequeat, iterum iterumque venæſectio ſed moderatior repetatur, aut, quod ego longe convenientius eſſe judico, poſtquam aliqua portio ſanguinis per venam brachii evacuata fuit, deinceps quædam jugularium externarum ſecetur, quarum inciſio a tot præclaris & multa artis exercitatione ſat probatis Medicis SEVERINO uu), BOERHAAVE xx), LANCISIO yy), FREINDIO zz), BERGERO a), Ill. PRÆSIDE b), Vratiſlavienſibus c) etiam atque etiam commendata fuit. Et quamvis nonnulli ſectionem earundem ſtatim a principio ſuſcipiant, neque id alienum a ratione videatur; tamen verendum erit aliquando, ne in iis, quibus copioſiſſimus per vaſa ſanguis fertur, aut per inferiorum partium ſpaſmos cruor ad caput propellitur,

 major

ss) Eph. N. C. Dec. II. Ann. 8. pag. 101.

tt) Quod in tribus a ſe obſervatum eſſe ſcribit BAGLIVIUS Opp. p. 76.

*) HOFFMANNI Med. Syſtem. Tom. III. Sect. II. c. 9. Theor. 10.

uu) Chirurg. efficac. P. II. c. 16.

xx) Aphor. 1030.

yy) de mort. ſubita Lib. II. c. 5.

zz) Comment. in libr. Epidem. HIPPOCR. pag. 113.

a) Diſſ. de Apopl. §. 17.

b) l. c.

c) Natur- und Kunſt-Geſchichte-Winter-Quar. 1718. p. 524.

major humoris copia eo invitetur. Quod ſi igitur eas incidere placet, collum antea leniter conſtringatur linteo, quod ſectione facta ſtatim detrahitur. Ita ſanguis ſine ligatura, ſponte manabit. In horum locum alii & inprimis HILDESHEIM *d*) venas frontis, linguæ & narium, haſque poſtremas CALDERA etiam ab HEREDIA *e*) ſubſtituunt, alii ex eadem cauſa narium ſcarificationem paulo profundiorem, quæ olim Ægyptiis in uſu fuit, admodum extollunt. Quæcunque autem ſecetur vena, unum habeo, quod adhuc moneam, ampliori eam incidendam eſſe foramine, ut ſanguis eo promtius atque liberius decurrere queat. JOANNES denique BAPTISTA MORGAGNI, Illuſtris Vir, atque ex anatome magnam nominis gloriam conſecutus, venarum occipitalium inciſionem in omnibus affectibus ſoporoſis eximie collaudavit, eoque præſidii genere ſe egregio cuidam Medico magnam tuliſſe opem prodidit. *f*) Quoniam enim hæ venæ intra cranium cum utroque laterali ſinu communicant, inſtituta earum ſectione, ſanguis, quem in ſinus convecturi erant, avertitur, atque hinc reliqui ſanguinis, qui per eoſdem ſinus progreditur, copia minuitur aliquantum, motus autem non ſine emolumento augetur. Quia vero earundem venarum trunci profundius ſemper ſiti, & nonnunquam in plures, minoreſque ramos diviſi reperiuntur, cucurbitulas, & crebras, altasque inciſiones anteferendas putat. Atque ex his intelligitur, qua ratione ZACUTUS LUSITANUS deſperatæ apoplexiæ cucurbitula bis in occipite profunde ſcarificata ſuccurrere potuerit. *g*) Neque alio etiam conſilio JOANNES CATHERWOOD Britannus, *h*) arteriotomiam, quæ antiquioribus ſeculis tanto in pretio fuit, poſtmodum autem, ut ſunt remediorum etiam viciſſitudines, in deſuetudinem, ſaltem inter Germanos, venit, adeo prædicat, & reliquis remediis omnibus anteponit, ſi ex arteria quæ ſupra os quoddam incedit, ſanguis paulo largiori copia detrahatur. Quum vero omnes capitis arteriæ proxime oſſi incumbant, temporalem ei negotio omnium maxime idoneam eſſe exiſtimat, ejuſque ſectionem longe minori fieri periculo, quam reliquorum vaſorum, majori autem emolumento contendit. Certiſſimum enim & præſtantiſſimum remedium pronuntiat, quod magnæ ſemper opi iis fuerit in morbis, qui largiorem ſanguinis evacuationem poſtulant, ut apoplexia pulmonumque inflammatione, quibus ſine ullo detrimento medeatur, quod cum rationibus, tum exemplis curatorum comprobat. *i*) Atque cum rationibus non adeo deſtituta videatur hæc ſententia, optandum utique eſſet, ut idem experimentum noſtris etiam in terris a prudentioribus Medicis repeteretur. At vero inter noſtrates ſæpius plebis opinioni & conſuetudini inde a multis receptæ ſæculis eſſe obtemperandum, nihilque, quod mulierculis novum & inuſitatum videtur, a circumſpecto viro ſine exiſtimationis læſione ſuſcipi poſſe, merito dolemus. Quæ a ſuppreſſis hæmorrhoidibus oritur Apoplexia, in ea hirudinum uſum aliqui inſigniter extollunt, quibus non ſine optimo ſucceſſu uſos eſſe nonnullos CALDERA AB HEREDIA *k*) & VALESCUS *l*) commemorant. *m*) In iis qui ab externis capitis injuriis in apoplexiam incidunt, quamvis aliquantum ſanguinis jam profuſum fuerit, multum tamen & ipſa venæ ſectio adjumenti affert, quam nec in phlegmatica prorſus omittendam, ſed mature atque circumſpecte eſſe inſtituendam, cum pluribus atque graviſſimis viris arbitror. Verum hæc ipſa, quam ſeroſam vocamus, aliud etiam remedium expoſcit, cujus beneficio preſſio materiæ pituitoſæ a capite avertatur, & lentor in cerebro totoque corpore attenuetur, & in alia loca derivetur. Quare ſi reliqua conſentiunt, eo animo vomitus mature excitetur, eoque magis, ſi ventriculum multis cruditatibus cibiſque nondum digeſtis repletum eſſe conſtet. Quamvis enim a nonnullis uſum emeticorum plane damnatum eſſe in hoc morbo non ignorem, quorum bene multos Cl. HOFFMANNUS Pater enumerat *n*) tamen ſi auctoritatibus eſſet decertandum, facile foret, plures huc accerſere, qui eorum virtutes ipſo rerum uſu & experientia ſatis cognoverunt. Quippe per vomitum, tanquam vehementiſſimæ commotionis impetum, viſcera alia, ipſumque caput commoventur, & concutiuntur, quo evenit, ut materia viſcida cum tubulis obſtructis expediri nunc & ſui quodammodo juris fieri queat. Eſſe enim tum nervorum miniſterio, tum per interiorem ventriculi tunicam a cerebri meninge productam, inter utraque hæc viſcera arctiorem nexum atque conſenſum, ex Anatome omnibus patet. Quare dum ventriculus convellitur, ipſæ etiam meninges, & cerebrum contremiſcunt quaſi, & agitantur, ſuoque impulſu ſanguinis per anguſtiſſimos canales progreſſum adjuvant. Ex magno autem emeticorum numero CHRISTIANUS LANGIUS ſal vitrioli, ſive Gillam Paracelſi tanquam ſingulare & propemodum divinum remedium prædicat *o*) in juſculo

d) Spicil. Anat. VI.

e) Tribunal. Med. p. 239.

f) Adverſar. Anatom. VI. pag. 108.

g) Med. Hiſt. Princ. Lib. *I*. Hiſt. 33.

h) In libello quem patrio ſermone conſcriptum edidit: New Methode of curing the Apoplexy.

i) Conf. & LOEW. AB ERLSFELD Med. Pract. cap. de Apoplexia, ubi arteriotomiam non ſine felici exitu interdum a ſe fuiſſe celebratam fatetur.

k) Tribun. Med. p. 239.

l) Philon. Lib. I. c. 9.

m) Singulari quodam evacuandi ſanguinis artificio uſus eſſe apud Wepfferum commemoratur miles quidam, qui cum imminentem Apoplexiam non ſine cauſa metueret, a venæ ſectione autem, quam ipſi complures Medici commendaverant, ex terrore in utero matris impreſſo, abhorreret, vitæ tamen amans eſſet cotrabis bubulis, ſ. flagellis hamatis, quibus taxilli, uncinuli & aculei ferrei innectuntur, dorſum egregie laceſſivit. Quo exercitio, motu, excandeſcentia, ſanguis non ſolum ex dorſo prorupit, ſed etiam nares reſeratæ eundem largius profuderunt, idque optato cum levamine, ut exclamandi cauſam habuerit.

Scorpius atque fabæ noſtra fuere ſalus.

n) de Method. medend. pag. 103.

o) in Miſceil. ſuis curioſis pag. 9. ubi ſumma ejus elogia extant, quæ repetit WEDELIUS in Amœn. Mat. Med. Lib. *II*. Sect. *I*. cap. 9. p. 295. qui & ipſe vitriolata emetica non ſine ſucceſſu propinari docet p. 300. Prædicant etiam ſal vitrioli ANGELUS SALA in ternario Emeticorum c. 8. p. 499. & VRATISLAV. Hiſt. Morb. Vratiſl. Ann. 1702. pag. 34.

juſculo & aqua ſtillatitia diſſolutum & exhibitum. Quod, cum ab aliis etiam laudari videam, commode in uſum vocatur; Quamvis tartari emetici non minores eſſe virtutes, ſi ſex ejus grana aquæ ſtillatitiæ admixta infunduntur, facile ut credam adducar. Infuſum croci metallorum cum vino factum præter RIVERIUM *p*) BAGLIVUS admodum idoneum eſſe mitigando morbo, & utramque in pituitoſis facere paginam aſſerit, quo ſingulis menſibus hauſto non nullos plane ab apoplexia liberatos vidit; *q*) intereſt autem hoc loco moneamus, doſin, quam vocant, emeticorum aliquantum eſſe augendam, eaque perinde ut reliqua medicamenta omnia liquidiori forma eſſe propinanda, ac ne fluida & acris materia aſperam arteriam pulmoneſque ingrediatur, & varias turbas excitet, requiritur, ut aliqua adhuc deglutiendi facultas ſuperſit, atque os etiam commode aperiri queat. Utut vero in ſeroſa apoplexia aliquem emeticis locum conceſſerim, in ſanguinea tamen ea potius omittenda eſſe cum aliis exiſtimo, cum ex eorum uſu ſanguis majori copia atque impetu ad caput propellatur. Quod ſi tamen & in hac venæſectio, & alia remedia ſed in caſſum adhibita fuerunt, nihil eſſe cauſæ puto, quo minus ad excitandum ægrotantem vomitorio ſine timiditate utamur. Qui vero ab illo in phlegmatica etiam apoplexia adeo abhorrent, in iis, quæ alvum fortius ſubducunt ſpem ſuam collocant. Quæ etſi nulla ratione rejicio, clyſmata tamen acriora & ſtimulandi vi prædita, rectius præferri arbitror. Maxime autem placent, quæ ex foliis Sennæ, Tabaco, Colocynthide, Radice Pyrethri, Ireos noſtratis ſale communi, ſale gemmæ, ſale ammoniaco, electuario hieræ picræ, Extracto Hellebori nigri, Extracto trochiſcorum alhandal, felle tauri inſpiſſato. Tartaro emetico, ſyrupo emetico Angeli Salæ, croco Metallorum, hujuſque infuſo cum vino parari ſolent, quibus commode ea adduntur, quæ ſtomachum atque caput roborant, flatuſque diſcutiunt, radices ari, Imperatoriæ, Sigilli Salomonis, Helenii, Galangæ; Herba menthæ, meliſſæ, pulegii, origani, roriſmarini, ſalviæ, rutæ, majoranæ, ſaturejæ, thymi, centaurii minoris, fumariæ, cardui benedicti; flores lavendulæ, ſpicæ, liliorum convallium; ſemen aniſi, fœniculi, carvi, anethi; baccæ lauri, juniperi; mel anthoſatum, ſpiritus vini camphoratus, ex quibus ea tamen, quæ fortius inteſtina irritant, majori ſemper copia admiſceantur, oportet. Video commendari a nonnullis præcipue clyſmata, quæ ex urina ſani hominis cocta ſunt, nihilque oleorum admixtum habent, quibus virtutes iſtorum admodum retundi illi putant. Omnis vero clyſter, ne facile iterum effluat, minori quantitate injiciatur, atque iterum iterumque repetatur. Ad immittendum eum ſatius eſt ſyringa uti, quam veſica, quum illius ope longe altius inteſtinis recipi queat. Suppoſitoria, ea enim præteriri non debent, locum habent præcipue, ſi clyſmata diutius juſto retineantur, aut retineri plane non poſſint. Alterum in hoc morbo medici officium eſſe ſupra monui, ut de ægrotante ex ſomno profundiori excitando cogitet. Atque hanc etiam laudem clyſteres ſuſtinent, ſi in utraque apoplexia confeſtim in ſubſidium vocentur, cum in ſanguinea id ſimul præſtare videantur, ut ſanguis extra vaſa delapſus in eadem iterum, quantum fieri poteſt, reſorbeatur. At vero & aliis irritamentis uti ſolent, qui attonitos excitare conantur, quæ tamen ut plurimum ſine fructu eſſe merito deploramus. Quid enim expectes a concuſſione corporis, quæ plethoricis plus detrimenti quam ſalutis affert? Quis ab acclamatione & crinium vellicatione facile excitabitur? Singulare enim fuit, quod HEERIUS refert, quendam, cum ex ebrietate ſtupidus, ſine mente, ſine ſenſu, per tres fere dies jacuerat, tracta & agitata venerabili barba ad ſe rediiſſe. Et quænam quæſo ſpes ſalutis erit in ſpiritibus nervinis, ſerpilli, matricariæ, ſpiritu vini camphorato, Aqua Reginæ Hungariæ, ſpiritu theriacali, oleo ſuccini, ejuſque balſamo, & aliis balſamis, linimentis, oleis, aquis, & quocunque nomine appellentur, quæ temporibus, vertici fronti, & nuchæ illini & affricari a mulierculis ſolent? Majori fructu, inprimis in ſeroſa apoplexia errhina naribus objiciuntur, quibus ſternutatio, & aliquando ipſe ægrotans excitatur. Quum vero per vehementiorem concuſſionem affluxum humorum ad caput augeant, non niſi evacuationibus factis ſecurus eſſe eorum uſus videtur. Ea ſolidis conveniunt, Euphorbium, Helleborus albus, Piper, vitriolum album ad gr. v. vel vj. in aqua majoranæ & ſpiritu liliorum convallium ſolutum, pulvis caſtorei, flores liliorum convallium, pulvis tabaci, majoranæ, ſemen fœniculi. Aliis præferendum eſſe cenſet Illuſtris PRÆSES quod ex ſalis volatilis ammoniaci ſicci ʒj. & olei deſtillati majoranæ gut. x. paratur. Commode autem flatu per calamum ſcriptorium in nares injiciuntur, atque ex nonnullorum mente majori quam fluida virtute valent. Ex fluidis maxime commendaverim ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viva paratum, admixto oleo rutæ, cariophyllorum; vel eſſentia caſtorei, ſal volatile urinæ, cornu cervi, ſuccini, anglicanum, alioſque ſpiritus volatiles & oleoſos, quæ naribus vel inſtillantur, vel turundis affuſa immittuntur. A nonnullis maximo habetur in pretio oleum ſuccini, cui præſtantiſſimas, & plane ſpecificas ineſſe virtutes, ſi nares eo inungantur, putant. At vero longe efficacius ſalia hæc urinoſa, atque oleum etiam ſuccini excitant, ſi lingua fauces & palatum iis probe perfricentur. Quo conſilio & alii Extractum ſalviæ cum camphora, vel extractum rutæ, caſtorei uſurpant. Sunt etiam qui herbas reſolvendi diſcutiendique virtute præditas ſalviam, thymum, origanum, ſerpillum, radices ſigilli Salomonis, Ireos Florentinæ, baccas lauri, juniperi, flores ſambuci, ex aceto acriori coctas admixtis ſale ammoniaco, & ſpiritu vini camphorato in cataplaſmatis formam redigunt, eodemque caput diligenter fovent, nec mediocrem ſibi exinde opem polli-

p) Prax. Med. Lib. I. c. 2.

q) Opp. p. 111.

pollicentur. Præterea vero cataplaſmata quæ ruborem excitant, ex radicibus pyrethri, raphani nigri, ſinapi, pipere Indico & murario plantis pedum applicare juvat, aut ſi hæc minus placeant, congruum erit, maxime in apoplexia pituitoſa, plantis pedum, ſuræ, femoribus, aliiſque remotioribus membris veſicantia admovere. Emplaſtra autem ampliora & acriora requiruntur, ut eo promptius operentur, atque ægrotantem excitent. Neque minus frictiones partium, cum pannis aſperis calidioribus, vel ſale etiam & aceto ſquillitico aut ſpiritu nervino factæ ſæpius repetantur, quas non ſine uſu eſſe experientia docuit. Quanquam pannorum loco a quibuſdam aſpera quædam excutia commendata fuit. Neque pediluvia, quæ humores ad inferiores partes ſimul revocant, irrita fore exiſtimarim. Partium vero ligaturæ, quas nonnulli prædicant, cum ſanguinis circuitum turbent, atque ita efficiant, ut ille majori copia atque impetu ad partes alias progrediatur, dolor autem alia etiam ratione excitari queat, non admittendæ videntur. Quin potius placet mihi urticatio a Celeberrimo VATERO propoſita *r*) propterea, quod urticarum aculei poros noſtri corporis intimius ſubeunt, nervoſque agitant vehementius, adeoque exquiſitiorem doloris ſenſum efficiunt. Nec cucurbitulas ſiccas plane prætermittendas puto, ſive cruribus, ſive brachiis, ſive ſcapulis, ſive nuchæ ipſique capitis vertici affigantur, quas FRACASTORIUS apoplexia correptus indicaſſe fertur, ſed non intellectus periit. *s*) Verum ubi hæc omnia plerumque non ſufficiunt, aliquando ad ignem ferrumque Medici progrediuntur. Qui mitius agunt, caput abraſis capillis, inſtrumento illo lotricum atque ſartorum calefacto, quod noſtrates ein Bügel-Eiſen vocant, complanare ſolent, *t*) ut hac ratione fibræ nerveæ duræ matris per ſuturas cranii trajectæ, blando ferramenti motu conſtringantur, & ad motum oſcillatorium adactæ ſenſum revocent, atque humorem ipſum, qui vaſa cerebri atque meningum ægre permeat, aliquantum propellant. Ignitum ferrum, quod Græci cauterium dicunt, jam olim in hoc morbo prædicavit AETIUS, ſi coronali commiſſuræ inuratur, ſentitque cum ipſo Cl. CRAUSIUS, qui idem poſteriori capitis parti admotum, tanquam ſubitæ efficaciæ auxilium collaudat. *u*) Atque præter hos ipſe etiam de re chirurgica optime meritus SEVERINUS memorat *x*) Ludovicum de Leonibus duos lethargicos jam fere exanimes hoc cauterio ad vitam revocaſſe. Primus autem, quoad ego quidem compertum habeo, novam & a nemine ante excogitatam iis utendi rationem iniit Dominicus MISTICHELLI, Italus, quam peculiari commentatione explicuit & figura illuſtravit, variiſque eorum qui reliquis omnibus fruſtra tentatis hujus remedii uſu ad ſe rediérunt, exemplis, comprobatum reddidit. *y*) Habetque conſentientem Illuſtrem LANCISIUM, qui efficaciam inſtrumenti per Romana Noſocomia celebrati admodum extollit. *z*) Nimirum ex mente ejus ad ſuſcitandos attonitos inuritur ferrum ignitum mediæ plantæ parti, inter calcem, & partem eminentiorem, quam den Ballen vocant, ſitæ, idque fit non alia ex cauſa, quam quod eo loco fibræ copioſiores nervoſæ tendineæ, ac membranoſæ coëant, ſummamque ſenſus teneritudinem efficiant, ut hinc ſtimulus ille eo facilius in profundiori etiam ſomno percellere corpus ad agendum propellendumque ſanguinem excitare queat. Quum præterea etiam dolor ille non mox ſopiatur, ſed aliquantiſper perſeveret, donec cruſta ſecedat paulatim, & ſeparetur, patet hac ratione ob diuturniorem doloris ſenſum, humores nervorumque fluidum continenter agitari, ipſumque ſanguinis impetum ad inferiores partes magis revelli. Ubi omnia rite ſunt peracta, eſcharaque ſupereſt, emollitur primo per butyrum recens, vel oleum lini, unguentum dialthææ, ſimileque, donec cruſta ſecedat. Poſtea ulcus unguento digeſtivo, aut melle roſato cum ſpiritu vini aliiſque mundatur, atque demum vel iiſdem, vel unguento ſaturnino, vel linamentis carptis ſiccis conſolidatur. Quo tamen loco prætereundum non eſt, initio mali, & ſatis mature adhibendum eſſe cauterium, ne ſi diutius ejus uſus differatur, re jam conclamata, quam oſtenderat, ſpes decollet. Utinam vero ferrum atque ignem non adeo extimeſcerent Germani noſtrates, ut & ad eos ſanandos remedio tam præſtanti atque generoſo uti liceret. Denique ut ſanguis, qui in cerebro coiit, diſſolvatur, & æquali iterum flumine per corpus procedat, & capitis vaſcula iterum aliquantum roborentur, nervinis & ſpirituoſis, atque iis, quæ ſpaſmos leniunt, maxime opus erit. Quo nomine inprimis intelligo ſpiritum ceraſorum nigrorum, lavendulæ, liliorum convallium, meliſſæ, ſpiritum ſalis ammoniaci ſimplicem & aniſatum, lumbricorum terreſtrium, theriacalem, camphoræ, cornu cervi rectificatum, eboris, alioſque ejus generis plures, liquorem cornu cervi ſuccinatum, ſal volatile oleoſum, Eſſentiam roriſmarini, caſtorei, imperatoriæ, ſcordii, vincetoxici, pimpinellæ albæ, cariophyllorum, helenii, gentianæ, ſuccini; Elæoſaccharum aniſi, lavendulæ, macis, citri, ſalviæ; Balſamum Peruvianum, Balſamum vitæ Hoffmanni, quæ cum aqua majoranæ, lavendulæ, ſalviæ, Apoplectica, Epileptica, & maxime omnium aqua liliorum convallium, non admodum ſpirituoſa, & ſæpius a floribus deſtillata, cui mirifica ſpaſmos ſopiendi, & reſolvendi virtus a nonnullis tribui ſolet, potionum vel alia liquida forma commode propinantur. Ex iis vero cum ſint nonnulla, quæ ſanguinem nimium

r) Diſſ. de remediis Apoplexiæ ſelectioribus.

s) SENNERTUS Prax. Lib. *I.* P. II. c. 33. p. 665. RIVERII Prax. Med. Lib. *I.* c. 2. ZACUTUS LUSITANUS de Med. Princ. Hiſt. Lib. 1. Hiſt. 31.

t) Vid. WEDELII Prax. Clin. Exempl. de morbis capitis & JUNCKERI Conſ. Med. Theor. Pract. Tab. de Apopl. Medicum quendam juniorem qui ad diſcutiendos inveteratos capitis dolores, inſtrumentum hoc crebrius commendaverat, hanc ob cauſam, D. Bugel-Eiſen appellatum eſſe LENTILIUS refert in Jatromnem p. 464.

u) Diſſ. de Apopl. Vid. & RHASES Tr. de Cauter.

x) Lib. *II.* Pyrotechn. P. *I.*

y) Liber ipſius de Apoplexia patrio ſermone editus prodiit Romæ 1709. 4. appendix vero Patavii 1715.

z) Lib. *II.* de mort. ſubit. 5.

mium agitant & commovent, ea in plethoricis locum non habent, vel parca ſaltem doſi, ea cum aliis quæ temperandi vim habent, permixta conveniunt. Sufficiunt eo tempore aqua genuina liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, florum tiliæ, meliſſæ, ſerpilli, ſalviæ, ſpiritus vitrioli & nitri dulcis, cum quibuſdam eſſentiis moderatioribus quas jam memoravi. Si quæ tamen ſpirituoſiora e. g. liquor cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus lumbricorum terreſtrium, aut cornu cervi, aliaque adjicere animus eſſet, minima ut jam dixi doſi, id concedenda fore exiſtimarem. Iiſdem etiam potiunculis ex numero ſolidorum cinnabarina, itemque pulvis lumbricorum terreſtrium conveniunt, quorum virtutem in ſuperandis morbi attoniti reliquiis non eſſe contemnendam Viri docti pridem obſervarunt. In fervore atque ebullitione ſanguinis, itemque ſi febricula conjungatur, diaphoreticis fixis, temperantibus, cinnabarinis, atque nitroſis nihil prius, nihilque antiquius habeatur. Si liquida jam intra cerebri cavitates effuſa fuerint, ſubita mors plerumque conſequitur. Si quid tamen ad eam avertendam tentare lubet, eo eſt reſpiciendum, ut ſanguis larga venæſectione purgationeque alvi & clyſmatibus in ſua vaſa vi vitæ reſorbeatur. Quamobrem utramque hanc evacuationem neceſſe foret, ad maximam copiam, quam ægrotans toleret, inſtituere, & pro re nata, ſi iis minuantur ſymptomata, repetere, atque ipſam etiam acrimoniam emendare, quod poſterius nulla re felicius, quam per ſaponacea chymica fieri Illuſtris BOERHAAVE contendit. *aa*) De externis læſionibus nihil eſt, quod hoc loco ulterius dicam, cum eas provide prudenterque Chirurgorum arte tractandas eſſe per ſe conſtet. Denique poſtquam excitati iterum ad ſe redierunt attoniti, quovis modo a ſomno, ſi ad eum proclives fuerint, arceantur. Et dici profecto non poteſt, quantum eo tempore ad avertendam ſomnolentiam valeant veſicatoria pedibus brachiiſque applicata, ut divina propemodum remedia appellari mereantur.

§. XVII.

Præſervatio. Quoniam vero apoplexia tam facile revertitur, & ubi acceſſerit, tam præſens vitæ periculum ilico affert, officium ægrotantis poſtulat, ut eam victus vivendique rationem ineat, qua longe propelli morbus, & corpus defendi & incolume conſervari queat. Quare & ego operæ pretium facturus mihi videor, ſi, qua ratione id optime effici exiſtimem, breviter adhuc exponam. Nemo autem in ſemine ſinapi vel coriandri, aut radice verbaſci maris certo quodam die effoſſa *bb*) aut eſſentia caſtorei ſpem fiduciamque collocet, in quibus nihil eſſe quod tanto morbo medeatur, ſed omnem hanc curationem pro cauſarum corporumque diverſitate rectius inſtitui, intelligentiores pridem cognoverunt. Quamobrem ii, qui ſanguine abundant, largioribus in pede venæ ſectionibus, vel ſingulis æquinoctiis, vel ſi rei neceſſitas id poſtularet, ter vel quater ſingulis annis utantur, eaſdemque ſenes etiam ſexaginta licet vel ſeptuaginta annorum, ſi ex lautiori victu & vita otioſa multum ſucci ſanguiniſque conficiunt, identidem repetant; neglecta quæ inter multos, etiam ex prudentioribus, adhuc circumfertur, inepta atque anili, de ſanguine tanquam theſauro iis temporibus non minuendo, fabula, quæ cum ab aliis tum maxime ab Ill. Halenſium Medicis HOFFMANNO *cc*), STAHLIO *dd*), ALBERTI *ee*) atque COSCHWIZIO *ff*) erudite profligata fuit. Et profecto quantum ſanguinis ſeni ejuſmodi plethorico detrahi queat, præter alios ſuo nos docet exemplo Dominicus Vecchiottus, Vir ſeptuagenario minor habitus obeſioris & ſanguine abundans, carnium amans, & corpus laboribus parum exercens, qui cum per menſem circiter capitis gravitate & ſomnolentia maxime affectus proxime imminentem metueret apoplexiam, ex improviſo nocte quadam largiori narium hæmorrhagia correptus undecim ſanguinis libras profudit, nec ex ea quandam virium jacturam fecit, ſed ab illo capitis veterno ſe valde levatum ſenſit, & cum quindecim intervallo dierum ſanguinis iterum quatuor libras emitteret, plane convaluit. Qui fluxionem hæmorrhoidum ſalutarem antea experti, ex ſuppreſſione ejus in apoplexiam inciderunt, iis non incongruum erit, hirudines circa anum, applicare. Præter has vero ſanguinis miſſiones ſingulis circiter menſibus ventriculum & inteſtina imo totum corpus a ſordibus ſuis & inquinamentis per alvum repurgare decet. Quorum tamen in remediorum uſu eam requiri puto cautionem, ut omnia vitentur, quæ inteſtinorum tunicas magis violant, & inflammationem in iiſdem producunt, cum blandiora alvum ſatis ſollicitent, clementerque expurgent. Et ſanguineis quidem ac cholericis leniſſima conveniunt quæ ex ſennæ foliis aut rhabarbaro parari ſolent. Quo loco etiam habeo extractum panchymagorum Crollii cum extractis amaris reſolvendi vi præditis e. g. extractis pimpinellæ albæ, Gentianæ rubræ, vincetoxici, abſinthii, helenii, centaurii minoris, cardui benedicti, fumariæ, cochleariæ conjunctum, quibus non inconcinne gummata abſtergentia, ammoniacum, galbanum, ſagapenum, & reliqua admiſcentur. Nec plane etiam vinoſa infuſa, quæ ex herbis aperientibus & reſolventibus, itemque rhabarbaro, foliis ſennæ, hellebori nigri ſalibuſque abſtergentibus conſtant, contemnenda hic videntur. In mucoſis autem cum eadem hæc infuſa, tum ea, quæ ex jalappa, helleboro nigro, aloë fiunt, medicamenta locum inveniunt, vel ſi leniora ſufficere putemus, manna & cremor tartari ſpei expectanionique ſatis reſpondebunt. Nec video, quid vetet, quo minus in iis quibus multa in ventriculo cruditatum eſt ſentina, ſi reliqua recte ſe habeant, vo-

aa) Aphor. §. 1033. coll. §. 279. & 280.
bb) Ephem. N. C. Dec. *III.* Ann. 9. 10. Obſer. 179.
cc) Diſſ. de præſtantiſſimo venæſectionis ad vitam longam uſu, & alibi.
dd) in variis diſſert. de venæ ſectione ſcriptis, quæ nuperrime Germanice verſæ prodierunt.
ee) Progr. de venæſectione ſenum.
ff) de Venæſect. ultra 50. ætat. annum continuanda.

mitorio ſtomachus levetur. Veſiccatoria etiam pedibus ſubinde applicata, & fonticuli opem iis afferunt, qui ob phlegmaticam corporis temperiem, ſeroſa quondam apoplexia laboraverunt. Utrique autem apoplexiæ pediluvia conveniunt, veſperi nonnunquam repetita & ex aqua tantummodo fluviatili facta, cui interdum furfur triticeum, aut flores chamomillæ non incongrue adduntur. Internis uſibus ad roborandum caput & ſpaſmos avertendos tonica ut ſal volatile oleoſum Sylvii, liquor cornu cervi ſuccinatus, mixtura Tonico-nervina Stahlii interpoſitis temperantibus & antiſpaſmodicis, itemque cephalica ut pulegium, ſerpillum, roſmarinus, ſalvia, majorana, flores lavendulæ, ſemina quatuor carminativa, & varia ex his præparata inſerviunt. Quæ ex herbis modo memoratis fieri ſolent infuſa, atque loco Theæ quotidie matutinis pomeridianiſque horis ſorbillantur, ventriculum roborant, & inteſtina eluunt, ſanguiniſque motum æqualem & liberum conſervant, atque ipſi etiam cerebro nerviſque opem afferunt, multiſque adeo modis ſanitatem adjuvant, & morbum repellunt. Maximam quoque laudem meretur balſamus vitæ Hoffmannianus, parca doſi, vel ſolus, vel cum ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato ex vino, vel ejuſmodi, quale jam commemoravi, infuſo, vel prandii cœnæque tempore ex juſculo aſſumtus. Atque idem, ſi externa quoque remedia adjungere placet, reliquis balſamis Apoplecticis, quorum farragine proh dolor! laboramus, palmam facile præripere videtur. Unum vero ſupereſt, quod moneam, omnia hæc ſpirituoſa, volatilia & aromatica medicamenta, niſi caute circumſpecteque uſurpentur, in plethoricis plus damni, quam emolumenti afferre. Neque ulla erit ab his omnibus incolumitas expectanda, niſi etiam, quæ ad victum & reliquam vitæ conſuetudinem pertinent, leges, accuratius cuſtodiantur. Quamobrem omnis vitetur cibus largior, inprimis veſpertinus, itemque craſſus, viſcidus, flatulentus, leguminoſa, acetaria, cereviſiæ craſſæ, acidæ, feculentæ, facile fermenteſcentes, itemque ea quæ multum nutrimenti ſuggerunt, vel ob pinguedinem & ſuarum cohæſionem partium infarctus generant, nec facile iterum e corpore proſcribuntur. Quibus ſanguis non adeo eſt copioſus, nec ad ebullitionem proclivis, iis parciorem vini uſum libenter conceſſerim, dummodo non ejuſmodi quod ſulphure effero caput infeſtat, aut acidum, ſed temperatius, quod per colatoria facile trajicitur, ut Moſellanum album, Gallicum, Canarienſe, Hiſpanicum, Hungaricum ſeligatur. Nec vigiliæ, quæ corpus exhauriuntur, atque caput & cerebrum enervant, nec ſomnus nimius, unde corpus relangueſcit, & copioſior pituita generatur, conveniunt. Ipſo autem ſomni tempore cavendum eſt, ne caput decliviori ſitu jaceat. Omnia ea quæ calorem in corpore intenſiorem excitant, & ſanguinem inſigniter commovent, ſanguineis, frigidum autem & pluvioſum aerem itemque ſubitam frigoris & caloris viciſſitudinem, quibuslibet eſſe fugienda, ex ſuperioribus liquet. Atque ſi aëris temperies ita ſit comparata, ut facile apoplexia inde exſuſcitari queat, omnino, qui eandem metuunt, videant, ne inebriante & ſpirituoſo potu abutantur, aut multis ventriculum alimentis onerent, ſed partes inferiores totumque corpus ab aere defendant, neque ſine neceſſitate in publicum prodeant, nec tamen in conclavi nimium calefacto, & ſervente agant. Motus placidus rheda vel pedibus quotidie inſtitutus magnæ multis opi fuit. Atque id ſibi in primis dictum putent ſeniores, qui ſanguine affluunt, ne cum ad tolerandam vitam corpus antea multis laboribus exercuerunt, nunc cuticulam curaturi, agilem hanc vitam cum otio, atque lautiori victu commutent. Qui curis & mœrori indulgent, iis maxime peregrinationes, aëris ſalubrioris mutationem, animum tranquillum, & ab omnibus ſollicitudinibus liberum, hominum ſocietates concentuſque muſicos & quæ alia mentem depreſſam & afflictam erigunt, commendanda puto. Qui languore quodam & debilitate capitis ſe affectus ſentiunt, ii valetudini ſuæ conſulant, atque meditationibus nimiis diutius atque ad ſeram noctem protractis nuncium remittant, nec in minutioribus literis, in primis candelæ ope legendis, oculos fatigent, aut corpus in gyrum agitent. Ex medicamentorum numero vaporoſa, & capiti infenſa, anodyna, narcotica, ex abſinthio confecta, itemque ſuaviori odore prædita, ut moſchus & ambra ſedulo vitentur. Atque ut paucis multa complectar, omnium eorum, quæ ſuperius in cauſarum claſſem retuli habeatur ratio, ut eorum vel intermiſſione, vel declinatione corpus a novo morbi inſultu ſartum tectumque conſervetur. Atque ſimili etiam ratione morbi cum quibus apoplexia frequenter conjungi ſolet ut hypochondriaca atque hyſterica affectio, itemque ſalutarium hæmorrhagiarum ſuppreſſio, ſuis quilibet remediis perſanentur, de quibus tamen hic data opera exponere non attinet & ab inſtituti mei ratione prorſus alienum videtur.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA

TRADENS

COMPENDIOSAM ET CLINICAM

PRAXIN DOLORUM

CUM CAUTELIS.

Primùm edita Anno 1706.

PRÆFATIO.

MORTALITATIS noſtræ lege cum mille obſtringamur malis, mille conteramur adfectibus, nihil tamen ex iis nobis gravius, nihil perinde formidandum, quam dolorum cruciatus. Dolores enim ſunt, qui non corpus ſolum ceu domicilium animæ graviſſime concutiunt, ſed ipſum quoque animum indignis modis turbant & adgrediuntur. Igitur jam inde ab antiquis temporibus extiterunt Philoſophi, qui ſumma cura adlaborarunt, ut ſalubribus præceptis animum ad perferendos dolores componerent. At quantum hiſce profecerint, quam parum inde corpori adtulerint auxilii, ipſi ſuo exemplo conteſtantur. Multi enim ex iis doloris vehementia evicti, ad lacrymas & gemitus indignos ſua arte confugerunt, alii dolore expugnati damnatis manibus fatalem occuparunt horam, & ſuam ipſi doctrinam male contaminarunt. Corpori proinde medicina quærenda eſt, qua doloribus remedium inveniatur. Multis hoc a Medicis jam tentatum fuit. Nam cum viderent, nulla in re magis ſuſcipi ac dilaudari Medicum, quam in dolore removendo, nihil æque ipſis curæ fuit, quam ut ægris hac ratione ſuam artem adprobarent & quæ feciſſent medicamenta populo, ut ille ait, complacerent. Varii varia inde remedia excogitarunt, quibus dolori occurrerent, multi opiata, alii alia amplexi ſunt. Magnum omnino in his remediis auxilium, ſi commode, ſi tempeſtive & prudenter uſurpentur, magnum contra periculum: ſi injuſto tempore, nullo ordine ac ab imprudenti Medico adhibeantur. Felix proinde is Medicus, qui ſuo tempore & tali ordine tali arte ea ægrotis dare poteſt, ut exoptatum inde eventum conſequatur. Non alienum nobis viſum fuit, præſenti diſputatione difficilem hanc de doloribus dolorumque remediis materiam exponere. In quibus explicandis cum complura adduci poſſint, id inprimis agam ut primum qui dolores eorumque cauſæ, poſtea remedia & denique cautelæ mira brevitate proponantur. Deus vero fons ille inexhauſtæ bonitatis huic noſtro conatui clementer adſit & ſermones noſtros ita regat, ut exinde veritatis lux magis magiſque illuſtretur.

CAPUT I.

De Dolore Capitis.

OBSERVATIONES.

I. HIs in conſpectum datis, ipſos dolores accedimus, a capite auſpicatur. Caput vero multis acerbiſque doloribus exagitatur, qui vel a violenta diſtenſione vel a roſione cranii duræque matris oriuntur. Nempe uti omnis dolor a diſtenſione vel roſione membranarum derivandus eſt: ita ille in capite eandem adgnoſcit originem.

II. Primum vero diſtenſio fit a nimia ſanguinis copia in vaſis congeſta, ex vaſorum vero diſtenſione tenduntur etiam membranæ, nam illa inter ipſas membranas ſitum habent.

Roſio accidit a ſeri impuri ſalſi acris viſcidi ſtagnatione, ſive illud intra ſive extra vaſa comprehendatur.

III. Dolor a diſtenſione ſive infarctu ſanguinis ſoboles plerumque ſpaſmi eſt in partibus remotioribus,

bus, in primis in abdomine exorti. Nulla enim regio corporis fertilior eſt ſpaſmorum proventu, quam abdomen, abdominiſque viſcera. Illic in meſenterio, in inteſtinis fomes & materia ſuppeditatur ſpaſmis & ſpaſmodicis contractionibus, quæ periodicis capitis doloribus præbent occaſionem. Cephalalgiis vero opportuniores ſunt plethorici, & quibus alvus non reſpondet. Præter hos frequenter his laborant feminæ, quibus minus recte menſtrua feruntur, & viri hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes. Idem malum exercet illos, qui ſanguinis detractionem, cui alias adſueti ſunt, parum commode intermiſerunt.

IV. Capitis doloribus ex diſtenſione natis magis patent pueri ac juvenes quam provectior ætas, magis etiam mulieres, quam ſexus dignior.

V. Capitis dolores ordinarium fere ſunt ſymptoma febrium tam intermittentium quam continuarum. Et quo majori colluvie primæ viæ turgent, eo acrior acerbiorque dolor jungitur. Inde eſt, quod hypochondriaci flatulenti, qui ſpaſmis & digeſtionis vitio laborant, vehementi capitis dolore torqueantur. Qui exilia & copioſa vaſa habent & ſpongioſum corporis habitum, vehementius hoc malo adfliguntur, quam quos natura amplis atque laxis vaſis communivit. Per hæc enim ſanguis facili negotio transfunditur, per illa vero difficilius procedens ſtagnat inque curſu inhibetur.

VI. Quorum corpora impuro viſcidoque ſero abundant, uti cachecticorum, item qui lue venerea infecti ſunt, hi præter alvi tarditatem pertinaci capitis dolore fixo certamque obſidente partem miſere excruciantur.

Fiunt hi, quos modo recenſuimus dolores a roſione, magiſque idiopathici ſunt, cum ſymptomatici dicantur, qui a ſanguinis in capite confluxione generantur.

VII. Doloris a diſtenſione hæ notæ: Facies rubet & inflatur, vaſa turgent vehementerque pulſant, oculi rubent & caligant & involuntarie illacrymant. Acies porro hebeſcit, nares ſicceſcunt, ſomnus denique ſi turbulentus atque interruptus.

VIII. Doloris roſivi ſigna hæc: Præter acutum lancinantemque dolorem dolor fixus in parte eſt & diuturnus. Præterea faciei pallor, livor, venarum detumeſcentia nariumque pruritus. Increſcit malum plenilunio, nocte, brumali tempore, ventiſque a ſeptentrione flantibus, quippe qui tranſpirationem intercludunt. Diſtinguitur capitis dolor in gravativum & acutum ardentemque. Ille fit a ſanguine feroque valde viſcido, proprius ſenibus cachecticis phlegmaticis; & cauſæ frigidæ a Veteribus adſcribitur. Hic acutus nempe a ſanguinis calidi ſulphureique orgaſmo oritur, quem cauſæ calidæ idcirco Veteres imputarunt. Frequens hic cholericis, in quibus magis tendit, torquet & compungit.

IX. Capitis dolor cum ſopore junctus in ſenibus apoplexiam vel paralyſin prænunciat, acutis morbis ſi adſociatur idque cum vigiliis, delirii eſt periculum.

Curatio.

Adductis, quæ pertinere videbantur ad cephalalgiæ explicationem, jam de præſidiis videbimus, quibus hic dolor profligatur.

Principio vero id Medicus agat neceſſe eſt, eo curam induſtriamque dirigat, ut circulus ſanguinis per membranas capitis cerebrique regularis, æquabilis, moderatus & liber efficiatur. Itaque ſi a congeſtione ſanguinis in febribus vitium eſt, ſanguis quovis modo a capite debet derivari, & ad inferiores partes tranſmitti. Deinde coercendus eſt nimius ejus inteſtinus motus turgeſcentiæ & tonus partium in capite in primis confirmandus, eo fine, ut circulans ſanguis promptius per caput eat minuſque ſubſiſtat. Primam indicationem complent

1) V. S. in brachio vel pede inſtituta.

2) Pediluvia, quibus pedes ad genua uſque immergendi.

3) Alvus aperta & laxa ſervetur, quod commodiſſime præſtabunt clyſteres vel aqua laxativa Viennenſis cum cremore tartari vel arcano duplicato acuata.

Secundæ indicationi ſatisfaciunt inprimis nitroſa, pulvis præcipitans cum nitro mixtus, ſpiritus nitri, vitrioli dulcis, ſpiritus minerales acidi probe rectificati inque potu exhibiti. Maxime omnium vero hoc præſtat ſpiritus noſter mineralis anodynus, qui ſpaſmos non modo egregie mitigat, ſed ſomnum etiam blandum mire conciliat, omnibus inde opiatis ſuperior exiſtimandus.

4) Partes capitis roborat & ſtagnantem ſanguinem bene reſolvit, quod ſequitur epithema.

Recipe Aquæ roſarum unc. ii. ſpiritus roſarum uncias iij. camphoræ drachm. j. nitri purificati drachm. ij. olei ligni rhodii ſcrup. iv. m. f. l. a. epithema capitique tepide adplicetur.

In capitis gravativo dolore diuturno & ex vitio ſeri primarumque viarum orto ſequentia inſignem opem pollicentur.

1) Pillulas noſtras polychreſtas æger ſumat per xv. dies ſingulis alternis diebus circa cœnam.

2) Utatur æger quotidie infuſo ex herbis cephalicis parato, quale ſequens formula deſcribit.

Recipe herbarum betonicæ, veronicæ, chamædryos ana m. j. florum lavendulæ, anthos, ana p. ij. caryophyllorum, cubebarum, corticis ligni ſaſſafras ana drach. iij. m.

3) Balſamum noſtrum ſpirituoſum vitæ vertici temporibus & naribus admoveatur. Hoc enim in capitis doloribus ſedandis ita excellet, ut reliquis facile ſit ſuperius.

4) *Recipe Tincturæ antimonii acris, ſalis volatilis ammoniaci ana unc. j. olei de cedro, macis, caryophyllorum ana gutt. XX. Miſce: doſis eſt gutt. XX. ſumi poteſt inter cibos.*

Monita & cautelæ practicæ.

1) In omni cephalalgia vitanda ſunt opiata. Ad cauſam enim morbi tollendam adeo non apta ſunt, ut illam potius augeant. Iiſdem facilis ad graves morbos fit tranſitio, dum nempe capiti atoniam adferunt atque infirmitatem. Nocent vero in primis in febribus malignis, ſi dolor nimius demulcendus eſt, omnibus ſedativis ſpiritus noſter mineralis anodynus eſt præferendus.

2) In acutis morbis Venæ Sectio ſub lingua, cucurbitulæ ſcarificatæ collo admotæ, narium etiam ſcarificationes ad Ægyptiorum methodum inſignem ferunt opem deliriique imminentis metum avertunt.

3) Volatilia externe oblata calida, aquam Reginæ Hungariæ, vel etiam ſuaveolentia, non omnes ferre poſſunt. Inimica ſunt literatis, qui caput meditationibus debilitant, item mulierculis, quarum nervoſum ſyſtema promtiſſimum eſt ad anomalos motus ſuſcipiendos.

4) In variolis, morbillis, purpura, petechiis præſtat ab epithematibus abſtinere, præſertim humidis & frigidis. Convenientius hic erit, per interna curam expedire.

5) In dolore capitis periodico, in hemicrania, primæ viæ ante omnia conſiderandæ & emetica ibi præſtantiſſima adhibenda. Poſt horum uſum ad balſamica, quæ tonum confirmant, eſt veniendum.

6) Dolor

6) Dolor capitis morbo gallico contractus per decocta lignorum ſudorifera & mercurialem curam, ſalivationem, item per diaphoretica terminatur.

7) Sal volatile ſalis ammoniaci cum oleo puro majoranæ commixtum egregium eſt errhinum tenacemque pituitam diſcutit.

8) In omnibus capitis doloribus prodeſt alvum ſervare ſolutam, quod in acutis clyſteres, item ſalia deterſiva, in chronicis pillulæ laxantes optime efficiunt.

9) Sanguinis detractio e fronte vel arteriarum inciſio valentiſſimum remedium ad contumaces capitis dolores removendos.

10) Emplaſtra veſicatoria cum gummatibus cephalicis mixta capitique raſo impoſita in deſperato capitis dolore, qui ab extravaſatione impuri ſeri fit, magnam ſæpe adferunt levationem.

11) In dolore capitis ex ebrietate pillulæ Avicennæ, infuſum herbæ Thee cum blanda diaphoreſi & abſtinentia non ſine fructu adhibentur.

CAPUT II.

De dolore Cardialgico

OBSERVATIONES.

SEquitur caput ſtomachus, qui non minorem dolorem experitur. Eſt hic Cardialgia, quæ acutus, acerbus dolor eſt non ſiniſtri ſolum ſed dextri etiam orificii in ventriculo. Inde non ſcorbiculum cordis modo hic dolor occupat, ſed ad ipſum quoque dorſum porrigitur.

I. Oritur à ſpaſmodica ſtrictura & violenta tunicarum nervearum conſtrictione.

II. Junguntur cardialgiæ anxietates, inquietudo, ſpirandique difficultas, jungitur etiam ſudor frigidus pedumque refrigeratio. Sæpe hæc feralis ſequitur ſyncope ob nervorum nempe violentam per conſenſum agitationem.

III. Probe diſtinguenda eſt cardialgia ab anxietate circa præcordia, quæ in omnibus febribus tam continuis quam intermittentibus obſervatur. Provenit vero hoc ſymptoma à ſanguinis ſtagnatione ejuſque circulo circa cor & pulmones impeditiore.

IV. Diſtinguenda porro cardialgia eſt à dolore ventriculi inflatorio. Hoc malum frequens infantibus lactantibus adhuc, frequens vero propter lac copioſum in ventriculo coagulatum, ibique ſtagnans. Vitium eſt in flatibus, qui ventriculum diſtendunt doloremque excitant, & ubi coſtæ manibus tangi poſſunt, malum maxime ſentitur. Vulgo dicitur **Hertzgeſpan**. Talis dolor hypochondriacos in primis exercere ſolet, cujus in his non alia eſt cauſa, quam viſcida humorum ſaburra, qua ventriculus oneratur. Inde enim flatus flatuumque fomenta, ex flatibus vero velut à radice omnes hi exſurgunt ſurculi.

V. Diſtinguenda tandem cardialgia ab anguſtia præcordiorum ſpirituſque difficultate. Difficultas enim iſta ſpaſmus eſt diaphragmatis & familiaris admodum hypochondriacis.

VI. Expoſiti inprimis ſunt dolori cardialgico, qui texturæ ſenſibilioris & activioris ſunt, qui promti ad adfectus, facileque animo commoventur. Eodem ſæpius vexantur hypochondriaci, hyſtericæ & qui flatibus rumpuntur, maxime vero illi qui obſtructiones circa hepar conceperunt.

VII. Nonnullos frequentius hic dolor infeſtare ſolet, quibus annumerandi merito hypochondriaci. Hi acerrime eo vexantur, præſertim ſi cibis utantur flatus moventibus, fructibus horæis & potu fæculentiore.

VIII. Indiviſus vero comes eſt hic dolor veneni adſumpti, inprimis quando hoc ex regno minerali & cauſticum fuerit. Exploratum tunc ſignum eſt, veneno hominem eſſe oppreſſum, ſi ille rarius vel nunquam antea hoc malo attentatus ſubito illo corripiatur, idque cum proclivitate ad vomitum, nauſea, ſudore frigido, ſyncope & præcordiorum anxietate. Ferale vero ſignum eſt & imminentis mortis indicium ſi convulſio acceſſerit pulſuſque intermittens atque inæqualis.

IX. Jungitur hic dolor ſæpius peſti, febribus ardentibus cholericis & dyſenteriæ malignæ. Ultimam hanc tunc in primis ſequitur, ſi alvi fluor juſto immaturius ſedatur, ſive id fiat adſtringentibus ſive opiatis. Omnium autem maxime inflammationibus accedit ventriculi, quæ ex gravi iracundia & potu frigido poſt iram ingeſto excitantur.

X. Periculoſiſſimus eſt hic dolor ſi ab inflammatione ventriculi, à veneno vel maligno morbo contigerit. Periculo contra caret is, qui ex vitio in diæta admiſſo à flatibus vel morbis chronicis contrahitur, licet ſpeciem periculi præ ſe ferat non contemnendi.

Curatio.

Tranſimus jam ad curam hujus doloris. In hac proſpicere oportet Medicum, 1) ut primarium urgens, doloris nempe vehementia, qui ſyncopes, convulſionis & delirii cauſa eſſe poteſt, aptis remediis demulceatur.

2) Secunda cura Medici in hoc verſari debet, ut materialis cauſa temperetur, atque corrigatur, & ubi quantitate peccat, evacuetur.

3) De eo etiam Medicus inprimis ſit ſollicitus, ut nervoſum genus convenienter roboretur.

Partes ſuas in his præſtandis bene implebunt, quæ propoſui medicamenta.

I) *Recipe Eſſentiæ caſtorei drachm. unam, ſpiritus noſtri mineralis anodyni ſcrup.* 1. *camphoræ, croci ana gr. VIII. Miſce: doſis eſt ad gutt.* 40. *vel* 50.

II) *Recipe Antimonii diaphoretici, ſpecifici cephalici Michaelis ana drachm. ſemis, theriacæ cœleſtis gr.* 1. *& ſemis, nitri purificati gr. XII, olei macis gutt. ij. Miſce: fiat pulvis dividendus in doſes jjj.*

III) *Recipe Aquæ menthæ, corticis aurantiorum cum vino, florum tiliæ ana unc. unam & ſemis, eſſentiæ carminativæ Wedelii, vel loco hujus eſſentiæ corticis aurantiorum, ſpiritus nitri dulcis ana drachm. unam, ſyrupi corticum aurantiorum drach. iſ. Miſce: Fiat potiuncula.*

IV) *Recip. Olei liliorum alborum, hyoſcyami ana drachm. ij. olei carvi, menthæ, lavendulæ, ana drach. ſemis, camphoræ gr. X. ſpiritus ſalis ammoniaci gutt. XX. Miſce: fiat linimentum quo regio ventris & dorſi tractus illinatur.*

Cautelæ.

I) Ubi cardialgia morbis malignis, peſti, febribus petechialibus, variolis, purpuræ adſociatur, utique alexipharmaca ſunt adhibenda. Optimum vero eſt nitrum cum camphora commixtum, quod omnibus palmam præripit, prodeſt etiam caſtoreum, item eſſentia noſtra alexipharmaca. Iiſdem etiam remediis utendum eſt, ſi exanthematibus retropulſis cardialgia ſupervenerit. Commodiſſimum hic erit, externis partibus nervina admovere linimenta, qualia ſunt balſamus noſter vitæ, item linimentum ex aqua anhaltina, oleo nuciſtæ, theriaca, camphora, croco, balſamo peruviano compoſitum. Hæc pectori

ri pectoriſque regioni impoſitis bonum præſtant auxilium.

II) Cardialgicus adfectus qui a veneno intra corpus adſumto concitatur, hanc deſiderat curationem. Protinus ubi primum ſenſit venenum aliquis, oleo multo expreſſo v. g. amygdalarum epoto cum lacte debet vomere; intermiſcenda etiam ſunt theriacalia. Hæc cura omne abſolvit punctum.

III) Si talis dolor diuturnus & fixus eſt & periodicas vel irregulares exacerbationes habet, qualis provenit ex obſtructione hepatis & cholodochi occluſione, & bilis tranſſudatione, præter illa quæ dolorem leniunt, anticachectica martialia, ſalia aperitiva nec non amara balſamica conveniunt.

IV) In cardialgia, quæ colluviei & collectioni vitioſorum humorum debetur item pravo victui, non alienum eſt vomitoria ordinare. Abſtinendum contra ab illis eſt omnino, ſi paroxyſmus fervet, ubi extrema ut plurimum frigent nec ſudor calidus perfluit. Poſt paroxyſmum autem, cum æquali jam calore corpus digeritur, commode præbentur.

V) Cardialgia ex materiæ quantitate exorta reſpuit plane opiata, vel ſi admittit cautiſſimus illorum uſus eſſe debet. Ubi vero ex vaporibus ſpaſmodice conſtringentibus provenit, uti in paſſione hyſterica, quamvis etiam ſyncope ſimul adſit, anodyna cum nervinis antiſpaſmodicis caſtoreis refractiori doſi mixta, optime congruunt.

VI) Clyſteres in omni ſpecie cardialgiæ egregiam promittunt opem, ſi illam exceperis, quæ a retrogreſſione exanthematum proficiſcitur. Parari poſſunt hi clyſteres ex carminativis, emollientibus & oleoſis.

VII) Caute etiam adplicanda ſunt interne nimis ſpirituoſa & calida. Hæc enim, ſi mali origo a bilis eſt acredine, ſæpius potius damnum, quam utilitatem adferunt.

VIII) Sanguinis detractio in hoc morbo minus convenit, quoniam cauſa mali in primarum viarum vitio ſubſiſtit.

CAPUT III.

De Dolore inteſtinorum.

OBSERVATIONES.

PRoximum eſt, ut de inteſtinorum dolore ejuſque cauſis diſſeramus. Omnium autem inteſtinorum tenuium quam pleniorum graviſſimus & acutiſſimus dolor eſt inteſtini coli. Hoc ob tunicam interius nerveam, defectumque tunicæ glanduloſæ & ob ligamenta tendinoſa valde ſenſibile eſt, ideoque tormentis gravibus ſæpe exercetur. Dolore autem adfici etiam inteſtina tenuiora, patet ex acerrimis torminibus, quæ in diarrhœa, dyſenteria & paſſionibus iliacis conſpiciuntur. Patet hoc porro ex dolore umbilici regionem obſidente, ubi nempe jejunum inteſtinum eſt ſitum. Is autem dolor, qui inteſtina torquet, vel a cauſa ſpaſmodica vel a quantitate & qualitate materiæ vitioſæ trahit originem. Prius vel per conſenſum ſaltem ſæpius accidit, id quod videmus in epilepſia, calculo, paſſione hyſterica, hypochondriaca, ſuppreſſione hæmorrhoidum, inflammatione hepatis meſenteriique, ubi per conſenſum ſimul dolent inteſtina. Et talis colica convulſiva nominatur, quæ maxime puerilem ætatem adfligit ob epilepſiam difficilemque dentitionem, qua hæc ætas mirum quantum infeſtatur.

Adeſt huic ipſi pertinax alvi adſtrictio nullis clyſteribus remediiſque expugnanda, adeo ut nihil infra tranſmittatur. Referendus huc truculentus ille dolor inteſtinorum, qui cum homines in metallis & lithargyrio laborantes frequenter conflictantur. Dicitur hic vulgo Hütten Katz/ Hütten Kranckheit/ & oritur a fumo ſaturni improvide per os a miſeris illis excepto.

II) Si in quantitate vitium hæret, colica eſt vel a cauſa frigida vel calida. Hæc ſic dicitur, cum humores acres bilioſi æſtum & motum concitant. Illa frigida nimirum eſt, a copia pituitæ viſcidæ inteſtinorum cellulas obſidente.

III) Inteſtinorum ille dolor fit vel a nimia diſtenſione tunicarum inteſtinalium facta a flatibus, qui ex ſtagnatione vitioſæ materiæ producuntur, vel fit a roſione atque vellicatione fibrillarum nervearum, quibus inteſtina involuta ſunt. Et hæc vellicatio a ſuccis acribus cauſticis erodentibus enaſcitur.

IV) Ubi dolor eſt a flatibus, hæc fere ſigna conjunguntur. Vehemens fit inflatio, vehementeſque dolores, ventris ingens tumor, herniæ umbilicales, alvi vero ea conſtrictio, ut nec clyſtere nec alio purgante quicquid poſſit evocari. Colica ex roſione ſive pituitæ acidæ ſive acris bilis hiſce notis cognoſcitur. Extrema frigent, venter detumeſcit, dolor adeſt fixus vehemens, adeſt teneſmus & poſt injectos clyſteres dolor plerumque conquieſcit.

V) Probe obſervari debet hoc loco diſcrimen inter calculum & colicam. In illo nempe dolor certam ac conſtantem ſibi ſedem in lumbis conſtituit, per totum ſe abdomen extendit & irritando nervos ventriculi vomitum movet: urina porro arenoſa, craſſa eſt, & vel cum vel ſine calculo excernitur. In colica vero omnia contraria, dolor vagus nunc hic nunc illuc diſcurrens nec ullum reliquorum ſymptomatum obſervatur. A paſſione iliaca differt colica, quod in illa circa umbilicum fixus dolor acerbuſque ſit, alvique contumaciſſima obſtructio item vomitus ſtercoris colorem atque conſiſtentiam exprimens. A dolore hypochondriaco colica hoc modo diſtinguitur, quod ipſa non diuturna ſit & brevi finiatur, ille vero chronicus ſit, ſæpiſſime recurrat, & hypochondriorum inprimis regionem divexet.

VI) Colica ex vitio diætæ contracta, qualis fit ex potu cereviſiæ fæculentæ, ex uſu intemperantiore carnis vervecinæ & frigoris admiſſione, etiam bene diſtinguenda eſt ab illa, quæ ex vitio ſanguinis & lymphæ propullulat & ſcorbutica ac arthritica nominatur. Talis familiaris eſt ſcorbuticis arthriticisque, & in eo differt ab illa, quod ipſa ex tranſpiratione impedita atque retropulſa fiat & idcirco multum habeat periculi, etiam diuturna ſit, cum altera cedat facilius, & fere periculo careat.

VII) Quod ad prognoſin pertinet, expers fere diſcriminis eſt colica ex victu intemperantiore conflata. Id tamen habet incommodi, quod, ſi obeſa corpora invenit, & quæ flatibus fere diſrumpuntur, facile herniam umbilicalem vel inteſtinalem relinquat. Sæpe etiam emeticis imprudenter oppugnata in hydropem ægros præcipitat.

VIII) Spaſmodica colica facile in paralyſin abit, item in arthritidem, præſertim ſi ſiniſtra cura calidorum ſudoriferorumque accedit.

IX) Colica convulſiva in pueris definit frequenter in epilepſiam. Eadem in fœminis hyſtericis in epilepſiam uterinam commutatur. Si colicæ vomitus, vigiliæ & color præternaturalis, item alvus dura ſe adſociat, maxime timeri debet paſſio iliaca.

X) Colica graviſſima ſpaſmodica cum cordis dolore, quæ ex ſcabie, podagra retropulſa ſubit, & dolorem acutiſſimum circa regionem ventriculi excitat,

tat, doloris eſt pleniſſima. Peſtifera hæc ægris & vix admittit curam, deterior tamen eſt ſenibus quos plerumque jugulet.

Curatio.

In curatione colici doloris hæc maxime ſunt obſervanda.

1) Ut tumultuarius ſanguinis motus conſopiatur.

2) Inteſtina probe ſunt eluenda & vitioſi humores, ſive viſcidi & acidi ſive bilioſi ſint, probe expurgandi.

3) Flatus diſcutiendi atque compeſcendi poris nempe inteſtinorum recluſis, & apertis in cute ſpiramentis.

4) Tonus etiam internus confirmari debet.

Pulchre huic fini inſerviunt ſequentia medicamenta, quæ ſi pro diverſitate cauſarum ægrorumque a prudenti Medico recte adplicentur, egregie juvabunt.

1) Clyſter injiciatur, & ſi colica fuerit ſpaſmodica, ex meris oleis ſit compoſitus. v. g. *Recipe olei anethi, chamomillæ cocti, baccarum lauri, amygdalarum dulcium ana unc. unam & dimidiam, olei carvi drach. ſem. camphoræ gr. x.*

2) Quando colica ex colluvie viſcida humorum provenit, ejiciendi ſunt ſequenti clyſtere. Recipe *Radicis althææ, unc. unam, baccarum lauri, juniperi, ſeminis carvi ana drach. ij. florum chamomillæ vulgaris, ſambuci, chamomillæ Romanæ, ſummitatum centaurii minoris ana pug. iij. Coque in ſufficienti quantitate aquæ communis. Colaturæ hujus recipe libram unam & ſemis, adde hieræ picræ cum agarico drach. ij. olei anethi cocti, chamomillæ, ana drach. tres, ſacchari Thomæi unc. ſem. olei carvi deſtillat. gutt. xx.* Miſce: fiat clyſter.

3) Recipe *Olei carvi, menthæ, aniſi deſtillati, hyoſcyami, expreſſi ana drach. ij. pinguedinis caſtorei, axungiæ humanæ ana drach. j. & ſem. camphoræ ſcrup. ij. ſpiritus ammoniaci gutt. xx.* Miſce: fiat linimentum ventri applicandum.

4) Recipe *Spiritus nitri dulcis drachm. iij. ſalis volatilis oleoſi Sylvii unc. ſem. liquoris noſtri anodyni mineralis drachmæ j. extracti caſtorei, gr. viij. Miſce: doſis 50. 60. gutt.* hæc mixtura in omni colico dolore, a quacunque cauſa oriatur, eſt præſtantiſſima.

Cautelæ.

I) Si alvus ab excrementis induratis obſtructa atque infarcta eſt, opiata ſunt noxioſiſſima. Præſentem vero opem ferunt clyſteres ex oleoſis, emollientibus, carminativis, item ex lacte & malva parati. Proſunt etiam unguenta emollientia ventri calide impoſita.

II) Quando colica eſt ſpaſmodica, injecti clyſteres dolores & præcordiorum anxietates ſæpius augent. Si vero ex meris oleis parati fuerint, nihil illis præſtantius. Tunicas enim inteſtinorum ſpaſmo contractas relaxant & doloribus egregie adverſantur.

III) In colica quæ ex ſanguine circa venas meſenterii ſtagnante provenit, qualis hypochondriacis & qui hæmorrhoidum ſuppreſſione laborant, frequens eſt, ſalia volatilia oleoſa, calida carminativa, purgantia plus damni quam utilitatis habent. Expediunt potius clyſteres oleoſi, item antiſpaſmodica, caſtorina, cinnabarina, item pulveres præcipitantes nitroſi. Levant etiam ſæpe ægros venæ ſectio in pede & hirudinum applicatio ad inteſtinum rectum.

IV) Colicæ pituitoſæ item hypochondriacæ egregie occurrunt pilulæ clementer alvum ducentes. Ejuſmodi ſunt noſtræ polychreſtæ, tartareæ SCHROEDERI, CONERDINGIANÆ, BECHERIANÆ. Congruunt etiam pulveres martiales, ſalia volatilia oleoſa, quæ extra paroxyſmum non ſine fructu exhibentur.

V) Colica bilioſa acerbiſſima, quæ cum vomitus, vigiliarum diuturnitate alvique duritie jungitur, nec ſelectiſſimis evincitur remediis: opiatis item anodynis, extrinſecus admotis tam ventri quam capiti, feliciſſime ſedatur.

VI) Qui colica frequentius tentantur, his bona inprimis diæta eſt præſidio. Debent hi vitare omnia flatulenta, legumina, dulcia, acida, cereviſias fæculentas, frigidum præſertim potum, item quæ facile fermenteſcunt. Præſidio etiam erit creber inter cibos uſus ſalium volatilium oleoſorum cum tinctura tartari mixtorum, it. eſſentia corticum aurantiorum.

VII) Aquæ vitæ ſpirituoſæ in copia adſumtæ parum ſæpe corpus adverſus colicæ impetus præmuniunt, maxime in hypochondriacis, ſcorbuticis, quippe chyloſas partes præcipitant.

CAPUT IV.

De Dolore ex Calculo.

Dolorem jam ex calculo accedimus, ſævum illum tyrannum & qui in literatos & ſedentariæ vitæ adſuetos tyrannidem ſuam maxime exercet.

1) Deprehenditur vero his indiciis. Dolor fixus lumbos invadit & ad latera ilei & naturalia ſeſe extendit, difficulter urina paulatimque fluit & alvus ægre redditur. Præter hæc vomitus, nauſea, pulſus celeritas, partium tremor & frigus.

2) Dolor ex calculo diſtinguitur a dolore nephritico. In nephritide dolor gravativus in lumbis æſtuoſus benigniorque, ſed qui benignitatem diuturnitate compenſat. Calculi vero dolor acutiſſimus, & qui celerrime adoritur, celerius etiam ſævitiam deponit.

3) Diſtinguitur porro a dolore iſchiadico. In hoc dolor ex lumbis incipiens ad ſuram uſque deſcendit, ibique veluti telum figitur motumque pedis impedit, quod minus in calculo obſervatur.

4) Denique dolor calculoſus a colica etiam differt. Ille enim fixam magis ſedem in uno latere habet, hæc vero velut vaga per totum abdomen diffunditur. Præterea in calculo eſt vomitus, urina difficulter & cum arena deſtillat vel plane ſupprimitur. Quorum nihil vel certe rariſſime in colica accidere videmus.

5) Calculo obnoxii ſunt, qui venas habent anguſtiores, & minores, it. obeſiores, hypochondriaci, arthritici & qui parentes calculoſos habuerunt. Obnoxii & illi redduntur, qui cibis viſcidis craſſis vino vinique ſpiritu item acidis, lacte caſeoque delectantur. Inde Batavi, qui victui huic adſueverunt, graviſſime dolore calculi periclitantur. Denique & plethorici, ſanguinei facillime in hoc malum incidunt, ſi calidis diureticis oleoſis pellentibus corpus obruunt. His enim ſanguis in renum tubulos celerrime propulſus, intercluſo ipſi propter copiam progreſſu, libenter ſtagnat, & graves concitat adfectiones. Tum renum inflammationes obſtructiones exulcerationes denique calculoſæ fiunt concretiones. Unde frequenter prius nephritide laborarunt, qui calculo excruciantur.

6) Ratione ætatis calculo inprimis patent ſenes & viri, rarius adoleſcentes.

7) Dolor ex calculo omnium eſt acerbiſſimus. Hinc ſanguinis ordinem conturbat, calore præternaturali corpus commovet, nervoſumque genus aggreditur. Inde febres, deliria, tremor, convulſio, ſæpe etiam epilepſia, quæ ſymptomata bene attendenda ſunt Medico, ne a morbo primario in curatione aberret, deceptus accidentium ferocitate.

Curatio.

In cura videndum, ut 1) ſanguinis impetus ſiſtatur & dolores ſopiantur.

2) Membranaceæ partes a dolore conſtrictæ relaxentur ac emolliantur.

3) Relaxatis viis & ubi ſpaſmus remiſit, ad pellentia quæ calculos excernunt, tranſeundum. Reſpondebunt curæ, quæ ſequuntur medicamenta.

1) Recipe *Olei amygdalarum dulcium uncias duas, ſpiritus nitri dulcis drachm. unam, eſſentiæ caſtorei drachmam ſemis. Miſce: ſumantur una vice tria cochlearia.*

2) Clyſtere perluatur alvus, qui componi poteſt ex oleis deſtillatis, præſertim, ſi alii clyſteres ſubſiſtant & non excernantur: e. g. *Recipe Olei chamomillæ cocti anethi cocti, amygdalarum dulcium, baccarum lauri coct. ana unciam unam ſemis, Olei carvi deſtillati drachm. ſemis, eſſentiæ caſtorei drachmam unam. Miſce, fiat clyſter.*

3) Balnea juvant emollientia, in quæ æger uſque ad præcordia eſt demittendus. Ejuſmodi parari poſſunt ex herba malvæ, chamomillæ, abrotani, artemiſiæ, ſemine lini. Hiſce etiam addi poſſunt linimenta, quibus lumborum regio inungatur. v. g. *Recipe axungiæ taxi, olei ſcorpionis, hyoſcyami ana drachm. ij. juniperi, ſuccini, therebinthinæ, carvi, ana drachmam ſemis. Miſce, fiat linimentum.*

1) Recipe *Terræ foliatæ tartari, arcani duplicati, ſolutionis lapidum cancrorum, nitri purificati, ana drachmam ſemis, ſpermatis ceti drachm. j. croci gr. vj. ſalis ſuccini, cinnabaris nativæ, ana gr. x. Miſce, fiat Pulvis: doſis drachm. ſemis, poteſt ſumi cum vino malvatico ſeu Hiſpanico vel infuſo fragorum cum vino ſive aqua diuretica.*

Inter ea quæ corpus præſervant ac a calculo tuentur, eminent clyſſus antimonii tartariſatus & tinctura Ammelungii lithontriptica, præſertim ſi ad guttas 30. vel 40. frequenter uſurpetur cum juſculo calido pinguiore.

2) Pulvis Volkameri ſive hujus loco cochleæ uſtæ adhiberi poſſunt. Hi pulveres egregie præſervationi inſerviunt, quippe acidum ceu fontem concretionis calculoſæ obſtruunt, urinam movent & ſudorem evocant.

3) Recipe *Maſſam pilularum de ſuccino Cratonis, gummi ammoniaci, extracti panchymagogi Crollii, ſalis ſuccini ana ſcrupul. j. balſami ſulphuris terebinthinati, balſami Peruviani ana gutt. x. Miſce, fiant lege artis pilulæ quæ ſingulis ſeptimanis ſemel uſurpari poſſunt.*

Præter hæc omnia humida diluentia & ſale nitroſo amaro abſterſivo prædita ad præſervationem conferunt. Inde etiam acidulæ, omnis generis thermæ, aquæ ſalubres, inde infuſa herbæ thee, veronicæ, radicis althææ, hederæ terreſtris, urticæ mortuæ, petroſelini huc referendi. Item ſerum lactis in copia adſumtum ſi ventriculus ferre potuerit. Hæc omnia diluendo, abſtergendo, tonumque confirmando eximie juvabunt.

Monita & Cautelæ.

1) Circumſpecte danda ſunt pellentia calida, uti ſunt oleum ſuccini, ſpiritus terebinthinæ, oleum juniperi, balſamum ſulphuris terebinthinatum. Hæc enim tam in ipſo paroxyſmo, quam extra illius acceſſionem noxioſiſſima. In paroxyſmo, ſi adhuc dolor fervet ſpaſmuſque fibras exagitat, calorem & dolores augent, ſpaſmos ſpaſmorumque vim exaſperant, urinam denique magis ſupprimunt, quam provocant. Extra paroxyſmum ex nephritide abſceſſus renumque inflammationes imo ipſos calculos conglomerant.

2) In doloribus calculi, ſi plethora adeſt calorisque vehementia, ſanguis non ſine fructu atque ratione detrahitur. Idem obſervandum ubi conſuetæ excretiones ſanguinis v. g. hæmorrhoidum, menſtruorum, deficiunt.

3) Ubi metus corruptionis & exulcerationis in renibus eſt, ſpiritus ſalis omneſque acidi minerales, item tincturæ cantharidum, vermium majalium, pulvis millepedum, tinctura calcis vivæ, omnia poſtremo cauſtica pellentia ſumma cum cautione adhiberi debent.

4) Idem de opiatis dicendum, quæ parum tuta ſunt, ſi integra exhibeantur. Securius dederis cum antiſpaſmodicis commixta. Sæpe accidit, ut ſalubris naturæ motus quem ad expulſionem calculi molita illa erat, his ipſis ſuffocetur, & exinde calculus ejiciendus vel in ureteribus vel pelvi remaneat multorumque ſymptomatum cauſa exiſtat.

5) Præceptum præcipuum eſt tam in præſervatione quam in cura, ut alvus ſemper ſit ſolutior. Solvitur vero optime oleoſis emollientibus clyſteribus.

6) Vomitoria nunquam in calculo ſuadenda, cum ſpaſmos reddant ferociores. Sedatis doloribus & calculo in urinariis adhuc viis hærente conatus vomendi hiſce optime promovetur calculique ejectio adjuvatur, uti docet experientia.

CAPUT V.

De Dolore arthritico.

ARticulorum jam dolorem exponimus, qui pro diverſitate partium quas occupavit diverſis etiam nominibus inſignitur. In manibus chiragra, in iſchii oſſe malum iſchiadicum, ſique inter articulos & juncturas coſtarum deliteſcit dolor, ſpuria pleuritis nominatur.

2) Eſt vero arthriticus dolor intra articulos & vicinos articulis tendines ac muſculos. Oritur hic a materia ſalina acri plus vel minus volatili vel fixa ſeparata a tunica glanduloſa, quæ articulos connectit nec non in ipſis glandulis oleoſis ſive pinguedinoſis intra articulorum cavitatem ſitis.

3) Nullus accidit dolor arthriticus, quin præcurrat febris quædam juncta cum horrore, pulſu celeri, calore præternaturali & urinæ mutatione. Conſtat etiam experientia, quod, quo gravior, quo vehementior immineat dolor, eo acutior præcedat febris. Febri accedit vigiliarum pertinacia, calor intenſus & anxietas aucta, adeo ut arthritis cum febre præcedente incurſet & ipſam poſtea pro differentia doloris febris quædam quaſi inflammatoria ſubſequatur.

4) Signa futuri doloris hæc eſſe conſuerunt: Gravitatis ac defectionis ſenſus eſt in corpore, appetitus intenditur, alvus contrahitur. Poſtea nauſea urget, flatulentia in hypochondriis & æſtus circa noctem intenſior, ſæpe etiam cum coryza, ſternutatione & febre quaſi catarrhali ægrotos corripit.

5) Memorabile illud, quod vere & autumno præ-

ſertim hoc malo ægri infeſtentur. Nempe uti hoc tempore omnes fere morbi, qui ex ſeri vitio fiunt, impetum reſumunt, uti catharri, rheumatiſmi, coryzæ, tuſſes, lippitudines, gravedines, morbilli, variolæ, ceterique; ita & hic dolor tum maxime & inchoatur atque repetit.

6) Opportuni arthritidi ſunt, qui ſpongioſum laxumque corporis habitum gerunt, item ſanguineophlegmatici. Porro illa adfliguntur otioſi, mollitiisque fluentes & qui Baccho, Veneri ceteriſque voluptatibus ſe dediderunt. His enim non virtutis ſolum ſed & corporis nervi eliduntur. Arthritico etiam dolori facile obvii ſunt, qui ad hæmorrhagias atque ſpaſmos alias procliviores, item qui hypochondriorum vitio vel calculo laborant, & impurum tartareum ſerum in corpore alunt.

7) Nullus porro morbus invenitur, qui facilius, velut hæreditate quadam, ad liberos transferatur quam arthritis. In promptu ratio: quia hæc nimirum ſpaſmodica eſt & fit ex vitio viſcerum ac prava diſpoſitione ſolidorum.

8) Vagus dolor a fixo facile dignoſcitur. Vagus enim hinc inde per articulos ſpargitur & ex uno ad alterum tranſit ipſumque tumore, dolore & calore implet. In fixo autem firmior validiorque mali ſedes minus commovenda atque evellenda.

Salinum hunc morbum eſſe, variis indiciis evincitur. Primo enim ſcorbutici, hypochondriaci & calculoſi hoc in primis infeſtantur. 2) Acida ſalia tam fixa quam volatilia, item calida ſpirituoſa parum hic conducunt, quippe morbum reddunt deteriorem. Idque evenit in omnibus adfectibus qui a ſalium intemperie ceu fonte quodam derivantur. 3) Salinam materiam in arthritide demonſtrant ſudores, ſputa per tuſſim reddita, item urinæ arthriticorum, in quibus copioſe illa obſervatur. Demonſtrant etiam vomitus viridem colorem referentes, dejectionesølioſæ, ventriculi dolores & inteſtinorum, qui non raro ſimul adjunguntur. Denique hoc ipſum luculentiſſimæ ipſius curæ ratione comprobatur, in qua nihil æque intuendum eſt, quam ut ſalia a corpore removeantur, eorumque ſpicula ac vires extinguantur.

Quo minus in arthritide diſcrimen eo major moleſtiarum copia, quibus ægri obruuntur. Ipſa vero licet periculo careat, periculoſiſſima tamen nonnunquam evadit, nempe non ſufficiente amplius natura ſalibus e corpore eliminandis. Idem accidit ſi intempeſtivis remediis ſalia cauſtica intra corpus repelluntur, conſtrictis nempe cutis poris, per quos illa exhalare conſueverunt. Tum feralis fere caſus, expectandi nempe ventriculi & inteſtinorum inflammatio, cardialgia, colica convulſiva, epilepſia, aſthma ſuffocativum, febris maligna, putrida, hectica, quæ omnia, niſi mature ſuccurratur, miſere ægrotos ſtrangulant.

Ex emplaſtris doloris leniendi cauſa extrinſecus admotis funeſtam ſæpe ventriculi inflammationem ipſi obſervavimus.

Curatio.

In curando hoc difficili dolore neceſſaria obſervatio eſt, ut quod ſuperius jam attigimus, 1) ſalia attemperentur. Hæc enim a maſſa ſanguinis & ſeri quodam inteſtino motu fermentativo quaſi ſequeſtrantur. Inde hic labor, hæc medentis cura ſit, ut illa commodis remediis diluat & per congrua evacuatoria, per ſudorem nempe per renes leniter educat. 2) Spaſmodici dolores in paroxyſmo ſingulari cum prudentia ſunt mitigandi: tandem generatio ſalium omni modo eſt impedienda, ut ita corpus a dolore alias futuro defendatur atque præſervetur.

Magnum erit auxilium in ſequentibus medicamentis.

1) *Recipe Aquæ florum ſambuci, acaciæ, ſcabioſæ, ſcordii, papaveris rhœados ana unciam unam ſemis: diaſcordii Fracaſtorii, antimonii diaphoretici ana drachm. j. nitri purificati, ſcrup. ij. ſyrupi papaveris rhœados, drachm. ij. miſce: fiat potio, quæ ad 3. vel 4. cochlear. ſumatur.*

2) *Recipe pulveris Marchionis drachmam unam, nitri purificati, cinnabaris nativ. ana ſcrupul. j. camphoræ gr. ij. Miſce, fiat pulvis, dividatur in doſes vj.*

3) *Recipe Raſuræ cornu cervi uncias duas, radicis chinæ, ſcorzoneræ, ſalsaparillæ, hermodactylorum ana unciam j. paſſularum minorum q. ſ. coquantur in ſ. q. aquæ communis; colaturæ menſuris iij. addatur ſpiritus nitri dulcis uncia ſem. uſurpetur pro potu ordinario calide & frigide. Utiliſſimus quoque liquor noſter anodynus mineralis.*

4) *Recipe ſpiritus vini rectificati uncias ij. lumbricorum cum ſale volatili ſuo unciam ſem. balſami Peruviani, camphoræ ana drachm. j. olei nuciſtæ deſtillati ſcrupulos ij. eſſentiæ caſtorei drachm. j. Miſce, fiat linimentum externæ parti adfectæ adplicandum.*

Cautelæ & monita.

1) In omni arthritidis ſpecie tam ad curam quam ad præſervationem ingens in venæ ſectione eſt auxilium. Nimirum ubi ſanguis abundat venæque ſunt majores vel conſueta alias ſanguinis profuſio, ſive ea vel natura vel manu facta fuerit, ceſſaverit. Inter initia vero ſanguis mittendus & proxime illi loco qui male habet.

2) Obſervatum fuit, vomitoria rite præparata, & inter initia morbi data, v. g. Pulverem Monckii, tartarum emeticum, in forma liquida ſumptum, inſignem ſæpe opem attuliſſe. Expurgando enim corpus ab humorum vitioſorum acido-bilioſorum mole dolorem ſæpe tollunt vel certe minuunt. Commendatur vero hoc remedii genus robuſtioribus, tum maxime, ſi cum anxietate, dolore & ardore præcordiorum item cum nauſea, oris amaritie malum invadit.

3) Purgantia laxativa, quæ ex tamarindis, foliis ſennæ, rhabarbaro, manna, diagrydio roſato componuntur, mox in principio oblata doloris ſæpe vim infringunt & mitiores reddunt paroxyſmos.

4) In omni arthritide nocent ſudorifera valentiora, calida oleoſa cum ſudorifero regimine. Hæc enim exſtimulando ſalia ſævienti dolori faces ſubjiciunt & corpus ſolvunt ac debilitant.

5) Infuſa herbarum theæ, veronicæ, decocta cornu cervi, Chinæ Chinæ liberalius hauſta expediunt omnino tum in cura tum in præſervatione.

6) Lactis cura etiam antiquitati jam laudata bene admitti poteſt, præſertim in arthritide vaga, ubi bonam perpetuamque ſæpe præſtat valetudinem. Demta vero prius ſit plethora, alvus ſit ſoluta & a pituita & humoribus impuris expurgata. Videndum etiam, ne viſcerum obſtructiones graviores adſint. Tunc enim ſiniſtre plane hæcce cura accommodatur.

7) Opiatis niſi cum ſudoriferis commiſceantur, vel abſtinendum plane, vel ſi adhibueris, non mediocri opus eſt cautione. Maxime tamen in ſenibus & diuturno dolore circumſpectus eorum uſus ſit, quippe valde debilitant vireſque imminuunt. In doloris autem violentia, in ætate juvenili & robuſtiore ipſis ſubſtituendus liquor noſter mineralis anodynus.

8) Eadem cautio in uſu externorum ſive topicorum

rum adhibenda eſt. Intuenda enim eſt hic diverſa ægrorum natura, quorum alii hæc feliciſſime ferunt, alii contra in pejus inde vertuntur. Præſtat ideo, ſi non bene explorata eſt ægroti indoles, rejectis iis temperato calore partem adfectam fovere, admotis calidis linteis. Et cum topica ad tophorum generationem vel contracturam multum conferant vel materiam repellant, tutius omnino negliguntur.

Ad præſervationem faciunt 1) thermæ Carolinæ repetitæ vel loco harum frequens potus decoctorum ſupra deſcriptorum: 2) ante æquinoctia venæ ſectio adhibeatur, & pedes ſcarificentur circa novilunium ſingulis menſibus in parte adfecta: 3) Fricentur ſæpius panno membra, & poſtea balſamo noſtro vitæ inungantur: 4) Temperet ſibi æger a vino, a venere, animique adfectibus, diligenter vero corpus exerceat, & hac ratione ſecuritatem conſequetur.

CAPUT VI.

De Dolore odontalgico.

1. Dentium dolorem nunc proponimus, qui maximis tormentis merito adnumerari poteſt. Oritur in membrana glandulofa ac nervea, quæ dentes circumcingit, cumque alveis maxillaribus ligat & excitatur a lympha ſalſa corroſiva & juſto acriori.

2) Quod arthritis circa articulos, id in dentibus eſt odontalgia. In arthritide ſerum tenue vel viſcidum acre ſalſum ſtagnans tunicam illam glanduloſo-nerveam, quæ articulorum ligamentum eſt, corrodit, lancinat & inde atrociſſimum dolorem infert. Pari ratione ſerum acre ſtagnans odontalgiæ cauſa exiſtit. Nam ſi propter extravaſationem ſalſum, ſi acre ſit & obſidet membranam tenuem nerveam, quæ dentes inveſtit & illos cum ſuis alveis & gingiva connectit, intolerabilis inde dolor naſcitur, qui cum non diſſimilem cum arthritide originem habeat, factum eſt, ut odontalgia a Veteribus quibuſdam dentium podagra ſit appellata.

3) Duæ hujus doloris ſpecies a Practicis commemorantur. Alter in ipſa dentium cavitate exiſtit, alter in partibus præcipue externis, in tunicis membranarum dentiumque ligamentis hæret. Prior cum minori eſt incommodo, poſterior cum majore moleſtia. Hic enim epidemius rheumatiſmi ſpecies & diuturnus eſt, graviſſime adfligit, certoque tempore revertitur. Alter frequenter urget eos, qui dentes cavos exeſos ſcabroſque habent, & a calido, frigido, dulci, vel acido dentium cavitatem occupante facile concitatur. Nam quodcunque horum illabitur, ibique reſidet, filamenta nervea, quæ cum vaſculis ſanguineis ad medullarem uſque ſubſtantiam pertingunt, vellicat, erodit, diſtendit & doloris renovat acerbitatem.

4) Vitium in dentium ſubſtantia, in carie nimirum ac putredine ſitum, occaſionem præbet longo dentium dolori.

5) Dentium dolor rheumaticus multis ſymptomatibus ſtipatur. Haud ſecus enim atque in arthritide adeſt ſimul inflammatio, adeſt dolentis partis rubor, tumor cum ardore & pulſu arteriarum. Porro cum febricula inſtar arthritidis obnoxios adoritur & cum ſignis febrem comitantibus, uti horrore, pulſu celeri, caloris vehementia. Interdum quoque ita dolor intenditur, ut per totum caput vel vicinas certe partes diffundatur. Rubent tunc oculi & maxime ejus lateris, in quo dolor perſeverat, tumet maxilla ejus partis ſuperior ejuſque muſculi rubent atque dolent, dolore nempe ad tempora & aures uſque ſeſe extendente.

Talis defluxio, ut Veteres locuti ſunt, in vernum & autumnale tempus incidit maxime, familiaris plethoricis, cacochymicis, hypochondriacis, & quibus alvus vel menſtrua minus recte reſpondent, inprimis inimica. Cavenda etiam eſt gravidis & qui ſanguine impuro copioſo adfluunt. Atroci dentium dolori graviſſimi interdum caſus adgregantur. Multa in hiſtoriis medicis exempla, ſupervenire ſæpe ſyncopen, vigilias, deliria, quid? quod convulſiones.

Curatio.

Sicubi ullo in morbo, certe in odontalgia remediorum magna ſeges, quæ paucis nos præceptis complectemur.

1) Serum acre ſalſum membranas dentium & perioſtium corrodens, aliorſum divertatur, temperetur & diſcutiatur.

2) Furori ſævienti commodis auxiliis occurratur.

3) Vitium, quod dentes inſedit, nempe caries, vel tollatur plane, vel ſi inveteravit nimis, providendum, ne ulterius progrediatur. Saluti erunt hæc remedia.

1) *Recipe Aquæ florum ſambuci uncias ij. diaſcordii Fracaſtorii drachmam unam, nitri purificati drachm. ſemis: ſyrupi papaveris rhœados drachm. ij. Miſce, fiat potio, cujus pars dimidia ſumatur pro una doſi.* Hæc mixtura mirifice dolores ſedat, blande acria ſpicula retundit, & moderatam diaphoreſin reſtituit.

2) *Recipe Maſſæ pilularum de ſuccino Cratonis, aloes ana drachm. ſemis, mercurii dulcis, ſalis ſuccini, diagrydii ſulphurati ana gr. viij. extracti caſtorei, opii ana gr. 2. Miſce, fiant lege artis pilulæ ex ſcrupul. j. no. XX. vel harum loco.*

3) *Recipe maſſæ pilularum Starckii ſeu Matthiæ ſcrupul. j. fiant pilulæ num. 30. doſis ſunt VIII.*

4) Liquor noſter mineralis anodynus interne ad guttas viginti, externe dentibus adplicatus mirifice ſedat dolorum tormenta.

5) Non præſtantius vero remedium balſamo noſtro vitæ, cujus virtutem in hoc dolore ſæpius experti ſumus. Interne inditur denti adfecto, externe hoc ipſo tumor faciei narium & tempora foventur, os etiam illo colluendum.

6) *Recipe Florum ſambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, Romanæ ana m. ij. baccarum lauri, juniperi, ſeminis carvi ana unciam j. camphoræ drachm. j. nitri drachm. ij. miſce: dentur: ſignentur ſpecies pro ſacculo. Hic calide dolenti parti applicandus.*

7) *Recipe Eſſentiæ odontalgicæ drachm. unam, olei cariophyllorum gutt. vj. olei origani cretici gutt.* IV. *olei camphoræ gutt. iij. miſce & imponatur denti carioſo.*

Cautelæ.

Uti in arthritide, ita & in hoc dolore, ſalutaris eſt venæ ſectio, ſi in principio & juſto tempore adhibeatur. Idem præſtant & cucurbitulæ cum ſcarificatione in iis, qui huic adſueverunt. Utrumque egregium adverſus hunc hoſtem eſt præſidium.

2) In ſummo dentium dolore alvus ſemper conſideranda eſt, ut hæc in officio remaneat. Convenientes huic fini ſunt clyſteres & potus laxativi.

3) In Odontalgia præſtat ab omnibus externis, acidis nempe corroſivis abſtinere, uti oleo & ſpiritu vitrioli, nitri; item calidis oleoſis, quæ acrem ſalſam

ſalſam materiam magis exacuunt. Quoties autem ſine inflammatione dolor ex carie urget, oleum caryophyllorum, camphora & alia ejuſmodi ſunt amplectenda.

4) Si dolores nimium graſſentur nervoſumque genus inſimul adficiunt, proſunt cinnabarina & caſtorina interne & externe admota: item eſſentia noſtra antiſpaſmodica & ſpiritus noſter anodynus mineralis.

5) Ubi ex dolore facies intumuerit, ſedulo cavendum, ne pinguibus & oleoſis, oleis expreſſis tumor oblinatur. His enim facile eryſipelas in capite contrahitur. Præferenda magis ſunt ſicca, quæ ægri facilius ferunt, quippe tutiora, & interne diaphoretica.

6) Carioſus dens atque exeſus, qui frequentem excitat dolorem, vel extrahendus eſt perita manu, vel ulterior ejus corruptio impedienda. Optime id fieri poteſt, ſi in cavo dentis eroſi fruſtulum plumbi vel quod melius auri ponatur. Tranſeundum etiam, ſi ſine periculo fieri poteſt, ad cauterium actuale, eoque dens vitioſus exurendus. Ita enim combuſtis nerveis filamentis facile deſævit dolor.

7) Dolore perſiſtente convenit victus tenuis mollis & modicus, convenit etiam diligens uſus inſuſi thee, veronicæ, florum ſambuci, aliorumque. Ad præſervationem requiritur temperantia in victu: circumcidenda inde ſalſa, acida & craſſiora, vitanda etiam nimia ſatietas, ne nimium impletum corpus ad plethoram vel cacochymiam diſponatur.

8) Denique in hac cura ſedulo cavendum, ne copia medicamentorum obruatur magis æger, quam levetur. Neque enim hic cum temeritate quadam rapienda ſunt remedia, ſed convenienti tempore, juſto etiam ordine & ſenſim hocce malum percurandum.

DISSERTATIO MEDICA

DE

DOLORIBUS,

Primùm edita anno 1730.

§. I.

SÆPE Corpus noſtrum, abſque eo, quod corpora extra nos poſita in idem agere obſervemus, non rarius etiam, ſi corpora externa in fibras noſtri corporis nervoſas, premendo, tendendo, vulnerando, rodendo, agunt, dolet: talem mutationis cujuſdam, in corpore noſtro præſentis, nobis conſcii ſumus, magno cum tædio & ceſſationis ipſius tantum perceptionis deſiderio: experientia teſte.

§. II.

Eſt igitur dolor, ſenſatio triſtis, cum magno deſiderio ceſſationis ipſius ſenſationis, ut talis.

§. III.

Hinc, cum dolor ſit ſenſatio triſtis, & dicto deſiderio (§. 1. 2.) juncta, adeſſe vel abeſſe ſimul, in mutatione quæ in corpore fit, & quam ejuſmodi idea triſtis in mente ſubſequitur, quaſdam conditiones, quæ in mutationibus in noſtro corpore fientibus nulla ejuſmodi triſti idea comitatis, vel abſunt, vel adſunt, concludere licet.

§. IV.

Per experientiam conſtat, idem illud, quod minori vi in noſtri corporis partes agens, nullum infert dolorem, majori vi agens in eaſdem, intenſiſſimum ſæpe inferre poſſe dolorem; minime tamen inde concludendum, ſolum actionis gradum majorem, atque ſic actionem fortiorem in ſe ſpectatam, eſſe cauſam doloris, ut pote quod a poſteriori, falſiſſimum eſſe, facile monſtrari poteſt; fortior enim actio corporum externorum, in noſtras partes, tantum abeſt, ut inferat dolorem ſemper, ut ſi diſtinctior inde fiat perceptio, oblectatione animus perfundatur ſæpiſſime. Potius, cum iterum experientia doceat, eandem vim corporum externorum, in noſtri corporis diverſas partes, diverſum efficere ſenſationis imo & doloris gradum, facile ex hactenus dictis (§. 3. 4.) patet, actionem corporum externorum in noſtrum corpus, non cum alia quadam eorundem actione, ſed cum vi, qua noſtri corporis partes reagere poſſunt, hoc loco nobis comparandam eſſe, ſaltim cum actione rerum ab extra in noſtrum corpus agentium, ejuſdem partium reactionem, ſimul conſiderari debere.

§. V.

Omni actioni, corporum externorum, in noſtrum, reſiſtunt partium ejuſdem 1) inertia, 2) interdum, gravitas, 3) cohæſio.

§. VI.

Agunt contra, corpora externa in noſtrum, 1) ex vi impreſſa, 2) vel ex adhæſione, vel 3) reſiſtendo tantum ex impenetrabilitate.

§. VII.

Corpus noſtrum, per ſolum motum, non læditur unquam, etiamſi vi moveatur maxima; (abſtracte hic concipienda ſunt, quæ quidem concrete non ita fiunt.) Neque enim ullum corpus majori movetur vi, ac habet ad movendum, neque majori vi reſiſtit, ac ſeſe movere poteſt: Hinc ſequitur etiam, ut nullum corpus, vi juſto majori in ſolam vim inertiæ partium noſtrarum agere poſſit. Unde porro ſequi-

tur cum gravitas, quatenus actioni cuidam reſiſtit, conſiderari queat, tanquam ſpecies vis inertiæ; ut propter ſolam cohæſionem, quam corporis noſtri partes habere debent, juſto majori vi, corpora externa in illud agere poſſint (§. 5.). Ergo actio corporis noſtri, quæ in doloris conſideratione, obſervanda venit (§. 4.) unice eſt partium ejuſdem cohæſio. Interim, quoniam corpus noſtrum, non eſt corpus perfecte durum, cum ſingularum ejus partium cohæſio, longe ſit minor, vi inertiæ totius, ſæpe iis corporum externorum actionibus, quæ in vi inertiæ noſtrarum partium tantum, perfecte ſi durum eſſet corpus noſtrum, mutationem producerent ſenſibilem, a cohæſione noſtrarum partium reſiſtentia ſit, integritati noſtri corporis, ceteroquin incongrua. Nimirum cum in corpore, uti noſtrum eſt, ex alius corporis impulſu, ſemper prius partes quædam tantum moveantur, quam totum cedit, imo ſæpe prius partes plane diſcontinuentur quædam, quam totum vel tantillum quidem movetur; quocunque corpora externa, in noſtrum agant modo, (§. 6.) reſiſtentiam ipſis partium noſtrarum cohæſione fieri poſſe, patet.

§. VIII.

Corporis noſtri partes cohærent quidem vi adhuc majore ac illa eſt, qua ad actiones in œconomia animali ſuſtinendas opus habent, & quam diu magis non tenduntur, quam mechaniſmus noſtri corporis requirit, nunquam nobis dolor oritur; quam primum autem, fibræ cohæſio, majori corporis cujuſdam externi actioni reſiſtere debet, quam ſtatus naturalis ſub omnibus circumſtantiis a fibra unquam requirit, tunc cohæſio partium fibræ, vel plane aufertur, vel ſaltim tantum imminuitur, ut, quamdiu actionem iſtam, juſto majorem, fibræ cohæſio ſuſtinet, ſimul actionem ſuam naturalem ferre inſuper non poſſit. Quæ omnia per experientiam edocemur.

§. IX.

Ea igitur cohæſio partium noſtri corporis ſolidarum, puta fibrarum ſenſilium, quæ minor eſt cohæſione partium fibræ, quam hæ habent vel habere debent eo adhuc tempore, quando validiſſimam ſuam in ſtatu naturali actionem fibra præſtat, eſt illa actio corporis noſtri, qua cum, doloris in mente idea præſentis juncta ſemper eſt (§. 8. 7. 4. 3.)

§. X.

Confirmat hoc (§. 9.) experientia, qua fibras ſimul ac plane diſruptæ vel diſſectæ ſunt, atque ſic cohæſio partium in totum ſublata eſt, non amplius dolere, obſervamus.

§. XI.

Definiri igitur *dolor* poteſt, quod ſit ſenſatio triſtis, cum magno deſiderio ceſſationis ipſius tantum ſenſationis, a cohæſione partium fibrarum noſtrarum, ultra ſtatum naturalem, ſenſibiliter imminuta.

§. XII.

Quodſi autem, partes noſtræ actionem aliorum corporum juſto majorem ſuſtinere debent, vel ea corporum externorum, quæ impelluntur cum majori impetu, vel illorum, quæ ex adhæſione agunt, plura ſimul, vel quæ plane non agere debebant, ut agant neceſſe eſt, vel ut adſint denique corpora quædam, actioni cuidam noſtri corporis, reſiſtentia, quæ adeſſe, ſaltim pro tempore, non debebant.

§. XIII.

Quæ adhæſione in noſtras partes agunt (§. 4. 6.) & 1.) ſeparationem partium unitarum præſtare ſic valent, ſunt uti etiam per experientiam ſcimus, ſpeciatim ignis, aqua, & ſales omnis fere generis in eadem ſoluti, quorum actio ad ſeparandum, in corpore humano, per continuam fluidorum ejuſdem preſſionem & commotionem ſatis juvatur, ubi & hoc accedit, quod in eodem noſtro corpore, nunquam aqua aut ſales agant ſolitarie, ſed vel alterutrum, vel utrique cum igne ſemper agant ſimul, 2.) adhærent quidem, ſed quatenus adhærent, & ut tales particulæ, cohæſionem nunquam imminuunt, potius augent, qualis generis ſunt ſulphureæ partes, has enim ſi cum tali impetu agere velles, ut unita diſcontinuent, prius reſolverentur, 3.) adhærere quidem poſſunt, & ſub certis circumſtantiis cohæſionem & firmitatem fibræ augere, ſub aliis vero circumſtantiis, vix tamen quatenus adhærent, tanquam eadem interim corpora, fibræ partium, cohæſionem imminuere, & ſic intenſiſſimos dolores inferre valent, ſuntque, aereæ, terreæ, tartareæ hujus generis particulæ.

§. XIV.

Ex adhæſione igitur, quæ noſtrarum partium cohæſionem auferre poſſunt, ſunt quidem aqua, ignis, & ſalia (§. 13. n. 1.) particulæ tamen aqueæ, per ſe ex adhæſione ſua id præſtare non valent, aqua autem, quatenus concipitur tanquam compoſitum ex aqueis, & tali copia tantum igneis particulis præſentibus, ut fluidum inde evaſerit, ſolvit quidem ſolida noſtra, quia tamen partim, in ſtatu naturali tanta ſæpe adeſt in copia, in corpore noſtro, agitque in partes ejuſdem, ut major gradus vix locum habeat, partim quia etiam ſi ſolvat revera partes noſtras ſolidas, id tamen ſucceſſive fit, in fibræ particula minima, adeoque in corpore noſtro, inducitur hoc modo mutatio naturali maxime ſimilis, inſenſibilisque, dolorem aquam ex adhæſione ſua non inferre patet.

§. XV.

Ignis in ſtatu naturali in noſtro corpore adeſt & adeſſe debet, quando autem, certo gradu abundat, tunc 1.) cohæſionem partium fibrarum, quarundam plane aufert, quarundam vero ſimul imminuit, vel unice quarundam particularum cohæſionem tantum imminuit; utroque in caſu igitur, dolorem infert (§. 11.) ſi in pluribus locis hoc fit ſimul admodum vicinis. 2.) Fluida expandit, & maxime quidem ob aerem in iis contentum, hinc quoniam ſolida, tanquam vaſa, includunt fluida, illa a fluidis ſeſe expandentibus, tenduntur, ſicque *a)* ignearum particularum, fibrarum partes ſeparare conantium, actio per fluidorum preſſionem juvatur, *b)* & per ipſorum vaſorum tenſionem, cohæſio etiam illarum partium, ad quas ſeparandas ignis jam dum agit, imminuitur, quæ omnia dolorem jam præſentem (n. 1.) magis augent. 3.) Fluidis noſtris in principio, majorem fluiditatis gradum, multarum partium quoque reſolutionem & ſubtiliſationem, poſtea autem quam multæ ſubtiliores abierunt, coagulum infert.

§. XVI.

Priori dictorum ut ignis agat modo (§. 15. n. 1.) talis quantitas ejuſdem requiritur, quali vix unquam ex corporis noſtri partibus productus adeſſe poteſt, ſed unice ab extra, tali in copia in corpus noſtrum penetrare ſolet, v. g. per flammam, corpora calefacta,

facta, candentia, radios ſolares vel mediante lente criſtallina in oculo, (uti in ſolis adſpectu fit,) vel alio modo alibi collectos.

§. XVII.

Vix autem actio hæc ignis, (§. 16.) locum habet, quin ſimul etiam ignis in fluida agat dicto modo (§. 15. n. 2. 3.) idque demum vocatur ambuſtio, quæ multis quidem affectibus & ſymptomatibus ſtipata eſt, de quibus tamen pro ſcopo noſtro conſideranda ea nobis tantum veniunt, & ſufficiunt, quæ diverſas inde doloris oriundi cauſas, gradus, ac durationem concernunt: vide infra.

§. XVIII.

Salia ob particularum ſuarum figuram, molem & maſſam, aqua ſoluta, poſt ignem ſolida noſtra reſolvere, & ſi ſufficiens eorum & aquæ ſimul adeſt quantitas, ſolutionem illorum præſtare valent; uti hoc de omnis generis, alcalici nempe, acidi & medii, ſale per experientiam quoque conſtat: in noſtro autem corpore inſignis terrearum, ſulphurearum, aquoſarum partium, quibus juncta ſunt, copia, in ſtatu naturali, non niſi pauciſſima ad contactum cum ſolidis noſtris pervenire permittit, hinc, quicquid ſolida noſtra ſolvendo naturaliter præſtant, ſucceſſive fit admodum inſenſibiliterque.

§. XIX.

Irritatio eſt talis actio corporum quorumvis in fibras noſtras, ut major affluxus fluidi nervei ad eaſdem contingat, ſaltim inde vel fibræ actio contractoria augeatur, vel ſenſatio intenſior, vel utrumque horum producatur (quod fieri per experientiam quidem aſſumendum eſt, etſi ratio ejuſdem genuina non ſatis conſtare videatur): ſin priorem effectum actio quædam inducit præprimis, illa irritatio magis dicitur *ſtimulatio*, ſi ſalia in fluido, tanta reperiunda ſunt quantitate, ut libere in ſolida noſtra agere, imo irritare tantum valeant, fluidum ejuſmodi dicitur *acre*.

§. XX.

Ubi autem in noſtro corpore majori adſunt quam par eſt copia, & quidem 1.) ſalia alcalica, tunc *a*) ſi in ſolida agunt, eadem vel eo tantum gradu irritant, ut fibræ major actio, aut dolor ſequatur, vel denique unitatem ſolvunt, fibras diſrumpunt ac plane adſumunt, quod itidem ſine dolore prægreſſo fieri non potuit. *b*) ſulphur in noſtris fluidis, imo & idem, ac oleoſas, pingues, medulloſas partes in ſolidis contentas, reſolvunt, unde vaſorum ſtimulatio, hinc celeritas motus fluidorum, & inde uti etiam ex ipſa reſolutione ſulphuris, immediate fit, calor & expanſio. 2.) acida, *a*) æque ac priora, fibras ſolidas diſcontinuant & rumpunt, vix ulla differentia, quam quod hæc ſulphureas, illa (n. 1. *a. b.*) terreas magis intactas relinquant. *b*) in fluidis terreas quidem particulas reſolvunt, hinc aptas reddunt, ut ad loca perveniant iis alias non deſtinata, in quibus poſtmodum ſubſiſtunt & facile accumulantur, *c*) ceteroquin autem fluida coagulant, hinc ſtaſibus, obſtructionibus, aliiſque anſam præbent. 3.) media quæ quidem raro ita comparata ſunt, ut eorum ex quibus compoſita ſunt, unum alterum exacte temperet, quin unum plerumque prædominium habeat præ altero; & ſic ex parte agunt uti mox dictum eſt (n. 1. vel 2.) ut media tamen *a*) in ſolida noſtra agentia, horum partes, magis tantum ſeparant quam reſolvunt, idque tamen non tanto quidem gradu ac per ſe acida vel alcalica, tali interim qui dolores eroſioneſque ſæpius etiam præſtat. *b*) fluidis noſtris commixta, etiam non reſolvendo, quam ſeparando tantum illorum partes occupantur, hinc fluidiora reddunt eadem, & ad ſecretionem aptiora.

§. XXI.

Mutationes a ſalibus in corpore noſtro oriundas, imo ex adhæſione eorundem, ad dictas tantum, non reſtringimus. Ea jam tangimus, quæ pro ſcopo noſtro ſcitu neceſſaria videntur.

§. XXII.

Quæ ex vi impreſſa agunt corpora (§. 6. 4.), in noſtras partes, & ſic cohæſionem earundem imminuunt, imo ſæpe tollunt, ſunt 1.) quæ ut cuneus ſe habent, illas fere tantum, quibus immediate applicata ſunt partes, ex vi impreſſa ſeparare valentia, v. g. acus, cultelli ſpiculæ quævis intruſæ 2.) quæ manifeſto tendunt, uti fit in contractione ſpaſmodica, in luxatione, item a contractione vitali fibrarum diſſectarum vel diſruptarum, in fibras integras, cum iis ad huc cohærentes, a ſpina infixa, porro a fluido in canalibus aut aliis cavitatibus contento, & majus ſpatium requirente, item in celeri, fortiori crebrioreque muſculorum agitatione & contractione, in qua ſucceſſive partium niſus erga ſe invicem tollitur, ita ut actionem ſuam naturalem amplius ſubire iidem muſculi nequeant (§. 8.) quam tenſionem comitari infarctus in aliena vaſcula, interſtitia, imo & poros, poſtea autem ſequi ſolet fluidi in multis locis ſubſiſtentia 3.) omnia corpora quæ ſufficienter premunt, omnis enim preſſio, tendit, atterit ſolida cum fluidis reſolvit & infarcit hæc; quæ omnia (n. 3.) fiunt ſimul.

§. XXIII.

Ex impenetrabilitate reſiſtentia, (§. 6.) tanta vi reagunt, quanta, a ſolidis noſtris ipſis premuntur; ſi igitur pars noſtra quædam in aliquod corpus reſiſtens, vi majori ac ſuarum eſt partium cohæſio pellitur, hæc prius ſuperatur, quamvis, qua tota reliqua maſſa accedit, non aliter ac ſi corpus jam quidem reſiſtens, in partem noſtram ſolidam impulſum fuiſſet. Dolorem hoc modo inferre conſtat, ſpinam infixam, calculum, partes terreas, tartareas, aliaque.

§. XXIV.

Reliqua ex adhæſione in noſtras partes agentia corpora (§. 15. n. 3.) ſunt 1.) particulæ aëreæ, quæ tamen ob denſitatem ſuam & molem, vix ſi ex adhæſione agunt particulas cohærentes ſeparabunt; contra ſi atmoſphæram conſtituunt, comprimunt, ſi vero in interſtitiis vel poris, imo & aliis cavitatibus incluſæ hærent, atque vel a penetratione aliorum corporum in ſua interſtitia, vel ab imminuta, quæ illarum elaſticitati aderat, reſiſtentia, rarefiunt, ad corpora manifeſto tendentia referenda ſunt quando nempe expanſione ſua, cavitati in qua hærent vim inferunt (§. 22. n. 2.) 2) Terreæ minimæ particulæ, particulis quidem noſtris terreis utpote gravitate ſpecifica æqualibus adhærere, non autem ſic cohæſionem imminuere valent, quam potius augent; ſi autem præternaturaliter etiam mox dicto modo ſubſiſtunt, & cumulantur, ex reſiſtentia fere ſola ſua, quam fibris noſtris ſenſilibus præſtant, (§. 23.) interdum ex infarctu (§. 22. n. 1.) dolorem inferunt: tenſio, quæ per molis ab accumulatione earundem fiente incrementum fit, admodum lente ſuccedit, hinc eſt inſenſibilis. 3.) Tartareæ, utpote ex ſalinis & terreis compactæ particulæ, tanquam ſalinæ quidem adhærere, ob molem tamen ſuam ſeparare vix queunt, ſi vero ut reſiſtentia (§. 23.) vel impulſa

(§. 22. n. 1.) corpora, agunt, actio ad ſeparandum quam præſtant juvatur per earundem adhæſionem (§. 18.)

§. XXV.

Cæterum, de ignearum, ſalinarum, tartarearum & terrearum particularum actione, hoc inſuper tenendum, tartareas præ terreis in viciniores fibrarum partes ob quarumlibet ſuarum partium majorem aptitudinem ad diſſolvendum (§. 24. n. 3.) plerumque agere ſimul, probabiliſſimum videri, cum terrearum, quæ ex infarctu dolorem faciunt (§. 24. n. 2.) ob figurarum ſuarum, & ſitus, reſpectu ad fibrarum noſtrarum partes cohærentes, diverſitatem, vix tanta copia in eodem ſpatio, ſimul ad ejuſmodi actionem diſpoſita ſit: uti porro de ſalinis particulis, quod major in eodem ſpatio ſive æquali ſuperficiario numerus, quam tartarearum, & de igneis, quod harum major quam ſalinarum, ad ſeparandas diverſas partes unitas, ſimul agere poſſit, facile perſpicitur.

§. XXVI.

Determinatis jam hucuſque iis, ex quibus ortus doloris concipitur, patet: conditiones, ſub quibus dolor fit eſſe 1.) fibræ ſenſilitatem, 2.) actionem alius cujuſdam corporis, unitatis in noſtro corpore ſolutionem intendentem, tantam, ut fibra rupturæ ſit proxima, ſaltim præternaturaliter propior.

§. XXVII.

Porro patet, dolorem eſſe eo intenſiorem 1.) quo delicatior ipſa pars affecta i. e. quo ſenſilior eſt 2.) quo minor ſit cohæſio partium ejuſdem, 3.) quo plures partes vicinæ, vel unius fibræ, vel plurium vicinarum, ſimul patiuntur, 4.) quo citius a naturali ſtatu fibræ in præternaturalem (§. 9.) fit mutatio, 5.) quo plures harum circumſtantiarum (n. 1. 2. 3. 4.) combinantur.

§. XXVIII.

Ultro ex omnibus hactenus dictis patet, dolorum perceptiones, & ſic ipſos dolores, pro cauſarum varietate (§. 13. ad 24.) combinatione, multitudine, & diverſitate noſtrarum partium (§. 25. & 27. n. 1.) in infinitum fere differre; imo nec communes, ratione perceptionis noſtræ, factas dolorum diviſiones & diſtinctiones, exhaurire exacte eorundem diverſitatem; cum interim aliqualem convenientiam inter ſe habere debeant dolores, qui oriuntur quando partes ſimiles ſimiliter afficiuntur.

§. XXIX.

Sic igitur, quæ tendunt partem noſtram aliquam, tantum non omnium fibræ partium ſecundum longitudinem ejuſdem poſitarum æqualiter cohærentium, cohæſionem æqualiter imminuunt; hinc, quoties vel ab igne, vel a ſalibus, vel aliis impactis particulis, vel alio quovis corpore, in tota fibra, vel notabili ejus parte, ſecundum longitudinem, partium cohæſio imminuitur, ſimilis fieri debet perceptio tenſionis perceptioni, & dolores ejuſmodi audiunt *tenſivi.*

§. XXX.

Si pungente corpore dolorem nobis excitamus, in paucarum fibrarum paucas ſimul partes agimus, non pluribus aliis ſaltim eo gradu ſimul tenſis; quotieſcunque igitur, vel a particulæ fere cujuſvis in vaſculum minimum infarctu, & poſtea vel ab hujus conſtrictione, vel illius impulſu, in paucas ſic tantum partes agitur; vel ex adhæſione agentia quædam in ſpatio ſatis exiguo hærent, ibidemque ſolutionem continui inſerre tentant, dolor *pungitivus* oritur.

§. XXXI.

Si circa partes noſtras, motu reciproco gaudentes, aliquod corpus hæret, dolori anſam præbens, & idem partibus noſtris reciproce motis, vel reſiſtit, vel impellitur, vel ſi ejuſmodi fibræ partes quædam conſtituentes ſic cohærent, ut relaxata fibra, dolor remiſſior ſit (§. 9.), cunctis hiſce de cauſis vel ſub circumſtantiis, dolor quem ſentimus, dicitur *pulſatorius.*

§. XXXII.

Si a ſalinis vel igneis aliiſve ſucceſſive abſumuntur partes noſtræ, hi dolores audiunt *roſivi.*

§. XXXIII.

Si plurium partium vicinarum cohæſio, ad primum præternaturaliter minoris cohæſionis gradum, imminuta eſt, dolor inde perceptus, *gravativus* nuncupatur.

§. XXXIV.

Qui in membranis oſſibus immediate annexis ſentitur, dolorem *frangitivum* appellamus.

§. XXXV.

Abſolvunt fere hæc (§. 29. ad 34.) vulgares diviſiones dolorum, ſed ſi fatendum quod res eſt, ita comparata videntur, ut Medicus illorum accurata obſervatione & contemplatione tantum non ſuperſedere facile queat, dum, quoniam, non una dictarum ſpecierum, ex unica tantum cauſarum remotarum (§. 13. ad 24.), ſed ex pluribus, maxime diverſis, & contraria plane interdum indicantibus oriri poteſt, nec ad diſtinctam cauſæ cognitionem, hinc nec ad curationem conducant.

§. XXXVI.

Effectus & conſequentia dolorum magis tenendi, quorum primi & fere inſeparabiles ſunt 1.) fibræ affectæ actio contractoria intenſior; ſi tendinoſæ partes irritatæ ſunt, maxime omnium contractio ſpaſmodica: quæ quidem an ex ipſo dolore, an ex ejus cauſa tantum, an ex utriſque ſimul deducenda eſſe malis (§. 11. 19.) nobis jam perinde erit. 2.) Hunc excipit, ſi majoris dolor momenti eſt, corporis non minus ac animi inquietudo, in hoc enim anxia & perpetua adeſt intentio, dolorem quantocius abigendi, quæ ſemper copioſiorem in cerebro ſecretionem, & virium notabilem imminutionem junctam & ſubſequentem habere ſolet; hinc in illo adſunt vigiliæ, in tenerioribus, imprimis in infantibus & ſenibus, ſi genus nervoſum nimis irritatur, convulſiones, in principio aucta eſt ſolidorum, imprimis ſanguiferorum vaſorum, actio in fluida contenta, unde calor, & largiores ſubtiliorum ſeroſarum partium ſecretiones fiunt, poſtea vero calor ex ſanguinis reſolutione, & ſiccitas per ſe remanent.

§. XXXVII.

Hi effectus tanquam cauſæ varia denuo inducunt mala, & quidem 1.) ſi vaſa arterioſa ab objecto dolorifico affecta ſunt, hæc ſeſe coarctantia (§. 36. n. 1.) ſi inflammatio jam adeſt, illam & ipſum ſimul dolorem magis augent (§. 23.) vel ſi nondum adeſt inducere poſſunt; ſi vaſa quælibet affecta ſunt, ſtagnationem ſaltim fluidorum efficere valent. 2.) Ex nimio calore ſitis, ex nimia ſiccitate major diſpoſitio

tio ad vigilias, ex calore autem, ſiccitate, & intemperatis irregularibuſque ſeri ſecretionibus (§. 36. n. 2.) humores acres redduntur, febres, lipothymiæ, aliaque fiunt.

§. XXXVIII.

Dolorem quidem, cum a cohæſione partium noſtrarum præternaturaliter imminuta (§. 11.) oriatur, recte inter ſymptomata referri patet; hinc cum iſtud quod hanc cohæſionis imminutionem præſtat, ſæpe majoris ſimul ſit morbi cauſa, quam eſt ipſe dolor, atque hinc, hocce magis urgente morbo ſublato, ipſe etiam ſublatus ſit dolor, ſæpe eum a Medico non attendi, neque adeo attendendum eſſe, feliciter tamen curari, uti v. g. in febribus continuis, ardentibus, phrenitide &c. ſummus fere dolor capitis, principalioribus hiſce morbis, vel ad certum tantum gradum ſubactis, illico ſilet: ſi autem iſtud, quod dolores ſæpe atrociſſimos producit, de cetero animalem œconomiam non ſtatim ſenſibiliter turbat, aut ſi doloris alium morbum comitantis, vel etiam ut cauſa ſequentis, effectus, (§. 37.) primarium morbum nimis auget; ſolum dolorem, Medici auxilium determinate magis ad ſe vocare, uti fit in arthritide, cephalalgia, odontalgia, colica, cardialgia, ambuſtione &c. atque ita hujus ſymptomatis curam, ſpecialiter non raro, valde deſiderari.

§. XXXIX.

Tollitur dolor, quam primum conditiones ſub quibus demum adeſt (§. 26.) auferuntur, quod obtinetur, 1.) vel auferendo ipſam actionem, quæ cohæſionem partium fibræ præternaturaliter imminuit, ut talem, quod duplici modo fieri poteſt *a*) vel mutando quid in agente, id eſt objectum peregrinum ad ſeparandum agens (§. 13. ad 24.) removendo a fibra irritata; vel *b*) mutando quid in reagente, fibræ nempe affectæ renitentia; fibræ enim ſic affectæ cohæſio, ſi major redditur, naturalis permanere poteſt, etſi actio peregrina non ceſſet; aut ſi emolliendo fibra relaxatur, eo efficitur, ut ejuſdem contractio partim vitalis, partim ab irritante jam inſuper inducta (§. 19. 36.) non amplius tanto gradu augeat actionem peregrini, ſeparationem fibræ partium intendentis; vel ut prius ipſa fibra cedat, quam partium ſuarum quarundam ſeparatio fieri poſſit, vel ut extendi melius queat, (§. 22. n. 2.) ſufficiente quantitate humidi in ea præſente, cum tanquam aridior, antea concipi poterat. 2.) ſenſilitatem fibræ deſtruendo.

§. XL.

Tria hinc conſtituta ſunt, dolores quæ ſopiunt remediorum genera, nempe 1.) quæ cauſam, ipſum ſcilicet objectum peregrinum, abigunt (§. 39. n. 1. *a*) *paregorica*, dicta, 2.) quæ fibram ad reagendum peregrino objecto ſine dolore, adaptant (ibid. *b*) quæ *anodyna*, 3.) & denique quæ ſenſilitatem vel in parte vel toto corpore minuunt, §. 11.) quæ *topica*, *hypnotica*, *narcotica* audiunt.

§. XLI.

Paregorica igitur ſunt, ignem aut ſales, fibris noſtris adhærentes, abſumentia (§. 15. 20.); fluida quæ vaſa extendunt (§. 15. n. 2. §. 24. n. 1. §. 22. n. 2.) condenſantia aut evacuantia; denique tartareas (§. 24. n. 3.), terreas (ibid. n. 2.) aliaſque infarctas, (§. 15. n. 3. §. 20. n. 2. *b. c.*) particulas, aut quævis alia quæ extendunt vel reſiſtunt (§. 22. 23.) auferentia.

§. XLII.

Speciatim particulæ 1) igneæ, quæ per ſe, imo & aliis ſalinis tartareis &c. junctæ (§. 13. n. 1. §. 20. n. 1. *b*) dolorem inferunt vel ſaltim augent, auferuntur optime per nitroſa, humectantia, & cauſam caloris in maſſa ſanguinea corrigentia alia. 2) ſalinæ particulæ, cujuſcunque demum generis ſint, auferuntur per diluentia, abſorbentia, ſi in viſcido hærent per reſolventia, incidentia juncta, ſin minus, impediuntur per inviſcantia gelatinoſa; ſi ſunt vel acida vel alcalica, mutando eadem in media, ſæpe ſi in viſcido hæſerant, hoc inſimul hoc modo reſolvitur, & ſalia ad eliminationem e corpore magis diſponuntur. (§. 20. n. 3. *b.*) cum præterea acidis antacida, alcalicis alia appropriata ſint. 3.) fluida, vaſa extendentia, a calore rareſacta, hoc ceſſante, ſua ſponte, vel ſi ex quavis alia, partium fluidi, in cujus interſtitiis particulæ aëreæ hærent, leviori cohæſione, ab his ſeſe expandentibus turgeſcunt, per ea quæ hanc reſolutionem auferunt & fluida decenti iterum gradu inſpiſſant, redeunt ad minores terminos; humores copia peccantes, per debitas evacuationes, uti ſanguis ſæpe exoptatiſſimo cum effectu & vel momentaneo, per venæſectionem, ſerum aliis variiſque modis ejicitur 4) ſpeciatim aër ſi ex alimentis vel aliis viſcidis reſolutis, quod in inteſtinis præprimis fit, prodiit, & vel hinc abſolute, vel relative ſaltim ad cavitatem continentem, v. g. ſpaſmodice contractam & coarctatam, copia peccat, per ſic dicta carminativa removetur. 5.) tartareas partes, terreas, aliaſque infarctas (§. 15. n. 3. §. 20. n. 2. *b. c.*) reſolventia & diſcutientia, alia denique 6.) tendentia vel reſiſtentia, manus chirurgica quam optime & unice, interdum auſert.

§. XLIII.

Anodyna medicamenta ſunt 1.) roborantia fibram, non quidem talia, quæ affluxum fluidi nervei, hinc contractionem fibræ augent, ſaltim hujuſmodi non ſola; ſed talia, quæ cohæſionem partium fibræ vel per appoſitionem novarum, vel per ſubſtitutionem fortius cohærentium, in locum levius adhærentium, vel per ablationem earundem partium, quæ fortiorem aliarum cohæſionem, naturaliter impediebant, augent; & hæc locum habent in omni quidem dolore mitigando, ſpecialius autem adhuc requiruntur, ſi per vim fibræ contractoriam auctam, diſſipatio & propulſio objecti irritantis, ſperari poteſt; in quo caſu, ea quæ influxum ſpirituum in fibram tantiſper augent jungi poſſunt, & ubi hæc combinata, paregorici quaſi locum ſuſtinent; uti ſunt ſpirituoſa, ſulphurea, terreſtria, externe commodius, ſub linimentorum ſpirituoſorum, oleoſorum, emplaſticorum, epithematum liquidorum vel ſiccorum, ſuffimigiorum, forma applicata. 2) Emollientia de quibus quomodo agant ut anodyna, jam ſupra dictum eſt (§. 39. n. 1. *b*), & inſuper patet eadem ut reſolventia, diſcutientia &c. vicem ſimul ſubire paregoricorum.

§. XLIV.

Hypnotica & narcotica 1) ſi ſalium ſimul acrimoniam temperant, defectum ſeri reſtituunt, motus fibrarum ſpaſticos vel convulſivos ſedant, ſpiritus in omni ſenſatione fortius quam alias motos, & hic forſan acriores (§. 37. n. 2.) temperant, & ſic ſomnum inducunt atque in hoc dolores ſepeliunt, anodyna & paregorica hoc modo ſimul exiſtentia remedia, exoptatiſſima ac deſideratiſſima ſæpe ſunt dolorum ſolamina. 2) Quæ autem hæc non præſtant, vel plane a cauſa doloris contraindicantur, aut to-

tius

tius maſſæ ſanguineæ viſciditatem inferunt, & hinc omnes motus vitales minuunt, non niſi ſumma ex neceſſitate (§. 36. 37.) ab indicatione ſic dicta conſervatoria, facta exceptione, admitti debent. Id quod præprimis de narcoticis valet, atque topicis ejuſmodi, quæ exterius applicata, nervoſos canaliculos conſtringendo, influxum ſpirituum, atque ſic ipſam ſenſationem impediunt, interius autem aſſumta, ſumme debent eſſe ſolubilia, & ſic omnis fere generis interſtitia, in noſtra maſſa ſanguinea, aliiſque humoribus, cunctis quidem ſatis heterogeneis, replentia, adeoque numerum punctorum contactus augendo in toto fluido, hujus fluxilitatem imminuunt, humores viſcidiores, & ſubtiliſſimas partes naturaliter ita ſecernendas, ad hanc ſecretionem ineptas reddunt; inter quæ eminet opium, quod particulis ex ſale & ſulphure, utriſque ſubtiliſſimis, tam arcte ut in corpore noſtro, in hæc ſua principia reſolvi vix queat, compactis, conſtat, adeoque, per ſal, ſulphur, & aquam in noſtro corpore ſolvi poteſt: qua, ab ejuſmodi narcoticis, in omnibus fere partibus æquabili, maſſæ noſtræ ſanguineæ, inducta ſufficienti inviſcatione, præ aliis ille effectus, ſeſe exſerit, quod illius fluidi a ſanguine ſecretio prohibeatur, quod ad motum & ſenſum, noſtrarum partium ſolidarum, neceſſario tamen requiritur.

§. XLV.

Hinc, cum ſenſus & motus in noſtro corpore, ita connexi obſerventur, ut raro in uno horum quid lædatur, altero integro permanente; ſæpe tamen idem quod dolorem efficit, vel ſaltim ejuſmodi materia, cujus quædam tantum partes, dolores faciunt, ex corpore noſtro ejicienda ſit, niſi majora ex eadem incommoda expectare velimus, quod in arthritide, dyſenteria, alibique videmus, ubi quam primum debitæ evacuationes intermittuntur, majori cum vitæ periculo materia peccans alïorſum defertur, vel ſaltim poſt breve tempus, priſtini dolores acerbius recrudeſcunt: ſed ejuſmodi eliminatio vix niſi per vires, & motus, præcipue ſecretorios, & excretorios noſtri corporis ſi non ſolito majores, ſaltim integros, demum procedat; patet, quam cautus, & circumciſus eſſe debeat ejuſmodi, quæ ſenſum & motum tollunt (§. 44. n. 2.) verbo narcoticorum uſus medicamentorum.

§. XLVI.

Neque huic fidendum nimis eſt, quod hæcce, imprimis opium, interdum ſudorem movere videas, hic enim effectus, etſi primaria doſi hunc in finem exhiberetur, vix evenit, niſi ab acrimonia quadam, organa huic ſecretioni dicata, conſtricta erant, & hac per ejuſmodi viſcidum temperata, dicta organa ad ſecretionem iterum adaptantur, vel fluidum hoc modo ſecernendum nimis reſolutum erat, ut ſub forma inſenſibilis tantum perſpirationis abire potuerit, quod ſi fluidum decenti gradu inſpiſſatum eſt, magis colligitur, & non tam inſenſibiliter in auras abit.

§. XLVII.

Eadem interim opiata, in nimia fluidorum reſolutione, & inde ortis doloribus, & ſi metus qui ex imminutione aliquali motuum quorundam vitalium aut naturalium noſtri corporis ſuboriri poſſet, abeſt, prudentiſſimis quos celebramus Medicis, tutiſſima dudum, ac probatiſſima fuerunt medicamenta.

§. XLVIII.

Ad magis ſpecialiora jam deſcendere parati, breviſſimis illud in nonnullis tantum nobis ſufficiat feciſſe, & a doloribus quos inflammatio parit faciamus initium. Adeſt autem in inflammatione 1.) ſanguinis in vaſculis minimis, orta, vel a ſanguine in ipſis hiſce viis coagulato, vel ab hujus partium quarundam mole, præternaturaliter aucta, vel a vaſculis, aut a ſpaſmo, aut ab acrimonia manifeſta, corrugante, aut alio conſtanter premente & anguſtante coarctatis, ſtagnatio; 2.) unde ſanguinis reliqui, huic ſtagnanti (n. 1.) appulſi, major in vaſa, iſtis vaſculis, in quibus ſtagnans hæret, reſpondentia, reactio, quorum & inde vis contractoria intenditur, quo ipſo 3.) major fit preſſio, uti omnium fluidorum, ſic etiam ipſius ſtagnantis, unde 4.) reſolutio hujus, 5.) extenſio vaſculorum in quibus ſtagnat fluidum, & contractio ſpaſmodica eorundem, 6.) infarctus particularum fluidi ſtagnantis, partim non reſolutarum, ut ipſorum globulorum ſanguinis, in vaſa iis alias non deſtinata, v. g. lymphatica, ſecretoria, partim particularum reſolutarum (n. 4.) in interſtitia imo forſan poros fibrarum, harumque partium conſtituentium 7.) ſupervenientibus majore totius maſſæ ſanguineæ calore (n. 2. 3.) aliiſque.

§. XLIX.

Ex quibus omnibus (§. 48.) cauſa doloris in inflammatione præſentis, ſatis multiplex (ibid. n. 4. 5. 6. 7.), & remediorum, ipſi inflammationi, hujuſque inſeparabili fere ſymptomati dolori nempe, applicabilium, tantum non perfecta identitas cognoſcitur: quæ enim hi dolores maxime etiam urgentes, indicare poſſunt, venæſectionem (§. 48. n. 3. 6. §. 42. n. 3. §. 13. n. 1.), diluentia, reſolventia, diſcutientia (§. 48. n. 1. 4. §. 42. n. 2. 5.) calorem imminuentia (§. 48. n. 7. §. 42. n. 1. §. 13. n. 1.), fibram tenſam roborantia (§. 48. n. 5. §. 43. n. 1.) ſi ad ſuppurationem tendit emollientia (§. 43. n. 2.), aliaque, ipſa etiam deſiderat inflammatio; niſi cinnabarina, ſuccinata, crocata, emulſiones mucilagino-oleoſo-aquoſas, ad ſpirituum motum componendum (§. 44. n. 1.) in uſum vocare velis.

§. L.

Opiata in hoc caſu, ubi nempe ſanguis ſubſiſtens, reſolutionem ac diſcuſſionem requirit, & e vena emiſſus, grumeſcens, pellemque albam, duram, coriaceam induens, viſcedinem ſuam præternaturalem monſtrat, tantum abeſt ut conducant, ut gangrænam potius accelerent; experientia teſte. Quod ſi autem ab acrimonia tranſpiratio impedita, hinc major preſſio, & alia malum augentia, adſunt, utique magis locum habent, ut diaphoretica.

§. LI.

In ambuſtis, diſcontinuatio ſolidorum, ſubitanea reſolutio, rarefactio, diſſipatio, expanſio, infarctus, extravaſatio fluidorum, ac demum horum coagulatio facta eſt (§. 15.), quibus inflammatio mox ſupervenit. Dolor igitur hic præſens in initio ſummus, poſtea parum remiſſior, lenitur per coagulati reſolutionem, quod ſtatim poſt læſionem, optime non raro per novam caloris admiſſionem, & ſic temporarium quidem doloris augmentum fit, & poſtea a fibris irritatis remotionem, quod quidem utrumque hic optime efficitur, ſi tranſpiratio ſimul in parte læſa impeditur, per mucilaginoſa, oleoſa, ſaturnina, acetum, emplaſtica; ſic enim occluſis poris, quod alias perſpirabat remanet, diluit, ſolvit, & quod

quod de iis externe applicatis, penetrat, reſolvit coagulata, roboratque fibras.

§. LII.

Idem illud, quod, ſi præternaturaliter, ad momentum quaſi tantum, in corporis noſtri aliqua parte abundat, ignis nempe, dolorem generare valet, non minus eundem infert, quamprimum præter naturam deficere in aliqua parte incipit; & quidem dolorem producit ab omni alio ex reliquis omnibus cauſis (§. 13. ad 14.) in noſtro corpore, concrete orto, quia a mera tenſione fit, perceptione diverſum (§. 28.) ſenſum illum frigoris intolerabilem fere, puto, quem habemus, ſi a corporibus ſumme frigidis, aere, aqua aliiſque, partes noſtras immediate contingentibus, particulæ igneæ ex iiſdem auferuntur, tunc enim, tam ſolida, quam fluida, condenſantur quidem, & per hanc ipſam condenſationem fibrillæ hiſce ſeſe contrahentibus annexæ tenduntur, donec etiam hæ contractæ & coarctatæ ſint, ita, ut tota pars inſenſibilis reddita ſit, propter nimiam ſolidorum rigiditatem, & fluidorum ſpiſſitudinem, manente interim continuo, in partibus, hiſce iterum vicinis ſimili tenſione. Fluidorum inſpiſſatorum, & ad ſolidorum indolem redactorum per abitum ignearum, particulæ, magis in ſe invicem, quam in fibrarum partes agunt, hinc in hoc caſu, minus ac in quovis alio ubi dolor in noſtro corpore excitatur, actio ex adhæſione particularum (§. 13.) immediate ad cohæſionis noſtrarum partium imminutionem hinc dolorem, concurrit. Definit hic dolor, quam primum ſucceſſive ignis, in fibras antea igne orbatas, atque ſic conſtrictas aliaſque tendentes, iterum penetravit, & eas relaxavit. Succeſſive autem illud fieri debet, alias enim quoniam partes a frigore inſenſiles redditæ ſunt, ingentem caloris gradum perferre queunt, abſque incommodo ſtatim ſenſibili, aſt, humores inſimul rarefieri poſſunt, atque ſic expandi, ut rigiditate fibrarum, & viſciditate humorum ſublata, atque ſic ſenſu reſtituto, haud levior dolor a fluidis expanſis in minimis vaſculis, percipiatur, ac antea aderat.

§. LIII.

Sed hunc dolorem, etiamſi dicto modo (§. 52.) ſubactum, alius inſequitur, nam in eadem condenſatione humorum, imprimis ejuſmodi uti noſter ſanguis eſt, tam heterogenei, & naturaliter tam calidi, neceſſario fit mutatio interſtitiorum, permutatio partium in ſe invicem agentium, & inde præcipitatio multarum, harum ſubſidentia, & ſtaſis non niſi lente reſolubilis, corruptio, unde dolor ſatis pertinax vel dicto modo tranſpirationem in parte ſiſtendo (§. 51.) vel volatilioribus, reſolvendo partes diſtendentes & rodentes, tollendus. Præcavetur autem hicce dolor (§. 53.) & curatur ille prior (§. 52.) præſentaneo effectu, per frictionem fortiorem, & quæ hujus vicem ſupplent.

§. LIV.

Arthritici dolores, ab acidis ac tartareis enormi quantitate maſſæ noſtræ ſanguineæ remixtis particulis, producti, & quoniam materia hæcce, in locis membranoſis, & tendinoſis ſubſiſtit, majori ibidem preſſione, & fibrarum contractione ſpaſmodica (§. 36. n. 1.) inſigniter aucti, licet atrociſſimi, vix niſi per paregorica, & anodyna (§. 43. n. 1.) ac hypnotica mitiſſima (§. 44. n. 1.) tractandi ſunt. Paregorica hic requiruntur, quæ 1.) acidum deſtruunt, alcalica fixiora, & volatiliora animalium imprimis, abſorbentia, diluentia, 2.) quæ idem e corpore noſtro eliminant, & quidem præcipue per inſenſibilem tranſpirationem tantiſper adauctam, non tamen ſudorem, quod ſimul præſtant diluentia, & alcalica volatilia mox laudata (n. 1.) item alia quævis mediæ naturæ volatiliora, quibus opiata correctiora, refracta doſi juncta (46.): 3) quæ, diſtenſionem fibrarum nimis fere repletorum vaſculorum, & infarctum partium irritantium, preſſione majorem efficientem (§. 13. n. 1. §. 24. n. 3.) tollit, in hocce affectu probatiſſimum remedium, venæſectio. Anodyna hic conſtituunt, quæ exterius applicata, tuto paregoricorum vicem ſimul ſubeuntia, fibras roborant, ac ad propellendum irritans adaptant (§. 43. n. 1.) & hoc ipſum ſimul reſolvunt, ac diſcutiunt, ſpirituoſa, alcalica ut acidum ſimul deſtruatur, camphorata aliaque. Quæ enim vel reſolutionem non præſtant, ſed magis potius coagulant, fibras adſtringendo, inſenſiles reddunt, vel materiam non correctam, & potius magis noxiam redditam, repellunt, qualia exhibeant facile patet, damna. Hypnotica denique, hic admittenda, ita comparata eſſe debent, ut eliminatio materiæ peregrinæ, per ea non impediatur (§. 45.) quæ enim exinde mala oriri ſoleant, notiſſimum eſt; ſpirituum motum tantum componere debent, i. e. uſque ad ſtatum naturalem, motum eorum majorem, minuere, & eorum forſan intemperiem & acrimoniam corrigere, atque eo ipſo ſpaſmis occurrere, quod per emulſiones, cinnabarina, opiata diaphoreticis humidiſque juncta, ſulphur vitrioli anodynum genuinum, ſulphuri vegetabili forſan maritatum, accuratiſſime obtineri poterit.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

CEPHALAEA

CUM IMMODERATO HÆMORRHOIDUM

FLUXU SÆPIUS REPETENTE,

Primùm edita Anno 1735.

PROOEMIUM.

NULLA profecto eſt morborum ſpecies, quæ tantum medicinam exercentibus negotii faceſſit, quam hæmorrhagiarum, quæ certis hominum ætatibus, certo ſexui, aut vitæ generi familiares ſunt, irregulares ſucceſſus atque perturbationes. Quippe non infinitorum modo malorum genitrices, ſed ita plerumque pertinaces eſſe ſolent, ut inter res in medicina difficillimas merito referatur artificium, turbas earum compeſcendi, & ſolitum earum ſucceſſum in ordinem redigendi. Nolo equidem ab extraordinariis violentisque ſanguinis per incongruas vias eruptionibus, ut hæmoptyſi, vomitu cruento, aliiſque, aſſertionis meæ teſtimonia deſumere; quamquam de his ipſis compertiſſimum eſt, quod licet manifeſto corpus detrimento afficiant, multo tamen magis noceant, ſi imprudentiori methodo tractentur, atque per adſtringentia, juſto citius & copioſius uſurpata, aut aerem frigidiorem, alioſve diæteticos errores cohibeantur; de quibus exempla vel ipſe commemorare, vel ex obſervatorum libris innumera proferre poſſem, niſi hæc omnibus cognita, atque ab inſtituto meo aliena judicarem: enimvero ſufficiat, eas in memoriam revocaſſe Practicorum obſervationes, quæ de ſolennium, ac maxime ſalutarium ſanguinis evacuationum, ut narium hæmorrhagiæ, menſtrui atque hæmorrhoidalis fluxus perturbationibus exponunt.

A cohibita narium hæmorrhagia non modo atroces capitis affectus, dolores, apoplexiam, aurium tinnitum & ſurditatem, linguæ paralyſin, ſed & moleſta in pectore pathemata, ut cordis vehementes palpitationes, & reſpirationis gravitatem, imo varia hypochondriaca pathemata in infimo ventre ſæpius oriri, quotidianis in praxi exemplis edocemur. Frequentiores autem his longeque graviores ſunt afflictiones, quæ ab imminutis aut ſuppreſſis menſibus, aut hæmorrhoidibus annotantur. Hinc enim epilepſias, maniacos, atque melancholicos affectus, paralyſes, apoplexias, vertigines, oculorum obſcuritates, hecticam, phthiſin, ſanguinis violentas e pulmonibus & ventriculo eructationes, mictus cruentos, arthritidem, renum, hepatiſque obſtructiones & exulcerationes, in fœminis hyſtericas ſuffocationes, in utroque autem ſexu ventriculi & inteſtinorum ſpaſmos, anxietates, aliaque graviſſima mala enata fuiſſe, innumeris fere exemplis ob obſervationum ſcriptoribus confirmatur. Quorum ſelectum in Illuſtris Dn. PRÆSIDIS Medicina tam conſultatoria, quam *ſyſt m. tom. III. Sect. I. cap.* 8. de vitiis ex perturbatis ſanguineis evacuationibus, deprehendes.

Enimvero quam gravia ſunt, quæ a cohibitis, aut imminutis ordinariis liquoris ſanguinei excretionibus proficiſcuntur pathemata, tam quoque pernicioſæ ſunt immoderatæ ſanguinis per varia loca effuſiones, quæ, elaterem ac vires ſolidorum minuendo, ea ad ſuſcipiendos & fovendos omnium malorum fomites diſponunt. Teſtimonii locum jam ſupplebit ſequens morbi hiſtoria, quæ fœminam immoderato hæmorrhoidum fluxu, cum atrociſſima cephalæa juncto, laborantem ſiſtit; atque ob intri-

catiſſimam

catiſſimam ſymptomatum connexionem ab Illuſtri Dno PRÆSIDE, Patrono ac veteri meo Præceptore ævum ſuſpiciendo, cujus in hoc affectu conſilium petitum fuit, eum in finem mihi commendata eſt, ut in explicanda ea, ſpecimen inaugurale profectuum meorum ederem. Equidem vero licet non dubitem, fore complures, præſertim in artis medicæ exercitio aliquamdiu verſatos, quibus ſimiles caſus obtigerint; ſcio tamen, & ſummos Medicos ideo accurate conſcriptis morborum hiſtoriis ſingulare pretium ſtatuere, quod nulla fere ſit, quin ob differentes in diverſis corporibus cauſarum effectus & effectuum conjunctiones, boni quid ad rationalem theoriam conferat. Quare nec dubito, fore, ut ex præſenti morbi deſcriptione, forte etiam illius explicatione, aliqua utilitas emergat.

Hiſtoria morbi.

ILluſtris matrona XLV. annorum, teneriori corporis habitu ac temperamento ſanguineo cholerico prædita, a parentibus, hæmorrhoidali fluxui obnoxiis, prognata, & lauto ac vinoſo victui a prima ætate aſſuefacta, conjugio, quod infœcundum fuit, ex aliquot annis uſa, menſes a pubertate ſtato quidem tempore, ſed parce admodum profluentes, abſque tamen ulla ægritudine, eſt experta. Trigeſimo ſeptimo ætatis anno primum ſanguinis per ani venas ſtillicidium annotavit, quo ſæpius abſque doloribus & menſium turbis repetente magno cum levamine uſa eſt, dum quadrageſimo ſecundo anno ex longiori & moleſto itinere redux, immoderato hæmorrhoidum fluxu, ſimulque vehementiſſimo capitis dolore, corripiebatur, qui, ablato etiam ſanguinis profluvio, viribus penitus exhauſtam ægram per ſex continuos menſes, miſerrimo ſane ſpectaculo, excruciavit. Ab hoc liberata, reſtaurata ſanguinis jactura, hæmorrhoides interdum modice fluentes cum emolumento paſſa eſt; ſequente autem anno, peracto novo itinere, priſtinum malum denuo incurrit, eoque per aliquot hebdomades decumbere coacta fuit. Elapſis octo vel novem menſibus, altero anno per fortiorem iracundiam cum hæmorrhoidibus nimiis revocata eſt cephalæa; quæ irrita omnium remediorum efficacia, ſubſiſtente licet ſanguinis fluore, per tres iterum menſes pertinaciter inhæſit, nec prius miſeram reliquit, quam erumpente in dextro hypochondrio, & primis digitorum manus internodiis, ingenti veſicularum, acrem & lintea corrodentem humorem per aliquot dies effundentium copia propellebatur. Debilitata hoc modo quam maxime illuſtris matrona, diu poſtea de ingenti corporis, præſertim capitis imbecillitate, ejuſque ſub leviſſimis aëris mutationibus, valde ſenſibili refrigeratione eſt conqueſta. Ab eo tempore modicus per integrum ſemeſtre fuit hæmorrhoidum fluxus; at ſuſcepto menſe Julio, ſub calidiſſima tempeſtate novo eoque longiore itinere, cum loco Rhenani, quod domeſticum & ordinarium alias erat, vini, ad calidiora, Campanienſe, & Burgundienſe, copioſius ſubinde bibenda, invitaretur generoſiſſima fœmina, inſuper lacticiniis, oleribus, aliiſque horæis fructibus frequentius uteretur, & corpus frigidiori veſpertinæ auræ liberius aliquando exponeret, factum eſt, antecedentibus ordinariis nimii hæmorrhoidum fluxus indicibus, copioſis ructibus, & ventris per flatus expanſionibus, reſpiratione crebra & celeri, phlogoſibus, cordis palpitatione, impetuoſa ſanguinis hæmorrhoidalis eruptio, conſueta atrociſſima cephalalgia comite ſociata, in ipſo itinere, quum domum tenderet, adhuc occupatam comprehenderet. Perturbata hoc accidente ægra, proprio conſilio cucurbitulas & veſicatoria, quæ aliquando in hoc affectu levamen ſibi attuliſſe meminerat, ſibi imponenda curabat, & his nihil juvantibus, ad ſympatheticum aliquem pulverem ad hæmorrhagias ſiſtendas ab aliquibus celebratum, tanquam ad ſacram anchoram confugiebat: ſed a nullo horum quicquam ſolaminis perſenſit. Succeſſit potius ingens mox virium proſtratio, cum anxia inquietudine, noctes dieſque affligente. Ipſe autem capitis dolor, nunc lancinando & pungendo, nunc premendo, pulſando, tendendo vexas ſuas huc illuc exercuit; interdum a capitis per manus compreſſione allevatus, alio tempore levi capitis attactu exacerbatus eſt; ſæpius moleſtus aurium ſuſurrus, tinnituſque, ſurditatem intulit. Cui frequentius temporum, maxillæ ſuperioris, cervicis, dolorifica tenſio, & oculorum vehemens ex orbitis protruſio jungebatur. Remittente doloris gravitate, increvit pectoris anxietas, inquietudo, cum cordis palpitatione, & variis phantaſiis: quæ ſingula ſymptomata eadem cum vehementia ægram affixerunt, quoties cum malo hoc conflixit. Sanguinis autem profluvio per octo continuos dies perſeverante, ita tandem vigore ſuo exuta eſt illuſtris fœmina, ut quoties lectum mutare cogebatur, in illico lipothymiam incideret, & erumpente in facie & manibus frigidiſſimo ſudore, oculis ſtupefactis, omnem ſenſationem ac movendi facultatem perderet, donec frictione, & lecti calore, nec non odoriferorum ad nares admotione, ſpiritus ad officium revocabatur. Quo facto tremor cordis, & demum violentus capitis dolor rediit: pulſus ſub morbo inconſtantiſſimus, maxime vero debilis ac celer fuit, & in vigore ſpaſmorum paulo fortiorem ſe exhibuit. Ceterum appetitus plenarium defectum, ructuum flatuumque copiam, ſomnum parcum & inquietum, pavoribus ſæpius interruptum, ſemper eſt conqueſta. Urina copioſa quidem, ſed pallida prodiit, atque ad vitri latera in cryſtallos rubros coiit: ſudoris blandi proventus, quo ordinario ſana etiam caruerat ægra, provocari nullo modo potuit; in capite autem, præſertim ſub dolorum vehementia, copioſiſſimus fuit. Nares omnino ſiccæ, ne tantillum quidem muci excreverunt. Reſpiratio, vigentibus capitis ſpaſmis, liberior fuit, quam iiſdem remittentibus. Atque in hoc rerum ſtatu primum Medicus conſultus eſt, qui præſentem hiſtoriam propoſuit; is autem primo pulveres nitroſos cum liquore anodyno Ill. PRÆSIDIS junctos, verſus noctem exhibuit, & loco potus decoctum hordei vel avenæ, vel cornu cervi citrati cum parva tincturæ papaveris rhoeados portione permixtum, commendavit, inſuperque clyſteres ex vino rubro, Pontac dicto, cum herba millefolii, ſaniculæ, floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum, hyperici & maſtiche cocto, bis per diem inteſtino recto injiciendos juſſit; qua methodo id paucis diebus effecit, ut imminuto hæmorrhoidum fluxu, cum menſtruæ purgationis tempus accederet, hæc per quatuor & viginti horas, inſtar loturæ carnium, conſpiceretur; ſed hac ceſſante, hæmorrhoides cœcæ ad nucis juglandis magnitudinem cum maximis torminibus prodierunt; quibus per mucilaginoſas externas injectiones & diaphoretica interne ſumta, diſcuſſis hæmorrhagia ſucceſſive deſiit. Cephalææ tamen gravitas eadem manſit, neque ulli interno,

no, vel externe applicato remedio obtemperavit; imo ab humidis, ſiccisque frigidis tepidisve epithematibus adeo exacerbata eſt, ut ægra de intolerabili membranarum capitis tenſione, & acerrima, quaſi catenis comprimeretur, conſtrictione ſæpius conquereretur. Interne mixtura ſimplex cum eſſentia lexipharmaca Stahlii, interpoſito ſubinde pulveris Marchionis, cephalici Michaelis cum nitro antimoniato mixti uſu exhibita fuerunt, ſed abſque ullo levamine. Denique in ſubſidium vocata eſt tinctura papaveris cum laudano liquido Sydenhamii æqualiter permixta; cujus mixturæ quindecim vel viginti guttulæ ſumtæ, doloris in capite atrociam ſub initio mitigarunt, & ſomnum tranquilliorem invitarunt, ſed ſpaſmodicas muſculorum thoracis tenſiones induxerunt, quæ redeunte cephalæa, penitus abactæ ſunt. Tandem ſepoſita omni medicina, & obſervato accurato diætetico regimine, præterlapſis aliquot hebdomadibus, ægram ſponte reliquit intenſiſſimus dolor; & ita ſenſim paulatimque vires recuperavit, & ſolummodo de capitis imbecillitate, ejusque ſub mutato aeris ſtatu, refrigeratione, & concoctione debili, atque alvo paulo tardiori amplius conqueritur. Quibus pathematibus ut congrua medela paretur, ſimulque recidivæ, & aliorum graviorum malorum acceſſui via præſcindatur, ſalutare ab Illuſtri Dno Conſiliario Intimo HOFFMANNO petitum eſt conſilium, quod, explicata prius morbi hujus pathologia, uti ab Illuſtri Viro ſuppeditatum fuit, ſincere exponemus.

§. I.

QUum in methodica ac rationali cujuſlibet affectus curatione eo potiſſimum reſpiciendum ſit, ut cognita prius genuina morbi indole & ſede, nexus cauſarum, quæ morbum cum ſymptomatibus ſuis vel ab initio produxerunt, vel etiam ſuſtentant, rite indagetur, & tum denique remedia ad tollendam cauſam proximam efficaciſſima excogitentur; ideo & mihi de memorati morbi rationali therapia judicium propoſituro, hunc ordinem ſervare, maxime congruum videtur. Pertinet itaque huc ante omnia, ut collatis potioribus phænomenis, a quibus denominatio plerumque deſumitur, de genere morborum, ad quod affectus hic pertineat, atque de nomine, quo inſigniendus ſit, breviſſime diſpiciam. Enimvero docet nos ipſa morbi hiſtoria, ægram de acutiſſimo capitis dolore, qui enormi ſanguinis per anum profluvio excitatus fuit, maxime conqueſtam fuiſſe: quo ipſo cognoſcimus, affectum hunc eſſe duplicem, adeoque pertinere ad morbos complicatos, quum alter in capitis membranis, alter in inteſtini recti venis & arteriis, ſedem ſuam habeat. Deinde quum nulla omnino ſit dolorum aut hæmorrhagiarum ſpecies, quin violentam ac præternaturalem membranarum nervoſo-muſculoſarum contractionem, quam ſpaſmum dicimus, ſupponat; ideo & præſentem utrumque affectum ad claſſem ſpaſmodicorum morborum referendum eſſe, manifeſtum eſt.

§. II.

Enimvero a modo, quo ſpaſmi ſuam ferociam exercent, & partis, quam occupant, differentia, varia ſortiuntur nomina. Cephalæam Medici cum GALENO *pr.* 3. *tr.* 2. *cap.* 3. eum vocant capitis dolorem, qui totum caput occupat, diuturnus, ægreque ſolubilis eſt, & a parva occaſione vehementes habet exacerbationes. Conf. Illuſtr. Dni PRÆSIDIS *Med. Syſtemat. tom. IV. part. II. Sect. II. cap.* I. de dolore cephalico. Ita autem comparatum fuiſſe noſtræ ægrotæ capitis dolorem, ex præcedenti hiſtoria cognoſcitur; dum primo graviſſima vehementia afflixit, deinde per integrum ſæpe ſemeſtre inhæſit, & nunquam ante ſex vel ſeptem hebdomades diſceſſit, nec ulli medicinæ obtemperavit, & a leviſſima aëris mutatione, levi attactu, aut epithematum alias maxime proficuorum admotione incrementa ſumſit. Ex quibus ratio apparet, cur hunc affectum cephalæam, minus vero cephalalgiam nominavimus; quippe qua particularem tantum capitis dolorem denotari, ex Illuſtr. PRÆSIDIS loco ſupra citato apparet.

§. III.

Per fluxum hæmorrhoidalem, eam intelligi ſanguinis excretionem, quæ per oſtiola ultimarum propaginum arteriarum hæmorrhoidalium, aut dilacerata ejuſdem nominis venarum latera ſuccedit, nulli in theoria medica vel leviter verſato amplius obſcurum eſſe poſſe exiſtimo. Immoderatum autem hunc fluxum judicari, quando diutius inſiſtit, vires proſternit, appetentiam, digeſtionem, nutritionem aliaſque functiones graviter lædit, iterum ab Illuſtri HOFFMANNO *libr. citat. cap. IV.* de immoderato hæmorrhoidum fluxu ſolidiſſime demonſtratum, repetimus. Noſtri autem affectus inſpicientibus hiſtoriam patet, illuſtrem matronam primo in quadrageſimo ſecundo ætatis anno, deinde ſingulis tribus annis poſt, tantam per vaſa hæmorrhoidalia ſanguinis feciſſe jacturam, ut, perſeverante ejus per octo ſæpe continuos dies non mediocri profluvio, omnem ſeſe movendi potentiam, appetitum, ſomnum amiſerit, ad lipothymias, ſudoreſque frigidiſſimos facillima fuerit, inſuperque in graviſſimos capitis, oculorum, maxillæ ſuperioris, temporum dolores, & hinc incredibilem partium afflictarum imbecillitatem ac ſenſibilitatem inciderit, pulſum præterea debilem ac celerem, cordis frequentes palpitationes, aliaque ſymptomata paſſa fuerit, quæ ſingula ſatis luculenter demonſtrant, exinanitionem hanc largiorem fuiſſe, quam noſtræ ægrotæ conſtitutio ferre eam potuit. Quare reſpectu ad præſens individuum habito, commemoratum fluxum hæmorrhoidalem merito pro immoderato ac nimio declaramus.

§. IV.

Evoluta ſic terminorum, quibus duplicem noſtrum affectum inſignimus, notione, ſequitur, ut utriuſque peculiarem genium ac formalem rationem, inſuperque nexum, quo cum reliquis obviis ſymptomatibus cohærent, accuratius perquiram. Quod itaque primo cephalæam attinet, eam in ſpaſmodica membranarum in capitis ſuperficie & cavitate obviarum, nominatim vero pericranii, & duræ meningis maxime tenſione conſiſtere, ex pathologia notum eſt. In noſtra autem ægra pericranium maxime affectum fuiſſe ſequentia denotant phænomena. I. quod capitis per manus compreſſione dolor nonnunquam mitigatus, alio autem tempore, pericranii fibris nimirum fortius diductis atque expanſis, exacerbatus eſt. II. quod epithematum tam ſiccorum, quam humidorum applicatio, nec non leviſſima aëris mutatio, quorum omnium proxima in externam capitis ſuperficiem eſt operatio, illico dolorem exaſperavit. Neque omnino duram meningem, nec muſculos in ſuperficie capitis conſpicuos, temporales maxime, ipſamque cutem ab hoc ſpaſmorum conſortio excludimus; cum manifeſtum ſit, duram meningem cum pericranio per ſuturas cranii, muſculos vero & cutem per varias fibrarum nervearum propagines, cum eodem arctiſſime conjungi; unde fieri non poteſt, quin ſpaſmo fibris pericranii inducto, dictæ etiam partes ſimul in conſenſum trahantur.

§. V.

§. V.

Aptiſſimum autem eſſe pericranium ad tales ſpaſmos ſuſcipiendos, tam ex ipſius ſtructura mere nervea ac tendinoſa & arctiori fibrarum compage, quam forti in oſſa cranii expanſione, manifeſtum eſt. Et cum firmiſſima in medicina ſit regula, quod pars quo nervoſior ſpaſmo affecta eſt, & quo fibrillæ nerveæ, partem aliquam componentes, magis extenduntur, eo doloris moleſtior ſit perceptio; ideo ab intolerabili ægræ noſtræ cephalæa certiſſimum deſumitur indicium, de fortiſſima & extraordinaria fibrarum pericranii extenſione. Varietas autem ipſius doloris, quæ teſte morbi conſpectu, nunc lancinatione, nunc punctura, nunc pulſatione, aut preſſione ſe exſeruit, de diverſo extenſionis fibrarum modo & gravitate indicium præbet: cujus varietatis ratio ex infra dicendis clarius pateſcet.

§. VI.

Ex ipſa autem nervoſa pericranii textura facile judicari poteſt, fieri non potuiſſe, quin ita fortiter extenſis pericranii fibris, aliæ quoque nervoſæ partes ſimul extenſæ, adeoque doloris aliquam communionem expertæ fuerint. Eſt enim ea ſpaſmorum atque dolorum indoles perpetua, quod ſi qua in parte nervoſo-membranacea locum occupaverint, omnes eas vel remotiſſimas partes in conſenſum rapiant, qui cum affecta parte aliquos nervorum ramulos communes habent. Quare cum ex anatomicis experimentis indubium ſit, nervos in pericranio diſtribui partim e vertebris colli, partim a pari ſeptimo cerebri, quod auditorium vulgo audit, prodeuntes; deinde notiſſimum quoque ſit, paris ſeptimi aliquam portionem in formanda tympani chorda quinto pari; quod omnibus fere maxillæ ſuperioris partibus, oculis, eorumque palpebris, naſo, nec non plurimis intra thoracem contentis viſceribus, ſub titulo paris intercoſtalis, proſpicit, conjungi; ideo concipi quoque facillime poteſt, qui factum ſit, ut & cervicis dolor, & tympani extenſio, quæ aurium ſuſurro atque tinnitui occaſionem præbuit, & maxillæ ſuperioris, temporum, dolorifica ſtrictura, nec non impetuoſa oculi protruſio, narium ſiccitas, cordis frequentes palpitationes, anxia reſpiratio, aliaque ſpaſmodica in diverſis partibus pathemata, præſenti malo ſæpius aſſociata fuerint.

§. VII.

Expoſita ſic cephalææ præſentis, & præcipuorum, quæ eam comitata ſunt, phænomenorum genuina indole & connexione, ordo me ducit ad inveſtigandas cauſas, quæ tantæ dolorum vehementiæ originem ſuppeditarunt. Enimvero apparet ex præmiſſa morbi deſcriptione, a cephalæa ſemper immunem vixiſſe generoſiſſimam fœminam, donec inopinata ſanguinis per vaſa hæmorrhoidalia profuſione ſuſcitata fuit; & hac imminente, illam extemplo comparuiſſe: unde peculiarem cephalææ cum hæmorrhagia hac harmoniam colligo, quæ ſane eo ſe notatu digniorem exhibet, quo magis antiquiſſimæ experientiæ ſummorumque Medicorum ſuffragio comprobatum eſt, cephalæam, & plurimos capitis morbos, comparente fluxu hæmorrhoidali diſcedere, rariſſime vero ab hoc provocari: quod & ipſe experientiſſimus HIPPOCRATES variis locis, præſertim vero *Coac. Prænot.* §. 170. annuit, ita differens: *quibus caput & cervix dolent, ac quadam totius corporis impotentia cum tremore eſt, his hæmorrhagia auxilio eſt.* Enimvero quum tamen in præſenti caſu exemplum habeamus de cephalæa, cum hæmorrhoidali excretione conjuncta, ideo nexum utriuſque ulterius indagare utique decebit.

§. VIII.

Repetendum autem hoc loco prius ex pathologiæ generalis præceptis arbitror, quod nulla omnino violenta nervoſæ alicujus partis extenſio ſeu ſpaſmus, oriri poſſit, niſi humorum per vaſa intertexta motus ſit inæqualis redditus, atque impeditus. Quod eo ſane certius eſt axioma, quo luculentius ab Illuſtri PRÆSIDE in tota *Medicin. Syſtemat.* præſertim *tom. II. & III.* demonſtratum eſt, quod omnis morbus ab impedito, aut inæquali ſanguinis progreſſu oriatur. Quare nec dubium eſt, cauſam cephalææ noſtræ proximam in impedito, & inæquali ſanguinis humorumque per vaſa pericranii tranſitu eſſe collocandam. Quodſi itaque hæmorrhoidalis fluxus acceſſio aliquid ad excitandum hunc capitis dolorem valuit; certe non aliter fieri potuit, niſi tranquillum humorum per vaſa capitis motum perturbando. Jam vero ſi accuratius ad ipſa fluxus hæmorrhoidalis noſtri primordia attendimus; eundem nunquam ſine prævia imi ventris per flatus expanſione, & inde oriundis torminibus, ructibus, cordis palpitatione, reſpiratione celeri & anxia comparuiſſe, annotamus. Quæ ſingula ſymptomata violentos inteſtinorum, vaſorumque abdomen perreptantium ſpaſmos arguunt; quibus ſub initio liber ſanguinis tam a ſuperioribus partibus per arterias allati, quam ab inferioribus per venas reducti tranſitus eſt interceptus. Quo facto humoribus tam ad ſuperiores partes, ut diaphragma, pulmones, cor, & denique per arterias carotides ad caput, ejuſque membranas, quam ad inferiora loca, præcipue inteſtini recti vaſa, majori copia & impetu compulſis, fieri omnino non potuit, quin primo vaſa ſanguifera mirum dilatata, atque ab his ultra modum expanſis nervoſæ membranæ ac fibrillæ copioſiori ſimul liquidi influxu turgidæ compreſſæ fuerint. Unde non mirum eſt, ſingulas hasce partes ad convulſivas & ſpaſmodicas commotiones fuiſſe ſollicitatas. Atque hinc non modo frequentis & anxiæ reſpirationis, cordis palpitationis, ſed & ipſius capitis doloris, prima origo repetenda venit. Quo ipſo ratiocinio cognoſcitur, ſpaſmos hæmorrhoidalem fluxum antecedentes ad cephalæam producendam plurimum omnino valuiſſe. Quare nec mirum, hunc toties repetiiſſe, quoties illi comparuerunt.

§. IX.

Paulo autem longinquius repetenda videtur quæſtionis ſolutio, qui factum ſit, ut, ſpaſmis infimi ventris omnino ſolutis, & hæmorrhoidibus pleno flumine prodeuntibus, cephalæa tamen non deſierit, ſed & durante & ſublato ſanguinis fluxu æque vehementer infeſtaverit. Cujus phænomeni rationem hanc eſſe exiſtimo. Certum primo eſt, omnem vaſorum præternaturalem ac violentam per fluida copioſius impulſa, dilatationem, tandem ſucceſſu temporis in atoniam tranſire; quo fit, ut perdito elatere, & vi ſyſtaltica propellendis fluidis non ſufficiant; unde primo tardus humorum progreſſus, denique vero variis in locis, præſertim in ultimis venarum ramulis ſtagnationes oriuntur; quo facto fluida & aquoſa ſanguinis portio, quam ſerum dicimus, a craſſiori facile decedit, & acrem ſtagnando indolem induit; & ad membranas nerveas delata, illas ad moleſtiſſimas criſpaturas, tenſioneſque diſponit; idem quoque hic contigiſſe, vero admodum eſt ſimile. Impetuoſiſſimo enim ſanguinis impulſu, vaſa capitis præſertim minima vehementer eſſe dilatata, atque

a tono ſuo dejecta, ex antecedenti §. perſpectum eſt. Quare non fieri non potuit, ut ſerum, a collecto & accumulato ſanguine ſecedens, acrius factum fuerit; præſertim quum ipſius ægræ conſtitutio, vitæ lautum, ſed motus expers, genus, & parcior menſium fluxus, ac deficiens tranſpiratio ſatis arguant, humores illuſtris fœminæ a longo tempore multa particularum heterogenearum ſalino-ſulphurearum copia accumulari debuiſſe; quia contradictorium eſt, ſanguine puro gaudere, & tamen rebus impuritatem ei inducentibus non parcere, nec ipſas impuritates congrua ratione e corpore eliminare. Eo autem magis augeri utique debuit hæc acredo humorum, quo difficilius per debilitata vaſa capitis progredi iis licuit, & quo diutius in iis ſtagnaverunt: unde non mirum eſt, quod ſui demum juris facta, & a communi ſanguinis miſcela liberata ſalia, tandem tenerrimas pericranii partiumque vicinarum fibrillas invaſerint, atque ad tam atroces ſpaſmos eas ſollicitaverint. Et ita ſe rem omnino habuiſſe, ex eo non obſcure intelligitur, quod eruptio veſicularum, tam in dextro hypochondrio, quam primis digitorum internodiis acrem & corrodentem materiam effundentium, ab omni doloris moleſtia ægrotam noſtram liberavit; luculentiſſimo ſane indicio tam firmiter peregrina hæc ſalia nervoſis pericranii fibrillis impacta fuiſſe, ut nulla medicina, ſed ſola naturæ vi per ſalutarem ad inferiores partes metaſtaſin, eliminari potuerint. Quæ cum ita ſint, ratio ſane evidens eſt, quare nec prodeunte nec deſinente hæmorrhoidum profluvio imminuta ſit cephalææ hujus vehementia: quum neutro modo illius genuina cauſa ſit ſublata.

§. X.

Ex hactenus allatis ſatis clare apparet cephalææ noſtræ initium & durationem duplicem cauſam agnoſcere, ita quidem, ut origo illius ex fortiori ſanguinis ad vaſa capitis impulſu, & hinc orta nervoſarum partium preſſione, (§. VIII.) pertinax autem duratio ab humoribus acribus, pericranio partibuſque vicinis firmius impactis, derivanda veniat (§. IX.) Ex hoc itaque duplici argumento moleſtæ hujus in capite ſenſationis varietas, cujus ſupra mentionem fecimus, nunc luculentiſſime cognoſcitur. A fortiori enim arteriarum, a ramo carotidis externo pericranium, muſculos temporales ipſamque cutim tranſeuntium, per ſanguinis impetuoſum motum expanſione & dilatatione vehementem pulſationem ortam fuiſſe manifeſtum eſt. Gravativum vero dolorem ab imminuta vaſorum reſiſtentia, & inde facto humorum decubitu, caput moleſtante, originem trahere, rationi admodum conſentaneum videtur. Puncturæ denique & lancinationis ſenſum a ſalinis & acribus particulis tenerrimas & ſenſibiliſſimas pericranii fibras irritantibus ac rodentibus deducendum eſſe exiſtimo.

§. XI.

Satis, ut opinor hucuſque de effectibus ſpaſmorum in partibus ſuperioribus, & inde pendente cephalææ cum hæmorrhoidibus nexu, diſſeruimus. Nunc itaque ad ipſum fluxum hæmorrhoidalem tranſeundum eſt, quem ab iiſdem infimi ventris ſpaſmis, quorum ſupra mentio facta fuit, provocatum eſſe, mox demonſtrabimus. Per coarctata enim inteſtinorum vaſa ſanguinem a partibus inferioribus per venas reductum, nec ſatis promte, nec debita copia progredi potuiſſe, quivis facile perſpicit, cui ex legibus hydraulicis innotuit, quod ad determinatam fluidi quantitatem recipiendam certa canalium capacitas atque amplitudo requiratur, & hac imminuta, libero humorum tranſitui grave illico impedimentum opponatur. Quare neceſſe fuit ſanguinem in inferioribus vaſorum ramulis, maxime vero hæmorrhoidalibus venis, accumulari, & ſubſiſtere, quia hæ perpendiculari tramite inteſtinum rectum perreptantes, ſanguinem ab arteriis hæmorrhoidalibus etiam perpendiculariter ad inteſtini recti orificium, ejuſque muſculos copioſius delatum, ad ſuperiora propellere quam minime potuerunt. Quo facto fieri non potuit, quin & arteriarum & venarum hæmorrhoidalium latera, nimia humorum incumbentium mole aggravata ac diſtenta, tandem neceſſario elatere ac reſiſtendi potentia fuerint orbata; donec prævalens humorum gravitas tam ex diductis & apertis arteriolarum oſtiolis, quam laceratis venularum membranis, exitum impetravit.

§. XII.

Perſpicimus inde proximam fluxus hæmorrhoidalis cauſam vaſorum hæmorrhoidalium nimiam dilatationem, & inde ortam imbecillitatem, aperturam, rupturam exſtitiſſe atque ad hanc ſanguinis per ſpaſmos copioſius eo congeſti ſtagnationem, adeoque plethoram vaſorum hæmorrhoidalium particularem, proxime anſam ſuppeditaſſe. Quo perſpecto nunc clarius cognoſcimus, unde & nimia, & diuturna hæc ſanguinis profuſio originem duxerit. Quemadmodum enim certiſſimum in experientia eſt, ad loca vulnerata humores cum impetu & copioſe adpelli, & ubicunque viam apertam inveniunt, ibi erumpere; ita nec aliter hic fieri potuit, quam ut apertis & ruptis vaſis hæmorrhoidalibus, ſanguis, hucuſque tardius progrediens, nunc fortiori impetu ad dicta loca compelleretur, & per apertas vias copioſius effunderetur. Et cum debilitata vaſorum latera parum vel nihil huic moli reſiſtere potuerunt; ideo nec ratio fuit, cur ab eruptione ſanguis coerceretur; præſertim quum nec copia humorum, nec impetus in motu eorundem, in noſtra ægra defecerint. Tamdiu itaque neceſſario effluere debuit ſanguis, dum imminuta copia & fracto impetu partim humores rarius & tardius eo compulſi fuerunt, partim & ipſæ membranulæ vaſorum hæmorrhoidalium nimis exinanitæ collabi, corrugari & aperturas claudere debuerunt.

§. XIII.

His poſitis, non difficile amplius erit, nexum ſymptomatum, ab enormi hac hæmorrhagia ægram noſtram infeſtantium, eruere. Summe vero debilitatam inde eſſe illuſtriſſimam fœminam, eo minus mirum alicui videbitur, quo certius eſt, ad determinatum corporis robur certam & quantitatem, & regularem boni ſanguinis motum requiri. Subtracta itaque per continuum, integram ſæpe hebdomadem & ultra perſeverantem, effluxum, nimia humorum optimorum copia, perditum eſt fibrarum cordis, vaſorum denique omnium & membranarum robur atque elaſticitas: unde nec rite expandi nec contrahi potuerunt; & hoc modo lentiori orto ſanguinis progreſſu, fieri non potuit, quin totius corporis, omniumque ejus partium functiones maximum languorem contraxerint, atque a ſtatu naturali penitus receſſerint. Hinc igitur ſumma corporis artuumque ob muſculorum elaterem remiſſum impotentia, hinc animi defectionum, quas lipothymias dicimus, frequentia cognoſcitur. Lipothymiæ autem, quum a debilitate fibrarum cordis, harumque ad propellendum ſanguinem inſufficientia, ortum trahant; ideo & tunc potiſſimum non potuerunt non accidere, quando ægra ob imbecillitatem ad decumbendum coacta, extra lectum ſedendo commorari debuit; quo factum

factum eſt, ut ſanguis, ob perpendicularem maxime difficilem aſcenſum, minori copia in cordis muſculum perlatus fuerit, quam contrahendis ejus fibris & ſyſtoli efficiendæ fuit neceſſaria: cujus phænomeni, ſane in debilitatis perſonis frequentiſſimi, rationes evidentiſſime Illuſtris PRÆSES propoſuit in diſſ. *de ſitu erecto in morbis periculoſis noxio.* A debili quoque cordis potentia cum inæquali ſanguinis influxu collata, ratio innoteſcit, cur cordis palpitationibus ægra tam frequenter, maxime vero poſt ſyncopen perpeſſam, fuerit obnoxia; quum revocatus per externa varia remedia ſanguinis motus tardiſſimus illo initio, & paulo deinde fortior factus, non potuerit non cordis muſculoſas & nervoſas fibras inæqualiter diſtendere, adeoque concutiendo ad tremorem diſponere. De quo argumento doctiſſime diſſeruit Illuſtris PRÆSES in *Medicin. ſyſtemat. tom. IV. part. 3. Sect. II. cap. I. de cordis palpitatione.*

§. XIV.

Ex eodem argumento & pulſus ratio cognoſcitur, quem debilem & celerem plerumque in ægra noſtra obſervatum eſſe, morbi hiſtoria confirmat. Quum enim pulſus nihil aliud ſit, niſi arteriarum per ſanguinem transfluentem ſenſibilis dilatatio; hæc vero pro vi cordis, & ſanguinis copia aut inopia, varie differat; ideo in hac ægra debilis & celer omnino non eſſe non potuit, cum alter in debili cordis vi, alter in crebriori ejus contractione a parciori ſanguinis influxu oriunda rationem habeat ſufficientem. Adaucta autem ſpaſmorum vehementia, quum cordis & arteriarum vis elaſtica beneficio conſenſus nervorum neceſſario intendi, & humores ad externum corporis habitum paulo majori impetu protrudi debuerunt, ideo mirum non eſt, eo tempore pulſum fortiorem tangentibus, ſe exhibuiſſe. Quemadmodum vero imminuta cordis & arteriarum vi, & ſanguinis circuitu tardiori facto, omnium partium functiones lædi, neceſſarium eſt; ita præcipue ventriculum, cujus actio vere dicitur ſyſtematica, quia ab omni corporis ægritudine lædi ur, has turbas graviter luere oportuit. Quare & appetitus defectum primario a tunicarum ventriculi atonia derivamus. Ad hanc vero producendam licet inopia ſanguinis, ejuſque ſegnior progreſſus utique ſuffecerint; adjumento tamen & alia fuiſſe videtur cauſa, quam in conſenſu membranarum capitis cum tunicis ventriculi, ob paris nervorum quinti & octavi communionem, collocamus. Certiſſimum enim ab experientia, eſt nullius fere partis tam accuratam functionum eſſe conſpirationem, quam ipſius capitis & ventriculi, & dolente capite illico appetitum imminui, nauſeas, vomitus, aliaſque ventriculi ægritudines oriri. Quem conſenſum, & rationibus & experientiis ſtabilitum, vide in Illuſtr. PRÆSID. *medicin. Syſtemat. tom. III. de conſenſu partium nervoſarum.* Sed revertamur, unde digreſſi ſumus, & expoſitis atoniæ ventriculi genuinis cauſis, nunc ad effectus ejus inquirendos tranſeamus. Præſente itaque tanta ventriculi imbecillitate, quum ingeſtorum reliquiæ nec rite concoqui, nec fluida aſſumta debite ad duodenum & vaſa lactea propelli potuerint, ideo neceſſarium fuit, & flatus oriri, eoſque ſubinde per ructus expelli, & ob expanſa nimium ventriculi latera, liberum diaphragmatis deſcenſum, & pulmonum legitimam expanſionem, impediri. Unde & difficilem reſpirationem, & præcordiorum anxietates cum phlogoſi, & capitis copioſo ſudore & ſomni inquietudine, originem traxiſſe, manifeſtum eſt.

§. XV.

Neque porro obſcurum eſſe poteſt, cur a ſudore penitus vacaverit ægra noſtra; quoniam & inopia humorum & debilitas cordis & arteriarum, impedimento fuerunt, quo minus ſanguis ad ultimos arteriolarum minimarum hiatus propelli, & ſubtiliſſimam ſui portionem per cutis emunctorium manifeſto effundere potuerit. In ſola vero capitis ſuperficie, quod tam frequens & abundans ſudoris fuerit proventus, id partim a ſanguine, per flatus copioſius ad caput compulſo juxta §. XIV. partim a vehementi pericranii, muſculorum capitis, ipſiuſque cutis ſtrictura, ſubinde relaxata deducendum eſſe videtur. Quare ſudorem hunc particularem magis anxietatis & dolorum effectum, quam ſpontaneam excretionem fuiſſe, auguror. Urinæ autem frequentem & copioſam emiſſionem, partim a laxitate vaſorum in renibus, & ductibus urinariis, partim ab abundantia particularum ſalinarum, latera vaſorum tam ſecretoriorum quam excretoriorum, frequentius ſtimulantium, derivandam eſſe judico. In qua opinione & illud me confirmat phænomenon, quod urina, in vitrum recepta & ſepoſita, ad fundum & latera vaſis inſignem cryſtallorum rubicundorum copiam depoſuerit; manifeſto ſane indicio, plus in liquore hoc urinali ſalis fuiſſe contentum, quam naturalis & debita ejus mixtio requiſivit.

§. XVI.

Quanquam vero commemorata hactenus ſymptomata, poſt evaneſcentem hæmorrhoidum fluxum mitigata, &, redintegrata denique humorum jactura, penitus ſenſim paulatimque ſublata fuerunt; vires tamen cum priſtino vigore tardiſſime rediiſſe, ex affectus noſtri hiſtoria cognoſcimus. Quod eo quidem minus mirari decet, quo & copioſiorem & diuturniorem ſanguinis effuſionem, & inde ſummam partium nervoſo-muſculoſarum atoniam relictam fuiſſe, annotamus. Ex hac inſigni autem imbecillitate ratio diuturnæ illius, poſt ſublatum etiam morbum, perſeverantis ſenſibilitatis, atque frequentioris refrigerationis & horroris maxime deſumenda videtur. Familiare enim hoc omnibus eſt partibus nervoſis, ut quo acutiori ſpaſmorum aut dolorum genere per inſigne aliquod tempus divexata ſunt, eo, remittentibus ſpaſmis, fiant imbecilliores atque a leviſſimis externarum rerum, aeris, ventorum, tempeſtatum, ciborum &c. mutationibus quam facillime violentur. Quare nec mirum eſt, ægram noſtram in capite præſertim accuratiſſimam aeris mutationum perceptionem diu retinuiſſe, & moleſtiſſimam ſubinde refrigerationem expertam eſſe; quum pericranium a diuturni doloris vehementia relaxatum, primo ob nervoſiſſimam fibrarum texturam acutiſſimo ſenſu & naturaliter ſit præditum, & deinde ob tenue cutis, pinguedine fere carentis, operculum præ ceteris partibus nervoſis aeris attactui, aliiſque externis injuriis, ſit expoſitum. Præterea vero cum omnis pars imbecillis minori humoribus reſiſtendi potentia gaudeat, adeoque ad recipiendas & fovendas impuritates maxime prona ſit; ideo quoque & pericranium, & vaſa hæmorrhoidalia, ob inſignem, quam retinuerunt, imbecillitatem, minori vi ad eundem recipiendum morbum, perduci potuiſſe manifeſtum. Quare nec mirari ſubeat, quod collecta nova humorum copia & impuritate, provocatis ordinariis inteſtinorum & vaſorum imi ventris conſtrictionibus ſpaſmodicis, duplex hocce graviſſimum malum tam ſæpe repetierit, eoque diutius & gravius illuſtrem matronam affixerit, quo ſæpius eam comprehendit.

§. XVII.

Expoſitis itaque iis, quæ tam ad ipſius immoderati fluxûs hæmorrhoidalis genuinam indolem, quam reliquorum ſymptomatum eum tam comitantium, quam ſubſecutorum arctiſſimum nexum diſtincte perſpiciendum pertinent; nunc tandem ad cauſas occaſionales, quæ & ab initio, & poſtea diverſis temporibus, ad hanc excretionem illuſtrem fœminam aptam reddiderunt, propius accedendum eſſe temporis ordiniſque ratio ſuadet. Enimvero antecedentem hæmorrhoidum fluoris cauſam in ſpaſmodica inteſtinorum, vaſorumque imum ventrem perreptantium, contractione collocandam eſſe, ex ſupra demonſtratis §. XI. quam clariſſime apparet. Quare nunc indagandum venit, quidnam commemoratos infimi ventris ſpaſmos proxime provocaverit. Hoc autem nomine primo impeditum ſanguinis per vaſa & viſcera abdominis progreſſum, accuſari debere, partim ex generali illo ſupra jam allegato theoremate, quod nullus omnino ſpaſmus abſque irregulari & impedito ſanguinis influxu adoriri poſſit; partim ex ægræ noſtræ naturali conſtitutione, & victus ac vitæ ratione, innoteſcit. Ex lauta enim & opipara, cui a primis annis aſſuefacta eſt, diæta, quæ in lectiſſimarum deliciarum, ciborum ac potuum optime nutrientium frequenti aſſumtione conſiſtit, ſatis intelligitur, fieri non potuiſſe, quin novus quotidie, iſque non mediocris ſanguinis apparatus corpori ſuppeditatus fuerit. Qui vero cum nec per naturales fœmineo ſexui proprias excretiones menſtruas, nec per artificiales ſanguinis ſubtractiones, aut congrua corporis exercitia, nec unquam per ſudores copioſos, nec puerperium, nec alia ratione multum imminutus eſt; neceſſarium utique fuit ſanguinem in univerſo corpore accumulari, vaſaque omnis generis ultra proportionem receptivitatis ſuæ cruore copioſo impleri, diſtendi, & tandem elatere ſuo, ad humores per omnes meatuum anfractus rite propellendos neceſſario, orbari: unde primum lentus humorum circulus, atque ex hoc ſpiſſitudo, denique in viſceribus ſanguinis colaturæ dicatis, ut hepate, liene, pancreate, ſtagnationes oriri debuerunt. Atque hac ratione irregulari facto ſanguinis circuitu, & impedita humorum ad ſufficientem alimentorum concoctionem neceſſariorum, ut bilis, ſucci pancreatici, promta ſecretione, primum ad cruditates in inteſtinis cumulandas, deinde quoque ad ſanguinis impuritatem, nec minus ad grave ſpaſmodicum illud hypochondriacum malum, fomes eſt ſuppeditatus, quo ipſo ad ſpaſmos inteſtinorum promptius recipiendos, perſona hæc idonea eſt reddita.

§. XVIII.

Quemadmodum vero abdominis viſcera, ob vaſorum ſanguiferorum copiam, debilem elaterem, parvam capacitatem, nec non perpendicularem venarum plurimarum aſcenſum, præ cæteris partibus ad ſuſcipiendum & fovendum lentum humorum progreſſum maxime idonea ſunt; ita potiſſimum noſtra matrona ad eundem diſpoſita fuit per vitam, quam egit, motus expertem, & maxime ſedentariam; qua ſcilicet compreſſis frequentius abdomine, & viſceribus in eo ſitis, vaſa ſanguifera coarctata, & ad humores ſpiſſos promte recipiendos & propellendos inepta evaſerunt. Quod eo facilius in noſtra matrona contingere potuiſſe & debuiſſe exiſtimo, quum & ex temperamenti, & externi corporis habitus, quo gaviſa eſt, indole, perſpectum ſit, eam copioſis quidem ſed arctioribus & debilioribus vaſis eſſe inſtructam; quæ cum per ſe ad lentum & difficilem humorum tranſitum diſponunt, tum accedente vita ſedentaria ob dictas modo rationes, eo procliviora ad ſanguinis abundantiam, ſpiſſitudinem & ſtagnationem eſſe, obſervantur. Poſſem hos vitæ ſedentariæ pernicioſos effectus plurimis parallelis obſervationibus, nec non rationibus, uberius confirmare, niſi his brevitatis ſtudium parcere juberet. Quare plura de hoc argumento legere cupientem partim ad obſervationum ſcriptores, præſertim quoque *Illuſtr.* PRÆSID. medicinam conſultoriam, partim & hygieinen ipſius, alioſque diæteticos libros, ubi de motu & quiete agitur, remitto.

§. XIX.

Eo autem profecto magis mirum videtur, onuſtam hanc ſanguine matronam ad trigeſimum uſque ſeptimum ætatis annum ab omni graviori valetudinis incommodo liberam vixiſſe; cum intercepta per abdominis viſcera humorum ſpiſſorum & abundantium circulatio, conſentientibus ſummis Medicis, & quotidiana experientia, tantum non ad graviſſimos & pertinaces morbos proximam viam ſternere conſueverit. Quare ex ſecunda tamdiu conſervata matronæ valetudine non immerito ſingularem naturæ ejus, h. e. vaſorum ac nervorum omnis generis robur colligo; & huic præſertim animi tranquillitatem, per curas aut affectus graviores nunquam perturbatam, ſed omnium rerum abundantia, & amicæ converſationis voluptate adjutam, ſummo præſidio fuiſſe auguror.

§. XX.

Quemadmodum vero nulla tam fortis eſt vis, quin accedente majori vi tandem ſuperetur; ita nec aliter hic fieri potuit, quam ut accumulatis nimium per lautiorem victum, vitamque ſedentariam humoribus, & præſertim in infimi ventris viſcera juſto copioſius coactis, vaſa hæmorrhoidalia, nimia ſanguinis mole aggravata & diſtenta, tandem aperta ac dilacerata fuerint, ac ſanguinem primo modica quantitate ob exiguas ſub initio aperturas, & fortiois forſan impetus defectum, effunderent: præſertim cum ea acceſſerit ætatis periodus, quæ, annotantibus antiquiſſimis obſervatoribus, provocando fluxui hæmorrhoïdali maxime favere videtur, nec minus ipſa illuſtris matrona a nativitate, adeoque hæreditario quaſi jure, ad eundem fluxum fuerit diſpoſita. Quo factum etiam eſſe exiſtimo, ut perſona hæc ſub initio ab hac excretione & tamdiu ac modicam ſe exhibuit, ſingularem corporis levitatem atque ad ſubeundas ſolennes functiones majorem alacritatem perſenſerit.

§. XXI.

Ex hactenus dictis ſatis clare apparere arbitror, ſanguinis abundantiam, tam univerſalem, quam particularem viſcerum abdominis, per ſpaſmos vaſorum imi ventris inductam primæ vaſorum hæmorrhoidalium perruptionis cauſam exſtitiſſe; & huic ſimul ætatem ac hæreditariam noſtræ diſpoſitionem mirum quantum faviſſe. Jam, manu ducente morbi hiſtoria, propius ad eruendas iſtas cauſas provolvimur, quæ immoderato hæmorrhoidum fluori, toties repetenti, occaſionem ſuppeditarunt. Atque inter has prima & ſecunda vice inconſuetam corporis per diuturnam vecturam concuſſionem, tertia, gravem iracundiam, & quarta vice denuo iter moleſtum, & diuturnius, ſub æſtuoſa tempeſtate peractum, & multos diæteticos errores commemorari perſpicimus. Harum itaque ſingularum rerum efficaciam intuentibus ſatis patet, eas ad ſanguinem fortiori cum impetu ad imi ventris viſcera compellendum, eoque ipſo ſpaſmos abdominis vaſis inducendos, admodum aptas, idoneasque exſtitiſſe. Quod enim primo diuturnam

nam vecturam attinet, hac quidem totum corpus, præſertim vero abdominis viſcera, commoveri, & muſculos femoris, nec non ani ſphincterem, cum vaſis has partes intercurrentibus, concuti, ac premi, ex ipſa motionis hujus indole apparet. Hac itaque ratione ſanguinis impetum in partes inferiores, præſertim abdominis vaſa, quæ in noſtra matrona antea jam nimia ſanguinis mole infarcta fuerunt, derivari debuiſſe, quivis perſpicit. Atque ſic ſpaſmis imi ventris, & inde fortioribus ſanguinis ad vaſa hæmorrhoidalia congeſtionibus, anſa ſuppeditata; tandem dilatatio, ruptura, & apertura eorum eo major ſubſequi debuit, quo vehementior motus externus, indeque natus ſanguinis ad interna impetus fuit. Quo facto imminuta tandem vaſorum reſiſtentia, ablata quoque fuit cauſa, quæ ſanguinis, copioſe & impetuoſe irruentis, effluxum impediret. Atque ſic ratio patet, qua a longinquo itinere enorme hoc hæmorrhoidum profluvium originem traxit; quod tanta deinde valetudinis labe ægram noſtram mulctavit.

§. XXII.

Neque vero ex numero cauſarum occaſionalium excludendos eſſe exiſtimo diæteticos errores, quos in itinere ab ægra noſtra frequentius commiſſos, legimus. Noſtro hic primum calculo notandum ſe exhibet copioſus vinorum, eorumque ſpirituoſorum & variorum, uſus. His enim humores abundantes, & æſtuante aeris caliditate jam commotos, fortius expandi, & ad loca diſpoſita debiliora, ſcilicet abdominis vaſa, maxime hæmorrhoidalia, fortius compelli debuiſſe, neminem fugiet, qui leges ac ordinem motuum microcoſmicorum, cum potuum ſpirituoſorum in noſtri corporis humores efficacia, rite comparare intellexerit. Quibus perſpectis, nec dubium eſt, largiorem vinorum uſum ad fortiorem, copioſiorem, & diuturniorem ſanguinis eruptionem multum omnino contribuiſſe. Adjumento deinde fuit lacticiniorum & olerum frequens uſus; quo vaſa ventriculi & inteſtinorum relaxata, adeoque ad largiorem ſanguinis copiam, atque ab hac proficiſcentes ſpaſmodicas conſtrictiones recipiendas, maxime idonea fuerunt reddita. Peſſima autem ſane fuit corporis ſub veſpertino aere crebrior refrigeratio; qua humores, diurno tempore fortius commoti, intercepto liberiori ad externam ſuperficiem commeatu, ad interiora vaſa cum impetu repulſi, & tandem, accedente longinqua per vecturam corporis commotione, per vias conſuetas erumpere coacti ſunt.

§. XXIII.

Simili autem facultate & animi graviores affectus, præſertim exorbitantem iracundiam, pollere, nemo inficias ibit, cui ignotum non eſt, iracundia fortiori, univerſalem partibus nervoſis, præſertim internis, hinc maxime ventriculi atque inteſtinorum tunicis, ſpaſmum induci; quo mediante humores tam ad ſuperiora, quam ad inferiora fortius impulſi, tandem exitum ſuum eo loco impetrant, ubi minimam ſibi fieri reſiſtentiam experiuntur. Quare, ut vehementiſſima excandeſcentia correpta ægra noſtra in grave hoc ſanguinis profluvium incideret, eo facilius omnino fuit, quo magis per duplicem antecedentem nimiam hæmorrhagiam, uti tota corporis compages, ita præcipue vaſa hæmorrhoidalia, tono & elatere ſuo orbata ſunt, atque debilitata. Quam manifeſtum itaque ex hac demonſtratione eſt, ſingulas haſce commemoratas res, ut vecturam, iracundiam, alioſque diæteticos errores ad ſpaſmos, hæmorrhagiæ graviſſimæ autores, producendos, anſam ſuppeditaſſe, tam quoque collatis iis, quæ ſupra de cephalææ ortu præmiſimus, evidens eſt ratio, eaſdem res ad cephalæam excitandam non parum valuiſſe.

§. XXIV.

Abſoluta ſic pathologica utriuſque affectus explicatione, nunc ad rationalem ejus therapiam me converto: quam ita proponere decrevi, ut primo de methodo curationis, ipſiſque remediis, huic malo oppoſitis, meam ſententiam exponam, deinde vero ſollicite ea ſubjungam, quæ ad præcavendam utriuſque morbi recidivam, & confirmandam ægræ ſanitatem, ab Ill. Præſide commendata accepi. Perpendentibus itaque genuinas utriuſque præſentis mali cauſas, ſponte pateſcit, ſummam indicationum hanc eſſe debuiſſe, ut primo mitigatis infimi ventris ſpaſmis, tanquam præcipuis nimiæ hæmorrhagiæ & cephalææ cauſis, impetuoſa humorum ad vaſa hæmorrhoidalia æque ac capitis membranas congeſtio infringeretur; porro ſeri acris pericranio firmius impacti, vel abundantia, vel vi & efficacia imminuta, tandem non hæmorrhoidalibus modo vaſis, ſed & capitis membranis, juſtus elater, ac naturalis tonus reſtitueretur. Enimvero quam parum ulli ſub initio ſatisfactum ſit indicationi, morbi hiſtoria nos docet. Ex hac enim cognoſcimus, ægram, Medico deſtitutam, proprio conſilio, a cucurbitulis, veſicatoriis, & tandem pulvere ſympathetico opem quæſiviſſe. Non equidem neſcio, ſcarificationes, & veſicatoria, quippe humores acres a partibus affectis dignioribus ad ignobiliora revocantia, præſtantiſſimæ ſæpius, in effrenatis etiam capitis doloribus, a ſero acri, membranis nerveis firmius impacto, ortis, eſſe efficaciæ; neque ignoro exempla proſtare, de gravibus ſanguinis profluviis, per ſolam ſympatheticam curam illico ſedatis; ſed memini etiam, univerſale in praxi medica eſſe theorema, quod nulla medicina, niſi ad cauſas morbi removendas ſit idonea, effectum deſideratum exſerere poſſit. In præſenti itaque caſu, cum nec anodyna, & motum humorum temperantia, nec derivantia præmiſſa fuerint, quæ utraque tamen juxta primam & ſecundam indicationem præmitti debebant; ideo mirum non eſt, fruſtraneum fuiſſe ſingulorum uſum.

§. XXV.

Non dubito itaque, melius ægræ noſtræ conſuli potuiſſe, ſi primo ſtatim tempore, quo borborygmos, ructus, hypochondriorum tenſiones, tanquam ſolennes inſtantis hæmorrhoidalis fluxus indices, perſenſit, nec non ſub ipſius eruptionis initio, convenientibus antiſpaſmodicis, & lenioribus carminativis, inter quæ liquorem anodynum Hoffmanni, vel ſpiritum nitri dulcem, cum eſſentia corticum aurantiorum, vel eſſentia carminativa Wedelii, eſſentia ſuccini, croci, caſtorei &c. maritatum, aut pulveres ex cinnabari, nitro, croci extracto cum aquis antiſpaſmodicis, nympheæ, chamomillæ romanæ, millefolii, ſcordii, florum acaciæ &c. exhibendos, merito commendo, & deinde quoque congruis temperantibus & refrigerantibus, emulſionibus ex ſeminibus quatuor frigidis, papaveris & aquis diapnoicis compoſitis, effrenatæ motuum tam ſolidarum, quam fluidarum partium ferociæ obicem poſuiſſet. His autem præmiſſis, tutius ad ea remedia pergi potuiſſe exiſtimo, quæ impetum humorum tam a capite, quam vaſis hæmorrhoidalibus, revocare apta fuerant. Quo nomine licet veſicatoria ac cucurbitulas, juſto tempore applicata, minime damnem; majora tamen emolumenta, me quidem judice, in utroque affectu a venæſectione in brachio, ſalvis adhuc ægræ viribus, inſtituta, aut ipſorum brachiorum profunda in balneum moderate calidum aquoſum im-

O 2 miſſio-

miſſione, expectanda fuiſſent. Quibus vero ſi leniora diaphoretica, humores ad corporis ſuperficiem invitantia, ut infuſa theiformia, mixturæ aquarum congruarum cum antimonio diaphoretico & floribus ſulphuris, aut denique frequentes brachiorum, cervicis & dorſi frictiones acceſſiſſent; nullus dubito, quin & cephalææ & hæmorrhoidum fluxus mitius & citius decurrere debuerint.

§. XXVI.

Neque vero in ſummo cephalææ & hæmorrhoidalis fluxus vigore omnino fruſtraneam fuiſſe hanc methodum, ex effectu remediorum ab ultimo Medico, qui deſperatis fere ægrotæ rebus demum acceſſit, exhibitorum cognoſcimus. Prudenter ſane præmiſit liquoris anodyni cum nitroſis pulveribus, & decocti demulcentis, ex hordeo, aut avena vel cornu cervi parati, & parca tincturæ papaveris portione permixti, uſum; quo complacata ſpaſmorum vehementia, & imminuto ſanguinis orgaſmo, affluxus humorum moderari utique debuit. Quo facto, ſine gravioris noxæ metu ad conſolidantia & roborantia progreſſus eſt: quo nomine laudem utique meretur decoctum ex vino rubro adſtringente, & herbis balſamica atque traumatica virtute celebratiſſimis, paratum, quod inteſtino recto crebrius injicere curavit: quia perſpicuum eſt, congruam medicinam, quo propius parti læſæ accedit, eo præſtantiorem edere debere efficaciam. Sed paulo tamen præmaturius clyſterem hunc applicatum fuiſſe, ex eventu concludimus; cum fortius ſimul & ſemel conſtrictis vaſis hæmorrhoidalibus, ſanguis, exitu interclufus, in vaſa connexa copioſius compulſus, partim in inteſtinis tormina, partim in lateralibus minoribus hæmorrhoidalium venarum ramis moleſtum tumorem, quem hæmorrhoidum cæcarum titulo inſignimus, excitaverit. Quæ quidem omnia præcaveri potuiſſe exiſtimo, ſi tam ante clyſteris adſtringentis injectionem, vel ſuſcepta jam eadem, ſanguinis ad inferiora impetus tam per fotus brachiorum ſupra laudatos, quam frictiones, & alia diaphoretica, minus tamen ſpirituoſa & volatilia, ſed fixiora ad ſuperficiem corporis magis fuiſſet revocatus.

§. XXVII.

Equidem tali in caſu nihil unquam præſtantius obſervavi, famigeratiſſimo illo pulvere *Heurnii*, qui *in commentario ad aphoriſmos Hippocratis L. V. aph. L.* ab auctore deſcribitur, & ex ſeminis hyoſcyami, papaveris albi ana drachma una, hæmatitidis, corallii rubri ana drachma dimidia, & camphoræ ſcrupulo dimidio componitur; quippe quo ſingulis fere indicationibus ſatisfieri, ſpaſmos nimirum mitigari, vaſa roborari, & diaphoreſin promoveri, quivis perſpicit. Semper autem cum emolumento ſecutus ſum cautelam, ab Illuſtri HOFFMANNO circa uſum dicti pulveris in *Medicin. Syſtem. tom. IV. part. II. cap. V.* propoſitam, ut ubi a nimia exinanitione vires langueſcere vidi, ibi & hyoſcyami & papaveris ſeminibus parcius uſus fuerim, camphoræ autem largiorem doſin receperim. Proinde frequentius longinquas & immoderatas uteri, & inteſtini recti hæmorrhagias ſequenti mixtura compeſcere mihi licuit. *Recipe amygdalarum dulcium excorticatarum unciam unam, ſeminum papaveris, hyoſcyami, ana ſcrupulum unum aquarum cardui benedicti, meliſſæ, ceraſorum nigrorum, florum acaciæ ana uncias duas, cinnamomi ſine vino unciam unam.* Cum ſic concinnata emulſione pulverem ex coralliorum rubrorum, hæmatitidis, ſuccini ana ſcrupulis duobus, camphoræ & nitri purificati ana ſcrupulo uno, junxi, & mixturæ ſimplicis uſum tempeſtive adjicere curavi.

§. XXVIII.

Poſſem equidem ſyllabos remediorum anodyna, temperante, refrigeranti at ἰσχαίμῳ efficacia celebratorum percurrendo, magnum medicamentorum, quæ commendatis ſunt ſimilia, cumulum proferre; ſed quia hæc partim vulgaria, partim cum methodo & cautelis circa uſum neceſſariis, tam ab Illuſtri PRÆSIDE in *Medicin. Syſtemat. tom. IV. part. II. cap. de nimio hæmorrhoidum fluxu*, quam Illuſtri Vitembergenſis Academiæ Seniore Dn. GODOFREDO BERGERO, in *diſſ. de hæmorrhoidibus ultra modum profuſis* anno 1700. habita, jam uberrime expoſita ſunt, ideo iſta omitto, & contentus pauca indigitaſſe, quæ in præſenti caſu congrua judicavi, plura cupientem ad modo laudata Illuſtrium duumvirorum ſcripta remitto. Id vero unicum addere, non ſupervacaneum duco, quod hæmorrhagiis immoderatis omnis generis, præſertim vero partium inferiorum ex voto cohibendis, & medicamentorum, hoc fine exhibitorum, felici operationi præter continuam & inturbatam animi tranquillitatem nihil omnino magis faveat, quam corporis quies & decubitus; & vice verſa tam ſuſtinendis, quam adaugendis iſtis vehemens iracundia, terror, & mœſtitia, una cum frequenti deambulatione aut geſtatione accommodatiſſima reperiantur. Qua de cauſa nocturnum tempus his ſummo eſſe præſidio, & medicinam una ſæpe nocte, quæ tranquillo conſumitur ſomno, plus quam integra hebdomade, quæ vigiliis, curis, & laboribus teritur, adjuvare, frequentius annotavi.

§. XXIX.

Supereſt, ut de iis quoque remediis ſententiam meam exponam, quæ poſt ſedatum fluxum hæmorrhoidalem graviſſimæ cephalææ oppoſita fuerunt. Hæc inter primo ſuccurrunt varia epithemata ſine dubio ex herbis cephalicis parata, & vel ſicca, vel congruis diſcutientibus aquis, aut ſpiritibus deſtillatis madefacta, capiti impoſita & circumducta. Quæ licet in genere ad demulcendos pericranii ſpaſmos magnis laudibus paſſim efferantur, hic tamen dolorem acerbiorem reddidiſſe viſa ſunt nullam ſine dubio aliam ob rationem, quam quod frigide applicata conſtrictionem vaſorum & fibrarum cutis ac pericranii adauxerunt, tepide autem admota affluxum ſeri acrioris ad vaſa relaxata majorem effecerunt. Plus forſan hæc valuiſſent, ſi vel univerſa humorum maſſa a ſalibus heterogeneis prius liberata, vel impetus harum impuritatum a capite ad ignobiliora loca, per frictiones, balnea, leniora diaphoretica nec non eccoprotica reductus fuiſſet. Magis itaque huic ſcopo idonea videntur reliqua medicamenta, interne uſurpata, ut mixtura ſimplex, eſſentia alexipharmaca Stahlii, pulvis Marchionis, cephalicus Michaelis, quippe quæ ſanguini tam temperando & alterando, quam ad diaphoreſin diſponendo longo uſu ſe commendaverunt.

§. XXX.

Enimvero & hæc efficaciora fuiſſe, ſi congruis decoctis lignorum herbarum, radicum, humores diluentium, & ſalinas partes gelatinoſo ſuo principio involventium, nec non decenti laxantium, emollientе ſimul virtute præditorum, ut mannæ, cremoris tartari &c. cum ſero lactis uſu prudenter eſſent adjuta. Memini inter hiſtorias morborum, tractationi de dolore cephalico ab Illuſtri HOFFMANNO in *Medicin. Syſtemat. tom. IV. part. II.* annexas, fœminæ mentionem fieri, quæ cephalæa rheumatica, a ſero acri, ex menſium anomalia orta, diu vexata, præmiſſis pediluviis, & venæſectione, infuſo theiformi, herba-

herbarum verbenæ, meliſſæ, ſummitatum millefolii, ſeminum fœniculi, cubebarum, florum chamomillæ vulgaris frequentius uſa fuit, ſubinde quoque alternis diebus pilulas balſamicas cum extracti croci & mercurii dulcis portione remixtas, parca doſi aſſumſit, & tandem ſubjuncta capitis cum balſamo vitæ Hoffmanni & ſpiritu vini camphorato inunctione, obſervato ſimul congruo diætetico regimine, priſtinæ valetudini eſt reſtituta. Non autem diſſimilem huic noſtrum eſſe caſum, ex cauſarum collatione manifeſtum eſt. Quare, ſi venæſectionem, quam imbecillitas vetuit, excipias, reliquam curæ methodum, atque eadem, vel his ſimilia medicamenta dicto ordine pro circumſtantiarum indole præ ceteris congrua huic futura fuiſſe judico.

§. XXXI.

Neque tamen omnino reprehendere poſſum, quod cum irrita omnium fuerit remediorum efficacia, tandem ad mitigandam doloris ferociam, & blandum ſomnum inducendum, hypnotica quædam medicina ex tinctura papaveris cum laudano liquido Sydenhamii æqualiter permixta parciori doſi in ſubſidium vocata eſt. Licet enim hæc non tam directe ad removendam cauſam cephalææ materialem ſpectaverit, adeoque tantum palliativa fuerit curatio; juvit tamen ad tempus, pervigilium minuendo, ſomnumque deſideratiſſimum provocando; quo ipſo & mens erecta, vires aliquantiſper refocillatæ, & tranſpiratione aucta, ſalinæ & cauſticæ humorum ſordes imminutæ fuerunt. Quo ſcopo & ſomnum invitantia remedia contra acutiſſimam cephalæam ab Excellentiſſimo Vitenbergenſis Academiæ Profeſſore D. D. Stentzelio, Patrono ac Præceptore meo, filiali obſervantia colendo, in eleganti tractatu *de ſomno cap. XXIV. & XXV.* rectiſſime commendantur.

§. XXXII.

Legimus tandem in fine relationis, quod immanis hæc cephalæa, omnem remediorum efficaciam eludens, tandem ſolius congrui diætetici regiminis obſervatione fuerit profligata. Non dubito autem, id maxime congruum ægræ noſtræ fuiſſe regimen, quod diluendis & corrigendis, æque ac evacuandis noxiis humoribus proſpexit. Quare præ cæteris decumbenti animi corporiſque tranquillitatem, a curis & iracundia, nec non crebriori loquela, aut artuum commotione, & corporis jactitatione abſtinentiam, porro decubitum in conclavi moderate calido, juſculorum aut infuſorum ſalutarium herbarum vi impraegnatorum frequentem ſub lecti tegmine uſum, & loco potus ordinarii decoctum ex herbis & lignis mucilaginoſis, & acriores ſeri particulas involventibus, ut radice chinæ, ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, glycyrrhizæ, cichorei &c. ceterum cibos molliores, parum ſalitos, facile ſanguinis miſcelam ſubeuntes, & bene nutrientes, ſubjunctis aliquando ſtomachicis, laxantibus, diapnoicis & confortantibus, minus tamen ſpirituoſis acribus & volatilibus medicinis, ſummo cum fructu commendanda fuiſſe, exiſtimo. Hac itaque ratione imminuta humorum impuritate, & ſanguine emendato, quod ægra a diuturno hoc malo liberata fuerit, non eſt mirum.

§. XXXIII.

Supereſt nunc, ut de reſtituenda priſtinæ valetudinis matronæ noſtræ integritate, & præcavendo tam hæmorrhoidum nimiarum, quam cephalææ reditus Illuſtris Dni Præsidis conſilium exponamus. Apparet autem ex afflictionibus, a morbo relictis, ut capitis imbecillitate, & facili refrigeratione, concoctione debili, & alvi adſtrictione, omnem vaſorum & nervoſarum partium compagem, tam diuturna & gravi ſanguinis jactura, quam atrociſſimis ſpaſmis & doloribus, ſumme eſſe debilitatam, & fluidis rite propellendis, ſecernendis, atque excernendis minime ſufficere. Quare ut illis amiſſum robur reſtituatur, eo omnis curationis methodus eſt dirigenda. Huc autem quam maxime pertinere, ut primo remotis humorum impuritatibus, ſanguinis liber atque æquabilis per omnia vaſa circuitus, præſertim vero legitimus menſtrui fluxus, a quo omnis fœminarum ſanitas pendet, ſucceſſus reſtituatur, & huic medicationi congrua roborantia ſubjungantur, ex generali medendi methodo cuivis innoteſcet.

§. XXXIV.

Atque ad hunc etiam ſcopum directa fuit curationis methodus, ab Illuſtri Præſide honeſtiſſimæ huic matronæ præſcripta. Primo quum longa experientia edoctus ſit, in eradicandis longinquis & inveteratis morbis, qui ſolidorum vim ac elaterem proſtraverunt, nihil fere præſtantius eſſe, atque efficacius, thermis atque acidulis convenienti modo uſurpatis; ideo & præmiſſas indicationes ſecutus, externum fontis Freyenwaldenſis, ob martiale ſuum principium roborante virtute longe celebratiſſimi, in cujus vicinia degit illuſtris ægra, internum vero fontis Selterani uſum ſequenti ordine adhibendum commendavit. Præmiſſa nimirum primarum viarum repurgatione, ad quam pilulas Beccheriana methodo compoſitas bis ſumendas ſuaſit, ut ſub initio menſis Maji, ob tempeſtatis conſtantiam & ſerenitatem, vernalibus curis maxime idonei, ad Freyenwaldenſem fontem ſe conferret, & calefactæ ejus aquæ, ut prævia dorſi frictione in temperate calido conclavi veſpertino tempore ad epigaſtricam uſque regionem, corpus immitteret, & tecto bene capite ac thorace per horæ dimidium eidem inſideret, voluit. Balneo egreſſam in lecto commorari, & aquæ calidæ herbis veronicæ, betonicæ, meliſſæ, pulegii, radice glycyrrhizæ & ſemine aniſi ſtellati juſta proportione mixtis, infuſæ portionem ſorbillando, lenem ſudorem provocare, & obſervare juſſit. Bis autem intra hebdomadem, tertia ſcilicet, vel quarta ſemper die, pilulæ balſamicæ interponi debuerunt; quo tempore balneo abſtinere juſſa eſt ægra. Atque hac methodo per integrum menſem laudato balneo uti debuit.

§. XXXV.

Subjunctus huic eſt fons Selteranus, quem quarta vini Rhenani parte remixtum loco cereviſiæ uſurpavit. Præterea vero ad digeſtionem, & boni chyli præparationem ſecundandam, Illuſtris Præſes elixirium ſuum viſcerale, ex variis extractis balſamicis, menſtruo aquoſo & lixivioſo ſolutis, concinnatum, quod acidum abſorbendo, & obſtructiones reſerando, alvumque apertam ſervando, multiplici uſu egregias ſuas virtutes comprobavit, ter ſingulis diebus ad ſexaginta guttulas in potu ordinario, vel infuſo aſſumendum commendavit. Denique verſus noctem pulveris roborante & temperante virtute præditi, ex pulveris Marchionis drachmis duabus, lapidis cancrorum, ſuccini præparati, nitri purificati & cinnabaris præparatæ ana drachma una & cardamomi ſcrupulo uno compoſiti doſis, drachmam dimidiam pondere adæquans, fuit aſſumenda.

§. XXXVI.

Præprimis vero animi quies, a curis domeſticis & ſeverioribus mentis operationibus abſtinentia, corporis vero per lenem deambulationem, aut vecturam ante aut poſt prandium ſub ſerena cœli tempeſtate ſom-

commotio fuerunt commendata. Præterea cibis, ſale multo conditis, fumo induratis, & ex vegetabilium proſapia deſumtis, ut oleribus fructibuſque horæis, ægræ eſt interdictum, & horum loco præſertim juſculorum, ex carne vitulina, vel gallinarum, cum herbis & radicibus aperiente & roborante virtute præditis, ut radix aſparagi, ſcorzoneræ, cichorei, petroſelini, herba cochlear. &c. coctorum frequentior uſus eſt laudatus. Reliqua vero præcepta ad moderamen in omnibus rebus, ad tranſpirationis conſervandum ſucceſſum, & aeris veſpertini & matutini frigidioris evitandum impetum, directa fuerunt. Ad præcavendam denique impoſterum etiam hæmorrhoidum nimii fluoris recidivam id ſedulo monitum eſt, ut primo temperantiæ ſtudioſa parce & vinis calidioribus & cibis ſanguini ultra modum accumulando idoneis, nec non difficilius concoquendis, uteretur, deinde negotiis domeſticis congrua corporis exercitia crebro interponeret, ter vero vel quater per annum ſanguinem nunc ex brachii, nunc pedum venis, præſertim vero ante longinqua itinera, detrahendum curaret, & denique ad conſervandum menſium fluorem pilulis balſamicis, ſale aperitivo, ut Carolinarum vel Sedlicenſi junctis, præſertim inſtante menſtruæ evacuationis ordinario tempore, uteretur.

§. XXXVII.

Atque hoc eſt conſilium Viri experientiæ & artis fama undiquaque celebratiſſimi, quod indicationibus ſupra §. 33. propoſitis, ex aſſe ſatisfacere, nemo non perſpicit. Quare nec dubium eſt, fore, ut ægræ noſtræ, ſi accuratam ei præſtiterit obedientiam, ſummo ſit levamini. Poſſem equidem, ſingulas præceptorum ſpecies percurrendo, de ratione & efficacia, ob quam affectui huic oppoſita ſunt, multis verbis diſſerere, ſed quia medica non ſcribuntur niſi intelligentibus, & ad legitime de iis judicandum idoneis; ideo & hanc operam lectoribus in arte medica verſatis permitto. Et ne extra limites præfixos vager, præſenti diſquiſitioni hic conſtituo finem.

DISSERTATIO MEDICA
DE
PASSIONE ILIACA,

Primùm edita anno 1716.

§. I.

QUUM apud omnes, rerum humanarum vel mediocriter gnaros, extra controverſiam poſitum ſit, magnam eſſe vim temporis, & incredibile prorſus in eo ſitum eſſe pondus, ut occaſionem bene rem gerendi ne ſinamus manibus noſtris elabi: tum Medici maxime id in artis operibus rite peragendis quotidie experiuntur. Uſque adeo non ſine magna ratione ſummus ille medicinæ parens & graviſſimus auctor HIPPOCRATES toties nos de tempore admonet, &, cum momenta quævis præcipiti gradu aufugiant, & ſecum juvandi occaſionem eripiant; id cupit, omnes ſerio agere, ut tempeſtive quidvis, & cum ſummo judicio, moliantur. Nec enim ignotum eſſe poteſt cur divinus Senex nos de eo tam graviter tamque ſæpe admoneat. Sunt enim morbi complures, quorum initia, ſi recte rem aggrediaris, facile avertuntur a corpore, aut ita infringuntur, ut quam clementiſſime & cum exiguo periculo decurrant; ſi tempus concedas, vires ſumunt & jam ipſi illi, prius abunde ſuffecturo medicationis generi, adeo non cedunt, ut potius exacerbentur. Poſſem, ſi illud nunc agerem, longo ordine recenſere quantum in eo ſitum ſit ut tempeſtive ſanguis mittatur, alvus ducatur, vomitus concitetur, cutis excerniculum perſpirabile reddatur: poſſem etiam oſtendere, quam in iiſdem morbis, eadem, quæ initio eorum ſaluti fuiſſent, ſub incremento prorſus noxia evadant; ſed ſufficere puto, ſi pro me graviſſimum teſtimonium dicat HIPPOCRATES, qui I. *lib. de morbis*, naturæ ore ita loquitur: ſi unquam aliquis, in ullo morbo, utilitatem attulit, eum juſto tempore attuliſſe neceſſe eſt. Apparet ex hoc, quanta opus ſit prudentia ei, qui ſalutarem artem exercere cupit: apparebit vero etiam, aut in memoriam recurret, ipſius artis longitudo quam idem, qui temporis & occaſionis præcipitem fugam toties ingeminat, non minus ſæpe inculcavit. Nobis autem ſpeciminis inauguralis loco de paſſione iliaca aliquid commentantibus, & multorum in arte præclarum ac immortale nomen habentium monumenta pervolventibus, præcipue apparuit, &, quid valeat in hoc morbo tempeſtive ſuccurrere, &, quid intempeſtive data nocere poſſint, & denique quid nos longa ætas, qua ab medicinæ primis auctoribus remoti ſumus, continuis & maturis obſervationibus collectis, adjuverit. Vitæ enim brevitatem, quæ ſingulorum eſt, compenſant victuris chartis commiſſæ obſervationes & inventiones, quibus, qui cum recta ratione utuntur, ii mihi videntur propterea non vituperandi, quod medicinam per numeroſa luſtra nondum factitarunt, quum nemini mortalium datum ſit artem longam perdidiciſſe, ipſeque HIPPOCRATES, ad Democritum ſcribens, etiam jam ſenex, tamen confiteatur ad finem ſe nondum in medicina pertigiſſe. Sed ad rem propius accedo, ea de hoc morbo expoſiturus brevitate, quæ & inſtituto & tempori conceſſo conveniat. Faxit Deus feliciter.

§. II.

Quem nos jam paſſionis iliacæ nomine conſideramus, is morbus plura nomina invenit, quibus apud antiquos non minus quam recentiores inſignitur. HIPPOCRATES, antiquiſſimus auctor, ilei appellationem retinet: ex Græcis alii chordapſum vocitarunt aut

aut chordium morbum, de quarum vocum vi & origine eo minus ſolliciti erimus, quo magis id a noſtro fine diſtat, & abunde jam a FOESIO *in Oeconomia Hippocratis* & GORRÆO *in definitionibus medicis*, aliiſque doctiſſimis viris excuſſum eſt, Eloquentiſſimus Latinorum Medicorum C. CELSUS, tenuioris inteſtini morbum vocat, ſimulque Græcorum in denominando hoc affectu inconſtantiam arguit. Dum autem ipſe ita eum appellat, reſpexit ad alterum, quem inteſtini plenioris morbum deſignat, nos colicam dicere conſuevimus. Cætera etiam nomina, tamquam facile cuivis obvia, nunc mittimus, &, quid denique ſit hic morbus, de quo omnis impoſterum ſermo erit, breviſſimis exponimus.

§. III.

Eſt autem affectus, quo inteſtinorum periſtalticus motus ad inferiora a naturæ inſtituto vergens, ex quacunque cauſa ſic invertitur, ut ad ſuperiora tendat, & non raro etiam contenta inteſtinorum eadem via intorqueat. Quod malum, ut torminum intolerandis cruciatibus & fœditate horrorem & commiſerationem excitat, unde vulgo *miſerere mei* illud nuncupant; ita periculi, quo pleniſſimum eſt, gravitate, merito extimeſcitur & inter acutos morbos, eoſque non raro funeſtos, connumeratur. Etenim febris & inflammatio plerumque accedunt, & gangræna cum ſphacelo ſupervenientes, funeſtum exitum accelerant.

§. IV.

Ut autem plenius morbi tam diri hiſtoria innoteſcat, operam dabimus, ut ejus delineationem, una cum ſymptomatibus maxime ordinariis, lectoris ſubjiciamus oculis. Ut plurimum in iis, qui alvo alias tardiore ſunt, ſenſim inveteraſcentes alvi obſtructiones, ſine dolore, per aliquot continuos dies, ſcenam adornant, in quam mox acutiſſimi & ſæviſſimi dolores prodeunt, qui initio parum a colica vehementi differunt, cum inflatione, diſtenſione duroque ad tactum tumore hypogaſtrii aut umbilicalis regionis. Si qui vero ſubito malum incurrere videntur; hi fere ſunt, qui, prægreſſo manifeſto diætæ vitio, aut vehementi animi affectu, ut iracundia, terroreve perculſi, inclementis cœli frigoribus ſtatim ſe committunt. Alvus inter hæc non tarda ſed prorſus conſtipata & conſtricta eſt, adeo, ut nec flatus deorſum prodeat, nec excrementi quicquam, nec ſipho etiam pro injiciendo enemate, niſi difficulter penetrare poſſit. Flatus interea ſuas tragædias intus peragunt, & tamquam majoris mali infauſti prænuncii ſuperius erumpunt. Nauſea & in vomitum propenſio cito pede inſequuntur, rejiciunturque primo quæ in ventriculo forte fuerunt, intermixtis bilioſis, ſæpe ærugineam faciem habentibus; inſequuntur ut plurimum mucoſa & albentia, donec fœdus anhelitus ipſas jam craſſiores fæces, altius revocatas, horrendo ſpectaculo progreſſuras, prænunciat. Solet interea appetitus omnino jacere, ſitis ſæpe immodica cum calore adeſſe. Si inferius injicias clyſteres aut ano intrudas ſuppoſitoria, magna non raro violentia rurſum rapta per vomitum redeunt. Si inter hæc medicamentis nihil effectum ſit, plerumque dolorum vehementia conquieſcit, ſudor frigidus in corpore ſentitur, cum inquietudine & deliriis, alvus autem ſponte liquidis excrementis exſolvitur. Tunc non procul hinc adventantes leipothymias, aut, ſi juvenilia & robuſta corpora ſint, convulſiones atroces extimeſcito, & non magnopere amplius formidandam mortem præ foribus adeſſe credito.

§. V.

Si antiquos de vera hujus mali ſede conſulueris; uno fere ore dicent, eſſe illud inteſtinum tenue, quod nomine cum ipſo morbo convenit, & ultimum eſt in ſerie graciliorum. Nec multi ſunt, qui ante noſtra tempora aliter pronunciare auſi fuerunt. Verum, quum noſtris temporibus, & paulo ſuperioribus, cordati ac ſeduli naturæ ſcrutatores diſſectionibus cadaverum, quæ omnis generis perierunt morbo, ſtuduerint: illorum diligentia comperimus ſedem & radices ipſius cauſæ, quæ illud, quod maximum in hoc morbo cenſendum eſt, provocavit, non ſolum in inteſtino tenui reſidere, ſed aliquando in cœco, ſæpiſſime etiam in ipſo colo deprehendi. quid, quod ipſum etiam meſenterium, ubi inteſtinorum canali propius adhæret, morbi fomitem continuiſſe deprehenſum eſt. Ac proinde jure dixerimus inteſtinorum longiſſimum tractum, ſi duodenum & jejuni partem forte excipias, huic malo fovendo & excitando idoneum eſſe. Si autem attendamus ad ipſa tormenta, quibuscum ægris conflictandum eſt, & ad motus inteſtinorum periſtaltici inverſionem: nihil prorſus in inteſtinis ſupereſt, quod non ad malum concurrat, quum inde a muſculo, qui orificium ani concludit, uſque ad pharyngem, ubi fiſtula cibalis incipit, tam inſignis anomalia motuum omnium obſervetur. Adeoque rectiſſime ſcripſit CÆLIUS AURELIANUS *lib. III. acut. morb. cap. XVII.* tormentum ſolius acutæ paſſionis, (hoc enim nomine ileon appellat) eſt omnium inteſtinorum vexatio.

§. VI.

Antequam ulterius progrediamur, forte non inutile fuiſſet ſectionum plurium inductis exemplis ea comprobare, quæ de ſede cauſarum hujus morbi deprehenſa adſeruimus. Verum, cum ea tractatio fere neceſſarium nexum habeat cum cauſarum recenſione; ne eundem laborem bis ageremus, eo rem omnem hanc rejicimus, dum illas enumerare ſuo ordine tempeſtivum ſit. Nunc memores illius Hippocratici: principium omnis ſermonis in medicina naturam eſſe debere, breviſſimis tantum delibabimus earum partium, quas hic morbus infeſtat, ſtructuram & indolem ſecundum naturæ intentionem recte habentem, ut deinde eo melius judicium de reliquis feramus, quæ præter & contra naturam illis accidunt.

§. VII.

Natura, cum totum hominem abſolviſſet, de ejus conſervatione ſollicita, inſtituit & machinata eſt nutritionis organa, continua ſerie inter ſe connexa, ceterum tam affabre facta, ut fateri cogamur, maxima opera eam in minimis, tantum non contemtu dignis olim viſis, moliri. Totus inteſtinorum canalis, inde ab œſophago uſque ad inteſtinum rectum, recipiendis, digerendis & elaborandis alimentis, tum quoque temperando & ſeparando ex illis chylo, fæculentis autem tempeſtive & blande educendis comparatus eſt, mirumque videtur, quam longa & magnitudinem hominis multoties excedentia inteſtina in concinnum ordinem redegerit, ne ſibi officerent. Ipſa ſtructura hæc eſt, ut variis tunicis conflata ſint, ex quibus exterius fibræ variæ, ad motum & tonum illis conciliandum, duplici ordine conſpiciuntur. Sunt enim aliæ ſecundum longitudinem excurrentes, aliæ vero ſpirales, unum continuum quaſi muſculum conſtituentes; quarum illæ videntur eo comparatæ, ut attollant & diducant latera inteſtinorum; hæ vero, ut deſcendens alimentum ſua contractione inſequantur & quaſi propellant,

lant, quem motum aſſimilare illi ſolemus, quem in lumbricis terreſtribus conſpicimus, a ſummo exorſum, in extremo corpore deſinentem. Sub illa fibroſa ſeu muſculari textura nervoſam aliam, ſed multis vaſorum varii generis exiliſſimis ramificationibus intertextam & intus multis villis conſitam tunicam conſpicimus, quam illud proprie peragere ſtatuimus, cujus cauſa inteſtina ipſa inſtituta ſunt. Adeoque motum inteſtinorum perpetuum ac propulſionem contentorum fibroſæ ſeu muſculari tunicæ; ſecretionem alteri, quam nerveam vocitant, acceptum referimus. Huic in officio ſuo variæ glandulæ ſuccurrunt, quæ omnis generis ſuccos, ab humorum reliqua maſſa ſequeſtratos, inteſtinis ſuppeditant, quibus aſſumpta elaborari, ad præbendum laudabilem & nutritioni aptum ſuccum, queant. Quæ cum copioſiſſimæ inde a pyloro, in duodeni principio, inter muſculoſam & glanduloſam tunicas, ab Illuſtri BRUNNERO detectæ, ab eoque pancreatis ſecundarii nomine deſignatæ ſunt; tum ab Excell. PEYERO aliæ racematim conjunctæ, præcipue autem in ileo inteſtino, circa coli confinia, demonſtrantur, de quorum uſu uterque præclariſſime commentati ſunt.

§. VIII.

Quamdiu itaque & fibræ ad periſtalticum inteſtinorum motum recte concurrunt, & per interiorem villoſamque tunicam ſecretio recte procedit, glandulæque ſuccos ſecernunt, quales conveniunt: tamdiu viget magnum illud animalis nutritionis negotium. E contrario autem omnia accidunt, ſi ſecus hæc habeant, & vel inteſtinis tonus deficiat, vel glandulæ non affundant quod ſatis eſt, vel quod decet, aut ipſa exterius allata corpora viam obſtruant motuſque depravent, aut alia quævis cauſa ordinatiſſimum negotium interturbet. Sed de his, quantum ad noſtrum morbum facere videtur, nunc ſeorſim debemus diſſerere.

§. IX.

Ejus itaque, quod in paſſione iliaca præcipuum jure cenſetur & quaſi eſſentiale, puta motus periſtaltici, ex naturæ ordine inferius vergentis, perverſionis, quam tot moleſta ſymptomata concomitantur & cum ipſa morte plerumque inſequuntur, cauſa & origo, inquirentibus non una ſe offert. In quarum recenſione initium faciam ab obſtructionibus inteſtinorum pertinacioribus. Hæc ipſa, ut a diverſis rationibus exiſtere poteſt ita diverſiſſima hinc ſunt, quæ iliacæ paſſioni leguntur occaſionem dediſſe. Incipiemus a familiariſſimo exemplo, ubi videmus ex diætæ vitiis homines alvum ſicciorem ſibi reddere. Qui enim ſedentariæ vitæ dediti ſunt, forte etiam mœrore aut aliis cauſis debilitatem ventriculi contraxerunt, ſi plurima ſicciora per os aſſumunt, nec ſatis multo potu diluunt: illi perquam facile obſtructiones incurrere ſolent. Ita WELSCHIUS *Dec.* 7. *cur. V. p.* 404. nobis feminam commemorat, quæ frequenti panis ſicci eſu in alvi conſtipationem incidit & menſium imminutionem, mox ſubſequente ileo: a quo non ſine multo labore erepta eſt. Sic exempla non deſunt eorum, qui ex ribium multo eſu, aut piris & pomis multum ingurgitatis hoc malum ſibi attraxerunt. Cum enim iſti fructus, præſertim non ſatis maturi & excocti, multum acerbi & adſtringentis ſucci habeant, prætereaque tota ſubſtantia ſua tales ſint, ut parum concoqui poſſint; ſed fere alvum modo tranſeant: imbecilliores facile ab iis læduntur, quod frequentiſſime ſubſequentes eorum eſum incommoditates ſatis teſtantur. Hinc fit ut debilitatus & a ſuo robore dejectus ventriculi & inteſtinorum canalis talia ſubigere nequeat; quare, ſibi relicta, inſita immaturi ſucci ſui natura, in inteſtina agunt, eaque vellicando ſpaſmos & tormina concitant, quo glandulæ inteſtinales irritatæ & compreſſæ, ſuccum exſudant, quo copioſe profluente non raro materia noxia, exorta diarrhœa, profluit magno corporis emolumento. Quod ſi ſecus fiat & vel nimia ingurgitatorum ſit auſteritas, glandularum ipſarum orificia contrahens, vel moles nimia & in unum acervum compulſa ſubſiſtat & conſtrictionem debitam inteſtinorum tollat; pertinaces inde obſtructiones & indurationes exoriuntur. Res non caret exemplis ab auctoribus in commentaria relatis. Sic in *M. N. C. dec. III. ann. IV. obſ.* 95. de femina refertur, quæ ex nimio ribium eſſe, quum annos LXII. haberet, hunc morbum incurrit. Idem virgini accidiſſe ex pyrorum eſu *Obſervatione* 96. *l. c.* legitur. HARDERUS *in Apiario obſ.* 65. enarrat de puero generoſiori potui adſueto, qui furtim ſibi comparata complura poma ſimul ac ſemel devoravit, indeque, poſt varia & atrocia ſymptomata iliaca, demortuus eſt, in cujus diſſecto cadavere inteſtina flatibus inſigniter diſtenta, & ileum, eo loco ubi glandulæ copioſiores ſunt, gangræna penitus infectum, videbantur. Taceo illos, qui a caſtanearum aut avellanarum eſu multo eadem incommoda incurriſſe leguntur.

§. X.

Huc accedit, quod jam laudatus WELSCHIUS *l. c.* annotat ab rebus valde exſiccantibus & conſtringentibus malum hoc excitari, cujus generis recenſet gypſum & lithargyrium, quorum noxæ ſunt notiſſimæ, & pro ea copia, qua in corpus aſſumta ſunt, non unius generis læſiones, ſed vel lentius vel vehementius & acutius affligentes, corpori humano afferunt. Sed non ſolum externe in corpus aſſumtorum culpa fieri hanc poſſe & ſolere conſtrictionem, vero videtur admodum ſimile PEYERO *in tract. de glandulis inteſtinor. Part. II. cap.* 9. ita ſcribenti: Quemadmodum remoræ deſcenſu contenta (inteſtinorum) prohibentes variæ eſſe poſſunt: ita non prorſus alienum a ratione eſſe arbitror aſſerere ſerum in plexibus inteſtinorum glanduloſis aliquando, craſi ejus vitiata, indolem auſteram, adſtringentem, atque tincturæ aut extracto gallarum æmulam ſortiri, adeo ut forte manipulus fibrarum inde perculſus aut imbutus, facta pertinaci conſtrictione, neque excrementis neque flatibus tranſitum largiatur.

§. XI.

Quod de lithargyrio ante dixi, & ad omnem proſapiam ſaturninorum maxime pertinet, id unica obſervatione medica comprobare non incommodum fuerit, quippe caſus & recens eſt, & commemoratione digniſſimus. Quidam juvenis, medicinæ ſtudio deditus, incommodum crebrarum pollutionum nocturnarum, ex quibus periculum ſibi metuebat, depellere a ſuo corpore cupiens, conſilium cepit ſaturni ſaccharo, ſatis magna in copia adhibito, ſibi conſulere. Ex ejus uſu in pertinaciſſimam alvi adſtrictionem incidit, ut per integros quatuordecim dies nec alvum deponeret, nec flatus emittere poſſet, jamque ilei manifeſta ſigna vitæque amittendæ periculum ſummum adeſſet, cui tamen celeberrimorum virorum & in arte exercitatiſſimorum, quos eoſdem ut præceptores & fautores perpetuum veneror, ope, conſilio & auxilio tum eripiebatur, quamvis, ut ſaturni vim inimicam agnoſcamus, non longo poſt tempore vivis exemtus eſt. Ne vero ſaturnina, ut pote valde exſiccantia & adſtringentia, tantum formidanda exiſtimemus, ſed benigniora etiam magnas calamitates inferre agnoſcamus, ſi ad excretiones ſpontaneas cohibendas intempeſtive dentur; his ex FERNELII *Patholog.*

thol. lib. VI. cap. 9. breviter caſum ſeptennis puellæ annectam, cui mulierculæ, ad indolentem ſed diuturniorem paululum diarrhœam compeſcendam, cydoniarum larga manu dederant. Siſtitur fluxus ſed tumor hydropem mentiens & diri cruciatus preſſo pede ſubſequuntur, tandemque, incaſſum adhibitis remediis, ileo ſuccumbit. Apertum cadaver morbi ſedem indicavit, cœcum enim inteſtinum adeo, obhæreſcente & interiorem ductum obturante cydoniato, conſtrictum ſe obtulit, ut fæcibus viam non invenientibus, novum ſibi foramen, paullo ſupra obſtructionis locum, fecerint, unde in abdominis cavitatem effluerent.

§. XII.

Obſtructionis pertinacioris cauſa porro exiſtunt aliena & ſolidiora corpora in inteſtinis deliteſcentia, quando alicubi conſiſtunt & ulterius progredi nequeunt. Non curioſum minus, quam notabile exemplum eſt, quod nobis in hanc rem ſuggerunt *A. N. C. Centur. II. obſ.* 154. de quodam natione Turca, qui in obſidione Budæ, quum extrema urbi inſtarent, quicquid habebat auri, deglutivit. Captus is a noſtris Germaniæ infertur, ibique ruſticam vitam, amplexus noſtram religionem, egit. Hic pertinaci prius alvi ſtrictura cum torminibus graviſſimis, tandem reliquis ilei ſymptomatibus, corripitur, quibus per ſedecim integros dies divexatus eſt. Ultimo demum die advocatus Medicus, opis quidem nihil adferre potuit, teſtis tamen & ſpectator fuit cauſæ morbi haud ſane vulgaris, viam ipſa defuncti uxore, domeſtico cultro, nec parva aviditate, parante. Audiverat enim a viro qualem theſaurum in corpore gereret; invenit vero aureos nummos octo & quadraginta circa finem ilei inteſtini hærentes, ex quibus aliquot ſatis dura calculoſa materia obſeſſi, reliqui vero craſſo muco & tenaci impacti, tam arcte inteſtinum obturabant, ut vix limpida aqua tranſitum invenire poſſet.

§. XIII.

Alienis corporibus jure accenſendi videntur lumbrici; quorum familiæ ſatis ſæpe numeroſæ in iliaca paſſione decumbentibus inventæ ſunt. Verum, cum non clarum ſatis ſit utrum obſtruendo inteſtina malum producant potius, quam aliunde productum irritando augeant, inferius eorum mentionem faciemus. Nunc ex Bonetti *Sepulchreto Tom. II. pag.* 233. exhibebo mulierem quandam, quæ per XXX. annos dolores quaſi hyſtericos perpeſſa, tandem ileo exſtincta eſt. In hac anatome detexit magnam veſicam recto inteſtino adnatam, pinguedine, oſſibus, & capillorum grandi cirro impletam, quibus inteſtinum adeo compreſſum fuit, ut nihil ſineret excrementorum perfluere. Huic non diſſimilis eſt, qui ſtatim ſubſequitur caſus, & in eodem inteſtino ilei mortiſque cauſam demonſtrat. Nempe per quindecim dies aliquis nihil dejecerat, & inter ſtercoreos vomitus deceſſerat: in hoc membraneus circulus, a proximo peritonæi proceſſu exortus & reduplicatum inteſtinum inveniebantur.

§. XIV.

Aliena corpora, vel in inteſtinis enata vel illis adnata, nos ab obſtructione ſenſim ad compreſſionem ac coarctationem eorum deduxerunt; quare commodum videtur hic de herniis mentionem injicere, quum illæ nimis ſæpe homines tam miſero morbo plectere ſoleant. Nimirum herniæ fiunt & hunc morbum ingenerant, quum inteſtini portio intra proceſſus peritonæi impellitur, ubi illi in viris ad ſcrotum abeunt, in fœminis uteri ligamenta rotunda penetrant. Anatomicorum libri nos docent, hos proceſſus, dum muſculos abdominis perforant & tranſeunt, certis quaſi annulis aut gradibus hanc facere penetrationem, ita ut, cum unum muſculum perforarunt, intra eum & ſequentem aliquantulum progrediantur, ante quam alterum, pro ulteriori itinere, tranſeant, quod a natura comparatum ideo videtur, ut eo minus prompte aliquid ad ſcrotum vel inguinalem regionem extra abdominis cavitatem erumpat. Idem vero, ſi aliqua violentia fiat ut eo inteſtinorum aliqua pars illabatur, efficit ut majori cum difficultate priſtinum locum repetat, muſculis in poſ[illegible]is comprimentibus & retinentibus. Majus autem ſæpe eſt incommodum metuendum, quo minor facta eſt, ut inteſtina commodius ibi deliteſcant, fieri poteſt ut ibi tranſitus fæcum per ſatis longum tempus nihil impediatur, promteque ſuccedat, ut multos homines videmus quorum ſcroto mira quantitas eorum impacta eſt, qui de reliquo ſatis diu immunes ab hoc malo vivunt. In fœminis res eſt eo majoris periculi, quum & abdominis muſculorum majus ſit robur, & proceſſus anguſtiores; quare exempla earum proſtant in quarum inguine vix fabam æquans tumor tactu deprehenſus eſt, & tamen in ſæviſſimam iliacam paſſionem inciderunt. Nec vero ſolum illæ herniarum ſpecies, ubi inteſtina ad inguina vel ſcrotum deſcendunt, hic intelligendæ ſunt, ſed multæ obſervationes, immo rationis etiam convenientia, evincunt, omphalocelen habentibus idem contingere.

§. XV.

Mirum autem eſt quantum hic, præſertim in fœminis, gravior iracundia aut mœror aut vehemens terror faciat, ad ſubito provocandum hunc affectum in hominibus hernia ante jam affectis, & de reliquo nihil gravioris incommodi ab ea perpeſſis. Multa in hanc rem adducere exempla vetat id ſtudium, quo prolixiorem tractationem evitamus, unicum tamen, quod Excellentiſſimi Dom. Præsidis communicationi debemus, referre liceat. Erat nutrix, in iracundiam alias prona, &, quæ tumorem in inguine exiguum ante quidem notaverat, ſed præ pudore, aut quod malum inde non metueret, medicinam afferre diſtulerat. Aliquando ſubita percellitur iracundia, mox in tormina & miſerandos cruciatus conjicitur, quos non tardo gradu vomitus inſequuntur. Diſſimulat illa inguinis vitium, de reliquo clyſteribus, aliiſque ſed fruſtra, adverſus morbum depugnatur. Funeſta ſigna prodeunt, ſero profitetur herniam & Chirurgum admittit; ſed deſperata jam omnia in ſphacelum abibant, tota circumjacente regione ab eodem correpta. Non diſſimile multum eſt quod *in hiſtoria morborum Vratislavienſium* 1707. *pag.* 90. de fœmina omphalocele laborante refertur, ubi pariter res ad mortem devenit, fruſtra Medicis renitentibus. Feliciores illæ fuerunt de quibus Welschius *Hecatoſt.* II. *obſ.* 33. *p.* 19. *& M. N. C. Dec. II. A. I. obſ.* 118. referunt, quarum illa omphalocele, hæc, nuper puerpera, umbilicali & inguinali hernia ſimul laborabat, utraque autem ab malo ileo feliciter liberatæ ſunt. Plura apud ſcriptores, præſertim Bonetum *in ſepulchreto*, videbis eorum exempla qui cum hernia ileo laborarunt.

§. XVI.

Non immerito hic quæſtio incidit de excrementis per ora regurgitantibus in hominibus hernioſis, utrum ea ex craſſis adſcenderint? nec non de injectis clyſteribus, quorum odorem & conſiſtentiam non raro per vomitum expulſa referunt. Ratio dubitandi eſt, quod videatur, niſi repoſito inteſtino, quicquam non

non poſſe penetrare. Verum conſiderantibus & ante exortum ilei morbum fæces liquidiores promte per illam etiam incarcerationem deſcendiſſe; apparebit & nunc, inverſo inteſtinorum motu, adpulſum clyſterem, utpote liquidiorem & fluxilem, ex parte poſſe penetrare & ſurſum rapi; quantumvis id craſſioribus fæcibus, infra incarcerationem & coarctationem conſtitutis, non proinde tribuendum eſſe videatur.

§. XVII.

Sed alia multa reſtant, ad quæ nos conferre debemus. Sectiones nempe ileo exſtinctorum, a graviſſimis Medicis factæ, nobis inteſtinorum mutuos ingreſſus, ſeu, ut vocant intusſuſceptiones narrant, itemque convolutiones & contortuplicationes, veluti ſolent eſſe panni a lotricibus convoluti. Si eas unus GUIDO PATINUS in dubium revocaſſet, quoniam ipſi non licuit oculis ejuſmodi quid uſurpare, parum moverer illius negatione, quoniam, quod ipſi non vidimus, propterea multis aliis teſtibus non eſt deroganda fides: ſed KERCKRINGIUS, anatomes clariſſima luce alias ſedulo uſus, eas imaginarias vocans, eo magis admiratione dignus videtur. Putat autem illam fieri non poſſe ſine inteſtini a meſenterio dilaceratione, hanc autem neceſſario ſecum allaturam ſanguinis magnam profuſionem, cujus tamen nulli meminerint. Sed clariſſimi viri argumenta non ſufficiunt ad eludendam tot teſtium conſenſu nixam veritatem. Negamus enim dilacerationem illam, adeoque ſanguinis etiam profuſionem, eſſe neceſſariam; & cum eodem loco profiteatur unum ſe modo ſecuiſſe ileo mortuum, in quo nihil tale deprehendit: eodem ipſo nihil efficit. Nec ad LAZARI RIVERII obſervationem labefactandam adjectæ ab iſto conjecturæ ſufficiunt, poteſt enim ſecus res habuiſſe, & ſufficiens accurataque diligentia adhibita fuiſſe. Et, ſi bonus RIVERIUS hic dormitaſſet, an propterea omnes reliqui ſtertuerunt, qui tanto conſenſu illas ſubingreſſiones & convolutiones, tamquam viſas, deſcripſerunt?

§. XVIII.

Sed potius quid ſint illæ, & quomodo inducantur, & quid inducant? conſideremus, & ſimul teſtimoniis interjectis omnem hanc rem conficiamus. Utar autem hic verbis Clariſſimi PEYERI qui, loco jam ſupra citato, ſectionem a ſe, præſentibus pluribus, in fœmina volvulo exſtincta, factam recenſet: *patefacto abdomine*, inquit, *ileum alicubi plane conſtrictum atque veluti injecto laqueo ſtrangulatum, vidimus; nimirum portio ejus quatuor digitos tranſverſos longa, plurimum vero contracta ac anguſtata, intra proximæ portionis ſuperioris cavitatem prorſus abſcondita latebat*, hacque ſua facie ac figura veram ejuſmodi ſuſceptionem aut ingreſſum, qualis a clariſſimo FR. DE LE BOE SYLVIO *prax. med. lib. I. cap. XV.* deſcribitur, repræſentare videbatur. Eaſdem óculis ſuis, præſentibus nobiliſſimis Medicis HARDERO, BRUNNERO, aliiſque in puella ſimili morbo exſtincta tribus diſtinctis locis, per intervalla notabilia factas, obſervavit. Fiunt autem ejuſmodi ſuſceptiones non uno modo; quippe aliæ ſunt ubi inferior pars in ſuperiorem ingreditur, aliæ rurſus ubi ſuperior inferiorem ſubintrat, nec raro etiam utriuſque generis in eodem ſubjecto accidiſſe deprehenſum eſt. Modum, quo generentur, toties laudati PEYERI experimentum in ranis captum adumbrat. Sic autem ſcribit: torminum geneſin atque modum, quo inteſtina coarctata ſe mutuo ſuſcipiunt---ranæ jucundo atque utili experimento oculis noſtris exhibuerunt. Etenim inteſtina vivente amphibio laceſſita, in diverſis locis pertinaciſſime mox ſe conſtringebant, contentis violenter ſurſum deorſumque, qua data porta, protruſis, atque hinc inde in cumulos quaſi congeſtis. Inde quædam inteſtini portiones valde impletæ ac turgidæ, aliæ prorſus inanes ac arctiſſime clauſæ perſtiterunt, donec, ſoluta fibrarum ſtrictura, meatus liberior redderetur. Inteſtinis autem hinc inde conſtringentibus, &, ſive chylum ſive fæces ſurſum deorſumve projicientibus, factum, ut inteſtini partes quædam alicubi plus debito ampliarentur: hæ ita ampliatæ ac in ſacci morem dilatatæ, intra ſe receperunt conſtrictas ejuſdem inteſtini alias portiones vicinas, eaſque ſinu ſuo abſconditas, aliquamdiu detinuerunt, donec fibris ſe denuo exporrigentibus, inteſtini pars una e latibulo alterius, velut e dormuncula limax, in propatulum, priſtinamque ſedem, rediret.

§. XIX.

Talem vero ingreſſum puto maximi non ſolum doloris cauſam eſſe, ſed præcipue inflammationis, quæ, compreſſis ita & conſtrictis vaſis ſanguineis, una cum meſenterii eas deducentis portione, neceſſario exoriri debet, præſertim tanta ſimul humorum exagitatione exiſtente, qualem in ſpaſmodicis ejuſmodi truculentis agitationibus omnino fieri debere ratio dictitat. Res non caret exemplis, ubi ſphacelatas ejuſmodi partes ſectiones poſt mortem factæ detexerunt. In notis PEYERI *de glandulis tractatui* ſive a CLERICO ſive MANGETO, clariſſimis viris, *in Bibliotheca anatomica illorum ſtudio edita*, *ſubjectis*, *pag.* 128. ſectio juvenis 32. annorum proponitur, qui ſubinde colica vexatus, tandem ileo exſtinctus eſt: in hoc, præter alia, in colo deprehenderunt hujus portionem, duabus circiter ſpithamis ab recto inteſtino diſtantem, octo uncias longam, nigerrimam, ponderoſam, inteſtini portionem proximam inferiorem ad quatuor digitos ſubeuntem. Diſſecti inteſtini paries pollicem craſſitie æquabat & materia ſteatomati ſimili infarciebatur, adeo, ut relicta cavitas vix digiti minimi apicem admitteret. HILDANUS in puero ex hoc morbo demortuo invenit inteſtinum cœcum contractum in inteſtinum ileum ſe inſinuaſſe, idque oppleviſſe, adeo, ut nihil ex ſuperioribus inteſtinis ad colum permeare poſſet. Fiſſo ileo & exemto cœco id ubique inflammatum & tumens invenit, cum ſcirrho, aut potius exulcerato cancro, in cœci fundo latitante. Idem ſe ſcribit in omnibus, quos præter hunc diſſecuit, deprehendiſſe, nempe, cœcum ſubiiſſe ileum & inde gangrænam ac ſphacelum & inteſtina, & cum illis vicinas partes corrupiſſe.

§. XX.

Hactenus de ſubingreſſu inteſtinorum: paucis nunc etiam de complicatione & contorſione reſtat dicendum, non minus gravi & funeſto phænomeno. Imprimis notari meretur ille caſus quem LAZARUS RIVERIUS *Cent. III. obſ.* 26. multis verbis exponit, ubi, in diſſecto cadavere, ileum in fine ſuo, tribus complicationibus convolutum & quaſi compactum in unam maſſam, deprehendit, quæ tota ſic convoluta portio gangræna affecta erat, una cum meſenterii proxima parte: reliqua inteſtina ampliſſima erant, & flatibus mire diſtenſa. Inteſtinum ſupra complicationem, ubi ſphacelo corruptum erat, perforatum, fæces in pelvim abdominis profuderat, ubi mora ſua inteſtinum rectum eroſerant, ut inde liquida ante mortem ſponte profluerent. PANAROLUS autem, apud BONETUM citatus, obſervaſſe ſe teſtatur inteſtina aliquando ſic connecti, tamquam funis madefactus, qui poſtmodum convolvitur.

§. XXI.

§. XXI.

Porro cauſam præbuiſſe ileo inventum ſuit, quicquid ad valde irritanda inteſtina ullo modo conferre poteſt. PROSPER ALPINUS *de medic. methodica p.* 313. de Melchiore Guilandino refert, quod e colico dolore, a devoratis catapotiis ex hiera ad ſemunciam, in ileon, quo exſtinctus eſt, inciderit. De lumbricis magna copia in inteſtinis ſtabulantibus vix dubitare licet eoſdem, vel cibi penuria vel medicamenti ipſis oppoſiti, debilioris vero, quam ut enecare eos queat, virtute exagitari ſæpius ut inteſtina morſu aut ſuctu feriant, vehementeſque dolores torminaque excitent, unde ad iliacam paſſionem progreſſus fieri eo magis poteſt, ſi aliæ cauſæ ad eundem effectum procudendum præſto ſint. Teſtantur tot obſervationes diverſorum auctorum, vel ipſis excrementis per os prodeuntibus vermes fuiſſe intermixtos, vel in diſſectis cadaveribus incredibilem eorum copiam oculis ſe obtuliſſe. PLATERUS puerum hydrope exſtinctum ſecuit, in quo, præter intorta & implexa inteſtina, tanta flatuum copia erat, ut, levi tactus compreſſione diſrupta, adſtantium ora ſtercoribus conſpergerent: (quod etiam HENRICO AB HEER aliquando accidit *ut obſerv. 2. pag. m.* 36. legitur) ſed & vermibus vivis oblongis quam plurimis ſcatebant inteſtina, qui rurſum aliis minoribus referti illos motus inæquales effecerant. Idem HENRICUS AB HEER puellam ſecuit ab epilepſia ileoſam factam, quæ, cum excremento, vermes evomuit, in cujus ileo inteſtino, circa ejus finem, quinque complicationes invenit, quarum aliæ inferne ſurſum repebant, aliæ ſuperne deorſum complicabantur. vide *obſ.* 24. *p. m.* 214. *In Miſc. N. C. Dec. II. ann. V. obſ.* 19. de femina XXX. annorum refertur, quæ ileo correpta cum fæce liquida evomuit ſexdecim lumbricos teretes robuſtiſſimos, & animam ſub frigido ſudore efflavit. In medio inteſtini ilei membranæ cuculli ad inſtar extenſæ videbantur, & foramen groſſi magnitudine, tenuiſſima membranula exterius tectum: utrinque vero inteſtinum unius digiti longitudine, duodenum vero duorum tranſverſorum latitudine nigrum & gangræna corruptum viſebatur.

§. XXII.

Flatuum incarceratorum copiam inſignem & viſcerum inflammationem in omnibus ferme ex ileo defunctis inveniri fateor: verum tamen dubito utrum per ſe hujus morbi cauſa extiterint, an vero pro gravibus potius accidentibus morbi haberi debeant. Sed exulceratio cancroſa, quam HILDANUS ſupra citato exemplo & PETR. SALIUS DIVERSUS apud BONETUM nobis referunt, ut & meſenterii abſceſſus prope inteſtinum, quem alii notarunt, magis videtur valere ad illud malum inducendum. Verum nos nimis jam videmur diu cauſſis morbi exponendis immorati, quare tempus eſt reliqua exſequi & ad ea progredi, quæ de curatione hujus morbi dicenda reſtant.

§. XXIII.

Eam autem aggreſſurus, ſciat cum ancipite & difficili rem ſe habere morbo, ubi juvandi occaſio præceps eſt, opinioneque citius elabitur. Et, quoniam cauſarum morbi cognitio, quid Medico faciendum ſit, indicat: opera imprimis danda eſt, ut, quænam ex antedictis vera cauſa adſit, cognoſcamus. Affectus vehementes aliis ſe cauſis aſſociantes, malum valde periculoſum reddere ſolent, quare de his inquirere Medicum oportet; ſi quos præceſſiſſe violentiores comperiat, præſagio ſe imprimis muniat, pauci enim ſunt qui mortem evadunt, quando ab gravi iracundia, ſubito & magno terrore, aut mœrore profundius affligente in iliacam paſſionem delabuntur. Exemplum fœminæ, cui gravius mœrenti etiam pavor nocturnus acciderat, ex morborum Wratiſlavienſ. hiſtoria, alterumque nutricis, gravi iracundia percitæ, quarum utraque, ut ſupra retulimus, mortua eſt, rem confirmant. His addere poſſumus ex TULPII *obſerv. lib. II. cap.* 41. aliud fœminæ, ex iracundia anxietates, gutturis dolores, biliſque æruginoſos vomitus incurrentis, tandemque inter ſtercora animam evomentis. Ex mœrore autem fœminam honeſtiſſimam, cognatione mihi junctam, quæ inguinali hernia ſimul laborabat, in ileon incidiſſe, quo ad necem quoque rapta eſt; aliumque honeſtiſſimum & doctiſſimum virum, profeſſione Medicum, ex ſimili cauſa, eodem morbo abreptum eſſe, ipſe vidi. Et quoniam ad hanc, de prædicendo morbi eventu, conſiderationem devenimus, alia etiam proſequamur eo facientia. Si vehementia tormina ſimul ac ſemel ceſſaverint, ſine manifeſta craſſiorum fæcum excretione & reliquis euphoriæ ſignis ex pulſu, hilaritate & viribus petendis, res deſperata eſt, ægrotus ad patres abibit. Sudor frigidus malæ eſt notæ & deſperatam inflammationem deſignat, docente TULPIO *c.* 1. Spontaneus etiam alvi fluxus, aut acuta febris ſuperveniens, brevi moriturum ægrum denotat, auctore BAGLIVO *prax. med. lib. I. cap. XIII.* §. *VI.* Si ileo ſupervenerint urinæ ſuppreſſio, ſtranguria, ſingultus, ventris major inflatio aut convulſiones, malum erit lethale, ut, idem eodem loco, addocet. Quod autem GALENUS aſſeruit neminem ſalvari, cui materiæ fæculentæ vomitus ſupervenerit, id contraria experientia jam labefactavit. Salutis autem ſignum certiſſimum eſt, docente LAZARO RIVERIO *in praxi lib. X. cap.* 2. ſi ſymptomata remittant & medicamenta vel alimenta, ore aſſumta, per inferiora deſcendant.

§. XXIV.

Si cauſam morbi deteximus, obſcurum amplius eſſe nequit, quorſum curatio ipſa intendi debeat. Si enim obſtructio gravior eum invexerit; malum ipſum non tollit, niſi qui progreſſum alvinarum ſordium reddiderit liberum. Valde autem hic caute agendum erit, nec oportebit rem validis catharticis aggredi, quibus nihil efficietur aliud, quam ut omnia in pejus & præceps abeant. Quum enim Medici fere tum demum ad auxilium vocentur, ubi jam vires morbus ſumſit; tunc autem ſpaſmi & criſpaturæ vehementes fibrarum furere jam ſoleant: nihil magis conducet, quam quod humectando & demulcendo agit. Quare omnino probanda videntur quæ ex leniſſimis laxantibus, ut manna & amygdalarum dulcium recenti oleo, propinantur. Clyſteres etiam ex oleo eodem vel lini injectos, aut ſecundum CÆLIUM AURELIANUM *ac. paſſ. lib. III. cap.* 17. oleum cum æquali portione aquæ dulcis & ibiſci radicibus ad humiditatis conſumtionem coctum, ut olei pinguior natura mucilagine radicis temperetur. MATTHÆUS DE GRADIS puellam 12. annorum iliaca paſſione tam vehementer laborantem, ut non ſolum clyſteres ſed & ſuppoſitoria oblonga aliquoties vomitu rejiceret, juſculis pinguioribus reſtituit. Singularis vehementia motus inverſi in hac ægra eluxit, quippe ſuppoſitorium filo femori alligatum, perrupto vinculo, ad ſuperiora traxit, & alterum, quatuor filis munitum, his quoque diſruptis, per os rejecit. Novum igitur intruſum eſt cautius annexum, mater autem manu ſua filum ſatis forte tenuit; verum, violentia motus conſiderata, maturius & ſenſim retraxit. Quod ideo hic referendum putavi, ut conſideretur, annon ipſa illa ſuppoſitorii jam longius immiſſi retractio ad com-

compeſcendum inverſum motum, forte etiam ad expediendas ſuſceptiones vel complicationes inteſtini, ſi quæ adfuerunt, multum profuerit, ut ſimili caſu in conſilium verti poſſit, quod hic caſu eveniſſe videtur. HIPPOCRATES *lib. III. de morbis §.* 15. jubet, ſi minus venter ſuppoſitoriis, quæ ex melle facta ſubdere ſuadet, obediat, follem fabrilem ano intrudere, flatumque immittere, quo & ventrem & inteſtini contractionem diſtendamus; extracto folle, clyſterem denique injicere: cui conſilio CÆLIUS AURELIANUS quidem contradicit, ZACUTUS autem & AMATUS LUSITANI ſuo calculo & experientia idem approbant, citante Excell. D. D. PETRI AB HARTENFELS *in diſſert. de Volvulo.* Præter clyſteres non incommodum videtur aliqua leniora, quæ tormina demulceant, adhibere. Nitrum hic præcipue ſe commendat, quod ipſis etiam clyſteribus immixtum ſe egregie gerit. Externo uſu egregiam opem affert, ſi abdomini omentum calidum, aut inteſtina etiam calentia, recentiſſime ex animalis ſani & vegeti abdomine exemta, iterum iterumque applicemus, quod remedii genus AMATO LUSITANO in omnibus torminoſis affectibus in uſu fuiſſe video ex *Curat. medic. cent. VI. curat.* 2. nec vanum aut fruſtraneum eſſe in deſideratiſſima matre mea, hoc affectu non ſemel ſed ſæpius mire vexata, expertus ſum.

§. XXV.

Ubi hernia malum excitavit, de ejus repoſitione quantocyus cogitandum eſt, nihilque omittendum ut ea feliciter ſuccedat. Multum hic in eo ſitum eſt, ut malo tempus nullum concedatur. Pars affecta fotibus emollientibus tractanda, peritaque manu repoſitio adjuvanda eſt; cultro etiam via paranda, ſi id circumſtantiæ ſuadeant. Sed de hoc adeundi ſunt Chirurgi, qui ſedulo hoc docent, præſertim MECKREN *obſ. chirurg. cap.* 45.46. Cæterum remedia jam laudata hic quoque tempeſtive in uſum vocanda ſunt, balneum etiam non ſine fructu adhibetur. Emplaſtrum magneticum B. F. HOFFMANNI ad revocanda inteſtina ex ſcroto vel inguine, *in* ejus *methodo medendi* commemoratur ſpectatæ virtutis, cujus deſcriptio in *Clavi Schroederiana* reperitur.

§. XXVI.

Si hernia abſit & ex torminum prægreſſorum vehementia & fixiori ſede de ingreſſu ſeu ſuſceptione inteſtinorum juſta ſuſpicio mentem ſubeat, in tempore deveniatur ad mercurii vivi exhibitionem, qui per corium depurandus eſt. Nec formidanda eſt major quantitas, ut citius pondere ſuo deſcendat & vel impactis ſordibus viam præparet, vel implicationes & contorſiones expediat. In obſervationibus RIVERIO communicatis *p. m.* 664. alius exhibendi modus legitur, unica ejus uncia cum ſulphure in pulverem redacta, qui globulo cereo incluſus ab ægro devoratus eſt, & ſaluti fuit. Cujus quidem rationis præ vulgari & ſimpliciori prærogativas non perſpicio. WELSCHIUS *obſerv. dec. VII. curat.* 5. curavit fœminam bis exhibitis hydrargyri, per corium trajecti, tribus unciis, cum unica uncia & ſemiſſe olei amygdalini. Taceo alia exempla paſſim obvia, apud nobiliſſimos auctores, quorum nonnulli altius in doſi uſque ad libram unam & plures adſcendiſſe leguntur. Sed & alia hic ratio eſt, non minus multis ſucceſſibus ſatis commendata. Nempe globulos ex plumbo, vel, ut aliis magis placet, ex antimonii regulo, torno lævigatos, jubent deglutire, quod ſua experientia idem WELSCHIUS *hecatoſt. II. obſ.* 33. *p.* 19. confirmat, ſimulque monet in pondere globulis detrahendo ne ſimus nimis officioſi; unciam aut ſaltem unciæ dimidium pendere globulum debere, ſi quid ſalutis velimus exſpectare. Verum hæc tum demum prodeſſe poſſunt, ſi adhibeantur mature. Ubi enim ad confirmatiorem inflammationem aut ſphacelum res devenit, fruſtra effectum ſalutarem exſpectabis, cum potius corrupta jam inteſtina perrumpat. Quem metum haud vanum eſſe ex obſervatione METZGERI apud Cl. KOENIGIUM *in regn. minerali*, videre licet. Is enim hominem ſecuit Patavii, ex ileo cum inflammatione laborantem, cui Medicus, tempora non rite obſervans, mercurium vivum præbuit, a quo exhibito inter miſerrimos cruciatus animam reddidit. In cadavere aperto ileon in fine, ad palmæ longitudinem, perruptum viſebatur. Poſt datum mercurium erectus ægri poſitus, &, ſi vires ſinant, corporis motio egregie proſunt.

§. XXVII.

Praxagoras, apud CÆLIUM AURELIANUM, protervam chirurgiam invenit, dum ventrem pubetenus dividendum etiam inteſtinum rectum atque detracto ſtercore conſuendum ſuaſit: quod quidem nemo ſanus approbaverit. Sed aliam, eamque rationi non prorſus contrariam ſuſcipere ſuadet BARBETTE, ut, aperto abdomine, manuum ope complicationes & ingreſſus explicentur & expediantur, deinde gaſtroraphia inſtituta vulnus conſolidetur. Nec exemplum deeſt, quod BONETUS *in ſepulchreto Tom.* 2. *pag.* 228. refert de quadam Baroniſſa a Lanti, cui ileo laboranti Chirurgus juvenis, caſtra diu ſequutus, ſe obtulit. Impetrata venia abdomen reſecandi multis eductis & evolutis inteſtinis, antequam convolutio & contortuplicatio appareret; eam nactus explicat & nodos diſſolvit, poſtmodum ſedi reſtituit. Hinc, gaſtroraphia facta, vulnus feliciſſimo ſucceſſu conſolidavit, integræque valetudini Nobilem reſtituit, quæ ſoſpitali ſuo ſtipendium annuum conſtituit. Oportebit ſane eum, qui aggredi talem curationem magno animo conſtituerit, certum eſſe de abſentia magnæ inflammationis, adeoque ipſam operationem diu non differre.

§. XXVIII.

Dicendum etiam de vehementibus irritationibus, a quibus morbus excitatur. Incumbendum omnino Medico ut dolorum ferociam convenientibus remediis mitiget, ubi quidem opiata cautiſſime propinanda ſunt, quæ ſub morbi initiis, ubi nondum nimis profunde inſedit, operam aliquam præſtabunt. Sic ab Illuſtri WEDELIO in *M. N. C. Dec. I. ann.* 2. *obſ.* 238. Studioſi, hernia inguinali, & ruſtici, enterocele laborantium, exempla commemorantur, ubi laudani opiati duo grana ſalutari effectu hoc data ſunt, ut vomitus ac ſingultus ſubſiſterent, tempuſque reliquis evacuando perficiendis concederetur. Excell. Dom. PRÆSIDIS liquor anodynus in torminibus & doloribus colicis compeſcendis, ſingultuque contumaci ſedando, expertiſſimæ virtutis eſt, tutoque hic adhiberi poterit. Nec ſpiritus nitri dulcis contemnenda hic eſt medicina. Lumbricos vero, quos inter irritantia quoque retulimus, proprie nunc & ex profeſſo aggredi velle, intempeſtivum videtur, tempuſque potius exſpectandum, quo ſedatiora in corpore reliqua his eliminandis occaſionem ſuppeditent.

§. XXIX.

Si febris levior accidat, vel malo jam complicata ſit, ſub initio ejus venæ etiam ſectio proderit, alias vero, ſi demum acuta & ſphaceli comes emicet, negligenda videtur. Mixtura etiam ſimplex, vel

vel elixir proprietatis Paracelſi, quod ab HOEFERO ad præcavendam vel diſcutiendam inflammationem magnopere commendari video, non incommoda hic videntur. Potiones etiam, urgente ſiti ex aqua chærefolii, cardui benedicti & ſimilibus concinnari poterunt. Nitrum, quod inflammationem præcavet, jam commendavimus.

§. XXX.

Nec parum in eo ſitum eſt, ut regimine commodo ac diæta ſalubri ægrotus utatur. Calore nimio non divexandus eſt, quod omnes fere practici inculcant, nec ratione deſtitutum eſt. Ceterum abſtineat ſe æger ab cibo, quippe adeo tunc non utili, ut potius valde noceat, quum nec digeſtio in tanta motuum perverſitate locum habeat, nec egeſtio adſit. Potu autem calidæ multum levabitur, quare AVICENNA eum copioſum maxime laudat.

§. XXXI.

Neque illud omittendum, quod malum hoc, etiam ſemel & iterum expugnatum, frequenter redire ſoleat, præſertim iis, qui ex hernia illud incurrerunt. Nec ſolum id BALLONIO docenti & ægrotos, tanquam puerperas, ſollicita ſemper cura obſervandos monenti, credo: ſed ipſemet triſti exemplo in beate defuncta matre mea vidi, quæ toties totieſque in idem periculum relapſa, tandem etiam finem vitæ hoc fato attigit. Verum hæc mihi in præſentia ſufficere debent de miſerando hoc morbo: Summum autem numen ſupplex veneror, tum ut calamitatum noſtrarum omnium miſereatur, tum, etiam ut hunc meum, & reliquos conatus, in ægrotantium ſalutem & incolumitatem tendentes, plurimam utilitatem ſemper afferre jubeat.

DISSERTATIO MEDICA
DE
GENUINO ET SIMPLICISSIMO
DOLORIS PODAGRICI REMEDIO,

Primùm edita Anno 1697.

§. I.

NIHIL naturæ humanæ tam abominabile atque ærumnoſum, nihil tam difficile quam diuturnos & diros ſuſtinere dolores, quorum ſæpius tanta vis eſt, ut cum corpore mentem in functionibus ſuis diſturbent, ipſique non minimam intendant perniciem. Ex ſæviſſimis autem primas videtur tenere ille qui articulos torquet, propter quem memoriæ mandatum multos fuiſſe qui præ intolerantia filum vitæ ſibi præſciderunt. Quid autem vulgarius, quid Principes hujus mundi, divites & præcipuos viros magis affligere & vexare ſolet, quam dicti doloris ſævitia. Quanto conatu atque induſtria pro moleſtiſſimo hoc hoſpite avertendo quæſita & excogitata hactenus ſunt remedia. Tot ferme podagricorum proſtant arcana atque pharmaca, quot ſunt qui ex hoc morbo laborant individua, ut ingens ſubrepat tædium tantam remediorum ſylvam adverſus unum morbum recenſere. Equidem eſt Chemiatrorum contentio in hoc probanda, quod variis auxiliis ægrotantium faſtidia ſublevare fuerint anniſi; aſt niſi verum diſſimulare velimus, neutiquam reſpondent omnia huc uſque in medium producta expectationi, ſed pleraque inflant ſpem hominum, poſtea autem deſtituunt, adeo ut ægerrime ſaneſcant illi quorum artus ſemel occupavit dictus morbus. Cum autem mecum paulo exquiſitius expenderem geneſin & nativitatem hujus affectus, & quare tam pertinaciter remediorum vim eludat atque contemnat, deprehendi ſpem ſanationis, modo non penitus ſit conſummata, minime eſſe abjiciendam, ſed reſtare adhuc probatiſſimum idque ſimpliciſſimum remedium, & ob id a Medicorum filiis ipſiſque ægrotantibus, quorum ingenio minus arridet, repudiatum parvique æſtimatum. Id autem ut verbo me expediam & ſtatim in limine curioſorum expleam deſiderium, Phyſico-morale eſt, & temperantia vitæque ſobrietas nuncupatur. Hæc mea ſententia optima & tutiſſima medicatrix & præſervatrix hujus affectus eſt, hæc aſperitatem hujus morbi complurium exemplo non modo lenit & mitigat, verum & vincit planeque avertit, niſi res omnis ratione naturæ ægrotantis & vehementiæ morbi ſit conclamata. Placet autem paulo fuſius hæc omnia exquirere & in præſentia paulo accuratius determinare, in quo natura atque ingenium verſetur hujus morbi; quinam ortus ac cauſæ ejus ſint & a quibus foveatur ac ſuſtentetur; & quo pacto commendata hæc medicina proficere & omne fere punctum abſolvere queat. Deus T. O. M. ex alto aſſiſtat noſtris conatibus.

§. II.

Ut autem ſcopum noſtrum rite attingamus, & aſſertionis noſtræ veritas eo clarius eniteat res poſcere videtur paulo diſtinctius exponere, cujus naturæ indolis ac temperamenti potiſſimum ſint illi, & qua vitæ ratione utantur, quos dolor exercet podagricus. Primum autem huic morbo obnoxii ſunt maxime qui tenerioris complexionis, habitus corporis mollioris ac ſpongioſioris ſunt, juvenes, viri, ſucci pleni, temperamenti ſanguinei, vel ſanguineo-pituitoſi, hoc eſt qui copioſum & tenuem ſanguinem in parvis aſt innumeris vaſculis fovent. Ut plurimum

mum ſolent eſſe ingenio hilares & acuti, veneris appetentes & affectibus dediti, qui dulcibus delectantur nec laboribus gravioribus aſſueti. Unde volupe viventium morbus antiquitus etiam putatus hic morborum τυραννικώτατος eſt, diætæque plerumque vitioſæ proles: hinc plebeii, ruſtici & pauperes & qui duro labore membra exercent & victu ſimplici utuntur raro vel nunquam cum moleſtiſſimo hoc morbo conflictantur. Porro fœminæ, quia a luxu & libidine magis ſunt alienæ, nec diæta adeo ut viri abutuntur, a podagra ſunt immunes ipſo HIPPOCRATE teſte *lib. 6. Aph. 29.* niſi luxu etiam diffluant & ex imminuta menſtrua purgatione ſentina ſuperfluorum & corruptorum humorum anſam huic morbo præbeat. Eunuchi & pueri eodem HIPPOCRATE aſſentiente *lib. 6. Aph. 28. 30.* ex podagra non laborant, quoniam extra veneris uſum ſunt, ſed ſucci nativi plena omnia eorum vaſa ſunt. Dantur tamen exempla, licet pauca, ubi etiam pueri podagra afflicti fuerunt, ubi nimirum a Parentum ſemine illa nata fuit, & maxime cum lue venerea contaminati fuere. ETTMULLERUS in *oper. pag.* 648. refert, ſe nobilem curaſſe juvenem qui ab ineunte ætate ſæpius correptus fuit podagra, quoniam Parens ejus in ipſo paroxyſmo eum genuerat; ex podagricis enim juxta GALENUM & HIPPOCRATEM ipſaque experientia teſte fiunt podagrici. Quare ſcite dixit PLUTARCHUS: expedire ut ſtatim podagricorum filii curentur, ne fiant podagrici. Ulterius podagrici ſolent eſſe hypochondriaci, nephritici & qui ex ventriculi imbecillitate viriumque debilitate laborant; unde quæcunque naturæ vires frangere & debilitare ſolent podagræ generationi velificantur.

§. III.

Jam autem quod attinet ipſius podagrici doloris geneſin, non niſi ex fractis naturæ viribus, debilitato viſcerum atque articulorum tono, imminutaque ſanguinis chylique ſpirituaſcentia originem ſuam trahit. Nihil autem magis labefactare robur partium ſolidarum, nec non æquabilem temperiem ac motum ſpirituum atque humorum deſtruere aptum eſt quam deſidia, generoſi vini potatio, veneris abuſus, iracundia & quæ ſunt generis alia. Quomodo autem hæc noceant & corpori infenſa ſint, & podagricum malum exſuſcitent, paucis ſic complecti placet. Podagra ſpaſmus ſumme dolorificus eſt excitatus in membranis ac ligamentis nerveo-tendinoſis, qui articulos firmant atque in muſculorum tendinibus qui juxta juncturas abundant. Subjectum doloris eſt ſpiritus quo perfuſæ ſunt ipſæ membranæ, quique ex ſanguine vitali & nervorum fluido invicem commixto originem ſuam nanciſcitur. Hic a Deo ſic congenita efficacia ſua motum irregularem a vitio fluidi ipſi impreſſum perſentit. Quapropter quo major ſpirituum copia, quo major ipſorum rigor atque actuatio, & nocentis humoris vis atque impetus gravior, eo impetuoſior ſpirituum motus graviorque ſenſatio atque affectio oboritur. Et inde facile conſtat ratio, quare juvenes & qui robore ac vigore ſpirituum pollent acerbiores ac duriores paroxyſmos, breviores tamen ipſis frigidis imbecillibus ac ſenibus experiantur, qui mitiores aſt diuturniores patiuntur. Unde perpulchre ſcribit PECHLINUS *Obſ.* 25. nonnullos eſſe arthriticos qui per multas ſeptimanas & ſæpe per annum podagra detinentur, cum nulla alia ſymptomata infeſtiora habent quam membrorum ἀκρατείαν, appetitum proſtratum, ſitim inexhauſtam, & noctes dieſque inſomnes, ceſſante ſcilicet paulatim ſpirituum vigore.

§. IV.

Cum itaque ſpiritus a cauſa lancinante & irritante in impetuoſum atque diſcurſivum in anguſtiſſimis membranarum tubulis motum concitantur, moleſtiſſima tenſio, diſtractio & continui ſolutio exſurgit, ſub qua tenſione conſtrictio & coanguſtatio vicinarum partium ſit. Quare invadente dolore pori cutis anguſtantur, influxus ſanguinis & refluxus debitus impeditur, ſudor ac tranſpiratio nunc cohibetur, nunc augetur, membrum rigore ac rubore concutitur, venæ diſparent, & valde ſenſibilis in parte affecta diſtenſio & diſtractio percipitur concomitante æſtu, rubore & ſubſequente tumore. Spaſmus autem hic non tantum in afflicta parte incipit & ſubſiſtit, ſed ulterius ſerpit inque conſenſum trahit alias eximioque ſenſu præditas internas partes, quæ ſimili ſpaſmo affectæ varia producunt ſymptomata. Unde non ignota poteſt eſſe ratio, quare frequens oſcitatio, flatuum deſcenſus per femoris carnes, horripilatio per dorſum ac lumbos, febriculoſus pulſus, præcordiorum anxietas, ſomni inquietudo, torpor atque vermiculatio articulorum, in ſuris quaſi convulſio, cibi faſtidium, nauſea, vomitus, ubi imminet paroxyſmus vel jam præſens eſt, ægros infeſtet; quæ omnia ex ſpaſmodica conſtrictione & inde reſultante ſanguinis motione non poſſunt non originem ſuam repetere. Adde quod podagra in alios morbos ſpaſmodicos facile terminetur, uti in nephritidem, colicam; & hi vice verſa ſæpius in podagram abeant. TRINCAVELLIUS *lib. x. c.* 1. ſcribit ſe vidiſſe dolores in ventriculo concentratos deſiiſſe in articulares. Quinimo obſervatum eſt coli vel calculi dolores ſupervenientes podagræ ſedaſſe eam. Retulit mihi Excell. Dn. Præſes ſe annotaſſe in podagrico generoſo ſupervenientem quartanam ipſa podagra diſcedente. Item alibi quoque obſervatum fuit, podagræ quartanam ſuccedentem illam e medio ſuſtuliſſe: Quod autem in febribus intermittentibus contingere ſolita phænomena ſpaſmo debeantur, haud ignotum eſſe poterit.

§. V.

Ut autem eo melius intelligatur ſub ſpaſmodicis affectionibus ludere morbum hunc ſuas tragædias, attendi velim a ſuppreſſo nimis cito podagrico inſultu per inviſcantia poros & nociva topica, intro ſic vergente materia vitioſa, pathemata ſubſequi, quæ non niſi a violento & moleſtiſſimo partium internarum ſpaſmo deduci poſſunt: Ita a podagra recedente ad interiora obſervata fuit colica vehementiſſima, urinæ ſuppreſſio, vid. *Eph. Germ. dec. II. anno 6. obſerv. 2. Dec. I. anno 6. obſ.* 208. quæ refert aſthma, epilepſiam & colicam inde exortam. Sic quoque WELSCHIUS *dec.* 11. *obſ. med.* 11. convulſionem lethalem, dyſpnœam, palpitationem cordis, lipothymias cum ſubſequente epilepſia & apoplexia lethali notavit. Et SIMON PAULLI in *Quadrip. Bot.* recenſet, non minus ex antiquis ARETÆUS *lib.* 11. *de diuturnitate c. XII.* multis in hydropicum morbum, quibuſdam in aſthma concedere podagram immedicabili ſucceſſione ſcribit. Poſtremo confirmat ſententiam noſtram ipſa ratio medendi pathematibus podagricorum, quæ maxime conſiſtit in compeſcendis & ſiſtendis tam per interna quam externa remedia moleſtiſſimis partium ſpaſmis.

§. VI.

Expoſita ſic indole podagræ, quæ in ſpaſmo dolorifico, omnium ferme ſymptomatum parente, conſiſtit, excutiendum ulterius remanet, quænam hujus effectus cauſa, & in quibuſnam partibus geneſis mali exiſtat. Medicorum recentiores ferme omnes in hac ſenten-

ſententia videntur convenire, podagram morbum eſſe metaſtaticum ſalinum a collectione ſalis fluidi acris ſtimulantis intra membranas ac ligamenta articulorum enatum. Cujus generis autem ac ingenii illud ſal ſit, diſſentire videntur. Alii acidum, alii ſal tenue corroſivum bilioſum, alii auſterum & ſtypticum principium incuſant. Nos purum & ſibi relictum acidum in animantium corporibus vix reperiri exiſtimantes, tartareum illud eſſe aſſerimus, ita tamen, ut acidum quoad figuram ſuam ſcindentem ſpiculatam, haud ſecus ac in tartaro, prædominetur. Interim tamen non negamus, pro diverſitate morbi atque ægrotantium, majori volatili acredine bilioſa, vel etiam auſteritate ſtyptica terrea illud eſſe imbutum; unde etiam arthritis variat, & volatilis vel fixus exurgit dolor, magis vel minus ardore atque inflammatione infenſus. Multa autem ſunt, quæ peccantem materiam tartareæ indolis eſſe evincunt. Etenim experientia compertum eſt, hypochondriacos & calculoſæ diſpoſitionis ut plurimum evadere podagricos, & vice verſa, ita ut affectus hi invicem ſororientur, & unus in alterum facile abeat. Serum autem in dictis morbis tartarea ſalſedine imbutum eſſe, nemo qui gnarus rerum medicarum eſt, ibit inficias. Accedit, quod in conſummata arthritide vel iſchiatide ligamenta juncturarum eroſa a ſabulo tartareo ibi ſubſiſtente reperta in ſectionibus fuerint. Quin imo tophacea materia, quæ intra articulos in conſummata ac frigida podagra copioſe quandoque reperitur atque eximitur, maniſeſtiſſime naturam tartarei ſalis, quod ex acido & copioſa terra conflatum ſit, demonſtrat. Ita Kerckringius ſub examine chemico ex ejuſmodi tophis & materia podagrica, elicuit ſpiritum quendam inter ſpiritum tartari & ſalis ammoniaci quodammodo medium, acidiorem nimirum illo, hoc vero mitiorem: & oleum, oleo tartari colore, fœtore & conſiſtentia in omnibus ſimile: nec non ſal ex capite mortuo extraxit, quod ab eodem ſale tartari parum abludebat, niſi quod ſapore quodam extraneo infeſtus, ingratam quandam pariebat nauſeam. vid. *Spicil. anat. obſ.* 28. Sic obſervatum quoque fuit ab auctoribus, podagricorum excrementa, nimirum ſputum, urinam, ſudorem collecta, prævia evaporatione, præbuiſſe materiæ candeſcentis concretæ in tartari conſiſtentiam, inſignem copiam. vid. Pechlinum *obſ.* 25. *&* Kerckringium *l. c.* Notavi in viro generoſo, qui ſubinde podagra divexari ſolet, ſequentia: hic paroxyſmum imminentem præſentire ſolet maxime ex colore annuli, quem digito gerit ex mercurio mediante venere ac tutia confecti, qui aliquot dies ante paroxyſmum & per totum morbi curſum livorem ac nigredinem contrahit, qui ſponte tandem deſinit priſtino redeunte colore ſub declinationis tempus. Id quod curioſum phænomenon meâ ſententia effluviis tartareo-acidis per tranſpirationem prodeuntibus adſcribendum venit. Taceo materiam in articulis podagricorum collectam, & quandoque veſicatoriorum vel aliorum remediorum uſu affluentem, ſumme corroſivam ipſo ſenſu teſte naturam præ ſe ferre. Confirmare inter alia præſentiam tartarei fluidi ſalis in podagricis videtur nimia potatio vinorum tartareo taliſmodi ſucco ſcatentium, quæ podagram generare ſolent frequentiſſime; item nimia ciborum appetentia & voracitas maxime ante tempus invaſionis, quæ ſine dubio lymphæ acidæ abundanti in ſalivali & gaſtrico fluido debetur.

§. VII.

Congreditur autem tartareum hoc ſal cum mucilaginoſo ac pingui, quo articuli & juncturæ omnes gaudent, rore ac glutine, quod ſecundum naturam inſipidum, oſſa, juncturas tendineſque lævigare & obducere ſolet. Notabile enim eſt, ſub membranoſo ligamento, quo articuli firmari ſolent, exſtare tunicam mere glanduloſam ac veſiculoſam, in quam terminantur maxime in homine multæ vaſorum ſanguiferorum ramificationes, hæcque tunica, propter laxitatem ſuam, minime inſervit oſſium conjunctioni, ſed mucilaginem certam inſtar ovi albuminis, licet non ſemper adeo claram & limpidam, ſecernit. Præterea in ipſo articulorum cavo exſtant quoque eximiæ magnitudinis corpora glanduloſa pinguedine obſita, quæ ſimilem mucilaginem a copioſis ſanguineis vaſculis ibi ſecernunt ad lubricandas juncturas ipſaſque ab incaleſcentia & attritione conſervandas, uti copioſe pariter ac ſolide id deduxit celebris Anglus Clopton Havers *in Oſteologia.* De hoc ipſo glutine articulorum jam dudum *divus* Hippocrates *in lib. de locis in homine*, ſequentia pronunciavit: *Humidum nativum articulorum ubi male valet, male habent articuli; ubi bene, & ipſi articuli.* Quotieſcunque itaque materia acris tartarea in ſanguine ſuperabundans ſimul deſcendit per dictarum glandularum poros nimis laxatos ad ipſos articulos, non modo coagulum mucilaginis efficit, quod difficilius poſtea reſolvitur vel etiam copia in gypſeum corpus tandem convertitur, verum & intra ſubtiliſſimi ſenſus membranas incarcerata propter anguſtiſſimas vias, minus commode propellitur vel evaporat, ſed deteſtabiles cruciatus in parte affecta ſuſcitat: cujus ſæpius tanta eſt ſubtilitas ut omnia quantumvis leniter admota tegumenta vel medicamenta, officioſamque manum vel e longinquo reformidet. Attentione dignum eſt, nihil magis mucilaginem articulorum deſtruere atque coagulare, quam acidum tartareum ſal, lenius v. g. acetum vini, vel vinum rubellum album, neque tantam mutationem atque coagulationem ipſi inducere aliud potens, uti oleum vitrioli &c. ſicuti id variis experimentis clariſſime demonſtravit Clopton Havers *l. c. p.* 257. evidenti ſcilicet documento, vina tartarea aptiſſima eſſe ad procurandos paroxyſmos arthriticos, ubi tonus glandularum debilitatus eſt & patiens aliquam ad hunc affectum diſpoſitionem habet.

§. VIII.

Quamobrem autem tartarea illa nociva ſanies potiſſimum deſcendat ad articulos & quidem pedum, plures diſcrepantes afferri poſſent rationes. Non autem hic illorum quadrat ſententia, qui, uti in aliis præter naturam evenientibus faciunt ſecretionibus, ſic quoque hanc naturæ beneficio adſcribunt, quaſi ipſa ex ſingulari conſilio, arbitrio & providentia ad alios morbos avertendos ceu præſes corporis heterogeneum dejiciat ad haſce partes. Minus enim benignum eſt ad ſenſibiliſſimas & anguſtiſſimas partes ubi maximi cruciatus fiunt emittere peccantem materiam, cum aliæ adſint, ubi non tanta doloris atrocitas metuenda: & magis providentia bonitas & cura dicenda eſſet, ſi jam dum ab initio prohiberet, ne tale quid generetur, vel ſi quid peccet aut error quidam committatur, non ſtatim ille ærumnoſo dolore, qui graviſſimorum ſymptomatum parens & cauſa eſt, expiaretur; Sed ſtatuendum potius exiſtimo, ſalia peregrina in humoribus præter naturam collecta & ex imbecillitate viſcerum ac robore virium deficiente non ſecreta per ordinaria emunctoria, a lympha & ſero ſanguinis ob texturam ejus tenuem poroſitatemque imbibi atque abſorberi, ſicque ad tunicas glanduloſas totius corporis, glandulaſque conglomeratas ipſo cum vehiculo lymphæ advehi, modo ſemper glandularum talis adſit diſpoſitio qua admitti queant. Quare ratio amplius ignota eſſe non poteſt, quam ob rem laſſitudo, gravitas mem-

brorum, rigor, horripilatio, anxietas præcordialis, phlogoſes, oſcitatio, æſtus corporis cum pulſu celeri, nauſea, vomitus præcedant paroxyſmos arthriticos & eos comitentur: Item quare ex una in alteram partem vagabunda materia, niſi qualitas ejus renuat, oberret, & per cutis ſpiracula ſi ejus evaporatio per aerem frigidum vel repellentia impediatur, intro vergens, diarrhoeam, vomitum, colicam, palpitationem cordis excitet. Quod autem materia peccans non intra omnes articulos, mediante tunica glandulosa, ſeparetur, ſed quandoque certis in partibus tantum, uti in chiragra, podagra & iſchiadica affectione, id debilitati hujus partis, & tono glandularum deſtructo adſcribendum eſt: Quod ad pedes deſcendat, hæc ratio eſſe videtur, quoniam naturalis harum partium tonus ac vigor multum læditur per frigus, quod pedes magis experiuntur; deinde a calceorum preſſione ac ſtrictura frequentius offenduntur. Accedit, quod tardior & lentior per partes extremas & anguſtiſſimas, item pedis ob poſituram perpendicularem, lymphæ ac humorum ſit circulatio ac motus. Unde humorum ſtaſes & diſtenſiones præter naturam ibi frequentiores: Supereſt adhuc una ratio & quidem præcipua, ſcilicet quando pedes dolor affligit, cogimur quieſcere, ne deterius fiat malum; quies autem ulterius nocet, cum humores ob motum ceſſantem, ibi magis tenentur ſubſiſtere & imbecillitatem augere. Ita edocemur familiari exemplo, quando pedem diu in uno ſitu tenemus, vermiculationis ſenſum oboriri. Vocanda huc quoque eſt in auxilium, nativa pedum imbecillitas a parentibus podagricis contracta, quæ partim in ſpirituaſcentia humorum deficiente, & inde reſultante partium ſolidarum maxime extremarum debilitate, vel in ipſa prava textura & conformatione, & pororum diſpoſitione partium harum conſiſtit. Idem obtinet in aliis artubus, quos occupare ſolet dictus dolor arthriticus.

§. IX.

Ex hiſce adductis facile apparere poteſt, quid ſtatuendum ſit de illorum ſententia, qui fermentum quoddam podagricum in articulis ſtabulari putant, vel membra digeſtivo ſuo naturali defraudata eſſe dicunt in noſtro affectu. Unde vero maligni hujus tartarei ſucci in humoribus proveniat copia, ulterius venit examinandum. Veteres pariter ac Recentiores inculpare ſolent vitiā digeſtionis primæ ac ſecundæ, ut inde partes ſolidæ luant ſuam pœnam. Alii, uti HELMONTIUS & SYDENHAM, ſolam ventriculi imbecillitatem & coctionem læſam accuſant, qua cruditates chyli parum in ſanguine correctæ in corporis ſphæra ac habitu remanent. Quidam naturæ robur deſtructum & enervatas vires cauſam eſſe aſſerunt. Si rem rite expendimus parum hi omnes inter ſe diſſentiunt, modo ante ſufficienter explicatum ſit, quid per hæc ſupra dicta intelligatur. Nos ſpirituaſcentiam ſanguinis & humorum imminutam in cauſa eſſe pronunciamus, quare tam impuræ excrementitiæ ſordes accumulentur in corpore noſtro. Etenim ſubtiliſſimæ partes ſanguinis ſi deficiunt & ſubjugatæ ſunt, prædominium nactis terreſtribus, fixis, mucilaginoſis, immobilibus partibus, debita ſanguinis motio tam per circulum quam inteſtina ab æquilibrio deflectit, ſanguinis fit craſſities ac denſitas, calor nativus imminuitur, anguſtæ emunctoriorum ac viſcerum viæ obſtipantur, unde non poſſunt non per congrua ſua ſecretoria evacuari ſolita excrementa remorari: quæ ſanitati & vitæ inſidias ſtruunt. Motus enim eſt, qui vitam conſervat, qui elementa ſanguinis intime unit, humores in fluiditate conſervat a putredine & corruptela, dum heterogeneas ſeparat, homogeneas defendit & conſervat. Motus autem hic deficit, deficientibus partibus ſubtiliſſimis, mobiliſſimis & admodum diviſis, ſulphureis, æthereis, uno verbo ſpirituoſis.

§. X.

Unde autem harum particularum defectus repetendus ſit paucis explanabimus. Evenit autem illud ipſum duplici ratione, dum vel quidam immediate ſubducuntur corpori ſpiritus, qui tamen ipſi præeſſe & corpus regere debebant; vel quando variis de cauſis impeditur illorum generatio. Primum autem ſubtrahit ſpiritus & ſubducit nervis ſuum genium immoderata venus. Semen delibatiſſimæ & ſpirituoſæ lymphæ ac ſanguinis ſoboles eſt, quæ ſi intemperantius exhauritur, non poteſt fieri, quin mirifice debilitentur partes fluidæ ratione vigoris ſubtilitatis & inteſtinæ motionis; tum & ſolidæ ratione toni & roboris ſui, quibus deſtructis, ſanguinis etiam circulatio & depuratio non legitimo procedit modo. Unde jam apparet aphoriſmorum HIPPOCRATIS in initio diſſertationis noſtræ allegatorum veritas, quare nimirum pueri, mulieres & eunuchi non facile patiantur podagram.

Poetis podagra Bacchi & Veneris dicitur filia. Hinc antiqui verſus:

E ſolvilumba venere, ſolvilumboque
Baccho creata eſt ſolvilumba chiragra.

Et latini Poetæ verſus:

Ut Venus enervat vires, ſic copia vini,
Et tentat greſſus debilitatque pedes.

Notabile autem hic eſt, quod arthritis ex abuſu veneris ſæpius unice ſuam originem petat & quod omnes arthritici & podagrici propter ſal illud tenerum ſtimulans in lympha & ſanguine contentum ad venerem præ aliis magis ſint proclives, adeoque magis magiſque enervando vires malum contumacius reddant. Præterea ſpiritus corporis noſtri motores non parum invertit & nervis debilitatem addit vini & maxime generoſi vel etiam tartarei acidi largior potus, utpote partes vini ſulphureæ nimis celeriter per venas rapiuntur ad caput ſubeuntque poros nervorum & ſpiritibus ſeſe aſſociant, quorum craſin ob cruditatem & heterogeneam indolem ſuam valde invertunt ut munere ſuo in regendis machinæ artubus defungi minus recte queant. Experientia multiplici deprehenſum eſt, nihil plus tartareæ illius, aut quomodocunque appellare libet, materiæ arthritidi generandæ aptæ obtinere quam vinum; quæ etſi in corporibus quibuſdam ſequeſtretur, tamen in illis, quæ viſcerum debilitate laborant, ſervatur atque accumulatur in ſanguine. Datur tamen vinorum magna diverſitas. Quæ enim in arenoſis terris proveniunt, minus materiæ ejuſmodi tartareæ continent. Dixit WEPFERUS *Dec. I. a. 2. c. 39.* raros apud Schaffhuſanos eſſe podagricos & calculoſos, neque convulſivos motus frequentes & potiſſimum id fieri à vino rubello ſalubri. Sic etiam memini Jenæ, quamvis ab incolis ejus loci ſatis liberaliter bibantur vina vernacula, non tamen multos ibi eſſe podagricos. Contra obſervatum fuit, quæ in terra pingui argilloſa & limoſa proveniunt ad fovendam podagram eſſe paratiſſima; cujus generis ſunt Bohemica, Hungarica, Auſtriaca &c. Neque obſtat, vina magnam quantitatem tartari terreſtris, qui ſæpius vias urinarias magis detergit, poſſidere, utut in podagra progignenda minoris efficaciæ ſint aliis, quæ talem quantitatem non complectuntur, ſed forſitan ſubtiliori ac penetrantiori acido, qui cum ſuccis vitalibus facillimam init copulam inſtructa ſunt. Sic vini Tocavienſis

vienſis menſ. IV. deſtillatæ vix drachmam ſemis, totidem autem Rhenani ad minimum drachmas quinque elargiuntur. Multo magis autem talia vina nocent ſi ad ebrietatem uſque ingurgitantur, quo ſpirituum & vigor naturalis magis extinguitur ut deinde viſcerum tono debilitato minus commode illa, quæ in vinis nociva atque pernitioſa ſunt excludi queant. Ulterius genus nervoſum valde debilitat, & ad affectum noſtrum viam ſternit intemperantia affectuum. Hi enim immediate pervertendo ſpirituum ſchesin & motum naturalem turbas maximas in corpore ratione mixturæ ſanguinis & motus ejus concitare apti ſunt. Quorſum referre etiam liceat nimias & attentas meditationes & haud interruptas curas, ſollicitudines præſertim & ſtudiorum intemperies in debilibus ſubjectis, hinc eruditorum etiam morbus eſt. Hæc enim ſpiritus conſumunt & neceſſarias corpori ſubſurantur vires & evocato è ventriculo ad laborantis cerebri ſubſidium igne cruditates accumulant, quæ obſtructiones viſcerum & hypochondriacam affectionem nec non podagricam producunt.

§. XI.

Poſtmodum ulterius ad ſpirituum defectum, torpidiorem ſanguinem, ac lympham, cruditatum accumulationem tribuit nimia intemperantia in edendo ſeu voracitas. Quandoquidem cibus nimius præcipue viſcidus non facile reſolubilis gravis ventriculo eſt, vires premit, in rudem faceſſit chylum, crudum & craſſum procreat ſanguinem; hinc intemperies, hinc obſtructio, hinc plethora, quæ vitia graviſſimorum morborum cauſæ antecedentes continenteſque fiunt. HIPPOCRATES optime ait ubi cibus præter naturam copioſius ingeſtus eſt, hic morbum facit. Proinde uti à multo oleo lucernæ flamma, ſic à cibo copioſo calor ſuffocatur nativus. Præterea ſolitorum exercitiorum intermiſſio, deſidia, aer craſſus, frigidus, humidus, aquilonius generationi affectus noſtri valde velificantur, quandoquidem crudum & vappeſcentem reddunt ſanguinem, ejus ſpiritualcentiam atque ſubtilitatem deprimunt, tranſpirationem & ventilationem morantur, unde non poteſt non, quin excrementorum ſalſorum tartareorumque magna fiat accumulatio. Ex Cratone refert SENNERTUS quam primum intus ſudor detinetur aut inhibetur, maxime ſi conſuetus fuerit, imminere paroxyſmum podagricum. TACHENIUS *in tr. de M. principe. c.* 72. tradit excrementum conſuetum inter pedum digitos non repertum paroxyſmum inſtantem ſignificare. Habitus autem corporis laxus & ſpongioſus qualis deprehenditur in ſanguineo-phlegmaticis ipſiſque ſanguineis multum facit ad productionem affectus noſtri. Etenim ſub tali habitu corporis ſanguinis circulatio propter languentem tonum ſolidarum partium & venarum copiam exiguitatemque lentior & impeditior ad proventum cruditatum confert ſuum ſymbolum. Referri itidem huc debent inque conſiderationem venire conſuetarum evacuationum ſuppreſſiones ſeu ſanguinis ſeu ſeri; ſolennes podagræ illis eſſe conſueſcunt, quibus ſanguis per hæmorrhoides antea expurgari ſolitus non ſtato tempore fluit vel ſi catarrhorum fons qui largiter alias fluxit obſtructus. Ex quibus adductis cauſis remotis expedit colligere, qua ratione intemperantiæ atque pravæ diætæ ſoboles ſit podagra, & quare affectio hypochondriaca, nephritica, arthritica magnam inter ſe alant affinitatem & arctiſſimo contineantur vinculo.

§. XII.

Quemadmodum autem remota cauſa ſublata tollitur ipſe affectus: ita quoque ſi ſpirituaſcentia deperdita reſtituitur, ſi cruditates humorum & ſolidarum partium obſtructiones abſumuntur: non tantum mitigatio doloris podagrici, ſed & plenaria ſanatio expectanda eſt. Quocirca ante omnia qui podagræ moleſtiſſimo dolore detinetur, & mitigationem vel ſanationem ejus exoptat primum temperet ſibi, quantum poſſibile eſt ab uſu veneris maxime immoderatæ, & quam corporis languor & dolor ſubſequitur. Subito namque exhaurit ſubtiliores ſpiritus, caput debilitat, mentem ac ſenſus infirmat atque convellit. Secundo ab ebrietate, copioſa potatione vini & ingurgitatione liquorum inebriantium omni cura & ſtudio ſibi temperet, hoc pacto enim multi ab arthritide liberati ſunt. TRINCAVELLIUS ſcribit *de ratione curandi particulares humani corp. affectus l.* 12. *c.* 11. ſe noviſſe Medicum Venetiis, qui cum non parum infeſtaretur à podagra & ad ſenium uſque ſolum primum atque in quinquennium ſibi vinum interdixiſſet, liber tandem ab omnibus iis moleſtiis ita evaſit, ut amplius uſque ad ultimum ſenium, imo ad mortem horum dolorum fieret expers. Refert SOLENANDER *S. V. conſ.* 1. Viduam quandam Hiſpanam cum uſum vini, quo tamen pro more gentis pauciſſimo & dilutiſſimo uſa fuerat, omiſiſſet, podagra amplius non fuiſſe tentatam. Et plures taliſmodi hiſtoriæ notiſſimæ ſunt eorum, qui vel in carcerem conjecti vel ad paupertatem pervenerunt & a vino abſtinuerunt ab arthritide liberati ſunt. Præſtat itaque aquam puram & levem bibere quam vinum. Ex hydropotis enim nemo facile eſt, qui hunc in morbum prolabitur vid. BRUYERINUS de re *cib. lib.* 16. *c.* 3. SCHENCK. *obſ. l.* 5. HERMANNUS von Heyden/ de Podagra, PECHLINUS *obſ. p.* 226. At vero quamvis nonnullis podagricis vinum admodum ſit infenſum, negandum tamen non eſt, dari caſus, ubi ventriculi quædam & inteſtinorum imbecillitas à frigido humore orta adeſt, tunc ad virium refectionem admitti vinum debere, maxime ſi diluatur cum aqua & vetus excoctum optimæ notæ aſſumatur, & adhuc magis, ſi in conſuetudinem abiit vini potatio, nec ad ejus uſum ægrotans protinus ſentiat incommodum, de qua re conſuli poteſt PECHLINUS *obſ.* 27.

§. XIII.

Porro qui vitam à podagra immunem ſervare vel ejus dolores lenire atque mitigare intendit: temperet ſibi ante omnia à multo cibo tam in paroxyſmo quam extra morbi acceſſionem. Vere ſcribit HIPPOCRATES: *præcipuum ſanitatis eſſe ſtudium non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad laborem.* Sique profecto quid eſt, quod vitam ſervare poteſt à morbis diuturnis liberam, temperantia in victu eſt, hac enim alacritas & ingenio & corpori accedit. Conſiſtit autem hæc temperantia in hoc, ut vel bis de die parum cibi aſſumamus nec plenarie ſatiemus appetitum, vel ſaltim ſemel de die & cœnam intermittamus. Quod mirifice commendat podagricis TACKIUS *p.* 97. *item* SYDENHAM *p.* 579. qui prandium ſaltim commendat, humoribus digerendis cum lectus ſolum ſit dicatus. Multi, inquit TACKIUS, qui ſemel de die ſolum cibum aſſumſere, ad centum annos vixerunt. Præcipue autem in paroxyſmis à cibo abſtinendum eſt. Nam ejus acceſſio ipſo HIPPOCRATE *teſte* damno eſt: Eo enim tempore reflui ſunt humores ad centrum corporis, unde opprimitur anxiaque evadit reſpiratio & aliena regio ab impuris ſuccis incurritur. Si cibum tunc dederis, in impuritatem ille abit ac diſtento hypochondrio opprimitur pectus, unde anxia reſpiratio & calor cordis major. VALESCUS DE TARANTA *in Medicinalibus obſ.* refert, quendam, quotieſcunque imminere paroxyſmum

mum ſentiret, ab omni cibo & potu abſtinuiſſe, & ita morbum præcaviſſe. Facile hinc apparet ratio, quare egeni raro ſint podagrici, magis autem opulenti & voluptuoſi & qui per multas horas menſis accumbunt & utriculi inſtar abdomen diſtendunt. De opulento quodam Germano SCHENCKIUS *apud* CASP. DE REJES *in campis elyſ. q. 79.* tradit, qui cum otio deliciis luxuque circumflueret familiarem huic vitæ podagram, arthritidemque adeo miſerabilem contraxerit, ut non niſi duobus ſuffultus adjutuſque famulis promoveri loco poſſet, verum lapſis ſenſim rebus ad paupertatem redactus eſt tantam, ut & opibus deſtitueretur & famulis nec niſi frugalis menſa ad vitam ſuppeteret. Hac fretus & paulatim ipſe ſolus incedebat & à podagra prorſus deſerebatur. Non incommode hinc PETRARCHA: Si à podagra liberari cupis, aut pauper ſis oportet, aut ut pauper vivas. Multos ab hac ægritudine liberaſſe traditur paupertas, vera defæcatrix corporum; quoſdam vero frugalitas, quam voluntariam ſeu fictam & imaginariam paupertatem dixerim. Vidiſti aliquos perpetua vini abſtinentia curatos: ita ſit, dolore dolor, clavus clavo pellitur, ut antiquo dicitur proverbio. Vix moleſtum aliquod ſine moleſtia curatur, ut præterea autem hoc morbo cumque aliis multis pacem habeat, non Baccho ſolum ſed & Veneri bellum indixiſſe profuerit. Quare

Vis te languentem curva relevare podagra,
Quantumvis fueris dives, egere ſcias.

Refert HIERONYMUS multos fuiſſe qui cum podagra laborarunt ad paupertatem redactos tandemque liberatos.

§. XIV.

Poſtremo qui à cruciatibus podagricis liber eſſe cupit, ſibi temperare debet ab omnibus gravioribus curis, animi laboribus, meditationibus & perturbationibus. Hæc enim elogio SYDENHAMII ad diſſolvendam ſpirituum, qui ſunt digeſtionum inſtrumenta, ſyſtaſin, ac proinde ad podagræ incrementum multum faciunt. Refert PORPHYRIUS in vita *Plotini* quendam Regulum, cum captus eſſet pedibus ſeſe ab omnibus curis abnegaſſe & a podagra fuiſſe liberatum. Tanti refert in hoc morbo vincendo animum quietum habere. Cæterum vero commendandus podagricis eſt labor ac motus, qui firmitudinem & robur partibus fœnerat, tranſpirationem promovet, cruditates diſſipat & ad totius corporis habitus immutationem aptiſſimus eſt. Elegantiſſime ſcribit HIPPOCRATES *Lib. II. Prorrh. pag. 92.* curari podagricos poſſe juvenes in quibus nondum ſunt facti calli, qui laborem amant, qui vivunt accurate & quorum alvus fluida eſt. Exercitium autem hoc non nimis ſit vehemens ſed moderatum, quale eſt equitatio ſeu frequens vectio in curru, hanc merito cum *Nob.* SYDENHAM omnibus aliis corporis motionibus præferimus.

§. XV.

Statutam hanc vivendi rationem ſi quis accurate tenere animum ſumit, certe videbit tam efficax auxilium atque levamen quale à nullo medicamento expectari poteſt. Quoniam autem pauci reperiuntur, qui taliſmodi legibus ſe adſtringi patiuntur in procinctu ratio eſt quare tam difficilis ſanationis ſit ipſa podagra. In principio ut plurimum ſolet negligi, nemo vult vexari podagra, accuſant modo calceamenta, modo aliquod aliud impedimentum, ita ut vix quiſque ſibi perſuadere poſſit, ſe habere podagram. Accedit etiam, quod à conſueta vivendi ratione, voluptatibus, ad quas naturâ ratione ſanguinei temperamenti inclinant, non velint penitus, quamvis forſan ad tempus, ſi dolores urgent, abſtinere, ſed licentioſe ſemper vivant, adeoque cum prima in herba facillime jugulari podagra queat, neglecta autem ferocior & pertinacior evadit, donec crebrioribus paroxyſmis ſe invicem excipientibus ſanguinis maſſa graviorem ſibi contrahat dyſcraſiam & immedicabilem vappeſcentiam, ut, concurrente ſimul diſpoſitione hereditaria, facile in tophaceam & conſummatam degeneret, de qua Poeta canit:

Solvere nodoſam neſcit Medicina Podagram.

Ratio quare paroxyſmi podagrici tam longum tempus ſæpe infeſtent dolore ſuo hæc eſt: profundius latitat materia vitioſa intra ipſas membranas ac ligamenta articulorum, quæ anguſtiſſimos poros habent, & ex arctiſſime connexis fibris contexta ſunt, unde materiæ vitioſa correctio & evaporatio in partibus taliſmodi frigidis & tenſis lentiſſimo procedit gradu.

§. XVI.

Verno tempore facilius curatur item ætate juvenili, quia ob majorem ætheris motum tranſpiratio ſanguiniſque diviſio ac ſpirituaſcentia intenſior eſt, & hinc etiam tunc temporis, uti etiam in æſtate multo mitior eſſe ſolet. Hyeme autem adventante, quoniam debita humorum per poros eliminatio pro voto non ſuccedit & ſpirituum robur fractum, neceſſe eſt, ut ingens materiæ indigeſtæ colluvies accumuletur, in paroxyſmos facile prorumpens ſi propius accedat ſol noſtro horizonti, unde hyems ſolet eſſe faber podagræ, ver autem paroxyſmorum productor: adeoque ex hiſce patet, quare cura hyberno tempore difficilius procedat, longiores maneant paroxyſmi.

§. XVII.

Hiſce deductis operæ pretium eſſe exiſtimo paucis judicium noſtrum interponere de methodo hactenus uſitata ſanandi dolores podagricos. Plures & ex iis exercitatiſſimi practici vomitoriorum uſum non ſatis dilaudare queunt in affectu hoc tam præſervando quam ſanando. Confert, ut podagrici omni verno & autumnali tempore circa æquinoctia præſervationis loco aſſumant vomitorium. In principio quoque podagræ proficuum eſſe ipſi *Galenici* jamdudum teſtati ſunt. DOLÆUS *Encycl. Med. p. 635.* HILDANUS *cent. 6. obſ. 34.* MERCATUS *de Morbis internis l. 4. c. 18.* RIVERIUS *praxi l. 6. c. 1.* SYLVIUS *pr. p. 153.* emeticorum uſum præſentiſſimum judicant. Alii magni faciunt præſervationis cauſa laxantia ante ipſum paroxyſmum vel ſingulis menſibus. *Doctiſſimus* SOLENANDER *in conſ. p. 78.* ſcribit ſe in paroxyſmi principio ſolere exhibere magno cum ſucceſſu aliquod purgans primum id edoctum ab ALEX. TRALLIANO *l. 11.* licet à multis hoc tempore reformidetur. Singulare eſſe ſcribit *eruditiſſimus* PECHLINUS *obſ. 26.* quod arthritici leviorem plerumque experiantur inſultum detracta ex primis viis materia. Novi ait empiricum qui medicamento chymico ſeu cryſtalli lunæ eſſent ſeu martis aliquod vitriolum etiam in inveterato jam morbo poſtquam biduo ante paregoricum dediſſet, alvum magno cum fructu provocabat. Ex adverſo SYDENHAM illorum uſum penitus rejicit. Noſtra ſententia hæc eſt, qui plenius veſcuntur & largiori victui aſſueti ſunt & mox ante paroxyſmum primum invitante appetitu plus juſto indulſerunt gulæ, appropriata cathartica vel emetica ſummo cum fructu atque emolumento aſſumere

poſſunt.

poſſunt. Depletis enim ſic primis viis à copioſa ſaburra humorum bilioſorum & acidi exſuperantis, leviores evadunt paroxyſmi, nec tam moleſta ſymptomata, anxietates, dolores patiuntur ægri. Eadem ratione, qui non temperanter vivunt, ſed copioſo cibo ventriculum premunt, opus habent, ſæpius repetere uſum purgantium vel emeticorum, ut cruditatum accumulatio præpediatur. In eandem ſententiam nobiſcum accedit LISTER tract. *de Arthrit.* 258. qui ita loquitur: unice illa aurea regula de abſtinentia mihi certe, neſcio an podagricis arridet, nempe ut iis quibus aut integra ſanitas, aut longiora valetudinis bonæ intervalla cordi ſunt, parva cibatio ſummæ curæ ſit. Atque hoc omnibus hominibus, quocunque ſtatu & conditione ſint, cum ipſius quoque exercitii loco eſſe poteſt etiam pedibus ex toto captis. Qui tamen plenius veſcuntur illos cathartica appropriata aut emetica interdum ſumere neceſſe eſt.

§. XVIII.

Venæſectionem in paroxyſmo nonnulli in frequenti ſolent habere uſu, quæ tamen non poteſt proficere, niſi ubi dolorum ferocia & major inflammatio propter impeditiorem ſanguinis in parte affecta circulationem metuenda. Hæc enim maxime in arthritide calida & vaga, ætate juvenili & ubi ſanguis exſuperat magnum curæ atque dolorum præſtat compendium. Ad avertendos paroxyſmos ſatius eſſe exiſtimo ipſa abſtinere, ſed præſtat motu & abſtinentia imminuere ſuperfluum ſanguinis ſerum & cruditates in venis digerere atque ſubigere. Sanguinis enim emiſſione non tantum copioſum ſerum idque tartareum ſed & portio bona ſulphurea, quæ ſervanda erat, exhauritur. Quod podagræ medelam per lactis uſum attinet, hoc tam antiquitus, quam etiam hodierno tempore ceu certiſſimum præſidium ad expugnandam arthritidem commendatur, de quo legi merentur *M. N. C. dec.* 1. *a.* 6. 7. *Dec. II. a.* 2. *p.* 3. *dec. I. a.* 1. *ob.* 141. SENNERT. *de febribus l.* 3. *c.* 3. *p.* 359. WALDSCHMID *diſſ. de cura lactis.* PECHLINUS *obſ.* 23. Judicium autem noſtrum de cura podagræ per lac hoc facimus: non omnibus promiſcue convenit lactis uſus nec bene ſuccedit talis cura, quando nimirum corpus adeſt plethoricum, pituitoſum, ventriculus & vaſa colluvie viſcidorum, acido-tartareorum humorum ſunt obſeſſa, viſceraque obſtructa, in iis ſane lactis diuturniorem diætam male ceſſiſſe & viſcerum infarctus, diſpoſitionem ad cachexiam, hydropem, abſceſſus, inflammationes internas excitaſſe non ſemel à nobis cum aliis fuit obſervatum. Quod ſi autem ſubjectum eſt macilentum, corpus eſt perſpirabile, humores ſalſos calidoſque fovet, uti id accidit in arthritide bilioſa, volatili, efficaciſſimum eſſe lactis remedium emendando & elixiviando ſali tenui aptum non ibo inficias. Semper tamen primum ventriculi vires explorandæ ſunt, & videndum, an ferre poſſit illud & par ſit vincendæ coagulationi lactis, quæ in ventriculo nunquam non ſolet contingere. Multum autem refert, quem in modum lacte utamur. Optimum eſt, ſi calide ſorbilletur & ad dimidium mixtura veronicæ, chamædryos, agrimoniæ diluatur, quo pacto obſtructiones & periculoſum coagulum quod lacticinia minantur, averti poſſunt. Accedit, quod hac ratione lac dilutum abſorbendis & eluendis ſalium particulis propter tenuiorem aquæ texturam poroſitatemque magis accommodatum ſit quam craſſa illa & fibroſa lactis ſubſtantia.

§. XIX.

De diaphoreticis in quorum uſu magnam ſpem collocare ſolent practici hoc monendum cenſemus, ne in uſum vocentur fortia ſalina oleoſa, quæ ſæpius majorem motum ac turbas ciendo ardorem dolorem non parum adaugere obſervata fuerunt, maxime in ſubjectis calidioribus & ubi ad volatilitatem ſal morboſum inclinat. Quoniam autem cutis congruum & univerſale peregrinorum ſalium exiſtit emunctorium, non ſine ratione commendantur illa, quæ circulum ſanguinis & perſpirationem corporis atque humorum ſubtiliſationem promovent, cutiſque ſpiracula ſervant aperta: quo nomine præter potus aquæ calidos correctos aut herba chamædryos ceu ſpecifica à veteribus mirum æſtimata, radice chinæ vel ſaſſafras, hermodactylis, herba betonicæ (qui partim per diureſin, partim per diaphoreſin diluta ſalia ſanguinis ſecernunt,) motus atque exercitatio corporis commendatiſſima eſt, addimus & ipſam abſtinentiam tenuemque ac modicum victum, quibus corpus multum perſpirabile humoreſque tenues redduntur.

§. XX.

Quoad topica, hæc parum fida & ſecura pronunciamus, quoniam propter tonum & ſenſum cutis variantem pro diverſitate individuorum contrarium ſæpe & præpoſterum producunt effectum, adeo quod huic auxilio fuit, alteri detrimentum efficiat materiam vel repellendo vel graviores dolores efficiendo. Securiſſimum itaque eſt, niſi bene naturam morbi & partis affectæ, an medicamenta ferre queat, perſpectam habeamus, ſaltim quiete, atque in temperato calore partem dolentem ſervare atque fovere.

§. XXI.

Hæc ſunt quæ de affectus hujus truculenti ſanatione in medium proferre placuit. Unicam commendavimus vitæ & ſanitatis conſervatricem virtutem humano generi commendatiſſimam, temperantiam vitæque ſobrietatem quæ omne ferme punctum abſolvere poteſt tam intentione præſervatoria quam curatoria, quandoquidem ab intemperantia & præpoſtera vivendi ratione ſi nativam debilitatem exceperis, unice natales ſuos petere noſtrum affectum in diſſertatione fuſius deduximus. Equidem perſuaſiſſimum habeo, paucos fore contentos hac deductione, partim quoniam ipſis non arridebit accurata talis vivendi ratio, ſed malunt licentioſe & in omni luxu vivere, & ſuſtinere dolores, anhelantes ſaltim talem medicinam, qua cum morbo in gratiam redire queant ſalva ſua voluptate. Alii dubitabunt de veritate aſſertionis noſtræ, propterea quia ſecundum ſtrictas diætæ regulas vixerunt nec tamen mitigationem doloris experti ſunt. Hiſce autem reſpondemus, non ſaltim in uno & per certum tempus ſed in omnibus, ſi vehementia affectus id exigit & per ſufficiens tempus ſervari has leges debere, ut tota natura ſeſe recolligat, & vincendo morbo par evadat. Multi ſunt, qui ad tempus bene vivunt, ſimul ac autem paulatim reſurgit naturæ vis, protinus naturali inclinatione invitante, & conſuetudine alliciente miſcent voluptates atque intemperantiam. Et quando non ſtatim experiuntur ſingulare à mutatione diætæ & temperantia emolumentum, fiunt impatientes & prolabuntur in conſuetum vitæ genus & hæc jam ratio eſt, quare tam difficili negotio ſaneſcat hic morbus. Si qui autem ſunt qui in omnibus ex præſcripto vivunt & ſanitatem difficulter recuperant; illi cogitent,

tent, naturæ vim penitus eſſe fractam & tantam humorum malitiam, quæ in ordinem vix redigitur, conſpirante ſimul hæreditaria diſpoſitione, morbi diuturnitate ipſaque ſenectute. Velim tamen perpendant, niſi ſic vicerent, majora & ſæviora ſymptomata etiam non citra vitæ periculum, ut incurrant metum fore. Ne autem quis putet ampliſſimum pharmaceuticum fontem tanta ſterilitate laborare ut ex ipſo non poſſit peti unum efficax remedium. Commendabo hinc inſtar omnium duo remedia magnæ præſtantiæ atque virtutis ab Exc. Dn. Præſide mihi communicata. Primum autem eſt liquor quidam antiſpaſmodico-diaphoreticus, qui tam externe, quam interne commodiſſime tempore paroxyſmi adhiberi poteſt nec non ad ipſam præſervationem. Modus parandi hic eſt. Rec. Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi, unc. iij. Extracti caſtorei, drach. ij. Succini unc. ſem. Opii, Croci ana drach. j. Camphoræ drach. ſem. Hæc omnia accurate mixta in digeſtione reſolve, ſic evadit liquor ſaturatus cujus doſis eſt gut. 40. 50. 60. Sal volatile ſalis ammoniaci in hoc medicamento cum particulis paregoricis & tenuiſſimo evaporabili ſulphure caſtorei, opii, croci, camphoræ intime nuptum ac mixtum eſt: unde intimioris admiſſionis penetrat totius corporis poros & acidum ſtimulans corrigit, mitigat, inviſcat, tumultus ſpirituum ſedat, nervoſque ſingulari virtute ſolatur ac roborat. Adhiberi poteſt in principio paroxyſmi, quando adſunt inſignes anxietates, dolores aliaque infenſa ſymptomata & materia renuit extraverti. Idem remedium, ſi ullum eſt quod extrinſecus ſpaſmum partis affectæ tollit, dolorificas tenſiones ſiſtit & ſtagnantem materiam corrigit, correctam ad evaporationem diſponit, certe liquor hic eſt quem raro partes ex idioſyncraſia ſeu ſpeciali textura ſua reformidant. Alterum remedium, quod extra paroxyſmum adhibendum eſt mercuriale auri connubio nobilitatum & diaphoreticum eſt. Nihil magis aptum eſt potentiſſime obſtructiones veteres in emunctoriis vel anguſtiſſimis glandulis conſiſtentes ſolvere atque expedire, quam mercurius, qui minerali ſuo ſpiritu æthereo tenuiſſimo partim & ſpecifica gravitate ſua ſphæram corporis pervolat & humores in motum concitat. Quam rebelles morbi ſalivatione mercuriali depulſari queant, res in foro medico eſt notiſſima, hæc enim & hic utilis & multis experimentis corroborata. Latius de hac re videri meretur Kerkringius *in ſpicil. obſ.* 28. Sylvius *in praxi p.* 174. Rolfincius *ordine & methodo ſpeciali l.* 6. *Sect.* 3. *cap.* 1. Wedelius *de Medicam. facult. l.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 12. Quoniam autem mercurius vehementiſſimum remedium nec omnibus individuis proficuum atque accommodatum, præſtat depuratiſſimum cum auro, quod ejus pernicialem vim ſingulari modo cicurare idoneum eſt, conjungere atque debito ignis temperamento tractare, ut fixam quodammodo acquirat naturam & purgantem atque emeticam ſuam vim exuat. Tali methodo vidit Exc. Dn. Præses aliquot deſperatos podagricos & hic Halæ Saxonum, virum qui per 12. annos contractura laboravit ex podagra ſanitati reſtitutos ut ambulare & officio ſuo per aliquot annos fungi potuerint. Sed de remedio hoc & ejus uſu forſan Deus alio tempore tractandi dabit occaſionem.

DISSERTATIO MEDICA DE CURA DOLORIS PODAGRICI PRÆSERVATORIA PER SIMPLICISSIMA REMEDIA,

Primùm edita Anno 1738.

PRÆFATIO.

NIHIL naturæ humanæ eſt infeſtius, nihil intolerabilius, quam diros ac diuturnos ſuſtinere dolores & cruciatus, quorum tanta ſæpe eſt ferocia, ut haud raro ipſam mentem ejuſque functiones graviſſime perturbent. Inter eos, qui atrocia ſua corpus humanum valde afficiunt, jure meritoque debet referri dolor ille, qui pedum maxime torquet articulos & Medicis podagra appellatur. Hæc autem cum ejus ſit indolis ac naturæ, ut divites magis & præcipuæ dignitatis viros, quam pauperes & plebejos invadere ſoleat: ad eam tum leniendam, tum præſervandam ac perſanandam, ab omni tempore multa & varia quæſita & deſiderata, imo a peritiſſimis in arte viris excogitata ſunt remediorum genera; quæ tamen fere omnia, niſi verum diſſimulare velimus, ita ſunt

ſunt comparata, ut ſpem, quam ægrotantibus excitant, effectu deſtituant exſpectationique minime reſpondeant. Quod vero ii, quorum artus crebrius hic dolor infeſtat, ægerrime priſtinam ſanitatem recuperent, id noſtra quidem ſententia partim medentium imperitiæ, partim etiam ipſis ægrotantibus debet adſcribi. Hi enim conſiliis Medicorum minus obtemperantes, variaque & ſæpe inepta auxilia proprio auſu adhibentes, ſibi ipſis plus ſæpe obſunt quam proſunt. Medicorum autem imperitia his ſe ſignis potiſſimum prodit, quod primo plus ad curationem, quam præſervationem hujus mali animum advertant; deinde quod remediis non lenioribus, temperatis, diæteticis & ſic dictis Galenicis ſimpliciſſimis, ſed pharmaceuticis potius, generoſis, vel ſpecificis, arcanis & chymico igne excoctis hoſtem hunc oppugnare contendant: cui tandem tertius accedit error, qui in eo conſiſtit, quod in ipſa curatione, ad leniendos dolores, remediis tam internis quam externis plerumque intempeſtive utantur, motumque febrilem ſiſtendo, vitioſam materiam, e corpore expellendam, vel intra corpus retineant, vel ex partibus exterioribus ad interiores, magno cum ſanitatis detrimento repellant: cum tamen longa & multiplici experientia confirmatum habeamus, ipſo in morbi impetu ejuſque progreſſu parum arte ſua Medicum conferre poſſe auxilii. Etenim cum natura benigna motu quodam ſalutari febrili critico, materiam impuram ac ſanitati maxime infenſam, extra ſphæram corporis, per cutis potiſſimum ſpiracula excludere allaborat: nullo ſane modo hanc ſaluberrimam naturæ intentionem Medicus debet impedire, vel præmature ſiſtere, ſed omni potius ſtudio ipſam prudenter & circumſpecte adjuvare: id quod per remedia blanda diaphoretica, diluentia & humorum acrimoniam temperantia, quorum beneficio ſucceſſu temporis per liberiorem tranſpirationem corpus ab impuris humoribus liberatur, quam optime perficitur, omiſſis omnibus, quotquot fere ſunt, externis ac topicis, quæ utplurimum plus nocent, quam proſunt, vel tamen magnam in applicatione prudentiam requirunt. Et ut brevibus indicem, quid tota res ſit, id tantum in poteſtate Medici poſitum eſſe judico, ut, niſi malum nimis ſit inveteratum, hæreditarium, corporiſque natura cum viribus plane dejecta, moleſtiſſimum podagræ affectum præſervare poſſit ac mitigare. Quo autem modo hæc cura præſervatoria recta ratione, & quidem non magno medicamentorum ſpecificorum apparatu, ſed paucis, ſimplicibus, parabilioribus & diæteticis ſit inſtituenda ac perficienda, hoc ſpecimine inaugurali, bono cum DEO, paullo fuſius ac curatius tractare conſtituimus.

§. I.

Cum eo potiſſimum noſtra directa ſit intentio, ut curam hujus affectus præſervatoriam ſiſtamus, ſupervacaneum judicio hiſtoriam morbi & formalem, in quo conſiſtat, rationem prolixius exponere, cum ſatis jam & abunde in ſcriptis Medicorum, inprimis autem in *Illuſtr.* Præsidis *Medic. Ration. Syſtem. Tom. IV. P. II.* acta ſit & pertractata. Sed cum præſervare morbum nobis nihil aliud videatur, quam cauſas remotas, quæ conjunctim ſumtæ ad proximam & formalem immediatam contribuunt, inquirere & idonea ad eas removendas remedia præſcribere ac commendare: maxime omnium noſtra opera & meditatio in antecedentibus & mediatis doloris arthritici & podagrici cauſis erit collocanda. Et primo quidem in hac cauſarum, ſibi invicem ſuccedentium, ſerie exponenda animadvertimus, viros magis, quam fœminas, eoſque facile omnes, qui habitu corporis molliori ac ſpongioſiori innumeriſque ſubtilioribus vaſis donati, temperamenti ſic dicti ſanguinei, vel ſanguineo-cholerici ſunt, diro huic morbo eſſe obnoxios; deinceps attenta docet experientia, illos viros & juvenes, qui victu lauto ac cibis boni ſucci utuntur, multumque appetunt, nec exercitiis corporis gravioribus adſueti in dulci otio vivunt & voluptatibus ſe dedunt, frequentius cum hoc dolorifico morbo conflictari: increſcit enim ſub tali corporis conſtitutione & perverſo vitæ genere nimia ſanguinis & humorum copia, quæ ingentem ad hunc morbum inducendum obtinet potentiam. Quod ſi enim plus ſanguinis & ſuccorum adeſt, quam natura poteſt regere, oritur ſucceſſu temporis impuritas, ſive cacochymia, quæ poſtea materialem paroxyſmi podagrici conſtituit cauſam; ideo quod ob majorem chyli & ſuccorum ad maſſam ſanguinis acceſſionem tardior horum & lentior, præſertim per vaſcula corporis minima ſe & excretoria, fit progreſſus; quibus dein obſtipatis & anguſtatis uberior ſordium excrementitiarum viſcidarum & ſalinarum emergit proventus.

§. II.

Neque illud reticendum eſt, & Venere & Baccho qui immoderatius utuntur, eos quam facile fieri podagricos: nam nimia ſeminis, ceu delibatiſſimæ, elaſticæ & temperatæ in ſanguine ſobolis, emiſſione, ſolidarum partium vis motrix minuitur, & debita fluidarum temperies valde immutatur. Largiori vero vinorum, præſertim acidorum, potu materia ingeneratur tartarea, quæ ſi per renum colatoria non tranſit, motu ſæpe critico ad partes externas, uti in ſenibus, nephriticis & hypochondriacis fieri obſervamus, transfertur, quæ tophaceam in pedibus materiam producit. Præterea & id multiplici conſtat obſervatione, eos præſertim, qui in adoleſcentia ſanguinis per nares frequentia habuerunt profluvia & defluxiones catarrhales; item qui in juvenili ætate ſputo cruento & pectoris affectu; in virili molíminibus hæmorrhoidalibus laborarunt, facile dein ætate procedente podagram incurrere & arthritidem; idque eo magis, ſi fluxus talis ordinem,

modum & tempus non ſervat, ſed intempeſtive ſupprimitur, aut aliis de cauſis retinetur.

§. III.

Tum quoque inter cauſas remotas jure referri debet, quod ii, qui a parentibus prognati ſunt podagricis vel arthriticis, in hunc morbum maxime ſint proclives, ita prorſus, ut non raro primis ætatis annis podagra ipſos invadat, diutius inhæreat, longeque pejoribus ſymptomatibus diſcruciet; nullam certe aliam ob cauſam, quam quod per conſtitutionem, parentum vitio contractam, tota natura, maximeque motrices & extremæ corporis partes valde ſint enervatæ & a tono dejectæ. Et a naturali harum partium membranacearum, nervoſarum admodumque ſenſibilium atonia, ſive vi tonica elaſtico-ſyſtaltica valde labefactata unice deducendum eſſe arbitror, quod materia impurior ſalina, in ſanguine & ſuccis ſenſim ſenſimque collecta, motu febrili inſurgente, non tam ad alias partes, quam ad articulos pedum vel manuum per metaſtaſin transferatur. Quod ſi enim humores ad hæc ligamenta & glandulas articulorum debilitatas appulſi, minus libere & efficaciter poſſunt revehi, fit omnino, ut moleſta ſtagnatione & mora magis corrupti & acres, concreti vel acriores redditi, moleſtiſſimos & vix tolerabiles dolores & ſpaſmos excitent. Tandem pariter ad peculiarem harum partium debilitatem & inde oriundam podagræ geneſin aliæ concurrunt cauſæ, quas inter ſingularis debetur animadverſio frigori, quo pedes, ceu remotiſſimæ a fonte caloris partes præ omnibus reliquis affliguntur; accedit etiam, quod ſanguinis progreſſus, qui ob perpendicularem ſitum & longum iter a pedibus ad cor decurrendum ordinario in inferioribus partibus tardior eſſe ſolet & languidior, humorum in vaſis ſtagnationi & ſtaſi multum velificetur, idque omnium maxime, quando preſſio ac ſtrictura vaſorum per calceos inducta concurrit.

§. IV.

Exploratis ſic genuinis doloris podagrici cauſis & generatione, proximum nunc eſt, ut diſpiciamus, qua methodo, quibuſque remediis ad dolorificam hanc paſſionem levandam & præcavendam, ſeu potius ad proximam ejus cauſam præſcindendam prudens Medicus uti debeat. Cum vero ſupra abunde ſatis a nobis indigitatum & in vulgus uſque notum ſit, eos præcipue homines, qui propter vegetiorem appetitum & nimiam ciborum valde nutrientium voracitatem magnam ſanguinis & humorum copiam in corpore colligunt, podagræ eſſe obnoxios: nihil omnino prius, nihil poſterius habere debet Medicus, de ægrotantium ſalute vere ſollicitus, quam ut plethoram apta ratione minuat. Jam vero ad hanc tum curandi, tum præſervandi fine ſubtrahendam nullum melius, nec præſentius extat remedium, præter convenientes & pro ſubjecti ratione prudenter inſtituendas ſanguinis miſſiones; quas inter primas tenent venarum ſive brachii ſive pedis ſectiones. Et hac in re non modo experientiam, optimam rerum medicarum magiſtram, verum etiam venerandam antiquitatem habemus ſuffragantem. Ita Celsus de eximio venæ ſectionis contra podagram uſu eleganter tradit *Lib. IV. c. 24. ubi ſentiri cœperunt dolores articulorum, ſanguis mittendus eſt; id enim inter initia ſtatim factum, ſæpe annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem bonam præſtat.* Nec Hippocrates ab hac ſententia videtur alienus, dum idem remedium nullo fere in morbo graviori & diuturno intermittendum eſſe ſtatuit. Nec ego quenquam facile inter recentiores Medicos, ſolidis in arte fundamentis inſtructos & praxeos exercitia his ſuperſtruentes eſſe confido, qui hoc divino ſummaque virtutis remedio in podagræ affectu carere nos poſſe adſererent, ut potius iſtud ceu probatum & præſtantiſſimum auxilium in ſcriptis ſuis celebrent atque commendent.

§. V.

Sicut vero nullum tam excellens datur remedium, quod non perverſo uſu poſſit nocere: ita de recta venæ ſectionis in noſtro affectu adminiſtratione varias obſervare decet cautelas; quarum præcipuæ ſunt, ut primo omnium Medicus individua probe inter ſe diſtinguat, & an ſanguine potius, quam ſero & impuris humoribus ſcateant, curate inquirat. Utut enim in ſanguineis venæ ſectio, etiam repetita, magno plerumque ſit præſidio: nihilominus tamen in ſeroſis corporibus, maxime ſi mala ciborum concoctio concurrat, tutius omittitur, aut certe in parciori quantitate debet inſtitui. Ratione temporis, non ſine fundata ratione venæ ſectiones commendandæ ſunt vernales & autumnales, quia his anni converſionibus arthritidis & podagræ frequentiores ſolent eſſe inſultus. Neque interdum fructu ſuo caret, ſi in iis, qui ad talem morbum proclives exiſtunt, eumque jam aliquoties experti ſunt, ſanguinis miſſio brevi ante paroxyſmi conſueti impetum inſtituitur, quia hac ratione perſæpe efficitur, ut morbi podagrici brevior & felicior ſit decurſus. Denique, cum in certis ſubjectis non parum interſit, quo in loco ſanguis mittatur, in brachio rectius, an in pede, dicam hac de re breviter quid ſentiam. Si quis hæmorrhoidum fluxui adſuetus, hoc ceſſante vel ad tempus ſilente variis pathematibus ad podagræ geneſin tendentibus affligitur, præter remedia antiſpaſmodica & pilulas balſamicas ad Becheri mentem confectas, nec non elixiria temperata balſamica, optime confert inſtituta venæ in pede ſectio, vel hirudinum ad venas ſedales applicatio, quia reſeratis hæmorrhoidibus peſſima ſymptomata vel prorſus exſpirant, vel multum tamen mitigantur. Contra vero qui ad hæmorrhagicam hanc excretionem a natura minus diſpoſiti, molimina ad eandem & in locis inferioribus, maximeque pedibus moleſtias quaſdam ſentiunt, in iis ſanguinis e vena brachii miſſio ſæpe non ſine fructu admittitur.

§. VI.

Alter ſanguinis redundantiam imminuendi modus eſt ſcarificatio; in qua commendanda, licet alioquin multi ſint, tum Veteres tum Recentiores rerum medicarum ſcriptores: valde tamen mirandum eſt, quod de ſpeciali ejus in podagra uſu tam raram faciant mentionem, quanquam omnino non deſint, qui eam præſcripſerint. Ita ex antiquioribus allegare lubet Celsum, qui *Lib. II. Cap. II.* præclare diſſerit: *uſus cucurbitulæ præcipuus eſt, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliqua vitium eſt, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem ſatis eſt.* Et inferius *Opus eſſe cucurbitula poteſt in morbis longis, quamvis & iis jam ſpatium aliquod acceſſit. Idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum, neque unquam periculoſum eſt, etiamſi in medio febris impetu, etiamſi in cruditate adhibeatur.* Platerus *Lib. II. Prax. med. p. 632.* ſcarificationis in planta pedum inſtitutæ utilitatem, exemplis hac methodo curatorum variis comprobavit; quam ſententiam etiam fovet *Illuſtr.* Præses, qui in *Med. Syſtem. Rat. Tom. IV.* ſingulis trimeſtribus, cucurbitulas dorſo pedis applicandas, longa edoctus experientia ſuadet. Neque rationi medicæ taliſmodi remedium repugnat, dum ejus uſu, non modo difficilior

cilior ſanguinis ad cor recurſus adjuvatur commodeque humerum in pedibus ſtagnationes prohibentur, verum etiam acris materiæ in his partibus progenies & accumulatio impeditur; hinc etiam venæ ſectioni ſcarificationem nonnunquam ſubſtituere, imo anteponere juvat in iis, qui ob laxiorem & ſpongioſiorem corporis habitum multum ſanguinis in venis alunt & ad ejuſdem in pedibus ſtagnationem ſunt diſpoſiti.

§. VII.

Quamvis vero hæc ſanguinis imminutioni dicata remedia eximium in dolore articulari tam præcavendo quam mitigando præſtant emolumentum, minime tamen ipſa ſola ſufficere, ex penitiori podagræ conſideratione elucet; quandoquidem tantum palliativam ſeu temporariam afferunt opem, ipſam vero cauſam, quæ ſanguinis accumulationi favet, minime demunt. Multo magis origo mali, quæ in vivendi regimine quærenda eſt, debet præſcindi. Ab intemperantia enim in victu, ut ſupra demonſtratum dedimus, oritur plethora & cacochymia, partiumque nervoſarum & muſculoſarum tonus mirum debilitatur, ut dein facilis ad podagram fiat tranſitus. Quicunque itaque vitam a podagra immunem ſervare, vel ejus acceſſiones avertere, vel minimum has mitigare intendit, is temperet ſibi ante omnia a multa ciborum copia certiſque temporibus cura utatur per abſtinentiam ſive inediam. Etenim teſtantur Medicorum, qui poſteritati monumenta reliquerunt, obſervationes, plures ſumme podagricos ſola temperantia & abſtinentia a victus plenitudine fuiſſe reſtitutos. Ita VALESIUS *in Obſerv. Med.* exemplum allegat viri, qui quotieſcunque paroxyſmum imminere ſuſpicatus eſt, ab omni cibo & potu abſtinuit morbumque ita declinavit. Simile quid annotavit RHODIGIN. *Antiquæ. lect. Lib. XIII. C. XXV.* ubi quoſdam morbo articulari laborantes bonorum ciborum & lauti victus abſtinentia ad ſimplicem menſam & pauperes cibos redactos convaluiſſe refert. Ac certe ſingularis fereque divina, uti in plurimis morbis, ita ſpeciatim in podagra, inediæ eſt energia: ſiquidem cruditates egregie concoquit & emendat, vitioſos & inutiles humores diſſipat, cuique parti tenacius inhærentes ſuccos potenter movet totumque corpus magis patens reddit ac pervium, ut dein ſtagnationes & obſtructiones expediantur facillime. Unde rectiſſime mihi judicaſſe videtur FERNELIUS, cum conſueti cibi ac potus dimidium in podagra circumcidendum præcipit, imo famem quandoque tolerare bonum judicat.

§. VIII.

At vero non ſola ciborum quantitas, verum etiam nimium diverſa ipſorum qualitas podagra vexatis admodum eſt infenſa. Cujus rei teſtem cito graviſſimum SYDENHAM, qui in *Tr. de podagra* egregie ſcribit: *unica ciborum ſpecie ſingulis paſtibus veſcendum arbitror, cum varia carnium genera ſimul ingeſta plus ventriculo moleſtiæ faceſſunt, quam unicum, quod omnia iſta quantitate exæquat.* Idem optime docet FORTIS, qui *Tom. II. Cent. IV. Conſ. 68. varietas*, inquit, *ciborum tanquam peſtis podagricis fugienda, minus enim ex ſimplicibus malus nocet, quam bonorum multiplicitas; ſimplex itaque cibus eſt non ſolum ut unus, verum & a condimentis immunis.* Ut vero clarius cuique pateat, quinam ſelectus ciborum ſit habendus: has, quæ ſequuntur, præſcribere placet regulas diæteticas: abſtineant quam maxime podagra tentati plethorici a carnibus, præſertim animalium adultiorum elixatis, a cibis nimium pinguibus, juſculis alimentoſis, placentis & aliis ex lacte, ovis ſaccharo & farina triticea paratis, quippe quæ ita ſunt comparata, ut ſuccorum viſcidorum & gelatinoſorum ubertate admodum accumulent fluida, quæ poſtea per tenuiſſimam corporis compagem circulari motu difficilius feruntur. Præſtat potius iis uti cibis, qui levioris ſunt materiæ & facilioris concoctionis, quique ſimul exſiccandi & leniter roborandi pollent efficacia, ut ſunt carnes juniorum animantium aſſatæ, ex quibus etiam commode parari poſſunt juſcula, additis ſimul radicibus & herbis, ut naſturtio aquatico, radicibus graminis, aſparagi, ſelleri, petroſelini, herbis lactucæ, endiviæ & hujus generis aliis. Conducunt quoque ceraſa exſiccata, uvæ paſſæ tam majores quam minores, nec non pruna Damaſcena & Hiſpanica vel ſola vel in juſculum redacta. Denique panis omnium optimus eſt bis coctus, longeque ſalubrior, quam quidem recens obſervatur.

§. IX.

Præterea inter præſidia tum curandæ, tum præſervandæ podagræ plurimum ſibi vendicat motus & debita corporis exercitatio, cujus eximia utilitate HIPPOCRATES permotus *Lib. II. Prædict. labores podagricis magnopere commendat.* Nec quiſquam fere arti Hippocraticæ addictus eſt, qui aliter ſentiret. Ex innumeris allegaſſe ſufficiat MERCURIALEM, qui in *Prælect. Bonon.* ad robur membrorum conciliandum mirifice motum extollit his verbis: *quanto plus exercentur podagrici, tanto majus robur acquirunt; & quo magis vacant, eo magis flacceſcunt & ſolvuntur eorum vires.* Quum vero variæ dentur motuum inſtituendorum ſpecies, videamus, quænam ex iis congrua podagricis æſtimari poſſit, quæ minus. BAGLIVUS quidem *Prax. Med. Lib. I. Cap. de Calcul. & Podagr.* podagricos, ſi aliter exerceri non poſſent, voce, ſcilicet vel libros recitando, vel cum amicis colloquendo, vel canendo exerceri jubet; majorem tamen uſum præſtare videtur motus corporis, vectione inſtitutus, quem etiam SYDENHAM in *Tractatu de podagra* ipſo in paroxyſmo ſuadere non veretur: *quamlibet*, inquit, *in paroxyſmi initio ægro impoſſibile videatur, ut lationem in curru, multo minus ejus motum ferre queat: attamen ſi id tentaverit, non ita diu poſt ſentiet, ſe minus a tali motu dolere, quam cum ſe in cathedra domi contineret.* Omni vero motus generi nonnulli eruditiſſimorum Medicorum præferre ſuſtinent equitationem, nec ſine ratione inſignique emolumento. Sic primus fere omnium ORIBASIUS magnas ſanandi partes equitationi in multis morbis & ſpeciatim in podagra tribuit, dum *Lib. IV. equitatio*, inquit, *magis quam omnes reliquæ exercitationes corpus a podagra præſervat.* Cui aſſentitur laudatus SYDENHAM, qui loc. cit. ceu arcanum ad podagram ſubjugandam remedium equitationem deprædicat his verbis: *ſane diu multumque mecum reputavi, quod ſi cui innoteſceret medicamentum, quod & celare vellet, æque efficax in hoc morbo, ut in chronicis pleriſque, eſſet equitatio conſtans & aſſidua.*

§. X.

Ut noſtram interponamus ſententiam, vera omnino eſſe judicamus, quæ in Medicorum ſcholis de corporis exercitatione, in chronicis paſſionibus frequenter ſuſcipienda, præclare docentur. Nam, cum vita, ſanitas & omnes quæ inde pendent functiones unice a motu fluida inter & ſolida vigente ſartæ tectæque conſerventur: hic autem a decenti corporis exercitio mirum adjuvetur; in aprico eſt, quantum in morbis, qui a deficiente ſolidorum ac fluidorum inter ſe actione & reactione, ortiſque inde humorum ſtagnationibus proveniunt, conducat motione ac labore

labore decenter uti. Ne cui vero in adhibendo exercitationis remedio vel minima delinquendi ſuperſit occaſio, monita quædam valde neceſſaria obſervanda arbitror. Ita præcipue omnium determinatus & cujuſvis ægrotantis naturæ & viribus accommodatus inſtituatur motus; alioquin corpus jam imbecillum imbecillius adhuc redditur. Dein optime ſuſcipitur mane, aliquot horas ante prandium, ſub ſerena cœli temperie; ſiquidem vacuo ventriculo & peracta chyli per totum corpus diſtributione, omnes excretiones facilius ſuccedunt, maximeque utiliſſimum tranſpirationis negotium fit liberius; unde non modo humores podagricorum viſcidi, tenaces, & hinc inde ſtagnantes egregie attenuantur & in circulari curſu promoventur, verum etiam acres particulæ e corporis ambitu expelluntur commodiſſime. Longe vero præſtantior effectus a tali motu erit expectandus, quando ſufficienti aquæ ſalubris potu ſecundatur. Tali enim ratione impeditur primo, ne ſubtiliori portione ſanguinis per auctam tranſpirationem diſſipata, hic ſpiſſior evadat: dein, ne ſalia per motum inteſtinum fortiorem e complexu ſuo extricata copia increſcant & acriora fiant, ſed potius ſufficienti involuta vehiculo, facilius exhalent; & denique, ne corpora, præſertim imbecillia, motu fortiori exagitata, loco ſperati auxilii majus damnum ex virium qualicunque jactura percipiant.

§. XI.

Permultum quoque intereſt ad dolorem podagricis ſolennem præcavendum & abigendum, quo quis potus genere utatur; ſiquidem ſatis conſtat, podagram inter alia potiſſimum a perverſo potulentorum uſu ſua ducere incunabula. Exemplo ſunt ſtrenui vinorum potatores, qui intemperantia ſua non modo graves articulorum morbos ſibi contrahunt, verum etiam ab illis, niſi in tempore ſobrietati ſtudent, difficulter admodum, imo plane nunquam liberantur; ſicut e contrario variæ auctorum obſervationes fidem faciunt, multos arthritide vexatos ſola vinorum abſtinentia exoptatæ ſanitati fuiſſe redditos. Ex innumeris, quæ hoc probare poſſent, adducere placet caſum inprimis notabilem, quem habet TRINCAVELLIUS *de rat. curand. particular. hum. corp. affect. l.* 12. *c.* 11. ſe noviſſe, dicit, Medicum Venetiis, qui cum non parum infeſtaretur a podagra, vinique potum intermiſiſſet, liber tandem ab omnibus iis moleſtiis ita evaſerit, ut amplius uſque ad ultimum ſenium, imo ad mortem horum dolorum expers fuerit. Si quis igitur dirum hunc affectum præſervare, vel præſentem mitigare prorſuſque debellare cogitat, abſtineat omnium maxime a vinis ſive dulcibus, ſive ſpirituoſo-acidis, vel magna tartari copia fœtis; fugiat quoque ſpiritus ardentes, ſive vina aduſta, & cereviſias valde ſaturatas multumque alimenti ſuppeditantes. Singula enim hæc potulenta ita ſunt comparata, ut partim humores coagulando & incraſſando, liberiorem ſanguinis circulum cum ſalutaribus ſe-& excretionibus valde retardent, partim cum ſubtili terreſtri & ſulphurea ſanguinis parte congrediendo, ingentem materiæ tartareæ proventum & ſic dictos tartareos morbos, quos inter podagra eminet, ingenerent. Vinum vero ſpecialius quod attinet, quamvis podagricis utplurimum obſervetur infenſum, poteſt tamen tuto admitti in ſubjectis, ventriculi & inteſtinorum quadam imbecillitate laborantibus, quorum vires, modice ſumtum, egregie ſæpe reſtaurat. Neque dein iis vini uſus plenarie eſt interdicendus, qui vel a prima infantia eidem adſueverunt, vel minus inde incommodi ſentiunt, hac tamen obſervata cautela, ut vinum ſeligatur bonæ notæ vetus, & cujuſvis naturæ appropriatum; a quo eo minus damni ſperandum eſt, ſi cum ſufficienti aquæ portione remixtum dilutumque fuerit.

§. XII.

Exploratis potuum generibus, quæ plerumque nocivæ ſunt indolis; diſquirendum nunc eſt, quinam potus podagricis magis conveniat & tuto a Medico commendari poſſit. Aptiſſimus autem omnium jure cenſendus eſt aqua pura frigida ſubtilis & levis, cui veteres Medicorum antiſtites HIPPOCRATES, GALENUS, CELSUS pluresque alii ſummas in morbis tam acutis quam chronicis perſanandis tribuerunt virtutes, ejuſque uſum potiſſimum in gravioribus & vix ulla ſive interna ſive externa medicina leniendis, extremarum partium affectionibus, quales ſpeciatim ſunt arthritides, contracturæ, exulcerationes &c. maximo cum ægrotantium levamine commendarunt. Nec recentioribus probe in arte verſatis Medicis obſcurum eſt, quanti referat in podagra aqua decenter uti; unde BRUYERINUS *Lib.* 16. *c.* 3. *de re cibaria* rite ſcribit: *annotatum eſt eos, qui inter initia podagræ doloriſque articulorum, vini potum ſubtrahunt & ad aquam confugiunt, magnificum ſentire præſidium ac pene divinum; imo fere compertum eſt, aquæ potatores raro aut nunquam podagricos aut chiragricos effici.* Ac certe aqua pura frigida ex fonte recens hauſta, parteque ſubtiliori per aeris calorem nondum privata, ſingulis, tum præſervandi tum curandi doloris podagrici, indicationibus ex voto ſatisfacit. Etenim, humido ſuo, quo conſtat, elemento, ſanguinem omneſque humores fluxiles conſervat, ne, minimis ſe-& excretoriis vaſculis obſtructis, hi ſenſim ſenſimque increſcentes, varios affectus producant; aereo-æthereo, quo aqua bona copioſe pollet, principio & quod puritatem fœneratur ac levitatem, intime ſe vaſis & poris inſinuando, ad craſſos humores fundendos longe exiſtit aptior; frigore denique partibus ſolidis, quæ fluida regunt, majus robur, majoremque vim ſyſtalticam conciliat, adeoque ſanguinis circuitum una cum ſe-& excretionibus promovet; quibus rite conſtitutis nec facile podagra invaleſcit, nec ſi jam præſens eſt, tanta vehementia furit.

§. XIII.

Quod ſi vero aquæ ejuſmodi puræ ac levioris fontanæ deficit copia, pluviatiles, poſt copioſas imbres collectæ & clariores in vaſe redditæ, in uſum vocari poſſunt. Verum ſi ventriculus, cereviſiæ vel vino diutius adſuetus, talem potum plane renueret pejuſque inde haberet, aquam cum ſpeciebus ſapori æque ac naturæ amicis & medicinali adverſus podagram virtute inſtructis decoquere præſtat. Percommode autem huic uſui inſerviunt varia ex vegetabili regno deſumta ſimplicia, ut radices ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, chinæ, polypodii, liquiritiæ, cortices ligni ſaſſafras, fraxini, cinamomi, viſcus quercinus, nec non avena & hordeum, quibus gratiæ conciliandæ cauſa commode in coctione adjiciuntur paſſulæ minores. Probe tamen circa uſum horum decoctorum obſervandum eſt, ut largiori paulo quantitate, ad tres ſcilicet vel quatuor menſuras quotidie hauriri, maximeque in cura per inediam loco potus ordinarii adhiberi debeant.

§. XIV.

De potuum calidorum uſu, non eſt quod plura commemoremus, cum apud plurimas gentes Theæ & Caffee potus adeo ſit ſolennis, ut ſingulari commendatione opus non habeat. Neque calida ejuſmodi infuſa, quatenus cruditates a concoctione relictas egregie corrigunt & cuticularem perſpirationem promovent, ſuo deſtituuntur effectu, ſed potius in

plurimis

plurimis chronicis affectionibus, adeoque etiam in podagra, magnam merentur laudem; unde etiam BAGLIVUS *l. c.* egregiam in medendo virtutem iisdem tribuit & ZECCHIUS *in Conſult.* vel ſolam aquam ſimplicem, ad libram circiter unam ante prandium calide hauſtam, pro ſecreto adverſus podagram remedio habuit. At vero, cum calidis hiſce potionibus, ſi paulo majori hauriuntur quantitate, non modo ventriculus valde debilitatur, ſed partes quoque ſanguinis ſulphureæ & acres ſubtiliores redditæ, ad extremas partes magis propelluntur, cavendum omnino eſt, ne in exceſſu delinquamus.

§. XV.

Prius vero, quam ulterius progrediamur, paucis indicandum arbitror, nullum eſſe potus genus, quod in podagræ affectu, tum præſervatoria tum curatoria intentione, certiorem ac efficaciorem exſerat virtutem, quam quidem aquæ minerales, nobiliſſimis medendi viribus inſtructæ; quas inter, Selteranas, ob temperatiorem indolem ſuam, omnibus reliquis præferendas & commendandas exiſtimo. Conſtant quippe præ ceteris inſigni ſpiritus mineralis copia; conſtant aqua ſubtili ac leviori, &, quod maximum eſt, ſal intus fovent purius alcalicum; unde non modo in lentis humoribus diſſolvendis, acribuſque temperandis eximium præſtant uſum, verum etiam, urinæ excretionem promovendo, ſalium tartareo-fixorum concretionem potenter avertunt; adeoque a podagra & calculo, qui plerumque unius ejuſdemque ſunt ſoboles, optime præſervant atque liberant. Nec facile quisquam arbitrabitur, noſtrae iniquum Selteranis ſtatuere pretium, ſed potius ſingulis probe penſitatis, nobiſcum conſentiet; ſiquidem ab illo ipſo tempore, cum primum ab *Illuſtri* PRÆSIDE ſunt exploratæ, & ad medicum uſum traductæ, ſe ſua in difficillimis morbis utilitate ita probarunt, ut non modo in univerſa Germania ſint celebratiſſimæ, ſed in diſſitas quoque regiones devectæ utiliter adhibeantur.

§. XVI.

Hactenus dicta, quæ curam per inediam maxime reſpiciunt & rectam podagræ tractationem in corporibus plethoricis docent, minime locum inveniunt, ubi arthritis ejuſque ſpecies podagra non ſuccis refertia, ſed macilentiora ſalſiſque & bilioſis ſuccis ſcatentia & cholerici temperamenti adoritur corpora; vel ubi a Veneris abuſu, nimio vini potu & familiari iræ affectu ſuam traxit originem. Tum enim ineunda eſt longe alia curationis methodus, quæ non tam ad minuendos & evacuandos, quam temperandos vitioſos humores, motuſque nimis intenſos ſedandos debet dirigi. Quod quidem optime perficitur per remedia blande demulcentia, nutrientia & deperditum vigorem reſtituentia; inter quæ principem ſibi locum vendicat conveniens lactis, præſertim aſinini, uſus: hoc enim uti domeſticum, leniſſimum & antiquiſſimum eſt remedium, ita omnibus tantopere alias commendatis jure meritoque eſt præferendum; qua in re præcipui tum veteres, tum recentiores medicinæ ſcriptores, ex quibus probatiſſimos tantum adducere placet, conſentiunt. Ita præclare de lacte aſinino ſentit HIPPOCRATES, dum *Lib. de articulat.* ait: *lac aſininum duas affert opportunitates ad podagræ curationem neceſſarias, neoteriſmum & epicraſin; & illud quidem, quia viſcera temperat, & ad temperamenti & complexionis mediocritatem revocat.* Hujus auctoritatem ſequuti ſunt ii, quos poſtera ætas tulit, Medici. Hinc CELSUS *Lib. IV. c.* 24. ſcripſit: *quidam cum aſinino lacte poto ex toto ſe liberarunt, ita vero tuum hoc malum evaſerunt.*

Quocum conſentit GALENUS *l. alim.* 7. *meth.* 6. ubi lactis aſinini potatores, excrementis expurgatis, a cruciatu arthritico immunes reddi aſſerit, quia hoc lac ſeroſiſſimum eſſet & liquidiſſimum; cujus effectus in podagra mentionem quoque facit PLINIUS *Lib.* 28. Recentiorum auctorum quoad lactis uſum ſententias hoc loco accumulare ſupervacaneum eſſe arbitror, partim quod *Illuſtr.* PRÆSES in diſſertat. *de lacte aſinino* id jam ſatis præſtitit, partim quod excellens lactis in medendo uſus per ſe ſatis eſt perſpicuus, ita ut adſerere nullus dubitem, nonnullos vel ſolius lactis cura a truculento podagræ morbo poſſe liberari & ad ſenium felicius perduci, uti idem *Illuſtr.* PRÆSES *c. l.* §. 25. docuit variiſque exemplis comprobavit. Neque tam mirabilis effectus ratio ex longinquo erit repetenda. Etenim cum lac, præſertim vero aſininum, propter ſua, quæ fovet, ingredientia inſignem ſuccos diluendi & edulcorandi, ſalium acriorum ſpicula involvendi ſtrictaſque fibras relaxandi & corpora carne & viribus exhauſta nutriendi obtinet potentiam; manifeſtum eſt, quod ad cauſas podagræ tollendas aptiſſimum ſit remedium, modo ſatis diu & in ſufficiente quantitate, quam largiorem eſſe decet, adhibeatur.

§. XVII.

Præter lac vero ejus quoque ſerum, quod delibatiſſima lactis a rudiori & caſeoſa ſubſtantia ſeparata portio eſt, præſtantiſſimas juvandi continet facultates, imo nonnunquam quibuſdam ſubjectis & maxime iis, qui malum hypochondriacum cum podagra conjunctum, magnamque acidi copiam in primis viis continent, tutius adhuc præſcribitur, quam lac ipſum. Hinc ſeri lactis uſum ab *Illuſtr.* PRÆSIDE pluribus podagricis cum fructu fuiſſe commendatum memini; id quod etiam ex *Diſſert. ejus de ſaluberrima ſeri lactis virtute* ſatis patet, ubi ſimul convenientem adhibendi modum reperire licet.

§. XVIII.

Hæc itaque ſunt quæ de cura doloris podagrici præſervatoria proponere voluimus remedia; quæ utut videantur ſimpliciſſima, naturæ tamen humanæ apprime ſunt congrua morbique cauſis removendis aptiſſima, ſi debita ratione debitoque ordine adhibeantur. Quare iterum iterumque inculcamus, ut talis remediorum commendatorum habeatur delectus, qualem obſervandum monſtravimus. Quum enim in plethoricis & ſic dicti ſanguinei temperamenti ſubjectis podagra magis a ſtaſi ſanguinis ſeroſi in vaſculis arterioſis proveniat; in cholericis vero ſerum magis acre, tenue & bilioſum in culpa ſit; & contra in melancholico-hypochondriacis, iiſque omnibus, qui calculoſæ ſunt diſpoſitionis, ſalis tartarei concretio intra membranas & ligamenta articulorum contingere ſoleat, indeque perſæpe podagræ cum calculo fiat alternatio: facile judicari poterit, quare unum idemque remedium in diverſis ſubjectis non ſemper unum eundemque præſtet effectum, & cur malum nonnunquam difficulter, aut nulla plane medicina poſſit curari.

§. XIX.

Enim vero adhuc aliæ dantur cautelæ, ad rectum vitæ genus neceſſariæ, quas brevibus jam tradere conſultum ducimus. Maxime autem omnium præter debitam corporis exercitationem & in cibo potibuſque ſpirituoſis temperantiam, moderamen in venere commendandum eſt. Namque crebrior cum fœmina cohabitatio, dum ſubtiliorem ſanguinis portionem ſubtrahendo, corpus imbecillum reddit, non modo

modo in multis præcipuam morbi podagrici cauſam conſtituit, ſed omnium quoque remediorum effectum peſſundat, niſi temperantius uſurpetur, vel plane omittatur. Unde rectiſſime mihi judicaſſe videtur BAGLIVUS, qui loc. cit. *impoſſibile eſt*, ait, *quin Veneri & Baccho ad ſatietatem indulgentes arthritide corripiantur eaque perpetuo conflictentur.* Quicunque igitur podagricorum bene ſibi conſulere cupit, aut peſſimam coeundi conſuetudinem omni ſtudio emendet, aut ſuo ipſius damno ſummoque dolore ſentiat, podagram ſuam in alteram naturam tranſiiſſe, nullaque medicina eſſe abigendam.

§. XX.

Pari propemodum ratione quævis animi pathemata graviora, juſta affectuum moderatione præcavere debent arthritici, ut perite monuit SYDENHAM *in tract. cit. animi*, inquit, *tranquillitas omni ope ſtabilienda eſt, cum perturbationes omnes, ſi repagula ſemel effringunt, ad podagræ generationem & incrementum multum faciunt.* Maxime autem nocet metus, triſtitia & iracundia, quæ quantum ad variandos & in pejus mutandos ſanguinis ac fluidi nervei motus valeant, ſatis conſtare arbitror. Speciatim tamen de iræ affectu conſtat, quod præ cæteris ſummam nocendi potentiam obtinet. Non enim ſolum ſtatim pejus inde habent podagrici, ſed etiam paroxyſmos perferre debent longe intenſiores, ac multo frequentiores, neque raro iræ paſſio podagræ cauſa exiſtit occaſionalis.

§. XXI.

Nonnulli equidem auctores iræ & mœroris affectum perſæpe utilem in podagra fuiſſe referunt, eumque artificioſe in quibuſdam excitare commendant, at me judice infida & Medico plane indigna ſunt hæcce remedia. Quis enim ſana ratione prædictus podagricis terrorem ſuaderet injiciendum? quum inde æque facile, imo magis adhuc, tragicus, quam exoptatus effectus ſit expectandus. Nec aliter ſentiendum eſt de frigoris ad fugandam podagram uſu, de quo PECHLINUS refert, fuiſſe chiliarcham, qui doloribus nimis vexatus, nudis pedibus glaciem transgreſſus ſolatium palliative accepiſſet. Hoc autem ſicut heroicum facinus eſt, ita magis debemus mirari, quam imitari.

§. XXII.

Tum quoque podagricis jure commendari debet regia illa virtus patientia, qua non tantum paroxyſmus, ſi præſentitur, ſæpe avertitur, verum etiam, ſi præſens eſt, facilius toleratur; idque exemplo invictiſſimi Imperatoris Caroli V. quem patientia, ceu anodyno in podagra uſum fuiſſe tradunt. Et cum denique omnis remediorum effectus ſit irritus, niſi quis accurate ſingula ſecundum Medici præſcriptum applicet; ſerio imperamus obedientiam ſtrictiſſime Medico prudenti præſtandam. Qui vero dictis non obedientes nihilominus genio ſuo indulgent, hi modo gravia iſta, quæ paroxyſmi tempore perferre tenentur, ſymptomata curatius ſecum perpendant. Quot enim ac quanta in ferociſſimo hoc affectu experiantur podagrici tormenta & cruciatus, ex allegatis cauſis earumque agendi modo, facili negotio colligere licet. Quippe tam exquiſiti ſenſus partes, membranæ ſubtiliſſimæ, perioſtium, ligamenta, nervi & vaſcula arterioſa miſerrime affliguntur; imo humor in nonnullis ſubjectis ſtagnans tam acris & corroſivus eſt, ut tendines etiam & ligamenta exedat, uti SCHENCKIUS *Lib. V. Obſerv. p.* 750. ex ſectionibus habet, *quod ductibus ſinubuſque oblongis & anguſtis ita perforata arthriticorum ſæpe fuerint membra, ac ſi tineis vel xylocampis exeſa fuiſſent.*

§. XXIII.

Supereſſent quidem remedia, ut emetica, laxantia, clyſteres hujuſque cenſus alia, quorum adhuc injicienda eſſet mentio; ſiquidem iiſdem præcaveri ſolet, ne ventriculus & inteſtina multis cruditatibus & flatulentiis onerata liberum ſanguinis progreſſum impediant, vel humores cacochymicos magis accumulent. At vero cum omnia, quæ huc pertinere videntur auxilia *Illuſtr.* PRÆSES *in Med. Syſtem. Tom. IV. Part. II.* jam optime, additis cautelis, pertractaverit, commode hoc labore me ſuperſedere poſſe exiſtimo, nullus dubitans, quin commendata, ſi debito ordine debitiſque cautelis adminiſtrentur, omne in podagra præſervanda abſolvant punctum, ut dein aliis vix opus habeamus. Quæ enim ab auctoribus nonnullis tantopere prædicantur externa, ut fonticuli, veſicatoria, moxa Indorum & alia, hæc invicem ejus plerumque ſunt indolis, ut tantum tranſitoriam afferant opem, adeoque non magnam mereantur laudem, præſertim cum ſatis uſu cognitum exploratumque ſit, in ipſa horum remediorum applicatione, non raro cauſæ ut cauſæ committi fallaciam; unde recte a rationalibus Medicis proviſum eſt, ne quis a particulari medicamentorum in certo ſubjecto adhibitorum effectu, ad ipſorum univerſalem & ſpecificam juvandi facultatem concludat.

§. XXIV.

De balneorum tam naturalium quam artificialium in podagra uſu commemorare placet, quod, licet non omnino ſint repudianda, ſummam tamen deſiderent cautionem, niſi loco ſperati auxilii damnum inde reportare velimus. In genere autem de recto ac genuino balneorum adhibendi modo notandum eſt, I. quod nunquam in uſum debeant vocari, niſi corpore a ſordibus probe expurgato, ſanguiniſque copia, ſi abundat, paulo imminuta, ne forte impuri ſucci intenſius commoti, ad alia eaque nobiliora loca tranſeant. II. quod ſemper temperatiora applicentur; & denique III. quod ſpecialis eorundem quoad individua habeatur ſelectus, quia nervoſa ſummaque ſenſibilitate prædita cutis non ſine diſcrimine omnia poteſt tolerare, ſed magis nonnunquam inde læditur. Quibus cautelis probe obſervatis, non facile quiſquam peccabit, ſed potius inſigne partibus affectis levamen afferet.

§. XXV.

Præterea notandum eſt, quod inprimis podagrici cavere debeant remedia ſtricte ſic dicta adſtringentia, ſive interne ſive externe adhibita, quorum applicatio nunquam fere non magnam inducit perniciem. Quod itidem valere arbitror de narcoticis & opiatis, ad quæ plurimi medicorum iniquo ſæpe auſu, tanquam ad ſacram confugiunt anchoram, minus perpendentes, infidam horum Mediorum eſſe operationem, niſi ſummo cum judicio adhibeantur. Topica vero quod attinet, licet non prorſus a podagræ præſervatione & curatione ſint excludenda, ingens tamen & ſæpe irreparabile damnum ab iis perverſe adminiſtratis inductum fuiſſe conſtat; quare conſultius eſſe duco, ut omittantur, quam pejora podagricorum ſymptomata arceſſantur.

§. XXVI.

Denique non poſſum, quin de aliquibus remediis, quæ ſpecificorum & antipodagricorum nomine veniunt, pauca adjiciam. Satis enim, proh dolor! experiri licet, quantus eorum ſit numerus, qui podagram,

dagram, etiam temporis diuturnitate jam confirmatam & incurabilem, variis ſecretioribus, maxime chymicis & rudi minerva excogitatis medicamentis funditus tollere promittunt, imo ad experientiam provocare non erubeſcunt. At vero quam inepta & vana hæc ſit gloriatio, non modo ex penitiori doloris podagrici, quoad cauſas & ſymptomata conſideratione, abunde ſatis elucet, verum etiam a ſæpe laudato SYDENHAM *cit. loc.* ingenioſe docetur his verbis: *Si quis objiciat, multa eſſe remedia ſpecifica ad podagram, ego me ea neſcire lubens fateor; & vereor, ne promiſſores iſti perinde ſint ignari, ac ſum ego.* Equidem miror hominum ejuſmodi ineptientium audaciam, magis tamen adhuc miror Medicorum quorundam credulitatem, qua occæcati prorſus non intelligunt, pollicitatores iſtos non hominum ſalutem, ſed aurum aucupare, nihilque laude digni arcanis ſuis, ſummopere licet decantatis, poſſe efficere, multo minus contumacem podagram, ut ajunt, exterminare. Sed non modo non juvant ejuſmodi artificioſe confecta pharmaca, verum etiam, quod maximum eſt, perſæpe majorem corpori noxam affricant. Etenim ita plerumque ſunt comparata, ut dolores ſopiendo, materiam malignam a peripheria ad centrum, ſeu ex pedibus in viſcera nobiliora protrudant, & licet cito, minus tamen tuto, minimeque jucunde operentur; ſiquidem inde univerſa functionum œconomia, in qua vita conſiſtit & ſanitas, mirum deſtruitur, imo, quod ſæpiſſime, nec ſine urgentiſſimis ſymptomatibus accidit, ipſius vitæ exitus acceleratur.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA

DE

PODAGRA

RETROCEDENTE IN CORPUS,

Primùm edita anno 1700.

PROOEMIUM.

QUAMDIU natura, præſtantiſſima ſecundum HIPPOCRATEM morborum medicatrix, vigore & motu ſufficiente inſtructa, illud ipſum quod incongruum atque infenſum humorum vitalium mixturæ eſt, per convenientia emunctoria foras feliciter propellit atque excludit, tamdiu profecto machina noſtra integra incolumis, nec non ab omni afflictione & interitu immunis ſervatur. Quo circa non ſine ratione tam à Veteribus peritiſſimis, quam à ſolidioribus Recentioribus morborum ortus ac cauſa ex defectu & vitio excretionum, quæ valde neceſſariæ ſemper ad tuendam ſanitatem exiſtunt, deducitur. Quin imo nulla datur morbi graviſſimi ſanatio, quæ non debitis excretionibus ſic dictis criticis per congrua evacuatoria abſolvitur. Quotieſcunque itaque ipſius naturæ vigor ceſſat, vel ipſa viribus motricibus deſtituta eſt, ut non ſufficienter illud, quod mole vel qualitate adverſum eſt, foras proſcribere poſſit, præſertim in paroxyſmis febrilibus, qui eum in finem inſtituuntur ut liberetur corpus à materia moleſta, protinus ingens periculum ſanitati ac vitæ ſtruitur, & ad generationem graviſſimi morbi occaſio panditur. Maxime omnium autem tale quid contingit in illis morbis, ubi natura critico febrili motu ad corporis extrema ejicit materiam peregrinam morbificam, quæ, quando variis de cauſis revertitur in corpus, & denuo cum ſuccis vitalibus miſcetur, graviſſima & cum magno periculo juncta mala ſoboleſcunt. Et quod HIPPOCRATES *lib.* 6. *aph.* 25. de eryſipelate ſcribit, quod foris ſi intro vertatur malum ſit, ab intus vero foras bonum, illud optimo jure de omnibus excretionibus materiæ peccantis, quæ ad habitum corporis pertingunt, valet atque intelligendum eſt. Exemplum nobis præbet ipſa podagra: quæ quamdiu infima corporis ſubſellia, nempe pedes, occupat, tamdiu vitalia ſunt in vado; ſimulac autem perverſo ordine materia quæ ad pedes devolvi ſolet vel debet, in corpore remaneat, vel jam depoſita rurſus in corpus & ſanguinem recipiatur, lethales plerumque inſequuntur affectus. Nam experientia conſtat certa, Podagram etiam ſecundum effatum HIPPOCRATIS *lib.* 1. *de morbis* minime eſſe

lethalem: quodſi autem vitioſum ſerum ſpiculis acribus dolorificis turgidum ad interiores partes recedi, periculum certe non leve inde imminere vitæ. Et tametſi in foro Medico taliſmodi obſervationes ſæpe numero occurrant, nihilominus mirandum, quod rarius & parcius pertractatam hanc perutilem materiam videas in Medicorum libris. Et hæc præcipua fuit cauſa, quare ſpeciminis inauguralis loco utiliſſimum & ulteriori examine dignum argumentum ventilare & paulo penitiori indagine excutere conſtituerim. Deus autem T.O.M. Numine præpotente gratiam ac benedictionem laboribus & meditationibus ex alto gratioſè adjiciat.

§. I.

Cum itaque materiam mere practicam tractaturi ſimus, ipſa res & ratio expoſcit, ut primo omnium circumſpiciamus, quænam circa experientiam certa ac confirmata ſint, nec non quæ & qualia fiant & contingant ac ſubſequantur, ſi podagrica materia vel in corpore maneat, vel ex partibus exterioribus ad interiores relegetur. Nam egregie ſemper mihi perplacuit ſententia HIPPOCRATIS, quam libro *de diebus judicatoriis* in principio ſtatim tradit, dum inquit: *Artis magnam partem eſſe duco, poſſe quæ recte ſcripta, id eſt, recte notata ſunt, ſpeculari. Qui enim hæc noverit, iiſque utitur, is mihi in arte non multum falli videtur.* Nam experientia in medicis merito præcedere debet omnibus ratiociniis atque meditationibus, modo ſemper ſit vera, ſolida, accurata, circumſtantiis neceſſariis & eſſentialibus condita. Placet itaque & hoc loco obſervationes quaſdam circa hanc materiam tam ab aliis peritiſſimis viris, quam etiam a nobiſmet ipſis notatas & conſignatas præmittere & poſtea cauſas ac rationes omnium illorum quæ facti & effectus fuerunt evolvere atque inquirere, non neglectis monitis ac cautelis, quæ artem medicam exercentibus proficuæ eſſe poſſunt.

§. II.

Obſervamus autem per frequentem experientiam, podagræ dolores retrogredientes non lubentius ullam partem corporis occupare ac adoriri quam ipſa inteſtina & ventriculum, ubi tyrannidem ſuam per longiſſimum tempus pertinaciſſime exercent. Allubeſcit hoc loco in illuſtrationem hujus rei hiſtoriam recenſere ægroti, qui adhuc ſub manu *Dn. Præſid's* eſt. Vir annum agens XLIV. complexionis ſanguineo-melancholicæ, habitus corporis ſtrictioris, a decem jam annis paſſus eſt dolores tarſum pedis obſidentes, qui tamen non adeo vehementes erant & diaphoreticis etiam facile cedebant, ut plurimum autem ſemper circa menſem Januarium revertebantur; hi ante quatuor annos acerbiores facti ægrum lecto adfixerunt, ab hinc autem duobus annis prædicto tempore adhuc graviores expertus eſt. Cum autem illis ipſis conflictabatur terrore ingenti affectus eſt, quem ſubſecuta diuturnior cura cum animi angore juncta. Eo ipſo dolores ex pedibus in abdominis interiora repulſi fuerunt, ibique tormina ac cruciatus excitarunt inſignes, adhibitâ medicinâ ad tempus quidem remiſerunt, mox autem reverſi ſunt. Elapſis aliquot ſeptimanis ſæviſſimo frigore urente iter ſuſcipere æger coactus eſt; a quo tempore dolores longe truculentiores invaſerunt, qui tamen quandoque ventrem deſerentes brachia, faucium interiora aggrediebantur, quin imo in capite ſubſiſtebant, ac ſomnum & quietem admodum turbabant. Accidit ſemel, dum ſic graviter perſeveraret in capite, per aurem ſiniſtram effluxiſſe materiam fœtidam purulentam, qui fluxus per tres fere duravit ſeptimanas, egregium alleviamentum ægroto afferens, qui exiſtimabat ab omni periculo & morbo jam eſſe liberatum, nihilominus mox dolores acerbos perſentiebat in pedibus, qui ex ipſis rurſus vagabantur in abdomen, & ſic aliquot vicibus circulabantur. Menſe Junio hujus anni accedente potabat acidulas Egranas, quæ, quamdiu ipſis utebatur, dolores abigebant, ægro & bene dormiente & cibos aſſumente; poſt uſum autem acidularum revertebantur dolores in abdomen ſupra modum atroces, appetitus plane dejiciebatur, alvus ordinario adſtricta erat, urina colore naturalis, ſed parcius tamen reddita, vires conſumuntur, & conqueritur æger jam de fixo ac duro tumore ſupra umbilicum ſubſiſtente, nauſea premitur, & copia ſalivæ ſæpe ex ore emanat, vomitu etiam interdum rejicit alimenta & medicamenta: Quandoque etiam dolor ſuperiora petit & ſe ad fauces uſque extendit, quas conſtringit, inque ſiniſtram ſcapulam terminatur. Flatus ventrem diſtendunt, & per totum hinc inde inteſtinorum canalem cum fluctuatione & borborygmo currunt; quando ad inteſtinum rectum perveniunt, mox regurgitant, cum quaſi ibi ipſis exitus præcludatur. Notatu perquam dignum eſt, quod per periodos dolores hi ipſum excrucient ægrum, maxime autem hora pomeridiana quarta, media nocte, & antemeridiana decima, & jam per quinque menſes duraverunt. Variis uſus eſt remediis, & principalis intentio fuit ad ipſos pedes rurſus derivare materiam morbi, quem in finem frictiones, pediluvia inſtituta, lenior venæ ſectio in pede celebrata. Ulterius hirudines applicatæ, nitroſa cum camphoratis ſine diaphoretico adminiſtrata, non neglecto uſu carminativorum, ſtomachicorum, balſamica temperata virtute gaudentium, & alvus quoque per clyſteres, & leniora laxantia aperta fuit ſemper ſervata. A nullo autem medicamento levamen præſentius expertus eſt, quam à potu lactis calidi cum infuſo florum ſambuci remixto; ab hujus uſu ſemper melius ſe habuit, & quandoque per duos dies conquieverunt dolores, nihilominus non conſtans fuit hæc ſanatio. Ante quatuor ſeptimanas autem datum ipſi fuit elixir ſtomachicum acidulum ex balſamicis amaris extractis delibutum, a cujus uſu frequente dolores ſopiti, vires cum appetitu erectæ, ut de domo ſua egredi & functionibus ſuis præeſſe potuerit. Ante aliquot dies autem in manibus & dorſo hi ipſi dolores rurſum apparuerunt, ſomnum impedientes, interim ipſe tumor durus umbilicalem regionem obſidens, qui exterius etiam manu percipi poteſt, ſemper perſeverat. Qualis futurus tandem ſit hujus morbi eventus, deſiderio flagramus avide ſcire.

§. III.

Ex præfata hiſtoria cum neceſſariis & veriſſimis circumſtantiis deſcripta liquide apparet, quam contumax morbus ſit ille, & quantum negotii creet medentibus qui ex doloribus podagricis in corpus retrocedentibus ortum ſuum habet. Singulare illud eſt, quod materia abſque dubio vellicans acris, indolis plus minus fixæ vel volatilis, ſi in extremis articulorum membranis ſubſiſtat & ipſi denegetur ſedes vel exitus, occupet in abdomine viſcera membranacea, nempe inteſtina, quæ maxime ex membranulis

branulis tendinoſo-nerveis conflata ſenſu acutiſſimo prædita ſunt, & ſimilis ſtructuræ ac texturæ cum ligamentis articulorum nerveo-tendinoſis ac glanduloſis ſunt, unde etiam propter affinitatem & ſtructuræ communionem materia peccans mox tranſit ad inteſtina, mox rurſus ex ipſis ad articulos: At vero quod talem viam ac modum ſervet materia podagrica retropulſa, jam HIPPOCRATES ſuo tempore eleganter notavit *lib. 6. epidem. part. 4. aph. 3. it. ſ. 2. pag. 20. l. 5.* hiſce verbis: *Qui articulari morbo detentus inteſtini dolore dextra parte vexabatur, quietior erat; hoc autem curato magis dolebat.* Et memoratu hanc in rem ſunt digna, quæ tradit SOLENANDER *in conſiliis pag. 77.* dum ait, in cura habui nobilem inveterata arthritide occupatum, in ſexageſimo quinto ætatis anno conſtitutum, colico dolore prehenſus fuit, autor eram ut arthritis revocaretur pedum lotionibus, frictionibus, venæſectione in pede, monitus ab HIPPOCRATE & BENEDICTO SYLVATICO *in conſiliis.* Obſtitit autem Senior Medicus & æger interiit. Atque ego, inquit, idem plane obſervavi in muliere, quæ arthritide fere ſemper laborabat, quando a doloribus coli libera erat & vice verſa: ceſſantibus coli doloribus miſere ex juncturis afficiebatur.

§. IV.

Idem quoque confirmant *M. N. C. Dec. II. obſ. 42.* nempe mercator opulentus per aliquot dies chiragra & podagra laborans ſubito remittentibus doloribus manuum & pedum colica diriſſima corripitur, ita ut qui mane ne pedem movere poſſet, veſperi ob dolorem colicum acutiſſimum in pavimento diſcurreret, articuli enim erant liberi & ſine dolore: Clyſteres tamen potenter alvum aperientes dolorem ſiſtebant; qui altero die recurrit, eodem remedio fuit ſublatus. Et RAYGERUS *obſ. 208. Decur. 1. ann. 6. & 7.* ſcribit. Notus eſt mihi alius, qui colica immani torquebatur, ſuperveniente autem podagra nihil penitus ſentit. Nullus autem meliori perítia hoc ipſum argumentum tractat quam DRABIZIUS in optimo tractatu *de ſcorbuto, tit. 8. p. 274.* qui ait ſe ſæpius & adhuc nuperrime in puella expertum atrocia tormina ac roſiones in abdomine in ſpaſmodicam contractionem brachiorum & pedum tranſmutatas fuiſſe, & ſimulac dolores iſti ſpaſtici & lancinatorii in artubus remiſerunt, protinus illos rurſus excepiſſe cruciatus atroces in abdomine. Gravius adhuc malum exſurgit, ſi materia cauſtica ſpaſtica ipſum ventriculum & ejus orificia adoritur. Tale exemplum ante annum circiter hic loci occurrebat *Dn. Præſidi*, quod referre huc utilem rem eſſe arbitror. Vir annum agens quinquageſimum & ultra parva ſtatura & macilento ac tenero corpore a primis ætatis annis hypochondriacus ab annis jam decem circa vernum & autumnale tempus laboravit ex podagra, quæ febrili quadam ſanguinis commotione ſemper fere adoriebatur, & cum in paroxyſmum gravem implicitus erat, adminiſtratum ipſi ab empirico eſt cataplaſma compoſitum ex radice ſymphyti, aceto, alumine & camphora, moderatior quidem exinde redditus fuit dolor, excepit autem ab eo tempore ægrum ingens laſſitudo corporis cum appetitus proſtratione nec non turbulentus ſomnus: alvus ſemper erat adſtrictior; ad hanc itaque aperiendam ſumſit pulverem purgantem, qui dejectiones aliquot movebat. At vero paulo poſt ſenſit dolorem valde acerbum ſpaſmodico-conſtrictorium ſub ſcrobiculo cordis fixum hærentem, qui ad coſtas ſpurias dextri lateris exporrigebatur. Medicus in conſilium accerſitus dolorem quærebat ſiſtere opiatis, quæ ſatis larga doſi propinabat, ſed eventu plane infauſto: tametſi enim dolorum ferocia quandoque mitigata apparuerit, rediit tamen brevi poſt truculentior, magnis clamoribus, contorſione & flexura corporis & inquiete comitata, alvo manente duriſſima, adſtrictiſſima, omnes injectos clyſteres rejiciente, qui etiam malum augere viſi ſunt. Cibum quoque & alimenta non retinuit, ſed ut plurimum rurſus ejecit. Pulſus erat naturalis, urina pauca & flavi coloris. Durarunt hæc ſæviſſima ſymptomata ultra ſex ſeptimanas. Acceſſit tuſſis [illegible]a convulſiva, virium totalis proſtratio, & tandem convulſiones finem vitæ impoſuerunt.

§. V.

Cæterum repulſa ad interiora arthritica acris materia cerebro ac nervoſo ſyſtemati valde quoque infenſa, & affectus graviſſimos imo lethales capitis provocare ſolet, id quod obſervationibus corroborare aliquot volumus. Ita WELSCHIUS *Hecaroſt. II. Obſ. XV.* hanc inſinuat hiſtoriam. Vir generoſus podagra & chiragra extreme laborans multis ab annis emplaſtro anti-podagrico ex reſolventibus & valde diſcutientibus compoſito levabatur. Hoc Medicus cæteroquin magni nominis ob caloris exceſſum minus conveniens criminatus aliud præſcripſit ex mere ſiccantibus, adſtringentibus & repellentibus, maſtiche ſcilicet, thure, myrrha, tutia, minio, hæmatite & ſimilibus confectum, quo pauculis diebus applicato, ichoribus acribus malignis ad interiora & nobiliora retrutis mox epilepſia ſupervenit, ut intra diei unius ſpatium plus quam triginta paroxyſmis atrociſſime correptus vitam cum morte commutarit. Porro in *Act. Haſſ. Vol. III. Obſ. L.* ſequentem ab OLAO BORRICHIO annotatam deprehendimus hiſtoriam: Divexabant Zythopœum dolores vagi arthritici, a quibus jam per biennium cura mea liber, tandem circa Feſtum Natalis Chriſti advertit ex diæta non ſatis ad leges medentis gubernata redire, ut ſolent, genuum labores & punctiunculas, corpuſque totum laſſitudine gravari. Rogatus ab uxore ut Medicum familiarem advocaret, menſe Martio, id ſe facturum reſpondit, nec enim Januario convenire pharmaca, ſed veris initio. Inter hæc invaleſcunt cruciatus genuum & inviſentes fœminæ alia atque alia ſuggerunt remedia. E quibus unum præ cæteris eligit æger cataplaſma ex farina triticea aceto incocta, quod poſtquam genibus applicuiſſet, ceſſavere dolores quidem, ſed graviori malo ſuccedente. Enimvero repulſus verſus ſuperiora humor arthriticus ad cor uſque & cerebrum pervaſit, unde anxietates, febris, & ex intervallo deliria, tandemque mors ipſa in conſpectum venerunt. Referri quoque huc meretur obſervatio, quam recenſet D. HAGENDORNIUS *Cent. 1. Hiſt. 28.* ubi mercator ex dolore & tumore cruris ſcorbutico laborans, applicato epithemate ex aquis deſtillatis cum ceruſſa, & camphora a balneatore, ſedatis doloribus loquelam amittebat, nec brachium ſiniſtrum loco movere viſus eſt. Meminit etiam *Dnus* PRÆSES Virum Conſiliarium quinquagenarium plethoricum, habitus corporis ſpongioſi & ſucci pleni, podagra frequentius divexatum, (quam ex nimia libidine & vini intemperantia ſibi contraxit,) qui ſuaſu & ex conſilio empirici ipſo in paroxyſmo pedibus dolentibus applicuit albumen ovi cum alumine & camphora, una nocte incidiſſe in affectum ſoporoſum febrilem, à quo tamen remediis excitatus per totam vitam ingenii vigorem & memoriam amiſit, quæ tamen antea fuit integerrima; tandem poſt annos aliquot apoplexia decubuit. Et non prætereunda ſunt quæ D. ADAMI A LEBENWALDT *Miſc. Cur. Acad. N. C. Dec. III. A. I.* ſcribit *Obſ. 115.* Plures vidi quibus cauſa morbifica Capitolium & Palladis arcem occupavit, ibique tyrannidem exercuit, generando

obtuſos

obtuſos capitis dolores, memoriæ hebetudinem, deliria obſcura, motus convulſivos, carum, lethargum, apoplexiam & vitæ finem. Horum numero & me adſcribo, qui jam 70. annorum præfata ſymptomata experiri incipio. *Cl.* RAYGERUS *l. c.* Noti mihi ſunt, qui ex podagra epileptici facti & per pediluvia accerſita podagra optime iterum valuerunt.

§. VI.

Neque virulenta arthritidis materia ad vitalia ex partibus exterioribus intromiſſa ipſum pectus & in eo contentos pulmones linquere ſolet immunes ac integros. Oſtendunt enim hiſtoriæ practicæ, aſthma & ſuffocativum catarrhum non raro inde enaſci. Sic laudatus modo RAYGERUS *l. c.* proponit hiſtoriam illuſtris matronæ, quæ podagra divexata ſæpius fuit, & cum ultimis menſibus nullos pene habuerit dolores podagricos regurgitavit ſerum podagricum ad pectus, & generavit aſthma. Tale quid etiam nuper vidimus in conſule Berolinenſi viro optimo, qui ſilentibus podagricis doloribus aſthmate corripiebatur, quod inſequebatur hydrops & ipſa mors. Obſervatione etiam digna ſunt, quæ circa hanc rem tradit BONETUS *libr. 5. de arthritide cap. 32. pag. 426.* his verbis: Id mihi nuperrime obſervare licuit in viro cœlibe quadragenario, hic ter podagra laboravit ab erroribus crebris in diæta, aſthmate prehenſus fuit cum indiciis obſtructionum in imo ventre, contra utrumque malum præſidia inſtituta irrito ſucceſſu per menſem integrum. Autor fui ut pediluvium inſtitueret ſomni provocandi gratia & revocandæ podagræ, ſucceſſit hæc, ægrumque ab aſthmate liberavit. Deſinente podagrico paroxyſmo denuo recurrit aſthma ſed levius, quo iterum ceſſante, acceſſit vomitus & dolores ventris, qui deſiere podagra. Non minus ex antiquis ARETÆUS *libr. de diuturn. cap. 12.* multis in hydropicum morbum, quibuſdam in aſthma ſuccedere podagram immedicabili ſucceſſione meminit.

§. VII.

Verum enim vero non ſolum ex materia arthritica quæ pedes jam tum occupavit, & ad interiora receſſit, graviſſimi affectus ſoboleſcunt, ſed & quando excretio illa critica materiæ hoſtilis, quæ alias in paroxyſmis podagricis vigore ac motu ſanguinis ad exteriora propelli ſolet, ceſſat ac ſupprimitur, affectus periculo pleniſſimi, imo lethales, inde exſurgunt, dum heterogeneum illud cauſticæ acris indolis excrementum fluidum vitale ac animale in craſi ac motu turbando pathemata gravia inducit. Intercipitur autem & ſupprimitur hæc in conſuetis neceſſaria excretio variis ex cauſis, ex quibus caput extollunt opiata, de quibus perite ſcribit ETTMULLERUS *in Prax. tit. de arthr. pag. 366.* quod motum naturæ impediant, & ut vocant, Sie behalten das Podagra im Leibe. Novi quoſdam qui peſſimo conſilio pilulas quaſdam venditant ceu ſingulare arcanum & divinum præſidium adverſus podagram, quarum ingrediens præcipuum eſt opium maritatum cum extractis aperientibus & purgantibus juxta compoſitionem pilularum *Wildeganſii* & *Matthiæ*; de hiſce prædicant, quod ſi quis podagra affectus ſingulis menſibus bis ipſis utatur, quod poſtea ſemper immunis vivere poſſit à ferocitate hujus doloris. Audivi quoſdam ab illorum uſu fuiſſe per annum præſervatos, at vero loco podagræ peſſime ſe habuerunt circa regionem ventriculi, præſertim qui ſenio fuerunt proximi, hiſce appetitus fuit proſtratus, vigor corporis periit, venter durus redditus, & hydrops ſiccus conſequutus; quibuſdam etiam tam improſpere ceſſit hujus remedii uſus, ut in cachexiam conjecti fuerint. Notabilia ſunt, quæ ſcribit *Dnus* A LEBENWALDE *Miſc. N. C. l. c.* Novi alios qui materia podagrica cura palliativa per annum in corpore retenta & facultate expultrice narcoticis ſopita gangrænam pulmonum & fatum ipſum incurrerunt. Deinceps expulſio materiæ arthriticæ impeditior fit & ſiſtitur in ſenio confectis, illis enim cum vires & ſpiritus incipiant deficere, & motus ſanguinis & humorum ordinario ſegnior & tardior ſit, accidit ut materia retenta uti dictum vel aſthma, vel hydropem vel maraſmum lethalem pariat, multo magis autem id contingit in illis perſonis, quæ intempeſtivo uſu refrigerantium vigorem ſpiritibus ac ſanguini debitum ſibi auferunt. Ita novit exemplum *Dn.* PRÆSES, ubi vir ſenex ab eſu nimio fructuum horæorum ita debilitatus fuit, ut materia podagrica ad partes extremas non ſufficienter potuerit propulſari, unde remanens in corpore tyrannidem ſuam exercuit in abdomine & graviſſimas anxietates præcordiorum, tormina ventris, alvi obſtructionem, febrem lentam produxit, & per duodecim ſeptimanas ægrum lecto affixit, poſtea ſubſecutæ fuerunt convulſiones, quibus vitam cum morte commutavit. Facit huc quoque ſtatus aeris frigido-humidus, auſtrinus, nebuloſus, autumnalis, quo præſente ſanguinis & humorum circulatio & debitæ tranſpirationis & omnium excretionum ſucceſſus deficere & langueſcere ſolet; unde & hic novit *Dn.* PRÆSES aliquos & inter illos virum generoſum, qui commiſerunt ſe ſub neceſſariis itineribus taliſmodi cœlo, utut probe pedes a frigore defenderint, incidiſſe in affectus periculi non expertes, paroxyſmus enim, qui ex indiciis præcedentibus imminebat equidem hac ratione impeditus & ſuppreſſus fuit, at vero in ejus vicem ſucceſſit laſſitudo corporis gravativa cum virium languore, appetitus proſtratione, pulſus debilitate, ſomno pauco, ſiti ingente, & torminibus ac fluctuationibus in ventre, quæ tamen ſymptomata divina gratia conveniente remediorum uſu & accedente aquilonari & ſerena aëris conſtitutione, qua motus totius corporis fluorum eximie procurantur, & vires animo ac membris redduntur, profligata fuerunt.

§. VIII.

Ex hiſce præmiſſis veris obſervationibus atque hiſtoriis clinicis neceſſariis ſuis circumſtantiis non deſtitutis clariſſime apparere arbitror, quam periculoſa ac gravis res ſit, quando ceſſante ſpirituum ac naturæ vigore materia arthritica excrementitia ex ſanguine non debite amplius ejicitur, vel ſi rurſus veſtigia relegit & ab exterioribus ad interiora vergit; ſi enim ullus morbus eſt, qui multum negotii ac moleſtiæ medentibus faceſſit, certe eſt podagra retropulſa, magna enim hic opus eſt prudentia & circumſpectione, & methodo certe non vulgari, ut materia hæc quæ relegata ex corpore & rurſus irrepſit, denuo rite a ſanguine ſeparetur, & foras eliminetur: Uſu enim compertum eſt, affectus, quos retrogrediens arthritis parit, non facile remediis cedere, & utut ad tempus omnia compareant in bono ſtatu, mox tamen recrudeſcunt & ſæpe quaſi auctis viribus majori violentia. Operæ videtur pretium, ut paulo attentius & ſollicitius hujus rei cauſam ac modum inquiramus. Supponimus autem ceu rem indubitatæ veritatis in paroxyſmis arthriticis & podagricis materiale aliquod principium naturæ plane peregrinæ foras ejici & ſucceſſiva evaporatione exhalare e corpore. Clarum id fieri puto exinde, quoniam ſi per diaphoretica tranſpiratio bene procedit & non modo totum corpus ſed & pars affecta in blando udore ac continuo madore & calore conſervatur, proſperum evadere morbi eventum qui infauſtus eſſe ſolet

ſolet quando per refrigerantia, interna anodyna, externum frigus, cataplaſmata conſtringentia, diſcuſſio & evaporatio materiæ morboſæ impeditur, quin imo materia articulorum membranis inſidere obſervatur ipſis oculis in podagra fixa tophacea.

§. IX.

Cujus autem naturæ ac indolis ſit quæ torquet ac exercet articulos non omnes inter ſe conveniunt; probabiliſſime autem videtur eſſe naturæ ſalinæ ſubtilis acris ſcindentis, præſertim ſi ſedem ſuam facile mutare & ex una parte in aliam, ex extimis in interiores vagari ſoleat, nam exploratum habemus experientia hypochondriacos & præcipue ſcorbuticos, quorum maſſa ſanguinis & humorum ex omnium conſenſione ſalibus copioſis peregrinis diverſæ naturæ ſcindentibus plus minus volatilibus ſcatent, proniſſimos eſſe ad taliſmodi pathemata arthritica ac podagrica, quæ etiam eo pejoris indolis ſunt, quo magis ſalia ad virulentam volatilem acrem cauſticam naturam accedunt. Et porro conſtat liquido, hypochondriacos calculoſæ diſpoſitionis homines, & quorum excretio per alvum & urinam imminuta eſt, uti recte ſentit AVICENNA *tr.* 2. *l.* 3. *c.* 7. utplurimum evadere podagricos. Notavit ſæpius Excell. *Dn.* PRÆSES in aliquot perſonis, quæ podagra detentæ fuerunt, ſudorem male olentem, & in viro generoſo curioſum illud vidit, nempe hic paroxyſmum imminentem ſolet prædicere ex colore annuli, quem digito gerit ex mercurio ſic dicto coagulato mediante venere ac tutia confecti, qui aliquot dies ante paroxyſmum & per totum morbi decurſum livorem ac nigredinem contrahit, qui ſponte tandem deſinit priſtino redeunte ſplendido colore, quando morbus ablatus eſt: Quod memorabile phænomenon non niſi ab effluviis acido-ſulphureis per tranſpirationem prodeuntibus adſcribendum eſt, unde non ſine ratione HELMONT. *Tract. Volup. Vivent.* Norunt podagrici plures ſibi inſtantem acceſſum prædicere ex mutato excremento intra pedum digitos naſcente. Tacemus materiam in articulis podagricorum collectam & aliquando veſicantium admotione effluxiſſe ſumme corroſivam ipſo ſenſu teſte. Quocirca ratio facile fluit, quare decocta, quæ per urinam ſaburram tartaream evehunt, nec non thermæ, item diluentia & quæcunque ſalia contemperare dulcificare & per emunctoria educere potentia gaudent, præſentiſſimam opem ferant in curatione ac præſervatione podagræ.

§. X.

Quomodo autem tam virulenta cauſtica materia in corpore noſtro progignatur, res omnino altioris indaginis eſt. Aſſerimus autem totam naturam ſcorbuticorum & hypochondriacorum eſſe ſalificam; nam quotidie in praxi cernimus, utut tales perſonæ abſtineant ab omnibus illis quæ ſalinam quandam ſubſtantiam complectuntur, incredibilem nihilominus ſalium varii generis copiam in illorum ſanguine humoribus atque excrementis coacervari. Etenim alibi fuſius hanc materiam tractavit *Dn.* PRÆSES, tum experimentis & rationum momentis adſtruximus a motu inteſtino ejuſque diverſitate moleculas terreſtres acutam ſcindentem induere figuram, inque ſalina ſpicula diverſiſſimæ indolis converti. Simile quid etiam contingit in hypochondriacis & ſcorbuticis, ibi enim ob emunctoria obſtructa & excretiones per ſudorem & urinam, necnon ſecretionem bilioſi humoris per hepar deficientes non modo ſordes ſalino-ſulphureæ excrementitiæ in vaſis coacervantur, verum etiam dum hæ motum inteſtinum calidum ſanguinis adaugent, hoc ipſo varie tranſmutantur, diverſamque indolem, genium, figuram induunt, hinc non mirum ſi jugi ac perpetua tali inteſtina humorum agitatione corroſivam tandem cauſticam, acrem, ſubtilem penetrantem qualitatem ac diſpoſitionem nanciſcantur, ſicque morboſa ac virulenta evadant. Equidem ſalia etiam mali moris cauſtica, volatilia, diu ſine noxa ac ullo damno hoſpitari ac cum ſanguine circumvehi poſſe non dubitandum, ſicuti id apertiſſime cernimus in ſeminio variolarum, morbillorum, luis venereæ, morſu canis rabidi, inque arthriticis inſultibus; ſimulac autem ex nexu ac involucro partium oleoſarum ac limoſarum evolvuntur, extricantur, ſub quo inſontia ante deliteſcebant, protinus tyrannidem ſuam exercent, inque poros anguſtiſſimos fibrarum nervearum ac membranacearum penetrant illaſque lancinant, violenter conſtringunt, ſicque ſpaſmos, qui poſtea totam œconomiam, omneſque ſecretiones, & circulatorios motus turbant ac pervertunt, hoſtiliſſimam & deleteriam operandi rationem in corpus exerunt.

§. XI.

Tale itaque vitioſum morbidum ſal per auſtrinum maxime aëris ſtatum tempore autumnali a maſſa ſanguinis ſecretum adducitur ad glandulas quæ ſub articulis jacent, nec non ad ligamenta ſenſilia nerveo-tendinoſa glandulis, multiſque minutiſſimis vaſis ſanguifluis obſita, ubi ſtagnans lancinatoria & corrodente violentia in tenuiſſimas illas fibrillas agit ſicque doloris horrendi, ardoris, tumoris, debilitatis cauſa exiſtit, donec vel affluentis lymphæ dulcedine corrigatur, vel ſucceſſive per poroſam partium ſubſtantiam exhalet. Materia autem ipſa ſtagnatione ac mora longe pejus ingenium induit & virulentior evadit quam ſi cum ipſo ſanguine adhuc mixta eſt. Eſt enim natura hæc ſolennis omnibus excrementis, quod ex mora & ſtaſi pejorem habitum induant. Ita uſu compertum eſt, quam graviſſima & mortifera ſymptomata poſt ſe trahat repulſio ſcabiei, tineæ capitis & ſuppreſſio ſudoris fœtidi pedum, vel ulcerum diu manantium, qua de re paſſim obſervationes practicæ videri poſſunt, unde non mirum, ſi in podagra præſertim ſcorbutica peccans materia revera maligna per ſtaſin facta vitalia introſubiens & mediante ſanguine delata ad membranas inteſtinorum, ventriculi, cerebri, veſiculas pulmonum nerveo-membranaceas, dolorem colicum, epilepſiam, convulſiones, apoplexiam, aſthma, hydropem, anxietates cardialgicas ſuſcitet & vires diuturnitate temporis convellendo in orcum ægrotos præcipitet. Hanc brevem & facilem ætiologiam eſſe cenſeo eorum omnium effectuum ac phænomenorum, quæ ſupra a nobis notata ac tradita ſunt.

§. XII.

Ex ſuperius quoque allatis hiſtoriis perſpicuum eſſe arbitror, quod nempe multæ ac variæ ſint cauſæ quæ podagræ cauſam in corpore retinere, vel illam in artubus depoſitam rejicere rurſus queant in ſanguinem. Inter has autem primas tenet error, qui cutis corticem conſtringendo a circumferentia & ambitu ad centrum commovet humores. Secundum locum obtinent frigus cunctaque refrigerantia, quorum effectus in ſimili operandi ratione conſiſtit: hiſce accedunt adſtringentia & quæcunque conſtipando, inviſcando vel obſtruendo inſenſibilem tranſpirationem in pedibus quæ cæteroquin in hiſce partibus ſemper ordinarie debilis ac languida eſt, impediunt. Tandem in corpore ſervant peccantem materiam præter ſenilem ætatem & virium languorem ipſa opiata alimentaque refrigerantia, acida & quæcunque facultate gaudent motus ſpirituum & humorum ſiſtendi.

Ac

At vero mirabile profecto illud videtur, quod nonnulli authores & illi celeberrimi non vereantur ad remiſſionem doloris podagrici commendare aquam frigidiſſimam cui pedes immitti debeant vel ut ambulent per nivem nudis pedibus: de qua re legi meretur *Celeberrimus* FECHLINUS *Lib.* 7. *Obſ.* 28. *it.* HOLLERIUS *p.* 504. *Comment. ad Hippocr. Aphor.* 25. *Sect. V.* Cujus prodigioſæ curæ fundamentum ac rationem quærunt in citato aphoriſmo, qui talis eſt: *Articulorum tumores & dolores ulceris expertes & podagricos & convulſiones, horum ſane plurima frigida copioſe affuſa mitigat, levat & adæquat, atque ita dolorem ſedat.* Non animus eſt remedium hoc plane exprobrare atque rejicere, at vero minime univerſale eſt, neque omnibus individuis vel ægrotantibus quadrat, ſed admitti poteſt in ætate juvenili, corpore non ſcorbutico, arthritide ſic dicta bilioſa ab affluxu ichoris bilioſi orta, ubi frigus partim ſtuporem inferendo, partim fibras partium nimium laxatas reſtituendo ac roborando circulum ſanguinis & humorum liberiorem reddit, ſicuti videmus in ophthalmia leviori albumen ovi cum alumine conquaſſatum & frigide impoſitum illam tollere, neutiquam autem illud ſuccedit in corporibus impuris, ſcorbuticis, ætate ſenili cui podagra utplurimum familiaris eſt & hæreditaria diſpoſitione, ubi omnia repellentia cum grano ſalis uſurpanda ſunt: quod etiam valet de omnibus externis & epithematibus. Et placet in hac re maxime conſilium AVICENNÆ, *Libr.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *p.* 245. Epithemata calida & narcotica omnia ſunt nociva; calida propter attractionem, narcotica propter congelationem & cruditatem & epithemata infrigidantia groſſum faciunt crudum & retinent & congelant ſubtile & prolongant etiam ægritudinem. Et aqua quidem calida nociva eſt eis, quoniam humectat.

§. XIII.

Quod tandem attinet podagræ retropulſæ curam hæc varie eſt inſtituenda pro varietate individuorum & affectuum. Si dolor atrox, diuturnus, colicus ſuccedit, clyſteribus purè oleoſis cum eſſentia caſtorei & camphora mixtis qui ſpaſmodicas inteſtinorum exacerbationes ad miraculum uſque ſedant ac ſiſtunt, præcipue res agenda eſt; neque omittenda balnea, unguenta præſtantiſſimæ virtutis ex oleo hyoſcyami, oleo carvi, rutæ, menthæ, nuciſtæ compoſita. Interne elixiria carminativa, ſtomachica, amara cum ſpiritu vitrioli vel nitri dulci mixta, nec non nitrum cum camphora palmam omnibus præripiunt, non omiſſo infuſo florum ſambuci in aqua calida & pro re nata mixto cum lacte. Optimum autem conſilium eſt, ſi ad pedes dolores revocari poſſunt, quod frictionibus, pediluviis perficiendum eſt. Et tandem quod notabile, ſi podagricus fuerit hypochondriacus & hæmorrhoidum fluxui adſuetus opportuniſſime ille prioritari poterit hirudinum applicatione: Obſervatione enim conſtat ſolum hunc fluxum ſuppreſſum vehementiſſimæ colicæ perfrequenter unicam cauſam atque authorem eſſe. Cæterum cane pejus & angue vitanda ſunt taliſmodi in caſu omnia opiata & narcotica, ſupra modum calida volatilia, ſpirituoſa, purgantia fortiora, vomitoria, vini nimius potus: hæc ipſa enim ſpaſmos inteſtinorum augendo inflammationem afferunt, ventrem durum & hydropem ſiccum efficiunt, vel ad ſingultum & vomitus lethiferos diſponunt.

§. XIV.

Ultimo loco ſi vel ex debilitate virium vel ſenili languore, aut opiatorum & infrigidantium abuſu podagra in corpore remaneat, & anxietates, laſſitudinem, aſthma, appetitus proſtrationem inferat, maximopere interne commendo polychreſtos & nunquam ſatis laudandos pulveres bezoardicos cum nitro & camphora mixtos, nec non eſſentiam caſtorei cum ſpiritu cornu cervi ſuccinato nuptam, item ſpiritum nitri dulcem cum eſſentia ſcordii, eſſentia ambræ combinatum, omniaque analeptica, diaphoretica, diſcutientia, & balſamica ſemper tamen temperata, quæ hic ſunt indicatiſſima. Tandem illud brevibus monendum duco, quod in taliſmodi caſibus contumacia utplurimum ſoleant eſſe ſymptomata unde Medici & ægroti patientia opus eſt. Hinc perperam ſibi conſulunt illi, qui ex impatientia & tædio varia medicamenta, quæ abundanter in taliſmodi curis ſuggeri ſolent, dum quiſque ſua conſilia confert, uſurpant, vel etiam plurimorum Medicorum opera utuntur: Ubi certe varietas Medicorum & medicamentorum taliſmodi ſubjectis ſumma pernicies eſt. Uſus atque experientia monſtrat, quod tali modo rarius miſeri illi convaleſcant, ſed deterius & pejus ſemper malum reddant, hinc pauca ſed ſelecta cum patientia merito omnibus præferenda ſunt.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA, DE CONVULSIONIBUS,

Primùm edita Anno 1707.

PROOEMIUM.

NON temere humanum genus de fragilitate ſua conqueritur, quod illorum vita tot caſibus pateat, innumeriſque malis, velut indagine quadam, clauſa ſit & circumſepta. Nempe enim hoc peccati præmium fuit, hoc contumaciæ auctoramentum, ut ingenti felicitate deturbati, ultimis calamitatibus ac pœnis dederemur. Longum certe foret, enumerare illa morborum genera, & atroces dolorum cruciatus, quorum impatientes homines exoptant ſæpe mortem, jam non moleſtam amplius, & velut munus eam amplectuntur. Illud vero luctuoſum & lachrymabile inprimis, quod non in corpus modo tantum morbis liceat, ſed quod in animum etiam, qui præſens manifeſtuſque corpus inſedit, imperium tyrannidemque ſibi vindicent, indignis eumdem modis deformantes. Adeo nec ſatis tuta eſt ſacra noſtri pars, qua cenſemur homines, quam ex ingenti naufragio illo, quod primi fecerunt parentes, quaſi tabulam quandam extulimus, niſi & illa iiſdem, quibus corpus, malis adfligatur. Atque hanc quidem cladem convulſiones nobis maxime inferunt, quarum ſævitia non totum corpus ſolum concutitur, ſed animus etiam è ſede ſua quaſi dimovetur. Fœda triſtiſque ſane facies eſt, videre artus ſacro morbo laceratos, & diſtorta, quæ pulchritudo commendabat, ora; triſtius tamen ſpectaculum eſt, cum anima quaſi commoritur, omni ſenſu intercepto. Omitto reliquos adfectus, qui ſenſum atque rationem nobis eripiunt omnem, quos non ſine acerbiſſimo dolore ac commiſeratione intuemur. Quo majore laudis is ferendus eſt Medicus, qui non levibus tantum malis, quæ periculo vacant, ſed gravioribus etiam, quales ſunt convulſiones, ſalutarem adfert medicinam. Neque enim hic medicamentorum adparatus, vel ab Indiis uſque advecta remedia valent, ſed ſola prudentia, quæ unice exornat Medicum, in hiſce morbis æſtimatur. Hæc enim ubi præſto eſt, curioſe cauſas mali, quæ diverſæ ſunt, circumſpicit, conquirit & inveſtigat, inventiſque promta remedia facillime opponit. Nam ſi ullus morbus, certe convulſiones Medicum exercent, ejuſdemque induſtriam prudentiamque defatigant. Quod cum ſubiret animum, non alienum nobis viſum fuit, hoc argumentum præſenti diſſertatione paucis comprehendere. In quo quidem exequendo ea inprimis adferemus, quæ experimentis atque obſervationibus ſubfulciuntur. Deus autem, qui vitam mortemque noſtram nutu temperat, cujus beneficio ſpiritum trahimus, adſit huic noſtro conatui, ut & ſalus hominum & noſtræ artis incrementum exinde augeatur.

CAPUT I.

De Epilepſia.

OBSERVATIONES.

I. EPilepſia eſt convulſio univerſalis, quæ totum genus nervoſum & membranoſum in conſenſum trahit. Habet præcipuam ſedem in dura matre, quæ violento ſpaſmo conſtringitur, univerſique inde corporis membranæ præter naturam adficiuntur.

II. Diſtinguitur vera epilepſia à convulſionibus in eo, quod in illa inprimis cerebrum laboret, & utrique ſenſus, tam interni, quam externi ad tempus quaſi labefactentur. Quod aliter evenit in convulſionibus, ubi ſalvo incolumique cerebro, partes tam externæ, quæ animæ arbitrio imperioque parent, quam internæ torquentur atque contrahuntur.

III. Eſt epilepſia porro vel idiopathica, ſive morbus primarius, ubi cerebri membranæ inprimis adfliguntur.

guntur, vel aliis accedit morbis, & tunc ſymptomatica vel ſecundarius morbus adpellatur. Hæc propter mirificum illum, qui inter nervos viget, concentum atque conſpirationem cerebri membranas inſimul adfligit, cum non levi ægrotantis diſcrimine. Idiopathica chronica plerumque eſt, & niſi ab externa forte cauſa accidat, minus periculoſa. Plus terrere debet ſymptomatica, quod hæc acuta maxime eſt, & facile hominem intercipit.

IV. Patent noſtro adfectui maxime omnium pueri, poſtea adoleſcentes, rariſſime qui in provectiori jam ætate ſunt conſtituti. Eidem obnoxii ſunt, qui temperamento ſeroſo habituque corporis ſunt laxo atque ſpongioſo, quod quidem de chronica eſt intelligendum. Invadit ſymptomatica eos, quos molli delicatoque fibrarum ſenſu natura inſtruxit, item, qui ſtrictiore tenſiorique corporis habitu pollent, altaque mente ingenioque acri ſunt præditi.

V. Graves & acuti dolores ubi membranas corporis, ubi tenerrimas has partes inſederint, ubi eaſdem diutius lacerant, in convulſiones, & hæ in epilepſiam terminantur. Inde eſt, quod plerique ex morbis, quibus dolor jungitur, ſæpe in convulſiones & epilepſiam commutentur. Quod videmus in dentitione puerorum difficili, in aurium dentiumque dolore, & qui ex malo colico, iliaco, ex vermibus, ex acicula vel alia re acuta deglutita, ex punctura tendinis & vertebrarum luxatione exoritur. Idem accidit in cardialgia, quæ ex ventriculi inflammatione provenit, in contuſione partium nervoſarum, in arthritide intra corpus repulſa, quæ mala, cum dolorem vehementiſſimum comitem trahant, non raro in convulſiones ac epilepſiam tranſeunt.

VI. Spaſmi violentiores, quales in malo hyſterico, in ventriculi ac inteſtinorum inflammatione, item ab adſumtis venenis vel vomitoriis incaute datis corpus vexant, tandem in epilepſiam deſinunt.

VII. In morbis exanthematicis, ubi ſerum ſalibus acribus cauſticiſque gravidum eſt, ante eruptionem ſæpe infeſtat epilepſia, præſertim eos, qui natura ſunt ſenſibiliore. Eadem tamen, ubi prodierunt exanthemata, remittit, purpura, variolis, morbilliſque id teſtantibus.

VIII. Quod idem obſervandum eſt, ubi hæc exanthemata retro in corpus abierint, ſive id ſponte fiat, ſive medicamentorum vehementia, tunc enim plerumque epilepſia inde excitatur. Adparet id in ſcabie, in tinea capitis, in eryſipelate & arthritide, quæ mala intra corpus compulſa non raro epilepſia & convulſiones excipiunt.

IX. A morſu canis rabidi, ab ictu venenatorum animantium noſtrum fieri malum hiſtoriæ medicæ paſſim adnotarunt. Incredibile vero, quam atroces, quam ſævi dolores à vermibus puerorum inteſtina corrodentibus exoriantur.

X. Omnes adfectus animique perturbationes, ira, terror, lætitia ex improviſo incidens, vel cient epilepſiam, vel latentem rurſus provocant. Animi enim motus cerebri membranas dum conſtringunt fortius, vel plus juſto dilatant, earundem totiuſque corporis vires elidunt imminuuntque.

XI. Epilepſiam pueri facile incidunt, ſi matres illis contigerint hyſtericæ, vel ſi gravidæ ira excandeſcant. Idem malum experiuntur, ſi nutrices ira vel terrore commotæ ſtatim pueros mammis admovent. Tormina porro ex lacte acido corrupto, item meconia parum recte expurgata frequenter hanc ætatem in epilepſiam conjiciunt.

XII. Nullum vero malum magis hæreditarium eſt, nullum quod facilius à parentibus ad liberos propagetur, quam hæc noſtra adfectio. Radices enim hæc agit in fibrarum habitu, quæ natæ diſpoſitæque ſunt ad ſpaſmos & diſtentiones ſuſcipiendas. Inde etiam talis epilepſia, quæ per ſucceſſionem quaſi liberis traditur, curationem ægre admittit, ſed difficillime evellitur.

XIII. Chronica epilepſia plerumque per periodos infeſtat, ita quidem, ut ſtatis temporibus certiſque lunæ quadris, item ſub vario planetarum inter ſe poſitu, non nunquam certo die intra menſem, quo incipit, revertatur.

XIV. Habitualis & chronica in abdomine plerumque incipit, & partibus extremis. Alvus tunc flatibus diſtenta adſtringitur, partes remotiores frigeſcunt, laſſitudo, torpor, item nauſea & crebra oſcitatio corpus vexant, denique auræ frigidæ ſenſus ab extremis partibus dorſum adficit, & primum præcordia, mox caput cerebrumque adoritur.

XV. In acceſſione noſtri mali hæc fere ſigna obſervantur. Vaſa capitis intumeſcunt, rubent arteriæ, valideque moventur, facies nigreſcit, ſpuma ex ore fluit, oculique in capite fœdo ſpectaculo circumvolvuntur. Quæ quidem omnia abunde conteſtantur, ſanguinem in capite cerebroque congeſtum eſſe, ibidemque ſtagnare.

XVI. In diſſectis epilepticorum corporibus adparet plerumque ſeri copia in cerebro ſtagnantis, ſæpe quoque ejus extravaſatio, aut ſtaſis ſeri putridi & ichoris circa baſin cerebri & ſpinalem medullam deprehenditur.

XVII. Ubi caput gravi vulnere percuſſum, ubi fractum contuſumque eſt, ut plurimum epilepſia & convulſiones adſociantur. Quod idem accidit in apoplexia atque ſoporoſis adfectibus, quibus identidem plerumque adjunguntur.

XVIII. Provocant latens hoc malum, quæcunque ex medicamentis caput implent feriuntque, uti ſunt omnia narcotica, ſuaveolentia, vinumque ſpirituoſum. Porro quæ nervos debilitant, & membranarum robur ſolvunt, uti veneris intemperantia, potandique cupiditas.

XIX. Familiare eſt, qui huic malo opportuni ſunt, ſeminis profluvium, idque per ſomnum maxime, quod Græci ὀνειρόγονον adpellavere. Sponte etiam in fœminis ſeminalis liquor, item urina, alvuſque fuſior fertur, propter vehementem conſtrictionem vaſorum, quæ ſemen ejaculantur. Nam ubi nervi adfecti ſunt, patitur ſimul genus membranoſum.

Curatio.

Hæc pro diverſitate cauſæ in hoc malo diverſa inſtituitur, ſi à cauſa externa, eaque violenta, à vulnere & contuſione capitis oritur, ſerum putridum, quod intra membranas deſidet, quam primum diſcutiendum atque reſolvendum eſt. Cui quidem fini ſequentia remedia inſerviunt.

1.) *Recipe Cinnabaris antimonii, drachm. duas, olei cubebarum; macis, ana guttas* IV. *Miſce, fiat Pulvis dividendus in doſes ſex, & ſingulis quatuor horis unus ex his per aliquot dies offeratur.* Detur ex hac potiuncula: *Recipe aquæ liliorum convallium ſaturatæ & optimæ ſine vinos unc. tres, ſpiritus ſalis ammoniaci cum aqua parati drachm. j. miſce.*

2.) Externe toti capiti raſo calide admoveatur ſacculus ex meris aromatibus conſtans, pulvere nempe caryophyllorum, cubebarum, cardamomi ceterorumque.

II.) Quando epilepſia ex dolorum ſævitia totum corpus pervagante exoritur, commodiſſimum erit, hæc adhibere.

1.) *Recipe Liquoris anodyni mineralis Dn. Præſidis drachm. duas, eſſentiæ caſtorei drachm. j. Miſce.* Doſis pro ſexus & ætatis ratione variat. Idem medica-

dicamentum expedit paſſioni hyſtericæ & ſpaſmis.

2.) Si in principio variolarum morbillorumque hoc malum ſe profert, ſpiritus vitrioli volatilis, ſpiritus nitri dulcis vel ſolus, vel cum liquore bezoardico mixtus, item pulvis Marchionis cum cinnabari nativa & particula fermenti anodyni egregium præſtat levamentum.

3.) Ubi ex retro pulſis exanthematibus, vel ſuppreſſa ſalutari evacuatione malum naſcitur, commodiſſimum eſt, ſpiritum cornu cervi ſuccinatum cum eſſentia caſtorei & ſpiritu ſalis ammoniaci ægroto exhibere.

III.) In puerili epilepſia, quæ ex putredine acida, vel corrupto lacte, quo nutriuntur pueri, provenit, prodeſt pulvis præcipitans Dn. Præſidis cum vel ſine nitro compoſitus. Præſtat porro, quod ſequitur infuſum laxativum.

Recip. Rhabarbari drachm. unam, aquæ florum tiliæ, liliorum convallium an. unc. unam, mannæ electæ unc. ſ m. fiat extractio leni calore. Colaturæ addi poteſt eſſentia ambræ vel moſchi ad gutt. x. arcani duplicati ſcrup. j. miſce pro duabus doſibus.

Clyſteres carminativi & oleoſi huic adfectui inprimis ſunt adcommodati.

In epilepſia habituali ac chronica ſequentia commendamus.

1.) Detur tempeſtivum emeticum duobus ante acceſſionem diebus v. gr. mercurius vitæ ſolaris it. pulvis Monckii.

2.) Cauterio inuratur caput circa eam regionem, ubi coronalis atque ſagittalis ſutura concurrunt. Prodeſt etiam fonticulus in capite apertus.

3.) Balſamo vitæ Dn. Præſidis inungatur ſæpius caput, & nuchæ cum charta bibula admoveatur. Expedit etiam, emplaſtrum ex tacamahaca, benzoe, ſtorace, ladano, oleo lavendulæ, majoranæ, & balſamo peruviano vertici imponere.

4.) Naribus loco errhini excipiatur ſal volatile ammoniacum oleo majoranæ corroboratum.

5.) In habituali tandem non negligendi ſunt ii pulveres, qui ex ſic dictis ſpecificis adparantur. Tales ſunt raſura dentis hippopotami, lapidis manati, ungulæ alces, pulvis ſecundinæ humanæ, lumbrici terreſtres, raſura cranii humani, moſchus &c.

Cautelæ & monita.

1.) In ipſo paroxyſmo epilepſiæ nihil aliud agendum, quam ut ſpiritus ſalis ammoniaci naribus adplicetur, iſque cum oleo rutæ vel majoranæ mixtus.

2.) Balſamus vitæ Dni Præſidis linguæ & ori infundatur, eodemque tempora & nares foveantur. Juvat etiam non mediocriter clyſtere ex ſpeciebus cephalicis alvum movere.

3.) Si quid aliud, certe venæſectio in hoc caſu circumſpectiſſime eſt adhibenda. Vix enim hæc levamen adfert ullum, niſi plenioribus & ſanguine turgentibus perſonis adhibeatur, it. hyſtericis, quæ ex ſuppreſſione menſium epilepſiam patiuntur.

4.) Ex iracundia ſi epilepſia excitatur, abſtinere oportet ab omnibus ſpirituoſis ac volatilibus. Utilius fuerit, pulveres abſorbentes nitroſos cum rhabarbaro & cremore tartari paratos offerre.

5.) Ad præcavendam epilepſiam ex incidente terrore prodeſt aqua liliorum convallium ſpirituoſa cum ſale volatili oleoſo vel ſpiritu cornu cervi ſuccinato mixta, addito pauxillo cinnabaris.

6.) Opiatorum cautiſſimus ſit uſus, quod hæc ipſa, licet ad tempus malum adlevent, idem tamen poſtea magis exaſperant, & debilitatis nervis, apoplexiam atque ſoporoſos affectus facile excitant. In ſpaſmis hyſtericis, quibus epilepſia jungitur, ſpiritus cornu cervi volatilis cum eſſentia anodyna mixtus utiliſſimus obſervatus fuit.

7.) Multo minus acidularum & thermarum uſum in noſtro caſu probaverim, quæ adeo non proſunt, ut potius noceant, præſertim Carolinæ. Nempe ut in omni capitis malo, ita etiam in epilepſia, quæ caput maxime inſidet, merito à prudenti Medico rejiciuntur, cum ſatis conſtet, ob cruditatem, quam pariunt, eas dictos adſectus exacerbare.

8.) Idem tenendum in mercurialibus & ſalivatione mercuriali, ad quam nunquam vel rariſſime eſt tranſeundum. Metus enim eſt, ne ejuſmodi remediis paralyſin, contracturam, apoplexiam guttamque ſerenam ægrotis arceſſamus. Neque minus diſcriminis à martialibus, ſi parum caute dantur, expectaveris.

9.) Epilepſiæ, quæ circa ſtatum morbi ingruit, egregie ſuccurrit liquor bezoardicus, quem in de praxi clinica febrium diſſertatione Dominus Præſes liberaliter admodum communicavit.

10.) Utile eſt in omni epilepſiæ genere, alvum præſtare ſolutiorem, & inteſtinorum robur eorumque motum aptis remediis conſervare. Ratio hic inprimis habenda eſt debitæ tranſpirationis, quam infuſis herbarum cum aqua calida optime tuemur. Laudem etiam inveniunt pilulæ polychreſtæ ex herbarum amaricantium extractis paratæ, additis balſamicis, oleo lavendulæ, majoranæ, balſamoque Peruviano, cujus generis pilulæ corpori mirifice inſerviunt.

11.) Epilepſiæ, quæ per conſenſum ingraveſcit, linimenta ex axungiis animantium cum oleo lavendulæ, anthos, chamomillæ mixtis, ſingulare ferunt auxilium, quibus & ſpinalis medulla, & abdominis regio diligentiſſime eſt inungenda.

12.) Si habitualis fuerit ſublata ſpecificis, præſtat venæſectione, fonticulis, laxantibus balſamicis & ſalibus volatilibus oleoſis reliquias mali & cacochymiam expugnare.

CAPUT II.

De Singultu.

OBSERVATIONES.

1.) Singultus eſt convulſio muſculorum in thorace atque diaphragmate, juncta cum violenta inſpiratione, & coſtarum atque abdominis extrorſum dimotione.

2.) Singultus cauſa eſt tranſpiratio impedita, lymphæque & bilis acrimonia, item ſi vapores & flatus in ventriculi ſinu detinentur. Unde fit, ut poſt purgantium ac vomitoriorum uſum, poſt adſumtos acres & flatulentos cibos ſingultus excitetur.

3.) Datur ſingultus periodicus, qui certas horas obſervat, certoque anni tempore recurrit. Eſt hic infeſtus maxime hyppochondriacis, & quibus ſanguis per viſcera abdominis tardius omnino commovetur. Idem frequentiſſime exercet otio deditos, & qui ſanguinis miſſionem ſalutarem ipſis intermittunt, vel quibus menſtrua & hæmorrhoides minus recte feruntur, & prima regio à ſordibus ciborumque colluvie non bene expurgatur.

4.) Inflammationi ventriculi ubi ſingultus accedit, funeſtum morbi exitum ſignificat. Quod adnotandum etiam eſt in adſumto veneno, in hypercatharſi, in febribus malignis petechialibus, item in podagra vel ſuppreſſa, vel in corpus remeante, quos adſectus plerumque ſingultus comitatur.

5.) Per conſenſum ſæpe irritat, quoties aliæ partes, ut hepar, diaphragma vel ileon, inflammatione obſidentur. Unde in paſſione iliaca, dyſenteria, inflammatione duodeni, jejunique frequentiſſime conſpicitur.

6.) Singultus omnis ætatis homines infeſtat, maxime pueros, qui ex frigore & inhibita tranſpiratione ſæpiſſime hoc malum patiuntur.

7.) Quibus ex ſingultu mors obvenit, in iis ventriculus vel inflammatus vel ſphacelo corruptus adparet, maxime circa ſiniſtrum orificium, uti anatomicæ obſervationes liquido demonſtrant.

Curatio.

1.) Non multum differt ab illa, quam in tollenda epilepſia laudavimus. Commendandus & hic ſpiritus mineralis anodynus Dni Præſidis cum eſſentia alexipharmaca aut ſpiritu cornu cervi vinoſo mixtus, iſque ex aqua menthæ ſpirituoſa adſumatur.

2.) Juvat, alvum clyſtere oleoſo & carminativo præſtare apertam.

3.) Conſtringendus eſt thorax vinculis, ut malum conquieſcat.

4.) Ventriculi regionem externe ſovere oportet linimento ex theriaca, oleo nuciſtæ expreſſo, oleo caryophyllorum, camphora, croco, balſamoque Peruviano, vel ejus loco balſamum liquidum Dni Præſidis uſurpetur.

Cautelæ.

1.) Quos à frigore externo ſingultus male habet, his unice proſunt infuſa calida herbarum cum ſale volatili oleoſo, quippe his remediis tranſpiratio, quæ intercepta fuit, revocatur. Debent etiam ægroti ad uſum infuſi leniter ſudare in lectulo, & veſtimentis ſe diligenter operire. Eadem curæ ratio opem fert iis, quos à flatibus hoc malum adoritur.

2.) Ubi ab intempeſtivo eoque validiore vomitorio vel purgante ſingultum quis ſibi contraxerit, protinus dari debet theriaca cœleſtis cum aromaticis aquis, præſertim cum aqua cinnamomi.

3.) Si choleræ & febribus ardentibus accedit, pulveres abſorbentes cum pulvere Marchionis, nitro & theriaca cœleſti mixti egregie auxiliantur. Commodiſſime etiam iidem dantur, ſi dyſenteriæ adfectus noſter ſupervenit, interpoſitis interdum rhabarbarinis, & clyſtere emolliente cum lacte parato.

4.) Quoties ex veneno adſumto ſingultus torquet, oleoſa cum lacte copioſiſſime hauſta præſentem opem pollicentur.

5.) Si ex podagra interiora repetente, item, ſi ex inflammatione ventriculi adficit, liquor bezoardicus præſtantiſſimum eſt auxilium.

6.) Si à bile acri, qualis plerumque ventriculi & duodeni tunicis inſidet, ſi ab hac, inquam, proficiſcitur, diligens uſus pulveris abſorbentis nitroſi convenit, externe ſternutatio.

7.) Hypochondriacis cordi eſſe debet venæſectio, item ſtomachica remedia, pilulæ polychreſtæ alvum clementer provocantes.

8.) In ſingultu quies eſt neceſſaria, abſtineant ægri ab omni fortiore corporis motu, abſtineant à potu, aëre cæteriſque rebus frigidis, & in calore ſe contineant.

CAPUT III.

De Vomitu.

Observationes.

1.) Vomitus eſt violenta & convulſiva contractio tunicarum tam nervearum, quam muſculoſarum ventriculi & duodeni cum jejuni principio, qua contenta per ſuperiora redduntur ob motus periſtaltici inverſionem.

2.) Eſt vel idiopathicus vel ſymptomaticus: Ille ex materia, quæ intra partem adfectam detinetur, hic ex motus vitio in aliis partibus exiſtente ſuboritur.

3.) Cauſam materialem vel quantitate vel qualitate metimur. Ad quantitatem pertinent cibi corrupti duri, diutiuſque in ventriculo retenti, item cruditates viſcidæ, acidæ, bilioſæque in ſtomacho ſacculoque duodeni deſidentes. Referri hic etiam debet cibus & potus intemperantius ſumtus, & ſanguis extra vaſa delatus.

4.) Qualitate nocent humores intra corpus noſtrum concepti, inter quos primo loco ponenda eſt bilis cauſtica & corroſiva, quæ ex admixto acido talis efficitur, & in duodeno ſtagnat. Inde ratio patet, cur in tertiana duplici, continua, intermittente, maligna cholera & dyſenteria nonnunquam vomitus exoriatur.

5.) Qualitate porro infenſæ nobis ſunt externæ res, quæ intra corpus admiſſæ peſtifera plerumque mala concitant, vomitu maxime eadem inſequente. Adparet id in adſumptis venenis, in peſte, in miaſmate contagioſorum, in morſu ictuque animantium, quibus adfectibus vomitus ceu indivulſus comes adhæret.

6.) Vomitus ſymptomaticus, & qui per conſenſum fieri amat, ex ſpaſmo aliarum partium ut plurimum ſuam trahit originem, nempe ex læſo cerebro, apoplexia, ſpaſmis hypochondriacis, epilepſia, item ex menſium in fœminis, gravidis præſertim, ſuppreſſione. Ejuſmodi ſpaſmi vehementia in dolore, in principio febris eryſipelaceæ, in ictero, item in graviore animi perturbatione, in gaudio, terrore, præſertim in ira, vomitus elicitur. Neque alia cauſa ſubeſt, quam idem ſpaſmus, quoties in vertigine, in navigationibus, gravem nauſea ſtomachum exoneramus.

7.) Periculoſus eſt, qui ex ventriculi vel inteſtinorum inflammatione excitatur. Si ileon inflammatum eſt, ſtercoris colorem odoremque refert. Feralis vero plerumque eſt niger, cujus Hippocrates meminit, & qui ex vitio lienis prodit, dejiciturque alvus ſimul nigra, & ubi hoc vomitu corripiuntur ægri, ut plurimum hoc ipſo extinguuntur. Jugulat is etiam facillime, qui ex veneno adſumto ægrotos debilitat, nec vacat periculo, qui ex capite gravius læſo concitatur.

8.) Vomitus porro eſt criticus & ſalutaris. Ejuſmodi criticus ex mole peccantis materiæ provenire ſolet, ſi alimenta vel liquida avide antea adſumta cibique jam corrupti, item bilioſi humores ejiciuntur. Quod idem accidit, ſi ſerum putridum ex vitio lienis vel menſium ſuppreſſione ad ventriculum redundaverit, ubi natura ſalutari hoc vomitu mirifice adlevatur.

9.) Quandoque vomitus eſt periodicus, qui per certa temporum ſpatia circuituſque invadit. Et talis quidem in menſium ſuppreſſione, in paroxyſmo febrium

brium obſervari ſolet. Idem matutino tempore ex digeſtione prava accidit.

Curatio.

Medicamenta, quæ ventriculi ac inteſtinorum deſerviunt convulſioni, adeoque vomitum infringunt, ſequentia celebrantur.

1.) Quæ ex mentha parantur, uti ſunt aqua menthæ cum vel ſine vino, eaque probe concentrata, oleum menthæ deſtillatum idque purum nec terebinthina infectum.

2.) Præſtant theriacalia, theriaca cœleſtis, eſſentia theriacalis cæteraque.

3.) Anodyna, inter quæ eminet liquor mineralis anodyn. Dn. Præſidis omnibus anodynis anteferendus, qui in doloribus, convulſionibus ſpaſmiſque ferociſſimis divina eſt medicina.

4.) Vitriolacea, v. g. ſpiritus vitrioli rectificatus ſpiritus vitrioli dulcis, phlegma vitrioli. Ex hiſce ſequens mixtura componitur. *Recipe Aquæ menthæ ſpirituoſæ, liliorum convallium, ana unc. unam; elæoſacchari menthæ drachmam ſemis, ſpiritus vitrioli, liquoris noſtri anodyni ana gutt. xx. eſſentiæ theriacalis ſive alexipharmacæ drachm. ſem. Miſce: fiat potio.*

Cautelæ.

1.) Vomitus gravidarum, ſive primis ſive mediis menſibus proveniat, non eſt vi ſiſtendus opiatis & adſtringentibus, ſed potius elixiribus ſtomachicis, analepticis, carminativis, ex mentha, corticibus citri, nuciſta, calamo aromatico, maſtiche & ſpiritu vitrioli paratis eidem optime ſuccurritur. Ducenda quoque alvus eſt rhabarbarinis ſtimulo ſalino acuatis.

2.) In vomitu hypochondriaco ex lienis aut hæmorrhoidum vitio, hirudines ano ſunt adplicandæ vel vena ſecanda in talo, & primis viis ſubveniendum pilulis polychreſtis ſecundum exemplar Becherianarum confectis. Idem faciendum, ſi eoſdem ægros vomitus niger & cruentus urget.

3.) Ex calculi dolore obortum vomitum ſedat inſtar omnium liquor anodynus mineralis Dn. Præſidis, vel ſpiritus nitri dulcis bene præparatus. Conveniunt quoque clyſteres oleoſi, nec non oleum amygdalarum dulcium interne ſumtum. Si ex cerebri vel nervorum vitio oritur, balſamo noſtro nervino liquido externe & interne nihil præſentius.

4.) In incipiente eryſipelate ventriculi ex potu frigido in corpus calidum ingurgitato, pulvis bezoardicus item nitroſus cum pauxillo camphoræ, nec non infuſa herbarum v. g. ſcordii, betonicæ, florum bellidis calide ſumta ſunt præſtantiſſima.

5.) Vomitus in iliaca paſſione continuus non remittit, niſi tumor hernioſus emolliatur.

6.) Si vomitus criticus ex intemperantia aut cruditatibus primarum viarum oritur, non vi cohibendus eſt, quod etiam valet de conſueto matutino vel periodico. Quando talis intempeſtive ſedatur, maximæ anxietates ſubnaſcuntur, qui rurſus, vomitu facto, conquieſcunt.

CAPUT IV.

De Palpitatione Cordis.

OBSERVATIONES.

1. Palpitatio cordis eſt convulſio muſculi cordis cum adnexis vaſis, dum ille vehementer trahitur & è ſede ſua dimovetur. Differt hæc paſſio gradu, modo enim vehementior, modo remiſſior adparet. Interdum enim ita debilis eſt, ut ab ægroto ſaltem & non niſi adpoſita manu deprendatur. Sæpe vero ita intenditur, ut & videri & audiri poſſit, quippe coſtas atque ſternum violenter torquet atque exagitat.

2.) Nonnunquam accidit, ut in hac paſſione ventriculus, & quæ præcordiis ſubjacent, partes extrorſum cedant, convulſionis vehementia ita eas concutiente. Nempe hoc in caſu non intra cor ſolum hic convulſivus motus conſiſtit, ſed latius etiam, & in truncum arteriæ magnæ pervagatur. Quare hoc concuſſo, partes ſupra jacentes tremunt & extrorſum dimoventur.

3.) Diſcernitur palpitatio cordis à motu ſyſtaltico ejus vehementiore, qui in febribus & acutis paſſionibus plerumque obſervatur. In hoc enim pulſus magnus eſt, vehemens, junctus cum celeritate; in palpitatione vero naturali ſimilis emicat, quandoque etiam intermittit, in thorace tamen ſubſultus animadvertitur.

4.) Optime diſtinguitur in eſſentialem & ſymptomaticam. Eſſentialis dicitur, quando in corde cordiſque vaſis vitium hæret, & huc connumerandus eſt polypus, qui ubi inveteravit, nulli remedio cedit, ſed tandem mortem infert certiſſimam.

5.) Notæ præſentis polypi hæ ſunt. A motu corporis validiore, à ſcalarum adſcenſione, vel ubi leviſſime etiam ſanguis commovetur, protinus palpitatio cordis invaleſcit, fit magna pectoris anxietas cum pulſu debili ſpirandique anguſtia, ut ægri ſuffocari ſibi videantur.

6.) Symptomatica palpitatio eſt, quæ adfectibus ſpaſmodicis adſociatur. Naſcitur ex primis viis, item ſi nervi, maxime paris vagi & intercoſtales, male ſe habuerint. Tali hypochondriaci, hyſtericæ, epileptici ſæpiſſime corripiuntur.

7.) Si quid vero aliud, certe terror hunc adfectum etiam in ſanis hominibus provocat. Hinc qui alias adſueti ſunt huic malo, ex ſubito ac vehementi terrore facillime palpitationem ſibi contrahunt.

8.) Ubi ſanguis, præſertim impurus, circa viſcera abdominis vel præcordia ſtagnat, cordis palpitatio non raro producitur. Unde hoc malum mirifice augeſcit, ſi ordinariæ ſanguinis effuſiones per menſes & hæmorrhoides ceſſant, & adſueta venæ ſectio intermittitur.

9.) Imbecilliores & quibus tenerum corpus contigit, item qui ex morbo convaluere, ex ſexu vero fœminæ, inprimis ob genus nervoſum debile, huic morbo maxime ſunt expoſiti, frequenterque eo attentantur.

10.) Minus periculoſa eſt per ſe cordis palpitatio, eadem tamen, ſi diutius inhæret, cachexiæ, hydropi, aliiſque morbis præbet occaſionem. Ubi juvenes, qui ſanguine abundant, & quibus polypus intra cordis vaſa ſedet, hoc adfectu laborant, fruſtra ſibi vitæ diuturnitatem promittunt, ſed ſyncope & apoplexia oppreſſi, in lectulo plerumque mortui reperiuntur.

11.) Anatomica obſervatione conſtat, pericardium in iis, qui diuturna palpitatione exercentur, copioſa turgere aqua, interdum etiam diſtentum valde, magnumque ipſum cor à polypo adparere.

Curatio.

Curandi hujus mali ratio hæc eſt.

1.) Adniti oportet, ut nimia commotio partium fibroſarum & nervearum cordis & vaſorum apte ſopiatur.

2.) Sanguinis ſtaſis circa cor, & pulmones impediri debet, quod commodiſſime perficitur, ſi ſanguinem copioſe adfluentem ab hiſce partibus revocamus, ſanguinis motum præſtando liberiorem.

3.) Cauſæ cæteræ, quæ malum excitant, Medici prudentia ſunt removendæ.

4.) Omnium vero optime ſedant convulſivum cordis motum, & ſanguinem eo inclinatum diſcutiunt antiſpaſmodica, quæ blando ſulphure vaporoſo pollent. Non immerito inde prædicamus aquam liliorum convallium bene præparatam, leniterque ſpirituoſam, item aquam meliſſæ Turcicæ, & qui omnes antecellit, liquor anodynus Dn. Præſidis cum ſpiritu cornu cervi vinoſo mixtus, cui pauxillum olei de cedro adjiciatur. Formula talis eſſe poteſt:

Recipe liquoris anodyni mineralis, ſpiritus cornu cervi vinoſi, ana drachm. j. tincturæ antimonii acris, drachm. ij. olei de cedro gutt. vj.

5. Externe balſamum vitæ Dn. Præſid. chartæ bibulæ infuſum cordis ſcorbiculo non ſine fructu imponitur.

Monita & Cautelæ.

1.) In hypochondriacis hyſtericis, & ubi acido primæ viæ redundant, pulvis abſorbens Wedelii cum aliquot guttis eſſentiæ caſtorei mixtus egregio eſt adjumento.

2.) Ubi corpora calidiora hoc malum invaſerit, ubi in ejuſdem acceſſione æſtu bilique acri & fervida æger extorreatur, idem pulvis uſui eſt, adjectis nitri & cinnabaris aliquot granis. Mirum enim eſt, ut nitrum & cinnabaris ſpaſmos, qui & in hoc morbo urgent, deliniant.

3.) In chronica cordis palpitatione ſanguis vere & autumno detrahendus eſt, quod remedii genus unice ab hoc malo præſervat, & plethoricis exoptatum præſtat auxilium. Idem amplectendum eſt, ſi malum ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione naſcitur.

4.) In palpitatione cordis, à quacunque etiam cauſa proficiſcatur, abſtinendum omnino, præſertim in debilioribus, ab opiatis maxime non correctis, item à frigore, nec non vino vinique ſpiritu, omnibus denique iis, quæ ſanguinem juſto vehementius commovere poſſunt.

5.) Nihil vero utilius, nihil magis commendari debet hoc adfectu decumbentibus, quam diligens earum pilularum uſus, quæ bilem corrigunt, & extinctum balſamum ejus excitant reſtituuntque. Quod cum in omni palpitationis genere, tum in ea inprimis cuſtodiendum eſt, quæ in fœminis ex menſtruorum, in viris ex hypochondriorum vitio propullulat. Nec minori præſidio ſunt medicamenta balſamica, quæ inteſtinorum robur motumque periſtalticum confirmant. Ejuſmodi generis ſunt pilulæ, quæ ex amaris extractis gummatibus reſinoſis cum vel ſine aloe parantur, quarum exemplum præbent Beccherianæ, juvat etiam elixir noſtrum balſamicum correctum.

6.) Si polypus latet, difficilis omnino cura eſt, auxilii tamen ſpes à potu Carolinarum expectanda, quæ ſale alcalino, quo inſtructa ſunt, coagulatos humores aptiſſime reſolvunt diſſipantque.

CAPUT V.

De Tuſſi.

OBSERVATIONES.

1.) Tuſſis eſt convulſio muſculorum thoracis & diaphragmatis, cujus impetu ac violentia quæcunque hærent in pulmonum bronchiis, ejiciuntur.

2.) Cauſa, quæ qualitate, ſubtili nempe acrimonia, inimica eſt, vel in ipſo thorace ac pulmonibus, vel in partibus remotis ſedem ſuam poſuit. Inde tuſſis duplex omnino eſt, pulmonalis ſcilicet, quæ per ſe male habet, & in pulmonibus defixa eſt, & ſymptomatica, quæ propter alia mala moleſta eſt, quibus ſublatis ipſa etiam finitur.

3.) Tuſſis pulmonalis eſt, quæ phthiſin, pleuritidem, peripneumoniam, ulcera pulmonum, vomicas, fiſtulas, hæmoptyſin, catharros, tubercula & lapides in pulmonibus concretos comitatur.

4.) Symptomaticæ cauſa non in pulmone, ſed aliis partibus quærenda eſt. Ita ſi in ſtomacho vel in duodeno tuſſis oritur, ſtomachalis adpellatur, & non aliam adgnoſcit cauſam, quam bilem ſuccumque pancreaticum corruptum vitiatumque. Familiaris hæc tuſſis eſt hypochondriacis, unde & hypochondriacæ ſortitur nomen, item quibus hepar inflammatione exuritur.

5.) Ubi in febribus intermittentibus, præſertim tertianis, tertiana præcipue continua, tuſſis inciderit, ſcire licet, ex cruditatibus acidis bilioſiſque, quæ in ventriculo hærent, eandem provenire.

6.) Tuſſis ferina ſicca, quæ κατ' ἐξοχὴν convulſiva nominatur, eos excruciat inprimis, quorum nervoſum genus debilius languidiuſque eſt, & promtum paratumque ad ſpaſmodicas contractiones. Jungitur huic vomitus interdum, interdum etiam ita invaleſcit, ut & in ſuffocationis diſcrimen ægri adducantur. Frequenter hac jactantur pueri, nec minus fœminæ, quæ uteri ſtrangulatione ſæpius periclitantur.

7.) Trahenda huc quoque illa tuſſis, quæ ex dentitione difficili, item in gravidis occurrit, vel ſi nervus vel tendo circa collum & thoracem læſus eſt, vel ſauciatus. In hunc ordinem cogenda etiam, quæ ex vermibus pueros ſubinde adgreditur.

8.) Crebrum ſymptoma tuſſis eſt morbillorum, quod ex nulla alia ratione evenit, quam ob acrimoniam lymphæ membranas pulmonum irritantis.

9.) Eſt tuſſis humida vel ſicca. Humida inſignem ſeri viſcidi copiam pituitamque movet, & in pulmonibus locum habet, quando illi relaxati nimium illam ſeri ſanguiniſque molem admittunt, cui expellendæ, cum vires deſint, parum poſtea ſufficiunt.

10.) Sicca ad ſymptomaticam plerumque reſtringenda eſt, & fit, cum nervi laborant, & in parte diſſita ventriculum & inteſtina materia mole ſua urget.

11.) Tuſſis catarrhalis, quæ cum febricula & coryza incurſat, eſt epidemica, & dependet ab inclementia aeris & tempeſtatum inæqualitate. Graſſatur hæc autumno & vere præſertim, & ex prohibita tranſpiratione corripit. Adeſt illa frequenter arthritidi adfectuique hypochondriaco, ob materiam ſudoris non bene foras prodeuntis.

12.) Tuſſis datur chronica & diuturna, quæ ubi vetus

vetus facta eſt, difficulter eliditur. Læſionem enim viſcerum partiumque ſolidarum, item phthiſin, abſceſſus, atque apoſtemata pronunciat. Si hydropi accedit, ſpem omnino tollit ſanationis, uti HIPPOCRATES *L. VI. aph.* 35. ſua experientia id comprobavit.

13.) Tuſſis etiam eſt periodica, quæ ſtatis temporibus inſurgit, mediaque nocte vel circa matutinum tempus ſuum reſumit impetum. Hæc ex cruditatibus acidis bilioſis, quæ in ventriculo coaluerunt, jure derivatur.

14.) Vehemens tuſſis infantibus herniæ, gravidisque abortus adfert periculum.

Curatio.

1.) In cura hujus mali providendum eſt, ut primum cauſa morbi avertatur, deinde ut convulſio, ſi qua urget, ſi vires imminuit, & alia incommoda concitat, prudenter ſopiatur.

Ut diverſæ vero ſunt cauſæ, ita diverſa curatio, quam, exploratis diligenter illis, facile invenimus.

I.) Si proinde pulmonalis tuſſis corpus occupat, demulceri debet lymphæ acrimonia, quod emollientia, demulcentia & oleoſa præ ceteris omnino præſtant. Exemplo ſit, quod ſequitur electuarium: *Recipe olei amygdalarum dulcium unciam unam cum dimidio, ſpermatis ceti drachm. ij. ſacchari canti, ſyrupi violarum pari pondere unciam unam & ſem. croci gr. xv. olei aniſi, macis ana gutt. x. Miſce: fiat electuarium.*

2.) Acrimoniæ huic temperandæ confert infuſum veronicæ cum radice glycyrrhizæ aniſoque ſtellato mixtum.

II.) In tuſſi catharrali & epidemica decurrendum eſt ad demulcentia, quæ ſupra commemoravimus. Iiſdem tamen optime interpoſueris theriacalia v. g. eſſentiam alexipharmacam, cui eſſentia croci oleumque aniſi non ſine fructu admiſcetur.

3.) Si tuſſis convulſiva, & ex nervorum vitio inſtat, maſſa pilularum de ſtyrace, cinnabaris item liquor anodynus Dn. Præſidis vel ſolus vel cum ſpiritu cornu cervi mixtus auxilio præſidioque eſt.

4.) At ſi ſtomachalis tuſſis, quæ ex acido primarum viarum fit, hominem infeſtat, pulveres abſorbentes ſumere oportet, idque circa noctem maxime. Non minus convenit elixir balſamicum Dn. Præſidis, ſal volatile oleoſum aniſatum: convenit etiam, alvum ſolvere clementioribus purgantibus, inter quæ primum obtinent locum pilulæ polychreſtæ, & laxantia ex manna, rhabarbaro, foliis ſennæ adparata. Idem curæ genus in tuſſi hypochondriaca ſequi oportet.

5.) In tuſſi inveterata, ubi ſolidæ partes periclitantur, flores ſulphuris, balſamus ſulphuris antimon. balſamus Locatelli, myrrha in ſubſtantia cum ſaccharo mixta non ſine fructu adhibetur.

Monita & Cautelæ.

1.) In tuſſi ſtomachali & hypochondriaca abſtinendum à ſic dictis expectorantibus, item à dulcibus incraſſantibus decoctiſque. Periculum enim eſt, ne ex immodico illorum uſu, ventriculo & inteſtinis læſis, dejectoque adpetitu ad cachexiam & hydropem via aperiatur.

2.) Tuſſi ſic dictæ ſanguineæ i. e. quæ plethoricis juvenibus & à ſanguinis copia fit, optime ſubvenitur ſanguinis detractione. Eadem, ſi hæmoptyſi & menſibus ſuppreſſis tuſſis jungitur, ſumma inſtituitur utilitate.

3.) Inveteratæ tuſſi tollendæ inſervit herba veronicæ cum radice chinæ, ſaſſafras & floribus ſambuci ex aqua calida decocta, cujus beneficio corpus in leni ſudore conſervatur.

4.) Catharros exſiccat tuſſiſque materiam mirifice exhaurit abſtinentia præſertim à carnibus, nimio potu, item moderatus calor, quo tranſpiratio inprimis adjuvatur.

5.) Noxia ſunt in tuſſi omnia ſpirituoſa acida, vina, frigus, nimia adſumtio cibi & potus, item purgantia & opiata in nimia doſi.

6.) Stomachali puerorum tuſſi leniore emetico egregie ſuccurritur.

7.) Vitanda ſunt in tuſſi validiora purgantia, non vero commodo carent clyſteres & leniora laxantia, quibus venter cum non levi mali adlevatione ducitur.

8.) Si ſtomachalis tuſſis ex corrupto intra ventriculum lacte provenit, optimum eſt, pulveribus abſorbentibus cum croco oleoque aniſi mixtis malo occurrere. Nec defraudanda laude ſua laxantia ex manna & rhabarbaro, quibus ſaburra vitioſa corpus liberatur.

9.) Ubi incipit tuſſis ſicca, & materia nondum ſatis maturuit, vel ut noſtri loquuntur, cocta eſt, cavendum à ſtimulantibus, & calidis, ſedativa potius & demulcentia merito hic commendantur.

10.) Ad extinguendam lymphæ acrimoniam recte dari poteſt lac idque cum decocto veronicæ, hac tamen cautione adhibita, ut ventriculus & inteſtina ſordibus prius expurgentur. Nonnunquam flatus & præſertim in iis, qui ad hos proclives ſunt, tuſſim procreant. Quo in caſu præſidium petitur à ſalibus volatilibus oleoſis, adjecto oleo aniſi, item à tinctura antimonii acri, ſpiritu nitri dulci, elixirio balſamico Dn. Præſidis, aqua carvi vel aniſi ſpirituoſa & à carminativis linimentis.

11.) Si materia viſcida craſſa à relaxatione pulmonis per aliquot menſes ejicitur, confirmandum corpus eſt, quæ ex myrrha & ſuccino fiunt, medicamentis.

12.) Si gravidæ adficiuntur tuſſi, balſamum embryonum, elæoſaccharum macis, aniſi optime eamdem leniunt.

CAPUT VI.

De Motibus convulſivis.

OBSERVATIONES.

1. SUnt motus convulſivi nihil aliud quam violentæ & quæ præter voluntatem fiunt artuum diſtorſiones. Ita caput, ſpina dorſi, manus, pedes, omnia denique membra, nunc ſurſum deorſumque, nunc antrorſum retrorſumque, in orbem velut quendam horum impetu ſævitiaque agitantur.

2.) Horum vero motuum tanta vis ac violentia eſt, ut vel valentiſſimo quovis renitente, vix tamen reprimantur. Quod ubi accidit, in periculo verſatur æger, ſummaſque incidit anxietates atque animi defectionem.

3.) Variam faciem hæc mala induunt. Sæpe enim inconcuſſum caput manet, & lingua & loquela bene explicatur, nec mente neque cæteris ſenſibus imminutis. Modo etiam ſiniſtrum, modo dextrum brachium, ſæpe alterum ex cruribus, quandoque utrumque, interdum quoque tota corporis moles miſere & ad formidinem viſentium convellitur, ut veneficio contactus vel dæmone obſeſſus æger videatur.

4.) Nonnunquam maxilla inferior ita adfligitur, ut velut arctiſſimo vinculo cum ſuperiore connectatur, nec cuneis nec robuſtiſſimi cujuſvis manu diducenda. Labia trement, dentes ſtrident, caput vel inclinatur ad pectus, vel occiput tergo quaſi illiditur, ſalvo incolumique animo permanente.

5.) Differt convulſivus motus à convulſione tonica, quod in hac membra rigent, inque ſuo loco atque ſitu perſiſtunt.

6.) Illud notabile, quod in iis, qui ex hoc malo violenta morte occidunt, poſt mortem etiam intentum rigidumque membrum virile deprehendatur.

7.) Ut cæteræ convulſionum ſpecies ſua ſervant tempora, ita & convulſivi motus certis temporibus menſis diebus atque horis repetunt.

8.) Convulſionum cauſam Veteres in repletione atque inanitione poſuerunt. Non rejicimus hanc illorum ſententiam, ſed ſaniore ſenſu explicamus. Per repletionem nempe ſanguinis infárctum, ejuſque intra vaſa detentionem intelligimus, maxime circa nervorum in ſpinali medulla principium. Unde non obſcura eſſe poteſt cauſa, cur apoplexiæ, lethargo, phrenitidi, febribus malignis, variolis, cæteriſque acutis malis convulſivi motus ſeſe adgregent.

9.) Inanitio, quæ frequentior omnino cauſa eſt, nihil aliud denotat, quam ſpaſmos & convulſiones nervorum atque membranarum muſculoſarum. Quarum cauſa quidem non à mole vitioſa corpus excercente, ſed à ſubtili acri cauſticaque materia irritante vel à læſione etiam externa deducitur. Huc referendi lumbrici in ventriculo & inteſtinis conſidentes, item morſus & ictus animalium, quæ iracundia efferbuerunt. In eodem cenſu ponere poſſis bilem acrem cauſticam, cujus malignitas hypochondriacos & hyſtericas non raro in hoc malum conjicit.

10.) Si nervi nervoſæque partes, item ſpina dorſi aut muſculi temporales ſauciantur, evenit plerumque, ut convulſivi ſimul motus adpareant cum ſummo vulnerati periculo.

11.) Sæpe ſcorbutum atque epidemicas febres convulſivi motus comitantur, certiſque familiis tanquam proprii ſunt, ut hæreditate quadam ad illas perveniſſe videantur.

12.) Frigus uti infeſtum inimicumque nervis eſſe conſuevit, ita convulſiones facillime reſuſcitat, quod impedita tranſpiratione ab externo corporis ambitu ad interiora tanquam ad centrum ſanguinem propellit, & rigidas omnino reddit fibras atque tenſiores. Quod etiam de ventis ſeptentrionalibus, item de aeris inæqualitate diligenter adnotandum, cum certis conſtet experimentis, motus convulſivos his ipſis renovari.

13.) Si diſſecantur extincti motibus convulſivis, vaſa ſanguine infarcta, pluribuſque in locis præſertim circa baſin cerebri, ubi incipit ſpinalis medulla, ſerum extravaſatum inveneris.

Curatio.

1.) Cura duplici modo inſtitui debet, ut vel ad ipſos motus, vel cauſæ effectum reſpiciatur. Si illos intuemur, motus violentos optime ſedamus externis unguentis, quibus cum ſpinalis medulla, tum cæteræ nervoſæ partes inungantur. Exemplo erit, quod mox poſuimus. *Recipe axungiæ humanæ, taxi, vulpis, ana unc. ſemis: caſtorei drach. ij. olei ſalviæ, lavendulæ, menthæ, roriſmarini, ana drachm. ij. ſpiritus ſalis ammoniaci, drachm. j. Miſce: fiat unguentum.*

2.) Interne dari debet ſpiritus cornu cervi volatilis probe rectificatus cum ſpiritu nitri dulci & eſſentia anodyna mixtus. Non contemnendæ etiam virtutis eſt pulvis cinnabarinus cum nitro compoſitus.

Cautelæ ac monita.

1.) Si à vermibus adfectus occupat, ſpecifica, quæ necant & expellunt vermes, optime omnium uſurpantur. Intér hæc inprimis numeramus ex mineralibus æthiopem mineralem, & mercurium dulcem, ex plantis ſemen ſantonici, herbam ſcordii, hyperici, tanaceti, rhabarbarum, aloe, abſynthium, allium, raphanum ruſticanum, & quæ ex illis miſcentur, medicamenta.

2.) Quando ex læſa parte nervoſa malum naſcitur, nihil præſtantius balſamo Dn. Præsidis liquido, quod interne adhibitum blanda & anodyna, qua pollet, virtute, dolores egregie lenit, & partes corporis corroborat. Quod etiam valet, ſi ſpinalis medulla læſa fuerit, ubi externis partibus inunctum non mediocrem iiſdem adfert ſolatium.

3.) Ubi ex vitio primarum viarum, velut ex fonte, hi motus prorumpunt, optime illorum furorem exarmant elixiria balſamica, pilulæ polychreſtæ aloeticæ, item clyſteres & unguenta carminativa.

4.) Ubi in proximo malum eſt, nondum tamen ſe exerit, juvat ſpiritum ſalis ammoniaci cum aqua liliorum convallium, item balſamum liquidum Dn. Præsidis cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixtum corpori ac nuchæ admovere, quibus remediis adventantis impetus egregie infringitur.

5.) Ubi ſanguinis abundantia in hoc malo ſimul adeſt, detrahere oportet ſanguinem, demittendi quoque pedes in aquam calidam, ut ſanguis à ſuperioribus hoc modo derivetur.

6.) Venenatorum animantium ictui optime medemur ſcarificatione partis adfectæ, eidemque theriaca externe imponitur. Interne ſpectatiſſimæ virtutis ſunt ſpecifica antepileptica, quæ ſupra commemoravimus.

7.) Si paſſionibus acutis convulſivi motus accedunt, cinnabarina adjecto nitro & camphora in auxilium vocare decet, quod his præſidiis illi unice evincuntur.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
SISTENS
COMPENDIOSAM ET CLINICAM
SPASMODICO-CONVULSIVORUM
MORBORUM PRAXIN CUM CAUTELIS,

Primùm edita Anno 1707.

CAPUT I.

De Paſſione Hyſterica.

OBSERVATIONES.

EST paſſio hyſterica, quam Latini, ſtrangulationem uteri adpellant, malum ſpaſmodico-convulſivum fœminis familiare. Idque totum genus nervoſum atque membranoſum adficit, & oritur à ſanguine ſtagnante, membranas inteſtinorum abdominiſque ac nervoſum genus irritante.

Quod in viris malum hypochondriacum, id in ſequiore ſexu hic adfectus eſt. Diſtat tamen in eo maxime, quod plus ferocitatis in hoc caſu ſpaſmi præ ſe ferant. Id quod exinde accidit, quod fœminæ, quippe quibus teneriores ac debiliores nervos natura conceſſit, promtæ paratæque ſint inordinatis motibus ſuſcipiendis. Diſtat etiam, quod cauſa illius plerumque ſit ſanguis menſtruus intra vaſa uteri defixus, in malo contra hypochondriaco plerumque in viſceribus labes delitеſcat.

II. Cum in noſtro adfectu ſpaſmi late dominentur, membranaſque & nervos, maxime paris vagi & intercoſtalis, acriter conſtringant, minus mirabile eſt, tot gravia ſymptomata exinde provenire. Sunt vero hæc fere: Acres in ſiniſtro latere dolores ad dextrum ſæpe tranſeuntes, dolores indentidem punctorii in variis partibus, qui ventriculum infeſto dolore & vomitu excruciant. Adeſt porro faucium ſtrangulatio, reſpirationis anguſtia, cardialgia, convolutio inteſtinorum, & contumax alvi adſtrictio. Item borborygmi, urina tenuis & copioſa, animi defectio, capitis dolor, hemicrania, vertigo. Inquietantur ægræ ſomnis terrificis, ſenſuum vires opprimuntur, quandoque omnes motus intercidunt, pulſu interim conſiſtente. Sæpe etiam, quod grave & luctuoſum, eſt convulſione partium ſive epilepſia ita anguntur, ut eflato quaſi ſpiritu procumbant.

III. Ut ceteris morbis ſpaſmodicis, ita etiam hyſterico malo ſolemne eſt certis temporibus, imo quod mirabile præcipue, certis horis maxime tempore veſpertino recurrere.

IV. Incipit ſæpius hæc paſſio in ſiniſtro latere, inde dorſum cervicemque emenſa pectus atque diaphragma pervagatur. Accedit vomitus, qui peſſime plerumque ægras habet, nec ulla æque re eædem adlevantur, quam ubi vel copioſi ructus per os, vel flatus per inferiora erumpunt.

V. Opportunæ ſunt adfectui noſtro plethoricæ, deinde quibus habitum corporis ſpongioſum & ſenſibiliorem natura indulſit, & quæ adfectibus & vehementioribus animi motibus agitantur. Conſtat quippe experientia, commotum iracundiæ æſtum, timorem ſubito injectum, perculſumque terrore animum ita ſæpe fœminas adfligere, ut validiſſimis concuſſæ motibus noſtro malo corripiantur. Ad quod idemtidem proclives ſunt debiliores, quæ frequenti abortu vel puerperio vires roburque corporis exhauſerunt. Neque minus periculum eſt ab eodem junioribus, & quæ acidis, fructibus horæis & lacticiniis nimium delectantur.

VI. Cauſa noſtri mali exiſtit in ſanguine circa uteri & meſenterii ſinus deſidente. Hic enim, dum per menſes non recte profluit, ſed in utero retinetur, ampliſſimam noſtro malo præbet occaſionem. Idem accidit, ubi lochia ſupprimuntur, vel ſi menſtruorum fluxus plane deſinit, quod circa quinquageſimum annum plerumque fieri conſuevit.

VII. Malum hyſtericum frequens comes eſt aliarum paſſionum, jungitur enim colicæ, dolori ex calculo, gravioribus animi perturbationibus, item in diſpoſitis febribus intermittentibus continuiſque.

VIII. Gravius & diuturnius exercet, quæ hypochondria habent indurata, & quarum viſceribus non ſua conſtat integritas.

IX. Illud notabile, quod nulla perinde re hoc malum provocetur, quam ſuaveolentibus. Loquuntur innumeræ id obſervationes, eorum uſum in quibuſdam fœminis ſummam ſpaſmorum atrocitatem proferre, ut anxietates, dolores ventriculi & diaphragmatis, omnia denique mala, quæ in hoc adfectu concurrunt, inde excitentur.

Curatio.

Enarratis, quæ ad ingenium noſtri mali explicandum facere videbantur, ſequitur jam, ut ejuſdem curam paucis contemplemur. Ubi proinde malum incidit, opera inprimis danda eſt, ut flatus in primis viis, qui ex ſpaſmis proveniunt, convenientibus auxiliis remediiſque diſſipentur. Et hiſce quidem optima

tima medicina ex remediis & clyſteribus carminativis it. antiſpaſmodicis propoſita eſt.

I.) Præſtat ex clyſteribus, quem ſubjecimus: *Recipe Radicum altheæ, liliorum albornm ana unc. ſemis, herbarum hormini, abſynthii, ſummitatum centaurii minoris ana man.j. florum ſalviæ, chamomillæ Romanæ vulgaris, millefolii, ana p. iij. baccarum juniperi, ſeminum 4. carminativorum, ana drachm. ij. Coque ex ſufficiente quantitate aquæ communis. Colaturæ unciis ſeptem adjice olei anethi, chamomillæ cocti, ana unciam unam ſemis, ſalis communis drachm. ij. olei carvi deſtillati drachm. 1.*

II.) Probatæ etiam virtutis ſunt eſſentiæ carminativæ, inter quas laudanda ſequens eſt: *Recipe Radicis zedoariæ unc. j. calami aromatici, galangæ ana unc. ſem. corticum citri, aurantiorum, ana unc. ſem. florum hormini, ſalviæ ana p. iij. olei chamomillæ, carvi, aniſi, menthæ ana gutt. 20. caſtorei drach. iij. camphoræ drach. j. ſpiritus chamomillæ Romanæ, ſpiritus nitri rectificati ana unc. j. in ſufficienti quantitate ſpiritus vini ſtent per aliquot dies in digeſtione.* Hujus medicamenti uſu flatus egregie diſcutiuntur; poteſt adjici pro varietate ſymptomatum eſſentia anodyna, vel loco hujus ſpiritus mineralis anodynus D. Præsidis.

III.) Excitare porro oportet hyſtericas, admoto naribus ſpiritu ſalis ammoniaci vel ſolo vel cum oleo rutæ ſuccinique mixto & cæteris quæ odore valido foedoque movent. Vulgo pennas juxta accendunt ut odore ægræ expergiſcantur.

IV.) Prodeſt etiam interne hanc mixturam propinare: *Recipe Spiritum ſalis ammoniaci, eſſentiam caſtorei ana drachm. j. detur ad gutt.* 30.

V.) Ad deliniendos ſpaſmos convenit emplaſtrum, umbilici regioni imponendum. Quale eſt, quod adpoſuimus: *Recipe Galbani, myrrhæ, bdellii, ana unc. j. eſſentiæ caſtorei drach. ſem. camphoræ drach. j. olei ſuccini, carvi, menthæ, ana gutt.* x. Miſce: fiat lege artis emplaſtrum.

Extra paroxyſmum adnitendum inprimis, ut ſolutis obſtructionibus vitalis ſanguinis circulus per uterum omneſque partes corporis in priſtinum vindicetur. Saluti inde erit ſanguinis miſſio, qui optime in pede detrahitur.

II.) Corroborare decet viſcera, ut promtior ſanguini tranſitus circuituſque præbeatur. Quod egregie præſtant amara balſamica, inter quæ primo loco ponendum elexir balſamicum D. Præsidis. Neque minoris virtutis ſunt ſequentes pilulæ: *Recipe Aloes ſuccotrinæ, extracti centaurii, abſynthii, gummi guajaci, galbani, bdellii, myrrhæ, ana dr.* 1. *extracti rhabarbari gr.* XII. *limaturæ martis ſcrupul.* IV. *croci drachm. ſemis.* Miſce: fiant lege artis pillulæ. Poteſt iiſdem admiſceri aſa fœtida. Hæ pilulæ obſtructiones mirifice tollunt, & provocandis menſibus inſerviunt.

III.) Super prandium adhibenda eſt eſſentia carminativa, quam hic exhibemus: *Recipe Eſſentiæ corticis aurantiorum, ſpiritus ſalis ammoniaci ana drachm. j. olei chamomillæ, millefolii, aniſi, ana gutt. VI.* Miſce.

IV.) Quæ contra hunc adfectum exhibentur medicamenta, optime dantur ex aqua naphæ; zedoariæ.

Cautelæ ac Monita.

1.) Sollicite proſpici debet, ne in nimia copia clyſteres uſurpentur, quod verendum eſt, ne flatus & anguſtiæ exinde augeantur.

2.) Sæpe ita conſtringuntur inteſtina, ut nihil plane anus admittat. Quo in caſu ad clyſteres oleoſos ceu egregium auxilium eſt confugiendum.

3.) In ipſa mali acceſſione Venæ Sectio convenit, ſi venæ ſanguine turgent & facies colorata eſt. Eadem tamen abſtinendum eſt, ubi ſyncope ægrotantem oppreſſit. Utilis vero eſt provectioris ætatis mulieribus, & quibus per annorum ſpatium ferri deſierunt menſes. Hiſce enim non præſtantior hac ipſa medicina adferri poteſt, qua vel adleventur magis, vel contra imminentis mali periculum communiantur.

4.) Commodiſſimum eſt, in ipſo paroxyſmo pulveres abſorbentes cum nitro mixtos, it. ſpiritum nitri dulcem interponere, quod hæc remedia æſtum & calorem, qui nonnunquam huic malo jungitur, egregie extinguunt.

5.) Si menſium nimius fluxus huic adfectui jungitur, pulveres abſorbentes cum nitro identidem cum fructu adhibentur.

6.) Ubi ingraveſcit malum, alvus eluenda eſt clyſtere ex urina puerorum adparato, in qua ſolvi poteſt opoponax, ſagapenum & ammoniacum.

7.) Vitanda ſunt purgantia validiora, vomitoria it. calidiora, quippe quæ debilitatis nervis, noxam augent. Si movenda alvus eſt, (debet vero hæc quam maxime moveri,) præſtat potius molliores purgationes repetere, quam violento pharmaco uno impetu eaſdem moliri.

8.) Ubi altioribus radicibus infixa hæret hæc paſſio, thermarum & acidularum uſus ſpem curationis pollicetur. Illud tamen obſervari debet cholericis & biliöſis magis expedire acidulas, utraſque vero vitari oportere inſtante paroxyſmo.

9.) Ad infringendas hujus mali vires debet accedere victus ratio. Itaque abſtinendum diligenter eſt ab acidis, lacte, ſuaveolentibus, cereviſia flatulenta, omnique cibi potuſque genere, quod flatus movet. Circumcidendum etiam vinum, item omnia ſpirituoſa, quæ fervore ſuo faces noſtro malo ſubjiciunt. Commendandus potius eſt victus facilis attenuans, & ejuſmodi alimenta, quæ facile concoquuntur.

10.) Vigorem etiam dabit in adfectu noſtro cœli mutatio, aer ſerenus & paulo calidior, quippe quo fluidorum motus eximie promovetur. Caveant ſibi contra mulieres a frigore, quod, cum nervis infenſum ſit, non poteſt non hoc malum exacerbare. Temperent ſibi etiam a motibus animi, quibus ſexus muliebris plerumque miſere fluctuat, defugiant triſtitiam anxiaſque cogitationes, eaque admittant potius, per quæ mens exhilaretur.

CAPUT II.

De Abortu.

Observationes.

1.) Abortus eſt ſpaſmodico-convulſivus motus uteri, quo partus immaturus violenter excutitur.

2.) Incidit abortus plerumque inter ſecundum & tertium quartumque menſem, Hippocrate etiam id adnotante.

3.) Quæcunque uterum, proximaſque utero partes, ad ſpaſmos ſollicitare ſolent, ex iiſdem periculum abortus etiam imminet. Quo ex numero ſunt adfectus vehementiores, maxime terror & ira, ex medicamentis purgantia acriora & vomitoria, quæ dum inſolenti ſpaſmo partes nervoſas vellicant, ad abortum facilem tranſitum parant. Referenda huc etiam pellentia validiora, it. calida, & quæ menſtrua

ſtrua cient, medicamenta. Qualia ſunt oleum ſuccini, ſabinæ, myrrha, crocus, baccæ lauri, balſamus ſulphuris terebinthinatus. Ejuſdem notæ ſunt peſſi acriores, qui naturalibus ſubjecti facile abortum provocant. Neque omittendæ nobis externæ cauſæ, quæ idemtidem non raro hunc adfectum excitant. Videmus enim, hoc malum fieri à vehementiore corporis motu, à ſaltatione, it. ubi ex alto mulier decidit, vel in loco iniquiore feſellit veſtigium.

4.) Ad abortum pronæ ſunt, quibus alvus eſt contractior, corpus ſpongioſum ſuccique plenum, & quæ majore ſanguinis copia adfluunt, quam ut intra vaſa capi poſſit. Idem periculum propoſitum eſt, quæ ſpaſmodicis ſæpe malis infeſtantur. Ubi vero ſemel adſueverit natura abortui, à leviuſcula etiam cauſa ille rurſus adoritur vix remediis evincendus.

5.) Ex ſpaſmis vero abortum provocari, exinde adparet, quod robuſtiores fœminæ, quæ firmum contra ſpaſmos corpus habent, tutæ omnino ſint ab abortu, licet vel validiſſimis pellentibus purgantibuſque illum moliantur.

6.) Ubi gravidæ diarrhœis, dyſenteriis, paſſioni hyſtericæ, colicæ convulſivæ, variolis morbilliſque implicantur, ut plurimum abortus ſequi ſolet, idque maxime circa medium geſtationis tempus.

7.) Oritur ſæpe abortus illo tempore, quo menſtrua proveniunt, hiſque fere ſignis deprehenditur: Atroces ſpaſmi lumbos divexant, qui ſupra eoſdem iliique oſſa vagati incredibiles anxietates & tormina adferunt.

8.) Muljeri gravidæ ſine modo fuſa alvus partum elidere poteſt. Eidem ubi nimius ſanguinis fluxus accidit, non difficile eſt abortum prænunciare. Ubi is vero à terrore concitatur, ſanguis tertio plerumque ab abortu die effunditur.

Quibus citra cauſam externam frequens abortus fit, idque ſtato ſæpe menſe, his in utero vitium eſt, & vaſa, quæ inſigni copia per illum ſerpunt, plerumque ſunt laxiora. Dejiciunt ſæpe polypoſas concretiones & carunculas, manifeſto documento, vaſa craſſa mole ſanguinis occluſa impedire vitalem ejuſdem circuitum, unde ſubtrahitur infanti nutrimentum: quod malum uterus contrahit maxime ex ſuppreſſione lochiorum, ſi menſtrua ex voto non reſpondent, it. ſi poſt abortum vel partum gravidæ parum diligenter expurgantur.

Curatio.

In cura caput eſt, ut ſanguinis motus, qui hic langueſcit, ſumma cum cura reſtituatur. Quod ut adſequamur, ſpaſmorum violentiam oportet demulcere. Inſtante igitur abortu, convenientiſſimum eſt, nervinis & antiſpaſmodicis laboranti ſuccurrere. Quo fine commendamus ſequentia:

1.) *Recipe Aquarum liliorum convallium cum vino, meliſſæ, corticis citri ana unc.* j. *balſami embryonum unc. ſemis; liquoris mineralis anodyni Dn. Præſid. vel hujus loco ſpiritus nitri dulcis drachm. ſemis.* Miſce: fiat potiuncula.

2.) *Recipe Pulveris Marchionis, cornu cervi philoſophice præparati, ana drachmam ſem. olei macis gutt.* IV. Miſce: fiat pulvis, detur ex priori potiuncula.

3.) Externis etiam remediis periclitanti ſubveniendum eſt, quo ſcopo utile eſt balſamum vitæ Dn. Præsidis, it. balſamum embryonum quod pani toſto infuſum umbilicali regioni debet admoveri. Eodemque lumbi etiam ſovendi ſunt, ut dolores imminuantur.

II.) Ut tutas ab abortu præſtemus gravidas, eaſque ab hoc malo tueamur, neceſſe eſt, ut 1) ſanguis detrahatur. Optime vero eſt, circa medium geſtationis tempus id ipſum facere.

2.) Recludendæ ſunt obſtructiones, quibuſcum peſſime ut plurimum gravidæ conflictantur. Juvat inde clementibus laxantibus movere alvum. Talia ſunt, quæ ex rhabarbaro, paſſulis, cremore tartari, manna, adjecto cinnamomo ceteriſque adparantur.

Cautelæ & Monita.

1.) Quibus frequens alias abortus accidit, præſertim ubi ſanguinis, uti plerumque ſolet, abundantia accedit, hiſce omnis ſpes in venæſectione crebro repetita collocanda eſt. In nonnullis fere ſingulis menſibus adhibenda eſt, ut præſentis alioquin abortus diſcrimini eripiantur.

2.) Non omne ſanguinis profluvium terrere ſtatim debet, neque enim abortum indicat, ſed tum demum is non procul abeſt, cum ſanguis ex ipſo utero & poſt gravem terrorem, vel aliam manifeſtam cauſam effunditur.

3.) Summa cum cura providendum eſt, ne opiatis, anodynis & ſtypticis externis hæmorrhagias inhibeamus.

4.) Pari ſollicitudine opus eſt, ne in iis, quæ adſuetæ alias ſunt huic malo, circa ſolitum menſtruorum tempus abortus excitetur draſticis pellentibus.

5.) Eidem malo curioſe proſpiciendum eſt in paſſione hyſterica, colica, tuſſi convulſiva, cæteriſque ſpaſmodicis morbis, quibus gravidæ frequenter adfliguntur. Quo in caſu præſidio ſunt pilulæ de ſtyrace, laudanum Sydenhami, oleum nuciſtæ vel macis deſtillatum, it. caſtoreum.

6.) In variolis febribuſque ardentibus abortui arcendo inſerviunt nitroſa, inprimis vero venæſectio ut hac ipſa adfluentia ſanguinis, qua gravidæ premuntur, cum ſalutari effectu imminuatur.

7.) Cavendum eſt gravidis ab acidis, à frigore, à vino, nimiaque carnium copia. Fugere etiam debent adfectuum intemperantiam, præſertim ſubitum terrorem, item omnia fœtida, maxime extinctarum candelarum fumos. Quæ alvi adſtrictione laborant, abſtinere debent pharmaco validiore. Juvat potius repetere purgationem lenioribus medicamentis, & laxantibus ex rhabarbaro & manna ſingulis fere ſeptimanis alvum ducere.

8.) Poſt abortum recte dantur pilulæ balſamicæ, polychreſtæ ex gummatibus reſinoſis & extractis amaris v. g. extracto abſinthii, centaurii minoris, fumariæ, myrrha, aloe, benzoe, ſuccino, maſtiche & croco compoſitæ.

CAPUT III.

De Aſthmate convulſivo.

Observationes.

1. Eſt reſpiratio difficilis à deficiente aeris in pulmones influxu exiſtens. Quod fit, cum nervi & veſiculæ pulmonum ſpaſmo conſtringuntur, unde ſummæ anxietates, inquietudo & ſtrangulationis metus hoc malum comitantur.

2.) Eſt hoc aſthma periodicum & certis intervallis infeſtat, maxime vero nocturno tempore ingraveſcit. Sunt hæc ejus fere ſymptomata: Nulla languenti quies, ſpiritus anguſtia, neceſſitaſque collo

extenſo

extenſo erectoque corpore eundem trahendi. Adeſt ſæpe ſimul cordis palpitatio, ſudor circa frontem frigidus, ſæpe etiam paralyſis & animi defectio junguntur, quæ mala ubi ſuperveniunt, in præcipiti ægrotum eſſe, non temere prædixeris.

3.) Aſthmati convulſivo frequenter ſe adſociat cachexia, tumor pedum, tuſſis, & tunc thoracis hydrops præſens plerumque eſt.

4.) Qui aſthmate convulſivo extinguuntur, in horum thorace vel pericardio, ubi aperiuntur, ingens ſeri colluvies ad multas ſæpe libras adſcendens deprehenditur.

5.) Fit aſthma convulſivum non raro ab exanthematibus intra corpus retro ſerpentibus. Teſtantur obſervationes medicæ, à ſcabie intempeſtivo medicamine repulſa, ab arthritide ad interiora recedente, item ubi ex virium debilitate ad articulos ſerum acre non propellitur, hoc aſthma ſuſcitari. Quod idem tenendum eſt de morbillis, variolis & eryſipelate, quibus adfectibus ſi hoc malum jungitur, ſatis adparet, ſummam materiæ ſubeſſe malignitatem.

6.) Ad aſthma multum diſponit habitus corporis ſpongioſus, venæſectio intermiſſa, aut ſuppreſſio hæmorrhoidum vel menſium, unde materia, cum ſanguis exitum non habeat, in præcordia inclinatur. Infeſtum etiam eſt hoc morbo frigus vehementius non bene munito pectore exceptum, item adſumtus poſt calorem corporis frigidus potus.

6.) Diſtinguitur aſthma noſtrum a catharro ſuffocativo in eo, quod hic ex improviſo adoriatur cum anxietate pectoris & imminente ſuffocatione, item cum ſtertore & rubore vultus. Differt deinde ab aſthmate ſtomachali vel flatulento, quod cum ex mole quadam materiæ viſcidæ, item à flatibus oriatur, minus habet periculi & per vomitum conquieſcit. Differt denique ab aſthmate pulmonali, quod a ſanguinis vel ſeri in pulmonibus infarctu fit, cum in noſtro adfectu nihil ſæpe vitii in hoc viſcere reperiatur.

Curatio.

Curationis ratio hæc eſt, ut balſamicis & nervinis ſpaſmos ſedemus. Qua mente commendamus ſpiritum cornu cervi cum eſſentia caſtorei, item pauxillo eſſentiæ anodynæ mixtum.

2.) Auxilio ſunt elixiria balſamica cum liquore alcalino compoſita, quæ ubi frequentius liberaliore in doſi adſumuntur, inſigne adferunt ad levamentum.

3.) Nec alienum erit in hoc adfectu, clyſteribus carminativis inteſtina a ſordibus expurgare.

Monita & Cautelæ.

1.) Si aſthma convulſivum fuerit ab excrementis tenuioribus, ad interiora regreſſis, vel eorundem malignitate, aptiſſimum eſt pulveres bezoardicos, adjecto nitro & camphora, item eſſentias alexipharmacas & ſpiritum mineralem D. Præſidis offerre.

2.) Thermarum & acidularum uſus, ſalutaris alioquin medicina, in hoc adfectu plane explodendus eſt, quod hæ aquæ non minuant malum, ut potius idem exaſperent, in hydropem thoracis ægrotantem ſæpius conjicientes.

3.) Hoc in caſu non vomere, non medicamentis fortioribus movere alvum, uti quidam temere ſolent, expedit. Inimica etiam ſunt anodyna, quibus malum identidem intenditur.

4.) Idem animadverti debet de ſanguinis miſſione, qua, ſive in acceſſione mali, ſeu extra illam adhibeatur, nihil aliud proficitur, quam ut ægroti vires abſumantur. Habet tamen locum, & neceſſario in uſum vocanda eſt, ſi quis vel ex hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſſione in hoc malum prolabatur.

5.) Ad præſervationem hujus mali laudanda eſt tinctura antimonii acris cum ſpiritu Buſſii, vel ſale volatili mixta, quæ ex infuſo herbarum pectoralium, uti vocant, cum ſingulari fructu adſumitur. Juvat quoque cibis eſſentiæ carminativæ uſum, qualem ſupra poſuimus, interponere, quippe his remediis adverſus imminentis mali impetum corpus optime communitur.

6.) Si hydrops thoracis jungitur, (jungitur vero frequentiſſime,) unicam ſpem in paracentheſi reponere oportet. Ubi quidem conſiderandum inprimis, an viſcera ſalva ſint, & an ægro vires ſuppetant, alioquin enim fruſtra inde medicina expectabitur.

CAPUT IV.

De Colica convulſiva.

OBSERVATIONES.

Nomen huic paſſioni ab ipſa cauſa impoſitum eſt, quod graviſſimis torminibus inteſtina dilacerat. Alvus ſimul adſtringitur, præcordia dolent, reſpiratio impeditur, abdomen diſtenditur, cæteriſque malis æger torquetur.

1.) Originem ducit hoc malum ex ſpaſmo membranarum, quibus inteſtina veſtiuntur. Hiſce enim conſtrictis, non expirant ſordes, ſed adcumulati inde flatus inteſtina diſtendunt, ventriculumque & nervos paris vagi præſertim adfligunt. Inde anxietas, inde pectoris anguſtia & totum illud malorum agmen, quod huic adfectui incumbit.

2.) Convulſiva colica non per ſe tantum attentat, ſed aliis etiam morbis adſociatur. Præſto ita ſæpe eſt in malo hypochondriaco, & iis morbis, qui à ſanguine intra hepar & meſenterium reſidente proficiſcuntur. Inde etiam eſt, quod ubi neglecta fuerit ſanguinis detractio, vel ubi hæmorrhoidum & menſtruorum fluxus defecerit, hoc malum conſequatur.

3.) Urget dolor non umbilicum modo, ſed per totum abdominis ambitum dextrumque & ſiniſtrum latus extenditur.

4.) Si in dextro latere dolor urit, & cum dolore acri vomendi cupiditas, urina tincta, magna ſitis, vox rauca, oris amaritudo ſentitur, illud colicæ genus adeſt, quod millioſum adpellatur. Cujus quidem mali non alia cauſa eſt, quam vitium hepatis, ubi nempe bilis circulus languet, ductu, per quod illa fertur, obſtructo. Quod manifeſtum eſt in apertione ejuſmodi hominum, qui ex hoc malo perierunt. Plerumque enim calculus ductum claudens adparet, vel ipſa bilis ex cyſtide in ventriculum & colon exundavit, unde inflammatio ventriculi vel inteſtinorum & non dubia exinde mors exoritur.

5.) Colica convulſiva ſæpiſſime fit à podagra vel arthritide corpus retro ſubeunte, vel ubi natura viribus & robore defecta non ſufficit ſero acri ad exteriora propellendo. Atque ſi hiſce malis colica convulſiva accedit, periculoſum ſymptoma eſt, & nihil læti ſignificat. Ferali enim inflammatione inteſtina exuruntur, quod comprobat inciſio eorum, qui hocce morbo jugulantur, ubi inflammata plerumque inteſtina reperiuntur.

6.) Oritur hæc paſſio à paſſione iliaca, ab hernia, à vermibus, à fæcibus induratis & ſtagnantibus. Sæpe etiam hæ convulſiones caput attentant, inque fœminis

fœminis hyſtericæ paſſionis cauſa exiſtunt.

7.) Qui ſpongioſo corporis habitu ſunt, hiſce in paralyſin hoc malum crebro convertitur.

8.) Eſt & alia colicæ convulſivæ ſpecies, eaque graviſſima, quæ ex fumis metallicis, maxime ſaturni, contrahitur. Hæc frequens iis, qui in metallis laborant, vulgoque Hütten-Katze / Hütten-Kranckheit nominatur. Eadem graviſſime excitatur à vino, cui lithargyrium admixtum eſt, uti ſolent ſæpe inficere vina, quæ non ſolum noxia, ſed homines etiam jugulant.

9.) Facile provocat hoc malum intempeſtivus remediorum uſus, quæ ex ſaturno conſtant. Compertum eſt variis obſervationibus, ex gonorrhœa, quæ hoc medicamento reprimitur, noſtram paſſionem provenire.

Accidit ſæpe, ut in arthritidem tranſeat, quod ſalutare omnino eſt, ut peſſimum contra, ſi in hydropem commutatur.

Curatio.

Ut mali hujus ſævitia, quæ miſeris modis adfectum conficit, jucunde & celeriter expugnetur, ſequentia obſervare oportet:

1.) Ubi infeſtat malum, alvus emollienda eſt clyſteribus oleoſis, quibus nihil præſentius. Parari hi poſſunt ex oleo amygdalarum dulcium, lini, raparum, anethi, chamomillæ cocti. Addi poteſt eſſentia caſtorei, ſpiritus vini camphoratus.

2.) Interne pinguia item olea ex juſculo calido ſumere juvat, quod hæc remedia ſpaſmorum vim tyrannidemque mirabili modo enervant. Quo conſilio commendamus oleum amygdalarum dulcium, cui aliquot olei millefolii, carvi, aniſi guttæ adjiciantur.

3.) Externe fovendus eſt venter unguento ex axungia humana, taxi, zibetho, pinguedine caſtorei, oleo carvi cæteriſque, quippe his linamentis ſpaſmi identidem egregie ſubmoventur.

Cautelæ & Monita.

1.) Si colicaললbilioſa male habet, optime tollitur ſanguinis miſſione, aperta in pede vena. Eandem experiri oportet, ſi ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis malum exoritur.

2.) Si in noſtro adfectu paralyſeos metus eſt, abſtinendum diligentiſſime ab opiatis. Adeo enim hæc remedia hic nihil juvant, ut potius in graviora mala, inter quæ eminet paralyſis, præcipitent. Nempe ſoluto partium tono, quo ſeu firmiſſimo munimento ſanguinis curſus innititur, copioſos ſudores evocant, unde paralyſis ſeu reſolutio nervorum excitatur.

3.) In colica bilioſa, quæ cholericis ſolennis eſt, nitrum & quæ ex ipſo conſtant, medicamenta cum ſalutari eventu uſurpantur. Quo pertinent quoque clyſteres clementer alvum provocantes, quibus addi debet lapis prunellæ.

4.) Ubi colica periodica eſt, & per certa ſpatia temporis infeſtat, præſertim ſi circa ver & autumnum ingruit, commodiſſime ad venæſectionem decurritur, qua unice hoc malum, ſi ejus periculum imminet, evitatur. Non minorem opem ferunt infuſa laxantia, item pilulæ polychreſtæ.

5.) Si à ſtercoribus induratis & intra inteſtina hærentibus originem trahit, id monendum inprimis, ut ſordes illæ bene educantur. Quo ſcopo convenit lenioribus laxantibus ex manna, rhabarbaro, foliis ſennæ, cremore tartari, nitro, auro fulminante alvum ſolvere.

6.) Quoties à malignis ſaturni fumis ore exceptis contractum fuit malum, ab oleoſis & pinguibus unice petere oportet medicinam.

7.) Illud inprimis memori pectore ſervandum, ne in hoc adfectu ſola opiata adhibeantur. Si quid illis proficitur (poteſt vero aliquid profici omnino) cum purgantibus mixta quibus infringitur eorum vis, offerantur. Quo nomine pilulæ Wildeganſii, Starkii celebrantur.

CAPUT V.

De Dyſenteria.

Observationes.

1. **E**St frequens dejectio ſeri plus vel minus tincti per alvum cum atrociſſimis ventris torminibus, perpetuaque deſidendi cupiditate. Fit à periſtaltico inteſtinorum motu p. n. aucto; incurſat ſimul febricula, exigua adeſt quies, ſomnuſque interpellatur.

2.) Diſcernitur ab hæmorrhoidum fluxu, quod in hoc cum excrementis ſanguis etiam effunditur, ſed quod probe notandum, ſine torminibus & ſpaſmis, qui contra in illo adfectu graviſſime corpus conficiunt.

3.) Frequens autumno malum eſt, & epidemicis morbis adnumerandum, qui ex aeris malignitate proveniunt. Nam ubi tempeſtas calida præcedit, eamque humida excipit, mox borea flante expiratio ſordium intercluditur. Quo fit, ut acria ſalia, quæ per ſpiramenta cutis exterminari debebant, ad bilem atque inteſtina inclinentur, excitantia hanc paſſionem. Inde etiam eſt, quod caſtrenſes plerumque opprimat, quod hi corpus æſtate & meridianis caloribus relaxatum nocturno plerumque frigore conſtringunt, dyſenteriam ſibi inde arceſſentes.

4.) Si maligno rore infecti ſunt fructus, uti ſæpius accidit, ex eorum deguſtatione epidemica dyſenteria ſuſcitatur.

5.) Dyſenteria eſt vel benigna, vel maligna. Illa minus periculoſa eſt, hæc in diſcrimen ſummum ægrotantes adducit, & plerumque eoſdem intercipit. Solet graſſari maxime eo tempore, quo cæteri ex malignis morbis, ſcilicet petechiales ardenteſque febres, item variolæ morbillique infeſto agmine humanum genus depopulantur.

6.) Maligna his notis deprehenditur: Virium eſt languor, inquietudo, ſingultus, ſudor frigidus & fœdum pallore macieque corpus. Serpunt per os aphthæ, per corpus vero puſtulæ nigræ, accedit etiam angina, dejiciturque alvus graveolens: quandoque verminoſa.

7.) Contagioſa valde eſt dyſenteria & facile illius venenum intra venas concipitur; fit plerumque cum nauſea, cum præcordiorum anguſtia ſpirandique difficultate.

8.) Dyſenteria alba dicitur, ubi parum cruoris manat, & magna muci copia excernitur. Si carnoſa quædam deſcendunt, in ſummo periculo verſatur æger.

9.) Ea ſæpe acrimonia humorum eſt, ut inteſtina inde exulcerentur. Accidit id inteſtino recto inprimis, quod per hoc acris materia maxime fertur.

10.) Perculoſa eſt dyſenteria puerperis, ubi vero febris cæteræque mali acceſſiones abſunt, eædem conſervari poſſunt. Funeſta etiam eſt in morbillis & variolis, quia vires, quæ jam impetu morbi decreverunt, inde abſumuntur.

11.) Si vetuſtior morbus eſt, putris ſanies exulcerat inteſtina, & tunc plerumque hydrops, tabes, lentæque febres corpus ſubeunt cum ſiniſtro plane augurio.

12.) Si in hoc malo anus arctius clauditur, peſſimum ſignum eſt, neque melius quidquam expectandum, ſi extrema frigent, venæ tarde cunctanterque moventur, item ſi nullus adeſt doloris ſenſus, mentis vero alienatio.

13.) Ubi dyſenteria cachecticos, ſcorbuticos, phthiſicos corripit, item ſi debiliores homines, & qui diuturnis animi perturbationibus ſe macerarunt, ubi hos invadit, plerumque conclamatum de iis eſt. Eſt & hoc malum iis frequens & perniciosſum, quorum inteſtina lumbricis obſidentur.

14.) Quibus ex dyſenteria mors accidit, in iis inflammata adparere inteſtina vel corrupta, & exulceratum rectum inteſtinum, loquuntur medicarum obſervationum monumenta, bilis vero porracea plerumque reperitur.

Curatio.

Curationem hujus mali recte perſecuturis hæc obſervanda ſunt: primum, bilis cauſtica, & acris, quæ moleſta hic inprimis eſt, è corpore expellatur, deinde ſerum ſalſum & acre temperetur, & per cutem ejiciatur. Poſtremo confirmandus inteſtinorum tonus, & elidenda ſpaſmorum ferocitas. Quæ omnia ut ex voto & feliciter cedant, adcommodata erit hæc curationis ratio:

1.) Primis diebus lene dari debet emeticum, eo fine, ut bilis noxia excutiatur. Quo referenda eſt radix ipecacuannæ, quæ ad dimidium drachmæ per tres dies mane ſumta tres vel quatuor vomitus movet cum non mediocri adlevamento. Ubi vero parum tutum hoc remedii genus viſum fuerit, tranſeundum ad leniora laxantia, quorum ſequens exemplo erit. *Recipe Rhabarbari electi, cornu cervi uſti pari pondere ſcrupul. j. olei nuciſtæ expreſſi gr. vj. Miſce: fiat pulvis, cujus tres doſes per diem dari poſſunt.*

Ad temperandam acrimoniam commendamus ſequentia:

1.) *Recipe Cornu cervi philoſophice præparati, antimonii diaphoretici, rubricæ fabrilis, ana drach. j. theriacæ cæleſtis gr. vj. olei cinnamomi, macis, ana gutt. iij. Miſce: fiat pulvis ex aqua cinnamomi vel cydoniat. in juſta doſi exhibendus.*

2.) Ubi adſtrictione majori opus eſt, modo laudato pulveri jungi poteſt terra catechu.

3.) Loco potus ordinarii decocti hujus uſum commendatiſſimum ſibi habeant ægri. *Recipe Panis toſti m. j. priapi cervi, cornu cervi, ana unc. ij. cinnamomi, maſtiches, nuciſtæ, ana drach. iij. cornu cervi uſti, terræ ſigillatæ, pari modo unciam dimidiam.* Qui potus præter temperandi facultatem egregie etiam ſitim, qua vexantur ægri, ſedat.

Spaſmis demulcendis idonea ſunt, quæ paulo poſt prædicamus:

1.) Linamento externo, quod ex meris oleis conſtat, abdomen diligenter fovere oportet. In quam rem hanc formulam communicamus. *Recipe olei liliorum alborum, hyoſcyami ana unciam ſemis, menthæ deſtillati, nuciſtæ, carvi ana drachm. ſemis. m.*

2.) Clyſter infundendus eſt inferioribus qui optime paratur ex lacte, floribus verbaſci, decocto pedum vitulinorum.

Monita & Cautelæ.

1.) In omni dyſenteria abſtinendum cum ſumma cura ab opiatis & adſtringentibus remediis, quod hæc in pejus malum provehant, tantum abeſt, ut illud adlevent. Et frequenti obſervatione compertum eſt, ex intempeſtivo ſtyptico dyſenteriam, quæ alioqui curari poterat, in ventriculi inflammationem, ſingultum, aphthas cum ferali plerumque eventu abiiſſe.

2.) Oleum olivarum cum ſpiritu menthæ mixtum in hoc malo inſignem præſtat utilitatem, ſi calor & malignitas abeſt.

3.) In benigna dyſenteria expedit potus ordinarii loco adſumere aquam panis cum nuce moſchata, item lac cum calido infuſo veronicæ.

4.) Si malignitatem ſubeſſe ſuſpicio eſt, pulveri quem ſupra recenſuimus, addi poteſt hepar ſerpentum, maxime vero nitrum & camphora.

5.) Si qua ulcera in inteſtinis latent, mitiora ea reddunt clyſteres oleoſi cum balſamo Locatelli commixti.

6.) Ubi teneſmus urget, convenit mucilaginem cydoniorum tepide in anum immittere.

7.) Poſt factum ex radice ipecacuannæ vomitum dare oportet pulveres bezoardicos cum theriaca cæleſti mixtos. At ſi hypercatharſis premit, prodeſt theriaca ex vino calido uti.

8.) Inter plurima cætera vero, quæ contra hunc adfectum valent, non extremum occupat victus ratio: Conveniunt autem cibi molles & faciles, ex quibus oryza, vitelli ovorum merito ſuo extolluntur. Bono etiam ſunt emulſiones amygdalarum, item panis toſtus cum vino Hiſpanico hauſtus & cornu cervi gelatina.

9.) Proſpicere oportet in hoc morbo, ut diaphoreſis blanda corpori cuſtodiatur; imperanda ægro quies, ſiquidem agitatio & vehemens motus exulcerat, imperanda non minus abſtinentia. Quo quis enim minus in hoc morbo comedit, quo diligentius temperantiæ legibus ſe adſtringit, eo facilius maturiuſque ab eodem liberatur. Quod identidem de frigore non ignorare oportet, cui ne quid in corpus liceat, providendum eſt, velato cum cura corpore. Siquidem hoc, ubi corpus ſubiit, tranſpiratione ſolemni ſordium interclusa, quæ tamen unice ſervanda erat, malum exaſperat.

10.) De medicamentis illud generatim monendum eſt, repetendum eſſe eorundem uſum crebrum in minori doſi, quam una vice in majori copia illa exhibenda.

11.) Si quis opiatorum uſus eſt, in declinatione mali & ubi jam evacuata & correpta materia eſt, ea adhibere oportet, cum in principio contra morbum graviorem reddant, jure inde explodenda. Eadem clyſteribus vel plane non addi debent vel rariſſime, idque cum ſumma prudentia faciendum eſt.

12.) Cum dyſenteria valde convenit cholera, in eo tamen diſtat, quod non ſit contagioſa. Diſtat etiam, quod per ſuperiora & inferiora materia ejiciatur, minus vero ſanguis reddatur. Proficiſcitur à bile acri ventriculum & inteſtina irritante.

13.) Quoniam à cauſtica humorum acredine & fermentatione acida originem trahit, hinc pulveres abſorbentes alcalini, quales ſupra laudavimus, item demulcentia & gelatinæ utramque hic paginam implent. Sicubi enim alibi, certe hic tenendum eſt illud: Principiis obſta, niſi enim mature ſuccurras, metus eſt ne ventriculi ſuccedat inflammatio & repentinus vitæ.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
DE
VERA MORBI
HYPOCHONDRIACI SEDE, INDOLE, AC CURATIONE.

Primùm edita Anno 1719.

PRÆFATIO.

CERTISSIMÆ fidei effatum, atque uſui medico accommodatiſſimum Forestus ſolidæ experientiæ Medicus *Libr. V. de febbr. C.* 14. *Schol.* profert. *Qui morborum exactam cognitionem negligit, vel illos fieri ignorat, in inveſtigatione toto cœlo aberrat, & tantum in curatione delinquit, quantum in cognitione peccavit*: Sane quid valeat, ut morborum deſcriptiones ab originibus ſuis repetantur, prudentique diſcrimine dirimatur, qua parte primum ceperit morbus, & in quas mali communicatione demum tranſierit, nemo melius perſpiciet, niſi qui animum ad morborum curationes applicuerit. Unicus hic anatomiæ practicæ defectus eſt, cum ſecta mortuorum corpora varias monſtrant viſcerum ac vaſorum læſiones; in quas ſæpiſſime morbi omniumque ſymptomatum cauſam transferri videas, quæ morbi tamen producta, mortis potius, quam morbi cauſæ extiterunt: Haud inutilem itaque præſtiterit operam, qui & morborum cauſas, & eorundem effectus exquiſitius dijudicat, morboſque ab aliis recte diſtinguere novit; Veriſſime enim ſcribit *Doctiſſ.* Baglivus *Pract. Medic. L.* 2. *c.* 8. *p.* 200. *Prima baſis curandorum morborum eſt recta eorumdem cognitio, atque debitum unius ab altero diſcrimen*: Etenim non raro tantis implicantur difficultatibus & morborum cauſæ, & communia iiſdem ſymptomata, peſſimique, quos proferunt effectus, ut ſiquid a vulgari cognitione remotum in ſanandi negotio committere Medicus, & convenientes morbo indicationes colligere velit, exactum in perſcrutando judicium afferat, neceſſe ſit: Ex quorum complicatorum morborum numero principem fere locum ducit hypochondriacum malum, quod gravibus non modo ſymptomatibus infeſtum, ſed & Prothei inſtar mira moleſtiarum varietate corporibus illudens, judicium Medici fatigat, ac remoratur, & cum in plura viſcera mali origines deriventur, inde tot conſtitutas hujus morbi ſedes Medicorum monumenta produnt, quin communia huic morbo ſymptomata, flatus præcipue ac inteſtinorum tenſiones, mille fraudum artifices, frequentius pronum in ſuperſtitionem vulgus inani illa vel veneficii, vel miraculi ſuſpicione inficiunt, & non paucæ Medicorum obſervationes confirmant, flatus hypochondriacorum mira volubilitate inteſtina pererrantes, ranarum, aut aliorum per veneficia introductorum animalium, ægrotantibus non modo, ſed adſtantibus quoque ſuſpicionem injeciſſe. Unicam tantum Plateri hiſtoriam adduxiſſe ſufficiat de ipſo homine medico conſignatam, cujus mentem vana, contentæ in inteſtinis ranæ, ſuſpicio miſere torſit, animo tandem poſt ſeptem annos ſeverioribus verbis ægre excuſſa. Nec ſola hæc flatuum hypochondriacorum ludibria ſunt, ſed fide obſervationum ipſam haud raro graviditatem mentiuntur, quam tamen fœtus exſpectationem reſolutus in flatuum proventum ventris tumor poſtea fefellit: Cujuſmodi lepidam obſervationem conſignavit Hochstederus *Dec. VI. Conſil. IV. de quadam muliere, quæ per biennium inflato ventre laborans, ſeque gravidam credens, tandem, cum Lucinam vocaſſet, tres pro partu flatus emiſit*; Nec raro, variato ſubinde, per gradus muſicos flatuum ſono, ut in ſordido licet, eleganter tamen deſcribit Pechlinus,

vocis quandam ſimilitudinem, & neſcio quod ſpiritus, aut divinationis ſimulacrum hypochondriaci figunt, & de ἐγγαστριμύθοις Veterum jam monumenta prodidere & ex pelvi vaticinium appellavere: Nec alius generis ſunt ita terribiles in vulgum infantum utero concluſorum vagitus, quibus vel publicam calamitatem, vel ipſi fœtui naſcendo, triſtia fata portendi, ſuperſtitio credit: Antiquo jam tempore hæc acta fabula fuit, ſiquidem Romanæ Hiſtoriæ princeps Livius *L.* 24. puerum refert, materno in utero Jo, exclamaſſe, quod tamen uti judicat quidem ille, non triumphale, ſed flatulentum fuit, quarum fabularum deinde plures, forſan ut reſipiſcerent homines, congeſſit Vincelius *de miraculis.* Cum itaque tanta copia morbi hypochondriaci moleſtiæ cumulentur, & a qua ſede illæ primitus proveniant, ingens apud ſcriptores Medicos diſceptatio occurrat, haud incongruam diſſertationi inaugurali tractationem exiſtimavi, de ſede & curatione hujus morbi nonnulla perſcribere, cui propoſito ut Numinis clementia benedicat, idque ad utilem finem dirigat, humillime precor: Interim cum prima ſit occaſio, quæ ſcribendi neceſſitudinem animo impoſuit, veniam dabit L. B. ſi tractationem, prouti decet, minus peractam conſpexerit, cum difficile ſemper rerum omnium principium contingat.

§. I.

Hypochondriacum malum, repetitum e Græcis morbi nomen, eo quod ſub mucronata cartilagine, ubi proprium tenet ventriculus locum, coſtiſque ſpuriis copioſo moleſtiarum concurſu fatiget, inque primis ex vaſto inteſtinorum canali in ventris inferioris viſcera, & diſſitas etiam corporis partes ſævitiam extendat, eo laborantium frequentia non inſimæ in Medicina conſiderationis eſt, adeoque nec noſter in ſterili labor poterit accuſari, ſi quædam de incunabulis morbi ejuſque curatione proponamus; Cum vero ingens ſymptomatum numerus & difficile reddat morbi judicium, & veram illius ſedem quam plurimis Medicorum controverſam efficiat, morbi hiſtoriam, qua conceditur induſtria, conſignabimus, ut colligendo, quæ illi accidunt, facilius tandem in cognoſcendam illius ſedem penetrare liceat.

§. II.

Et primis quidem morbi principiis graves ventriculi ac hypochondriorum tenſiones, inflationes, & conſtrictiones ſeſe produnt, ita ut ſæpius convulſa hypochondria, aut quodam coacta ligamine ſentiantur, imprimis vero ſiniſtrum dolor tumorque inſident, quæ præ cæteris ſymptomata in primariis morbi ſignis recenſenda ſunt; ſe quoque comites jungunt præcordiorum anguſtiæ, elevatus in tumorem ventriculus vel ipſo tactu cognoſcendus, inteſtinorum moleſti & veluti fluctuantis in iis auræ motus, flatus, borborygmi, ructus copioſi, de quibus ceu morbo peculiari ediſſerit Hippocrates *& L.* 2. *de morb. artic.* 67. *morbum ructuoſum & artic.* 64. *ſiccatorium nuncupat*, & frequentiſſime hypochondriacis hoc evenire ſymptoma fidem facit Sennertus *L.* 2. *inſtit. P.* 3. *c.* 14. *& ægrotantem ejuſmodi mille ructibus de die ſtrepentem deſcribit.* Tumentia ſic vero ventriculus ac hypochondria adacto in anguſtius ſpatium ſepto tranſverſo ſpirandi interdum hac ratione difficultatem reddunt, & ſufflaminato quaſi ſpiritu terrent, cui tamen pectoris anguſtiæ flatuum & ructuum emiſſione allevatio obtingit, appetitus per dies aliquot nunc proſtratus, nunc vero avidior quam conferre corpori poſſit, in cibos capiendos fertur, a paſtu mox velut onere premi ventriculus videtur, adſunt inſuper nauſea, inque ore ſapores modo nidoroſi, modo acidi, ejuſdemque indolis haud rari vomitus, quibus & ſtupefactos dentes, & corroſa, quæ tetigere linteamina ſcriptores obſervarunt & præcipue Needham *de morb. hypoch. p.* 150. quin vomitus in hypochondriacis pure ſebaceos obſervavit *Magnificus* D. Præses *Diſſert. de remed. benign. abuſu* §. 13. *eo quod materia flammæ admota lucidiſſime exardeſceret: Similis etiam a* Cl. Ludovici *conſignata obſervatio legitur in M. N. C. Dec. I. Ann. III. Obſ.* 253. Ori quoque ita laborantium copioſo affluxu ſaliva affunditur, & ſputatores hinc audiunt hypochondriaci, alvus plerumque adſtricta, & in plures diſtracta dies difficilem ſuo ſe muneri exhibet, aut coacta teneſmo affligit, & viſcidæ, duræ, ac pituita, quam vitream veteres appellarunt, remixtæ ſubſtantiæ fæces exprimit, *uti de* Cl. Lipsio *refert* Sennertus *L.* 3. *Prax. qui a profunda in literas applicatione imbecillus, & negata per dies aliquot alvi excretione anxius, tandem magno conatu ingentem, viſcidæ tenaciſque pituitæ, & ad ulnarum fere longitudinem extenſæ copiam excrevit, ut vel omnia inteſtina ſe profudiſſe exiſtimaret:* Ingraveſcente præterea morbo capitis affligunt dolores iique obtuſi plerumque, & veluti incumbentis ponderis ſenſu moleſti, quales fere clavi hyſterici nomine deſcribit Sydenham, itemque cordis tremores ac palpitationes, polypoſæ in corde concretionis haud raro comites, æſtus vagi ac intercurrentes, variique in omnes fere corporis partes extenſi ſpaſtici motus, movendi potentia langueſcit, triſtis ac pronus in ſolitudinem & phantaſiæ ludibria animus eſt, & licet in ſomnum capiendum inclinet, quod familiare hypochondriacis obſervat Zachias *de morb. hypoch. p.* 527. is tamen inquietus eſt, & triſtibus interruptus inſomniis pulſus inæqualis ac debilis ferit, urina tenuis ac limpida ſecedit, vel copioſo fluxu excernitur, quam largiorem ejus profuſionem præcipuum morbi hypochondriaci ſignum cenſet Sydenham: Nigra quoque interdum mingitur ab iis præcipue, qui melancholia hypochondriaca tenentur, qualem ita laborantis intenſa nigredine tinctam Vitebergæ conſpexi: Tandem ſi morbus moras diutius in corpore traxerit, humorum quoque ſtagnationes, viſcerum infarctus, obſtructiones ſuis ſe manifeſtare indiciis ſolent, quæ tamen mala apertis ſubinde hæmorrhoidibus mitigantur.

§. III.

Tanta uni morbo conjuncta ſymptomatum multitudo non modo longæ durationis ægritudinem reddit, ſed medentis quoque judicium conturbat, eaque propter Medici in varias digreſſi ſententias de ſede hujus mali plurimum litigarunt. Et antiqua quidem temporum memoria in hepar plus juſto calidum, nimium-

nimiumque calidioris, craſſi, aduſtique ſanguinis generans, lienem vero nimis debilem, neque ſatis has ſanguinis fæces digerentem, morbi origines contulerunt, cujus generis Pathologiam præ cæteris apud HORSTIUM ac HEURNIUM legere licet: Interim non pauci cauſam accuſati lienis egerunt, ejuſque vindicandam hoc in morbo innocentiam ſuſceperunt, cujus inſtituti gratia ſuſceptas defunctorum ſectiones adducunt, *& gloriatur* SYLVIUS, *ſe in centum fere, quæ diſſecuerit hypochondriacorum corporibus immune ſemper à vitio lienis viſcus deprehendiſſe*; HOEFFERUS *etiam Herc. Med. L. 3. c. 3. animadvertit, Ferdinandi III. Imperatoris glorioſiſſimi ex pedum imbecillitate vitæ ſedentariæ dediti, & morbo hypochondriaco laborantis ſectum poſt mortem corpus ſalvum ac immunem à vitio ſplenem exhibuiſſe*; Copioſius item in Veteres qui conſpiraſſe in lienis infamiam videntur, HOCHSTEDERUS *Dec. V. p. 502. & p. 588. diſputat corporis hypochondriaci fretus anatome, quæ ſolum ventriculum, ejuſque inferius orificium à flatibus admodum extentum valdeque attenuatum, hærente in fundo atramento ſimili graviſque fœtoris materia, & ſcirrhoſum cum meſenterio pylorum arctiſſimeque conſtrictum exhibebat.* Errarunt ſane in hoc Veteres, quod primam morbi ſedem in lienis viſcere collocarint, ac ignorato ejus uſu ſucci craſſioris & melancholici receptaculum id conſtituerint; Interim affirmare nullus dubito, quin in vitio ſit aliquando lien, & alibi genitam ipſe tandem labem concipiat; in hoc enim ex minutiſſimis vaſculis conſtructo viſcere, ſanguis chylo haud debitum in modum elaborato, ſed pravis aliunde ſuccis corrupto inquinatus, nec libero per vaſa abdominis circuitu commotus ſtagnationem facile concipere, illudque, uti reliqua abdominis vaſculoſa viſcera obſtruere ac infarcire valet, inprimis ſi mora increverit hypochondriacum malum, mentemque moverit ægrotantis, ubi partem ſæpe calamitatis addere lienis obſtructionem Medicorum obſervationes loquuntur.

§. IV.

Majoris contentionis eſt, quam antiquos inter SENNERTUS de ſede hujus morbi foviſſe videtur ſententia, ramificationes nimirum venæ portæ, arteriæ cœliacæ ac vaſorum meſaraicorum primario pati, ibique difficulter progredientem ac reſtagnantem ſanguinis maſſam ſpaſmodicorum motuum, qui torquent hypochondriacos, cauſam exiſtere, ac inſtituendam per hæmorrhoides evacuationem moliri, cujus opinionis Medicorum quamplurimi ſectatores ſe præſtitere, ingentem illum ſpaſticorum motuum concurſum ſola hæmorrhoidalis excretionis molimina judicando: At vero in iis, qui ex parentum hæreditate obnoxia huic fluxui corpora obtinuere, quæ præcipuam fere ejus cauſam conſtituit, prægreſſas tali excretioni ſpaſticas commotiones, & primarum viarum flatulentias, experientia docet, quibus plurimum cum morbi hypochondriaci ſymptomatibus convenit, attamen hi ſpaſmi neutiquam cum iis, qui paſſioni ſe jungunt hypochondriacæ, confundi, ac conſtanti perennique duratione comparari queunt, ſed tranſitorii potius ſunt, atque celerius corpora deſerunt, ſæpius quoque fixum magis locum occupant, & veluti pali oſſi ſacro infixi ſenſum exhibent, & ardente quaſi dolore per ſpinalem medullam deſcendunt; ibique provocato per hæmorrhoides fluxu finiuntur; Nec indignum etiam conſideratione eſt, quod ſine manifeſtis ſæpe ſymptomatibus prægreſſis hæmorrhoides magna ſe copia profundant, ut Medicorum obſervationibus compertum eſt: *ita* CL. RHODIUS *Cent. II. Obſ. 93. annotavit, clericum quendam ultra decem annos quotidie ſanguinis fere quatuor uncias profudiſſe ſine ulla viſcerum labe, aut facultatis cujuſdam naturalis debilitate*; Neque minus ſcriptorum teſtimonia proſtant, non ſemper largius licet prodeunte per hæmorrhoides ſanguine ſpaſmis ac flatulentiis ſatisfieri, aut morbi hypochondriaci ceſſare incommoda, *cujuſmodi referunt hiſtorias* CLAUDINUS *Conſil. 89.* MONTANUS *Conſil. 246.* & HILDESHEIM. *Spicil. 2. de morb. capitis, qui caſum ægrotantis ex malo hypochondriaco proponit, qui copioſe licet fluentibus ani venis nihil tamen ſymptomatum gravitate levabatur.* Similem quoque obſervationem communicavit *Magnif.* D. PRÆSES, *de quodam hypochondriaco, cui largiori quamvis copia effuſo per hæmorrhoides ſanguine, eadem tamen, quæ præceſſerunt, ſymptomata remanſere*; Idem erat ægroti fatum, *cujus hiſtoriam Excellentiſſ.* D. BRENDELII, *Præceptoris quondam ſumme colendi benevolentia mecum communicavit, qui licet ſanguinem tanta copia excerneret, ut parum ſæpius abeſſet, quin animo linqueretur, iiſdem tamen, quibus ante, ſymptomatibus obnoxius vixit.* Itaque cum eadem vehementia concitato licet hæmorrhoidum fluxu ſpaſticæ conſtrictiones perſeverent, in eam potius deducimur ſententiam, ejuſmodi excretionem in ſymptomatibus & productis morbi hypochondriaci numerandam magis eſſe, & ſi familiares hypochondriacis humorum ſtagnationes ac viſcerum infarctus in alius evacuationis modum ſeu naturæ ductu ſeu manu artificis provocatæ, hoc ſanguinis fluxu mitigentur, eodemque ſanguini ad motum haud debite compoſito & à ſpaſticis commotionibus haud æquali per vaſa circuitu promoto liberius ſe commovendi & expandendi ſpatium concedatur.

§. V.

Accuratius in morbi hujus ſedem inquiſiviſſe videtur SYDENHAM, dum haud vulgarem in modum deſcripta morbi hiſtoria p. 495. ſententiam ſuam unde tot mala proveniant, ſequentibus declarat: *pendent ergo affectiones iſtæ, quantum ego judico, a ſpirituum animalium ataxia, unde facto impetu in hanc illamve partem plus quam pro rata denſi nimiique feruntur, ſpaſmos uti & dolorem excitantes, ubi in partes ſenſu exquiſito præditas irruunt, atque organorum, tum ejus in quod ſe ingerunt, tum iſtius a quo abſcedunt, functiones pervertentes; cum utrumque ab hac tam iniqua partitione, quæ naturæ œconomiæ penitus adverſatur, haud parum detrimenti capiat*; Eam vero ſpirituum ataxiam ab eorundem debilitate deducit; Verumtamen in eo deficit, quod neceſſariam, ex qua parte in alias deſcendant ſpaſmi, explicationem omiſerit, neque neceſſe etiam eſt, ad obſcura illa ſpirituum vocabula recurrere, cum ſolus ille conſenſus, quem maximum cum aliis nervis fovent ventriculus ac inteſtina, largo ſpaſmorum hypochondriacorum proventui explicando ſufficiat: Ridicula vero illa opinio eſt, quam LEVINUS FISCHERUS *peculiari de ſede morbi hypochondriaci libro proponit, & Aphor. 54. ſect. VII. Hippocratis perſuaſus morbi originem in Ventriculi ac Diaphragmatis interſtitium refert, flatus ibi collectos omnes mali moleſtias exhibere judicans*, qui vero flatus in ſpatium illud colligi poſſint, ipſe viderit.

§. VI.

Ut vero meam quoque de ſede hujus morbi ſententiam proponam, hanc gravibus inductus argumentis in vaſtum ventriculi ac inteſtinorum canalem repono, & primas inde ſpaſmodicorum motuum origines repeto; Illum vero vaſtæ longitudinis canalem

lem in multos extenſum anfractus, miro artificio ex nerveis ac membranaceis partibus fabrefactum magnoque numero ex ſuperantibus fibris, motui ac ſenſui ſervientibus inſtructum corporum anatome manifeſtat, quo ſcilicet vermicularis inteſtinorum motus debita ſemper ratione ſuccedat, & fibrarum motricium robore aſſumptorum digeſtio ac præparatio vitæque conſervandæ neceſſaria ſucci nutritii diſtributio atque ſanguinis per excretiones imminuti inſtauratio peragi convenienter queant; ſalvo enim ſolidarum robore, ac juſta fibrarum tenſione aſſumtorum digeſtio atque concoctio viget & ſuccus nutritius, omneſque tam variæ indolis, qui diluendo ac præparando chylo ſerviunt, humores laudabili temperie gaudent, ipſaque ſanguinis maſſa ſano novi ſucci complemento reſarcitur, & convenientem legibus naturæ per vaſa corporis circuitum placide abſolvit.

§. VII.

Manifeſta vero nocumenta ſunt, ſi verſam in contrarium harum partium conſtitutionem ſtudioſa conſideratione proſequamur, & luxuriantem illam moleſtiarum progeniem, quæ à deſtructo harum partium tono, ac ſoluta fibrarum motricium tenſione proveniunt, ſimul colligamus; inverſo enim tunc ordine omnia procedunt, ſuique muneris naturales functiones obliviſcuntur, ſiquidem & concoctio & diſtributio ingeſtorum hebeſcit, & accumulatæ ob languidum ventriculi & inteſtinorum motum ſordes onere ac qualitate perverſa moleſtant, &, quos alluunt humores, contagio ſimul inquinant & in alienam a naturali temperie conditionem deflectunt, hinc enim & ventriculi menſtruum bilis & ſuccus pancreaticus in acidum, viſcidum, nidoroſum, alioſve pronos in ſanitatis opprobrium ſapores degenerant, ventriculum & inteſtina imbellia inflatione diſtendunt, & ſeſe flatuum & ructuum luſibus manifeſtant, aut ſenſu exquiſito præditas ventriculi & inteſtinorum tunicas vellicando ac convellendo in ſpaſticas contractiones nervos primarum viarum, alioſque conſenſu etiam conjiciunt, ipſa etiam ſanguinis maſſa pravæ indolis chylo onerata circulo liberiori repugnat, & tardius promota ſecedens facile ſerum copioſo ſudoris urinæ & lacrymarum profluvio dimittit, inque ſtagnationes, ac viſcerum variorum infarctus diſcedit.

§. VIII.

Licet vero gravis hic moleſtiæ morbus non eandem in omnibus rationem ſervet, ſed, prout vel in principiis ſubſtiterit, vel vires temporis mora ſumſerit, nunc majori nunc pauciori vero ſymptomatum concurſu fatiget; ea tamen & adeſſe in principio ſolent ſymptomata, & creſcentem quoque morbum concomitari, quæ manifeſta læſi primarum viarum toni & inquinatorum illic ſuccorum indicia produnt. Continuo enim ita laborantes de gravativo & diſtendente in hypochondriis dolore ac tumore conqueruntur, aut flatulentas illas afflictiones perſentiſcunt, quas Græci παθήματα φυσώδη nuncupant & merito in pathognomicis morbi ſignis recenſet DIOCLES *apud* GALENUM 3. *de loc. affect.* 7. *& certius* GALENO *lienis vitium incuſante, læſæ ventriculi actioni acceptas refert.* Et ſane ſi quis morbi deſcriptionem accuratius luſtraverit ea, quæ morbo hypochondriaco contingere ſolent, ex hoc facile principio derivari, & unica tantum plures provocari moleſtias perſpiciet. Confirmant præcipue hanc noſtram ſententiam Doctiſſimorum Virorum teſtimonia, & egregia omnino ſunt, quæ hanc in rem ſcribit *magnus* CONRINGIUS *Diſſert. de Morb. hypoch.* §. *XI. Principio igitur ventriculum in omnibus hypochondriacis maxime imbecillum eſſe, plurimiſque cruditatibus ſcatere patet, uſque adeo certe id verum eſt, ut complures omnem mali labem ei primario referant acceptam &* §. 12. *quam tardam ciborum concoctionem ructus genuina cruditatum ſoboles &* §. 14. *ſalivatio tantum non continua ſatis produnt.* Eadem CL. WEDELII de mal. hypoch. c. 5. mens eſt. *Pro generationis ſubjecto vendicabimus ventriculum à relaxatis fibris imbecillem pluṙimiſque cruditatibus fere ſuffocatum*, quibus adductis Doctiſſimorum Medicorum ORTLOBII, ETTMULLERI, NEEDHAMII *& aliorum* teſtimonia omnino conſentiunt.

§. IX.

Hæc vero, quæ de ſede hujus morbi in primas vias à tono ſuo dejectas referenda, indeque proficiſcente humorum corruptione nervoſum genus afficiente, & ſanguinis maſſam inquinante, diſputata huc uſque fuerunt, firmiori conſtituentur fundamento, ſi de antecedentibus cauſis, quæ ita præparare hominum corpora, & patentia huic morbo relinquere conſueverunt, nonnulla proponamus, quæ ejuſmodi ſane omnes genii ac indolis exſiſtunt, ut noxam ſolidarum partium robori imprimere, pravamque primarum viarum liquoribus qualitatem inferre valeant. Et primo quidem cum experientia demonſtret, in liberos protracta parentum hæreditate diuturnæ afflictionis ægritudines contrahi: ita hunc etiam morbum ejuſmodi conditionis eſſe, ut parentum vitio in liberos laxiori præſertim ac ſpongioſa corporis textura vaſiſque exilioribus præditos transferri poſſit, obſervationum fide edocemur; imbellis enim à nativitate conſtitutio rerum non naturalium vitiis facile læditur, quibus perferendis ſuperiora ſunt aliorum corporum robora. Præ cæteris vero, quæ provocare hunc morbum conſueverunt, ingentis potentiæ aer eſt ille vitæ morumque moderator, qui craſſiori ac frigidiori temperie ſalutarem perſpirationem offendit, & tardiori excretionum ſucceſſu accumulandis in inteſtinorum canali totoque corpore ſordibus ac faciendis obſtructionibus ſervit, quæ ratio etiam eſt, quod afflata ejuſmodi aere Germania & quæ ad ſeptentrionem vergunt regiones frequentiorem hunc morbum exhibeant, quam temperatiori ſub cœlo extenſæ Gallia atque Italia, & ob crebras tempeſtatum mutationes deterior vernali & autumnali tempore evadat hypochondriacorum conditio: Horum teſtimonio ſerviunt quæ FORESTUS *L. X. obſ. X.* de fratri ſuo ſubortis a frigore incommodis annotavit, quem ſcilicet nudis pedibus frigidiori ſtrato incedentem graviſſimi ventriculi & inteſtinorum dolores & inflationes diuturnæ corripuerunt. Inprimis vero juncta ejuſmodi aeri nimia & diuturna humiditas, motum ſuſtinentibus corporis partibus, inimica eſt, fibrarum motricium tenſionem relaxat, & ut veriſſime ſcribit Magnif. D. PRÆSES *diſſertat. de aeris vitio* §. *vj. Ex tali aeris diuturno ſtatu, omnes morbi, qui ex atonia fiunt, & generantur & incrementa capiunt.* Ita legere memini obſervationem, mutatum, cum humidiori & vaporibus inquinato, conclave promtam malo hypochondriaco originem dediſſe.

§. X.

Ab aëris vitio ad ea vitæ noſtræ præſidia, quibus nutrimur & conſervamur quotidie, deſcendamus, iiſque, quid ad lædendum inſit, perveſtigemus: Sane malam victus vivendique rationem generando huic malo quamplurimum conferre, quotidiana experientia manifeſtum eſt. Craſſior enim cibus potuſve

tuſve atque majori copia aſſumtus, quam debilior præſertim ſolidarum textura perferre & corporis neceſſitudini in modum naturæ amicum præparare queat, rite nec reſolvi nec concoqui ſolet, ſed relictis ſordibus inquinatiſque ſuccis ventriculo ac inteſtinorum tractui gravis eſt. Inprimis vero multum acidi ac viſcidi complectens cibus in promtam primarum viarum perniciem tranſit, ſiquidem & plures præſentis jam morbi hypochondriaci moleſtias exſuperans illud acidum exhibere & in idem omnia fere ingeſta vitium diſcedere, acidi ſaporis ructus ac vomitus denteſque exinde ſtupefacti evidenter produnt. Haud vanum itaque Blancardi *P. 2. Prax. c. 61.* judicium, cum a piſorum, lacticiniorum & acetariorum abuſu Friſiis familiarem hunc morbum evenire deducit. Neque falſo etiam Sinapius *Parad. Medic. P. 2. c. v. p. 79.* tumorem aliquem hypochondrium ſiniſtrum gravantem & Hungariæ ſuperioris civitati Caſſavienſi familiarem porcelli Caſſavienſis nomine appellatum, in inteſtinum Colon, qua in flexuram vergit, flatibus diſtentum transfert, ejuſque originem a vino & aquis crudioribus nebuloſo itemque aere repetit, quorum ſe teſtimonio jungit Horstii *Obſervatio* 27. *L.* 10. a copioſa potus frigidi ingurgitatione hypochondriaci mali principia deſcribens. Neque minus memoratu digna Simon. Paulli *in quadripart. Botan. p.* 537. obſervatio eſt, quæ productas in fœmina ex hypochondriis afflictiones tradit a pane, quem illa ex furno adhuc calentem nimis appetebat. Sæpiſſime etiam, ex hypochondriis paſſiones iis ſuperveniunt, qui a gravi prægreſſo morbo debiles, exſolutiſque viribus avido nimis ad feſtinandam uberiorem ciborum aſſumtionem appetitu feruntur, cum firmato nondum primarum viarum robore, quæ ingeruntur oneri potius, quam inſtaurandis viribus idonea ſint.

§. XI.

Proniora vero in corporis perniciem detrimenta ex inſuper habita convenienti victus ratione redundabunt, ſi vita otio immerſa ſit, aut muneris officiique neceſſitudine motibus prohibeatur, quæ unicam ſæpius naſcendi morbi cauſam conſtituit, ita comparata enim vivendi conditione tardiores ſint oportet ſecretionum & excretionum viciſſitudines, impedita motu deficiente per cutim perſpiratio, & languidum ſolidarum partium robur. Spectat huc Bocconis *viri a naturalis ſcientiæ ſtudio laudandi epiſt.* 24. *obſervatio*, qua cauſas flatuum hypochondriacorum, qui Siculis frequenter eveniunt, lautiorem victum, fructuum ubertatem, & vitam deſidem ſcite coarguit. Eadem vivendi ratio in culpa eſt, quare literas docti, chartiſve impalleſcentes & lucubrationibus profundiſque meditationibus & corporis & animi vires profundentes hunc in morbum celeri gradu ruant, præcipue ſi potu ſimul vel pauco vel craſſiori fruantur, & curvo inflexoque corpore libris incumbant; hoc enim modo ut cætera pravæ concoctionis vitia reticeam, inflectens ſeſe latere ſiniſtro colon, abdominis compreſſione coarctatur & difficilem hypochondriacis alvum haud raro provocat: His dictis non parum illuſtrationis conciliant Foresti *de ſemetipſo conſignata hæc verba L. X. obſ. ſchol.* „ Cum quædam ſecreta Medica exſcripſiſſem ſedendo ſtomacho incumbens dolores mihi oborti circa ventriculum & hypochondria, non aliter, ut in melancholia hypochondriaca fieri ſolet, quæ accidentia tantum ex ventriculi cruditate & flatu fiebant. Taxanda quoque eorum eſt conſuetudo qui neque menſæ gaudiis ſua temperant ſtudia, ſed ipſas cum cibis literas devorare videntur, ſic enim & præparatio & concoctio ciborum hebeſcit, debilia evadunt motus inſtrumenta, ſuique muneris plane obliviſcuntur.

§. XII.

Enormes animi commotiones ingentis eſſe in alterandis corporibus efficaciæ, graviſſimoſque procreare morbos, ne minimam diſputationem admittit, utque celeres ſubitæque mentis commotiones præſentem feſtinant noxam, acutiſque maxime morbis occaſionem largiuntur, ita angor atque triſtitia tardius procedentes animi affectus occulti detrimenti moram, paſſionum in longum tempus excurrentium gravitate compenſant & certe ſi quid aliud, mirum in modum ſolidarum partium robur, viſcerum functiones, & humorum per circulos promotionem conturbant, paratamque malo hypochondriaco ſedem inſtruunt, ut veriſſime ſcripſerit *Doctiſſ.* Baglivus, *animi affectus omnium primo ventriculum tangere.* Quin conſtat, mentem ad triſtia ac plena terroris remiſſam morbum gravioribus implicare moleſtiis & frequentiores exacerbationes accerſere. Huc pertinet Horstii L. IV. p. 194. obſervatio qui graviſſimas ex hypochondriis afflictiones ipſamque abhinc melancholiam in viro quodam deſcribit quem mœſtus ex filiorum obitu animus vehementer fregerat. Quocum docta facit Pechlini *obſervatio* 31. *p.* 71. de ſartore quodam hypochondriaco, qui fortunæ adverſæ caſibus perferendis minus idoneus, inter vehementes a flatibus anxietates, eandemque excipientem gulæ ſtrangulationem & difficillimum alvi ſeceſſum vitam diu miſeram traxerat, is, quamprimum ad triſtia cogitatione diſcederet, morbi ſtatim exacerbationes accelerabat.

§. XIII.

Frequentiſſime vero hoc morbo conflictantur, qui a præcedentibus morbis imbellia retinuere corpora, viriumque ac ſuccorum vitalium paſſi jacturam fuere, & imprudentem eorum ac incongruam medicationem gravibus in inteſtinorum canali moleſtiis luere coguntur: In quorum cenſum referri optime poſſunt crebræ per diarrhœam ac dyſenteriam excretiones ſeu vivendi vitio productæ ſeu ſponte naturæ inſtituto provocatæ, quarum perverſa tractatio hypochondriacis ſpaſticis commotionibus ciendis quam opportuna maxime exiſtit, ſiquidem quæ excerni debebant ſordes retentæ aggravant inteſtinorum canalem & translato in fibras motrices vitio ſpaſticas illas conſtrictiones excitant. Patet hoc præ ceteris in dyſenteria, ubi præſens materia acris cauſtica, erodens haud raro villoſam inteſtinorum tunicam, egreſſu prohibito, paſſionibus non modo acutis, inflammationibus, febribus, ſed chronicis etiam, fibrarum atoniæ, infeſtaque acredine ſpaſticis motibus fundamenta ponit. Inſignis itaque illorum in medicando error, funeſtiſque caſibus infamis eſt, qui cum ad atrociſſimorum torminum auctores, ſpaſmos videlicet primis in viis mitigandos, blandiſve remediis evacuandam acris cauſticæ indolis materiam dirigere debeant conſilium, per adſtringentia potius remedia v. g. radices biſtortæ, tormentillæ, ipſumque peſtiferum ſaturni ſacharum, in quo non parum peccaſſe cenſeo *Cl.* Dolæum, aut opiata narcotica, ipſaque improvide adminiſtrata, quæ theriacam recipiunt medicamenta, medelam moliuntur, quibus & fibrarum robur peſſundant, & malæ indolis materiam futuris calamitatibus relinquunt. Præprimis dignum vix venia delictum eſt, ſi quis ad ſalutares criticas diarrhœas ſupprimendas eandem transferat

S 4 medendi

medendi rationem, cum noſſe interſit præclarum illud Celsi: *Una die fluere alvum, ſæpe pro valetudine eſt, quin & pluribus, modo abſit febris & intra ſeptimum diem conquieſcat.* Noxam ſane harum per adſtringentia cohibitarum excretionum plures Medicorum obſervationes corroborant, & præcipue Magnif. D. Præſidis obſervatio de quodam tenerioris conſtitutionis viro quamplurimum illuſtrat. Is a diætæ vitio in diuturnum alvi fluxum incidit, cui compeſcendo opium toſtum a Medico adhibebatur in tanta copia, ut ſingulis horis doſin opio infecti pulveris, adeoque diei noctiſve unius ſpatio ejus 24. aſſumeret, a quo remedio imminutus quidem ventris fluxus, aſt graves hypochondriaco ſpaſticæ conſtrictiones, infauſtas origines duxerunt: Similem fere morbi hiſtoriam in ſchedis reperi B. mei parentis de quodam diarrhœa laborante, quem præſcripti a Pharmacopæo adſtringentis pulveris uſus in graviſſimos ventriculi & inteſtinorum dolores ac inflationes conjecit, & de alio quodam ægrotante refert, qui ventris profluvium larga theriacæ quantitate proprio conſilio cohibiturus, in graves lateris ſiniſtri inflationes & moleſtiſſimam cardialgiam incidit, cui doloris ac ſpaſmorum vehementia, maxima cum malo hypochondriaco intercedit ſimilitudo, eidemque haud raro etiam conjungitur.

§. XIV.

Promtam identidem morbo hypochondriaco occaſionem concedit imprudens per adſtringentia ſanandi febres intermittentes methodus, qua non præmiſſis neceſſariis materiæ morbidæ excretionibus febrium ſolummodo impetus ſopiuntur, & vel ejuſdem morbi reditus, vel alius chronici, hypochondriaci præſertim origo provocatur, quorum remediorum nomine veniunt terrea præcipitantia, nullis aperientibus aut ſalinis ſociata, quæ fermentum quidem febrile imbibunt, ac figunt, non tamen evacuant, & exſtirpant, unde provenire ingentes afflictiones ſolent; uti optime in abuſum horum remediorum diſputat Oethæus *apud* Schenckium *L. I. Obſ. VI.* Ejuſdem quoque indolis eſt, famoſum illud febrium intermittentium ſpecificum chinæ chinæ cortex, quod certe ob partium terreſtrium, quibus ſcatet, copiam febriles ſuſpendit impetus, ſecuram tamen non reverſuri morbi ſpem neutiquam ſuſtinet. Vere enim *Cl.* Ettmullerus *de abuſu præcipit. c. 3. §. 5. aſſerit, quod ordinario fere alvi obſtructio, pertinax tumor abdominis, ejuſque durities, dolores tenſivi, inteſtinorum familiaria hypochondriacis ſymptomata, uſurpatum hunc corticem ſequantur.* Imprimis ſi juxta methodum, quam præcipit Sydenham, nullo laxante remedio & morbi & remedii reliquiæ auferuntur; Certe enim ſuborta ab uſu chinæ chinæ alvi laxitas, quam ſæpius obſervaſſe ſeſe contendit Jones, quam rariſſima eſt & aliis tunc potius cauſis adſcribenda venit; Ab hoc ergo & ſimilis farinæ remediis non expurgata inteſtinorum regio, ob tenacius impactas rugis primarum viarum particulas noxias & inquinatos ventriculi, pancreatis, biliſve ſuccos de partium ſolidarum robore, juſtaque tenſione periclitatur; Fidem quoque prodeuntis ex febrium intermittentium ſuppreſſione morbi hypochondriaci Medicorum obſervationes conſtituunt, ex quarum plurimis unicam adduxiſſe ſufficiat *Magnif. D. Præſidis, de tertiana intermittente, cujus revertentes quinta vice inſultus, propinato ſemper cortice Peruviano ſupprimebantur, a quo tamen tempore hypochondriorum afflictiones ſolitis ſe prodere indiciis cœperunt.* Pertinaciſſimi etiam mali hypochondriaci originem a febri quartana recenſet Horstius *L. 10. obſ. 28. p.* 189. quamvis, qua methodo tractata febris antea fuerit reticeat. In cauſarum etiam huc pertinentium cenſu id referri debet delictum, quod fatigati febrium intermittentium paroxyſmis committunt, ſeque nimia gelidi potus copia replent, unde ſubitum non modo damnum reſurgit, ſicuti *Cl.* Bohnius *Libr. de Offic. Med. dupl. c. 7. p. 152. obſervavit in puella febri tertiana laborante poſt uberiorem frigidæ hauſtum ingentes præcordiorum anxietates ſubortas fuiſſe*, verum etiam debitam tenſionem amittunt fibræ, & crebris, qui exinde proficiſcuntur, vomitibus laſſatæ, inſtructam pathematis hypochondriacis ſedem largiuntur.

§. XV.

Jam vero paucis, quid præſentis morbi conditio læti infauſtique nos ſperare ſinat, diſquiramus, & ille quidem in principiis adhuc conſiſtens paratam medicinam facile recipit, longo autem tempore conſummatus Medici ſæpius induſtriam eludit, & circumſpecta quam maxime medendi methodo indiget; Quod ſi enim corpora diutius afflixerit & ab obſtructionibus viſcerum difficulter expediendis, in ſcirrhos ac indurationes hepatis, lienis, meſenterii, pancreatis, aliarumque partium, & perfectam earundem corruptionem tranſierit, deploratæ ſpei morbos, conſummatam cachexiam, hydropem, totius corporis conſumtionem, hecticam febrim inducit, lentaque morte vitæ moleſtias finit, interdum quoque ægrotantem opinione celerius e medio tollit, ſicuti l. c. Zachias *l.* III. *c.* 15. obſervavit, & ſyncope cordis ac ſuffocatione lethali interimit, quam mortis accelerationem in polypoſas cordis ejuſque vaſorum concretiones, quæ gravia ingredienti ac egredienti ſanguini, ejuſque liberæ expanſioni obſtacula ponunt, referendam ſæpius eſſe, cadaverum ſectiones manifeſtant, uti obſervationes ejuſmodi in diſſectis cachecticorum ac hypochondriacorum corporibus, monſtrante Excellentiſſ. D. Brendelio, oculis meis innotuere. Sociatum quoque aliis morbis hypochondriacum malum, eoſdem & graviores & diuturniores efficit & difficultatibus plurimis Medici conſilium confundit.

§. XVI.

His ita diductis, reliquum eſt, ut quid in ſanando hoc morbo valeat medicina, & quomodo ſalutaria ab incongruis differant remediis perveſtigemus, & primo quidem de convenienti victus vivendique genere præcipiendum erit; quo, uti decet, præſcripto graviſſimi haud raro & quam maxime diuturni morbi perſanantur, & in quo optime erudita antiquitas majora præſtitit in morborum curatione, quam onuſta nunc temporis ingenti remediorum farragine medicina. Certum enim firmumque experientia eſt, neglectui habita conveniente victus ratione nunquam tutam perfectamque chronicorum morborum ſanationem contingere, quod in morbo præcipue hypochondriaco valet, qui ſæpius ſine ullis remediis, aut iiſdem pauciſſimis ſuperari poteſt, modo ægrotantes ad congruas victus motuſque regulas componantur. Neceſſaria præcipue aëris conſideratio eſt, qui purior ac temperatior medicinæ locum ſuſtinet; in eumque idcirco ex aëre humido, frigido ſitu locorum peccante, ægrotorum transferre corpora convenit: Ante omnia ab externi frigoris injuria defendi ac muniri corpus tegminumque calore foveri inteſtinorum & abdominis regio debet, quo ſolo ſæpius ſpaſticæ harum partium tenſiones & frequens hypochondriacis ſymptoma ventriculi inflatio, ſolvuntur ac relaxantur: Hinc non ſine ratione Montagnana *Conſil.* 131. cujus a præſcripta in morbis

bis recte vivendi ratione non infima inter Veteres laus eſt, in tenera ventriculi conſtitutione ſuadet, a tempeſtatum injuriis optime munire præcordia, & geſtato ſuper ventriculum vulturis pelle frequentem illius inflationem præcavere.

§. XVII.

Neque vero minus eorum, quæ ore aſſumuntur, ſelectus ſanando feliciter morbo ſociari debet; imbecillis enim primarum viarum conſtitutio facilis concoctionis alimenta, potuſve genera quæ expeditius tranſeunt, atque viſcidam ſanguinis maſſam diluunt, requirit, quam victus temperantiam non immerito magni æſtimat GALENUS *L. de attenuante victus rat. eademque ſola diuturnos admodum morbos ſine ullo ſæpius medicamento profligari teſtatur.* Imperandus præcipue is victus hypochondriacis eſt, quorum primæ viæ iiſque contenti humores vitio laborant magiſque prava aſſumtorum qualitate ac quantitate offenduntur: Veriſſimum enim *Divi* HIPPOCRATIS aſſertum *Aphor. IX. S. 2. Impura corpora, quo magis nutriveris eo magis læſeris.* Itaque ſimplici victus ac leviori potus generi aſſueſcant ægrotantes, præſertim decoctis herbarum calidis moderatius ſumtis, vinique generoſioris uſum ſubinde interponant, ea tamen dulcia, acida, auſtera fugiant, omnemque ciborum & repletionem & varietatem averſantur, quam haud inconcinne unam morborum cauſam pronunciat, ANTIPHANES *vetuſtus Græciæ Medicus.* Sane quid in diuturnæ afflictionis morbis valeat, appetitum a victus illecebris temperare, ejus egregio teſtimonio ſerviunt, quæ de chronicorum morborum ſanatione ita refert CAROLUS PISO *doctiſſimo ſcripto de morbis a ſeroſa colluvie p. m. 241. Cum in profectione mea ad fontem Spadenſem ad opulentiſſimum cœnobium ſtabulenſe divertiſſem, incurri in plures religioſos omnino pari adverſæ valetudinis conditione, eodem temperamento, victuſque ratione non diſſimili, ſed in ea hæreſi omnes faſcinum ſeu veneficium quoddam contumaciæ morborum ante memoratorum dolorum nempe totius ventris quo etiam hypochondriacam paſſionem refert, quibus graviter divexarentur, non lautiorem victus rationem eique imparem corporis laborem crimen ſuſtinere debere, quam vanam ſortilegii ſuſpicionem abſterſit ab animis eorundem levamentum, quod a convenienti victus ratione a me praſcripta, qui ſuperfuerunt, percepere, cum non pauci ante ex ea domo gravitate morbi oppreſſi fatis conceſſiſſent, & abſtergere etiam debuit conditio eorum qui his malis urgerentur, nam ſoli religioſi, presbyteri & ſui juris quique lautiori victu uterentur, iis obnoxii vivebant.* Neceſſarium vero non minus eſt motu & corporis exercitationibus languores excutere; his enim & ſolidarum partium robur firmatur & patefactis per cutim ſpiraculis promotaque perſpiratione expeditior humorum circuitus contingit, productæque ſtagnationes ſenſim reſolvuntur: hinc laudatum tantopere a SYDENHAM in phthiſeos curatione equitandi exercitium neque hic fructu ſuo iri deſtitutum eadem ratione inducor. Cæterum ſomni quoque & vigiliarum viciſſitudines ad mediocritatis regulas componantur.

§. XVIII.

Dicenda quoque nonnulla ſunt de pharmaceutica hujus morbi curatione quæ optima ac ſaluberrima paucis iiſdemque ſimpliciſſimis remediis conſtituitur, nec enim adeo famoſa Chemicorum arcana & horrida ſæpius ſpecificorum nomina, ad quorum ſonum obſtupeſcimus, laudes ſuas effectu ipſo ſuſtinebant; ſed facilioribus paratu remediis curandi negotium poterit expediri. Ut vero melius perſpiciantur medendi rationes, ac contingentes haud raro in medicando errores patefiant, conſtituendum ante omnia erit, quæ formari hoc in morbo indicationes, prudenterque applicari ægrotantibus debeant. Conſideratione vero quam maxime dignum eſt, utrum in principio adhuc conſiſtat morbus, an vero diutius corpori inhæſerit, ſiquidem principio reſidens, in depravato ſolidarum robore corruptiſve primarum viarum ſuccis, illud virium temperate roborantibus & acrimoniam abſorbentibus poterit amoveri; in alias vero corporis partes provectum majori circumſpectione & apparatu tractari debet. Dirigere vero curationem neceſſe eſt & ad cauſam morbi, & urgentia ejuſdem ſymptomata, ſpaſticas nimirum conſtrictiones relaxandas, flatus diſcutiendos & temperandam humorum acrimoniam: Et ſolvendis quidem ſpaſmis ac flatulentiis quamplurima conquiruntur remedia. Eſſentiæ, aquæ, ſpiritus, & olea carminativa, quæ plus tamen ſæpe damni quam utilitatis exſerere ſolent, cum ob calidiores, quibus conſtant, particulas humores vehementius exagitent, & ſpaſmorum truculentiam adaugeant; Paucorum itaque præſtat ſelectus, e quibus principem ducunt locum liquor mineralis anodynus Magnif. D. Præſidis, aut ejus loco rite paratus ſpiritus nitri dulcis præcipue ſi illi miſcendus vini ſpiritus ut in clavi Schœderiana præcipit Cl. ETTMULLER a chamomilla romana prius abſtrahatur: His optimo conſilio doſis refracta jungitur balſami vitæ Magnif. D. Præſidis, aut ſalis volatilis oleoſi Sylvii. E ſolidis non præſtantius nitro remedium, cujus in ſolvendis ſpaſmis ac flatulentiis efficaciam obſervatio frequentiſſima confirmat: Convenit tamen, ne debilem cum inteſtinis ventriculum ejus uſu offendamus, illud temperantibus & humorum acrimoniam infringentibus v. g. lapide cancrorum, matre perlarum, magneſia alba, cinnabarinis ſociare, ac temperati olei carminativi, ut olei corticum citri vel, aurantiorum guttis aliquot irroratos hos pulveres exhibere, ita enim duplici ſcopo ſatisfacient & temperando humorum acrimoniam & ſpaſticas etiam conſtrictiones relaxando; Et hujus generis pulveribus dolorem hypochondrii dextri contumacem cum lichenibus totum corpus deturpantibus feliciter ſe curaſſe ſcribit *Cl.* WEDELIUS *de facult. medic. p.* 105. Extrinſecus quoque ſacculos ex herbis & floribus ſic dictis nervinis qui penetrantius ſalino-ſulphureum volatile principium recondunt, ventriculo ac hypochondriis a flatu tumentibus ſpaſmoque conſtrictis calide applicare expedit, cum fructu etiam his reſolvendis moleſtiis linimenta aptantur, *qualia componit* SYLVIUS *l. 1. c. 14. p. 132. ex unguento althææ compoſito, oleis capparum & philoſophorum iiſque tumorem in ſiniſtro hypochondrio prægrandem durumque brachium æquantem ac dextrorſum ſecundum coli ſitum protenſum adhibito ſimul emplaſtro carminativo feliciter reſolutum teſtatur:* Acui tamen horum virtus & ſolvendis ſpaſmis efficacior reddi poteſt, ſi ſpirituoſi cujuſdam liquoris portio admiſceatur.

§. XIX.

Cum vero tardius ſit in hypochondriacis alvi officium & per dies ſæpe aliquot intermittat, quin per anni dimidium pertinacem ejuſmodi alvi obſtructionem obſervatam legimus apud SALMUTH. *Cent. 1. Obſ.* 24. ex ea vero gravia damna originem ducant, omnino id curare Medicus debet, quo liberum alvi ſeceſſum promoveat, unoque remedio alias hinc pullulantes moleſtias præſcindat. Cui ſcopo egregie ſerviunt clyſteres carminativi, quibus componendis

pauca

pauca notaque in vulgus ſufficiunt, inprimis vero olea carminativa cocta pauca ſpirituoſorum quantitate roborata & unius vel alterius emollientis decoctio uſui erunt accommodatiſſima; Nec ſine ratione ſimplicem centaurii minoris decoctionem cum oleo communi vel lini confuſam & clyſteris modo injectam in ſolvendis ſpaſmis & revocanda alvi excretione magni æſtimat BOCCONE *c. l. p.* 495. Ore etiam aſſumi poſſunt remedia, quæ alvum blande ſollicitant, primaſque vias ſordium onere expurgant; Enormis vero eorum hic error eſt, qui diuturnis alvi aliarumque partium obſtructionibus valida remediorum purgantium genera opponunt, eaſdemque una quaſi vice expedire moliuntur, cum a validioribus, calidiori & acriori principio compoſitis purgantibus ſpaſmorum non modo major ſævitia & fortior ſanguinis commotio, verum graviores quoque primarum viarum aliarumque partium obſtructiones reſurgant, aut nimia ac plena periculi purgatione fibris motricibus, omne, quod reliquum erat roboris, pereat. Et prudenter monet *Cl.* ETTMÜLLER, cautiſſimos debere eſſe Medicos in alvi obſtructionibus circa acriorum purgantium uſum, ne præpoſtera horum applicatione in paſſionem iliacam ægroti præcipitentur: Conſtantis quoque obſervationis eſt, à talium uſu hypochondriacos certiſſime lædi, adeo ut tolerandas cæteroquin radicum purgantium Jalappæ, ſcammonii reſinas non ſine noxæ indiciis ſæpius perferant, & de ſcammoniatis jam diu monuit *Cl.* HOFFMANNUS *l.* 1. *de medicam. officin. c.* 34. ne illis concedantur, quibus ventriculus imbecillis eſt, quales fere hypochondriaci exiſtant. Eodem quoque cenſu numerantur auctior myrrhæ doſis & quæ ex aloë conficiuntur extracta, ſiquidem vehementem hæc ſanguini inducunt ebullitionem atque ciendis hæmorrhoidibus opportuna ſunt, qualem ex frequenti aloës uſu effectum in *Calvino* eveniſſe, teſtatur BEZA *in vita ejuſ dem.* Accidit quoque haud raro, ut validiſſimis purgantibus nil quicquam moveantur hypochondriaci, quibus tamen datis lenioribus feſtinata ſæpe alvus ſecedit. Eligenda igitur ſunt, ſi pilulis alvum liquare placeat, e temperatis extractis amaris & leniter evacuantibus compoſita, qua virtute inſignes ſunt pilulæ balſamicæ Magnif. D. PRÆSIDIS: Præcipue blandius expurgant ex hypochondriis laborantes infuſa aut decocta laxantia, quæ rhabarbarum, mechoacannam, fibras radicum hellebori nigri & ſalem vel cremorem tartari recipiunt: *Ita* RHODIUS *Cent.* 2. *Obſ.* 2. *mali hypochondriaci curationem dato ſæpius rhaberbaro feliciter ſucceſſiſſe refert*: in promtu etiam ratio eſt, ſiquidem hoc laxantis remedii genus leniter alvum ducit, humorum inſuper acrimoniam abſorbet, & fibras ventriculi ac inteſtinorum blande reſtringit. Cum vero ſæpius induratæ nimis ac viſcido glutine obductæ ſordes reſiccatis nimium viis difficulter deſcendant, copioſior tunc liquidi aſſumtio laxantis vices ſuſtinebit, præcipue nitri aut ſalis Epſonienſis ſufficienti humido factæ ſolutiones conducent vel laudatæ a Magnif. D. PRÆSIDE paſſulæ ac pruna laxativa, quæ in caſſum adhibitis variis purgantibus, ægrotos aliquoties liquata alvo ſublevaſſe duabus obſervationibus confirmat THONERUS *L. Obſ. p.* 163. & 164.

§. XX.

Eadem emeticorum, quæ purgantium, ratio eſt, imo majorem hæc propinata ſine ægrotantium diſcrimine noxam inferre magiſque ventriculi ac inteſtinorum functiones pervertere ſolent, activioris præcipue indolis ſi exiſtant, & afflicto graviter à ſpaſmis ventriculo, aut ſuccorum acrimonia arroſo appetentur; ſin vero vomitum facile ferat ægrotans, in eumque nauſea, ructibus, copioſe in os redundante ſaliva, vomendique conatu inclinet, conſilio datum emeticum expediendo ſymptomatum commemoratorum cauſam, exſpectationem neutiquam deſtituet, cui ſcopo præ cæteris accommodatum eſt celebratum illud dyſenteriæ ſpecificum ipecacoanhæ radix, quæ ſimilis propemodum & effectus & texturæ cum rhabarbaro eſſe videtur, ac teſte PISONE *de Medicina Braſil. L.* 2. *c.* 11. tuto & efficaciter quoſque humores per ipſam alvum, ſæpiſſime autem per vomitum evacuat, & a parte affecta derivat vimque etiam adſtrictoriam poſt ſe relinquit.

§. XXI.

Specificus fere & à longa temporum memoria plurimis Medicis in curando malo hypochondriaco familiaris martialium uſus extitit, ſiquidem illis ineſſe virtutem pravæ qualitatis humores primis in viis corrigendi, & per alvum educendi, ſimulque tonum partium roborandi judicarunt, ſicuti hoc ipſo morbo qui laboravit ZACCHIAS, ea verum hujus affectus antidotum, iiſque nec nobilius nec efficacius, nec ſecurius reperiri remedium exiſtimat, neque confutat illorum uſum experientia, qua infeſtum primis viis acidum iiſdem potenter infringi edocemur; attamen in eo plures delinquunt Medici, quod non ſervata præſentium hoc in morbo ſymptomatum conſideratione, ea ſine ægrotantium diſcrimine adhibeant, aut ſola ſanando morbo ſufficere arbitrentur. Cum ab eorum tunc uſu ſe abſtinere neceſſe ſit, ſi ſpaſmi per corpus imperium exercent, & alvi obſtructio fatigat, cum enim ab adhibitis illis & ſpaſmi & obſtructiones ingraveſcunt, præcordiorum anxietates ſuboriuntur, & onere graviori ventriculus ac inteſtina premuntur, dum hujus generis remedia haud integro primarum viarum periſtaltico motu ob partium ſuarum gravitatem ventriculi ac inteſtinorum tunicis tenacius adhærent, quemadmodum PANAROLUS *Pentec.* 5. *Obſ.* 32. obſervatum reliquit, in defunctorum, quibus limatura, & crocus Martis propinata fuerant, ventriculis horumque fundo validiſſime ea adhæreſcentia comparuiſſe, neque enim laxa alvus, quæ interdum exhibita martialia ſequitur, a partium ea conſtituentium textura, ſed vario intra corpus receptionis modo & aliis cum ſuccis mixtione repetenda erit. Quod ſi vero obſtructionum ac ſpaſmorum remiſerit vehementia tunc utique ſtringendo leniter fibrarum tono, haud inutilia erunt; Cui ſcopo præ tot artificialibus martialium præparatis ſola chalybis limatura ſubtiliſſime trita, & paucis olei cinamomi vel corticis aurantiorum guttis irrorata ſufficiet. Liquida vero forma, & cum tartareis præparata martialia præſentibus licet obſtructionibus, tutius tamen propinari poterunt.

§. XXII.

Cum vero malum hypochondriacum temporis diuturnitate in viſcerum obſtructiones plerumque diſcedat, dirigi præcipue eo debet Medici conſilium, ut eaſdem removeat, & liberum ſanguinis omniumque humorum circuitum inſtauret, aut eum ſtagnantem & impeditum blande promoveat. Utiliſſima huic ſcopo ſunt remedia aperientia ac reſolventia, quæ tamen leniori magis principio conſtituta ac fixiora eligi debent, præ cæteris ſingularem fructum afferent, quæ ſales tartari, nitri, variaſque eorundem præparationes recipiunt, quibus amaricantia, blandiora, carminativa & abſorbentia ſociare juvabit. Præſtat quoque temperatiorum radicum & herbarum decoctis ſanguinis maſſam diluere, præſenteſque obſtructiones

ctiones ſenſim emollire. Nec interpoſitorum his remediis leniorum laxantium uſus exſpectationem medentis deſtituat, ita enim conjuncta methodus omnibus fere chronicis paſſionibus perſanandis accommodatiſſima exiſtit: Magnarum præcipue virium in expediendis obſtructionibus ſunt thermæ & acidulæ, quæ ſordes hinc inde collectas per ſolita corporis emunctoria ſæpe feliciter extrudunt. Interim tamen non expers etiam damni inconſideratus illarum uſus eſt, cum nullum & morbi & viſcerum internorum conditionis diſcrimen initur; in plane peſſum dato enim ſolidorum robore & conſummatis viſcerum ſcirrhis ac corruptionibus, mors utplurimum earum uſu acceleratur, quæ adhuc protrahi in tempus, vitaque ſymptomatum mitigatione tolerabilior reddi potuiſſet. Cavendum quoque ſedulo erit, ne dum mederi obſtructionibus conſilium eſt, hauſtis nimia copia aquis medicatis fibras primarum viarum flaccidas efficiendo, motum periſtalticum penitus deſtruamus, quod idem de Thee eique ſimilibus infuſis majori quantitate ſumtis poterit affirmari; Semper enim & morbi effectus & læſam ventriculi functionem perpendere confert. Quod ſi vero reſeratis obſtructionibus, & excuſſis, quæ longo tempore contractæ fuerant, moleſtiis, læta ſanationis ſpes affulſerit, curandum utique tunc Medico eſt, ut imbellia rurſus confirmet, & integram ventriculi atque inteſtinorum functionem reducat, uſu cognitis remediis roborantibus & blande adſtringentibus. Eſſentia Corticis Citri, aurantiorum, Elixirio Balſamico Magnif. D. Præſidis: it. Balſamo Vitæ, Eſſentia Corticis Caſcarillæ, Elixirio Vitrioli Mynſichti, Eſſentia Martis balſamica, Tinctura Vitrioli Martis, Tartari Ludovici, ne nova iterum futuris incommodis rudimenta ponantur.

§. XXIII.

Reliquum eſt de hæmorrhoidum fluxu quædam commemorare, qui ſalutarem haud raro hypochondriacis Medicinam affert; cum enim ſanguis minus expedito per vaſa circuitu feratur, ſed hinc inde ſtagnationes contrahat, & abundantia ſua ac viſciditate hypochondriacos fatiget, non ſine fructu ad naturam onere ſuo levandam, & reſerandas obſtructiones ejuſmodi ſanguinis excretio contingit, ſeu per artem, ſeu ſponte naturæ ductu inſtituatur; quare neutiquam adſtringentibus compeſcenda erit, ſed ſuppreſſa congruis potius remediis inſtauranda, licet in iis, qui obnoxia huic fluxui corpora non poſſident, morbique hypochondriaci adhuc primordia trahunt, nec remediis pellentibus moleſtam ejuſmodi hypochondriacis parare medicinam expediat, ſed cum ſuperioribus nonnulla jam diſputata ſint, quomodo huic per hæmorrhoides evacuationi cum morbo hypochondriaco conveniat, quid ſingulare ſibi vindicet illius curatio peculiari conſiderationi committo.

§. XXIV.

Ultimo conſiderari meretur, morbum hunc, qui coactæ patientiæ leges ægrotantibus imponit, nequaquam remediorum multitudine eorundemque crebra cum aliis mutatione ſolicitandum eſſe: Pauca enim explorataque in auxilium morbi ſufficiunt. Imprimis ad exquiſitam victus vivendique temperantiam & convenientes motus regulas componere oportet ægrotos quæ plus ſibi vendicant in curandi negotio, quam frequens anxie compilatorum remediorum uſus: In tanta enim vivendi libidine, nec morbis ipſis coercenda, certiſſime valent, quæ hoc de morbo egregie tradit *Doctiſſimus* MONTANUS *Conſil.* 230. *In curatione hujus morbi non licet præfinire tempus unius menſis aut anni ſicut in aliis contingit, ſed oportet in toto vitæ tempore curationi operam dare, interdum curationi, interdum præſervationi attendendo.*

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

SISTENS

AFFECTUM SPASMODICO-HYPOCHONDRIACUM INVETERATUM.

Primùm edita anno 1734.

PROOEMIUM.

QUOD nec per eloquentiam, nec in cathedra curentur morbi, jam in vulgus adeo innotuit, ut riſui prorſus habeantur nudi rhetores Medici, & ſola cathedrarum mancipia, ſi ad ægrotantium lectum accedant: quid? quod inde etiam pervulgata Parœmia, bonos theoreticos, i. e. ſolos ſpeculatores, malos eſſe practicos, ſuam traxit originem. Hinc ea quoque medicinæ pars, quæ ſpeciatim circa ſanandas humani corporis ægritudines verſatur, perquam adpoſite Clinica a Græcis appellata fuit; eo quod recta medendi methodus, ſi originem ſpectes, ab ipſis ægrotorum lectis potiſſimum accerſi & debuit, & adhuc omnino debet. Ex tot vero, tamque innumeris qui mortalium ſanitati periculoſas ſtruunt inſidias, morbis ii cumprimis Medici experientiam & eruditionem teſtantur, qui parvis gignuntur initiis, lentis adoleſcunt incrementis, & magnis denique diriſque ſymptomatibus ſuam in corpus exercent tyrannidem, quos Græci chronicos vocarunt, nos longos. Hi enim ſolius naturæ beneficio, uti quidem de acutis ſæpius obſervare licet, rariſſime quin nunquam fere ſolvuntur; tantum abeſt, ut Medici auxilium utique requirant. Quam ob rem ex veterum jam numero CÆLIUS AURELIANUS, bonus imprimis auctor, in *Præfat. ad libros Practicos*: *Chronici, inquit, morbi nec fortuna nec favente natura ſolvuntur, ſed medici ſolius expoſcunt peritiam & dexteritatem.* Cum quo apprime conſentit elegantiſſimus CORNELIUS CELSUS, dum *lib. III. Cap.* 1. aſſerit: *Magis ignoſcendum eſſe Medico, parum in acutis proficienti, quam in longis. Id enim breve ſpatium eſſe, intra quod ſi auxilium non profuerit, æger extinguatur: ibi & deliberationi, & remediorum mutationi tempus patere, adeo ut raro, ſi inter initia Medicus acceſſerit, obſequens æger illius vitio pereat.* Hunc in finem vero, ut ſcilicet morborum chronicorum indoles, quæ admodum eſt intricata, clarius pateat, & magis magiſque innoteſcat; obſervationes & hiſtorias morborum Medici paſſim conſcripſere celeberrimi: & utinam illæ ſemper ita eſſent comparatæ, quales eſſe deberent, qualeſque pro more ſuo egregie eruditeque deſcribit *Illuſtris* PRÆSES in *Præf. ad Tom.* 1. *Conſultat. & Reſponſ. medic.* Ipſe ille Vir de medica meritiſſimus arte, in *lib. cit.* pariter, ac eodem in lingua Germanica ſub titulo *Medicinæ Conſultatoriæ* edito, decemque tomis comprehenſo viam monſtrat Medicis, eoſque ſummopere monet, ut ipſius exemplum ſequentes per recenſionem morborum, quorum curatio ipſis fuit credita, incrementum artis ſalutaris promovere annitantur. Quantam vero utilitatem ſolæ morborum hiſtoriæ poſt ſe trahunt; tanta profecto, & fere major rationali earundem reſolutioni debetur. Quam ob cauſam placuit Illuſtri PRÆSIDI, ut pro argumento diſſertationis inauguralis inveterati cujuſdam morbi hypochondriaci hiſtoriam, mihi explicandam elaborandamque daret. Nec me operæ pretium facturum dubitavi, ſi morbum illum, quantum per meas licebit vires, ita explanarem, ut præmiſſa ejus hiſtoria, quævis momenta ad ſuas revocarem cauſas, earundem nexum oſtenderem, & rationem denique medendi ſubjungerem. Quem laborem ſummus languorum noſtrorum Medicus ex alto ſecundatum eſſe jubeat, ſupplex precor.

Hiſto-

Hiſtoria morbi.

Illuſtris quidam Vir, quadraginta & quod excurrit annorum, temperamenti ſanguinei, animi alacrioris, habitus ſpongioſi, ſuccorumque pleni, diæta in juventute lauta opiparaque uſus, nec raro ejus regulas, maxime ſi potum ſpectes, ad exceſſum uſque tranſgreſſus, bonam nihilominus præ ſe tulit valetudinem. Quum autem per aliquot abhinc annos multis arduiſque negotiis obrutus, omne fere tempus ſedendo, meditandoque conſumere, ex officii ratione coactus fuit: labaſcere quidem cœpit valetudo, ita tamen ut præter leviores moleſtias vix haberet, de quo conquereretur. Quapropter nihil infauſti metuens, ante quatuor annos per mediam, eamque gelidiſſimam hyemem ſuſcepit iter, levioribus duntaxat indutus veſtimentis. Hinc vero tanto corpus affectum eſt frigore, ut domum redux non ſolum faciem, atro brunoque, qualis congelatorum eſt, colore tinctam exhiberet; verum etiam per ſecundam ab itinere noctem tantam ſpirandi difficultatem, & præcordiorum anxietatem incideret, qua lectum relinquere, & ab obambulatione ſpirationis libertatem anhelare cogebatur. Præterea caput veluti contritum videbatur, & viſio pariter ac auditus ſenſim evaneſcebat: donec elapſis tribus quatuorve horis remitteret paulatim acceſſio, inque languorem ac debilitatem univerſi corporis finiretur. Sed eadem intra trium circiter dierum ſpatium, quater adhuc iiſdem ſymptomatibus ſtipata rediit, illuſtremque virum lecto prorſus afflixit: quo tranſacto, melius ſe habuit, ſolitiſque rurſus defungi potuit negotiis. Verum breve ſanitatis fuit intervallum: continuis enim immerſus meditationibus, recenſito paroxyſmo ſæpius, mox longiori, mox breviori corripiebatur, quem ſenſim capitis debilitas, pertinax alvi adſtrictio, flatuumque moleſta retentio comitabantur. Flatus circa dextrum maxime hypochondrium fixam obtinebant ſedem; quorum præſentiam ſignificaturus æger, dicebat: Es gäbe ihm rechte Stöſſe/ und pumpte ihm in der rechten Seite. Conſultus Medicus ad expugnandum malum commendavit clyſteres emollientes & nervinos, iiſque fruſtra inſuſis, illuſtrem virum fonte Egrano, cum dimidia lactis vaccini parte remixto, mane non ſecus ac ſumtis epulis integram menſuram ſorbillando, per quatuordecim dies uti juſſit. At vero, nec hoc remedio votis reſpondente, ad clyſmata rurſus ventum, ſimulque remediis urinam & tranſpirationem promoventibus pugnatum eſt: unde diſſipatis egregie flatibus, ac alvi laxitate recuperata, cunctorum ſymptomatum conquievit ferocia. Quod reſtitit curationis, ſupplere putarunt Medici per repetitam aquarum Egranarum ad ipſam ſcatebram potum. Annuit eorum conſiliis æger, atque præcedentis anni Auguſto menſe ad dictas profectus acidulas, iiſque, aucta ſenſim aquæ quantitate, donec ad quinque omnino menſuras quotidie potandas pervenerit, per quatuordecim rurſus eſt uſus dies. Inde alvus magna cum vehementia movebatur, adeo ut ſub finem potationis filamenta quædam abraſæ villoſæ tunicæ inteſtinorum haud abſimilia ſimul excernerentur. Factum hinc eſt, ut paroxyſmi ſupra deſcripti & rariores, & mitiores infeſtarent; ſed nova malorum iis ſuccrevit cohors. Namque præter atroces, aſſiduaſque cardialgias omni mane vehementiſſimi vomendi conatus urgebant; infuſum herbæ thee, quod antea optime ferre poterat, moleſtam creabat nauſeam; decocta, utut leviſſima, reddebantur ſtatim vomitu, & laxans mannatum, quod eſſe ſolet leniſſimum, ſupra & infra copioſam exturbabat ſaburram. Ad hæc ſui officii ſponte nunquam reminiſcebatur alvus; tantum aberat, ut per ſex quin & octo ſæpenumero dies, cum flatulenta inteſtinorum inflatione, eſſet compreſſa. Sumpto vel modico vini hauſtu, vel etiam cereviſia pota, inſignes ſequebantur ſanguinis ebullitiones; quæ matutino potiſſimum tempore, poſt prævium vaporis cujuſdam ſurſum aſcendentis, & inſtar aquæ calidæ fluctuantis ſenſum, gravius invadebant, atque majorem ſpirandi anguſtiam, & præcordiorum anxietatem inferebant: plerumque vero adhibita pulvilli antiſpaſmodici doſi, & hinc ſecuta auctiori corporis perſpiratione, nec non inſigni languore, paululum conſopiebantur. Somnum capiebat valde turbulentum, anxiiſque & terrificis inſomniis ſtipatum, adeo ut expergefactus mane protinus in magnum mœrorem & triſtitiam incideret, eique præter conſuetudinem nimis indulgeret. Non minus ad præcipitem iracundiam, cum totius corporis tremore junctam, admodum propendebat: & cumprimis haſce moleſtias, poſt corporis refrigerationem, graviores perſentiſcebat. Continuatis nihilo ſecius mentis laboribus, plura ſenſim jungebantur ſymptomata: ſiquidem nocturno tempore febriles accedebant motus, cum extremarum refrigeratione & pulſu contracto incipientes; capitiſque imbecillitas tanta ſumebat incrementa, ut ad terram inclinato, vel pulvinari paululum agitato, æger illico animi deliquiis proximus videretur. Quæ cuncta mala, uſurpatis ſubinde nervinis, caputque roborantibus medicinis remittebant quidem aliquantulum, at prorſus exſtirpari haud poterant. Illis potius aſſociabant ſeſe ingens dextri brachii dolor, ad ſcapulam & cubitum uſque protenſus, nec non cervicem interdum & tempora occupans, ac pulſatilis ſenſus, vehemenſque auris dextræ ſuſurrus: ſed hæc omnia detractis e vena ſanguinis craſſi & viſcidi unciis octo multum mitigabantur. Et hic erat rerum ſtatus, in quo vir illuſtr. degebat, cum *Illuſtris* Præsidis conſilium per litteras deſideraret: quem nos pro viribus jam perſcrutemur, ejuſque cauſas, ac rationalem therapiam indagabimus.

§. I.

Ipſum igitur opus aggreſſurus, ante omnia, quod enarrato malo imponi debeat nomen perquiram. Eſſe illud e genere morborum hypochondriacorum cuncta docent ſymptomata. Poſſem ergo de paſſione hypochondriaca quædam præfari, ejuſque indolem deſcribere; quo deinceps præſentis affectionis ratio innoteſcat clarius: ſed metuo ne partim acta agerem: partim limites diſſertationis tranſgrederer. Quapropter generalem iſtius paſſionis tractationem omittam, idque eo lubentius, quum eandem ab *Illuſtr.* Præside in *Med. Rat. ſyſtem. Tom. IV. part. III. Sect. I. cap. VI.* tam ample, tamque perſpicue explanatam vidi, ut vix ſupereſſe videatur, quod addi queat. Ex iis duntaxat decerpam, & applicabo ad præſentem caſum, quæ illius explicationi neceſſaria duxi.

§. II.

Quum vero præſentem affectum voco hypochondriacum: vel tacitus concedo, quod ſit affectus ſpaſmodico-flatulentus ventriculi & inteſtinorum, qui a perverſo & labefactato eorundem motu, quem periſtalticum vocant, natales mutuatur, & totum ſubinde nervoſarum partium ſyſtema in motionum irregularium ſocietatem rapit. Verum quoniam bene ſcribit, qui bene diſtinguit; haud a vero me aberraturum confido, ſi hypochondriacam paſſionem in recentem, inveteratam, & confirmatam dividam. Recentem dico, ubi ſymptomatum cohors in ſolo alimentorum canale & abdomine ſeſe exſerit, nec alias

alias adhuc partes in conſenſum traxit. Inveteratam dico, quæ præter abdominis vitia, totius corporis afflictiones habet comites, functiones animales turbat, & nervoſi generis debilitate nititur. Confirmatam denique adpello, ubi præter dictas moleſtias viſceris cujuſdam immedicabilis læſio jam invaluit, veluti ſunt infarctus, ſcirrhi, obſtructiones viſcerum, extravaſationes humorum &c. Quæ ſi ad præſentem caſum adplicuero; illum rectiſſime morbum hypochondriacum inveteratum adpellari debere, vel exinde colligo, quod univerſo corpori morboſa inhæreſcant ſymptomata. Sic enim 1) in abdomine cardialgia, nauſea, vomendi conatus, vomitus, alvi obſtructio, flatulenta inteſtinorum diſtenſio. 2) In pectore ſpirandi difficultas, præcordiorum anxietates. 3) In capite ejus nimia imbecillitas, aurium ſuſurrus, ſomnus turbulentus, atque terriculamentis plenus, propenſio ad mœrorem, triſtitiam, iracundiam. 4) In toto corpore dextri brachii dolor, ebullitiones ſanguinis, horripilationes, motus febriles, tremores &c. occurrunt.

§. III.

Cognito nomine, ſedes mali inquirenda. Hanc in hypochondriacis affectibus in liene pariter ac hepate, falſo collocari, demonſtravit jam *Excell.* PRÆSES *cit. lib.* §. *VII-IX.* conſentientibus SYLVIO, HOFFERO, HÖCHSTEDERO *&c.* In noſtro affectu hepar cumprimis accuſari poſſet, eo quod Illuſtr. æger de moleſto circa ipſius regionem ſenſu conqueſtus fuit: Es gäbe ihm rechte Stöſſe/ und pumpte ihm in der rechten Seite. Non negaverim, quin hypochondriacis tam lienis, quam hepatis ſæpenumero ſuperveniat infarctus, ſed in confirmato potiſſimum id obſervari malo, communis Medicorum teſtatur experientia. Quum autem in præſenti caſu, ſtatim ab initio perceperit æger moleſtum illum in dextro hypochondrio ſenſum: facile patet, illius quoque non ſecus ac omnium morborum hypochondriacorum ſedem, in toto inteſtinorum volumine, & ſpeciatim inteſtino colo quærendam eſſe: quippe quod præ aliis in dictis morbis affici teſtatus eſt *Illuſtr.* PRÆSES *Conſult. Medic. Tom. II. Sect. IV. Caſ. CLXXVIII.* Hoc enim inteſtinum in utroque hypochondrio ſub ſpuriis coſtis ſitum deprehenditur, ibidemque multas exhibet flexuras; quibus incarcerati flatus diſtendunt nerveas ſenſibileſque tunicas, earum acutum pariunt dolorem, tumorem exhibent exterius ſæpenumero conſpicuum, moventur, ac fluctuant hinc inde, & ſic ſenſum illum quem ſub nomine des Stoſſens und Pumpens exprimunt, cauſantur.

§. IV.

Cauſa proxima, & principalis, ex qua omnes reliquæ afflictiones uberrimo propullulant proventu, ſicut omnis mali hypochondriaci, ita & noſtri, non alia eſt, quam motus periſtaltici, quo ventriculus & inteſtina gaudent, quo etiam recte ſe habente functiones ipſis proprias, ciborum digeſtionem, generoſi chyli elaborationem fæcumque per anum eliminationem legitime peragunt, receſſio a ſtatu naturali. Omnes vero partium ſolidarum motus recedunt a ſuo naturali ſtatu, dum vel nimis intenduntur, vel nimis relaxantur: priori modo ſpaſmus, poſteriori atonia reſultat. Utrumque vitium contingit in paſſione hypochondriaca: namque inteſtinorum & ſpaſmus & atonia ſimul adſunt. Abſurdum videtur, contraria in uno ſubjecto eodem tempore ſtatuere: ſed notari meretur, non in uno loco utraque ſimul adeſſe vitia ſed excipiunt potius ſe invicem & alternant adeo, ut in uno inteſtinorum loco præſto ſit pertinaciſſima conſtrictio; in altero occurrat relaxatio, & a flatibus facta diſtenſio.

§. V.

Hæc cauſa proxima eſt mali hypochondriaci, magis tamen recentis; & fit remotior, ſi illud tranſeat in inveteratum. Cujus generis cum præſens ſit affectus, diſpiciendum porro, quam tanquam malum inveteratum, habeat proximiorem cauſam, explicandis omnibus ſymptomatibus opportunam. Et hanc in magna univerſi generis nervoſi debilitate collocandam eſſe cenſeo. Per nervoſum genus denoto omnes nervoſas membranaceas, & vaſculoſas totius corporis partes: per harum vero debilitatem ſignifico eam particularum minimarum, quæ fibram ultimam conſtituunt, cohæſionem, qua illæ ex leviſſimo ac vix naturali majori vel fluidorum impulſu, vel alio quodam per animi affectus inducto impetu in præternaturalem ac violentam compelluntur agitationem vid. *Illuſtr.* PRÆSIDIS *Med. Syſtem. Tom. IV. P. III. Sect. I. cap. III. §. IX.* Hinc vero nervoſi generis debilitas nihil aliud eſt, quam ea omnium nervearum, membranacearum ac vaſculoſarum in toto corpore ſtructura, qua ex cauſa leviſſima in præternaturalem agi poſſunt motionem. Cumprimis hanc debilitatem in præſenti caſu inſigniorem eſſe in partibus nervoſis quæ ſunt in capite, ex infra dicendis clarius patebit. Jam videndum, num ex his allegatis cauſis ratio ſymptomatum, quæ ægrotantem noſtrum excruciant, poſſit derivari.

§. VI.

Si igitur primum perverſus ac labefactatus eſt inteſtinorum tonus, eorundem quoque functiones læſas oportet eſſe. Ciborum nimirum digeſtio non rite fieri, nec legitimus præparari poteſt chylus: hinc generari debent ſordes & viſcidæ, & ob concurſum bilis, ſuccique pancreatici acriores; quæ languente periſtalſi, proſcribi debite nequeunt. Ergo ſubſiſtunt in plicis, in flexuris inteſtinorum, ſtagnatione & diuturniori mora acres redduntur acriores, viſcidæ dehiſcunt in vapores. Inde patet in noſtro caſu 1) *generatio copioſorum flatuum* colon, præcipue in dextro hypochondrio, diſtendentium. Acriores porro cruditates vellicant nerveam ventriculi & inteſtinorum tunicam, adeoque pariunt horum ſpaſmos ac dolores; ſpeciatim in noſtro caſu 2) *Cardialgiam*, quæ eſt orificiorum ventriculi ſpeciatim dextri, quod audit pylorus, dolor. 3) *Vomendi conatus & nauſeam*, quæ eſt ſpaſmodica tunicarum ventriculi & œſophagi conſtrictio. Hæc ſymptomata ab acido ſtimulante provenire vel ex eo cognoſcitur, quod matutino potiſſimum adfligant tempore: tum enim peracta ciborum concoctione, concentratius in ventriculo reſtare ſolet acidum, quod ſæpenumero aſſumtis cibis infringi deprehenditur, cum momentanea nauſeæ & cardialgiæ ceſſatione. Præterea languente inteſtinorum tono ſuboritur 4) alvi ſegnities; ſiquidem ſordes lente adhærentes nec abſtergi rite nec propelli queunt: accedit ſpaſmodica inteſtinorum inferiorum, recti potiſſimum, conſtrictio, quæ nec flatibus, multo minus fæcibus permittit tranſitum. Flatus ergo regurgitant ad ſuperiora, ſpatium, in quo ſeſe queant expandere affectantes: unde derivanda *inteſtinorum inflatio.*

§. VII.

In tali rerum inteſtinorumque ſtatu chylus gignitur crudus, & talis quoque ingreditur patentia vaſorum lacteorum oſcula. Ex crudo chylo generatur partim ſanguis ſpiſſus ac viſcidus; hinc 5) *ille quem æger illuſtris ex vena ſibi detrahendum curavit ater*

fuit

ſuit & viſcidus; partim lympha terreſtrior, & ad nutriendum minus opportuna; partim nerveum fluidum ad ſenſus & motus præſtandos nimium iners; quin omnes totius corporis ſucci a benignitate naturali recedunt. Jam vero notum eſt, omnes ſolidas corporis noſtri partes ob perpetuum motum ſenſim atteri, & ideo nova ſucci nutritii appoſitione ſemper nutriri debere. Quod ſi autem lympha nutritia fuerit juſto terreſtrior, ejus particulæ leviori tantum & laxiori connectuntur cohæſione, hinc progenerant fibras, nervos, membranas debiliores, & ſic oboritur generis nervoſi debilitas. Sic patet una cauſa debilitatis; altera dependet a defectu liquidi nervei ſpirituoſi: quod robur atque tonum ſufficienti ſuo influxu partibus præſtare debet ſolidis. Et ex his clariſſime conſpici poterit, quomodo paſſio hypochondriaca inveterata ex ſimplici & recentiori progeneretur.

§. VIII.

Quibus expoſitis, ad explicanda quæ reſtant in præſenti caſu tranſibo ſymptomata. Dum ſpaſmi per inteſtinorum canalem ſæviunt; dum ipſa inteſtina, maxime colon, a flatibus præter naturam ſunt expanſa, comprimuntur iis ſubjecta & intermixta vaſa ſanguifera, cruore turgida. Hic ergo majori copia ad ſuperiora, pectus nimirum atque caput, tendit: pulmones quantitate æquilibrium aeris excedente ingreſſus expandit, liberum aeris in eorum cellulas introitum remoratur, & tali ratione producit 6) *ſpirandi difficultatem & præcordiorum anxietatem.* In promptu quoque eſt ratio cur hæc in noſtro ægrotante matutino potiſſimum fiant tempore: Cum enim acida ventriculi ſaburra tum concentratior cardialgicos producit ſpaſmos; non mirum, compreſſis indſanguiferis vaſis, humores aſcendere, ac ægro 7) ſenſum vaporis calidi aſcendentis cum inſequente ſpirandi anguſtia ac majori anxietate ſtipatum exhibere. Ex pectore copioſius ruunt ſucci ad caput, magis in præſenti caſu, quam reliquas partes, ob cauſas infra recenſendas, debilitatum. Quo autem anguſtiores ſunt viæ ductuſque, per quos in capite circulari debeat, eo difficilior ſanguinis per eos progreſſus. Hinc explicandæ functionum animalium perturbationes; & nominatim 8) ſomni turbulenti, atque 9) propenſiones ad perpetuum mœrorem ac iracundiam. Utrumque ſymptoma, ut & labefactatam omnium ſenſionum integritatem irregulari ac difficiliori ſanguinis per caput circulo deberi, vel exinde patet, quod eo reſtituto, mens ad priſtinam redeat alacritatem. Quum porro ſanguis craſſus per vaſa ſanguifera membranas, quæ internas oſſeaſque organi auditorii partes ambit, perreptantia, difficilius progrediatur; ſerum ſtagnando reſolvitur in vapores, qui in tympano meatus auditorii majoris ac foraminis pariter ovalis tinnientem & ſuſurrantem exhibent ſenſationem; unde 10) ſuſurrus dextræ auris derivandus.

§. IX.

Debetur denique quædam animadverſio plexui meſeraico magno, qui ex intercoſtali ramo, & pari vago conſtruitur, & ab arteria meſeraica ejuſque ramificationibus veluti circumvallatus cingitur. Qui ſi a dictis vaſis, cruore diſtentis, non ſecus ac inteſtinis per flatus expanſis comprimitur, illico ſpaſmum concipit, eumque non ſolum cum nervoſis ramificationibus, quas per inteſtinorum canalem diſtribuit, verum etiam cum nervoſis univerſi corporis partibus, quibus cum vi paris vagi & intercoſtalis rami arctiſſimum alit conſenſum, communicat. Hinc in noſtro ſpeciatim propullulavit 11) dolor brachii dextri, 12) *dextrique capitis lateris quaſi hemicranicus:* nec mireris, quod dextrum tantummodo latus afficiatur, quoniam in eo potiſſimum hypochondrio flatulenta coli diſtentio, & hinc major nervorum compreſſio in noſtro caſu locum habuit. Inde quoque dependet 13) corticis cutanei conſtrictio, & eam inſequens horripilatio: ea autem relaxata, celeriori impetu ſpiſſi humores in vaſa cutanea irruperant, adeo effecerunt 14) ebullitiones: Has denique ſola vini vel etiam cereviſiæ potatio inducere potuit: quoniam ea ſubjecta, quæ vel parum ſpirituoſi continent, in tanta motuum anomalia, humores commovere valent: quod vel ille caſus, quem *Illuſtr.* PRÆSES *Conſult. Medic. Tom. I. ſect.* I. *Caſ. XI.* allegat, teſtat ubi æger hæmoptyſi obnoxius refert ſe ex potu cereviſiæ novam protinus ſanguinis e pulmonibus eruptionem fuiſſe paſſum.

§. X.

His præmiſſis jam perſcrutandæ ſunt cauſæ quæ in ægrotante noſtro ad tam dirum contribuerunt malum. Et quamvis earum plures dentur; ſpeciatim tamen in præſenti caſu ad ſanguinis intra vaſa inteſtinorum ſtagnationem eſſe reſpiciendum, multa ſunt quæ ſuadent momenta. Humorum autem ſtagnatio facillime inducitur partim ab illorum nimia abundantia, partim a relaxatione continentium ſive ſolidarum partium. Nec ullus in corpore locus eſt, in quo ſtagnare facilius poſſet ſanguis, quam inteſtina. Hæc enim intra tunicas fovent venas meſeraicas, quæ contentum ſanguinem revehunt in portarum venam, ex quo fertur intra hepatis viſcus. Vena hæc dum ſanguinem in hepar effundit, arteriæ fungitur munere; attamen & pulſu caret, & valvulis deſtituitur. Unde in ſtatu quoque naturali difficilior ſanguinis per hepar quam per alia viſcera obſervatur circuitus; qui aucta præter naturam humorum mole, longe difficilior evadit. Hinc vero ſucci regurgitationes meſeraicas, inteſtina perreptantes, venas ultra elaſticitatis ſphæram diſtendunt, relaxant, & ſic atoniæ pariter ac ſpaſmo, qui ſequitur vaſorum repletionem, fœcundam præbent occaſionem: eo magis ſi eæ concurrant cauſæ, quæ per ſe tonum inteſtinorum reddunt languidiorem.

§. XI.

Jam vero in noſtro caſu multa deprehendimus momenta, quæ ad ingenerandam ſanguinis abundantiam contribuerunt. Ex iis ſunt 1) *ipſa ægrotantis ætas*, quæ annum quadrageſimum emenſa eſt: illi enim ſucci qui junioribus ad incrementum corporis conſumuntur, adultioribus, abſoluto corporis augmento, magis cumulati, morborum fiunt fontes. 2) *Temperamentum ſanguineum*, habituſque ſucci plenus: in hiſce ſcilicet hominibus vaſa ſanguifera copioſa ſunt, ſed ſimul exiliora, fibræ vero & partes ſolidæ molles magis & ſpongioſæ unde minor ſanguini eſt reſiſtentia, quam in corporibus, quæ ſtrictum præ ſe ferunt habitum; hinc facilius cumulatur ſanguis, atque facilius vim ſolidarum labefactat. 3) *Diæta lauta ac opipara*, & hæc eſt fœcunda plethoræ mater: nam ſi cibi boni ſucci, nutrimentique, ultra proportionem motus corporis aſſumuntur; non fieri poteſt, quin inde plus generetur ſanguinis quam ſanitatis ratio requirit. 4) *Intermiſſæ* forſitan *ſanguinis miſſiones*; quarum nulla in morbi hiſtoria fit mentio: cum tamen in ea recenſeatur, ægrum a venæſectione ſemel inſtituta inſigne reportaſſe allevamentum.

§. XII.

Quemadmodum hæ cauſæ, plus ſanguinis quam par eſt, ingenerando, eminus ad malum hypochondriacum

driacum in noſtro diſpoſuerunt ægrotante, ita ſunt adhuc quædam, quæ non ſolum ſanguinis abundantiæ producendæ nimium faverunt; verum etiam ipſum inteſtinorum tonum labefactando, ad id mali genus contribuerunt. Harum ex claſſe occurrunt 1) *exceſſus in potu:* qui ſicuti parcior, augendo humorum ſpiſſitudinem hypochondriacis infenſus eſt, ita largior, & ad crapulam uſque ſumtus, nimia humiditate expandit, relaxatque tunicas inteſtinorum, unde quoque helluonibus propriam eſſe ventriculi debilitatem, & adpetitus imminutionem animadvertimus. 2) *Vita ſedentaria.* Quemadmodum motus corporis inſignem vim obtinet, robur partium nervoſarum, fibroſarum & muſculoſarum in naturali vigore conſervandi, confirmandique, & hanc ob cauſam humorum circulationem promovendi, ita hoc intermiſſo, creſcenteque ſuccorum copia, proſternitur partium ſolidarum elater, humores non ſatis vegete circumaguntur, ſpiſſi fiunt, & hinc plerumque otio immerſis familiare eſt malum hypochondriacum. Eo magis atque facilius id vitii in præſenti caſu evenire debuit, cum acceſſerunt 3) *nimiæ meditationes ac lucubrationes*: quibus non ventriculi & inteſtinorum modo, verum totius nervoſi generis, maxime capitis, vim inſigniter proſterni ex quotidiana diſcimus experientia. Et hiſce cauſis in Viro Illuſtri ſtrata eſt via ad malum hypochondriacum; quod tanquam morbus longus, primum levioribus ſemet exeruit moleſtiis, parviſque natum initiis, expectavit tantummodo potentiorem cauſam, qua ad edendos pernicioſiores effectus incitaretur.

§. XIII.

Atque hanc conſtituit inſigne frigus, quo æger ſub itinere hyemali, eoque gelidiſſimo tempore inſtituto, perculſus fuit. Quam pernicioſa ejus eſt potentia in ſubjectis per omnia ſanis; uti jam venerandus Medicinæ parens Hippocrates *Sect. V.* §. 7. & 8. atque Celsus *L. II. cap.* 1. annotarunt: tam infenſa cumprimis deprehenditur iis, qui ſpaſmis imi ventris ſunt obnoxii. Quum enim generatim corporis cutaneum conſtringendo corticem, humores propellit ad interiora: fit inde in hypochondriacis ut repulſi humores, dum ob abdominis ſpaſmos ibidem commorari nequeunt, copioſius ad ſuperiora, pectus atque caput compellantur. Hinc noſter ab itinere redux faciem exhibuit ſanguine turgidam, *brunoque ac caraſino colore tinctam:* & hinc quoque aſthmaticus paroxyſmus ſuam traxit originem. Namque dum ſucci copioſius irruerunt thoracem, pulmones, eorumque vaſa, hæcque diſtenderunt: non modo nimio pulmonum infarctu ſpirationem reddiderunt difficilem, verum ob diſtenſionem vaſorum, pectoris conſtrictionem ſimul induxerunt, quæ ad caput una cum copioſiori ſanguine delata, ſenſuum obnubilationem effecit. Sicut autem ſpaſmodicarum acceſſionum ea eſt indoles, ut per intervalla remittant, deinceps iterum redeant: ita quoque in noſtro factum eſt caſu, eo magis cum continuati mentis labores occaſionalem dederint cauſam.

§. XIV.

Hoc in rerum ſtatu, alvi obſtructione flatuumque retentione ſimul ſtipato, non abs re quidem fuit, clyſteres nervinos & emollientes infundere, ſed id cenſuram meretur, quod haud præparato corpore Egranas aquas frigidas & cum lacte permixtas potare debuit ægrotans. Quum enim fontes medicati, maxime ſi cum lacte remixtæ fuerint, ſupponant primas vias a cruditatibus acidis vacuas; hæ vero in hypochondriacis intra ventriculum ac duodenum præſertim hoſpitentur inteſtinum: clyſterum certe injectio non ſufficiens fuit illas e corpore proſcribendi; quippe quos ad coli duntaxat ſic dictam valvulam pertingere notum eſt. Reſtiterunt igitur ſordes in primis viis, quibus cum commixtum lac, eas adauxit: ipſæ vero acidulæ frigidiores, viis excretoriis nondum ſatis liberis, ſubſtiterunt, majorumque inteſtinorum pepererunt atoniam.

§. XV.

Poſt hæc recte egerunt Medici, quod congruis medicaminibus alvi libertatem, perſpirationis & urinarum ſucceſſum promovere allaboraverint: unde etiam obtinuerunt, ut ſymptomatum ferocia paululum remiſerit. Sic enim hypochondriacum malum ſi recens fuerit feliciſſimo cum ſucceſſu profligare licet, ſi nimirum alvi libertas reſtituatur, flatus diſſipentur, ſalutares excretiones promoveantur, ſanguinis nimia moles imminuatur, atque tum debilitatæ partes convenienter roborentur. Et idem felix eventus in noſtro procul dubio potuiſſet obtineri caſu, ſi præter impetratam excretionum libertatem, vena in pede tuſa, ac temperata roborantia fuiſſent adhibita, perque aliquod tempus continuata. Verum peſſimo conſilio ad uſum Egrani fontis rurſus confugerunt Medici, hoc potiſſimum reliquias mali ſe extirpaturos rati. Non equidem negamus, quin hæ acidulæ in dicta ſæpius paſſione hypochondriaca convenienter adhibitæ, illuſtrem obtineant virtutem: num vero congrua ratione in noſtro caſu uſurpatæ fuerint, paucis jam diſpiciemus.

§. XVI.

Aquas minerales magnum eſſe hypochondriacorum remedium, ut experientia docet, ita cumprimis *Illuſtris* Præses paſſim in ſcriptis ſuis demonſtravit. Sed quum divina ſapientia varii generis, & variarum virtutum fontes creaverit: ipſum ſufficientis rationis principium dictitat, ſuadetque nobis, ut pro differentia & hominum & morborum ſeligamus hunc vel illum fontem. Et ſic oſtendit *Excell.* Præses *Med. Syſt. Tom. IV. P. III. Sect. I. Cap. VI. theſ. ther. VI.* hypochondriacis, qui laxi & ſpongioſi ſunt habitus, ſpaſmiſque interiorum partium dire cruciantur, thermas convenire præ acidulis, aut has ſaltem tepidiores eſſe oportere; utraſque nec nimis diu, nec nimia quantitate potandas, & corpus probe præparandum eſſe. Quæ ſi ad præſentem adplicemus caſum, animadvertimus potum Egrani fontis multis modis noxium eſſe debuiſſe. Namque 1) ſubjectum noſtrum habitum corporis præ ſe tulit laxum & ſpongioſum, ſpaſmiſque & abdominis, & præcordiorum divexatum fuit: unde conſultius fuiſſet, curam per thermas, maximeque Carolinas inſtituiſſe, vel, ſi hæ non arriſerint, Egranas tepidiores exhibuiſſe. 2) Neque corpus rite præparatum fuit: licet enim excretionum alvinæ cutaneæque vias patulas liberaſque reddiderint Medici; ſanguinis tamen molem, quam inprimis noſtro ægrotanti infenſam fuiſſe, ex ſupra dictis patebit, per convenientem haud imminuerunt venæſectionem. 3) Ipſa denique aquarum quantitas, quam æger ad quinque uſque menſuras quotidie potavit, accuſanda venit: quamvis enim in quibuſdam affectibus ad tres vel quatuor quotidie menſuras impune & cum fructu bibantur; ſufficiunt tamen in hypochondriaco malo menſuræ una vel duæ; confirmante *Illuſtri* Præside *in Conſultat. Med. Tom. II. Sect. III. Caſ. XXXVIII. XLI. LI. &c.*

§. XVII.

Hinc illæ lacrymæ! & non mirum, quod tam infauſtus illorum potum effectus in noſtro exceperit ægro-

ægrotante. Namque non modo major inteſtinorum, totiuſque nervoſi generis imbecillitas increvit, radiceſque egit altiores: verum ipſam inde ventriculi ac inteſtinorum excoriationem ſubortam fuiſſe, multa ſunt, quæ teſtantur momenta. Intelligo per excoriationem tunicæ mucaginoſæ, quæ inveſtit nerveam, & villoſa audit, abraſionem: quam in noſtro factam fuiſſe, docent filamenta, tunicæ villoſæ ſimilia, per anum ſub finem potationis excreta. Quod ſi in hujus mali cauſam proximius inquiram, eam minime ipſarum aquarum virtuti acriori & cauſticæ adſcribendam eſſe puto, ſed ita deduco: Dum aquæ, non ſufficienter excretis omnibus impuritatibus, frigidæ ſunt potæ: induxerunt externæ corporis peripheriæ conſtrictionem ſpaſmodicam, principioque, quod fovent, ſalino copioſius hauſto plus juſto inteſtinorum ſtimularunt tunicas; unde omnis ſubtiliorum, ſulphureorum, ac ſeroſorum impetus ac affluxus, violenter ad inteſtina converſus, & ab his tunica eorundem villoſa arroſa fuit. Nec miraberis, hoc a potu frigidarum acidularum in inteſtinis contingere poſſe; ſi conſideraveris, quod juxta obſervationem ab *Illuſtr.* PRÆSIDIS *Conſult. Med. Tom. II. Sect. III. Caſ. LXXXVIII.* allegatam, ex ejuſdem fontis frigidi nimia quantitate quotidie ſumta, veſicæ urinæ inſequuta fuerit excoriatio.

§. XVIII.

Sic excoriatis igitur ventriculo & inteſtinis, cur nova ſymptomatum cohors acceſſerit, explicatu eſt facillimum. Tum enim vel leviſſima materia, quæ ſive acrimonia, ſive auctiori calore ſtimulare valet, protinus ſpaſmum inteſtinorum potuit excitare, dum immediatus ad nerveam tunicam patuit acceſſus. Hinc infuſum herbæ Thee-boe nauſeam inducere; hinc decocta calidiora vomitum movere; hinc quoque leniſſimum laxans, quale eſt mannatum, tam violentum per ſuperiora pariter ac inferiora edere potuerunt effectum. Et, quod ſumma rei eſt, ex concurſu tot, tantarumque cauſarum generari in noſtro ægrotante debuit malum hypochondriacum inveteratum, cum excoriatione inteſtinorum ſtipatum. Hoc autem ejus eſt indolis, ut quidem ab omnibus ſymptomatibus nunquam immunia ſinat eſſe corpora, graviores tamen adflictiones intervalla exhibeant, & quietiora interdum ægris præſtent tempora. Ejuſmodi graviores acceſſiones citius, vel tardius recurrunt, prout plus vel minus erroris in non naturalibus committitur rebus. Et ſic in noſtro præſertim caſu partim refrigerationes, partim acriores meditationes, more ipſis ſueto, novum acerbiorum ſymptomatum recurſum effecerunt, & adauxerunt.

§. XIX.

Quid vero fauſti in tanto malorum ſymptomatumque confluxu ominari licet? Certe malum hypochondriacum inveteratum, uti generatim, ita præſertim illud in quo animales ſimul læduntur actiones, permagnam curandi præſagit difficultatem. Et quid mirum? ubicunque & ſolidæ nervoſæque partes a robore ſuo penitus dejectæ, & humores a naturali craſi receſſerunt, circuituque irregulari moventur, & ipſa mens quoque læſa, atque ad mœrorem, triſtitiam, metum, diffidentiam proclivis exiſtit: ibi certe arduum opus eſt, hæc omnia corrigendi. In noſtro quidem caſu facilis utique tranſitus eſt ad melancholiam hypochondriacam, adque ſoporoſos & apoplecticos affectus. Sed abjicere prorſus animum non decet; maxime cum ea nondum adhibita legantur remedia, quæ debellando morbo ſatis fuiſſent opportuna: nec deſperandum, quin iis rite patienterque uſurpatis, æger ad bonam ſit rediturus valetudinem.

§. XX.

Verum enim vero occurrit primum MONTANI, celebrioris Italorum Medici, monitum, quo chronico ejuſmodi morbo detentis acclamat: *Fuge Medicos & medicamenta, facileque convaleſces.* Abſurdum foret, dictum hoc de omnibus & Medicis & medicamentis intelligere, & in medicæ artis opprobrium interpretari velle: ſed monet duntaxat optimus ille auctor, ne ægri longis morbis occupati more ipſis ſueto, nimia varietate & Medicorum & medicaminum delectentur; atque ab iis prorſus abſtineant remediis, quæ activiora, & ſpirituoſa ſunt, quæque ſub ſpecioſo generoſorum titulo iis vulgo opponi ſolent ægritudinibus. Certe horum uſus tantum abeſt, ut ſolatium præſtet hypochondriacis, ut potius malum inde reddatur atrocius, & profundiores radices agat. Omnes curandi ſcopi in noſtro caſu eo ſunt dirigendi, ut 1) omnes, quæ adhuc in corpore reſtiterint ſordes, per convenientes vias eliminentur, 2) inteſtinorum labes reſarciatur, eaque ad elaborandum generoſiorem chylum apta reddantur, ac denique 3) totum nervoſarum partium ſyſtema corroboretur. Et omnes quidem hi fines magis diæteticis, quam pharmaceuticis, & ex his quidem levioribus duntaxat, atque naturæ amicis obtineri poterunt.

§. XXI.

Inchoandum igitur a recta diætæ præſcriptione; ſine cujus curatiori obſervatione ſperatum nunquam obtinere licebit effectum. Quapropter ante omnia diſpiciendum, an locus, in quo degit illuſtris æger, aëre fruatur humido, nebuloſoque: quo in caſu is relinquendus, & alius puriori, ac temperatiori aëre præditus erit ſeligendus. Frigus eo magis fugiendum, quo certius ac gravius exinde damnum obſervat ægrotus; maxime autem pedes, abdomen, & dorſum circa initia vertebrarum lumbarium omni ſtudio a quocunque frigore munire debet. Ex cibis cane pejus & angue vitare juvabit omnes, qui coctu ſunt difficiliores, crudum chylum, viſcidasque generant ſordes: quippe quorum diſſolutioni debilis ventriculus minus eſt ſufficiens. Hos inter locum occupant acetaria, carnes fumo induratæ, ſalitæ, piſces marini, fructus horæi, leguminoſi, panificia, omneque placentarum genus &c. Contra vero commendationem merentur carnes molliores ac teneriores, vitulinæ, agninæ, pullorum & gallinarum, ac ex his parata juſcula: quæ eo illuſtriori, ſimulque medicinali pollent virtute, ſi cum herbis & radicibus medicatis, ut radice apii, ſcorzoneræ, petroſelini, aſparagi, herba naſturtii, chærefolii, ſpinachiæ aliiſque alterentur. Præterea cœnam ſemper prandio parciorem eſſe; nec ſub prandio gulæ nimium indulgere oportet: ſiquidem moderamen adpetitus pro egregio morborum chronicorum remedio, veteres jam agnoverunt Medici.

§. XXII.

Maximum autem curationis momentum a recto potus genere dependet; & eo erit utilius, tale in præſenti caſu ſeligere, quod ægro conveniat, nec tædium moveat; quo magis illius ventriculus infuſa, decocta, cerevifias, omneque vinum reſpuere dicitur. Quid ergo reſtat? Certi quid determinare haud licet; quicquid enim huic utile, alteri noxium deprehenditur. Id extra dubium eſt poſitum, omnes cereviſias hypochondriacis eſſe infenſas. Ergo tentandum, num infirmitas ventriculi

permiſerit ſero lactis dulci in potus ordinarii vicem uti: ſi tulerit concedendum illud, ſummopereque ſuadendum. Si non tulerit, ſubſtituendæ acidulæ Selteranæ refracta & vix tertia vini generoſi, maximeque Moſellani, parte permixtæ; vel decocta ex radice ſcorzoneræ, cichorei, chinæ, ſarſaparillæ, glyzirrhizæ, raſura cornu cervi, & corticibus citri vel aurantiorum recentibus parata. Sed nonne hæc movebunt vomitum? Minime; ſi nimirum juſto tepore prædita, & corticibus dictis roborante imbuta virtute fuerint. Nec inducent nauſeam infuſa theiſormia, ſi ex herbæ meliſſæ, nervoſo generi admodum amicæ, veronicæ, radice liquiritiæ, corticibusque recentis citri conficiantur, & exoticæ eique adſtringenti herbæ Thee-boe ſubſtituantur, nec juſto calidiora ſorbillentur. Ex vinis noſtro ægrotanti utiliſſimum erit bonæ notæ Burgundiacum, ſub epulis parca quantitate capiendum: neque enim, ſi acceſſerit recta medicatio, humores commovebit, nec exæſtuabit.

§. XXIII.

Tum ad animi tranquillitatem, corporiſque motum eſt reſpiciendum: ſiquidem ſi ægrotans noſter a ſuo liberari cupiat malo, neceſſe eſt, ut a meditationibus & lucubrationibus per aliquod tempus plane abſtineat, deinceps vero, redeunte paululum vigore, temperate ipſis indulgeat. Ipſe enim ſenſit, a mentis intentiori labore atrociſſimos ſtatim revocari paroxyſmos. Et hoc quidem ſcopo non præſtantius habetur conſilium, quam cœli mutatio: ut ſcilicet perſuadeatur vir illuſtris, quo rus petat, ibidemque grata & jucunda ſibi ſeligat conſortia, & ab omnibus curis, negotiis & occupationibus caveat. Quod autem præſtantiſſimum eſt; non negligat corporis moderatum exercitium, quippe quo ad roborandum partium ſolidarum tonum nihil unquam eſt efficacius. Motus corporis, ut profit, eſt inſtituendus 1) ſub tempeſtate ſerena, ne frigus ejus deſtruat utilitatem; 2) moderate & per gradus, ad lenem uſque ſudoris eruptionem, ne exæſtuentur humores; 3) optime fit per obambulationem, & lenem equitationem, de qua ORIBASIUS *Lib. IV. cap.* 24. *equitatio*, inquit, *magis quam omnes reliquæ exercitationes corpus præſervat, ſtomachum confirmat, & ſenſuum organa purgat, eaque reddit acutiora.* 4.) Commodiſſime celebratur vel matutinis vel veſpertinis horis, aut, quod idem eſt, vel ante ciborum aſſumtionem, vel poſt peractam eorundem concoctionem: qui enim ſtatim a paſtu corpus exercuerit, maxime vehendo, vel equitando, illi flatulentæ exacerbantur moleſtiæ. Quo de argumento egregie ſcribit SANCTORIUS *tr. de motu & quiete* §. 72. dum ait: *exercitium poſt ſeptimam uſque ad duodecimam horam ab aſſumto cibo, magis reſolvit inſenſibiliter unius horæ ſpatio, quam tribus temporibus alterius ſpatii.*

§. XXIV.

Quibus præmiſſis, tranſibimus ad recenſenda ea ſubſidia, quæ indicationibus §. XIX. expoſitis facient ſatis. Et hæc inter juxta primam indicationem ad alvi conſervandam libertatem, perque eam eliminandas craſſiores ſordes, curandi nervus eſt dirigendus. Purgantia, & fortius alvum ducentia hoc in caſu veneni inſtar ſe habere; quilibet vel paululum in arte medica verſatus facile cognoſcet. Reſtant ergo leniſſima laxantia; e quibus *Illuſtris* PRÆSES non præſtantius unquam deprehendit manna, ſi in aqua quadam deſtillata ſolvatur, eique rhabarbarum, & roborandi fine una alteraque olei de cedro guttula addatur. Et licet tale laxans ægro dicatur vehementius alvum movere: tentandum eſt, num in dicta formula, refractiori quantitate, & præmiſſis clyſteribus, qui flatus deorſum alliciunt, effectum placidiorem ſit editura. Ipſi quoque clyſteres ad repurganda craſſa potiſſimum inteſtina ſua non carent laude. Nec contemnendi uſus ſunt pilulæ balſamicæ, ad ductum *Exc.* PRÆSIDIS concinnatæ, quæ parca doſi, numero quindecim, mane exhibeantur, data per præcedentem veſperam vel ſalis aperitivi *Exc.* PRÆSIDIS drachma dimidia, vel ſi pilulæ orgaſmum humorum incitare videantur, tantundem pulveris præcipitantis. Hæc laxantia, exigente rei neceſſitate, quovis quinto vel octavo die propinare; reliquo tempore per diætam lubricam alvum ſolvere expediet; quo fine paſſulæ rhabarbarinæ, pruna laxativa, poma Borsdorffienſia cum paſſulis Corinthiacis decocta commendari merentur. Si acidæ ſordes in primis viis hoſpitentur, ſola magneſia alba, vel cancrorum lapides, operæ faciunt pretium; & ob terram alcalinam cum acido ventriculi congredientem, ſal medium conſtituendo, ducent alvum. Adhæc eliminandis per cutis poros ſubtilioribus recrementis, & perſpirationi promovendæ adprime inſervient infuſa theiſormia, maxime mane hauſta, ſi paulo poſt motus inſtituatur corporis.

§. XXV.

Præterea opus eſt, ut eæ acidæ cruditates, quibus primæ obſidentur regiones, attemperentur, ne vellicante ſua vi ſpaſmis novum præbeant fomitem. Quo quidem ſcopo pulveres temperantes, ſimulque nervini magnam merentur laudem, veluti eſt, qui ex oculis cancrorum, cornu cervi ſine igne, antimonii diaphoretici, pulveris marchionum, ſuccini præparati ana duabus drachmis, nitri drachma una, & extracti caſtorei ſcrupulo uno conficitur, & ex aqua analeptica ceraſorum vel chamæmeli matutino exhiberi poteſt tempore. Hujus virtus adprime quoque conveniet ſanguinis, quibus æger infeſtatur, ebullitionibus; nec levem in ſopiendis doloribus præſtabit operam. Et hac quidem intentione ad ſopiendos nimirum ſpaſmodicos, ſi effrænes fuerint motus, blanda ſua relaxante vi omnibus palmam eripit liquor anodynus mineralis *illuſtris* PRÆSIDIS; quem pondere viginti guttarum cum binis ſcrupulis deſcripti pulveris vel mane, vel etiam, exigente neceſſitate, veſperi ſimul ſummo cum fructu propinare licebit.

§. XXVI.

Hæc dum fiunt, juxta ſecundæ indicationis tenorem ventriculo & inteſtinis naturale robur eſt inſtaurandum, ut integra fiat vis digeſtiva, bonuſque generetur chylus. Quibus votis ea ſatisfacient, quæ ſubtili, balſamico, & amaricante gaudent principio, veluti ſunt extracta cardui benedicti, fumariæ, centaurii minoris, abſynthii, rhabarbari, caſcarillæ, milleſolii, chamomillæ Romanæ, myrrhæ, cortices citri, aurantiorum, & id genus plura: quæ in elixirium redigi, & loco ſpirituoſi alcalino & aquoſo ſolvi poſſunt menſtruo. Inſtar omnium eo nomine eſt elixir viſcerale balſamicum *Illuſtris* PRÆSIDIS: cui etiam ſequens poterit ſubſtitui: *Recipe extracti cardui benedicti, gentianæ rubræ, myrrhæ electæ, ſuccini ana drachmas duas, ſalis tartari drachmas tres, olei de Cedro guttas viginti. Miſce, & cum vino Hungarico leni calore digerantur.* Id genus remedii ad guttas octoginta brevi ante prandium, nec non hora quarta pomeridiana datum, excellentiſſima pollet virtute, acidum in primis viis infringendi, humorum orgaſmum conſopiendi, & amiſſum

amiſſum inteſtinorum tonum egregie roborandi.

§. XXVII.

His ſubſidiis procul omni dubio multum detrahetur mali vehementiæ : ut vero illud radicitus exſtirpetur, ſupereſt, ut nimia humorum moles convenienter imminuatur, minima vaſcula ab obſtructionibus reſerentur, & totum corroboretur nervorum genus. Priori ſcopo accommodatæ ſunt venæſectiones, ter ad minimum quotannis in pede celebrandæ. Ante harum uſum per aliquot dies utendum erit pediluviis, quæ ſpaſmos totius corporis relaxandi, & humores ad cutaneum corticem invitandi, præſtantem poſſident vim; ne autem exæſtuent ſanguinem, ea oportet eſſe tepidiora. Eo quoque, quo vena ſecatur tempore, inprimis ab aere frigidiori, & cibis durioribus cavendum, ne ab illo lædatur tranſpiratio, & catharrales inducantur morbi, ab his nimium oneretur imbecillis ventriculus. Alterum ſcopum optime explent aquæ minerales, e quibus noſtro ægrotanti vel thermas Epſomenſes, vel acidulas Egranas ſed tepefactas commendamus. Harum menſura una cum dimidia ſingulo mane potari; eique potationi præmitti pariter ac interponi debet lene laxans mannatum, ſemperque conjungi uſus elixirii viſceralis. Qua curatione ad aliquot hebdomades protracta, ad implendam tertiam indicationem ſuademus externum uſum balneorum vel Tœplicenſium, vel Lauchſtadienſium : interne commendamus martialia, ſub ſufficienti corporis motu vel in liquida forma, velut eſt tinctura martis tartariſata Zwelfferi aut Ludovici, vel in pulvere offerenda, tumque cum cortice caſcarillæ vel chinæ commiſcenda : qualis pulvillus hic eſſe poterit : *Recipe croci martis tenuiſſimi unciam ſemis, lapidum cancrorum, arcani duplicati ana drachmam unam, nitri depurati, corticis caſcarillæ ana drachmas binas, olei de cedro, corticum aurantiorum ana guttas viij. Miſce. Fiat pulvis, cujus drachma mane vel veſperi capiatur.*

§. XXVIII.

Denique ex topicis ad infringendam dolorum ſpaſmodicorum atrociam haud alienum fore putamus, emplaſtrum quoddam nervinum temporibus, dorſo ac hypochondriis imponere; cujus talis eſſe poterit formula : *Recipe olei nucis moſchatæ expreſſi, axungiæ humanæ ana unciam ſemis, ceræ albæ unciam unam, reſinæ ſtoracis, thymiamatis ana drachmam unam, balſami Peruviani drachmas duas, olei lavendulæ guttas viginti. Miſce: Fiat emplaſtrum.* Et hæc ſunt, quæ de præſentis caſus cauſſis ac curandi ratione proponenda putavi : quæ ut benevolus Lector æqui bonique conſulat, rogo.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

PRÆCIPUO STUDIOSORUM MORBO,

EJUSQUE GENUINIS CAUSSIS.

Primùm edita Anno 1699.

PROOEMIUM.

De Caco Vulcani monſtroſiſſimo filio naribus & ore ignem fumumque furoris ſui evomente, quique famoſus latro fuit, fingunt *Poetæ* ab *Arcadibus* eundem ſic dictum; quod mala innumera vicinis inferre quaſi natus fuerit, & incendiis ac latrociniis diriſſime omnia devaſtaverit. Hujus imagine quando mali hypochondriaci indolem deſignare intendimus, a ſcopo veritatis neutiquam ſumus aberraturi : etenim & nomen habet à Caco quod malus eſt, & re ipſa etiam ſicuti Cacus furtis, damnis innumeris, nec non homicidiis ſibi famam comparavit, ipſum hypochondriacum malum ſuffuratur vires ac robur corporum, incendiis inteſtinis ſuccos vitales & viſcerum ſubſtantiam depopulatur, & ad extremam miſeriam imo interitum innumeros præcipitat: adeo ut quibus damnis Cacus externe homines afficit, iis interne malum hypochondriacum diſtorqueat. Truculentus hic affectus autem maxime in litteratorum & qui ſacris minervæ operantur corpora graſſari & ferocire ſolet. Videmus hoc toto die, quod illi qui difficili aſſiduoque labore literarum ſtudia tractant, & magna ac inſana quadam intemperie per dies & noctes meditationibus & ſtudiis inhiant, incurrere in affectum hunc graviſſimum, quem recte omnium malorum fundamentum & compendium dixeris. Cum itaque ex natura quadam, debilitate ac ſtudiorum intemperantia ſæviſſimam hanc labem irreparabili damno corpori etiam meo contraxerim, & tyrannidem ejus per

T 4 com-

complures jam annos expertus fuerim, non inutile judicavi, ſpeciminis inauguralis loco hanc materiam quam multa in me experientia addidici brevi compendio pertractare, & quoniam diſſenſio adhuc quædam reperitur de loco affecto, & ejus genuinis cauſis, inter Medicos eruditos, non dubitavi de præſenti majori ſtudio, & qua fieri poteſt brevitate, & perſpicuitate ſententiam hac de re meam exponere. Deus T.O.M. inſtituto huic ex alto benedicat!

§. I.

Dicitur affectus noſter, quo litterati maximam partem diſcruciantur, hypochondriacus, à loco affecto nempe hypochondriis, quæ ſunt laterales corporis partes ſub ſpuriis coſtis ad ilia uſque protenſæ, & hepar, lienem, pancreas, ac vaſa meſaraica cum inteſtinis præcipuis complectuntur: *Arabes* à barbaro nomine Mirach, quod abdomen, vel ſecundum alios meſenterium eſt, mirachialem affectionem vocant: Alii flatulentam paſſionem propter effrenes flatus, ructus, rugitus, ac murmura inteſtinorum vocant; Quidam præcordialem calamitatem, quoniam foveam ſtomachicam ſeu præcordialem valde afficit, appellare conſueſcunt. Sed miſſis hiſce, quoniam animus eſt hujus affectus cauſam ac locum maxime inveſtigare, operæ duco eximiæ pretium, priuſquam id efficiam præmittere hujus mali hiſtoriam, pauciſſimis, veris tamen & eſſentialibus circumſtantiis ac ſymptomatibus ſtipatam.

§. II.

Eſt autem ex principaliſſimis, quibus miſeri homines diſcruciari ſolent pathematibus, dolor moleſtiſſimus, tenſorius, lancinatorius, comprimens & conſtrictorius, quaſi vincula ſentiantur circa præcordia conſtricta, una cum inflatione, tumore & intolerabili ſæpius æſtu atque fervore in hypochondrio, præſertim ſiniſtro, ſub coſtis ſpuriis, interdum etiam tantum dextro, ita tamen ut in paroxyſmo ex dextro in ſiniſtrum hypochondrium ſæpius tranſeat & contra ex ſiniſtro in dextrum. Alvus ordinarie pertinaciter tenſa & obſtructa, imo conſtricta eſt. Flatus mira volubilitate in inteſtinorum fiſtula & murmura & rugitus creant, qui ſi ſurſum reflectuntur ad gulam, præcordiorum ſummas anguſtias, ſpirandi difficultatem efficiunt maximam, donec vel naturæ robore vel medicina conveniente ructus per os, vel per anum flatus rumpantur, quo ipſo pathemata quodammodo remittunt, utut non in totum tollantur. Aſſociatur frequentiſſime hiſce pathematibus dolor capitis gravans, vertiginoſus cum aurium tinnitu, turbans liberum rationis exercitium, atque fixa phantaſmata, inanem meticuloſitatem de die, de nocte ſomnum turbulentum inſomniis terrificis plenum, inducens præſertim in melancholicis & phlegmaticis ſubjectis.

§. III.

Notabile autem hoc loco eſt, affectum hypochondriacum habere ſuas exacerbationes, & valde graves producere paroxyſmos, & tametſi hypochondriaci nunquam fere ſeſe rectè habeant, ſed languore ac debilitate in motibus voluntariis, & actionibus animalibus perficiendis ac dolore quodam fixo gravativo circa certum hypochondrium perpetuo afficiantur, nihilominus certo tempore graviſſime affliguntur, & quidem ingruente frigore liberiorem tranſpirationem in autumno vel hyeme retardante, vel etiam ſi vitium in diæta committatur; tunc temporis enim paroxyſmos ſuos pati diriſſimos obſervatione conſtat familiari. Et revera hic paroxyſmus inſtar febris ſeſe habet intermittentis, uti recte tradit Sylvius *in praxeos medicæ append. tract.* 7. incipiunt nempe partes extremæ præſertim pedes refrigerari, habitus corporis ſubſidet, venæ detumeſcunt, urina limpida & cryſtallina emittitur, non diu poſt anxietas præcordia occupat maxima cum ſudore frigido, cor incipit palpitare quam moleſtiſſime, arteriæ vehementer pulſant, corpus totum æſtuat, oris adeſt ſiccitas cum liquidi appetitu, partes tremunt, vires jacent convulſæ, appetitus proſternitur, muſculi faciei præſertim palpebrarum tremulo motu vibrant, pupilla oculi intenſe dolet, ſomnus adeſt vel nullus vel plane turbulentus, dolor ex uno hypochondrio ſæpe procedit ad alterum, & in quibuſdam tam gravis eſt, ut ad ſpinam uſque dorſi & ſcapulas ſeſe extendat acerbiſſimè & una umbilicum retrahat: In quibuſdam viſuntur vomitiones ſiccæ vulgo würgen / ſingultuoſæ, commotiones, interdum etiam acidiſſimi & viridiſſimi ſucci vaſa ænea erodentes, quandoque etiam per alvum copioſi atri ejiciuntur: urina conſpicitur plane varia, nunc pauca, nunc multa, nunc tenuis, nunc craſſa, nunc albicans, vel aquea, nunc rubicunda, vel nigricans, in qua ſubſident arenulæ rubicundæ tenuiores craſſioresve, laterum contuſorum farinæ non abſimiles & nitentes, nunc in fundo & parietibus ſubſidentes, nunc in ſuperficie innatantes, nunc per contenta omnia diſperſæ. Memorandum deinceps & hoc loco eſt calore per totum corpus diffuſo, ſudore calido paroxyſmum terminari. Omnia remedia, opiata, adſtringentia, ſpirituoſa, etiam leviſſime talia ordinarie ſymptomatum ferociam augent, & contra præſentiſſimum levamen afferunt externe clyſmata oleoſa & carminativa, inunctiones hypochondriorum cum oleis anodynis & aromaticis, una cum adminiſtratione temperati caloris; interne autem optime ferre poſſunt mixturas humorum acrimoniam contemperantes blandamque diaphoreſin excitantes; extra paroxyſmum diluentia, infuſa herbarum calida, blanda ſtomachica, acidum temperantia, acidulas, fluxum hæmorrhoidalem malum hoc egregie mitigare atque levare certiſſima experientia obſervatum atque confirmatum habemus, cum ex adverſo omnia fortiora calidiora purgantia, aperientia, volatilia ſalia, item acida frigida conſtringentia præſentiſſimum afferant damnum.

§. IV.

Affectus hic hæreditate ex ſemine parentum tranſmigrat ſæpius in liberos, & ſi ullus affectus eſt hæreditarius certe hic eſt, utut pauca mentio hac de re in ſcriptis reperiatur. Rectiſſime Hippocrates *lib. de morb. ſacr. ex lienoſis, lienoſi gignuntur.* Deprehendimus porro, morbum hunc valde familiarem eſſe ætati juvenili & virili, ita ut a decimo octavo anno ad quinquageſimum uſque ſeſe extendat, ubi poſtea naturam ſuam mutat, & in malum nephriticum, ſcorbuticum, iſchiadicum, podagricum tranſit, vel remiſſioribus ſymptomatibus incedit. Quoad temperamenta invadit præcipue illos, qui ſpongioſam, poroſam & tumidiorem habent carnem, venas parvas & anguſtas ſanguine & ſuccis turgidas quales dicuntur ſanguinei, item corpora gracilia ſtrictiora, quæ venas

venas amplas & ſanguine craſſo infractas habent, qualia ſunt melancholicorum adoritur. Ante omnia autem malum hoc exitiale & ominoſum eſt naturis debilioribus ſanguine bono & ſpiritibus defraudatis ad ataxiam & anomaliam ſpirituum & conſequenter ſpaſmos proclivibus, qualis prava corporis diſpoſitio facile à nativitate deducitur: ratione victus propendent ad hanc labem illi, qui alimentis craſſis, fabis, piſis, caſeis, carne veteri pingui vervecina indurata veſcuntur, cibis acidis delectantur, parum bibunt, vel potu craſſiori recenti fæculento caput replente utuntur: ratione vitæ generis, qui delectari ſolent otio, & vita ſedentaria neque membra corporis motu bene exercent, multum ſedent, & aſſiduis meditationibus ſe torquent, libris per dies & noctes invigilant, ſomnum debitum & conſequenter vires ſibi per lucubrationes intempeſtivas ſuffurantur, & nimium cogitationibus imo triſtitiæ affectui inhærent, uti monachi, literati & ſtudioſi familiarius.

§. V.

Propoſita ſic brevibus morbi hiſtoria operæ erit pretium inquirere genuinum locum affectum, naturam ortumque affectus hujus. Nolumus autem hic paulo moroſius immorari recenſioni & refutationi variarum ſententiarum, ſed tantum præcipuas in medium afferamus & noſtram ſubjungamus opinionem. Veteres unanimi fere conſenſu accuſarunt lienem, quem ſtatuebant ſeparare ex ſanguine humorem melancholicum, qui ſi ibi congregetur in maxima copia, ſi craſſus & aduſtus mora fiat, poſtea ad viſcera vicina & caput regurgitans & delatus execranda illa mala accerſat, unde etiam vocari vulgo ſolet **die Miltz-Beſchwerung.** Imo Veterum cura verſabatur maxime in eo, ut emplaſtris ſpleneticis & remediis ſpleni dicatis ſpecificis ejus infarctus & obſtructiones tollerent. Recentiores autem hujus affectus ſubjectum, tam morbi quam cauſæ, inteſtina & quidem primario colon, præſertim ejus partem, quæ hypochondrium ſiniſtrum occupat, incuſarit, ſplenis autem viſcus plane inſons eſſe hoc in affectu aſſerunt, & quidem quod lien in homine circa dorſum magis jaceat, & ſub coſtis nothis lateat, ita ut ejus extremum ultimam coſtam ne vix quidem attingat, unde vel manu tangi vel palpari utut tumidus & inflatus, lien nequeat, niſi forſan laxata penitus fuerint ejus viſcera, vel ab humore in immenſam molem aſſurgat. Porro etiam id confirmant ex eo quod nempe lien ad ſenſum talem acutum, lancinatorium, qualis deprehenditur in hypochondriacis, ob texturam ejus fere totam vaſculoſam fibris motricibus carentem concipiendum, plane ineptus ſit, cum potius dolor in liene ſi ullus eſt, ſit gravativus; deinceps quoniam dolor ille in hypochondriacis ardentiſſimus ac inflatorius quandoque tantum in latere dextro exiſtere obſervatus fuit, imo ex ſectione hoc morbo defunctorum apparuit lienem in ſtatu naturali frequentius fuiſſe ſalvum. Accedit quod dolores iſti, quibus apprehenduntur hypochondriaci, ſint vagi, ex uno latere tranſeant in alterum, regionem ſtomachalem item dorſalem maxime petant, & clyſmata injecta maximum levamen afferant. Ex quibus omnibus dijudicant ſolum inteſtinum colon, quod partim propter ligamenta nervea & tendinoſa, partim propter internam tunicam nerveam maxime ſenſibilem exquiſitiſſimo ſenſu pollet, & utrumque latus occupat, & ventriculum perreptat, principaliter hoc in morbo eſſe affectum, lienem autem plane eſſe innocentem. Plura de hac re vid. poſſunt in *diſſ.* SYLVII *de uſu lienis & diſſ. med.* ETTMULLERI *de dol. hypoch.* Quapropter etiam cauſam mali hypochondriaci ſtatuunt exiſtere in inteſtinis craſſis, illamque nullam aliam eſſe, quam excrementorum & humorum acidorum bilioſorum acrium vellicantium in cellulis coli ſtagnationem ex cacochylia & prava ventriculi digeſtione provenientem.

§. VI.

Quamvis autem prædicta ſententia quoad ſubjectum morbi ex parte admitti propter prædictas rationes poſſit & debeat, attamen non veremur affirmare, quod hæc ſententia, quoad ſubjectum tam morbi quam cauſæ, plane ſit inſufficiens. Largimur enim lubentiſſime dolores iſtos vagos tenſivos cum dolore, ardore, inflatione ſub coſtis nothis, & circa regionem ſtomachalem omnino aſſignandos eſſe inflationi dolorificæ ipſius inteſtini coli, quod etiam ex flatibus, motibus, murmuribus ventris & præſentanea ope clyſmatum oleoſorum & carminativorum concludendum eſt, unde etiam ſæpenumero a minus peritis Medicis hic affectus pro colica vel convulſiva vel nephritica venditatur, at vero non tantummodo inteſtinum colon, verum etiam orificium tam ſiniſtrum quam dextrum ventriculi una cum œſophago, diaphragmate ipſoque ventriculo graviſſime ſæpe afficitur, id quod teſtantur cardialgicæ anxietates, conſtrictoriæ thoracis & gulæ anguſtiæ, conatus perpetui ad vomendum, dolores circa ſpinam dorſi fixi & acutiſſimi.

§. VII.

Affectus autem hypochondriacus, quod a dolore colico in pluribus diſtinctus ſit, perſpicuum exinde fieri arbitror, quoniam colica ex vitiata alimentorum aſſumptorum digeſtione plerumque ortum ſuum habet, & morbus tranſitorius eſt, neque per plures annos chronicus, cum ex adverſo hypochondriacorum dolor, etiam accuratiſſime ſervata diæta, perpetuo fere infeſtet ægrotantes & ad complures annos imo per totam vitam ſe extendat, omniumque fere remediorum efficaciam eludat. Notiſſimum porro eſt, quando quis ex dolore etiam graviſſimo colico laborat, ipſum præſervari impoſterum a ſævitia hujus mali poſſe per bonum regimen in rebus non naturalibus, & medicamenta digeſtioni velificantia, id quod tamen in hypochondriacis fruſtra tentari ſolet, cum hiſce quidem ſymptomatum mitigationem, nequaquam horum totam ablationem, obtineri poſſe experientia clarum ſit. Tacemus colicam eſſe familiarem omnibus fere ætatibus, temperamentis omnibus, nec malum eſſe hæreditarium; affectus autem hypochondriacus non omnibus ætatibus eſt familiaris, ſed pueris & ſenibus parcit, neque cholericos facile adoritur. Et tandem etiam ex dolore colico nequaquam vertigo, palpitatio cordis, melancholia, tremor partium totius corporis, urina clara & pellucida, fluxus hæmorrhoidalis, qui in affectu hypochondriaco ſæpenumero obſervatur, generatio copioſiſſimi acidi in prima regione, ejectio nigrorum humorum proveniunt.

§. VIII.

Ut itaque veras hujus ſæviſſimi mali indagemus cauſas, dicimus & ſtatuimus, cuncta hypochondriacis obvenire pathemata ſolita eſſe ſpaſmodica & flatulenta vel a ſpaſmis & flatibus ea eſſe deducenda partium muſculoſarum & nervearum in abdomine principaliter contentarum. Omnia in tota œconomia corporis pacata & tranquilla ſunt, ſi legitimus adeſt tonus ac motus partium ad motum diſpoſitarum nempe muſculoſarum & nervearum; ſimulac autem hæ partes nimium coarctantur ac conſtringuntur a vehementiori ſpirituum animalium ſive fluidi tenuiſſimi elaſtici in nervis contenti influxu quod fit

in

in ſpaſmis, ſive a flatibus magno impetu ac vi activis, protinus dolores, inflammationes, intumeſcentiæ, excretiones præternaturales præſto ſunt, omniaque a ſtatu & ordine naturali deflectunt: utrumque autem obſervatur extremo in gradu in noſtro affectu. Ita violentis viſcerum & partium conſtrictionibus debentur alvi adſtrictiones pertinaciſſimæ, anguſtiæ & anxietates præcordiorum ſuffocatoriæ, vomitiones ſiccæ, cardialgiæ, ſingultus, cordis palpitationes, retractiones umbilici, tremores partium, cutis habitus conſtrictio & refrigeratio, & dolores conſtrictorii in abdomine graviſſimi. Imo horrendi tales ſpaſmi in affectione hac ſæpius epilepſiæ ſunt ſimiles, id quod annotavit SYDENHAM *Diſſert. epiſtolar. ad Wilh. Cole p.* 354. Ad ſpaſmum & vehementiorem meatuum conſtrictionem & anguſtiam referri etiam merito debet urinæ albæ ac claræ, ante imminentem paroxyſmum, imo etiam ipſo præſente, emiſſio. Notatu digna ſunt, quæ circa hypochondriacorum urinam notat SYDENHAM *loc. cit.* Ægri, inquit, urinam ſubinde reddunt plane limpidam ad inſtar aquæ è rupibus ſcaturientis, idque ſatis copioſe, quod quidem ego ſigillatim percontando in omnibus fere didici ſignum eſſe pathognomicum eorum affectuum, quos in maribus hypochondriacos, in fœminis hyſtericos appellandos cenſemus. Atque in maſculis nonnunquam obſervavi, quod mox ab excreto lotio coloris citrini, (imo proximo fere temporis momento) violentiori aliquo animi motu derepente perculſi, ſtatim urinam cryſtallum claritate æmulantem magna copia & impetu diu continuato ejecerint, eouſque ſe male habentes, donec urina priſtinum colorem induerit, & paroxyſmus ſimul evanuerit. Ratio hujus phænomeni nulla alia eſt, quam quod glandulis & poris hepaticis ac renalibus ſpaſmo conſtrictis bilis cum alimentis non recte miſceatur & tenuiſſima tantum ſeri portio ex ſanguine per renales tubulos ſeparetur.

§. IX.

A flatibus autem inteſtina diſtendentibus proficiſcuntur iſta murmura, borborygmi, ructus, flatus, intumeſcentiæ abdominis, & manifeſta inflatio ſub coſtis ſpuriis, reſpiratio difficilis ob diaphragma expanſum, alvi adſtrictio; quandocunque enim flatu inteſtina ſunt diſtenta, motus periſtalticus ipſorum imminuitur & excrementa debent retineri. Ex hiſce dictis patet, tonum & motum periſtalticum inteſtinorum in hoc morbo maxime pati, ipſaque inteſtina vel nimis conſtricta, vel nimis etiam flaccida & relaxata eſſe, & ab utroque modo flatuum copioſiſſimorum moleſtantium proventum & generationem dependere, utpote ſub ſpaſmodica contractione inteſtinorum non minus quam ſub eorum nimia flacciditate motus progreſſivus excrementorum impeditur & retardatur, unde ex mora non tantum cauſa præbetur flatibus diſtendentibus, verum etiam majori vellicationi & irritationi tunicarum inteſtinalium ab excrementis ibi ſtagnantibus anſa ſuppeditatur. Elegans eſt obſervatio WELSCHII *in diſp. de mal. hypoch.* qui in ſectione hypochondriacis cruciatibus enecati, deprehendit totum colon à flatibus immenſum diſtentum, ſub inſertione vero in inteſtinum rectum adeo contractum, ut viſum fuerit plane ibi coaluiſſe.

§. X.

Verum enim vero ordo jam poſtulat, ut devolvamur etiam in cauſarum noſtri mali inquiſitionem. Recentiores ferme unanimi conſenſu allegare ſolent vitiatam digeſtionem & cacochyliam ſive preſſius loquendo chymum acidis corroſivis, viſcoſis & bilioſis particulis turgidum, qui moram in valvulis inteſtinorum, duodeni nempe, jejuni & coli nectendo ſpirituum irregularem & inordinatum motum & influxum vellicatione ſua efficit & producit. Neque hic loci negandum eſſe ducimus, utique humores qualitate noxia & exceſſiva infeſtos anſam dare ſpaſmodicis iſtis contractionibus in abdominis viſceribus. Inter alia teſtantur id ipſum, ructus acidiſſimi, vomitus, & regurgitatio in os ſæpe numero liquoris limpidi acidi pontici dentes ſtupefacientis. Ita provoco ad experientiam, ſæpe viridiſſimos ſuccos, fæces anum erodentes frequentiſſime in hypochondriacis ejici, utut nihil acidi vel ſalſi aſſumſerint, & in magna quantitate acidum corrigentibus fuerint uſi. Notat RIVERIUS *in obſerv. cent.* 1. *obſerv.* 74. hypochondriacum per os excreviſſe humorem tenuem ſaporis acris & acerbi ad inſtar vitrioli. Rarum eſt, quod refert BOYLE *in Chymiſt. Scept. pag.* 68. de milite hypochondriaco lapidum fruſtula devorante & ita conſumente, ut alvi excrementa arenoſa inde rejecta fuerint, lapidibus in ſtomacho ab acido in arenulas reſolutis. Jam autem quæſtio oritur, unde materia hæc acida corroſiva originem ſuam ducat, culpa vulgo transfunditur in alimenta, at vero ut de hac re plane dubitemus, efficit frequens ingurgitatio ciborum acrium acidorum, ſalinorum, viſcoſorum citra omnem noxam in multis perſonis, quin imo teſtatur experientia, qui pathematibus hypochondriacis vexantur, quamvis utantur accuratiſſima & quidem ad regulam diæta, nihilominus hujus mali ſævitiam non ſubterfugere illos poſſe. Quocirca altius omnino repetenda eſt hujus morbi cauſa ac fons.

§. XI.

Noſtra hæc itaque eſt ſententia, focum ac fomitem hypochondriaci affectus latitare ſecundum Veteres rectiſſime in vaſis meſaraicis, lienis, pancreatis atque hepatis: ita nempe ut ſubjectum cauſæ, non autem ſubjectum morbi conſtituant, inclinant eo ferme omnium Veteres, qui tamen in eo videntur aberrare, quod complures ſolum lienem, qui nihil aliud eſt quam contextus vaſorum ſanguineorum pro cauſa agnoſcant. Optima ratione SENNERTUS *l.* 3. *prax. part.* 4. *ſect.* 1. *c.* 2. craſſum & terreſtrem ſanguinem circa vaſa venæ portæ inculpat, & talem deſcriptionem affectus affert, quod nempe ſit colluvies humorum, imprimis melancholicorum, ſæpe etiam pituitoſorum ac bilioſorum, in vena portæ & arteriæ cœliacæ ac meſentericæ ramis, in hypochondriis præcipue ſiniſtro, inter ventriculum & lienem, maxime iis in locis, ubi plures majoresque venæ portæ & arteriæ huic conjunctæ rami ſunt, præcipue ob læſam lienis coctionem collecta absque putredine. Per humores melancholicos pituitoſos ſanguis craſſus terreſtris bilioſus intelligi debet. Læſam autem lienis coctionem rectius explicare ac interpretari debemus per ſtructuram ejus vaſculoſam ſanguine craſſo infarctam. GALENUS *lib.* 3. *cap.* 7. *de locis affectis* eleganter hunc affectum ita deſcribit: *Oritur*, inquit, *alius a ventriculo morbus*, *qui ab aliis melancholicus*, *ab aliis flatuoſus nominatur*, *quem ſumpto cibo maxime coctu difficili*, *& cauſtico ſputum humidum idemque multum comitatur*, *item ructus acidiſſimi*, *flatus*, *æſtus in hypochondriis*, *fluctuatio non ilico ſed cum retinuerint*; *interdum ventriculi quoque vehementes dolores*, *qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt*, *concoctis deinde cibis quieſcunt*, *mox aliis cibis ingeſtis eadem revertuntur*, *accidentia*, *quæ interdum jejunos*, *interdum etiam a cœna moleſtant*, *atque evomunt crudos*

dos cibos & phlegmata ſubamara & calida, *adeo ut dentes torpedine afficiantur.* Cauſas vero hujus mali his verbis recenſet: *flatuoſas vocatas affectiones ſuſpicandum eſt plus caloris, quam decet, habere in venis, quæ alimentum a ventriculo excipiunt, ſanguinemque in ipſis craſſiorem factum.*

§. XII.

Ut autem preſſius mentem noſtram circa hoc negotium exponamus, ſtatuimus cauſam mali hypochondriaci eſſe ſanguinis craſſi collectionem & infarctum in vaſis abdominis, quæ ad venam portæ referuntur, propter impeditiorem ejus motum atque transcurſum; à quo cruore poſtea viſcera dicta hepar, lien, pancreas, meſenterium diſtenta & obſtipata officio ſuo ac munere, cui dicata ſunt, non rite defunguntur. Accedit & hoc, quod ſub tali impeditiori ſanguinis impuri ſtagnatione circa hæc viſcera, ex mora hic acrior, corroſivior evadat, & poſtea tam qualitate infeſta, quam ipſa mole & diſtenſione ſua prædicta viſcera, maxime autem inteſtinales tunicas, circa quas etiam ipſe ſanguis impurus ſtagnat, ad ſpaſmos ad quos hypochondriaci inclinant ſtimulet atque ſollicitet: & deinceps facile concipi poteſt, quando per hæc vaſa & viſcera à tono ſuo dejecta ſanguinis maſſa non rite circumvolvitur, non debite ſecerni bilem, illamque propter glandulas biliarias obſtructas vel plane non aut tantum acrem ac tenuem ejus portionem ſeparari. Simili modo ſanguine impuro ſi eſt infarctus ventriculus & inteſtina, glandulofæ tunicæ non poſſunt non ſequeſtrare impuram vappidam & acetoſam lympham, unde vitiata lympha gaſtrica depravatur, chylificatio & digeſtionis negotium & excrementitiarum in primis viis ſcoriarum generatio promovetur.

§. XIII.

Ex hac hypotheſi jam facile explicari poterit, cur in hypochondriacis interdum ſanguis ater per vomitum, interdum etiam deorſum ejiciatur, procul dubio nullam aliam ob cauſam, quam quod ipſæ venæ hiantes in cavitatem ventriculi vel inteſtinorum præter naturam a ſanguine diſtentæ tandem rumpantur. Ita *Joannes* RIOLANUS *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 2. teſtatur in ſenatore quodam, qui rejectione ſanguinis per ſuperiora & inferiora è liene prodeuntis laboraverit, deprehenſum eſſe vas breve minimi digiti magnitudine, latum & in ventriculum apertum. Ita etiam refert ADRIANUS SPIGELIUS *Anatom. lib.* 6. *cap.* 5. hiſtoriam Cardinalis Cibonis, qui ſanguinis vomitu extinctus erat, in cujus cadavere compreſſo ventriculo viderunt lienem turgeſcere, rurſus liene compreſſo ad ventriculum copioſum ſanguinem effundi, imo per eandem viam humorem inſtar atramenti nigricantem, qualis etiam in vivente adhuc vomitu rejectus fuerat, in viro nobili effundi vidimus.

§. XIV.

Porro etiam compertum eſt in hypochondriacis, quandoque utut non citra periculum fiat, humores atros per alvum ejici in ingenti quantitate. Memoratu circa hanc rem dignum eſt, quod ſcribit SOLENANDER *in Conſil.* 7. *ſect.* 2. *pag.* 121. Obſervavimus, inquit, hypochondriacos aliquot, quibus iſtæ corporis regiones, & potiſſimum ſiniſtrum hypochondrium multo nigro ſucco, tanquam atro jure, oppletæ diſtentæque erant. Novimus, quibus ſimilis ex iis locis humor ſupra infraque abſceſſus, quod licet cum periculo conjunctum eſſet tamen evaſiſſe plures ſcio, & honeſto viro *Joh. Philipp. Sleidano* fratri bis illud intra annum accidiſſe, memini. Et ante menſem honeſta & nobilis matrona de Lutersdorff illius atri ſucci, & quod mirum eſt fere inſipidi, ex dextro hypochondrio ad libras ſex vel ſeptem vomitu rejecit. Et hi plerumque aſcite moriuntur.

§. XV.

Porro deprehendimus hypochondriacis familiariſſimum eſſe ſanguinis per venas hæmorrhoidales effluxum, ita ut raro reperias hypochondriacum, qui non ad ipſum ſit diſpoſitus vel ipſum paſſus fuerit, & plerumque inſigni cum levamine & mitigatione ſymptomatum. Ortum ſuum hic fluxus habet ex ſtagnatione ſanguinis in vena portæ, cujus ſoboles ſunt internæ hæmorrhoidum venæ. Quando itaque nimium diſtentæ ſunt a ſanguine copioſiori craſſo terreſtri, tandem orificia ejus aperiuntur præſertim compreſſione, quæ fit in niſu ejiciendi excrementa, & ſanguis ita exſtillat craſſus, & quoad partem depleta vaſa & conſequenter viſcera ad naturalem tonum, & ſucceſſive officium redeunt. Confirmat hanc noſtram ſententiam obſervatio elegans VESALII, quam prodidit *libr.* 5. *de Fabrica cap. hum. cap.* 15. Diſſecuit nempe hominem defunctum ex nigro arquato jecoriſque mira duritie, quique ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari conſuevit, invenit ramum venæ portæ ſub coli inteſtini fine & tota recti longitudine in meſenterio ductum pollicis fere craſſitiem æquare, & ſanguine turgere, conterminis venæ cavæ ramis nihil immutatis.

§. XVI.

Ex hiſce dictis facile intelligi poteſt, accumulationem & ſtagnationem ſanguinis craſſi, viſcidi, fæculenti, copioſi in venæ portæ ramis per abdominis viſcera diſperſis, genuinam & originalem cauſam exiſtere tot atrocium pathematum, quibus ſic dicti hypochondriaci diſcruciantur: At vero neceſſe eſt ut etiam penitius diſpiciamus, unde proveniat, quod motus ſanguinis progreſſivus per nullam regionem corporis magis quam per abdominis viſcera retardetur & impediatur. Compertum ex anatomicis eſt, venam portæ defungi officio arteriæ, dum hæc ſanguinem redeuntem ex inteſtinis, meſenterio, liene, pancreate, ſtomacho, omento infundit hepati, ut ibi ſeparetur bilioſus humor; cum autem impulſu ſatis forti opus foret, ut ſanguis in ramis majoribus venæ portæ intrudatur in minimos tubulos tam venæ portæ quam venæ cavæ in hepate diſperſos, huic operi autem pene improportionata ſit illa preſſio ſanguinis, quæ fit ab arteriis, vel etiam ab arteria hepatica venæ portæ ſubjacente, ordinario accidit ut ſanguis per hepar paulo tardius procedat. Compenſavit equidem providentiſſima natura hunc defectum impulſus ex parte per ſtructuram & motum diaphragmatis & muſculorum abdominis ſub reſpiratione, id quod negotium in peculiari diſſertatione ſolide & accurate deduxit *Excell. Dn.* STAHLIUS; at vero cum reſpiratio non ſit ubivis eadem & æqualis, facile apparet, non ſufficiens huic rei eſſe diaphragmatis negotium.

§. XVII.

Hiſce diſcuſſis, ut ad propoſitum redeamus, neceſſe eſt evolvere & explicare cauſas, quare ſtudioſi, litterati impeditiori ſanguinis motui per abdominis viſcera & conſequenter infarctui vaſorum a craſſo cruore præ aliis ſubjectis magis afficiantur. Prima ratio autem eſt, quod literati plerumque amant vitam ſedentariam, nec corpus ſufficienti motu exercent.

Notiſſi-

Notiſſima autem res eſt, motum muſculorum promovere non modo ſanguinis motionem localem & progreſſivam, ſed etiam humores ſub tali motu tenues & fluxiles reddere: dum enim motu ſtringuntur muſculi, ſanguis hac ratione in vaſa venoſa pellitur & per habitum corporis tranſprimitur, ac tali tranſpreſſione calidus ac fluidus evadit. Motus autem & exercitationis intermiſſio, qualem habent plerumque ſtudiis navantes, calorem inertem, motum ſanguinis ſegniorem, excrementorum accumulationem reddit, ſpiritusque ignavos atque omnes mentis naturæque functiones torpidiores efficit. Ulterius peſſima eſt ſeſſio cum incurvato corpore in ipſis ſtudioſis, utpote tali modo minor diaphragmatis & muſculorum abdominis propter lentiſſimam reſpirationem fit motus & conſequenter etiam remiſſior ſanguinis per abdominis partes circuitus. Corrigere communiter hæc mala quæ ex ſeſſione fluunt ſtatione intendunt, quam corpori non adeo infenſam eſſe arbitrantur. At vero valde falluntur in eo, ſiquidem in figura corporis perpendiculari ſanguinis & humorum deſcenſus promovetur, aſcenſus autem retardatur, niſi ambulatione & muſculorum ſtrictione ſanguis in pedibus lentus progrediens impulſum accipiat. Accedit quod ſtatio muſculorum æquilibris tenſio ſit, cui tota corporis moles ad perpendiculum incumbit, quantum autem hoc laſſet dici vix poteſt.

§. XVIII.

Porro eruditi & literarum ſtudioſi ad affectum hypochondriacum ſuſcipiendum præ aliis habiles ac apti ſunt, propter nimias lucubrationes, meditationes, animi intentionem & laborem cerebri; peccatur in eo toto die, dum quidam per dies ac noctes libris affixi ſtudia vi ac cum vehementia urgent, & animo ſic ac corpori nocent, anxia enim ac moroſa ſtudia & non interruptæ meditationes & cogitationes, præſertim mox poſt cœnam, neceſſarias corpori ſuffurantur vires ac ſpiritus, unde ventriculi digeſtio, evocato, ut phraſi utar Barclajiana, e ventriculo allaborantis ſubſidio igne, non legitime fit, motus vitales & naturales ſecretiones ob ſpirituum defectum ſuccumbunt, unde cruditas in primis viis copioſa & ſanguis impurus ac craſſus generari debet, quæ omnia in quantum ad hypochondriacum affectum conferant, quilibet facile perſpicit. Deducimus etiam hinc rationem, quare plerumque litterati alvum habeant obſtructam, quæ mali hypochondriaci geneſin mirifice promovet, quando enim ſpiritus abſtrahuntur & impenduntur cogitationibus, non poſſunt motum inteſtinorum periſtalticum legitime efficere, nec ſtimulum fæcum ſentire. Longe autem pejus eſt, quando una vigilatas noctes ex ordine ducunt, & lucubrationibus neceſſariam ad vires reparandas ſibi demunt quietem; ſomnus eſt requies animi & pars humanæ melior vitæ, & quantum demitur ſomno, tantum viribus & ſpiritibus aufertur: Immoderatæ vigiliæ corpus admodum debilitant & vires conſumunt, unde concoctio vitiatur, facies palleſcit, corpus macie contabeſcit & ad hypochondriacam & melancholicam affectionem tranſitus fit. Ulterius ratio in procinctu eſt, quare tam frequenter academici affligantur noſtro affectu, quoniam intemperantiæ in victu, potu, & venere ordinario deditiſſimi ſunt. Notum enim eſt quam familiare ſit in academiis vitium ebrietatis, quæ deterrima ingeniorum & corporum peſtis, potus enim inebrians intempeſtive aſſumptus, præſertim nocturno tempore, lympham, quæ ſpirituum animalium pabulum eſt, impuram gignit, & ſpiritus corporis noſtri rectores deturpat, quamobrem gravitas, torpor, laſſitudo, ac debilitas corpori accedit, ingeniis vigor minuitur, & ad multa mala via panditur. Pertinet huc etiam damnandus abuſus tabaci, quem compotationibus per dies ac noctes interponunt; lympha enim benigna tenuis & fluxilis quæ ad diſſolutionem alimentorum & ad ſanguinis fluxilitatem ſervandam neceſſaria eſt conſumitur, & narcotica vi effluvia ad ventriculum deſcendentiat concoctionem turbant.

§. XIX.

Deinceps litterati ad malum hoc diriſſimum valde admodum inclinant ob intemperantiam in victu vel diæta; peccari in eo ſolet multis rationibus, quandoquidem nonnulli inſatiabiliter ventriculum in plent atque infarciunt ciborum copia, propter exuperans maxime acidum in ventriculi ſinu, & quoniam non proportionato motu corpus exercent, ſed potius vitam quietam & otioſam agunt, non poteſt aliter fieri, quin cruditates copioſæ in ſanguine accumulentur, quæ dum non ſatis motu ſubigi, reſolvi, & ejici poſſunt, vires premunt, intemperies, obſtructiones producunt, ſpirituaſcentiam ſanguinis deprimunt, & graviſſima mala chronica accerſunt. Præcipue omnium autem culpandus & deteſtandus ille peſſimus mos eſt, dum complures delicatioris naturæ primo ſtatim mane ventriculum onerare placentis ex tritici flore & butyro præparatis intendunt, ubi propter viſciditatem reſiſtentem actioni fermenti gaſtrici, mucilago & maſſa viſcoſa valvulis & tunicis inteſtinorum adhærens producitur, quæ & flatulentiis & obſtipationibus pororum inteſtinalium lactearumque venarum damno evidentiſſimo ſervit; pejora hæc omnia fiunt ſi parum bibunt & non ſufficiens liquidum, congruum aſſumatur. Certiſſimum enim & hoc eſt, ſæpius in nonnullis peccari defectu potus. Magna enim requiritur liquidi copia in corpore noſtro ut cibus ſolidus ſufficienter diluatur, & reſolvatur, & ſanguis fluidus conſervetur, parteſque excrementitiæ per debita evacuatoria educantur; obſervamus enim ex defectu humidi alvum nimis exſiccari, tranſpirationem retardari & ſanguinis ſerum evadere ſalſum, ſpiſſum, unde hypochondriacum, ſcabioſum, & ſcorbuticum malum propullulant.

§. XX.

Poſtquam hactenus paulo ſpecialius conſideravimus cauſas occaſionales & procatarcticas, quibus diriſſimus iſte affectus contrahitur illis, qui ſtudiis operam navant, utiliſſimum jam atque neceſſarium fore judico, ſi brevibus indigitemus quomodo conveniente diæta & commoda vivendi ratione poſſit averti. In genere autem hic notandum eſſe volo, quemadmodum ad vitam longam & ſanam, & ad præſervationem ab omnibus morbis, ita maxime ad chronicorum præcipuum hujus affectus inſultum avertendum facere conſervationem virium. Qui vires enim negligit, illas conſumit, deſtruit, corpuſque infirmat, ille corpora graviſſimis morbis & vitæ periculo exponit, quando vires enim quæ ſunt motrices ſemper ſufficienti & debita in copia adſunt, motus vitales cuncti, ſecretorii & excretorii rite conſervantur, omniaque ſecundum ordinem fiunt in œconomia machinæ noſtræ. Servantur autem vires, deſiſtendo a nimiis, anxiis & moroſis ſtudiis, meditationibus & cogitationibus. Certe ſapientiſſime illi faciunt, qui moderate in ſtudia incumbunt, & ſecundum virium proportionem ordinant meditationes ac honeſto otio, animique requie quandoque fruuntur. Eleganter inquit VALERIUS MAXIMUS *Lib. III. Cap. VI.* Danda eſt remiſſio animis: meliores acrioreſque requieti ſurgunt. Servantur porro vires per moderatum ciborum & congrui potus uſum, debi-

tam-

tamque proportionem inter hos & corporis motum, unde menſura alimentorum dirigenda eſt juxta proportionem motus. Non ſine ratione certe, ſed ſanitatis cauſa merentur commendari exercitia moderata corporis, nempe ſaltatio, equitatio, ambulatio, pila, venatio ipſis ſtudioſis. Plura de hac re poſſunt videri in *Dn.* Præſidis tractatu de *ſtudiis per regulas diæteticas facilitandis*. p. 53. Pulchre notavit GALENUS *Lib. II. de tuenda ſanitate*, dum inquit: maximum eſt malum ad ſanitatis cuſtodiam nimia corporis quies, & maximum donum eſt moderata motio, neque ægrotabit debite exercitatus. Servant porro vires abſtinentia a venere, & ebrietate ingenii actionibus pernicioſiſſima; ſi quid enim eſt quod ingenio nocet, quod corpori infirmitates, & ad chronicas ægritudines viam pandit, certe eſt intempeſtiva & præpoſtera venus. Quicumque itaque vult per totam ſuam vitam eſſe ſanus, quicunque ſolidos profectus & eruditionem non vulgarem ſibi comparare ſtudet, in juventutis annis temperet ſibi a venere, & crapula.

§. XXI.

Tandem & hoc non ſilentio prætereundum eſt, quod non omnia corpora & temperamenta æqualiter gradu & promiſcue ſint diſpoſita ad hoc malum, ſed confirmatur experientia, illos qui ſpongioſiorem habitum corporis poſſident, venas habent copioſas parvas tamen & anguſtas, imo qui ſanguinei vulgo dicuntur, & tendines ac nervos non adeo firmos ſed debiles habent, & uno verbo texturæ ac naturæ ſunt debilioris, illos ipſos detineri frequentius hoc malo. Et ratio quoque in procinctu eſt, talis enim corporis ſtatus virium arguit atque deſignat imbecillitatem, robur partium languidum, & progreſſivæ ac liberæ ſanguinis motionis impedimenta, quæ omnia ſi non debite adſunt, circulatio ſanguinis & conſequenter etiam vita periclitatur.

§. XXII.

Reſtat jam ut etiam aliquid addamus de methodo compendioſa, tuta & fida curandi ipſos, qui jam hujus mali ſævitia tenentur. In eo autem ſaltim quæ expertiſſima in noſtris ægris deprehendimus, breviſſime adjiciamus. Merito autem diſtinguendum hic eſſe judicamus, inter curam quæ fit in paroxyſmo & extra paroxyſmum. In paroxyſmo incredibilem laudem merentur clyſteres & quidem ex meris oleis parati, tales enim in convulſiva & ſpaſmodica inteſtinorum contractione, fibras relaxando, fæces emolliendo omne fere abſolvunt punctum: In fine autem ad ſpaſmos tollendos, & ſanguinem inflammatorium ſtaſin minantem in conſtrictis ac coanguſtatis viſceribus & partibus blande diſſipandum & reſolvendum omnium optima ſunt, diaphoretica, carminativa & antiſpaſmodica cum oleoſis mixta, ita ſpiritus nitri dulcis recte paratus & juxta methodum Dn. Præſidis ex ſpiritu nitri fumante & ſpiritu vini rectificatiſſimo, pulvis præcipitans nitroſus, pulvis Marchionis, ſpecificum cephalicum Michaelis, cum aqua liliorum convallium, florum ſambuci, florum tiliæ, ceraſorum nigrorum, fœniculi, elæoſachari, aniſi, omnium præſentiſſima ſunt. Externe autem olea & balſama carminativa, balſamum vitæ odoris fragantiſſimi & virtutis præſtantiſſimæ Dn. Præſidis efficaciſſimum, quod vel naribus attrahendum, vel regioni nuchali, umbilicali, aut ſtomachali applicando vires oppreſſas erigit & ſuſcitat, genus nervoſum ſolatur, & flatulentias omnes diſſipat.

§. XXIII.

Extra paroxyſmum commendo meo experimento ſæpius repetito frequentem uſum pulveris ſtomachalis & cachectici Quercetani ſumendo ejus drach. ſemis. jejuno exiſtente ventriculo & deſuper corpus movendo. Deinde alvus ſemper ſervanda aperta quod fit commodiſſime vel pulvere laxativo diaſennæ, vel pilulis laxativis de gummi ammoniaco Quercetani, aut tartareis Schroderi, aut polychreſtis Dn. Præſidis. Tandem ad genus nervoſum roborandum, aciditatem in primis viis corrigendam, amurcam flatulentam detergendam, & blandam chylo ſanguini & humoribus ſpirituaſcentiam conciliandam, temperatus ſalis volatilis Sylvii uſus, elixirii balſamici Dn. Præſidis cujus mentionem facit in *notis ad Poterium* inter cibum ſumtum tempore prandii aut cœnæ commendatiſſimus ſit; temperata enim ſtomachica vitium chyli in primis viis ſtatim corrigendo, & correctum ac benignum chylum producendo, tandem etiam ſanguinis vitia ac intemperies ſucceſſive corrigunt, emendant & tollunt, & liberum ſanguini circuitum ac motum per abdominis viſcera expeditiorem & naturalem reddunt atque reſtituunt tandem. Quoniam autem circa diætam prolixius jam in ſuperioribus egimus pauciſſima ſaltim ſubnectimus, nempe ab omnibus animi pathematibus, copioſo cibo, præſertim in cœna, intenſo frigore, acido exſuperante, omnibuſque cibis flatulentis, nimia venere, omni ſtudio eſſe abſtinendum.

DISSERTATIO MEDICA
DE
SOMNAMBULIS,

Primùm edita Anno 1695.

§. I.

SI quid clariſſima Medicorum & Phyſicorum torſit ac fatigavit ingenia, eſt certe phantaſiæ vis maxima & ſtupenda in corpus noſtrum ejusque partes. Adæquatam hujus rei cognitionem valdè moratur obſcuritas unionis ac vinculi, quod intercedit animæ cum corpore. Haud facile quis negare poterit, impervium humano intellectui videri, qua ratione immateriale, intellectuale & abſtractivum quid agat, influat, magnaque efficacia operetur in extenſam, craſſam & immobilem ſubſtantiam. Conſiderantur vulgo ſpiritus ceu medium ac vinculum & animæ, ac corporis naturæ affines; verum ſi recte ponimus calculum, à re intellectuali longiſſime abſunt, à corporis autem ingenio vix aliter diſtant quàm gradu, nimirum majori ſubtilitate, tenuitate & puritate. Quamvis itaque humanæ mentis conjectura perplexum hoc vinculum nec capere nec attingere queat, ſufficit tamen Medico, noſſe miram eſſe commercii utriusque neceſſitatem, & facile unius vitium in alterum transfundi. Corpus detrimentum capit, ſi animus laborat, & in præceps agitatur ſævis affectibus. Quæ perturbatio menti accedat, ſi corpus præter naturam ſuccumbit & afficitur, præter alia actiones ebriorum, nec non delirantium perverſæ agitationes & depravatæ & male connexæ cogitationes faciunt teſtatum. Quanta porro vis imaginationis ſit in progignendis morbis, in transmittendis vitiis in partes corporis ſolidas, vel exemplo gravidarum ſatis ſuperque conſtat. Ex omnibus autem teſtantur de mirifica phantaſiæ operatione & imperio in corpus ejusque partes ſomnambuli homines, qui in ſomno de nocte ſurgunt, ſtimulante ad id phantaſia validiori ambulant, vigilantium opera exercent & periculoſiſſima ſæpe loca viſitant, omnium actorum poſtmodum ignari. Affectus hic rariſſimus & quoad cauſas a priori inveſtigandas difficillimus merito in examen medicum vocandus eſt, id quod præſenti Specimine in effectum traducere auxiliante Divinâ gratia inſtitui.

§. II.

Prius itaque quam ad rei ipſius tractationem deſcendam, è re fore arbitror, nominis vim atque uſum perpaucis ſaltim attingere & prætexere; Græco idiomate exprimitur ὑπνοβατεία, ἀπὸ τοῦ ὕπνου, à ſomno, καὶ τὸ βατεῖν, & ambulare, vadere. Dicitur etiam νυκτοβατεία ſeu noctambulatio; FORESTO *L. X. Obſ.* 50. *p.* 377. *&* SCHENCKIO *Obſerv. med. L. I. p.* 142. nocturna inſania, PLATERO ſopor vigilans, PARACELSO *Lib. de Inſomn. & Eunt. in ſomno p.* 464. mania ſomnii &c. Germani exprimunt Das Nachtwandern / das Umgehen im Schlaffe. Non immerito hic quæritur, an ſomnambulatio termino *Helmontiano Tract. Demens Idea* §. 37. *p.* 269. lunaticiſmus dici queat, ex eo, quod Somnambuli à JAC. HORSTIO *L. de Noctamb. Tractatui de Aureo dente annex. c.* 3. *p.* 189. lunatici, à GALENO *Comment. I. in L.* 3. HIPPOCR. *Epidem. p.* 252 σεληνιαοι vocentur, maximè cùm notum ſit, ſub incrementum lunæ hunc affectum valdè eſſe familiarem, de quo videri poteſt SENNERTUS *in Oper. Pract. L. I. part.* 2. *c.* 19. *p.* 121. Verum enim vero, quamvis non non negemus, lunam plenam ſingulare aliquid huic affectui contribuere, illam tamen non unice in cauſarum cenſum referri debere exiſtimamus, quoniam etiam decreſcente luna Somnambulatio obſervari ſolet. Et lunaticiſmus proprie competit maniæ certis lunæ intervallis invadenti, qualis mentionem facit MATTHÆUS *c.* 4. *v.* 24. vel epileptico morbo applicatur apud eundem Evangeliſtam *c.* 17. *v.* 15. 16. Denique ſumitur hic affectus vel late vel ſtricte. Latè dicuntur etiam illi ſomnambuli, qui per plana iter facientes, & inter eundum ſomno capti ſenſim obdormiſcunt, dormientesque aliquo uſque progrediuntur, donec ad minimum obſtaculum allidentes iterum expergiſcantur, id quod GALENUS de ſeipſo ſcripſit *L. I. de motu muſcul. c.* 4. *p.* 631. *lit. A. edit. Baſil.* Simile quoque contigit PLATERO, *vid. L. I. Obſerv. p.* 11. qui à cœna teſtudinem pulſans & obdormiſcens in luſu nihilominus pergebat, quod adſtantes factum fuiſſe aſſeverarunt. Stricte autem accipitur de illis hominibus, qui ſomno ſepulti è ſtrato corpus elevant, munia exequuntur ac ſi vigilent, per loca præcipitia & periculoſa obambulant, ad lectum iterum deſcendunt, nonnunquam apertis, quandoque & clauſis oculis; dum ad ſe redeunt & vigilant, vel prorſus quid fecerint ignorant, vel actorum paululum ſaltim recordantur. Hôc affectu detentos medicâ lance hoc loco paulo penitius conſiderare apud animum decrevi.

§. III.

Quo autem felicius ſcopum attingam, pretium duco operæ notabiliores paſſim in libris fide dignis extantes hiſtorias recenſere, quo eo melius affectus ingenium eniteat & judicium medicum interponere queamus. Primus itaque ſit HELMONTIUS, *qui in Tract. Form.* 5. 54. *p.* 136. qui talen commemorat caſum; In claſſibus literariis mihi ſodalis erat in cubiculo, honeſtis civibus ortus. Hic clauſis oculis

lis noctu plerumque ſurgebat & oberrabat, clavem vero ſecum deferebat, ſeramque poſt ſe clauſam rediens aperiebat. Veſpere itaque ſurgo & clavem clanculum ſubter pulvinar abſcondo; ille vero in ſomno ſurgens, abditam clavem (velut ſibi viſam) capit & abit. Sequor illum arrepta tunica. Ille vero ſcandebat antiquum parietem, terminum Collegii, muſco ac fœno obſitum. Arcus enim erat, quo transflumen, ſuſtinebat paries murum horti vicini. Plenilunium erat & nox pruinoſa. Ad ſpectaculum horrui & præ frigore redii. Sodalis verò mox revertens, tam inhæſitanter clavem in foramen clauſtri abdidit, quod vix ullus videns, & ſub meridiem æque incunctanter id faceret. At mane omnium immemor erat. Palpebris enim clauſis ambulones iſti clare ſub denſis tenebris vident, abſque vertigine ſecuri ſcandunt, eo quod lunari lumine fruantur. Memorabilia etiam duo habet exempla Jac. Horstius *l. c. c.* 1. *p.* 171. Francofordiæ ad Oderam M. Martinum Guttenbergerum, Medicinæ id temporis ſtudioſum, juvenem perſpicacis ingenii, parvæ ſtaturæ hominem, calidum & ſiccum toto corpore, niſi quod cerebrum humidius haberet, contubernalem meum, cum ambo in eadem habitatione ſuperioris tabulati Collegii dormiremus, ego expergefactus in cubiculo nudum ambulantem & ſimul dormientem, mox aſcendentem clauſis oculis & palpitando ad feneſtram permagnam prorſus apertam, ut jam in illa ſtaret, adventantem cum admiratione & ſtupore ſpectavi, ſed quia, ne feneſtra egreſſus caderet & periret, metuebam, ſequor, ſtantem meis manibus a tergo amplector & e feneſtra ad cubiculum retraho, appellatione propria, aliisque commotionibus excitans, ac quærens, quid agat, reſpondet, nihil; ulterius interrogatus cur nudus ambulaſſet & feneſtram ſcandiſſet, dicit ſe horum nihil ſcire, ſicuti poſtea ſeſe omnia hæc neſcire mihi, cui alias ne minimum quidem unquam pro arctiſſima conjunctione diſſimulabat confeſſus eſt. Item p. 173. Tres Nobiles in arce Brenſtein juvenes & ſat bellicoſi fratres, in eodem cubiculo dormiunt, quoniam unus nudus in ſomno ſurgit, induſium manibus ſecum aufert, e lecto ſeſe ſubducit, ſilens pergit ad feneſtram, corripit funem e trochlea pendentem, & in domus faſtigium prorepens, incidit in nidum picarum, quem diripit ac diſſipat, pullos induſio involvit, iterum deſcendit, ambulat & ad lectum ſe confert, pullos cum induſio ibidem abſcondit & bene dormit. Mane expergefactus cum fratribus loquitur, nihil ſcit, niſi quod quaſi per ſomnium recordatur, fratribus ſuis hæc verba refert: narrabo vobis mirabile ſomnium; viſus ſum mihi ſurgere e lecto, ambulare, penetrare ad domus faſtigium, nidum picarum diſturbare, pullos auferre mecum, alii ipſum rident. Nihilominus poſt hæc & alia colloquia ſurrecturus, quærit in lecto induſium, ſed illud pullis circundatum, pulloſque vivos invenit, omnes ad turrim accedunt & nidum fractum expugnatumque vident.

§. IV.

Porro Henric. ab Heer *in Obſerv. med. p.* 32. Novi ſenem Somnambulonem mihi a primis cunis fidum. Hic mira in ſomno & fecit obſervatione digna & paſſus eſt. Cum admodum juvenis in celebri Academia poeſin profiteretur, atque interdiu mentem in omnia verſaſſet, ut verſum ad incudem ſæpius revocatum melius formaret, quod vigil nequiverat, noctu ſurgens, pluteum aperuit, ſcripſit, ſæpius alta voce quod ſcripſerat, relegit; demum cum riſu & cachinno ſibi ipſi applauſit, atque contubernalem ut ſecum plauderet hortatus eſt, poſitisque ſandaliis & veſte, clauſo pluteo chartisque ut veſperi fecerat repoſitis, lectum repetiit, ſomnumque, dum excitaretur, protraxit, omnium quæ noctu geſta eſſent ignariſſimus, &c. Salius Diversus *de Affect. partic. c.* 18. Juvenem novi, qui ſomnians ſe propter negotia ſua equitaturum eſſe, e lecto ſurgens, indutus veſtimentis propriis, cothurnisque & calcaribus appoſitis, ſuper feneſtram (nam in tabulato degebat,) conſcendit, & hinc indeque divaricatis cruribus parietem, perinde ac ſi equus eſſet, & voce & calcaribus ad curſum incitabat; hic ex ſomno expergefactus, tanto horrore correptus eſt, cogitans ſe per ſomnium mortem fere ſibi ex præcipitio conſciviſſe, ut me die ſequenti conſuluerit ad prohibenda hæc inſomnia, quæ ipſum ad obeunda vigilantium munia deducebant. Sed brevitatis lex, quam ſtudioſe in hujus materiæ tractatione obſervare animus eſt, præcipit, ut a fuſiori hiſtoriarum compilatione abſtineam, plures qui legendi avidus eſt, evolvere poteſt J. Horstium & Schenckium *loc. ſupra datis*, Schotti *Phyſ. curioſ. L.* 3. *c.* 22. *p.* 448. Keckermanni *Syſtem. Phyſ. L.* 3. *c.* 29. *p.* 463. Majoli *Dier. Canicul. Tom. I. Colloq.* 4. *p.* 87. Delrio *L.* 1. *Diſquiſ. Mag. c.* 3. *qu.* 3. *p.* 22. Ionston. *Taumatkogr. natur. Claſ.* 10. *c.* 6. *art.* 6. *p.* 487. Greg. Horstium *Tom. I. Op. med. Concluſ. I. Diſp.* 3. *p.* 144. Libavium *part.* 2. *Singular. Tr. de Noctamb. p.* 259. Willisium *de Anim. brutor. c.* 26. *p.* 141. Laurentium *Hiſtor. Anatom. L.* 4. *qu.* 11. *p.* 208. Marcell. Donatum *Hiſt. med. mirabil. L.* 2. *c.* 1. *p.* 93. Valeriolam *L.* 2. *Obſerv.* 4. *p.* 161.

§. V.

Ipſi etiam mihi Somnambulationis actum celebratum eſſe conſtat, quandoquidem cognatus quidam meus, puer adhuc 12. annorum, ſanguineo-cholericus, de ſervitiis ad menſam in convivio propediem inſtituendo, ex monitu parentum ab ipſo præſtandis quotidie ſollicitus, veſpera tandem convivii diem præcedente, cubitum iturus, ciatho vini largius hauſto, quomodo iſthæc ad amuſſim hoſpitibus præſentibus adminiſtranda forent, penitius animo verſans circa mediam noctis ſurgendo & obambulando triclinium, exinde cochlearia, mappulas, cultros &c. auferre volens, adiit, demum vero patris clamore & utenſilium ſtrepitu, poſtquam aliquorum horum ad lectum deportaſſet, excitatus eſt. Tragicum quoque Somnambulationis exemplum annis ſuperioribus obſervavi, ubi vir quidam honeſtus & ſublimiori literaturæ deditus, conſiſtentis ætatis, noctu ſurgens & obambulans, feneſtramque pro lecto adiens in plateam decidendo & cranium infringendo altera poſt luce diem ſupremum obiit.

§. VI.

Ex hiſce jam adductis & enarratis hiſtoriis clariſſime elucere arbitror, affectum hunc non ſimpliciter eſſe rem mere naturalem, uti clariſſimorum quorundam Medicorum fuit ſententia, vid. Ettmullerum *T. I. Op. p.* 425. ſed revera præter naturam contingere, dum phantaſia vitio laborat, & motus partium voluntarii, qui alioquin ſoli animæ arbitrio ſubjecti ſunt, ab imperio phantaſiæ hic conficiuntur. Deinde ex allatis hiſtoriis evidentiſſime conſequitur, hunc affectum inſomnium quaſi vigilans eſſe: comprobat id ipſum ratio inſomnii, quod fit, quando ligata facultate diſcernendi in ſomno, nec non conſopito ſenſorio communi ob ſpirituum in ſenſoria externa influxum interceptum, ſola fictrix facultas libera eſt, nullisque quaſi vinculis irretita, ex rebus, quas vigilans geſſerit, vel diuturna cogitatione tractaverit, varias ideas ac phantaſmata confuſe agitat, quæ tan-

quam res veras dormiens intuetur ac cernit. Quin imo ipſi ſomnambuli evigilati, vel ignari eorum ſunt, quæ fecerunt, vel per ſomnium talia apparuiſſe firmiter ſibi perſuadent. Poſtremo loco indubium eſt, hoc affectu detentos in ſtatu quaſi intermedio ſomni & vigiliarum eſſe. Dari talem ſtatum ipſa experientia id confirmat; ſic ſæpius accidit, quod inter confabulationes cum aliis labamur levem in ſomnum, hoc eſt, ſtatum paululum recedentem à vigilia; tunc autem pori cerebri & nervorum non arcte ſubſident, uti in ſomno fit perfecto, ſed connivent, ita ut ſpiritus ex parte illos ingredi queant, unde citius evigilant, & non raro audiunt & intelligunt, quæ ab adſtantibus dicta fuere: ſomnus autem adeſt, dum oculi ipſis invitis concidunt, caput nutat, & capitis pars anterior antrorſum prolabitur, quia capitis muſculi ab inopia ſpirituum non ritè inflantur. Luculentum talismodi ſtatus inter vigiliam & ſomnum exemplum exhibent *Acta Apoſtol. c.* 12. *v.* 7. dum angelus in carcere Petrum excitavit, & ipſe Petrus jubente ſic angelo ſubligavit ſoleas, & circumdedit ſe veſtimentis & ambulavit, neſciens verum eſſe, quod fiebat per angelum: ſed putabat ſe viſum videre, tandem ad ſe reverſus dixit: nunc ſcio, quod verum ſit. In Somnambulis ſimile accidit ob inæqualem ſpirituum in cerebro conſtitutionem & motum, dum in illis partibus & nervis, qui ad voluntarios motus corporis peragendos inſerviunt, abundant, vigent & in motu ſunt, in aliis autem cerebri locis qui ſenſuum externorum exercitio operantur, & ubi idearum à mente diſcretio fit, languent, quieſcunt ac non influunt, unde ſtatus intermedius vigiliæ & ſomni exſurgit.

§. VII.

Subjectum morbi hujus conſtituit ipſum cerebrum & principaliter illa pars, ubi commune idearum receptaculum ac perceptionum centrum, & eminens animæ imperium in corpus reconditur; præter id etiam illa pars affecta videtur, ubi diſpenſatorium ſpirituum ſic dictorum animalium per nervos ad partes pro voluntario motu perficiendo ſtatuitur. Determinare autem hæc loca in cerebro, maximam parit difficultatem. Recentiores Anatomicorum centrum ſic dictum ovale, quod fundus ventriculorum eſt, & ubi medullares fibrillæ deſinunt & nervorum videtur principium eſſe, iſta prærogativa ornant. Subjectum autem, ut quo, ipſi ſunt ſpiritus ſeu partes ſanguinis & ætheris vivida elaſtica vi inſtructæ, ſenſus ac motus parentes & præſides: hi accepta determinatione ab immortali hominis ſubſtantia, diſponente ſic omnipotente Divina voluntate, prompte obſecundant, & pro nutu ejus agenda exequuntur; hi quoque propria ſua mobili indole vel ſtimulati à phantaſia actiones corporis naturales ſeu involuntarias & inferiores celebrant ac perficiunt. Nullum hic vitium eſt in anima rationali, quia in ſe non niſi mere intellectus ſeu lumen ſubſtantiale & intellectuale eſt, ſed omnes id ſuſtinent partes corporis impetum facientes, quæ verus animæ vicarius & neceſſarium motus inſtrumentum ſunt.

§. VIII.

Cauſa immediata Somnambulationis eſt phantaſia circa quoddam objectum vel ideam firmior & validior, quæ ſpiritus in interiori cerebri parte ſat copioſos inexiſtentes ad motus quoſdam conſuetos in ſomno efficiendos determinat. Quando vigilamus & ſecundum naturam conſtituti ſumus, mens, ſpirituum animalium ſufficienti irradiatione in cerebro exiſtente, nec non illorum motu temperato ad æquilibrium compoſito, placidè & quietè omnia efficit, ſimulacra per ſenſus externos hauſta amplectitur, continet, in cerebri ſubſtantiam inſculpit & conſignat, illaque iterum pro lubitu evocat varie, componit, inter ſe comparat: ſic phantaſia, memoria & ratiocinatio legitime ſe habent. Ulteriùs in vigilantibus vis hæc immaterialis mentis Divina, occulto quodam gaudet regimine in ſpiritus ſic dictos animales, quos tanquam miniſtros ſuos emittit, principaliter in illas partes, quæ extra arcem ejus & valvam poſitæ ſunt, pro motu partium efficiendo, qui appellari ſolet ob id voluntarius; & quàm primùm mens viribus motricibus ſpirituum per nervos & fibras tanquam motus palæſtras diffuſis imperaverit, protinus excitata in muſculis vi, motus celebratur in illa parte, ubi mens intenderat. Meretur autem hic teneri, facultatem ſpirituum animalium motricem non dependere ab ipſa mente, ſed ſaltim hanc determinare illorum vim; quod vel exinde conſtat, quando paralyſis artus occupat, nulla vel efficaciſſima voluntas motum poteſt efficere, quia tunc nervi ſpiritu & vi motrice deſtituti ſunt; In ſomno itaque, ubi ſpiritus vel pauci quieſcunt, vel retuſa illorum vi ab exſuperante humido, actuoſitate ſua orbati ſunt, mens ſatellitibus ſuis deſtituta otiatur identidem, & quieſcit, fortiori & vividiori interim facta facultate fingendi ſeu phantaſia, dum ſpiritus quaſi à peripheria cerebri ad ipſius centrum tendunt, ibique uniti ex imaginibus ſeu idearum veſtigiis in cerebro relictis confuſas varias inſtituunt comœdias ſeu pariunt inſomnium, otioſa tunc facultate dijudicatoria; quapropter firmiter idea operatrice vi imbuta phantaſiæ tunc temporis inhærens, citra mentis voluntatem ſpiritus in loco, ubi illorum ad partes diſpenſatorium eſt, determinat ad certos motus & actiones obeundas. Bene itaque Sylvius *Prax. med. c.* 33. *p.* 474. ſcribit; noctambulationem fieri per phantaſiam circa unum objectum attentius & cum grandi affectu animi occupatam, & proinde ab aliorum objectorum conſideratione abſtractam. Utplurimum ex rerum præcedentibus diebus attentius agitatarum vel cum diligentia geſtarum aſſervatis ideis phantaſiæ per ſomnium oblatis hæc vivaciſſimam vim operatricem indipiſcitur, & ideas iſtas actionum inter dormiendum in actum deducere conatur. De viribus autem phantaſiæ in corpus noſtrum *vid.* Nymmannus *Orat. de imaginat. Tand. Diſſert. phyſ. annex. p.* 211. Fienus *de Virib. Imaginat. Concluſ.* 23. Del-Rio *l. c. p.* 21. *& Autor. ib. alleg. atque* Agrippa *Op. Tom. I. de occult. Philoſoph. L. I. c.* 64. *p.* 131. *edit. Lugd.* Qua ratione autem fibræ cerebrinæ atque origines nervorum à phantaſia fortiori afficiantur, & ſpiritus ipſis incolentes ad motum determinentur, arduum eſt, nec facile ac promptum perſpicere. Excitata autem ſic vi motrice ſpirituum, erectio illa corporis in ſemiſomnis, & aliarum actionum exercitia phantaſiæ oblata conſequuntur, quæ tamen ſemper imperfectio quædam comitatur, ob impeditum in tantum per ſomnum partialem organorum uſum & mentem obtenebratam; ſufficienter id declarantibus Somnambulorum hiſtoriis, ut adeo rudimentis ſaltim actionum eorum facta ſimilia æſtimet Fonseca *in Conſ. med. Tom.* 2. *Conſ.* 100. *p.* 576.

§. IX.

At vero præter vim fortem imaginativam & ideam firmiorem ſpiritus ad motus determinantem, mediate ad hos motus & actiones Somnambulorum concurrunt ſpiritus ſufficientes activi, ad tubulos partium conniventes in ſomno aperiendos ſatis prompti. In ſomni actu alias in cerebri ac nervo-

rum

rum thorulis pauci incolunt ſpiritus, nec in ipſis moventur, ſed ſaltim quieſcunt & undulantur; cum contra in vigiliis à copia illorum & motu totum cerebrum æqualiter irradietur. Etenim circa tempus nocturnum, quo plerumque ſomnus obrepit ob aërem factum propter defectum radiorum ſolarium denſiorem, & motum ſanguinis languidiorem, nec non propter vigilias & diurnas actiones ſpirituoſas corporis noſtri partes diſſipantes, pauci in cerebro generantur ac transcolantur ſpiritus, ſed ejus pori ab humido exundante connivent & ſubſident. Quod ſi itaque talis ſanguinis eſt temperies, talis ſtatus, ut copioſiores quam ordinarie fieri ſolet, & ad inflandas partes movendas ſufficientes ſeparentur ſpiritus, clauſis utut certis adhuc locis cerebri, ad ſenſus externos ſpectantibus, actus talismodi Somnambulatorii facile fieri poſſunt. Sic quoque SCHENCKIUS *l. c p. 76.* hoc in affectu accuſat maxime, præter fortem rerum imaginationem, ſpirituum tenuitatem ac ſubtilitatem.

§. X.

Conferunt autem inſuper ad cudendam ideam firmiorem & ſpirituum tenuitatem temperamentum melancholico-cholericum. Melancholici enim calidiſſima abundant imaginativa, & in horum nonnullis imaginationes ita fortiter ac vehementer imprimuntur, & adhærent, ut nullis argumentis diſſuaderi, aut ab his amoveri queant; iis itaque dormientibus ſomnia ita evidentia ac fortiter imaginata repræſentantur, ut vera magis credant, quam ea, quæ ipſis vigilantibus offeruntur, hincque in his ſomniis tota mente ac totis viribus agentes eas functiones, concurrente ſimul ſpirituum tenuitate, perinde ac ſi vigilarent, operantur. & inde ſurgunt è lecto, ambulant, pugnant, & iisdem propriis operationibus quæ ſomniantes imaginantur, ſe addicunt ac operam navant, vid. SCHENCKIUS *l. c.* Quamvis autem talis ſanguinis temperies ad fixas ideas cudendas, ad morbos phantaſiæ progignendos, aptiſſima ſit; certum tamen eſt, ejus complexionis homines paucos & ad motum tardos progenerare ſpiritus, ideoque in melancholicis, ſi ſimul adeſt talis diſpoſitio ſanguinis vel nativa vel extrinſecus introducta, ut particulæ ejus mobiles tenues ſulphureæ, Veteribus bilioſæ dictæ, ſimul abundent, facilis ad hunc affectum diſpoſitio eſt. Scriptores noctambulorum accuſant maxime temperamentum cholericum & ſimul particularem quandam intemperiem cerebri humidam: quæ tamen non niſi ab ipſius cerebri poris & fibrarum robore ac tono nimis languido & laxo derivanda videtur. JAC. HORSTIUS *l. c. c. 4. p. 195.* inquit: Noctambulones ſunt inæqualis complexionis, nimirum humidioris in cerebro & calidioris ſicciorisque in corde & hepate, ita, ut calore ſanguinis æſtuent, & agilitate ſpirituum organa motus ad movendum ſeſe ſponte, & ad varia opera locomotiva peragenda promptiſſime evadant. Vero videtur ſimillimum, inæqualem in noſtro affectu eſſe cerebri diſpoſitionem, motumque ſpirituum inproportionatum, ita quidem, ut certa loca cerebri, maxime quæ ad ſenſus externos & idearum à mente dijudicationem faciunt humido clauſa & ſpirituum vigore deſtituta ſunt, unde ſomni ratio petenda eſt: partes autem cerebri interiores, ubi phantaſia viget, & ſpiritus ad partes emittuntur, ſatis calidæ ac ſpirituum tenuitate ac copia refertæ videantur, dum ipſi foras à ſuperficie cerebri intro ſubeunt & ad ejus centrum unita vi facta fortiori operantur.

§. XI.

Præterea ad productionem affectus noſtri ſymbolum ſuum addit habitus corporis macilentus, nec multa pinguedine & humorum copia gravis. Quicunque enim rarioris ſunt texturæ, non tantum humores habent, ſed & ſolidas partes ad motum accommodatiores & faciliores. Ulterius multum hic quoque facit ætas: ſic videmus adoleſcentes, juvenes & viros crebrius affectu hoc corripi, quam infantes, pueros, vel profectioris ætatis viros. Illi enim humoribus magis agitantur ſpirituoſis mobilibus, & corpora habent agiliora atque alacriora, quæ e contra in primis pueritiæ annis & ſenibus deficiunt, *vid.* J. HORSTIUS *l. c. p.* 128. SENNERTUS *in Prax. p.* 120. LEVIN. LEMNIUS *de occult. natur. mirac. L.* 2. *c.* 5. *p.* 154. Deinde obſervamus quoque, viros hoc affectu facilius tentari ipſis fœminis, quarum ſanguis propter humidi diffluentiam materiam ſpiritibus pauciorem ſuppeditat. Adde quod fœminæ ſemper membra habeant ignaviora, minori præ viris agilitate imbuta. Diſpoſitio autem hæreditaria, quæ ſicuti in omnibus phantaſiæ & capitis morbis, ſic quoque in hoc affectu magnum confert momentum. Ejusmodi Somnambulationis exemplum in liberos traductæ memoriæ mandavit WILLISIUS *l. alleg.*

§. XII.

Ex rebus non naturalibus certa aëris ac tempeſtatis conſtitutio noſtrum affectum provocare poteſt, ſi nimirum pluvioſus, turbidus, nebuloſus exiſtit, uti probe id animadvertit JAC. HORSTIUS *l. c. p.* 128. talis enim aër ob ætheris motum, ab humidi copia interceptum, minus tranſpirabile reddit corpus, hinc humiditates in corpore plus juſto accumulat, ac poris cerebri laxitatem inducit, temperamento maxime exiſtente melancholico-cholerico. Tandem diſpoſitio & ſitus lunaris ſyderis ad globum noſtrum terraqueum, quemadmodum ad cerebri morbos gignendos, ſic quoque ad hunc producendum ſuum ἐπιβάλλον μέρος addit. Memorabile eſt quod ſcribit MACROBIUS *L.* 7. *Saturnal. c.* 16. Si quis diu ſub luna ſomno ſe dederit, ægre excitatur & proximus ſit in ſano pondere preſſus humoris, qui in omne ejus corpus diffuſus atque diſperſus eſt proprietate lunari, quæ ut corpus infundat, omnes ejus aperit & laxat meatûs. Clarius quoad noſtrum morbum ſcribit SENNERTUS *in Prax. c.* 19. *p.* 121. Lunæ motum ſicuti epilepſia, ita etiam hoc malum commoveri experientia docet, præcipue ſi lunares radii dormientis capiti incidant, vel infantes, antequam ipſorum caput calvaria ſufficienter munitum ſit, frequentius ſub lunæ radiis dormitent, de quo legi meretur MOEBIUS *Epit. Inſt. med. L.* 2. *part.* 2. *p.* 258. Ratio videtur eſſe hæc: luna plena ætherem & aërem noſtrum atmoſphæricum circumfuſum particularum copioſa exhalatione valde comprimit, unde atmoſphæra denſior magisque retinens efficitur, ſicque humiditates ex corpore difflari ſolitæ, beneficio intrinſeci caloris retinentur propter aëris externi reſiſtentiam: ex quo patet, humidi in corpore redundantia laxitatem fibrillis cerebri facile induci, & ſtaſin ſeri circa ejus corticem effici; utpote humiditates, circa hunc copioſius collectæ, gravem & profundum inferunt ſomnum.

§. XIII.

Ex alimentorum claſſe noxam hic adferunt cibi potusque narcoſin ingignentes, vel calorem ac fervorem ſanguini ſolito majorem fœnerantes: prioris

generis ſunt cereviſiæ craſſæ, lupulatæ fortiores, ſemina papaveris, piſa, fabæ, lactuca veſperi in cœna largius ſumpta, cunctaque anodynam vel narcoticam vim poſſidentia: hi enim cibi facile turbant mentem, & phantaſiam roborant, & fluidum nerveum fixius ac craſſius reddunt. Poſterioris generis, quæ ſanguinem in citatiorem motum conjiciunt, ſunt potus ſpirituoſi, vinoſi, aquæ vitæ, quibus magnas partes deferimus ad productionem hujus mali. Notatu dignum eſt, quod ſcribit HENRIC. AB HEER. *l. c.* de juvene illo poeſeos Profeſſore, illum nunquam ſopitum lecto ſe moviſſe, niſi prius vino ſe nimis repleviſſet. Simile quid annotavit LIBAVUS *l. c. p.* 266. Eſt oppidum non incelebre, in quo quidam bene potus domum petiturus abſque lucerna & comite ad puteum acceſſit, atque in eum exutis veſtibus & calceis deſcendit, delapſuque ſuffocatus eſt. Nimirum hic ſolus cum eſſet, victus ebrietate, ſemiſopitus ambulavit, atque errante phantaſia deceptoque judicio illud malum incurrit. Si quid enim eſt, quod mentem obfuſcat & ſpiritus turbat, & vim imaginativam roborat, certe eſt immodicus ſpirituoſorum uſus. Appoſite hanc in rem *Proverb. c.* 23. *v.* 33. pronunciant: *Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur perverſa.*

§. XIV.

Poſtremo loco ad generationem ideæ firmioris & fixioris in cerebro multum faciunt cogitationes diurnæ & actiones continuæ, quarum ideæ, ſpiritibus firmiter impreſſæ, de nocte ex facili renovantur, phantaſiæ operatione vivida: qua de re potiſſimum earum rerum de nocte recordamur, quarum de die mentio ſeu actio fuit. Pulchre canit CLAUDIANUS *in Præfat. L.* 3. *de Raptu Proſerpinæ:*

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit,
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus, &c.

Simili modo plures inter noctambulationem tales edunt actiones, quas vigilantes perfecerunt, vel continua cogitatione verſarunt. LEVIN. LEMNIUS *l. c.* prodidit; homines inquietos ac jactabundos, qui omnibus ſe ingerunt negotiis atque ultro citroque diſcurſant, miris in ſomno uti geſtibus, exilire, ac plauſum ſtrepitumque excitare, ob ſimulacra quæ ſenſui occurrunt, quæque voluntati & actionibus diurnis correſpondent. Spectat huc hiſtoria artificis, qui nullis indumentis amictus apothecam propriam adibat, eamque clavibus aperiebat, *vid.* SALIUS DIVERSUS *de affect. part. c.* 18. quoque huc exempla citata ab HENR. HEER. *it.* à LIBAVIO *l. c. p.* 259. *it.* 267. Ex rerum præternaturalium cenſu tandem diſponit ad noſtrum affectum morbus hypochondriacus, melancholia hypochondriaca, lycantropia, phreneſis, de quo latius videri poteſt SENNERTUS *in Prax. l. c.*

§. XV.

Probe ſic, ac ſatis, ut puto, perſpicue conſideratis & eductis hujus noſtri affectus cauſis ortuque, reſtat jam ut evolvamus etiam & reddamus rationes nonnullorum phænomenorum & accidentium concurrentium. Primum autem diſquiri meretur, quare Somnambulonum actiones tam diverſæ ſint, multumque inter ſe diſtent. Videtur id dependere à diverſa ſanguinis & ſpirituum temperie, nec non à cerebri ideis, ipſis propriis & familiaribus. Etenim melancholicorum in ſomno actiones aliqualem habent cognationem cum illorum ſanguinis temperie motuque, quod identidem valet de cholericis: Sic melancholici propter ſanguinis craſſitiem & ſpirituum languidiorem motum timidi ſunt, meticuloſi & cunctatores, quare hi in actu Somnambulationis non tam periculoſas & furioſas ſuſcipiunt actiones, quam ipſi cholerici, nimirum illi magis ſcribunt, legunt, verſus conficiunt & ſine tumultu obambulant, ac talia perpetrant, quæ cum eorum moribus coincidunt. Cholerici e contra tecta conſcendunt, in plateis obambulant, vociferantur, gladio petunt homines, & quæ ſunt hujus generis; ſimilia pathemata obſervare quoque licet in illis, qui ex delirio ſeu inſomnio vigilantis mortem ſibi accerſunt, ubi melancholici veneno, inedia, ſtrangulatione vel ſuffocatione pereunt, & extremum diem obeunt. Flammula enim, ut ſic loquar, vitalis ſeu ſpirituum motus exiliſſimus quaſi extingui vult, hinc ſtimulante ad id phantaſia perverſa tale mortis genus ſubeunt, quo facillime pereunt admodum debilitati. E contra maniaci & furioſi gladio pectus confodiunt, gulam abſcindunt, vel ex alto ſe præcipitant; illorum enim ſanguis & ſpiritus in igneo ac furibundo motu ſunt, vaſa diſtendunt & ſimilem ſeu ſpiritibus congenerem mortem urgent. Perpetua enim Phyſicorum ac Medicorum regula eſt: Qualis temperies ac motus ſanguinis & humorum, talis etiam eſt temperies ac motus ſpirituum: qualis hic, tales ſunt cogitationes, actiones, ideæ, inclinationes &c.

§. XVI.

Somnambuli pedes & brachia præcipue movent & palpebras nonnulli aperiunt, quoniam hæ partes, quæ ſemper exercentur, ad motum ſunt promptiores, & facilius ſpiritus in has influunt, quæ per conſuetudinem ad id ſunt aptæ & diſpoſitæ. Geſtorum ſuorum penitus obliviſcuntur, aut eorum per ſomnium quaſi tantum perceptorum recordantur. Certum eſt, ſomniorum in prima & media nocte contingentium, die poſtera nunquam fere nos reminiſci, bene autem illorum, quæ circa matutinas horas occurrunt: & quoniam Noctambuli exercitia ſua ut plurimum habent circa mediæ noctis tempus, hinc chylus novus ex primis viis, ad cerebrum delatus, partibus ſuis pinguibus poros replet, & ſpirituum vim memorativam & idearum conſervatricem refringit, quo minus actionum præſtitarum recordari queant.

§. XVII.

Stupenda & ferme vigilantibus impoſſibilia in ſomno quandoque peragunt, maxime in conſcenſione locorum editiorum præcipitium ſine ullo metu, quod dependet apprime exinde, quia uſu rectæ rationis, adeoque collatione & comparatione rerum carent, ſed omne, quicquid occurrit in quiete, à phantaſia tanquam verum & poſſibile exiſtimatur, quare cùm metus abſit, qui corporis & animi robur maximoperè infringit, ſentiente ſic LANGIO *in Epiſt. Med. L.* 2. *Ep.* 45. *p.* 771. ſpiritus unicè vacantes eidem rei, nec diſtracti robuſtiùs agere poſſunt. Notari autem meretur, tali in ſtatu expergefactos & excitatos faciliùs cadere & periclitari, partim quod anima in vigiliis per plures operationes jam diſtrahatur, partim quod, dum ſerio ſecum expendit periculum, metu percutiatur, unde ſpirituum conturbatio & tremulus quaſi in muſculis motus exſurgit. Cum enim menti non repræſententur pericula ſomnambulationis, multo conſtantius ac perfectius actiones plurimæ peraguntur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Facile excitantur nomine proprio vocati, ratio eſt, quod quilibet hominum nomine ſuo, cui aſſuetus eſt appellari inter diſcurſus quoſcunque, licet non ſemper accurate attentus, tale mox percipiat, unde crebra per diem nominis & allocutionum ejuſmodi prolatione idea horum phantaſiæ firmiter imprimitur, hinc ſono per aures tempore ſomni etiam illuc translato mox illa attonita relicta quaſi intentione operis alterius hæc meditando apprehendit, atque facillimè id præſtat, ut homo a forti conceptu per diſtractionem imaginationis liberatus & ſibi quaſi redditus promptiſſime ex toto evigilet. Idem accidit quando alienis vocibus vehementia ſoni prolatis acclamantur, dum fibræ cerebri fortius pulſatæ impetuoſum ejuſmodi auditum divertunt, & abſtrahunt phantaſiam ab operatione ſua; nec audiendus hac in re PARACELSUS *qui Tr. 5. de Philoſ. p. 506.* nominis proprii appellatione ſpiritum uti vocat corpus gubernantem perterrefieri, & aufugere. Neque vero ſemper, ubi ſenſus magis feriantur, præciſe proprii nominis aut alius cujuſdam vocis notioris acclamatione, imo ne plagarum inflictione mox excitari cum J. HORSTIO *l. c. c. 5. p.* 198. credendum eſt; aliud ſiquidem in juvene illo poëta evenit, de quo HEER. *l. c.* utpote quem uxor ſurrecturum ſæpe vel arctis complexibus vel blanda prece in lecto tenere non potuit, &c.

§. XIX.

Videntur Somnambuli omnia facere cum deliberatione quadam, non quidem ad mentis arbitrium, ſed ad merum phantaſiæ & appetitus ſenſitivi imperium: attamen non neganda in totum omnis prohæreſis, maxime quod principium motus attinet v. g. ſi materfamilias cogitans ſe claves reliquiſſe extra cubile, ſurgat earum aſſumendarum gratia, interim ſomno prævalente infecta re ad lectum redeat. Nec obſtat, quod neſciant aut attendant Noctambuli quid agant, etiam nos multa ſine attentione agimus, quæ non facimus ſine deliberatione. Præclarè hanc in rem diſſerit GALENUS *Lib. 2. de motu muſcul. c. 5.* Neque ſane palpebrarum motum ſemper mente aſſequeris; neque cum concionem habes, aut oras, aut diſputas, adhibes mentem omnium partium motibus; neque cum Athenas adis ex Piræo omnibus particularibus curarum actionibus. Nam cogitabundi ſæpius imprudenter peregere iter, aut etiam prætererierunt locum, ad quem principio proficiſcebantur.

§. XX.

Ultimo ſingularis occurrit ſolvenda quæſtio, an nimirum Somnambuli in ipſo actu apertos vel clauſos habeant oculos. Elegans locus extat apud ARISTOTELEM *L. V. de generat. animal. c. 1. p. 261.* Accidit dormientibus nonnunquam ut reſurgant & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant. Dicimus interdum clauſis oculis illos obambulare, nonnunquam etiam, quod tamen rarius, apertis; alias enim impoſſibile eſſet, ut præcipitia talia loca ſine periculo aſcendere queant. Fit autem ſomnambulatio plerumque ſub lunæ incrementum, circa quod noctes illuminatæ ſunt, hinc objecta viſu ſatis deprehendere poſſunt. Noctambuli etiam non ſentiunt frigus, partim quod intrinſece illorum ſanguis æſtuet, partim quod tremulus ille motus frigoris in cute excitatus minus pertingere ad ſenſorium commune, ibique dijudicari queat.

§. XXI.

Examinatis ſic cauſis & phænomenorum occurrentium rationibus expoſitis, talis Somnambulationis, ſi quis illam deſiderat, definitio conſtrui apte poteſt. Nimirum eſt ſemivigilans ſomnium, in quo ratione ſubjugata fortior phantaſia ſpiritus in cerebri meditullio ſatis adhuc mobiles determinat ad partes extremas pro variis perficiendis motibus.

§. XXII.

Prognoſin affectus noſtri, quod concernit, traditur hæc ab Autoribus pro diverſo objectorum reſpectu varia; nimirum ratione ſubjecti morbus hic facilioris curationis eſt in ſexu ſequiori quam virili, ſimiliter in illis, qui temperatura humorum ſanguinea vel bilioſa præditi ſunt, quam qui ſanguinis diatheſin acido-viſcidam fovent, ad meditationes ac ſpeculationes validam habent phantaſiam. Decurſu ætatis mutatur, & ſenes ſponte deſerit, de quo evolve SENNERTUM *in Prax. l. c. &* J. HORSTIUM *l. c. p.* 232. A nativitate impreſſa difficillime tollitur, propter cerebri & ſpirituum diſpoſitionem talem vix ac ne vix quidem delebilem. Affectus hic caret periculo, nec lethalis eſt, niſi per accidens, quatenus ſaltem de vita ii periclitantur, qui in loco declivi, alto, item aquam verſus ambulationes nocturnas ſuſcipiunt, vid. ZACUTUS LUSITANUS *de Medicor. Princip. Hiſt. L. 1. hiſt. 15. p.* 106. Qui diutius tenentur hoc malo, in coma, apoplexiam, *vid.* J. HORSTIUM *l. c. p.* 177. in epilepſiam, *vid.* SENNERTUM *l. ſupra cit.* in melancholiam hypochondriacam, *vid.* SYLVIUM *l. c. p.* 477. *§.* 40. incidunt.

§. XXIII.

Curationem hujus affectus breviter ſtrictimque perſtringere placet. Primum autem ſunt ſtatuendæ certæ quædam indicationes, ſuperſtructæ affectus noſtri cauſis. Pulchrum eſt, quod ſcribit CELSUS *in Oper. ſuis p. 5.* Eum recte curaturum putamus, quem prima origo cauſæ non fefellit. Ante omnia autem 1) Imaginationis tenacitas ac robur removendum; 2) nimia ebullitio ſanguinis bilioſi calidi temperanda ac ſiſtenda; ac 3) cerebrum cum nervoſo genere roborandum.

§. XXIV.

Primùm quod ſpectat, illud commode obtinere poſſumus ſecundum mentem SYLVII *tr. alleg.* §. 39. *p.* 477. nimirum aſſueſaciendo phantaſiam, ut non uni actioni diutius inhæreat &c. id quod fit verbis blandis vel increpatione, vel etiam in junioribus pueris verberibus, *conf.* SENNERTUM *l. c.* quo nimirum phantaſia, objurgationes & verbera meditando, avertatur, novamque, priore ſi non in totum, in tantum tamen relicta, ſibi formet ideam. Talibus plagis diurnis, diæta ſimul obſervata, (inclinabat enim ad malum hypochondriacum, quo ipſo & adhuc quandoque divexatur,) ſe ſomnambulonem puerum novem præter propter annorum ab hoc malo impoſterum præſervatum fuiſſe, retulit mihi amicus quidam integerrimus, ut poſtea ſe ſolummodo in lecto erexerit, mox vero rurſus decubuerit, donec tandem & hoc ipſum malum diæta continuata & minis parentum ceſſaverit. Quæſtionem an Somnambulis verbera, & quomodo, conveniant, fuſius ventilatam vide apud GREG. HORSTIUM *in Probl. med. Dec. 2. qu. 6. p.* 44. *&* PLATERUM *L. 1. Prax. c. 4. p.* 152. In paroxyſmo ſomnambulationis, ſi in periculoſo loco fuerint, cavendum ne excitentur, quia talis excitatio illos poſſet perdere, ſed permittendum, ut ex eo ſponte ſe expediant, & in tutum perveniant.

§. XXV.

Ebullitionem concitatiorem ſanguinis de nocte ſupprimunt & infringunt optime venæſectio, apprime ſi corpus plethoricum & venæ majores tumentes ſunt, hanc etiam laudat Regius *in Prax. caſ.* 10. *p.* 97. hæc enim placidiorem ſomnum inducit & ſanguinis ebullitionem temperat. Deinde commendatiſſima ſunt hunc in finem præcipitantes pulveres ex coralliis, matre perlarum, antimonio diaphoretico, vel ſimplici, vel martiali concinnati, cum nitroſis v. g. nitro præparato, vitriolato ac perlato remixti. Si melancholici quid ſubeſt, & obſtructiones in primis venis, martialia remedia hic præſentiſſima erunt, v. g. tincturæ martis Zwolferi, cydoniata, pomata, vel ex ſucco citri aut pomorum Chinenſium, paratæ cum liquore martiali, roboratæ vero cum ſpiritu ſuccini vel ſpiritu balſami Peruviani *Excellentiſſ. Dn. D. Præſidis*, *Patroni mei ætatem colendi.* Reſeratis autem obſtructionibus & præparatis ac præcipitatis bilioſis acidis ſcoriis in prima regione collectis, purgationes, leniores tamen & per epicriſin operantes, inſtituendæ ſunt, quem in finem præſertim commendo infuſum helleborinum martiale, abſterſivis ſalibus & cephalicis ſpecificis acuatum, & poteſt eſſe compoſitio talis: *Accipe Fibrarum hellebori nigri unciam unam*, *limaturæ martis drachmas tres*, *tartari tartariſati unciam ſemis*, *cubebarum cardamomi*, *ſchœnanthi ana drachmas duas*, infunde menſuram unam vini Rhenani, de quo bibat æger ſingulo die ad minimum uncias ſex. Præter jam recenſita balneum aquæ dulcis ſub ſomni ingreſſum adhibeatur, vel ſaltim pediluvium, quod ex floribus v. g. tiliæ, papaveris erratici, malvæ, roſarum, pœoniæ, ſambuci, bugloſſæ, primulæ veris compoſitum eſt.

§. XXVI.

Tertio loco ſi cerebri quædam imbecillitas vel nervorum debilitas, ſero tenaci viſcido in illorum poris ſubſidente, obſervatur, ſpecifica ſic dicta cephalica oleo ſubtili balſamico inſtructa præſentiſſimam opem ac levamen egregium afferunt; ex illorum claſſe autem eminent ſequentia, nimirum ex ſimplicibus flores liliorum convallium, primulæ veris, ſtœchados Arabicæ, anthos, lavendulæ, ſalviæ, herba betonicæ (*quam ex* Antonio Musa & Tiraquello *commendat* Majolus *l. c.*) majoranæ, ſchœnanthi, cubebæ, cardamomum, nux moſchata, ſuccinum, lignum aloës, ambra, caſtoreum, & ex compoſitis ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, eſſentia caſtorei volatilis, ligni aloës cum ſpiritu liliorum convallium præparata, & eſſentia ambræ exaltata. Eſſentia cardamomi ſaccharina & quæ ſunt generis alia. Somnambuli curam medicamentis martialibus, eſſentia caſtorei volatili & ſale volatili oleoſo ſuccini peractam lege in *Miſcellan. natur. curioſ. Dec. II Obſ.* 159. *p.* 380. Hartmannus *in Oper. T.* 1. *p.* 24. *in Prax. Chymiat.* tincturam ſive liquorem lunæ ad profligandum hunc affectum mirifice extollit. Sic quoque memini, *Excellentiſſ. D.* Petermannum *Anat. & Chirurg. P. P. apud Lipſienſes*, *Patronum atque Præceptorem meum colendiſſ.* Somnambulum omnibus fere ſeptimanis nocturnam aliquam excurſionem celebrantem, per aliquotam liquoris cornu cervi ſuccinati cum eſſentia opii Langelotti & eſſentia caſtorei (tartariſata præprimis) combinatti uſurpationem ita reſtituiſſe, ut poſtmodum, quamdiu illic locorum ſubſtitit, ab hoc malo liber fuerit.

§. XXVII.

Quod rerum nonnaturalium uſum attinet, commendandus eſt aër purus, cibi ſint boni ſucci, non flatulentia moleſti, vitentur fabarum, lentium & piſorum genera, ſomnum a cœna mox capere inſalubre, mens ſit tranquilla, affectus ſint mites, phantaſia rerum ideis non fortiter inhæreat. Apprime autem opera eſt danda, ut dormiat in cubiculo bene clauſo, quo, utut ex lecto ſurgat, ulterius tamen progredi & præcipitia loca adire nequeat.

COROLLARIA.

I. INteſtina motu gaudere & conſtrictorio & dilatativo ſeu ſyſtole ac diaſtole nullum dubium eſt.

II. In plicis inteſtinorum tenuium frequentiſſima ſubſiſtit minera ac fomes morborum nonnullorum chronicorum.

III. Non tantum ſanguinis, lymphæ & ſpirituum animalium, ſed & ſalivæ, bilis ac ſeminis datur circulatio.

IV. Humores corporis, qui vere excrementitii ſunt, non circulantur, ſed eliminantur.

V. Saliva & bilis menſtrua microcoſmica duo univerſalia ſunt, à quorum vitio graviſſimorum morborum origo deducenda eſt.

VI. Salivæ inſpectio & examinatio in omni ferme morbo ante omnia à Medico fieri debet non ſecus ac ſanguinis vel urinæ.

VII. Multorum medicamentorum operatio ſoli particularum gravitati eſt adſcribenda.

VIII. Conſuetudines ac mores ægrorum qui neſcit, minus feliciter curationem inſtituit.

IX. Uſus chymiæ longe diffuſior & magis Medico neceſſarius quam anatomiæ.

X. Vomitoria & purgantia optime miſcentur cum opiatis.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA

DE

ASTHMATE CONVULSIVO

CUM HYDROPE THORACIS,

Primùm edita anno 1707.

PROOEMIUM.

RESPIRATIONEM æque ac vitam pari pretio æſtimandam eſſe, cum vetus eſt ſententia, tum, quæ ipſa veritate comprobatur. Eſt vita animantium perennis fluidorum in orbem motus, qui ſolidarum partium convenienti tono elatere & pulſu juſtaque viarum amplitudine perficitur. Hoc præſente motu, hoc regente artus, corpus noſtrum, quod per ſe corruptioni maxime eſt obnoxium, ſalvum ac integrum perſiſtit, inutilia ab utilibus ſeparantur, & anima ceu cœleſtis vis ordine agens, organiſque corporis adligata ſuis operationibus rite defungitur. Jam unde ſolidorum pulſus, unde eorumdem ſyſtole & tonus, quo ceu radice ſanguinis circuitus innititur, ſuam trahat originem, operæ pretium fuerit diſquirere. Nos rejectis aliorum ſomniis, & terminis nihil ſignificantibus; quibus nonnulli ſibi blandiuntur, nominibus quam rebus magis ſtudentes, plane ſimpliciterque adfirmamus, illud elementum, quo fluidæ partes inter ſe agitantur miſcenturque, & quo ſolidæ ſuſtinentur, eſſe fluidum univerſale, ſeu καθολικὸν, aëreo-æthereum mobiliſſimum. Hoc per ſe & natura ſua celerrimæ agilitatis eſt, & animæ quoque imperio in nonnullis organis, unde animalium actionum fluit adpellatio, obtemperat: Satis nempe conſtat, nullius animantis vitam, niſi aër interiora ſubeat, ſubſiſtere: Hoc ſubtracto omnis ſtatim motus ſenſuumque vigor, velut lucerna oleo defecta, extinguitur, eodemque reſtituto, animantia jam morti proxima vitam ſpiritumque recipiunt. Inde HIPPOCRATES, cum videret quanta aëris ad vitam neceſſitas utilitaſque eſſet, non dubitavit illum vitæ ſanitatis morborumque dominum ac autorem pronunciare, uti in *lib. de flatibus* ſcriptum reliquit. Aer enim ſerenus, ſubtilis, purus & temperatus egregie adjuvat corporis & animæ operationes. Ubi contra à temperie deflectit, ubi gravis redditur, ad varios morbos diſponit, epidemicis paſſionibus, & quæ ex mutatione anni temporum & tempeſtatum proveniunt, id ipſum luculenter adprobantibus. Igitur ſapientiſſima natura omnibus animantibus aëris receptaculum non conceſſit ſolum, ſed illud ipſum cordi etiam, ceu principi muſculo, & primò moventi firmiſſime adligavit. Ita enim perpetua communicatione mobiliſſimi iſtius fluidi elaſtici cum ſanguine ſuccisque corporis noſtri facta, illis debita fluiditas & mixtio ſervatur, & ſolidis quoque, fibris nempe muſculoſis, robur ac vis motrix infunditur. Ex quo manifeſtum eſſe poteſt, quantum commodum vitæ ſanitatique præſtet aër, & quæ inde fluit, reſpiratio, quippe hac novus ſubinde elater ſuccis vitalibus inſpiratur. Itaque cum tanta utilitas ex reſpiratione ad vitam redundet, non difficile eſt exiſtimare, quam moleſta, quam atrocia ſint mala, quæ ſpirandi facultatem, qua ceu fultura vita ſuſtinetur, impediunt & interturbant. Ex hiſce eminet adfectus ille, qui aſthmatis nomine mortales vexat, cui, ſi inveteraverit, ſi non evincitur remediis, facile thoracis hydrops jungitur cum funeſto plerumque eventu. Qui morbus cum non rarus ſit, ſed frequenter in praxi occurrat, mirari omnino convenit, cur practicorum libri magna ex parte de hoc ſileant. Plures certe hoc extinguuntur & plures inde vidimus extinctos. Conſtituimus igitur in hoc qualicunque ſtudiorum ſpecimine hujus periculoſi morbi indolem & cauſas explicare. Cui labori ut ſupremum Numen gratiam adſpiret ſuam, toto pectore illius bonitatem imploramus.

§. I.

§. I.

IN conſpectum igitur daturi aſthma convulſivum, ſupervacuum fore putamus, explicando nomini diutius immorari. Aſthma, quod Latinis ſuſpirium eſt, imminutam vocamus reſpirationem, ſive deficientem aeris in organa pneumonica influxum ac reciprocationem propter viarum maxime anguſtias. Cum vero variæ cauſæ ſint, quæ ſpirandi difficultatem excitant, nos omiſſis cæteris, convulſivum aſthma hic exponemus, & quidem illud, cui thoracis hydrops plerumque adſociatur. Juvat vero prius, quam ad alia tranſeamus, ſymptomata mali recenſere, ut ex iſtis ipſius paſſionis magnitudo cognoſcatur.

§. II.

Sunt igitur hæ fere notæ accedentis mali: Corpus fit grave, extrema frigent, urinæ ſunt albæ & copioſæ, alvus dura & tenſa, fit circa præcordia conſtrictio & anxietas, cordis tremor atque palpitatio, ſumma ſpirandi anguſtia & inquietudo. Porro pectus ſtridet, venæ inæqualiter moventur, inteſtinorum ad ſuperiora fit conductio, ſpiritum erecto cervice & collo extenſo ægri trahunt, difficilis jacendi poteſtas ſchemate ſupino, ora liveſcunt, excluditur per nares mucus, cubare expetunt thorace atque pectore ſublevato, locoque lucido & calido, vox debilis eſt, ſudor circa frontem frigidus, facies pallida & fuſca, & continuus metus præfocationis. Accedit ſæpe, ex nimia anguſtia qua ægrotus premitur, animi defectio, accedit etiam & ſæpe cum ſiniſtro omine paralytica pedis vel alterius partis reſolutio. Paroxyſmus ſubinde revertitur, maxime poſt primum ſomnum & de nocte, quo tempore malum plerumque ingraveſcit, cum de die & circa meridianum tempus minuatur. Adeſt etiam tuſſis ſicca, ſed nihil redditur, habitus plerumque corporis tumidus, pedes œdematoſi, ſonus obſcurus fluctuantium quaſi aquarum, quando inclinatur corpus, in pectore obſervatur. Si paroxyſmus diutius exercet & ſæpe repetit, mire debilitantur, & ſuffocatione tandem extinguuntur. Cadavera ſi aperiuntur, adparet plerumque ſeri colluvies vel limpidi vel ſanguine tincti intra pectoris cavitatem, ſive in altero ſive in utroque latere. Adſcendit hujus ſeri quantitas ad libras duas, quandoque ad decem, uti obſervationes & hiſtoriæ medicæ paſſim conteſtantur.

§. III.

Illud inprimis dignum, quod adnotetur, tali nempe aſthmati convulſivo, præſertim ubi viros invadit, plerumque jungi hydropem pulmonis cum non obſcuro ſubſecuturæ mortis indicio. Idem hydrops thoracis aliis etiam morbis ſupervenit, ut in iis ſæpe adparet, qui aſcite vel urinæ ſuppreſſione adfliguntur. Ejuſmodi hydropis exemplum elegans conſignavit Verzascha *lib.* 1. *obſ.* 2. & ab urina retenta ſummus Imperator Maximilianus II. teſte Cratone *in epiſtol. ad Scholtz.* feralem pectoris hydropem incidit, eodem interceptus. At nos tacemus de cæteris malis, quæ in hydropem pectoris deſinunt, dicturi potius de hydrope thoracis, qui aſthma convulſivum plerumque comitatur.

§. IV.

Quod ut eo magis confirmetur, egregia Baglivi obſervatione noſtram ſententiam ſubfulciemus. *Si quis*, inquit laudatus Autor in praxi medica *p.* 70. *veſperi hora ſomno, ſed præcipue poſt tres aut quatuor horas ſomno impenſas, repente expergiſcitur, aſthmate ingenti ſive ſuffocatione correptus, atque feneſtras aperiat, liberumque aërem deſideret, pro certo habeto, illum hydrope pectoris laborare, multo magis, ſi pedes aut manus tumere cœperint, cum faciei à nativo calore receſſu, & præ cæteris, ſi accedat torpor ſeu incipiens brachii paralyſis.* Hujuſmodi brachii torporem in aliis quoque pulmonum morbis præſertim peripneumonia obſervavimus. Hæc non minus vere quam eleganter Cl. Baglivus: quo ex loco ſatis comprobatur, aſthmati convulſivo hydropem pectoris, quod adhuc pauci obſervarunt, plerumque accedere. Non ſufficeret tamen unius auctoritas, igitur & alia adferemus exempla, inter quæ facile in primo loco ponenda, quæ eruditiſſimus Medicus Carolus Piso *in libro de morbis a colluvie ſeroſa oriundis adnotavit p.*214.*& ſeqq.* Generoſus Vir ſenex ſenſim gravi ſpirandi difficultate premi cœpit, præſertim nocte poſt primum ſomnum, dum de ſubito ſuffocatio ſomno interrupto ſenem excitabat, ut invitus e lecto ſurgere & ad feneſtram confugere liberioris aëris captandi cauſa cogeretur. Palpitabant ſcapulæ nullaque ipſi quies, remittebat tamen poſt meridiem anxietas. Per biennium hoc ſuſpirio confectus tandem expiravit. Recluſum corpus oſtendit pulmones & præcordia plurima aqua ſeptis tranſverſis intercluſa, innatantia. Non minus elegans hiſtoria eſt, quæ ſequitur, ab eodem Autore obſervata. Adoleſcens orthopnoea inveterata jam inde à multis annis laborabat, qui denique morbi violentia jugulatus fuit. In hujus cadavere præter inflammatorium hepatis tumorem repertus fuit hydrops thoracis, ſed in uno tantum latere. Pulmonum veſicæ, quarum magna multitudo erat, humore lento & pellucido, qui albuminis ovi indolem referebat, impletæ erant. Similes obſervationes Vir rei medicæ peritiſſimus Scultetus *in append. obſerv.* 31. *p.* 252. collegit, quarum ſummam hic commemorabimus. Adoleſcens per plures annos aſthmaticus acuto lateris dolore adfectus fuit, dolorem comitante febre & tuſſi, quibus malis æger evictus occubuit. Diſſectum pectus ingentem aquæ copiam continebat, manifeſto documento, hydropem pectoris mortis cauſam extitiſſe. Circa idem tempus, *pergit noſter Autor*, ſimilis incidit caſus in lapicida. Laborabat hic ſpirandi difficultate, & per plures annos laborabat. Ubi tandem ex malo deceſſit, uti plerumque accidit, pectoris hydrope afflictum fuiſſe, intellectum eſt ex corporis apertione. Quæ exempla, addit laudatus Vir, ſatis ſuperque docent, in iis, qui diuturno cum aſthmate confligantur, ſæpius forſan, ut nos judicamus, thoracis ſubeſſe hydropem.

§. V.

Quem tractandum igitur ſumpſimus, affectus, convulſivum nempe aſthma, non tam in materiali pulmonum vitio, ſed potius in genere nervoſo ac membranaceo ejuſque motu irregulari & vitioſo radicatur. Inde eſt, quod jam olim Cæl. Aurelianus, Methodicorum, quorum fragmenta adhuc ſuperſunt, facile princeps, ſolemni ſectæ, quam profitetur, more, noſtrum malum *paſſionem ſtricturæ* adpellet. Reliqui Veteres, à quibus rationalis medicina parum exculta fuit, flatus atque pravum pulmonis motum incuſarunt. Helmontius vocat caducum pulmonis, Lindanus convulſionem diaphragmatis, Willisius vero optimo jure inter morbos convulſivos numeravit *l. de morbis convulſiv.* Non negamus, alias etiam dari difficilis reſpirationis cauſas. Ita ex infarctu pulmonum à deſidente ibi ſanguine, item ab obſtructione veſicularum, noſtrum provenire malum, certis conſtat experimentis. Ubi enim ſerum viſcidum tartareum veſiculas obſidet, vel ſcirrhi tubercula & empyemata eaſdem comprimunt, aër pulmones non elevare poteſt, & reſpiratio exinde imminui-

minuitur. Quod aliter evenit in noſtra paſſione, cujus cauſa adeo in materia non quærenda eſt, ut & pulmones ſæpe quoad ſubſtantiam labe careant omni. Cujus quidem rei elegantem adfert *Cl.* WILLISIUS hiſtoriam ab alio celebri Medico ipſi communicatam. Narrat enim, illum aliquando aperuiſſe inſignis viri cadaver, qui cum ſingulis XIV. diebus aſthmate adfligeretur, in ipſo tandem paroxyſmo obierit. In hoc cum omnia viſcera, tum pulmones ſalvos ac integros fuiſſe repertos, nec quidquam excrementi in bronchiis, vel ſtagnantis intra venas ſanguinis adparuiſſe. Quod idem propria obſervatione communit, dum puerum aſthmaticum ſe diſſecuiſſe adfirmat, in cujus pulmonibus nihil vitii omnino fuerit deprehenſum.

§. VI.

Eſt igitur ſpaſmus maxime noſtri adfectus cauſa, & hunc ægros inprimis exercere, ſymptomatum ratio declarat, quæ & exinde unice ſunt explicanda. Unde enim illi anxietatum cruciatus, unde præcordiorum tenſio, pectoris anguſtia cum imminente ſuffocatione? unde alvi durities, inteſtinorum ad ſuperiora conductio, pulſus inæqualitas, extremorumque frigus? unde denique albæ & copioſæ urinæ, niſi ex ſpaſmo nervorumque & membranarum diſtentione? Nempe uti cæteræ corporis partes ſpaſmodicis adfectionibus patent, ita & pulmones hiſce malis maxime expoſiti ſunt. Quod ne dubium eſſe poſſit, ex ſtructura pulmonum, quam jam recenſebimus, confirmabitur. Sunt pulmones compoſiti ex multis vaſis ſanguineis, quæ in ramificationes innumeras diffunduntur, ſunt porro infinitis veſiculis pleni, quæ bronchialibus tubulis aërem excipientibus adhærent. Trachæa vere, uti WILLISIUS *in pharmac. rational. p.* II. *ſect.* I. *c.* I. notat, interius tunica multiplici nerveo-carnea veſtitur, quæ ex fibris longitudinalibus & circularibus contexitur. Adſunt ſimul tunica glanduloſa & vaſculoſa, eædemque membranæ veſiculas quoque aëreas conſtituunt. Exterior porro membrana, quæ veſiculas cingit, fibris & nervis identidem interſtinguitur. MALPIGHIUS *ingenioſiſſimus temporis ſui Medicus* ita ſcribit: In ranis & lacertis exterius reticularis plexus occurrit ex carneis fibris conſtans, ita ut mirus muſculus ſingulas pulmonum cellulas conſtringat. vid. SWAMMERDAM. *de reſpiratione.*

§. VII.

Præterea in pulmones nervi eximii penetrant, qui à pari vago ſeu octavo & nervis intercoſtalibus orti in hoc viſcus diſperguntur. Horum alii quomodo in pulmones deſinant, alii vero per veſiculas mirifice repant, alii conſtringant eaſdem, adcuratius tradit VIEUSSENS *in Nevrologia lib.* 3. *c.* 4. *p.* 183. Et quoniam ramulus a nervo intercoſtali per carneam etiam diaphragmatis partem ſive muſculum ejus poſteriorem circulumque nerveum fertur, hinc manifeſto ratio conſtat, cur in aliis ſæpe morbis ſpaſmodicis diaphragma & aſpera arteria in conſenſum pertrahantur. Uti videmus in hyſtericis, hypochondriacis, & ubi plexus meſenterii adficiuntur.

§. VIII.

Cum pneumonica itaque organa ex tot nervis & membranis conſtructa ſint, quæ cum aliis iiſque remotis partibus mirifice conſpirant, minus mirabile, ſpaſmodicis conſtrictionibus & convulſivis motibus opportunum inprimis eſſe ampliſſimum pulmonum viſcus. Et hac conſtrictione fit, ut tubuli bronchiales cum veſiculis comprimantur atque coarctentur, unde liberior aëris ingreſſus impeditur. Accedit, quod compreſſionis hujus violentia ſanguinea vaſcula, quibus pulmo repletus eſt, premantur, ſanguiniſque curſus ſalutaris intercludatur. Unde intra pulmones regurgitans, ibi deſidet, maximaſque anguſtias, anxietates, inquietudinem, & niſum reſpirationis intenſioris cum præſenti ſuffocationis metu producit. Quæ mala ubi quis adcuratius intuetur, deprehendet omnino, eſſentialia & pathognomica ſymptomata eſſe hujus adfectus, quem hic exhibemus.

§. IX.

Eſt vero aſthmatis ejuſmodi convulſivi, & qui hoc ſequitur, hydropis in thorace cauſa plerumque humor intra corpus noſtrum conceptus virulenta qualitate prægnans. Hujus commatis ſunt excrementitiæ acres & cauſticæ ſordes, quas natura provida certis in morbis ad habitum corporis propellit, & ſalutari motu eliminat. Hæ ſi ſubſiſtunt in cutis glandulis, nec foras ſecedunt, mora deteriores redditæ relegunt veſtigia, & cum lympha ad ſanguinem rurſus redeuntes veneni naturam atque noxas æmulantur. Tenuiſſima enim cauſticaque, qua pollent, natura penetrant in fibrillas nerveo-membranaceas, quas ubi inſederint, ſævis moleſtiiſque ſpaſmis & contractionibus totum corpus concutiunt, ſanguinis inæqualem circulum & anomalos fluidi nervei motus efficientes. Ita experientia docemur, a ſcabie retro pulſa, à podagra vel arthritide interiora repetente, à tinea capitis male curata, ab obductis intempeſtive malignis ulceribus cum cætera mala, tum noſtram paſſionem exoriri.

§. X.

Non alienum erit, hoc aliquot exemplis atque obſervationibus illuſtrare. Sic periit haud ita pridem filiolus Conſiliarii intimi cujuſdam, qui ex Saxonia huc conceſſerat. Hic puer per annum fere circa labia ulcere putrido erodente infeſtabatur, quo liberatus tandem per externa à Chirurgo, incidit primum in aſthma convulſivum, mox ipſam mortem. Idem in arthritide evenit, cujus materia ſi intra corpus remanet, vel intempeſtive repellitur, ſpaſmo pectus conſtringit, & convulſivum aſthma funeſtumque pectoris hydropem excitat. In mentem hic veniunt egregia duo exempla, quorum commode Dn. Præſes me admonuit, cui in praxi ſua hæc ipſa occurrerunt. Generoſus vir duobus ab hac urbe milliaribus habitans, cum diu podagræ ac calculi ſævitiam ſuſtinuiſſet, habitu alioqui ſpongioſo lividoque colore, impatiens tandem dolorum, Medici ex vicina urbe opem implorat. Ille ad deliniendos podagræ dolores linamento ex ſpiritu vini rectificato, in quo ſolutum erat ſatis opii & camphoræ, manuum atque pedum articulos jubet inungere. Inungit æger totum corpus liberaliter, dolores remittunt, ſed horum loco laſſitudo, virium languor, poſtremo aſthma noſtrum corpus occupat. Accedit pedum tumor, præcordiorum anxietas, ſpirandi ſumma difficultas, ut ſtrangulari ſibi æger videretur. In conſilium rogatus D. Præſes, cum non fefelliſſent ipſum cauſæ malorum, prædicit ſtatim, ſummum illi diſcrimen impendere. Neque falſo: Non multo poſt enim, cum nequidquam remedia adhiberentur, expiravit. Simili modo quatuor & quod excurrit abhinc annis periit alius nobilis Vir, in quo non alia mortis cauſa adparebat, quam quod arthritica materia, vel ex defectu virium, vel ex acidorum fructuumque horæorum abuſu, non foras proceſſerat, ſed intra corpus retenta veneno ſuo (venenum enim vere eſt;) vires vitamque ægrotantis exhauſerat. Neque dubium eſt, quin ubi extinctorum

corpora

corpora aperta fuiſſent, magna ſeri copia in thorace fuiſſet ad paritura. Tali in caſu unice providendum ſpectato Medico & in hoc ipſius labor & cura ſit, ut materia acris, quæ nervos irritat, ad exteriora propellatur. Memorabilis eſt hiſtoria, quam celebris Medicus DODONÆUS hac de re prodidit: Mercator juvenis tam gravi atque diuturno ſuſpirio vexabatur, ut, licet nullum remedii genus intentatum relinqueret, nihil tamen inde adlevaretur. Idem tamen, invadentibus poſtremo calculi & podagræ doloribus ab orthopnoea liberatus fuit, ita ut cum antea in ſedili cibus ſomnuſque ipſi eſſet capiendus, jam decumbendi facultas morbi beneficio ipſi concederetur. Adeo quam fruſtra à remediis ſibi promiſerat medicinam, à morbo impetravit!

§. XI.

Non diſſimilis eſt hiſtoria, *quam Cl.* ETTMULLERUS *in ſuis operibus c.* 13. *p.* 184. *tradidit*, quæ cum paulo longior ſit, in compendium mittere tentabimus: Vietor ſenex diu podagræ tormenta expertus cum aliquando remiſiſſent dolores, ſtatim ſentire cœpit reſpirationis difficultatem. Intendebatur malum poſt cœnam & cum cubitum concederet, modo imminente ſomno, modo tranſmiſſis jam aliquot horis dormiendo, & ex improviſo anxietates præcordiorum indormientem malis ſuis excitabant. Cogitur æger propter imminentis ſtrangulationis metum adſurgere, erecto collo menſæ adſidet & inter præſentis mortis periculum tres & plures horas noctis triſtis ſuſpenſuſque exigit, donec rejecto pauxillo viſcidæ materiæ adlevatus lecto ſomnoque jam ſecurior ſe reddebat. Vigente paroxyſmo, theriacæ vel mithridatii tantum, quantum cultelli cuſpis capit, ſumebat, quo mirifice impetus mali infringebatur. Interim pro varietate tempeſtatis nunc gravior nunc levior morbus erat. Tandem cum poſt aliquot ſeptimanas rediret podagra, modo dicti paroxyſmi valedixerunt. Scabiem ex intempeſtivo externorum uſu ſæpe in adfectum noſtrum tranſire, eleganti obſervatione demonſtrat *Sereniſſimi Electoris Palatini Caſtrenſis medicus Dn.* GRAFFIUS *in diſſertatione, quam filius ejus de hydrope pectoris Marburgi haud ita pridem habuit*: Erat officialis miles præſidii Moguntini, ſtrenuus alioqui potator, qui ab aliquot annis ſcabie humida & fœda totius corporis vexabatur. Hic pertæſus moleſtiſſimi adfectus ſuaſore Chirurgo Caſtrenſi thermas Wisbadenſes adiit, quarum uſu intra quinque dies ſcabies diſcuſſa fuit, ſed ſcabiei loca multæ in collo ſcrophulæ cum ſubito tumore pedum prodierunt. Accedens Chirurgus toti collo emplaſtrum de ranis cum mercurio triplici imponit, unde altero die ptyaliſmus imminuitur, quo ceſſante pedes ſubito detumuerunt. Sequenti vero nocte funeſtum hominem aſthma ex improviſo adoritur cum ſumma ſpirandi difficultate. Cui dum Chirurgus obviam ire tentat ſanguinem detracturus, inter illius manus æger exanimatur. Aperto cadavere, utrumque thoracis latus novem aquæ libras continebat, pulmoneſque innumeris hydatibus obſeſſi ſeroque limpido turgentes reperiebantur. Quod de ſcabie diximus, tenendum etiam de tinea capitis, quæ, ubi imprudenter oleoſis & pinguibus tollitur, in aſthma convulſivum & catarrhum ſuffocativum frequenter commutatur.

§. XII.

Ex hiſce quæ adduximus exemplis, facile adparet, cauſam aſthmatis noſtri ſitam eſſe in materia tenuiſſima acri cauſtica nervos præcordiales adrodente. Corroboratur hoc vel exinde, quod in variolis, morbillis, purpura & eryſipelate propter ſimilem materiæ malignitatem, antequam illa prorumpit, eadem ſymptomata exoriantur. Datur enim cernere ſummas pectoris anxietates, ſuppreſſionem, ſpirandique anguſtiam, quæ cuncta tamen mala mitеſcunt, ubi ad externum corporis habitum acris materia penetravit. Quod ſi vero, vel ex naturæ debilitate, vel aliis de cauſis, hæc materia ad interiora regreditur, a circumferentia ad centrum pulſa, eadem ſymptomata repetunt, idque cum ea vehementia, ut non raro mortem adferant. Notabile hoc maxime eſt circa morbillos, quorum materia nervis præcordiorum inimica inprimis eſt. Inde facile eſt intelligere, cur ſi minus recte prodeant, infantes graviſſima exinde mala & inter hæc aſthma convulſivum & catharrum ſuffocativum patiantur. De eryſipelate annis abhinc tribus hæc obſervatio Dn. Præſidi contigit: Conſiliarius hujus loci jam provectiore ætate, iſque cachecticus ex tumore pedum male habebat. Hic ſubito in eryſipelas incidit, quo, dubium, qua de cauſa evaneſcente, invaſit aſthma periculoſiſſimum cum mira anxietate, pectoriſque anguſtia & ſenſuum turbatione, ut non procul jam à morte abeſſe videretur. Dato pulvere diaphoretico nitroſo, ad exteriora eryſipelatis materia ceſſit, nempe ad ingentem ſcirrhoſum fungum, cui jam inde à longo tempore latus inſidebat. Unde exſpirantibus cæteris malis, melior factus æger priorem valetudinem recuperavit.

§. XIII.

At non tantum virulenta materiæ qualitas, quæ nervoſas thoracis partes vellicat, noſtri mali cauſa eſt, ſed ejuſdem etiam quantitas, ſeri nempe excrementitii moles, merito inſimulatur. Sæpe quippe accidit, ut, quando tumores pedum ſubito diſparent, noſter adfectus inde excitetur. Neque alia hujus rei cauſa ſubeſt, quam quod, ſpaſmo pedes urgente, ſerum ad pulmones inclinetur, ibidemque ſubſiſtat. Ejuſmodi caſus meminit Dn.Præſes, quem in Conſiliario Berolinenſi obſervavit. Is ſcorbutico adfectu cum tumore pedum torquebatur, qui tumor ſatis grandis alioquin cum ſubito deſeruiſſet pedes, ſentire ſtatim cœpit æger incredibilem anxietatem atque reſpirationis anguſtiam. Eodem tamen, quod mirabile in primis, redeunte, periculo eximebatur æger. Convenit cum hac hiſtoria memorabilis obſervatio *modo laudati Dni* GRAFFII, qui ante tres annos ſingularia hæc in militibus deprehendit. Qui cum in caſtris ad Rhenum prope Dachslandiam poſitis, varii generis piſcibus, Rheni exundatione in littus & vicinas foſſas ejectis, per totam fere æſtatem veſcerentur, & proximo autumno ſub aere frigido & pluvia Landaviam expugnarent, febri tertiana & quartana correpti cachexiam tumoremque pedum ſibi contraxerant. Hic tumor cum ſubito dilaberetur, certiſſimam plerumque mortem ſignificabat. Plurimi enim vel inter cibum vel in ipſo ſomno ſuffocabantur, adeo ut ex una legione quadringenti homines hoc modo interirent. Et quod notandum, omnes, quos laudatus Vir aperuit, quorum tamen quinquaginta, ni fallor, numerat, hydropem pectoris & ſedentem intra venas polypum monſtroſa magnitudine exhibuerunt. Ex qua hiſtoria & illud elucet, quod aſthmatis noſtri cauſa ſæpe etiam ſit polypus, cordis ventriculos & vaſa obſidens, unde mors plerumque ſubſequitur. Ejuſmodi exemplum præter adductam obſervationem proponit RIVERIUS *cent.* 1. *obſ.* 82. Polypoſa enim concretio anguſtiores reddit vias, unde ſanguis difficilius tranſit, præſertim ubi animi vel corporis motu, vel ſpaſmis remotarum partium cum majori impetu ad ſuperiora ruit. Quippe intercluſo ipſi per polypum itinere,

in

in curſu retardatus ſtagnat, vaſa infarcit, palpitatione cordis, anxietate & ſuffocationis metu id declarantibus. Imo ſi diutius paroxyſmus inſtat, frequentiſſime accidit, ut ſerum a ſanguine in copia ſeparatum nunc in pericardium redundet, nunc in thoracis cavitatem effundatur. Ideoque plures, qui ex noſtro adfectu languent, polypum intra vaſa pulmonum, vel in ipſo corde fovent.

§. XIV.

Ad malum noſtrum proclives ſunt hypochondriaci, i. e. qui viſcerum, præſertim hepatis & lienis, obſtructione laborant. Item, quibus ſanguis per abdomen tardius ac difficilius commovetur, unde ſpaſmodicis adfectibus frequenter adfliguntur. Sunt enim ipſi paroxyſmi, quos hypochondriaci experiuntur, nil niſi adfectiones præternaturales dolorificæ plexuum nervoſorum in meſenterio, diaphragmate, corde, ventriculo cæteriſque inteſtinis. Itaque in hypochondriacis nervoſæ thoracis pulmonumque partes iſtis motibus facile adſueſcunt, unde poſtea hoc malum excitatur. Accedit ſanguis craſſus ſalſus impuruſque, qui per pulmones lente cunctanterque progreditur, & acredine ſua nervoſas membranas ad ſpaſmos ſtimulat.

§. XV.

Adfectui noſtro jungitur plerumque cachecticus corporis habitus, ideoque HIPPOCRATES *lib. 2. de morbis p.* 84. eleganti ſtylo hæc conſignavit: Si hydrops in pulmone fuerit, febris & tuſſis tenet, coacervatim æger ſpirat, pedes tument, & ungues contrahuntur omnes. Aliis venter etiam ſcrotumque & facies intumeſcit. Et quidam ab inferiore alvo id eſſe exiſtimant, cum videant ventrem magnum & pedes tumentes. Videmus porro, quod qui cachexia contabeſcunt, plerumque de aſthmate ſimul conquerantur.

§. XVI.

Si quid vero aliud, certe frigus noſtrum malum facile producit, quod hoc nervis imprimis inimicum, adeoque aptum ſpaſmis producendis. Unde hyeme, & ventis aquilonaribus ingraveſcit, item ubi poſt vehementem corporis calorem ſtatim frigidus potus ingeritur. Et obſervavimus, illos, qui pectus non bene tegunt, præſertim ſi nocturno frigori illud exponunt, ſæpius hoc malum incurriſſe.

§. XVII.

Accedimus jam ad ipſam hydropis generationem, quomodo hæc fiat, paucis explicaturi. De hac vero inſtar omnium optime egit HIPPOCRATES, dum *in libro de internis adfectibus* hæc ſcribit: Fit hydrops (pulmonum) ſi tubercula in pulmone fuerint enata & aqua repleta, inque pectore diſrupta. Quod autem hydrops à tuberculis fiat, in quadrupedibus, bove, ſue, & cane cæteriſque adparet, quorum in pulmonibus tubercula exiſtunt. Hæc ubi incideris, ſtatim effluit aqua. Hæc Cous noſter: quibus clariſſime demonſtrat, ex hydatidibus aqua repletis diſruptiſque in pulmone vel pleura hydropem pectoris exoriri. Tales hydatides in corde, pulmonibus, pleura & diaphragmate reperiri, confirmat OTTO HEURNIUS *obſerv.* 18. Adde BARTHOLINUM *cent.* 11. *obſ.* 61. CORDUM *comment. V. ad lib.* 1. *Hipp. de morbis mulierum*, & *Acta Haffnienſia volum. III. obſ.* 76. Idem CAROLUS PISO *in lib. de morb. à feroſa colluvie ortis* commemorat, quo in loco aperte ſcribit, obſervaſſe ipſum veſicas in pulmonibus ſcatentes humore pellucido, & qui albuminis ovi inſtar lenteſcebat. Ex his veſicis, ubi rumpuntur, deſtillat ſenſim aqua, & uti optime WEPFERUS *in lib. de apoplexia* ſcribit, principio parum vel nihil moleſta eſt, ubi vero increvit, acriorque facta tuſſim ſiccam atque palpitationem cordis movet, ſpirandique facultatem imminuit. Ubi denique ad majorem molem excrevit aqua, quam ut capi poſſit intra pectoris cavum, ſubito hominem nihil tale timentem ſuffocat, preſſis nempe undique pulmonibus. Ut nuper admodum in juvene quodam Philippo Sperlino obſervavi, qui nullo in pulmonibus vitio, ſi compreſſionem excipias, ſubito periit ab aquæ copia, in pectore adcumulata.

§. XVIII.

Cum vero hoc ſerum, cujus modo meminimus, ſalſum corruptumque plerumque ſit, inde ſi diutius intra viſcera ſtagnat, diaphragma & pulmones exedendo, incredibiles anxietates primum, mox mortem adfert certiſſimam. Deprehendit hoc ipſum in corpore ſummi Medici, Wepferi, qui hydrope pectoris obiit, *Cl. V.* BRUNNERUS: vid. *Memoria Wepferiana Ephemerid. N. C. Dec. III. Ann.* 3. *adnexa.* Cor a diuturno intertrigine laborabat, & arteria pulmonalis & aorta pone valvulas ſemilunares oſſeam ſubſtantiam induerat. Pericardium porro humoris copia diſtentum, & diaphragma à ſtagnantis ſeri acredine exeſum, hydatidibuſque adgravatum erat. Jam hepar, lien, meſenterium, renes & infimi ventris glandulæ ſcirrho adfectæ erant, totum denique abdomen hydropico tumore turgeſcebat.

§. XIX.

Quod vero ſerum, ubi vaſa exceſſit, pulmones adgrediatur, pulchra HARDERI obſervatione comprobabimus. *vid. l. l. obſ.* 51. *p.* 217. Nuper, inquit, peregre exiſtente Dno. parente meo, cum D. D. Pariz de Papa cadaver muliebre in Xenodochio aperui, in quo inſignem pectoris hydropem deprehendimus. Erant pulmones putredine plane conſumti, ſiniſtrum vero latus tres ſeri putridi menſuras continebat, ita, ut ab aquarum copia diaphragma, ea qua œſophagus progreditur parte, inſtar ſacci verſus ſiniſtrum renem protruſum fuerit, ventriculo hepati, quod immenſæ magnitudinis erat, ſuperjacente.

§. XX.

Inſtituti ratio jam poſtulat, ut hydatidum originem, qua poteſt fieri brevitate, exponamus. Fiunt nempe ab impedito lymphæ circulo, vaſorumque, quæ hanc vehunt, nimia diſtentione. Quoties enim ob conſtrictas ſpaſmo membranas liber ſanguinis tranſitus impeditur, neceſſe eſt, ut ab eodem ſanguine, qui exinde ſtagnat, ſerum ſecedens majori in copia in vaſa lymphatica delabatur. Inde diſtenduntur hæc vaſa, ſero ſubinde adfluente. Adde quod a craſſo impuroque ſanguine ejus circuitus inhibeatur, unde & cachectici, quorum ſanguis ſordibus abundat, hydrope pectoris adficiuntur. Porro ex anatomia notum eſt, copioſiſſima vaſa lymphatica mirabili plane modo pulmonalem tunicam obſidere. Id quod egregie obſervavit Vir anatomiæ ſcientiſſimus NUCKIUS *in adenographia curioſa p.* 141. 142. ubi definite ſcribit, tunicam hanc eximiis vaſis lymphaticis abundare, quæ variis compoſitis inſulis anaſtomoſibuſque ductum reſpiciunt thoracicum, huncque etiam glandulæ unius atque alterius interventu ingrediuntur, ſolo flatu, per tubulum in trachæam & unum alterumque lobum niſu fortiore immiſſo, nullo negotio detegendæ

§. XXI.

Illud mirabile inprimis, quod, cum in hydrope pulmonis aqua ſemper thoracem impleat, nihilo tamen ſecius illa anxietas, & ſtrangulationis metus diverſam ſæpe faciem induat. De die enim, uti diximus, plerumque levior ſit, nocte vero, maxime poſt ſomnum ingraveſcit. Cujus rei cauſas licet res ardua ſit adferre, quantum tamen per ingenium licet, eaſdem inquiremus. Eſt reſpiratio luce major ſemper intentiorque, quam nocturno tempore, ubi valde imminuitur. Ideoque ſanguinis circulus, qui reſpiratione egregie juvatur, die validior eſt, nocte langueſcit, ob reſpirationis debilitatem. Inde enim ſanguini minor virtus atque ſpirituaſcentia, idemque facile circa pulmones detinetur. Ipſa porro aqua, quæ in thorace collecta eſt, commotis fortius pulmonibus, quod unice fit juſto ſanguinis motu, hinc inde impellitur cum aliquo ægroti levamento. Quæ, ubi ille ſanguinis adeoque pulmonis motus labaſcit, intra pulmones ſubſiſtit, coagulatur, quieſcitque, & acredine ſua membranoſas partes infeſtat.

§. XXII.

At cum ſpaſmi & convulſiones variis ſe adſocient reſpirationis malis, idque in diverſis morbis, hinc non inutilem operam nos poſituros arbitramur, noſtrum adfectum ab aliis diſcernendo. Qui enim morborum naturam eorumque cauſas atque effectus bene diſtinguit, is curationem eorumdem facilius feliciuſque abſolvere poteſt.

§. XXIII.

Oportet igitur aſthma convulſivum diſcernere primum à motu convulſivo pectoris, quo coſtæ thoraciſque muſculi è ſede ſua propelluntur. Dilucidius res adparebit ex ſequenti hiſtoria, quam in illuſtri quodam Viro Dn. Præſes obſervavit. Is cum podagram imprudenti emplaſtri uſu ad interiora compuliſſet, periculoſum inde ſibi malum, ventriculi nempe inflammationem arceſſivit. Inflammationi præter cætera mala aderat motus pectoris convulſivus, iſque tam vehemens, ut nulla externa vi & robore reprimeretur. Meminit ſimilis adfectus Hobokenius *in Spicileg. ep. p.* 250. ubi diſerte adfirmat, tam violento pectoris ſpaſmo ægrotum quendam adfectum fuiſſe, ut adſtantes, rei novitate perculſi, neſcio quid veneficii ſubeſſe arbitrarentur. Erat ægrotanti inter cætera mens imminuta, quamdiu autem ſupinus jacebat, ſumma convulſionis atrocitate pectus ſurſum diſtorquebatur. Interim cæteris membris quies, & quoties adſurgebat, convulſioni adlevatio conſtabat, continuis tamen vigiliis ægrum debilitantibus.

§. XXIV.

Porro autem ab aſthmate hyſterico noſtrum malum diſtingui debet. Illius enim non alia cauſa eſt, quam flatus in inteſtinorum receſſibus adcumulati, quibus nervoſi plexus trahuntur, vel muſculi diaphragmatis & laryngis ita conſtringuntur, ut palus intra fauces defixus videatur. Simili modo differt ab aſthmate hypochondriaco cum anxietatibus præcordiorum, quæ ventriculo inflato adſcribendæ ſunt, item ubi ejus oſculum laborat, vel ipſum diaphragma irritatur. Hujus hæc plerumque ſigna: Eſt dolor conſtrictivus circa coſtas ſpurias, ut quaſi zona ægri conſtringantur, unde thoracis fit anguſtia, ſpirandique difficultas. Et hoc aſthma ſtomachale etiam adpellatur.

§. XXV.

A catharro ſuffocativo in eo differt noſter adfectus, quod ille ſubito invadat, idque cum magna reſpirationis difficultate, cum ſuffocationis metu, item ſtertore, nec non vultus rubore. Eſt etiam non minus diſcrimen inter noſtrum malum, & illud aſthma quod ſiccum nominatur. In quo cum ſummi pectoris dolores ſunt, tum pulmones ſuccedente tempore plane exareſcunt. Nempe cauſa externa plerumque eſt, quæ hoc malum excitat, uti fumus ſaturni, calcis vivæ, mercurii & carbonum foſſilium. Tali morbo jactantur maxime, qui in metallis laborant, uti frequenter in ſylvæ Hercyniæ accolis Dn. Præses obſervavit; *vid. ejus diſſert. de metallurg. morbiſ.*

§. XXVI.

Diſcernendum denique eſt aſthma noſtrum à periodico, quod certis menſibus, diebus, imo horis ſæpius recurrit. Atque hoc quidem plerumque accidit, ubi menſtrua vel hæmorrhoides, alioquin ſalutares, retinentur. Si vero hoc aſthma nocturno tempore ingruit, ſcire licet, ex vitio primarum viarum provenire, & ſtomachale eſſe, vel hypochondriacum. Dum enim enim ex viſceribus corrupti bilioſique humores certo tempore ad ventriculum redundant, ibique ſpaſmos & inflationes pariunt, liber ſepti tranſverſi motus verſus inferiora inhibetur. Hinc præcordiorum anxietas, reſpirationis labor, quandoque etiam orthopnœa excitatur. Neque paratior huic malo medicina eſt, quam ex vomitu commodaque alvi ductione.

§. XXVII.

Expoſito itaque noſtro adfectu, ad ejuſdem curam jam properamus. Quæ, cum ipſe morbus ſit periculoſiſſimus, ſumma cum difficultate perficitur, adeoque temerarium videtur, certam ejus ſpem ſibi polliceri. Si enim ullus alius adfectus, certe hic, quem pertractamus, medentium manus reſpuit, operam ac ſtudium eorum eludendo. Quod magis accidit, ubi altius inſedit malum, ubi cachecticos occupavit, nec integra amplius ſunt viſcera, ubi jam adeſt ſeri extravaſatio, vel certe adpropinquat. Tali in caſu minus convenit venæ ſectio, quæ, ubi in ipſa mali acceſſione adhibetur, verendum eſt, ne æger, amiſſis viribus, pereat cum non mediocri Medici dedecore. Multo minus convenit, extra paroxyſmum ſanguinem ægroto mittere, cum ejus abundantia hic non delinquat. Diligenter igitur ab hoc auxilio abſtinendum eſt, quod abſurdum ineptumque foret, iis ſanguinem detrahere, qui diuturnis doloribus, anxietatibus, vigiliiſque confecti, vires fere perdiderunt. Nec quidquam aliud inde ſequitur, quam ut ægrotis mors acceleretur.

§. XXVIII.

Atque idem de vomitoriis purgantibuſque obſervari debet, quod hæc remedia nervos, qui per ſe jam male habent, in thorace atque abdomine magis adfligunt, adeoque non tam auxilium, quam noxam huic morbo adferunt. Et de purgantibus quidem non negamus, ea hic interdum locum invenire aliquem, maxime cachectico præſente ſtatu, ubi cum mole materiæ pugnandum eſt, nihilo tamen ſecius circumſpectiſſime ſunt adhibenda. Aquam enim, quæ in thoracem confluxit, adeo non exhauriunt, ut nervis, qui jam læſi admodum ſunt, plus noceant. Quo magis deteſtandus eſt mos tam valida & cathartica purgantia propinandi, unde tricies & ſæpius

ſæpius alvus provocatur. Neque aliud quidquam inde expectandum, quam ut ægri per compendium ad mortem deducantur.

§. XXIX.

Pari cautione opus eſt in opiatis anodyniſque exhibendis. Licet enim, præſertim ubi cum alexipharmacis & diaphoreticis miſcentur, paroxyſmum paululum imminuant, tollendæ tamen cauſæ ſufficiunt nunquam.

§. XXX.

Gravior quæſtio eſt de thermis, an earum uſu aliquid in noſtro malo proficiatur. Hic ego adpello experientiam Dn. Præſidis, qui liquido adfirmat, crebris experimentis id edoctus, non pernicioſius remedium adferri poſſe aſthmati convulſivo, præſertim ſi thoracis hydrops accedit, quam id aquarum genus. Quod ipſe expertus eſt in Carolinis, quæ cum aliis morbis divinam opem præſtent, hanc tamen laudem in adfectu noſtro deſtituunt, tantumque abeſt, ut illum ſanent, ut potius reddant deteriorem. Meminit idem aliquot exemplorum, quæ anno abhinc, cum ipſe ibi degeret, adnotavit. Aderat tunc generoſus Vir ex aula Gothana, qui ex intemperantia potus & frigore intenſo, cui pectus expoſuerat iter faciens, propter aeris inclementiam noſtrum ſibi morbum contraxerat. Erat illi habitus corporis cachecticus, facies plumbea & flava, tantum tamen ipſi virium ſuppetebat, ut thermas poſſet accedere. Hauſta ingenti aquæ copia, nihilominus inſtabat malum, jamque increſcebant ſymptomata cum maxima anxietate atque ſuffocationis metu, ita ut quandoque paroxyſmi ad octo atque decem horas extraherentur. Quibus malis compulſus thermarum potum omittebat; Interim alvus ipſi fluida erat, & augeſcente morbo, levior ſiniſtri brachii paralyſis & intenſiſſimus ſcapularum dolor infeſtabat. Porro aqua in thorace ita increvit, ut commoto corpore, aquarum ſonitus perciperetur, tumor in pedibus & abdomine magnus, pulſus in ſiniſtra manu debilior, in dextra fortior validiorque emicabat. Poſtremo cum nihil prodeſſent optima remedia, animi defectione oppreſſus in ipſa urbe obiit. Eodem tempore Vir generoſus viridiſque adhuc ætatis compactique corporis ad aquas venerat. Hic cum vomitum, cui à longo tempore matutino tempore adſueverat, per opiata, uti conjicere licebat, ſuppreſſiſſet, hujus loco incidit præcordiorum anxietates cum reſpirationis difficultate. Multis remediis fruſtra adhibitis ex Medici conſilio thermas adire conſtituit, quarum tamen uſu in pejus malum ire cœpit, ita ut jam atrociora tormenta pateretur. Arceſſitus Dn. Præſes jubet abſtinere aquarum potu, abſtinuit æger, ſed paulo poſt in ipſo itinere deceſſit.

§. XXXI.

Intelligitur ex his obſervationibus, quarum & aliæ nobis ſuppeterent, quam noxiæ ſunt thermæ noſtro adfectui. Et ratio quidem facilis: Sunt hæ aquæ crudæ in primis, & licet ſalutari elemento, alcalino minerali nempe polleant, multum tamen calcariæ terræ continent. Quæ de cauſa difficilius tranſeunt emunctoria, poros tubuloſque venarum male ſubeundo. Inde nihil frequentius, quam ut inter potum hinc inde tumore partes corporis, præſertim pedes, occupentur, qui tamen fomentis in balneo admotis facile diſcutitur. Neque dubium eſſe poteſt, quin, dum per pulmones tardiſſime movetur aqua, ibi ſubſiſtat, nervoſque irritando noſtrum adfectum provocet. Auget eadem mali vehementiam, quod ſale purgante, quo prædita eſt, magis ſtimulat nervos ad ſpaſmodicas contractiones. Accedit denique, quod hydropem pectoris facile excitet. Ubi enim vaſa lymphatica nimium turgeſcunt, tandem rumpuntur, & diſrupta ingentem aquæ molem, qualis in cura adſumta fuit, in thoracis cavitatem exonerant cum non obſcuro futuræ mortis indicio.

§. XXXII.

Dicendum jam de paracentheſi, num illa tollere poſſit hydropem thoracis: In hac Veteres ſummam auxilii ſpem contra hoc malum poſuerunt, adeo, ut ab HIPPOCRATE *l.* 2. *de morbis* §. 59. commendetur. Ita enim ſcribit: Qua parte ſtrepitum perceperis, eam ſecato, quam potes, infimo loco, quo effluxio facilis contingat. Et paulo ante: ſi ſectionis tempus prætermittitur, venter intumeſcit, & hunc quidem inter coſtas ſectum curare oportet. Idem auxilii genus celebrat CAROLUS PISO *loco cit.* qui aperire latus jubet, ut evacuata ſenſim aqua ſpiritus ægris ducatur facilius. Adſentitur etiam SCULTETUS *obſ.* 31. *p.* 252. Exempla, inquit, docent in aſthmaticis inveteratis, ſæpius forſan ac nos putamus, thoracis hydropem ſubeſſe, cujus cura potius ſectione quam tædioſis remediis adgredienda, cum paracentheſin in pectore multo minus periculoſam judicem, ac in abdomine, quia prioris contenta viſcera crudo externoque aeri magis adſueta, quam poſterioris. Idem confirmat SYLVIUS *in operibus med. cap.* 50. *p.* 316. Hydrops thoracis tutiſſime curabitur (poſt præmiſſam lymphaticorum vaſorum obſtructorum reſerationem ac conſolidationem) continuato tam per apta medicamenta, quam per ſtupham ſiccam ſudore, ſicque paulatim evacuatis per corporis poros aquis præter naturam ſtagnantibus. Quibus ſi nihil efficitur, & de hydrope thoracis ſatis conſtat, non video., cur non liceat, per acum argenteam cavam in thorace innoxiam inſtituere paracentheſin, ex tali namque vulnere parvo nil periculi imminet ægro. Hæc SYLVIUS: Nos de hac operatione ita cenſemus: Ubi ex viſcerum obſtructione eadem induruerunt, ubi cachecticus corporis habitus adeſt, fruſtra ad illam pervenitur. Si vero talis hydrops ex aquarum ſtagnantium copia, v. g. ex thermis, ex nimio potu, provenit, tunc ſi vires ſuppetunt, avide eſt amplectenda, ut præſens vitæ periculum æger effugiat.

§. XXXIII.

Ut vero conſtet curationis ratio, ſequentia commendamus: Proſpiciendum primum, ut quam perdidit ſpirituaſcentiam ſanguis, recipiat, dein ut eidem curſus celerior reddatur. Inſerviunt huic fini elixiria balſamica cum liquoribus alcalinis parata, quale eſt DN. PRÆSIDIS, item eſſentiæ alexipharmacæ. Conveniunt porro, ſi tumor pedum adeſt, leniora purgantia, qualia ex mechoacanna, jalappa, auro fulminante ſalibuſque deterſivis adparantur. Non minorem opem præſtant balnea Laconica cum ſpiritu vini, quod hæc mirifice exſiccant corpus, tranſpirationem juvant & nervoſum genus calore ſuo fovent. Hiſce remediis ante quinque fere annos reſtituit DN. PRÆSES Divino favore mercatorem hujus urbis notiſſimum. Hic cum obeſiore corpore eſſet, in aſthma tale convulſivum ſubito incidebat, & thoracis hydropem ſimul adfuiſſe, exinde adparebat, quod cum aliquando ſonum quaſi diffractæ intra thoracem alicujus rei ad aures ejus adlaberetur, ſequenti die ſubviride ſerum odore fœtido expueret. Intumeſcebant ſimul pedes, nec erat facultas ipſi jacendi in lecto, neque quidquam deguſtandi. Hic tamen diligenti cura intra octo hebdoma-

des reſtitutus convaluit, cum egregie interne prodeſſent amara balſamica, externe vero calidiſſimis ex aceto vini fomentis pedibuſque adplicatis ſudor eliceretur.

§. XXXIV.

Ubi aſthma convulſivum ex ſcabie retro in corpus ſerpente, item ab arthritide repulſa oritur, ad exteriora revocare oportet nocentem materiam. Sunt pedes demittendi in aquam calidam, datis interne diaphoreticis, quæ cum anodynis optime miſcentur. Neque contemnendum opium, cujus vim ſi alexipharmacis, ſi ſpiritu cornu cervi volatili temperes, illud non ſine fructu adhibetur. BOYLE Spiritum cruoris humani extollit; nos nitrum cum camphora mixtum laudamus, innixi cum propriis tum clariſſimorum Virorum obſervationibus, qui horum medicamentorum uſum paſſim in ſcriptis ſuis prædicarunt. Anodyna enim rite præparata, & cum diaphoreticis mixta egregiæ virtutis ſunt, ubi nempe non tam à mole materiæ, quam ejuſdem acri & virulenta qualitate nervi vellicantur, excretionibus exinde intra corpus remanentibus. Igitur ſi in ejuſmodi adfectu blanda diaphoretica cum anodynis offeruntur, horum uſu non quieſcunt ſolum ſpaſmi, ſed materia etiam corrigitur, & relaxatis viis ad exitum præparatur. Quod abunde demonſtrat, anodynis, ſi tempeſtive dantur, non ſiſti excretiones, ſed iiſdem promoveri, uti id ipſum variolis, morbillis, & arthritide confirmatur.

§. XXXV.

In principio aſthmatis præſtat uti elixiribus balſamicis, nec minus diureticis remediis, quæ in ſtatu cachectico ſua laude non ſunt defraudanda. Inter hæc eminet tinctura antimonii acris, calcis vivæ, pulvis millepedum, lumbricorum terreſtrium. JOHANNES RHODIUS clariſſimum medicinæ decus *obſervatione 27. l. II.* refert, aſthma levatum fuiſſe libris 37. urinæ intra 24. horas evacuatis. Quare & BAGLIVUS hæc remedia in noſtro adfectu commendare non dubitavit, cujus verbis noſtram diſſertationem concludimus: Pluries adnotavimus, inquit *in obſervationibus p. 70.*, in pectoris morbis ſemper ducendam eſſe materiam ad urinæ vias natura id demonſtrante, quippe magnum conſenſum eſſe inter tibias & pectus, pudenda & pectus conſtat. Non vero tuta ſunt diuretica ex ſalibus lixivioſis & acidis parata in pectoris morbis, nam tuſſim movent & morbum exaſperant. Contra pulvis millepedum, therebinthinata, balſamus Peruvianus, decoctum radicum aperientium, Syrupus de althæa Fernelii urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranis infenſa ſunt.

DISSERTATIO MEDICA, DE TUSSI CONVULSIVA.

Primùm edita Anno 1732.

PROOEMIUM.

QUUM de tuſſi convulſiva aliquid commentari aggrederer, & antiquitus actorum & ſcriptorum memoriam revolvere animum ſubiret, parum abfuit quin deterrerer ab inſtituto, quum illud nomen apud antiquos fruſtra requirerem. Novum eſſe morbum ne cogitare quidem licebat per HIPPOCRATEM noſtrum, a quo commemorata gibboſitas menti obverſabatur, eaque ante pubertatem ex tuſſi facta: quam profecto non mediocrem exiſtimare poteram, ſed talem omnino, quæ id omne haberet, quod in tuſſi vehementiſſima, quæ convulſiva dici ſolet, obſervatum eſt: quoniam ſpinæ dorſi vertebrarum, actiſſime per tot vincula inter ſe deligatarum, nexum vitiare valuit. Cognovi tandem ætiologicam tuſſis doctrinam, qualem ſcholæ a GALENO traditam habuerant, tam ſuperficialem eſſe, ut cordatioribus propioris ævi doctoribus minime ſatis facere potuerit: unde factum eſt, ut miſſo inani intemperierum commento, ad id potius, quid partes ſolidæ in hoc morbo patiantur, reſpexerint, ſicque veteri quidem rei novum nomen, naturæ tamen illius convenientiſſimum, impoſuerint. Quod quum celeberrimos noſtri ævi Medicos adeo non offenderit, ut potius quotidiano uſu familiariſſimum jam factum ſit: nec mihi verendum fuit ne juſtam propterea reprehenſionem incurrerem.

§. I.

§. I.

TUſſis, in genere dicendo, eſt motus thoracis exſpiratorius intenſior, & ut plurimum crebrius per breviſſima intervalla repetitus, quo aer, copioſius primum hauſtus, clauſoque tantiſper larynge detentus, tota deinde vi, ſurſum truſo diaphragmate, muſculorumque abdominis, tum vero etiam cæterorum exſpirationi dicatorum, fibrarumque, quas ipſa bronchia habent, motricium niſu, iterum elidi-tur.

§. II.

Motus hic, in univerſum non eſt præternaturalis, quum ſaniſſimi etiam, quoties lubido eſt, tuſſire poſſint: quod ſæpe dedita opera faciunt, qui venam Chirurgo ſecandam præbuerunt, ut ſanguinis effluxus concitatior reddatur. Nimis autem ſæpe injuſſu noſtro idem oboritur, & a neceſſitate quadam, cui reſiſtere non valemus, imperatur. Atque talis morboſa conſtitutio ad motus convulſivos jure eodem referri meruit, quo omnes reliqui motus, qui ex naturæ inſtituto voluntatis noſtræ moderamini vel integre, vel ex parte, ſubjecti ſunt, quoties invitis nobis exercentur, ad hanc claſſem pertinere cenſentur.

§. III.

Quamquam vero omnis tuſſis non voluntaria convulſivam indolem præ ſe ferre cognoſcitur: nomen tamen convulſivæ illi potiſſimum inhæret, quæ efferata vehementia diaphragma ſurſum contractum, in hac ſyſtole longiori, aut creberrime repetita, detinet: unde fit ut pulmones valde compreſſi in motu ſuo plurimum inhibeantur, ut laborantes fere ſuffocentur, facieſque illorum penitus livida & tumens de ſanguinis a capite ad pectus defluxuri ſtagnatione teſtimonium cuivis intuenti præbeat. Primus, ni fallor, WILLISIUS nomen illud rei apprime conveniens impoſuit: cujus exemplum ETTMULLERUS, aliique clari viri, ſequuti ſunt. Veteres, rem deſignaturi, vocabant talem tuſſim θηριώδη, *ferinam*, aut κοπιώδη, *delaſſantem*: quorſum etiam refero ab iiſdem memoratam πνιγμώδη, *ſuffocativam.*

§. IV.

Enimvero non ſolum pulmonum actioni obeſt hæc ſpaſmodica motus exſpiratorii affectio; verum etiam ad ventriculum nimis ſæpe tranſit vitium. Quippe is contenta ſinu ſuo excutit, vomituque expellit, in conſenſum ſcilicet raptis ipſius nervis, jamque muſculos viſceri circumdatos convellentibus, ut ſurſum violenter exprimant, quicquid intus hæret.

§. V.

Quin tanta eſt violentia illius convulſivæ agitationis, ut ſæpe in tenerioribus & gracilibus pulmonum vaſa diſrupta, ſanguinique effluxuro viæ ampliſſimæ paratæ ſint: aut ſanguis ad caput vehementius pulſus, ibique detentus, narium tunicam perruperit, & hæmorrhagiam induxerit. Viſi etiam ſunt, quibus urinæ & alvinarum fæcum involuntarius effluxus ſub paroxyſmo accidit. Aliquando, quod magis mireris, vertebræ dorſalis corpus in medio diſruptum fuit: quod notabili exemplo in *Ephemer. Acad. N. C. Cent. I. obſerv. I.* comprobatum legas.

§. VI.

Præcipue tamen teneræ infantum & puerorum ætati moleſta eſt, & per intervalla tantum affligit eorum corpuſcula, ut ſæpe ſanguis ſincerus ex pulmonibus rejiciatur, palpebræ inſignem in modum inflentur, oculi lacrymas emittant, nares ſanguine ſtillent, crebro ſternutent & vehementiſſime, ac ſimul hoc motu, & tuſſis ipſius aſſiduitate, hernias ſibi contrahant: quod quidem in tam teneris corporibus minus mirari decet, quum ſæpe etiam adultis, & jam conſiſtentem ætatem adeptis, idem vitium inferre ſoleat. Quin thoraci etiam malam conſormationem illam, quæ gibboſitas dicitur, conciliat, quod longævitati conſequendæ, obſervante HIPPOCRATE *Aphoriſm. Sect. VI.* 46. plurimum obſtat.

§. VII.

Non raro epidemium hoc malum per ſatis longas regiones graſſatur; neque optimis remediis, & alio tempore efficaciſſimis, multum auſcultat, donec temporis progreſſu aeris melior & emendatior conſtitutio reddatur.

§. VIII.

Quemadmodum tuſſis mitior vel humida eſt, vel ſicca: ita graviſſima hæc convulſiva modo nihil emolitur, aut nihil, quod tanto conatui par ſit; modo humida eſt, quæ mucum ex palato, larynge, aſpera arteria & bronchiis, ſæpe una cum pure & ſanguine, rejicit; vel ex poſtremis faucibus & œſophago eundem ſurſum adducit.

§. IX.

Cauſa tuſſis primaria eſt nervorum, vel ipſi pulmonum viſceri, vel laryngi, aſperæ arteriæ & bronchiis tributorum, tum vero etiam ad partes, ob officii ſocietatem, ſpiritalibus hiſce organis proxima affinitate junctas, pertinentium, aut cum his originis aut complicationis vel propagationis ratione junctorum, moleſta irritatio, ad quam excutiendam & propulſandam natura corporis noſtri muſculos exſpirationi dicatos omnes, una cum lacertoſis fibris, quæ contrahendis & ad ſe invicem adducendis bronchiorum ſemicircularibus ſegmentis tributæ ſunt, in celeres vehementeſque contractiones, identidem repetendas, impellit.

§. X.

Pro eo autem ac materia irritationem illam adferens vel in pectore potiſſimum hæret, vel œſophago ventriculove inſidere certis ſignis indicatur, vel hypochondriacis demum viſceribus impacta eſſe cognoſcitur, tuſſis diverſa omnino nomina accipit; adeoque pectoralis, ſtomachicæ & hypochondriacæ nomina in ſcholis celebrantur. Priorem etiam idiopathicam cenſeri, poſteriores duas conſenſuales haberi videas.

§. XI.

Et ſpiritus quidem vias, quas ad pectus, quo ducunt, totas referre licet, ab initio ad finem natura obduxit tunica multis ductibus excretoriis ſpiſſe obſita: qui ductus vel arteriarum extremitatibus continuati, ad humectationem & irrigationem perpetuam, fundunt fluidum aliquod blande mucilaginoſum; vel a peculiaribus glandulis palatinis, tonſillis, iiſque quæ epiglottidem & cartilaginem arytænoidem obſident, quæque arteriæ aſperæ tunicæ poſteriori, magnum ſpatium, quo annuli cartilaginei ceſſant, explenti, crebræ interjacent, tamquam a totidem ſcaturiginibus exoriuntur, & ſpiritus vocisque vias, perpetuo muci proventu, lubricas & æquales ſervant: quod idem in bronchiis, uſque ad extremum eorum, obſervare licet, etſi de glandulis bronchialibus, quas recentiores auctores paulo ſtudioſius contemplati ſunt, incertum ſit utrum ad illius fluidi proventum

ventum inſtitutæ ſint, an alium in œconomia vitali uſum præſtent. Quoties vero accidit in his ductibus nimium muci ſecerni, id quidem facili conatu natura expellit, tuſſimque pectoralem leviorem hinc fieri obſervamus. Si vero valde tenax illud ſit, & acri vellicante indole inſuper præditum, & imis bronchiorum receſſibus incluſum; aut non tenax quidem, ſed nimis fluidum inſtar aquæ exiſtat, ut in altum propulſum identidem retro labatur; graviori utique molimine, eodemque crebrius repetito, illud excutiendum eſt, ſicque ad convulſivum modum & gradum tuſſis iſta excedit.

§. XII.

Acris autem & vellicans ille humor vel ab origine ſua talis prodit, quando univerſa humorum maſſa iſtiusmodi ſordibus ſcatet; aut quando ad ſuperficiem vel extremos artus antea depoſitæ, medentis imprudentia, aut ægrotantis qualicunque culpa, retropelluntur, vel naturæ imbecillioris defectu non amplius vegete ſatis expelluntur. Patet hoc exemplo exanthematum retropulſorum, ut ſcabiei, tineæ capitis, guttæ roſaceæ, ulcerum haud ſatis conſulto ſtudio conſolidatorum, rheumaticorum decubituum & podagræ retrocedentium: quæ ſingula pectus interdum graviter affligere, & ſeorſim tuſſes graviſſimas convulſivas produxiſſe, multis obſervationibus comprobari facile poteſt: vel externa cauſa, ex aere communi hauſta, acrem illam qualitatem irritantemque conciliat.

§. XIII.

Inter externas illas cauſas maxime valet aeris conſtitutio, quæ non ſolum quando inſolito tempore flantibus auſtris calida & benigna eſt, ſicque humores blande elicit & expandit, deinde autem mox frigus, idque aquilonare, ſuperinducit, arteriæ aſperæ & bronchiorum internam ſuperficiem ſubito conſtringendo, cum reliquis catarrhalibus moleſtiis tuſſes etiam populariter inducit; verum etiam de ſingulari quadam plus minus cauſtica & maligna ſui pravitate, inductarum febrium & exanthematicorum affectuum crebro & populari proventu, teſtimonium perhibet. Atque de ejusmodi epidemiis tuſſibus, ſatis diris & moleſtis, legi debet præ cæteris quidem HIPPOCRATES *Epidem. VI. Sect. VII.* SENNERTUS *de febribus Lib. IV. cap.* 17. & TH. SYDENHAM: addantur quoque quæ ad conſtitutiones epidemicas pertinent laudatiſſimis actis A. N. C. a celeberrimis viris paſſim inſerta, ut & *hiſtoriæ morborum Wratislavienſium & Acta medicor. Berolin. vol. 2. p. 2.*

§. XIV.

Peculiariter notabilis eſt ille nexus tuſſis & morbillorum: quippe hi plerumque, ut præcurſores, ita comites, habere tuſſes ſolent: videſis *Act. N. C. Dec. III. Ann. IV. obſ. XI. p.* 25. Quod hoc etiam autumno vidimus, quo complures infantes & pueri moleſtiſſima tuſſi, plane convulſiva, per duos fere integros menſes, laboraverunt, donec tandem circa medium Novembris, poſt variolas ſatis crebras multiſque funeſtas, morbilli prodierunt, qui non paucos etiam illico corripuerunt, qui modo a variolis liberati fuerant.

§. XV.

Porro ex aere ambiente in ſpiritus vias attractæ particulæ metallicæ, præſertim acidæ minerales, fumique ſaturnini, illis, qui copioſius vel diutius talia admiſerunt, graviſſimas & eminenter convulſivas tuſſes inducere ſolent. Quod præcipue experiuntur illi metallicolæ, qui argento per plumbum in magnis catinis depurando operam impendunt; tum vero etiam interdum figuli, qui lithargyrio, ad incruſtanda vitreo tegmine vaſa ſua, multum occupantur. Talia autem partim conſtringendo & occludendo agere videntur, ut latex ille ſubviſcidus, lateribus trachææ & bronchiorum obliniendis deſtinatus, effluxu autem ſuo prohibitus intusque coacervatus, nervos intertextos moleſte premat, hæcque ſenſatio ad nervos ex communionis & officii ſocii lege conſentientes propagetur: partim immediate eos rodendo & vellicando, poſtquam ejusmodi particulæ cum ſaliva, forte etiam per cutis, membranæque pituitariæ & laryngis poros, humorum maſſæ adjuncti fuerunt: quod inde colligere licet, quoniam ſaturnina tractantes non tuſſi ſolum, verum etiam colica graviſſima ſubinde vexantur, quæ ſatis ſæpe pareſin, & omnino contracturas, tandem inducit. Vidi homines, qui aceto deſtillato vix ſummis labris deguſtato illico ferociter tuſſire coacti ſunt. Et quod ſaturnina ſummæ tantum cuti ſæpius applicata in pulmones vehementer agere poſſint, vel inprimis docere poteſt graviſſimus auctor HERM. BOERHAAVE, qui *Element. chym. Part. III. p.* 454. teſtatur, quod acetum plumbi, ad cutis nitorem diu multumque adhibitum, in phthiſin deducere poſſit; idque ſibi triſtiſſimis ſæpe conſtitiſſe exemplis.

§. XVI.

CORNELIUS CELSUS, bonus in primis auctor, *tuſſim fere propter faucium exulcerationem moleſtam eſſe* reliquit. Id vero paulo obſcurius dictum, facit ut hæreamus, quo pacto intelligendum ſit. Poteſt enim ita accipi, quod tuſſis propterea moleſta ſit, quia exulcerationem, diuturnitate alliſionis, faciat, quemadmodum videmus partes externas diuturniore & frequentiore ad res ſolidas, aut ſe ipſas invicem attritu, intertriginem contrahere: aut ſic intelligi, quod exulceratio ab initio præſens cauſa tuſſis exiſtat. Deinde ipſa faucium accuſatio ambiguos nos reddit, quid CELSUS ſibi velit; quum æque laryngem ac pharyngem intelligere liceat. Enimvero quum fauces anginæ ſpecierum ſedem faciat, neque minus dyſpnoeæ, orthopnoeæ & aſthmatis ſubjectum eas habeat: haud difficillimum quidem puto, ut nos ex hoc dubio extricemus: quum ſic clariſſime intelligamus faucium appellatione illum late uſum eſſe, ut ſimul complectatur, quæ ad gulæ ſuperiorem partem, & ad ſpiritus vias, in illo bivio accidunt. Puto autem ipſum potiſſimum reſpicere ad illam aſperitudinem, quæ hic in malo leviori, a ſimplici frigoris conſtrictivi vitio, exoritur, unde etiam concurrens raucedo pendet: quæ, quoties aer, illam afferens, aliquid acris & rodentis ſecum vehit, unde colliſorius frequens motus concitatur, intertriginoſam exulcerationem deinde affert: quæ levior aut gravior exiſtit, pro eo ac ipſe ille aer magis vel minus infectus fuerit. Si graviſſime fuerit infectus, aphthodes faucium a ſummo ad imum exulcerationes conſpiciuntur: quod in peſtilentibus quibuſdam conſtitutionibus crebro notatum eſt: de quo argumento hic latiſſime diſſerere tempus non permittit. Conf. *Eph. A. N. C. Cent. III. obſ. LVIII.* & MARCEL. DONATUM *hiſt. med. mir. lib. III. cap.* 1.

§. XVII.

Fere nos a via diſtraxit CORN. CELSUS, una cum ſuo, quem ibi ſequitur, ASCLEPIADE. Redimus itaque ad ſpiritus vias, de quibus nondum abſolvimus. In has per aberrationem quamcunque delata peregrina corpora, ſive dura fuerint, ut eſculentorum particulæ, ſive fluida, ut guttulæ potus adſumti, inſignem & ferocem tuſſim illico concitant,

ut

ut ſæpe de vita periclitentur, quibus id accidit. Memini me videre hominem, qui inter ſodales vini cyathum exhauſturus aliquid narrari audiebat, quod ipſum in cachinnum adducebat, unde vini portio, retruſa epiglottide, in aſperam arteriam incidebat: quod tuſſim tam violentam tamque aſſiduam & plane convulſionibus ſtipatam afferebat, ut ſuffocatus forte fuiſſet, niſi bona ejus fortuna homo venas ſecandi peritus, cum omni apparatu ſuo, præſens periculo ipſum exemiſſet. Hujuſmodi caſus complures annotavit MARC. DONATUS *de med. hiſt. mir. lib. III. cap.* 7.

§. XVIII.

Si fortuito in trachæam illapſa peregrina duraque corpora tantas turbas faciunt, & naturam ad feroces tuſſes exſtimulant, quid non metuendum erit ſi talia ibi generata ſint, ſuaque præſentia naturam corporis noſtri continuo irritent? Enimvero hujuſmodi obſervationes apud Veteres & Recentiores haud paucæ exſtant. GALENUS certe monumentis litterarum reliquit exemplum viri, qui grandinibus ſimilia tuſſiendo rejecit: & ALEXAND. TRALLIANUS *Lib. V.* accurate deſcribit hiſtoriam viri, qui tuſſi rejecit verum calculum, non aſperum, ſed exquiſite lævem, durum & renitentem, ut in pavimentum dejectus ſonum ederet. Non multo diſſimilis eſt hiſtoria, quam PAULUS ÆGINETA *Lib. III. cap.* 28. *&* 31. refert de quodam, qui poſt longam & difficilem tuſſim lapides quatuor aut quinque, una cum ſanguine, ejecit, quorum quiſque triplici aculeo, inſtar tribuli aquatici, præditus fuit. Et PETR. BORELLUS *obſervat. medico phyſ. cent. I.* 67. adducit mulierem, quæ per longum tempus calculos parvos, multosque tuſſi rejecit, variæ figuræ, admodum autem duros. Plura huc pertinentia legi poterunt apud GE. FRANC. de FRANCKENAU, in diſſertationibus *de calculis capitis & thoracis. Adde Eph. A. N. C. Cent. X. pag.* 371.

§. XIX.

Alii, iidemque graves auctores, commemorant calculos in tonſillis natos, qui tuſſis continuæ præbuerunt cauſam. Legitur talis obſervatio apud JO. LANGIUM *epiſt. med. lib. II.* 58. vocat illum calculum gypſeum, ſimillimum illis tophis, qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accreſcere ex pituita ſolent. Plures teſtes adducit MARC. DONATUS *lib. IV. cap.* 30. Denique etiam leguntur verrucoſæ excreſcentiæ gutturis ſummam partem obſediſſe & graviſſimæ tuſſis auctores fuiſſe: de quo videantur apud modo laudatum ſcriptorem teſtes idonei, *lib. III. cap.* 30. *p. m.* 247. 248. Quin vermes quoque in arteria aſpera hoſpitantes, eamque irritantes, tuſſim produxiſſe ex SERAPIONE Arabe, quem corruptiſſime ALSAHARAVIUM vocant, ut & ex JOANN. RHODIO *obſ. med. cent. II. obſ.* 12. diſcimus.

§. XX.

Tandem etiam inflammationi pulmonum & pleuræ ſuccedentes ſuppurationes, indeque ortos abſceſſus, longæ & difficillimæ tuſſis cauſas fuiſſe, ſæpe multumque compertum eſt. Pleni ſunt Medicorum libri iſtiuſmodi ægrotorum obſervationibus. Præ cæteris notatu digna mihi illa videtur, quæ in *A. N. C. Dec. II. ann. VIII. pag.* 245. de muliere ſexagenaria legitur, rupti abſceſſus purgamenta fœtidiſſima cum tanta tuſſis violentia emoliente, ac ſi ipſa cum inteſtinis enixura eſſet viſcera. Accidit hoc illis maxime ægrotis, ubi abſceſſus in extrema aliqua pulmonis parte fundo ſuo hæret, & non niſi exigui bronchiorum ramuli exeſi ſunt, per quos pus tenacius non ſine extremo conatu ſurſum evehitur: quibus etiam tuſſis plerumque periodice accidit, ita ut poſt certa quietis tempora majori deinceps vehementia motus integrentur. Ceterum huc etiam illi ſine dubio referendi ſunt, qui pulmonum fruſta, vaſorumque pulmonalium partes, tuſſi ejecerunt: quales ægroti apud TULPIUM, alioſque hiſtoriæ medicæ ſcriptores, inveniuntur. Hæc vero de illa tuſſi, cujus cauſa in ipſis ſpiritus viis ſubſiſtit, dicta ſufficiant.

§. XXI.

Progredimur nunc ad iſtas tuſſis convulſivæ cauſas, quæ longius remotæ & extra ſpiritus vias ſunt poſitæ. Inprimis hic reus agitur ſtomachus, quoniam ſæpe tam adulti, quam tenerior ætas, liberrimis reſpirationis organis, inferius circa ſcrobiculi cordis regionem ſe vellicari, & ad tuſſim irritari ſentiunt, quo caſu ſæpe viſcida, aliquando aſſumpta omnia, diutius protracta tuſſi, rejiciuntur. Confirmant ſuſpicionem conjuncta ſymptomata, ventriculi labem indicantia, ut appetitus proſtratus, indigeſtio, ſenſus in ventriculo gravativus. Atque hic affectus raro ſolus eſt, quin adjuncta habeat catarrhalia quædam ſigna: unde aliqui a catarrhali decubitu in poſtremarum faucium tunica, per œſophagum potiſſimum continuata, orificium ventriculi ſiniſtrum, ipſique proximas glandulas dorſales, ſimul intumeſcere, nervosque paris vagi, œſophagum ibi circumplexos, irritari, hos vero ad pulmones, diaphragma & laryngem abeuntes ramos in conſenſum trahere, exiſtimant: alii profundius etiam & in ipſo duodeno cauſam irritantem latitare autumant. Accedit quod febribus intermittentibus laborantes, aliquando ante paroxyſmum ſatis promptiter tuſſiunt, toto reliquo tempore ſatis ab hac concuſſione immunes. Vidi virum tertiana exquiſita laborantem, qui, quamdiu horror febrilis durabat, immani tuſſi vexabatur: hoc ſuperato, per totum æſtus tempus, ut & per totum ἀπυρεξίας ſpatium, plane a tuſſi immunis degebat: ipſa deinde tuſſi eadem proportione decreſcente, qua febri per idonea medicamenta detrahebatur: unde ſatis clare elucet, quod hujus tuſſis cauſa cum ipſius febris ſede ac fomite ſatis arcte cohæſerit.

§. XXII.

Præter ventriculum & duodenum tuſſis ſatis gravis cauſam fovent remotiores partes abdominis. Nam qui hepatis ſcirrhis confirmatis laborant, quod ſuis ſignis conjicitur, ſatis ſæpe vehementi tuſſi, per vices interquieſcente & revertente, vexantur. Quemadmodum etiam hydropicis accidunt tuſſes haud læti eventus præſagæ, ſic docente HIPPOCRATE *Sect. VI. aph.* 35. Quin, hoc eodem auctore *Epid. II. Sect. IV.* conſenſus datur inter pectus & teſtes, ita ut tuſſes aliquando diuturnæ ceſſent ſupervenienete teſtis tumore, viciſſim vero teſtis tumor, exorta tuſſi levetur: quod recenti obſervatione confirmatur *Eph. A. N. C. Cent. III. obſ.* 83.

§. XXIII.

Neque vero rarum eſt tuſſes inter ſe ita complicari, ut vix ſatis cognoſci poſſit, quod nomen majori jure imponendum ſit. Nam, in epidemiis præcipue conſtitutionibus, nihil obſtat, quo minus primæ ſimul viæ & ſpiritalia organa lædantur, quin hypochondriaca viſcera tangantur: quemadmodum tertianæ etiam viſæ ſunt pleuritico ſchemate ingruentes, aliæque ictericam defœdationem ſecum ferentes.

§. XXIV.

Tuſſes autem tam graves & convulſivæ non idem præſagium habere poſſunt. Infantibus multis funeſtæ ſunt illæ, quæ epidemice graſſantur: tantoque ſunt graviores, ſi ſimul dentitionis negotium concurrat, quo frequentius eſt multis tunc veras & plenas convulſiones concurrere. Extra hunc caſum propterea etiam extimeſcendæ ſunt, quod hernias inducere valent, aut gibbos facere: quod jam ſupra attigimus. Adultioribus, etſi non omnino ab indicato metu liberis, magis extimeſcendæ ſunt hæmoptyſes, a quibus facilem pronamque in phthiſin eſſe viam nimis notum eſt.

§. XXV.

Cæterum convulſivæ tuſſes omnes pejores ſunt mitioribus, eæque quæ in eodem genere ſiccæ ſunt humidis. Omnium difficillimæ ſunt hypochondriacæ, & ex pectoralibus illæ, quarum cauſa difficilius poteſt corrigi aut expelli; ut ſunt abſceſſus interni, calculi in arteria aſpera & bronchiis hærentes. Quæ a retropulſis efflorescentiis cutaneis ortum traxerunt, haud adeo difficulter curantur, ſi initio medela afferatur, illæque ad cutim repellantur: quo omiſſo nec facile deinceps negotium illud ſuccedet, nec reparari poterunt illa læſæ ſtructuræ organicæ vitia, quæ a tali errore orta *Act. phyſico-med. Acad. N. C. Vol.* 1. *obſ.* 231. recenſentur.

§. XXVI.

Progredimur ad curationem tuſſis convulſivæ tractandam, quæ duabus potiſſimum indicationibus dirigenda eſt. Ac primo quidem convenit vehementem illam agitationem & concuſſionem partium exſpirationi dicatarum ſecuro modo compeſcere, & ad moderationem reducere; altera cura ſit ut materiam, quæ cauſam præbet, ſubtrahamus, ſi mobilis eſt: ſi non mobilis eſt, & in tumore, ſcirrho, topho, abſceſſu, aliisque hujus generis, conſtat, quantum ejus fieri poteſt corrigamus, neque magis invaleſcat, prohibeamus.

§. XXVII.

Primæ intentioni ſatisfacere licet, quando materia laryngem, bronchiaque vexat acris, eaque tenuior, quam ut ſurſum efferri ejicique poſſit, per incraſſantia & acrem illum tenuemque humorem inviſcantia. Talia complura in officinis ab antiquo jam proſtant, quæ lingendo & lente deglutiendo fructum afferunt aliquem, etsi non illum, quem Vetuſtiſſimi ſibi promittebant, fieri poſſe & ſolere rati, ut talia ipſam aſperam arteriam aliqua ex parte ſubeant. Pertinet huc potiſſimum loch de papavere recens paratum, nam vetuſtate corrumpitur, itemque loch de tuſſilagine, quippe quibus nihil omnino acre ineſt, cum tota conſtent ex mucilaginoſis: priori etiam ſemen papaveris demulcentem blandam virtutem impertitur. Eadem intentione officinas intrarunt diacodion Galeno jam uſitatiſſimum, ſyrupus de farfara, jujubinus, de papavere ſimplex & compoſitus: quibus per ſe, linctu utimur, vel oleo amygdalarum commixtis. Poſſunt etiam decocto hordei cum Cornu Cervi aut avenæ excorticatæ admiſceri & cum illis hauriri, aut potiunculis ex aquis deſtillatis dilui, ſicque verſus noctem potiſſimum exhiberi.

§. XXVIII.

Talibus vero ſolis non permitti curatio debet, ut nec diu continuari eorum uſus cum fructu poteſt. Illico potius diſpiciendum eſt, ex qua cauſa hic defluxus & decubitus tam acris materiæ ſpiritus viis accidat. Jam ſi cognoſcatur tranſpirationem ſuppreſſam, in corpore impuris ſuccis ſcatente, aut exanthemata retrogreſſa vel retropulſa eſſe, omni opera mox enitendum eſt, ut ſimul ad ſuperficiem hæc revocemus, ſimul exhauriamus. Huic ſcopo efficaciſſime ſuccurrit æthiops mineralis, ſive illum officinalem malis, ſive ex antimonio crudo & mercurio paratum: modo in doſi non nimis parci ſimus, nec ab uſu ejus valde cito diſcedamus.

§. XXIX.

Si nihil horum deprehendatur in culpa eſſe, mallem tamen modo laudato remedio inſiſtere, quam exemplo Riverii & Sydenhami purgantibus acribus, mercurio dulci additis, pugnare. Nam effectus, quem in reſolvenda lympha mercurius dulcis purganti ſtimulo roboratus facit, in æthiopis uſu non ſolum blandior ſed ipſo temporis ſucceſſu certior eſt, quam in ſimultaneis iſtiuſmodi excretionibus: quæ nec ſemper ex voto cedunt, quum aliquoties exacerbatæ tuſſes purgantium uſu viſæ ſint. Quanquam in univerſum non improbare purgantia auſim, utique ſi primarum viarum vitia ſimul adeſſe cognoſcantur, aut tuſſes iſtiuſmodi poſt variolas modo ſuperatas exoriantur: quo caſu inprimis convenire poſſunt.

§. XXX.

Quod ſi talibus præmiſſis motus iſti nondum conquieſcant, quod aliquando ex ſola illa cauſa fit, quod frigus nocturnum arteriam aſperam ad conſuetos jam motus identidem exaſperat; veniendum eſt ad paulo fortiora anodyna, ut ſunt quæ ipſum opium ingreditur, ut theriaca, mithridatium, pilulæ de cynogloſſo, ſtyrace, Wildeganſii: quibus tamen ſingulis præfero tales, in quibus pigro aſino generoſus equus adjunctus eſt: hoc eſt, ubi opii virtus narcotica purgantis non inertis conjunctione temperatur, ut in pilulis Starckeyanis intueri licet; ad quarum imitationem confici poſſunt haud inferioribus præditæ virtutibus, etiam ſine tædioſiſſime præparandi correctoris illius adminiculo.

§. XXXI.

Tandem nec externa inſuper habenda ſunt, quippe hæc multis caſibus vehementiam tuſſis, admodum conſpicuo fructu, minuunt. Exſtat in officinis unguentum pectorale, quod & crocinum ab aliquibus vocatur, quod iis præcipue confert, qui exulceratos pulmones habent, quando tuſſis nimis ferox redditur. Pleuritide aut peripneumonia correptis, ad tuſſis & dolorum punctoriorum inſigne ſolatium, imponitur puls ex fagopyro & floribus chamæmeli cocta, cum croco; linteis duplicatis incluſa toti pectori applicetur. Emplaſtrum etiam fieri poteſt ex bdellio, myrrha, croco, florum ſulphuris modico, hæcque axungiæ humanæ, terebinthinæ ac ceræ ſufficienti quantitate excepta, linteoque inducta, toti dorſo & pectori imponantur; a quo remedio virum pertinaciſſima tuſſi, & moleſtiſſima, totis noctibus divexatum inſigniter adjutum eſſe ex prælectionibus Illuſtris Dom. Præsidis probe memini.

§. XXXII.

Quin infantibus convulſoria ſuffocativa tuſſi laborantibus inſtar incantamenti ſæpe profuit, ſi emplaſtrum veſicatorium, inſtar groſſi majuſculi, nuchæ impoſitum fuit: quippe quo pori arcte conſtricti reſerantur, & acris materia, quæ partibus membranaceo nervoſis incubuit, easque continuo vellicavit, ad ſuperficiem evocata fuit. Præcipue vero conducet hoc remedium, ubi achores, ſcabies, & alii cutanei

tanei affectus exanthematici, male decurrerunt, ſuique reliquias, profundius inhærentes, produnt.

§. XXXIII.

Quando aer malignis ſalino-cauſticis effluviis fœtus, illas, dum ſpiritus vias tranſiit, ibi depoſuit, ſimulque cum fiſtulæ cibalis ſuperioribus partibus communicavit, illius quidem intuitu multa facienda ſunt, quæ hic locus non capit: ſed tuſſis levandæ cauſa, atque ut exulcerationibus iſtis aphthoideis occurratur, juvat inprimis os & fauces crebro colluere decoctis vinoſis, aut ſimplici vino vel oxymelite: pauperibus acetum, quali familia utitur, ſufficit, quod melle ſimplici, aut roſato, diſtemperetur. Quod vulgo acetum tantopere reformidetur, ubi tuſſis adeſt, novi quidem, ſed & miror: quum vetuſtiſſimi auctores vel in primis ad defluxiones in gutture, ad anginas & orthopnœas commendaverint, tam ſorbendum, quam gargariſandum: & ASCLEPIADES, teſte CORN. CELSO, *Lib. IV. cap.* 4. illud maximo laudaverit opere. Accedit quod malignarum, quæ tunc maxime jungi ſolent, febrium ſit optima maxima medicina acetum, omnes antidotos alias multis poſt ſe paraſangis relinquens: quare & hoc intuitu præcipue meretur commendari.

§. XXXIV.

Illis, qui mineralibus vaporibus corroſivis affatim hauſtis, & plumbi particulis crebra inſpiratione ſuſceptis, malum debent, opus eſt ante omnia in poſterum illa cavere, aut ſe pinguium uſu præmunire, ſi ad talem laborem revertendum eſt. Ut vero jam allatum corpori ſuo damnum reſarciant, commendatum inprimis habeant decoctum raparum exſiccatarum, cum butyro vel oleo amygdalarum dulcium. Aqua dracunculi eſculenti, quem LOBELIUS *ſtirpium obſerv. p.* 243. draconem vocat, deſtillata juſto tempore, iſtiusmodi tuſſi laborantes maxime juvat, ut Ill. Dom. PRÆSES edocet in Diſſert. *de metallicol. morbis.* Eadem plantula inter acetaria exhibeatur iſtiusmodi ægrotis, ut & tuſſi hypochondriaca laborantibus; plus enim in receſſu habet, quam vulgo creditur.

§. XXXV.

Quando peregrina in trachæam illapſa tuſſim ferociorem excitant, ut omnino periculum ſuffocationis inſtet, non inutile eſt homini ſanguinis & ſuccorum pleno venam ſecare in brachio, ſicque detracta aliqua copia humorum reſpirandi facultatem reſtituere, quod cum fructu factum vidi & ſupra retuli. De reliquo non equidem video quid fieri cum fructu tunc queat, & ſucceſſus expulſionis a natura & tempore exſpectandus eſt. Calculi in ipſis viis ſpiritus enati pariter naturæ, ut illos expellat, relinquendi videntur. Eam autem adjuvare licebit uſu humectantium & lubricantium, quemadmodum AL. TRALLIANUS, loco quem ſupra indicavimus, rectiſſime admonet. Interponi poterunt ſimul talia demulcentia & antiſpaſmodica, quæ efferatos nimium ſpaſmodicos motus mitigent, ut ſunt emulſiones ex ſemine papaveris & amygdalis paratæ, ſyrupo papaveris vel diacodio ad gratiam conditæ. E longinquo ſimul provideatur, ne plures ſubnaſcantur calculi, quod in hominibus, qui rheumaticis affectibus obnoxii ſunt, aut alias craſſos & tartareos humores gerunt, extimeſcendum eſt. Quare juvabit eos ſi humores ſuos bene fluxiles reddant, potus præcipue tenuis & copioſi adminiculo, fontiumque mineralium, præſertim Selterani cum lacte potandi, opem experiantur. Seri etiam lactis, herbarum antiſcorbuticarum temperatiorum, & has inter præcipue illius modo laudati dracunculi eſculenti ſuccis alterati uſum frequentem habeant. In tonſillis hærentem calculum vel crebra oris collutione, ex decoctis emollientibus & maturantibus, a nexu ſuo liberare oportet; quod Jo. LANGIO, ſupra citato, ex voto ceſſit, vel provide adhibitorum inſtrumentorum ope utendum eſt: quemadmodum lapidis talis a balneatore bono cum ſucceſſu exciſi mentio fit in *Eph. A. N. C. Cent. V. obſ.* 48.

§. XXXVI.

Miſera eſt conditio eorum, quibus in pulmone abſceſſus vomicæque hærent, omninoque rari viſi ſunt, quibus ruptis illis, excuſſoque multo cum molimine pure, ſanitas fuit reddita. Illud certo certius eſt, quod vehementes tuſſes iſtæ omnino nihil emendent, & malum pejus reddant, quum numquam conſequi ulceris illius, quod toties, tamque violenter concutitur, convellitur & agitatur, conſolidatio poſſit. Quare dum reliqua, quæ ulceri pulmonum debentur, ex arte afferimus, huc etiam reſpicere omnino oportet, ut motus iſti vehementiſſimi ſenſim ad mediocritatem revocentur. Placet inprimis balſamus pectoralis MEIBOMII, qui tantillum laudani opiati in ſingulas doſes continet, cujus uſu quotidiano aliquos, qui exulceratos pulmones habuerunt, & a juventute habuerunt, ad ſatis conſpicuam ætatem perveniſſe novimus. Poſſunt etiam, dum paroxyſmus deſævit, exterius adhiberi unguenta, ut pectorale, quod ſupra laudavimus, itemque reſumptivum, cum aliquantulo populei remixtum: unde, præter demulcentem effectum, ille etiam conſequetur, quem Veteres deſiderabant, quum magnum & diuturnum motum ſubituros inungebant, idemque motu jam peracto factitabant. Scilicet laſſitudinem talia detrahunt, & ſubſequi ſolitam fibrarum rigiditatem emendant.

§. XXXVII.

Quando ventriculus primæque viæ acribus humoribus laborant, in promtu eſt illos debere obtundi, digeri, tandem evacuari: a quo ſi non conſequimur, quod operæ pretium faciat, juſta eſt ſuſpicio in partibus ſolidis hærere vitium, vel in glandula dorſali ad œſophagum ſita, vel in ipſis duodeni pancreatiſque glandulis, unde primo eliquari per convenientia reſolventia & aperitiva, deinde evacuari debet. In ſubſidium externo uſu vocetur emplaſtrum ſaponatum, quod pulcherrime reſolvit; dentur mercurialia convenientia, tandemque interponantur, quæ motus nimis efferatos blande mitigent, neque tamen reſolutorio ſcopo repugnent; qualia ſuperius indicavimus.

§. XXXVIII.

De tuſſi hypochondriaca quod dicamus vix ſupereſt, quod non jam ſuperius dictis comprehenſum ſit. Numquam illa accidit, quin tamquam accidens alius morbi conſideranda ſit: unde directam medicationem nec poſtulat, nec ex lege therapiæ rationalis admittit. In tantum autem mederi licet, quantum exceſſivus ille & efferatus motus, a quo nulla directa utilitas ſperari poteſt, aliis partibus damnum minatur, ut non ſolum hæmoptyſis, herniæ, inque gravidis abortus metui debeant, verum etiam delaſſatio corporis inutilis, ſomnique ablatum beneficium, corporis animalis œconomiæ detrimentum affert. Ad mitigationem conducent tam interna quam externa præſidia, quæ ſupra laudavimus. Aliquantulum magis ad directam curationem conferunt iris Florentina & ſcilla: quippe horum ſimplicium virtus reſolvens

ſolvens conſpicua eſt. Sed ſpecies diaireos, ob adjectorum farraginem, quorum pars facile ranceſcit, haud uſquequaque placent. Oxymel ſcilliticum ut & looch de ſcilla, a parvis doſibus incipiendo, cauteque progrediendo, operæ facient pretium, ſi reliquis, principali vitio debitis, prudenter jungantur aut interpoſita fuerint: quemadmodum eadem etiam in ipſa pectorali difficillima tuſſi, mucum tenacem reſolvendo & ad evacuationem præparando, non ſine cauſa commendata ſunt.

§. XXXIX.

In omni tuſſi bonum eſt frigus vitare, & corpus ad tranſpirationis placidum ſucceſſum bene habere diſpoſitum. Quare infuſa theiformia in primis commendanda ſunt, quæ pro individuali conditione ſubjecti ægrotantis concinnanda ſunt. Alvum etiam recte reſpondere oportet, quæ, ſi lenta ſit, clyſteribus mere emollientibus, multum carminativorum oleorum habentibus, duci poteſt: quod quum omnibus, tum vero præcipue hypochondriacis, bene facit, ſtricturiſque illis, quæ plexibus meſenterii, aliiſque abdominalibus, inhærent, ſublatis, tranquillitatem optatam ægrotis, aut ſaltem ſenſibilem, qua ſæpe contentos eſſe oportet, quando malum radicitus exſcindi nequit, affert.

§. XL.

In tuſſi epidemia maligna cum febre & crebris vomendi conatibus, quibus bilis porracea inſtar fæcum cereviſiæ ſpumida evacuabatur, (quæ cIↃ IↃ cc xxviii. graſſabatur) eadem enemata præcipuum fructum attulerunt, ſatiſque diuturna inter quieſcendi & vires colligendi ſpatia procurarunt: qui vero naturam, uti rebantur, ſequendi & juvandi ſpe vomitorias medicinas accipiebant, infauſti conatus pœnitentia mox ducebantur, neque pauci horum ad plures abibant, illi utique, qui præ cæteris robuſti & humorum pleni erant. Extra hunc caſum in ſimplici tuſſi ſtomachica infantum & puerorum convulſiva, cathartico blandiori, v. g. mannæ ſolutioni cum pauxillo pulveris radicis gialappæ, addi poteſt ſyrupus florum perſicorum, aut pulvis radicis ipecacuanhæ, ut, ſurſum peracta una vel altera evacuatione, potiſſima tamen operatio per alvum fiat.

§. XLI.

Sydenham compluribus locis, ubi de curatione tuſſis convulſivæ loquitur, vix aliud ſuadet remedium, quam venæ ſectionem, & deinceps cathartica. Quin nec infantilem ætatem ab hac ſanguinaria lege excipit, quam ipſa natura veniſecibus ſubtrahere vaſorum inſigni tenuitate & teneritudine videtur voluiſſe. Sed relinquimus Angliæ Medicis ſuam ſive experientiam ſive perſuaſionem: id ſcimus quod illi, qui in Germania noſtra eundem morem invehere annisi ſunt, nihil præſtiterint, quod cæteros invidere eorum ſucceſſibus, & æmulari artificium impulerit. Neque tamen in univerſum repudiamus hoc evacuandi genus, quod tuſſientis conditio ſæpe expoſcit, etſi tuſſis per ſe minime poſtulat.

§. XLII.

Putamus autem venam ſecandam eſſe effera tuſſi laborantibus illis, qui ſemel aut ſæpius ſanguinem e pulmonibus aut ventriculo ejecerunt; deinde fœminis menſium ſuppreſſione laborantibus, aut gravidis; tum omnibus huic artificiali evacuationi adſuetis, ſi tempus conſuetum vel inſtet, vel præſens ſit: noviſſime illis, qui ex ſubito in trachæam immiſſis ſive duris ſive fluidis adeo feroci tuſſi vexantur, ut ſuffocationis metus adſit maxime juſtus. Nam quum non deſint exempla eorum, qui ex tam frivola cauſſa vitam ſuam amiſerunt; nec rarum ſit iiſdem caſibus aliquos ſuccumbere, ex quibus alii facile eluctantur: melius videtur in talibus ægrotis facere, quod aliqua veri ſimilitudine opem aliquam ferre poteſt, quam certo interitui ipſos permittere. Qui extra hos caſus ſanguinem mittunt, incurrunt cenſuram Musitani: *peccat pituita & ſanguinem exhauriunt: unus peccat & alter plectitur.*

§. XLIII.

Nuper perlegenti mihi libellum de fonte ſoterio Heilsbronnenſi hoc anno editum, complures obſervationes obvenerunt, de inſigni fructu, quem aquæ illæ diuturnis & pertinacibus tuſſibus percurandis attulerunt. Has inter præcipue attentionem illa meretur quæ *pag.* 75. §. 74. occurrit, de fœmina quadraginta & octo annorum, quæ inde a tribus annis pectoris multa incommoda perpeſſa, noctes fere inſomnes, ob tuſſis ferociam tranſigebat, ut omne fere tempus, ni ſuffocari vellet, ſedendo deberet tranſigere. Sæpe magna coagulati ſanguinis fruſta, laborioſiſſimis conatibus, e thorace ejecerat. Aderat jam magnus calor febrilis, & ſudores colliquativi accedebant. Hanc tamen fœminam ita juverunt aquæ illæ, quum mane ac veſperi illas ad libram dimidiam bibiſſet, ut omnino hinc convaluerit, & omnis incommodi expers nunc degat.

§. XLIV.

Quum vero invenirem illum fontem, præter puriſſimum aquæ elementum, vix aliquid minerale, quod notatu dignum ſit, fovere: viſum mihi fuit hoc etiam exemplum confirmare illam theſin, quam Ill. Dom. Præses ſingulari diſſertatione confirmavit, quod aqua ſcilicet ſit medicina univerſalis. Incidit ſimul memoriæ, de quo apud Alexandr. Trallianum, ipſo capite de tuſſi, legi, Jacobus Pſychreſtus, quem virum magnificum & Dei in arte obſervantiſſimum vocat: quemque Pſychreſti nomen accepiſſe dicit, *quod alimento humectante potiſſimum uteretur: atque hoc facere videbatur, cum vulgus hominum rerum ad ſe non pertinentium curioſum eſſe, pecuniæ deditum, & ſemper in triſtitia & curis per totam ipſorum vitam agere videret.* Viſum autem mihi fuit multos etiam noſtratium a difficilibus morbis, & hos inter à tuſſi gravi hypochondriaca, & pectoris variis affectibus, curari poſſe, ſi aquæ puriſſimæ potu pro diæta uterentur; eos vero tanto majorem fructum eſſe conſequuturos, qui cereviſiarum craſſiorum & vinorum, quin ſublimatorum liquorum, frequenti uſu morbis diuturnis firmamentum inde a multis annis poſuerunt.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MORBIS OESOPHAGI.

Primùm edita Anno 1722.

PRÆFATIO.

QUAM eximium, imo ampliſſimum uſum atque utilitatem cultiori medicinæ ſtudio accuratior corporis humani per diligentiorem anatomen acquiſita cognitio fœneret, nemo rectius, niſi qui morborum hiſtorias explicare, eorum ſedem ac cauſas evolvere & ſymptomatum, quæ aſſociantur, rationes non ſuperficiarias, ſed ſolidas dare & demonſtrare debet, intelligit. Niſi enim quis partis iſtius, in qua cauſa morboſa tyrannidem ſuam exercet, & cui firmius inhæreſcit, plenam & perfectam quoad ſtructuram & uſum habeat notitiam, niſi etiam cauſæ morbificæ natura, vis & modus agendi ſit perſpectus, is nec ſolidum de morbo ratione eventus judicium formare, nec quæ noceant, vel proficiant ex remediorum fontibus, apte indicare poteſt. Quare longe optime anatome a MONTANO alphabetum medicinæ dicitur, quo, tanquam fundamento, neglecto reliquum etiam ædificium neceſſum eſt corruat, cum abſque eo nec partes, nec partium functiones, neque proinde earundem læſiones cognoſci aut diſcerni commode poſſint. Quemadmodum vero artificioſa ſani & integri corporis diſſectio eum habet finem, ut qualis ſit textura & conſtitutio partium in ſtatu ſecundum naturam, probe explicando exinde cognoſcamus; ita frequentior cadaverum morbis defunctorum quoad interiora inſpectio ad varias læſiones, morborum cauſas & ſtatum, qui fit præter naturam, probe dignoſcendum viam ſternit apertiſſimam. Igitur vehementer foret optandum, ut integræ & completæ morborum hiſtoriæ accuratius deſcriberentur, cum annexa anatomica hiſtoria eorum, quæ facta corporum, iis morbis extinctorum, ſectione in conſpectum venerunt, ita futurum ſperamus, ut ars noſtra ſalutaris ad meliorem perfectionis gradum pervenire & ſcientifice pertractari poſſit. Quicunque vero Medicorum, ſive theoriam, ſive praxin ſpectes, duobus hiſce oculis caret, quorum dexter eſt anatome non craſſa, ſed ſubtilior, ſiniſter vero ſcientia phyſices non ſcholaſtica, ſed experimentalis, is certe in tenebris, licet ampliſſimum ſermonem de morbis eorumque curatione habere poſſit, mihi verſari videtur. Qua de cauſa etiam prudentiores, ſi certarum partium morboſas afflictiones pathologice tractandas ſuſcipiunt, valde commodum & conſultum ducunt, paulo accuratiorem harum partium anatomicam notitiam præmittere, ut poſtea diverſi generis morbi, qui has partes graviter exercere ſolent, eorumque pernicioſi effectus, quos in partes exſerunt, eo rectius cognoſcantur & diſtinguantur. Cum itaque nobis propoſitum ſit, ſpeciminis loco morbos œſophago inſidentes, fere a Medicis neglectos, cum cura quadam & ſolertia deſcribere, viſum nobis eſt, priuſquam ad propoſitum noſtrum accedamus, ex ipſis anatomicis paulo diligentius œſophagi ſitum, connexionem, ſtructuram & fabricam tradere, & ex hac denique hujus partis morbos eorumque cauſas explicare. Summum vero Numen ſupplices precamur, ut hunc laborem rei medicæ ſalutarem eſſe jubeat.

§. I.

OEſophagus canalis eſt ex varii generis membranis conflatus, a faucibus ad ventriculum protenſus, per quem eſculenta ac potulenta ad ventriculum motus periſtaltici ope deſcendunt. Hujus canalis principium Græcis dicitur pharynx, Latinis gula, & figuram habet inſtar infundibuli ſatis latam & amplam, quæ deſinit in anguſtum canalem, quo

quo eo melius alimenta comprehendi & ope muſculorum, quibus conſtat pharynx, in œſophagum ſive canalem membranoſum impelli poſſint. Conſtat vero infundibulum ex tribus muſculorum paribus, quorum duo ejus dilatationi, tertium par conſtrictioni inſerviunt. Primum par, quod omnium maximum, ab anatomicis cephalo-pharyngeum appellatur, quia originem ſuam ab infima occipitis parte, ubi vertebris connectitur, ſumit & ſuperiorem pharyngis partem conſtituit. Alterum par eſt ſtylopharyngeum, quod a proceſſibus ſtyliformibus oſſis temporum exoritur, & lateralem atque inferiorem pharyngis partem efformat. Nonnulli anatomicorum hos dilatatores muſculos valde multiplicant, multaque paria muſculorum effingunt; Hinc quoque cephalopharyngeum dividunt in ſphenopharyngeum & pterygo-pharyngeum. Illum ita appellant, quoniam ejus fibræ ab oſſe ſphenoide proveniunt, cum hujus fibræ a proceſſibus pterygoideis ortum ſuum ducant. Tertium par conſtringit pharyngem, hinc conſtrictor & ſphincter gulæ vocatur: fibræ ejus ſunt circulares & annuli inſtar œſophagum cingunt ac ambiunt. Oritur hoc par utrinque ab hyoideo oſſe & cartilagine thyroidea & cricoidea laryngis.

§. II.

Quod attinet ad ſitum & connexionem œſophagi, is poſt arteriam aſperam jacet, cum qua etiam connectitur, & quidem cum parte ejus poſteriori membranacea, ut ſub deglutitione liberius poſſit expandi. Deſcendit vero juxta longitudinem vertebrarum colli & thoracis: circa quintam vero ejus vertebram parum ob aortam inflectitur, circa undecimam vero vertebram ventriculi ſiniſtrum orificium ingreditur. Notatu vero dignum eſt, quod, ubi connectitur cum arteria aſpera, anguſtior & magis carnoſus fiat hic canalis, ubi vero pertingit ad arteriam magnam cui ſuperjacet, amplior & tenuior evadat. Perforat vero ipſum diaphragma non in nervea ejus, ut communiter in libris anatomicis pingitur, ſed in carnea & quidem in ſuperiori inferioris diaphragmatis muſculi parte.

§. III.

Compoſitus vero œſophagus eſt ex diverſæ naturæ & uſus tunicis: exterior non magni momenti pleuræ debetur, cujus beneficio circumjacentibus partibus annectitur. Sed in conſiderationem maxime venit carnea ſive muſculoſa, valde robuſta, ex fibris, ſecundum longitudinem exporrectis, ſatis validis & denſis rubicundis contexta, & quia fere totus carnoſus eſt œſophagus, veteres Medicos œſophagum pro muſculo habuiſſe, auctor eſt Avicenna *cap. de gula*. Fibris rectis atque longitudinalibus in homine ſubſtratæ ſunt annulares. Steno & Willisius tantummodo rotundarum & in ſpiram contortarum fibrarum, quæ ſe mutuo decuſſant & binas cochleas conſtituunt, mentionem facit. Sed videtur hos viros magis examinaſſe ex quibuſdam animalibus œſophagos, non vero humanum. In brutis neceſſe erat ob ſitum horizontalem hunc canalem ex fibris ſpiralibus valde robuſtis componi, ut earum motu & conſtrictione violentiori alimenta ad ventriculum deriventur, in homine vero non opus erat hac fabrica, quia ob ſitum perpendicularem vi ipſius gravitatis facile cibi deſcendunt. In grandioribus piſcibus ſecundum Riolanum *in anthropolog. L.* 3. *cap.* 14. tanta eſt motus in tunica muſculoſa œſophagi violentia, ut fame vexati dum alios inſectantur, ad os uſque ſtomachum revolvant. Sic cornigera animalia cibum non exacte manſum regerunt in os per ruminationem, ſed hic motus in homine fieri non poteſt, quia ſpinæ per ligamenta œſophagus firmiter annectitur. Sequitur tunica nervoſa, quæ muſculoſæ eſt proxima, hæc multis vaſculis ſanguineis & glandulis inſtructa eſt, hinc a Verheyen in tunicam vaſculoſam & glanduloſam ſeorſim dividitur. Hæc ipſa eſt communis & contigua cum ore, faucibus & ventriculo, inſuper illa uſque ad ventriculum deſcendens orificium ejus ſiniſtrum circum circa ſpatio trium digitorum intus obducit. Hæc tunicæ iſtius nerveæ extremitas, ut probe monet Willisius, intra ſtomachi orificium craſſa admodum & villoſa, & a ventriculi tunica interiore, quam obtegit, valde diſtincta apparet, quod poſt levem elixationem clarius cernitur; tunc enim tunica iſta a gula proveniens, ſecus ac interior illa ſtomachi, mire candicat. Hujus tunicæ altior in ventriculum inſertio intimum ac arctiſſimum illud inter ſtomachum & gulam commercium facit; ita ut, ſi pars alterutra in vomitionem cieatur, mox altera in σύμπραξιν adducatur: cumque eadem tunica palatum aliaſque oris partes inveſtiat, etiam hæ cum illis per vomitionem mutuo conſenſu afficiuntur. Ultima interior tunica ex villis & fibris tenuiſſimis conſtat, & totam ejus cavitatem velut lanugine quadam inveſtit, & hæc tota humore lubrico obducta eſt, & quoque illi, quæ fauces & os intus tegit, continua.

§. IV.

Numero vero plures ſunt glandulæ tam exteriores, quam interiores in œſophago conſiderandæ, ſiquidem cruſta villoſa avulſa innumeræ glandulæ, bombycum ovis multo minores, ſingulæ tamen vaſ· excretorio donatæ obſervantur, quemadmodum i jam dudum du Verney vid. Hamel *Philoſophia vet. & nova* Tom. *VI. Part.* 3. *p.* 316. & Valsalva *Tr. de aure humana* Tab. *V. fig.* 11. has ipſas delineavit. Sunt vero plures extra œſophagum poſitæ idque variis in locis, nam plures extant circa laryngem, quæ communicationem quandam cum parte ſuperiori œſophagi habent, quo ſpectat maxime glandula thyroidea. Deinde dantur glandulæ pone dorſum poſitæ quatuor, quæ ſitum habent circa vertebras dorſi ſuperiores & partem poſticam œſophagi occupant, ubi aſpera arteria in ramum dextrum & ſiniſtrum dividitur. Verheyen *in Anatomia p.* 147. meminit duarum glandularum œſophagi, circa quintam thoracis vertebram parti œſophagi poſteriori adnaſcentium, quæ magnitudine & figura variant, cum interdum magnitudine phaſeolum referunt, aliquando plures vel etiam minores: a Vesalio jam & veteribus hæ glandulæ dorſales deſcriptæ ſunt; ex his ductus excretorios Vercellonius perhibet prodire, qui liquorem ſubſalſum in œſophagum derivare dicuntur. Denique etiam ſiniſtro ventriculi orificio glandulæ plerumque aſſident. Gaudet œſophagus peculiaribus quoque vaſis & arterias recipit partim a carotidibus internis, partim ab intercoſtali & bronchiali, venas ad azygos, item jugulares emittit: arteriam vero œſophageam, neglectam hactenus, Ruyschius in *Theſ. VII. figura* 3. proponit. Quod ad ipſos nervos attinet, ſuperior œſophagi pars circa tractum colli a nervo recurrente quaſi circumligata eſt: tranſeunt vero per ipſum inſignes paris octavi rami, ab utroque latere unus magnus cum multis ramificationibus.

§. V.

Functio ipſius œſophagi non alia eſt, quam deglutitio, quæ hac ratione perficitur: occurrente materia deglutienda, duo muſculorum dilatantium paria extenduntur, pars vero earum poſterior ſurſum & extror-

extrorſum expanditur, parte anteriori depreſſa atque patula, poſtea linguæ motu ac buccarum ope cibus, qui deglutiri debet, in gulæ orificium propellitur, tunc ſtatim ſe contrahit gulæ ſphincter, qui orificium hoc dum conſtringit, cibum ulterius impellit atque protrudit. Motus vero œſophagi periſtalticus ſic peragitur: dum principium œſophagi ſe conſtringit, dilatat ſeſe ſuperior & ordinario illa carnoſior & anguſtior œſophagi pars, quæ arteriæ aſperæ ſubjacet. Ceſſante dilatatione hæc pars ſeſe conſtringit, & compellit materiam ibi contentam in inferiorem œſophagi partem, quæ ſe dilatat, poſt cujus dilatationem ſequitur contractio, qua cibus per orificium ſiniſtrum ad ipſius ventriculi cavitatem deſcendit. Hunc motum diximus periſtalticum, quia ſucceſſiva fit canalis dilatatio & contractio, quo ſimpliciſſimo motu omnis generis fluidorum progreſſus in univerſo corpore per omnes canales abſolvitur.

§. VI.

Satis ſic explicata & evoluta œſophagi ex anatomicis deſcriptione, facilius jam erit, morborum, quibus patet atque obnoxius eſt, cauſas earumque generationem tradere atque intelligere. Quamvis vero rarior fiat apud autores Medicos mentio morborum œſophago inſidentium, tamen re propius perſpecta non tam rari ſunt, licet difficilius cognoſcantur; utpote ferme omnibus vitiis is canalis obnoxius eſt, quibus aliæ partes muſculoſæ & nerveæ afficiuntur. Et primum quod ſpectat ejus orificium, compluribus muſculis dilatatoriis & conſtrictoriis inſtructum, quorum beneficio deglutitio fit, & cibi recipiuntur atque impetu quodam in canalem illum impulſi detruduntur; facile hinc patet, vacillante horum muſculorum actione in deglutitione vitium apparere, quod fit, ſi vel paralyſi, ſive reſolutione omnimoda, vel etiam vehementiori ſpaſmo fuerunt correpti. Utrumque ſi fit, ſumma adeſt deglutiendi difficultas, quod vitium ſæpius, ceu ſymptoma tum acutarum, tum chronicarum paſſionum, incidit. In affectibus hyſtericis, hypochondriaco-ſpaſmodicis nil frequentius accidit, quam œſophagi orificium ob ſpaſticam fibrillarum ſtricturam ita anguſtari & conſtringi, ut cum ſummo labore quicquam poſſit deglutiri, & ægrotantes de ſenſu pali quaſi infixi in faucibus conquerantur. In hoc affectu imperitiores & juniores Medici frequentius falluntur, dum eum pro angina periculi plena habent, cum tamen admotis naribus fœtidis & dato medicamento antiſpaſmodico atque per orificium inferius injecto clyſtere, qui flatibus exitum præbeat, brevi tempore diſpereat. Gravius vero malum eſt totius œſophagi paralytica atonia & reſolutio, quæ ſi in acutis & malignis circa ſeptimum vel nonum diem incidit, extremum portendit periculum, quia ſummum defectum virium arguit vitalium, quo caſu non tantum œſophagus, ſed & ventriculus & canalis inteſtinorum eadem paralytica reſolutione afficiuntur, qua membranæ ejus muſculoſæ & nervoſæ omne ſuum robur atque tonum, cujus ope contenta propelluntur, amittunt, unde a ſumpto potu fit in ventriculo & inteſtinis fluctuatio, **es kolſert im Leibe / und iſt / als wenn man was in ein hohl Gefäſſe hinein ſchüttet.** Evenit quoque interdum hoc malum in decrepita ætate confectis, ſi ingens ſeri in orificio gulæ infundibuliformi eſt congeſtio, ob fibrarum robur plane debilitatum, ubi deglutitio valde difficilis redditur, qua de re vid. obſervatio apud HILDANUM *Cent. VI. obſ.* 34. Cavendum eſt, ne in tali caſu gravior animi affectus accedat, quemadmodum legimus in jam citata hiſtoria, ſi quis periculum mortis velit evitare.

§. VII.

Plus vero periculi muſculorum pharyngis inflammatio alit, malum peracutum, quod citam opem poſtulat, & quia muſculi laryngis plerumque in conſenſum trahuntur, non tantum deglutitio difficillima, ſed & reſpiratio ægerrima eſt. Is tumor horum muſculorum ſanguineus inflammatorius, cum ardore, dolore & febre conjunctus, necat plerumque, ſi per metaſtaſin febribus malignis, petechialibus, aut dyſenteriæ in vigore morbi accedit; alias præcipuum ejus auxilium eſt in tempeſtiva ſanguinis miſſione, primo in brachio, deinde in venis ſublingualibus: opus quoque eſt externo egregie diſcutiente remedio alvique ſolutione. Sæpius vero accidit, ut non tantum principium œſophagi muſculoſum, ſed totus œſophagus cum pharynge & faucibus inflammatione laboret, quod ex eo apparet, dum non modo in ore & faucibus dolor & ardor & putridi ſeri viſcidi colluvies atque difficilis deglutitio obſervatur, ſed & ille ardoris & doloris ſenſus uſque ad interiora ſtomachi pertingit, & non raro ſingultus, regurgitatio potus & crebra ſeri cum impetu quodam ex ore effuſio conjunguntur. Hæc ſymptomata plerumque ſunt ventriculi funeſtæ inflammationi vel ſphacelationi complicata, & magnum periculum oſtendunt, præſertim ſi acutis & malignis febribus ſuperveniant. Vidimus aliquoties hæc mala a draſticis emeticis, item purgantibus poſt iram datis ſuborta, ſed ſiniſtro eventu. Ubi itaque ejuſmodi oris cum ſqualore & ſorditie oritur in acutis inflammatio, vulgo dicitur **die weiſſe Bräune /** tum id vitium non tantum conſiſtere in faucibus, ſed & ad œſophagi interiora recte judicandum eſt.

§. VIII.

Diximus in ſuperioribus, ciborum illum canalem eſſe valde muſculoſum & nervoſum, & gaudere quodam motu reciproco ſeque mutuo excipiente ſyſtoles & diaſtoles, ſive conſtrictionis & dilatationis, cujus adminiculo deſcenſus ciborum in ventriculum peragitur, quapropter, ſi membranæ hæ nervoſæ & muſculoſæ vehementi, diuturno, ſæpius recurrente ſpaſmo laborant, pene ſingularia inde fiunt ſymptomata. Notabilis de ejuſmodi ſpaſmo œſophagi hiſtoria ab *Exc. Dn. Præſide in Tomo Medicinæ Conſultatoriæ, & in Medicinæ ſyſtematicæ Tom. IV. Part. III. Sect. II. Cap. V. obſ.* 2. recenſetur, ubi ex iracundia & perperam adhibitis medicamentis ſpaſmus œſophagum hoc modo per intervalla exercuit: ægro acceſſit moleſta ſenſatio in faucibus inſtar pali infixi, item ac ſi aliquid ex ore ejiciendum ſit & quaſi proſerpere velit, ut etiam Medicus cum ægroto putaverit, vermem ibi reſidere & exitum affectare; ſub acceſſione partes extremæ valde frigeſcere incipiebant ſub calidiſſima etiam æſtate, a frigore admiſſo ſemper malum ingraveſcere videbatur, & quandoque tremor externas partes concutiebat, alvus erat ſicca & arida, abdomen flatibus diſtentum, appetitus & ſomnus valde exiguus, a purgante quodam aſſumto ſymptomatum exacerbatio facta eſt, ad iram erat valde proclivis, pulſus erat durus, urina limpida. Ex his itaque jam quiſque facile perſpicit, ex læſione tunicæ nerveæ vehementem ſpaſmum ex duodeno & ventriculo per ipſum œſophagum propagatum fuiſſe, qui univerſum genus nervoſum in remotis etiam partibus male affecit. Hic morbus quomodo ſanatus fuerit, l. c. legi poteſt prolixius. Neque vero tantum ſpaſmus, ſed etiam atoniæ vitium huic parti familiare eſt, de quo affectu etiam notabilem caſum Excell. Præſes ibidem commemorat.

§. IX.

Inſuper ſubinde accidit, ut ventriculi & inteſtinorum motus periſtalticus, qui a ſuperioribus verſus inferiora ad eorum, quæ inteſtinorum volumine continentur, expulſionem tendit, invertatur, quod vitii genus ratione inteſtinorum frequentiſſime incidit in hypochondriacos, ubi non modo flatus & ſtercora intus retinentur, ſed & motu inverſo omnia quaſi ad ſuperiora feruntur, ſummas moleſtias procreando. In ventriculo motus periſtaltici inverſi luculentum exemplum præbet vomitus, ſeu aſſumtorum e ventriculo rejectio, ubi pylorus, ſeu pars inferior ventriculi valde muſculoſa, vehementiſſima tunicarum muſculoſarum conſtrictione cum impetu contenta ejicit; qui etiam in conſenſum ſemper trahit ipſum œſophagum, cujus motus naturalis in ipſo vomitu invertitur. Nam illæ partes œſophagi, quæ ſub actu deglutitionis contractæ cibum ad ventriculum impellunt, contracta totius ventriculi compage dilatantur, & humorem ex ventriculo expulſum recipiunt, & quæ ſecundum naturam in ventriculo debebant dilatari, conſtringuntur. Niſi enim œſophagus ſua actione & motu proprio ejectionem humorum e ventriculo in vomitu ſecundaret, fieri nulla ratione poſſet, ut tanta cum celeritate & impetu per ſuperiora ingens ſæpe humorum copia ex ventriculo, imo inteſtinorum volumine exturbaretur. Hic motus periſtalticus œſophagi cognoſcitur maxime ex expulſione copioſi liquidi, quod fit imprimis in nauſea, quæ eſt levior convulſio œſophagi, & præcedit plerumque vomitum. Videmus etiam a vermibus, vel in inteſtinis vel in ventriculo ſtabulantibus, crebram fieri humorum effuſionem cum dolore anxio & nauſea. Nam miram conſenſionem tunicæ nerveæ & muſculoſæ œſophagi ac ventriculi & inteſtinorum inter ſe habent, quoniam non niſi ex unica tunica continuata conſtant, atque adeo non mirum eſt, ſi ab aculeo purgantis vel vomitorii aſſumti, aut etiam a lancinatione ventriculi & inteſtinorum per vermes facta, nauſea cum humidi ex faucibus expulſione oboriatur. Ejuſmodi ſeri ex interioribus partibus per faucium oſtia profluvium in febribus continuis plerumque malum indicium præbet inflammationis ventriculi, ſæpiuſque ſingultum comitatur.

§. X.

Accedimus jam ad illos œſophagi affectus, qui ab ejus obſtructione per cauſam externam illata proveniunt. Nihil frequentius eſt, quam quod a bolo non bene maſticato & ſubito deglutito ſuffocationis periculum immineat. Nam ſi hic ipſe tenaciter in iis confiniis inhæreſcat, ubi œſophagus aſperæ arteriæ firmiter annexus eſt, accidit, ut illa compreſſa & fere occluſa liberum aeris ingreſſum & egreſſum impediat, quo caſu ſi percuſſione fortiori in dorſo vel copioſo potu materia inhærens non devolvitur, nihil præſentius eſt, quam ope inſtrumenti, quod HILDANUS *in Cent. I. obſ. 36.* depictum reliquit, hujus adjuvare detruſionem: longe vero commodius id ipſum perfici vidi, ſi modo filum cera obductum, ein Stücke Wachsſtock / in œſophagum intrudatur, & hac ratione illud, quod impedimento eſt, removeatur & in ſtomachi cavitatem depellatur. Quando vero oſſiculum aſperum inopinate fuerit deglutitum, major moleſtia procreatur. Notabilis hac de re extat hiſtoria apud HILDANUM *Cent. I. obſ. 31.* ubi ab oſſiculo peracuto hærente in gutture, collum intus & extra inflammatum fuit, ita, ut æger vix inſpirare & exſpirare, vel etiam juſcula ſorbere potuerit; urgebant dolor vehemens, delirium & convulſiones, atque ubi oſſiculum neque vomitu, neque inſtrumentis ullis depelli, nedum extrahi poterat, ſed jam in ipſo gutture abſceſſum procreaverat, HILDANUS anodynis dolorem profligavit & ſuppurationem provocavit, intus vero per ſiphonem injecit decoctum ex radice althææ, ſemine lini, fœni græci & cydoniorum cum oleo amygdalarum dulcium. Exterius collum inunxit oleo anethino, liliorum alborum & amygdalarum dulcium, & cataplaſma ex farina ſabarum, floribus chamomillæ, meliloti, ſemine lini, fœni græci paratum in *hydræo* adhibuit. Interim etiam aliquoties enemata adhibuit, & vires juſculis conſervavit ad diem uſque ſeptimum, tum per os rejectum fuit plurimum puris ipſumque oſſiculum. Mirum eſt, qua ratione tam horrenda ſymptomata a ſola vellicatione & lancinatione tunicæ nerveæ produci poſſint; ſed videmus exinde, totum genus nervoſum hac ratione in conſenſum trahi poſſe, ut omnes corporis functiones inde turbentur & penitus pervertantur. Fit interdum, ut fruſtum cibi ſolidi, diutiſſime inhæreſcens orificio œſophagi, putridum evadat, ſubinde deglutitionem impediens, qualis caſus legi poteſt in *Medicina Conſultat. Exc.* PRÆSIDIS, quod ſi vomitu ejicitur, liberior ſtatim efficitur deglutitio. Videtur huc pertinere hiſtoria, quæ legitur apud *Rhaſin Contin.* ubi hæc habet: *vidi quendam vomentem petiam carnis majoris nuce, habentem parvam radicem, quam natura expulit per vomitum*, & credidit RHASIS fuiſſe verrucam; videatur MARCELLUS DONATUS *L. 3. p. 247.*

§. XI.

Verum enim vero flatus adhuc longe periculoſior eſt, ſi a tumore fungoſo, intra cavitatem œſophagi naſcente, obturetur hic canalis, ut omnis inde pereat deglutitio. Talem obſervationem videre licet in *M. N. C. Dec. II. ann. 8. obſ. 96.* ubi vir, alias robuſtus, cardialgia diuturna & deglutitione difficili afflictus, poſt multa medicamenta fruſtra adhibita, inſtrumentum, cui ſpongia erat annexa, in gulam intrudi curavit, unde quidem deglutitio facilior facta eſt, ut ova ſorbilia & liquida haurire potuerit: at poſtea difficultas deglutiendi ita invaluit, ut ex fame miſere obierit. Poſt mortem aperto cadavere in ſtomachi principio tumor craſſus albicans, orificium ſuperius interne penitus obturans, in conſpectum venit. Ita etiam porro *Dec. II. ann. 3. obſ. 47.* mentio fœminæ cujuſdam injicitur, in cujus gula caro ſuperflua inſtar carunculæ adnata fuit, adeo increſcens, ut omnis ciborum & potulentorum tranſitus denegaretur; bis inſtrumento quodam via illa occluſa reſerata fuit, tertia vero vice non potuit aperiri. Nonnunquam tumorem in œſophago concreſcere, qui cibos deglutiri non permittat, ægrumque inedia debilitet, Anonymus in appendice *obſervat. Riverianarum Cent. 4. obſ. 14.* inſinuat. Funeſtam œſophagi obturationem a cartilagine annuliformi, exiguo foramine præditam, & ab ipſo œſophago enatam, memorat D. BECKERS *in M. N. C. Dec. I. ann. 4. obſ. 47.* Difficilem deglutitionem, a caruncula gulæ ex ulcere venereo ſubortam, cum ægroti interitu *Cent. 2. obſ. med. 46.* eundemque a tumoribus ſcirrhoſis ſeq. *obſ. 47.* JOH. RHODIUS *refert.* Exc. Dn. Præſes *in notis ad Poterium cap. 29. Cent. I.* meminit viri obeſi, ſexagenarii, Halberſtadienſis, cui fungoſa quædam caro in ipſo œſophagi principio creverat ad nucis minoris magnitudinem, quæ cum luna accreſcebat & imminuebatur, mox vero tantam molem acquiſivit, ut deglutitionem pariter ac reſpirationem ſufflaminaret, quare æger miſere periit. Ipſe GALENUS *lib. 3. c. 2.* jam ſuo tempore annotavit, quod verruca vel ſaltem carnoſus tumor aliquando naſcatur

tur

tur in ſtomacho, qui ciborum viam omnem obſtruat, vel aliquatenus impediat.

§. XII.

Inſuper aliud adhuc longe peſſimum vitium, non raro in œſophago deprehenſum, omnem deglutitionem intercipiendo, mortis cauſa exiſtit, dum nempe ejus cavitas penitus a ſcirrhoſis factis membranis coanguſtatur, vel latera œſophagi invicem coaleſcunt, quo ſpectat *obſ.* 170. *ann.* 3. *D. c. I. M. N. C.* ubi fœmina diu difficultate deglutiendi laborans ex conſilio Medici ſtylum, ex oſſe balenæ confectum, longum & flexilem, in gulam intruſit, circa claviculas vero obſtaculum aliquod invenit, quod ſtylus nullo modo ſuperare potuit: poſt paucos menſes obiit fame potiſſimum enecta. Diſſecto poſt mortem corpore totus œſophagus inventus fuit cartilagineus & ita coalitus, ut ejus orificium ſatis alias amplum vix ſetam porcinam admitteret dorſique ſpinæ accrevit. Et JOSEPHUS LANZONUS *M. N. C. Dec. III. ann.* 7. *&* 8. *obſ.* 47. vidit œſophagum in variolarum morbo liquamine glutinoſo exſtillante coalitum in puero, qui ob prorſus denegatum cibi potuſque tranſitum fame & ſiti interiit. Neque præteriri debet obſervatio quæ proſtat in *M. N. C. Dec. I. ann.* 4. *obſ.* 67. ubi mercator Hippolitanus conſiſtentis ætatis, ſeſquianno de deglutitionis difficultate mucronata ſub cartilagine, dolore gravativo in dies augeſcente, languore ac totius corporis contabeſcentia, nullo in faucibus tumore vel dolore apparente, conqueſtus, atque ad fata vitanda quam plurimis, tam internis, quam externis, a diverſis Apollinis filiis tractu temporis ſibi præſcriptis, ac in caſſum adhibitis remediis uſus eſt, corpore ob ſublatam deglutiendi facultatem ſanguine ac ſpiritibus deſtituto, lento marcore conſumtus animam efflavit. Cadavere diſſecto, tribus ab ore ventriculi digitis, œſophagus a cartilagine annuliformi exiguo foramine prædita, ab ipſo œſophago enata, obturatus repertus fuit.

§. XIII.

Sequitur jam, ut, qua ratione ejuſmodi tumores fungoſi in œſophago concreti, & quam partem ejus occupent, dignoſci queant, indagemus. Si in ſuperiori ejus parte radices agunt, id ſtatim ex eo manifeſtum fit, quod laborantes parum alimenti præſertim ſolidi deglutire poſſint, cum hærens in principio œſophagi obſtaculum id impediat. Deinde etiam intruſione cerei flexilis locum, ubi tumor hæret, optime detegere poſſumus, ſi non profundius adigi poteſt, ſed ſtatim in principio ejus tranſitus impeditur. Si vero in medio vel inferiori parte anguſtia ſcirrhoſa vel tumor reſidet, id inde cognoſcimus, quando eximia alimentorum quantitas deglutiri quidem poteſt, ſed quoniam cibi impedimentum inveniunt circa ſtomachi orificium, in illum non intrantes, in fiſtula cibali ſubſiſtunt, accumulantur, neque prius deſcendunt, quam ſufficiens quantitas potus acceſſerit, quæ partim gravitate, partim etiam lubricando eorum deſcenſum adjuvat. Deinde niſi cito potu alimentorum deſcenſus & ingreſſus in ſtomachum promoveatur, œſophagus inde nimium iisdem impletus & diſtentus eas partes, ubi firmiter trachææ adjacet, comprimendo, reſpirationem ſufflaminat, atque anxietatem cum extremorum frigore & capitis intumeſcentia progignit. Interdum diutius hærentes ciborum reliquiæ in œſophago vomitu rejiciuntur, quod etiam fit, ſi quis nimis celeriter cibum devorat, ubi ob nimiam irritationem a cibo copioſo inhæreſcente œſophagi motus periſtalticus invertitur & ibi contentum rejicitur. Tum ex deſcenſu & tranſitu faciliori vel difficiliori eſculentorum & potulentorum tumoris magnitudo & anguſtia canalis æſtimanda venit.

§. XIV.

Nunc vero etiam cauſæ indicandæ ſunt, quæ ad generationem iſtiusmodi excreſcentiarum quicquam conferre poſſunt: & hæ ſunt, meo judicio, humorum viſcidorum in corpore redundantia; ſpeciatim vero potio frigida, corpori calefacto ingeſta, multum ad generationem ejusmodi mali contribuit. Nam cum frigus proxime & immediato contactu hanc partem afficiat, primum quoque ac præcipuum ſuum effectum, qui conſiſtit in humorum coagulatione glandularumque obſtructione, ibi exerit. Accedit, quod etiam ab exceſſivo frigido potu atonia quædam nerveis & muſculoſis fibris inferatur, qua præſente, facilis humorum, qui non expeditum habent circuitum, in hiſce partibus fit ſtagnatio. Et hæc ſententia hiſtoria, quam communicat HELWIG *obſ.* 49. confirmari poteſt, cum Pharmacopœus quidam æſtivo tempore, corpore fortiter calefacto, frigidum ſimul & ſemel aſſumſit potum, inde raucedo fuit ſubſecuta, vocis languor, gutturis anguſtia & deglutiendi impotentia, ut vix liquida aſſumere potuerit, adhibitis fere omnibus in caſſum novem ſeptimanis poſt catarrho ſuffocativo vitæ finem fecit. Nullum dubium eſt, quin a frigido potu reſolutio quædam partium paralytica inducta fuerit, quæ præcipuam cauſam omnium horum ſymptomatum ſubminiſtravit. Neque minori probabilitate aſſerere licet, quod ad glandularum intumeſcentiam vel generationem fungoſæ carnis intra oeſophagum aſſumta auſtera & ſtiptica qualitate prædita plurimum conferre poſſint; ſiquidem hac ratione mox tenues & fluxiles humores incraſſantur & fibris nervoſis durities inducitur; nam nerveæ partes minus commode ejusmodi ſtiptica ferre poſſunt, quoniam tunica œſophagi nervea a ſtipticis per os admiſſis ſæpe præter naturam conſtringitur & occluditur, quod apud HOECHSTETERUM *D.* 3. *cap.* 5. confirmatur hiſtoria ruſtici, qui a potu conſolidæ majoris vino malvatico infuſæ faucium præcluſionem maximamque difficultatem deglutiendi paſſus eſt. Neque negandum eſt, quod ad coaleſcentiam & anguſtiam hujus canalis, item ad ſcirrhoſos vel fungoſos tumores puſtulæ in variolis, quæ ſæpius hanc partem obſident, & exulcerationes in ſcorbuticis vel lue venerea tactis, a ſero acri viſcido factæ, ſymbolum ſuum conferre poſſint.

§. XV.

Verum enim vero cauſæ, quæ magnam deglutiendi difficultatem inferunt, non ſolum in ipſo œſophago, ſed etiam extra eum conſiſtunt. Notum enim ex anatomicis eſt, quod circa principium laryngis glandulæ thyroideæ, deinde circa arteriam aſperam, præſertim ubi illa diducitur in duos ramos, etiam glandulæ, quæ bronchiales appellantur, exiſtant. Atque etiam inferius plures glandulæ in œſophagi medio, quæ dorſales vocantur & circa ventriculi introitum ſitæ ſunt, quas Anatomici ſtomachicas nominant. Jam vero nihil familiarius & ſolennius eſt, quam quod glandulæ minoris magnitudinis in ingentem molem excreſcere poſſint, quemadmodum in glandulis maxillaribus, item meſentericis id animadvertimus, utpote harum glandularum ſtructura mere vaſculoſa eſt, ex tenuiſſimis vaſculis ſecretoriis ſanguineis & membranis nerveis convoluta, in quibus tenuiſſimis vaſis humores ibi ſubſiſtentes mirabilem vaſorum intumeſcentiam efficiunt. Qua in re conſentientem habemus clariſſimorum virorum & anato-

anatomicorum auctoritatem. Ita Riolanus *anthropographiæ lib.* 3. *c.* 14. ſcribit: *glandulæ aſperæ arteriæ canali ſubſtratæ infra laryngem conſiſtunt, quæ ſæpe ita intumeſcunt, ut potibus & liquidioribus alimentis viam intercludant.* Deinde circa quintam dorſi vertebram notabiles, quæ ibi reperiuntur, glandulæ exiguæ ita intumeſcere poſſunt, ut œſophagum comprimendo deglutitionem impediant, quod *Cl.* Heisterus *in compendio ſuo anatomico ita confirmat:* ante plures annos virum ſecui, qui nihil cibi aut potus amplius deglutire poterat, propter obſtaculum quoddam, quod non in faucibus, ſed in thorace percipiebat. In hoc hanc glandulam ad ovi gallinacei magnitudinem auctam reperi, unde œſophagus ita comprimebatur, ut nihil amplius tranſire potuerit. Simile exemplum recenſet Verheyen *anat. cap. X. de œſophago*, nimirum: circa quintam thoracis vertebram ipſi œſophago a parte poſteriori adnaſcuntur quædam glandulæ, ſæpius binæ, magnitudine & figura phaſeolum referentes, aliquando plures, ſed minores, & in unum corpus glanduloſum concretæ: quarum uſus videtur oeſophagum interius humectare pro faciliori ciborum tranſitu. Vidi ex harum glandularum tumore ac ſcirrhoſitate patientem præ inedia miſere obiiſſe, omni ſcilicet via cibo potuique ad ventriculum præcluſa. Aperto autem cadavere reperi, latera œſophagi ob vehementem compreſſionem coaluiſſe, ipſumque ejus tubulum ſub glandulis iſtis abiiſſe in corpus ſolidum. Juvat etiam hic annectere locum ex Joh. Riolani *enchiridio anatomico L.* 4. *c.* 5. cujus verba hæc ſunt: Oeſophagus intra thoracem ut cedat aortæ, relicta ſpina, paululum ad dextram inclinat & contorquetur. Glandulæ duæ iſtam inflexionem ſuſtinent utrimque & ſiſtunt, quæ imbutæ & tumefactæ aliquo humore, magnum impedimentum adferunt deglutitioni. Sæpe ejus extremitas, quæ jungitur ventriculo, & ſtomachus dicitur, obſtruitur a tumore vel oedematoſo vel ſcirrhoſo, qui tandem exulcerat & lethum adfert. Annotavit quoque Nicolaus Tulpius *lib. I. obſervatt. cap.* 44. inter œſophagum & aſperam arteriam inſinuare ſe nonnunquam durum & exitialem quibusdam tumorem, modo foris conſpicuum, modo vero intus deliteſcentem, primum coarctantem, ſed mox occludentem gulam, & quidem tam ſtricte, ut denegato alimentis omni tranſitu, certo peſſundet hominem. Idque comprobavit ſpeciali obſervatione in vidua cujusdam naupegi habita, cui ſuccreverat paulatim ex deſtillatione humilis ac latus tumor, qui ſpiritum & tandem tantopere impedierat deglutitionem, ut circa ſummum ejusdem incrementum vix quicquam amplius transmiſerit gula, niſi forte exiguas aliquas lactis vaccini guttulas, qualis procul dubio ab exſtillante per ruptas aut eroſas gulæ fibrillas ſucci nutritii pituitoſis lymphatico - viſcoſis aut acido - vitriolaceo-terreis moleculis corrupta parte natales ſuos accepit.

§. XVI.

Maxime omnium vero huc recenſeri meretur obſervatio *Clar.* Ruyschii, quam *in Dec. I. Adverſariorum p.* 84. deſcribit, qua ſimul præſtantiſſimus curæ ſalivalis effectus in hoc malo felicius extirpando adſtruitur, ubi vir triginta annorum natus ſummam oeſophagi coarctationem circa quintam & ſextam colli vertebram, a die in diem accreſcendo deglutitionem impedientem, paſſus eſt, ut niſi ſumma cum moleſtia ſolummodo fluida, anxie tamen potuerit deglutire & ob metum diuturnum ſuffocationis parum vel nihil aſſumſerit. Viſitato œſophago per ſpinam balenæ, cujus extremitati ſpongia affixa erat oleo intincta, circa quintam aut ſextam colli vertebram obſtaculum colli impermeabile invenit, ut ne quidem apex ſpongiæ permeare potuerit. Hic æger feliciſſime & plenarie ſalivatione mercuriali, quæ fuſius ibi cum circumſtantiis deſcribitur, curatus fuit. Neque enim veriſſime aliud remedii genus occurrit, huic malo auferendo magis idoneum quam hydrargyrum, quod debite præparatum, ſub debita doſi ac regimine, & præparato prius per purgantia, balnea, decocta, diluentia & ſanguinem depurantia corpore, ingenti potentia pollet viſcidos humores reſolvendi, colliquandi & per congrua emunctoria, ſalivales nempe glandulas educendi, qua de cauſa non potentius datur deobſtruens & penetrantius reſolvens ipſo hoc mercurio, quod in graviſſimo illo Gallico morbo, quem feliciſſime expugnat, ſatis luculenter apparet.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA

DE

VOMITU,

Primùm edita Anno 1733.

§. I.

PER Vomitum, græcis ἔμετος dictum intelligo excretionem contentorum ventriculi mobilium per os, a ſpaſmodica ejus contractione dependentem.

§. II.

Initium ſpaſmi a pyloro factum obſervavit RUDBECKIUS *de Vaſ. ſeroſ. obſerv.* 20. in cane vivo diſſecto, ſyſtole dein totius ventriculi ad orificium ſiniſtrum continuante.

§. III.

Permultum conferunt ad hunc ventriculi motum depravatum (§. 1. 2.) abdominis muſculi, qui contracti premunt partes adjacentes, hæ vero cum ſubſequentes iterum comprimant, ſequitur ut ex hac ad ventriculum uſque continuata actione ejuſdem motus conſtrictorius fiat vehementior.

§. IV.

Neque excludendus eſt motus inteſtinorum periſtalticus perverſus, mediante quo non in inteſtinis ſolum contenta, præcipue acria ad ventriculum promota, eundem ad conſtrictionem irritant; ſed & ipſe motus, inprimis ad œſophagum continuans ad emeſin ſuum confert ſymbolum.

§. V.

Oriuntur, ſicuti ex phyſiologicis conſtat, tam ventriculi & abdominis muſculorum coarctatio, quam inteſtinorum motus periſtalticus retrogradus (§. 3. 4.) ab influxu ſpirituum animalium in has partes majori & vitiato 1) vel ventriculi & partium vicinarum 2) vel contentorum culpa proveniente, vel 3) in partibus magis remotis per conſenſum orto.

§. VI.

Peccat ventriculus ipſe 1) orificio ejus ſiniſtro vel ex parte, vel plane clauſo; hoc vero caſu non vomitus, ſed rejectio tantum eſculentorum ex œſophago contingit, obſervante hoc WILLISIO *pharmac. rat. part.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 1. *p.* 17. in viro quodam, qui ſimulac alimentis œſophagum repleverat, eadem per os reddidit, &, licet præ fame modo fuerit mortuus, mediante tamen inſtrumento, quo cibi in ventriculum ſunt detruſi, per longum tempus ſervatus eſt vivus; 2) Situ ejus mutato, teſte SENNERTO *Inſtit. L.* 2. *p.* 2. in ſtudioſo quodam cujus diaphragma vulneratum ventriculum ad thoracem retraxit, qui & motibus emeticis mortem intulit; 3) pyloro ſcirrho vel aliis excreſcentiis & tumoribus obſtructo, id quod annotavit WILLISIUS *pharmac. rational. part* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 1. *p.* 55. & HENR. MEIBOMIUS *in Diſſ. de Vomitu* pylorum nigricantem & hinc inde arroſum vidit, *parvis inæqualibus protuberantiis hinc inde apparentibus, venis circumcirca lividis, ut cancroſi quid ſubeſſe pateret, appoſitis inſuper pyloro tribus tumoribus ovi columbini magnitudine illum valde coarctantibus*; 4) Si aliis morbis idiopathicis fuerit affectus, ut ulcere, teſtante HILDANO *Cent.* 5. *obſ.* 66. *& Miſcell. Nat. curioſ. decur. I. an.* 3. *obſ.* 94. Inflammatione, quæ febri ardenti ſæpe juncta in abſceſſum tranſit, & ſic pus in ventriculum erumpit: Vid. JOD. LOMMII *Medic. obſ. L.* 3. *p.* 138. & F. HILDANI *Cent.* 4. *obſ.* 28. Herpete, obſervante PANAROLO *Pentec.* 1. *obſ.* 43. in quodam, qui poſt prandium & cœnam quotidie vomitu afflictus atrophia obiit; Steatomate, quod ovi anſerini magnitudinis annotavit CAMERARIUS apud SCHENCKIUM *L.* 3. *f.* 380.

§. VII.

Partes quoque ventriculo vicinæ, (§. 5. n. 1.) diverſimode vitiatæ, vomitus cauſſam præbere valent: Sic ab inteſtinis flatibus & fæcibus diſtentis & ventriculum comprimentibus vomitum obſervavit DODONÆUS *Obſ. Med.* 37.

§. VIII.

A veſicula fellis diſrupta vomitum quotidie vexantem annotat GEORG. BERTINUS apud SCHENCKIUM *L.* 3. *p.* 460. in nobili quodam ingentem bilis copiam rejiciente. Ab inſertione propaginis choledochi in ventriculi fundum nihilominus emeſis oriri poteſt; bilis enim immediate ventriculum ad conſtrictionem ſtimulare & vomitum producere valet bilioſum.

§. IX.

A pancreate indurato vomitum productum & quotidie poſt prandium & cœnam urgentem annotat DOMINIC. PANAROLUS *pentec.* 1. *obſ.* 44. in vetula cujus pancreas lapideam fere acquiſiverat conſiſtentiam.

§. X.

Ex hepate & liene ſcirrhis undique refertis vomitum cruentum lethalem recenſet JOH. BOHNIUS *in Diſſ. de Vomitu*, ubi in cachectici cadavere diſſecto hæc viſcera plane fere obſtructa ſanguinis circulum intercipientia obſervat, vaſis ſplenicis, ventriculo & œſophago ſtagnante ſanguine redundantibus, cordis vero ventriculis & vaſis majoribus evacuatis.

§. XI.

In ventriculo contenta (§. 5. n. 2.) excedente quantitate præſentia ad vomitionem conferunt ventriculum ultra euphoriam diſtendendo, quo facto fibræ nimis extenſæ ex vitalitate priſtinum iterum occupant ſtatum & ſic alimenta majori copia ingeſta verſus arctius coguntur ſpatium, atque per os rejiciuntur; quod & animadvertimus in iis infantibus, quorum ventriculus pro recipienda decenti lactis quantitate juſto minor reperitur; Lac enim, quod ingerunt, ſubinde ex ore regurgitat.

§. XII.

Inter humores ventriculo inhærentes & eundem irritantes referri poteſt 1) Bilis, quæ copioſe collecta & a quacunque cauſſa ad ventriculum delata ſtimulo ſuo crebriores producit vomitus bilioſos, uti in febribus cholericis, tertianis interdum & iracundia paulo vehementiori obſervare licet: 2) Pituita viſcida & acris ductulos glandularum obſtruens & papillas nerveas ſtimulans & lymphæ & ſpirituum animalium affluxum auget; glandulæ vero intumeſcentes extendunt fibras, quarum præternaturalem diſtenſionem ſubſequitur contractio (§. 11.) 3) Sanguis vel copia excedens, vel circulo ſuo aliis in partibus ſufflaminato, ubi ſubſiſtens ſerum blandum dimittit, acredinem inducit & ad ventriculum, ſi debiliora continea vaſa, regurgitat, eademque p. n diſtendit & ad ſui tranſitum apta reddit, atque hoc modo in ventriculi cavitatem delapſus magna interdum quantitate per vomitum eructatur: 4) Humores acidi, pontici, in duodeno cum bile permixti dant vomitus virideſcentes, dentes interdum ſtupefacientes, id quod præſertim hypochondriacis, quartanariis & melancholia affectis ſupervenit.

§. XIII.

De improvide deglutitis & pylorum obſtruentibus tranſitumque chymi in duodenum cohibentibus varia reperiuntur, ut nuclei, nummi, obſervante hoc Kerckringio *Spicileg. anat. Cap.* 1. in puella, cujus ventriculi orificium dextrum per improvide deglutitum nummum firmiter fuerat obſtructum, ut non ſolum omnis tranſitus præcluderetur, ſed & eminentiæ nummi acutæ continuo ſtimulo pylorum irritantes vomitus inducerent lethales.

§. XIV.

Venenorum præcipue acriorum, vel aliorum, quæ virtute acri & paulo ſulphurea gaudent, aſſumptorum cauſſa vomitus excitatos ipſa comprobat experientia, inter quæ arſenicum & mercurius ſublimatus vomitum atrociſſimis ſæpe doloribus & convulſionibus junctum inferunt & graviſſimam inflammationem, quam gangræna & ſphacelus ipſe ſubſequuntur, producunt.

§. XV.

Nicotianæ decoctum emetica vi gaudere comprobat hiſtoria Diemerbroeckii 40. *p.* 249. de milite peſte laborante & eodem reſtituto. Ova barbi piſcis & fungos venenatos eadem virtute gaudere referunt Timæus a Guldenklee *L.* 3. *Cap.* 7. & F. Hildanus *Cent.* 4. *obſ.* 35. atque Sperlingius *in Diſſ. de Vomitu ſimplici* recenſet vomitum pertinaciter affligentem medicamento rodente concitatum, in miſero quodam, *in quo poſt mortem prope os ventriculi, in ſupremo exteriori latere foramen nummum æquans fuit repertum.*

§. XVI.

Per nervorum conſenſum (§. 5. n. 3.) vomitus haud raro contingunt ſat pertinaciter affligentes, quales productos obſervamus v. g. ab irritatione faucium digito tantum vel alio irritante inſtrumento inſtituta, quod ventriculo nimium repleto vel ad vomitum modo diſpoſito facilius ſuccedit; a graviori capitis contuſione & profundis vulneribus; a renibus calculo & arenulis obſeſſis Meibomius in Diſſ. de Vomitu *primo horrendos vomitus inductos obſervavit, quibus deinde ceſſantibus œſophagum ita commotum, ut quaſi exilire ex ore conaretur, & frequenti deglutitione ab ægro ad quietem eſſet deducendus.*

§. XVII.

Conducit ad Vomitum temperamentum 1) cholericum, ob partium ſalino-ſulphurearum abundantiam & acrimoniæ irritantis faciliorem extricationem: 2) pituitoſum, ob ſeri viſciditatem & lentorem quem tardior humorum circulus ſubſequitur, quo præſente particulæ acriores in maſſa ſanguinea retinentur, vaſa capillaria obſtruuntur & excretionem impediunt; 3) ſanguineum propter majorem ſanguinis copiam, quam generat, ad plethoram proclive eſt, ex qua deinde diverſæ obſtructiones regurgitatione una cum ſanguinis ad ventriculum oriuntur, qui impulſu vehementiori præſente διαιρέσεως & vomitus cruenti anſam præbet; 4) melancholicum, quoniam fovet humores acidos particulis groſſioribus terreſtribus refertos, qui ad circulationem minus apti ſibi obicem ponendo facile acredinem inducunt. (§. 12. n. 1. 2. 3. & 4.)

§. XVIII.

Vomitui quidem obnoxius eſt ſexus uterque, præ nobiliori tamen imprimis ſequior; præter enim teneriorem & ſenſibiliorem corporis texturam, qua motu eſt facilis, gaudet temperamento maximam partem phlegmatico (§. 10. n. 2.) mediante quo ad varias ſeri ſtaſes eſt pronus, &, licet per menſtruum ſanguinis fluxum permulto ſanguine privetur, ex levi tamen diætæ errore hujus progreſſus retardatur vel plane ceſſat & hoc modo ſanguis abundans varias producere poteſt congeſtiones, quæ, ſi in ventriculi vicinia contingunt, ſanguis ibidem ſubſiſtens fit acris, vaſa extenduntur, ſpirituum animalium influxus fit auctior & ventriculus irritatus ad contractionem redditur aptus. In gravidis etiam, propter humores verſus ventriculum redundantes, frequenter vomitus obſervantur, qui cacochymia præſente feroſa frequentiores redduntur.

§. XIX.

Juniores ad vomitum faciliores ſunt quam ſeniores robuſtioribus fibris inſtructi. In ætate infantili & puerili propter ἀδηφαγίαν, dum cibi copioſi prioribus nondum concoctis aſſumuntur, ventriculus non modo nimis dilatatur (§. 11.) & veſicula fellis compreſſa majorem bilis copiam in duodenum effundit; (§. 12. n. 1.) ſed & tota maſſa ſanguinea cruditatibus fit referta, quæ ad ventriculum delatæ vomitus cauſſam multifarie præbere poſſunt.

§. XX.

Si vomitus periodice affligat & ſtatis temporibus redeat, oritur quaſi diſpoſitio & vomendi conſuetudo, quo facto tales homines fiunt εὐέμετοι, ut ex levi etiam errore vomitu crucientur, & ne alimenta quidem ad ſubſiſtentiam corporis maxime neceſſaria retineri queant, unde in atrophiam incidunt &, niſi tempeſtive auxilium afferatur, chronico & lento morbo,

morbo, viribus plane exhauſtis diem obeunt ſupremum.

§. XXI.

Cum in iis, quibus vitæ genus eſt ſedentarium & lautum, partes acriores ſalino-ſulphureæ & viſcidæ per inſenſibilem tranſpirationem, non tam facile quam in laborioſis ſeceſſum acquirant, maſſa ſanguinis augeatur & lentorem induat, patet (§. 12.) quod illi præ his ad vomitum magis inclinent.

§. XXII.

Hic quoque non prætereunda erit ἰδιοσυγκρασία, qua nonnulli ex oblatione vel etiam tantummodo ex recenſione rerum nauſeam inducentium vomitum ſuſtineant ſatis vehementem.

§. XXIII.

Ad vomitum diſponit aër nimis calidus calorem & evolutionem particularum acrium promovendo & ſerum blandum, quod temperiem ſervare debebat, diſſipando; frigidus nimis, præſertim ſi humidus ſimul ſit, inſenſibilem tranſpirationem non ſolum cohibet, ſed & humidum, quod continet, fibras corporis emollit, iiſque adhærendo ſeſe inſinuat, ſeri ſtaſes & varias congeſtiones gignit & totam œconomiam turbat; peregrinis particulis morbiferis repletus pro harum conditione ſe gerit.

§. XXIV.

Potus nimis ſpirituoſus aërem in ſanguinis maſſa contentum expandit, hinc vaſa fiunt turgida, totus ſanguinis circulus celerior & ſpirituum animalium motus in toto corpore irregularis; (§. 5.) putridus & animalculorum ovulis refertus ſi ſumatur, proportionato accedente calore & temperie hæc animalcula interdum extricantur & ventriculum arrodendo vomitum efficiunt cruentum, annotante FORESTO *Lib.* 18. *obſ.* 18. & RIVERIO *Cent.* 4. *obſ.* 26. aquoſus nimis copioſe & calide uſurpatus ventriculi fibras reddit debiliores & per vaſa lactea facile tranſit ad ſanguinem eumque primo reddit fluidiorem, deinde vero ob evolutionem particularum ſalino-ſulphurearum calore majore adveniente ſerum blandum diſſipatur, fæces indurantur, alvus fit ſtricta & fæcibus ſuccedentibus intercluditur via. Cibi δύσπεπτοι, viſcidi, duriores, fumo indurati & flatus generantes digeſtionem lædunt, cruditates producunt, ventriculum, inteſtina & viſcera debilitant, glandulæ obſtruuntur, præternaturaliter extenduntur & ſerum in illis ſubſiſtens fit acre (§. 12. n. 2.) Oleoſa nimis ingeſta fauces nonſolum irritant, (§. 16.) ſed & ductulos glandularum ventriculi excretorios obſtruendo menſtrui ſecretionem impediunt & liquidi nervei influxum augent.

§. XXV.

Corporis motus irregularis qualis eſt vorticoſus & in non aſſuetis in navi inſtitutus ſpirituum animalium motum in toto corpore reddit inordinatum, qui majori copia in ventriculum influentes ejus contractionem & vomitum cauſantur; vehementior ſi inſtituatur motus, ſanguinis circuitus fit auctior & ob ſeri diſſipationem humores fiunt acres; deficiens ſi ſit, tranſpiratio & aliæ excretiones imminuuntur, oritur plethora, humorum ſpiſſitudo, viſcerum obſtructio, ſcirrhi & variæ congeſtiones.

§. XXVI.

Somnus nimius producit lentorem, deficiens acrimoniam; hic tranſpirationem auget, ille imminuit, ſerum fit pituitoſum, tartareum, fibræ debiliores, ut ſanguinis & reliquorum humorum impulſui ſufficienter reſiſtere nequeant & omnia de motu deficiente (§. 25.) dicta hic majori gradu adſunt.

§. XXVII.

Graviora animi pathemata exagitantia humores in motum concitant & ſpiritus animales vitioſe commovent. In ira imprimis paulo vehementiori in univerſo corpore quaſi oritur ſpaſmus, extremorum tremor & rigor, & bilis interdum magna copia in duodenum profluit, quæ ſi propellatur in ventriculi cavitatem, acrimonia ſua eundem per nerveam tunicam irritat & ad contractionem ſtimulat.

§. XXVIII.

Contribuunt etiam ad vomitum excretiones ſolennes prohibitæ: Perſpiratio inſenſibilis ſi non rite ſuccedat, ſerum ſuperfluum retinetur, in vaſculis extremis ſubſiſtit, redditur acre, oboritur regurgitatio verſus partes interiores & ventriculum ibique vaſa extenduntur, extenſa vero ſeſe rurſus contrahunt. Per urinam a calculo renibus vel ureteribus infixo vel alia cauſſa ſufflaminatam particulæ craſſiores tartareæ in corpore retentæ, quoniam difficulter per poros cutis tranſeunt, accumulantur, ſtaſin acquirunt & acres redduntur. Ex hæmorrhagia narium ſuppreſſa, lochiis retentis, menſibus obſtructis, & hæmorrhoidibus cœcis ſanguinis circulus valde turbatur, in partibus debilioribus accumulatur & impulſu continuante viam ſibi reddit patulam & ad eruptionem aptam; quodſi hoc modo ſanguis in ventriculum prolabatur vomendo rejicitur: conf. SCHENCKIUM *obſ. p.* 328. HOCHSTETTERUM *Dec.* 2. *Caſ.* 6. & MISCELL. NAT. CUR. *Decur.* 1. *obſ.* 95. Hujuſmodi vomitum per integros ſeptem annos perdurantem annotat PANAROLUS *Sect.* 1. *obſ.* 22. in puella menſium ſuppreſſione laborante, quæ ſtatim poſt cibum aſſumtum, uſque dum menſes fuerunt reſtituti, vomitum eſt perpeſſa.

§. XXIX.

Quodſi alvus a fæcibus induratis pertinaciter ſit obſtipata & neque clyſmate, neque aliis illuc pertinentibus remediis ad officium reduci queat, contigit interdum, ut fæces, mediante motu periſtaltico inverſo, per ſuperiora ſibi exitum quærant & vomitu rejiciantur, id quod confirmat SPERLINGIUS *in Diſſ. de vomitu ſimplici, qui vidit ramentum plantæ crebrioribus vomitibus per os ejectum, quod mediante clyſtere minus exacte colato fuerat injectum.* Non minus talis in inteſtinis contentorum projectio per os obſervatur in Ileo, hernia imprimis incarcerata, inteſtinorum ſubſidentia & ſpaſmo vehemente, quæ interdum tam arcta deprehenduntur, ut nec ſtylum, multo minus ordinaria contenta, admittere valeant.

§. XXX.

Vermes, ſi in inteſtinorum canali hæreant, complicati non ſolum eundem obſtruunt, ſed & chyli nutritioni deſtinati magnam partem conſumunt, reliquam excrementis ſuis conſpurcant & acrioribus particulis commixtum dimittunt ad ſanguinem, quem ſucceſſu temporis totum reddunt acrem, partibus balſamicis blandis deſtituunt & ſeminio verminoſo ad putredinem diſponunt. Quando vero vermes per dulcia potiſſimum allecti ventriculum ſubeunt, eum arrodendo immanes cardialgias, convulſiones, continuas vomitiones cum delirio, jactatione corporis utplurimum lethales efficiunt. Quale exemplum non ita pridem in puella 7. annorum vidit D. PRÆSES,

ex cujus ore brevi ante mortem tempore grandis magnitudine duorum digitorum vermis ejiciebatur.

§. XXXI.

Vomitus febribus continuis & intermittenti tertianæ ſupervenientes derivari poſſunt a bilis partim abundantia (§. 12. n. 1. §. 17. n. 1.) & nimia vaſorum biliferorum laxitate, ut mirum interdum videatur, unde tanta bilis copia proveniat; partim ab acrimonia in toto corpore & cruditatibus in primis viis hærentibus, quæ ventriculum irritando & convellendo, bilioſum humorem ſimul evehunt, annotante *Celeb.* D. Præside *in notis ad Poterium Cent.* 1. *cap.* 39. Obſervatur etiam vomitus in variolis & morbillis, præſertim eo tempore quando ſeceſſum ex ſanguine faciunt, ſi miaſma ad ventriculum regurgitet ibique irritationem producat.

§. XXXII.

Cum epilepſia, colica acri & tuſſi vomitus conjunctus itidem dependet ab acrimonia in maſſa ſanguinea hærente, quæ fibras nerveas ventriculi irritando ſpirituum animalium influxum auget & contractiones producit ſpaſmodicas.

§. XXXIII.

Haud raro quoque in ſubjectis paſſione hyſterica, ſcorbuto & malo hypochondriaco affectis vomitus per longum temporis intervallum affligentes animadvertuntur; ob pertinaces enim obſtructiones, humorum circulus valde turbatur, ſubſiſtentes fiunt acres, viſcidi & acidi, ita, ut vomitus inde dependentes a *Celeb.* D. Præside *in annotationibus ad Poterium Cent.* 2. *cap.* 93. *inſtar aquæ fortis corroſivi ſæpiuscule deprehenſi ſint, ut etiam limaturam martis in vitriolum verterint.*

§. XXXIV.

Si vomitus cauſſa hæreat in ipſo ventriculo inflammatione, exulceratione, abſceſſu vel ſcirrhis affecto, vel orificio ventriculi a deglutito nummo occluſo & nihil transmittente, vel ſi ventriculus humores depravatos, rodentes contineat, appellatur idiopathicus; ſymptomaticus vero audit, ſi cauſa in aliis partibus remotioribus membranoſo-nervoſis quærenda eſt, qualem a capitis graviori contuſione aut vulnere, inteſtinorum læſionibus, miſerere mei, dolore iliaco, colico & nephritico, vel in apoplecticis a ſanguine & ſero in cavitate cranii ſtagnante provenientem animadvertimus.

§. XXXV.

Nomen quoque deducit vomitus ab ipſis vomitu rejectis: Sic vomitus dicitur bilioſus, ſi bilis copia in ventriculo & duodeno ſubſiſtens rejiciatur; pituitoſus a mucoſis & viſcidis cruditatibus, & pituita inſtar glutinis ſæpe cohærente denominatur; quodſi vero ſanguis ſtagnans in vaſis brevibus & aliis locis ruat in ventriculum & vomendo projiciatur, vomitus oritur cruentus; ab acidis humoribus producti vomitus, quod quartanariis & hypochondriacis familiare eſt, eodem deſignantur nomine.

§. XXXVI.

Vomitus non minus a colore nomen obtinet & exiſtit niger a ſanguine congrumato projecto; viridis ab acido cum bile permixto & materiam inſtar albuminis ovi albam obſervavit Panarolus *Pentec.* 1. *obſ.* 22. quæ in terram projecta temporis ſucceſſu tartarea reddita lateres corroſit.

§. XXXVII.

Criticus vocatur vomitus, quando cauſſa materialis vomitum producens ipſo vomitu eliminatur, qui valde ſalutaris eſt & interdum obſervatur in iracundis & cachecticis cholericis. Ventriculus enim, duodenum, vaſa hepatis biliaria, pancreas & inteſtinorum glandulæ crebrioribus & validioribus vomitibus a ſuccis & humoribus vitioſe ibidem collectis expurgantur, qui alias maſſam ſanguineam ingredientes varia inferre poſſent mala, quod vero a foras projectis timendum non eſt.

§. XXXVIII.

Quodſi vomitus per longum temporis ſpatium affligat Chronicus dicitur & per plures ſæpe annos perdurat: Sic F. Hildanus *Cent.* 5. *obſ.* 63. vomitum ſemeſtrem; *Cent.* 4. *obſ.* 32. vomitum triginta annorum refert & *Cel.* D. Præses vomitus per plures annos continuos annotavit in hernioſis, in quibus ingens inteſtinorum portio in ſcrotum fuit prolapſa, quo factum eſt, ut ingens materiæ quantitas non ex ventriculo ſolum ſed & ex inteſtinis per ſuperiora projecta fuerit acidi ſaporis, quæ & naturam ante 3. vel 4. dies ingeſtorum ſapore & odore præ ſe tulit, quod & confirmat H. ab Heer *obſ.* 29. qui obſervavit in nobili quodam, quod pridianas ſemper epulas rejecerit retentis recens ingeſtis.

§. XXXIX.

Periodicus vomitus ſtatis & certis periodis, certa nempe hora, die & anni tempore redit, vel poſt cibum aſſumptum ſtatim, vel digeſtione jam peracta horis pomeridianis quarta & quinta, vel ſtatim poſt ingreſſum lecti vel etiam tempore matutino cujus ratio non inepte in depravata ventriculi digeſtione & cruditatibus inde dependentibus quæritur.

§. XL.

Haud difficulter quidem vomitus ipſe, tam ratione materiæ excretæ (§. 35.) quam ratione coloris (§. 36.) cognoſcitur; ipſo enim viſu & ex ægri recenſione percipitur. Præcedunt utplurimum nauſea atque ſputationes frequentiores cum tenſis præcordiis, inquietudine & anxietatibus; atque inferius labrum interdum tremorem ſuſtinet. Cauſſæ vero vomitum producentes proximiores cognitu nonnunquam admodum difficiles ſunt, cum tamen harum cognitio Medico ſemper maxime ſit neceſſaria, quoniam incognita cauſſa raro ſubſequitur ægri reſtitutio.

§. XLI.

A calculo vomitum oriri conjicimus dolore in regione lumbari præſente cum urinæ fluxu imminuto vel plane ceſſante. Si magna bilis copia per temporis intervalla rejicitur, de nimia vaſorum biliferorum laxitate (§. 31.) cogitandum eſt. Vomitus pituitoſi cum dolore circa ventriculum gravativo cruditates in primis viis hærentes indicant. Sanguineus vomitus plethoram, ſanguinis excretiones prohibitas (§. 28.) vel viſceris cujusdam infarctum (§. 10.) interdum ſupponit. Chronici vomitus maxime cachecticos notabili viſcerum vel partium ſolidarum vitio laborantes moleſtant, in quorum cadaveribus diſſectis vel ventriculi quædam pars, (§. 6. n. 3.) vel hepar, lien, pancreas (§. 9.) duodenum ſcirrhoſa deprehenduntur Platero teſte *obſ.* 32. qui in homine per menſem ante mortem perpetuo vomente diſſecto pylorum perdurum & fere cartilaginoſum invenit cum pancreate ſubjacente duro & ſcirrhoſo. Abdomine flatibus diſtento junctis borborygmis, faciei pallore & ſputatione frequentiori cum narium pruritu,

ritu, vermium ſuſpicio adeſt, de quibus præſentibus reddimur certiores, ſi vomitu interdum & alvo rejiciantur. Læſiones externæ, ut capitis contuſiones graviores, & ventriculi vulnera in promptu ſunt.

§. XLII.

Si cauſſa ſimul vomendo eliminetur & ægri inde levamen ſentiant, id quod nonnunquam die critico in febribus vel etiam cruditatibus in ventriculo & duodeno hærentibus contingit, admodum ſalutare eſt. Neque vero ſolum materia vitioſa ex ventriculo ſolum & partibus ejus proximioribus, ſed & obſervante *Cel.* D. PRÆSIDE ex maxime remotis, ut manibus & pedibus deducitur, ut hac ratione dolores podagrici, chiragrici & eryſipelacei pedum ab exhibitis emeticis, non ſine noxa retropulſa materia evanuerint. Frequens vomitus quoniam ventriculum debilitat & vires totius corporis inde franguntur, ſemper timorem incutit.

§. XLIII.

In hypochondriacis & hyſtericis vomitus quidem proxime inſtans vitæ periculum non portendit, & niſi nimis urgeat per tempus aliquot perferri poteſt: quoniam vero viſcera in abdomine contenta per conſtrictionem muſculorum abdominis valde comprimuntur, (*§.* 3.) & humores in motum vehementiorem concitantur, horum obſtructio, niſi tam levis ſit, ut ab irruentibus humoribus reſerari poſſit, augetur, & ſic malum capit incrementum, quod eo magis pertimeſcendum, ſi hæmorrhagiæ quædam ſint ſuppreſſæ; quo facto haud difficulter vomitus ſubſequi poteſt cruentus.

§. XLIV.

Certe non minus malum denotant graviores & frequentiores gravidarum vomitiones; præter enim mala (§. 43.) dicta, vaſa in abdomine contenta vomendo non ſolum comprimuntur, ſed etiam a fœtu in utero majus ſpatium occupante permulta vaſcula arctiora redduntur, & a fluidis contentis diſtenduntur, quæ accedente vomitu paulo frequentiore & vehementi interdum dilacerantur & abortus præbent cauſſam.

§. XLV.

Vomitus nigri, quoniam a ſanguine dependent coagulato & corrupto mali ominis ſunt. & eo pejores materia excreta malo odore prædita: atque obſervante LOMMIO *obſ. Medicin. L.* 2. *p.* 173. febribus acutis ſupervenientes animi deliquium & ſubitaneam perniciem inferunt, ſanguis enim male olens putredinem deſignat, quæ cum maſſa ſanguinis facile miſcetur, eamque totam deſtruit & ad putreſcentiam diſponit.

§. XLVI.

Cruenti vero vomitus non ſemper deprehenduntur pernicioſi, ſed interdum plethoram ſolvunt & hiſce mediantibus ſanguis verſus ventriculum redundans foras projicitur, quod affirmat in prægnante SALMUTH. *Cent.* 2. *obſ.* 54. ex imminentibus menſibus RHODIUS *Cent.* 2. *obſ.* 64. & ex ſuppreſſione menſium HOECHSTETTER. *Dec.* 2. *Caſ.* 6. Sanguine enim abundante evacuato reliquus liberiorem circulum abſolvit & functiones ſuas decenter peragere poteſt.

§. XLVII.

Tranſit etiam aliquando vomitus, ſi per tempus aliquot affligat & ſero viſcido corpus abundet, in παράλυσιν, quam a vomitu ſimplici & diuturniori & ſingulis diebus redeunte in dextro brachio obſervavit SPERLINGIUS *in Diſſ. de vomitu ſimpl.* quod & LOMMIUS *l. c.* confirmat.

§. XLVIII.

Neque deſunt exempla ventriculum a vomitu eſſe dilaceratum, id quod annotavit FRANCISC. SANCHEZ *in Lib. obſervationum in prax. p.* 376. exemplo fabri acicularii, qui vomendo velut corporis rumpentis crepitum in ventriculo ſenſit, qui etiam in mortuo diſſecto *quatuor digitorum latitudine ab inferiori orificio abruptus obſervatus eſt, interiori tantum tunica, pollicis amplitudine.*

§. XLIX.

Curationem quod attinet, ea peropportune malo urgente abſolvi poterit (1) motus ſpaſmodico-convulſivos in ventriculo & partibus per conſenſum affectis leniendo & ſiſtendo; (2) Cauſſas foventes, quantum fieri poteſt, removendo.

§. L.

Primæ indicationi ſatis fit per antiſpaſmodica & ſedativa temperatiora, quo ſpectant (1) ex opio parata, ut Extractum & Eſſentia ejus. Maſſa Pilularum de cynogloſſa, de Styrace, Laudanum liquidum Sydenhami, Electuarium diaſcordium Fracaſtorii, requies Nicolai, Philonium Romanum, Theriaca cœleſtis, & Andromachi, Extractum & Eſſentia theriacæ refracta doſi adhibita. (2) Abſorbentia qualia ſunt lapides cancrorum, lapis bezoardicus, orientalis & occidentalis, cornu cervi uſtum & philoſophice præparatum, corallia alba & rubra, dens apri, hippopotami, chelæ cancrorum, teſtæ ovorum. (3) Crocata & cinnabarina, ut eſſentia croci, cinnabaris, antimonii, nativa & factitia. (4) Aromata principio terreo & ſulphureo prædita & balſamica, ut Nux moſchata, macis, cinamomum, cardamomum, coſtus verus, caryophylli, anthophylli, cortices citri & aurantiorum, & ex his parata olea & eſſentiæ; Radices calami aromatici, zedoariæ, galangæ; Herbæ abſinthii, majoranæ, roriſmarini, meliſſæ, menthæ, quæ cum oleo & aqua, tam ſpirituoſa, quam ſimplici pro ſpecifico habetur. (5) Aquæ ſpirituoſæ cum vino paratæ ex floribus & nucleis ſulphure anodyno & mitigante præditis, ut aqua Florum tiliæ, liliorum convallium, chamomillæ, ſambuci, meliſſæ, nucleorum ceraſorum, perſicorum, & ex his paratæ potiones & emulſiones cum ſeminibus 4. frigidis majoribus, papaveris, pœoniæ, & amygdalis dulcibus, quæ ſpicula ſalina irritantia involvunt & eorum actionem impediunt. (6) Præ cæteris (n. 1 - 5.) dictis in enormibus vomitibus ſiſtendis ſeſe commendat Liquor anodynus mineralis D. PRÆSIDIS, qui vel ſolus, vel cum balſamo vitæ ejuſdem & aliquot guttulis olei puri menthæ vel macis uſurpatus cito & egregie conducit. Spiritus quoque vitrioli & nitri dulcis rite præparati inſignem operam conferunt & particulas ſulphureas a quibus utplurimum vomitus dependet, corrigunt.

§. LI.

Externe non ſine fructu adhibentur. 1) Linimenta & Unguenta ex balſamo peruviano, oleo nuciſtæ, macis, menthæ, abſinthii, aniſi, de cedro anthos, paregorico WEDELII. 2) Epithemata ex ſpiritu matricali theriacali, aqua reginæ hungariæ, eſſentia croci & ſimilibus. 3) Cataplaſmata ex fermento panifico, aceto deſtillato acerrimo, ſpiritu vini, theriaca Andromachi, balſamo peruviano, addito

to pulvere caryophillorum, nuciſtæ, maſtiche, cardamomo, cinamomo, & aliis aromatibus cum guttulis aliquot olei menthæ, quæ linteo involuta toti regioni epigaſtricæ cum decenti calore applicata non parum levaminis afferunt. Poſſunt & 4) unguentis & epithematibus ſuperimponi ſacculi ex radicibus galangæ, carlinæ, iridis florentinæ, pœoniæ, calami aromatici: herbis origani, ſerpilli, chamomillæ, chamædryos, menthæ: floribus anthos, lavendulæ; ſemine carvi: baccis juniperi, lauri. Hæc oleoſa volatilia demulcent & fibrarum robur conſervant. 5) Emplaſtrum de cruſta panis malaxatum cum balſamo peruviano, addita pauca quantitate olei menthæ, macis, nuciſtæ vel alius deſtillati.

§. LII.

Ad alteram indicationem (§. 49. n. 2.) abſolvendam requiritur plenaria cauſarum cognitio, quas Medicus probe inquirat neceſſe eſt, ut eo melius per commoda remedia malum vel plenarie tollat, vel, ſi hoc impoſſibile ſit, mitigare tantum annitatur: Sic plenariam curationem reſpuunt tumores indurati ſcirrhoſi in ventriculo, (§. 6.) pancreate (§. 9.) hepate ac liene (§. 10.) reperiundi. Quamobrem hujuſmodi ægri tantum ſunt ſublevandi & mali incrementum impediendum, partes pituitoſas, tartareas & acidas corrigendo per aperientia, diluentia, thermas & acidulas atque abſorbentia (§. 50. n. 2.) recenſita. Situs ventriculi mutatus, herpes & ſteatoma (§. 6.) atque veſicula fellea diſrupta (§. 8.) quia cognoſci nequeunt, curationem non admittunt.

§. LIII.

Ventriculi inflammationi utplurimum febri junctæ ſuccurrendum plethora urgente, (1) venæſectione (2) ςάσιν ſanguinis expediendo per diaphoretica media & fixiora, tincturas bezoardicas variorum, eſſentiam alexipharmacam Stahlii, mixturam ſimplicem, ſpiritum nitri dulcem, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, nitrum depuratum, cinnabarin, cum pauxillo camphoræ. Externe applicando pulverem eryſipelatodes vel epithema ex ſpiritu matricali, aqua anhaltina & aliis. Quodſi vero ſuppuratio (§. 6.) ſubſequatur & pus per vomitum rejiciatur, ulcus blandis balſamicis abſtergendum eſt.

§. LIV.

Flatus & fæces (§. 7.), ſi vomitus cauſſam præbeant, proderunt carminativa, viſcidum reſolventia & incidentia, qualia ſunt eſſentia carminativa Wedelii, pimpinellæ, corticum citri & aurantiorum: tinctura antimonii tartariſata; radix ari, tartarus vitriolatus, nitroſa, non omiſſis clyſteribus emollientibus & reſolventibus ex radicibus malvæ, althææ, liliorum alborum: herbis 5. emollientibus, chamomillæ, hyoſciami: floribus meliloti, verbaſci: ſeminibus fœnugræci, lini; addendo colaturæ olea emollientia & pro ſtimulo ſal quoddam medium, quibus mediantibus fæces induratæ emolliuntur & verſus inferiora deducuntur.

§. LV.

Quodſi a nimiis ingeſtis (§. 10.) & viſcido abundante (§. 12. n. 2.) in primis viis hærente & inde dependente prava digeſtione oriatur, convenit interdum lene emeticum propinare & vomitum vomitu curare, ut materia peccans breviori ejiciatur via, uſurpando poſtea pituitam viſcidam & cruditates adhuc remanentes incidentia (§. 14.) allegata atque elixir viſcerale Dni Præsidis, quod commode ad digeſtionem promovendam & ventriculum roborandum circa meridiem in uſum vocatur.

§. LVI.

Vomitus bilioſus (§. 12. n. 1.) vel qui iram ſubſequitur (§. 27.) expoſcit acida temperata, ut ſpiritum nitri & vitrioli dulcem, liquorem anodynum mineralem Dni Præsidis, abſorbentia & temperantia: Sin vero laxitas vaſorum biliferorum (§. 31.) in culpa ſit, conducunt medicamenta roborantia, ex quibus eminent cortex chinæ, chacarillæ, & ex his paratæ eſſentiæ & extracta, eſſentia gentianæ rubræ, tincturæ martiales, cum aliis permixta.

§. LVII.

Humores acidi (§. 12. n. 4.) & viſcidi hypochondriacis familiares (§. 33. & 17. n. 4.) corriguntur (1) per ſalia alcalina fixa & extracta amara, ut abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, fumariæ. (2) Per ſalia media, arcanum tartari, arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, cremorem & cryſtallos tartari. (3) Diluendo & reſolvendo per thermas & acidulas atque decocta & infuſa aperientia ex radicibus trifolii fibrini, cichorei, helenii, pimpinellæ, vincetoxici, herbis hepaticæ nobilis, ſcordii, ſcolopendrii, cardui benedicti, chamædryos, chamæpytios, floribus chamomillæ, ſummitatibus centaurii minoris, fumariæ, abſinthii. (4) Per aromatica & abſorbentia (§. 150. n. 2. & 4.) deſignata. Per hæc enim acidum in primis viis hærens convertitur in ſal medium. (5) Alvum leniter per ἐπίκρασιν laxando cum infuſis laxantibus ex rhabarbaro, foliis ſennæ, pilulis balſamicis Becheri, tartareis Wedelii, & ad horum exemplum paratis ſimilibus.

§. LVIII.

Cruentus vomitus ſiſtitur ſanguine abundante præſente per venæſectionem, qua peracta diſtenſio vaſorum imminuitur & ſanguinis circulus liberior peragi poteſt: ab acri vero & rarefaciente ſanguine dependens corrigitur 1) per abſorbentia, (§. 50. n. 2.) 2) ſulphurea cinnabarina, anodyna (§. 50. n. 1.) (3) nitroſa. 4) Si hiſce cedere nolit, vel urgente neceſſitate, addenda ſunt leniter adſtringentia, ut tincturæ martiales, pulvis ſtypticus Heurnii, Wedelii, ſanguis draconis, radices biſtortæ, tormentillæ, quæ refracta doſi reliquis addita inſignem præſtant opem, fibras roborant atque tonum deperditum reſtituunt, continuando extra paroxyſmum cum iis, quæ nimiam acrimoniam ulterius corrigunt & eliminant, ut ſunt blanda aperientia, diluentia, & mitiora evacuantia ex rhabarbaro, quod & roborante virtute gaudet, parata, cum quibus poſito intervallo repetitio inſtitui poteſt.

§. LIX.

Quodſi de nummo pylorum obſtruente (§. 13.) præſumptio ſit, non incongruum fore exiſtimo, tantam aquæ copiam aſſumere, ut ventriculus inde diſtendatur, quo facto fieri poteſt, ut in ejus cavitatem iterum dilabatur. Ab hernia (§. 29.) ſi dependeant vomitus, non niſi hæc reſtituta, & inteſtina in ordinatum ſitum ſint redacta, remittit, quod per emollientia & alia huc ſpectantia remedia peragatur neceſſe eſt. Tuſſis ferina, convulſiva (§. 32.) ſi in culpa ſit, ſedantia (§. 50.) uſui eſſe poſſunt. Vomitus in febrium paroxyſmis (§. 31.) ut ſymptoma affligens cohibetur per aquas deſtillatas cum ſucco limonum vel citri & ſale alcalino ita permixtas, ut ſapor acidulus emineat.

§. LX.

§. LX.

Aſſumpta venena (§. 14.) imprimis acria optime corriguntur & eliminantur per pinguia copioſe aſſumpta ut oleum olivarum, lac cum multo cremore imprægnatum, aquam cum butyro non ſalito largiter ſaturatam & ſimilia, quæ 1) ſalium rodentium ſpicula obducunt, involvunt, eorum actionem impediunt, ventriculum defendunt, atque jam eroſum demulcent: 2) quia larga quantitate aſſumuntur (§. 11.) & fauces tanquam oleoſa irritant, ipſis cum venenis vomitu rejiciuntur.

§. LXI.

Primis geſtationis menſibus in gravidis vomitus ob humores verſus ventriculum congeſtos oriri ſolent, qui ſanguine abundante ex menſibus retentis peccante per venæſectionem in pede inſtitutam opportune cohibentur, externe regioni epigaſtricæ roborantia (§. 51.) applicando: Sin vero cachexia latitet ſeroſa, incidentia, digeſtiva & aromatica cum decenti regimine propinata in uſum cedere poſſunt.

§. LXII.

Vomitus a vermibus in ventriculo & inteſtinorum canali hærentibus (§. 24. & 30.) producti curantur 1) quoniam illi inſignem habent tranſpirationem, præmiſſo purgante cum mercurio dulci, eam per oleoſa aſſumpta impediendo; ab his vermes obducti, partes quibus gaudent, acres difficulter dimittunt, quæ vero retentæ ipſorum fibras deſtruunt; 2) per reſolventia, aquam graminis, tanaceti cum mercurio vivo decoctam, extracta amara (§. 57. n. 1.) cum dulcibus permixta ut vermes eo citius aggrediantur, quibus 3) haud inepte clyſteres ex lacte ſolo ſubjunguntur, ut verſus inferiora determinentur & per alvum excernantur.

§. LXIII.

Quod ad Diætam attinet, hanc ex cauſſis non naturalibus (§. 23 -- 28.) adductis benevolo Lectori eruendam relinquo.

DISSERTATIO MEDICA, DE DYSENTERIA.

Primùm edita Anno 1734.

PROOEMIUM.

QUUM nuper inter familiares ſermo incideret de copia ingenti diſſertationum medicarum, quæ intra non adeo longum tempus in Germaniæ Academiis prodierunt: non injucundus ſermo tandem in illam quæſtionem recidit, utrum utilius illi operam collocaverint, qui de rebus frequentiſſime occurrentibus diſputando ingenii vires periclitati fuerunt, an iſti, qui themata rariora, & minime ab aliis tractata ſubjecerunt examini. Erant, quibus videbatur, non eſſe recoquenda, quæ toties jam cocta & concocta ſunt: adeoque operam ludere, qui de epilepſia, febribus, aliiſque argumentis, quæ proxime a doctiſſimis & excellentiſſimis viris in arte Machaonica tractata fuerunt, vellet diſſerere: quum fieri non poſſe videatur, ut quicquam novi proferatur; aut ſi quis novum quid afferat, videndum eſſe an conſultum ſit, ea ſollicitare, quæ bene poſita, & pro ratis ac firmis ſunt accepta. Iidemque exiſtimabant longe optime feciſſe, qui nondum in cathedram prius allata primi omnium propoſuerunt: eandemque legem ſcribendam candidatis putabant, ut ſpecimina inauguralia edant publice ventilando illa argumenta, de quibus nondum alius eſſet commentatus; aut ſaltem de illis diſputando, quæ in noſtra patria & eruditorum lingua nondum eſſent pertractata. Meam rem maxime agi intelligebam, qui in eo tunc eram, ut decernerem quodnam eligendum eſſet thema inaugurale. Occurrebant non pauca, de quibus mihi non conſtabat, quod in Germania diſſertationibus academicis ſint protrita. Sic *oleum caieputæ*, *camangæ & limonprutti* famam nuper conſequuta, expectant præconem: novum dyſentericum *Simarouba* forte propediem inveniet laudatorem Latinum, cui gratulabimur, ſi experientiæ in plurimis reſpondentis robore hunc corticem commendaverit:

ut

ut & aliud *antidyſentericum novum Americanum*, nuces videlicet rugoſis albicantibus ſtriis variegatæ, jam ſatis diu expectant virtutis ſuæ diſertum interpretem. Quid dicam de *placentis Catacambræ*, *corticibus Jubaba*, ancipitis periculi pleno ſemine Mexicano *Sabadilli*, gummi, an reſina? *Kikekunenialo*, balſamo *Rackaſira* & compluribus aliis exoticis, quæ digna noſtratium Medicorum curioſitate videntur, ut æque ab omnibus noſcantur, ac alia per doctas commentationes in familiarem officinarum uſum deducta. Equidem ut cupide legam, ſi quis certa, quæ nos doceat, de talium veris viribus & recto uſu habuerit: ita imparatum me ab illis copiis, quæ ad hanc rem requiruntur, agnovi, planeque conſultius exiſtimavi ſi in illis ſubſiſterem, ubi ſe major ad certam cognitionem perveniendi facultas offert, & utilitas non minima, ſi recte cognita perſpicue proponantur. Circumſpexi itaque argumentum aliquod, de quo ſcribere tentarem, practicum: quumque dyſenteriæ multis hominibus infeſtæ, nec paucis funeſtæ ſint; de hac potiſſimum commentari volui, quum & ipſe, quod PLATO ad Medicum perficiendum inprimis utile judicat, graviter illo morbo aliquando laboraverim, & inter non paucos eodem correptos verſatus fuerim. Hujus itaque veram indolem, cauſaſque ſcrutari, quæque ad vincendum illum faciunt, conquirere & concinno ordine exhibere anniſus ſum. Nova non promitto, ſatis quippe habiturus ſi vetuſtæ experientiæ veſtigia diligenter legere & veras rationes aſſequi licuerit.

§. I.

Nominis conſideratio.

DYſenteriam, nomine a Græcis accepto, dicimus illum morbum quem Latini *tormina* vocarunt, teſte ampliſſimo & terſiſſimo Romanæ medicinæ ſcriptore CORNELIO CELSO *Libr. IV. cap.* 15. cui bene convenit SCRIBONIUS LARGUS, qui & torminum nomine alias utitur, & §. LXXXV. dyſentericos eſſe torminoſos, tanquam interpres docet. Græcum nomen retinet CÆLIUS AURELIANUS, quo & ipſe CICERO aliique Latinæ linguæ auctores uſi ſunt. *Torminoſum* vocant illum, qui torminibus laborat, aut qui ad illam paſſionem valde proclivis eſt. Videntur *tormina* a *torquendo* dicta, ut Græce στρόφοι, a verbo στρέφειν, quod etiam torquere valet. Græci nominis etymologia a δυς, quod in compoſitione pravitatem notat, & ἔντερον *inteſtinum*, facile patet: eam Cælius Aurelianus ſic explicat: a difficultate officii paſſio nomen accepit dyſenteria. *Morb. chron. Lib. IV. cap. 6. pag.* 524.

§. II.

De homonymia.

Dyſenteriæ nomen ſatis quidem conſtanter uni morbo tribuitur: videtur tamen aliquando etiam homonymice poni pro diarrhœa. Sic HIPPOCRATES *Epidem. II. Sect. VI. p.* 710. meminit δυσεντερίης ἄνευ ὀδύνης, *dyſenteriæ doloris expertis*: quod manifeſtam contradictionem involvere videtur, niſi intelligas diarrhœam, ſeu profluvii alvi id genus, quod neque ſanguinolentas habet excretiones, neque dolorem, niſi forte tolerabilem & fugacem: ita doctiſſime ad illum locum diſſerente Jo. ANTONIDE VAN DER LINDEN *Select. medic. VII.* §. 65. cum quo fere convenit Celeberrimus D. D. HERMANNUS BOERHAAVE *de cognoſcendis & curandis morbis aphor.* 963. quando dyſenteriam blandam ſubcruentam bilioſam laudat.

§. III.

Definitio veterum.

Morbum hunc non uno modo definiunt ſcholæ medicæ proceres. GALENUS *in definit. med.* hanc tradit: Dyſenteria eſt inteſtinorum ulceratio cum inflammatione, cruentiſque ac fæci ſimilibus ſecretionibus, aut ſtrigmentis, cum morſu & dolore alvi atque inteſtinorum. Huic non incongrua docet ARETÆUS *Chron. paſſ. II. cap.* 9. quando dyſenteriæ ulcera inteſtinorum aperte tribuit. Apertius vero etiam ALEX. TRALLIANUS *Lib. X. cap.* 1. (ſecundum Guinth. Andernaci diſpoſitionem *Lib. VIII. cap.* 7.) ita ſcribit: veteres dyſentericos illos vocare conſueverunt, in quibus neque jecur eſt affectum, neque alia quædam particula, quæ morbum hunc efficiat, ſed ipſorum tantum inteſtinorum exulceratio exiſtit: quæ ſi negligatur, ulcera depaſcentia, interdum putredinem quoque generare ſolet, & interitus periculum ægro inducere. Et PAULUS ÆGINETA *Lib. III. cap.* 42. Dyſenteria, inquit, eſt exulceratio inteſtinorum. Cui tandem aperte accedit CORNELIUS CELSUS *l. c.* qui, intus, inquit, inteſtina exulcerantur. Neque aliter Arabes & ab his deducti viri, qui medio ævo vixerunt: ex quibus paucos adduxiſſe ſufficiat. Sic JOANN. ANGLICUS Sæculi XIV. ſcriptor in *roſa Anglica pag. m.* 430. dyſenteria eſt fluxus ventris humoralis cum excoriatione vel ſolutione continuitatis inteſtinorum. Cui addimus *lilii medicinæ* auctorem BERNH. de GORDONIO qui fluxum eſſe ſanguineum cum excoriatione & ulceratione inteſtinorum, docet *practic. V. cap.* 4. Atque ANTON. GUAINERIUM qui fluxum ventris ab hepatis venarum diſruptione aut inteſtinorum ſubſtantiæ raſura, ſeu utriſque provenientem edicit. Atque hi omnes in eo conveniunt, quod exulcerationem ſeu continui ſolutionem in inteſtinis agnoſcant, indeque dolores, ſtrigmenta, dejectiones ſanguineas tandemque purulentas, & fœtidas deducant. Febris inflammatoriæ rationem unus tantum GALENUS habuit, idque in unico loco quem adduximus

mus ex non indubiæ genuitatis libro : quum etiam alii, qui ipſum maxime ſequuntur, veluti Jo. GORRÆUS *in Defin. med.* quaſi ejus mentionem huc non pertinere crediderint, omnino de febre ſileant : quum CICERO tamen ex hominum non Medicorum judicio, propterea a dyſenteria abeſſe judicatus fuerit, quod ipſum ſine febre conſpexerint : *epiſtol. famil. VII. 26.*

§. IV.

Definitio Methodicorum.

Longius ab his abit CÆLIUS AURELIANUS *tard. paſſ. IV. cap.* 17. quando dyſenteriam definit *inteſtinorum rheumatiſmum cum exulceratione.* Quid rheumatiſmum dicat hic auctor, cognoſcere licet ex *tard. paſſ. Lib. II. cap.* 7. ubi ſuperantem defluxionem, id eſt vehementiorem, quam in catarrhis adeſt, eum definit. Sed non valde immorabimur huic auctori, utpote cum omni methodicorum ſchola liberius artis vocabula ab antiquis accepta in alium ſenſum adhibenti. Inferius tamen ad illum commode revertemur.

§. V.

Definitio Recentiorum.

Recentiores auctores, magis quam Veteres illi, reſpiciunt ad inflammationem. Sic ZWINGERUS in theatro praxeos *pag.*342. definit *inteſtinorum, inprimis tenuium, hinc & craſſorum inflammationem, atque exulcerationem cum dejectione frequenter cruenta, purulenta, acerrimo ventris dolore ac torminibus, nec non teneſmo moleſtiſſimo, nunc cum febre continua maligna, nunc ſine eadem hominem affligentem.* Neque alia via incedit Celeb. D. D. BOERHAAVE, quippe qui omnem dyſenteriæ doctrinam eo capite abſolvit, quo inteſtinorum inflammationes pertractantur. Si quid video, unus vir magnus & in obſervando maxime tam ſedulus, quam accuratus, THOM. SYDENHAM effecit, ut ad morbi hujus naturam inquirendam major induſtria conferretur. Hic enim conſideratis multorum annorum ſe ſe mutuo conſequentium epidemiis morbis, & in his dyſenteriæ etiam diverſiſſimam faciem contemplatus; illud quidem in genere didicit, febrem eſſe hunc morbum ſui generis, in inteſtina introverſam, hoc eſt inflammatoriam : & varias enaſci dyſenteriarum ſpecies, perinde ut ſunt variolarum & epidemiorum aliorum diverſis conſtitutionibus propriæ, nec unquam accurate ſecundum omnia convenientes cum prægreſſorum annorum epidemiis : vide *Opuſc. Sect. IV. cap.* 3.

§. VI.

Hiſtoria morbi.

Supereſſet, ut nunc daremus definitionem dyſenteriæ. Cum vero morbi proteiformis & multiplici facie incedentis difficillima ſit definitio; inhærebimus illi ex b. D. D. ZWINGERO allatæ, potiuſque dabimus operam ut hiſtoriam ejus ex optimorum virorum obſervationibus contractam, ob oculos ponamus. Exoritur autem populariter, atque rariſſime ſola conſpicitur. Tempori adſtricta eſt, & menſibus Julio, Auguſto & Septembri ita inhæret, ut vix extra illos aut emicet aut ulterius perduret, niſi tempeſtatum ratio valde ſit inverſa. Rarum eſt admodum, teſte SYDENHAM, unum fortaſſe aut alium videre, quem hic morbus tempore veris inceſſat: memoratque D. D. GOHLIUS unicam ſibi viſam fuiſſe puellam, quæ menſe Decembri eadem correpta fuit, ſed minime pertinaci & continentia quieta & calida facile ſuperabili. Quo magis hyems accedit propius, eo certius hic morbus cedit : quoque magis ad occaſum vergit, eo magis in dies a ferocia remittit, atque ut SYDENHAM loquitur, craſſa ac humoralis redditur. Magis vulgatur ferociuſque deſævit, ubi in multitudinem hominum frequentes urbes inhabitantium, aut caſtra militum incidit, præſertim nec optime locata, nec neceſſariis præſidiis ad victum commodum inſtructa, quam in pagis aut locis editioribus, quo non facile pervenit, niſi contagio transferatur.

§. VII.

Diverſo ſchemate ingruit.

Non autem omnibus uno eodemque modo ingruit. Quibuſdam, qui ſe fructibus horæis intemperantius ingurgitaverunt, præſertim præcocibus, aut nondum ſatis mature percoctis, illiſque ſuperingeſſerunt potus non optimos, vappidos, aut fermenteſcentes, ſuperveniunt cardialgiæ, inflationes, motus vomitorii, flatus ſuperius cum ructu & inferius utrobique cum levamine, erumpentes. Venter ac inteſtina vehementer dolent, inflantur & diſtenduntur, febris accedit cholerica. Si quid vomitu difficillimo emoliuntur, ſpumoſum & bilioſum eſt, colore ſaturate viridi : qui vomitus ſubinde recurrit, neque tamen levat pro ratione. Atque talis fuiſſe videtur cholera iſta epidemica, quam SYDENHAM *Sect. IV. cap.* 2. quæ intra hæc toto anno manſit, nec ad dejectiones pervenit : planeque credo hujus generis fuiſſe illam febrem quæ MDCCXXVIII. per Voigtlandiam & Franconiam ac Palatinatum ſuperiorem menſe Julio & Auguſto frequentiſſima graſſabatur, multoſque ad mortem ducebat, paſſim ſuccedente deinceps vera dyſenteria dejectionibus ordinariis conſpicua. Aliis illico a prægreſſis talibus, ſed & multis citra illorum culpam, cujus meminiſſe poſſint, exoritur laxitas alvi, ut & frequentius deſidere cogantur, & liquida dejiciant tanquam diarrhœa ſimplici laborarent : ſed accedunt mox torſiones abdominis, & ſedis quaſi morſus, qui indies invaleſcunt, & teneſmum intolerabilem producunt. Hæc inter debilitas, tandem verus languor ſubrepunt, appetitus proſternitur, materia tenuis albuginea mucoſa ſubflava & olens dejicitur, ſæpe ſine ſtercoribus : quibus aliquando verorum ſtercorum depoſitio ſine dolore interponitur. Mucoſis interſperſæ ſanguinis ſtriæ viſuntur; non raro ſanguis dilutus inſtar carnium loturæ : quin interdum ſanguis ſincerus, modo nigricans, modo floridus plus minus copioſus.

§. VIII.

Diverſitas in ſtatu.

Quibus mediocris eſt morbus, illis orthoſtadiam ſervare ſic ſatis licet, quamvis a commotionibus febrilibus neutiquam immunes ſeſe ſentiant. Sed ſæpe præſertim ubi circumfuſus aer plus inquinamenti ſuſcipit, & corporibus communicavit, febris dyſenterica continua maligna, periculi pleniſſima, accedit, cum virium proſtratione maxima, aphthis, delirio juncta, quæ morbum ſeipſo longe

faciunt magis & gravem & periculoſum. Sitis urget per totum morbi decurſum: ſed potus actu frigidus manifeſte eos lædit: ut & frigus externum ano admiſſum teneſmi ferociam inſigniter intendit. Quoque magis quiſque ſibi ab admiſſione aeris cavere, & lecto ſemet levandi neceſſitate ſuperſedere poteſt, eo mitius omnia decurrunt, celeriuſque ad finem optatum deducuntur, quem aliqui altera hebdomade vertente, alii vertente menſe demum conſequuntur. Haud tamen pauci ſuccumbunt, quibus vel graviores morbi cauſæ copioſius inhæſerunt, vel curatio nimis dilata, vel perverſa omnino adhibita fuit, vel febris maligna dyſenteriæ comes exitium attulit.

§. IX.

Dyſenteriæ differentiæ.

Diximus ſuperius in omni dyſenteria per ſe adeſſe inflammatoriam inteſtinorum diatheſin, adeoque febrem eſſe ſui generis: ſed aliquoties fieri, ut ad illam accedat febris quædam acuta, maligna, inſidioſa, ad hemitritæorum indolem accedens, obſervante Lindano apud Gohlium *pag.* 234. laudato. Hæc febris ut ſe plerumque comitem præbet dyſenteriis, citra tamen dejectiones in aliquibus deprehenditur: jamque ceſſantibus, appetente frigore brumali, dejectionibus & torminibus, perdurat, quin aliquando majores vires ſumit, & cum variolis ac morbillis ſubſequentibus vicem mutat. Hac obſervatione nititur valde notatu digna differentia dyſenteriæ ſimplicis & benignæ, ejuſdemque complicatæ ac malignæ. Diſtinguitur etiam excretæ materiæ ratione in albam, quæ tantum materiam mucidam & viſcidam cum graviſſimis torminibus emolitur, & rubram ſeu ſanguinolentam, quæ priori plerumque longe minus gravis & periculoſa cognoſcitur: niſi illico magna ſinceri ſanguinis copia prodit: quippe quod ſine majorum vaſorum inſigni eroſione fieri non poſſe intelligitur.

§. X.

De ſede morbi.

Sedem ſeu ſubjectum hujus morbi facile deprehendimus inteſtinorum canalem, qui in tenuia & craſſa inteſtina dividitur. Sunt auctores qui ſollicite & ad unguem definire audent, an in ſolis inteſtinis craſſis, an vero ſimul etiam in tenuibus ille ſubſiſtat: enimvero tam accuratiſſimam conjecturam facere vix licebit. Nam ſi ut deinceps videbimus cauſa epidemica, quæ per eſculenta potiſſimum potulentaque corpus ſubeunt, ad morbum producendum valent: facile cognoſcitur totum tractum hic debere pati non excluſo ventriculo ipſo, quem in hoc morbo non immunem labis eſſe poſſe graviſſime docet Illuſtr. Dom. Præses *Med. rat. Syſtem. Tom. II. pag.* 117. 118. §. 13. ſchol.: Quæ vero illarum in progreſſu mali magis paſſa & exulcerata fuerint, ex ſede doloris, & excreti ſanguinis colore præcipue cognoſcere jubent. Nam ſi tormina umbilicalem regionem acriter vexant, aut ſupra umbilicum deſæviunt, tandem ſubſequente dejectione, tenuia potiſſimum pati cognoſcimus: ſi tractum coli ſequuntur & per latera abdominis excurrunt, citoque ſtimulus dejiciendi ſubſequitur; ſuſpicari de craſſis licet. Itemque ſi ſanguis floridus, tenuis prodit, ex loco proximo venire eum vero eſt ſimile: ſi vero nigricans jamque obſoletus excernitur, altiorem ſcaturiginem prodit.

§. XI.

De partibus ſimul laborantibus.

Sed non inteſtina tantum vitium hic fovere, ſed ad vaſa & capſulam bilis, forte etiam pancreas, illud excurrere, multa fidem faciunt. Nam non ſolum ſectiones dyſenteria mortuorum teſtantur folliculum bile caruiſſe, & loco ejus materia inerte quaſi chyloſa repletum fuiſſe: verum etiam illud confirmant ſucceſſiones morborum: quippe ſæpiſſime videmus, dyſenteriis popularibus jam ceſſantibus, multos ſuccedere icteros, eoſque valde contumaces, & in ipſa curatione ea, quæ bilem ſupplent, operæ haud exiguum pretium facere deprehenduntur. Porro meſenterium hic multum affici docent facti in ipſo, & poſt mortem inventi magni abſceſſus, qui ſæpe vicinas quoque partes putredine infecerunt, & corruptam materiam, facto in lumbis abſceſſu, excluſerunt. Quin totam humorum maſſam vitio inſigni corruptam eſſe, docemur ex eo, quod matres & nutrices labem per lac communicant ſugenti proli. Notabilis in hanc rem legitur obſervatio Illuſt. Brunneri A. N. C. *Dec. II. Anni 6. pag.* 392. ubi refertur de femina lactante, quæ amiſſa prole, quo lactis copiam minueret, catellum mammis exſugendis adhibere cogebatur, quo mox convulſo & mortuo, alter, itemque tertius, adferebatur, eodem fato extinguendus.

§. XII.

De cauſa dyſenteriæ.

Progredimur ad cauſas dyſenteriæ indagandas. Patet autem eam eſſe quærendam, quæ morbi phænomenis, quantum fieri poteſt, ſufficienter explicandis inſerviat, & præcipue rationes popularis graſſationis, faciliſque per contagium propagationis animo ſubjiciat. Quod quam ſit arduum & difficile in omni popularium conſtitutionum genere, jam diu eſt agnitum a viris maximis, quos non puduit aperte profiteri, ſe plane ignorare, qualis illa ſit aeris diſpoſitio, a qua morbificus hic omnis apparatus promanat. Sufficiet itaque nobis illud comprobaſſe, quo pacto ſeſe exſerat & manifeſtet commune vitium in aere oberrans, & cum illo ad plures ſimul uno eodemque tempore tranſiens. Illud autem ſatis clarum exiſtimo intuenti, quam certa & definita morbus ſervet tempora, intra quæ venire & diſcedere ſolet: quibus ſolis cauſæ illæ, quæ alias alvi fluxus inducere ſimplices ſolent, eam naturam torminoſam induunt, ut dyſenteriæ veri nominis enaſcantur, quin ad illos quoque propagentur, qui nihil cauſarum illarum remotarum in ſe admiſerunt. Accedit eo, quod multi ſæpe anni tranſeant, quibus homines nulli omnino dyſenteria corripiuntur, quantumvis non abſtineant illo victu, qui alio tempore omnem exortæ dyſenteriæ culpam ſuſtinere debet.

§. XIII.

De aeris vitio & diatheſi cauſtica maligna.

Illuſtre decus Italiæ Lancisius in doctiſſimo, quod *de noxiis paludum effluviis* reliquit, opere inſtitutis experimentis pluribus illud vero reddidit ſimile: ſalis cauſtici animalis

malis naturam æmulari illud miaſma venenoſum, quod epidemicos morbos malignos ſuper regiones amplas longe lateque diffundit: illiusque originem etiam atque per complures gradus incrementum & intenſionem oſtendit. Idem argumentum ſolidiſſime, &, ut omnia ſolet, perſpicue tractavit Illuſt. Dom. PRÆSES, patronus & præceptor meus perpetua pietate colendus *Med. Syſtem. tom. II. part. II. cap.* 4. Atque ut fidem Viro perſpicaciſſimo habeamus, facit eroſionis, tamquam a ſale cauſtico animalium, ut cantharidum, conſpicuus eventus in ore, faucibus, inteſtinis. Enimvero nondum inde cognoſcimus, cur ceteri morbi populares, perinde ut dyſenteriæ, numquam ſibi per omnia ſimiles, diverſis annis obſerventur: vereque dixiſſe SYDENHAMUM comperimus: quiſquis ille fuerit, qui in ſe receperit hæc omnia & multifarias naturæ operationes indagare, partim magnis auſis excidet, neque voti per omnia compos reddetur.

§. XIV.

Popularis graſſationis cauſa.

Si tam parum cognoſci natura hujus miaſmatis a nobis poteſt; proinde tamen non inutile eſt, ante oculos illud crebro habere poſitum, & conſiderare, quam halituoſum, tenuiſſimum & ab omni craſſo conceptu remotum atque alienum ſit, quod tantas turbas excitat: quo animus avertatur a quærendis fortioribus & impetuoſis medendi modis, qui morbi indoli non quadrant. Idem cognitum revocabit nobis in memoriam obſervationem ad omnes epidemios morbos pertinentem: quod ubi primum e naturæ ſinu emergunt & exſiliunt, principio magis ſpirituoſo ac ſubtili inhæreſcant, quam ubi jam adoleverunt: quoque magis ad occaſum vergunt, eo magis in dies craſſi atque humorales fiant: ex quo conſequitur, nihil magis ad levandum morbum facere, quam quod involvere halituoſum iſtud, & incraſſare valet, ut ab excretoriis capi & foras eliminari poſſit. Sed de his deinceps diſpiciemus. Nunc pauca addimus de contagio, ſeu illo modo, quo morbus hic ex corpore affecto ad ſanum propagatur; ſi vel eodem lecto decumbat, vel alias ita prope cum ipſo verſetur, ut effluvia ab ægrotante in aerem circumfuſum emiſſa, alterius ſani corporis poros ſubeant, perque illos in humorum maſſam delata, ſimilem motum corruptivum inchoent & propagent. Tale quid fieri non poteſt, niſi materia exhalans ſit maxime activæ & halituoſæ indolis: quo ipſo ad communem ideam illius maligni epidemii, in hoc quidem morbo facile referri poteſt.

§. XV.

...odus ...o in in- ...tina ...it cau- ...cum ae- ...vi- ...m.

Eſſe hoc miaſma cauſticum, per aerem in corpus delatum, indolis ejuſmodi ut in humoribus inteſtinalibus motum fermentativum, irritativum & ſolidas extremas fibrillas nervorum atque vaſculorum, a quibus tunica villoſa conſtituitur, arrodentem producat, docet tormentorum vehementia, atque mucoſa ſpumida dejectio, cui in progreſſu morbi ſtrigmenta & carunculæ intermiſcentur cum ſanguine, qui per arroſa effluxit. Illa dolorum vehementia ex eo potiſſimum provenit, quod nervi, ſenſu acutiſſimo præditi, vellicantur: unde conſtrictio ſpaſmodica ad propinquas partes, ductus biliarios, meſenteriumque producitur, ſicque biliariorum ductuum quaſi ſcaturigines conſtringuntur, ut ſecretio laudabilis ceſſet; ductus autem hepatici, cum cyſtide crebrius conſtricti, exprimunt omne, quod continuerant, fellis; unde non mirum, ſi longo tempore, antequam ille ſpaſmus ceſſet, defectus bilis variis indiciis cognoſcitur. Bile ad chylum laudabilem conficiendum tam neceſſaria, nunc ceſſante, chyli confectio ceſſat: cumque omne meſenterium atrocem ſpaſmorum vehementiam ſuſtineat, fieri non poteſt, quin chyli, lymphæ, ſanguinis vaſa omnia, toties arctiſſime ſtricta, motum humorum valde impeditum, ſæpe interruptum & perverſum experiantur: unde ad inflammationem aut ſcirrhoſam indurationem via paratur: per partes autem jam exulceratas tanto magis elabitur, quicquid a progreſſu impeditum eſt.

§. XVI.

De ceteris dyſenteriæ cauſis.

Venimus tandem ad conſiderandum ea, quibus a paulo vetuſtioribus ſcriptoribus omnis fere culpa dyſenteriæ adſcripta eſt. Ita videmus frequentiſſime accuſari fructus horæos, modo omnes, modo certos, ut pruna cerea ſ. flava, mala armeniaca, perſica, melones, pepones, olera, acetaria, cucumeres, uvas etiam & muſtum, alioſque potus fermenteſcentes, non probe fermentatos aut vappidos. Et ſane certum eſt, ſæpe viſum fuiſſe, quod in illis, qui ſe talibus intemperantius impleverunt, dyſenteriarum epidemiarum ortus primus emicuerit. Enimvero cum aliis annis non minus intemperantes circa talium uſum videantur homines, plebeii & pauperes, facile cognoſcitur cauſam adæquatam dyſenteriæ hic non inveniri. Facile largior, diarrhœis inducendis talia ſufficere, in quibuſdam etiam choleræ: niſi autem univerſalior cauſa in aëre obverſans acceſſerit, ad dyſenteriam producendam minime valet. Tali accedente, & per rorem ac pruinam in fructus & olera inſinuata in ſubjecto cetera ad morbum ſuſcipiendum comparato plus omnimo valent, quam ex ſua natura potuiſſent. Idem judico de purgantibus vehementioribus, ex quibus ſeorſim colocynthis adeo infamatur, ut quidam auctores miaſma aëris cauſticum quod ſupra indicavimus, colocynthiacum vocare voluerint. Non nego vehementer agere colocynthidem minus provide datam: ſed ſi unquam viſa eſt vera dyſenteria ab hoc purgante inducta, inde accidit, quod homini in conſtitutione tali aeris improvide data fuit. Nec parvi nominis viri adamantem intro ſumtum inter cauſas dyſenteriæ ponunt, ſi ſcilicet non minutim tritus fuerit; vid. ETTMULLERI *Colleg. Pract. cap. III. artic. I. p.* 150. quod tanto magis miror, quum ab aliis minutiſſime pulveriſatus pro dyſenteriæ cura adhibitus fuerit, & tanquam optima adverſus illam laudetur antidotus uti refert WORMIUS *in Muſ. pag.* 103. *ubi de adamante.* Equidem adamantem venenum eſſe, & dyſenteriam immedicabilem inducere inter ſpeculationis ludibria illo loco pono, quem gemmæ dignitas ſibi inter cæteras merces pretioſas depoſcit.

§. XVII.

Quid ſimplex aeris intemperies ad dyſenteriam conferat.

Quemadmodum igitur victus vitia inter cauſas dyſenteriæ locum non majori jure obtinent, quam quod corpora præ cæteris ad ſuſcipiendum miaſma aereum diſponunt: ita ſunt plures cauſæ, quæ ſubeſſe aut incidere poſſunt corpori, per ſe non tantæ, ut concitent morbum, cum aliis autem concurrentes, eundem citius inducentes, & ſe ipſo majorem pejoremque reddentes. Huc autem refero aeris, quoad temperiem caloris & frigoris, crebras viciſſitudines, homini jam affecto inevitabiles. Frequentiſſime hoc accidit militibus in caſtris degentibus, autumno jam appetente, præſertim in Hungaria & Italia, quæ regiones ad meridiem propius poſitæ magnos interdiu æſtus tolerant, noctibus autem, utpote longioribus, quam in his terris, refrigerationem & magis ſenſibilem & longiorem perferunt. Eam vero, qui evitare, ſibique æquabilem, ac temperatum calorem procurare neſciunt, utique graviſſime ab hoc morbo vexantur ac difficillime mortem effugiunt. Frigus enim ſuperficiem corporis denſat, poroſque occludendo difflationem halituoſæ materiæ interrumpit, ac ſupprimit: unde humores omnes tanto magis ad inteſtinorum canalem ruunt, ibique morbi ferociam intendunt.

§. XVIII.

Quid aer inſuper corruptus faciat.

Neque ſolum intemperies aeris in corpora per vices agens morbum ſenſibiliter intendit, verum etiam illius impuritas, & nebuloſa, humida conſtitutio. Impuritatem dico, quando in proximo adſunt, quorum effluvia noxia atmoſphæram replent, ut aquæ ſtagnantes atque corruptæ, corporum putreſcentium copia, excrementitiarum ſordium multitudo; quæ ſingula quando intra aeris poros recepta, corpori jam antea morboſo allabuntur, non ſolum beneficio, quod a puro aere accipitur, illud privant, verum etiam novam malignitatem adferunt, quæ febrem accendit admodum malignam, quam caſtrenſem vocamus, ad petechias inprimis ſpectantem. Conf. Illuſt. Dn. Præsidis *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. cap.* 3. Hinc plane deploranda fit militum maxime conditio, quibus tunc vel prudentiſſimus, & per omnia verſatiſſimus Medicus vix ſatis conſulere poteſt, tantum abeſt, ut ſalutem afferre poſſint, in quorum manus plerumque incidunt, medicaſtri, tonſores, agyrtæ: quam calamitatem, ſi quiſquam alius, diſerte expoſuit Tobias Cobebus in obſervationibus caſtrenſibus.

§. XIX.

Ætiologia ſymptomatum.

Morbum ſeipſo graviorem reddi, quando plura deficiunt, quæ ad ſupprimendum vincendumque eum initio valebant, intelleximus. Videamus nunc quo pacto ipſius ſymptomata augeſcant, & novas læſiones inducant. Halituoſum miaſma indolis cauſticæ animalis, eroſivum, in inteſtinis facit acres dolores, & fibrarum contractiones, ſeu ſpaſmodicam fere convulſivam ſtricturam. Sub hac conſtringuntur excretorii apices tunicam villoſam conſtituentes, eadem lege, qua in exteriori ſuperficie ita conſtricta, pori clauduntur. Idem ſi fiat in externo habitu, ut ibi nihil prodeat, ob frigus externam ſuperficiem conſtringens, ex ordinaria naturæ lege feruntur humores ad interiora. Sed & hæc arcte conſtricta exitum non permittunt, ſaltem non facilem, æquabilem, & perpetuum: hinc cellulosa tunicarum inteſtinalium ſpatia, quæ recentiorum anatomicorum induſtria conſpicua reddidit, detenta acri halituoſa materia inflantur, replentur, in tumorem attolluntur; qui ſi non reſolvatur, ut incluſæ materiæ exitus fiat, collecta ſenſim majori quantitate abſceſſum ibi format: torminoſæ autem fibrarum agitationes, & quaſi affrictus mutui in muſculari tunica, tandem vi exprimunt aliquid, ipſo diuturno attritu conſumta & perrupta villoſa tunica, per miaſma cauſticum jam antea arroſa, unde exulcerationis initium. Hoc, ni fallor, intuitus Nicol. Piso *de morbis cognoſc. & cur. lib. III. cap.* 15. ſcripſit: *humorum acrium impreſſio ei ſimilis eſt, quæ circa externam cutis ſuperficiem contingit, a qua papulæ quædam fervidæ & exulcerationes perficiuntur.* Idemque voluiſſe videtur Fernelius, quando cauſam morbi dicit *acrem purgantemque humorem, qui non recta, ſed per anfractus in inteſtina, vi quadam delatus & infixus, ea exulcerat & acrimonia rodit.*

§. XX.

Conſideratio excretorum.

Facta hæc exulceratio per ipſum torminoſum attritum ex ſtrigmentorum dejectione cognoſcitur, quæ valde ſimilia videntur illi, quod laniones inteſtina repurgantes ab illorum interna ſuperficie abradunt. Sed aliquando majores quædam portiones prodeunt, vere carnoſum quid apparentes, quod Hippocrates *Sect. IV. aph.* 26. ut & Corn. Celsus, jam notaverunt. Forte hoc eſt, quod recentiores auctores intelligunt, quando tumefactas glandulas & morbi progreſſu ſeparatas & ejectas commemorant: de quo, quid affirmem vel negem, nihil certum habeo. Suo glandulas Peyerianas ab inventore dictas, ab eodem oſtendi, quod facillime poſſint exulcerari; ſed quo pacto omnino ſeparari & expelli poſſint non bene capio, ideoque rem totam de glandulis in medio relinquo.

§. XXI.

De teneſmo dyſentericorum.

Quando diximus acres dolores, qui fibras inteſtinorum lancinant, & agitationem ac quaſi affrictum mutuum producunt, ad morbum graviorem reddendum & exulcerationem producendam maxime valere, eodem ipſo jam deſignavimus illum, qui in hoc morbo fere moleſtiſſimus eſt, teneſmum, ſeu perpetuam & implacabilem inteſtini recti ad deſidendum ſtimulationem. In dyſenteriis, niſi me omnia fallunt, idem, quod inteſtino recto, utpote tunicis craſſiſſimis prædito, tam eminenter accidit, cæteris etiam ſuperioribus inteſtinis inhæret, ſcilicet motus periſtaltici expulſorii exacerbatio & depravatio graviſſima, quæ ad exulcerationem promovendam & augendam quantum valeat, ex dictis jam patet. Idem moleſtus motus non raro ad veſicam & urethram propagatur: meminique caſus ab Excell. D. D. Schulzio, fautore ac præceptore meo ſumma veneratione colendo, *in prælectionibus pathologico-practicis* relati, de quodam viro acerbiſſimo funeſtoque teneſmo labo-

laborante, qui cum urina expulit membranaceum quid, quod monetæ Saxonicæ, quæ quartam groſſi partem facit, magnitudinem æquabat, quodque accuratius per microſcopia etiam conſideratum, nihil aliud cognoſcebatur eſſe, quam membranæ portio a veſicæ collo detrita.

§. XXII.

De diagnoſi morbi.

Atque hæc de pathologica dyſenteriæ conſideratione hactenus dicta ſufficiant. Progredimur ad ſigna hujus morbi, tam illa, quæ efficiunt, ut ab aliis morbis, ſimilitudine aliqua affinibus, diſtinguatur, quam hæc, quibus de eventu ejus vel ſalutari, vel funeſto præmonemur. Et primo quidem dyſenteria a fluxu quovis alvi acri, bilioſo, laborioſo, per medicamentum incaute datum, aut incongruum victum concitato facile diſtinguitur eo, quod prægreſſa hæc examine diligenti reperiuntur, quovis anni tempore fit, & neminem, niſi ſic erraverit, corripit, nec contagio propagatur. Videtur ſane multoties dyſenteriæ nomen adhiberi ad deſignandum quemlibet promiſcue alvi fluxum dolorificum & torminoſum: quod facit, ut multa ſit occaſio aberrandi in curatione, de quo deinceps. Paſſio Iliaca acutum quidem tormentum habet, ſed alvi pertinaci ſtrictura, & motu periſtaltico inverſo, ac ad ſuperiora fæces propellente, dignoſcitur. Hæmorrhoides quoque torminoſæ teneſmoideis doloribus dyſenteriam mentiuntur, ſed extra tempus dyſenteriæ proprium promiſcue oboriuntur, & nihil ſpumidum, male olens aut ulceroſum emoliuntur; ſanguine etiam copioſius proveniente miteſcunt: quum in dyſenteria tanto fere augeſcat malum, quanto copioſius ſanguis profluit.

§. XXIII.

De prognoſi morbi.

Dyſenteria tolerabilis & in ſuo genere benigna eſt, ſub qua orthoſtadiam qualitercunque ſervant ægroti, nec febri graviori cum inſigni virium proſtratione laborant. Mitius decurrit morbus ab ingurgitatione ciborum exortus, quam qui ſolo aeris infecti vitio aut contagio propagatus fuit. Nunquam non malum eſt aphthas oriri, & potum cum ſonitu in ventriculum, tanquam aliquid grave delaberetur, deſcendere: deploratus eſt, cui tormina ſubito conquieſcunt, languor tamen remanet, & ſphacelum jam lethalem adeſſe hinc cognoſcitur. Carunculas ſecedere non optimum eſt, paucique, quibus hoc accidit, periculum aufugiunt. Appetitum manere, vireſque non omnino collabi ſpem maximam præbent: ſed extrema continuo algere, nunquam lætabile ſignum habetur. Qui inter affectos verſantur, & initia mali illico ſupprimunt continuo adſtringentium & anodynorum uſu, ſæpe in febrem malignam petechialem, funeſti fere eventus, ſemet differunt: talem caſum, Excell. D. D. **Schulzium** in prælectionibus ſuis, nobiſcum communicaſſe memini: ſi qui vero jam exortam dyſenteriam nimis cito expugnant copioſe ingeſtis adſtringentibus, aliiſque euporiſtis ſpecificis creditis, inſuper habita halituoſi illius cauſtici emendatione & eliminatione, abſceſſus juxta coſtas, aut in viſceribus fiunt, aut iſchiadici dolores graves exoriuntur, itemque articulares quod Hippocrati *prædict. II. §. XV.* jam proditum a Cælio Aureliano *chron. V. cap. I.* repetitur. Abſceſſus ex tali cauſa orti exemplum legitur in Illuſt. Frid. Hoffmanni *Med. Conſult. Part. I. Dec. II. Caſ. 9.* Quibus vero morbus recte percuratus detur, iis inteſtina firmiora, neque facile poſthæc alvi fluxibus obnoxia obſervantur: fereque a medicinis purgantibus minus facile moventur, doſinque earum non ſolum aliis ejuſdem ætatis ac conſtitutionis majorem ferunt, ſed majorem etiam, quam ante morbum perpeſſum iidem perferebant.

§. XXIV.

Indica- [illegible] toria.

Videamus nunc, quid morbus hic, ut ad ſalutem decurrat, poſtulet, quaſque indicationes Medicus præfixas animo habere debeat. Redeunt autem eo omnia, ut I. materiale noxium, ſi in primo morbi principio vocamur, breviſſima via eliminetur. II. Halituoſum miaſma involvatur, ſimulque inteſtina communiantur. III. Torminum ferocia convenienti medicina infringatur & demulceatur. IV. Ut per omnia excretoria, quicquid humores infecit & ſubiit noxium, eliminetur. V. Ut bilis defectu commode ſuppleto chylificationis negotium inſtauretur, vireſque ſuſtineantur. VI. Ut exulceratis inteſtinis provideatur. VII. Ut ipſemet fluxus quamprimum tempeſtivum eſt, tutiſſima ratione compeſcatur. VIII. Ut febris malignæ acceſſoriæ ratio, per totum morbi decurſum, ſecundum proprium ipſius genium, habeatur. Quo vero pacto ſingulis his ſcopis ſatisfieri poſſe exiſtimem, deinceps ordine exponam.

§. XXV.

Materiale noxium eliminandum vel per ſuperiora,

Prima indicatio locum in illis tantum invenit, qui paſti fructibus horæis, aut oleribus, mox ab eorum uſu male habere ſe ſentiunt, & dyſenteriæ tunc graſſari ſolitæ primordia hæc eſſe verentur. Tali caſu inprimis utilis eſt vomitus per ipecacuanham excitatus, qui in progreſſu morbi, & ubi jam ventriculo egreſſa eſt materia, parum valebit. Datur per ſe pulvis recens comminutus: nam qui diu jam pulveriſatus ſtetit, mirum eſt, quantum ſegnis in evacuando reddatur. Si parum operetur ſcrupulus unus vel grana XXV. addatur ſecure granum unum tartari emetici, quin, ſi debilior ſit, & ex croco metallorum factus, etiam alterum. Ex ea conjunctione hic reſultat fructus, ut peracto jam vomitu effectus diapnoicus magis ſit vegetus, quippe qui major ab antimoniata medicina, quam ab ulla vegetabili, obſervatur.

vel per inferiora.

Si aſſumtorum noxiorum partem maximam ad inteſtina jam deſcendiſſe cognoſcimus, unde vomitorio retrahi amplius non poteſt, laxantia commoda adhibenda ſunt. Laudatur in hunc finem rhabarbarum in pulvere datum. Eodem quoque faciunt pilulæ balſamicæ ad modum Becherianarum factæ, quibus tamen non admixtum eſſe debet extractum ellebori nigri, quippe quod teneſmo, ſi non adeſt, promte inducendo nimis efficaciter valet, itaque, ſi aliquoties repetendus uſus fuerit. Præſtat illis vel extractum caſcarillæ, vel corticis hujus pulverem admiſcuiſſe. Atque hæc initio tantum fieri de-

bent, & in illis, ubi, ut diximus, actu adeſſe cognoſcitur materia noxia per cibos & potus illata. Diu autem inhærere illis non eſt conſultum; quoniam omnis methodus, quæ per alvum ducit, excluſioni diapnoicæ obicem ponit, ſicque deteriorem ægrotantis ſtatum reddit. Clyſteres etiam ex carminativis, ſe bene gerunt hoc initio, delatam ex ſuperioribus inteſtinis ſaburram excipientes & quantocyus ad exitum deducentes.

§. XXVI.

Halituoſum miaſma involvendum.

Ubi nulla neceſſitas ab evacuatione curationem ordiri cogit, primum & principale in hoc morbo eſt, halituoſum miaſma involvere & incraſſare, ut tanto facilius expelli & excludi poſſit. Id in omni morborum a contagio translatorum genere utiliſſime fieri, Veteres jam ſatis probe viderunt, qui in talibus vel terrea quædam copioſe dabant, vel potibus incoquebant virtutem talem poſſidentia. Antiquiſſimum exemplum præbent curationes priſcæ variolarum & morbillorum, in quibus numquam non offerebant decoctum cicerum, lentium, piſorum bibendum: quod hodieque imitantur felices practici, quibus licuit rerum cognoſcere cauſas. Idem voluiſſe ſibi videntur illis ad malignos morbos compoſitis pulveribus, quibus bolum Armenam, terras ſigillatas, raſuram eboris, cornu cervi, coquendo friabile redditum & ſimilia terrea, poroſa, & mucilaginem ex ſe dare idonea, copioſe addiderunt: quamquam calcium quarundam atque adſtringentium nimia in aliquibus quantitas adjecta reprehenſionem apud noſtros meruerunt. Dyſenteriæ talia haud conveniunt, quæ adſtringunt, ſed potius mucilagine lubricante & involvente prædita. Dari hæc variis modis poſſunt: ex quibus unum alterumve recenſebo. Sitis plerumque eos valde urget, potumque efflagitat. Talem parabimus huic ſimul indicationi ſatisfacientem ex decocto hordei cum cornu cervi raſpato; huic adjiciemus amygdalas dulces contritas ut emulſio fiat, quæ pauxillo aquæ cinnamomi ſine vino gratior & utilior fiet. Poſſumus eidem, ut indicationi quintæ ſatisfiat, admiſcere vitellum ovi: cujus polychreſtæ potionis gratiam & utilitatem ſæpius laudem promeruiſſe in Excellent. D. D. SCHULZII *prælectionibus pathologico-practicis*, audivi, ut itaque de efficacia & virtute hujus potionis tam a priori, quam poſteriori ſatis convictus ſim. Eodem reſpiciunt commendationes jam ſatis vetuſtæ taurocollæ & ichthyocollæ decoctis addendæ, ut & ſeminis lini & ſimilium, ut pulveris tragacanthi, gummi arabici cum nuce moſchata.

§. XXVII.

Ulterius hoc oſtenditur.

Illuſtris BRUNNERUS *Eph. A. N. C. Dec. II. Ao. VI. p.* 392. commemorat, aliquem operæ pretium feciſſe in dyſenteria epidemica exhibito ſecalis toſti pulvere cum vitello ovi, mane & veſperi adſumendo. Ex intima artis, ſed ſimplicis & nativæ, theoria deſumtum eſt remedium, quod jam centum annis BRUNNERO id referente, antiquius eſſe didicit ex NICOL. PISONE *de morbis cognoſc. & curand. libr. III. p.* 274. Sed quid centum annos memoro, quum prope bis mille effluxerint ab DIOCLIS ætate anni, cui id genus curationis familiare fuiſſe ex Veterum monumentis didici. Quidam, ſed magis empirici, quam ſcholæ doctores, adhibent oleum amygdalarum dulcium cum rhabarbaro toſto expreſſo, idque ex cereviſia calida cum ovi vitello bibendum exhibent. Lactis etiam uſum tantum non omnes probant. Et ſane reprehendi non debet ullo modo, præſertim ſi ad coquendas pultes ex farina, fegopyro, oryza, milio adhibeatur, hiſque nutriantur decumbentes. Non eſt hic acidum coagulativum, quod lac excludat, ſed miaſma halituoſum ſalinæ eroſivæ naturæ, quod a lactis pingui parte obtunditur, a caſeoſa involvitur, a ſeroſa diluitur & educitur. Hocque intuitu indicationis illi etiam parti, quæ inteſtina communire jubet, ſatis fieri intelligimus.

§. XXVIII.

Torminum ferocia infringenda.

Tertia indicatio jubet torminum vehementiæ infringendæ ac demulcendæ convenienti medicina ſuccurrere. Plurimum detrahitur tormentorum magnitudini & ferociæ per tranquillam continentiam & frigoris admittendi evitationem. Hoc impetrare in illis quibus commodum miniſterium præſto eſt, poſſumus: ſed in pauperculis ac militibus, qui caſtra ſequuntur, difficilius hac parte ſuccurritur. Etiam frigidi potus præſens eſt efficacia ad tormina augenda: quo ægrotis interdicendum eſſe per ſe patet. Facit aliquid ad leniendos dolores infuſum calidum theiforme ſeminis carvi; itemque aqua leniter ſpirituoſa chamæmeli & millefolii: extractum etiam, imo ſimplex pulvis corticis caſcarillæ cum aliis antiſpaſmodicis. Aliorum judicio opiata utramque hic faciunt paginam, ſed appropriatis alexipharmacis aut laxantibus debite miſcenda. Ex medicamentis officinalibus, opium habentibus, ſunt theriaca, quæ addita potiunculis diapnoicis a ſcrupulo uno ad drachmam dimidiam dari poteſt: pilularum de cynogloſſa granum unum, duo, vel tria cum pulveribus mixta officium faciunt. SYDENHAM hic uſum ſe profitetur laudano ſuo liquido, cujus guttas XIV. vel XV. in aqua quadam cardiaca adulto homini dedit; infanti unius anni guttas duas: tenerioribus gutta unica pulveri Marchionis adſperſa pro pluribus etiam doſibus ſufficit. Monendum tamen, ne nimis larga manu, nimiſque crebro talia offerantur: longeque minus probandum eſſe, ſi quis integram curationem expectare ab iis ſolis vellet. Etiam enemata hic faciunt effectum anodynum periculi omnis expertem. Lacti integro incoquantur flores chamæmeli, aut ſummitates anethi: colaturæ immiſceantur vitelli ovi duo. Aut juſculo carnium mucilaginoſo flores nymphææ albæ & roſarum rubrarum incoquantur: addantur colaturæ jam tepidæ albumina duorum ovorum conquaſſata. Teneſmi ſolamen eſt terebinthinæ uncia dimidia ovi vitello ſubacta, & inter enemata mixta: addi poteſt balſami Peruviani tantillum: etiam ſevum cervinum aut hircinum, cum clyſteribus injectum, laudem meretur.

§. XXIX.

Per omnia excretoria noxium eliminandum.

Indicationi quartæ, ut per omnia excretoria, quicquid humores noxium ſubiit, eliminetur, multum conferet toties jam commendata

data quies & cautela ne ſæpius ſurgendo blanda diapnoe tollatur & interpelletur. Eandem excitare licebit, ſi febris non magna adſit, mane exhibita doſi mediocri mixturæ ex eſſentiis pimpinellæ albæ, caſcarillæ & millefolii concinnatæ: aut ſpiritus bezoardici, quo Illuſtr. Dom. PRÆSES utitur, ad imitationem Buſſiani facti, quippe utilioris in hoc morbo, quem ſæpiſſime ſubſequuntur exanthematici affectus, ad quos medicinæ reſinoſis vegetabilium partibus imbutæ nimium quantum diſponunt. Quidam pro arcano habent decoctum lumbricorum terreſtrium, tamquam diureticum atque ſimul demulcens & paregoricum: quamquam revera non tantopere initio mali ſuccurrit, quam primo ejus impetu jam fracto & imminuto operæ pretium facit.

§. XXX.

Bilis defectus ſupplendus.

Bilis recte conſtitutæ defectus, facit ut ex aſſumtis etiam gelatinoſis & optimis laudabilis chylus, ſuſtentandis corporis viribus, bonique ſanguinis proventui maxime neceſſarius, minime paretur: unde conſequitur totum corpus defectum illum luere debere, & nec ſecretiones, nec excretiones rite ſuccedere. Non hic amara pars bilis deſideratur, ſed omne beneficium expectatur a ſaponacea conjunctiva: quam omnium optime ſupplet vitellus ovi crudus, quem toties jam laudavimus. Neque invenio ex omnibus aliud magis proficuum ad deſideratum ſcopum. Ipſius bilis vitium corrigendum, jam tranquillis rebus, melius adgredimur, tuncque ſpaſmodicam ductuum bilariorum ſtricturam tollentia tam interna præſidia, quam externa, utiliſſime adhibebuntur. Fallor, an DIOCLIS, quem ſupra laudavimus, antiquiſſimi auctoris, remedium ex vitello ovi cum pauxillo myrrhæ vino bono dilutum dicenda eſt medicina ſcopo bilem ſupplendi commodiſſima: nam vini Medicus uſus morbo huic accommodatiſſimus eſſe deprehenditur.

§. XXXI.

Exulcerationis cura gerenda eſt.

Sextæ indicationi, quæ inteſtinorum exulceratorum curam gerere præcipit, probe quidem jam ſuccurrit modo laudatum remedium ex vitello ovi cum myrrha: ſed & alia huc quadrant, quæ jam inter enemata injicienda indicavimus. Seorſim laudem meretur ſuccus ex contuſis gammaris ſeu cancris fluviatilibus expreſſus cum juſculis per os ſumendus, & enematibus addendus. Illæ etiam pultes cum lacte coctæ, addito nucis moſchatæ vel macis pulvere, inteſtinis valde conducunt: quin ipſum vinum moderato uſu indulgendum, optimi traumatici partes implet. FABRIC. HILDANUS *libr. de dyſenteria cap. 9.* commendat linctum ex oleo amygdalarum dulcium cum ſaccharo ad electuarii formam redactum, cui olei recentis ex vitellis ovorum expreſſi tantillum miſcet. VALLERIOLA *libr. III. obſ. 4.* laudat medicamentum a fœmina quadam acceptum, quod mirabile vocat. Scilicet pomum integrum intus excavatum cera optima repletur, impoſitoque operculo prunis admovetur aſſandum, ut pomi caro a cera penetretur. Hoc ita paratum pomum ante cibum eſitare jubet, fructumque conſpicuum in inteſtinorum ulceribus glutinandis ab eo exſpectare. NICOL. CHESNEAU magnis laudibus extollit decoctum radicis ariſtolochiæ rotundæ & foliorum ophioglоſſi, aut horum loco radicum conſolidæ majoris cum vino albo factum, & ſaccharo ad gratiam edulcoratum, quod tamen per os potius aſſumendum, quam clyſtere injiciendum commendat, tamquam ſpectatiſſimæ virtutis traumaticum huic morbo accommodatum.

§. XXXII.

Fluxus tutiſſima ratione compeſcendus.

Uti ipſemet fluxus, quam primum tempeſtivum eſt, tutiſſima ratione compeſcatur, ſeptimo loco videndum propoſuimus. Illuſtris BRUNNERUS *in Ephem. A. N. C. dec. II. A. VI. p. 392.* illud quod requirimus, tempeſtivum ita denotat: *ſponte ceſſat excretio, poſtquam venenum aut abactum aut ſubactum deſæviit. Adeoque lupum ſtabulo includunt, qui adſtringentibus hic certant: pernicioſi autem ſunt, qui purgantibus inteſtina lacerant, & inflammationem accelerant.* Quando itaque hoc tempus expectavimus, quod dierum numero vix præfiniri poteſt, ſed ex ceſſatione dirorum ſymptomatum cognoſcitur, vix indigebimus aliis remediis niſi quæ ſimilia ſunt præcedentibus, & inteſtinorum exulcerationi penitus conſolidandæ inſerviunt. Nam ab illis ſpatiis, quæ valde ſenſibilia eſſe neceſſe eſt, recrudeſcere identidem dolores & tormina neceſſe eſt, quoties aliquid vel durum, vel quodcunque acre & ſalinum illa attingit. Veteres plurimum hic tribuebant lacti crebra chalybis candefacti extinctione medicato: quod Jo. CRATO ſuſpectum reddidit *libr. V. conſ. 22.* cujus judicio eodem ævo ſteterunt PLATERUS & FABRIC. HILDANUS. Ipſe CRATO plurimum tribuit pulveri tragacanthi, cum tantillo nucis moſchatæ & coralliis rubris. Pro tragacantho aliis placet gummi arabicum. In certa quadam officina vidi tales pilulas contra dyſenteriam: concharum præparatarum drachmas quatuor, adde gummi bdellii drachmas duas, tragacanthi drachmam unam, maſtiches drachmam dimidiam, camphoræ gr. XII. Doſis eſt drachma una.

§. XXXIII.

Idem per externa fieri poteſt.

Externis hic aliquando locus eſt, præſertim ubi interius tanta eſt ſenſibilitas, ut ab aſſumtis ad certa ſpatia pervenientibus irritatio manifeſta dolorifica ſubſequatur. CRATO commendat emplaſtrum de cruſta panis aut diaphœnicon: quibus addi, pro judicio Medici, poſſunt illa de baccis lauri & de hyoſcyamo. Si unguentum magis placet, illud, quod vocatur Comitiſſæ, idoneum erit. In caſu deſperato, ubi longo tempore nihil proficiebat in fluxu cohibendo, hoc profuiſſe euporiſton percepi: ovi recentis tam albumen quam vitellus, butyri inſulſi ſuper ignem liquati ſufficienti quantitate immittatur ac ſine agitatione ad mediocrem duritiem frixetur: frixo inſperge pulverem nucis moſchatæ, ac calidum, ut ferre ægrotus poteſt, impone umbilico. Effectus erat omni expectatione ſuperior, & quum ſemel iterumque fuiſſet adhibitum, rem omnem ad votum peregit.

§. XXXIV.

Quid ratione febris obſervandum.

Abſolvimus quæ ad indicationes curatorias dyſenteriæ pertinebant. Quum vero illa plerum-

rumque ſociam habeat febrem acutam malignam, ipſa dyſenteria periculoſiorem; hæc quidem tractationem ſollicitam, ex indole ſua, poſtulat, ne ægrotum jugulet. Indoles autem frequentiſſime eſt maligna petechizans, quæ nihil patitur exagitari, ſed blanda involventia miaſmatis ſui halituoſi requirit, cum excretionum libertate & perpetuo ſucceſſu. Bene igitur conſpirat hæc febris tractatio cum dyſenteriæ ſecunda indicatione. Facile itaque erit ita ordinare remedia, ut dyſenteriæ ac febri æque conveniant. Sed quum hic ordiri febris tractationem nimis longum eſſet, excuſatus ero, ſi hoc labore hic ſuperſedeam, & omnium præceptorum ac cautelarum in febris hujuſmodi curatione neceſſariarum obſervationem, ex proprio loco petendam, Medico dyſenteriam cum tali febre complicatam curaturo commendem.

§. XXXV.

Judicium de quibuſdam ſic dictis ſpecificis.

Supereſt, ut cenſum inſtituamus quorundam remediorum, quæ præter reliqua certo digito monſtrantur & commendantur a quibuſdam auctoribus non proletariis, ſed ſenatus Medici proceribus. Fere ſpecificorum nomine ornantur, quum pleraque tamen facile revocari ad claſſes ordinarias remediorum poſſint, & conſpicuum ſit vel demulcendo & incraſſando abſorbendoque agere, vel plus minus adſtringendo. Sic priapus cervi, ceti, tauri, ſi raſura eorum committatur decoctioni ut vehiculis potionum aut emulſionum ſerviat, parum ſuperabit gelatinam cornu cervi, eboris, aut taurocollam vel ichthyocollam, quæ ſuperius laudavimus. In pulvere dari quidam præcipiunt ad drachmam unam. Non poteſt non talis pulvis, in locum calidum & humidum delatus, inflari & augeſcere, moleque ſua aucta imbibere multum aeris & halituoſi, ut hoc pacto facilius per inteſtina ad exitum devolvatur: unde accedet ad fructum, quem ab incraſſantibus & involventibus exſpectandum commendavimus. Aliqui etiam excrementa canum alba, quæ oſſium digeſtorum reliquiæ ſunt, valde commendant. Abominabile remedium elegans Medicus facile permittet illis, qui hominis dignitatem non juſto pretio æſtimare didicerunt, ipſe vero contentus erit cornu cervi decoctione emollitum & mucilaginis parte orbatum, ſicque poroſum redditum: quod in quovis affectu, ubi halituoſa miaſmata involvere oportet, egregium eſſe & experientiæ credo & inſigni commendationi, quæ legitur *Miſcell. Acad. N. C. Dec. I. Anni VI. p.* 186. Hepar ſerpentum exſiccatum & in pulvere datum, ut & ſanguis exſiccatus variorum animalium & in pulvere exhibitus, aſſequuntur effectum priaporum de quibus antea dicebamus.

§. XXXVI.

In ſpecie de N. M.

Inter dyſenteriæ remedia a multis multum tribuitur nuci moſchatæ. PAULUS *de* SORBAIT medicus Viennenſis *operum pag.* 417. ita ſcribit: *obſervavimus quosdam ſolo uſu, ſed frequentiſſimo, nucis moſchatæ dyſenteria fuiſſe liberatos.* Enimvero infidum eſſe remedium docere poteſt caſus, quem ab Excell. D. D. SCHULZE mecum communicatum, exhibeo. Illuſtriſſima quædam fœmina ſecum habebat cognatam ſex vel ſeptem annorum, quæ dyſenteria ſatis maligna corripiebatur. Toto morbi tempore pro tenerrimo in hanc ægrotam amore ſaluti ejus aſſiduo invigilabat, neque umquam ab ea diſcedebat. Quum ſe eodem malo correptam ſentiret, tam large nucem moſchatam ingerebat, ut brevi tempore non pauciores duodecim conſumeret. Sic ſuppreſſa magis quam percurata dyſenteria tandem tamen erumpebat. Scilicet febris eam corripiebat maligna, quæ mox primis diebus purpura alba & petechiis prodeuntibus malum ominabatur, quod & ſuperveniebat ſatis tempeſtive prorumpentibus dejectionibus crebris torminoſis, ſub quorum vigore omnia, quæ in cute exſtabant, tam exanthemata, quam ecthymata retrocedebant, & optima fœmina magno ſuorum luctu vitæ huic eripiebatur. Ex quo diſcimus non ſatis fidum morbi hujus præſidium a nuce moſchata exſpectari.

§. XXXVII.

Cryſtallo montana, ſmaragdo, flore ferri & adamante.

Cryſtallum montanam præparatam, ſmaragdumque aliqui laudant, tamquam ſacram anchoram: alii florem ferri Stiriacum: rurſus alii adamantem tenuiſſime pulveriſatum. Non video quid Medicum cogat ad tam dura & menſtruis noſtris invicta, vix omnibus etiam parabilia, progredi, quum proſtent ſatis multa alia. Adamantem Medicus prudens etiam propterea negliget, ne calumniæ pateat, ſi quid ſiniſtrum evenerit, quum a magnis viris catalogo venenorum & dyſenteriæ graviſſimis cauſis, inſertus ſit. Cryſtallum montanam ob ſtanni conſortium aliqui reddunt ſuſpectam: flos ferri ad ejus naturam proxime accedit, ſed martialis naturæ eſt: quibus ſunt vires adſtringentes; ſed his non opus eſt, ubi adſtrictionis penus ſatis adeſſe conſpicimus.

§. XXXVIII.

Denique de Simaruba.

Venio tandem ad nuperrime commendatum ſpecificum antidyſentericum, corticem arboris Cayennæ, *Simaruba* dictum, de quo ex *Commerc. litterario phyſico-medico Norimbergenſi* ad me pervenit notitia, ex duorum Gallorum ſcriptis exhibita. Alter eſt vir Cl. Dom. JUSSIEU, qui ad Regiam ſcientiarum Academiam de hoc remedio, quod ſub nomine Maceris notum fuiſſe Veteribus exiſtimat Anno 1729. retulit: alter equeſtri dignitate conſpicuus Dom. *des* MARCHAIS, qui commentarios de ſuis itineribus in Guineam, Cayennam vicinasque inſulas ſuſceptis ante hos tres annos publici juris fecit. Refert autem Dom. JUSSIEU corticem hunc ſimilem eſſe tiliaceo, ſubamarum, aqua decoctum illam reddere albam, magis quam fit in aliis decoctionibus, ſpumidam & altius in vaſe aſcendentem. Corticis drachmas duas in aquæ heminis tribus eſſe decoquendas, donec quarta pars tantum ſuperſit, quæ in tres cyathos dividenda juſtam remedii doſin conſtituit. Effectum hujus remedii perpetuum ac conſtantem prædicat in dyſenteriis pertinacibus, fluxibusque bilioſis, & ſanguinolentis, qui fere omnes tertio aut ſexto cyatho hauſto gradum ſiſtant. Nullam evacuationem ſurſum aut deorſum inſequi; urinam majori quantitate reddi, magisque coloratam, atque in nonnullis

nullis

nullis ſubjectis copioſos ſupervenire ſudores. Utile eſſe ante ſpecifici uſum generalia præmittere, &, ubi opus eſt, primas vias expurgare. Poſſe etiam corticem radula comminutum ad grana XII. aut XX. cum juſculo aſſumi. Indos eundem cum pauxillo lactis acidi exhibere.

§. XXXIX.

Alia hiſtoria Simarubæ.

Subjungemus, quæ ex laudati Equitis libro exhibentur, in compendiolum redacta. Deſcribit arborem, quam amaram dici memorat. Ad dyſenteriam curandam vel corticem radici detractum, vel ipſam radicem adhiberi. In pulverem, quam fieri poteſt, tenuiſſimum radendo redigi, ſicque comminuti grana XX. affuſa non multa aqua per X. vel XII. horas ſuper favillis digeri, tumque ægroto, in quo prius ſanguis per venæ ſectionem minutus & alvus purgata eſt, exhibetur infuſio cum omni pulvere. Decumbat ille lecto, ſeque quantum fieri poteſt, in calore contineat. Vomitus non ſubſequitur. Altero die idem medicamentum exhibeatur. Nutriatur æger juſculis, cibis eupeptis, aſſis, quantitate modica oblatis. Vinum rubrum ſed probe dilutum conceditur potui. Graviter pertinacem eſſe oportet morbum, valdeque inveteratum, qui non ſexies aſſumta medicina devictus ſit. Diſſuadet auctor omnem alium exhibendi modum, & tanquam vates prædicit fore ut medicamentum in Europa pollicitationem deſtituat, ſi pro more noſtratium eſſentiæ vel extracta inde fiant; aut cum aliis conjunctum exhibeatur. Hinc enim fieri ut optima remedia, quæ inter Indos efficaciſſima ſunt, in Europa mox negligantur & obſoleſcant.

§. XL.

Differentia dyſenteriæ Cayennenſis & noſtræ.

Prudens monitum generoſiſſimi equitis æqui bonique conſulimus. Sed cum venia ejus quærimus, an illa dyſenteria, cui apud Indos tam certa efficacia ſuccurrunt, ſit eadem, quæ apud Europæos noſtros deprehenditur. Ut dubitemus ipſemet relatione ſua effecit. Scribit in hunc ſenſum: Peſſimus eſt omnium morbus dyſentericus, qui nullo temporis, quodcunque ſit, diſcrimine habito noſtrates Europæos occupat, febrium intermittentium tergo inhærere ſolitus. Cauſam habet immodicum uſum fructuum hujus regni: neque raro ſubſequitur nimiam aquarum, tam ſontium, quam fluviorum, ſitis compeſcendæ cauſa ingurgitationem: maxime tamen ex intemperanti aquarum, quas vitæ vocant, liquorumque ſpirituoſorum uſu contrahitur. In hac deſcriptione morbi iſtud notandum, quod dyſenteria Cayennenſis nullum certum tempus ſervat; adeoque non habet cauſam popularem: quod intemperantiam potiſſimum, & errores diæteticos ſubſequitur; quum Europæ cum intemperantibus etiam temperatiſſimos aggrediatur, rariſſimeque alio quam tempore ſupra deſcripto graſſetur, & non tam ſubſequatur febres intermittentes, quam præcedit exanthematicas. Opto quidem ac vehementer cupio Simamrubam dyſentericis in Europa plurimum prodeſſe: magnopere tamen vereor ut ſpem factam ſuſtinere valeat.

§. XLI.

Clauſula.

Atque hæc nunc ſufficiant de dyſenteria dicta. Benevolum lectorem rogo velit primitias has noſtras æqui bonique conſulere, ſuoque favore ſupplere, quod a me minus vel recte vel ſufficienter dictum exiſtimabit. Deum autem rogo velit conatibus meis practicis favere, ut plurimis prodeſſe valeant.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MORBIS EX ATONIA CEREBRI NERVORUMQUE NASCENTIBUS,

Primùm edita Anno 1708.

PROOEMIUM.

UT ſolidæ corporis partes, quamdiu ipſis ſuum robur, quamdiu elaſtica illa vis, ſive contrahendi atque relaxandi facultas conſtat, vitalem ſanguinis in orbem motum unice cuſtodiunt, fovent atque tuentur; ita eædem etiam, ubi noxam conceperunt, ubi nimis intenditur illa conſtrictio, vel relaxatio plus juſto ſe remittit, ſalutarem hunc motum imminuunt ac labefactant, & amplam morbis morborumque cauſis præbent occaſionem. Quodſi enim vehementiore ſpaſmo tentantur interiora, minus æquali flumine ſanguis per corporis partes diffunditur, ſed violentia mali ex altera expreſſus parte, in eadem deficit, in altera abundat, eo declinatus. Qui quando propter molem, qua cum impetu eodem fertur, anguſtias venarum minus commode ſubire poteſt, eaſdem eluctari magna cum vi conatus, diſtendit, & largam morborum ſegetem excitat. Inde enim febres, inde inflammationes ac dolores, ſanguinis ex naribus, pulmone cæteriſque partibus profuſiones, magnum denique malorum agmen ex iis concitatur, quæ acutorum nomine a Medicis inſigniuntur. Ubi contra detracto robore, immodica relaxatione partes torpent, juſta contrahendi facultate exutæ, ſanguis cæterique humores, quibus expellendis debilitatæ parum ſufficiunt, intra eaſdem detinentur. Eademque de cauſa ſanguis & lympha, paulatim extra alveum ſuum effuſa, graves & diuturnos maxime morbos excitat, longo tempore induſtriaque expugnandos. Quare magnopere intereſt, ut Medicus, qui artis ſcientiam ſibi vindicat, & ægris conſulere cupit, has partes earumque motum recte intueatur, & eaſdem diligenter ſcrutatus medendi inde trahat rationem. Nam ſi in omni fere paſſione vel moderari, vel excitare & augere motum convenit, illud vero STRICTURÆ, hoc RELAXATIONIS paſſiones exigant, plurimum omnino refert, Medicum ſcire, ad utrum ex his morbus, quem curandum ſuſcepit, referri debeat, ne fallente cauſa, ipſum fallat curatio. Debent hoc nomine collaudari methodicæ ſectæ, nobiliſſimæ ex Veteribus, æmuli, qui STRICTUM AC LAXUM profeſſi, in eodem & morborum cauſas & eorum curam poſuerunt. Quos quidem ſecuta noſtra ætas, rudem illorum ſententiam paulo ſubtilius excoluit, adſerta ex tenebris in ſereniorem lucem medicina. Tentavit idem hactenus, & tentabit porro, ſi vita ac valetudo ſuppetet, D. PRÆSES, ex hác ſolidarum partium conditione pleraque mala deducere, diverſis jam diſſertationibus morbos ex ſpaſmo provenientes perſecuturus. Cujus quidem rei & ego experimentum dare conſtitui, atoniam cerebri & nervorum, & quæ inde fluunt mala, quantum ingenio adſequi licet, hac diſſertatione explicaturus. Quod opus priuſquam adgredior, Deum perennem illum fontem, ex quo vitam ſanitatemque cæteraque bona haurimus, ſupplice voce precor, ut hunc laborem fortunet, eumdemque mortalium uſui ac commodo cedere jubeat.

CAPUT I.

De Apoplexia.

OBSERVATIONES.

APoplexia, quam Latini Medici reſolutionem nervorum in toto corpore, cæteri veteres ſanguinis, vel humorum ictum appellarunt, ab effectu nomen ſumpſit, ſiquidem celerrime hominem percellit opprimitque. Eſt vero hæc ejus conditio: Corpus repente omni ſenſu motuque deſtitutum cadit, rationisque & omnium ſenſum uſus velut extinguitur, ſalvo tamen manente pulſu atque reſpiratione.

2. Cauſam tam vehementis mali inciſa corpora demonſtrant, quippe magna vel ſeri vel ſanguinis copia intra ventriculos cerebri ſeſe repræſentat, à venis plexus choroidei difruptis in eo exoneratus. Sæpe etiam polypus in arteria pulmonali vel carotidibus invenitur.

3. Patent huic adfectui inprimis, quibus copioſus intra venas ſanguis fertur, item qui provectiore ſunt ætate & ſenectuti propiores. Idemque periculum propoſitum eſt iis, qui cervicem brevem tenuemque atque coloratam faciem habent, obeſi ſunt, & quibus critica per nares profuſione alioquin ſanguis fluxit. His enim, ubi ad 55. annum pervenerunt, hujus funeſti mali periculum inſtat.

4. Ex tempeſtatibus inæquales & frigidæ maxime hoc adfectu funeſtæ ſunt, quo fit, ut hyems & aquilonaris tempeſtas & ſævientis repente boreæ flatus plurimos opprimat, præſertim ſi largi imbres pluviæque præceſſerunt.

5. Conſtat etiam experientia, apoplexiam certis temporibus graſſari, & ingentem quandoque ſtragem inferre, quod identidem tempeſtatum motibus tribuendum exiſtimamus. Eadem de cauſa certa loca magnum hujus mali proventum ferunt, quale eſt Romanum ſolum, quod propter uliginoſum cœlum ejuſmodi funeribus fœdum eſt.

6. Oritur frequentiſſime hæc paſſio ab abundantia ſanguinis intra venas adcumulati, unde qui ſanguinis miſſionem, quam alioquin ſalubriter adhibuerunt, temere negligunt, facile eadem corripiuntur. Id quod & iis evenit, quibus ſanguinis per nares vel ani venas prófluvium vel inconſiderate ſuppreſſum fuit, vel ſponte conſtitit, unde etiam mulieres, quibus poſt partum minus recte lochia expurgata fuerunt, cum ſummo periculo hoc malo adfectas novimus.

7. Caput debilitant, & ad apoplexiam diſponunt crebra crapula, venus immodica, intempeſtivus balneorum atque ſternutamentorum uſus, item carbonum malignus fumus. Neque minor noxa contrahitur, ſi caput nudum ferventibus ſolis radiis diu exponitur, idemque pronum obverſumque ad calentem focum nimio æſtu debilitatur. Nihil æque porro celeriuſque hunc adfectum provocat, quam terror ſubitus, acre frigus, effrænis ira & diuturnus mœror atque ſollicitudo.

8. Curioſe providendum eſt, ne ſpuriam apoplexiam cum vera confundamus. Illa enim ex utero oborta hyſtericis fœminis infeſta eſt, & non alia de cauſa provenit, quam quod a ſpaſmis abdomen conſtringentibus, ſanguis ex menſibus relictus, & ad cerebrum delatus, ſenſum ac motum aliquamdiu intercipiat, ſalvo tamen pulſu & ſpiritu. Ipſa raro fetalis eſt, ſed ubi ſe remiſit ſpaſmus, vel ſanguinis detractione aliiſve remediis diſcuſſus fuit, facile ſolvitur. At magis terrere debet apoplexia vera, quæ ob ſanguinem vel ſerum extra vaſa delapſum, vel ſubito jugulat, vel certe diutius jacentem trahit.

9. Diſtinguenda porro eſt apoplexia fortis a debiliore. Illa ex vaſorum cerebri ruptione, hæc ex diſtentione tantum eorum nimia & ſtagnatione humorum ſuboritur. Prior lethalis, poſterior curantis manum admittit, ſi maturius remedia admoveantur.

10. Differt à ſyncope hiſce notis: In illa omnia frigent, facies pallet, pulſus & reſpiratio intercipitur, in hac vero præter durantem adhuc ſpiritum, florida & rubra ſæpe facies & pulſus quamvis languens obſervatur.

11. Probe etiam noſſe oportet, utrum a cauſa interna vel externa noſtra paſſio proveniat. Inter externas numeramus gravem capitis contuſionem & percuſſionem, item ſi quis ex alto delapſus eſt.

12. Adpropinquantis mali hæc fere ſunt ſigna: Gravans dolor capitis, vertigo, & caligo oculorum, diuturnus ſopor, digitorum vel pedum ſtupor, aurium tinnitus, incubus, memoriæ infirmitas & vigor membrorum imminutus.

13. Quo expeditior eſt reſpiratio, eo amplior curationis ſpes, quo gravior illa, eo plus periculi oſtenditur, quandoque qui hoc morbo pereunt, ſemper deficiunt ſtrangulati.

14. Eſt hæc paſſio ex iis, quæ per certos circuitus adoriri ſolent, itaque per tres ſubinde annos ſæpe recurrit, donec diu laceſſitum hominem tandem conficiat.

15. Omni apoplexiæ validiori ſpaſmodici vel convulſivi aliquid ſubeſſe videtur. Inde enim eſt, quod cum vomitu plerumque invadat, vel ille ſequatur, inde etiam, quod artus unius lateris ſub ipſo impetu mali convulſione ſæpe torqueantur. Eadem ſæpiſſime poſt ſe relinquere conſuevit linguæ reſolutionem, quamvis hæc illam nonnunquam antecedat.

16. Frequentius accidit, ut ex ore & naribus oppreſſorum, ſub ipſa acceſſione mali, ſæpe etiam poſt mortem, ſanguis deſtillet. Ad ultima vero jam ventum eſſe, teſtatur ſpiritus auctus ac concitatus cum ſibilo emiſſus, ſtertor & ſudor faciei frigidus, item ſi pectus ſubinde attollitur, convulſionum violentia concuſſum. Eſt & futuræ mortis index, ſi ſphinctere reſoluto alvus ſponte delabatur.

Curatio.

Truculenti hujus adfectus cura duplex eſt, altera, quæ præſens manifeſtumque periculum depellit, altera quæ futurum avertit, & ab ejuſdem impetu corpus defendit.

In ipſo impetu mali nihil prius habendum eſt, quam ut ſanguis & humores à capite avertantur, deinde ut collapſum capitis nervorumque robur reſtituatur. Id quod ſequentibus medicamentis, ſi remediis adhuc vis mali cedit, conſequi poſſumus.

1. Mittere oportet ſanguinem in vera apoplexia, in quo auxilio unica certe ſpes ægrotis ſupereſt, modo illa mature celeriterque adhibeatur. Si enim alibi certe hic obſtandum eſt maxime principiis, & temporis momenta obſervanda, ideoque ubi primum quis concidit hoc malo oppreſſus, ſtatim è brachio ſanguinem detrahere convenit, mox ſudoriferum v. gr. ſpiritum cornu cervi, ſpiritum tartari cum aceto vini offerre, ut ſanguinis motus in capite clementer reſtituatur. Æque neceſſaria eſt ſanguinis miſſio iis, qui ab externa cauſa à caſu vel vulnere hoc mali ſibi contraxerunt. Sunt qui jugulares venas incidi jubeant, Veterum innixi experimentis.

2. Alii ſub Autore Cl. Medico FRACASTORIO à ferro

ferro candenti præſidium petunt, vertici adplicando.

3. Interne aquam liliorum convallium non admodum ſpirituoſam, & ſæpius à floribus rurſus deſtillatam commendamus, quippe quæ mirifica virtute pollet ſpaſmos ſopiendi & reſolvendi. Commodiſſimumque eſt, ex ea cætera remedia, quæ cura exigit, adſumere. Inter hæc non mediocris laus eſt eſſentiæ caſtorei cum liquore cornu cervi mixtæ, adjecto ſpiritu minerali anodyno D. Præſidis.

4. Excitat egregie ſpiritus acris narium interioribus per pennam inditus. Ejuſmodi eſt ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viva paratus, admixto oleo rutæ, caryophyllorum & eſſentia caſtorei.

5. Caput diligenter raſum fovere præſtat calido cataplaſmate compoſito ex diſcutientibus, & quæ ſanguinem, qui coiit in capite, reſolvant. In hoc numero ſunt ruta, ſalvia, thymus, origanum, ſerpillum, radices ſigilli Salomonis, iridis Florentinæ, baccæ lauri, juniperi, flores ſambuci, quæ ex aceto acriori cocta, adjecto ſale ammoniaco & ſpiritu vini camphorato non mediocrem opem pollicentur.

6. Clyſtere acri eluenda alvus, cujus hæc formula fuerit: *Recipe herbarum rutæ, majoranæ, ſerpilli, origani, thymi, ſingulorum m. j. ſeminum quatuor carminativorum, baccarum lauri ana drachmam unam, florum chamomillæ Romanæ, item vulgaris, ana p. iij. coque in ſ. q. aquæ commun. Colaturæ recipe uncias iix. adde ſalis ammoniaci, nitri ana drachmas iij. ſacchari Thomæi unciam unam, ſpiritus vini camphorati drachm. ij. olei rutæ, anethi cocti, ſingulorum uncias ij.*

Præſervatio.

1. In præſervatione, ut in ipſa cura, Venæſectio in pede plurimum quoque ſibi vindicat, quæ ubi circa æquinoctia adhibetur, tutam ſecuramque ſæpe valetudinem præſtat.

2. Ubi timetur recurſus mali, adurendum eſt occiput ferramento candenti, vel cucurbitula imponenda, ut curſu materiæ eo averſo, futuro alioquin diſcrimini corpus eripiatur.

3. Saluti etiam ſunt in hoc adfectu hæmorrhoides, ideoque in iis præſertim, quibus alioquin feruntur, omni modo eas provocare convenit, partim interno aloes uſu, partim hirudinibus extrinſecus admotis.

4. Balſamum vitæ Dn. Præſidis ex præſtantiſſimis oleis compoſitum vel ſolum vel cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixtum ex vino ſumtum, adjecto etiam infuſo veronicæ vel meliſſæ, præſertim ſub humidiore cœlo egregiam opem præſtat, nervos & caput roborando. Juvat idem etiam extrinſecus, vertici temporibuſque & nuchæ inunctus.

5. Non minus præſidii eſt in alvi ductione, quæ tamen non draſticis nerviſque inimicis movenda eſt, ſed lenioribus pilulis cephalicis balſamicis & polychreſtis. At ubi moles humorum in primis viis coiit, tunc neceſſarius eſt vomitus, ſingulis menſibus ſemel admiſſus. Proſunt porro cucuphæ ex floribus anthos, lavendulæ, majoranæ, cæteriſque compoſitæ; adhibendæ etiam frictiones, demittendi pedes ſubinde in calidam aquam, ut ſanguis ad caput ruens ad exteriora revocetur.

Monita & Cautelæ.

1. Abſtinere oportet diligenter à vehementioribus ſternutamentis in principio maxime impetus mali, quæ tantum abeſt, ut conferant, ut potius augeant morbum eumque reddant deteriorem. Concuſſione enim vehementi, qua vim ſuam exerunt, humores ad caput magis adliciunt, quos quantum fieri poteſt, removere conveniebat.

2. Eadem cura opus eſt circa calidorum uſum, quæ caput nimis calefaciunt, replent & ſanguinem in motum vehementem concitant. Vitari proinde debent aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ, olea cephalica, balſami apoplectici largius ſumpti, quæ omnia, ſive interne ſive externe utaris, vires malo adjiciunt.

3. Vomitoriorum uſum in impetu mali diſſuademus, unde & ſal vitrioli, tantopere à multis commendatum, merito rejicitur. At ubi ex crebris commeſſationibus colluvies humorum in ventriculo concurrit, optime ejuſmodi remedio exhauritur. Quod quidem commodius adhuc ſuſtinent, qui præſervationi ſtudent, modo illud conſiderate prudenterque offeratur.

4. Purgantia acriora, quæ ſale cauſtico inteſtinorum tunicas lædunt, facileque inflammationes in iiſdem excitant, ſummo ſtudio devitare oportet, quod experimentis conſtat, malum inde ſæpius recurrere.

5. Fugienda identidem ſunt omnia vaporoſa, quæ inimica imprimis ſunt capiti, uti anodyna & opiata. Quare & vini generoſi, ambræ moſchique uſus, in præſervatione cautus ac circumſpectus eſſe debet. Minus etiam amara & ex abſynthio remedia iis conveniunt, qui ad apoplexiam proclives ſunt.

6. Inimica huic adfectui ſunt frigus, tempeſtas varians, & ventus borealis, inimica etiam ebrietas & intemperantia. Cibus ſit ex media materia, remoto victu pleniori, vini tenuis uſum parca manu concedimus.

7. Sublime caput in lecto habendum eſt, cum declivior capitis poſitus noceat, unde, qui de nocte apoplexia infeſtantur, mortui plerumque mane reperiuntur. Neque deeſt ratio, quippe majori in copia ſanguis ad caput congeritur, ibidemque copioſe extra vaſa digreſſus repente mortem concitat.

8. Si venas jugulares incidere placet, hæc obſervatio neceſſaria eſt: Collum leviter conſtringatur linteo, mox inciſa vena, ſtatim detrahatur. Sic ſponte fluit ſanguis ſine ligatura, poſtea conglutinandum vulnus emplaſtro, quod conſtat ex thure, maſtiche, albumine ovi & pilis leporinis.

9. Poſtremo ira terror cæterique adfectus exulare debent, revocato animo ad tranquillitatem, quæ uti ceteris malis, ita & huic inſigne adfert adlevamentum.

CAPUT II.

De Paralyſi.

Paralyſin vocamus, quando non totum corpus, ſed aliqua tantum pars reſolvitur, quo quidem malo plerumque dextrum vel ſiniſtrum latus occupatur. Solent autem reſolutos motus ſenſuſque deſerere, mentis quoque ac ſenſuum vis perit, & in adfecto latere languidus arteriarum pulſus deprehenditur.

1. Sequitur ægros torpor & gelidus ſtupor partium, facies pallet, lingua minus intelligenter loquelam explicat, interdum etiam tumor & atrophia adfectam partem exercet.

2. Cauſa mali noſtri non ad ſanguinem, ſed ad ſerum extra vaſa in capite delapſum, referendum eſt. Id enim, ut ex inciſione corporum diſcimus, dum a ſanguine in venis ſubſiſtente ſecedit, ad ima cranii & principium ſpinalis medullæ delapſum, dextram vel ſiniſtram ejus partem occupat, unde mole preſſi vel obſtructi nervi iter claudunt ſpiritibus. Si vertebræ colli vel dorſi læduntur, illa plerumque pars

pars reſolvitur, ad quam nervi ex offenſis vertebris feruntur.

3. Ex apoplexia in paralyſin prolapſi, perpetuo ſtupore marcent, omni memoria ac mente deſtituti. Pejus autem agitur cum iis, qui ex paralyſi in apoplexiam incidunt, qua vita & morbus plerumque iis terminatur.

4. Paralyſi debilitati diu ſæpe vivunt, ſed raro ſanitatem priſtinam recipiunt, miſerum plerumque ſpiritum trahentes, perpetuoque ſtupori, perdita memoria, devoti.

5. Illud de experientia confirmatum eſt, periculoſiorem eſſe ſiniſtri quam dextri lateris reſolutionem. Cujus rei ratio hæc dari poterit, quod arteriarum ſitus ad ſiniſtrum magis, quam ad dextrum latus pertingat, jam vero ſatis notum, nervos, qui ad tunicas arteriarum abeunt, mirifice illarum curſum moderari.

6. Cauſæ quæ malum hoc excitant, eædem fere ſunt, quas ſupra de apoplexia poſuimus. Præter externas enim, vulnera ac percuſſionem, frigus, ebrietas, luxuria, cruditas & veneris frequentia nutriculæ hujus adfectus ſunt, quibus unice fovetur aliturque. Fit etiam ſæpiſſime à ſpaſmo inteſtinorum, à colica, à valida purgatione, ab arthritide imprudenter intra corpus repulſa, item a ſcorbuto, quæ paſſio iiſdem, quibus ſcorbutus notis deprehenditur.

7. Ex medicamentis præter purgantia acria, mercurialium inconſideratus uſus hoc malum ſæpe commovet. Scilicet ut omnia metalla inimica nervis ſunt, ita maxime mercurius, qui inter reliqua facile eminet, iiſdem eſt infeſtus. Unde non temere obſervamus, ex uſu mercurialium & ſalivantium naſci tremores motuumque imbecillitatem. Ligamenta enim, quibus oſſa vinciuntur, plus juſto ſolvit ac relaxat, teſte dentium vacillatione.

8. Diſtinguitur paralyſis in veram & ſpuriam, illa in cerebro vel ſpinalis medullæ principio defixa, ſenſum ac motum fere omnem amolitur. Hæc clementior eſt, quæ non tam altis radicibus hæret, & in nervis vel membranis ad certam ſaltem partem pertinentibus conſidet, cum minore motus ac ſenſus læſione.

9. Excipit ſæpe atrocem coli dolorem, fortioremque medicamento dejectionem. Frequenter etiam accidit ex podagra, interiora vel fortuito vel externis remediis repetente.

10. Hæc ſpuria paralyſis miſere torquet Hercyniæ ſylvæ accolas, qui metalla & maxime plumbi venas ſcrutantur; cujus fumum & vapores ubi imprudenter ore exceperunt, plerumque hoc malo periclitantur.

11. Solvitur ſæpe paralyſis febre, quæ ſuis notis i. e. pulſus frequentia, celeritate atque magnitudine ſeſe manifeſtat. Salutem etiam oſtendit tremor & dolor in membro paralyſi debilitato, & ſi poſt inunctionem calidam puſtulæ ſuboriuntur.

12. Difficilior cura in ſenibus & tempore hyberno, expeditior illa & æſtate, & in viridi florentique ætate.

13. Particularis paralyſis eſt, quæ certam corporis partem & nervos, qui ad eandem tendunt, adfligit. Verique ſimile eſt, interiorum ſingula hujus mali periculo expoſita eſſe. In quam proinde partem hoc vitium incidit, ab eo adpellationem trahit. Ita palpebrarum habemus paralyſin, in qua laxiores propendent palpebræ, & adlevari nequeunt, oculi etiam ſine voluntate ægri illacrymant.

14. Lingua paralyſi vitiata, vocem non extricat, ſed oppreſſis conatibus conticeſcit.

15. Fauces reſolutæ non tranſmittunt cibum, vi impellendi denudatæ. At guttur ægrum eo malo, vitæ diſcrimen ſæpe prænunciat, ſiquidem ronchus & ſpirandi anguſtia jamjam ſpiritum elidere videntur.

16. Eſt & ventriculo frequens hoc vitium, quo ſi male habet, adſumta non ſecedunt, ſed inſtar ponderis ventriculum premunt, & cibus nulla digeſtione immutatur.

17. In morbis inteſtina hoc malum facile corripit, unde videmus adſumptum humorem velut per ſyphonem vel fiſtulam, cum murmure in moribundis deſcendere.

18. Si craſſius inteſtinum paralyſi languet, alvus ſponte & ſine dolore fertur, at ubi ſphincter podicis relaxatur, anus foras prodit, quod procidentiam ani adpellamus.

19. Veſica hoc malo perculſa ſine voluntate jacentis urinam dimittit. Seminales vero viæ ubi hac paſſione turbatæ ſunt, ſine tentigine ſemen fundunt, quod malum gonorrhœa nominatur. Adpetit etiam hoc malum pudenda, quod hac nota patet, ſi in aquam frigidam immiſſa non contrahuntur.

20. Si crus hoc vitium patitur, extenſum longius fit, ut ſub articulorum dislocatione ſæpius decipiat.

Curatio.

In cura hujus mali primum eſt, ut partes & nervi confirmentur, ſanguinis & ſpirituum ad partem adfectam adfluxus concitetur, & ſerum viſcidum excutiatur. Utrique ſcopo ſatisfaciunt, tam externa quam interna auxilia, quæ mox ſubjiciemus.

Ex internis primo in loco ponenda ſunt ſalia volatilia oleoſa, ſpiritus cornu cervi cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixtus, adjecto oleo caryophyllorum, cinnamomi, eſſentiaque caſtorei.

2. Par virtus eſt ſpiritui ſalis ammoniaci, cum aqua liliorum convallium, quam ſupra in apoplexia etiam commendavimus, mixto, ita, ut mixtura unam quidem partem ſpiritus, tres aquæ recipiat. Eaque quotidie cum potu dari poteſt; ipſa vero medicamenta optime ex vino Hiſpanico vel Hungarico aſſumuntur.

3. Externe probandæ ſunt fortiores frictiones, maxime cum pannis aſperis, ut languens ſanguinis motus ad adflictam partem excitetur. Eadem de cauſa maxime conducit, torpentis membri ſummam cutem, vel urticis cæſam, vel impoſito ſinapi, exaſperare. Prodeſt etiam ad augendum motum in hoc malo balneum frigidum, quod Græci pſychroluſiam adpellant, modo & vires ſanguisque & viſcerum integritas ægro adhuc ſuppetant.

4. Ad confirmandos nervos nihil æque juvat, quam ſpinalem medullam fovere ex linimento, quod conſtat ex axungiis animantium, admixto oleo lavendulæ, majoranæ, rutæ, roriſmarini, caryophyllorum, balſamo Peruviano aliisque, quæ roborandi pollent facultate. Parum enim utile eſt, meris oleis vel ſpiritibus id facere.

5. Eximiæ virtutis eſt balneum ex formicis adparatum, injecto ſimul ſerpillo, thymo, ſideritide aliiſque.

6. Commodum porro eſt, alvum clementioribus ſubinde medicamentis, & quæ balſamicam ſimul virtutem præſtent, deducere. Hac laude pollent ſequentes pilulæ.

Recipe extracti colocynthidis, aloes, hellebori nigri, reſinæ guajaci, ligni aloes, florum benzoes, ſuccini, myrrhæ, balſami Peruviani, ana ſcrupulum unum; olei ſuccini, lavendulæ, ſingulorum guttas vi. camphoræ, ſalis volatilis cornu cervi ana gr. iv. Miſce: Fiant lege artis pilulæ ex ſcrupulo uno no. 24. doſis 14.

Monita & cautelæ.

1. Si ſanguinem in hoc adfectu detrahere convenit, quod plerumque neceſſarium eſt, commodius eſt, id in contrario vel oppoſito parti adfectæ membro facere.

2. In linguæ reſolutione optimum eſt, ſanguinem, inciſis venis ſub lingua, emittere, quod valens adverſus hoc malum auxilium eſt. Conducit etiam, balſamum vitæ Dn. Præſidis, ſaccharo infuſum ſub lingua continere, ſi id non eſt, oleum caryophyllorum vel cinnamoni cum ſaccharo linguæ ſubjiciendum eſt, ut imminutus motus reſtituatur.

3. In paralyſi vini uſus circumcidendus eſt, potui aptiſſimum decoctum lignorum. Quidam commendant decoctum ex radice ſymphyti majoris, accedente dolore, reſolutum partium tonum inde roborari exiſtimantes.

4. Remedium etiam præſtans eſt, ut in plerisque morbis, motus, unde paulatim ad exercitationem reverti debet æger, & tentare, ut egrediatur. Poſtea acrior paulo exercitatio, ſi adfectus ſuſtinet, admovenda, eidemque equo vel curru corpus concutiendum.

5. Linimenta ſpirituoſa vel ex axungiis animantium compoſita convenientius eſt ſpinali medullæ, quam adfecto membro imponere.

6. Ad reliquias mali delendas nihil præſtantius eſt thermis Carolinis, ſique eas per imbecillitatem non adire poteſt æger, arte paratæ ſubſtituendæ ſunt, quales quidem ex ſalibus varii generis conficiuntur. Cavendum tamen magna cura, ne in acceſſione mali vel ingraveſcente eodem, vel ubi caput imbecillum eſt, hæc cura ineatur. Quoniam enim hæ aquæ tardius per caput prodeunt, metus eſt, ne læſis nervis, in pejus eat adſectio.

7. Quo inimicus eſt frigus nervis, eo diligentius ab eo cuſtodiendum corpus eſt. Pari ſtudio fugere oportet intemperantiam, animi turbationes, purgantia & omnia, quæ in capite de apoplexia expoſuimus.

CAPUT III.

De Affectibus Soporoſis.

OBSERVATIONES.

EX ſoporoſis adfectibus eminet lethargus, ſub quo inexpugnabilis fere dormiendi eſt neceſſitas. Huic accedit plerumque febris, quamvis mitioris ſolito æſtus, quam frequentia pulſus indicat. Jungitur tanta oblivio, ut ſi quando oſcitant, quod ſæpe ipſis evenit, os claudere obliviſcantur, vel ubi matulam popoſcerunt, mingendi memoriam dimittant. Quod quidem ſymptoma cum languentes maxime urgeat, toti paſſioni nomen dedit, ſiquidem ἀπὸ τῆς λήθης i. e. oblivione adpellatur.

2. Carent, qui ita adfecti ſunt, omni dolore, adeo ut & acu compuncti & evulſis capillis nihil moveantur. Præter hæc corpus grave, reſpiratio rara & urina ſæpius ſimilis illi, quæ in jumentis effunditur.

3. Cauſa mali identidem ſeri copia in cortice cerebri vel intra ejus membranas exundans, quæ extra vaſa effuſa in defunctorum corporibus ſeſe oſtendit, quod ſtagnans membranarum nervorumque robur ſolvit, unde ſtupor ſoporque & memoriæ imminutio.

4. Eſt hic adfectus ex acutorum familia, idemque acutis morbis, febribus malignis, peſtique & eryſipelati adſociatur. Eodem maxime infeſtantur corpora ſenilia cacochymica, & quæ deſidia ac luxus enervavit.

5. Non ſemel Dn. Præſes animadvertit, id mali ab eryſipelate natum fuiſſe, ubi nempe illa maxime in ſenili ætate certo tempore alioquin reverti ſolita, per virium languorem non ad circuitum corporis expulſa fuit, materia acri ad caput cerebrumque tranſeunte. In metu etiam eſſe debent ii, qui ſanguinis miſſionem qua uſi alias fuerunt, male omiſerunt, vel quibus ſanguis ex certa parte alioquin fundi ſolitus, fluere deſiit. Sæpe etiam ſolet hæc paſſio corripere, ſi quando humida tempeſtas diu continuarit, & venti ex auſtro & occidente ſpiraverint, it. tempus vernum, quo aer tepidior fragrantiumque florum vaporibus plenus eſt facile hoc malum excitat.

6. Animadvertere oportet, ne lethargus cum caro & comate miſceatur, quorum utraque ſpecies ab illo ſuis notis diſtinguitur. Eſt enim carus mitius vitium, in quo febris abeſt, idem tamen ſtupor & ſomnolentia laborantem comprehendit. Sique arctior ſomnus complectitur, nihiloque ſecius vigilantis formam æger retinet, coma vigil nominatur.

7. Diſcernendus quoque eſt ſopor ejusmodi præternaturalis ab impotentia vigilandi, quando quis in probo labore defatigatus, obdormiſcit. Tum enim, qui ita languent viribus plane exhauſti, propter imbecillitatem neque apertos tenere oculos, neque membra movere valent, quamvis revera vigilent, nec tam alto, uti videtur, ſomno adquieſcant. Quod vel exinde adparet, quod accedente ignoto homine vel ad ejusdem ſermonem oculos adlevent, eosdem tamen mox dimittant, & quod interrogati propter debilitatem reſponſioni non ſufficiant.

8. Diſtinguere etiam convenit lethargum ab ſopore, qui per res externas & medicamenta, qualia ſunt omnium papaverum ſpecies, opium, datura, mandragora cæteraque arceſſitur. Sub quo quamvis altiſſimo identidem ſomno ſoluti jaceant ægri, iidem tamen, ubi commoda medicina admovetur, facilius ad ſe redeunt.

9. Periculum in lethargo denunciant tremor & ſudor faciei frigidus, at coma vigil malignis febribus accedens peſtiferum ſignum, ſiquidem ille ſomnus in ultimam plerumque mortem continuatur. Caro qui frequentius opprimuntur, hiſce apoplexiæ metus eſt.

Curatio.

Ut jacentis imbecillitati recte ſuccurratur, hæc duo maxime contemplanda ſit, primum ut ſopitus excitetur, deinde ut fatiſcens membranarum nervorumque tonus ad priorem firmitatem revocetur.

1. Expergiſcitur æger admotis his quæ ſternutamenta evocant, & quæ odore fœdo vel acri movent. Inter hæc primum ſibi locum merito ſuo vendicat ſpiritus cryſtallorum veneris cum caſtoreo mixtus, qui ſi ullus alius, penetrantiſſimi odoris eſt. Idem fieri poteſt cum ſpiritu ſalis ammoniaci vertici naribusque admoto. Juvat etiam, quod vulgo fieri ſolet, galbanum vel cornu cervinum, pennas perdicum & alia, quæ gravis odoris ſunt, juxta accendere. Excitat porro validiſſime aqua frigida repente capiti infuſa, quæ roborando ſimul membranas cerebri promte ſomnum excutit.

2. Caput radendum, deinde fovendum eſt cataplaſmate, quod habet rutam, laurum, thymum, ſaturejam, ſinapi, caſtoreum decocta ex aceto roſaceo,

adjecto oleo ligni rhodii, camphora & nitro.

3. Ut dematur materia malo, alvus leniter ſolvenda eſt, infuſo ventri ejusmodi clyſtere, quem ſupra in apoplexia comprehendimus, adjecta colocynthide. Quum vero, quoties cauſa mali in ventriculo & inteſtinis ſubſedit, validiorem dejectionem malum deſiderat, purgantibus tartarum emeticum adjicere convenit. Quod cum in hoc adfectu ſalutare eſt, tum & egregium contra apoplexiam, ubi ex ea metus incidit, præſidium eſt.

4. Quod ſi ab externis cauſis, ab ſomniferis nempe, quæ ſupra commemoravimus, ſopor ejusmodi incidit, optimum eſt, commoto vomitu illud quod male habet, rejicere.

Cautelæ & Monita.

Si ſanguis ex copia ſui male habet ægrum, quod ex ipſa ſpecie ægrotantis, facie nempe rubenti, plenisque & tumentibus venis æſtimatur, utique adfectus noſter requirit ſanguinis detractionem. Quare magnopere etiam intereſt, ut ſanguis per ſedis venas, præſertim ſi alias per has partes exiit, exoneretur, hirudinibus admotis provocandus.

2. Inter initia morbi, alienum eſt, iis, quæ ſternutationem movent ſoporatum excitare. Potiora ea eſſe debent, ubi & deceſſit febris, & Venæſectione, vel dejectione alvi corpus fuerit adlevatum.

3. Si cacochymica corpora urget hoc malum, eximium auxilium eſt in crebra alvi ductione, addito purgantibus, ut eorumdem vis paulo infringatur, caſtoreo.

4. In lethargo, qui febribus accedit, removere oportet omnia calidiora, interna volatilia & ſpiritus apoplecticos, & quæ ſanguinis motum nimium augent atque intendunt. Eadem ſervanda ſunt, ſi eryſipelas & febres inflammatorias ſubſequitur. Quo quidem in caſu etiam in auxilium advocanda, quæ commotum ſanguinem placidiorem præſtent, & ſævientes ſpaſmos coerceant. Qua laude abundant leniora diaphoretica & nitroſa.

5. Sedulo vitare oportet ſub hoc adfectu balnea calida, vaporoſa, & quæ fragranti quo pollent odore ſomnum movent. Ex hoc numero ſunt ſic dicta narcotica, opium, crocus, papaver & cætera hujus commatis.

6. Cæterum hic curioſe identidem adnotanda ſunt, quæ in capite de apoplexia præcepimus. Poſt dimiſſum ex vena ſanguinem oportet ægri faciem diligenter intueri & pulſum explorare. Si floridior vultus color adparet, & ex facili æger ſpirat, arteriæ quoque promtius moventur, ſcire licet, nondum omnem ſpem evanuiſſe. Ideoque tunc confidentius repeti poteſt miſſio ſanguinis, qui quo abundantius in corpore ſuperat, eo liberalius extrahi debet, attendere tamen oportet, ut ampliori facto foramine ſolutior ſanguini craſſo exitus pateat, quod identidem in apoplexia animadvertendum eſt.

CAPUT IV.

De Catalepſi.

OBSERVATIONES.

Vicina lethargo paſſio eſt, quam Græci a ſubito inſultu catalepſin, Latini adprehenſionem nominant.

2. Ejus hæ fere notæ: Homo repente velut attonitus concidit, impos ſenſus ac motus, omnique mentis uſu deſtitutus, corpus in eadem figura, qua deprehendit paſſio, permanet, oculi rigent, cætera vero membra ſunt flexibilia, ægroti difficulter excitantur.

3. Opportuni ſunt huic adfectui melancholici temperamenti homines, qui cerebri imbecillitate laborant, & corporis robur inquieta cogitatione nocturnisque vigiliis imminuerunt. Idem frequenter accidit fœminis, præcipue ſi ſanguis, quo per ſingulos menſes exſolvi ſolent, conſiſtit, vel ſi atrocibus nervorum ſpaſmis ſubinde excruciantur.

4. A vermibus inteſtina torquentibus hoc malum ſæpe fieri ſolet, ſæpius tamen adhuc vehementiori animi perturbatione. Ita certe animum perculſum terrore, ſollicita ſpe anxium, ſubito gaudio turbatum, inſano denique ſaucium amore in hunc ſæpe caſum trahi, abunde Medicorum conteſtantur monumenta.

5. Diducitur catalepſis in duas ſpecies, altera vera, altera ſpuria dicitur. Illa rarior eſt & conjuncta cum vitæ periculo, ſiquidem imminentis apoplexiæ index eſt, hæc & frequentior, & frequentiam compenſat benignitate, omni fere periculo carens.

6. Ecſtaſis identidem ſpecies habetur catalepſeos, eaque a prudentioribus in Theologicam & medicam dividitur. Hæc ex cauſis naturalibus naſcitur, illa ex altiore profecta principio, profundiore nempe animi motu per verbi divini virtutem excitato, pectus divino amore flagrans repræſentat.

7. Habet adfectus hic periodicos typos, inalgeſcunt tunc extrema, vultus rubet, palpebræ immobili rigore ſtupent, dentes ſtrident, muſculi continenti ſaltu agitantur, ſalivæ fluunt, alvus indureſcit.

8. Mali morbi ſignum eſt æſtus corporis, oculorum converſio, contractio manuum, ſudor igneus & in thorace ac vultu hinc inde emergentes maculæ, repentina virium defectio, ronchos, & vultus palleſcens.

Curatio.

In cura hujus mali eadem facienda ſunt, quæ in apoplexia præcepimus, neceſſarium tamen, ut ex differentia cauſarum, hoc malum continentium, diverſa etiam curandi ratio ducantur.

Primo enim ſi ex ſuppreſſis menſtruis hoc malum contrahitur, non alia ratione illud curari poterit, quam ut ſanguis per has partes alioquin fluere ſolitus, eodem revocetur. Tum utique expedit, ſanguinem e pedibus mittere, deſidere in aqua calida injectis herbis uterinis, balſamica adhibere, nihil denique omittere, quæ ad reſtituendum hunc ſanguinis curſum pertinent.

2. Ubi a vermibus intra inteſtinorum ſinus latentibus provenit, ſubveniendum ægro eſt ejusmodi remediis, quæ & lumbricos enecant, & enectos ex corpore depellunt. Inter hæc potens inprimis eſt mercurius dulcis, inſigni etiam virtute ſunt amara, uti abſinthium, myrrha, ſemen ſantonici, tanacetum &c.

3. Illud vero cum in omni fere catalepſi perpetuum eſſe debeat, ut nervis & membranis cerebri priſtinus vigor ac robur concilietur, tum in literatis maxime, qui cerebro minus valent, curioſe obſervandum eſt. Ideoque iis, quæ paſſim de apoplexia & paralyſi admonuimus, diligenter commendamus.

4. Aliam vero curam deſiderat illa ſpecies, quæ ex immoderata animi turbatione naſcitur. In hac cum fere inutilia ſunt medicamenta, confugiendum eſt ad moralia præcepta, quibus exulceratus animus ad ſanitatem reducatur. Fugienda inde maxime eſt ſolitudo, vivendum cum jucundis commodisque homini-

minibus, ut eorum familiaritate & adloquio, vel erigatur dejectus animus, vel inani torpens triſtitia ad hilaritatem excitetur.

Monita & Cautelæ.

Uti in omni fere morbo, qui plethoricum adprehendit corpus, neceſſarium eſt, à mole ſanguinis, pertuſa vena, corpus levare, ita ſi noſter adfectus in ejuſmodi corpora incidit, hoc auxilium idemtidem oportet adhibere.

2. Ante omnia ſalutare eſt, occiput ſcarificare, ut materiæ curſus eo avertatur. Inde etiam vertici aliiſque in capite locis cucurbitulæ recte adfiguntur.

3. Utile potiſſimum eſt in hac paſſione, præſertim ut ejus impetum occupemus, vel imminuamus certe, crebriori vomitu ventriculum & primas vias repurgare.

4. Cæterum pleraque ex iis, quæ ſupra comprehendimus, hic morbus deſiderat, ſi quidem vitare oportet & frigus & omnia calidiora medicamenta. Excitandus tamen inprimis animus ad tranquillitatem, qua tantum præſidii levaminiſque ægro paratum eſt, quantum damni eidem ab animo, adfectuum turbinibus jactato, eſt expectandum.

CAPUT V.

De Vertigine.

Moleſta enim, quamvis per ſe minus periculoſa, eſt vertigo, quæ ex eodem fonte, quo reliqua hactenus à nobis commemorata mala, deſcendit. Fit nempe idemtidem ex atonia cerebri, & diſtentione carotidum, quæ juxta nervos opticos feruntur, unde hiſce compreſſis turbatio fit objectorum in retina, ita ut adfecti in orbem agitari & ſecum in gyrum rotari omnia ſibi videantur. Poſtremo ſedentibus vel ſtantibus lapſus timor imminet, ideoque ne ruant ipſis decumbendum eſt. Adeſt etiam capitis & oculorum gravitas obſcuritaſque, auriumque tinnitus, & ſuperiores partes ſudore diffluunt. Exaſperatur malum, ſi ægri præterlabentis fluvii curſum vel rotæ vertiginem ex alto conſpexerint. Quandoque tam ſpiſſæ tenebræ oculis offunduntur, ut omnis fere viſus intercipiatur.

2. Vertigo, quam qui vehuntur navi, qui ſe in orbem rotant, patiuntur, facile remittit, nec ulla eget medicina. Æque levis habenda eſt, quæ ex tabaci fumo & crapula contrahitur, niſi forte harum rerum uſus nimium continuetur.

3. Contemplanda inprimis eſt ſedes vertiginis, alia enim ex capite, alia ex ventriculo naſcitur. Illa gravior & eſſentialis eſt, hæc ſymptomatica, qua hypochondriaci & quos alvi durities & flatuum vehementia ſubinde vexat, plerumque conflictantur. Eadem jejuno plerumque ventriculo exiſtente male habet, & adſumtis alimentis removetur, acrimonia nempe humorum ſubeuntis cibi admixtione attemperata.

4. Quæ caput debilitant, aditum huic adfectui parant, unde ætas ſenilis, vigiliæ diuturnæ, libido, temulentia, crebra capitis percuſſio, ventriculi cruditas, balneorum improvidus uſus & maxime omnium hypochondriaca paſſio eundem provocant. Accidit etiam, ut intermiſſam purgationem, quæ alioquin in uſu fuit, excipiat, item ſi ſanguis per ani vaſa exonerari ſolitus, ferri deſiit, vel arte vel caſu repreſſus. Idem malum à leguminibus & quæ flatus movent, à vermibus, à valentiore emetico, cujus vehementia convulſus ventriculus fuit, item à ſternutatione validiore & immodica detractione ſanguinis fieri, medicæ hiſtoriæ paſſim demonſtrant.

5. Ingraveſcit vertigo vere & hyeme inprimis, eademque futuram quoque epilepſiam, maxime vero apoplexiam, prænunciat.

6. Diſtat ab epilepſia, quod adfectos neque ſenſus nec motus deſtituat, quod contra in comitiali morbo evenire obſervamus.

Curatio.

Ut promtum atque expeditum auxilium huic malo adferatur, videndum eſt, ut primum ſanguinis curſus a capite avertatur, deinde ut cerebro & nervis ſua reddatur vis ac firmamentum. Quod utrumque ſequentia, ſi curæ ſua regula conſtat, pollicentur.

1. Sanguis qui ad caput confluxit optime ad remotiores partes retrahitur, venæſectione in pede inſtituta. Idemque ut impetremus, in viris hæmorrhoides, in fœminis menſtrua per commodam medendi rationem convenit evocare. Demittendi eum in finem in calidam aquam ſubinde pedes, deducenda etiam molliori medicamento alvus, quod præſtant pilulæ cephalicæ, quæ præter vim detrahendi ſordes, partes etiam corroborant.

2. Juvat inprimis, bregma ferro candenti inurere, ut materia quæ male habet eo detrahatur, quod auxilium in hoc adfectu tantum ſæpe adlevamenti præſtat, ut ſine Medici opera frequenter ægri ab eodem liberentur.

3. Ad confirmandum caput & nervos balſamus vitæ D. Præſidis confert, qui & externe vertici & naribus infuſus & interne in elæoſacchari forma ſumtus, non mediocrem ſæpe promittit allevationem. Præter hunc adjuvat etiam ægros ſpiritus ſalis ammoniaci inter cibos acceptus.

4. Alvum fere ſolutiorem præſtare uti in omni vertiginis ſpecie utile admodum eſt, tum in ea maxime, cujus cauſa in ventriculo & primis viis deſedit. Quo in caſu præter clyſteres validioribus etiam interdum opus eſt medicamentis, inter quæ extractum ellebori nigri & tartarus emeticus præſtant, ut vomitu facto, qua primum via poteſt, materia rejiciatur.

5. Quos vertigo ab acido in primis viis exorta ſubinde exercet, hi optime abſorbentibus cum oleo nuciſtæ mixtis, item martialibus cum pilulis polychreſtis datis adjuvantur.

Monita & Cautelæ.

Plethoricis hominibus & qui florida ac colorata facie ſunt, iis ſanguinis detractione vix melius præſtantiuſque auxilium invenitur. Quod quidem ipſa natura, quam velut magiſtram ſollerter ſectari oportet, demonſtrat, ſiquidem experimentis conſtat, ſolvi frequenter vertiginem ſanguinis e naribus profuſione. Quem ſalutarem conatum naturæ vel occupare vel etiam adjuvare oportet inciſis cum ſcalpello naribus vel iiſdem, quod Ægyptiorum ſollertia nobis demonſtravit, ſcarificatis.

2. Minus proficiunt in hoc vitio roborantia, ſi antequam ſanguinis miſſione, laxantibus & diluentibus levatum fuit corpus, adhibeantur, ideoque præſtat eadem poſtponere iis auxiliis.

3. Non contemnendi uſus ſunt infuſa calida ex herbis cephalicis, radice valerianæ, cubebis, aliiſque adparata.

4. Si malum altius inſedit, nec molliori cedit medicinæ,

dicinæ, duriora exercere oportet imperia. Tum inedia & fame fonticuliſque & ſetaceis illud evellendum eſt, cura etiam cinabarina admovenda.

5. Aliena in adfectu hoc eſſe debent omnia vaporoſa & narcotica, moſchata & camphorata, vitanda etiam omnia, quæ ſupra poſuimus. Cibus ſit facilis & cui concoquendo ſalutare digeſtionis officium ſufficiat, acria ſalſa & acida removeantur, ne aucta inde materia ipſa paſſio amplius trahat nutrimentum.

CAPUT VI.

De Gutta Serena.

GRavius malum eſt gutta ſerena ſeu cœcitas, ſub qua ſanus adparet oculus nec quidquam vitii extrinſecus ſemet oſtendit, niſi quod pupilla amplior & nigrior ſit, nimiumque dilatata & ad luminis ſenſum immobilis & rigida exiſtat. Quamvis autem parum vitii, ſi oculos inſpicias, ſe repræſentet, nihilo tamen ſecius adeo omnis viſus ereptus eſt ægris, ut ne minimam quidem luminis vim percipiant.

2. Cauſam noſtri mali ſi requiris, eadem ex atonia cerebri arceſſenda eſt, maxime vero ex earum partium debilitate, quæ thalami nervorum opticorum adpellantur. Quam quidem evidenter demonſtrat inciſio eorum, qui per vitam caruerunt luminis uſu, ſiquidem nervi optici duplo ampliores marcidi repeeriuntur, ingenti ſeri copia circumfuſi. Sæpe etiam tumor globi figuram exprimens, qui nervos opticos comprimit, ſe intra cerebrum exhibet, ipſius quoque cerebri pars prope nervos qui ad viſum pertinent corrupta invenitur. Quæ cuncta ſatis demonſtrant, humorem, qui cauſa mali eſt, non tam intra nervi ſubſtantiam ſed eundem potius in cerebro & circa nervos deſidere.

3. Ubi ab ejuſmodi cauſis, quas modo poſuimus, malum deſcendit, facile colligere eſt, fruſtraneam eſſe medentis operam, nec quidquam proficere curationem. Quam contra quamvis ſollertem & arduam recipit clementius malum, quod ex eo æſtimatur, ſi ejuſdem cauſa intra tunicas oculorum & maxime in ſclerotide detinetur. Tali enim in caſu cum a deſidente ſero nervi ſaltem premantur, contrahantur & relaxentur, expeditior ad curam, ſi induſtria accedat, via demonſtratur. Facilius etiam curatur ſi adhuc recens eſt, nec inveteravit.

4. Gutta ſerena eſt vel perfecta, vel imperfecta; In illa cum omnis acies extincta ſit, fruſtra eſt, curationem admovere. In hac cum imminutus tantum ſit viſus, aliqua curationis ſpes ſupereſt, magnis tamen laboribus & diuturno remediorum uſu ſuſtinenda.

5. Frequens hoc malum cacochymicis, plethoricis & qui ſeroſo habitu corporis pollent. Idem etiam poſt fortiorem purgationem vel vomitionem, item poſt vehementiorem mercurialium vel ſudoriferorum uſum ſuboritur.

6. A graviori terrore epilepſiam, mox cœcitatem, eandemque ab ebrietate, a purpura & ſcabie intra corpus remeantibus, e pedum tumore in cachecticis dilabente excitari novum non eſt. Infantes etiam imbecilliores & qui humoribus abundat, hoc malo ſæpius periclitantur, maxime, ubi non bene prodierunt morbilli vel inteſtina lumbricis obſidentur. Experientia quoque docet, hunc adfectum phrenitidi in febribus malignis & hydropi quoque ſuccedere. Nec prætereundum, hemicraniam, quæ puerperium excepit, tandem in cœcitatem terminari. Facit denique ad hunc adfectum omne frigus acre, Zephyri impotentior flatus, nocturnæ compotationes, diuturnus mœror, alvus compreſſa & hereditaria diſpoſitio.

Curatio.

Curandi ratio in hoc adfectu admodum difficilis, quippe medicamentorum vis remotas has partes minus ſubire poteſt. Si quid tamen cura experiri juvat, duplici via procedere oportet nempe ut ſerum quod incumbit nervis auferatur, & deminutum robur reſtituatur. Ad quod obtinendum,

1. Unicum fere præſidium eſt in cauterio actuali ſyncipiti vel nuchæ impoſito, ut eo materia pernicioſa detrahatur.

2. In omni oculorum valetudine ut maxime convenit, alvum ducere, ita & eadem in hoc malo ſuſior ſubinde eſſe debet. Quod tamen non draſticis valentibuſque remediis ſed lenioribus, quibus nervina roborantia admiſcenda ſunt, fieri oportet, eo nempe fine, ut & ſeroſa colluvies expellatur, & partibus nervoſis vigor ac robur adjiciatur. Laudem hac in re inveniunt pilulæ cephalicæ balſamicæ, quarum exemplum in capite de apoplexia propoſuimus.

3. Juvat etiam, temporibus hirudines admovere, & mediam frontis venam pertundere, quando exemplis comprobatum eſt, nonnullos cum in fronte vulnerati eſſent, cœcitatem evaſiſſe.

4. Præſtat tempora linamento ſubinde fovere, quod commode balſamus liquidus Dn. Præſidis ſuppeditabit, idem ad internum exteruumque uſum commendandus. Meminitque D. Præſes, ejuſdem uſu ſe non ſemel cœcitatem inter initia diſcuſſiſſe.

Cautelæ & Monita.

1. Si ſanguis per menſtrua vel hæmorrhoides minus ex regula fertur, in partibus inferioribus incidendæ ſunt venæ.

2. Cacochymica corpora ſi cœcitas adflixit, abſtinendum a fortioribus remediis, præſertim emeticis, & quæ valide ſudorem excutiunt, ſeponendus etiam balnei uſus, præſertim alvo adſtricta, quod verendum eſt, ne humores ad caput cum impetu compulſi malo præbeant incrementum. Eadem cautio eſſe debet in ſternutamentorum uſu, quæ quoniam vehementi qua agunt vi, humores ad oculos adliciunt, merito vitanda ſunt. Eadem tamen, ubi corpus & caput juſta purgatione levatum fuit, locum inveniunt, ſed talia eſſe oportet, quæ humores clementer magis evocant, quam violento modo excutiunt.

3. Noxius in hoc adfectu omnis acrior ac craſſior victus, vitanda legumina & quæ flatus excitant. Cœna ſit parcior, & quod melius, bis per hebdomadem ab eadem abſtineatur. Vinum vel removendum plane eſt, vel ſi conceditur, aqua diluendum eſt, præſtat tamen ejus loco decocto ſalſaparillæ, liquiritiæ, adjecto coriandro uti. Fugiendus etiam eſt, uti in omni capitis vitio, ſomnus meridianus & ſupinus decubitus.

4. Potens eſt in hoc malo ſetaceum, nec minus auxilii ab inedia & diuturna abſtinentia, quæ ſi ullum remedium, efficaciſſima eſt ad hunc adfectum contumacem evellendum. Debet autem hæc ipſa cum per aliquot tempus continuari, tum accurate e legibus abſtinentiæ, qui eam iniit, ſe adſtringere, & nihil præter modicum panis bis cocti vel paſſulas deguſtare. Seponendum etiam omne vinum & cereviſia, & decocto lignorum, cui herbæ cephalicæ adjectæ

adjectæ ſint, utendum, in potum ſufficere debet aqua reliquiis decocti adfuſa & molli igni leviter incocta, cui addi poſſunt paſſulæ & cortices citri, ut hoc commento averſanti palato concilietur. Venus cum nervos opticos maxime debilitet, cum cura vitari debet, oportet & reliqua fugere, quæ in aliis malis, quæ ad atoniam nervorum referuntur, commemoravimus.

CAPUT VII.

De Gravitate Auditus & Surditate.

EX atonia cerebri & nervorum qui ad aures feruntur, aurium vitia prodeunt. Si quando enim hæc membrana ab ſtagnante ibi humore nimium madet, flacceſcit primum, mox relaxata nimis ſonum percipere minus recte poteſt, unde auditus gravitas & difficultas naſcitur. Sin autem in interiorem auris cavitatem ſeri copia effuſa ibi reſidet, majus periculum eſt, quippe ſurditas inde progeneratur. Fit etiam interdum gravis auditus a nimia ſiccitate, quod evenire videmus ab immoderata vigilia, ſiquidem ſub hac conſumto fere omni humore, membrana exareſcit.

2. Aurium vitia facile incurrunt phlegmatici & pituitoſi, item cachectici, & qui frequenti capitis defluxione exercentur.

3. Gravitatem auditui inducere ſolent crebrior crapula, & capitis refrigeratio, ſi hoc nudum ventis frigidis exponitur, item ſi aqua calida intempeſtive lavatur. Increſcit malum ſub cœlo nubilo & pluvioſa tempeſtate.

4. Surditas quæ a nativitate uſque male habuit, omnem plane curam reſpuit, manifeſto documento, læſam eſſe naturalem auris conformationem. Malæ etiam notæ eſt, quæ aurium inflammationem & exulcerationem ſequitur, quippe quæ identidem quam difficillime depellitur, maxime, ſi tympanum & oſſa exeſa ſunt.

5. Parum quoque in curatione ſperare licet, ſi ex dolore capitis gravativo, apoplexia vel lethargo provenit. Gravius etiam malum eſt, ſi tympanum eroſum eſt. At ſurditas quæ per intervalla modo creſcit, modo decreſcit, facilius accommodatæ cedit curationi.

6. Frequenti obſervatione confirmatum eſt, febres acutas continuas, oborta ſurditate, ſolvi, non cum obſcuro indicio, ſeri ad aures inclinati.

Curatio

Longe difficillima, ſi adfectus hic invaluit, ſi ætas ſenilis eo periclitatur. Meliora promittit & florens ætas & ſi malum nondum inveteravit. Convenit vero quam maxime ante omnia, humorem a capite deorſum evocare, deinde caput & nervos oportuna medicina corroborare. Laudamus itaque

1. Pilulas, quas ſupra exhibuimus, quæ alvum ſolutiorem præſtent, utpote D. Præſes ſæpius obſervavit, ſurditatem fortiore purgatione fuiſſe ſubmotam.

2. Egregium uſum promittit cura inediæ, ea ratione ineunda, quam paulo ante deſcripſimus.

3. Interne prodeſt ſpiritus ſuccini volatilis, nec non balſamus vitæ D. Præſidis inter cibos ſumtus. Eodem etiam fovere expedit ſenſibiliores capitis partes tempora & nucham. Imponendus etiam cum lana auri.

Monita & Cautelæ.

1. In gravi auditu ac ſurditate caput a frigore aeriſque injuria diligenter muniendum idemque curioſe velandum eſt. Juvat vero ſub vehementiori Zephyri flatum idem cucupha adverſus aeris contumeliam defendere. Cujus hæc formula eſſe poteſt. *Recip. radicis cyperi rotundi, ſeminis nigellæ, ſuccini, benzoes, ſtyracis, iridis Florentinæ, ſingulorum unciam unam, moſchi drachm. ſemis, florum anthos, lavendulæ, roſarum rubrarum ana p. iij. ſerpilli, majoranæ, ana unc. ſemis: Miſce, fiat Pulvis.*

2. Nocentia in hoc adfectu olea improvide auribus infuſa, fovere potius eas oportet pane calido e furno recenter exempto, cui balſamus vitæ adſpergatur. At ſi a ſiccitate tympani vitium evenit, oleum amygdalarum dulcium prodeſt omnino immittere. Juvat etiam, pinguedinem anguillæ tepidam adfectæ auri inſtillare.

3. Narcoticorum uſus in hoc adfectu condemnandus eſt, vitandum etiam vinum, quod ſi conceditur, oligophorum eſſe debet.

4. Balnea Laconica, motus corporis, victus tenuis non mediocriter curationem adjuvant.

Si altius defixum malum eludit medentis operam, confugiendum eſt ad mercurialia cum cinnabari & auro diaphoretico mixta, quibus ut graviſſimi morbi & qui penitus inſederunt, ita & hic ſæpius expugnatur.

DISSERTATIO MEDICA,

EXHIBENS

PRAXIN CLINICAM ET COMPENDIOSAM

MORBORUM EX VITIO GLANDULARUM

ET LYMPHÆ ORTORUM.

Primùm edita Anno 1715.

CAPUT I.

De Catarrhis.

OBSERVATIONES.

1. CATARRHI ſive ſeceſſiones & defluxiones ſeri plus minus acris, occupant maxime quam plurimis glandulis obſitas partes, ut ſunt fauces, nares, aſperaque cum larynge arteria.

2. Quando ex narium ſinu multum ſeri effluit, excitato ſimul ſternutamento, coryza dicitur.

3. Coryzæ plerumque, ob vicinitatem, neque minus ob ſimilem in tunicis aſperæ arteriæ & laryngis ſeri decubitum, jungitur tuſſis in principio ſiccior & vehementior, quæ ſucceſſu temporis, propter acceſſum humidi viſcidioris contemperata acredine, remiſſior evadit.

4. Nulla pars corporis lymphæ ſtagnationibus magis patet, quam caput cum faucibus, ſiquidem inclementiæ aeris quam maxime expoſitum eſt.

5. Raucedines & coryzæ circa veris & autumni ingreſſum familiares ſunt & tunc plus quam aliis anni temporibus, quod is aer intemperatior eſt atque tempeſtates multum variant, quas motus argenti vivi in barometro inconſtans per quam curioſe indicat.

6. Nihil ad catarrhos gignendos aptius eſt frigore, corpori calefacto incautius admiſſo, vel ſi auſtrinam tempeſtatem diuturnam ſubito ſeptentrionalis ventus excipiat.

7. Imminentem coryzam laſſitudo ſpontanea, cutis horripilatio, pedum refrigeratio, dolor gravativus capitis, vox rauca & aſpera, alvus adſtrictior, appetentia aucta & ſtimulus ad urinam frequentior, nec non celerior ſub veſperam pulſus, declarant.

8. In catarrhos febremque catarrhalem facile incidunt, qui vere & autumno, poſt ſectam venam, rigido & ventoſo cœlo corpora objiciunt.

9. Graviter luunt a catarrhis ſanguine abundantes & qui intemperantiæ, præſertim vinoſæ, dediti fuerunt, neque minus qui ſalſis ac acidis cibis delectantur.

10. Malum hoc diutius affligit ſcorbuticos, hypochondriacos: eo quod ſucci eorum a temperata dulci indole maxime deflectunt.

Curatio.

Quum nihil æque ſtagnantem lympham in ordinem redigat, quam blanda & continuata diaphoreſis ſive libera perſpiratio, hinc omni modo ea procuranda eſt; deinceps ne ſeri ſubſiſtentis acrimonia gravius lædat & irritet partes delicatiori ac molliori ſenſu præditas, temperanda ac diluenda ea omni ſolertia eſt.

Huic ſcopo ſatisfaciunt ſequentia.

1. Bibat æger frequentius decoctum hordei excorticati cum paſſulis & radice liquiritiæ factum, largiori paulo quantitate, ſingulis vicibus ſumendo cum ipſo elixir pectorale, quod ex eſſentia croci, tinctura tartari, eſſentia nuciſtæ, ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato & oleo fœniculi compoſitum eſt.

2. Pulvis temperans circa noctem offerri poteſt ſequens: *Recipe cornu cervi philoſophice præparati, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmam unam, ſuccini præparati drachmam ſemis, lactis ſulphuris grana decem, olei macis guttas quatuor. Miſce, fiat pulvis, cujus doſis eſt drachma ſemis uſque ad drachmam unam.*

3. Alvus obſtructa aperienda eſt, vel clyſtere molliente, vel manna, in aqua veronicæ aut decocto cornu cervi hordeaceo diſſoluta; ſumere vero minimum pro una doſi uncias duas vel tres mannæ convenit.

4. Urgente tuſſi ſicca, eaque ferina, nihil convenientius eſt ad eam moderandam electuario, quod ſyrupus violarum, ſaccharum cantum, ſperma ceti, oleum amygdalarum dulcium debita doſi ingreditur, adjecta pauca quantitate croci & olei aniſi, fœniculi, vel nuciſtæ; hujus uſus frequentior ſit, deglutiendo illud, quo aſperæ & acres fauces demulceantur.

5. Validiore & diuturniore per noctem tuſſi moleſtante, optimo præſidio ſunt pilulæ, quæ de ſtyrace inſcribuntur, ad grana decem pro vice ſumendæ, quia harum ingredientia deliniendæ humorum acrimoniæ & ſedandæ convulſivæ pectoris motioni apprime dicata ſunt.

Nil celerius hoc malum depellit quiete, abſtinentia & moderato calore.

Cautelæ.

1. Frequentiam catarrhorum, quibus plethorici ſubinde obnoxii ſunt, ſanguinis miſſiones, debito tempore & regimine obſervato inſtitutæ, quam optime arcent. Cave vero ne ſanguinem præſente malo mittas. Siquidem diuturniorem morbum illud progignere non una nos docuit obſervatio.

2. Omnia acria, ſalſa, acida, ſpirituoſa, purgantia, frigida evitentur ſive malum ſub tempeſtate epidemia catarrhali metuendum, ſive jam præſens vel proximum fuerit.

3. Laxantia, & quæ alvum ſollicitare ſolent, conſultius in fine quam in principio exhibentur.

4. Valentiora, & ex metallorum vel mineralium familia deprompta, turbando naturæ criticum motum, ad ſuſcitandam primis in viis inflammationem aptiſſima ſunt.

5. Copioſa remanente per tuſſim expectoratione vel ex naribus defluxione, commodiſſimum eſt alvum pilulis balſamicis crebrius ſolicitare, quo humidum vel viſcidum abundans ad interiora loca, magis congrua, divertatur.

CAPUT II.

De Rheumatiſmo.

OBSERVATIONES.

1. Rheumatiſmus eſt dolor plus minus vagus vel fixus, in articulis æque ac in eorum membranis ac ligamentis, a ſtagnante vel extravaſato ibi ſero acri ſalſo ſuſcitatus.

2. Occupat rheumatiſmus frequentius membranas, muſculos, & articulorum ligamenta, cum dolore, tumore, rubore, imo febre, vigilia, reperta poſt mortem in ſuperficie muſculorum gelatina concreta non adeo mediocri.

3. Adoritur frequentiſſime juvenes plethoricos, intemperantiæ deditos, habitu corporis laxiori & ſpongioſiori gaudentes, & quibus in pueritia vel juventute ſanguis e naribus fluere ſolitus, deſiit, vel menſes in fœminis ſuppreſſæ fuerunt; deinceps amicus eſt iis, qui febrem ſynocham paſſi ſunt, & vini ac veneris deliciis nimium indulſerunt.

4. Non confundendus eſt rheumatiſmus cum podagra, utpote quæ magis eſt hæreditaria, ſenibus infeſta, hærente materia peccante intra articulos, quæ in rheumatiſmis articulorum membranis magis inſidet.

5. Haud infrequenti experientia notatum fuit in corporibus repletis & potu vinoſo obrutis, ventorum ſeptentrionalium aſperitati, noctu præſertim, ſe exponentibus graves & pertinaces rheumatiſmos in humeris ortos fuiſſe.

6. Species rheumatiſmi pleuritis eſt ſpuria, quæ exterius coſtarum membranas & muſculos infeſtat cum dolore, tuſſi ſicciori & febre paulułum remiſſiori.

Curatio.

Tollitur dolorificum hoc malum, facta diſcuſſione ſeri acris, membranas infeſtantis, per moderatam & continuam diapnoeſin. Deinde dolorum ac ſymptomatum ſævitia, quæ fieri debet ſolertia, mitiganda eſt.

Cui ſcopo, quæ ſequuntur, reſpondent.

1. Maxime omnium in ſanguinis exundantia, facta ſectione venarum, educere ipſum convenit. Quod protinus dolorum ferociam non parum imminuit.

2. Præſente ſeri impuri copia alvus laxanda eſt, idque commode perficitur per purgantia, quibus mercurius dulcis adjectus ſuit, utpote hujus virtus per univerſum corpus diſpergitur, inque minimis glandularum & vaſorum ductibus viſcidam pituitam reſolvit.

3. Formula poteſt eſſe talis. *Recipe gummi ammoniaci depurati, myrrhæ electæ, extracti panchymagogi Crollii, extracti rhabarbari, mercurii dulcis ana drachmam ſemis, corticis chacarillæ, ſuccini, ana ſcrupulum unum. Miſce, fiant l. a. pilulæ ex ſcrupulo uno, numero* 15. *pro doſi.*

4. Salſum quoque tartareum ſerum evacuant diuretica, unde thermarum uſus in ejuſmodi genere morbi proficuus admodum eſt. Sequens quoque mixtura magno eſt præſidio, quæ recipit tincturæ ſalis tartari vel loco hujus tincturæ antimonii acris unciam ſemis, eſſentiæ ſuccini, croci ana drachmas duas. Miſceantur. Doſis ad guttas 50. vel 60. ſeſe extendit.

5. Serum acre, membranis atque articulorum ligamentis inſidens, diſcutiendum eſt, cui muneri ſatisfaciunt diaphoretica, quorum virtute blanda & ſucceſſiva peccans materia exhalat, quem in finem commendamus liquorem noſtrum bezoardicum, vel ſpiritum ſalis volatilis cornu cervi cum eſſentia ſuccini mixtum & deſtillatum, cum liquore noſtro anodyno æquali portione maritatum. Uſurpari poteſt tempore matutino cum infuſo herbarum calido

6. Ad acrimoniam temperandam, neque minus ad internum æſtum ſedandum, pulvis præcipitans ex antimonio diaphoretico, conchis præparatis, non vero uſtis, lapidibus cancrorum, nitro & cinnabari præparatus, utiliſſimus erit.

7. Pro potu infuſum porrigendum eſt, quod radices ſarſæparillæ, chinæ, ſcrophulariæ, glycyrrhizæ ana unciam unam, ſeminis autem fœniculi unciam dimidiam habet. Conciſæ & contuſæ ſpecies dentur, harumque drachmæ duæ unæ menſuræ aquæ ferventis infundantur, aut unica ebullitione coquantur.

8. Externe balſamum noſtrum vitæ, vel loco hujus ſequens linimentum dolenti & affectæ parti impoſitum non minimum afferet levamentum. *Sume Spiritus vini rectificatiſſimi uncias duas, camphoræ drachmam unam, eſſentiæ caſtorei, croci, nuciſtæ, Spiritus Salis ammoniaci ana drachmas duas: miſce, fiat linimentum.*

Cautelæ.

1. Eadem cura procedit ſi rheumatica affectio capitis vel faciei membranas infeſtat, ubi cum atrociori dolore febricula jungi ſolet. Conſultius vero ducimus tunc venas ſublinguales incidere.

2. In rheumatiſmo coſtarum, ſeu pleuritide ſpuria, quæ ad humerum uſque ſæpius extenditur, ex vena brachii, ſi vero lumbaris regio occupatur, tutius eſt ex pedis vena cruorem mittere.

3. Laxantia ſæpius interpolanda ſunt diaphoreticis, ut utrumque emunctorium maneat apertum, quod valde hoc in morbo proficuum eſt, quippe aucta diaphoreſi alvus fit ſegnior, quum ſolutior ſemper perſpirationem minuat.

4. Sicuti in omni morbo, qui partes obſidet externas, quique critico motu ſubortus fuit, magnam cautio-

cautionem in topicis applicandis adhibere oportet, ita maxime id valet in rheumatiſmo atque arthritide. Rejicimus itaque omnia oleoſa pinguia, emplaſtra ſaturnina, refrigerantia neque minus veſicatoria, ſcarificationes, balnea quoque calida.

5. Nonnulli in hoc adfectu frigida balnea magni faciunt, quia roborando partium tonum, impediunt quo minus peccans in partem debilem humor irruat. Quod tamen præſidium plus ad præſervandum quam curandum accommodatum eſt.

CAPUT III.

De Scabie.

OBSERVATIONES.

1. ILlis morbis, qui ex glandularum ſubcutanearum vitio originem petunt, merito Scabies annumeranda eſt, quæ puſtuloſa exulceratione, pruritu, neque minus dolore ac rubore cutis ſeſe manifeſtat.

2. Dividitur ſcabies in humidam & ſiccam: in illa ingens puſtularum, quæ purulenti quid fundunt, eſt copia. Invadit maxime ſucci plenos, ſanguineos ſic dictos, ſpongioſioris habitudinis. Sicca vero temperaturis melancholicis, macilentioribus, ſenilibus familiarior & fit cum intolerabili ſæpius pruritu.

3. Scabies eſt fructus vitæ ſedentariæ & otioſæ & ſi quis copioſius ingerat carnes ſuillas, fructus horæos, lacticinia, ſalitas carnes. Contagio facile propagatur.

4. Dolor & pruritus augetur, aucto interno ſanguinis fervore, quod fit per medicamenta ſudorifera, vinum, ſpirituoſa, aromatica, acria, nimium calorem lecti & hypocauſti.

5. Repulſam & perperam curatam ſcabiem artuum tumores, anxietates præcordiorum, aſthmata, febres, tumores hydropici, cordis palpitationes, colicæ convulſivæ ſubinde ſequuntur.

6. In pueris & infantibus tinea capitis adſtringentibus topicis præmature repreſſa, graves capitis affectus, dolorem, convulſionem, epilepſiam parit: at in ſcabie contumaci & recrudeſcente item in tinea capitis, ſæpe numero glandularum colli & artuum tumor exoritur.

Curatio.

1. Hoc modo dirigi ac inſtitui debet, ut ſerum ſalſum & copioſum corrigatur & per debita emunctoria evacuetur.

2. Ut tonus cutis ejuſque glandularum roboretur, & partes exeſæ atque deſtructæ reparentur ſive conſolidentur. Quod cum felicitate, quæ ſequuntur auxilia, exſequuntur.

1. Purgandum corpus eſt ſequenti electuario. *Recipe radicis mechoacannæ drachm. j. mercurii dulcis ſcrupul. j. extracti rhabarbarini drachmam dimidiam. Julepi roſarum, unciam j. Miſce, fiat electuarium, tribus vel quatuor vicibus aſſumendum.*

2. *Sumantur radicum chinæ, ſcrophulariæ, glycyrrhizæ, ſarſæparillæ ſingularum uncia una, herbæ fumariæ, veronicæ, utriuſque manipuli duo, ſeminis fœniculi unciæ dimidium. De quibus cum aqua fervida infuſis bibat æger bis diebus ſingulis:* Poteſt quoque decoctum cum aqua dilutum, pro potu ordinario ſumi.

3. Miſceatur tinctura ſulphuris antimonii tartariſata & tinctura antimonii acris æquo pondere uncia una liquoris noſtri anodyni drachmæ tres, detur circa noctem.

4. Fiat unguentum ex lithargyrio, floribus ſulphuris, tutia præparata, ſingulorum drachmis duabus, cum butyro non ſalito ſubigendis.

5. Exſiccata ſcabie balneis utendum eſt, quæ parari poſſunt ex herbis quinque emollientibus, furfuribus & nitro.

6. In Scabie vero humida, aqua calcis vivæ & lixivium affundantur.

Cautelæ.

1. Si pruritus eſt maximus Venæſectione utendum, quæ ratione circumſtantiarum aliquoties repeti poteſt: in ſiccioribus ſero lactis cum fumaria decocto uti convenit.

2. In plethoricis & aſſuetis venæſectiones & ſcarificationes locum inveniunt.

3. Caute cum repellentibus & ſulphuratis agendum eſt, præſertim in initio & antequam colluvies ſeroſa ſalſa evacuata fuerit.

4. In ſcabie ſicca & nimio pruritu omnia expellentia, enulata, calida, nec non lignorum decocta nocentiſſima ſunt, quia ſymptomatum vehementiam augent.

5. Utilis quandoque eſt pulvis abſorbens ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, conchis præparatis compoſitus, cui commode lac ſulphuris admiſceri poteſt, prodeſt maxime ubi acidum in primis viis exſuperans, auctioris appetitus cauſa fuerit.

CAPUT IV.

De Gonorrhœa.

OBSERVATIONES.

1. EſT involuntarius ſeminis, ſive liquoris ſemini analogi effluxus, ex vitio glandularum ſic dictarum proſtatarum & minimarum glandularum quibus urethra obſita eſt: oritur partim quod ipſæ nimis relaxatæ, partim quod eroſæ & exulceratæ fuerint.

2. Quæ cum dolore, ardore, ſtranguria, laſſitudine corporis ac inflammatione & putredine genitalium ſeminis profluxio fit, virulenta ſeu maligna vocari ſolet, & plerumque impuri coitus fructus eſſe ſolet.

3. Virulentum miaſma, ſuſceptum ex fœdo coitu, protinus genitalibus ſeſe inſinuans, non modo lympham ſeminalem corrumpit & acrem ac putridam reddit; ſed & lymphæ univerſæ in corpore paulatim diſpoſitionem p. n. inducit, hinc ex coagulata putrida acri lympha, carunculæ, verrucæ, puſtulæ, ulcuſcula ſerpentia, glandularum eroſiones, indurationes & tumores teſticulorum, dolores, tumores, ardores circa genitalia oriuntur.

4. In gonorrhœa, quæ dicitur virulenta, languor univerſi corporis fit, ac laſſitudo omnes artus occupat, neque minus robur corporis animique minuitur, manifeſto indicio miaſma illud ex fœda venere contractum putridum, corpori ejuſque vitalibus motibus quam maxime alienum atque inimicum eſſe.

5. Pro diverſitate temperamentorum gonorrhœa non minus quam lues venerea alia habet ſymptomata. In ſanguineis & cholericis, inque ætate juvenili facilius, in melancholicis & phlegmaticis difficilius tractatur. Et vitium hoc, quo altiores habet radices, eo major hujus contumacia animadvertitur,

recens

recens vero malum recte tractatum facili negotio expugnatur.

6. Nil deterius eſt, quam nimis celeriter, ante expulſionem putidi contagii, opiatis aut nimium ſiſtentibus tam internis quam externis, improvide fluxum cohibere. Fiunt inde tumores non modo teſtium, ſed & glandularum inguinalium, & fundamentum luis ſic dictæ venereæ hoc modo ſternitur.

7. Obſervatione conſtat, interdum ipſum ſanguinem cum liquore ſeminali prodire ab apertione forſan vaſorum quæ ad proſtatas abeunt.

8. Notavimus ſeminis copiam cum urina prodiiſſe, adeo ut ingens ſabuli quantitas in ea fuerit reperta.

9. Gonorrhœa male curata ſæpius in veſica ejusque ſphinctere excoriationem vel exulcerationem relinquit, unde continua fit puris viſcidi cum urina effluxio, magno ardore ſtranguria ac dolore comitata.

10. Plerumque ab urina reddita ſævus dolor in collo veſicæ atque urethra ab ejus acredine, eroſas partes nimis ſtimulante, oritur.

Curatio.

1. Præcipua ac prima in hoc morbo Medici intentio eſſe debet, ut tenue ac validiſſimum virus, ſeminalibus partibus inſidens, cito ex corpore expellatur.

2. Læſæ atque relaxatæ nimium partes glanduloſæ roborentur & exulceratæ mundificentur ac conſolidentur.

3. Symptomatum vehementia mitigetur. Hæc omnia exſequi promtum ac facile erit, modo ſequentem in ſumendis medicamentis ordinem obſervemus.

1. Cura inchoanda eſt purgantibus, iiſque, quæ non tantum copiam vitioſi ſeri corpore educunt, ſed & balſamica vi putredini reſiſtunt, quo fine nobis commendare viſum eſt, ſequentem formulam. *Rec. Extracti aloes, gummi ammoniaci, myrrhæ electæ, extracti ellebori nigri, extracti rhabarbarini, mercurii dulcis, balſami de Copaiva ana drachmam ſemis: camphoræ grana xij. Miſce, fiant pilulæ ex drachma ſemis No. 20. dentur.*

2. *Recipe Eſſentiæ ſuccini concentratæ, Eſſentiæ pimpinellæ, balſami Peruviani, Eſſentiæ lignorum, tincturæ antimonii acris ana unciam ſemis, camphoræ drachmam unam, olei ligni ſaſſafras guttas xij. Doſis ſunt ſexaginta guttæ ter de die ſumendæ.*

3. *Recipe terebinthinæ coctæ, rhabarbari Alexandrini, terræ ſigillatæ, coralliorum rubrorum, maſtichis, ſuccini, oſſis ſepiæ, balſami de Copaiva, nitri ana drachmam ſemis, extracti tormentillæ liquidi ſcrupulum unum. Miſce: fiant lege artis pilulæ, de die ter ſumendæ.*

4. *Recipe mercurii dulcis drachm. ſemis, coque in decocto herbæ Thee, detur, ſignetur,* Waſſer zum einſpritzen.

5. Aqua calcis vivæ cum ſaccharo ſaturni, ſpiritu vini camphorato, mercurio præcipitato albo mixta magnum ad arcendam putredinem genitalium, exterius applicatum, eſt remedium.

Cautelæ.

1. Sub temperamento fervido, ætate juvenili, inque regionibus calidioribus & nimio aeris æſtu, abſtinendum eſt fortioribus pellentibus, & balſamis calidis, ſed hæc moderatius, non niſi cum emulſione ſeminum quatuor frigidorum, ſunt uſurpanda.

2. In frigidioribus & torpidis naturis frequentior balſamicorum poterit eſſe uſus.

3. Recente malo & præmiſſa purgatione ac diaphoreſi, nullum remedium facile ſuperius eſt, ipſi ſucco ſempervivi ſeu ſedi majoris ad drachmas duas pro doſi, bis ſingulis diebus, cum juſculo hauſto, item pulvere rubricæ qui cum vino loco vehiculi ſumatur.

4. Gonorrhœæ percuratio exquiſitam victus & vivendi rationem deſiderat, quapropter ab acidis, ſalſis, a fructibus horæis, lacticiniis, carnibus pinguibus præſertim ſuillis, vino quoque, ſpiritu vini, atque ab nimia corporis & immoderata animi motione penitus abſtinendum eſt. Quod etiam tenendum eſt, ſi fluxus jam cohibitus fuerit, alias facile fit recidiva & glandularum inguinalium tumores, præſertim ab abuſu acidorum, inde reſultant.

5. Maximopere in hujus mali cura diſſuadeo, quæ ex ſaturno parari ſolent remedia, ut ſunt ejus ſaccharum, magiſterium, tinctura antiphtiſica Gramanni, utpote quæ paulo majori doſi data, inteſtinorum tonum lædendo, colicam convulſivam cum ilei metu non ſemel ſuſcitarunt.

6. Præſtat inedia & abſtinentia contumacem & inveteratam hanc fluxionem, non omiſſis temperatis lignorum decoctis, tractare, quam adſtringentibus; nam harum uſus utplurimum male cedit.

7. Perverſa quoque eſt curandi ratio, ſi quis nimis cito fluxum hunc ſiſtat, & poſtea vehementiora ſudoriſera ſubjungat, ſiquidem hac ratione putredo ad ſanguinem fertur atque inde bubones & puſtulæ venereæ facile ſimul conſurgunt.

8. In calidis regionibus, & temperaturis ſuccum citri cum oſſe ſepiæ vel conchis præparatis, commendamus.

9. In teſtium magno & duro tumore, præter purgantia mercurialia, fotus ex carminativis & emollientibus parati optimi ſunt, niſi indolem ſcirrhoſam tumor jam induerit.

10. Nihil plus negotii faceſſit Chirurgis & Medicis, ac ſi in meatu urinario carunculæ ſubſiſtunt. Exterius nihil præſtantius eſt cauterio actuali commode per inſtrumentum admoto.

CAPUT V.

De Fluore albo.

Observationes.

1. Fluor albus eſt defluxio ſeri viſcoſi, alias lactei, alias lividi & fœtidi plus minus acris, ſtillantis ex uteri colli glandulis, ob nimiam eorum laxitatem atque ſeri factum ibi decubitum.

Hinc obſtructo narium conſueto fluxu, albus fluor quandoque corripit fœminas: a partu quoque laborioſo, itemque a contuſione contrahitur.

2. Eſt fluor albus quaſi gonorrhœa fœminarum & recte diſpeſcitur in benignam & malignam. Prior ſæpe ſalubriter & critice in ſeroſioribus, inque ſanis virginibus ac mulierculis contingit, & longo tempore ſæpe innoxie durat. Poſterior impurioris veneris ſoboles eſt, quæ arroſione, exulceratione & putredine genitalium, cum inſigni dolore & moleſtia, virulentiam ſuam oſtendit.

3. Chronica ſi fuerit fluxio utplurimum cachexia ſubeſt, quam decolor facies, difficilis ſpiritus, palpebrarum intumeſcentia, corporis laſſitudo ac languor, menſiumque inordinata fluxio produnt.

4. Contumax malum, non modo languorem univerſo corpori, ſed & atrophiam & ſterilitatem infert, plerum-

plerumque vero dorſi dolor hujus fluxionis comes eſt.

5. A fluore albo ſuppreſſo per balnea conſtringentia, aut alia fortiora cohibentia, inſanabilem phthiſin ac inteſtinorum inflammationem ſecutam vidimus.

6. Fluore albo perſeverante, dum durat menſium fluxio, metus eſt gonorrhœæ minus benignæ: ſi vero ante vel poſt ipſam fiat, nec quicquam periculi alit.

7. Notavimus a fluore albo præmature cohibito, inſecutam fuiſſe purpuram, qua ſublata, priſtinus fluxus reverſus eſt.

8. Vidimus quoque ab eodem nimis cito curato, faucium inflammationem cum tumore, quibus curatis, priſtina fluxio in ejus locum ſucceſſit.

Curatio.

Hæc ita debet inſtitui, ut

1. Maxime omnium utero, ejuſque glandulis, tonum ac priſtinum robur reddamus.

2. Intemperiem ſanguinis & humorum corrigamus, ſerique impuri exundantiam per alias vias vacuemus. Ad hunc ſcopum obtinendum, pertinent ſequentia: *Recipe tincturæ ſalis tartari ſive antimonii acris unciam unam, eſſentiæ ſuccini, opobalſami, lignorum, ana drachmas duas, olei ligni ſaſſafras, guttas decem. Dentur guttæ* 40. *vel* 50. *ſingulis diebus.*

3. *Recipe Myrrhæ electæ, Maſtichis, ſuccini, extracti aloes, rhabarbari, balſami de Copaiva, pulveris chacarillæ, antimonii martialis cachectici, ana drachmam unam. Miſce, fiant lege artis pilulæ roborantes.*

4. *Sume radicis chinæ, ſarſæparillæ, ana unciam unam, glycirrhyzæ, unciam ſemis: herbæ meliſſæ, urticæ mortuæ, roſmarini, ana manipulos duos. m. d. ſ. ſpecies* zum Kräuter-Thee.

5. Suffimigia ex maſtiche, tacamahaca, olibano, ſuccino, cinnabari, utero excipiantur.

Cautelæ.

1. Quando ex depravata ventriculi digeſtione ejuſque infirmitate, præſertim poſt longiorem morbum, oritur fluor albus, ſtomachum roborantia, & quæ bene nutriunt, præcipuum locum obtinent.

2. In cachectico corporis ſtatu intendenda quandoque vis purgantis eſt, ſtimulo emetico.

3. Si malignitatis quippiam ſubeſt, ea proficiunt, quæ lui venereæ tollendæ accommodata ſunt.

4. Clyſter uterinus, malo diutius perſiſtente, egregium facit officium. Componi poteſt ſequentem in modum. *Recipe radicis ariſtolochiæ utriuſque drachmas duas, gentianæ, zedoariæ drachmam unam, hederæ terreſtris, centaurii minoris, roſmarini, meliſſæ, arnicæ, artemiſiæ ana manipulum unum: dentur ſpecies pro clyſtere.*

5. Cavendum eſt in omni gonorrhœa, neque minus in fluore albo, a balneis, thermis, atque acidulis, quia interno & externo uſu, ſemper fere malo talia fuiſſe notatum eſt.

CAPUT VI.

De Lue Venerea.

OBSERVATIONES.

1. Lues ſic dicta gallica peculiariter infeſta glandulofis locis, inguina, nec non tunicam glanduloſam faucium, narium, aſperæ arteriæ, uvulam quoque & tonſillas occupat; neque frontis & totius corporis ſubcutaneis glandulis parcit, puſtulas elevando, atque ulcuſcula excitando.

2. In lue hac maxime omnium ipſa oſſa atque eorum membranæ periculum patiuntur, neque tantum pericranium ſed & perioſteum in tibiis acerbiſſimo dolore vexantur, nihilque frequentius, quam quod oſſa ſquamoſa palatina eroſa & conſumta carie intolerabili fœtore commixto conſpiciantur.

3. Sicuti dolores, qui ex decubitu lymphæ fiunt, nocte potiſſimum exacerbantur: ita in lue venerea dolorum faces nocte maxime accenduntur.

4. Ut plurimum ex impuriori coitu fœda hæc lues naſcitur, inque genitalibus primam ſedem figit: interdum vero, ſed paulo infrequentius, niſi in infantili vel puerili ætate, contagione propagatur.

5. In climate frigidiori, præſente cacochymia, gravior & curatu difficilior eſt, in locis vero meridionalibus & corpore bonis ſuccis abundante minus truculenta expeditiorem ſanationem admittit.

6. Multum intereſt, tam in gonorrhœæ quam in luis venereæ curatione, corporum & temperamentorum habere rationem.

7. Quo altiores lues hæc egit radices, & longior fuerit corruptela, ad oſſa tranſiens, eo plus negotii & ægro & Medico faceſſit; recentior vero facilius ſuſcipit ſanationem.

Curatio.

Sequenti methodo inſtituenda.

1. Lymphæ coagulum reſolvendum, & glandulis minimiſque vaſculis inſidens corrodens humor abſtergendus eſt.

2. Putridum & corruptum, quod eſt in ſanguine & lympha, per emunctoria, per ſudorem, per ſalivam & alvum foras propulſandum eſt.

3. Caries oſſium tollenda, & maligna ulcera ſananda ſunt.

Intentioni huic ea, quæ ſequuntur, quadrant.

1. Corpus purgandum eſt pilulis mercurialibus, quæ habent *mercurium dulcem, extractum rhabarbari, ellebori nigri, fumariæ & gummi ammoniacum, ſingulis æquali pondere ſumtis & fiant ex drachma ſemis pilulæ* 20. *alternis diebus ſumendæ.*

2. Mercurius noſter diaphoreticus, cum electuario, vel pilulis ad grana quatuor, vel ſex, ſingulis diebus, mane ſumatur, deſuper bibendo ſequens decoctum, quod *recipit radicis ſarſæparillæ, chinæ, ſcrophulariæ, glycirrhyzæ, ana uncias duas, lapathi acuti, angelicæ, pimpinellæ, leviſtici, ana unciam ſemis: conciſa & contuſa dentur. Harum quarta pars in menſuris duabus aquæ decoquantur, bibendo omni mane poſt uſum mercurii diaphoretici calide menſuram unam; non neglecto regimine diaphoretico.* A meridie finita coctione, idem decoctum ſumendum eſt, ita corpus perpetuo ſudore diffluit, neque facile moleſtus ſalivæ fluxus apparet.

3. Circa noctem tinctura antimonii acris, vel tartari cum camphora ſumatur, miſcendo huic alia ſequentem

quentem in modum. *Recipe tincturæ antimonii acris unciam unam, camphoræ drachmam unam. Dentur guttæ* 80. Urgente dolore & vigilia huic medicamento liquor noſter mineralis anodynus, vel opiatum correctum admiſcendum eſt.

4. Si quis ſalivationis methodo hujus morbi ſævitiam averruncare cupit, is ſequentes regulas teneat neceſſarium eſt.

1. Aſſumatur mercurius valde ſubtilis redditus, qui gravitate ſua non altius inſideat ventriculorum & inteſtinorum plicis, quare loco mercurii dulcis uſitatiſſimi commendamus mercurium præcipitatum album, qui fit ex ſolutione mercurii cum aqua forti facta, adjecto ſpiritu ſalis ammoniaci. Flores quoque mercurii ab Untzero deſcripti magnæ ſunt efficaciæ.

2. Neque adeo magna ſed proportionata ad vires ventriculi & corporis ſumatur doſis.

3. Præparandum prius corpus eſt, exigente neceſſitate vel ſanguinis miſſione, purgatione, imo balneis, dein accurata victus ratio obſervetur, abſtinendo ab omnibus acribus, ſalſis, acidis ſpirituoſis, vino: animus ſit liber ab omnibus affectibus & curis vacuus, aere fruatur temperato. Præſtat quoque in cura tempus vernale & autumnale præ æſtivo & hyemali eligere.

4. Loco potus ſumatur decoctum ex ſarſaparilla, radice chinæ, ſcrophulariæ, glycirrhizæ paratum diſcutiens.

Cautelæ.

1. Affectu magis inveterato exiſtente, non modo ſudoriferorum ſed & ſalivationis uſus longior eſſe debet.

2. Ante ſalivationem tophi ac duri tumores ſunt emolliendi, quod cum balneis tum inunctione balſami antimonii optime perficitur. Caries oſſium pulvere euphorbii, oleo caryophyllorum, vel candenti ferro tollenda eſt.

3. Ubi ſalivatio eſt adhibenda, purgandum prius corpus eſt, antequam ſudoriferis fortioribus tenuiori humido privetur, præſtat vero exhibere ſalivantia cum ſudoriferis, vel potius hæc ſalivationi poſtponere.

4. Tutius eſt abſtinere ab inunctione artuum cum mercurio, nunquam vero caput vel ſpina eſt inungenda.

5. Menſibus inſtantibus nunquam ſalivatio eſt molienda.

6. Prægnantes & pueri ſalivatione abſtineant, neque tamen omni mercurialium uſu ipſis interdicendum eſt.

7. Veſtimenta poſt ſalivationem ſunt mutanda, alias facile fit recidiva.

8. Præmiſſis decoctis & mercurialibus ſanguinem depurantibus, facilius coaleſcunt ulcera.

9. Scorbutici, arthritici, hypochondriaci, ſenes cautiſſime mercurialibus tractandi ſunt.

10. Compeſcitur nimia ſalivæ fluxio pulvere ex floribus ſulphuris & theriaca cœleſti vel exhibito purgante ex manna & rhabarbaro.

11. Ad nimis relaxatam faucium & gingivarum carnem conferunt gargariſmata, quæ parari poſſunt ex radice tormentillæ, maſtiche, ſalvia, ſanicula, agrimonia, foliis myrti, radice glycirrhizæ, paſſulis.

12. Ad ulcera corrigenda venerea in faucibus nihil præſtantius eſt, aqua calcis vivæ cum ſaccharo ſaturni, & mercurio præcipitato albo. Vitæ quoque balſamo, inungi frequentius exulceratæ faucium & uvulæ partes nec non amygdalæ debent.

13. Quando incipiunt oſſa ſquammoſa & palati corrodi & ſecedere, ipſiſque acerrimus inſidet humor, ſiphone ſpirituoſum balſamum injiciendum eſt, quod a corruptione imminente has partes eximie tuetur atque defendit.

CAPUT VII.

De Cancro.

Observationes.

1. Cancer glanduloſas maxime partes & membranarum ſtrata aggreditur, lente eorum texturam & ſubſtantiam corripiendo: Et eſt nihil aliud, quam tumor glandulæ ſcirrhoſæ in putredinem corroſivam abiens.

2. Levis ſæpe & minima cancri eſt origo dum ad ſubitum terrorem in mamma tuberculum exoritur, quod perperam externis tractatum in majorem duritiem abit.

3. Vidimus ſæpe in fœminis ex diuturno mœrore, ac menſibus ceſſantibus, principia cancri in mammis exorta quæ neglecta, vel minus recte tractata in perfectum cancrum accreverunt.

4. Glandularum tumor, ſi ſuppurationi reſiſtit, neque vult diſcuti, peſſimæ notæ eſt.

5. Tumor glandularum indolens ſi increſcit, dolere incipit & humorem fundit, imminet exulcerationis periculum.

6. Mammarum tubercula non temere & inconſulto calidis, humidis, oleiſque tractanda ſunt, alias facile inflammantur, quæ inflammatio repellentibus profligata majorem affert duritiem adeoque malignitatem.

7. Liquor, qui exſtillat ex glandulis, plerumque corroſivus admodum eſt, ut lintea inſtar aquæ fortis interdum corrodat & friabilia reddat.

8. Mammarum cancer ſæpe ingenti dolore, per intervalla plus minus erumpente, ſtipatus eſt. Conſtans & longior plerumque poſt ſe trahit hecticam.

9. Differt cancroſum ulcus ab alio ulcere mammarum, quod a lacte ſtagnante fit, dum minoris hoc periculi eſt. A ſanguine vero putrefacto & partes conterminas corrumpente fit cancer.

10. Propagato ulcere ad alas mors certo denunciari poteſt, hanc lipothymiæ antecedunt.

11. Putrefactionem in cancro præſentem intolerabilis fœtor arguit.

12. Neque cancer cum alio ulcere mali moris antiquo, fiſtuloſo, carioſo vel venereo eſt confundendus.

13. Qui cancro moriuntur plerumque lipothymiis frequentibus ita debilitantur, ut ex nimia animi defectione tandem diem ſuum obeant.

Curatio.

Eo dirigi debet, ut dirum hoc malum corpore arceamus, cavendum vero eſt, ne præſens ſi ſit irritemus.

1. Præſervant ab hoc in plethoricis venæ ſectio quæ maxime in fœminis ipſis, deficientibus menſibus locum habet.

2. Præſervat quoque infuſi herbarum ſanguinem corrigentium frequentior uſus.

3. Maxime vero vindicat corpus ab hoc vitio animus quietus ac tranquillus.

4. Præſente malo hæc omnia quoque obſervanda ſunt & externe emplaſtra, quæ ſaccharum ſaturni, ceruſſa, minium, item crocus martis adſtringens ingrediun-

grediuntur, applicanda ſunt.

5. Pulvis bezoardicus nitroſus cum camphora mixtus crebrioris ſit uſus, utpote qui ad arcendam inflammationem, putredinem atque dolorem ſedandum plurimum valet.

6. Nullum remedium certius & præſentius eſt ad curandum cancrum, quam ejus circumſpecta a periti manu facta exſtirpatio.

Cautelæ.

1. Nunquam irritandus occultus cancer eſt acribus, eo quod ſemper affluxus & corruptio augeatur. Unde omnia corroſiva exedentia, venerea, arſenicalia tantopere celebrata exulent.

2. Exterius repentinus progreſſus ſerpentis veneni compeſcendus eſt, & morbus ſaltem longius protrahendus, ſi curari nequeat.

3. Opiata anodyna & exterius & interius minus proficiunt, quia vim putredinis augent.

4. Exterius repentinum progreſſum ſerpentis veneni compeſcere oportet, & malum incurabile tantum longius protrahendum.

5. Exſtirpationis remedio dum demum relictus eſt locus, cum una alteraque glandula fuerit obſeſſa, ubi vero ad plures ipſaſque ſubalares & muſculos pectorales atque intercoſtales ſerpſerit contagio, mortem accelerat dilata crudelitas.

5. Si ſectio locum habet, mature, non vero ſero, & poſtquam omnia conclamata ſunt, ad eam eſt accedendum.

CAPUT VIII.

De Bubonibus.

Observationes.

1. Tumores, qui in glandulis inguinalibus conglobatis reſident, & a nimia diſtenſione minimorum, quibus conſtant, vaſculorum a ſuccis ſtagnantibus fiunt, vocari ſolent bubones.

2. Bubones ſunt maligni vel benigni. Priores ſunt peſtilentiales. In chronicis virulentiæ quoque non expertes ſemper ſunt, ſicut luis illæ pernicialis gallicæ & virulentæ gonorrhœæ bubones frequentia ſunt ſymptomata.

3. Benigni iique critici, haud raro ab eryſipelacea febre, neque minus a terrore exoriuntur. Utrique, ſi cum ſymptomatum fiunt remiſſione, ſalutares ſunt, vi morbi inde multum fracta. Si vero malum ab earum eruptione vel perdurat vel recidivam patitur, ſymptomatici a Practicis vocari ſolent, & peſſimæ notæ ſunt.

4. Caute judicium formandum eſt, bubonibus prorumpentibus, graſſante peſte. Conſultius tum eſt ad omnia ſigna attendere, neque ex ſola tumoris inguinalis eruptione peſtis præſentiam adſtruere.

5. Perniciale ſignum eſt bubonis peſtilentialis ſi plumbeus vel lividus circulus illos ambit, ſique recedunt, ſemper tunc ægri ſe deterius habent.

6. Differt bubo ab hernia inteſtinali, quia hæc mollis & indolens obſervatur & ſumto inflante cibo increſcit, & decubitu in dorſo diſparet, in bubone vero eſt dolor & tumor continuus.

7. Bubones venerei a gonorrhœa male curata & per adſtringentia vel ſaturnina intempeſtive cohibita naſci ſolent, inde fit ut miaſma illud venereum retentum ſuccos in minimarum glandularum vaſculis coagulans, ingentem tumorem producat.

Curatio.

1. Tumores inguinalium glandularum cito, ſi fieri poteſt, diſcutiantur, vel ad maturitatem diſcuſſione negata reducantur: poſtea abſceſſus aperiendus mundificandus & conſolidandus eſt.

2. Ad diſcuſſionem multum facit potens ſudoriferum, ut eſt ſpiritus Buſſii, cornu cervi ſuccinatus, aut noſter bezoardicus.

3. Exterius diſcutiendi facultate pollet, præter ſpiritum vini camphoratum, cataplaſma ex radice ſigilli Salomonis, iridis florentinæ, bryoniæ, herba chærefolii, petroſelini, farina fabarum, floribus ſambuci, baccis lauri, ſemine carvi, camphora, cum vino vel aceto paratum.

4. Ad maturationem vero bubonum conducunt emollientia, ut ſunt emplaſtrum diachylum ſimplex & cum gummatibus, cataplaſma ex melle, croco, cepis torrefactis, & theriaca paratum.

5. Proſunt quoque animalia viva diſſecta, & loco affecto admota.

Cautelæ.

1. In bubonibus, præſertim qui motu naturæ critico & cum febre fiunt, nunquam venam incidere, vel alvum valide ducere convenit, neque magis repellentibus locus eſt relinquendus: facillime enim materia, quod ſæpe infeliciter cedit, repellitur.

2. Omnia quæ acredine & irritante principio imbuta ſunt, nec non ex arſenico, & argento vivo parata, exteriori applicatione plus exitii, quam emolumenti afferunt. Potius dolor ſiſtendus ac materia acris digerenda & temperanda eſt.

3. Bubones, qui venereæ luis ſocii ſunt, quandoque vix intra menſis ſpatium in ſuppurationem abeunt. Opus tunc eſt validioribus emplaſtris quæ gummata acria, ut ſunt opopanax, euphorbium habent.

4. Maturatione facta abſceſſus eſt aperiendus, neque tam diu ſinendus eſt, donec ſua ſponte aperiatur.

5. Quando venereus bubo non ſatis mature aperitur, interdum dolor coxendicis cum febre continua & vigilia fit, naſcitur quoque ſæpius ex abſceſſu fiſtula.

6. Inciſo vaſe lymphatico ſtillicidium continuum fit lymphæ.

7. Illa methodus & ratio curandi bubones valet etiam de tumore glandularum axillarium.

CAPUT IX.

De Parotidibus.

Observationes.

1. Tumores glandularum ſalivalium, quæ in genis reſident & parotides vocantur, hoc nomine inſigniri ſolent.

2. Parotides utplurimum acutis morbis ſupervenimunt, rarius vero ſalutares utiles & critici ſunt, ſed potius vehementiam mali declarant: unde ſymptomaticæ dicuntur, utpote cum morbum non ſolvant, ſed propter intenſum dolorem & generis nervoſi vicinitatem ſymptomata augeant. Neque etiam crebro tuta eſt ad ſuperiores partes ab inferioribus translatio.

3. In peſte atque malignis parotis plerumque eſt

funeſta, præſertim ſi ſuppurationi reſiſtit.

4. Bonum earum ſignum eſt, ſi vehementia ſymptomatum ſe remittat ac febris minuatur.

5. In infantibus facilius abeunt in abſceſſum, difficilius in adultioribus.

6. Sæpe prorumpunt parotides citra febrem & inflammationem, in adoleſcentibus apricatione gaudentibus, mox nocturno frigori corpus objicientibus.

Curatio.

Tumor parotidum non aliter ac tumor glandularum inguinalium tractandus eſt, quemadmodum in ſuperioribus docuimus.

Cautelæ.

1. Præſervant in acutis a parotidibus ſanguinis miſſiones & laxationes alvi cum manna & rhabarbaro. Minus recte tractata parotis, quam maxime in ſcorbutico & ſene, in ulcus calloſum mali moris inque fiſtulam abit.

2. Sicuti in omnibus glandularum tumoribus, ita etiam in parotidibus, caute mercandum eſt cum mercurialibus.

3. Parotidis abſceſſus in aure maturius aperiatur: alias, nimis magnus redditus, viam ſibi deorſum parit indeque gravior & acuta fit febris.

4. Id habent glandularum colli, nec non aurium tumores, ut paucas ſæpe intra horas in immanem molem excreſcant, fugaces vero ſint & mox evaneſcentes.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE

CATARACTA.

Primùm edita Anno 1729.

PROOEMIUM.

OMNIA organa viſceraque corporis humani ita ſunt comparata, ut propter ſtructuram, elegantiam, ac diſpoſitionem, actionibus viventium perficiendis aptam, ſummam admirationem excitare queant. Quo diutius enim & attentius ea conſideramus, eo major & frequentior nobis fit occaſio, eorum intuitu obſtupeſcendi, ac ineffabilem Summi Creatoris Sapientiam ac Bonitatem admirandi celebrandique. Differunt quidem ratione formationis ac uſus; aliæ enim requiruntur partes ad perficiendum auditum, aliæ ad reſpirationem, aliæ ad circulationem ſanguinis; mutua tamen æmulatione quaſi invicem certant, ut difficillimum ſit ſtatuere, quænam earum ſtructuræ elegantia, ac ſymmetriæ mechanicæ excellentia, reliquas antecellat: Nullum certe organon præ aliis magis ſe diſtinguit, quam Viſus, non ſolum ratione nitoris, ſplendoris, ſed etiam artificioſiſſimæ ſtructuræ. Quid enim utilius jucundiuſve, quam omnia, totius hujus univerſi opera ac creata, intimius paulo perluſtrare? Viſu incommoda proſpicimus, proſpecta poſtea avertimus; & gratiſſimo rerum aſpectu mentem oblectamur. Recte itaque Orpheus oculos naturæ Speculum, Plato partes diviniſſimas, Alexander Peripateticus animæ feneſtras nominarunt. Cum vero tam multæ & variæ partes ad oculum conſtituendum concurrant, quæ teneriores longe & exquiſitioris ſenſus quam vix in ulla alia; mirum non eſt, nobiliſſimum hoc viſus organon, tam ab occurſantibus externis injuriis, quam a cauſis internis facile ac ſæpe lædi, & ob id multis admodum obnoxium eſſe morboſis paſſionibus, penitiori indagine merito dignis. Sed nimis longum foret, ſi omnia quæ in oculos cadunt vitia evolvere niterer, inprimis cum Magnif. Dn. Præses præcipua ex illis peculiari diſſertatione haud ita pridem jam excuſſerit. Hinc ex omni cenſu tantum primarium quendam affectum, viſu omnino privantem, Cataractam puto, breviter perluſtrandum mihi in præſentiarum elegi. Quem quidem laborem, ut in me ſuſciperem, induxerunt me cum aliis lites de origine & ſede hujus mali, etiamnum inter Chirurgos vigentes, dum multi adhuc Recentiorum

tiorum

tiorum cauſam Cataractæ, in pellicula, liberam radiorum ſolarium viam impediente, quærunt atque conſtituunt, quod tamen cum depoſitione & reſolutione minime convenit, uti ex enucleatione propoſiti thematis pluribus patebit. Annuat itaque Divinum Numen conatibus meis, largiatur benigniter vires, ut cœptus labor in ejus gloriam, & proximi commodum cedat!

§. I.

VOx Cataractæ, ut ab ejus nominis notione exordiar, origine græca, & ſecundum nonnullos derivatur a καταῤῥάσσω, id eſt, cum impetu decido, ut obex quo porta obfirmari ſolet & valvæ, quibus aquæ irruentis vim cohibere intendimus; vel, ut aliis placet, a καταῤῥέω decido, delabor. Apud Latinos, ut CELSUM & PLINIUM, ſuffuſio ſeu ὑπόχυμα, Gallos Cataracte, Germanos der Staar audit. Eſt autem cataracta vitium viſus cum mutatione coloris naturalis pupillæ, vel in albicantem, vel gryſeum, glaucum, & margaritæ ſimilem; quo fit, ut radii luminis minus colligi, & ad retinam transferri poſſint: Quodnam vero præciſe Cataracta ſit, ex ſequentibus patebit.

§. II.

Circa Cataractæ genium & formationem valde Autores diſcrepant, inque diverſam abeunt ſententiam. Veteres, ut AEGINETA *lib. VI. cap.* 21. notante quoque WOLLHOUSIO, *in Diſſert. de opthalmicis*, Cataractam definit, quod ſit concrementum, ſive concretum, in cornea membrana, juxta pupillam, ab impuris humoris aquei particulis genitum, quod a nonnullis ad polypoſam concretionem refertur, quo radiorum luminarium ingreſſus in oculos intercipitur.

§. III.

Autores medii ævi, pelliculam eſſe perhibent, aqueo humori innatantem, a cujus parte craſſiori heterogenea & coagulata eandem derivant, quæ, ubi ex parte tantum pupillæ obvertitur, viſum imminuit, ubi vero toti prætenditur, omnem adimit, & cœcitatem inducit. Recentiſſimi vero Scriptores, uti ANTOINE MAITRE JAN, vid. *Hiſt. Acad. Reg. Scient.* 1706. *pag.* 15. 1707. *pag.* 27. *Memoir. pag.* 654. 731. 1708. *pag.* 47. 1709. *pag.* 27. experientia & inſpectione cadaverum crebra edocti, ſedem Cataractæ non in humore aqueo, ſed potius in cryſtallino eſſe perhibent, huncque opacum, induratum, extenuatum, & emarcidum contendunt.

§. IV.

Quænam autem ſententia præ altera veritatis fundamento nitatur, quæque in theoria pariter ac praxi inſigniorem obtineat uſum, nunc indagabimus. Quod attinet opinionem Veterum, dicimus: illam ex parte tantum veram eſſe, & ex oculorum, Cataracta tantum ſpuria quondam obſeſſorum, inſpectione ita apparere, ubi concretionem quandam materiæ intra humorem aqueum, aſt raro, obſervarunt nonnulli. Cataracta etenim ſpuria, quæ eſt polypoſa quædam concretio, aqueo innatans & ad depoſitionem minus apta, Veterum ſententiam aliquo modo defendere videtur.

§. V.

Quod concernit alteram theoriam de ſuffuſione, ubi aliqui Recentiorum ſtatuminatum eunt, in humore aqueo exiſtere pelliculam, hæc minime probari poteſt. Neſcio ſane, qua ratione pellicula in foramine uveæ, vel ante, vel pone, generari poſſit, cum nihil adſit, quod cohæſionem particularum fibroſarum ab impuritate humoris aquei collectarum, preſſione efficiat. Vis quoque contractilis uveæ minime concedit, ut illud in margine uveæ, vel interdiu, vel noctu appoſitum, in veram membranam mutari queat, nec datur adminiculum, quo mediante, hæcce materia in membranam ſolidam compingi ac mutari valeat, imo ipſa operatio teſtatur pelliculam non ſine uveæ læſione abradi ac deponi poſſe, licet ſumma præcautio ab operatore adhibeatur.

§. VI.

Sequitur nunc indaganda recentiorum de Cataracta opinio, in opacitate humoris cryſtallini quærenda, quam veriſſimam ac certiſſimam eſſe aſſerimus, hac tamen cum differentia, quod per Cataractam ut plurimum, non autem ſemper, opacitatem humoris cryſtallini intelligere velimus, ſiquidem dantur caſus, ubi aliquando loco lentis cryſtallinæ opacæ, concretum quoddam, (conf. §. II.) in humore aqueo obſervatum fuerit. Cataracta itaque deſcribi poteſt, quod ſit ut plurimum opacitas lentis cryſtallinæ, raro concrementum, multo minus pellicula, viſualium objectorum radiorum tranſitum ad retinam, pro efformanda imagine, præpediens. Hanc opacitatem lentis probare videntur. 1) Figura illius cum lente conveniens; figuræ etenim eſt rotundæ, pellicula autem ſi adeſſet, irregularem plane obtineret figuram. 2) Colorem habet cum lente cryſtallina communem. 3) Situs, locusque ejus fixus, conſtanter enim Cataracta attritu oculi capitisque conquaſſatione ſuum obtinet ſitum, cum membrana ſi eſſet, omnino fluctuaret. 4) Si oculus oblique obvertitur luci, circulus quidem obſervatur niger umbroſus, qui indicat, Cataractam non in humore aqueo, ſed in cryſtallino, tanquam in loco profundiori, hærere. 5) Cataracta nonnunquam eandem cum lente cryſtallina obtinet convexitatem. 6) Ipſa intruſio acus, ab omnibus adornata autoribus, aſſertum meum affirmat, quia oculus non perforatur in parte antica, hoc eſt, pupilla, ubi aqueus hæret, ſed per ſcleroticam retro cryſtallinum, adeoque poſt tunicam uveam intruditur ad deponendam cataractam. 7) Si eſſet membranula, tunc ſine humoris cryſtallini perforatione & divulſione deprimi non poſſet, unde neceſſario operatione inſtituta, nunquam rediret viſio cum tamen contrarium fieri animadvertamus. 8) Experimenta denique ſæpius cum oculis defunctorum Cataracta obſeſſis a Gallis hoc ſæculo ab ANTONIO MAITRE JAN *in tract. de oculor. morbis pag.* 110. & Pariſiis coram Societate regia (vid. §. 3.) ſatis ſuperque declarant, Cataractam revera nil aliud eſſe, quam opacitatem, indurationem cryſtallinæ lentis, minime vero pelliculam.

§. VII.

Theoria hæc ab ANTONIO MAITRE JAN & BRISSÆO in lucem protracta, ante 70. & ultra annos QUARRÆO, Medico & Chirurgo Pariſienſi celebri, jam innotuit, qui eandem Pariſiis in publicum evulgavit. Cui aſſentitur etiam ROLFINCKIUS in *Diſſ. Anatom. lib. I. cap.* 3. *pag.* 175. qui inventum hocce binis vicibus ſua in oculis defunctorum apertis autopſia,

topſia, confirmat, ut & NUCKIUS *Experim.* 7. hanc ſententiam, licet obſcure, foviſſe videtur inquiens: Quandoque malum in ipſo humore cryſtallino hæret, hujus antica ſuperficies opaca reddita colorem mutat, ſalvo manente humore aqueo. Licet quidem præfatus NUCKIUS hanc opacitatem lentis non pro Cataracta venditet, ſed pro cryſtallini humoris obſtructione a particulis terreſtribus habeat, attamen re probe examinata, revera cum citatis ſuperius Autoribus coincidit. Ex quibus intelligimus, inventionis hujus novi Syſtematis gloriam, nec ANTONIO MAITRE JEAN nec BRISSÆO, aliiſque recentiſſimis, ſed QUARRÆO, & ROLFINCKIO eſſe tribuendam. Ubi ſciendum, novæ hujus opinionis ruſpatores inter ſe non adeo convenire, ſiquidem alii ut ANTOINE MAITRE JEAN & BRISSEAU, HEISTER. in Diſſ. de Cataracta, perhibent, humorem cryſtallinum continuum manere, & in totum reddi opacum. Alii ut DE LA CHARRIERE *operat. Chirurg. cap.* 29. volunt, præſente Cataracta, pelliculam quandam a lente ſecedere opacam, inque humore aqueo fluctuare, quod ex ſtructura cryſtallini humoris, liberiori aëri per aliquod tempus expoſiti, & in lamellas ſatiſcentis patet.

§. VIII.

Nova hæc hypotheſis, uti communis mos eſſe ſolet, nacta fuit adverſarios, inter quos præcipuus eſt WOOLHOUSIUS, qui in *Diſſ. ophthal.* innumeris experimentis, & ratiociniis illam evertere ſtudet. Quem tamen præter ANTONIUM MAITRE JEAN & BRISSÆUM, Clariſſ. HEISTERUS *in alleg. diſſ.* ſolide refellit. Fundamentum, totius controverſiæ, variorum Autorum animum torquens, poſitum eſſe videtur in lente cryſtallina: quam plerique Phyſicorum & Medicorum fingunt, eſſe inſtrumentum, ad viſum neceſſarium, adeoque ſine illius detrimento, nunquam abeſſe poſſe. Quæritur itaque, num humor cryſtallinus ad viſum adeo ſit neceſſarius, ut illo deficiente pereat viſio! Ad hoc reſpondemus: lentem cryſtallinam ad completionem viſus potius, quam ad ſummam neceſſitatem contribuere, exemplo cameræ obſcuræ completæ, in qua tantum duo vitra lentiformia ad repræſentationem imaginum, in oculo vero humano cum tres ſint, facile uno carere poſſumus humore. Quis tamen præ cæteris abeſſe queat, paucis demonſtrabimus.

§. IX.

Jam noto notius eſt, aquei humoris effluxum, ut & vitrei deſtructionem, omnimodam cœcitatem poſt ſe trahere; lentis vero cryſtallinæ læſio & ablatio viſum non prorſus adimit. Probat hoc Cataractæ depoſitio ubi lens cryſtallina ad fundum oculi deponitur, ſine detrimento viſus notabili. Experimento quoque HUYGENIUS, oculo artificiali inſtituto, humorem cryſtallinum ſumme neceſſarium non eſſe, probat, ubi ſepoſita lente cryſtallina ex oculo artificiali, objecta tamen poſtea viſu percipere potuit, tantum non adeo diſtincte & perſpicue. Ex quo experimento pateſcit, cryſtallinum humorem ad viſum non adeo eſſe neceſſarium, ſed tantum ejus completioni, proindeque viſui accuratiori inſervire. Hinc dejecta Cataracta, ſeu opaca lente, viſus quidem redit, ſed non adeo accuratus; ſiquidem qui ab hoc malo liberati ſunt, majora bene diſtinguunt, ſed minutiſſima objecta haud accurate diſcernunt, hinc opus habent vitro convexo, quo mediante accuratioris viſus defectus compenſatur.

§. X.

Demonſtrata Cataractæ vera indole; ac natura, competit illam probe diſtinguere ab aliis affectibus, cum quibus cognationem quandam habere videtur; v. g. a Gutta ſerena, vel Amauroſi, germanis der ſchwartze Staar/ ubi nullam læſionem in oculo percipimus, ſed ratione coloris, nitoris externi, alteri æqualis eſt, viſus tamen abolitus reperitur. A leucomate, vel albugine, quæ eſt affectus corneæ, inæqualis ob maculas, ac cicatrices exterius apparentes, redditæ; Ab Ungue, ubi extra corneam præternaturalis orta membrana. Ab Hypopio, in quo materia purulenta in camera anteriori fluctuat, & humorem aqueum reddit turbidum; a Glaucomate, quod malum ſenibus familiare, & vitium humoris vitrei, in ejus opacitate. & colore glauco conſiſtens, Germanis, ein Katzen-Auge / oder der graue Staar.

§. XI.

Antequam cauſas Cataractæ inquiramus, haud inconſultum fore arbitror, ſi brevem quandam lentis cryſtallinæ, in qua Cataractæ ſedes quærenda, deſcriptionem præmittam. Corpus autem eſt ſumme diaphanum, utrinque convexum, magis tamen in parte poſtica, quam antica, in vitrei humoris ſinu blande decumbens, ſolidius vitreo, ligamento ciliari libere ſuſpenſum, ejuſque ope mobile, ex variis lamellis arcte invicem cohærentibus conſtans, in propria membrana cum ſequentis humoris continua, quaſi in vagina, ne e loco & ſinu a lapſu & concuſſione capitis, cedere queat, (a RUYSCHIO cryſtallina, ab aliis arachnoidea vocata) tenetur. Hujus jam allegati veritatem RUYSCHII injectiones ſubtiliſſimæ detexerunt, quod non ſolum jam dicta membrana arachnoidea, ſed etiam ipſe humor cryſtallinus, variis ac multis vaſis, non ſanguinem, ſed limpidiſſimum humorem lymphaticum viſcidum vehentibus, gaudeant; qui humor glutinoſus quaſi, inter laminas ſecretus, ſimul cum vaſculis intertextis combinationem, & cohæſionem lamellarum efficit: lamellæ lentis, ex quibus conflata, in exſiccato, vel cocto cryſtallino demonſtrari poſſunt, qui ad ſimilitudinemceparum decorticari poteſt; vid. Magnif. DN. PRÆSIDIS inſtituta cum lente cryſtallina certe curioſa experimenta, *in Diſſ. de morbis oculorum præcipuis* §. 21. allegata.

§. XII.

Cauſa hujus affectus proxima eſſe videtur, vel obſtructio vaſculorum ſubtiliſſimorum, non tunicam ſolum vitream perreptantium, ſed etiam eorum, quæ in corpus intrant, vel etiam concretio eorum, quando vaſis nutrientibus ruptis, aut alio modo deſtructis, vaſcula lentis inaniuntur, collabuntur, concreſcuntur, ac pori illius ita immutantur, ut ad radios tranſmittendos inepti fiant, lenſque opaca & minor reddatur. Remotæ eſſe poſſunt cauſæ, omnia, quæ calorem in oculo vehementer augent, circulationem humorum in oculo impediunt, quo vaſcula conſtringuntur, exſiccantur, concreſcunt, ac ſucceſſu temporis opacitatem inducunt, ut ab aqua fervente, in oculum incidente, pulvere pyrio, fulgure, &c. Omne porro id, quod circulationem in lente reddit difficiliorem, ut affluxus humorum verſus caput, & ſubſequentes ophthalmiæ vehementiſſimæ, mœror, triſtitia &c. Hinc vitio huic frequentiſſime expoſiti ſunt illi, qui periodicis cephalalgiis, continua acri humorum ad oculum defluxione, moleſtantur; illique qui ignis moleſtias & injurias ferunt, ut Fabri, Chymici, Metallurgi, Campanarii, conf. RAMAZZINUS, *de morbis artificum.* ANTONIUS MAITRE JEAN qui-

quidem, *pag.* 125. 127. 153. pro vera Cataractæ cauſa, venditat acidum: Cataractam, inquiens, eſſe opacitatem cryſtallini, ab humore acido productam, qui inſinuando ſe in poros cryſtallini diſſolvit fermentum ejus radicale, conjungit particulas molles, fibras ejus componentes, eas indurat, exſiccatque &c. An vero recte ſenſerit, cujuſvis judicio relinquo.

§. XIII.

Variæ apud Authores differentiæ occurrunt Cataractæ, notabiles autem & veras ſolum notare volumus. Idcirco incipiens nobis vocatur, ubi quandam imbecillitatem viſus ægri accuſant, ob lentem obſcuratam, cujus ſigna enarrantur. §. XIV. Confirmata, ubi pupilla perfecte jam opaca fuerit, ſoliditatem debitam obtinuerit, minimeque ægri objecta, vel lucem e tenebris diſtinguere poſſint. Spuria, ubi concrementum in humore aqueo. vid. §. II. vel mucoſa quædam materia in humore aqueo contenta, quæ impedit, quo minus radii ad retinam recta linea transferri poſſint, extraordinaria quoque habet ſymptomata. Particularis, ubi maculæ albicantes in pupilla obſervantur, ut ex parte modo lens obſcuratur; Vera, totalis, & matura vocatur, ubi tota lens mutavit naturalem colorem, perfecte reddita opaca, alioſque colores induit, ut albicantem, gryſeum, glaucum, vitreum, quandoque flavum, viridem, chalybeum, caſtaneum, & nigrum. Optima vero Cataractæ notæ ſunt, quæ cinericiæ & perlarum inſtar coloratæ.

§. XIV.

Signa Diagnoſtica recentis ac incipientis Cataractæ, ex relatione partim ægrotantium, partim ex aſpectu, novimus. Ex hoc; ſi in pupilla nigritiei mutatio quædam, non vero perfecta opacitas, obſervatur. Ex illa; ſi quandam hebetudinem, ſeu turbationem oculorum accuſant, ac ſi per fumum, vel nebulam tranſpiciant, ut minora non recte diſtinguere poſſint, donec ſucceſſu temporis, nebula facta denſior, qua omni viſu privantur. Quibuſdam in principiis punctula nigra, muſcæ volantes, aranearum telæ, filamenta, flocci in aëre hærentes, ob oculos obvolant. Alii objecta externa diviſa & multiplicata vident; opacitas enim, ſi in medio exiſtit, diviſum quaſi repræſentat objectum. Alii tenuem telam ob oculos expanſam habere putant, quæ magis magiſque accreſcit, ac denſitatem majorem induit, donec omnis viſus ademptus, & ad maturitatem flectit Cataracta.

§. XV.

Tempus vero, quo venit ad maturitatem Cataracta, non abſolute determinari poteſt, in nonnullis citius, in aliis tardius. Paulus Barbette, *in Chirurgia c.* 16. contendit, tribus primis annis Cataractam adeo mollem eſſe, ut acus ductum ſequi recuſet, aſt poſtea eam duritiem aſſumere, ut nulla arte ſolvi queat. Nunc intra annum unum, vel alterum, nunc intra aliquot menſes, pro varietate humorum, diſpoſitione corporis, externorumque irruentium impetu, ad maturitatem pertingit, proindeque depoſitioni apta fit. Si enim lens nondum perfecte opaca, ob mollitiem vim acus ſuſtinere non poteſt, ſed facile dilaceretur, ac in fruſta ſecedit. Fernelius *Lib.* 5. *Pathologiæ cap.* 5. & Fabricius Hildanus, *Cent.* 5. *obſerv.* 14. habent exemplum ſuffuſionis, unius ſpatio diei exortæ ac maturatæ.

§. XVI.

Pro variarum circumſtantiarum & cauſarum ratione, prognoſis quoque admodum eſt dubia. Si lens ad maturitatem pervenerit, minimeque margini uveæ adhæreat, facili modo acu deponi poteſt ab experto Chirurgo. Si vero pupilla ſemper manet immobilis, quod exploratur, ſi palpebræ clauſæ leni frictione agitentur, iiſque apertis, oculus ſubito inſpiciatur, & in tenebris, neque amplior, neque in clara luce anguſtior facta, ſed ſemper manſerit ejuſdem magnitudinis, tunc ut Chirurgus operationem non ſuſcipiat, eſt ſuadendum. Idem tenendum, ſi fuſtis ictu vehementiori, inſtrumento gladiatorio, excitata fuerit. Porro in ſenibus, cachecticis, ſcorbuticis, iiſque qui continuis capitis doloribus & ophthalmiis frequenter exercentur, depoſitionem reſpuit omnem Cataracta. Depoſitionem quoque recuſat, quæ colore gaudet cœruleo, vel immatura, ac incipiens eſt. Cataracta itaque ad deponendum apta, cenſetur illa, quæ colorem obtinet margaritæ ſimillimum, aut ad cineritium inclinat. Et operatio cum certa ſucceſſus ſpe inſtituitur, ſi ſubjectum mediæ ætatis, bonis ſcateat ſuccis. Ac in his etiam, ſi vitium non adeo obfirmatum, ſolis interdum remediis, ſine operatione cataracta tollitur. De quo tamen jam pluribus.

§. XVII.

Provolvimur igitur ad Cataractæ ablationem, & ſanationem, quæ apud practicos duplicis eſt generis; medicamentis, aut operatione. Ad ſanationem per medicamenta, incipiens requirenda, ubi lentis obſcuratio nondum eſt plenaria, vaſa nondum rupta, vel in ſolidas fibras concreta, æger in media adhuc ætate conſtitutus, maculæ albicantes modo apparent in pupilla, patienſque non omnem viſum amiſit, ſed lumen a tenebris diſtinguere poteſt. Ab Antonio Maitre Jan & aliis curatio per medicamenta tanquam fruſtranea rejicitur; perpenſis vero jam dictis circumſtantiis, tentare omnino poſſumus, an per medicamenta convenientia obſtructa vaſa reſerari poſſint, aut ad manus curationem confugiendum ſit. Et certe varii Autores affirmant, quod ſæpius Cataractæ incipientes, medicamentis ſanatæ fuerint; vid. Celsus *lib.* 7. *cap.* 7. Paræus *lib.* 16. *cap.* 19. putat, quod radii luminares, vel refracti a corpore ſplendenti, pupillam caſu fortuito intrantes, incipientem tollere poſſent. Aquapendens *in Operat. Chirurg.* 6. *de ſuffuſ.* commendat ſuam cucurbitam ocularem, cujus beneficio medicamenta applicari vult, & magnam exinde promittit utilitatem. Nuckius *in Experim. Chirurg.* infuſum croci metallorum, & ſanguinem columbinum calide inſtillatum commendat. Noſtri quoque ævi Practicorum experientia teſtatur, quod incipientes ſanationem per medicamenta interdum non reſpuant ſed malum tollant.

§. XVIII.

Jam non abs re erit, ſi medicamenta tam interna, quam externa, hunc in finem proficua, paucis recenſeam. Ad reſerandam itaque lentis ex parte opacæ obſtructionem, & materiam peccantem eliminandam, conducunt. 1) Laxantia & evacuantia, ex materia medica nobis nota. 2) Sudorifera, & ſanguinem purificantia, ac corrigentia, ut decocta lignorum, infuſa theiformia &c. 3) Errhina, quæ humores abundantes non modo derivant, ſed per os, & nares etiam educunt. Boylfus *in Philoſoph. Experiment.* teſtatur, ſolo turpetho minerali Paracelſi ad grana tria, naribus attracto, multos a

cœcitate curatos fuiſſe. 4) Collyria, ex aquis ophthalmicis parata, ut aqua euphraſiæ, chelidonii majoris, valerianæ, fœniculi, cyani, roſarum, *l'eau d'Arquebuzade*, aqua Reginæ Hungariæ ſufficienti quantitate aquæ fœniculi & roſarum diluta: Vinum rubellum cum ſemine fœniculi decoctum, tepide inſtillatum oculo. Halitus fœniculatus, juniperatus, caryophyllatus, vapor infuſi thee & coffe. 5) Maſticatoria ut cubebæ, myrrha, maſtix, radix pyrethri, zedoariæ, angelicæ, carlinæ, acori veri; utrum vero ex horum uſu magna utilitas ad noſtrum ſcopum quærenda ſit, docebit, qui periculum faciunt, experientia. Si tamen internis aliquid obtinendum, erit hoc 6) per mercurialia, & cinnabarina, quæ magna, colliqueſcendo & reſolvendo humores ſpiſſos, virtute pollent. Ex præcipuis autem eſt ſulphur antimonii fixatum Magnif. DN. PRÆSIDIS, quo, ſe aliquoties diſcuſſiſſe ſuffuſionem mihi aſſeveravit.

§. XIX.

Ne vero nova congeſtio & humorum affluxus verſus oculos oriatur, commendantur media ex fonte Chirurgico deſumpta. Ut, 1) Si corpus plethora laboret, & multitudo ſanguinis in cauſa, venæ-ſectio in loco a parte affecta remoto inſtituenda, vel brachio, vel pede. 2) Cucurbitulæ ſiccæ & ſcarificatæ, locis conſuetis, dorſo, brachiis, cruribus, adplicatæ, de quibus GALENUS *lib.* 13. *Method. medendi cap.* 19. ſummo capiti adhibitis, oculo laborantibus egregium auxilium promittit. 3) Veſicatoria, nuchæ aut lateribus Colli pone aures adplicanda, pro meliorique derivatione aliquamdiu aperta ſervanda. 4) Setacea, per cervicis cutim trajicienda, per tempus relinquenda, & quotidie a ſordibus mundificanda; vid. PAREUM *lib.* 9. *cap.* 21. 5) Fonticuli, in brachio, loco ſolito confecti, poſtea rite tractandi, quotidie mundificandi, & per annum ac ultra aperti ſervandi.

§. XX.

Jam dicta & allegata varia medicamenta interna, externa, & remedia Chirurgica, egregiam quidem ſpiſſos humores reſolventem virtutem habent, item in principio ſuffuſionis, ubi obſtructio lentis non adeo pertinax; ſæpius tamen fruſtra, teſte experientia, adhibentur, &, ad operationem Chirurgicam, ſi ægris amiſſum viſum reſtituere volumus, confugiendum. Antequam vero, ipſam operationem exponamus, prius monita quædam ad Chirurgos tam, quam ægrum præmittenda ſunt.

§. XXI.

Quivis Chirurgiæ cultor veram cognitionem lentis, & ſtructuræ oculi, ex anatomica ſcientia habere debet, quo ſciat, quid deprimendum, cui parcendum, ne temere quid lædat. Deinceps neceſſe eſt, ut inſtitutam, ab aliis expertis Chirurgis vel Medicis, depoſitionem, ſæpius viderit. Porro ſit intrepidus, acie oculorum inſtructus, manu firma, vel ſi forte imbecilliori, ut fulcro nitatur. Tum ſit ambidexter, id eſt, agilitate utriuſque manus præditus. Si enim requiſita Chirurgi, quæ CELSUS *lib.* 7. *de re medica* deſiderat, omnibus ferme operationibus peragendis competunt, certe in depoſitione cataractæ delicata ſatis ac ſubtili neceſſaria. Præterea de origine, maturitate, & ſpeciebus Cataractæ edoctus, an nempe malum ſit ſimplex, vel compoſitum & complicatum, cum vitio corneæ, glaucomate, gutta ſerena &c. Demum certus ſit de ætate, qua depoſitio inſtitui poteſt. Senilis enim & puerilis ætas operationem non admittit.

§. XXII.

Reſpectu ægri, Chirurgus conſideranda hæc habet; an nempe ſit plethoricus, atque tunc uno vel altero die, ante operationem vena ſecanda; an alvus adſtricta, quæ clementi laxativo, & clyſtere ſubducenda. Ratione temporis, aerem ſibi ſeligat temperatum, diem ſerenum, locum ſatis lucidum quidem, ſed non radiis ſolaribus illabentibus recta illuſtratum, quo minus in operatione impediatur. Matutinæ horæ plerumque aptiſſimæ habentur, quidam magis pomeridianas commendant, & quidem hanc ob rationem, quia aſſumtis cibis, ſyncope tam facile non metuenda ſit, ſubſequens quoque ſomnus varia ſymptomata avertat. Sed ſyncopticum affectum etiam declinare & avertere poſſumus, ſi horis matutinis ante operationem jubemus, ut ægris vitrum vini generoſi, cum parva quantitate panis ſimilaginei porrigatur.

§. XXIII.

Inſtrumentum ad mox ſequentem depoſitionem neceſſarium, eſt acus, vario ab autoribus modo deſcripta & confecta. Aliis enim placuit aurea, argentea. vid. HORNE *pag.* 413. nobis chalybea. Ratione formationis a PURMANNO & SCULTETO rotunda, a GUILLEMEAU *de morb. ocul. cap.* 3. plana præfertur. ALBUCASIS & alii excogitarunt perforatam, per ejus foramen, poſtquam jam ingreſſa eſſet, ſuctu cataractam extraxerunt. NUCKIUS *Experim. Chirurg.* 7. *ſub fig.* 1. 2. duplicem acum, alteram acutam, alteram obtuſam, commendat, quarum intruſionis modum etiam *loco alleg.* deſcribit. Alii, acum forcipis ad inſtar formatam reliquis præferunt, quibus non tantum cataractam deprimere, ſed & eandem extrahere ſatagunt. Sic BLANCARDUS *in Chirurg. pag.* 85. exiſtimat, in parte oculi ſuperiori, in circulo iridis, infligi poſſe vulnuſculum, & mediante acu, forcipis in modum fabrefacta, cataractam dejectam extrahi poſſe, ad præcavendum, ſi in oculo remaneret, ejus aſcenſum. Sed quam difficilis ſit hicce operationis modus, optime norunt noſtrates ocularii, operationem hanc jure rejicientes. Variæ acuum delineationes apud HEISTERUM *in Chirurgia Tab.* 12. exſtant. Ex quibus *figuram* 5. præ aliis Author commendat. Nam rotundæ, apice tenui donatæ acus, a noſtris quibuſdam Chirurgis etiam uſurpantur; his vero facillime humor dilacerari, minuſque firmiter acus inhærere poteſt, ſed gliſcit. Optima itaque eſt quæ ab HEISTERO ſub *fig.* 5. delineata præfertur, illaque cujus delineationem GUILLEMEAU *Operat. Chirurg. tab.* 12. *ſub E. F. G. H.* ſuggerit. Quæ a recentiſſimis Ocularìis nunc adhiberi ſolet.

§. XXIV.

Tandem pervenimus ad operationem ipſam, quæ tam difficilis non eſt, ut a vulgo & Veteribus habetur & venditatur. Requiritur ſaltim manus habilis & exercitata. Operatoris etiam eſt officium, ut curet, quo varia adhuc ante operationem præſto ſint, nempe: 1) Miniſtri, alter, qui ægri caput detineat, alter qui neceſſaria operatori porrigat. 2) Collyrium, ex aqua roſarum, fœniculi, cum albumine ovi conquaſſatum. 3) Splenium triangulare ut oculus non ſolum tegatur, ſed cavitas quoque orbitatis expleatur, quo faſcia eo melius applicari poſſit. 4) Faſciæ ad deligationem oculi aptæ, deſcribuntur a Doctiſſ. Profeſſore BASSIO *in tractatu de Faſciis pag.* 108. Si depoſitio in uno oculo inſtituta fuerit, faſcia oculus ſimplex ab Autore dicta, ſi in duobus, *l'œil double* ſumenda.

§. XXV.

§. XXV.

* Poſt apparatum inſtrumentalem, pariter ac deligatorium, æger collocatur in ſedili humiliori, oculis luci obverſis, quorum ſanus deligatur, ne operator ex motione oculi ſani, quem alter ſemper ſequitur, impediri queat, nec ſe moveat patiens cum corpore, vel oculo, aut multa in operatione loquatur. Poſtea operator, ex regione oppoſita ſedili altiori inſidens, appropinquat ad ægrum, cruraque ipſius, divaricatis ſuis cruribus excipiat, ac jubeat, ut Miniſter a tergo adſtans ægri caput firmum teneat, oculum æger aperiat, verſuſque naſum torqueat. Quo facto Chirurgus, ſeu Medicus, ſiniſtra manu palpebras affecti ſiniſtri oculi deducat, vel ſpecillo oculum obfirmet, manuque dextra (ſi ſiniſter) ſiniſtra (ſi dexter oculus laborarit) acum bene politam, per pannum aliquoties tranſmiſſam, ut parum incaleſcat, pollice, indice & medio digitis admoveat, & brachio, vel fulcro innitente, vel digito annulari & auriculari, proceſſui zygomatico impoſitis, acum per partem opacam, ſeu ſcleroticam, ad ſtraminis diſtantiam ab iride, ſenſim volutando, verſus angulum perpendiculariter intrudat. Ad interiora penetraſſe acum, ex nulla amplius reſiſtentia occurrente percipitur, ubi tunc ſuſpenſa manu movenda leniter acus, inclinanda ad ſuffuſionem, & lens obſcurata leni motione acus, a tunica Ruyſchiana, & ligamento ciliari liberanda, & ſub humorem vitreum in fundum oculi deprimenda eſt. Facta depoſitione, per momentum acus in fundo oculi detinenda, quo impediatur, ne ſuppreſſa lens rurſus reſurgat, novamque depoſitionem poſtulet. Tandem leniter ac blande, palpebris compreſſis, acus extrahenda, oculus occludendus, & ſplenio collyrio convenienti, imbuto deligandus eſt. Quidam operatione peracta phialam aqua repletam, & luci obverſam, ad videndum, an colores æger diſtinguere poſſit, commendant, ſed male, quia hoc modo Cataracta facile a ſubitanea commotione inconſueta, rurſus aſcendit, & priſtinum occupat locum. Poſtea æger in lectum ſupinus, capite elevato, tenebroſo conclavi, per octiduum reponendus. Durante hoc tempore parum ſe moveat, loquatur ſubmiſſa voce, non tuſſiat, ſternutet, aut cachinnetur. Neque conducit, ut eſculenta dura maſticatione indigentia aſſumat. Ad alvum & veſicam exonerandam non ſurgat, ſed vas quoddam, pro excipiendis excrementis, ano ſubmittendum; quia hæc omnia cataractæ aſcenſum excitare queunt. Elapſis aliquot diebus, ceſſante inflammatione, confortantia admovenda oculis, valvæque feneſtrarum ſenſim removendæ & admittenda lux, quo oculus magis magiſque lumini rurſus aſſueſcat.

§. XXVI.

Interea cibum capiat mollem, non durum, ſalſum ac aromatibus valde conditum, ut juſcula ex carnibus & vegetabilibus, ova ſorbilia, pruna, ceraſa cocta, & olera molliſſima, ad alvum ſimul laxam ſervandam. Abſtineat a potu ſpirituoſo, cereviſia fortiori, vino, aliiſque caput debilitantibus, & humores ad oculos concitantibus. Sed bibat cereviſiam ſecundariam, vel decoctum hordei, avenaceum, leniter acidulatum & edulcoratum. Hac victus ratione per octo & ultra dies uti, & deligationem quotidie ſemel, vel bis reiterare decet; donec omnis inflammationis ſubſequentis metus evanuerit.

§. XXVII.

Coronidis loco, quædam adjicienda ſunt de præſervatione a Cataracta, quis imbecillitate laboret oculorum, nebulam aut fumum aliamve obſcurationem ante oculos verſari ſentit. Ad incipientem lentis cryſtallinæ opacitatem, in die ſæpius halitus fœniculi maſticati, vel baccarum juniperi, aut caryophyllorum, itemque maſtichis, exceptus, vel vapor infuſi thee & caffee proſunt. Hæc omne ferme abſolvunt punctum, præſertim ſi oculus a frigore, & fortiori radiorum valde luminoſorum irruentium vi defendatur; haud neglectis, ſi opus, internis, ſanguinem purificantibus & diluentibus, ut infuſis herbarum theiformibus, decoctis lignorum, & laxantibus blandioribus.

DISPUTATIO MEDICA

DE

AUDITU DIFFICILI.

Primùm edita anno 1703.

PRÆFATIO.

ORGANO ritè ſe habente nihil gratius, nihil utilius. Quid cenſendum ſit de auditus inſtrumento bene conſtituto, nuper in Diſſertatione noſtra Phyſica de organo Auditus publice habita pro viribus monſtravimus, ubi non tantum ea, quæ ad ipſius organi auditus conſtitutionem, ſed & uſum naturalem ſpectant, breviter delineavimus. Nunc quæ ad auris cum præternaturalem ſtatum ſive læſionem, tum ipſius quoque curationem pertinent, inveſtigare animum induximus. Cum vero pagellarum anguſtia aurium vitia cuncta ad examen vocare accuratius haud permittat, ſufficiet hac vice, ſi unicum tantummodo affectum, quem Auditus Difficultatem vocant, perſequamur; qua in re ſi quid offendere videamur, imprimis cum ne Jupiter quidem omnibus placere æque valeat, id exiſtimatores æquos atque benevolos benigne eſſe interpretaturos, certò confidimus. Cæterum ſupremum Numen, omnis ſalutis fontem, animitus precamur, ut laboribus noſtris benedicere ex alto velit.

§. I.

AUditus læſiones, utut variæ in Praxi obſerventur Medica, præeunte tamen inſigni quondam Batavorum Medico FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO *in Praxeos Medicæ Libr. II. cap. VIII. p.* 404. cunctas ad tres reducere claſſes non incongruum putamus, quatenus videlicet nobiliſſimus hicce ſenſus nunc plane aboletur, ita ut vel nullum penitus ſonum externum percipiant ægri, vel ſi hujus aliquid auribus hauriant, ejus tamen differentias diſcernere nequeant, quæ græce κώφωσις latine ſurditas dicitur: nunc imminuitur, quando non niſi ſonum altum & vehementem admodum ſentiunt iidem, ita ut, qui cum iis loquuntur, in aures ipſis loqui & vocem attollere neceſſe habeant, quam læſionis ſpeciem græci ὑποκώφωσιν, Latini difficultatem ſeu gravitatem auditus vocant: nunc vero depravatur, hoc eſt, quandò ſonus externus per aliquem motum internum in auribus præternaturali modo excitatum, motuique ſonorifico externo obſtrepentem confunditur, ac falſo percipitur; imo aures citra omnem aeris externi commotionem in ſe ipſas ſonant, atque modo ſibilo quodam, modo intuitu, modo fluctuatione, motu, pulſu intrinſeco &c. moleſtantur.

§. II.

Nos omiſſa ſpecie priori, nec non ultima, de intermedia tantum, quæ Difficultas Auditus audit, hoc loco agere decrevimus; quam deſcribit SENNERTUS *Prax. libr.* 1. *Part.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 7. *p.* 238. quod ſcilicet ſit ejusmodi affectus, qui efficit, ut ægrotantes ſolum ſonos magnos audiant, leves vero non percipiant. Vel quod idem eſt, ubi ſonus percipitur debilior verbaque loquentium ægre & vix niſi admoto propius ore altaque voce & nonnunquam clamore prolata intelliguntur, unde Germanis ſchwehr Gehör talique affectu correpti a GALENO ſurdaſtri appellantur.

§. III.

Cauſæ difficultatis auditus & ſurditatis ſæpe eædem notantur. Uterque vero affectus non raro gradu ſaltim differre deprehenditur. Sunt vero cauſæ iſtæ quærendæ modo in organi prava conſtitutione, modo in fluido nerveo; videamus igitur primo organum, quod in aurem externam atque internam dividitur, maleque ſe habens, diverſa omnino ratione aliquid ad imminuendum auditum conferre valet.

§. IV.

Siquidem in aure externa vitium connatum non raro animadvertimus, quando magnitudine naturali deſtituitur, vel plicarum & cavitatum ad reflectendos radios phonicos multum facientium defectus occurrit, vel pauciores numerantur h. e. plicarum vel una, vel duæ tantum reperiuntur, aut loco quinque cavitatum pauciores adſunt: interdum vero injuria externa, quale quid hyberno tempore a graviore frigore contingere vel violentia ſimiliter externa partem quandam auriculæ, vel quoque integram ablatam accuſare cogimur; alio vero tempore inflammationem a plaga, lapſu aliave occaſione accidentem ſpatium ejus naturale anguſtare atque auditum difficilem reddere conſpiciunt. Uſus ideoque auriculæ alias quemadmodum

admodum eſt radios ſonoriferos excipere colligere & velut concentrare, ut ſenſibilior fiat verſus organum auditus immediatum commotio; ita abſente hac auricula, vel male conformata aut conſtricta ipſa, imminui auditum, quis non cognoſcit? ut hinc ſurdaſtros naturali quoque inſtinctu volam manus applicando hocce damnum aliquomodo emendare videamus.

§. V.

Meatum quod concernit auditorium, interdum cerumen juſto craſſius & ſpiſſius, præprimis in ſubjectis, quorum maſſa ſanguinea alias viſcida deprehenditur, tenax atque glutinoſum redditum ipſum obturat; quod niſi tempeſtive eximatur, propter moram & ſtagnationem non tantum gypſi formam induit, ſed aliquando etiam lapideam ſoliditatem acquirit, cum ad coagulationem & petrificationem non ſecus ac bilis, cum qua inſignem convenientiam, tam ratione coloris, quam ſaporis & aliarum qualitatum habere videtur, ſatis apta cernitur, uti refert Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol.* 1. *Obſ.* 46. ſe uxoris ſuæ a dolore circa aurem diu tortæ lapillos ſeu arenulas cum cerumine exemiſſe, & ſic dolorem minuiſſe: Eandem concreſcentiam & indurationem lapideam obſervavit etiam Jul. Casserius *de Organ. Audit. Libr.* 1. *cap.* 20. *p.* 91. 92. Sic eundem quoque meatum anguſtiorem alio tempore reddunt glandulæ ſalivales parotides dictæ, tumore præternaturali elevatæ & meatum comprimendo tranſitum aeris impedientes. Quandoque membrana duplex conſpicitur: frequentior a condenſatis excrementis, adhærente veluti cruſtula obducitur, non ſine auditus ipſius læſione obſervante Joh. Veslingio *Syntagm. Anat. cap.* 16. *p.* 244. Idem obſervamus effici a glandulis circa ipſum meatum auditorium locatis, quarum magnitudo ſæpenumero ita increſcit, ut totum meatum occludant. Non raro propter exulcerationes in membrana meatum cingente excreſcentiæ fungoſæ oriuntur, quæ tandem in callum degenerant atque meatum claudunt. Huc etiam referimus ea quæ ab extra illabuntur aut ſtudio intruduntur vel meatum ſubeunt, v. gr. lapillos, arenas, piſa, nucleos, aquam frigidam, opium, fumum auripigmenti, argenti vivi, arſenici. animalcula diverſi generis; cuncta etenim hæc auditus ſenſum hebetare non adeo arduum eſt concipere.

§. VI.

Tonum naturalem lædunt etiam membranæ tympani tenſio, laxitas, induratio, craſſities, perforatio, eroſio. Tenſionem nonnunquam a ſtagnatione humorum, quando ſcil. diutius aeri frigidiori exponitur corpus, aut a metaſtaſi humorum in febribus, cephalalgiis diuturnioribus, lue venerea inveterata produci, praxis docet quotidiana; interdum vero per conſenſum a partibus corporis remotioribus eandem tenſionem membranæ hujus ortam, v. g. a malo hypochondriaco, paſſione hyſterica, aliisque ejusmodi affectibus novimus: hac enim ratione membrana tenſa radiis ſonoriferis vel nullo aut exiguo modo moveri poteſt. E contra ubi robur naturale amittit membrana laxaque & flaccida redditur; quam laxitatem inferunt glandulæ aurium cerumen ſeparantes, ſi loco ceruminis humorem limpidiorem eumque ſatis copioſe ſecernunt, non minus miſeri damnum experiuntur. Qualem copiam humoris ſeroſi poſt capitis graviorem ictum ex aure emiſſam obſervavit Cornel. Stalpart. van der Wiel *obſ. rar. Cent.* 1. *obſ.* 15. Caſum ſimilem refert Joel Langelottus, *Miſc. Med. Phyſ. curioſ. germ. Decur. I. Ann.* 6. *obſ.* 12. de Principe quodam, qui Romæ e cochlidio quatuordecim pedes longo prolapſus, ex cujus aure ſiniſtra octo libræ aquæ fluentis promanarint. Quorſum etiam ſpectat obſervatio Plateri *Libr.* 3. *obſ. p.* 935. de puella annorum tredecim jam diu urinæ plurimum emittente, quaque ſubito ceſſante, tenuis quidam humor ex aure dextra perque dies aliquot menſuræ duæ integræ hujus liquoris emanarunt.

§. VII.

Quoad indurationem & craſſitiem tympani, accidit illa vel a ſpiritibus volatilibus copioſius inſtillatis, vel ætate diuturniore in ſenibus, vel fomentis calidioribus incaute applicatis, membranam corrugantibus atque indurantibus, ita ut ad ſonos percipiendos inepta reddatur, commemorante Thom. Bartholino *Hiſtor. Anat. Rar. Centur. VI. obſ.* 77. *p.* 337. Craſſitiem autem præternaturalem indicat imprimis in hydropicis, utpote in quibus omnes glandulæ totius corporis & per conſequens etiam illæ, quæ in duplicatura membranæ tympani comprehenduntur, magnitudinem præternaturalem acquirunt. Eadem membrana craſſior quoque redditur in ſubjectis diuturniore lue gallica affectis, in quibus obſervamus ſquammas inſignes quotidie decidentes auditumque turbantes.

§. VIII.

Perforatio denique atque eroſio membranæ tympani ſuum quoque tribuit ſymbolum, uti §. 6. innuimus; illa maxime a violentia externa proficiſcitur, v. g. a ſoni vehementia tormentorum campanarumve, quorſum etiam referendi erunt illi, qui ad caſum Nili degunt ſurdaſtri ex fragore & præcipiti lapſu fluentis aquæ a Joh. Riolan. *Enkirid. Anat. Pathol. lib.* 4. *p.* 289. pronuntiantur. Idem contingit a vehementia auriſcalpii profundius intruſi, atque natatione, vel quando ſtudio pertunditur in illo caſu, ubi os & nares præternaturaliter clauduntur, ut reſpiratio per aures fieri queat, monente Tulpio *obſ. libr.* 1. *obſ.* 36. Hiant enim ad fauces duo anguſti ductus aſcendentes utrinque ad latera verſus aures, quorum concluſo aeri uti advehunt pabulum, ſic concedunt interdum exitum per aures ſpiritui, quo præcaveatur ſuffocatio. Quale quid bis a nobis obſervatum in illa reſpiratione, quæ non niſi recta cervice ducitur, quamque ὀρθόπνοιαν vocant Græci, a cujus periculoſiſſimi morbi ſuffocatione equidem vidi duos ægros liberatos, effuſo ſpiritu per vias jam commemoratas. In quibuſdam inſigne foramen deprehendi innuit Schelhammerus *Tract. de Audit. p.* 255. Imo, inquit, quod majus eſt longe, ego non ſemel, ſed ſæpiſſime non ingredi modo eundem aerem, ſed etiam per meatum auditorium confeſtim egredi, flatus inſtar manifeſtiſſime percepi. Quod ſi quis putet, me hoc fingere, adeat Veslingium, Lindanum, atque alios, qui viderunt haud raro illos, qui tabaci uſu delectantur, ingentes fumantis illius nebulas, prius in os detractas, ex auribus rurſus emiſiſſe. Quodſi horum teſtimonia, alicui non ſufficiant, adjungat etiam Conradi Victoris Schneideri *ex Libr. de Oſſe cribriform. p.* 455. obſervationem, ubi hæc leguntur verba: quæ in intima aurium detruſa ſunt ex ore clauſo, interdum ſternutando eliduntur, non quod cerebrum aut dura meninx, aut auris tunica tympanum cognominata, tantopere commoveatur, ſed quod aer per aquæ ductum ad antrum auris, tum quaſi impetu facto, prorumpat & ea, quæ inibi inhærent, ſuo loco dimovere poſſit. Cujus rei exemplum egomet obſervavi in patrio oppido Athenæo Salano, in figulo, qui cum ceram, neſcio qua de cauſa, aures obturandi gratia

in

in illos altius immiſiſſet, ita ut nulla ratione inde rurſus eam poſſet extrahere, tandem cohibito ſpiritu, magna vi globulos illos hoc pacto rejecit. Ipſe novi quendam juvenem viginti duorum annorum, qui ſibi mediante inſtrumento quodam acuminato membranam tympani ita læſit, ut clauſo ore, naribus, ſpiritum cum ſibilo per aurem, quocunque tempore voluit, emittere, atque candelam accenſam ſubito extinguere potuerit. Ex hac autem læſione factum eſt, ut difficilius ſonum perciperet.

§. IX.

At eroſio membranæ tympani tam ab intra, quam ab extra fieri ſolet: cauſæ internæ utplurimum deprehenduntur vermes, variæ magnitudinis & figuræ; Ita etiam Petr. Forestus *obſ.* 7. *Libr.* 12. *in Schol.* eam annotavit, poſt graviter exulceratas aures internas à variolis malignis aurium interiora occupantibus. Nonnunquam ab ulceribus glandularum auris externæ eroſio contingit: quemadmodum pariter non infrequens eſt talis à glandula parotide ſuppurata meatum auditorium penetrans tympanumque lædens, ut in infantibus fere quotidie obſervare licet. Spectat huc ſuo ſenſu materiæ purulentæ à nativitate excretio de qua Cornel. Stalpart van der Wiel *obſ. Rar.* 15. *p.* 74. ex *Braſſavolo* refert. Eſt mihi, inquit, filia Laura nomine, è cujus aure ſiniſtra ſanies illico poſt nativitatem fluere cœpit, qui effluxus per multos menſes continuus non ſine auris fœtore immani duravit, bene alioquin ſeſe habente illa: ſiniſtra autem poſt aliquot menſes aure jam veluti ſiccata, dextra ſaniem emittere cœpit ad ſeptimum decimum uſque menſem, poſt quod tempus, ceſſante fluxu, ipſa optimæ fuit valetudinis.

§. X.

Nec oſſicula ſub tympano conſpicienda ex cauſarum numero ſunt excludenda, facile enim contingere poteſt, ut unum alterumve ab injuria externa ſitum vitioſum acquirat, vel frangatur, vel à primo ortu male conformatum ſit, vel deficiat, unde functionem eorum poſtmodum turbari ratio dictitat.

§. XI.

Difficultatis auditus cauſa præter recenſitas quodammodo etiam dici poteſt ſinus maſtoidei membrana glanduloſa præternaturaliter conſtituta, aut lympham copioſiorem aut craſſiorem ad membranam tympani, muſculos mallei atque ſtapedis, tympana duo minora, quæ foramen ovale atque rotundum claudunt, deponens, unde partes hæ, imo chorda ipſa quoque, humectatur nimium atque tonus earundem partium naturalis deſtruitur.

§. XII.

In aure interna nervus adhuc auditorius ceu cauſa quoque difficilis auditus conſiderandus reſtat, cujus texturam a variis rebus humoribus v. g. craſſioribus impactis, vel ab intempeſtiva unguenti mercurialis pro ſordibus capitis externis detergendis illinitione referente Timæo *Libr.* 1. *Epiſt.* 29. lædi poſſe conſtat: quo etiam ſpectat, ſi nervus iſte non recte formatus aut implantatus fuerit, unde fit, ut nonnulli ſurdaſtri naſcantur. Nec incongruum erit, ſi huc etiam cum Francisco Sylvio *Prax. Libr.* 2. *cap.* 8. referamus exſiccationem ipſius nervi auditorii, qualem & nobis ante aliquot annos in cane videre licuit, qui altero cœcus erat oculo, auribuſque pariter ſonum non rite percipiebat, quo ſectioni expoſito, aperto cranio atque remoto cerebro, nervus opticus atque auditorius dextri lateris flaveſcens multoque tenuior apparebat. Idem nervus auditorius alio tempore inordinate premitur à particulis heterogeneis in febribus tam continuis quam intermittentibus, præprimis vehementioribus atque diuturnioribus, vel aliis morbis gravioribus à maſſa ſanguinea, præſertim circa ſtatum atque decrementum morbi, quo tempore cruditatum ſeparatio à ſanguine maxime contingit, ad aurem internam nervumque auditorium & membranas nerveas depoſitis, auditumque difficiliorem reddentibus.

§. XIII.

Tandem ſpirituum animalium vitio difficultas auditus producitur, vel quatenus deficiunt in ſenibus, de gravi auditu valde conquerentibus, aut in aliis ſubjectis per evacuationem exceſſivam, & ſanguinis, hæmorrhoidum, menſium, lochiorum, humoriſque ſpermatici nimias profuſiones, lactationem, alvi fluxus, labores graviores, vigilias & ſtudia immoderata & ſic porro deperduntur & conſumuntur: Vel pauciores generantur nunc ob materiæ adæquatæ, ſcil. ſanguinis ſatis activi, defectum dependentem ab alimentorum ſpirituoſorum rariore aſſumptione, vel laudabilium quamvis infelici digeſtione. Ejuſdem enim materiæ textura ſpiſſior ſive tenacior partium implicatio ſpirituum productioni obeſt, quod illas particulas ſubtiliores ſecedere non adeo facile concedat, quale quid in hypochondriacis aliiſque viſcidiore ſanguine ſcatentibus ſolenne eſt, corpore hinc omnium ſenſuum motuſque ſegnitie laborantibus; nunc vero ob cerebri tanquam organi ſecretorii adæquati vitia, quæcunque demum illa ſint. Denique a motu ſpirituum præternaturali difficultas auditus oritur, ſi vel non ſufficienter moveantur, vel impetuoſius, vel irregulariter & inordinate agitantur, quale quid in apoplexia & ſoporoſis affectibus poſt uſum narcoticorum vel alio tempore in ira & furore obſervare ſolemus.

§. XIV.

Signa difficultatis auditus vel ſenſibus cognoſcere, vel ex cauſis deſumere, licet. Nam vitia conformationis plicarum & cavitatum penuria in aure externa oculis patent, quemadmodum defectus auriculæ vel partis ejuſdem abſumtæ, in ſenſus quoque incurrit: inflammatio vero ex tumore, rubore & dolore pulſatili facile determinatur, reliquaſque læſiones a violentia externa v. gr. plaga, lapſu &c. relatio vel ipſorum ægrotantium vel adſtantium & inſpectio facile indicat.

§. XV.

Cerumen craſſum ſpiſſum, copioſum, gypſeum, petrefactum, vel quoque juſto tenuius, aut purulentum aut aquoſum viſu percipimus. Inſimul quæ circa meatum auditorium reperiuntur, v. g. ſi glandulæ ſalivales parotides tumidæ ſive purulentæ fuerint: glandulas in meatu auditorio tumore præternaturali præditas, vel excreſcentias fungoſas, imo callum, verrucas, ſcirrhum &c. inſtrumentis aliquomodo explorare licet.

§. XVI.

De vermium inſignes ſæpe turbas in aure concitantium præſentia ex relatione ægrotantium conſtare poteſt. Membranæ autem & auris internæ vitia quia oculis Medicorum non ſubjacent, non æque vel ſaltim non adeo accurate dignoſcere licet, ſed ex circumſtantiis ab ægrotantibus allatis probabiliter diſcernenda veniunt, & quidem tenſio membranæ tympani, ſi à ſtagnatione humorum oritur, ex gravedine, tuſſi, aliiſque catarrhorum ſignis; ſquammæ ex ſquammis totius corporis ſive aliis ſignis ipſius luis vene-

venereæ; metaſtaſis ex morborum præprimis febrium gravitate, aut ſi narcotica vehementiora applicata fuerint; aut aeri frigidiori corpus quis expoſuerit, patet. Contingere tamen etiam ſolet tenſio per conſenſum, ſi prius jam ſatis diu malum hypochondriacum, paſſio hyſterica reliquique affectus abdominis flatulenti præceſſerint. Laxata num ſit membrana tympani, continuus affluxus ſive præſentia humoris limpidi loco ceruminis, vel defluxiones catarrhales demonſtrant. Indurationem à continuata inſtillatione liquorum volatilium frequentius adhibitorum, vel fomentis calidiſſime applicatis judicamus. Craſſities membranæ tympani præternaturalis pariter à defluxionibus glandulas in majorem molem extollentibus atque hydrope univerſali & lue venerea præcedente dijudicatur. Perforationem ſive lacerationem ex tranſitu flatuum dignoſcimus. Signa tandem ulcerum internorum puris excretio ſuppeditat.

§. XVII.

Spirituum animalium defectum ætas ſenilis, reliquarum partium debilitas atque infirmitas & antecedentes humorum laudabilium excretiones nimiæ, ægrorumque confeſſio patefaciunt. Influxum vero vel denegatum & inſufficientem motum, vel impetuoſiorem agitationem ex collatione antecedentium & conditione atque ſtatu præſente ægrotantis prudens & circumſpectus Medicus facile determinabit.

§. XVIII.

Quod prognoſin concernit; hæc pro cauſarum diverſitate variat: quod ſi enim a nativitate vel auris externa integra, vel pars ejus, vel plicæ, vel cavitates quædam deſiderantur, vel injuria externa deficit auricula, reſtitutionis nulla erit ſpes. Inflammatio a plaga, lapſu, aliave occaſione excitata, quia cerebrum & meninges facile in conſenſum trahit, frequentius deliria & convulſiones parit. Pro immedicabili malo non habendum eſt cerumen juſto craſſius & ſpiſſius, aut ſi gypſeam vel lapideam aſſumſerit naturam. Quemadmodum tumores parotidum atque glandularum circa meatum auditorium ſitarum, niſi adſit cancroſa exulceratio enormis, curationem quoque admittunt. Aſt pertinacius malum videntur exulceratio atque fungoſæ excreſcentiæ membranæ meatum auditorium cingentis, præſertim ſi tandem in callum degenerent; huc quoque pertinent verrucæ, ſcirrhi ejuſdem membranæ, nam etiamſi pars quædam extrahatur, tamen intra parvum temporis ſpatium denuo recrudeſcit. Meatum auditorium illapſa, pro varia diſpoſitione eorundem corporum, vel facilem, vel difficilem admittunt curationem. Membrana tympani præter naturam tenſa à ſtagnatione humorum, aere frigidiori, lue venerea, metaſtaſi humorum, narcoticis incautè applicatis, febribus acutis, cephalalgiis diuturnioribus, malo hypochondriaco, paſſione hyſterica, aliiſque affectibus abdominis inveteratis orta, ratione diuturnitatis & vehementiæ morborum recenſitorum citius vel tardius reſtituitur. Laxitas membranæ tympani, quæ a liquoribus ab extra inſtillatis & non diu continuatis originem trahit, facilius; quæ vero a glandularum textura depravata dependet, difficilius curam admittit. Induratio membranæ, ſi ſolidior redditur ex longiori temporis ſpatio, ſive ſit ab incauta inſtillatione ſpirituum volatilium ſive à fomentis calidioribus membranam corrugantibus incurabilis fere redditur. Craſſities ejus præternaturalis ex hydrope, defluxionibus catarrhalibus, lue gallica diuturniore difficulter exſtirpatur, advertente quoque Jul. Casserio *Placentino de Audit. organ. uſ. libr. 3. p. 117.* Nam ſi forte tympanum à prima conformatione craſſius producatur, ſurditatem inſanabilem infert: ſi vero poſt ortum humoris influxu perfundatur, gravem, ac difficilem auditum parit. Perforatio membranæ ſive ab extra ſive ab intra, ſive ab alia cauſa fuerit facta, præprimis ſi paulo major ſit, atque eroſio membranæ ſive à vermibus, ſive ab ulceribus in variolis malignis, ſive à glandulis auris externæ atque parotidum contigerit, nullam admittit medullam.

§. XIX.

Nec curæ ulli ſe ſubmittunt oſſicula auditus, ſi unum vel alterum deficiat, aut ſitum vitioſum acquirat, vel fractum vel à primo ortu male formatum fuerit. Difficilior etiam reſtitutio redditur, ſi lymphæ copioſioris & craſſioris diuturnior affluxus ex ſinu maſtoideo inhiberi non poteſt. Idem cenſendum eſt de quantitate exceſſiva aeris concluſi tam in veſtibulo quam canalibus ſemicircularibus & cochlea, atque motu tympani præternaturali, deque nervi auditorii ab humoribus craſſioribus compreſſione & læſione ex unguenti mercurialis illinitione intempeſtiva, vel ab ortu præternaturali formatione, aut organo auditorio facta implantatione; huc quoque referri poteſt ejuſdem nervi auditorii exſiccatio. Difficultas auditus à febribus tam continuis, quam intermittentibus aliiſque gravioribus morbis proficiſcens, abſoluta cura febris, vel morbi ceſſat; quod etiam ſperandum ſi à ſpirituum animalium defectu vel motu inordinato dependeat, his enim reſtitutis, vel ad motum naturalem reductis, malum quoque tollitur.

§. XX.

Deveniendum nunc erit ad therapeiam, quæ in difficultate auditus pro cauſarum diverſitate quoque diverſa adornanda. Et quidem defectui auris externæ, aut non rite formatæ ratione plicarum & cavitatum inſtrumento acuſtico, quod Anton. Nuck *in Experim. Chirurg.* delineavit, ſuccurrimus. Si vero pars quædam auriculæ abſciſſa offenditur, mox aſſuenda atque emplaſtris convenientibus applicatis curanda: qua vero ratione cura inſtituenda ſit, docet Hier. Fabricius ab Aquapendente *Libr. 2. de vuln. part. p. 183.* inſimul quoque cautelam addit in futura perficienda, ſubjectam cartilaginem evitandam eſſe, ne puncta inflammetur & putreſcat. Inflammatio auris externæ ab injuria externa nec non ab humoribus internis concitata, venæſectionem in latere oppoſito brachii vel pedis derivationis atque depletionis gratia poſtulat: Riverius *Prax. libr. 2. cap. 3. p. 266.* ſuadet ſectionem venæ cephalicæ e directo auris affectæ. Si, inquit, à ſuppreſſione menſium aut hæmorrhoidum affectus originem duxiſſe videatur, venæ inferiores aperiendæ ſunt. Imo & abſentibus hujuſmodi cauſis, venarum inferiorum apertio optimam revulſionem præſtabit ad oppoſita diſtantiſſima, cui etiam conferent hirudines ano affixæ: ad eundem depletionis uſum cucurbitulæ ſcarificatæ pone aures applicatæ a Zacuto Lusitano *Libr. 1. Prax. admir. obſ. 64.* commendantur. Adhibenda quoque diaphoretica, aperta prius alvo, ſtagnationem ſanguinis reſolventia ex fixioribus v. gr. antimonio diaphoretico ſimplici & martiali, lapidibus cancrorum, ebore ſine igne, dente equi marini, mandibula lucii piſcis, unicornu vero &c. aliquando ſi dolor urget, tantillum anodyni admiſcendum. Fomentationes parti dolenti applicandæ v. gr. ex herbis & floribus malvæ, althææ, floribus chamomillæ, ſambuci, papaveris erratici quæ aqua ſim-

plici

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY SCHOOL OF MEDICINE Founded 1813

plici vel lacte coquenda; ſolanum quoque interdum addere convenit, præſertim ſi dolor maximè urgeat, ſed ut caute cum anodynis procedamus, ne auditum obtuſiorem, reddamus, monet RIVERIUS *Prax. lib.* 3. *cap.* 3. & FRANC. JOEL. *Prax. libr.* 2. *p.* 221. Cum vero inflammatio in pus degenerat, illud maturatur per cataplaſmata commoda, quæ PAUL. BARBETTE *in Chirurgia* allegat, & ruptus abſceſſus mundificatur per mel roſaceum cum ſucco centaurii minoris vel decoctum agarici, vel unguentum Ægyptiacum, vel tincturam myrrhæ. Exſiccando & conſolidando ulceri idem BARBETTE alumen uſtum cum vino ſolutum ſuadet.

§. XXI.

Cerumen craſſius & ſpiſſius, meatum auditorium obturans, fotibus emollientibus atque injectionibus ex plantis lenientibus emollitur atque deinceps cochleari ad eum uſum parato educitur, ſordibuſque his in auribus moram nectentibus caute remotis, nonnunquam in momento reſtituitur auditus, notante SYLVIO *Prax. Med. l.* 2. *cap.* 8. *p.* 405. ne autem mox novum generetur cerumen craſſius, materiam peccantem ex toto catharcticis, cauſis convenientibus, tollamus neceſſe eſt. Commendantur quoque hoc in caſu ſimul decocta lignorum & radicum, quæ affluxum ad aures impediunt, atque per alias vias extra corpus eliminant, ſcil. per diaphoreſin atque diureſin, v. gr. ex raſura ligni guajaci, ſaſſafras, ſantali, juniperini, cortice fraxini, radice chinæ, ſarſaparillæ, bardanæ, baccis lauri, herba ſerpilli, majoranæ, ſalviæ, hederæ terreſtris &c. Nec inconveniens eſt uſus fonticulorum, mediantibus quibus humores pravi bilioſique ſucceſſive educuntur. Neque negligenda evacuantia particularia, ſc. apophlegmatiſmi, qui dum per os educunt, affluxum ad aures egregie arcent, v. gratia ex radice pyrethri, zingiberis, imperatoriæ &c. Glandularum parotidum intumeſcentiam præternaturalem atque ſcirrhoſam remediis pharmaceuticis interdum minime tollere licet, quamvis etiam cauſtica adhibeantur, quantum enim uno die aufertur, tantum imo ſæpe plus altero die ſuccreſcit: tamen huic malo chirurgia ſubvenit, nimirum tollendo integram glandulam ſcirrhoſam. Qua vero ratione, quibus inſtrumentis atque circumſtantiis operatio hæc commode inſtitui poſſit, oſtendit PETR. ADRIAN. F. VERDUIN *in Auctuario ſecundo Armamentarii Chirurgici Johannis Sculteti.*

§. XXII.

Membrana meatus auditorii oſtio prætenſa chirurgiæ committenda eſt & præeunte CORNEL. CELSO eam jam cauſtico potentiali, jam actuali, jam inciſione perficimus, ex quibus tamen modus poſtremus prioribus anteponendus, in parte videlicet nervorum principio adeo propinqua: fieri autem inciſio poteſt cultello ſubtiliore & ancipiti, ita ut profundius non imprimatur, poſtmodum immittitur, vel cannulá plumbea, aut ex pluma anſerina & linteo vel emplaſtro obvoluta, aut unguento epulotico illita, donec occalluerint meatus latera, imo etiam leve cathæreticum, v. gr. chalcitis lævigata mediante turunda vel cannula applicanda, quod membranæ reliquias laterales ſenſim conſumat, ubi cannulæ imbuenda media non inferior pars, ne interiora lædat, ipſique imponendum plumaceolum oleo roſaceo vel ſimili impraegnatum, cum emplaſtro diapalma, de betonica, auriſque obtegenda. Carnoſæ excreſcentiæ aurium, ſi ſatis promineant, portio major vinculo conſtringenda atque amputanda, & quidem inſtrumentis ab HILDANO *Cent.* 3. *obſ.* 1. adumbratis, quibus etiam fungoſæ aurium excreſcentiæ auferendæ ſuccurrimus: hæc autem ſi minor ſit atque in auris meatu profundius lateat, primo eſcharoticis, deinde exſiccantibus medicamentis uti decet, & quidem ad eundem modum, quem HILDANUS loco allegato præſcribit.

§. XXIII.

Quæ ab extra in aures incidunt, qualia ſunt, quæ ſuperius recenſuimus quorumque exempla MARCELL. DONATUS *Hiſtor. mirab. libr.* 2. *Centur.* 12. & HILDANUS *Cent.* 1. *obſ.* 4. & *ſequ.* tradunt, ea extrahere decet quam citiſſime, præprimis ſi talia fuerint, quæ ſub mora, vel ab humiditate aurium intumeſcunt, hincque difficilius extrahuntur, ut ſunt piſa, nuclei; vel a quibus eroſio partium internarum metuenda, v. gr. vermiculi, quod quidem aliter fit, ſi in meatu cartilagineo, ac ſi in oſſeo ſive profundius hæreant. Si enim in cartilagineo, hic lumini probe exponitur oleoque amygdalarum dulcium lubricatur, & mediante ſpeculo auris quod HILDANUS *Cent. I. obſ.* 4. delineavit, dilatatur, quo commodius introſpicere & explorare liceat, qua parte inter corpus heterogeneum & meatum cochleare aut id genus inſtrumentum immitti queat; ſublato ſpeculo, ſi illud rotundum extiterit, inter hoc & meatus parietes cochleare ſive auriſcalpium, quod idem HILDANUS delineatum reliquit, vel uncus exilior immittatur, eiſque plus minus oblique retractis heterogeneum protrahatur: ad piſum illapſum extrahendum ab eodem HILDANO commendatur inſtrumentum terebrans, ratione figuræ idem cum illo, quo globulus plumbeus è vulneribus educitur, hujus tamen uſum vel ideo non omni periculo carere queruntur Chirurgi, quod terebra ſine notabili niſu vel impetu vix adigi poſſit, hinc non raro contingere ſolet, ut ſi ad profundius corpus extrahendum immittatur, aut tympani membrana laxetur aut dilaceretur. Quod ſi vero contingat, ut piſum aut ſimile quid eo uſque intumeſcat, ut integrum inde auferri nequeat, cultello ancipiti & globulo in apice munito illud bis vel ter incidatur, ejuſque ſegmenta aut auriſcalpio, vel forcipe aut volſella extrahantur. Sin vero illapſa ſive intruſa aſperiora & anguloſa extiterint, aut forcipe aut cochleari unciformi, cujus interior ſuperficies aſperior ſive crenata, commodius educuntur.

§. XXIV.

Animalculis vero protrahendis, ſi viva adhuc ſint, inſerviunt eſcæ, quæ alias illis exiſtunt gratæ, ut ſaccharum, mel, fruſtulum ficus, eaque vel per ſe, vel mediante carbaſo, vel ſpongia meatui auditorio intruſa, utpote quibus dulcibus alliciuntur, quemadmodum peculiare ſibi habet illud vermium genus, quod auriculare appellatur, ut pomi dulcis medietate paululum excavata & auri externe impoſita, eliciantur, innuente SENNERTO *Inſtit. libr.* 5. *Part. I. Sect.* 2. *cap.* 10. qualia animalcula viva ad eductionem diſponimus eademque ſuffocamus per oleum, vel acetum, juxta PAREUM auribus inſtillata, vel per ſuccum centaurii minoris, abſinthii, ſolutionis myrrhæ, aloes, aliorumque amarorum. Mortua autem educuntur, vel auriſcalpris & uncis commodis, vel ſpecillo, cujus extremitas carbaſo obvoluta & terebinthina imbuta, ut MARC. DONATUS *libr.* 1. *Cent.* 12. Tineam, qualis in tritico generatur, inſtillata terebinthina tepida, ſe eduxiſſe perhibet, monente JOH. VAN HORNE *Microtechne pag.* 12. & SOLINGEN *Chirurg. libr.* 1. *cap.* 10. Quod ſi vero ad meatum oſſeum talia deſcenderint, huncque obturent, res difficilior eſt, & neutrum horum inſtrumentorum ſuffi-

ſufficiet; adeoque præter ÆGINETAM *libr. 6. cap.* 24. MARC. DONATUS *loc. alleg.* ejuſdem meatus inciſionem pone aures & in ejus parte ſuperiore adornare ſuadent: ubi ſcil. nulla vaſorum laceratio metuenda & meatus ſubſtantia, non cartilaginea, ſed membranacea & glanduloſa tantum eſt, quo per aperturam hanc inſtrumenta commendata commodius e directo magis applicare liceat. De cætero illapſa quævis, niſi firmius impacta & aſperiora fuerint, quæ impetuoſius commota interiora lacerent, PAREUS *Libr.* 16. *cap.* 23. concitata ſternutatione vel tuſſi nares & os ſimul obturando exſturbare conatur: quo compreſſo quaſi & per aquæductum *Euſtachii* ad aurem coacto aere heterogenea ejuſmodi exploduntur. Quod commodius fiet ſi meatui auditorio lubricitationis gratia prius aliquid olei liliorum alborum aut amygdalarum dulcium immittatur, & æger aurem obſtructam cum capite ad humum deflectat, conſentientibus TULPIO *lib. I. obſ.* 36. VESLINGIO, LINDANO, CONRAD. VICTOR. SCHNEIDERO *libr. de oſſe cribriform. p.* 455. ut ex antecedentibus patet. Aqua frigida ab immerſione illapſa, reclinato capite humum verſus, ſua ſponte effluit, reliquiæ ejus carboſo ſive linteolis tenuioribus exſiccandæ.

§. XXV.

Tenſio membranæ tympani a ſtagnatione humorum aere frigidiori concitata poſtulat remedia reſolventia, v. g. ſpiritus volatiles urinoſos atque ſulphureos, nempe ſalis ammoniaci, cornu cervi, ſal volatile oleoſum Sylvii, tincturam tartari ſimplicem atque compoſitam &c. intus propinata. Externe ſacculi ex floribus ſambuci, chamomillæ, herba ſerpilli, majoranæ, origani, baccis lauri &c. calide applicati conveniunt; felicius reſolutio humorum ſuccedit, ſi inſimul corpus aeri calidiori exponitur. Quæ vero tenſio à metaſtaſi humorum febrium acutarum originem ducit curato morbo primario, ſcil. febre acuta, per remedia illi congrua, etiam ſine topicis adhibitis, tollitur. Idem dicendum de tenſione quæ originem habet a cephalalgiis diuturnioribus, lue gallica inveterata, quæ peculiaria remedia requirit, ſcil. decocta atque eſſentias lignorum, evacuantia mercurialia: ſi his non cedit, ipſa denique ſalivatio inſtituenda.

§. XXVI.

Laxitas ejusdem membranæ a copioſiore ſecretione glandularum meatus auris externæ imminuitur per evacuantia congrua, ex ſcammonio, jalappa, aliaque ſerum abundans educentibus, propinata: iisdem quoque remediis defluxiones catarrhales removeri poſſunt. Externe vero ad corroborandas glandulas aliasque partes auris, nervina atque anticatarrhalia applicare convenit, v. gr. flores lavendulæ, folia ſalviæ, roſmarini, herbam & flores origani, ſerpilli, majoranæ, maſtichem, baccas lauri, ſuccinum atque caſtoreum. Imo moſchus ſolus & per ſe auribus immiſſus in ſurditate ipſa adeo laudatur a FORESTO *lib.* 12. *obſ.* 15. Mulier Delphenſis, inquit, cum ex diuturno morbo convaluiſſet, incidit in ſurditatem ſatis diuturnam, quæ cum ſatis purgata eſſet, & deinde a medicamentis abſtineret, & longo tempore adhuc ſurditate laboraret; vetula quædam ei conſuluit, ut granum unum vel alterum moſchi optimi in bombace miſceret & auri perpetuo imponeret. Hoc remedio præter omnem ſpem, ab omni ſurditate liberata eſt. Ego multos quidem, quibus auris ſanie longo tempore maderet, curavi ſola impoſita bombace, in qua moſchus reſervatur, quod & aurem exſiccaret & ſimul ſurditatem tolleret. Aquas deſtillatas quoque mediante goſſypio membranæ tympani tepide applicare licet, v. gr. aquam vitæ juniperinam, aquam anhaltinam, ſpiritum acouſticum Mindereri, Mynſichti, eſſentiam ſuccini. Olea deſtillata nervina efficaciſſime quoque operantur, qualia ſunt roſmarini, majoranæ, ſalviæ, fœniculi, ſpicæ, caryophyllorum, ſuccini, rutæ &c. Quæ tamen propter nimiam vehementiam ſola non ſunt uſurpanda, ſed in parva quantitate miſceri poſſunt cum oleo amygdalarum amararum, vel liliorum alborum, notante RIVERIO *Prax. Libr.* 2. *cap.* 2. Neque negligenda decocta fructuum, florum, herbarumve aromaticarum, quarum vapor per infundibulum ad aures dirigitur, & tanquam ſpecificum decoctum illud ex hedera terreſtri paratum commendat SIMON PAULI *Quadr. Botan. p.* 65. Tympani laxati aliquomodo iterum ad tempus tenſi ſive correcti duo exempla allegat WILLISIUS *Tract. de An. Br. p.* 69. accepi inquiens, olim à viro fide digno, ſe mulierem noviſſe, quæ licet ſurda fuerit, quouſque tamen intra conclave tympanum pulſaretur, verba quævis clare audiebat; quare maritus ejus tympaniſtam pro ſervo domeſtico conducebat; ut illius ope colloquia interdum cum uxore ſua haberet. Etiam de alio, pergit, ſurdaſtro mihi narratum eſt, qui prope campanile degens, quoties una plures campanæ reſonarent, vocem quamvis facile audire, & non alias potuit. Procul dubio horum ratio erat, quod tympanum in ſe continuo relaxatum ſoni vehementioris impulſu ad debitam tenſionem, quo munere ſuo aliquatenus defungi potuerit cogeretur.

§. XXVII.

Indurationem membranæ tympani, ſi nondum corrugata deprehenditur, corrigere atque emollire licet lacte tepido quotidie ſemel vel bis inſtillato: huc quoque faciunt aquæ ex plantis lenientibus, v. gr. althæa, malva, atriplice, mercuriali &c. deſtillatæ atque membranæ applicatæ: ſi vero rugas contraxerit eadem membrana, qualium THOM. BARTHOLINUS *Centur. 6. hiſtor.* 77. meminit, a pane calidiore incaute admoto, pro incurabili utplurimum habetur. Commendatur tamen ab Autore jam nominato externum remedium a PRÆVOTIO *in Select. Remed.* pro ſecreto habitum quod ex croco, caryophyllis & ſucco cyclaminis componitur cui aquam roſaceam addit, bombace excipit auribusque immittit. Craſſities membranæ tympani præternaturalis ex hydrope ortum ducens per remedia hydropi congrua tollitur, v. g. gummi gutta, helleborum nigrum, colocynthidem, tartarum emeticum; aliaque ſuperius de defluxione catarrhali recenſita. Salutaria etiam ſunt ſalia fixa plantarum, v. g. dipſaci, geniſtæ, ſtipitum fabarum, ononidis &c. ſi urinæ emiſſio ſubito ceſſat, jubet PLATERUS *libr.* 3. *obſ.* 735. præparari diuretica quædam, inter quæ etiam terebinthina erat, quibus ſumtis ipſa ægrotans ſæpius quater decies urinam emiſit; verum illa cito ſiſtebatur, atque iterum ex aure abunde profluere dictus humor cœpit; ita ut viginti quatuor horarum ſpatio menſuras aliquot auguſtanas aquæ puræ cui omnis odor guſtusque deerat ejecerit. Cum vero poſtea rurſum terebinthinam ſumſiſſet, denuo lotium reddidit, primum magna copia, remittente aurium hoc fluxu, poſtmodum vero naturaliter, nec quicquam inde mali paſſa eſt. Squammæ membranam craſſiorem reddentes atque a lue venerea originem trahentes per illa remedia, quæ lui appropria dicuntur, curandæ, quorum quædam ſuperius de tenſione membranæ recenſuimus. Perforatio ſeu laceratio membranæ tympani omnem reſpuit curam, quod etiam ſentiendum de exulceratione hujus membranæ atque oſſiculorum auditus ſitu vitioſo,

vitioſo, fractura, defectu & conformatione a primo ortu præternaturali.

§. XXVIII.

Exulcerat[illegible] glandularum tam auris externæ quam parotidum, quomodo tractari debeat, ex ſuperius allatis conſtat. Membrana glanduloſa ſinus maſtoidei præternaturaliter conſtituta, lymphamque aut qualitate peccantem ſeparans, remedia magis univerſalia, organa digeſtionis ſuccurrentia atque totam maſſam ſanguineam corrigentia, poſtulat, quæ & qualia eſſe debeant, quomodo quibusque circumſtantiis adhibenda ſint, ex ſuis locis peti poteſt. Preſſio nervi auditorii ab humoribus craſſioribus eadem quoque ratione ac ſtagnatio corrigenda; quæ vero ab intempeſtiva unguenti mercurialis illinitione ortum traxit, peculiarem exigit curam, qua mediante particulas mercurii currentis per ſalivam, ſive ſudorem, ſive alvum, ſive denique vias urinarias eliminare licet. Nervo auditorio exſiccato nullum ſupereſt medicamen. Compreſſio nervi auditorii a particulis heterogeneis tempore febrili ſeparatis ſeu depoſitis, febrium remediis congruis tollitur. Ubi in malo inveterato, præſertim ſubjectorum ſcorbuticorum cura remediis ordinariis ex voto non ſuccedit, thermas ſulphureas & bituminoſas in ipſa quoque ſurditate commendat Riverius *Prax. lib. 2. cap. 2.* ubi modum utendi etiam addit ex Penoto, cujus verba ita ſonant: nihil æque conducit in ſurditate etiam poſt centum remediorum uſum, quam ut patiens, optime prius corpore mundato & deinde capite purgato ſulphureis balneis caput madefaciat hoc modo. Ex ſpongiis magnis conſutis veluti cucupham ferat in capite, ad ſupercilia & infra aures deſcendentem. Sedeat ſub canali balneorum, & verſo epiſtomio aquam accipiat, quæ abſorpta ſpongiis, caput continuo calore ſuo fovebit, atque omnes capitis ſuturas auriumque commiſſuras deducens atque aperiens, materiam impactam nervis viisque auditoriis reſolvet per habitum, aut adeo mutabit, ut brevi ſit abitura. Bis in die ita ſedere convenit ad horas duas, ac deinceps ſtatim ſudare in lecto. Effectum laudabilem confirmat civis hujus loci honeſtus, ſicuti nobis retulit, ſe uſu thermarum Carolinarum per duas ſeptimanas continuato, omnem difficultatem amiſiſſe perfectumque auditum recepiſſe.

§. XXIX.

Spirituum denique animalium defectus reſtituitur copioſiore aſſumtione alimentorum ſpirituoſorum eorumque laudabili digeſtione per confortantia. Humorum evacuationes intempeſtivæ per appropriata medicamenta ſiſtendæ. Tenacior particularum ſpirituoſarum implicatio a malo hypochondriaco, ejusdem mali curam exigit: quemadmodum motus tardior vel impetuoſior, vel irregularis, morbi primarii cura emendatur.

§. XXX.

Diæta in auditu difficili conveniens pro cauſarum varietate varianda, ſicuti ex ſuperius allegatis cauſis patet: inprimis autem vitentur omnes cibi craſſi, viſcidi, & difficilis concoctionis, acidi, & flatulenti; panis ſit bene fermentatus. Pro potu otdinario convenit cereviſia optime defæcata, nec multo lupulo condita, caput gravans; vinum generoſum, præprimis ſi viſciditas peccat, quandoque moderate aſſumtum convenit. Totum corpus præſertim aures cuſtodiantur ab aere & vento frigidiore; exulent venus nimia & ebrietas animique affectus immoderatiores. Somnus & vigiliæ nec excedant, nec deficiant.

DISSER-

EXERCITATIO PHYSICÔ-MEDICA

DE

MENTIS MORBIS

EX MORBOSA SANGUINIS CIRCULATIONE

ORTIS,

Primùm edita Anno 1700.

PROTASIS.

SOLIUS corporis humani curam ad Medicum ſpectare, hujusque totam ſcientiam in illius conſideratione & medela occupatam eſſe qui putant, næ nimis anguſtos Medicinæ, quæ ampliſſimo gaudet ambitu & circa eminentiora verſatur pariter & nobiliora, limites ponunt, & minus rectè de egregio illius ſtudio ſentiunt aut judicium ferre valent. Quid amabo aliud eſt Medicina, niſi vera Philoſophia, & cuinam magis iſthæc dedita & intenta eſt, niſi comparandæ valetudini cum mentis tum corporis, ut adeò Medicina genuina Philoſophiæ ſit proles. Veritati itaque magis conſentaneum eſt, ſi quod ſibi jam pridem vendicat, excellentius relinquimus objectum, quoniam dicente HEURNIO *Inſtitut. p.* 58. Medicina non in ſolius corporis, ſed hominis, qui ex animo & corpore conſtat, cognitione verſatur. Quod corpori luctandum ſit cum hydra lernæa novos ſubinde morbos inferente & graviſſimæ ἀτονίᾳ & turbæ hinc aſſurgant, quivis propria inductus & convictus infirmitate communi hominum næniæ ſubſcribere cogitur: mentem verò æque morbis, qui Medici ope indigeant, tentari, haud pauci forſan erunt, qui illud in dubium vocare ſe poſſe exiſtiment, &, ut ſibi videntur, non deſtituti ratione, cum mens, (liceat uti verbis SENECÆ *in Epiſt.* 66.) ut pars divini Spiritus in corpus humanum merſa, non poſſit morbidum ſtatum incurrere, quem Medicus ullis remediis corrigere & emendare noverit. At aliter ſentient, poſtquam nobiscum conſortium animæ, quo cum corpore arctiſſimè unita eſt, paulo accuratius trutinaverint, & quanta unius in alterum vis ſit atque potentia, edocti fuerint. Utut enim mens immaterialis, adeò firmiter tamen corpori materiali inhæret, ut hoc labefactato turbulenter exerat motiones & graviſſimum periculum homini inde immineat. Imò longe gravius eſt malum morbus animi quàm corporis, quandoquidem iſte in efferos motus deductus non tam citò nec tam commodè remediis cedit. Minime itaque nos a vero aberrare perſuaſi ſumus, ſi non corpus ſolum ſed & animum dicamus cauſarium, hujuſque anomalos motus ex prohibito ſanguinis curſu naturali circulatorio deducamus. Quomodo enim animus ſine perturbatione eſſe poterit, ni corpus fuerit ſine dolore, ex quo utroque bene ſe habente ceu duplici bono ſummum beatumque componi referente SENECA *l. cit.* EPICURUS ſtatuit. Unde quæſo languor, mœror, furor & omnis dubius mentis ſtatus? niſi a ſanguinis circumflui vitio. Fluctuat animi valetudo, titubat εὐθυμία, vacillante ſanguinis legitima circulatione. Ut animus ſerenus efficiatur ipſique medela procuretur, reſtitue prius debitum ſanguinis circuitum. Quam inſignem de Mentis Morbis ex irregulari ſanguinis circulo inductis materiam à plurimis ferè neglectam aut non ſatis penſitatam, loco Speciminis Academici ſub Summi Numinis auxilio præ aliis eligere, ſcrutari atque penitius eruere nobis non inutile viſum fuit, cujus ardua inveſtigatio me nondum diu ſtationem Medicam peragentem ab incepto neutiquam deterrere valuit, ſed tantò majorem ſtimulum proficua ejus in Medicina conſideratio addidit,

Cum ſtudii finis mihi ſit, ne mente laborem,
Quæ bona qui fiat, nos Medicina docet.

§. I.

Divinam & immortalem Mentis proſapiam in ergaſtulo mutationi ac corruptioni obnoxio coruſcantem ſacra veſtigatione proſequentes, nunquam ſatis mirari atque deprædicare poſſumus præclariſſimam iſtius divinæ portionis naturam atque virtutem, quam proin ex voto perſcrutari non integrum eſt, adeo ut quod S. AUGUSTINUS *l. II. Conf. ſſ.* de tempore diſſerebat, potiori jure de anima enunciare liceat; quid eſt anima? quis hanc facile explicuerit? ſi nemo, à me quærat, ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio. Mens utut originis ſuæ probe conſcia, quæ omnia in mundo metiri atque comprehendere novit, ſui tamen ipſius quaſi ignara & eſſentiæ ſuæ neſcia, ita ut dum in ſe deſcendit, incunabula ſua extra ſe requirat, & ad Autorem ſuum, cujus ſimilitudo quædam eſt ac imago, ſubmiſſa deveneratione recurrat. Major adhuc nos rapit admiratio, quando ſingularis Dei T. O. Sapientia atque Majeſtas ex artificioſiſſimo mentis cum corpore vinculo elucefcit. En! mens quæ in ſe libera eſt & indefinita, domicilii hic circumſcribitur terminis; mens, inquam, quæ immaterialis & cogitans eſt, in corpore materiali & organico actiones & operationes ſuas exerit dirigitque. O profundam & myſterio plenam ſummi Creatoris Sapientiam! Quid ergo mirum, quod in iis, quæ ingenii noſtri modulum tranſcendunt, mentem noſtram clare exponere non datum ſit, hinc ſatis nobis erit, modò iſta, quæ ad rem noſtram propius faciunt, explanaverimus, quare antequam ad ipſam morborum mentis conſiderationem deveniamus, quædam circa mentem ejuſque tranquillum ſtatum ex æquabili ſanguinis circumactu exſurgentem breviſſime præmittere atque prælibare conſultum ducimus.

§. II.

Immaterialem & a corporea prorſus alienam homini conceſſam eſſe ſubſtantiam, nullus, ut opinamur, erit, qui de ea etiamnum dubium fovere poſſit, dum actiones & functiones, quas mente peragimus, ex materiali principio derivari nequeunt. Aut ſi quis erit, qui halitu iſto divino, quo JEHOVAH primum hominem afflavit, animam materialem evincere ſerio intendat, ei demum probandum incumbit, num gratioſiſſimum illud, accipite Spiritum Sanctum per divinum afflatum a Servatore noſtro diſcipulis & Apoſtolis ſuis conceſſum ſenſu materiali & corporeo accipi queat; quod ſi dicatur, maximè erroneum eſſet & manifeſto S. Scripturæ, Omnipotentiæ & Bonitati divinæ nec non ſanæ rationi repugnaret. At illorum refutatione hic ſuperſedeo, cum uno ictu, quæcunque proferantur argumenta, facile evertantur & corruant. Quis enim non videt effectus diſtinctiſſimos in corpore & anima, quorum illi ex mechaniſmo homini ac brutis communi, hi vero ex moraliſmo & immaterialitate (ſit venia verbo) deducendi veniunt, ut diverſiſſimos adeo de utriuſque ſubſtantia formare debeamus conceptus. Senſus enim occaſiones quaſi & anſas ſubminiſtrant, ad quas mens concurrit, ad eas attendit, reflectit, eaſque dijudicat. Quam quidem ſententiam quoque ſuſtinuiſſe legimus TAUVRY *in ſua Anatom. Ration. p.* 283. ubi inquit: *modificationes organorum, quæ ad cerebrum uſque continuantur, nihil eſſe poſſe quam cauſas occaſionales noſtrarum cogitationum.* Vel ut ſubtilis SCALIGERI *l. de Subtil. ad Card. Exerc. CCCVII.* 5. effatum eſt: Anima implicita corpori per ejus officiales atque adminiſtras partes recipit impreſſiones. Fit ergo cum talis, quales illæ ſint. Eſt quippe anima inſtar ſpeculi, quod uti radios recipit & de ſe ſpargit, ita & iſta objectorum, quæ ſenſus feriunt, præſentia anſam accipit de iis cogitandi indeque motus animales dirigendi. Exinde variæ emanant actiones ac paſſiones, ut ſenſationibus conformes fiant cogitationes, & id dicimus σύμπραξιν & unionem mentis atque corporis, qua homo ex beneplacito ſummi Numinis ſolus gaudet.

§. III.

Hæ binæ ſubſtantiæ, utut ſingulæ ſeparatim exiſtere potuiſſent, Omnipotenti tamen Creatore ſic volente tam arctiſſimo junctæ & unitæ ſunt fœdere, ut una valente & vigente & altera vigeat; altera vero in muniis ſuis turbata & altera quoque officiis ſuis obeundis non amplius par ſit. Ut vero anima & corpus amice conſpirent, utraque valeant, & juſta motuum harmonia inde reſultet, hoc opus, hic labor eſt, quem Medicus Philoſophus ſcrutinio ſuo minime indignum cenſet. Quid enim præſtantius cognitione ſui ipſius, quid vero beatius quam gaudere mente tranquilla, quæ niſi circulus ſanguinis fuerit ſalvus, conſiſtere nequit. Cum itaque duplex ex utriuſque vigore commodum in hominem redundet, paucis diſquirere liceat, qua ratione ſerenitas mentis a ſanguinis circuitu dependeat. Ut homo non minus ac reliquæ animantes ſartus tectuſque ſervaretur, motus requirebatur, & quidem ut jugis & perennis foret, circularis, qui eſt actus & effectus mechanicus. Eum in finem cor quaſi centrum & commune diribitorium conſtituebatur, ut terminus eſſet ſanguinis tam proflui quam reflui, ſicque omnium arteriarum principium & venarum portus, quodque motum uſque redintegraret. Quod etiam Excellentiſſimus Dominus PRÆSES, Promotor ſtudiorum meorum omni obſervantiæ cultu proſequendus, cui initiamenta Medicinæ gratus accepta refero, in *fundam. ſuis Med. cap.* 4. §. 41. innuit. *Cor eſt omnis motus in corpore noſtro & ſanguinis circulationis, (ſine qua homo naturaliter vivere nequit,) primum principium & inſtrumentum & primum impellens ſanguinem.* Quando igitur ſanguis æquabili, conſono & libero motu ad partes fertur, & idem æque expedite, utut non eadem celeritate, refunditur, optimus tunc hominis eſt ſtatus, actiones vitales & animales rite ſuccedunt, ſecretiones & excretiones promoventur, corpus & anima ſuum inde robur acquirunt, uno verbo, ſanitas corporis & εὐταξία mentis humanæ ſalva eſt & incolumis. Quamvis enim mentis vita a corporis diverſa ſit, attamen dum in & per corpus operatur, indiſſolubili, quod ipſi cum corpore intercedit, vinculo æque de corporis valetudine participat. Hinc non ineleganter modo memoratus Exc. D. PRÆSES *ib. cap.* 3. §. 18. dicit: *Qualis eſt temperies & motus ſanguinis & humorum, talis etiam eſt motus ſpirituum animalium, & qualis ſpirituum animalium motus ac temperies, talis etiam mentis motus, inclinationes & cogitationes exſurgunt.* Et cum tota dies nos doceat, quod variantibus corporis motibus mentis actus quoque diverſi proveniant, omnino opinamur prudentiam & εὐθυμίαν maxima ex parte fundari in placido ſanguinis itu redituque quod & ipſe Medicorum Parens *I. de flat.* confirmat: *Nihil*, inquit; *inter omnia quæ in corpore ſunt, ad prudentiam æquè conferunt quam ſanguis, inprimis cum in conſtante habitu perſiſtit, ex cujus unica conſideratione Medicinæ dignitas prominet atque effulget.*

§. IV.

Motu itaque communis vigoris & integræ valetudinis, cujus commodum in corpus & animam æquè redundat, prævie & ὡς ἐν παρόδῳ per tranſennam expoſito, acceſſum jam facimus ad ipſam & quidem genera-

generalem morborum mentis evolutionem. Ut vero quid nos per mentis morbos intelligi velimus, cuivis pateat, præmonendum arbitramur, quod iſti varia ſignificatione accipi & tum ſenſu Theologico, tum Morali, tum etiam Phyſico-Medico explicari poſſint. Ille quidem morbus mentis in genere denotat labem communem a primo homine in totum genus humanum translatam, quam illius ſub ſpecie boni allecti, quaſi Deo æqualis redderetur, ambitio & ἀνομία introduxit; hinc mens non amplius ſui juris ducitur & mergitur fere, ni ὁ λόγος τοῦ πατρὸς hanc gratia ſua retraheret & erigeret, illecebris & cupiditatibus inordinatis carnalibus, quæ ſunt corporis, & inde continua exoritur pugna mentis cum corpore, de qua Theologi. Iſto vero priori ſubjuncto commotiones animæ, ſive ut vulgo vocantur paſſiones, quæ rectæ rationis moderamini non ſubjacent, nihil aliud ſunt quam morbi animi. Undenam oriuntur inordinati animi affectus? niſi a præcipiti, confuſo & erroneo phantaſmate & repræſentatione alicujus rei, quæ in mente ideam vel boni vel mali excitet, & ſic nos ad ſui propenſionem & deſiderium vel ad averſionem & fugam diſponat, imo trahat, quæ tamen exagitationes animi, ſi veræ rationis incudi ſubjicerentur, objecta nobis per phantaſmata communicata & impreſſa indifferenti quaſi & tranquillo trutinaremus animo. Minime vero illi ſumus, qui cum Stoicis affectus in homine penitus exſtirpandos eſſe temerarie aſſeramus, aut ἀπάθειαν admittamus, cum affectibus in rebus peragendis nil nobilius, nil generoſius exiſtat, ſed quod mens carcere corporis ita teneatur, ut niſi prudenti regimine & optimis doctrinis iſtos animæ morbos domare & frænare calleat, de quo ſapiens ſibi ſolus gratulari novit. Sed ne longius extra pomœria noſtra exſpatiari videamur, iſtam morborum mentis tractationem Ethicis relinquimus, & potius quid ſenſu Phyſico & Medico ſub morborum mentis nomine veniat, declarabimus. Morbos mentis nominamus, quando ſanguinis περιφορὰ ſeu circumvectio inæquabilis indiſtincto numero & menſura procedit, ut mens inſignem inde alterationem in actionibus ex mutuo conſortio emanantibus reportet. Cum enim quivis morbus ſit motus irregularis & a tramite naturali recedat, manifeſto liquet, & mentis motus reſpectu quoad corpus anomalos merito dicendos eſſe, ſi nimirum medium illud, per quod in corpus noſtrum operatur, læſum aut diſturbatum fuerit: uti enim actiones cerebri ſeu mentis integræ ſequuntur actiones ſeu motus corporis naturales, ſic quoque mentis anomaliæ cum corporis communicant & coincidunt. Differunt hi morbi mentis ex ſanguinis circulo turbato oriundi à commotionibus animæ ſeu affectibus in eo, quod hi occaſione objectorum externorum & mediantibus phantaſmatibus moraliter erumpant; iſti vero magis ab intra exſurgunt & ex mechaniſmo nec non motuum ex circulatione ſanguinis provenientium perturbatione dependent.

§. V.

Per minimos etiam rivulos, qui in vaſtum maris oceanum corrivantur, omnes illius æſtus & tumores telluri, quam perreptant, ſeſe affricare & allidere, id triſtes ſatis abunde docent exundationes. Minimi canaliculi, quos in corde ceu communi eorum capite & oſtio nec non motuum inchoamento terminari audivimus, toti corpori, ſic & cerebro, quod pervadunt, illius exæſtuationes & redundantias communicant. Prout itaque circumlatio ſanguinis vel præcox vel tarda vel impedita eſt, temperies quoque cerebri diverſimode eſt conſtituta, & functiones mentis varium inde exhibebunt ſchematiſmum. Cum vero maxima in motu, circulatione ſanguinis & propenſionibus animi deprehendatur diverſitas & diſcrepantia, diſpiciendum jam nobis erit, undenam iſta proveniat & quare non omnes iiſdem mentis morbis laborent. Ne igitur ἀμεθόδως rem noſtrum agamus, primum temperiem humorum inquiremus & ex ea diſcrimen circulationis ſanguinis & inde prognatorum mentis morborum derivabimus, quo facto morbos mentis ratione regionum, ætatum, imo ſexus differre clariſſimis argumentis dabimus evictum.

§. VI.

Scite non minus quam Medice dixit LUCIANUS, dum in hæc verba in Abdicato ſuo erumpit: Σωμάτων φύσεις καὶ κράσεις οὐκ αἱ αὐταὶ, κἂν ὅτι μάλιστα ἐκ τῶν ὁμοίων συνεστάναι ὁμολογῶνται, ἀλλὰ τὰ μὲν τῶνδε, τὰ δὲ τῶνδε μᾶλλον ἢ ἔλαττον μετέχει. Cui ulteriorem lucem fœnerat, quod ETTMULLERUS notat. *p.* 709. *Vol.* 2. Temperatura tam capitis quam omnium aliarum partium a maſſa ſanguinea dependet, quæ quando eſt calida, vel quando eſt humida, etiam omnes partes, per quas tranſit, ſimiles proprietates acquirunt. Sunt equidem elementa, ut modo dictum, ſanguinem conſtituentia eadem, at variam & variabilem ſubeunt conſiſtentiam, & ſub prothei larva incedunt, ex qua diſcrepantia etiam vulgo nota exoriuntur ſic dicta temperamenta, quæ, ni inſignis accedat mutatio, ſana dici poterunt. Alioquin enim nemo daretur homo ſanus, cum nullum proſtet corpus, quod in omnibus æquali gaudeat temperie, exquiſita qualitatum elementarium συμμετρία, & omnibus numeris abſoluto motuum concentu. Quod vero unum temperamentum præ alio magis minuſve ſanum, hincque plures vel pauciores morbos incurrat, nobis ob oculos ponet inveſtigatio diverſæ ſanguinis conſiſtentiæ, cui tamen notitiam principiorum ſanguinis præmittere conſultum ducimus. Quæ dum excutere intendimus, non hic Veterum prememus veſtigia, qui ex quatuor elementis, quibus corpora conſtare ſtatuerunt, totidem derivarunt humores, qui cum eorum natura convenirent cum ſanguine mixtorum; ſed ut

Junctum disjunctum mixtum dat Chymicus omne,
Quod prius eſt geneſi, poſteriusque capit;

Sanguinis corpuſcula disjungemus, ut hac reſolutione in totam ejus mixtionem perveniamus. Conflatur autem ſanguinis ſubſtantia ex diverſis principiis, inter quæ primicerium ducit ſulphur, quod ſane in actum & motum deductum omnia reliqua agilitate ſua ſuperat & motum inteſtinum fovet ac conſervat. Talem oleoſitatem & pinguedinoſam ſeu ſulphuream ſubſtantiam in ſanguine exiſtere varia evincunt tentamina Phyſico-chymica, quæ ſicco pede lubenter hic tranſimus. Alterum principium ſanguinem conſtituens terra audit, quæ fixior & ſiccior, hincque ad motum ineptior & tardior exiſtit. His tertium accedit, quod aqua dicitur, quæ cum terra mixta phlegma Veteribus audit; inter quæ denique connumerandum venit principium quoddam terreum ſubtile ad ſalſedinem diſpoſitum, nam ſub ſalino ſchematiſmo, in ipſa ſanguinis mixtione hoc neutiquam ſe ſiſtit; ſed ſi actio ætheris vel per putrefactionem vel per fermentationem accedat, tunc demum ſal producitur. Ex hiſce itaque principiis ſimul ſumtis liquor ſanguinis vitalis componitur, miſcetur & coadunatur, & ex infinitis talismodi corpuſculis totius maſſæ ſanguineæ mixtio provenit. Hæc mixtio omnibus eſt una & eadem, ſed differt conſiſtentia, quam demum inclinationes, morbos & affectiones corporis & ſic etiam animi variæ dicimus. Hac nituntur tot idioſyncraſiæ, tot vitia, tot animi, ut adeo

eo Medicorum Antiſtes optimè dixerit; Magni refert, quali in corpore animi locati ſint, multa enim in corpore exiſtunt, quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt. A diſpari, inquam, ſanguinis conſiſtentia, uti vires & totius hominis ſanitas, ſic & virium proſtratio & morbi maximam partem dependent. Et omnino fundamentum habet, quod Celeberrimus BOHN. *in ſuo Circulo Anatom. Progymn.* 4°. notanter dicit, mediocrem ſanguinis conſiſtentiam conſervandis viribus miniſtrari, ſpiſſitudinem vero æquè ac fluiditatem nimiam earum perpetuationi & potentiæ maxime obeſſe. Quot vero modis conſiſtentia iſta alteretur, res certe altioris eſt indaginis. Communiter quidem quatuor numerare ſolent temperamenta, quæ tamen æque difficulter ac venti ad quaternarium numerum revocari poterunt, ſed tot, quot individua, fere dixeris temperamenta, quoniam clima, ſexus, ætas & victus ratio illa inſigniter immutant. In eo tamen convenimus, quod hiſce genericis & eximioribus omnia reliqua accedant & magis minuſve de iis recedant. Hinc ſi ſanguis conſiſtentiæ ſit fluidioris, motus celerioris, ut nimirum ſanguis maxima ex parte humiditate mediocri ceu conveniente vehiculo ſit inſtructus, ſanguineam temperiem Medici uno ore pronunciant, quam Veteres aëri reſpondere putarunt. Qua qui gaudent, ſanguinis agitationem circulatoriam habent vegetiorem, habitum corporis poroſum, & hi ſanguine κατ' ἐξοχὴν abundare dicuntur. Dum enim mollioris texturæ & rubicundi ſunt, commune ſuffragium eſt, ſulphur in iis prædominari, cum ab eo ſanguinis ſubſtantia rubicunda reddatur. Quæ ſanguinis contemperatio παντελεςάτη & optima eſt, cum ad motum progreſſivum aptior deprehendatur, & quoniam exilibus vaſis inſtructi ſunt hujus temperiei homines, hoc habent incommodi, quod congeſtiones ſanguinis & ſic impeditior motus arceſſatur, circulatio vero ſanguinis turbetur & conſtitutio cerebri ſimul declinationes ſubeat. Utut enim ſanguinei ut ſanguinei bene valeant, & alacres ſint, at ſi nimium ſollicitudinibus, pravis animi affectibus & venereis cogitationibus indulgeant, facile in aliam tranſeunt temperiem, & hoc pacto nimias vigilias, ſuppurationes, & inde deliria, phrenitidem & alia hujus generis incurrunt. Quorum morborum ad animum redeuntium modum ac geneſin oſtendere conveniret, at cum illos una via evolvere & abſolvere conſtituerimus, illuc eorum diſcuſſionem transferemus. Jam vero, ſi deficiant partes aqueæ humidæ, ita ut ſanguis nimium turgeſcat, non aliter ac ſi ſpuma ſanguini ſupernatet & rapidior motus fiat, tum dicitur temperies cholerica, quam Veteres calidam & ſiccam nominant & proinde igni comparant. Quod pabulum humidum deſit & partes ſulphureæ, vel Veteribus bilioſæ dictæ, exaltatæ ſint, docent vehementiſſimæ animi commotiones, iræ, furores, exacerbationes graviſſimæ, gracilis corporis habitus; hinc videmus iſtos ſuperbos, faſtuoſos & ardua petentes, & mania, phrenitide, deliriis truculentis, paraphrenitide præ aliis vel maximè infeſtari. At ſanguinis conſiſtentia ſpiſſiore reddita & minus ſulphurea minuſque mobili exiſtente, ut actiones vitales & animales lente progrediantur, circulatio ſanguinis tardior & cogitationes firmiores, fixiores proveniant, melancholiæ nomen iſti temperiei impoſuerunt, quæ frigida & ſicca antiquis audit ideoque terræ comparatur, quamvis minime in ſe frigida dici poſſit, cum melancholici, ſanguine laudabili, utut craſſiori, polleant, ſed reſpectu ſaltim priorum contemperationum magis ſulphurearum. Minime hic inficiandum eſt, & huic temperamento ſua eſſe vitia, ni bene regatur & diſponatur, dum inſidioſi, malevoli, deſperabundi & pervicacis animi facile redduntur, eximiis tamen, quid quod excellentioribus, quam omnia reliqua, inſtructum eſt virtutibus. Eo ipſo enim, quando taciturni, triſtes & cogitabundi ſunt, alios excellunt; horum quippe ſanguis dum in veloci & continua agitatione eſt, fit, ut minus rem deliberent, objecta minus ipſis inhæreant & rem quaſi ſuperficiarie tractent; iſti autem diverſitate objectorum, quæ ſenſus movent, in profundas injiciuntur cogitationes, quoniam ſanguis lentius procedit, & tenaces ſunt rerum, ut felicem ſic in ſtudiis ſortiantur ſucceſſum. Et eò ARISTOTELES reſpexiſſe videtur, quando omnes ingenioſos melancholicos eſſe pronunciavit. At vero ſanguine eorum vel nimis vehementer commoto vel tarde nimis progrediente & ſe circulante graviſſima exoriuntur animi pathemata, qualia ſunt delirium melancholicum ſive furor hypochondriacus, mania aut ſumma melancholia, de quibus ſuo loco. Denique & ultimo generalem differentiam ſubit ſanguis aquoſis & mucidis partibus ſtipatus, ut ſulphureæ ſuccumbant, tunc exſurgit phlegmatica conſtitutio, quam frigidam Veteres dixerunt & aquæ reſpondere opinati ſunt. Qui hujus ſunt habitus, magis ſtupidi, hebetes, tardi obſervantur, ob ſerum minus laudabile in ſanguinis conſiſtentia exſuperans, nec hi quidem morbis animi carent, cum circulus ſanguinis ob vaſorum exilitatem facili negotio in cerebro præpediatur, ut delirium cum ſomnolentia exoriatur.

§. VII.

Quod itaque ſanguinis intemperies nimium quantum ad animi morbos producendos contribuere poſſit, & agendi facultas ſeu animi vires a naturali conſtitutione dependeant, perſpeximus & enodavimus; jam quid ætas huc faciat, in apricum proferemus. Cum enim ætas ſecundum HEURNIUM *in Inſtitut. p.* 58. nihil aliud ſit quam intrinseca mutatio calidi nativi poſt ſe trahens totius temperamenti converſionem, certiſſimum evadit ſanguinem numero & qualitate eundem per quamque ætatem haud conſiſtere, ſed diverſam ſubire alterationem, conſiſtentiam & orgaſmum, imo ipſam ætatem diverſam inducere temperaturam. Quare ætatis ratio magnum momentum in conſideratione morborum animi, qui ab inſigni conſiſtentiæ naturalis receſſu originem ſuam trahunt, confert & adducit. Arborem tenellam de anno in annum novos ramos ceu novam roboris & vigoris acceſſionem acquirere, uſque dum ad ἀκμὴν & perfectam ſtaturam perducta fuerit, demum vero iterum ſuccum vitalem amittere, res indubitata & obvia eſt. Simile in homine contingere videmus, quem virium novum ſubinde additamentum perficit & detrimentum illarum paulatim conficit, ita ut ad ſui decrementum creſcere videatur. Et quod mirum, quo major ſanguinis motus, ebullitio quaſi & ferocia, eo promtius homo ſuſcipit fomitem morborum animi. Quo intuitu ad ſenſum Medicum trahere liceat verba egregia SENECÆ *in Epiſt.* 39. Noſter animus in motu eſt, eo mobilior & actuoſior, quo vehementior fuerit. Et hæc eſt ratio, quare infantes & pueri non æquè obnoxii ſunt iſtis pathematibus, cum illis actiones mentis adhuc ſint imperfectæ & inde leviores iſtis obtingant morbi animæ. Statim ac vero ſulphur in ſanguine magis ſui fit juris & extricatur grandior concitatur æſtus, circulus ſanguinis perverſa ludit dramata, temperatura cerebri tollitur & το γλυςχρὸν conſumitur, præprimis, ſi accedant ſpirituoſa, volatilia, profundiores animi meditationes; quocirca organa, queis mens ceu inſtrumentis utitur, depravantur, operationes facultatis animalis

malis perturbantur, & ſic ampliſſima morborum mentis datur ſeges ac materia. Juvenes itaque, viri ut & non pauci Senes ipſis graviter decumbunt & quidem ſanguinei, ſanguineo-cholerici nec non ſanguineo-melancholici, & quod paradoxum videri poſſet, uti ſecundum HIPPOCRATEM *de morb. ſecr.* animus in homine augetur, ſic non minus cum ætate morbi mentis incrementum capiunt.

§. VIII.

Non parum quoque uti mentis optimo vigori ſic & ejuſdem hebetudini & infirmitati favet Climatum diſparitas, ex qua diverſa ſanguinis ἀέξωσις, ut GALENI verbis utar, promanat. Certo enim certius eſt, quod mens noſtra ab ambiente aëre & cœli nec non ſoli ſitu mirum in modum afficiatur, quod plurimis jam abhinc ſeculis Sapientiſſimus HIPPOCRATES experientia teſte conſignavit, dum ſic effatur: *Prudentiam cerebro aër ſubminiſtrat*; & mox paulo inferius; *ſapientia toti corpori contingit, prout aëre participat.* Ex quibus pari fundamento contrarium tranſumere nobis integrum eſt. Mirari deſinemus Gallorum levitatem, Hiſpanorum gravitatem, Anglorum in Mathematicis ἀγχίνοιαν, & Italorum inſatiabilem libidinem, modo perpendamus & conferamus regionum maximam diverſitatem. Ratio quoque manifeſta erit, cur hæc Natio magis mania, illa vero melancholia, altera phrenitide, altera deliriis graviſſimis detineatur. Ut adeo inferre nulli dubitemus, quod, quemadmodum certi dantur morbi endemii corpus affigentes, non minus morboſi mentis ſtatus certis regionibus ſint peculiares & familiares. Craſſities enim vel ſubtilitas aëris, vapores, exhalationes terræ magis minuſve noxiæ, ventorum putredinoſus vel rigidus perflatus, maris & aquarum ſalſugo aut uligo, ſolis denique major vel minor proximitas, ut & victus ratio vel ſalubrior vel deterior, corpus, ſanguinem ejuſque circulum nec non temperiem cerebri variis modis alterant, temperant & conformant, ut ſic diverſiſſimæ animæ inde propullulent affectiones.

§. IX.

Quodſi jam ultimo ſexus rationem habeamus, & cum ipſo ſanguinis circulum variare aſſeramus, & inde quoque diverſitatem morborum mentis derivemus, a vero non aberrabimus & in meliorem eorum deveniemus notitiam. Bene refert MOEBIUS *in fundam. Med. Phyſiolog. cap.* 7. Ratione ſexus temperamenta quoque differunt, mares enim natura fœminis calidiores, quod ex actionibus, robore, laboribus, conſtantia & corporis habitu evidentiſſimum, & ipſe HIPPOCRATES *lib. de victus ratione*, mares calidiores & ſicciores, fœminas autem humidiores & frigidiores proclamat. Cui aſſertioni fundamentum præbuit quotidiana obſervatio, quod fœminæ habitum corporis habeant δυσδιαφόρητον, & humoribus uteri gratia per periodos & ſtata tempora colligendis & excernendis ſcateant & exinde perfrigerationes, tumores & non rarò collectiones aquarum perſentiſcant & experiantur. Quanquam verò mares vegetiori ſanguinis circumactione, vehementiori calore nec non fortiori pulſu fœminis antecedant, & hac ratione tanto facilius ad morbos mentis, qui ex effero ſanguinis motu proveniunt, diſponantur, minime tamen fœminæ iſtis immunes ſunt, ſed & hic patiuntur ſuos manes, quando minus liberam circulationem obtinent, & nimis diu lympham ſeminalem retinent, cum illas maniæ ſeu furori uterino dicto obnoxias eſſe obſervationes teſtentur, quale exemplum PLATERUS *in ſua Praxi Med. tom.* 1. *cap.* 3. annotavit & vidit in nobili matrona alioquin honeſtiſſima, quæ & homines & canes ad congreſſum verbis geſtibusque turpiſſimis invitaret. Ex quibus hactenus adductis ſatis diluceſcit, nullum ſic dictum temperamentum, nullam regionem, nullam fermè ætatem & nullum ſexum reperiri, ad quæ longe lateque ſerpens morborum mentis progenies ſe non exporrigat & quam ſuo vaſtiſſimo ambitu plures homines complectatur.

§. X.

His ita in genere expoſitis, conſideranda jam forent τὰ κατὰ μέρος νοήματος νοσήματα, quorum tamen cognitionem exactam non obtinebimus, ni prius illorum fundamentum a craſi ſive cum Veteribus temperie cerebri petamus, ut inde geneſis morborum mentis diluceſcat. Cum enim finis noſter ſit a temerato ſanguinis circulo morbos animi derivare, ductum vaſorum ſanguiferorum in cerebro proſequi materiæ connexio poſtulat. Cerebrum perinde ac omnes reliquæ partes ſua habet vaſa tam arterioſa quam venoſa, quæ in cerebri corticem ac ſuperficiem, per membranam maxime piam, (qualia liquore rubicundo conſiſtente ſingulari enchireſi ab ipſo repleta & ſeparata vidi ab Excell. Dn. PRÆSIDE in Anatomia nuperrima,) mirum in modum excurrunt atque inoſculantur: Imprimis verò arteriæ & venæ copioſæ plexum choroïdeum conſtituunt. Sanguis itaque in pulmonibus & corde ſubtiliſatus, & per carotides ac cervicales cerebro communicatus in corticalem & anfractuoſam illius partem motu pellitur & per capillares quoſdam ramuſculos interiorem ſubſtantiam nonnihil lambit & penetrat, ut vivificatio cerebri per communicatam ſubtiliſſimam & tenuiſſimam partem ſuſtineatur conſerveturque. Jam vero facilè accidit, ut in tanta vaſorum ſanguiferorum complicatione ſanguis non æquali, libera eaque neceſſaria unda, ſed torrente quaſi ad ſinus & dictum plexum choroideum feratur, vel deficiente motu impulſorio lente partes iſtas tranſcendat, quo demum impeditior ſanguinis circuitus peragitur, quem fontem fere dixeris omnium morborum; unde obſtructiones, ſtagnationes, dilacerationes vaſorum, effuſiones ſanguinis & ſeri inflammationes, exæſtuationes ut & ſuppurationes excitantur, & inde mentis operationes, quas in & per corpus exſerit, languidæ & turbidæ evadunt, & ſic mens præternaturaliter moveri & morbis laborare dicitur. Non male ergo infert MOEBIUS *in Phyſiol. pag.* 27. ubi inquit: In lethargo læditur memoria, in vertigine phantaſia, intellectus & ratio in melancholia, quæ ſunt operationes facultatis animalis, non quidem anima læditur nec facultates, ſed hæ impediuntur in actionibus ob organa non recte conſtituta. Quantum vero ſit commercium animi cum corpore, id colligere poſſumus ex raro ſane & curioſo exemplo, quod elegantiſſimus locus SANCTORII *p.* 606. *in Comment. ad Galen. nobis* ſuppeditat: Nos cognovimus, inquit, quendam juvenem, implacabilem, temerarium & plane irrationalem, qui poſt inflictum vulnus in ejus capite cum deperditione cerebri ſubſtantiæ miraculo vixit ſuperſtes, & inde factus eſt adeo placabilis, adeo prudens ut in ſuarum rerum regimine, in agendo, in prudenter loquendo paucos habuerit pares. Et quis dubitaret, quin cerebro non ſolum affecto, ubi motus progreſſivus non liber eſt, ſed & reliquis corporis partibus morbidis exiſtentibus, animus ſimul corripiatur. Morbi enim debilitant animum & cogitationem à feriis ad corporis dolores avertunt; ſive ut DEMOCRITUS ait in quadam ad HIPPOCRATEM Epiſtola: Augeſcit intelligentia præſente ſanitate, cujus providentiam habere, honeſtum eſt eos, qui recte ſentiunt. At ubi

corporis habitus ægrotat, neque mens ipſa alacritatem habet ad virtutis meditationem: morbus enim præſens vehementer animum obſcurat, intelligentiam ad affectionem per conſenſum ducens.

§. XI.

Quibus in genere ita excuſſis & recte conſtitutis, devolvimur jam ad ſpecialem morborum mentis tractationem, inter quos primum ſe offert affectus melancholicus. Nequaquam verò per hunc intelligimus naturalem iſtam ſanguinis temperiem, qua ipſe multis particulis fixis, immobilibus, craſſis conſpicuus & ſtipatus & ad utrumque motum, tam inteſtinum quàm progreſſivum, ſubeundum non parum ineptus eſt, utut hic cauſa remota noſtri affectus ut plurimum dicenda ſit, ſed illum maxime morbum, qui comitem habet perpetuum mœrorem, angorem animi, triſtitiam ſine cauſa quadam manifeſta, quique vel maxime ſe dignoſcendum præbet phantaſmatibus fixis, profundis & ſæpiſſime abſonis, pravæ imaginationis turbulentis actibus, præſertim timidis, terrificis. Hic ipſe affectus non abundantiam bilis aduſtæ juxta Veteres, neque accumulationem acidorum, auſterorum, terreſtrium humorum pro cauſa immediata agnoſcit; difficulter enim concipi poteſt, quomodo talis intemperatus humor materialiter & per ſe hunc affectum producere poſſit, ſed potius, ſicuti ſtatum animæ naturalem, ejuſque functiones & operationes ex ſanguinis circulatione per capitis vaſa in ſuperioribus arceſſimus, ita & firmiter ſtatuimus, ex circulationis ſanguineæ per cerebri vaſa tenore ac ſtatu præternaturali hunc & alios morboſos mentis affectus ducendos ac derivandos eſſe. Breviter enim hic iteramus, tales in mente oriri ac perfici cogitationes, tales quoque ideas, inclinationes & operationes, qualis ſolet eſſe circuitus ſanguinis in capite vel tardus, vel impeditus, vel celer. Noſtra itaque eſt ſententia, in melancholicis ſic dictis ſanguinem tardiſſime & impeditè vehi ac circulari per capitis vaſa. Minime ergo rationi & veritati convenit, in melancholia vaporem ex humore melancholico excitari, eumque ferri ad cerebrum & ſpiritibus animalibus commiſceri, qui cum craſſus, ater & tenebricoſus ſit, eos collutulet & delirium procreet; hoc vero diſcuſſo, diſſipato & per capitis poros eliminato delirium finiatur. Fert eadem opinio, quod ſi vel ob victum vel melancholicam viſcerum conſtitutionem humor generetur novus & novus vapor exſuſcitetur, qui perinde ut prior elevetur, ſpiritibuſque permiſceatur, delirium priori ſimile producat. At vero, dum ſanguis impeditius circulum ſubit, fit, ut ſanguis in melancholicis circa caput ſtagnet, quod vaſorum turgeſcentia capitiſque intumeſcentia abunde confirmant. Illud enim certiſſimum, melancholicos fermè omnes ſanguine copioſo, craſſo abundare, quod & experientia ſtabilitur, ubi illi, qui diu omiſerunt venæ ſectionem, & ſolennes evacuationes, per hæmorrhoides vel menſes in fœminis, non amplius obtinent, frequentiſſime hoc malo corripiuntur. Sanguine ſic inſpiſſato & ſpaſtice ſe circulante, ſomnum melancholici experiuntur turbulentum, & agitantur ſpectris rerum nigrarum, humorum, cadaverum, ſepulchrorum, quæ plena ſunt terroris. Patiuntur inſuper præter triſtitias & timorem continuum, melancholici in auribus tinnitum, ſtrepitus, ſuſurros, in oculis caliginem, in cerebro vertiginem, in meningibus dolorem, in arteriis pulſationem moleſtam, in corde palpitationem, in thorace anguſtiam & quandam ſpirandi difficultatem, in ſomno terribilia phantaſmata, quanquàm etiam non raro vigiles & inſomnes traducant noctes, prout hæc ſymptomata ordine recenſet SEBIZIUS in *Exerc. Patholog. p.* 101. Diſponuntur vero & facile tranſeunt ad melancholiam hypochondriaci, comprobante id experientia, unde etiam melancholiæ nomen inditum eſt hypochondriacæ. Undenam vero affectio hæc hypochondriorum originem ſuam habet, niſi ex ſanguine craſſo, ſtagnante & congeſto circa meſenterium & viſcera abdominis, quod cum in plethoricis, tum vitæ ſedentariæ & otioſæ addictis, ſtudiis nimium vacantibus evenire obſervamus. In his ipſis enim partim ſpiritus plus juſto conſumuntur, partim etiam ob motus defectum ſanguinis ſpirituaſcentia, ſubtiliſatio, imminuitur, deficit, & hinc ſanguinis craſſi & copioſi origo certiſſima naſcitur. Hic demum eſt, qui in capitis vaſibus hærens tot perverſas phantaſias, tot animi imaginationes in melancholicis producit, quales BARCLAIUS in *Argen. l.* 1. *cap.* 14. eleganter deſcribit, dum inquit: ſunt in ejuſmodi hominibus laxa cerebri clauſtra, ſuaque tenuitate nimis apta recipiendis imaginibus rerum, quas vocamus phantaſias. Has in rara illa ſubſtantia & ſua levitate, quocunque impellatur, obnoxia impreſſas, ideo delere eſt arduum, quia ut plurimum aliqua ſuavitate placent, & præterea veluti intingunt animum, non aliter quam per vehementius ſuccedentes diverſarum rerum ſpecies in alios colores abiturum. Quare omnia ea, quæ ſanguinem craſſum generant, excretiones ſuſpendunt, uti in melancholicis alvus ordinarie conſtipata eſt, & circulum ſanguinis infringunt, melancholiæ facem præbent luculentiſſimam; inter quæ prodeunt omnes graviores animi affectus, terrores, pavores, metus, quibus externus corporis habitus conſtringitur & ſanguis ad interiora retropellitur. Cum etiam nimia venus ſpiritus conſumat, nervos labefactet & æquabilitatem circulationis in ſanguine tollat, iſta non minus melancholicum delirium procurat, cujus HENRICUS AB HEER *obſerv.* 9. in ſexagenario meminit. Invidia denique, vinolentia & nimius ſomnus, & alia, quæ regularem motum & temperatum calorem ſuffurantur & anomalias ſubſtituunt, apprime hunc affectum protrudunt.

§. XII.

Congeſtionem verò ſingularem & ſtagnationem ſanguinis, ſeu potius impeditiorem ejus motum ob vaſa in capite nimium turgefacta per cerebrum, cauſam hujus eſſe affectus, ex eo videtur eſſe liquidum, quod in plethoricis, uti dictum, & poſt gravem terrorem, timorem, tranſpirationem ab aëre frigido prohibitam, frequentius hoc malum eveniat, unde fit, quando cortex & peripheria corporis clauditur, pori coarctantur & conſtringuntur, ſanguinem magis deferri ad interiora ibique accumulari, congeri & latera arteriarum diſtendendo impeditius circulari. Præterea frequenti obſervatur experientia, melancholicos paroxyſmos & exacerbationes habere certas, quæ utplurimum cum horrore quodam & frigore partium externarum incipiunt; jam verò notiſſimum eſt, quomodo ſub tali frigore & horripilatione ſpaſmo quaſi comprimantur, coanguſtentur & habitus corporis conſtrictior fiat, ut deinde neceſſario ſanguis, propter ſpatia & vias factas anguſtiores & minores, redeat ad interiora, ibique collectus in vaſis majoribus, pulmonibus, corde, circa cerebrum hæreat, & anxietates oppreſſivas, ſuſpirioſas, quæ melancholicis ſunt familiariſſimæ, cordis tremorem, palpitationem, vertiginem, capitis gravitatem, nimium ejus fervorem, oculorum ferociam, varia & fixa phantaſmata, vigilias aſſiduas efficiat inferatque, quæ cuncta ſymptomata, ſi ſanguis per nares vel per hæmorrhoides vel quocunque modo ſolvatur, à reſtituto cruori

ri circulo libero per cutis ſpiracula, ita ut ſudor lenis aut blandus emanet, remitti, imminui & exſpirare inſigniter ſolent.

§. XIII.

Ex dictis itaque facile conſequitur, non dari præſentius auxilium atque præſidium in hoc morbo, quam venæ ſectionem in pede & largam ſanguinis effuſionem: quod ſi enim ullum remedii genus in inſtanti levamen affert, certe eſt venæ ſectio; hac enim ipſa ſanguis è capite divertitur non tantum, ſed & toti cruori liberior circulatio, ſufficienti copia emiſſa in vaſis conceditur; uti melancholia hypochondriaca ipſis hirudinibus mitigata refertur *D. II. A. IV. p.* 51. Apparet & inde ratio, quare vomitoria, necnon purgantia fortiora, uti elleborus niger, albus, in affectu melancholico exoptatiſſimam ferant opem, autoritate cum magni HIPPOCRATIS, tum experientia ipſa hic conſentiente. Acri enim ſtimulo per purgantia facto, & ipſe ſanguis cum ſero alliditur & revocatur a partibus ſuperioribus ad inferiora, & ſic deſerendo caput, illud a phantaſmatibus liberat; ubi tamen circa purgantium uſum notandum, ſalia nitroſa, detergentia, abſterſiva & humectantia in ſufficienti quantitate præmitti debere, ut ſerum illud craſſum, tenax reſolvatur, fluidum reddatur & ad exitum per glandulas inteſtinales præparetur. Tandem etiam ratio afferri facilè poterit, quare frictiones & balnea inferiorum partium, quæ cum emolumento adhiberi dicit SEBIZIUS *in Exerc. Patholog. p.* 108. it. pediluvia, tam inſigne allevamentum melancholicis adducant, & caput ab iſtis cogitationibus & phantaſmatibus immune reddant, & ad ſuavem & deſideratiſſimum ſomnum diſponant. Hæc ipſa etiam ex ſola aqua dulci parata, & calore, & humiditate ſua, ſanguinem tenacem, viſcoſum reſolvunt, attenuant, ſubſtantiam carnoſam, poroſam relaxant, & ſanguini liberiorem ad partes affluxum conciliant, ut inde ipſe deſerendo caput, tranſeat magis ad inferiora, unde vulgariter dicunt, **daß ſie vom Kopfe abziehen /** quod attrahant quaſi a capite.

§. XIV.

Unam eandemque radicem & ſtirpem agnoſcunt melancholia & mania, & una ex altera provenit & germinat, ita ut mania ſummus melancholiæ ſit gradus, & graviſſimam inſaniam comitem habeat, quam truculentiſſimam mentis commotionem a ſanguine craſſo motu fortiori impulſo exoriri, maximus æſtus, diræ cogitationes, vigiliæ, ſummum delirium & actiones animi ſimiles & cognatæ motui ſanguinis abunde declarant. Quod vero melancholia, præſertim inveterata, in maniam tranſire poſſit, nos docet obſervatio HILDANI 8. *& 9. Cent. IV.* uti & ſanguinem melancholicum maniæ baſin & fundamentum rectè pronunciavit STALPART VAN DER WIEL *p.* 1. *Obſ.* 29. Sanguis itaque craſſus & melancholicus in maniacis impetuoſè & violenter movetur, vaſa circa caput diſtenduntur, inflantur, turgeſcunt, æſtus concitatur, qui tantus eſt, ut referente FORESTO *in obſerv. l. X. obſerv.* 20. corpus maniacorum intenſiſſimo gelu calidiſſimum & rorido ſudore perfundatur, palpitatio cordis accerſitur, inſomnia turbulenta, quæ ſomnii vigilantis monſtra portendunt, oriuntur, actiones corporis & mentis invertuntur, cum ſanguis hinc inde in cerebri vaſa irruat, ea diſtendat, premat, vellicet, ut cerebrum ſanguine & ſero perfundatur. In qua ſententia nos confirmat maniacorum Anatome, qualis exhibetur *D. II. A. V. p.* 546. qui locus huc transferri meretur: poſt exemtum cerebrum in pelvi relictæ ſeri cruentati propemodum ſex unciæ fluitabant, elevata dein digitis in baſi cerebri medulla oblongata, & detectis ventriculis à latere ſitis, in conſpectum venit plexus choroideus prægrandis, ab utroque latere totam interiorem ventriculorum ſuperficiem perreptans & ex multis inſignibus vaſis ſanguiferis, à ramis carotidibus per foramen à ſepti anteriore parte paulum accedentibus, conſtans; ubi hic plexus veſiculis lividis ſeu hydatidibus piſiformibus conſpurcatus fuit, quæ vel lanceola apertæ, aut manibus ruptæ, ſerum gelatinoſum liveſcens fuderunt; ab hoc plexu quatuor inſignes venæ ſanguine hinc inde fluctuante refertæ ad ipſiſſimam glandulæ pinealis baſin derivabantur; vaſa vero medullaria, quæ in eam inſeri dicuntur, nullatenus, quamvis ſedula inveſtigatione, reperire potui; glandula hæc fibris ſanguineis ſubtiliſſimis conſperſa prorſus rubebat, & ſolidior fuit ſolito. Septum lucidum ventriculos cerebri anteriores diſtinguens etiam punctula ſanguinea habebat. Exinde itaque patet, quod, cum ſanguinis & ſeri tanta in cerebrum ſit effuſio, illud neceſſario afficiatur, cujus læſio mentis & imaginationis manifeſtiſſima ſunt indicia. Quando jam ſanguis in cerebrum nimium effuſus in eoque ſtagnans, quam ſanguinis in cerebro ſtagnationem furoris cauſam eſſe ſtatuit BONETUS *in ſepulch l.* 1. *Sect. VIII.* arterias diſtendit, circulus ſanguinis violento quodam niſu provocatur, major æſtus inducitur, actiones cum mentis, tum corporis accelerantur, & demum imaginatio læditur, ſuccedit delirium, oculi truces & feroces viſuntur, & æſtu ſanguinis ad quævis enormia feruntur. Sic phyſicè verum fit, quod ſenſu morali de pravis hominibus SENECA *Ep.* 103. edixerat: Hominum effigies habent, animos ferarum. Quare maniaci facile iraſcuntur, odio proſequuntur alios, temerarii ſunt atque audaces, impatientes ſunt adeò, ut ſeipſos percutiant, caput ad parietes allidant, & quandoque etiam vel gladio aut cultro ſe interficiant, vel in flumina ſe præcipitent, aut ab alto ſe dejiciant; carceribus incluſi ſæpe ſe nudant, & nihil quicquam a frigore læduntur & contrectati non frigidi ſed calidi ſentiuntur, & ſunt in perpetua actione, ideoque & ira, clamore, jurgiis ſummaque corporis inquietudine calorem accendunt.

§. XV.

Cùm ergo ſententia noſtra ſit ſanguinem, craſſum in vehementem motum deductum cauſam ſuggerere primo quidem melancholiæ, deinde vero ipſi maniæ, perſpiciendum nobis erit, undenam iſta ſanguinis craſſities & motus vehementia proveniat. Illa non aliunde originem ſuam habet niſi ex circulatione ſanguinis impeditiori & aſſuetis excretionibus deficientibus, quandoquidem natura intentionis ſuæ in illis, quæ ad ſtatum naturalem conſervandum pertinent, ſæpe fruſtratur, qui fit, ut ſanguis erroneos, ſpaſticos motus ſubeat & ad caput ipſum tranſprimatur, & ſic ſecundum HIPPOCRATEM experientia diutina edoctum *l. de ſuperfœtat. cap.* 24. *tom.* 1. ordinaria ſanguinis evacuatio intercepta furere faciat. Inde eſt, quod a ſuppreſſa & ſæpius recurrente hæmorrhagia, nec non à menſibus ſuppreſſis ortam maniam obſervarit FORESTUS *lib. X. Obſerv.* 23. *&* 24. ab hæmorrhoidum ſuppreſſione ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Prax. Adm. Obſ.* 51. Quare ratio facilis & in promtu eſt, cur varices ac hæmorrhoides maniæ ſupervenientes boni ominis vel ſalutares ſint dicendæ juxta HIPPOCRATEM *Sect. VI. Aph.* 21. & juxta *eundem Sect.* 7. *aph.* 5. dyſenteria furori ſalutifera exiſtat. Quam ſanguinis imminutionem ſi ſponte ſua per nares, hæmorrhoides, natura non obtinuerit, Medicus naturæ ſuccurrere, & artificialem ſubſtituere con-

conſultum ducit, hinc largam & ſæpius adminiſtrandam venæ ſectionem commendat PLATERUS in *Prax. l.* 1. *cap.* 3. *p.* 120. hac via enim ſanguis a capite verſus alias partes determinatur, parte ſanguinis ademta æquabilior circulus reſtituitur, æſtus diminuitur, & furoris radice evulſa, ipſa mens iterum componitur. Præter hujuſmodi ſanguinis evacuationes cum naturales tum artificiales, & ea, quæ ſerum cerebrum, ut audivimus, inundans educunt, totam nonnunquam curam abſolvunt, uti hic notatu digna occurrit hiſtoria, quam RONDELETIUS *l.* 1. *de curatione morbor. cap.* 41. conſignavit, quod nimirum aliquando caſu perrupto cranio effuſaque hinc aqua, mania fuerit curata; cujus non alia datur ratio, quam quod ſeri quantitate imminuta, quæ mentem turbabat, vaſa capitis in priſtinum redierint tenorem. Quo intuitu & ſalivatio mercurialis in deſperata mania profuit, qua de re evolvi poterunt ROLFINCIUS *in Ep. p.* 79. & WEDELIUS *l.* 11. *de facult. medicam. Sect. II. cap.* 12. *p.* 290. Ratione quoque non abſonum eſt, quando OLAUS GREMSIUS mirum commendat extracti ellebori ℈ij. cum croci metallorum gr. xv. ſi nempe furor non remiſerit, tum dicit, maximo cum ſucceſſu perventum fuiſſe ad hoc remedii genus. Non minore hic quoque laude eminent pediluvia, quæ, cum non ſolùm ſanguinem a capite verſus inferiora, invitent, ſed & propter blandum ac temperatum calorem circulum ſanguinis liberiorem efficiant, à SIMONE PAULLI merito deprædicantur.

§. XVI.

Motus denique vehementia in maniacis emergit & exſuſcitatur, partim ex ipſo naturæ molimine, quæ illud, quod ſibi moleſtum, excutere intendit; partim ex ipſo ſanguine & ſero copioſo, qui humores, dum arterias nimis tendunt, motum impetuoſiorem & æſtum provocant, cui non nunquam fovent externæ occaſionales cauſæ; quale quid legimus apud TIMÆUM A GULDENKLEE, qui refert motum corporis concitatiorem æſtivo tempore inſtitutum juvenem maniacum reddidiſſe. Exardeſcens quoque ira viam ad maniam ſternit teſte GALENO *Sect.* 3. *Aph.* 23. A febre ardente, tum à ſeminis retenti fervore furorem maniacum ortum fuiſſe BARTHOLINUS *Hiſt.* 69. *Cent.* 11. obſervavit. A menſium ſuppreſſione maniam, quæ in fœminis furoris uterini nomine venit, excitatam fuiſſe jamdum tetigimus. Quod ſi melancholicus effrænius utatur venere, in maniam facile incidit, exemplo juvenis melancholici media æſtate juvenculam uxorem ducentis profuſe venere uſi, qui non multos poſt dies furere coactus fuit. V. FORESTUS *in obſerv. l. X. obſ.* 23. Ex amore nimio contracta fuiſſe memoratur *D. II. A. X. p.* 219. it. VALLERIOLA *obſ.* 7. *l.* 2. Demum & à vermibus in cerebro genitis, qui arguunt putredinem & defectum balſamicæ cruoris partis, ortam maniam annotavit PLATERUS *in Prax. Tom. I. p.* 104. *it. D. I. A. IV. & V. p.* 35. Quam vero narcotica huc aptiſſima ſint, inferius exponemus. Ultimo quoque ſpirituoſa in copia aſſumta vel maxime hunc affectum in melancholicis fovent, ut adeo recte pronunciarit SENECA, *Epiſt.* 83. Fere vinolentiam crudelitas ſequitur; violatur enim exaſperaturque ſanitas mentis; exinde graviſſima deliria, truculentiſſima inſomnia & totius mentis ἀταξία propullulant, cum ebrietas nil niſi amentia ſit. Illud adhuc adjicere libeat, quod noſter affectus ab uno ad alterum contactu tranſire poſſit, ſi ſaliva mania laborantis ſævo morſu alteri communicetur, quale quid Torgaviæ accidit, ubi mulier maniaca lictorem prope axillas mordebat, qui poſtero die ſimiliter hac ipſa furere incepit. Vid. ETTMULLER. *de morſu viperarum.* His itaque exaſperatis mentis motibus ea opponenda ſunt, quæ æſtum ſanguinis infringunt & motus ſedant, inter quæ camphora medicamentum maniæ materiam mirabiliter extinguens dicitur a DEODATO *hygiaſt. l.* 3. *cap.* 21.

§. XVII.

Si filum morborum mentis proſequimur tali habitu incedit phrenitis quæ quam mentis actiones perturbet, breviſſimis adumbremus. Venit hic affectus generali denominatione ſub omni ſapientiæ hebetudine, quod mens ad actiones rationi & prudentiæ congruas plane inepta ſit, quod utut magna ex parte ita ſeſe habeat, non tantum illud per eam intelligimus, ſed & meningum inflammationem & ipſius cerebri ſphacelum, prout eam denotarunt Veteres ſecundum ETTMULLERUM *in prax. P.* 11. *pag.* 126. *& aphor. Hippocr.* 50. *Sect. VII.* Hæc inflammatio ortum ſuum ducit ex præpedito ſanguinis circulo, aut ſtagnante quodam humore ſub cranio & ventriculis cerebri, quod partim obſervationes, partim ipſa morbi hujus phænomena evincunt. Illæ docent in phreneticis impeditam ſanguinis circulationem ubi in his diſſectis ventriculi cerebri aliæque capitis partes humore quodam aqueo, pituitoſo, imo cæruleo, ſcaturierunt, qua de re conſuli poſſunt HEURNIUS *in morb. pector.* COITERUS *l.* 1. *obſerv. it.* PETRUS PAWIUS *obſ.* 18. qui phlegmonen advertit, it. RHODIUS *Cent. I. obſ.* 39. & 40. Ipſa vero morbi phænomena de intercepto humorum circuitu teſtantur, quando illud ipſum ex acerbiſſimo capitis dolore, pulſu capitis vehementiſſimo & inurente calore una cum rigore partium externarum, urina tenui & aquoſa maniſeſto dignoſcitur; ut ita febris ardens, vigiliarum pertinacia & oculorum ferocia, mentis vero non ſolum ſontica emotio ſed & alienatio, perverſum ratiocinium & graviſſimum delirium, (animæ enim dicente HEURNIO *in Inſtitut. p.* 75. quieto minimeque præcoci utitur ſpiritu, & tunc eſt prudens, unde & ſenes junioribus ſunt prudentiores,) inde promanent. Præterea in phrenitide animadvertitur pulſus cum quadam convulſione durus, dolor capitis adeſt pulſatorius, vomitus bilioſus, æruginoſus & virulentus. Vid. HIPPOCRATES *l.* 3. *Epidem. it.* GALENUS *l.* 2. *in lib. Epidem. text.* 24. Inducunt vero noſtram phrenitidem nimia ſpirituoſorum ingurgitatio, ſanguinis evacuandi ſuppreſſiones, mentis exacerbationes ſive pathemata; hinc a ſpirituoſis, tum lochiis, ut & hæmorrhoidibus retentis inductam refert HORSTIUS *l.* 2. *obſ.* 25. Gonorrhæam virulentam phrenitidis cauſam fuiſſe FONTANUS annotat. Similiter ex ira menſibus fluentibus remoram injiciente productam eam fuiſſe, BARTHOLINI teſtantur *Acta Hafn. vol.* 2. *p.* 138. Quæ omnia impeditiorem ſanguinis circuitum inferentia, ſtagnationem ſanguinis in membranis cerebri, & demum earum inflammationem parere potuerunt.

§. XVIII.

Circulo itaque ſanguinis, per membranas potiſſimum cerebri, quas inſignis arteriarum plexus irrigat, inhibito & ſtagnante, inteſtinum motum augeri, periculoſiſſimam inflammationem exoriri, & ni tempeſtive ſuccurratur, in perfectam νέκρωσιν degenerare & abire perſpeximus; hanc vero ut avertamus, curandi methodum fiendi modo adaptemus. Hanc nobis ſuggerunt diligentes obſervationes, ubi matura venarum vel etiam arteriarum inciſio hoc in affectu cum ægri reſtitutione tentata fuit. PANAROLLUS enim *P.* 1. *obſerv.* 29. temporum arterias felici cum ſucceſſu incidi curavit, & ſi forte venæ ſectio vel neglecta fuerit vel impedita, hirudines & cucurbitulas

bitulas ſcarificatas in vicem vocat PLATERUS *l.* 1. *obſerv. p.* 93. it. ZACUTUS LUSITANUS *l.* 1. *Hiſtor. p.* 81. Aut arteriarum loco vena jugularis ſecari poterit, qua phrenitidem curatam vide *D. II. A.* 11. *p.* 49. & 192. Hac via ſanguinis ſtagnatio circa caput & membranas cerebri omnium optime diſſipatur, & liber humorum circulationi tranſitus conceditur, & ſic denuum blanda ſudorifera ad plenam diſcuſſionem ſymbolum ſuam adjicient non contemnendam.

§. XIX.

Conſiderata ſic mentis alienatione ex phrenitide proveniente, jam pergimus ad iſtum mentis affectum, qui utplurimum à vi externæ cujuſdam cauſæ inferri ſolet; hac ipſa enim non aliter ac venenato Circes poculo lædentis formam induere, ejuſque mores in nonnihil imitari videtur homo. En! tantam in animum extra nos nata vim habent, ut illum in ſui formam tranſmutent. Rabiem volo, qua mens pervertitur, furit, ſpumeſcit, mordet. Non homo homini ſolum, ſed & ipſa animalia ratione deſtituta maligno ſuo contactu labem ipſi affricare valent, cum juxta CELSUM *l. V. Medicin. cap.* 27. omnis feræ morſus virus quoddam habeat. Adeò nocivum & ſumme activum virus eſt, quod bruta æſtu percita & in rabiem deducta homini conferunt, ſpumoſæ & bullantes lymphæ, queis brutum agitur, partes interiora humani corporis penetrant, & ſimilem inibi motum inchoant & efficiunt. Videntur vero ETTMULLERO *in diſſert. de morſu Viper.* hujuſmodi animalia laborare quaſi febre quadam maligna, cum inſania maniaca conjuncta, & effervescentia maſſæ ſanguineæ a fermento peregrino peculiaribus ideis inſignito oborta. Vulnera homini inflicta quod attinet, illa certo ſæpius non tanta ſunt, ut lethum inferre poſſint, ſed potius virus per ſalivam communicatum tantam motuum anomaliam concitare putandum eſt. Hinc recte ait SENNERTUS *l. V. Prax. p.* 11. *cap.* 21. Vulnera à venenatorum morſibus vel ictibus illata plus nocent vi venenata, quam vulnere, quæ per ſe plerumque non ſunt magni momenti. Quod vero ſit vehiculum iſtius veneni, quod morſus ferarum, ut canis, felis, lupi, aut ipſius hominis, inducit, & qui talis affectus generetur, putant nonnulli, quod ideæ animalis lædentis, vel ejuſdem vel alterius fuerit ſpeciei, furibundæ ac truculentæ in ſanguine exiſtentes alteri, quod læditur & ſanguinem aut lympham aſſumit, communicentur. Si quis autem ejuſmodi ideis non delectetur, nos non habebit adverſarios, hoc tamen nobiſcum inter indubitata reponet, quod minima ſalivæ pars leviſſimo bruti furibundi morſu lymphæ humanæ aſperſa ob materiæ homogeneitatem fibras irritare, ſpaſmos procreare, ſanguinem ad caput propellere, & ſic totius maſſæ ſanguineæ circulum variare & exagitare, ſpiritus vehementer concutere & mentis functiones perturbare quam apta ſit. Et quidem, ut HARVÆUS in *exercit. Anatom. de mot. cord. cap. XVI.* ediſſerit, hoc non aliunde provenit, quam quod contagium in particulam primo impreſſum una cum revertente ſanguine ad cor feratur, unde poſtea totum inquinetur corpus. Ita enim ferunt leges naturales & mechanicæ, ut motus, præprimis ſi in uno fere mixtio contingat, motui reſpondeat; & ſic fit, ut quanto magis ſanguis in impetuoſum, furibundum motum adductus eſt, tanto promtius alterius ſanguinis, ſi ipſi communicetur, motum ſibi conformem reddat. Qui vero fiat, ut tale principium activum longo nonnunquam tempore in ſanguine lateat, antequam vim ſuam exerat, res ſane altioris eſt indaginis, & videtur hæc ſubeſſe ratio, quod venenum per contactum homini illatum (quod in ſale quodam acri, fixo, laticem totius corporis quaſi exſiccante conſiſtere cum ROS. LENTILIO *in nuper edita diſſertat. de Hydrophobiæ cauſa & cura* opinamur) partibus viſcoſis involvatur & ſic non ſtatim totam hujus maſſam ſanguineam minima ſua mole invertere valeat, ſed paulatim vires & augmentum capiat.

§. XX.

Graviſſimum itaque ex rabie animo, imo toti homini, imminere periculum, quis non videt? Fatiſcunt rationis actus, ſpuma os circumdat, facies horrida evadit, quemvis dentibus petit, anxietate & hydrophobia, quæ familiaria & præcedanea ſunt ſymptomata, tenetur, & moribus bruto, quod ipſum aggreſſum fuit, quodammodo accedit. Quod confirmant exempla paſſim obvia, uti inter alia HILDANUS refert. *Cent.* 1. *obſerv.* 84. quod quidam a fele rabido ſola ſcalptura per unguem in dextro pollice læſus, vix epidermide læſa, nihilominus tamen rabioſus in ſummo gradu factus eſt, & omnia ſymptomata morſum canis inſequentia perpeſſus fuit. Ex oſculatione demortui canis rabidi rabiem contractam ſcribit ZACUTUS LUSITANUS *lib.* 3. *Prax. admir. obſ.* 82. Quod a ſola lymphæ acerbitate totum malum proveniat, & ea mediante, utut nullus morſus concurrat, virus transfundatur, probat id quod MATTHIOLUS notat, ſe duos vidiſſe, qui ſpuma tantum perfuſi, nullo accepto ex morſu vulnere, rabiem contraxerint. Taceo plures hiſtorias, quæ ad viroſum ſal in rabidi ſaliva ſeu lympha latitans, vel cum vel ſine morſu communicatum, quo primum hydrophobia, tandem vero ſi delirium accedat, ipſa rabies gignitur, ulterius ſtabiliendum inſervire poſſent, quo brevitati ſtudentes anguſtis cancellis dicenda includamus.

§. XXI.

Cum vero hydrophobiæ, quæ rabiei prodromus eſt, mentionem fecerimus, placet paucis adhuc circa ejus geneſin diſquirere, ubi notandum, quod illa ab eiſdem cauſis cum rabie deducenda ſit; eſt enim hydrophobia principium morbi, qui à rabido animali infligitur; rabies autem extremus morbi gradus, in qua ſententia adſtipulamur memorato LENTILIO *loc. cit.* Num vero hydrophobia citra rabioſi animalis contactum, ut v. g. in febre maligna, prout SALMUTHI ſententia eſt, generari queat, in medio relinquimus, cum rari hydrophoborum caſus occurrant; de eo tamen conſtat, quod levis contactus à rabie tentato hanc inducat. Quæ autem genuina hydrophobiæ ſit cauſa aut fiendi ratio, autores inter ſe diſſentiunt, dum alter ideas, alter fibrarum ruptionem, alii alia venditant & incuſant, quorum diſſenſui ne nos immiſceamus, quid nos ſtatuamus, in medium adferemus. Canem aut aliud quoddam animal, quod rabie laborat, ingentem fovere ſanguinis fervorem & æſtum, ita ut inflammationem pariat, nullum eſt dubium; quod ſi itaque talis æſtus roſcidum humidum in ſanguine depaſcitur, partes ſalinæ extricantur, & a ſaliva, quæ ſalium menſtruum eſt, figuntur, ſicque veneni naturam induunt; quando jam animal hujuſmodi partibus ſalinis, fixis, ſcatens hominis ſaliva & lymphæ contactu ſuo quaſdam communicat, fit, ut ſal iſtud in ſaliva rabidi animalis ſolutum, quam cum hominis lympha homogeneam diximus, in corpus humanum agere incipiat, & ſimiles inibi motus machinetur, æſtum ſanguini introducat, ſerum laudabile diſſipet, inflammationem, imo gangrænam & ſphacelum poſt ſe relinquat, & quoniam natura, aut ſecundum alios agens, in corpore noſtro ab ejus deſtructione abhorret, ipſam exſuſcitat hydrophobiam ſeu liquidorum averſionem, ne per liquida aſſumta ſalia ſolvantur & agant magiſque

giſque augeantur. Quod vero humidum blandum deficiat, & ingens inflammatio ſubſit, id teſtantur hydrophoborum ſectiones, quarum notabilem ſiſtit ZWINGERUS *D. III. Ephem. Germ. obſerv.* 104. *p.* 132. qui in cadavere ruſtici, hydrophobia ſecundo menſe poſt acceptum à rabido cane vulnus correpti & extincti, tam exterius invenit & vidit in humero & ſcapula ſiniſtri lateris, ut & in reliquo dorſo gangrænæ & ſphaceli indicia, tum in inteſtinis & ſtomachi tunicis, præcipue circa orificia utraque, rubicundas maculas ceu totidem inflammationcularum ſigna, thoracis cameram undiquaque ſanguine ſuffuſam, ex rubore liveſcentem, pulmonem inflammatum &c. ut adeo inde pateat, quod in hydrophobis ſanguis concretus & ſeri defectus deprehendatur.

§. XXII.

Ut denique rabie & hydrophobia detentis medela afferatur, non alia nobis ineunda eſt curandi via, quam per remedia alexipharmaca, balſamica, & ſi quid hic affectu dignum ſperandum, in theriacalibus & bezoardicis vel maxime quærendum. Eo itaque enitendum, ut ſal iſtud fixum virtute ſua privetur & elutrietur, nec non lympha ac ſerum laudabile reſtituatur. Supracit. LENTILIUS ſuadet uſum olei amygdalarum dulcium aut hujus loci cannabini in quantitate notabili corporis humectandi gratia per os, & ſi aliter fieri non poſſet, vi ingerendi; nec id ſine ratione, cum ſalia in oleo non ſolvantur; ſimulque clyſteres, in quibus ſalis volatilis copia ſoluta & quibus nonnihil theriacæ addi poſſet, commendat. Unum ut adhuc tangam, SIM. PAULLI *in opere ſuo quadripartito botanico p.* 244. refert, quod ingens præſidium in centaurio minore tanquam ſpecifico in curandis canis rabidi aliorumque venenatorum animalium morſibus collocetur, hinc una deſcriptionem alexipharmaci, quod centaurium minus ingreditur, quo JUL. PALMARIUS in hujuſmodi affectibus uſus fuit, adducit, quorſum Lectorem remitto. Alias etiam principium iſtud activum terrore injecto invertere tentant.

§. XXIII.

Specialem jam inter morbos mentis conſiderationem mereretur affectus curioſus at rarus, rabiei cognatus, ſed niſi in Apulia cognitus, Tarantiſmus dictus, quem verbo ſaltim tangere animus eſt. Datur certum phalangii genus in dicto loco, quod tarantulæ nomine venit; hæc certo anni tempore, ut menſibus Junio, Julio & Auguſto, hominibus, ſi ipſos attigerit, nocentiſſima exiſtit, cum mentis alienatio & delirium muſicum inde prognaſcatur: reliquo vero tempore dicitur eſſe innoxia. Cujus quæ ſit ratio, putat Celeberrimus ALBINUS in ſua *Diſſ. de Tarantiſmo*, quod tunc temporis totus ſanguis omneſque humores in fermentum abeant, & veneni naturam aſſumant. Ad quod, ni fallimur, ætheris ſive aeris athmoſphærici temperies ſane quam multum facit, ut talis morbus ſive potius talis fermentatio in dictis animalculis contingat, quod ſane non de nihilo eſt, cum tota die videamus, diverſos pro varia ſolis ad tellurem noſtram relatione morbos generari, quo fundamento & ipſius HIPPOCRATIS de certis tempeſtatum morbis nititur doctrina. Cæterum curioſum eſt, quod iſte affectus muſica demulceatur & remittat.

§. XXIV.

Ultimo ſupereſt, ut in narcoticorum draſticam vim cujus ſupra meminimus, inquiramus, & quæ inde noxæ in corpus humanum & mentem tranſeant, diſcutiamus: Narcoticorum ſive dictorum ſtupefacientium naturam examinaturi, advertimus illa maximam partem gaudere ſulphure quodam craſſo, vaporoſo, roſolubili, quod intra corpus aſſumtum motum ſedare apprime valet. Modus vero agendi narcoticorum conſiſtit in eo, quod vaporoſa ſua ſubſtantia motum inteſtinum vehementer adaugeat, & ſanguinis partes diſſocet & diſplodat, qui ſic disjunctus impellitur in ipſa capillaria cerebri vaſa & majus ſpatium affectat, quo fine dum excidit cerebri poros obſtruit, qui ſi fuerint obſtructi, requiſita ſubtiliſſimorum corporum inſtar ætheris radiativi ſeu ſpirituum quantitas ad & in organa ablegari nequit, ſicque ceſſat motus, ſenſus conſident, memoria ſublabitur, mens hebeſcit, uno verbo, dum tubuli & nervi cerebri ſero obducuntur & obſtruuntur, debitus ſpirituum influxus ad organa, queis ſenſus & motus peragitur, non ſequitur, cumque mens in naturali ſtatu conſtituta ideas per organa rite adaptata ſibi tranſmiſſas conferat, & inde judicium formet, hic quaſi feriari dicenda eſt, dum organa ob ſpirituum denegatum influxum non amplius in eo ſtatu ſunt, ut objecta recipere & deferre valeant, & ſic quævis actiones torpidæ evadunt. Quod vero pori cerebri à narcoticis obſtruantur, docet illorum, qui his occubuere, anatome, quandoquidem cortex cerebri ſero obvolutus deprehenditur. Hæc geneſis, hæc ratio eſt, qua nituntur quivis affectus ſoporiferi, in quibus actiones animales torpeſcunt, & homines ſopore profundo tenentur. Cum enim narcotica ſenſum ac motum labefactent, neceſſario ſequitur, quod illa ſpiritus ligent; i. e. irradiationem organorum a ſpiritibus intercipiant, ſtupefaciant & conſopiant.

§. XXV.

Cum ergo tanta narcoticorum deleteria virtus ſit, ut dum tubulos cerebri vappido latice involvit, circulatio humorum impeditior reddatur, & organa ſenſuum ac motus vitientur, mens vero munere ſuo recte defungi nequeat, conceptu jam facilis erit omnium narcoticorum, ut hyoſcyami, nicotianæ, mandragoræ, cicutæ &c. quæ venenoſa qualitate ſtuporem, lethargum ac veternum inducere ſolent, operandi ratio. Hinc eſt, quod ſolanus ſylvaticus ſtuporem ac lethargum inferat, cujus lethalitatis etiam mentionem faciunt PETRUS PENA & MATH. DE LOBEL *in novis ſtirpium adverſariis*. Quatuor aut ſex baccæ belladonæ ſive ſolani ſomniferi devoratæ dementant & in furorem agunt, adeo ut dæmoniaci facti videantur. Inducunt tamen plures ſumentes in veternum: nam & pueros quoſdam ex harum baccarum eſu mortuos ſcimus, qui diſcriminis ignari eas uvæ vice devorarunt. V. MATTHIOLUS *in Dioſcor. p.* 756. De furore ex cicuta producto *V. eundem pag.* 988. Confectio Anacardina teſte HOFFMANNO furorem inducit. Maniam ab eſu belladonæ inductam teſtantur obſervationes, quæ etiam a fructibus & acinis ſolani furioſi oritur. De aconiti draſtica virtute V. MATTHIOLUS *in Dioſcor. pag.* 986. His denique annumerari merentur Opiata, quæ æquè ναρκωσιν ac ſenſuum abolitionem inducunt; poſt horum enim abuſum anguſtiæ majores, reſpiratio difficilis & paroxyſmorum pertinacia obſervatæ fuerunt. Quod vero in nonnullis mania oriatur, eſt, quod ſero per ſulphur illud vaporoſum inſpiſſato, & ſanguine in vehementem motum adacto, craſſi copioſique ſpiritus generentur, ut inde objecta perturbate in cerebri veſtigia irruant, menti confuſe ſiſtantur, & ſic minus recte ab ea connectantur, ut adeo homo delirium pati dicatur. At vero ſi ipſe motus vehemens continuetur, tunc demum ſpiritus deficiunt, & ipſe ſopor ſuccedit: & hæc eſt ratio,

quare

quare maniaci facile iterum provolvantur in melancholiam ſive affectus ſoporoſos, ut ſtupidi, hebetes ac fatui reddantur, cum ſanguis terreſtris, craſſus & lentus poros cerebri obſtruat & circulatio ejus valde infringatur: Ut adeo vigor mentis cum humorum conſtitutione eorumque circulatione quam maximam convenientiam habeat, & inde cum prudentia, tum ſtultitia hominis (non autem hic loquimur de iſta ſtultitia, quæ ab incunabulis profecta totam vitam comitari ſolet, & pravam cerebri conformationem agnoſcit, ſed de illa, quæ magis temporaria eſt, & ſublata cauſa iterum diſcedit,) derivanda veniat: & ut brevis ſim, tam εὐταξία quam ἀταξία mentis, quæ nihil aliud eſt quam bona ſive perturbata facultas res per organa tranſmiſſas conferendi, connectendi & inde judicium componendi, ex circulo ſanguinis dependet.

§. XXVI.

In hæc itaque tota noſtra ſe dimiſit diſputatio, ut oſtenderemus, quam arctum menti cum corpore intercedat vinculum, & qui ſit habitus ac ἕξις actionum mentis ad ſanguinis orbitam, & qui hac temerata morbi mentis producantur. Cum enim ſanitas totius corporis conſiſtat in æquabili blanda & libera humorum circulatione, ſic non minus cerebri & capitis, & quod in eo reſidet, mentis robur a blando humorum circulo virtute iſtius conjunctionis deducendum erit. Quorſum gravis HIPPOCRATES reſpexiſſe videtur, ubi ait; quo tempore cerebrum conquieſcit, homo etiam ſapit. Dignitas equidem hujus materiæ fuſiorem tractationem poſtulaſſet, præprimis ſi ad morbos mentis morales excurrere voluiſſemus, at cum σύνοψιν ſaltem & σχῆμα morborum mentis, quatenus ad Medici ſcopum pertinent, exhibere animus nobis fuerit, ulteriorem & ſolidiorem illis,

Queis meliore luto finxit præcordia Titan,

relinquimus diſquiſitionem. Interim confidimus, quemque ſatis perſuaſum eſſe de veritate hujus noſtri aſſerti, cum non ſolum mores animi ſecundum GALENUM corporis temperamentum, ſed & ipſa animi pathemata ſequantur curſum ſanguinei fluxus. Quare inde concludo, qualis ſanguinis circulus, talis quoque cerebri temperies, & qualis cerebri temperies, talis mentis eſt ſtatus, ut adeo mentis & corporis vigor & imbecillitas ex ſanguinis orbem ſubeuntis ſcaturigine fluat emanatque. Et ne ullum amplius remaneat dubium, obſignabit præſens σχεδίασμα, eique maximum pondus addet ipſa veritas, quæ nobis in S. Scriptura affulget, *Sap.* 9. *v.* 15. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.

§. XXVII.

In calce demum paucis tangamus tuendæ ſanitatis & diætæ rationem, quo & corpus & mens hominis bene valeant, cum prudentia victus ratione & melior & deterior fiat. V. HIPPOCRATES *l. de vict. ratione ſect.* 4. *lib.* 1. Quapropter ante omnia in quovis temperamento & quavis ætate proportionatum commendamus motum & modum, qui duo ſunt fulcra conſervandæ ſanitatis. Hinc quoad poſterius minime veritati repugnat, quod frugalitas producere poſſit ſenectutem. V. SENECA *Ep.* 58. imprimis vero regula hæc tenenda eſt iis, qui facile moventur. Commotiones animi temporis prorogatione, doctrinis moralibus & blando colloquio componendæ, nimis profunda & diuturna animi meditatio abrumpenda & honeſta refectione divertenda, ſpirituoſa vero parca manu concedenda erunt. Corpori libera quoque ſemper ſit tranſpiratio, & humores in blanda conſerventur fluxilitate; quo intuitu ſufficiens potus, at qui magis diureſin promoveat, & tenuis ſit, aſſumendus, & juvat quandoque ſe nullis adſtringere legibus & varium habere vitæ genus. Nihil tandem magis nocuum obſervatur, quam ſubitus tranſgreſſus ab uno ad aliud. Hinc ſemper mihi arriſit egregia Medicorum Antiſtitis ſententia: Paulatim quod fit, tutum & præſertim ſi quis ab uno ad aliud tranſierit, *Aph.* 51. *Sect. II.* Ut vero receptui canamus, hoc concludimus confectario:

Sanguinis æqualem donec ſervare tenorem
Contendas; animus ſanus & æquus erit.

DISSERTATIO MEDICA,

SISTENS

EXPLANATIONEM

ADFECTUS MANIACI LEVIORIS

RARISSIMO SENSUUM QUORUNDAM AUGMENTO STIPATI,

Primùm edita Anno 1734.

PRÆFAMEN.

ARCTISSIMUM animam rationalem, & corpus organico-mechanicum intercedere vinculum, atque commercium, ex mutua determinata tamen actione & reactione evidentiſſime colligere licet; Quotidiana enim quemcunque convincit experientia, animam, (liberam tamen ab anxiis curis & nocivis ac turbulentis adfectibus) durante ſana ac integra corporis conſtitutione, integritate itidem & amica ſui quiete; Noxia e contrario ſuperveniente mutatione in corpore, eandem, quam primum domicilii labem ex motuum irregularitate percipit, in tranquillitate illico turbari. Idem corpori, quotieſcunque anima curis premitur, aut meditationibus profundioribus, & adfectibus gravioribus indulget, accidere, certiſſimum eſt. Anima res externas, earumque in primis figuram, magnitudinem, & motum, organorum miniſterio, ſpecifico motu ab objectis impreſſas cognoſcit & diverſas ſibi deinceps de iiſdem format ideas, quæ organis ſenſoriis integris, juncta inſimul regulari & ſufficienti animæ attentione, rebus ipſis conformes exiſtunt; organis vero læſis, difformes deprehenduntur. Prius quotidie, poſterius vero quandoque præ primis in deliriis, in quibus ob inordinatum, & non raro impetuoſum fibrarum cerebri motum ſimulacra rerum menti confuſe offeruntur; obſervamus. Simile in ſubjuncti caſus hiſtoria exemplum ob phænomena quædam rariſſimum, occurrit; quare idem ſpeciminis loco explanare decrevimus. Faxit Deus T. O. Terque M. ut conamina hæc ex voto ſuccedant, atque in ſui gloriam & proximi emolumentum dirigantur.

CASUS.

VIr honeſtus XLIV. annorum temperamenti cholerici prædominantis, ſiccioris, gracilis & ſenſibilioris habitus, meditationibus profundioribus atque ſtudiis præſertim nocturnis nimium indulgens, & ſub parciori potulentorum adſumtione, herbæ nicotianæ fumo intemperanter uſus, ob illatam injuriam iracundia valde excandeſcebat, & durante hoc impetuoſo mentis motu vinum aduſtum largiori quantitate hauſit. Noctem inſequentem tranſegit inſomnem, & redeunte tempore matutino ſurgens, abſurda inſuetis geſtibus proferebat, & paulo poſt furore correptus feneſtras baculo percutiendo effregit, atque obviam primo ancillam ſine cauſa verberibus excepit. In cubiculum a conjuge ſervorum miniſterio reductus, ob continuum delirium, maniaco per omnia ſimile, cuſtodiri debuit, ne ſeſe e feneſtris præcipitem daret, aut hinc inde diſcurrens alios læderet. Nulla febris, nec ulla mali hypochondriaci latitantis ſuſpicio aderat, nunquam hæmorrhoidum fluxum aut molimina ad eundem eſt expertus, alvus præſente paroxyſmo furibundo obſtructa, appetitus bonus, pulſus durus atque tenſivus, urina pauca ac tenuis & interdum rubicunda paululum cum ſedimento micante ejuſdem, ſed ſaturatioris coloris. Poſt aliquot dierum decurſum ſine pharmacorum ope delirium maxima ex parte diſceſſit, remanente tamen ſenſibili admodum viſu & auditu, adeo, ut patiens neque corpora lucida, fortius illuminata & coloribus eminentioribus, ut rubro, flavo, albo, &c. prædita, adſpicere, neque ſonum paululum validiorem v. g. campanarum, cantantium, cum calcaribus & ocreis euntium ſine dolore capitis, & cerebri, ut ajebat, concuſſione, & delirii, nondum penitus conſopiti, reſuſcitatione & exacerbatione perferre poſſet. Hanc ob cauſam etiam in loco ab hominum ſtrepitu remoto & paululum tenebricoſo degere cogebatur. Conjux & amici Medici cujuſdam conſilium implorabant. Hic veram cauſam & morbi indolem ignorans, delirium ab atra bile & viſcidis ac craſſis humoribus in

primis viis & ſanguine collectis deducebat, ideoque calida, acria, amara, volatilia, purgantia & ſudorifera fortiora exhibendo, ad deteriora augmenta perduxit. Quandoquidem ſomnus, antea paucus & turbulentus, poſt memoratorum uſum penitus fugatus eſt, ita, ut æger intra quatriduum vix quinque horas ſomno frueretur; Ideæ phantaſticæ frequentius & cum majori iterum furore redibant, atque ſymptomatibus recenſitis, notabili & rariſſimo ſane exemplo, exorbitans guſtus, & olfactus ſenſibilitas jungebatur, adeo, ut odoratiora & volatilia, nec non acria, aromatica & ſalſa abſque dolore in organo ſenſorio & ſuperius memorata perturbatione mentis non admitteret. Quare cum hæc ſymptomata ultra menſem duraſſent, nec ulla ſub hac medela recuperationis ſpes micaret, miſſo medicaſtro alium conſuluerunt Medicum, qui exploratis neceſſariis circumſtantiis, recte malum primario ſpaſmodicum & eſſentiale judicans, a nimia membranarum cerebri nervos inveſtientium aliarumque ſiccitate & ſtrictura, nec non ab acrimonia bilioſa, & ſeri gelatinoſi defectu derivandum cenſuit, atque indicationibus rite formatis ſatis facturus, balnea & pediluvia ex emollientibus parata adhibuit, & aliquando ſpongiam decocto emolliente madefactam, denuoque expreſſione paululum ſiccatam, capiti in loco conjunctionis futuræ coronalis & ſagittalis imponendam & clyſteres emollientes per intervalla injiciendos curavit. Interne præſcripſit & ſecundum ordinem exhiberi juſſit juſcula avenacea tenuiora cum pauco cornu cervi & radice ſcorzoneræ nec non floribus chamomillæ ſimplicis cocta, addito pauxillo olei amygdalarum dulcium expreſſo, item emulſiones ex aquis deſtillatis lactucæ, anagallidis, ceraſorum nigrorum, endiviæ &c. cum ſeminibus quatuor frigidis majoribus, amygdalis dulcibus & pauca papaveris albi quantitate; potiunculas ex aquis memoratis & pulveribus temperantibus & nitroſis, ſpiritum nitri dulcificatum, pulveres præcipitantes cinnabarinos & nitroſos cum minori ſpermatis ceti portione quandoque mixtos, & loco potus ordinarii vel ſerum lactis citratum, vel decoctum hordei cum radice graminis &c. Statim quoque in principio ſuſceptæ medicationis venæ ſectio in pede inſtituta, & libra ſemis ſanguinis educta, eademque denuo poſt menſem repetita fuit. Hiſce & juncta conformi diæta, Medicus poſterior malum intra paucos dies paululum minuit, & tandem poſt novem hebdomades penitus profligavit.

§. I.

Varia mentis impedimenta ſeu deliria in praxi obvia, & ſpecifico charactere diſtincta, in Medicorum ſcholis explicantur, quæ vulgo ad duo genera primaria reducta vel acuta phrenitica, vel chronica melancholico-maniaca audiunt. Priora mittimus in præſenti aliiſque pertractanda relinquimus; Ex poſterioribus vero maniam occaſione caſus præmiſſi, niſi quoad omnes, quoad unicam & præcipuam tamen ſpeciem, eo, quo fieri poterit, ordine, perluſtrabimus.

§. II.

Mania Græcis itidem Μανία (a μαίνομαι, furo, inſanio) Latinis furor vel rabies dicta delirium denotat chronicum ſine febre, cum inſueta audacia, furore & quarumvis fere actionum animalium perturbatione conjunctum.

§. III.

Maxima ex parte cum melancholia convenit, niſi quod poſterior, furoris & audaciæ loco, mœrore, triſtitia ac timore ſtipata obſervetur. Recte hinc celeberrimus WEDELIUS dixiſſe videtur: *Conveniunt inter ſe melancholici & maniaci in genere, quod delirent utrique, idque ſine febre, quod commutentur ſæpe invicem, mutato ſanguinis & ſpirituum ſtatu: In ſe vero conſideratis, re vera in mania inverſam videas melancholiam & contra. Vid. in Path. ſpec. Cap. VII. confer. quoque in Path. generali Sect. III. Cap. IX. pag. 600. nec non* PAULUS ÆGINETTA *de re Medica Lib. III., Cap. III. &c.*

§. IV.

Adfectus melancholici & maniaci frequentius quidem vere & autumno ſubjecta diſpoſita invadunt, aut paululum ad tempus conſopiti leviori data occaſione revertuntur ac priſtinam ludunt fabulam: Prius HIPPOCRATES *Aphoriſm. XX. Lib. III. Etenim vere inſaniæ, melancholiæ &c. & Aphor. XIV. Lib. III. Sin autem fuerit Aquilonius & pluviarum expers autumnus, his quidem qui natura ſunt humidiores & mulieribus opportunus. Cæteris ophthalmiæ accidunt ſiccæ & febres acutæ & diuturnæ, nonnullis etiam melancholiæ.* Poſterius ARETÆUS *Libro de cauſis & ſignis morborum diuturn. Cap. VI.* ſequentibus confirmat: *Nonnullos, qui penitus ſoluti morbo* (furore maniaco videlicet) *videbantur, veris tempus, aut error in victu, aut ira caſu proritata, denuo ad furorem revocavit.*

§. V.

Verum enim vero ex hiſce nequaquam abſolute concludendum erit, reliqua anni tempora plane exemta eſſe. Frequenti enim comprobatur experientia, tempora alia præſertim calidiora, æque commode imo commodius quandoque & facilius quam priora, delirii maniaci & melancholici cauſas gignere, fovere & reſuſcitare, atque plurimos maniacos redeunte majori dierum canicularium æſtu paroxyſmi antea ſilentis recurſum aut exacerbationem experiri.

§. VI.

Superveniente adfectione maniaca continuum nunc remiſſius, nunc fortius adeſt delirium ſine febre. In perpetua laborantes conſtituti ſunt actione & circa unum plerumque objectum occupati multas noctes & dies inſomnes ſine apparente & ſenſibili virium dejectione tranſigunt. Famem, frigus, & moleſtias quaſcunque abſque notabili noxa perferunt, inſigni gaudent robore, violento motu corpus exercent, perſæpe vincula rumpunt, & carceres effringunt. Ideæ animo conceptæ feroces & irregulares ſunt, hinc audaces, elati, ſuperbi & arrogantes obſervantur, atque ſæpiſſime magnos ſeſe reges, principes & heroes fingunt, & nil niſi altum ſpirant. Nullus timor, nulla triſtitia adeſt, atque de nulla re convenienter ſolliciti, protervi, temerarii, & impudici deprehenduntur, adeo ut veſtibus dejectis vel dilaceratis nudi incedant, vel neglecta debita cuſtodia hinc inde in plateis diſcurrant. Fortiter accenſis furoris ſtimulis tanta excandeſcunt iracundia, ut clament, minentur, & præſentes quoſcunque imo parentes, conjuges & familiares conviciis proſcindant, ſtragula commaculent, atque dilacerent, vel obvios verberibus impetant, aut incautos & invalidos plane quandoque enecent. Furore paululum remittente, vel pertinaciter ſilent, vel cantu, riſu, & incongrua garrulitate tempus peragunt, atque interdum ſanitati reſtituti videntur. Nunquam tamen iis perfecte fidendum eſt; Subdoli enim & inſidioſi ſunt, atque data occaſione & libertate (licet vincula quandoque lacrymis & blanditiis avertere ſtudeant) in priſtinum relabuntur furorem & incautos lædunt. Sic referen-

te WEDELIO *Pathol. gen. ſect. 3. cap. 9. Maniacus quidam abblandiens commenſalibus ſuis ipſum viſitantibus, gladium, bona verba & geſtus præ ſe ferens, ab uno horum impetrabat, mox vero eodem omnes ex hypocauſto fugabat. Et alius ſimulans, ſe optime habere, conjugi perſuaſæ ipſum ſanum eſſe, præprimis cum eandem ad preces fundendas hortaretur, atque ultimis menſibus gravidæ noctu fauces præſcidit.* Symptomata adeo quandoque intenduntur, & invicem miſcentur, ut falſo ab ignaris pro veris energumenis habeantur; Non raro quoque œſtro venereo correpti, coitum, ſi conceditur, frequenter celebrant, & agitatis longius fœminis ſemen vel non omnino vel tarde emittunt. Truci & torvo ſunt aſpectu, facies præſertim in furore rubicunda & ſanorum ſimilis eſt, corpus ad contactum calet, pulſus magnus & celer, interdum ſerrinus & tardus, urina nunc pallida, nunc rubicunda, & bilioſa; appetitus plerumque viget, & inſignis non raro jungitur voracitas. A purgantibus & emeticis fortioribus vix moventur. Memoria non facile læditur; actionum enim recuperata ſanitate conſcii ſunt &c. conf. LOMMIUS *in obſervat. medic. p.* 65. WEDELIUS *in Pathol. gen. & ſpec.* SENNERTUS *in Inſtitut.* & multi alii in ſcriptis ſuis pathol. practicis.

§. VII.

Varias mania ſubit differentias, generalius tamen eandem reſpectu ſubjecti & cauſæ diſtinguere ſufficit in eſſentialem & conſenſualem, eamque vel hypochondriacam vel hyſtericam. Prior ab eſſentiali cerebri & meningum labe; poſterior vero a ſpaſticis conſtrictionibus uteri, meſenterii, aliarumque partium infimi ventris, & inde ortis ſanguinis congeſtionibus verſus caput dependet, & ſpecificis quibuſdam ſtipatur ſymptomatibus, quæ mali hypochondriaci & hyſterici præſentiam magis minuſve manifeſtant. Duplici huic ſpeciei jungitur vulgo Dæmoniaca ſive ab incantatione ſive obſeſſione, ut multi arbitrantur, producta; Verum quid de hac ſentiendum ſit, in præſenti non diſquirimus, ſed eſſentialis ſolummodo naturam inveſtigabimus.

§. VIII.

Diſcernenda eſt mania a melancholia. Nam licet inter adfectus hoſce haud levis attendatur ſimilitudo, adeo ut alter alterum multum illuſtret, notabile nihilo ſecius utrumque intercedit diſcrimen. In melancholia enim ſtatum quoad plurima ſymptomata inverſum, & contrarium conſpicere licet. Adfecti videlicet lætantium conſortia fugiendo, ſolitudinem quærunt, perſæpe in lachrymas & ſuſpiria erumpunt, nullis delectantur jocis, triſtes ſunt ſine cauſa, conſtanter vano torquentur metu, & nulla audacia aut animus alios lædendi adeſt. Conceptis ideis phantaſticis fixius inhærent, nec ullis ab iiſdem abſtrahuntur perſuaſionibus. Quidam circa res nonnullas ſolummodo delirant, de reliquis vero recte ratiocinantur, teſte ARETÆO *Lib. 1. de Cauſ. & ſign. morbor. c. p. VII. Plerumque in melancholia in una aliqua re eſt lapſus, conſtante in reliquis judicio.* Sic referente TRALLIANO *Lib. I. cap.* 17. *Mulier melancholica medium manus ſuæ digitum fortiter conſtrictum ſervans totum orbem eodem ſeſe geſtare credebat. Alius* apud BORELLUM *Cent. I. obſ. 37. ſe Spiritum Sanctum profitebatur.* Alius referente QUERCETANO *Tom. II. p* 209. *naſum urnæ magnitudine ſeſe habere autumabat.* Sunt quoque qui ſeſe a latronibus continuo circumveniri, & ſpoliari, aut a ſerpente exedi adſeverant, & ſic porro. *Nihil enim* juxta SENNERTUM *Inſtit. Lib. II. P. 3. Sect. I. Cap.7. tam ineptum & abſurdum ſomniantibus occurrere poteſt, quod non melancholici imaginentur, & verum eſſe opinentur, vereque dicitur, deliria vigilantium eſſe ſomnia.* Appetitus plerumque proſtratus obſervatur, rarius tamen voracitas adeſt; Inſomnia terrifica, ſomnus turbulentus; facies plerumque pallet, & auſtera, triſtis, & moroſa eſt, oculi ſunt excavati, fixati, & retracti; habitus corporis ſiccus, ſqualidus & hirſutus, rariſſime mollis & pinguis, pulſus parvus, rarus, ſubdurus & tardus, urina copioſa, nunc tenuis, nunc craſſa ac livida & ſanguis e vena miſſus craſſior & nigricantis coloris. Malo aucto augentur ſymptomata, adeo ut de vita æterna deſperantes, præ ſummo angore hinc inde currant, hominem quemcunque, amicos, parentes, conjuges fugiant, & perſæpe violentas ſibi inferant manus, aut in furorem rapti ex melancholicis reddantur maniaci, &c.

§. IX.

Non confundenda quoque erit cum phrenitide, paraphrenitide, hydrophobia, lycanthropia, cynanthropia, chorea S. Viti, tarantiſmo & amentia. In phreniticis & paraphreniticis febris acuta adeſt, quæ cum delirio ceu ſymptomate ultra diem decimum quartum non protrahitur: conf. CÆL. AURELIANUS *Lib. I. C.* 3. CELSUS *Lib. III. Cap.* 18. Cynanthropia ſeu rabie canina correpti itidem febre acuta & maligna a virulento & cauſtico per morſum canis rabidi communicato miaſmate accenſa laborant, & ob anginam ſeu junctam colli inflammationem nec ſolida nec fluida per œſophagum in ventriculi cavitatem detrudere valent, ideoque ſeptimo plerumque die, niſi cito adferatur medela, extinguuntur. Ab hac parum vel nihil fere differt hydrophobia & lycanthropia, niſi quod priori adfecti aquas fugiant, & quævis liquida, licet ingenti ſiti premantur, ob inſequentem liquidi ingeſti per nares regurgitationem adſumere renuant; Poſteriori vero laborantes ob memoratam cauſam aquam non ſolum averſentur, ſed luporum quoque ululatus imitentur, conf. JOSEPH DE AROMATARIIS *Tract. de rabie contagioſa.* PAUL. ÆGINETA *L. III. C.* 16. MARCELL. DONATUS *hiſtor. med. mirab. Lib. VI. Cap.* 1. Occurrit quidem peculiaris lycanthropiæ chronicæ ſpecies, quæ ultra dies XL. durat. Hac correpti, in lupos ſeſe transformatos autumant, & ideo hinc inde currentes plerumque noctu circa defunctorum monumenta oberrant, atque luporum ululatus & mores ſtulta imitatione exprimere conantur: CÆL. RHODIGINUS *Lib. XXVII. Cap.* 12. Verum hæc, circumſtantiis paulo accuratius penſitatis, diſtinctam melancholiæ ſpeciem exhibet ſine febre nequaquam ut vera lycanthropia a rabidi lupi morſu, ſed potius ab aliis & ordinariis melancholiæ cauſis phantaſiæ depravationem inferentibus derivandam. Olim quidem Phyſici ac Medici quidam aliique crediderunt, veram Diaboli ope contingere hominis metamorphoſin temporariam in lupum & transformatos ejuſmodi Bär-Wölffe nuncuparunt. Sic VIRGILIUS *in Eclog.*

His ego ſæpe lupum fieri & ſe condere ſylvis
Mœrim, ſæpe animas imis excire ſepulchris
Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Evolvi quoque & conferri hac de re poſſunt OLAUS MAGNUS *in Hiſtor. Gent Septentr. Cap.* 18. NICOL. REMIGIUS *Lib. II. Dæmonolatr.* &c. Recentiores contra rationibus firmioribus & experientia convicti fidem ulteriorem fabulis hiſce denegantes, rectius hanc lycanthropiam melancholiæ ſpeciem ſtatuunt, eandemque a depravata ſolummodo imaginatione deducendam eſſe, arbitrantur. Conf. WIERUS *de præſtig. Dæmon. Lib. III.* CAMERARIUS *Medit. hiſtor. Cent. I. cap.* 72. In chorea S. Viti & Tarantiſmo, ceu adfectibus ſymbolicis, ingens, inſolitum & inſanum

ſanum ſaltandi deſiderium obſervatur, quod in priori involuntarium plerumque ab inſania, & peculiari partium convulſione; in poſteriori vero ab ictu, & per hunc communicato ſpecifico, ſubtiliſſimo & acerrimo tarantulæ Apuliæ aranei veneno membranis & nervis inhærente oritur: vid. BAGLIVI *in Tract. de Tarantulis*. FERDINAND. EPIPHANIUS *in Hiſtor. de Tarant.* KIRCHERUS *in Muſurg. & arte magnetica* aliique. Amentia denique ſummum ſtoliditatis gradum conſtituit, nulla febris adeſt, & adfecti cerebro plane carere videntur, uti de hiſce & antecedentibus plura hinc inde in Medicorum libris legi poſſunt.

§. X.

Ex hactenus dictis atque debite cum caſu præmiſſo collatis luculentiſſime cognoſcere licet, morbum deſcriptum, leviorem, ob notabile tamen ſenſuum augmentum, rariſſimam maniæ ſpeciem nuncupandum eſſe. Quare propoſiti memores ulteriorem ejuſdem evolutionem omiſſis reliquis nunc aggrediemur, & explanata prius ætiologia, curationem deinceps quoque trademus.

§. XI.

Anima in omni ideoque in præſenti quoque delirii maniaci ſpecie, non directe & per ſe, ſed improprie ſaltem per accidens, & indirecte, læditur. Illa enim ceu ens ſimplex, & mera juxta CARTESIUM ſubſtantia cogitans nullas patitur mutationes phyſicas, atque teſtante SENNERTO *Inſtit. Med. Lib. I. cap. 3. nec lædi nec labefactari poteſt, ſed eadem ſemper invariata, quam diu vivit animal, manet, & eaſdem operationes edit, modo habeat eadem inſtrumenta* &c. Cunctæ igitur mutationes, quæ ipſi ob arctiſſimam cum corpore unionem quandoque accidere videntur, ſolummodo a corporis labe, & turbato motuum æquilibrio deducendæ erunt.

§. XII.

Haud raro quidem accidit, ut anima adfectibus vehementioribus diutius indulgens, & peculiaribus quibuſdam ideis paulo profundius atque fixius intenta, non ſolum primam & præcipuam delirii cauſam ſubminiſtret, ſed eandem quoque ſatis diu ſubinde foveat; Ex hiſce tamen nequaquam colligendum eſt, animam mutationibus phyſicis obnoxiam, & proximam delirii cauſam in ipſa quærendam eſſe. Nam licet cauſæ occaſionales frequenter ipſi menti ſeu animæ inhæreant, proximam tamen nunquam in ea, ſed ſemper in corpore latere, deprehendimus. Anima enim utitur inſtrumentis corporeis in cognoſcendo, & judicando, hinc illis læſis, læduntur quoque actiones animæ; iis e contrario ad integritatem denuo reductis, integræ iterum redduntur actiones animæ. Quare in explicanda hac delirii ſpecie primario quoque ſubjectum & vitia corporis eruenda & conſideranda erunt.

§. XIII.

Præcipua præſentis nec non cujuſvis eſſentialis maniæ ſedes in cerebro & præcipue in membranis ſive meningibus ejuſdem quærenda eſt, licet reliquæ quoque partes membranaceæ, nervoſæ & cunctæ aliæ ob conſenſum a labe non immunes deprehendantur. Meninges enim cerebrum & omnes nervos comitantur, involvunt & idem ſuo motu juxta illuſtr. Dn. PRÆSIDEM *in Phyſiol.* & SANTORINUM *in Tractat. de ſtructura & motu fibræ* §. 24. præſtant in fluidum cerebri ac cor in ſanguinem. Dura præcipue meninx ex BAGLIVI ſententia, alterum quaſi cor ſolidum & validum conſtituit. *In ſpecimine* enim *de Fibra motrice p.* 282. inquit: *Sicuti cor inſtar machinæ compreſſoriæ exprimit, & ad remotas partes juxta ſingulorum neceſſitatem cum debito celeritatis momento propellit ſanguinem; Ita dura quoque mater per cerebri ſubſtantiam intus foriſque miro artificio propagata, ad inſtar fortiſſimi elateris, & compreſſoriæ machinæ, a glandulis corticalibus fluidum nerveum continuo exprimit, & in medullares cerebri partes inſinuando impreſſo velociſſimo motu, ictu oculi in omnes partes transmittit.* Hinc juxta eund. *ſpec. cit. p.* 287. & illuſtr. Dn. PRÆSIDEM *in Conſultat. Tom. VI. D. I. C. 3. it. Tom. V. D. I. C. I. &c.* maniæ, melancholiæ, epilepſiæ, & ſimilium morborum capitis eſſentialium ſedes in meningibus præſertim dura, ceu maximo humani corporis elatere, a naturali ſtatu recedentibus recte ſtatuitur, uti hoc in ſequentibus prolixiori demonſtratione confirmabitur.

§. XIV.

Verum enim vero non ſubjectum ſolummodo ſed cauſas quoque proximiores & remotiores rimari & cognoſcere convenit. Proximam conſiſtere arbitror in motu ſeu circulo & influxu ſanguinis & fluidi nervei per cerebrum & meninges irregulari, impetuoſo, & ex parte impedito. *Cerebrum enim humanum* ita differente WEDELIO *Pathol. gen. Sect. 3. cap. 9. æmulatur horologium ſubtiliſſimum, in quo ſi omnia legitimo gaudent motu, ſi obſervatur juſtus ordo temporis, & proportionis, bene res habet. Sed ſi vel rotula exorbitet, confuſo machina turbine movetur. Sic etiam poſita juſta temperie, juſta conformatione pororum, ſenſus ſibi conſtant: ſin minus excentricitatem facile patitur intellectus idque variis modis &c.*

§. XV.

Memoratam motus depravationem & irregularitatem a duplici labe, altera, in ſolidis, altera in fluidis partibus reſidente pendere, deprehendimus. In ſolidis præſertim membranis & meningibus nimia ſiccitas, morbifica ſtrictura, & elater inſolitus; In fluidis vero defectus ſeri blandi gelatinoſi, & concentrata atque exaltata acrimonia ſalino-ſulphurea bilioſa vel ſubinde quoque bilioſo-acida a Veteribus atra bilis dicta obſervantur. Hinc neceſſario accidit, ut membranæ, præcipue meninges, exſiccatæ, excedenter elaſticæ ac ſenſibiles ab acribus humoribus pauco ſero blando dilutis irritatæ fortius ſeſe conſtringant, criſpentur, & hac ratione fluida, præprimis ſanguinem acrem, calidum & volatiliorem, nec non fluidum nerveum igneæ in hoc ſtatu ferme indolis, partim in motum citatiorem & circulum irregularem per vaſa cerebri & univerſi corporis cogant, & conjiciant, partim ob vaſorum coanguſtationem in circulo impediant, & hac ratione non tantummodo lenioribus ſtaſibus inflammatoriis in meningibus anſam ſuggerant, ſed omne quoque motuum æquilibrium, & rectæ ratiocinationis actus tam diu turbent, donec præternaturali meningum tenſione ac criſpatura remittente, fluidis circulantibus denuo meandi & remeandi libertas concedatur: *conf. Illuſtr.* DN. PRÆSES *in Med. Conſult.* DN. D. JACOB STUVEN *in Diſſert. de Phrenitid.* §. 17. & ſæpius laudatus BAGLIVI *Spec. de fibra motr. p. m.* 409. & 411.

§. XVI.

De adſerti veritate varia imprimis ſequentia ab obſervatione deſumta teſtantur 1) Superveniente & repetente paroxyſmo furibundo præſertim vehementiori, ſe-& excretiones in glandulis &c. maxima ex parte ob fortiorem duræ meningis & quarumvis annexarum membranarum criſpaturam, & contractionem ſupprimuntur, imo inſtans delirium ſecretionis humorum v. g. ſalivæ, ſudoris, urinæ &c. imminu-

minutiones præſagiunt; Reſtitutæ contra ſecretionum libertati delirii finis ſuccedit, manifeſto indicio, fibras iterum molleſcere & relaxari. 2) Sub prima paroxyſmi maniaci invaſione, cutis conſtricta inæqualis redditur, & anſerina, uti hoc mihi ipſi in maniaco pariter atque melancholica obſervare contigit. 3) Pulſus ordinario in maniacis, præſertim in furoris exacerbatione, magnus & celer, & non raro ſerrinus atque durus deprehenditur; prior ſemper auctum ſolidorum ac fluidorum motum, poſterior vero vitium in partibus membranoſis ac nerveis indicat. 4) Facies in paroxyſmo ob violentam laticis ſanguinei propulſionem ad peripheriam, rubicunda, & ſanorum fere ſimilis; extra paroxyſmum vero macilenta & auſtera, atque totus corporis habitus, ſiccus, denſus ac ſqualidus exiſtit. 5) Sanguis vena emiſſus teſte WEDELIO *in Pathol. gen. p.* 601. *& ſpecial. pag.* 16. interdum ne micam ſeri exhibet & colorem offert cinnabarinum; rarius ſerum copioſum ſanguini ex atro rubicundo circumfuſum notatur. 6) Tantum in maniacis robur eſt, ut ſubinde vix aliquot viri robuſti unico deliranti coercendo ſufficiant. Robur autem & muſculorum contractio, uti ex phyſiologicis diſcendum eſt (conf. *Illuſtr.* DN. PRÆSES *in Phyſiol. l. c.* a validiori humorum influxu & ſolidorum duritie, tono & contractione fortiori dependent. Noto hinc notius eſt, homines mollioribus fibris præditos minori, durioribus contra donatos majori gaudere robore. 7) Deliria maniaca multos perſæpe annos durant, imo haud citius nonnunquam, quam vita definunt. Pertinax hæc duratio itidem de ſicco, denſo, ſtricto & compacto habitu teſtimonium adfert. Niſi enim ejuſmodi ſolidorum & præcipue membranarum eſſet conditio, humores volatiliores & ſpiritus fere ignei facillime intra breve temporis ſpatium, tranſpirando conſumerentur: quod tamen ſub hoc ſtatu neutiquam contingit. 8) Vigiliæ diutius protractæ frequentiſſime in delirium deſinunt, & præſentes ſemper fortem in ſolidis adeſſe criſpaturam, indicant. confer. BAGLIVI *loc. cit. p. m.* 318. 9) Subjecta cholerica vel cholerico-melancholica, habitu corporis ſicciori, textura fibrarum ſenſibiliori & ſanguine volatiliori, acriori & bilioſo pauco ſero diluto prædita, facilius atque frequentius mania corripiuntur. Magis quoque eidem obnoxii ſunt homines conſtantis ætatis, & ſenes. E contrario in infantibus, quorum humores adhuc ſufficienti, blando ac dulci ſero temperati, & partes ſolidæ laxiores & humidiores ſunt, nec non in fœminis ad cauſam eandem eſſentiales maniæ rarius occurrunt, conſenſuales vero in poſterioribus ob menſium aut lochiorum obſtructionem frequentius notantur. conf. *Illuſtr.* DN. PRÆSES *in Med. conſult. T. II. Dec.* 3. *caſ.* 3. FORESTUS *L. X. obſervat.* 25. *de morbis Cerebri.* SENNERTUS *lib. IV. Prax. P. II. cap.* 3. SCHENCKIUS *in obſervat. XL. &c.* 10) Majori itidem præ aliis diſpoſitione gaudere cenſentur, qui ſtudiis profundioribus, maxime nocturnis, curis & vigiliis frequentius ſupra modum protractis cerebrum, meninges aliaſque membranas ſicca, arida atque dura reddunt, & hac ratione ſtricturis præternaturalibus anſam præbent. In hiſce enim ſemper ſuſcepta poſt obitum ſectione dura mater aliæque membranæ majorem ſolito duritiem oſtendunt, & ſiccitatem. 11) Qui ſicco capite & corpore nec non tenſis meningibus præditi ſunt, annotante BAGLIVI *Lib. cit. pag.* 411. velociſſima utplurimum gaudent cogitatione, atque acutis ſenſibus, & ideis conceptis ob ſiccitatem fixius inhærent. 12) Mora diuturnior ſub radiis ſolaribus, præſertim diebus canicularibus concentrando acrimoniam bilioſam & magis exſiccando fibras, vel primæ maniæ geneſi occaſionem ſubminiſtrat, vel paroxyſmum revocat, conf. TIMÆUS A Güldenklee *in Reſponſis Medicis pag.*64. 13) Alimenta acria, aromatica, nimis ſalſa, nec non potulenta calida, ſpirituoſa, vinoſa, præprimis abuſus vini aduſti, fumi tabaci, aliaque exſiccantia, commoventia & irritantia, nec non iracundia fortior atque frequentior, amor inſanus, terror, vigiliæ diutius protractæ, abuſus veneris, & exorbitans ejuſdem deſiderium, ebrietas gravior, excretiones præprimis partium acriorum bilioſarum ſuppreſſæ, & plura hujus generis alia, partim exſiccando ac vellicando, partim deturpando ſyſtaſin & dulcedinem ſanguinis &c. ad delirii maniaci geneſin, augmentum & reductionem multum conferunt. 14) Producunt in diſpoſitis & augent delirium maniacum, veſicantia, fortiora ſudorifera, diuretica, purgantia, & alia ejuſmodi medicamenta calida, acria & exagitantia. Efficiunt enim, ut ſolida irritata & exſiccata tenſione nimia & criſpatura ſua fluidorum reſiſtentiam ſuperent, eademque in motum irregularem & impetuoſum adigant. Specialius quoque confectionis anacardinæ, opii, croci, nec non hyoſciami exhibitionem maniam invitaſſe, annotatum eſt, vid. WEDELIUS *Pathol. General. Sect. III. Cap.* 9. *p.*592. CÆLIUS AURELIANUS *Lib. I. de morbis acutis Cap.* 17. RAMAZZINI *de morbis artificum cap.* 20. ACTA URATISLAVIENSIA *anno* 1732. *Menſ. Novembr. Art.* 12. 15) Febribus ardentibus quandoque annotante WEDELIO *Pathol. Gen. p.* 601. vel mania vel melancholia ſuccedit. Haud raro itidem anſam præbent gravior capitis refrigeratio, tinea, ſcabies, podagra retropulſæ, fluor albus intempeſtive ſuppreſſus, ulcera inveterata clauſa, fonticuli ob negligentiam exſiccati & conſolidati, nec non epilepſia, philtra, & alia, quæ humores acres reddunt & irritando ſpaſticas ſolidorum contractiones pariunt. 16) Solantur ac juvant maniacos venæſectio, emollientia, antiſpaſmodica, refrigerantia, temperantia, diluentia, præcipitantia & ſimilia, quæ acrimoniam bilioſam corrigunt, ſpaſmos mitigant, & ſerum reſtituunt. 17) Rariſſimum præterea ſenſuum, videlicet viſus, auditus, guſtus & olfactus in ægro noſtro augmentum planum & inſigne teſtimonium ſuppeditat. Quo major enim teſtibus ratione & experientia fibrarum ſiccitas, tenſio, ſtrictura & teneritudo eſt, eo major quoque adeſt ſenſibilitas & vice verſa. 18) Dura meninx mania extinctorum obſervante BAGLIVI *Lib. cit. Corol.* 10. *p.* 288. Inſtituta poſt mortem ſectione inſtar tabulæ dura & exſiccata pene eſt, 19) quævis denique ſymptomata (v. g. robur inſolitum, frigoris patientia, vigiliæ pertinaces, furor & perturbatio ratiocinationis, delirii duratio, ſenſuum externorum incrementum &c.) ex memorata cauſa, videlicet ex interna meningum præſertim duræ criſpatura & conſtrictione inflammatoria & acrimonia ſalino-ſulphurea ſeu bilioſa concentrata & exaltata, nunc ſola, nunc acido mixta & ab his pendente motu irregulari impetuoſo & ex parte impedito plane & evidenter deduci poſſunt.

§. XVII.

Per hactenus dicta primarias eſſentialis delirii maniaci cauſas ſatis ſuperque probatas, nec minus ad liquidum perductum cenſeo, ægrum noſtrum ſimili maniæ ſpecie laboraſſe. Præcipua enim phænomena & circumſtantiæ in caſu enarrato annotantur, quæ ſpaſmodicam ejuſmodi meningum &c. ſtricturam cum acri bilioſa humorum indole adfuiſſe indicant. Homo enim fuit temperamenti cholerici, parum bibit, membranas natura ſiccas abuſu tabaci, vigiliis, ſtudiis profundioribus, præſertim nocturnis magis exſiccavit, ideoque ad conſtrictiones ſpaſmodicas diſpoſuit; Symbolum contulerunt diſpoſitionemque deduxe-

duxerunt in actum, fortior iracundia, & ſub hac vini aduſti copioſior ingurgitatio; malum deinceps imprudentis medicaſtri cura gravius fuit redditum; uſurpata enim fuerunt, ut ex hiſtorica caſus relatione patet, medicamenta acria, aromatica, ſpirituoſa, ſudorifera, purgantia & alia, quæ ſanguinem ſero blando magis depauperando, acrimoniam bilioſam expandendo ac commovendo, ſiccitatem & ſtricturas membranarum ſpaſmodicas & uno verbo cauſam immediatam proximiorem ad majora perduxerunt incrementa, atque malum, ut ex ſenſuum præprimis augmento elucеſcit, exacerbarunt.

§. XVIII.

Confirmatis potioribus ad ætiologiam ſpectantibus, nunc cauſæ remotiores occaſionales fuſius quoque referendæ eſſent. Verum cum plurimæ harum in præcedentibus præſertim in §. XVI. recenſitæ ſint, de reliquis magis ad aliarum quam præſentis ſpeciei productionem facientibus, parum erimus ſolliciti. In præſenti enim hanc ſolam non alias enucleare animus fuit. Quare paucis adhuc adduxiſſe ſufficiat, præter cauſas memoratas occaſionem ſubinde præbuiſſe ictum fulminis, vid. SCALIGER *Exercit.* 13. Vinum fulmine tactum, gelatum, & ad priorem ſtatum reductum confer. SENECA *quæſt. natur. cap.* 53. & *Lib. VI. Cap.* 1. Terræ motum, BAGLIVI *Tr. de terræ motu Romano p.* 537. Suppreſſionem menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, obſtructionem lienis, malum hypochondriacum, hyſtericum, & ſimilia.

§. XIX.

Ultimo ratione prognoſeos memorandum venit, nullam deſipientiam juxta GALENUM *Lib. VI.* §. 53. & FORESTUM *Lib. X. obſerv.* 21. ſecuram, atque omnes membranarum & meningum morbos & conſequenter quoque adfectus maniacos eſſentiales graves & curatu difficiles eſſe. Siquidem *mania hæreditaria nunquam, adſcititia incipiens difficile, inveterata vix ac ne vix quidem curatur, & plerumque uſque ad mortem X. XX. imo XXX. annos quandoque perdurat.* SMITZIUS *Compend. Prax. Med. p.* 305. SENNERTUS *Praxeos Lib. I. P. II. cap.* 15. Sympathica ſeu Conſenſualis vero facilius ſolvitur. Deliria enim eſſentiali cerebri labe evenientia graviora per conſenſum talibus: WEDELIUS *Pathol. general. p.* 590. Quando memoria ſimul læſa eſt, longe gravior eſt, & magis vel minus fere incurabilis; *Idem l. c.* Tutior quoque obſervante HIPPOCRATE inſania cenſetur, quæ cum riſu fit, pejor quæ dato ſtudio. LOMMIUS *Obſervat. Medicin. p.* 66.

§. XX.

Melancholia & per conſequens quoque Mania interdum mutatur in epilepſiam & contra: HIPPOCRATES *Lib. VI. Epidem. Sect. VII.* GALENUS *Lib. III. de Loc. affect. cap. VII.* ſed *peſſima* juxta DURETUM *fol.* 378. *epigeneſis convulſio conſectaria inſaniæ.* Minus itidem tuta judicantur ulcera in facie & pedibus orta, aut proſtrata penitus appetentia LOMMIUS *l. c.* Salutem contra juxta eundem promittunt (magis tamen pro meo judicio in conſenſuali quam eſſentiali) fuſi menſes aut hæmorrhoides aut natæ varices. Bonum quoque ſomnum placidum, qui delirii vacuitatem adfert, ſupervenire, HIPPOCRATES *Lib. II. aphor.* 11. Nec minus ſalutis ſpes micat, ſuccedente alvi fluxu, qui teſtante BAGLIVI *Tract. de fibra motr. p.* 257. *in morbis capitis bona eſt, ratione ſigni & cauſæ: cauſæ nempe, quia educitur portio morboſæ materiæ; ratione ſigni, indicat enim laxari jam, molleſcere, & elongari ſolida interna tenſa, criſpata & convulſa, atque fluidis filtrandis liberum præbere tranſitum &c.*

§. XXI.

Perluſtratis notatu dignis Pathologicis curatio nunc pertractanda reſtat. In ea ſi rationaliter, ut convenit, procedere placet, proſpiciendum erit, ut ideæ peregrinæ & phantaſticæ deleantur, & motus impetuoſior, irregularis atque impeditus, procurata naturali fibrarum laxitate & convenienti ſanguinis & fluidi nervei ſyſtaſi & dulcedine, ad priſtinam libertatem ac ordinem reducatur. Prior indicatio malo exiſtente adhuc curabili, obtinetur per grata amicorum colloquia, ſeu placidos ſermones juxta inſanientis animum & conditionem, præſertim decreſcente furore prudenter inſtitutos, congruas perſuaſiones, mutationes aeris & ſuſceptas peregrinationes; hiſce non ſufficientibus, furor objurgationibus & realibus quandoque caſtigationibus, verberibus videlicet, incarceratione &c. infringendus eſt. Haud negligendæ quoque erunt callidæ deceptiones, quippe quæ non raro variis teſtantibus obſervationibus perverſas atque fixas ideas funditus exſtiparunt. Sic referente TRALLIANO *Lib.* 1. *cap.* 17. Medicus quendam, qui ſibi caput amputatum eſſe putabat, curavit impoſito repente capiti ipſius plumbeo pileo ut gravitatem ſentiens, caput ſe recepiſſe putaret, gaviſuſque ſit plurimum, atque ideo vana imaginatione liberatus. Alius qui ſe cornua geſtare autumabat, capiti cervinis cornubus alligatis, ſerraque reſectis & oſtenſis inſania liberatus eſt, vid. SENNERTUS *Inſtit. Medic. p.* 332. Præſtabit denique in ſubſidium vocare Muſicam, quippe quæ in curandis animi adfectibus & deliriis mitigandis mira efficacia gaudet. *In Muſica enim tam vocali quam inſtrumentali*, *teſte* QUERCETANO *Part. Diæt. p.* 206. *tam exacta eſt numerorum, rythmorum atque proportionum concordia, ut nihil ſit, quod magis animum permoveat & recreet, nihil quod per aures ſuaviter diverberatas magis illam afficiat atque oblectet, quam concentus & exactæ proportiones &c.* Conf. SCALIGERUS *Exercit.* 185. KIRCHERUS *in Arte Magnet.* & *Phonurg.* BAGLIVI *de morb. ſucceſſ. cap. XVI. p.* 390. &c.

§. XXII.

Præter hæc in uſum vocanda remedia chirurgica, pharmaceutica & diætetica, & quævis ex iiſdem ſeligenda ſunt, quæ ſerum gelatinoſum dulce ac blandum reſtituunt, acrimoniam corrigunt & ſolida nimis ſicca & ſpaſtice conſtricta humectant atque relaxant. In hunc finem commendatur largior & repetita venæ ſectio vel in fronte, temporibus & ſub lingua, vel tutius & pari efficacia in brachio & pede inſtituta. Hac enim ſolidorum criſpatura citiſſime ſolvitur, eademque confirmante PLATERO multi ab inſania liberati fuerunt. Interdum quoque utrorum temporum arteriotomiam admodum profuiſſe obſervatum eſt. Vid. EPHEMERIDES *Nat. Cur. Decad. III. annotat.* 4. ARETÆUS *l. c.* cucurbitulas vertici admovendas ſuadet; & alii ſanguiſugas lobis auricularum, vel in diſpoſitis & molimina ad eruptionem ſentientibus vaſis hæmorrhoidalibus applicant. Magni itidem uſus a quibuſdam cenſentur veſicatoria, vel nuchæ vel vertici ipſi raſo impoſita. Verum hæc poſteriora in præſenti ſpecie, in qua cum inſigni ſolidorum ſiccitate & ſtrictura, acris bilioſa humorum indoles conjuncta eſt, plus nocent quam proſunt, conf. WILLIS *Pharm. rat. P.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 3. BAGLIVI *in animadverſ. in Pract. nov.* §. 3. 4. &c.

§. XXIII.

Ex Pharmaceuticis quandoque fortiora emetica & purgantia, præprimis helleborata, impuram in primis viis latentem mineram eliminando, & fibris membranarum ſpecifice tenſis alium motum atque oſcillationem imprimendo, profuerunt. An vero in præſenti quoque ſpecie, in qua major ſiccitas deprehenditur, & minor vel nulla impuritatum copioſiorum

in ventriculo & inteſtinis ſuſpicio adeſt, conducant? merito dubitare licet. Tutius hinc pro meo judicio omittuntur quam exhibentur: Quidquid enim partium ſiccitatem, criſpaturam, & ſeri temperantis in fluidis acribus concentratis, exaltatis, & quaſi igneis defectum auget, nunquam in hujuſmodi ſtatu uſurpandum eſt, ideoque ex eodem fundamento omni cura vitanda & arcenda erunt quævis calida exagitantia, fortiora ſudorifera, diuretica calidiora, acria, aromatica, cephalica ſtricte ſic dicta, caſtorina, ſalia volatilia, & fixa amara, ſpiritus volatiles urinoſi & ardentes, & quævis ea in quibus principium ſalino-ſulphureum tam fixum quam volatile prædominium obtinet.

§. XXIV.

Certius auxilium ſpondent balnea univerſalia & particularia, ut pediluvia ex aqua tepida vel ſola vel cum minori lactis quantitate mixta & ſpeciebus emollientibus v. g. radicibus altheæ, liliorum alborum, herbis & floribus malvæ, chamomillæ vulgaris, meliloti, floribus ſambuci, furfuribus triticeis, & hujus naturæ aliis præparata: *Laxatis enim* juxta BAGLIVIUM *ſpecim. cit. p.* 256. *productiſque fibris in partibus madefactis ex mechanica neceſſitate conſenſus, & legum impulſus laxari oportet & leniri, producique fibras interiores contractas, criſpatas & quaſi inflammatas, ita ut liber pateat tranſitus fluidis, proindeque minuatur delirium.* An ſpongia emolliente decocto impraegnata ac denuo expreſſa vertici impoſita (ut ex hiſtoria caſus patet) in quovis ejuſmodi delirante tuto & cum fructu applicari queat, ulteriore & repetita obſervatione indagandum erit. Citiſſime pro meo judicio hac ratione meningum ſtrictura relaxari poteſt. Cavendum tamen ne abuſu tonus nimis deſtruatur, & inducta excedente atonia adfectus ſoporoſi invitentur. Similis fere efficaciæ cenſentur clyſmata ex emollientibus memoratis, & addito oleo lini, amygdalarum dulcium &c. parata & ano injecta; conſenſualiter enim æque ac balnea meningum criſpaturas minuunt. Externis hiſce emollientibus interna jungenda v. g. ſperma ceti vel pulveribus additum, vel cum oleo amygdalarum dulcium expreſſo aut juſculis avenaceis cum chamomilla coctis mixtum, & juſcula alia gelatinoſa, malva, violis, ſemine lini &c. temperata, aliaque in ſequentibus recenſenda.

§. XXV.

Selectiora itidem & expertiſſimæ virtutis judicantur, quæ temperando bilioſam corrigunt acrimoniam & priſtinam dulcedinem ac ſyſtaſin humorum reſtituunt. Ex horum cenſu ſunt 1). temperantia nitroſa & nitroſæ indolis v. g. lapis prunellæ, nitrum antimoniatum, nitrum ammoniacale WEDELII vel potui ordinario indita vel pulveribus doſi largiori admixta, eſſentia & decoctum anagallidis purpureæ &c. conf. ROLFINCIUS *in ord. & med. comm.* &c. 2) Acidula v. g. ſpiritus nitri, ſalis, vitrioli dulcificatus, liquor anodynus illuſt. Dn. PRÆSIDIS, clyſſus antimonii ſulphuratus, tincturæ acidulæ v. g. bellidis, roſarum rubrarum, violarum, borraginis, bugloſſæ, papaveris rhœados, ligni ſantali rubri, ſuccus citri, tinctura coralliorum ſucco citri aut pomorum Borſtorffianorum parata, ſal acetoſellæ, cremor & cryſtalli tartari, ſyrupus ribeſiorum, berberis, acetoſitatis citri &c. 3) Diluentia refrigerantia ut decoctum hordei cum radice graminis, ſcorzoneræ & cornu cervi, ſerum lactis a parte caſeoſa mediante ſucco citri aut cremore vel cryſtallis tartari pulveriſatis ſeparatum, aquæ acidulæ minerales, præſertim cum lacte aſinino vel vaccino mixtæ, aqua ſimplex pura ac levis loco potus ordinarii adhibita, it. potiunculæ ex aquis deſtillatis temperantibus v. g. aqua acaciæ, ceraſorum nigrorum, nymphεæ, endiviæ, lactucæ, fragorum, borraginis, bugloſſæ, florum hepaticæ nobilis, anagallidis purpureæ &c. cum nitro, præcipitantibus & ſyrupis acidis concinnatæ. 4) Obtundentia gelatinoſa & ſulphurea temperata ut emulſiones ex aquis prædictis cum ſeminibus quatuor frigidis majoribus & minoribus, cannabis, papaveris albi, amygdalis dulcibus, pini &c. Ptiſanæ, gelatinæ cornu cervi, eboris, crurum vitulinorum cum avena excorticata, paſſulis minoribus, & cortice citri, juſcula pullorum, gallinarum, carnium vitulinarum cum vel ſine herba endiviæ, borraginis, bugloſſæ, cichorei &c. it. cinnabarina ut cinnabaris nativa, antimonii, & factitia, cornu cervi ſine igne ſola tritura paratum, terra ſigillita alba &c. 5) Præcipitantia terrea parciori tamen doſi exhibita, ne ſiccitatem humidum nimis abſorbendo augeant v. g. lapides cancrorum citrati conchæ ppt. mater perlarum, chelæ cancrorum ppt. corallia rubra ppta &c.

§. XXVI.

Hiſce quandoque lenientia aut leniora laxantia ſunt interponenda, præſertim ſi patiens clyſteres admittere renuat, partim ut ſaburra in primis viis ſucceſſive collecta blande eliminetur, partim ut neceſſaria alvi libertas conſtanter ſervetur. Præſtantiora ac tutiora ſunt Decoctum prunorum laxativum cum foliis ſennæ, manna, rhabarbaro, tamarindis, paſſulis, radice polypodii; infuſum rhabarbari & mannæ cum aqua fumariæ, cichorei, cremore & cryſtallis tartari, ſerum lactis tamarindinatum, pulvis mechoacannæ, ſyrupus de cichoreo cum rhabarbaro, ſyrupus de manna.

§. XXVII.

Opiata magni a quibuſdam in hujuſmodi adfectibus, præprimis ad ſomnum conciliandum, æſtimata plane arcenda judico. Expanſiva enim ſua operatione humores magis rarefaciunt, ideoque plus nocent quam proſunt; *Errant*, inquit HELMONTIUS *Lib. de Lithiaſi, inſigniter qui maniam opiatis compeſcere ſatagunt, cum omne opiatum ſit in ſe amens.* Conf. illuſtr. PRÆSES *in Pathol. p.* 272. *ſequ.* & RAMAZZINI *Diatrib. de morb. artific. cap.* 20. CÆLIUS AURELIANUS *Lib.* 1. *de morbis acut. cap.* 17. Noxii itidem effectus ſunt vulgo commendata epithemata frontalia refrigerantia; quandoquidem, ſi frigore actuali gaudent, non ſolum tranſpirationem periphericam in capite impediunt, ſed membranarum quoque criſpaturas augent.

§. XXVIII.

Ad falſa denique, dubia, & minus ſelecta releganda erunt ſanguis aſini ex venis poſt aures emiſſus panno linteo mundo exceptus & denique mediante infuſione cum aqua anagallidis exhibitus, caput & cerebrum arietis venerem nondum experti, corium capitis humani pro cucupha, mus aſſatus &c. nec non amuleta ex radicibus bryoniæ & eryngii, aut lapide Lazuli, armeno. chelidonio & hujus farinæ alia, quæ apud MACASIUM *in Prompt. Mater. Medic. p.* 605. *ſeqq.* & hinc inde apud alios commendata occurrunt.

§. XXIX.

Ultimo congruum Diætæ regimen profligandæ maniæ ſubvenire debet, ideoque curandum, ut æger in aere puro ſubtili ac temperato, plus tamen ad frigidum quam calidum inclinante degat, & cibo tenuiori, temperante & gelatinoſo, juſculis avenaceis, hordeaceis, pomis Borſtorffianis cum paſſulis coctis, carne vitulina &c. nec non potu tenuiori utatur; omni præterea ſtudio ſe-& excretionum libertas, ſomnus & animi tranquillitas procuranda, & quævis ea, quantum poſſibile, arcenda ſunt, quæ ulteriorem fomitem malo ſubminiſtrare valent.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
PRÆCAVENDA POLYPORUM
GENERATIONE,

Primùm edita anno 1736.

§. I.

Initio pi.

QUum omnis diſputatio *de præſervanda polyporum generatione* futura eſt, id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſſertationibus oportere, CICERO ait *de oratore libr. I. Ut quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur, ne vagari & errare cogatur diſſertatio, ſi ii, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud de quo agitur, intelligant.* Dicitur autem *polypus* (a) concrementum aliquod fibroſo-membranaceum, quod a parte ſanguinis gelatinoſa & terreſtri productum vaſorum cavis inhæret.

§. II.

Stamina polyporum ... ent ... e.

Concretionis hujus carnoſæ in tantam molem, ut teſtibus BERGERO *diſput. de cordis polypo §. IV.* uncias decem, & VESALIO *anat. libr. I. c. V.* libras propemodum duas ponderaverit, ſtamina præbent fibræ, quarum cohærentium congeries membranas conſtituit, & involutarum membranarum glomum refert. Dicitur enim *membrana* ſtratum aliquod fibrarum plicabilium ſine ordine quidem ſibi inflexarum, cum in illa fibræ vel parallelæ ſibi apponantur, vel inſtar lintei ſe invicem decuſſent, uti quemvis convincunt peritorum anatomicorum obſervationes. Ita judico cum BORELLO & MALPIGHIO, polypum eſſe faſciculum membranarum ſibi incumbentium, quem conſtituunt fibræ in corpore polypi arctius cohærentes, (quo duriores enim fibræ ſunt, & arctius cohærent, eo firmas ac ſolidas magis conſtituunt tunicas per experientiam) quæ vero pedetentim a ſe invicem ſecedentes, in extremitatibus polyporum in fibras rurſus reſolvuntur, dum ob defectum contactus fibrarum corpus aliquod contiguum conſtituere nequeunt. Idem probat BERGERUS experientia edoctus, quum polypum cultro anatomico ſubjiciens inveniret *ex meris*, uti ait *diſſert. de polypo cordis §. 10. pelliculis gelatinoſis, ſed craſſioribus & arctius ſemet amplectentibus* conſtantem, *perinde ac ceparum bulbi, quarum alia poſt aliam divulſa cultellum digitosque facile ſequebatur*; ut taceam PATINI polypum in viginti membranas & amplius diſtinctum, vid. *hiſtor. ejus anatomicam §. LVI. pag. 116.* Confirmat hoc quoque MALPIGHIUS *in diſſert. de polypo cordis, quando morboſa hæc*, inquit, *excreſcentia ſuam quoque ſtructuram habere videtur; etenim præ ſe fert congeriem ſuperpoſitarum extenſarumque pellicularum:* & quæ ſunt reliqua, quibus laudatus vir probare conatur conſiſtentiam polypi ex pluribus membranis, earumque ſolutiones in filamenta ſolida & oblonga, quæ inſtar faſciculi hærent, & in polypi appendicibus manifeſtiora magis redduntur.

§. III.

(a) De polypi ſignificatu & ratione dialectorum non ero ſollicitus, cum fuſius id jam explicarunt ALBINUS in *diſſert. de polypis theſ. I.* & SNELL. *de cordis polypo* §. 1. 2. 3. Placet vero in præſenti veteres quosdam auctores adducere, & quæ in eorum ſcriptis de polypis exſtant, diſſertationi huic inſerere. Occulte eos denominarunt per *coagulationem pituitæ.* Ita ANTONIUS BENIVENIUS, qui floruit 1495. in mulieris, a cordis tuberculo ejusque fixo dolore mortuæ, ſiniſtro cordis ventriculo *fruſtulum nigrioris carnis* reperit, quod *meſpili* formam habuit, vid. *libr. de abditis morborum cauſſis cap. 35.* HENRICUS SMETIUS anno 1561. in mercatoris cujusdam diſſecto corpore vidit dextrum cordis ſinum, (cui vena cava inſeritur,) interiore ſui parte *durum, exaſperatum* undique, & quodammodo *ſquamoſum*, ut *inſerta manus ejus ſquamarum ſcabritie offenderetur*, quo in loco continebatur *fruſtum condenſati humoris pituitoſi lenti albicantis*, longitudine digiti medii, craſſitie pollicis, aut amplius, ſanguini immerſum, quod *medullam cruris bovilli calefactam*, ſubſtantia & forma referebat. conf. *libr. X. rar. aliquot obſervat. pagi* 523. Quam ſcabritiem in ſinu cordis dextro SMETIUS animadvertit, eandem Altorfii in arteria magna obſervatam *excell. vir* JOANN. HENR. SCHULZIUS *præceptor omni honorum cultu proſequendus*, mihi retulit. RUYSCHIUS quoque *theſaur. anatom. VI. n. 36.* mentionem facit *cordis, ſuperficie exteriore ſcabri, immo ramoſi*, uti vocat, *quod ſcabritie ſua connatum erat pericardio.* MARCUS AURELIUS SEVERINUS *libr. de noviſſ. obſervatis abſceſſibus cap. II. §. 1. p. 132.* ſe anno 1616. in viro Epilepſia mortuo obſervaſſe refert ſinum cordis utrumque, venas magnas, quæ cordi inſeruntur, & hujus auriculas humore obſita concreto inſtar *vulgaris gelatinæ flavioris*, quem putavit *putrem pituitæ mucaginem bilis aliqua portione tinctam; dulcique novitatis amore* medicos Neapolitanos viſum rem veniſſe. Quod vero antiquioribus non fuerint cogniti polypi, mirum non eſt, cum neglecta vel parcior corporum poſt mortem inſtituta fuit ſectio, quemadmodum ILLUSTR. HOFFMANNUS, præceptor meus fideliſſimus monet *medic. ſyſtemat. tom. II. cap. VIII. §. 19. in ſcholio.*

§. III.

Diverſa polyporum ſubſtantia.

Non omnes polypi unius ejusdemque generis ſunt, alii enim fibroſam & membranaceam ſubſtantiam magis repræſentant, alii membranis incluſam fovent *pituitam*; (b) rurſus alii *fruſtula* continent *pinguedinoſa* (c), interdum etiam in *lapideam* (d) ſunt conſolidati duritiem, teſtantibus id quorundam auctorum obſervationibus. Non enim opus eſt ut reticulatæ illæ membranæ denſentur & arctius compingantur, ut corpus fibroſum & admodum firmum conſtituant, quum pro varia motus, materiæ, locique, in quo polypus hæret, conſtitutione ſæpius fit, ut membranæ laxius cohærentes, tenacem involvant materiam, prout cujuſvis individui ſtructura fluidorumque textura ad hoc vel illud producendum diſpoſita eſt; conſiſtentiæ enim partium diverſitas deducenda eſt a partium ſucci nutritii diverſitate, uti recte monet CLOPTON HAVERS *in oſteologia nova p.* 187. *&* 189. *quando ſuccus*, inquit, *partium extravaſatus ſubſtantiam generat, ſubſtantiæ partis illius, quam nutrire aptus eſt, ſimilem.*

§. IV.

Quod præmiſſis jam in genere præmittendis ad ſpecialiorem polyporum cognitionem eorumque generationem attinet, per modum quo polypi producuntur, intelligo eorum *generationem*. Quos enim ſolertes in corporum ſectione obſervarunt Medici, vel antea jam exſtiterunt, vel poſtea ortum traxerunt, prius negant, poſterius vero affirmant ratio & experientia. Dum vero oriuntur, vel ex nihilo vel ex aliquo producuntur; ex nihilo autem fieri nequit. dum illud dicitur quod non exiſtit, ergo ex aliquo, tertium enim per regulas oppoſitionis eſt impoſſibile.

Generatio quid?

Oritur autem polypus ex ſanguine. Eſt enim ſanguis liquor purpureus, ex partibus fluidis, ſulphureis, terreis, gelatinoſis plus minus cohærentibus compoſitus; conf. LEMERY *in chymia pag.* 528. *ſeqq. ad Pariſ. experiment.* QUERCETANI apud MOEBIUM *phyſiolog. pag.* 253. quæ vero certa figura vel diaphanæ & opacæ, compoſitione vero flexiles & rigidæ magis exiſtunt, vid. *illuſtr.* HOFFMANNI *med. ration. l. ſyſtem. t. I. lib. I. ſect. I. cap. V.* §. 2. *&* 8. *in ſcholio.* Verum enim vero neque terra ſola, nec phlegma aut ſulphur, quod cum terra & motu globulorum ſphæricorum circa axin rotatorio ſanguini purpureum induit colorem, vid. BERGER *de natura humana pag.* 157. corpus tale fibroſo membranaceum producere poteſt, per experientiam, ſed gelatina, quæ ex phlegmate, ſubtili oleo, ſale volatili & terra componitur, id efficit, uti reſolutio ejus in principia ope ignis facta teſtatur. Id quod etiam *Illuſtris* HOFFMANNUS *med. ration. ſyſtem. tom. I. ſect. I. cap. V.* §. 9. *in ſcholio* docet, ſimulque experimentis confirmat, ſanguinem eſſe *gelatinam diaphanam* a ſulphurea & rubicunda materia tinctam, quum conſtet, ſanguinem e vena in aquam tepidam effuſum gelatinam in fundum dimittere, aqua ſupernatante rubra, poſt cujus evaporationem remanet pulvis rubicundus facile ardens, vid. *ſupra cit. libr. XIV. in ſcholio*: &, qui remanet

Ortus polypi ex ſanguine ejusque gelatinoſa ſubſtantia.

(b) TULPIUS *lib. I. obſerv. med. c.* 27. polypum deſcribit ex *alba & concreta pituita* incluſa membranaceo involucro: pituita hæc, quam quum in membranis & venis per cerebrum diſperſis *tantaque in copia ac lentore* videret, *ut potuerit extrahi inſtar longioris cuiusdam fili, non levem movit polypi ſuſpicionem.* Polypum *mucilaginoſum tenacemque* in ſinu cerebri refert J. N. PECHLINUS *lib. II. obſerv.* 2. Contigit mihi anno præterito idem conſpicere in viri juvenis XXIV. annorum habitus ſtrictioris corpore diſſecto, cui ruri tunc temporis inexiſtenti cum manus fere tota una cum arteria radiæa abſcinderetur, non habuit, quo ſanguinis fluxum ſiſteret, hinc magnam paſſus hæmorrhagiam nono demum die exſanguis fere obiit. Cor hujus cadaveris nimis expanſum erat, præprimis auricula dextra, in qua polypi corpus deprehendebatur, figuram ejus referens cum radicibus ſat longis in venam cavam inferiorem & ſuperiorem, ex qua in ſubclavias venas tranſiens figuram eorum delineabat. Quem polypum quum *Celeberr.* CASSEBOHM ſub examen vocaret, in corpore ejus *repletam muco tenaci* cavitatem membrana antea obtectam invenit; reliqui autem polypi, qui cordis ſiniſtro ventriculo & vaſis majoribus, uti arteriæ aortæ, venæ ac arteriæ pulmonali ſpithamam unam circiter longi inhærebant, item qui ſinui longitudinali ſuperiori inexiſtens in laterales & orificia venarum, ſanguinem in ſinum hunc deferentium, ramos transmiſerat, carebant hac pituita. Plures ejusmodi obſervationes collegit BONETUS *in anat. pract. lib. II. ſect. XI. obſerv.* 6.

(c) Retulit mihi *excellentiſſ. vir, magnæ Britanniæ Regis Archiater* J. G. STEIGERTHAL, quem honoris cauſa nomino, ſe anno 1708. in menſe Octobri in febre quadam ardente, qui ex delirio in aquam incidit & poſt horas aliquot obiit, obſervaſſe polypum ex *mera pinguedine* in cordis ventriculis & vaſis, qui igni admotus, non in liquamen ſolum ſed & in flammam abiit, chartaque a liquata & fuſa pinguedine tanquam oleo imbuta, pellucida reddita fuit. De polypo albidiore intus & quaſi adipoſo una cum ſanguine congrumato egit BERGER in *diſſert. de polypo cordis p.* 28 *De fruſtulis adipoſis inſtar lumbricorum* in corde phthiſici conf. BARTHOLINI *hiſtor. anat. VII. cap.* 5. *De adipoſis* vid. BALLONIUS *epid. & ephem. lib. II. p.* 144. qui polypos inſignes pinguedine refertos fuiſſe notavit. MARTINUS BOGDENUS apud BARTHOLINUM *cent. IV. ep. XI.* obſervavit in ruſtico ex pugno pectori inflicto mortuo *materiam ſubalbicantem pancreati omnino ſimilem*, cui *ſimile quid veræ pinguedinis* interſperſum fuit. CASPAR BAUHINUS in dextro cordis ventriculo puellæ cachecticæ *maſſam pinguedini ſimilem recenſet* in obſervationibus.

(d) Variæ ſunt obſervationes *polyporum lapideorum lapidumque* in corde & vaſis majoribus. *Polypum lapideæ ſubſtantiæ* recenſent E. N. C. *Dec. II. an. V. obſerv.* 83. & talem lapideum Pariſiis ex corde virili exemtum DIARIUM PARISIENSE vulgo JOURNAL DE MEDECINE commemorat, nec mirum eſt *in adulto* id accidiſſe, cum RUYSCHIUS *theſ. anat. IX. n. XXX. p.* 25. ſimile fere quid, *cranium ſcil. lapidea ſubſtantia* variis locis obſitum *in infante*, & GREISELIUS, conf. M. N. C. *Dec. I. ann. I. obſerv.* 70. in puero duodecim annorum valvulam *arteriæ magnæ arenæ calculis* prorſus abſumtam, nec non MALPIGHIUS *diſſert. de polypo cordis* in puellæ corde, *globulos velut avellanæ fructus gypſea quaſi materia excitatos, in cujus corde polypi ſimul ſtagnabant*, obſervaverint. BELLINUS *libr. de morbis pectoris pag.* 617. *lapides*, ait, *vidimus in interna arteriarum tunica, quæ hic illic eandem exeſerant, & veluti phlogoſi inflammaverant, & ad loca inflammata veluti cruſta affigebantur.* Porro inquit p. 618. *lapidem plane admirabilem vidimus genitum in altera valvularum, quæ in ſiniſtro ventriculo adſtant venæ pulmonalis orificio.*

manet in præparatione polypi artificialis, non amplius in coagulum abire, ſed eſſe terram cum ſulphure in aqua ſolutam.

§. V.

Differt gelatina in corporibus.

Quum vero vi principii indiſcernibilium identitas characterum omnium poſſibilium quoad maxima & minima in cujuſvis animalis ſanguine impoſſibilis ſit, in gelatina quoque cujuſvis animalis non datur perfecta ſimilitudo; cum, quod generi competit, competat etiam ſpeciei ob ſimilitudinem ſpecierum, quam genus conſtituit. Differt itaque gelatinoſus humor, prout terreſtribus, ſulphureis & aqueis plus minus abundat particulis, & corpuſcula vel firmius vel laxius cohærent, vel ob defectum cohæſionis facilius ſecedunt. Quo enim minora eadem exiſtunt, eo ſubtiliorem ac teneriorem continent contactus lineam, qua cohærent, uti id corporum in principia reſolutiones abunde teſtantur. Quo magis vero ſpecifica gravitate æqualia ſunt, eo fortius adhærent, quemadmodum inter alios optime docuit *celeberrimus* HAMBERGERUS *in elementis phyſices cap. III. de cohæſione corporum.* Cum autem ex corpuſculis diverſi generis mixtum aliquod & ex hoc compoſitum, iisque tenaci cohæſione arcte in unum cohærentibus, moleculam aliquam ſat durabilem ac firmam producere queamus, docente immortalis memoriæ viro B. STAHLIO *in opuſculis phyſico-chymico-medicis p.* 306. *&* 307. concipi etiam licet, quomodo ex compoſito fluidi ſpeciem referente, ſeu gelatina, corpus aliquod ſolidum fibroſo-membranaceum produci poſſit; docet enim ante laudatus vir *p.* 307. *vel pro differentia mixtionis corpuſcula facilius ſolvi, principia ſeorſim colligi, & in novas concretiones tranſponi poſſe.*

§. VI.

Partes in gelatina haud ſolubiles conſtituunt fibroſam ſubſtantiam.

Dantur in gelatina partes haud ſolubiles vid. HOFFMANNUS *medic. ration. ſyſtem. tom. II. part. III. c. VIII. §.* 20. *in ſcholio*, illaque in ſe jam fibroſam continet ſubſtantiam, confer. MALPIGHIUS *in opere poſthumo p.* 62. quæ vero ob intermixtas aqueas particulas & illius ſubtilitatem, oculis niſi armatis conſpici poteſt. Sic feliciter ſucceſſit experimentum, cum minimam particulam gelatinæ vitro illinirem, illudque aeri ad exſiccandum exponerem; exhalatis enim partibus fluidis remanebant ſolidiores fibrarum figuram referentes, quas optime ope microſcopii conſpiciendi data mihi ſæpius fuit occaſio. Quas partes, quæ fibram ſcilicet minimam faciunt, *celeberr.* BOERHAAVIUS dicit *minimas, ſimpliciſſimas, terreſtres, vixque mutabiles per eas cauſas, quæ in nobis viventibus deprehenduntur, lib. de cognoſcendis & curandis morbis aphor.* 21. *p.* 5. Solida hæc in gelatina præexiſtens ſubſtantia corpus aliquod durum conſtituit, ſicuti arte ope ignis ex gelatina produci poteſt. Per calorem enim fluidæ partes attenuantur & ſolidarum partium interſtitiis inexiſtens aqueus humor in vapores reſolvitur, aeris autem atmoſphærici compreſſione partes ſolidiores ad ſe invicem compinguntur, cum nihil ſit, quod preſſioni ejus reſiſtat. Hoc modo glutinoſam ex gelatina parari ſubſtantiam, docet *illuſtris* HOFFMANNUS *medic. rational. ſyſtemat. tom. I. ſect. I. cap. V. §.* 9. *in ſcholio.* Prout vero gelatina tenax & viſcida exiſtit, terreſtribus magis quam humidis abundans particulis, pro eo etiam ſolidioribus ac fibroſis ſcatet partibus, quæ ignis & microſcopii ope detegi facile poſſunt.

§. VII.

Ex ſtrato fibrarum in gelatina componitur corpus aliquod reticulare membranaceum.

Quum vero in *§. II.* dictum jam fuit, fibras ſine ordine quidem connexas componere membranam: concipi licet, quomodo ſtratum aliquod fibrarum plicabilium in gelatina exiſtentium corpus reticulare membranaceum conſtituat, lamellarumque ſuperpoſitarum congeries componat fibroſo-membranaceum corpus, motu ſolidorum & fluidorum compactum firmumque redditum. Confirmat aſſertum hoc productio membranarum ex *gelatina arte* (e) facta. Per effuſionem enim ſanguinis in primis gelatinoſi in aquam calidam generantur membranæ. Solvuntur enim in aqua particulæ terreſtres, ſulphureæ & ſalinæ, aqueæ autem cum fluido in motum abripiuntur, remanente parte in aqua ſolidiore haud ſolubili, quæ propter ſimilium contiguitatem talem fibroſo-membranaceam conſtituit ſubſtantiam. Hanc membranam cum ope microſcopii explorarem, inveni congeriem multarum minimarum fibrarum ſe invicem inſtar retis decuſſantium; ut adeo illa probent, quæ de membrana §. II. dicta ſunt.

§. VIII.

Ex membranarum congerie critur polypus.

Quemadmodum ex fibris membranæ, ita ex congerie membranarum in fibras deſinentium generatur ſubſtantia talis carnoſa; id quod ſimile corpus arte productum confirmat. Feci experimentum (f) cum ſanguine ſuillo recenti, libramque ejus unam, per horæ ſpatium bacillo agitare juſſi, donec frigefactus erat. Hunc involvebat ſubſtantia aliqua

(e) RUYSCHIUS *theſ. anat. VI. n. VII. p.* 7. 8. refert, ſe pſeudomembranam, uti vocat, ex ſui ipſius ſanguinis ſero arte confeciſſe ſola conquaſſatione ramulo portulacæ foliis minoribus, ut in formam membranæ melius ſe poſſet extendere, ibique notat *hanc pſeudo-membranam in ſtamina plurima ſeu fibras eſſe diſperſas æmulantes ea, quæ in corpore humano a natura generantur:* idem etiam affirmat *theſ. anat. VII. n. XXXIX. pag.* 19. & teſtatur ſe ex cruore ſuo confeciſſe *membranam veram aliquam repræſentantem, & ita fibris pertextam, ut omnes ſint putaturi, eam eſſe veram membranam.* Vid. *tab. III. figur. VI. theſ. VII.* Eodem loco etiam monet, experimentum hoc non ſuccedere, *niſi illico poſt venæ ſectionem; ſpiritibus nondum diſſipatis, hoc fuerit inſtitutum.*

(f) Eodem fere modo inſtituit RUYSCHIUS experimentum hoc, præterquam quod manu tamdiu fuerit conquaſſatus cruor ex ſue recens mactato, donec ſeſe materia, ut eam vocat, *polypoſa* copioſe conſpiciendam præbuit, vid. *theſ. anat. I. n. III. pag.* 14. Refert etiam ſe hac occaſione varias adipis particulas accepiſſe, *quæ formam globulorum diverſæ magnitudinis & membranulæ ἀνάλογον integumentum referebant, ſubſtantiæ polypoſæ firmiter adhærentes*, quas etiam delineandas curavit *tab. II. theſ. I. lit. E.*

Polypus artificialis.

aliqua ex congerie fibrarum membranas conſtituentium compoſita, fortiter cohærens, ponderis circiter unciæ unius, quæ fruſtulum carnis æmulabatur, in aqua macerata fibras albas conſpiciendas præbebat, in calido hypocauſto in putredinem cum ponderis diminutione facile ruebat, in frigido loco vero aſſervata durum ac rigidum corpus conſtituebat.

§. IX.

Generatio polyporum in vivis.

Itaque quum hæc & ſimilia ex ſanguine produci videamus, mirandum non eſt, eadem etiam in corpore adhuc vivo (g) accidere. Sanguis enim omnia continet requiſita ad polypi generationem apta, quemadmodum examen ejus phyſico-chymicum docet, deinde ſanguis in corpore adhuc vivo iisdem, quibus artificialis producitur, obnoxius eſt motibus; uti infra docebunt cauſſæ polypum producentes; ut adeo poſſibilitas exiſtentiæ polyporum in corporibus vivis pateat. Actualitatem vero docent rariores quædam obſervationes polyporum, vomitu & alvo dejectorum, & ſymptomata, ex quibus periti Medici exiſtentiam polyporum in corporibus, hoc morbi genere, cujus prognoſis fatalis eſt, afflictis, prædicere didicerunt. Licet hoc de omnibus polypis non intelligendum ſit, interim de *cordis* polypo, dum per illud tanquam motus principium toti ſyſtemati vaſorum motus communicatur, ejusque motu impedito, fluxus ac refluxus fluidorum machinæ noſtræ hydraulicæ invertitur.

§. X.

Quomodo polypus in corpore generetur?

Generatio polyporum in ſtructura corporis mechanico-hydraulica fit per *præcipitationem* & *ſeparationem* gelatinoſæ & terreſtris portionis a reliquis ſanguinem conſtituentibus partibus, per quam partes ſpecifice graviores non ſecedunt ſolum, ſed & propter æquilibrium corporum ſpecifice graviorum minusque ad reflexionem mobilium, ſolidis facile adhærent, donec partes ſolidæ in *gelatina* præexiſtentes & copioſius & propius ad ſe invicem accedant, & propter corporum impenetrabilitatem, heterogenea ex eorum interſtitiis removendo, conjunctionem fibrarum conſtituant arctiorem, quæ ob *defectum fluiditatis*, & mixtionis cum *æthereis* & *ſulphureis particulis* in motu non amplius detinentur, ſed per conquaſſationem ſolidorum ita comprimuntur, ut durius, quod priorem reſpuit mixtionem, conſtituant corpus: id quod *illuſtris* HOFFMANNUS confirmat, quando in *medic. ration. ſyſtem. tom. II. part. III. cap. VIII.* §. 20. *in ſcholio*, *ſi quando*, inquit, *limoſior ſanguinis pars vel propter tardiorem progreſſum ac quietem, vel ob admixtum acidum, ſpirituoſum, aut valde frigidum, a reliquo ſanguine ſecedit, & ſeparatur, & fortiori facto vaſorum appulſu atque compreſſione partium arctiſſime compingitur, dura ejusmodi corpora oriuntur.* Unde patet omnia quæ ſanguinem non in mixtione conſervant, ſed *gelatinoſas* & *terreſtres* partes ſeparant, ſive id fiat disjunctione partium & præcipitatione a frigidis, coagulatione ab acidis, vel quibuscunque partes a ſe invicem ſeparandi modis, corpora diſponunt ad polyporum (h) generationem.

§. XI.

Gelatina ſolidis facile adhæret partibus.

Quemadmodum autem ante laudatus HAMBERGERUS in *elementis phyſices l. c.* demonſtravit, fluida arctius propter ſpecificam gravitatem cohærere, deinde etiam ſi fluida cum fluidis aut ſolidis conjungantur, fluidum ſpecifice levius, ſpecifice graviori adhærere: (i) ita facile concipi licet, quod *gelatina* propter easdem cauſſas ſolido adhæreat, & motu ſolidorum ſucceſſu temporis præterlabentium ſimilium cohæſione extendatur in majorem molem, in iis potiſſimum, qui materiam ad *polypi generationem* aptam fovent.

§. XII.

Polypus facile generatur in ſinu cordis dextro, & venis.

Facilius generatur polypus in *cordis utroque ſinu & venoſis* quam *arterioſis ductibus*, impri-

(g) KERCKRINGIUS TULPIUM & BARTHOLINUM erroris cujusdam accuſat, quod morbi genus polypum ſcilicet vivis adfuiſſe adfirment, quem in agone *mortis* & *mortuis* potius generari contendit, *ex coagulato ſanguine, qui poſt animalium mortem refrigeratus & grumoſus durusque redditus ex corde, hepate, & cæteris partibus extrahitur, in varios ramos diviſus, prout ibi in variis cavitatibus hæſit*; vid. *ſpicil. anatom. obſerv. LXXVIII.* An vero experimentum in cane vivo inſtitutum per injectionem cujuſvis ſpiritus acidi, ut vitrioli, aluminis, &c. ſufficienter probet impoſſibilitatem generationis polyporum in vivis non perſpicio; quamvis concedatur, polypum in animalibus poſt mortem formari poſſe, quoties libuerit, & in agone mortis aliquas etiam produci pſeudo-membranas cum ſanguinis coagulo per ſeceſſionem gelatinoſi & terreſtris principii a reliquis ſanguinem conſtituentibus partibus; ab eo tamen non valet conſequentia ad negationem polyporum in vivis. Neque enim per hoc experimentum a KERCKRINGIO & DRELINCURTIO factum, polypus producitur, ſed a JOANNE MAURITIO HOFFMANNO *diſquiſitione corporis humani anatomico-pathologica pag.* 178. aliisque *ſanguinis ab acido coagulati grumus* habetur, *atro-rubens, digitis friabilis.* Quare KERCKRINGIUS erroris potius & vitii ſubreptionis accuſandus eſt, cum confuderit judicium cum experientia. Plura vide in BONETI *ſepulchreto anatom. lib. IV. ſect. XII. obſerv. ult.*

(h) Ex quo polypus in corpore producitur, in idem etiam redigi poteſt. Quemadmodum enim ex *gelatinoſo humore* corpus ſolidum generari demonſtratum eſt, ex ſolido arte *gelatinoſum* rurſus produci poſſe docet digeſtor Papinianus, cujus ope omnes corporis partes, oſſa, cartilagines, membranæ &c. in fluidam & priorem rediguntur ſubſtantiam; Incluſus enim aer, imprimis vero, qui in corporum interſtitiis compreſſus hæret, ope *caloris* expanditur ac *elaſticus* magis redditur: jam vero conſtat ex phyſicis, aerem eo majorem exſerere vim, quo magis antea compreſſus fuit, & quo minus ob ſolidiorem ac firmiter cohærentem ſuperficiem ſeſe aeri externo jungere potuit; qua vi cum aer expanſus, majus affectet ſpatium, cedere neſciens, partes omnes diſtendendo dilacerat & in *motum fluiditatis* abripit. Sic reductio ſolidi in fluidum, & fluidi in ſolidum, ſatis abunde probat principium illud, quod partes corporis noſtri ſolidas conſtituit.

(i) Illuſtrat aſſertum hoc cruſta lapidea, in thermis Carolinis brevi temporis ſpatio ſeſe parietibus canaliculorum opponens, prætexfluentium terreſtrium cohæſione, quæ motu ac preſſione fluidorum quaqua verſus in firmiorem rediguntur ſubſtantiam. Eodem modo *tartareæ* in aquæductibus producuntur *concretiones.*

imprimis vero *in ventriculo & auricula cordis dextra* (k). Chylus enim, qui per venam ſubclaviam in venam cavam & ventriculum *cordis dextrum* tranſit, ſpiſſis & craſſioribus leviter cohærentibus, nec intime mixtis, refertus eſt particulis, & turbidus magis, accedente motu tardiori, ob diſſimilium contiguitatem dimittit partes ſolidiores, quarum amplexu circumplicatis cordis trabibus, unum quaſi corpus conſtituitur. Sanguis *venoſus* vero cum motu tardior, conſiſtentia ſpiſſior ac ponderoſior eſt arterioſo, partes facile dimittit ſpecifice graviores, quæ propter eorum tendentiam ad centrum, fundum magis ac latera petunt, eo magis, ſi ob defectum mixtionis intimæ leviter cohærent. Id quod LANCISIUS corroborat, quando *libr. de aneuriſmatibus propoſ. LXI. pag.* 146. *imminuto*, ait, *ſanguinis motu particulæ chyli non adhuc probe ſubactæ variæ aliæ quam plurimæ ſpecifice cæteris graviores ab iis ſecedunt, atque inter ſe coeuntes concreſcunt in fibras, ex quibus variæ lamellæ poſt modum contexuntur polypi ſpeciem referentes.* Hinc talis ſanguis ad generationem polypi diſpoſitus plus eſt *arterioſo*, qui carminatione quæ in pulmonibus fit, accedente ſubtiliſſimo æthere & transpreſſione ſanguinis globulorum per vaſa minima, & motu arteriarum elaſtico, intime miſcetur, pondere levior, colore purpureus magis redditur. Unde patet totum generationis polyporum negotium ex *motus* & *materiæ* neceſſitate explicari poſſe.

§. XIII.

An polypus in inſtanti in corpore vivo produci poſſit?

Polypos *in inſtanti* etiam generari poſſe probabile admodum eſt. In quibus enim *materia polypoſa* abundat, ad *polypi generationem* valde proclives ſunt. Hinc ſi æſtu exagitata hæc corpora frigidum potum ſubito hauriant, aut in aquam frigidam incidant, aut terrore ſubito correpti, ſpirituoſis adhuc ſuperingeſtis ſanguinem magis coagulent, fieri poteſt, ut *inſtantanea* talis *maſſa fibroſa* producatur, cum per experientiam non conſtet ſolum, dictorum ope ſanguinem in coagulum redigi & fibroſo membranaceam ſubſtantiam ex illo præcipitari poſſe, ſed obſervationes etiam doceant ex effectibus cauſſas ſtatim excipientibus *generationem polyporum inſtantaneam*; inter quas adduci meretur facta, ab *excellent.* SCHULZIO obſervatio, (vide *diſſert. de præcavendis polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſis* §. 7.) in adoleſcente XVII. annorum; qui ſanus antea & alacris, poſt frigus per tres dies perpeſſum, accedente mœſtitia & ſuperingeſto vino aduſto priorem animi vigorem cum difficultate reſpirandi, non ipſe ſolum, ſed in ipſo omnes, qui antea noverant, deſiderarunt. Hinc factum eſt, ut ortis pedum tumore, puſtuliſque aquoſis, quæ in ova columbina tandem anſerina æquantes abierant, brevi poſt hectica febri conſumtus fere obiit. Facta corporis ſectione vaſa majora omnia, omnes cavitates cordis, polypis prægrandibus repleta fuerunt; Ex quibus patet, cum conquenretur facta ſubita poſt vitam, cui antea non adſuetus erat, inordinatam mutatione, in corpore ortam fuiſſe cauſſam, quæ *circulum ſanguinis* reddidit impeditiorem, & temporis ſucceſſu ejus motum per intervallum aliquod, vel plane etiam ſufflaminavit, eumque polypum fuiſſe veritatis quædam criteria ſymptomata, & eventus calamitatum omnium docuere. Ita quoque de polypi generatione judicat MANGETUS, quando *bibliothecæ anatomicæ tomo I. in additamentis* ad MALPIGHII *diſſert. pag.* 163. *Non negamus*, inquit, *polyporum generationes aliquando eſſe quaſi momentaneas, aut ſaltem minimo temporis tractu ita creſcere atque augeri, ut derepente ſymptomata inducant lethalia; ſic polypos narium & fungos ex cranii fiſſuris oriundos, dum reſecarentur & igne etiam aliquando admoto eradicati in totum reputarentur, momento renatos, atque etiam grandiores factos ſæpius vidimus. Unde conſtare poteſt, non multum requiri temporis pro ſufficienda materia polyporum generationi atque accretioni apta.*

(k) Præter polypos variis corporis in locis ab obſervatoribus detectos, de quibus fuſius egerunt SNELL in *diſſert. de cordis polypo* §. 17. ALBINUS in *diſſert. de polypo* §. 3. *Illuſtr.* HOFFMANNUS *in medic. conſult. part. IX. decad. III. caſu IV. p.* 207. mentionem facit duorum concrementorum polypoſorum, ex fibris innumeris carneis contextorum, *vomitu* dejectorum; collegit etiam jam *laudatus vir experientiſſimus* nonnullas obſervationes *de inteſtinorum polypis*, quos ſæpius imperiti Medici inteſtini cujusdam partem exiſtimantes, neſcio quam fatalem moriendi neceſſitatem ægrotis indicant, quam vero illudit felix & rationalis a prudente Medico inſtituta curatio. Nuper quoque *venerandi noſtri ſenioris* curæ commiſſus eſt ægrotus, qui, adſuetus antea nimiis lacticiniis & fructibus horæis, ſubito circa hypochondria ſummis corripiebatur doloribus, donec *polypum* ulnam unam & paulo poſt ulnam unam & dimidiam longum alvo dejiceret. Hinc factum puto, chyloſam materiam coagulatam una cum tunica inteſtinorum interna, quam BRUNNERUS, RUYSCHIUS obſervarunt villoſam, ex vaſculis minimis & ductibus chyliferis conſtantem, ut per hanc ope *motus periſtaltici* chylus in vaſa lactea translocetur, in concrementum aliquod abiiſſe fibroſum, quod ex ſitu in inteſtinis eam figuram induit, & premendo *tunicam nerveam* denudatam, dolorem excitavit. Id quod confirmat LANCISII obſervatio, qui idem vidit in pueris quibusdam, qui poſt abſolutam lactationem ex alvo detruſeſerunt *materiam albam concretam, inſignisque longitudinis ex fibroſa parte lactis productam.* Vid. *in oper. diſſert. V. de triplici inteſtinorum polypo p.* 275. Polypus hic inteſtinorum HIPPOCRATI nomine *lumbrici lati* venit; meminit enim *libr. IV. de morbis ſect. V. pag.* 512. *lumbrici lati, velut albi inteſtini ramenti, longitudinis duorum aut trium cubitorum, aut etiam longe majoris, qui creſcente ætate puerili ex his, quæ in ventriculum ingeſta ſunt, in inteſtino increſcit, & quibusdam pueris cum pubertate, quibusdam etiam poſterius, aliis vero paulo ante inteſtino æqualis evadit.* Doloris etiam, cum lumbricus hic ad *dorſum* incumberet; cauſſam eſſe *eod. loco* affirmat, neque prognoſin hujus morbi fatalem exiſtimat, quando *l. c.* inquit, *ſi ut convenit curatus fuerit, convaleſcit, ſi vero non curetur, ſua ſponte foras non prodit, mortem autem non infert, ſed ad ſenectutem uſque comitatur.* Eandem maſſam fibroſam, qualis LIPSII fuiſſe creditur, LANCISIUS obſervavit *in excoloribus diu febricitantibus ac fere cachecticis, in quibus gelatinoſa ſubſtantia*, incruſtans ſuperficiem inteſtinorum, paullatim conglutinata fuit; nec non in *dyſentericis*, in quorum inteſtinorum exeſorum ſulcis colligitur, & concreſcit, vidit ejusmodi corpus oblongum; deinde etiam in *glutinoſis ac nimis ponderoſis, vitæ ſedentariæ addictis.* conf. *ante cit. diſſert. pag.* 275. 276.

§. XIV.

Generatur polypus ut plurimum in ſanguineo-melancholicis,

Generatur autem polypus in iis facile, qui *lentam* ac *tenacem gelatinam*, terreis multis, paucis ſalinis conſtantem, continent & in quibus ob deficientem ſanguinem propellendi ejusque partes intime miſcendi elaſticitatem, ſanguis nimis ponderoſus ac turbidus magis redditur, unde ſolidiores partes a reliquis ſpecifice levioribus facilius ſecedunt, id quod illuſtrat experientia Petri Castelli *qui in libr. de fluentium aquarum menſura coroll. V.* exponit, per imminutionem motus in torrente & retardationem fluxus intra fluminis alveum, aquam turbari, & quicquid turbidi & majoris ponderis eſt in fundum præcipitari, ibique temporis mora incruſtari. Talem quidem ſanguinis craſin continent *ſanguineo-melancholici*, qui vaſculoſo corporis habitu, fibrarum duritie, & latioribus vaſis ad majorem ſanguinis quantitatem vehendam aptis inſtructi ſunt, vid. *illuſtris* Hoffmanni *medicin. ſyſtemat. tom. II. part. III. libr. I. §. XXVI.* humoresque lentos ſpiſſos ac terreſtres non intime mixtos ob motum ſolidorum tardiorem & inſufficientem hetero-geneorum ſeparationem, colligunt, unde ad plethoram, pertinaces ſtagnationes, corruptiones, cordis palpitationes proni, hypochondriaca & ſic dicta melancholica mala facillime incurrunt, quemadmodum id fuſius docuerunt, conſecrata propter ſcientiam medicam immortalitati nomina, *illuſtris* Hoffmannus in *differt. de temperamentis fundamento morum & morborum*, & B. Stahlius in *differtat.* de *temperamentis.* Præter ſanguineo-melancholicos ad *polypi generationem* adhuc inclinant *temperamenta frigido-humida*, uti Veteres dicunt, ſeu *phlegmatici*, qui pallidiore adſpectu, partium mollitie, ac turgida conſtitutione gaudentes ad morbos, quos *illuſtris* Praeses *medic. ſyſtem. tom. II. part. III. c. I.* §. 28. *ex humorum impuritate & abundantia* provenire ait, proni ſunt, cacochymici facile fiunt, in quibus promtiſſime *carnes ſylveſtres* & *luxuriantes* exſurgunt, teſtante id quotidie Chirurgorum experientia. Neque id repugnat, quæ antea de *temperamento ſanguineo-melancholico* dicta ſunt, ſi perpenderis temperamentum *phlegmaticum* eſſe ſanguineum corruptum & unius rei poſitionem non alterius excluſionem.

nec non phlegmaticis.

§. XV.

In omnis fere ætatis hominibus generantur polypi.

In omnis fere *ætatis* hominibus obſervantur polypi, neque ulla eſſet ratio ſufficiens, cur certa ætate omnes producerentur, cum conſtet, infantes iisdem cauſis ad producendum polypum aptis, obnoxios eſſe, ii imprimis, qui materiam polypoſam fovent copioſam. Ita Bonetus *ſepulchreto anatom. libr. II. ſect. XI. obſerv. VI.* §. *I.* agit de polypis ingentibus in ſinubus cordis *filioli cujusdam*; in *juvenis ſexennis* utroque cordis ſinu atrophia conſumti obſervavit & aſſervavit polypum Snell. *vid. differt. de cordis polypo pag.* 18. Dorstenius in *E. N. C. Dec. II. a.* 3. *obſerv.* 153. de quatuor corporibus in ſiniſtro cordis ventriculo *puelli* cujusdam agit. De *concretione polypoſa* aditum in cordis auriculam obdurante in *puerulo* vid. Albinus *differt. de polypo cordis p.* 16. Portentoſum polypum in *adoleſcente* deſcribunt E. N. C. *Dec. III. a.* 2. *obſ.* 18. Albinus *diſſ. pag.* 8. non ſine fundamento in Carolo Patino præter ſollicitudinum varietatem, litterarios labores & vitam ſedentariam *ætatem quoque* (*ſexagenarius enim factus erat*) accuſat, quæ cauſæ ad portentoſi illius concrementi, quod deſcribunt *E. N. C. Dec. III. a. I.* anſerini ovi magnitudine trium quatuorve unciarum pondus exæquans, contulerunt generationem. Interim non negandum eſt, *in conſiſtentis ætatis* hominibus & *natu paullo majoribus* facilius generari polypum, quoniam facta ſolidorum appoſitione ſufficienti, immo ſub ipſo adhuc nutritionis negotio, accedente vita ſedentaria, diæta inconvenienti, rerumque naturalium inordinato uſu cumulatur ſanguis copia & temperie excedens, in iis potiſſimum, qui propter *copioſa* & *latiora vaſa*, ſed imminutam ſolidorum *elaſticitatem*, ad ſanguinis augendam quantitatem proclives ſunt.

§. XVI.

Sed non in omnibus regionibus.

Licet polypi in *omni* fere *ætate* generentur, tamen non in omnibus *regionibus*, id quod attentus quiſque obſervabit. In *regionibus* enim *maritimis* & *ſeptentrionalibus* plures polypis mortuos obſervabis, pauciores vero & fere nullos in *calidis terris*. Nam aer frigidus & aquilonius, quem Celsus *fauces exaſperare*, *ventrem adſtringere*, *urinam ſupprimere*, *horrorem item dolorem lateris & pectoris excitare lib. I. cap. I. p.* 47. affirmat, hæmoptyſin, ſyncopen, peripneumoniam, cordis coagulum, pleuritides producit, conf. Bergeri *differt. de polypo cordis* §. 13. *p.* 25. ob tranſpirationem impeditam, quum ſecundum Sanctorii effatum *in medicina ſtatica de aere & aquis aphor. LX. aer plus juſto frigidus aut ventoſus moratur perſpiratum*, turbidum magis, & ob defectum ſeparationis heterogeneorum impurum reddit ſanguinem, propter exundantem vero ſuperfluam humiditatem univerſo corpori languorem inducit, *fibras motrices* laxat & reſolvit: vid. *illuſtris* Hoffmanni *med. ſyſtemat. tom. I. lib. II. c. III.* §. 16. Accedit victus Weſtphalorum craſſus, uti piſces marini, carnes infumatæ, ſalitæ, panis groſſior vulgo Bompournickel/ qui chylum efficit crudum, ex terreſtribus & tenacibus magis cohærentem particulis, ſolidioris texturæ; ſicuti vero chylus, ita tota ſanguinis maſſa exiſtit. Fluidior vero ſanguis offenditur *in calidioribus regionibus*, dum æther expandendo agitat ſanguinis globulos circa axin, eosque in *fluiditatis* ſtatu conſervat. Galli enim aliæque gentes calidis in terris degentes, qui juſculis cibisque concoctu facilibusque veſcuntur, *ſanguinem* quidem *copioſum* ac *gelatinoſum* generant, ſed propter *atmoſpheram calidam* regnantibus auſtralibus ac orientalibus ventis, humores attenuantur, gelatinoſa pars reſolvitur ac diſſipatur, ſanguis purpureus magis ac fluidior redditur, conf. *illuſtr.* Hoffmannus *medic. ſyſtem. tom. I. libr. II. cap. III.* §. 12. *in ſchol.* Licet non negandum ſit, ejusmodi corpora ob auctiorem motum inteſtinum putridis magis obnoxia eſſe morbis; nam *ſanguis ſulphureus*, ſi quieſcere incipit, longe citius ac vehementius putreſcere incipit, quam qui eſt ſolidioris

Plus in ſeptentrionalibus,

quam calidioribus regionibus.

ris

ris texturæ vid. *illuſtr.* HOFFMANNI *med. ſyſtem. tom. I. libr. I. ſect. I. c. V.* §. 17.

§. XVII.

Quænam cauſæ polyporum? Conſiderata hactenus polyporum generatione, *cauſas* eorum *proximas & remotas* percurrere inſtituti jubet ratio, cum præcavendo cauſas, effectus ſimul præcaventur, & ſine earum cognitione nullæ certæ ſe *a polypis præſervandi* leges præſcribi poſſunt. *Cauſam* polyporum omnium *efficientem* unicam detegere velle, difficile admodum eſt, cum cauſas efficientes ut plurimum *ſocias* ad polypi generationem concurrere patebit. Eas vero ſuppeditant ipſa *corporis ſtructura*, res dictæ non naturales & præternaturales, ſpirituoſa, acida, frigida &c. Structuram corporis conſtituunt ſolidorum ad motus diſpoſitio, & fluidorum textura. Motus autem in ſolidis aut excedit aut deficit, vel in univerſo corpore, vel in certa tantum parte, conf. *illuſtr.* HOFFMANNUS *medic. ſyſtem. tom. III. ſect. II. c. V.* §. 3. Itaque an *ſpaſmus* vel *atonia* cauſæ polypi exiſtant, inquirendum erit. Celeberrimus BERGER in *diſſert. de polypo cordis pag.* 24. §. 12. cauſam polypi eſſe affirmat *(1) ſpaſmus.* *ſpaſmum nimium ut in hypochondriacis & hyſtericis. Spaſmo* enim, qui eſt auctior motus ſolidorum elaſticus, non ſolum partes & vaſorum diametri coarctantur, verum etiam debilitantur, dum *ſpaſmum* excipit *atonia*: hinc fit, ut, dum ſanguinis circulus liber & æqualis per vaſa ſecundum naturam patula non fertur, ad omne punctum corporis liberum aditum non permittat. Nam conſtat ex phyſicis, tubum capillarem niſi pervium ad extremitatem non impleri, teſtante id ſuo jam tempore HIPPOCRATE *libr. de natura muliebri, quum oſculum exitus fuerit apertum ſanguis autem amplius influxerit, reſilit.* Propter inæqualem igitur motum ſanguis a peripheria ad centrum pellitur, celeriusque recurrens motum cordis reddit auctiorem. Cum vero *actio ſolidorum* ſuperet *reactionem fluidorum*, ſanguis ex canali uno in alterum tendens inæquali motu ſibi occurrit, ſed poſt ictum celeritatibus permutatis fertur tanto majoribus, quanto copioſius regurgitat (per *leges hydraulicas.*) Hinc propter continuam ſolidorum conquaſſationem ſanguis quidem in motu conſervatur, ſed ad alia loca magis regurgitat, ibique ſtagnat, & ut partes ejus facilius ſecedant, diſponitur.

§. XVIII.

(2) atonia. Neque tantum ex *ſpaſmis*, ſed *nimia* quoque *fibrarum relaxatione* circulus ſanguinis fit inæqualis, conf. *illuſtris* HOFFMANNUS *medic. ſyſtemat. tom. II. part. I. c. III.* §. 16. Propter imminutum enim elaterem ſanguis non ad omnes partes propellitur, hinc ſe- & excretionibus non rite ſuccedentibus, heterogenea in ſanguine accumulantur, quæ ob defectum contiguitatis una cum reliquis haud intime mixtis partibus ſecedunt, inprimis quum ad partes *atonia* laborantes nimis congeritur ſanguis & ob *defectum propulſionis* facile ſubſiſtit; unde corpus diſponitur ad impuritates, obſtructiones, excedentem humorum copiam, partium disjunctionem, tardiorem ſolidorum motum, & polypoſas concretiones. Hinc præclare LANCISIUS in aureo libro *de aneuryſmatibus propoſ. LXI. pag.* 145. *Propter vaſorum*, inquit, *determinatam figuram, certum diametrum & validos motus vitiatos turbatur exacta illa in ſanguineo-fluidi cum ſolido, craſſi cum ſubtili, permixtio, ita ut in locis affectis eæ fluidorum partes ſubſiſtant, quæ fibroſiores, quæque verbo ad motum per ſe proſequendum minus ſunt expeditæ.* Quare cum BERGERO judico, omnia quæ ſanguinis motum & cohæſionem minuunt, partium ſolidarum tonum deſtruunt, eſſe cauſam polypi productricem, inter quam refert *diſſert. de polypo cordis* §. *XI. venæſectiones crebriores, hæmorrhagias magnas, & longiorem invaletudinem in tabidis, hecticis, ſcorbuticis, aliisque gravioribus & chronicis morbis*, conſentiente LOVVERO qui *in longa ægritudine attritis, ſi ſub iſto languore in lecto diu decubuerint*, ſe idem reperiiſſe teſtatur.

§. XIX.

Ipſa quoque *corporis proceritas* ad polypi confert generationem, quia in celſis corporibus difficilior & tardior exiſtit ſanguinis ad perpendiculum adſcenſus, facilior vero in tubis ad horizontem inclinatis. Omnia enim gravia natura deorſum tendunt, & guttæ ſanguinis ſequentes retardantur ab anterioribus, in quas incurrunt, (per *leges motuum.*) Accedit, quod magna corpora ut plurimum ſint infirma, tum in illis obſervatur *mollities & laxitas*, *pulſus debilis*; licet id de omnibus prædicari nequeat, cum priſcos Germanos virtute & proceritate laboribusque perferendis excelluiſſe conſtet, quos Septentrionales adhuc imitantur populi. Nam *fibræ* quo magis tenduntur, eo teneriores fiunt, in quo tenſionis ſtatu maxima earum *elaſticitatis* pars perit: hinc corpora illa ad ſanguinis nimiam copiam augendam, ſtagnationes, obſtructiones, & indurationes viſcerum, inprimis pulmonum, cum difficilius ſanguis per *pulmones* progrediens in minimis ſubſiſtat vaſculis, diſpoſita ſunt. Hac *ſtagnatione* autem fit, ut ſecedentes ſolidæ & craſſiores partes procedente tempore in majorem concreſcant molem. Habeo conſentientem *illuſtr.* HOFFMANNUM, *qui in epiſtola ad diſſertationem de proceritate corporis ejusque cauſis & effectibus pag.* 38. *Id non negandum*, inquit, *celſa & magna ejusmodi corpora ob remotas nimis a vitæ fonte extremas partes, & longius hinc ſimulque ægrius conficiendum ſanguinis adſcendentem regreſſum morbis ex lentiori circuitu, & ſtagnatione oriundis, ut polypoſis in vaſorum alveis concretionibus, phthiſi, aliisque, ex facili patere, nonnunquam etiam agilitate ac virium diuturno robore, minus pollere, quam humiliora.* Ipſa hoc quoque docet experientia, plurima enim ejusmodi corpora vel *phthiſi*, vel *polypis* interemta, attenta in vita & poſt mortem quemvis convincit obſervatio. Quare cum CELSO ſic mentem induco meam, *longam ſtaturam, ut in juventute decoram, ſic matura ſenectute confici, vid. libr. II. cap. I.* *(3) proceritas corporis.*

§. XX.

Neque minus etiam *moleſta* corporibus ſanguinis *quantitas* viam ad *polypi generationem* pandit. Propter nimiam enim fluidorum reſiſtentiam actio fit inæqualis reactione, fibræ- *(4) plethora.*

que ſolidæ in ſtatu tenſionis nimis detentæ elaterem amittunt, motibusque crebro exercitio acquiſitis adſuefiunt, quamvis quidem uti Lancisius tradit *lib. de aneuryſmatibus prop. XXXVI. pag.* 122. *quo major ſit & fervidior moles fluentis liquidi, eo copioſiores quoque & validiores ſint partes, quæ ad inſtar ſolidi claterii & cunei fibras diſtendant*; diſtenſione tamen efficiunt, ut fibræ nimis relaxentur & in ſanguine fiant *viſciditas, pallor, immeabilitas, in vaſis obſtructiones, concretiones, tumor albus, impeditæ ſecretiones, defectus ſubtiliorum & minimorum canalium coalitus*, conſ. Boerhaave de *cognoſcendis & curandis morbis aphor.* 72. Unde propter progreſſum ſanguinis retardatum intima ejus partium mixtio & diviſio in globulos deficit minimos, nimiaque particularum terrearum cohæſione ſanguis immobilior, & ſe- & excretiones redduntur ſegniores, conſ. *Illuſtr.* Hoffmanni *medicin. ſyſtem. tom. II. part. III. c. VIII.* §. 8. & 9. Hinc propter retardatum ſolidorum & fluidorum motum ſolidiores partes ſecedentes ob ſpecificam cum ſolidis gravitatem firmius cohærent. Quare Albinus inter cauſas polypi procatarcticas refert frequentes hæmorrhagias & crebrius infeſtantem coryzam, cum laxiores fiant non nullæ circa easdem partes fibræ, cum vaſculis quibusdam ſanguineis. *Hinc recedere*, dicit, *vaſorum poros a figura quam longiſſime, & ob violentam extenſionem transmittere omnis generis humores, ut modo carnem, modo cartilaginem conſtituant. Vid. diſſ. de polypis* §. 21. *p.* 21.

§. XXI.

Et obſtructio vaſorum in plethoricis aliiſque.

Ipſa quoque vaſorum *obſtructio in plethoricis aliisque* ad polypi generationem confert, id quod confirmat experimentum a Lancisio in cane vivo inſtitutum. Arteriam enim unam iliacam cerato filo conſtrinxit, in qua poſt 15. aut 20. dies ſecata, invenit expoſitam polypoſam concretionem citra ligamen, *vid. libr. de aneuryſmatibus propoſ. XXXVIII. pag.* 124. Per compreſſionem enim non tantum ſanguinis curſus per illam arteriam præpeditur, ad alia loca magis regurgitans, (per *leges hydraulicas*,) ſed per morboſam ſtagnantis liquidi repercuſſionem fit ut, quemadmodum laudatus vir ſub initio *propoſitionis hujus* refert, *tenaciores quædam cruoris partes, cum minus ad reflexionem ſint mobiles, agglomerari invicem, paulatimque lateribus arteriæ adhærere incipiunt; donec plenior ex novo affluxu facta moles conſimilium particularum fila referentium, in denſum & fibroſi ſpeciem exhibens corpus, quod polypoſum dicimus, coaleſcit.* Itaque ſanguis quo magis excedit copia & temperie, eo citius & certius diſponitur ad concrementa polypoſa. Sanguis enim viſcidus difficilius per vaſa progreditur, ejusque partes ob majorem contactus lineam arctius cohærentes ſolidis partibus facile adhærent; *nam deficiente validiori impulſu Illuſtris* Hoffmannus *diſſ. de morte ſubita præcavenda* §. *XV.* ait, *ſanguinis particulæ viſcidiores facile hinc inde hærent, aſperitate ſua venarum & arteriarum lateribus adlabentes, quo fit, ut ſecedente paulatim fluido in ſolidam plane figuram indureſcant in fibrillas, membranaceasque moles, ubi incrementum ſumſerunt, coaleſcentes.* Quum igitur fluida & ſolida ea lege connexa ſint, ut pro partium corporis ad motus diſpoſitione ſecundum leges mechanicas & hydraulicas determinati quoque fiant motus, (quod motuum exercitium medici functiones corporis dicunt:) *conſ.* Boerhaave *inſtit. medic. pag.* 7. reſpiciendum ſemper eſt in polypi generatione ad ſolidorum ſtructuram, fluidorum texturam, eorumque intimum nexum. Ita quoque judicat Lancisius *lib.* de *aneuryſmatibus propoſ XXXVIII. pag.* 124. *In humanis*, inquit, *corporibus ægritudine aliqua tentari cœptis res aliter poteſt evenire, nimirum ut vitium conſtrictionis canalis illico jungatur cum vitio fluidi ad ſtagnandum apti, unde polypoſa concretio, quæ tubi culpa non accideret, vitio fluidi acceleretur.*

§. XXII.

(5) frigus & frigidus potus ſubito in corpus ſudans admiſſus.

Nihil vero magis corpori offenſas parit, & ad præmaturam mortem diſponit, quam *frigidus potus* ſubito in corpus *ſudans* admiſſus, de quo Galenus *lib. de ſanitate tuenda* refert, *quod ſpirandi difficultatem & tuſſim inducat, invalidet cerebrum, ac fluxiones inde concitet, ventriculum imbecillem reddat, & nervos languidos lædat*, id quod phthiſi, hectica, pleuritide, meſſis inprimis tempore, laborantes ſatis ſuperque teſtantur; *frigus* enim *aut calor*, quemadmodum Celsus loquitur *lib. I. c. X. pag.* 43. *minime tuta ſunt, ubi ſubita inſuetis ſunt, nam frigus lateris dolores aliaque vitia excitat.* Dum vero calorem ſanguini ſubtrahit, refrigerat, & in coagulum non redigit ſolum, ſiſtendo ſanguinis motum, quo in fluiditate conſervatur, ſed præcipitando etiam partes gelatinoſas & terreſtres, obſtructiones, indurationes vaſorum, inflammationes, polypoſas concretiones efficit, quas in ſanguine recenti fieri, jucunde ſæpius conſpicimus, ſi fibroſa & ponderoſa pars tota ſere ex aqua gelatinoſo ſanguine & copioſo tincta, aqua frigida præcipitatur; quod ſi in corpore vivo accidit, ſpaſmo, quem frigus efficit, in durum ac compactum redigitur concrementum. Nam uti Hippocrates *libr. de liquidorum uſu* affirmat, *frigida convulſiones, tenſiones, rigores febriles inducunt*, & Celsus *lib. II. cap. I. pag.* 48. *Frigus modo diſtenſionem, modo rigorem infert, illud σπασμός, hoc τέτανος græce nominatur.* Inter alios triſtes, quos Marcellus Donatus *hiſtor. mirabil. libr. IV. cap. VI.* de aquæ frigidæ potu mortuis recenſet caſus, referenda erit ſupra §. *III. ſub initio notæ* adducta obſervatio; nec non *Illuſtr.* Hoffmannus *med. ſyſtem. tom. II. part. II. c. X.* §. *V.* mentionem facit cujuſdam juvenis generoſi, qui poſt ſaltationem vehementem hauriens cereviſiam frigidam, cordis palpitatione per multos annos & tandem peripneumonia afflictus obiit. Facta ab ipſo poſt mortem ſectione ingentis magnitudinis polypus in arteria pulmonali repertus eſt. Hinc multis ejuſmodi obſervationibus experientiſſimus ille vir convictus *l. cit.* inquit, *polyporum generationes qui magnos & fere inſanabiles chronicos morbos efficiunt, meo quidem judicio vix ab alia cauſa rectius, quam a frigido potu celerius in corpus ſudans ac calefactum admiſſo, deduci poſſunt.* Polypos in ſenis, nimia frigoris vi extincti, dextro cor-

dis

dis thalamo & vena cava inferiori recenſent *Acta Medicorum Berolinenſium vol. IX. pag. 58.*

§. XXIII.

(6) *Acida exceſſiva.* Naturæ quoque inimica ſunt *acida exceſſiva*, quæ non partes ſolum ſolidas conſtringendo corpus ad ſpaſmos diſponunt, ſe- & excretiones impediunt, verum etiam præcipitando oleoſas partes chyli, ſanguinis elaborationem prohibent, corpora polypis inprimis inteſtinorum generandis obnoxia reddunt, quales ſupra *annotatione ad* §. 12. deſcripti ſunt. Celerem enim & ſubtilem admodum eſſe acidorum in corporibus operationem, nos docet experientia eorum, qui fontanellas in artubus gerentes, mox ab aſſumtis acidis perſentiunt dolores, nec non a *nutricum lacte*, ſi acidis valde delectantur, in infantibus oriuntur tormina; conf. *Illuſtr.* HOFFMANNI *med. ſyſtem. tom. II. part. III.* §. 14. *in ſcholio.* Propter coagulum vero, quod ſanguini per acida inducitur, (vid. ejus *med. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. XIII.* §. 12.) vaſorum obſtructiones & infarctus fiunt, ſanguiniſque fibroſæ partes cum terreſtribus concreſcentes ejuſmodi concrementum fibroſum conſtituunt. Hinc *Illuſtris* PRÆSES *med. ſyſtem. tom. II. part. III. cap. III.* §. 12. *Cavendum*, inquit, *ab acidis intemperantius adſumtis, eo quod hæc ipſa motibus vitalibus, progreſſivis, ſecretoriis & excretoriis admodum ſint adverſa, humores coagulent, polypoſas & calculoſas concretiones inducant, viſceraque infarciant.* Quemadmodum vero bilioſis, niſi excedat acidum, ad refrenandum nimium calorem medicamentum exiſtit, dum particulas ſulphureas figit, & uti CELSUS ait *l. c. refrigerat*, eo majus ex adverſo melancholicis & pituitoſis ad polypi generationem diſpoſitis damnum infert, in quibus acida cum terreis non auſteram ſolum acquirunt naturam, ſed ob tardiorem etiam motum & majorem contactus lineam gelatinoſæ ac terreſtres ſanguinis particulæ citius & arctius cohærent, conf. *diſſert. ſub præſidio Illuſtr.* HOFFMANNI habitam *de diætæ vitio multorum morborum cauſa* §. 26.

§. XXIV.

(7) *Spirituoſa.* Eodem fere modo operantur *ſpirituoſa*, ut ſpiritus aduſti, qui eo magis nocent, quo copioſius ingeruntur. Fibras enim ſtrictas nimis reddunt, ſanguinem lymphamque; humidum diſſipando, inſpiſſant, & coagulando prohibent ſanguinis elaborationem, ſi jejuno inprimis ac matutino tempore hauriantur; quum ſubitam partibus ſolidis & fluidis inducant mutationem, & efficiant, ut ſanguis potius in concrementum aliquod abeat filamentoſum, quam priori mixtioni, qua in continuo motu ac fluiditate detinebatur, reſtituatur. Hinc diſponit corpora ad hepatis aliorumque viſcerum obſtructionem, polypos, aſthma, hydropem, cachexiam, phthiſin, hecticam &c. Referri hic meretur ſupra §. 13. allegatus caſus juvenis cujuſdam, in quo poſt frigus, mœrorem, & ſuper ingeſtum ſpiritum vini, concretiones ortas fuiſſe dictum fuit. *Illuſtris* quoque HOFFMANNUS hiſtoriam viri aſthmate ſpaſmodico-hydropico laborantis, ejuſque ortum a vita inordinata, nimioque liquorum ſpirituoſorum, inprimis ſpiritus vini potu & hinc factis non viſcerum obſtructione ſolum, ſed fibroſis etiam concrementis in ventriculo cordis dextro & arteria pulmonali exhibet, *med. conſult. part. VIII. dec. III. caſ. IV. pag.* 193. 194.

§. XXV.

(8) *Inter animi affectus terror inprimis, timor, & triſtitia.* Inter animi affectus *terrorem* inprimis, timorem, ac *mœſtitiam*, de quibus SANCTORIUS *in medicina ſtatica pag.* 215. *aphor.* 2. refert *his perſpirari levius, ponderoſius vero relinqui*, & *aphor.* 7. *pag.* 217. iiſdem affectibus *facile membra humore referta dureſcere*, ad polypi generationem præcipue conferre, & ratio & experientia abunde teſtantur. Ea enim quum ſit harmonia animæ & corporis, ut ad mentis determinationem ſequantur certi in corpore motus, & pro ſtatu corporis repræſentationes in mente fiant: in animi affectibus ſeu confuſa rerum repræſentatione inordinati producuntur motus, qui differunt pro corporum & affectuum diverſitate, conf. *Illuſtr.* HOFFMANNI *medic. ſyſtem. tom. II. part. I. cap. IV.* §. 15. *ejuſque ſcholion & part. II. cap. I.* §. 2. ad finem uſque capitis. Ita in terrore, in quo propter ſpaſmum ſanguis a peripheria ad centrum pellitur, non ſe- & excretiones ſolum ſufflaminantur, ad interiora magis vertentes, ſed partibus etiam ſolidis debilitas inducitur, ut omnis generis tranſmittant humores. Hinc fit, ut ſanguis ſpiſſus ac turbidus magis reddatur, partes non intime miſceantur, ſolidioreſque & ponderoſiores præcipitentur, quæ fluidorum motu temporis ſucceſſu in durum concreſcunt corpus. Quare *Illuſtr.* PRÆSES *diſſert. de ſubita morte præcavenda* §. 15. *in confeſſo eſt*, inquit, *foveri hoc malum & progenerari quam maxime in quibuſdam animi affectibus diuturnis, nempe a triſtitia, metu, mœrore & luctu.* Polypos inſignes in præcordiis duorum, quos improviſus concuſſit timor, bis obſervavit MALPIGHIUS, meminitque *ægrum, alioquin robuſtum, ex timore in pulſus inæqualitatem, ejuſque obſcuritatem præcipue in ſiniſtro carpo incidiſſe abſque febre, & recurrente reſpirandi difficultate inſigni, ſed brevi tandem per ſputa quandoque rubri ſanguinis portionem, quandoque copioſa alba quædam fruſtula veluti polypos excreviſſe, & poſtremo turgentibus ſuperioribus ex coërcita ſanguinis copia ſuffocatum interiiſſe.* RIVERIUS quoque *cent. IV. obſerv. XXI. recenſet caſum domini de Becheram*, qui, cum graviori terrore ſubito afficeretur, de ſummis conqueſtus eſt cordis palpitationibus, ſpirandi difficultate, pulſu intermittente & inæquali, donec paulo poſt ſuffocatione interiit. Facta poſt ejus mortem ſectione cor cum vaſis majoribus oppleta fuere, & in *ſiniſtro cordis ventriculo inventæ ſunt carunculæ rotundæ ſubſtantiam pulmonis æmulantes, quarum major ad avellanæ molem accedebat & arteriæ aortæ oſtium præcludebat: unde pulſationis defectum*, RIVERIUS *loc. cit.* ait, *in arteriis contigiſſe exiſtimo. Illas autem carunculas genitas fuiſſe puto a ſanguine redundante, quem calor inſignis ventriculi ſiniſtri excoxerat, & in hujuſmodi ſubſtantiam commutaverat.*

§. XXVI.

Damnum [illegible] Dictæ jam cauſæ eo majores corpori inferunt noxas, ſi *conjunctim* ſubitam partibus ſolidis

ſis accedente vita ſedentaria oritur.

lidis & fluidis inducant mutationem, inprimis vero accedente ſedentario vitæ genere & profundioribus cogitationibus, de quo ſtatu *Excellentiſſimus vir* J. H. SCHULZIUS *diſſ. de polypoſis concretionibus variorum morborum in pectore cauſis* §. VI. refert *quod compreſſo corpore ſedentes adeo nonnunquam affixi ſpeculationibus ſuis hærent, ut vix reſpirandi, in phyſico ſenſu, ſatisfacere officio audeant, donec quaſi ad ſe redeuntes, una alteraque profundiori, pleniorique reſpiratione damnum utcunque reſarcitur.* Hinc ſanguis ſpiſſus ac ponderoſus fit, motus ſolidorum vel elaſticus nimis vel imminutus, obſtructiones, ſeceſſiones fibroſarum ſanguinis partium, pathemata hypochondriaca & hyſterica ortum ducunt. De exercitio enim animi SANCTORIUS inquit, *Med. ſtat. aphoriſm. XIX. pag.* 189. *quod velocem ſenectutem efficiat, mortem præmaturam minetur, & quod citius ex Philoſophis moriantur exercitati, quam non exercitati.* Ita quoque ſentit *Illuſtr.* PRÆSES quando in *differt. de morte ſubita præcavenda* §. XIV. affirmat, *ob vitam ſedentariam otioſamque & ſomnum copioſiorem retardari ſanguinis motum, viſcidiores partes facilius ſecedere atque coaleſcere.*

§. XXVII.

Cauſæ præternaturales.

Inter *cauſas præternaturales* refero menſium immo hæmorrhoidum ſuppreſſionem, febres malignas, luem veneream, inflammationem ut in pleuritide, a quibus ſanguinem turbari tanquam a fermento quodam peregrino ALBINUS *diſſ. de polypis theſ. VII.* affirmat; addo calculum, ſpaſmum pectoris ut in aſthmate ſpaſmodico, peripneumoniam, phthiſin, imprudentem adſtringentium in febribus & hæmoptyſi uſum. Ad *menſium & hæmorrhoidum quod attinet ſuppreſſionem*, ab illa polypum generari mirum non eſt, cum propter impeditam ſanguinis per uterum & inferiores partes circulationem ſanguis majori copia ad cor & pulmones tendens, diſtendendo fibras nimis relaxet. Hinc ſanguinis motus inæqualis, ſtagnationes atque ſtaſes oriuntur, & propter tardiorem circulum ſanguis non ſolum ſpiſſus redditur, ſed ponderoſiores ejus partes a reliquis facile ſecedunt, quæ alternante in his ſubjectis ſpaſtico & relaxatorio motu in denſum aliquod compinguntur corpus; unde qui, ad thoracem regurgitat ſanguis, *cor & pulmones opprimit, ſyncopen, cordis palpitationem, polypos, aſthmata, pectoris anguſtiam, ejuſque hydropem,* producit. vid. *Illuſtris* HOFFMANNI *med. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. IX.* §. 5. qui *differt. de generatione mortis in morbis* §. *XVII.* refert caſum virginis teneræ conſtitutionis octodecim annorum, quæ ex defectu menſium diu reſpirandi difficultate laborans, præter omnem opinionem enormem ſanguinis profuſionem cum tuſſi ex pulmonibus aliquot reiteratis vicibus paſſa eſt, ſupervenientibus fruſtulis fibroſo-membranaceis, inſtar polypi, quas ex ore extraxerunt, ultra quatuor uncias pendentes, & paulo poſt, conſumtis omnibus penitus viribus obiit. Duo quoque virginum exempla adducit MALPIGHIUS *differt. de polypo cordis*, in quibus *ob defectum menſtruarum purgationum*, non glandularum ſolum obſtructionem, ſed polyporum quoque concretiones ortas fuiſſe teſtatur. De polypo

1. Polypus a menſium & hæmorrhoidum obſtructione.

& phthiſi a ſubitanea menſium ſuppreſſione, vid. obſervatio *in diſſ.* ſub præſidio *Excellent. viri* M. ALBERTI *de polypo cordis habita* §. *III. pag.* 10. De polypo ex *hæmorrhoidum* ſuppreſſione conf. *Acta medicor. Berolinenſ. vol. X. obſ. I.*

§. XXVIII.

In lue venerea aliiſque morbis ex pravo contactu genitis, ut in *febribus putridis, ſcorbuto, peſte*, lympha mucida non ſtaſibus ſolum ſubeundis apta redditur, & in partibus præcipue exſanguibus, ut glanduloſis, oſſibus, cartilaginibus, &c. excitat eroſiones; ſed venenoſum ejus miaſma ſanguinis maſſam inficit, & ſuccos quaſi fermentantes ad putredinem diſponit, ulcera efficit, mixtionem penitus deſtruit, & ut MALPIGHIUS *diſſ. de polypo cordis*; *halitus*, inquit, *ex corruptis viſcerum fermentis ſanguini miſcentur, qui perturbata ejuſdem compage, vel novam ſolutionem, & attritionem ſanguinearum particularum pariunt, tollendo nexus quoſdam, quibus minima albarum fruſtula ſuſpenduntur, & diſſimilibus aſſociantur, vel quaſi hamata corpora diſperſas fibras ita nectunt, ut in exiguum plexum vel racemum colligatæ præcipitentur, & dum reliquæ ſanguineæ maſſæ adhuc fluenis motu transferuntur, rationi conſonum eſt, de facili angulis, & irregularibus eminentiis ventriculorum & auricularum cordis, vel vaſorum diramationibus irretiri, ibique reliqui ſanguinis aſſiduo impetu denſari, ut in inflammationibus accidit.* RIOLANUS *in encheirid. anatom. lib. II. cap. XXVII.* refert, ſe aliquoties obſervaſſe in febribus malignis ardentibus concretum ſanguinis intra venas inſtar *medullæ ſambucinæ*, ſimilemque fere recenſet S. PAULLI *digreſſ. de febribus malignis* §. 80. Præter SEVERINUM, qui in lue venerea affectis polypum generari jam teſtatur, HARDERUS *obſerv. Anat. pract. LVII.* refert juvenis hiſtoriam, in quo poſt infectionem veneream polypi generationem animadvertit SPONIUS. BONETUS demum *anat. pract. tom. II. lib. IV. ſect. IX. de lue venerea pag.* 448. refert, NICOLAUM MASSAM *plures homines mortuos in hoſpitalibus ſecuiſſe, qui viventes morbo venereo laborabant, in quibus venæ per univerſum corpus plenæ erant pituitoſa materia alba: quæ pituita in quantitate longe ſuperabat ſanguinem.* JO. BAPTISTA DENISIUS *in Ephemeridibus eruditorum*, referente BONETO *anat. pract. lib. II. ſect. VIII. in additamentis obſerv. I. pag.* 841. *Cum plurimorum*, inquit, *ſcorbuto defunctorum ante biennium vel triennium, tum in Noſodochio, dicto* l'hotel Dieu, *tum in eo quod a S. Ludovico nomen obtinet, diſſectioni præfuerim; id ſemper obſervavi, ipſos ſemper geſtaſſe ſanguinis concreti fruſta inſignia, aut in cordis ventriculis, aut ſaltem in majoribus vaſis per univerſum corpus ſparſis.*

2. A lue venerea, febribus putridis, ſcorbuto.

§. XXIX.

Obſervatur quoque polypus in *calculoſis*, quibus ratio generationis poſſibilitatem evincit, actualitatem vero experientia. Propter ſpaſmum enim, quo vel partes, in quibus calculi hærent, vel reliquæ ob conſenſum nervorum detinentur, non ſolum fibrarum relaxatio & nimius humorum ad debilitatas partes

3. In calculoſis.

tes affluxus fit, ſed propter læſionem continui, quam calculi ſæpius ſolidis inducunt partibus, facile excreſcentia quædam carnea producitur, in quibus præcipue caro fungoſa luxuriat. Sanguis quoque viſcidus terreſtribus magis abundans ac gelatinoſis particulis, accedente, qui calculum comitatur, ſpaſtica fibroſarum partium criſpatura, ad ſuperiores corporis partes majori copia propellitur, qui vaſa dilatando nimis, imminuit elaterem, efficitque, ut propter tardiorem motum ſolidiores ſecedentes partes temporis ſucceſſu concreſcant. De generatione polypi in veſica, cujus extremitati ſuperiori calculus adhæſit, conf. *E. N. C. Dec. I. Anno VI. obſ.* 160. Bonetus quoque *Anat. pract. tom. II. lib. IV. ſect. X. obſerv. I.* §. 3. *p.* 456. ſe vidiſſe refert in vena cava adoleſcentis XVII. annorum, qui dum viveret, calculo veſicæ laboravit, *corpora alba pituitoſa, ſeu fibroſa cavitatem ejus fere replentia.*

§. XXX.

4. A ſpaſmo pectoris, ut in aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco.

Per *ſpaſmum pectoris*, quemadmodum in *aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco* contingit, impeditum ſanguinis circuitum & ſtagnationem ejus in cordis ventriculis partes ſolideſcentes ita comprimuntur, ut fluida parte per auricularum poros tranſſudante, hydrops pectoris oriatur, & remanentibus partibus craſſioribus & ſolidioribus, polypus generetur. conf. *Illuſtr.* Hoffmanni *Med. conſultat. tom. I. ſect. I. caſ. XCI. de aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco* qui *tom. I. etiam ſect. II. caſ. LXXXVI.* eleganter, ut omnia, explicat *polypi in aſthmate flatulento* generationem, quando ait, *etenim in his morbis temporis diuturnitate ex ſtagnante, & magis coagulato cruore in corde pariter atque pulmonibus polypoſæ concretiones generari ſolent: quæ, dum in dies majora ſumunt incrementa, liberum denique & ad vitam conſervandam ſumme neceſſarium humorum circulum remorantur; & hinc inducendo aſthmati convulſivo & præfocanti, aut plane pectoris hydropi per quam ſunt opportunæ.*

§. XXXI.

5. In hæmoptyſi.

Qui in *hæmoptyſi* ad pulmones congeritur ſanguis, ibique ſtagnat, cauſſa quoque exiſtit generationis polypi. Sanguis enim qui craſſioribus & heterogeneis particulis refertus, propter ſtagnationem in vaſculis canales minimos permeare, & in pulmonibus carminationem ſubire nequit, regurgitat, & in vaſis, quæ nimis opplet, ob tardiorem motum ſtagnat. Hinc propter defectum intimæ mixtionis, leviter cohærentes particulæ ponderoſiores maxime ſecedunt, & præterfluentium ſimilium contiguitate in fibroſum compinguntur corpus, inprimis in vaſis, quæ plus cum ſiniſtro quam dextro cordis ventriculo communicant, conf. *Illuſtr.* Hoffmanni *medic. ſyſtem. tom. IV. part. II. ſect. I. cap. II.* §. 16. De polypo, quem ſecatum corpus in arteria pulmonali monſtravit digitum longum & calamum craſſum, in juvene hæmoptyico XVII. annorum temperamenti cholerico-ſanguinei leviter melancholici, qui hæmoptyſi cum labe pulmonum laborans, poſt febrem hecticam cum vomitibus & alvi fluxu bilioſo ſtipatam obiit, vid. *illuſtr.* Hoffmanni *medic. conſult. tom. I. ſect. II. caſ. LXXIII.* Bonetus *quoque anatom. pract. tom. I. libr. II. ſect. V. de ſputo ſanguinis pag.* 654. recenſet ſectionem cadaveris hæmoptyci a Sylvio & ipſo in noſocomio Leidenſi 1664. adminiſtratam, *in cujus cordis utroque ventriculo* deprehenderunt *materiam craſſam, fibroſam, quaſi carneam: polypum vulgo dicunt, quæ in omnia vaſa extendebatur in cor exeuntia: præcipue vero ex jugulari ſiniſtra eduxerunt tres ſpithamas longitudine ſuperantem. Erat autem illa materia in ipſis cordis ventriculis craſſitie inſigni, cui multum grumoſi ſanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, eaſque ſuis filrillis amplectens. In medio continebat ſanguinem grumoſum, videbaturque minuſcula vaſa habere.* Interim non nego, ſed cum Willisio, Wepfero, Malpighio judico, polypos etiam, qui in *anguſtiis pulmonum* hærent, cauſam ſæpius dyſpnϾ, inflammationis, ut in pleuritide, peripneumonia eſſe, & a violenta vaſorum diſtenſione, ἀναστόμωσιν & διαίρεσιν vaſorum fieri.

§. XXXII.

6 In pleuritide & peripneumonia.

Solent etiam in *inflammationibus*, ut in *pleuritide*, & *peripneumonia*, propter ſtagnationem ſanguinis, ad coagulandum maxime apti, in vaſculis & congeſtionem ejus ad cor & pulmones polypi generari; nam uti Malpighius *diſſ. de polypo cordis in mutationibus*, ait, *aëris aquilonaribus pleuritides ultra febrem acutam ſunt polypoſæ concretiones in pulmonibus, ut ex cadaveribus, & extracto ſanguine patet.* Hanc ſanguinis ad coagulandum in pleuriticis affectibus diatheſin, advertere etiam licuit Willisio, qui *libr. de febribus cap. XI. pag.* 130. *ſolent pleuritici non nulli*, inquit, *cum dolores evanuerunt, de inſigni gravamine & pondere circa cordis regionem defixo queri: cumque ex hujuſmodi affectibus abeuntium cadavera aperuimus, in cordis ſinubus & vaſorum circum circa cavitatibus ſanguinem in fruſtula & glomeros oblongos* concreviſſe vidimus. Hinc Sydenhamo κατ' ἐξοχὴν ſanguinem copioſum & ſpiſſum in venis dicit *pleuriticum*. Malpighius quoque *diſſert. de polypo cordis* affirmat pleuriticorum cadavera non in præcordiis tantum, ſed in hepate & venoſo genere copioſe continere *fruſtula alba.* Itaque quum in inflammatione pleuriticorum ſanguinem in fruſtula denſa ac fibroſa abire dictum jam ſit: dubitandum non eſt, quin idem in inflammatione, quæ ipſam pulmonum ſubſtantiam infeſtat, fiat. Præter Malpighium enim, qui polypos ſæpius a peripneumonia induci contendit, *Illuſtris* quoque Hoffmannus *med. ſyſtem. tom. IV. part. I. cap. VI. obſ. I.* & in *diſſert.* ſub præſidio ejus habita *de peripneumonia* §. IX. recenſet hiſtoriam juvenis cujuſdam temperamenti ſanguineo-cholerici, annorum XXVI., peripneumonia ob omiſſam venæ ſectionem mortui, in cujus thoracis cavitate pulmones lance examinati pendebant V. pondo, eorumque veſiculæ apparebant craſſa & rubicunda ſubſtantia infarctæ. In arteria & vena pulmonari deprehendebantur polypoſæ concretiones, quæ cordis auricularumque trabibus connexæ, plus

quam duarum unciarum pondus habuerunt. Ex qua obſervatione illuſtris vir in *epicriſi* collegit, primo *craſſam ſanguinis ſubſtantiam firmiſſime poris & tubulis pulmonum impingi & ita tumorem durum, qui omnium ſymptomatum ſuccedentium cauſſa fuit, effici: deinde etiam probabile admodum eſſe, polypoſam ſubſtantiam ex craſſiori ſanguinis parte concretam, & in pulmonalibus vaſis hærentem, multum ad generationem hujus affectus contuliſſe.* Bonetus etiam *Anatom. pract. tom. I. lib. II. ſect. IV. in additamentis ad appendicem de pectoris, laterum & dorſi dolore* refert ex Conr. Peieri *exercitat. anat.* caſum ſexagenarii, qui pleuritide in peripneumoniam mutata obiit. Facta cadaveris ſectione, obſervati ſunt in corde magni & tenaces polypi adipis fruſtra mentientes: *quos*, uti Peierus inquit, *exercit. anat. med. XV. ægro adhuc vivente genitos fuiſſe judico, quia ultimis diebus pulſus debilis, inæqualis admodum ſuberraſſe dicitur. Nam* Kerckringio *nondum aſſentior, negant polypos vivente & pulſante corde generari.*

§. XXXIII.

7. *In phthiſicis.* *Phthiſicos* polyporum generationi quam maxime obnoxios eſſe ſequentia ſunt, quæ nos convincunt. Deprehendimus in eorum pulmonibus indurationes, ſcirrhoſitates, ulcera, tubercula, de quibus Hippocratem diſſeruiſſe Zacut. Lusitanus *praxi admirab. lib. I. obſerv.* 103. refert. Hæc cauſantur obſtructa minima pulmonum vaſcula, quæ veſiculas pulmonales, tum bronchiales ramos, occludunt; hinc ob majorem reſiſtentiam & pondus aër pulmones dilatare nequit, ſed liber ſanguinis per pulmones progreſſus impeditur, vaſorum obſtructiones ac oppletiones, & cum illis anxietas & difficilis reſpiratio augentur, ſanguiſque ad cor regurgitans tardius in ductibus venoſis movetur. Imprimis vero cordis thalamos & vaſa pulmonalia nimis opplet, unde ſanguis chyloſus, qui turbidus, ſpiſſus & fibroſus eſt, propter continuum chyli ex ductu thoracico in venam ſubclaviam & cavam affluxum, & impeditam ſanguinis per pulmonum vaſcula tranſpreſſionem, qua intime miſcetur, & accedente æthere *elaſticus* & *fluidior* magis redditur, ſtagnatione vel motu tardiori dimittit partes ponderoſiores & ſolidiores. Præcipue vero hoc contingit in infirmis corporibus, maxime vero ſi celſa exiſtant, qui non congeſtionibus ſolum ad pectus, ſed ſtagnationibus etiam in pulmonibus & phthiſi, propter adductas §. XIX. cauſas, valde obnoxii ſunt, in quibus poſt mortem ut plurimum offenduntur infarctus pulmonum abſceſſus, in corde vero & vaſis majoribus polypoſæ concretiones. De fruſtulis adipoſis oblongis lumbricorum inſtar in corde phthiſici conf. Barthol. *hiſtor. anat. rarior. cent. V. hiſt. VII. & M. N. C. D. II. A. V. obſ.* 65. De pituitoſis concretionibus in juvenis annorum XIII. phthiſi mortui ventriculo cordis ſiniſtro, cujus fundo mediantibus radicibus annexus, & in aortam ad novem circiter pollices tranſverſos porrectus erat, vid. Bonetus *Anat. pract. tom. I. lib. II. ſect. VII. in additamentis obſerv. XXXIII.* Idem hoc confirmat *obſerv. XLV.* de polypis ingentibus in phthiſici corde repertis, qui ventriculum cordis ſiniſtrum & vaſa pulmonalia opplerunt, & ex ventriculo cordis dextro in venam cavam tranſientes, in introitu venæ cavæ in hepar conſtituerunt appendicem immanis cujuſdam polypi, qui craſſitie totam fere venæ amplitudinem occupabat, & qui, jecur ſubingrediendo, in duos ramos dividebatur, quorum craſſior in venam portæ ſeſe inſinuabat, alter vero tenuior & in plures ramulos fiſſus, venæ cavæ ramificationes ſubintrabat, eademque craſſitie tendebat in venam cavam adſcendentem, & tranſmittebat ramificationes in venas ſubclavias, jugulares, vertebrales ad cerebrum uſque. Ulterius *obſ. XLVI.* refert polypos duriores in puellæ VII. annorum phthiſi mortuæ ventriculo cordis ſiniſtro repertos, *qui, non ſpurii aut ex ſanguinis grumis concreti, ſed candidiſſimi & fibris tenaciſſimis denſiſſime contextis compoſiti erant, & diuturna maceratione nullo modo diſſolvi & cultri acie vix dividi poterant.* Ex qua obſervatione Chr. Vaterus collegit, propter impeditum & difficilem ſanguinis per coalitum pulmonum progreſſum diuturnoſque impulſus & concuſſiones, *partes gelatinoſas & fibroſas tandem in ſinubus cordis ita congregatas & in polypos iſtos mutatas fuiſſe, quemadmodum e ſola pilorum varia contorſione & conquaſſatione, interveniente quodam glutine, chartam, pannum*, aliaque fieri videmus. Demum idem *obſerv. XLIX.* monet, ſe in viro 38. annorum phthiſi defuncto vidiſſe in ventriculis cordis *corpora polypoſa, ſubrubra, tenaciſſima, extremitatibus ſuis ibi furcatis tanquam radicibus, eorumque ventriculorum apicibus implantata.* Quum vero *phthiſici* fere omnes demum *hectici* fiant, 8. *In hecticis.* ab ipſo calore in *hectica* produci poſſunt polypi; conſtat enim cauſam hujus morbi eſſe humorem putridum & corruptum, qui quemadmodum *illuſtr.* Hoffmannus monet *med. ſyſtem. tom. IV. part. I. ſect. II. cap. XIII. de febribus lentis & hecticis §. III. temperatæ & naturali ſanguinis & humorum vitalium mixtioni penitus eſt adverſus, eandemque inteſtino alieno motu turbat, immutat, atque diſſolvit*, experientia id confirmante; ſanguis enim ex vena hectici emiſſus poſt aliquam moram conſpiciendam præbet ſeparatam a reliquis partibus *gelatinoſam ſubſtantiam*, inſtar *tunicæ*. De polypis in *hectici chronici* utroque cordis ſinu conf. *Act. med. Berolinenſ. vol. IX. pag.* 54.

§. XXXIV.

Incauto *adſtringentium* in *hæmoptyſi* & *febribus* uſu, polypos nonnunquam ortum duxiſſe, aliquoties *Illuſtris* Hoffmannus obſervavit. 9. *ab incauto adſtringentium in hæmoptyſi & febribus uſu.* Stypticis enim coagulatur ſanguis, vaſorum diametri conſtringuntur, obſtructiones & pulmonum infarctus fiunt, & propter impeditum ſanguinis per pulmones progreſſum, nimiamque vaſorum pulmonalium & cordis oppletionem polypus tandem generatur. Quantum enim detrimenti afferant ſtyptica in hæmoptyſi, *Illuſtr.* Hoffmannus docet *medic. conſult. tom. I. ſect. II. caſ. IX.* de *phthiſi ex hæmoptyſi.* Nec mirum eſt ſi idem in *febribus* contingat. Febres enim ſupreſſas imprudenti *corticis peruviani* uſu cauſſari totalem ſæpius menſium ſuppreſſionem, hydropem, pa-

thematа

themata hypochondriaca, febrem lentam, multis & variis exemplis comprobavit *Illuſtris* PRAESES in *medic. conſultatoria.* De febre a magna corporis refrigeratione poſt toleratam febrem ac inde prohibita corporis transſpiratione laudatus vir egit *med. conſult. tom. I. ſect. II. caſ. LXXXIX.* De febre a concretione pituitoſa, polypis & mucoſa pituita in cordis ſinubus, conf. BONETI *Anat. pract. tom. II. lib. IV. ſect. I. de febribus obſerv. II.* §. 2. 3. 4.

§. XXXV.

10. *a venenis.* Quid *venena* & *medicamenta venenoſa*, quorum magna pars deſcripta jam eſt in *diſſ.* ſub præſidio *excellent. viri* J. H. SCHULZII habita, quæ inſcribitur *mors in olla*, ad polypi generationem conferant, videndum erit. Inter ea autem refero omnia, quæ ſpiculis acidis ſalinis, ſubtiliſſimis & corroſivis ſolidorum ſtructuram & fluidorum invertunt texturam, ut globuli ſanguinei, a ſphærica recedentes figura, conſtituant diverſi generis acidi, alcalini, volatilis, fixi genera, & exiſtant ob acrimoniam acuti nimis, vel flexiles, & concreſcentes aucto eorundem contactu, ac tenaces ob arctiorem partium cohæſionem. Inprimis vero hic referendum duco, *viperarum ictum*, quo ſanguis coagulatur, quemadmodum id MANGETUS in *bibliothec. anat. additament. ad diſſert.* MALPIGHII *de polypo cordis tom. I. pag.* 963. & BONETUS *Anat. pract. tom. II. l. IV. ſect. X. obſ. VI. de morbis occultis chronicis veneno &c. in appendice pag.* 465. & in *addit. ad obſerv. I. pag.* 464. nec non *obſerv. II. pag.* 470. docuerunt, & variis experimentis in vivis animalibus inſtitutis comprobarunt. BONETUS anno 1683. capram majorem viperis irritatis mordendam exhibuit, quæ ſubortis, ſpumoſa ac viſcoſa ſalivatione & dyſpnœa, motibusque convulſivis agitata, cataleptica tandem & quaſi toto corpore reſoluta periit. De cujus ſectione *libr.* ante *cit. pag.* 472. ſequentia refert. *Aperto corpore præter alia, de quibus in ſequentibus, reperiebamus ſanguinem non tantum in grumos coactum, ſed ejusdem particulas ſibi invicem ita cohærentes, ut in cordis ventriculis polypos admodum tenaces, valvularum tum ſigmoidalium, tum tricuſpidalium, variarumque cavernularum in prædictis ventriculis excavatarum, imaginem apprime per externa referentes efformaret. Idem præterea ſanguis e majoribus & minoribus venis in ramos ac ramulos diſtributus ſine diſruptione extrahi poterat, valvularum itidem omnium, tum jugularium venarum, tum aliarum figuram non minus accurate exhibens, quam a cera præparata, ac eadem infuſa illud effectum fuiſſet.* De polypis in quibusdam a veneno repentine mortuis conf. THOM. BARTHOLINI *act. med. Hafn. vol. I. obſ. XII. pag.* 39. §. I. & *Ephem. N. C. A.* 3. *obſerv.* 153.

§. XXXVI.

Signa polyporum explicantur. Explicatis jam cauſis non naturalibus, præternaturalibus, aliisque, quæ corpora præcipue ad polyporum diſponunt generationem, reliquum eſt, ut *ſymptomata* & *effectus*, quos in corpore producunt noxios & lethales, adhuc perſcruter, quo eo magis ab iis nos præcavere diſcamus. Signa autem hujus affectus pathognomonica tria referuntur a BERGERO *diſſert. de polypo cordis* §. *XV. palpitatio cordis conſtans, aut ſaltem frequentior levi ex cauſa recurrens, dyſpnœa, pulſus frequens, debilis, inæqualis, & intermittens cum anxietate & lipothymia ſubinde junctis.* Per *palpitationem*, a græcis α)παλμὸς καρδίας dictam, intelligo motum cordis convulſivum, quo cor ictibus ſæpius repetitis e loco movetur, violentique motu ad pectus adigitur, conſentientibus *Illuſtr.* HOFFMANNO *med. ſyſtem. tom. III. ſect. I. c.* 13. BERGERO *diſſ. de palpitatione cordis* §. *IV. pag.* 8. & WILLISIO in *pharmac. ration. de cordis tremore, pag.* 166. *α)palpitatio cordis.* Hujus cauſa vel in ſolidorum vel fluidorum vitio quærenda eſt, vel ad FERNELII mentem, quicquid vitalem facultatem quantitate, vel ſubſtantia, vel utraque gravat, dicitur palpitationis cauſa, *vid. L. II. de morbis cognoſcendis & curandis cap. XII.* Omnes fere *melancholicos* hoc ſymptomate affici, qui *cachexia* laborant ut puellæ, *& qui aquam inter cutem incidunt*, laudatur vir *l. c.* contendit, *polyposque* palpitationes frequentes producere, augere, immo immedicabiles reddere, teſtatur *Illuſtr.* HOFFMANNUS *diſſert. de palpit. cordis* §. *6. p. 9.* nec non *med. ſyſtem. tom. II. cap. III.* §. *XXII. in ſcholio.* De cauſis palpitationem producentibus conf. WEDELII *diſſert. de palpitatione cordis*, BERGERI *diſſert. de cordis palpitatione* §. *VI. p.* 2. & CH. JO. LANGII *diſſert. de eodem themate* §. 21. SYLVII *praxis medica lib. I. c.* 35. HENRICUS SMETIUS *l. X. rariorum aliquot obſervationum p.* 537. Electorem Fridericum III. in cujus corpore defuncto vidit polypos cordis, utrumque ſinum opplentes, non nunquam cordis palpitatione rarius tamen, & quam contemnebat, utpote vetus vitium nec adeo moleſtum, laboraſſe affirmat; & *p.* 523. recenſet mercatoris ſymptomata, qui in cordis dextro ſinu continebat pituitoſam concretionem, quando inquit, *laborabat palpitatione cordis diuturna, ex qua & mortuum narrabat ejusmodi medicus, qui me ad ſectionem adduxerat. Viventem enim non videram.* De ſexagenario, a palpitatione demortuo, ob aneuryſma & polypum cordis, vid. BAGLIVUS *prax. med. lib. II. pag.* 229. De palpitatione cordis a corpore carneo & membranaceo auriculis cordis annexo, vid. BONETUS *Anatom. pract. tom. I. lib. II. ſect. VIII. obſerv. VII. pag.* 820. *& obſerv. X. p.* 821. IDEM cordis palpitationem ob polypum in arteria aorta, & auriculæ cordis dextræ adnatum refert, *obſerv. XII. pag.* 822. Denique in *additamentis obſ. I. p.* 84. palpitationem cordis in ſcorbuticis a polypis recenſet. Referunt quoque *Act. med. Berol.* tremorem & palpitationem cordis intercurrentem & interpolatam in illis, qui ex *polypis cordis* in hydropem devoluti ſunt *vol. IX. pag.* 31. Oritur autem palpitatio, utpote præſentes docent obſervationes, ab impedito ſanguinis ad ſuperiora adſcenſu, congeſtione ejus ad pectus & pulmones, nimiaque ventriculorum & auricularum cordis a fibroſis concretionibus & ſtagnante cruore oppletione, conf. *Illuſtr.* HOFFMANNI *med. conſ. tom. I. ſect. II. Caſ. XCII.* Sanguis enim qui in motu conſtitutus, progredi neſciens cor nimis dilatat, ad parietes cordis allidit, quem cor ob elaſticitatem

tatem expellere nititur, & eo vehementius ſubſilit ad moles in ejus cavitatibus contentas, quo propius obex liberum ſanguinis circulum impediens obditus eſt oſtio, eoque major ſemper exercetur vis, quo minor eſt fibrarum reſiſtentia (per leges motuum.) Hinc patet ratio cur aperto vaſorum oſtio & reſtituto libero ſanguinis circuitu cor palpitare deſinat, rurſusque incipiat motu corporis & adſcenſu acclivium & ad ſcalas, quibus ſanguis velocius per pulmones & canales univerſi corporis agitur, ac pulſus magnitudine & celeritate increſcit; cur animi affectibus calidis ac ſpirituoſis, de quibus HIPPOCRATES *de victus ratione in morbis* refert, quod *meraciores quicunque ſint potus vinoſi, aut auſteriores palpitationem in corde & palpitationem in capite inducant*, reiteretur: vid. *illuſtr.* HOFFMANNI *medic. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. XII.* §. *XVII.* & *cur ſola corporis incurvatione vel capitis ad terram inclinatione, quoties impetit, cohiberi poſſit, vel pro vario in latus vel dextrum vel ſiniſtrum decubitu exacerbetur, vel conplacetur*; conf. *illuſtris* PRAESES *medic. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. XVII.* §. *X.* IDEM afflictiones has valde moleſtas obſervavit in juvene, cui non licuit lateri dextro incumbere, ob ſpirandi difficultatem ab ingenti cordis auriculæ dextræ impacto polypo, metum ſuffocationis, & cordis tremorem, quæ vero rurſus ceſſarunt mutato corporis in ſiniſtrum latus ſitu. Ejusmodi obſervationem refert BONETUS *Anatom. pract. lib. IV. ſect. XII. obſerv. XXXI. pag.* 574. qui in viro febri acuta correpto *vivente* notavit, intenſum calorem, tuſſim moleſtam, difficultatem reſpirandi maximam: *ſupra latera decumbere æger non poterat*; *minori autem incommodo ſupra dorſum decumbebat, verum ſedens melius ſe habebat, faciliusque reſpirabat*, & paulo poſt *exſtincto* obſervavit ſuperficiem internam pericardii & cordis externam cruſta albicante tectam, & polypoſas concretiones. Niſi enim ſanguinis circulo obex ponatur, ut nihilominus præterlabi poſſit, nullum ſubſequitur incommodum, quemadmodum id *illuſtr.* HOFFMANNUS *med. ſyſtem. tom. IV. part. I. ſect. II. cap. VI. de febribus pneumonicis* experientia confirmat, quando in *epicriſi* ad *obſerv. I.* *Vidi*, inquit, *polypos ad ulnæ usque longitudinem per arteriæ aortæ item venæ cavæ truncum ſuperiorem & inferiorem fuiſſe elongatos, ſine ullo ſanitatis detrimento atque periculo.*

§. XXXVII.

β) pulſus intermittens & inæqualis.

A celeriori hac cordis agitatione arteriarum motus fit celerior. Nam, quemadmodum FERNELIUS *l. cit.* ait, *cor ſi laborat inæquali intemperie, pulſus univerſos varie inæquales efficit. Intermittit* maxime *pulſus* ſi polypi & ſanguis vaſorum inprimis arterioſorum orificia ductusve occludentes, eorum conſtrictionem liberumque ſanguinis per ea progreſſum impediunt, donec aperto oſtio ſanguinis circulo concedatur via & propter elaſticitatem vaſa in priſtinum ſtatum reſtituantur, ſentiente ita LANCISIO quando *libr. de aneuryſmatibus prop. XXXVIII.* inquit, *corpus polypoſum arteriæ cavum plane obſtruens rectam ſanguini viam præcludit, ac proinde eo in loco circulationem intercipit, coacto fluido ad laterales vias capeſſendas. Hinc ſæpe pulſus ex hac cauſſa obliteratur in carpis*, ut in MARCHIONE PAULUTIO. *Act. medic. Berolinenſ. vol. X. pag.* 32. referunt omnes *cordis polypis* laborantes *circa hydropis pectoris acceſſum* pulſum habere *irregularem* & *aſphyxiam* per certa pulſuum momenta. Aſphyxiam in viro, qui integro die ante obitum ſine pulſu jacebat, ab utroque cordis ventriculo corporibus adipoſis obſtructo BONETUS ex WILLSCHII obſerv. recenſet *Anat. pract. libr. II. ſect. IX. obſ. IV.* De pulſu intermittente a polypis conf. *Illuſtr.* HOFFMANNUS *medic. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. XII.* §. *XII.* & RIVERIUS *cent. II. obſerv. LXXII.* VESALIUS *de corporis humani fabrica lib. I. c. V.* pulſum inæqualem & intermittentem ob cor inſtar uteri expanſum a glanduloſa & nigricante in ſiniſtro cordis ventriculo carne ita deſcribit: *pulſus variis modis inæqualis erat & varius in homine, habitu utcunque ante mortem melancholico & admodum vigili, quique arteriæ contractionem manifeſte oſtendebat. Ita enim multis menſibus ante mortem (quum tamen alioquin velut ſanus obambularet) pulſus, aut arteria contrahi viſa fuit, ut trium aut quatuor pulſationum ictuumve intervallo contracta maneret, veluti que expulſionem moliretur. Immo poſtremis vitæ ſeptimanis ex novem ictuum intervallo tres tantum, aut duæ dilatationes arteriæ tactui ſubinde occurrerunt.* De pulſuum inæqualitate a concretione pituitoſa in corde conf. ERASTUS *diſput. V. de febre putrida.*

§. XXXVIII.

γ) compreſſio præcordiorum, & dolor circa cor fixus.

Refertur etiam inter ſigna polyporum *compreſſio præcordiorum* ob ſpaſticam, quæ regioni pectoris inducitur, ſtricturam, & cum illa ut plurimum junctus *dolor circa cor fixus.* BENIVENIUS *l. c.* narrat hiſtoriam mulieris nomine & genere claræ, quæ dolore cordis interdum vexabatur ob fruſtulum nigrioris carnis in ſinu cordis ſiniſtro hærens, qui demum ita increbuit, ut perpetuus fieret. Ex quo etiam ſæpius deficiens vix recreari potuit, donec eo magis magiſque invaleſcente e medio ſublata eſt. Eundem obſervavit *Illuſtr.* HOFFMANNUS in ſereniſſimo Holſatiæ Principe, cui vivo ex his & reliquis ſymptomatibus polypum adeſſe prædixit, quod præſagium etiam ſectio cadaveris confirmavit, dum in dextro cordis ſinu duo polypi, & unus in ſiniſtro & arteria aorta reperti ſunt. Vid. *medic. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. VII.* §. *XLIII.* Hinc §. *XLIV. polypi initium*, inquit, *arguit compreſſio pectoris & fixus circa cor dolor, ſi vero jam incrementum cepit, præter hæc frequentius, vel levi de cauſa recurrit cordis palpitatio, pulſus miris modis inæqualis & varius eſt, ſæpiusque notabilibus intervallis remittit.*

§. XXXIX.

δ) dyſpnœa, orthopnœa & aſthma.

Dyſpnœa, orthopnœa & aſthma a fibroſis quoque concrementis vel in corde vel vaſis majoribus oriuntur, facileque excitantur ab omnibus calidis, motu fortiori, animique affectibus. Conf. *illuſtr.* HOFFMANN. *med. ſyſtem. tom. III. ſect. I. c. VII.* §. XLIV. Propter nimiam enim ſanguinis ad pulmones congeſtionem, ſtagnationem ejus, immo infarctum

ctum pulmonum, ſanguinis per venam pulmonalem prohibetur reditus, diametri venarum diſtenduntur, libera veſicularum aërearum expanſio motuſque diaphragmatis impeditur, & anxietas in præcordiis cum metu ſuffocationis oritur. De reſpiratione ſenſim deficiente in lenta morte extincta a polypo cordis ventriculos obſidente, conf. BONETUS *anat. pract. libr. II. ſect. I. obſerv. XCV.* De reſpiratione læſa a polypo vid. ſupra *in* §. III. *nota* citatam TULPII obſervationem. De reſpiratione difficillima ac laborioſa, qua adoleſcentula poſt tres dies obiit, *a polypo cordis poſt morbillos accreto, & in arterias pneumonicas illapſo*, conf. WILLISIUS *in pathologia ſpaſmodica vindicata de affectionibus hyſtericis & hypochondriacis pag. 6.* Orthopnœam cum ſuffocationis periculo a polypo HENRICUS SMETIUS obſervavit. De aſthmate a corporibus pituitoſis ſive fibroſis in arteria aorta, quæ ulnæ longitudinem ſuperaverant, vid. WEPFERUS *exerc. de apoplexia pag.* 197. De aſthmate a polypo in utroque cordis ſinu conf. DIEMERBROECK *anat. l. 2. c. 9.* De aſthmate, & difficili a polypo reſpiratione vid. BONETUS *anat. pract. tom. I. libr. II. ſect. I. in additamentis obſerv. XXIX. XXXII.* De polypo cordis aſthmatis cauſa conf. *illuſtr.* HOFFMANN. *medic. conſult. tom. I. ſect. II. caſ. LXXXVIII.* Notatu digna ſunt viri hujus verba, quando *diſſert. de generatione mortis in morbis* §. XIV. *Nos*, inquit, *ipſi teſtari poſſumus, quod aliquoties nobis contigerit occaſio, aſthmate ſuffocatorum cadavera diſſecandi, ubi polypos in vaſis pulmonum & cordis, nec non ſerum fœtidum extravaſatum in thoracis cavo deprehendimus.* Doctor GRÆVIUS quoque Medicus caſtrenſis monente *illuſtr.* PRÆSIDE *diſſ. de aſthmate convulſivo* in quinquagintas militibus, quos incidit, aſthmate ſuffocatis ſemper invenit vel *hydropem pectoris*, *vel polypos cordis ventriculos* obſidentes.

§. XL.

Lipothymiæ frequentes. Quum functiones corporis rite peragantur motu ſolidorum elaſtico æquali & fluidorum progreſſivo temperato: (per *principia phyſiolog.*) fit, ut mutato vel ſubſiſtente plane ſolidorum motu, mutentur vel deſinant quoque corporis functiones. Cauſſa ceſſationis motuum in intercepta ſyſtole cordis & arteriarum quærenda eſt. Conf. *illuſtr.* HOFFMANNI *med. ſyſtem. tom. II. part. I. lib. II. ſect. I. c. II. §. XII.* Hinc non mirum, ſi a nimia cordis, inprimis vero auriculæ dextræ, expanſione motus in *corde* & *vaſis majoribus* vel plane vel ad tempus intercipitur, & *lipothymia* & συγκοπὴ oriuntur; ſi enim cor vaſaque nimis dilatata ſeſe conſtringere nequeant, fluida non propelluntur, ſed in vaſis ſtagnant. Recte itaque FERNELIUS *de morbis cognoſc. & curandis libr. II.* inter affectus hujus cauſſas refert *tumores præter naturam in corde vel pericardio, vermes, aliaque ſimilia quæ vaſa obſtruunt*, utpote quæ motum ſolidorum ſyſtalticum impediunt. Inter ſigna vero polypi præcipue commemorat *illuſtris* HOFFMANNUS *med. ſyſtem. tom. III. ſect. I. cap. VII. §. XLIV. lipothymiæ frequentiam, ſine cauſſa evidente, vel a certo corporis decubitu provenientem.* Animum a polypis ſæpius deficientem obſervavit BENIVENIUS. De ſyncope a corpore fibroſo & pituitoſo ulnæ longitudinem ſuperante in arteria magna conf. obſervatio WEPFERI apud BONETUM *anat. pract. tom. I. lib. II. ſect. X. obſerv. XVI.* De ſyncope frequenti cum reſpiratione intercepta a polypo inſignis craſſitiei in vena cava, qui vaſis illius longitudinem occupabat, vid. RUSSEUS *Zodiac. med. Gallic. anno II. obſerv. XVI.*

§. XLI.

Exponuntur effectus polyporum noxii & lethales. Expoſitis jam præcipuis ſignis, ex quibus polyporum in corporibus exiſtentiam ſufficienter dijudicare poſſumus; non difficile cognitu erit, quomodo ab illis morbi pectoris acuti vel chronici aliique & repentina mors ortum ducant. Quum vero diffuſus nimis forem in exponendis omnibus, quos in corpore producunt, morbis; præcipuos & qui frequentius in praxi occurrunt adducam, ſimulque modum, quomodo diſponant corpus ad morbos, tradam. Agunt vero polypi ſanguinis circulum impediendo vel per totum corpus, vel per certas partes. In pectoris morbis, ſi in vaſis pulmonalibus hærent, quales *1. In pulmonum affectibus.* ſæpius in hiſce effectibus obſervavit *illuſtris* HOFFMANNUS vid. *medic. ſyſtemat. tom. III. ſect. I. cap. XVII. §. 8.* vel in cordis ſinubus auriculiſque, impediunt ſanguinis per arteriam pulmonarem adſcenſum, ejuſque per venam reditum, unde, qui per minima vaſa non progreditur, in pulmonibus ſtagnat, vaſaque nimis diſtendendo pulmones ad diſruptiones vel inflammationes, ut in pleuritide & peripneumonia, obſtructiones, indurationes, ſcirrhoſitates, eroſiones, ulcera diſponit, quos effectus variis confirmarunt obſervationibus LOWERUS, BARTHOLINUS, NEEDHAM, NERETUS NERETIUS, WILLISIUS, WEPFERUS, MALPIGHIUS, & de quibus *illuſtr.* HOFFMANNUS *med. ſyſtemat. tom. III. ſect. I. cap. XVII. §. VI.* inquit, *experientia anatomica edocemur, quod non alia ratione internecioni dent hominem, quam quod liberum circuitum & tranſitum ſanguinis per cor & pulmones ſiſtant ac intercipiant, id quod teſtatum faciunt polypoſæ concretiones canalium alveos obturantes, neque minus ſcirrhoſi tumores & corruptiones ſanioſæ ac ſphaceloſæ, quæ pulmonum ſubſtantiam in his vitiis infeſtant.* Plures ejuſmodi obſervationes collegerunt fuſiuſque explicarunt *illuſtr.* HOFFMANNUS *diſſert. de generatione mortis in morbis* & excellentiſſimus vir. J. H. SCHULZIUS *diſſ. de polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſſis.*

§. XLII.

2. aſthmate. Quum *aſthma* ut plurimum cauſſam habet polypos, ejuſque ſignum pathognomonicum conſtituit: (§. 39.) fit, ut hydrops ſæpius producatur, quum aſthmaticos, cachecticos & hydropicos plerumque fieri experientia doceat. Propter impeditum enim ſanguinis progreſſum a polypo vel in arteria pulmonali, vel auricula cordis dextra & vena cava hærente, ſanguis regurgitat in venas, in quibus ob defectum motus, & difficilem ad perpendiculum adſcenſum facillime ſtagnat, in locis inprimis, ubi etiam in ſtatu naturali momentum impulſus a corde accepti elanguet, cujuſmodi

juſmodi ſunt pedes, crura, vid. Lancisius *de aneuryſmatibus propoſ. LXI.* & hepar, in cujus venam ſic dictam portæ ſanguis a viſceribus deſertur, difficiliuſque in venam cavam progreditur, conſentiente B. Stahlio *diſſertat. de vena portæ-porta malorum.* Hinc quemadmodum Lancisius *loc. cit.* tradit *ob defectum circumpulſionis in arteria pulmonari vel magna, ſtatim vitiatur exacta miſcela, vibratio & confuſio chyli lymphæque cum ſanguine, unde paulatim ſerum ac fibroſæ fluidorum partes a ſubtilioribus facile ſecedunt, vel per poros tranſudant, quemadmodum contingit in hydrope pericardii.* Dum vero ad vaſa lymphatica fertur, ea diſtendendo nimis relaxat, ut plures in unum coëuntes vel in pectore vel abdomine conſtituant ſeri extravaſationem, teſte experimento Loweri, qui dictos effectus in cane vivo per ligationem venæ cavæ produxit. Inter alias de obſtructione venæ cavæ in hydropicis obſervationes, illa quoque meretur notari, quam Rhodius ſuppeditavit de principii venæ cavæ arcto coalitu, vid. Bonetus *anat. pract. libr. III. ſect. XXI. obſ. LXVIII. pag.* 472. Corpora pituitoſa & fibroſa in cachecticis diu & frequenter ex morbis decumbentibus obſervavit ſæpius Wepferus *vid. ejus exercit. de apoplexia pag.* 196. & 200. De œdemate in crure utroque a polypo tenſo & ſubduro, quod ad femora adſcendens, tumorem plenum, durum in imo ventre inter umbilicum & pubem, immo toto abdomine fecit, conf. Smetius in *miſcell. medic. lib. X. pag.* 537. De cordis polypis ab aſcite vid. Bonetus *anat. pract. tom. II. lib. III. ſect. XXI. obſ. I. II. In additamentis ad appendicem obſ. IX.* ex Baylii *tractat.* de *apoplexia* polypos refert in duarum mulierum cordis ventriculis, una hydrope, altera cachexia extincta, & *obſ. XLV.* tradit anatomen adoleſcentis hydropici, cujus cor ultra tres libras medicas pependit, ejuſque ſinum dextrum replerunt concreta materia tenax fibroſa ſeu polypi. *Obſerv. LII.* recenſet anatomen anaſarca enecti, cujus dexter ventriculus & arteria pulmonaris longis craſſis fruſtis carnoſis obſita erant; & *obſ. LXX. & LXXIX.* de polypis in anatome hydropicorum repertis, & portentoſo polypo in adoleſcente hydrope pectoris extincto agit. Tandem *obſ. LXXXIII.* de cane pingui & caſtrato, qui calidus ſubito hauriens aquam frigidiſſimam anheloſus & hydropicus factus eſt, in cujus corde præter reliquam viſcerum præternaturalem diſpoſitionem, inſtituta poſt mortem ſectione, polypi etiam memorabantur. Præclare itaque Bauhinus apud Horstium *oper. ſuor. tom. I. pag.* 141. *de abdominis & pectoris morbis* monet, *ſi dabitur ſectio hydropici vel phthiſici, diligenter cordis ventriculos inſpicias; aliquoties enim excreſcentiam ramoſam reperi per vaſa in pulmones delatam.* In viro per tempus aliquod dyſpnœis, cordis anxietatibus, palpitationibuſque vexato, tumores in brachiis, venas ampliatas & in nodos protuberantes a polypo inſigni, qui ex auricula dextra in truncum venæ cavæ adſcendens exporrigebat ramos, obſervavit Albinus. Vid. *diſſ. de polypis theſ. V. p.* 7. Hinc cum Lancisio *lib. de aneuryſmatibus propoſ. LXI.* ita ſentio, *genitas has hydropis ſpecies lethales eſſe, & tanto cæteris graviores, quanto minus ab arte vel natura ſolidorum vitia corrigi poſſunt.*

§. XLIII.

3. *In uteri & capitis vitiis.*

Inter alios morbos ab obſtructione vaſorum a polypis occurrunt *menſium retentiones, hydrops uterinus, hæmorrhagiæ uteri & abortus, cephalæa, epilepſia, & apoplexia.* Regnerus de Graaf *tract. de organis muliebribus c.* 9. de polypoſis in vaſis uteri agens concrementis, rationem reddit, quare menſes non nunquam pertinaciter ſubſiſtant, & cur per inſuetas vias expurgentur. De polypo uteri ramoſo conf. Ruyschius *obſ. chirurg.* 6. *pag.* 12. Limpidiſſimam aquam, quæ intra viginti quatuor horas libram æquabat, per aliquot menſes ex utero ſtillantem propter polypos uteri vaſa obſeſſos obſervavit *illuſtris* Hoffmannus in *medic. ſyſtem. tom. III. cap. VII. §. XLV.* Animadvertit etiam, fœminis, quæ frequenter abortiunt, ſanguine redundantibus, ſolemne admodum eſſe, ut cum ſanguine ad animi uſque defectionem excludant maſſas carneas, ovi gallinacei magnitudine numero plures, de quibus *libr. cit §. XLVI. perperam hæ maſſæ,* inquit, *habentur pro molis, quæ nihil aliud ſunt, quam polypoſæ ejuſmodi, a mucido ſtagnante intra venas uterinas ſanguine, concretiones.* (l) Nec mirum eſt ſi ab hac vaſorum a polypis diſtenſione hydrops & hæmorrhagiæ uteri producantur, cum nimiam ſanguinis apertionem largiſſimum ſanguinis profluvium ſequitur, & propter impeditam circulationem, ſanguis in ductibus venoſis, ad quos regurgitat, ſtagnat, atque dimittit ſeroſam portionem, eamque vel in abdominis vel uteri cavitatem exonerat. *Sinus cerebri* obſeſſi polypoſis concretionibus atrociſſimos *capitis dolores, hemiplexiam, apoplexiam, epilepſiam* &c. producunt. Sanguis enim qui tarde per cerebrum circulatur, e venis in ſinus obſtructos ſufficienter deferri nequit, ſed in vaſis ſtagnat, ea nimis dilatando ad extravaſationem ſeroſam ac ſanguineam diſponit, & premendo principia nervorum atrociſſimos dolores efficit. Pechlinus notavit in muliere ex cephalæa multorum annorum atrociſſima & invicta pereunte ſinus cerebri (m) *nigro mucilaginoſo tenacique polypo obſeſſos, diffuſis per laterales venarum ramos aliquot pedibus, quibuſcum extractus integer corallii nigri fruticem proxime exprimebat; vid. lib. II. c. 2. p.*204.

(l) Ruyschius obſervavit in placentæ cujusdam rudimento, quod mulier poſt embryonis excluſionem & placentæ annihilationem peperit, ſanguinem coagulatum ſuperficiei ejus adhærentem, cujus portionem abſtulit & aquæ puræ indidit, ut omnis rubedo evaneſceret, tantamque analogiam cum membrana obſervavit, ut operæ pretium ipſi viſum fuerit, eam indere liquori ſpirituoſo, de quo *theſ. anat. VI. no. XV. pag.* 12. *vix credibile eſt,* inquit, *ſanguinem extra vaſa profuſum in talem ſubſtantiam mutari. Hinc varii etiam olim fuerunt decepti, exiſtimantes, quum puerperæ enituntur ejusmodi objecta, ea eſſe reliquias membranarum placentæ.*

(m) Præter polypos, qui *in ſinubus cerebri* ſæpius obſervantur, aliquos *intra duplicaturam meningis duræ* prope baſin cerebri & cerebelli notavit Harderus, referente Albino *diſſert. de polypis.*

p. 204. De materia alba tenaciſſima epilepticæ mulieris ſinum duræ meningis longitudinalem ejuſque rivulos opplente conf. BLASIUS *obſ. med. II. parte VI.* De polypo in puerulı epileptici corde ſiniſtro, ramos duos in venas pulmonares mittente conf. BONETUS *Anat. pract. in additamentis libr. I. ſect. XII. obſ. XVI.* De polypis in hominis cordis ſinu vaſiſque magnis, qui primum epilepticus, & elinguis demum occubuit cum ſiniſtri brachii convulſione, vid. M. A. SEVERINUS *lib. de abſceſſibus cap. II. §. I. pag.* 132. Obſervationem SPONII de epilepſia, ob obſtructionem partis maximæ ramorum vaſorum jugularium ab humore glutinoſo concreto exſiccato, vide apud BONETUM *Anat. pract. libr. I. ſect. XII. in additamentis obſ.* 2. & de polypo in corde epileptici reperto conf. *Tranſact. anglic. vol. XIV. pag.* 537.

§. XLIV.

Cauſæ mortis repentinæ frequentiſſimæ a polypis productæ, ſunt ſyncope, apoplexia, catarrhus ſuffocativus.

Inter cauſas improviſarum mortium ex parte cordis & magnorum vaſorum frequentiſſimas recte referunt obſervatores polypos, qui ſolidorum ſiſtunt motum, & obſtruendo cor ejuſque vaſa viarum impediunt libertatem, quominus ſanguis a ventriculis in auriculas, & ab illis in majora vaſa & caput progredi queat, vid. *Illuſtr.* HOFFMANNUS *med. ſyſtemat. tom. III. ſect. I. cap. VIII.* §. *XLIII.* LANCISIUS *de ſubitaneis mortibus libr. I. c. X.* §. *IV. & Act. medic. Berolinenſ. Dec.* 2. *vol.* 2. *pag.* 69. BARTHOLINUS *lib. de lact. thor. cap.* 14. refert, ſe in iis, quos ſubito mortuos cultro anatomico ſubjeciſſet, majora cordis vaſa ſanguine concreto repleta inveniſſe. De morte repentina a corporibus extraneis in ſinubus cordis vid. BONETUS *Anat. pract. libr. II. ſect. II. obſ. V.* De repentina morte a polypo in cordis ſiniſtro thalamo ſanguinis tranſitum retardante conf. BARTHOLINUS *in Miſcell. cur.* De morte ſubitanea canis Islandicæ a polypis omnes totius corporis venas & arterias occupante EDUARDUS TYSON egit, conf. BARTHOLINI *Act. Haffnienſ. a.* 1679. *obſ.* 79. Subito vero vita hominem privant *ſyncope*, *apoplexia*, *catarrhus ſuffocativus.* De ſyncope quemadmodum ſupra jam dictum §. 40. quod conſtituant præſagium polypi, ita & repentinæ mortis. Sicuti HIPPOCRATES jam docuit *ſect. II. aphor.* 41. *Qui ſæpe & vehementer, abſque manifeſta cauſa, animo linquuntur, ex improviſo moriuntur.* MALPIGHIUS *diſſ. de polypo cordis* confirmat, in *cardiaca ſyncope*, cujus ſymptomata apoplexiæ ſimillima ſunt, de facili polypos in præcordiis & pulmonibus luxuriare. Ad *apoplexiam* quod attinet, de illa paſſim in auctoribus proſtant obſervationes. De polypo inſigni in carotidibus, qui in cerebri ſinus omnes ramos tranſmiſerat, cauſſa apoplexiæ, conf. WEPFERUS *tract. de apoplexia*: quas arterias, etiam in apoplecticis grumo ſanguinis concreto repletas, inter alios CRATO obſervavit. De polypis in feminæ, quinquaginta annorum apoplexia extinctæ, corde, arteria & vena pulmonali, ſinuque duræ matris longitudinali, vid. BONETUS *Anat. pract. lib. I. ſect. II. obſ. XXXVIII.* §. 2. & in *additamentis obſ. X.* *De apoplexia & catarrho ſuffocativo* mortuis Jo. GEORG. GREISELIUS notatu dignam commemorat obſervationem *in Miſcell. N. C. a.* 1670. *obſ.* 74. *Quotquot*, inquit, *apoplexia aut catarrho ſuffocativo, quibus homo frequenter aut ſubito decedit, mortuos aperui, in omnibus corpora illa viſcida ac glutinoſa aut in cerebro, aut in corde deprehendi.* Polypi enim, præcipue ſi in ductibus hærent ramoſis, reditum ſanguinis per venas prohibent, unde, qui in illis ſubſiſtit, ſubito corpora ad ſuffocationem diſponit, teſte experimento LOWERI, qui venas jugulares in cane ligavit, & poſt horas aliquot venas ſupra ligaturam tumefactas, & canem ſuffocatum invenit. D. KIRSTENIUS referente GEORG. SEGERO apud BARTHOLINUM *cent. II. epiſt. LXXXVI. catarrhos ſuffocativos* ideo oriri inprimis credit, quia omnes illi, in quibus *polypos* obſervavit, *catarrho ſuffocativo* exſtincti ſunt.

§. XLV.

Cur præcavenda ſit polyporum generatio?

Perſpectis jam generatione polyporum, cauſis, effectibuſque, exponendum reſtat, quid in futurum uſum eliciendum ſit Medico, & quomodo nobis præcavendum ſit ab infeſtis hoſpitibus, qui miſere variis modis ægros torquentes, ipſum lethum inferunt, atque opportune prima, uti dicunt, in herba, de medio removendi ſint; eo magis, quum prognoſis eorum ſit fatalis, quemadmodum BERGER. *diſſert. de polypis prædicere poſſumus: polypoſis*, inquit, *quod vel ſubita ſuffocatione, aut ſuperveniente graviore ſanguinis per pulmones eruptione, vel ſuppuratione phthiſica, aut ſuccedente etiam tumore pedum œdematoſo atque hydrope neceſſario intereundum ſit.* Quum vero damnum hoc, ſi radices jam egit, nullo vinci poſſit medicamento; eo magis illud præcavendum eſt, niſi morbos chronicos, acutos, mortemque repentinam incurrere cupimus; nam ut WILLISIUS *pharm. rational. part. I. ſect. V. c. III. de cordis tremore* affirmat, *diagnoſis ejus, quum valde difficilis, ita curatio ejus non minus rara eſt.* Hinc *Illuſtr.* HOFFMANNUS *medic. ſyſtem. ſect. I. cap. XVII.* §. *XIX.* monet, cum nulla ope atque medicina tolli poſſint polypi, mature eorum generationem impediri, vel ſi jam adfuerint, incrementum eorum præſcindi debere, quum teſte LANCISIO *libr. de aneuryſmatibus prop.* 38. *illud plerumque in præternaturali corporum conſtitutione ſolet accidere, ut vitium, quod ſimplex initio morbi fuerat, progreſſu temporis germinetur, & quod a ſolidis incepit, poſtmodum propagetur in fluida.*

§. XLVI.

Quæ in præſertatione fugienda?

Itaque cauſæ prædictæ, quæ ad polyporum generationem conferunt, quovis modo fugiendæ ſunt, motus ſolidorum in juſta temperie ſervandus, ſi excedat, antiſpaſmodicis figendus, ſi deficiat, roborantibus excitandus eſt, ne ſub inæquali ſolidorum motu partes debilitentur, motus inordinatos ſæpius repetant, ſtagnationes atque ſtaſes in partibus, ad quas ſanguis congeritur, fiant, parteſque ſolidiores ſanguinis ſecedant. In *plethoricis*, temperamenti præcipue ſi ſint *ſanguineo-melancholici*, præcavenda eſt nimia ſanguinis copia, *venæſectione* juſta quantitate inſtituta *vere* & autumno, præſertim circa tempus æqui-

Quale vitæ genus pl... ...s præſcribendum.

noctiale, *nam quibus venæſectio aut purgatio conducit* ſecundum HIPPOCRATIS effatum *Sect. VI. aphor.* 47. his *vere convenit venam ſecare*, *aut purgationem facere*, ne excedens ſanguinis copia elaterem vaſorum imminuat, obſtructionem ac motum in iis tardiorem efficiat, laſſitudines toti corpori inducat, quæ, ſi ſpontaneæ ſunt, morbos denunciant, teſte HIPPOCRATE *Sect. II. aphor.* 5. Præſcribendum eſt *tenue vitæ genus*, eligendo ſimpliciſſimam medicinam, *inediam potum & motum*, quibus multos convaluiſſe teſtatur HIPPOCRATES *lib. de arte*, & de quibus fuſius egit *Illuſtris* HOFFMANNUS *in opuſculis medico-practicis Dec. I. differt. VII.* Opera igitur danda, ut quanta & qualis oporteat, quotidie fiat additio eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ excedunt; hiſce enim ſanitatem amiſſam recuperari, & præſentem conſervari SANCTORIUS *medicina ſtatica aphor. I.* tradit.

§. XLVII.

Sanguis ſpiſſus diluendus, & fibroſus reſolvendus eſt.

Sanguis *ſpiſſus* nimis ac *fibroſus*, qui in aquam calidam emiſſus *inſtar gelatinæ* concreſcit, & in *filamenta mucilaginoſa* fatiſcit, aut qui ſæpius e vena emittitur *inſtar materiæ albæ*, *pituitoſæ*, *glutinoſæ*, quam nonnulli *lac*, alii *pituitam*, *chylum* alii vocarunt, referentibus RHODIO & BORELLO *in obſervationibus*, reſolvendus tenuior ac fluidior reddendus eſt. Ad ſanguinem vero incidendum ac reſolvendum conducunt inprimis *ſalia mediæ & alcalinæ naturæ*, ut ſunt tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal digeſtivum ſylvi, aperitivum HOFFMANNI, nitrum, oleum tartari per deliquium, terra foliata tartari, liquor nitri fixi; ex ſpirituoſis eſſentia pimpinellæ albæ, tinctura antimonii acris; ex fontibus, qui præter diluentem vim aperitivam quoque habent, acidulæ Ægranæ, Sedlicenſes, præcipue vero thermæ Carolinæ, cujus ſal omnia emunctoria aperit, impuras ſordes evacuat, ſanguinem ſpiſſum reſolvit, attenuat atque diluit, vid. *Illuſtr.* HOFFMANNI *opuſcula medico-pract. Dec. II. diſſ. II.* Non datur enim in toto medicamentorum apparatu, quod in ſanitate tuenda avertendiſque ac tollendis morbis *fontibus ſalubribus* æquiparari poſſit, quum activo & potenti principio gaudeant, & ex ſalium claſſe tutiſſima remedia conſtituant. Hinc laudatus vir *med. ſyſtem. tom. III.* §. *XIX.* ad præſervandam polyporum generationem commendat *aquarum mineralium uſum*, *præſertim earum*, *quæ temperatiores indole*, *& ſal alcali vehunt*, *ad diſſolvendas fibroſas ad concretionem pronas in ſanguine partes*, *accommodatiſſimum.* Inprimis vero *med. conſ. tom. I. ſect. II. caſ. XCII.* ſuadet *Carolinas*.

Qualis diæta ſervanda?

Porro ineatur recta victus ratio, non ex crudis, craſſis ac duris cibis, nec gelatinoſis nimis largiter nutrientibus, ſed tenuioribus juſculis conſtans. *Aer*, ut ALBINUS *diſſ. de polypis* §. 19. *pag.* 17. monet, *eligatur ſerenus*, *temperatus*, *purus*, *cibi aſſumantur euchymi & eupepti*, *vitentur crudi*, *craſſi*, *auſteri*, *ſale & fumo indurati*; *diæta ſit conveniens illi morbo*, *quo alias laborat æger*, *qui præterea jam ab experientia ſuo damno didicit*, *quæ noceant*, *quæ proſint*, *adeo ut ratione diætæ ſibi ipſis eſſe ſoleant Medici.* Potus ſit naturæ conveniens bene fermentatus, fortior & ſpirituoſior exulet, eligatur aqua vel ſola, vel decoctum aliquod ex radicibus ſale blando aperitivo conſtantibus, ut radices chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, cum cortice ligni ſaſſafras, aut ex pane toſto, cinnamomo cum corticibus citri; vel infuſa theiformia, quæ præter copioſum aqueum elementum maxime vim ſuam attenuantem & coaleſcentes moleculas disjungentem edunt, teſte *Illuſtr.* HOFFMANNO *med. ſyſtem. t. III. ſect. II. cap. IV.* §. *X.*

Se- & excretiones promovendæ ſunt.

Alvus aperta tenenda, & ſi opus eſt, clyſteribus aut pilulis balſamicis ſolvenda, curandumque eſt, ut reliquæ ſe- & excretiones in corpore rite fiant, ne impurus ac turbidus ſanguis reddatur. Evitentur omnes aeris ſubitaneæ mutationes, frigus, exceſſiva acida ob coagulum, quod ſanguini inducunt (§. 22. 23.) ſpirituoſa ob divortium quod cum ſanguine & chylo ineunt (§. 24.) vid. *Illuſtr.* HOFFMANNUS *medic. ſyſt. t. I. l. II. cap. I.* §. *XXV.* animi affectus, inprimis timor, mœror, terror. (§. 25.) Denique motus, ſomnus ac vigilia ſint moderata, monente BERGERO *diſſert. de polypo cordis*, ut ſanguinis circulus ſemper æqualis conſervetur.

§. XLVIII.

Ratio ſemper fluxus hæmorrhoidalis & menſtrui habenda eſt.

Reſpiciendum ſemper eſt ad *hæmorrhoidum menſiumque fluxum*, ne quantitate excedat, ſed ut juſto tempore, ordine, ac ſufficienti quantitate fiat, & ſi opus eſt, *venæſectione*, *pilulis* & reliquis medicamentis *balſamicis*, & *temperantibus* promoveatur. In fluxu ſanguinis ſiſtendo ceſſent omnia incaute *adhibita adſtringentia*, ſanguiniſque fluxus *temperantibus*, & ſi neceſſitas jubet, *venæſectionis uſu* vel *derivatorio* vel *revulſorio* ſiſtatur, æquilibriumque motuum in ſolidis & fluidis reſtituatur medicamentis lenem virtutem *anodynam* habentibus, & *frictionibus* in partibus corporis inferioribus factis. In motibus febrilibus ſumma adhibenda providentia, ne in deterius malum ruat, ac via ad polypi generationem pandatur. Opera potius danda, ut tonicis ac aperitivis & evacuantibus, v. g. extractis amaris ex abſynthio, carduo benedicto, gentiana rubra, fumaria, rectoque, ſi opus eſt, corticis peruviani, caſcarillæ uſu, haud neglectis reliquis reſolventibus ac temperantibus medicamentis, febris ſiſtatur.

§. XLIX.

Præcipue ſibi caveant a polypis hypochondriaci, & qui flatulento aſthmate & ſpaſmodico vexantur, nec non celſa corpora.

Inprimis vero caveant ſibi a polypis, qui *aſthmate flatulento & ſpaſmodico* ſæpius vexantur, *hypochondriaci*, & qui habitus ſpongioſi nimis venas exiliores gerentes, ob pleniorem paulo victum, otioſam & laboris expertem vitam, ſub cœlo inclementiori degentes, neglectam venæſectionem, in diuturnas & obfirmatas incidunt ægritudines, & ad polyporum generationem proclives admodum ſunt, teſte *Illuſtr.* HOFFMANNO *in opuſculis medico-practicis dec. I. diſſ. VII.* §. *VII. & med. ſyſt. t. III. ſect. I. c. XVII.* §. 29. Procera quoque corpora fugiant frigus, vitam ſedentariam, ſpirituoſa, ſanguinem ſub plena diæta elaboratum, plethoram, inſtituta circa anni mutationes *venæſectione*, ne ſanguis in *hyeme* craſſus & accumulatus ſubito expandatur

datur, accedente aeris *verno* tempore elaſticitate majori, & ad pectoris regionem congeſtus, ſtagnet. Præcipue vero ſi valde æſtuant, ſitimque amplius perferre nequeunt, caveant ſibi, uti omnes quidem, *a frigido potu ſubito in corpus calidum* ingeſto, & *infuſo* potius *calido* ex herba vulgari (quam *bellidem minorem* dicunt) ejuſque foliis, nec non *quiete*, tranſpirationem conſervent, motuſque compeſcant nimios, vel utantur acetario ex bellide, aceto, oleo & pauxillo ſale parato, cujus laudes MINDERERUS valde prædicat, quando *Medic. milit.* §. *XVIII.* *certam*, inquit, *fert opem & conſpicuam, veneror que immortalis Dei beneficium, qui mihi conceſſit bene multorum ſalutem tam vili Medicina ſartam tectamque conſervare, & in periculum adductam recuperare. Viginti & pluribus annis medicinam tractanti nondum occurrit certius & jucundius auxilium & experimentum hoc ipſo, quod laudavi, modo celeriter fuerit allatum. Meretur hoc experimentum humani generis bono omnibus revelari, utque innoteſcat, cunctis urbium portis & templorum foribus inſcribi & affigi.*

§. L.

ypus orum is jam

Si polypus cordi vel vaſis majoribus jam inexiſtit, vel reſolvendus vel præſcindendus eſt, ne majora capiat incrementa. In priori caſu polypum incipientem & pituitoſum reſolvi adhuc poſſe, ſpem aliquam promittunt BERGERUS *diſſert. de polypis cordis*; & ALBINUS, qui diſſert. *de polypis*, *ſi forſan*, inquit, *polypi delicatior textura, gelatinoſus vel pituitoſus fuerit, ſcabris aggrediendus eſt, & videndum, num iis ab eo aliquid abradi, totusque tandem diſſolvi poſſit.* Ad quod præſtandum conducunt omnia *ſalia alcalina & duplicata*, quæ ſpiculis ſuis tenaces humores incidunt atque reſolvunt, *diæta tenuis*, potus *ſufficiens* ſanguinem diluens, præcipue ſupra laudatæ *thermæ Carolinæ*. Si vero in fibroſam & duram jam abierit ſubſtantiam, cavendum, ne præterlabentium ſimilium contiguitate incrementum capiat, & ſubito homines interficiat. Hinc ſanguis nimius præcaveatur, ſpiſſus diluatur, tenuiſque ſemper conſervetur, iis, quæ ſupra ex *foro chirurgico*, *pharmaceutico & diætetico* præſcripta ſunt. Fuge omnia ſpirituoſa, motus nimios, animi affectus, & quæ ſanguinem in coagulum redigunt, nimiſque agitando polypum e loco movent, & obſtruendo vaſa, ſtagnationem ſanguinis, ſyncopem, apoplexiam, catarrhum ſuffocativum & cum his affectibus repentinam inducunt mortem, ac tempeſtivo remediorum uſu *principiis* obſta.

inexiſtens, ſi fieri poteſt, reſolvendus & præcavendus eſt, ne majora capiat incrementa.

DISPUTATIO MEDICA DE ATROPHIA.

Primum edita anno 1702.

PROOEMIUM.

A Suppliciis hominum vitam auſpicari unam tantum ob culpam, quia natus eſt, jure meritoque cum PLINIO in *proœmio Lib. VII. hiſt. natur.* aſſerimus. Statim enim, ac infantes naſcimur, quæ dira varia, & teneræ huic noſtræ ætati minus congrua viſa, perpeti cogimur? Non ſolum in utero materno morbis & affectibus variis obnoxii ſumus, ſed & extra uterum etiam, modo inſpiraverimus aeris primam particulam, h. e. dum extra uterum vivere incipimus, quam varii ſe ſiſtere ſolent affectus & ſymptomata? Modo enim adſunt inteſtinorum tormina, modo vigiliæ pertinaciſſimæ, pavores in ſomno, intumeſcentiæ hypochondriorum, tuſſes, variolæ & morbilli, lumbricorum coacervationes variæ, epilepſiæ innumeræque aliæ affectiones, quibus, ſi non omnibus, ſaltem pleriſque etiam creſcentibus annis affligimur; his etiam ſæpe majora mala annumerari poſſunt, & quidem tam multa & varia, ut vix eorundem numerus efferri poſſit; & inter illa, modo ſeſe ſiſtit corpulentia & obeſitas nimia; modo conſumtio & extenuatio corporis, quam Atrophiam appellare ſolemus, ubi homo non ſtatuæ ſeu corporis viventis, ſed ſceleti & umbræ imaginem potius referre & repræſentare videtur. De quo ultimo affectu paucis hac in diſputatione agendum mihi propoſui. Faxit ergo Deus T. O. M., ut conatus mei cedant in Numinis ſui gloriam, proximique emolumentum & ſalutem.

§. I.

AD explicationem hujus affectus me convertendo definitio illius ſtatim proponenda, nempe Atrophiam conſiſtere in conſumtione partium corporis vel univerſali vel particulari, ubi de ſucco nutritio vel plane nihil ad partes alendas affertur, vel ſi quid ejuſdem deponatur, ille tamen male conſtitutus, & ad nutritionem rite & ex voto peragendam minus diſpoſitus exiſtat, cum inſequente totius corporis languore & inappetentia, inſequitur habitus corporis œdematoſus, urina utplurimum intenſe rubet, & ſolito minori quantitate excernitur. Et talis ſolet eſſe ſtatus & facies hujus affectus in principio; ſi vero altiores firmioreſque radices egerit, diutiuſque duraverit, ſolent ſeſe ſiſtere præter faciem Hippocraticam, conſiſtentem in temporibus collapſis, oculis retro intra cavernas retractis & veluti abſconditis, naribus acutis, malis prominentibus & ore hiante, ſequentia varia, nempe aliqualis reſpirandi difficultas, quæ omnibus languentibus ſolet communis eſſe, perſentitur; coſtæ, ſcapulæ, claviculæ & cartilago enſiformis multum eminent & incurvantur, ut & ſpina dorſi, circa articulos protuberantiæ quaſi attolli videntur, omnes partes muſculoſæ extenuantur & excarnes fiunt, verbo, ſola cutis flaccida, arida, & corrugata nuda corporis oſſa inveſtire ſolet.

§. II.

Diſtinguitur atrophia in univerſalem & particularem; univerſalis eſt, quando omnes totius corporis partes ſolidæ contabeſcunt & marceſcere incipiunt; particularis vero, quando hæc vel illa ſaltem pars, v. g. pes unus, relicto ſano altero, brachium unum, ſuperſtite ſalvo altero conſumitur & extenuatur, & hæc atrophia in ſpecie Aridura, Germanice **das Schrinden der Glieder** / vocari ſolet.

§. III.

Porro ab Autoribus practicis diſtingui ſolet atrophia in idiopathicam ſeu eſſentialem, & ſymptomaticam ſeu ſupervenientem & accidentalem. Idiopathica ſeu eſſentialis illa audit, quæ nullis prægreſſis & adhuc præſentibus morbis accidit a cauſis in ſequentibus adnotandis. Symptomatica vero illa dicitur, quæ vel ex præteritis vel adhuc præſentibus aliis morbis, ſanguini pravam conſtitutionem & labem imprimentibus, originem trahit. v. g. Sic præſente adhuc lienteria vel cœliaca paſſione, diarrhœa, paralyſi &c. atrophia ſupervenire poteſt, & illa recte dicitur ſymptomatica ſeu accidentalis. Item experientia Autorum practicorum conſtat & comprobatum eſt, ſæpe poſt variolas, ventriculum & inteſtina occupantes, item poſt ſcabiem intempeſtivis adſtringentibus retro pulſam atrophiam eveniſſe, & hæc itidem ſymptomatica jure dici debet; item quæ purgantia acriora & venena corroſiva inſequitur, uti exemplum hujus affectus ſuppeditavit matrona quædam nobilis in Belgio, cui loco mercurii dulcis ab imprudenti famulo pharmacopœo mercurius ſublimatus corroſivus cum fuerat exhibitus, poſt maxima ventris tormina tandem exulcerationem oſculorum vaſorum lacteorum incurrit, & deinceps totius corporis atrophiam & maciem extremam, atque ea aliquot menſes poſt miſere periit.

§. IV.

Differt atrophia a phthiſi incipiente pulmonali, quod *in* hac ſemper pulmones aliquo modo affecti ſint, cum dolore gravativo, reſpirationis aliquali difficultate, tuſſi, &c. in atrophia vero nullum horum ſymptomatum adeſſe deprehendimus, præterquam quod in progreſſu morbi aliqualis reſpirandi difficultas ſeſe manifeſtare ſolet, quam tamen non vitio affectorum pulmonum, ſed potius labe & defectu ſpirituum animalium, prout omnibus languentibus accidit, patiuntur. Præterea etiam phthiſis pulmonalis ſemper univerſalis, atrophia vero non ſemper univerſalis, ſed ſæpe etiam particularis deprehenditur, uti §. 2. dictum.

§. V.

Quadruplici modo ratione partis affectæ accidere poteſt atrophia, 1.) quatenus ventriculus nullum bonum chylum ſuppeditat, 2.) licet ſuppeditetur chylus, tamen propter vaſa lactea & capillaria arterioſa vel obſtructa, vel ſubſidentia ad partes alendas pervenire haud valet, 3.) Nervi ſpirituſque in illis contenti affici poſſunt, 4.) ipſa denique maſſa ſanguinea acrimonia exceſſiva peccare vel ſimili alio vitio inquinari poteſt, uti §. de cauſis patebit.

§. VI.

Cauſas antecedentes ſeu procatarcticas hujus deplorati affectus quod attinet, illæ reſpectu partium affectarum variæ eſſe poſſunt, utplurimum vero culpa referri poteſt ad ventriculum alimenta tam eſculenta quam potulenta non bene digerentem, ſive hæc prava digeſtio contingat culpa fermenti ventriculi, ſeu culpa & cauſa alimentorum aſſumtorum, propria ſubſtantia peccantium, & digeſtionem, converſionemque in laudabilem chylum haud admittentium, ſeu culpa ipſius ventriculi ſubſtantiæ morbo aliquo affectæ. Huc ſpectant errores circa ſex rerum non naturalium uſum commiſſi, v. g. ſi quis ſeſe tempore æſtivo nimium æſtuantibus ſolis radiis exponat; ſi quis nimium utatur alimentis craſſis, viſcidis, glutinoſis, acidis, (utpote vim coagulandi partes chyli gelatinoſas habentibus)& dulcibus, utpote facile fermentantibus, & acorem contrahentibus: ſi quis nimium ſeſe ingurgitet liquoribus ſpirituoſis, v. g. vino generoſiori, ut & ſpiritu vini, &c. Huc pertinet nimius & intempeſtivus ſomnus, nimiæque & exceſſivæ vigiliæ, quod & valet de motu & quiete; item alimentorum nimis ſubita ex ventriculo expulſio, antequam in ſatis laudabilem chylum converſa inviceemque commixta & digeſta fuerint, quod fieri cernimus in fluxu lienterico & cœliaco. Huc pertinet nimia ſeminis vel voluntaria vel involuntaria excretio, uti in nimio Veneris uſu & gonorrhæa contingit, it. nimia & intempeſtiva ſeri profuſio, uti in diabete accidit; item vehementiores animæ paſſiones, ira, mœror, terror &c.; Quantum enim hæc valeant ad digeſtionem alimentorum in ventriculo turbandam, eorumque diſtributionem impediendam, unicuique ex Inſtitutionibus notum eſſe arbitror.

§. VII.

Ex hiſce velut principalioribus & primitivis cauſis reliquæ velut ſecundariæ facile oriri poſſunt. v. g. vaſorum lacteorum & capillarium arteriarum obſtructio vel ruptio; item glandularum meſenterii induratio & veluti in lapideam ſubſtantiam converſio: variolæ ventriculum & inteſtina occupantes, hydrops, & inde nata vaſorum lymphaticorum ruptio. His enim ruptis non ſufficiens ſeri & lymphæ quantitas ad ſanguinem diluendum & fluidum reddendum eidem permiſcetur, unde defectu hujus ſeri & lymphæ ſanguis

ſanguis craſſeſcit, adurituroue, h. e. ſalia in ſanguine latitantia non ſatis diluuntur, quare potius loco partium balſamicarum partes illæ ſalinæ acres cum ſanguine ad partes alendas deferuntur, hæ vero partes acres ſalinæ potius a partibus abradunt, quam quod aliquid apponere debeant; it. lumbrici & ulcera partium ab interna cauſa producta, & ſi quæ aliæ fuerint cauſæ.

§. VIII.

Ex allegatis etiam cauſis facile nervorum obſtructiones vel compreſſiones, item ſpirituum animalium influxus denegatus & impeditus oritur. Deficientibus enim ſpiritibus humorum motus retardatur vel penitus aboletur pro minori vel majori nervorum ſpirituumque vitio, quod patet in paralyſi, luxatione &c., ubi quandoque atrophia oriri ſolet, & deduci poteſt aj ſanguine craſſiori obſtructiones faciente aut ſegnius fluente per partes paralyticas, utpote calcare & ſtimulo ſpirituum animalium deſtituuntur, quorum uſus ſecundarius eſt humorum motum per partes ſolidas promovere.

§. IX.

Tandem etiam cauſæ procatarcticæ reſpectu maſſæ ſanguineæ poſſunt eſſe variæ. Vel enim ſanguis peccare poteſt motu & quantitate, dum extra corpus profunditur, v. g. in vulneribus, hæmorrhagiis uteri, narium, hæmorrhoidum, dyſenteriis & aliis excretionibus. Vel peccare poteſt vitioſa qualitate, v. g. copioſiſſimis particulis viſcidis, glutinoſis & aqueis, in cachectica & hydropica diſpoſitione, vel ſalinis in ſcorbutica, vel acidis acribus & aliquo modo corroſivis in ulceribus partium tam externarum quam internarum. Hiſce & ſimilibus cauſis atrophiam progigni poſſe, ſtatim pluribus illius fiendi modis enodabitur & explicabitur.

§. X.

Cauſa atrophiæ proxima poni poteſt vel in defectu ſucci nutritii, ubi vitio ventriculi vel etiam alimentorum aſſumtorum culpa non elaboratur, vel ſi elaboretur, tamen hiſce vel illis partibus heterogeneis & ad nutritionem minime aptis abundat. Vel etiam cauſa proxima hujus affectus poni poteſt in denegato ſucci alimentitii ad maſſam ſanguineam & conſequenter totius corporis partes affluxu, ut licet bonus & in ſufficiente quantitate in ventriculo elaboretur chylus, ille tamen ad corporis partes alendas haud pervenire poſſit propter cauſas in antecedentibus annotatas.

§. XI.

Ut vero eo curatius & evidentius quis intelligat, quo fieri poſſit modo, ut homo antea vegetus, carnoſus & optimæ conſtitutionis poſtea umbram verius quam corpus repræſentare videatur, non incongruum eſſe duxi oſtendere, quo fato contingat, ut 1.) ventriculus, 2.) obſtructio vaſorum lacteorum & capillarium arteriarum, 3.) nervi & ſpiritus animales, & 4.) maſſa ſanguinea hunc corporis humani deploratum ſtatum producant.

§. XII.

Quod ventriculi ſtatum præternaturalem attinet, illius reſpectu poteſt oriri atrophia, quatenus alimenta aſſumta in laudabilem chylum haud convertuntur, uti in fluxu lienterico & cœliaco, ubi ante peractam digeſtionem nimis cito e ventriculo ejiciuntur & per alvum excernuntur, vel in internis ventriculi inflammationibus, tumoribus, & abſceſſibus, dum ſimili modo alimenta aſſumta nimis cito vel per os vel per alvum redduntur, antequam nimirum perfectam & debitam mutationem & concoctionem paſſa fuerint. Vel quatenus ventriculi menſtruum nimis debile, viſcoſum & glutinoſum exiſtit; quod etiam in cauſa eſt, quare alimenta, licet eupepta & boni ſucci aſſumta fuerint, tamen propter corruptam menſtrui digerentis & concoquentis indolem non rite ſubigi & in laudabilem chylum converti poſſunt, ſed loco illius boni potius crudus, viſcidus, glutinoſus, acris vel ſimili modo præternaturali vitiatus ſuccus ſuppeditatur & ad inteſtina deponitur. Hic vero vitioſus ſuccus alimentitius partim per ſe minus aptus eſt ad nutritionem perficiendam, partim etiam per accidens ad illam eſt minus conveniens. Per ſe minus aptum eſſe hunc ſuccum antedictis modis vitiatum ad nutritionem abſolvendam, ratio eſt, quatenus particulæ craſſæ, crudæ, acres, &c. corporis partibus haud aſſimilari valeant. Dein per accidens haud conveniens ſuccus nutritius ante enarratis modis vitiatus exiſtit.

§. XIII.

Cum ad oſcula vaſorum lacteorum in inteſtina hiantium pervenerit, neceſſario propter craſſitiem inſuetam ibidem ſtagnare, illa obſtruere, vel quocuncunque alio modo vitioſam diſpoſitionem in & prope illa producere debet, ſicque impedire, quominus ulteriori lege circulationis ſanguinis ad maſſam ſanguineam & conſequenter partes omnes totius corporis alendas pervenire queat. Deficiente vero ſucco alimentitio in partibus ſenſim ſenſimque excarnes redduntur, extenuantur, ſicque tandem atrophia producitur. Et hoc in caſu abdomen induratur, intumeſcit eodem, quo in rachitide ſolet evenire modo.

§. XIV.

Porro ſuperius in nervorum ruptionem, obſtructionem, vel compreſſionem, vel ſpirituum animalium defectum eorundemque pravam conſtitutionem cauſam atrophiæ proximam collocari poſſe diximus. Nervis enim obſtructis, vel compreſſis, vel ruptis, ſicque impedito ſpirituum animalium eos implere & inflere debentium influxu, neceſſario ſequitur, motum ſanguinis aliorumque humorum, utpote a motu, energia & activitate horum ſpirituum per nervorum tubulos libere fluentium & legitime conſtitutorum, dependentem valde immutari, retardari, vel penitus etiam pro majori vel minori partium læſione aboleri & cohiberi debere, ſic ut ſola vaſorum ſubſidentia, procedens a defectu ſanguinis vel ſpirituum animalium aut eorundem prava conſtitutione quendam atrophiæ gradum, licet minorem, introducere apta nata ſit; quod exemplo illuſtrari poteſt in perſonis macilentis. Videmus enim, manibus admodum calentibus vaſa ſanguifera magis turgida, parteſque obeſiores & latiores exiſtere. Dum vero ceſſat calor, & frigus activitatem & energiam ſpirituum infringit, ſicque partium illos continentium expanſioni reſiſtit, tum illæ partes extemporaneum quaſi atrophiæ gradum pati videntur, cutiſque flaccida evadit.

§. XV.

Tandem etiam cauſam proximam in ipſa maſſa ſanguinea reſidere poſſe, ſuperius dictum, & luce meridiana clarius eſſe puto, quod, qualis ſanguis, talis chylus, talis futura nutritio. Sanguine deficiente deficit chylus, deficit nutritio. Sanguine acri, corroſivo vel alio modo vitiato & inquinato exiſtente, loco chyli & ſucci alimentitii balſamici potius acris

acris & corroſivus plus minus ad partes alendas advehitur. Jam vero hic non apponi & aſſimilari poteſt partibus, ſed potius abradit ulterius particulas reliquas molles & balſamicas, ad partes corporis humani alendas deſtinatas vel jamjam appoſitas, ſicque illas extenuat, conſumit, & ad atrophiam diſponit.

§. XVI.

De ſymptomatum §. 1. recenſitorum explicatione ſollicitus ut ſim, non operæ pretium eſſe videtur, ſiquidem unicuique facile patet, per ſe hæc omnia ex dictis cauſis fluere atque procedere. Nutritione enim juxta naturæ leges haud rite procedente vel penitus deficiente ſpirituum animalium vigor & activitas, quam in omnibus tam corporis quam mentis operationibus exercere debent, imminuitur, unde *corporis totius languor*, *inappetentia*, *aliqualis reſpirandi difficultas* facile originem trahere poſſunt. Quemadmodum & *facies* ſic dicta *Hippocratica*, it. *coſtæ*, *ſcapulæ*, *claviculæ*, *cartilago enſiformis & ſpina dorſi multum eminere poſſunt.* Deprædata enim carne & pinguedine ſponte ſua hæ partes, utpote duriores & carne muſculoſa antea obtectæ, in conſpectum veniunt; & *quandoque incurvantur* hæc oſſa, quia ob muſculorum extenuationem, tendinumque exſiccationem & corrugationem elongari non poſſunt, ſic ut quaſi retrahantur & ad incurvationem invitentur & corrugentur a muſculis eorundemque tendinibus. *Circa articulos protuberantiæ quædam attolli videntur*, quæ ſæpiſſime præternaturales non ſunt. Cum enim vicina caro pinguedoque omnis conſumitur, articulationes neceſſario prominere debent, quæ protuberantiæ ſpeciem excreſcentiarum aut nodorum præternaturalium pluribus imponunt. Si vero præternaturales ſint in articulationibus nodi, dependent & oriuntur a materia terreſtriori & ſale copioſiori fixo ibi depoſito & ſtagnante, uti quandoque in podagra fieri cernimus. *Partes omnes muſculoſæ extenuantur & excarnes fiunt.* Si enim nihil ſucci alimentitii partibus apponitur, illarum extenuatio ſponte ſua ſequi debet. *Cutis erit flaccida & arida* propter defectum pinguedinis & ſucci nutritii balſamici, quo naturali & ſano cutis perfundi copioſiſſime debet.

§. XVII.

Signa diagnoſtica manifeſtiora ſunt, quam ut longa enumeratione indigeant, utpote ex ſymptomatum §. 1. enarratorum congerie & præſentia depromi poſſunt & debent, ex quibus tamen omnibus tanquam pathognomonica ſigna hæc duo eligere poſſemus, nempe languorem & marcorem totius corporis & inappetentiam ciborum.

§. XVIII.

Prognoſin quod ſpectat, affectus hic in principio lethalis nullo modo cenſendus; præſertim ſi Medici prudentis auxilium imploratur, leviſſimis tunc ſæpe remediis juſto tempore adhibitis tolli & curari poteſt. Quod ſi vero altiores firmioreſque radices egerit, parteſque pingues & carnoſæ extenuatæ & conſumtæ adpareant, non ſolum curatu valde difficilis, ſed etiam periculoſus & lethalis merito cenſendus erit. Solet enim patientes lento pede ad ſepulchrum ducere. Facilius vero curatur illa atrophiæ ſpecies, quæ ab acrimonia ſanguinis reliquorumque humorum ortum traxit, & ubi nulla alia viſcera labefactata & præternaturali modo affecta ſunt, quoniam acrimoniam illam per convenientem diætam & remedia tandem emendare & temperare poſſumus. Bonum ſignum eſt, & curationem & ſalutem ſperare & promittere licet, ſi coctio perfecta & bona ſeſe ſiſtat, ſi appetitus redeat, ſi vires recolligantur, & ſi non nimis diu duraverit. Et vice verſa malum eſt, ſi contrarium horum omnium accidat. Difficilioris vero curæ exiſtit atrophia, quæ ab obſtructione & induratione glandularum meſenterii, uti etiam, quæ ab exeſis vel ruptis vaſculis lymphaticis & lactiferis ortum duxerit, item ubi nervorum tubuli obſtructi, vel alio modo præternaturali affecti, ut in partibus paralyticis ſimul macie affectis videre licet, it. quæ majoribus luxationibus ſupervenit. Difficillime vero, imo vix ac ne vix quidem curari poteſt, quæ a nervorum ruptione diſciſſioneque ortum traxit, quoniam eorundem conſolidationem & agglutinationem per medicamenta licet optima haud promittere poſſumus. Atrophia ſymptomatica ſeu quæ aliis ſupervenit morbis, non prius curatur, quam morbi illi, quos concomitatur, curati fuerint, v. g. ſi vermibus ſupervenit, vermes prius curari & expelli debent; ſi diarrhœis, dyſenteriis, fluxui cœliaco, lienterico adjungatur, hi affectus prius curentur. Sic enim ſua ſponte atrophia ceſſare ſolet; quanquam etiam hæc atrophia ſymptomatica magis vel minus periculoſa cenſeri debet, pro magnitudine vel parvitate morbi, cujus eſt ſymptoma.

§. XIX.

Cura conſiſtit 1) in ventriculi vel ipſius menſtrui præternaturaliter affecti correctione & emendatione, 2) obſtructorum vaſorum lacteorum, lymphaticorum, capillarium arteriarum & nervorum, circulationem ſucci nutritii impedientium, reſeratione & deoppilatione, 3) maſſæ ſanguineæ forte nimia acrimonia peccantis attemperatione, 4) viriumque collapſarum in integrum reſtitutione.

§. XX.

De venæ ſectione quæritur, an in atrophia poſſit locum habere. Reſp. directe non; quoniam chylificatio & ſanguificatio per ſe imminuta valde & depravata eſt. Jam vero ſi vellemus per venæ ſectionem ſanguinem forte adhuc reſtantem detrahere, neceſſario malum malo adderemus. Præſervative autem in nimia ſanguinis copia poteſt locum invenire.

§. XXI.

Purgantia vero hoc in affectu aliquo modo locum habere poſſunt, præprimis in principio, etſi cauſa atrophiæ lateat in primis viis, h. e. in ventriculo ejuſque menſtruo haud bene digerente & concoquente alimenta aſſumta, vel inteſtinis interius glutinoſa & viſcida materia obſeſſis. Repurgatis enim & mundatis primis viis menſtruum ventriculi antea minus activum exiſtens ſui juris redditur, ut alimenta melius poſtea digerere & in laudabiliorem convertere queat chylum.

§. XXII.

Pro reſtituendo ventriculi menſtruo digeſtivo, eoque corroborando inſervire poſſunt ſic dicta ſtomachica, v. g. Elixir proprietatis Paracelſi cum & ſine acido, omnia amara v. g. Eſſentia abſynthii, centaurii minoris, cardui benedicti, galangæ, zedoariæ, citri, corticis aurantiorum, menthæ; quo referri debent omnia aromatica, calamus aromaticus, piper, cinnamomum, caryophylli &c. hinc inde in Practicorum ſcriptis magna copia annotata. Item digeſtiva omnia ex tartaro parata, v. g. cryſtallus & cremor tartari, liquor terræ foliatæ tartari, tinctura tartari.

§. XXIII.

Ad ſecundum curationis ſcopum obtinendum, nempe ubi vaſa lactea, lymphatica, capillaria arteriarum, & nervorum tubuli obſtructi fuerint, optime prodeſſe poſſunt omnia incidentia, attenuantia & aperientia, quo iterum referuntur cuncta aromatica, volatilia & ſpirituoſa ſeu ex regno vegetabili ſeu animali ſeu minerali parata, decocta lignorum, v. g. guajaci, ſaſſafras, ſarſaparillæ, corticis tamariſci, radicum capparis, fraxini, additis ſalibus fixis vel volatilibus, it. hic proficere poteſt ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplex vel aromatiſatus, ſpiritus cornu cervi, ſal volatile cornu cervi, ſal ammoniacum, it. ſalia fixa, terrea & abſorbentia, v. g. ſal ſcordii, centaurii minoris, cardui benedicti, abſinthii, oculi cancrorum, cornu cervi uſtum, ebur, mater perlarum, oſſa ſepiæ, mandibula lucii piſcis, dens hipopotami, it. martialia v. g. antimonium diaphoreticum ſimplex vel martiale, cinnabaris antimonii, tinctura martis aperitiva, crocus martis aperitivus, electuarium de chalybe, liquor martis ſolaris &c.

§. XXIV.

Tertia indicatio curativa conſiſtit in acrimoniæ ſanguinis forte præſentis correctione & attemperatione. Ad hunc itaque finem obtinendum conducunt omnia terrea abſorbentia & extremitates ſalium acrium obtundentia, uti ſunt omnes terræ ſigillatæ; v. g. Bohemica, Sileſiaca, Lemnia &c. in §. antec. jamdum notata. Huc etiam faciunt blandiora acida, v. g. ſpiritus nitri, ſalis, vel per ſe ſumti vel dulces facti, tartarus vitriolatus; it. pinguia, quo referuntur emulſiones ex amygdalis, ſemine papaveris &c. cum aqua hordei, lactucæ factæ, it. aquea majori quantitate aſſumta, v. g. potus thée, caffé, decoctum ſcorzoneræ, cornu cervi.

§. XXV.

Tandem cunctis ante recenſitis impedimentis remotis & curatis eo allaborandum eſt, ut corpus eupeptis alimentis recreetur, & vires ſenſim ſenſimque reſtituantur in priſtinum ſtatum. Propterea convenit recreare animum ægrotantis collocutionibus gratis & jucundis, dimittere illum in benignum & apricum aerem, imperare exercitia convenientia & moderata, exhibere alimenta eupepta & boni ſucci, ſed non nimia in quantitate, ne ventriculus adhuc debilis magis moleſtetur a nimia & copioſa alimentorum aſſumtione. Huc etiam referri poteſt cura lactea, quæ vero non inchoanda, niſi primæ viæ probe fuerint repurgatæ, & præſertim conveniunt lacticinia, ubi atrophia oritur ab acrimonia ſanguinis & lymphæ ſalſa muriatica; quoties vero eſt atrophia ex viſceris corruptela & ulcere vitioque ſtomachi, toties plus incommodi & detrimenti, quam utilitatis affert cura lactea, niſi prius hæ viſcerum internorum corruptelæ curentur, & vitia ventriculi plus minus antea corrigantur & emendentur.

§. XXVI.

Externe hoc in affectu conveniunt quoque inunctiones cum oleis ſpiritibuſque penetrantioribus factæ, v. g. cum ſpiritu & oleo lumbricorum terreſtrium, formicarum, oleo philoſophorum, ſuccini, caſtorei, juniperi, lauri Unguento nervino Auguſtano; Agrippæ, &c. it. balnea parari poſſunt ex aqua fluente cum incoctis herbis aperientibus, addito ſale ammoniaco & ſulphure &c. Hac enim methodo obſtructiones tam externarum quam internarum partium quoque reſolvi & diſcuti poſſunt.

§. XXVII.

Reliquas particulares curæ indicationes, v. g. ſi a vermibus vel alio morbo oriatur atrophia, nimis tædioſum eſſet hic locorum pertractare, cum apud Autores Practicos abunde docetur, qua ratione vermes, lienteria, cœliaca paſſio, luxationes, & ſimiles affectus curari debeant. Hiſce enim prius rite curatis atrophia ſua ſponte ceſſare & homo ſanitati reſtitui ſolet.

§. XXVIII.

Diæta pro diverſitate materiæ & cauſæ peccantis a Medico circumſpecto & prudenti facile imperari & ordinari poteſt conveniens.

DISSERTATIO MEDICA,

D E

MORBIS CUM COLORE CUTIS DEPRAVATO,

Primùm edita Anno 1714.

PRÆFAMEN.

DEUM T.O.M. in condendo hoc rerum univerſo eo reſpexiſſe, ut more, quem quidem inſtinctui ipſius debent primo architectorum, præter internam partium, ad uſus certos edendos, artificioſiſſimam diſpoſitionem & coordinationem, rerum omnium ac ſingularum ex omnipotenti ſuo FIAT productarum, faciem quoque externam elegantiis non paucioribus nec vilioribus, quibus ſe & ab extra commendent & de ſapientiſſimo ſuo creatore teſtentur, exornaverit, res eſt profecto, quam uti reliqua agnoſcamus piaque mente recolamus religio efflagitat. Potuiſſet equidem, quem in ſingulis exſtruendis intendebat, finis nihilominus obtineri, denegata etiamſi fuerit corporibus amœniſſima partium ſuarum externa multifaria configuratio, &, qua nunc ſuperbiunt, ſpecioſa polities, ita, ut arbores v. g. cæterarumque plantarum copia, nutritioni & conſervationi hominum æque ac brutorum inſervire valuiſſent, habitu quanquam ſimplici, nec, quæ partem hujus conſtituit majorem, venuſtiſſima ſane colorum diverſitate, præditæ extiterint. Hoc, cum imprimis machinæ quoque noſtræ hydraulico-pneumaticæ conceſſum ab ipſo ſit, ut præter innumera alia & ſatis nunquam laudanda beneficia, in colore externi habitus formoſiſſimo oſtentare ſe queat: de eo, & qui fiat ut deturpationem hujus facile incidat, agere hoc loco conſtitutum eſt. Cedant autem dicenda, in ſummi Numinis gloriam.

CAPUT I.

De Coloribus phyſice ſpectatis.

§. I.

DE origine & natura colorum quanquam magna apud Veteres fuerit diſceptatio, in eo tamen omnes cum Recentioribus conveniunt, eſſe cuncta memoratu de illis digna, a lumine derivanda. Hinc, miſſis prolixioribus, lumen inter & lucem, diſtinctionibus, illius naturam ponimus, in motu globulorum cœleſtium velociſſimo, per aërem, ad oculos noſtros, determinato; multis hanc ad rem facientibus, inducti, rationibus & experimentis.

§. II.

Globuli vero hi ætherei, in recta, a corpore luminoſo moti linea radios conſtituunt, qui ad alia corpora prolati, ibique pro horum natura varia, in motu ſuo debilitati, franguntur reflectunturve, modificati ita, a certa, ſuperficierum, in quæ impingunt, corporum diſpoſitione, colorum in nobis ſenſum pariunt; ſuppoſito quidem ex Geometricis, aliter ſe habere latera corporis elliptici, ac ſi ſub conica aut polyedrica illud veniat figura quæ ſola diverſitas exinde reſultantium angulorum, varios producat colores neceſſe eſt. Ut proinde non ſit, cur cum SCALIGERO eorum cauſas inter obſcuras referamus, cum noſtris temporibus tanta in phyſicis affulſerit lux, ut re penitius conſiderata, contra PLATONIS, Atomiſtarum, ipſiusque ARISTOTELIS ſcholas ſtatuere liceat: eſſe colores, nonniſi, luminis variam modificationem, quam hypotheſin quoque ſtrenue defendit Cl. BOYLE in *Tractatu de coloribus.*

§. III.

Ratio itaque varietatis colorum recte quæritur, in diverſa corporum partium configuratione; ubi ſcilicet quædam corpora non ſolum copioſioribus & cæteris majoribus prædita deprehenduntur poris, ſed & horum rurſus latera multam partem a ſe invicem diſcrepant, ut radii luminis in ea incidentes, vel in recta fere linea motum retrogradum inſtituant, & ob eorum copiam, colorem lucidum magis, lumini ipſi proximiorem progenerent; vel in alia plane incedendo via, multisque in corpus immiſſis inibique abſorptis, obſcuriorem & pro vario refractionis

ctionis gradu, plus minus ſenſibilem præbeant. Sed, cum hiſce plura addere hujus loci haud ſit: legantur, proficuum erit non minus ac jucundum, laudatus Boyleus *in Tr. cit.* inſtar omnium, Rohaultius, Sturmius, Scheuchzerus, Hambergerus *in diſſertatione de Iride diluvii*, & Newton *in ſua Optice*, ubi quidem hujus novæ, de coloribus, hypotheſeos mentionem facere decerer, qua ſtatuit, colorum varietatem conſiſtere ſolum, in gradibus refrangibilitatis, radiorum ſolis heterogeneorum, variis, & ea ſuperficierum modificatione qua majorem radiorum præ alterius generis reflectant copiam: quia vero jamjam Cl. Mariotte, *in Eſſai de Phyſique de la nature des couleurs*, & Celeb. Bergerus *in Phyſiol. Med.* ſuas de ea publicarunt ſententias, eas huc transferendi ſuperſedebo, & rei cupidos tam ad eos quam & alios, præteriti non minus ac præſentis ſeculi, fama clariſſimos Phyſico-Mathematicos remittam.

§. IV.

A Mathematicis non recedunt Chimici, ſtatuentes, colorum multifarias ſpecies deberi variis ſulphuris a ſalibus expanſionibus, concentrationibus, fixationibus, aliiſque modificationibus; quæ omnia egregie conſpirant cum Mathematicorum, in diverſa, radiorum lucis, ob diverſum partium illuminandarum ſitum, poſitum, aliaque ſuperius memorata, reflexione & refractione, poſita colorum ratione. Aliter enim v. g. ſe habent partes ſanguinis ſulphureæ, ac quidem ſalinæ, aut terreæ; aliter motu agitatæ fortiori quoad colorem, ac ſi quietæ magis ſint, nec a ſalibus attenuatæ & reſolutæ, quod & de aliis corporibus valebit. Quantum enim ſalia ad immutandos corporum poros adferunt, tantum quoque & eo ipſo, ad colorum geneſin faciunt. Et Geoffroy *in Memor. Acad. Reg. Scient.* fatetur, viſum ſibi fuiſſe colorem plantarum viridem conſtitui ex attenuato & cum ſalibus volatilibus pariter ac fixis ſucci nutritii remixto oleo, (ſulphure liquefacto, fluido) quæ ſalia, aqueis partibus fugam petitis, terreis ſeſe poſtea immiſcerent, unde & contingat, quod impedita aquearum ex herbis exhalatione alborem eæ induant, quia oleoſæ in aqueis valde diſcontinuatæ, pellucidæ offendantur. Manent ergo principia chimica in ſuo pretio, & hoc loco, tanquam cauſæ mediatæ, multum ad mutationem ſuperficierum corporum facientes. Sola autem ea, &, quod a Veterum nonnullis factum, negata Mathematicorum hypotheſi, ſufficere poſſe ad colores explicandos, difficillimum erit probatu.

§. V.

Qua ratione autem ob mutationem oculorum ſitus, radii quoque illapſi varie & aliter ac ſi in priſtino permanſerint, deflectant & colores præbeant diverſos, Celeb. Bohnius *in Circ. anat. Phyſiol. Progymn. XXVII.* exponit. Efficitur enim, uti omnis lucis, ita &, qui non niſi lumen ſunt, colorum ſenſatio, quatenus radii, ad oculos noſtros reflexi, occaſione horum ſtructuræ elegantiſſimæ, determinatum motum in cerebro ſiſtunt. Ubi quidem ſunt, qui putant, apparitionem colorum a motu aliquo interno, pariter ac ſi objectum externum adfuerit, fieri poſſe, ideoque non ſemper requiri, ut retinæ in oculo fibrillæ, ab extra inducto motu cieantur, quia, ſi ſimilis motus, ab alia cauſa, in qua lucis nullæ partes ſint, oriatur, imaginari quendam poſſe, ſe videre colorem, quem aliquando aut nunquam viderat, exemplo ſomniantium, mente captorum, vertiginoſorum, & aliorum: ſed, argumentum horum, maximam partem, innititur falſo fundamento, concluſione ſcilicet a ſtatu p. n. ad naturalem, facta. Boyle *l. c. p. 6. ſeqq.* Rohaultius *P. I. c. II. §. 19. & c. XXVII. §. 17.*

§. VI.

Præmiſſa itaque ex phyſicis aliquali, de coloribus, theorica generaliori, Phyſiologiam colorum corporis noſtri fluorum vitalium, aggrediar; relictis quæ adhuc de diſtinctionibus colorum in veros & ſpurios, quod eæ nullum habeant locum, & de alterationibus eorum, dici poſſent: proſecuturus deinde præfixum filum, qui ſint iſti morbi, colores noſtros venuſtos, deturpantes explicando.

CAPUT II.

De humorum vitalium coloribus, phyſiologice conſideratis.

§. I.

Utut maxime colores, corporis noſtri humoribus in genere adſcribendi ſint, quia pro varia partium eos conſtituentium mixtura, indeque enata ſitus poſitus & texturæ mutatione, admodum diverſas præbent lucis radiorum reflexiones, refractioneſque; quanquam & cutis ipſa, dubio procul pro cauſa ſocia nonnunquam habenda, omnium tamen colorum imagines præ cæteris corporis fluoribus, apta eſt in ſe recipere, aqua illa microcoſmica, lympha, cum in ſtatu ſano conſiderata, nullo conſpicuo appareat colore.

§. II.

Eſt autem illa, ex diverſis aliis præter aqueas pro baſi quidem ejus recte agnoſcendas, contexta partibus. Tenuiſſimæ inſuper ſunt illæ particulæ, ut acceſſum inveniant, ubi ipſe ſanguis excluditur, uti ex nutritione, quam ſub roris formam redactæ efficiunt, patet. Deprehenduntur hinc in illius contextu fibræ pariter ac in ſanguinis parte rubicunda, ſed exiliores &, pro reſtaurandis partibus a ſe invicem diſtinctiſſimis, heterogeneæ naturæ; quod idem evincitur a mutatione ejus inſigni per tempus in colore facta; ubi nimirum aliquot poſt paſtum horas, ex opaco lactea, longius autem digeſta & circumvecta diaphana conſpicitur. Wedelius *in Phyſiol. reform. c. IV.* Bohnius & Bergerus *l. c.* Pelluciditas hæc, uti omnis, ei adſcribitur partium ſuarum configurationi, ob quam lucis radii pauciſſimi reflectunt, ſed refracti in ejus ſuperficie tranſire, ſine impedimento poſſunt, niſi labe aliqua afficiatur & partes admittat, naturæ ſuæ contrarias, v. g. bilioſas, ſanguineas, in ſtatu p n. Verheyen. *Anat. L. II. Tr. I. c. XXII.*

§. III.

Conſtituit ea imprimis alborem corporis, tam naturalem, quam præternaturalem, quo de infra in Cap. *de cute.* Hoc loco tantum de albore in genere notetur, ſuperficies alborum corporum, convexas eſſe poſſe æque ac planas, ſed non ſemper & ſtricte, talem requiri partium figuram. Hinc diaphana, quale eſt noſtra lympha, in minutias plures redacta, multas acquirunt ſuperficies, intra anguſtum ſpatium quaſi cumulatas unde omnino reflexio radiorum, in majori copia alborem conſtituens derivanda; Boyle *l. c.* Quin itaque lymphæ puritati, copiæ & aliis accidentibus, albedo debeatur, tantum abeſt ut dubitemus, ut

ut potius ex hoc fundamento eleganter poſſit demonſtrari.

§. IV.

Alterum quo inundamur humidum eſt ſanguis, fluor ille rubicundus, maximam partem ex prægreſſo compoſitus; quo præſente bono vivimus, ex parte vero corrupto labem non unam nec levem ſæpe ſentimus ſanitatis: ut proinde vitæ rationem recte in illo ponant, quanquam non deſtituatur hæc cauſis pluribus ad eam conſervandam.

§. V.

Occupati fuere omni ævo, imprimis multi Veterum, mutatione chyli albedinis in ſanguinis ruborem explicanda, in eoque cum Recentibus conveniunt omnes, ut chylum, pro materia ſanguinis ex qua, agnoſcant, ea inducti inter alia ratione, quod ille liquor alimentitius, eisdem gaudeat partibus, quibus ſanguis ſcatet, globulis ſcilicet, ſitu tamen plane alio ac nunc, prout magis diviſi & in plures redacti ſunt, præditis, ſulphureis unitis cum magna lymphæ reliquæ parte. Obſervantur enim, ope microſcopii in ſanguine partes albicantes extenſæ æque ac in chylo, rotundæ, ſub ſpeculari in chylo forma hujus alborem ſiſtentes, ſed nunc adepta longe alia natura, figuram priſtinam deponentes; quam ob cauſam radii luminis non in tanta, ac in chylo fiebat, copia reflectunt, ſed major eorum pars abſorbetur. Hinc ex globoſa illarum figura, ad motum reliquis aptiori rubrum produci colorem, qui hunc in vorticoſo partium motu quærunt, adſerunt; non obſtantibus, ut putant, cæteris ſanguinis partibus, motui dicto minus adaptatis, cum iſtarum quantitas major, &, uti alias denominatio, ita & hic effectus, a potiori deducendus ſit; cui hypotheſi addictos invenimus haud paucos, ex ſupra recenſitis Autoribus, conquaſſationem quidem ſimul & mixtionem partium chyli ſulphurearum intimiorem, ad rubedinem ſanguinis deſiderantes.

§. VI.

Sed qui hancce globoſitatem pro ſola & unica cauſa dicti coloris adducunt, quantis premantur difficultatibus, experimentis non paucis & ratione ſuffultis monet Verheyen *l. c.* adferendo aliam opinionem, ac ſi ſal aliquod aëreum ad hoc naturæ artificium conſpiret; quo cum & ſentit Bohnius *l. c.* & Gladbachius *in Pr. Med. p. m.* 382.. Admiſſo autem quod ſal tale, ad rubedinem ſanguini conciliandam majorem, cui experimento vel ſoli & axiomati illi minus univerſali ob quod quid eſt magis tale, ob id eſt tale, innititur iſtorum hypotheſis, facere poſſit: tantum nihilominus abeſt, ut alterutra ex dictis cauſa, nec ſola alteraque excluſa, nec viribus conjunctis utræque ſufficiant ad exponendum plenarie coloris hujus ortum, ut potius ſtatuendum eſſe fateamur, concurrere quidem poſſe non ſolum has memoratas & debere ad immutandum chyli album in rutilum colorem; maximam vero negotii hujus partem deberi ſanguini ipſi præexiſtenti, ob partes ſuas ſulphureas, ſalinas, terreas, &c. ita modificatas, ut, cum accedente novo, occaſione ſæpius reiteratæ in viſceribus hinc inde corporis factæ agitationis, quiſquiliarum & irregularium a regularibus ſe- & excretionis, indeque exſurgentis exaltationis & quaſi rectificationis, talem nanciſcantur, & beneficio circularis inteſtinique motus, conſervent contextum, qualem requirebat eſſentia rubedinis: minus inde neceſſum eſt, cum Veterum aliquibus, ſoli hepati aut ſanguinis ſpiritui ſanguificationem concredere.

CAPUT III.

De Cute.

§. I.

OMnis color corporis noſtri, cum primario ſanguinis certæ figurationi debeatur; hic vero in vaſis, ad extremitates corporis uſque miſſis contineatur: cutim quoque multum, colorum ſpeciebus, variante ſua textura conferre, extra dubium eſt. Hinc, ut & hoc loco quædam de illa diſſeram, inſtituti mei poſtulat ratio.

§. II.

Miſſis vero aliorum, de cutis ſubſtantia, altercationibus, cum optimis Anatomicis, eam vulgo ſumptam, ex tribus diſtinctis partibus, una ſcilicet & extima cuticula, altera tunica dicta a forma ejus mucoſa, & tertia denique ipſa cute ſtricte nominata, compoſitam pronuncio; etiamſi haud deſint diviſionem hancce ægre ferentes, pluralitatemque ſic integumentorum communium deſtruentes; cum nihilominus cultro anatomico oculoque armato, a ſe invicem ſeparari poſſint apertiſſime; mos quoque in ſcholis medicis, per longam annorum ſeriem, ſit receptiſſimus, velamentis corporis noſtri conſignare numerum quinarium: tres facere ex cute partes, optime tolerandum fore, duco.

§. III.

Quas luſtraturi, ordine ducimur ad cuticulæ, ex meris ſquamulis minutiſſimis irregularis figuræ & ſibi invicem incumbentibus, juxta datas a Celeb. Leeuwenhoek *in Arcan. Nat.* obſervationes, conſtantis, contemplationem; relictis nimirum, an illa ex ſubjacentium exhalatione partium roriformi, accedente ſimul ab extra aëris preſſione, uti fit in chimicorum extractis; an potius, quod veriſimilius longe eſt, more cæterarum ex fibris partium, nutriatur, demtaque reſtituatur, ſubortis litigiis, intelligendum eſt, ſquamulas illas talem habere nexum ſitumve, ut ſibi incumbendo, tertiam tantum unius cujusvis earum partem in conſpectum mittant, latitantibus ſub ea, adhuc aliis tribus, refertis pariter ac reliquæ, ſtriis pellucidis, irregularibus; in quibus hinc inde globuli, ſextæ parti ſanguinei æquales inveniuntur: quo poſito, facile eſt dijudicatu, ex varia ſquamularum magnitudine, craſſitie, æqualitate & lævitate, arctiorique plus minus connexione, & quicunque ex his emergit, poſitu provenire debere, inſignes humorum ſub illis, in vaſis circulantium, habitus in colore mutationes; prout illi, radios a luce acceptos, oculis noſtris reddere tenentur. Quærenti igitur, unde tam naturalis, quam præternaturalis proveniat albor, in corpore noſtro, hæc erit danda reſponſio, eſſe ſquamularum expoſitarum, in tali ſtatu, ejusmodi factam in ſe invicem collocationem, ut, ad minimum, ternæ pellucidæ non admodum arcte ſint conjunctæ & ſibi impoſitæ, concurrente ſimul ſpeculari lymphæ ſanguinis maſſam rubram, vel decenti modo, vel plus juſto ſuperantis, figuratione; quorum illud in ſeroſioribus natura v. g. fœminis ac pueris, hoc autem in ſtatu præternaturali cachecticorum, aut antegreſſa ſanguinis aliqua enormi eductione, conſpici ſolet. Rubedinem vero, imprimis exceſſivam, oriri ſimul ex laxiori ſquamularum connexione qua parumper tantum, lateribus ſuis ſeſe attingant, inter alia, ex frictione colligitur, ubi

ubi hac facta, ſquamulæ antea ſibi incumbentes dislocantur, ut ſanguis ſub illis decurrens, facilius conſpici queat; non negato, quod & ſalia ſanguinis hoc ipſo motu eum magis exaltent, & ita diſponant, quo rubicundior evadat. Pari modo rem ſe habere cum reliquis quoque coloribus, crediderim nemo dubitavit.

§. IV.

Stante hac hypotheſi, facile conceditur, quibus placet cuticulam rurſus in duas vel tres ſubdividi lamellas; nec, & quod ejus colorem album attinet, refutandi, qui uti ad omnem, ita & hujus alborem, cum GASSENDO, corporum denſitatem deſiderant; pori enim minores & pauciores, utique impediunt radiorum lucis in illis abſorptionem, ſed reflectere hos jubent potius ea fere in qua admittebantur linea, & multitudine, uti per experimenta Boyleana luculenter conſtat. Condenſatio autem ejuſmodi, an frigore intenſiori cauſata, maxima ex parte corporum albedinem efficiat, res eſt dubitatione haud omni libera. Dicunt quidem, acceſſione frigoris, ſulphur ſanguinis non debite exaltari poſſe, hinc fieri, ut Nationes ad polum arcticum ſitæ, & animalia ibi nata, majori gaudeant candore, quam, qui verſus aliam mundi plagam, terram colant; pro experto ſimul venditando, animalia etſi per æſtatem alio incedant ſub coloris genere, ingruente tamen hyeme, eum ibidem cum albo commutatura; ſed, cum & extra illas regiones frigidiores, reperta ſint animalia, colorem fuſcum & quemcunque antea habuerint, certis temporibus ſeponentia & albore compenſantia, certi quid exinde concludere, frigus ſaltim pro cauſa maximum valente hoc loco allegare, fas minus erit.

§. V.

Contrariorum cum contraria ſit ratio, volupe fuit, data hoc loco occaſione, de Æthiopum nigredine aliqua proferre; quam quidem, a ſolis æſtu nimio cauſari clamitabant olim, & nunc nonnulli clamitant Phyſicorum libri, qui ut mihi perſuaſum habeo, tanquam cauſa concurrens, ad reddendum corpora nigriora, admitti poteſt; exemplo eorum, quibus ſors mediocris, in noſtris quoque oris, labores ſub Sirio ardente perficiendos mandavit, etiamſi plane nigri non fiant, nec & ad Nigritas noſtra deportata ſoboles colore ibi nigerrimo afficiatur: ſed, calorem ſolarem pro cauſa unica adferre ineptum fuerit hodie, imprimis Æthiopum nigredinis, de quibus notum eſt, infantes eorum apud nos, imo in frigidiſſimis natos terræ locis, nihilominus parentum colore tingi, quod tamen, ſi calor eum produceret ſolum, minime fieri poſſet. Aliæ itaque & plures erunt cauſæ adſpirantes, inter quas BOYLE *l. c.* ſeminalem impreſſionem ponit, roborando hocce ſuum effatum aliis ex varia imaginum impreſſione, enatis coloribus vitioſis, nævis nominatim maternis, &c. KENELMUS DIGBY; Hinc, rectiſſime, notante illo, opinandum cenſeo, potuiſſe ſtirpem Nigritarum incipere, nullis quanquam filiorum Noachi, per complures generationes præcedaneas, iſto colore imbutis. BECCHERUS *Phyſic. ſubterr. L. I. S. IV. c. IV. p. m.* 215. Sic videmus toto die matrem albiſſimam pluribus vicibus eniti nigros infantes, patre eodem ſtipato colore. Erronea proinde quoque eorum eſt opinio, qui volunt, nigritiem illis gentibus ex damnatione Chamo a DEO facta, pœnæ loco, impoſitam fuiſſe; cum color hic, tam apud extraneos Indorum quoſdam populos, pro ornamento habeatur tanto, ut & vel ipſum Cacodæmonem, quem valdopere timent, albiſſimo pingant colore, dignitatis cauſa in qua ipſis venit nigredo, quam nobis Europæis ipſis, pulchritudinis partem conſtituat, ut & puellæ nigricantibus capitis ciliorumque pilis præditæ, tinctura hacce ſuperbiant.

§. VI.

Formalitatem hujus in Nigritis coloris, ponunt equidem nonnulli in cuticula, innixi potiſſimum hoc fundamento, conſpici nimirum poſt variolas in illis ſanatas, maculas albicantes, teſtantes, ut putant, ſatis abunde, ultra hanc regionem non exercuiſſe vim ſuam variolas: ſed robore caret hæc argumentatio, cum experientia probaverit, alteram ſub cuticula jacentem, & nunc explicandam, ſimul una cum illa, exulcerari in variolis, ideoque hanc ipſa potius, pro termino ultra quem color ille non trahatur, erit agnoſcenda.

§. VII.

Eſt autem illa quam ſuperius indicavi tunica dicta a ſimilitudine, quam ejus ſubſtantia cum mucis habet, mucoſa. Separata artificio cuticula, corpus hoc, reticulare quoque nominatum, ſtatim apertum fit. Autor ipſius prædicatur MARCELLUS MALPIGHIUS P. P. Med. Bonon. quem TAUVRY & RUYSCHIUS ſecuti, in eo illi conſentiunt, ut tunicam hanc pro peculiari corporis involucro pronuncient; WELSCHIUS vero *in Tab. anat. XXVII.* & VERHEYEN *in Anat. C. H. p. m.* 35. pro parte tantum cutis exteriori, eam agnoſcunt. Sed, præter dictum MALPIGHIUM, Celeb. PECHLINUS *in Tractatu de habitu, & colore Æthiopum*, ſufficienter demonſtravit, eſſe eam non ſolum involucrum, a cuticula & cute, quas inter jacet, diverſum, ſed & cauſam proximam coloris omnis in corpore humano; imprimiſque conſpicuam admodum in Æthiopibus, ſimulque pingui & atra quaſi fuligine refertam; qua abraſa, nigerrima eorum corpora ad album redeant colorem, relicta veſte nativa; quam ſpecialem conſtitutionem in illis, & calor ſolis intenſior, & reliqua vitæ ratio, a noſtra multis modis aliena, adjuvare poteſt. VERDUC. *Oper. chir. P. I. c. XIII. p. m.* 219. Gaudet inſuper ea innumeris foraminulis, in quibus ſudoris vaſcula & multæ papillæ pyramidales nervoſæ deprehenduntur. MALPIGHIUS *in Oper.* BOHNIUS *l. c. p. m.* 314. MAURITIUS HOFFMANNUS *in Idea Mach. hum. p.* 7. WEDELIUS *in Phyſiol. reform. p.* 90. & alii, cum quibus erudite ſentit WALDSCHMIDIUS *in Diſſ. de colore Æthiop. Oper. Tom. II. inſerta*, adjiciendo, apparuiſſe ſibi hanc tunicam, in ſuperficie infinitis ſcrobiculis præditam, a quibus radii lucis in eam incidentes maximam partem in Æthiopibus abſorbeantur, pauciores vero reflectant, unde color niger. Veriſſimam denique eſſe hanc ſententiam, oſtendit obſervatio LEEUWENHOECKII habita in Æthiopiſſa quæ vid. *l. c.*

§. VIII.

Cutis, κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, ob retiformem, ex quibus conflatur, vaſculorum omnis generis contextum, jamdudum a PLATONE cum naſſa piſcatoria comparabatur. Dubia circa ejus poros mota leguntur apud modo citatum LEEUWENHOECKIUM; quomodo autem illi in munere ſuo fungendo ſe habeant, pro more ſuo, ingenioſe exponit WEDELIUS *l. c. p. m.* 336. quorum, contra MALPIGHIUM, negatas valvulas, ſtricturæ & relaxationi eorundem dicatas deprehendimus apud BOHNIUM *l. c. p.* 209. Reliqua, & quæ minus noſtro ſcopo conveniunt, de illa notanda, habent FERNELIUS, VESLINGIUS, BARTHOLINUS, HAFFENREFFERUS *in Noſodoch. Cutis*, MALPIGHIUS, PECHLINUS, RUYSCHIUS, MAURITIUS HOFFMANNUS, *l. c.*

§. IX.

§. IX.

Quod ſi nunc hactenus dicta colligere paucis velimus, optime patebit, colorum omnem corporis noſtri eam eſſe rationem, ut prout ſanguis partium ſuarum bonam ac genuinam obtinuerit mixtionem, exindeque ſubnata hac vel illa textura, partiumve dictarum ſitu vario gaudeat, in minimis ad cutim productis vaſis, circulum ſuum obeundo, ob pellucidam cuticulæ ſubſtantiam, concurrente ſpecifica tunicæ mucoſæ diſpoſitione in uno individuo præ altero admodum variante, color quoque hic vel alius exſurgere debeat. Recenſere autem hoc loco ſingulas fluorum vitalium, in colore, diverſitates, occaſione quarum quælibet lucis modificatio, tam in ſtatu naturali, quam præternaturali contingit, & coloris ſenſus nobis imprimitur, ſupervacaneum eſſe reor; cum ex præmiſſa partim colorum, partim ex illorum, qui ex inſtituto colores tractavere, fundamentis poſſint ſuppleri.

CAPUT IV.

De morbis cum colore cutis depravato, & ſpeciatim de Cachexia & Ictero.

§. I.

Cutim, qui humanum eſſe veſtimentum dixere cum Herophilo, quia corpus & muniat & colore ſuo hominem quaſi oſtendat, puta ſtatum ejus bonum vel malum, non incongrue id fecere. Præbere hinc eam colore ſuo certum de ſucci animalis conſtitutione ſignum, cum Galeno *L. IV. de tuend. valet. c. VII.* fatentur omnes, adeo ut non ſolum corporis, ſed & ipſius mentis ægritudines ex colore externo dijudicarint; & recte quidem, cum per dicta, omnis cutis color ſanguini ibidem circulanti adſcribendus, & qualis ſanguis talis quoque, & viceverſa, inveniatur color. Galenus *l. c.* Levinus Lemnius *in Tr. de habitu corporis, p. m.*45. *ſeqq.* Haffenrefferus *l. c.*

§. II.

Naturalem & de ſanitate teſtantem colorem conſtituit qui ex albo ruber eſt; uti autem hoc præſente certiores reddimur eſſe ſanguinis partes ita mixtas & cum ſero contemperatas, ut hoc illas decenter diluat iiſque præbeat vehiculum: ita & craſi hac varie turbata maſſa ſanguinis colore peregrino conſpicitur, & accedente demum ejus in tunicam mucoſam effuſione, prout partes hic ſubſiſtentes figuratæ & conſtitutæ ſunt, cutis quoque colorem deturpat, quod in ictero aliiſque nunc pertractandis vitiis videre eſt. Quanquam autem in omni ſanguinis vitio, per jam dicta, color ejus naturalis in peregrinum vergat, & hoc ipſo, ſi latius terminum ſumemus, omnes morbi in fluoribus noſtris radicati ad depravatorum in colore claſſem pertinerent: tamen eos tantum hoc loco tractare conſtitui, quorum vel ſignum pathognomicum ſimul præbet coloris cutis mutatio, in tempus conſtans (de viciſſitudinibus enim coloris, in paroxyſmo febrium, lipothymiis, & alibi conſpiciendis ſermo hic non eſt) vel qui hanc ſaltim conjunctam habent, ſecutus in hoc labore, quod lubens fateor, inter alios B. Moebium, Profeſſorem quondam Jenenſem celeberrimum, & quem in ore fert omnis Medicorum cohors Illuſtrem Wedelium, qui de his ſub ſymptomatibus qualitatis in colore mutatæ ſermonem fecere, ex fontibus dehinc, quibus utplurimum natales debent, eos derivando.

§. III.

Primus eorum ſit Cachexia, ſeu malus habitus, non ſolum ob externi coloris pravam conſtitutionem, pallidum ſcilicet, lividum, plumbeum aut fuſcum, ſed & quod partes internæ tunc valdopere laborent vitiis pluribus, actiones ab illis dependentes deſtruentibus, morbumque hoc pacto & diuturnum & periculo haud vacuum producentibus. Cauſa hujus immediata recte ponitur in ſpurie abundante & prava nutritione a ſanguine ſeroſiori, craſſo, & viſcido laudabilibuſque partibus deſtituto, vappido, proveniente; quam dyſcraſiam ei inferunt, ex rebus naturalibus, ætatis, ſexus temperamentique diverſitas; ex non naturalibus, læſiones primæ ac ſecundæ digeſtionis; omnium autem maxime præternaturales ad eam conſpirant. Quod ætatem concernit, pueri & ſenes, illi ob calorem & tonum viſcerum nondum ſatis firmum, hi autem ob eos debilitatos, malum hoc incurrunt frequentius. Hippocrates *S. III. aph.* 31. de temperamento ſanguineo, plethoræ viam ſternenti, & ſexus ſequioris ſerioſiori res in proclivi eſt. Primam autem, ſi vitio ex aſſumtis minus convenientibus, v. g. cibis craſſis ac crudis, vel aliunde accerſito laboret, digeſtionem, labem hanc ſuam, juxta tritum illud axioma: qualis chylus, talis ſanguis, ſecundæ ſollenniter affricare, eo minus nos dubitare facit, quo frequentius experientia innotuit, & in ratione magis fundatum eſt, tantum abeſſe ut chylus iners, qualem alimenta & ſolida & fluida male notata porrigunt, ſanguini laudabili, & qui ad probam ac genuinam corporis ſuſtentationem requirebatur, conficiendo aptus ſit, ut potius, partes hujus integrantes largiendo, hunc varie inquinet; quo fit, ut affecto hoc, actiones, maxime naturales, in corpore labefiant, exortis hinc inde in viſceribus, ſe- & excretionibus ceſſantibus ſupervenientibus, impuritatum congeſtionibus, fluores & in craſi & in motu, dum ipſis remiſcentur, afficientibus, unde nutritio prava ex ſero illaudabili & peregrinis ſcatente partibus, pro varia earum perverſa figuratione, colorem nunc hunc, nunc alium ponentibus, deducenda. Poſſunt tamen & præter recenſitas plures concurrere cauſæ, uti ſunt, aer ipſe craſſus, frigidus ac nebuloſus, motus vel nimietas vel defectus, ſomnus parcior aut debito longius inſtitutus, & quæ ſunt ſexcenta alia, imprimis præternaturalia, v. g. diſpoſitio ſcorbutica, unde & datur cachexia ſcorbutica, obſtructiones item vario productæ modo, febres tum per purgantia, præcipitantia intempeſtiva, tum venæſectionem largiorem, ſiniſtre tractatæ, ut taceamus plura.

§. IV.

Præter colorem luridum & pravum, de mali præſentia, ſigna præbent virium dejectio, cibi faſtidium, palpitatio cordis, reſpiratio difficilis, ſomnus gravis, urina pauca, œdematoſi circa pedum talos tumores, gravitas totius corporis & turgeſcentia ventris. Lento procedit gradu & per multum tempus trahitur, ubi tunc potius *Leucophlegmatiæ* nomine venit ſeu proximioris ad anaſarcam gradus: Hippocrates *S. VII. aph.* 74. Non differt proinde ab hoc malo affectus ille fœmineo ſexui adeo familiaris ut & morbus dicatur virgineus, quia hæ cæteris frequentius eo decumbere viſuntur, *Chloroſis* nominatus. Eadem enim cauſa hujus ac illius eſt immediata, mediata ſolum eo redeunte ut plerumque menſium emanſionem ſequatur, hinc & iiſdem comitatur ſignis & ægræ affliguntur ſymptomatibus. Color enim

enim redditur admodum pallidus, plumbeus itidem, ut & ad normam diviſionis febrium Hippocraticæ, in albas, rubras, &c. febris alba, amatoria autem, quia non raro quæ amore vexantur fortiori, præ aliis, eo laborant, appelletur. Icterum quoque vocant album cum easdem cum vero ſæpe agnoſcat mineras. Ex nimio autem ſi menſtruorum fluxu oriatur, potiori adhuc jure ad ipſam pertinet cachexiam, quam & ab uteri hæmorrhagiis per annos duos paſſis cauſatam vidit Poterius *Cent. III. c.* 49. Hinc non video qualis metuenda ſit periculoſa hujus cum cachexia proprie dicta confuſio, quam aliqui notatam volunt, inveſtigentur modo ex quibus ſuccreverit malum cauſæ. Diuturnus cæterum quoque eſt affectus & hydropi, ſterilitati, ſyncopi aliisque fores pandit. Langius *Epiſt. Med. L. I. epiſt. XXI.* Gladbachius *l. c. p. m.* 198.

§. V.

Curatio itaque acceleranda eſt ne vergat in hydropem. Indicantia autem ſunt 1. primarum viarum ab humoribus craſſis & viſcidis repletio; 2. Maſſæ ſanguineæ viſciditas, & denique 3. viſcerum a tono dejectio: illi partim ejiciendi, partim corrigendi, hæc vero roboranda. Prius optime fiet educentibus lenioribus, nominatim foliis ſennæ, tamarindis, mechoacanna alba, manna, aloe, rhabarbaro, &c. præmiſſis humores præparantibus, nec ſimul & ſemel effectus inde deſideretur, cum more omnium chronicorum malorum uni vix cedat ictui. Sunt qui purgantibus præferunt vomitoria, quæ, quamvis ob fixitatem humorum peccantium, & ventriculi reliquorumque viſcerum ut plurimum labefactationem vix tuto, ſaltim minus ac purgantia admittantur: inſignis tamen ea nonnunquam in chloroſi fuiſſe uſus experientia loquitur. Ballonius, *de morb. virg. & mul.* Spindlerus, *Obſ. Med.* Musitanus *de morb. mul.* Præparantia ſint ſalina, volatilia & fixa, v. g. ſal cornu cervi, fuliginis, eboris, ſpiritus ſalis ammoniaci, tartari, ſal abſinthii, tartarus vitriolatus, reſolutus; alcalina, lapides cancrorum, corallia, cornu cervi uſtum: quæ omnia viſcedinem & lentorem ſanguinis egregie corrigent, data aliquot ante purgationem dies.

§. VI.

Impetrato quem hæc dabunt effectu ſecundæ ſatisfacient indicationi, ſudorifera, ſerum vappidum & craſſum ulterius attenuantia & per cutim hoc loco viam regiam eliminantia, uti ſunt, ſpiritus cornu cervi ſuccinatus, tartari eſſentificatus, viperarum, bezoarcus Buſſii, mixtura ſimplex, & alia, v. g. antimoniata, antimonium diaphoreticum ſimplex & cachecticum martiale, oſſea, unicornu foſſile, ebur, cornu cervi, dens apri, Hippopotami ſine igne præparata &c. Præferuntur ab aliquibus fixiora volatilibus, quia hæc motu ſuo velociori vaſcula obſtructa violarent magis, & pericula hoc pacto gignerent majora, quod tamen de ſolo & immoderato eorum uſu accipiendum. Interpolentur hiſce cum maximo ſucceſſu diuretica, nominatim tinctura tartari acris, antimonii, ſpiritus ſalis dulcis, aperitivus Penoti; ſalia lixivialia omnia; teſtæ ovorum, aſelli, cochenilla, rob ebuli, radices chinæ, ſarſaparillæ, aſparagi, ruſci, vincetoxici, ſemina quatuor frigida majora, milii ſolis, baccæ alkekengi, &c. non omiſſis aperitivis, imprimis martialibus, v. g. croco martis ſulphurato, pulvere cachectico Quercetani, tinctura martis pomata, cydoniata, helleborata; porrigantur autem martialia magis in forma liquida, & ventriculo adhuc robuſtiori. Maximam hæc laudem merentur in chloroſi, imprimis a menſium vitioſa retentione producta, venæſectione tamen ſimul in auxilium petita, inſiſtendo poſtea alterantibus pluribus, aperitivis vegetabilibus, decocto aut infuſo ex radicibus aperientibus, herbis veronicæ, hepaticæ, fumariæ, ſcolopendrii, centaurei minoris, ligno ſaſſafras, &c. parato; reliqua curatio cum illius convenit. Tertia demum indicatio imperat quæ ſanguinis balſamum reſtaurant, dicta ſtomachica, & roborantia, v. g. aromata omnis generis, cortices cinnamomi, coſti albi, caryophyllos, nucem moſchatam, cardamoma, &c.

§. VII.

Diæta exacte ſervetur, fugiendo omnia, quæ ſub mali cauſis recenſui; ex medicamentis autem abſint incraſſantia, adſtringentia & ipſa nitroſa. Motus corporis, ſi vires adfuerint, ſit frequentior; animi autem nonniſi moderatus. Morale præterea, chloroſi ex deſiderio in perſonam amatam fortiori ſubnatæ, remedium aliqui præſcribunt, ſuadentes ut faciant ægræ quæ ipſis religio & circumſtantiæ reliquæ politicæ concedant. Raymundus Fortis, *de morb. mul. T.* 1. *Conſiliorum*, Henricus Regius, apud Craanium, *Medic. L. IV.*

§. VIII.

Ob affinitatem, & quia ſæpius cachexiæ natales debet, de Ictero nunc dicam. Definitur quod ſit flavus corporis color a ſanguine (ſtrictius ſero) bilioſiori in cutis poros effuſo: altera enim ejus ſpecies niger, cum tantum gradu ab illo differat, peculiarem non meretur definitionem. Data hinc immediata illius cauſa, mediatæ, quæ plures ſunt, inveſtigandæ veniunt.

§. IX.

Copia nimirum & volatilitate nimia ſi peccet bilis in ſanguine per aſſumta calidiora varia, aut motum fortiorem, venena vel per os, vel morſu animalium rabidorum communicata, inductis, (quo de Marcellus Donatus *in Hiſt. med. mir. L. I. c. VII.* Zacutus Lusitanus *Med. Princ. L. V. hiſt.* 29.) ægerrime ſanguis depoſitionem in hepate partium bilioſarum concedit, tranſeundo potius ob motum illarum velociorem, unde per cavam cordi reaffuſus, ad peripheriam corporis fertur, quo fit ut bile magis exaltata, ingreſſus ipſius in ſerum quoque non impediatur nutritium, corporis flavedinem producens. Quodſi vero ſanguis, imprimis ex cachexia craſſitie & torpore laboret, ut ſecernendæ ab ipſo non ſegregentur, ſed ob implicationem & inviſcationem majorem remixtæ ei maneant bilioſæ in hepate dimittendæ, & partim pro conſervatione in appenſum huic folliculum, partim per ipſius peculiarem cum hujus deinceps in unum coeuntem canalem inteſtina verſus digeſtionis alimentorum perficiendæ, clyſterisque naturalis conſtituendi cauſa devehendæ partes: & ſi quidem nonnullæ retineantur & arceantur a pororum quam præſtitere obſtructione, augendo tamen hancce, ſegregationem ulteriorum impediunt.

§. X.

Quod cauſas remotiores & quidem naturales attinet, temperamentum ſanguineum, ætas media & ſenilis huc referri poſſunt; in non naturalibus autem recenſendis obinde multus non ero, cum plerumque cum cachexiæ cauſis conveniant, unde & ipſa ira accuſationem incurrit. Maximam malo oriundo occaſionem præbent diſpoſitiones ad morbos, aut hi ipſi prægreſſi, præternaturalium nomine venientes, quas notatas ab Autoribus plures attendimus, inter omnes tamen caput extollentem obſtructionem hepatis, hujusque

jusque ſcirrhum, aut plurium viſcerum v. g. in malo hypochondriaco, & ipſa cachexia, ubi chronicum plerumque exiſtere ſolet. Hinc & qui calculo adfliguntur, ob hujus ad obſtruendos hepatis quoque poros valde proclivem materiam, facile icterum incidunt, & vice verſa. Rariſſime autem obſtructioni eum deberi tam qui cum ETTMULLERO *T. II. P.I. p.* 444. & PECHLINO in *Obſ. Phyſ. Med. L. I. Obſ.* 88. adſerunt, quia praſente ea ab ictero tamen immunes reperti fuiſſent, quam & qui contra, quod abſente ea malo puniri notatum ſit, contendunt, obſtructionem potiſſimum fellis ſolliculi hujusque ductus intelligendo, eamque hoc pacto ex cauſarum numero excludendo, inducti, quod ictericorum ſæpe & urinæ & fæces, ſatis a bile, quia huic ad inteſtina viæ pateant, conſpiciantur tinctæ; hi quidem, monſtrato ipſis quod non ſemper particularis illa obſtructio in cauſa ſit in quolibet ictero, ut & quod duplex ad inteſtina reperiatur bilis via, quarum alterutra etiamſi, inprimis ex cyſtide, obſtructa, altera tamen, per quam, ſcilicet hepaticum ductum, maxima ejus & continuo fluxu derivatur copia, incolumis exiſtere, & inteſtinorum contenta liquore iſto balſamico conſpergi poſſint, & illi ab experientia præſtantiſſimorum Practicorum convincuntur. BONETUS *Sepulchr. L. III. S. XVIII. Obſ.* 8. BORELLUS *Cent. I. obſ. IV.* PANAROL. *Pentec. V. Obſ.* 22. ALEXANDER DEODATUS *Valetud. p.*248. *M.N.C. Anno* 1673. *Obſ.* 266. & *Dec. I. A. I. Obſ.* 87. MOEBIUS *Fundam. Phyſiol. c. XVI.* RHODIUS *Cent. II. Obſ.* 3. & 96. BLANCARDUS *Anat. Pract. Rat.* SCHENKIUS *L. c. III. Obſ.* 37. *&c.* Spaſmos vero non ſolum ipſius choledochi, monente MOEBIO *in Epiſt. Inſt. Med. L. II. P. III. c. XIV.* aut ventriculi & duodeni, malo tunc tranſitorio nominato ab Illuſtri D. Præſide *in Diſſ. de Compend. & Clin. Pr. Morb. ex aton. viſcer. ort.* ſed & remotarum partium, in colica, partu difficili, &c. auctore HOECHSTEDTERO *Dec.VIII.p.*198. paſſioneque hyſterica ad obſervationem ETTMULLERI *T.II.P.II.p.*106. icterum ſubſequi, non minus ac febres male curatas, ipſasque continuas, ubi criticus magis evadit, in ratione fundatum eſt. Ut taceam quem ex ſola nuncii icterici adſpectione MARCELLUS DONATUS *l. c. L. II. c.* 11. & a ſeminis ſtaphidis agriæ comeſtione vidit LOSSIUS *L. III. Obſ.* 38. ut & alvi pertinacem adſtrictionem excipientem, notatum ab ETTMULLERO *l. c. p.* 357.

§. XI.

Diviſio mali in flavum & nigrum obinde non admittitur ac ſi ſpecificum quid ex liene, juxta commentum Veterum acidæ naturæ ad hoc concurrat, quod aliqui noſtrum activum valde adpellant, ſecuti fortaſſis in hoc FERNELIUM *in Pathol. L. VI. c. VIII.* ETTMULLERUS *T. I. p.* 227. GLADBACHIUS *l. c. p. m.* 308.: ſed quod ſtatus hujus omnino ab illo differat gradu, & graviora hinc omnia ſint ſymptomata, colore itidem nigro conſpicuo. Poſſe tamen lienem diſpoſitive ad omnem icterum, maxime & ad hunc ſuum facere, non negari debet, quam in rem quoque facit elegans illa BONETI obſervatio, qua, a viſceris hujus plenaria abſentia icterum atrum fuiſſe excitatum, conſtat *l. c. Obſ.* 27. modo non adducatur ſolus, quod jamdudum FORESTUS *L. XIX. c.* 20. SENNERTUS *Pr. L. III. P. IV. c.* 11. PLATERUS *Pr. T. III. L. I. c.* 22. & WALÆUS ventriculum ſimul accuſans, *Pr. C. III. & XVIII.* docuerunt. Capſulæ denique atrabilariæ quomodo huic malo inducendo operam ſuam navent exponit Ill. WEDELIUS in *Pathol. Dogm. p.* 386. Alteram autem quam illi ſuperaddit LOMMIUS *in Obſ. Med. p.* 220. icteri diviſionem in eum videlicet, qui ex hepatis inflammatione cum dextri hypochondrii gravitate, dolore, febrique ardenti, ortus, &, qui ex febrium bilioſarum criſi ſubnatus viſatur, minus genuinam & neceſſariam profiteor.

§. XII.

Pro varia mali hujus cauſa variant quoque ſigna, ope quorum intelligitur, a qua inductus fuerit. Prægrediuntur in genere, anxietates præcordiorum, difficilis ſpiratio, anorexia, dolor lumborum gravativus, pruritus totius cutis, maxime in dorſo, vertigo, cephalalgia, &c. Præſens facile cognoſcitur ex ipſo colore flavo aut nigro, albuginea oculorum flava reddita, urina craſſe colorata, imprimis in confirmato, nigra in nigro, ſapore oris amaricante, ſiti intenſa, ſi ab obſtructione cholodochi totali provenerit fæces albicant, alvus eſt pigra, urina craſſa. Minor eſt virium dejectio abſente febri; a copia bilis excitatus & fæces & urinam tinctas præbet cum calore totius & febri. Si a veneno communicato oriatur, præter ipſam ſuſpicionem, lipothymiæ, ſyncopes & alia invadunt. Criticus vero febres excipiens atque terminans facile ex die quo incidit colligitur. HIPPOCRATES *S. IV. aph.* 62. & 64. *Coac.* 121. In nigro omnia ſunt graviora.

§. XIII.

In curatione ſi fons ejus ſolennis dicitur & eſt cachexia, ea quoque omnia convenient, quæ illam tollere valent. Removeatur itaque ſi a cauſa frigida ortus fuerit, in primis viis hærens ſaburra, bilisque inertiæ & viſcerum obſtructionibus ſuccurratur. Prius expedient evacuantia, purgantia & vomitoria, præmiſſis ſub cachexiæ cura dictis digeſtivis, quæ proinde ut & purgantia hoc loco non repetam, notari tamen velim datis ab initio lenioribus ad fortiora eſſe progrediendum, uti ſunt Reſina gialappæ, ſcammonei, Gummi de Peru, agaricus, helleborus niger, quanquam hæc, cum limitatione tamen, rejecta videas a WALDSCHMIDIO *Pr. T. I. p. m.* 276. & 841. LUDOVICO *in Pharm. p. m.* 234. Vomitorium tutiſſimum conſtituant tartari emetici grana tria vel quatuor, cryſtallis tartari remixta, modo hoc ferat viſcerum conſtitutio.

§. XIV.

Expurgatis ſic probe primis viis cura proſequatur cum bilem corrigentibus, potiſſimum quæ hepatis aliorumque viſcerum obſtructiones reſpiciunt, dictis aperitivis, cum raro ſine obſtructione viſatur. Primatus debetur martialibus, croco martis ſulphurato, vitriolo martis, floribus ſalis ammoniaci martialibus, tincturis martis, pomatæ, cydoniatæ & helleboratæ aliisque, pulveri cachectico & ſtomachali Quercetani, ſpeciebus diacurcumæ, junctis cum diaphoreticis & reſolventibus, ſalibus volatilibus & fixis prolixe ſupra recenſitis. Hepatica & ſplenetica ipſiſſima ſunt aperitiva, varianda inter ſe pro lubitu. Sic præſcribatur decoctum ex radicibus quinque aperitivis majoribus, cichorei, trifolii fibrini, graminis, rubiæ tinctorum, pimpinellæ, herbis abſinthii, agrimoniæ, cochleariæ, fumariæ, floribus acaciæ, geniſtæ, corticibus capparum, &c. vel mixtura ex eſſentia lignorum, abſinthii, fumariæ, tinctura antimonii; vel pulvis ex ſpeciebus lætificantibus, lapidibus cancrorum, pulvere abſorbente Wedelii. Specificorum titulo varia apud Autores contra hoc malum, neſcio ſane quo ad eorum uſum invitatos argumento, ſuperbiunt, adeo, ut dentur, qui pediculos aſſumere jubeant, quod tamen remedium & horribile adſpectu & non ab omni eſt liberum noxa, notavit enim ex iis uſurpatis phthiriaſin ſtomachi lethalem HANKUS *in Epiſtola ad Borrickium*; quo & facile retulerim

lerim damnandam mali curam magicam a FERNELIO conſignatam *in Tr. de abdit. rer. cauſ. c. XVI.* Aſt tædet & ſupervacaneum foret ea huc transferre, quibus tamen placuerint, evolvant POTERIUM *l. c.* LANGIUM *l. c. L. I. epiſt.* 29. TIMÆUM A GULDENKLEE in *Caſibus*, QUERCETANUM, *M. N. C. Dec. I. A. III. Obſ.* 290. & *Dec. II. A. X.* ERASTUM *in Exam. ſimpl. Theriac. L. II. c.* 9. & alios.

§. XV.

Copiæ autem & volatilitati bilis hepatiſque inflammationi aliter occurrendum, prægreſſam ſcilicet ſub initium venæſectionem, quam in naſi apice inſtitutam deprædicant *M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII.* ſequantur diaphoretica blandiora non volatilia ſed fixa, eaque in minori data doſi, ne febris augeatur. Purgantia tunc exulent, ſubſtituendo iis vomitorium. Abſorbentia, ὀργασμόν & copiam bilis quæ tollunt; recte audiunt minorativa. Sub finem curationis inſiſtatur ſtomachum reliquaque viſcera roborantibus; aromaticis, acribus, amaris ſimulque bilem acuentibus, puta hujus ab inertia ſi malum ſit, jungendo ea cum antiſcorbuticis, nervinis & cephalicis. Nigri cura duplicanda & medicamenta tam fortiora quam in majori doſi ordinanda, cum morem ægerrime alias gerat. Colorem flavum vel nigrum ex cute ſunt qui cum balneo ETTMULLERI abſterſivo propellere nituntur. Diæta ſit exquiſitiſſima & quæ ſcorbuticos ac cachecticos decet; abſint ergo alimenta quævis viſcida, cruda, frigida, fæculenta, adſtringentia; caveat ſibi reſtitutus ab animi affectuum exceſſibus, ira imprimis & terrore.

CAPUT V.

De Scorbuto & ex eo oriundis.

§. I.

CUm vero non ſolum colore naturali privemur occaſione hactenus dictorum, ſed & frequenter nimis, in parte ſaltim aliqua, ſi non in toto habitu, ſparſim hinc inde enatis adficiamur effloreſcentiis variis, nunc maculis cuti conterminis, nunc puſtulis protuberantibus diverſis, quæ iſta ſint vitia, & deturpationes, undeque oriantur, nunc dicendum eſt.

§. II.

Deprehendimus autem, qualiacunque fuerint, produci ea a ſanguinis dyſcraſia in genere ſalina, acri, acida, viſcida, pituitoſa, uno verbo ſcorbutica, ubi partes ejus volatiliores & mobiliores, vel a craſſioribus ſuppreſſæ & fixiores redditæ, vel plane deficiunt; ut proinde EUGALENUS, SENNERTUS, WILLISIUS & GLADBACHIUS ſanguinem noſtrum cum vino non gratis comparaverint, re ſiquidem eo redeunte, ut, ceu in vino fit, præſentibus in decenti quantitate partibus illius volatilibus, motus ejus perennitas, indeque pendens craſis conſervetur, deficientibus autem illis aut ſubjugatis minimum, pereat, quo de videri poſſunt.

§. III.

Inducunt hanc dyſcraſiam ex non naturalibus potiſſimum, ſub cachexia recenſita, victus imprimis mala ratio, digeſtionem primam invertens, ipſeque aer craſſus, humidus, ſalinis & putridis repletus effluviis, unde etiam multis in locis endemius (an fluxerit exin primum ſuum ortum?) & alibi ſæpe epidemicus viſitur ſcorbutus. BECHERUS *in Phyſ. ſubter. L. I. S. V. c.* 1. Confecta autem vitio hujus digeſtionis maſſa illa cruda chylum mentiens in ſequente altera corrigi & ſanguinem bonum conſtituere nequit. Generantur inde in viſceribus, imprimis hepate, liene, meſenterio & in glandulis ipſis enormes obſtructiones, inutilium ſeceſſiones & excretiones impedientes, unde remixta ea manent ſanguini, uti in cachexia diximus & mole, qualitateque magis depravata, ſtagnando in capillaribus cutis vaſis, vim ipſis inferunt majorem, ut denique eroſa materiam morbificam, ſanguinem ſcilicet acrem, acidum, &c. in tubulos carneos emittant, conſtituendo ſic maximam partem macularum rationem, pro genio iſtius ſalſuginis morboſæ, variante, colore quoque vario conſpiciendarum, tum morbo ipſo præſente, inducto jam & inveterato, dictarum SCORBUTICARUM in brachiis & cruribus potiſſimum, rubrarum, ſublividarum, cœrulearum, flavarum, purpurearum, viridium & cujuſcunque alius coloris, tum extra illum, quarum tamen indoles cum ipſius convenit, propediem nunc contemplandarum. Recte hinc ſtatuitur, ſal. ſcorbuticorum non unius tantum eſſe generis, ſed varii, per repetitam & auctam ſalium morboſorum motionem, fermentationem & partium variam inter ſe invicem mixtionem, mutatum in alterius ſchema, juxta monita Ill. D. PRÆSIDIS *in Diſſ. de generat. ſal. morb. in corpore.* Unde & in frigidum & calidum non ſine ratione dividitur, innuendo, eſſe in hoc acrimoniam ſalſiorem, bilioſam & alcalicæ naturæ ſeu acido-bilioſam cum fluxilitate majori, in frigido contra, ex quo tamen ille produci poteſt.

§. IV.

Digeſtiones has duas in hoc malo læſas arguunt inflationes ventriculi cum ructibus, laſſitudo & ſegnities totius corporis, ſpiratio difficilis, capitis, aliarumque partium, imprimis crurum dolores, oris graveolentia, maculæ dictæ, urina in calido admodum rubra; ſabuloſa & aquea in frigido. Hereditarium eſt, & inveteratum difficile curatu ſolet enim degenerare in hydropem, atrophiam, apoplexiam, epilepſiam, ſtuporem, convulſiones, & febres intermittentes, ne dicam de aliis.

§. V.

Nunc ad maculas. Dictum jam fuit, unde hæ varietatem ſui coloris habeant; quod, uti de ipſis ſcorbuticis, κατ' ἐξοχὴν dictis, ita & de reliquis omnibus valet, ſcilicet a varia materiam earum conſtituentium ſalium natura; hæc enim quantum ad ſanguinis noſtri colorem mutandum, inter alia, conferant, notum eſt. PECHLINUS *Obſ. Phyſ. Med. L. I. Obſ.* 67. WEDELIUS *de ſale vol. plant. p.* 30. Obſervavit ſcorbuticas ex alio in alium rurſus mutatas colorem LISTERUS *in Diſſ. de ſcorbuto*, ex eodem fundamento. De fixitate cæterum earum teſtatur, quod conſtet duraſſe eas per triginta annos, SENNERTUS *l. c. p.* 516. Et nonniſi hæ ipſæ fuerunt quas SPINDLERUS *in Obſ. Med.* 93. ſub petechiarum ſpecie ſibi viſas, notavit, vid. RAYGERUS *in eundem.* Sed aliæ dantur quæ Hepaticarum, Lentiginum & Ephelidum nomine ſignantur, gradu tantum diſtinctæ & ob colorem earum diverſum ad diverſas quoque redactæ ſpecies. HEPATICÆ quæ vocantur, ſubfuſci ſunt coloris & qui coctum hepar aliquantum refert, unde & earum nomen, ni potius quod Veteres crediderint, argui iiſdem hepar affectum; pectori, dorſo & cruribus inſident & nonnunquam ſtipantur pruritu, acrimoniam vellicantem prodente. LENTIGINES autem a figura lenticulari dictæ, Germanis audiunt

diunt a tempore quo conſpiciuntur, æſtate, die Sommer-Sproſſen / Sommer-Flecke; & a colore folii aridi (an rectius ab ipſo jam dicto tempore ubi folia protruduntur, & quo redeunt illæ?) Laubflecke nominantur. Sunt hæ ipſiſſimæ EPHELIDES, quanquam qui HIPPOCRATEM & CELSUM ſequuntur, diverſas eſſe ſpecies contendant; nomen enim earum ipſis magis convenit ob cauſam, ſolis ſcilicet calorem, quo concurrente materia ipſarum, quæ videtur bilioſa, & reſpective volatilis, verno tempore extollitur, & ad peripheriam cutis propellitur, quam lentiginum. Nec video rationem, cur ephelides tantum ſexui ſequiori familiares prædicent, minime enim ſufficit, conſtituere eas diſtinctam a lentiginibus ſpeciem, quia ſæpius in iis viſantur qui uterum gerant, unde & die Kinds-Flecken eas vocare malunt. Materialis harum omnium cauſa una eademque eſt, ſanguis nimirum acris, plus minus bilioſus. Redeunt approximante verno, evaneſcuntque iterum hyeme accedente, manifeſto indicio, contribuere earum productioni formali utique aliquid calorem ſolis, non excluſa cuticulæ conſtitutione tenuiori, quo eo facilius translucere poſſint, hinc maxime in iis conſpiciuntur partibus, quæ dicta cutis teneritudine gaudent. Si vero non niſi in fronte, labiiſque fœminarum, ab iis alias non decoloratarum, imprimis menſibus non rite fluentibus, occurrant, maxime tamen ſi aliter quoque in colore ſe habeant ac in aliis, pro diverſis quidem maculis, minime autem pro certo ingravidationis ſigno accipi poſſunt. Ut taceam ephelidum adhuc aliam ſpeciem, puſtularum potius nominis dignam, deſcriptam a FERNELIO *Path. L. VII. c. V.* & HAFFENREFFERO *l. c. p.* 94.

§. VI.

Maculæ porro admodum frequentes ſunt, quibus, incubo afflicti pinguntur poſt exantlatum paroxyſmum erumpente madore, citrini & fuſci plerumque coloris, a Germanis proinde nominatæ die Alpflecke. Proſapiæ harum materiam eſſe ſcorbuticæ arguit quod ephialte correpti ut plurimum de ſcorbuto participent, hinc & eo rectius maculæ hæ ad ſcorbuticarum claſſem referuntur, non minus ac quas HAGENDORNIUS obſervavit, rubicundæ & oblongæ æſtate redeuntes juxtaque lunæ motum nunc adparentes, evaneſcentesque, annuæ ab ipſo dictæ in *M. N. C. Dec. I. A. II. Obſ.* 248. VOLATICÆ autem eæ ſunt, quæ locum priſtinum non ſervant ſed ulterius progrediuntur, a Cl. VALENTINI notatæ aliquando convulſivæ *Pr. infall. p.* 650. Conſpirat tamen ad eas producendas itidem ſanguinis intemperies ſeu dyſcraſia, quam generatim accuſavimus; plura videantur apud SENNERTUM *L. V. P. III. S. I. c. 6.* SEBIZIUM *in ſpec. Med. Pr. P. VI. c. 6. M. N. C. Dec. I. A. III. Obſ. IV.* De NÆVIS maternis, per ſolam matris gravidæ fortiorem impreſſionem, nulla de ſanguinis quanquam pravitate, majori ſaltim, ſuſpicione, fœtui communicatis, hoc loco non dicam, niſi quod, quomodo per imaginationem morbi poſſint excitari in materialibus, abſente omni cauſa materiali, legendos commendem PECHLINUM in *Obſ. Med. L. III. Obſ.* 16. & SENNERTUM *Pr. L. IV. P. II. S. IV. c.* 7. Commodior locus hic eſt tractandi SUGGILLATA a Græcis dicta Ecchymomata quaſi effuſiones velint: vocantur etiam vexationes, forte, quia utplurimum a cauſa aliqua externa v. g. ictu, verberibus, vexationum certe non infimis generibus, inducuntur circa oculos conſpicienda, adpellant Germani blaue Fenſter. Cauſantur a ſanguinis, vel per inflictum ab extra impetum, vel alia interna, quod quidem rarius fit, effuſione in poros, & pro varia ſanguinis, undecunque illa ſit, indole, colorem varium quoque præbent: ſic enim livida audiunt PELIOMATA, nigra MELASMATA, CELSUS *L. VII. c.* 1. Abſente omni cauſa externa, notata ea videmus a SPINDLERO *l. c. Obſ.* 94. HORSTIO *T. II. L. IX. Obſ. II.* RAYGERO *l. c. p.* 169. MAJORE in *Chir. infuſ. p.* 258. FERNELIO *Path. L. VII. c. VI.* Curam ab utraque cauſa productorum, macularum curæ ſubnectam, cui me jam accingo.

§. VII.

Non autem opus eſt quo prolixiores in illa ſimus, cum omnia eo vertantur, ut ſublata ſcorbuti cauſa, a qua omnes propullulant, hæ quoque profligari poſſint. Sed cum non ſemper ſuadendum ut præſente aliqua leviori macula, ſtatim ſcorbuti integra curatio ſuſcipiatur: ſatisfiet indicationi univerſali, ſi, quorum humores ad illum inclinant, tempeſtiva præſervatione utantur, educendo per blanda & repetita laxantia, radices mali orituri bilioſas, acres ex primis viis, ne habeat ſanguis, vitiatus quanquam ex parte, quo ſuſtentetur, mineram morboſam, quod de omni macularum jam recenſitarum genere valet, ſi excipiamus ipſius ſcorbuti inveterati, profundius tunc latente cauſa, & ſuggillata, quibus in ſpecie aliter longe ſuccurrendum. Optimum ejuſmodi remedium educens conſtituet decoctum ex foliis ſennæ, tamarindis, mechoacanna & aliis ſupra memoratis, præmiſſis itidem, ad leges generales, digeſtivis, materiam educendam præparantibus, jam ſupra deſignatis. Externe autem omnia laudem merentur quæ abſtergunt, & poros cutis apertos ſervando coſmeticorum variorum nomine veniunt, v. g. pulvis radicis iridis Florentinæ, magiſterium marcaſitæ, oleum tartari p. d. amygdalarum dulcium & varia alia, eadem nempe uſurpata cautela, ne dentur abſque univerſalioribus, ut faciunt multi, ſpecificam aliquam vim externis ſuis concredentes; nec & talia adhibeantur quæ poros magis opplent & obſtruunt. Plura videantur apud SENNERTUM, HAFFENREFFERUM, SIMONEM PAULLI in *Quadrip. Bot.* WALDSCHMIDIUM, ETTMULLERUM, *locis ſuis*. Quod ſuggillata attinet, ſi periculum minentur, venæſectio aut ſcarificatio cita in uſum veniant: interne dentur ſudorifera reſolventia, ſalina, volatilia, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, corallia, ebur & cornu cervi philoſophice præparata, ſpiritus tartari, ſalis ammoniaci, bezoardicus BUSSII; externe convenient ſpiritus vini camphoratus, lavendulæ, eſſentia croci, inflammationem præcavendo.

§. VIII.

Acrimonia humorum in ſcorbuto aucta & ſui juris magis reddita, majorem quoque vim exercet. Hinc non tantum maculæ ſed & puſtulæ variæ indolis, figuræ, & magnitudinis cum colore ſimul ipſam cutis, vel per totum habitum, vel partem ſolum, ſubſtantiam deturpantes, naſcuntur; qui adfectus multifarii quanquam ſint, & omnes aliqualem coloris immutationem ſiſtant, potiores tamen duntaxat conſiderabimus, & quidem, quibus præ aliis coloris depravatio conjungitur. Totam infeſtat cutim, utplurimum, puſtulis ſcabies a ſanguine & ſero acri ſalſo bilioſiori vel acido producta; quæ dyſcraſia cum ipſiſſima ſit ſcorbuti, nonnunquam & cachexiæ, qua ratione per cauſas remotiores inducatur, ex dictorum patebit morborum hiſtoria. Dividitur generatim in ſimplicem & malignam, ibi acrimonia mitiori, hic longe pernicioſiori; & illa rurſus in ſiccam & humidam. Sicca dicitur, ubi ſerum deficit, in conſtitutione bilioſiori, humida autem ſeu ſanguinea abundante illo. Simplicis utræque ſpecies admodum frequentes ſunt in certis locis ac regionibus, ſolent-

ſolentque tam epidemice, quam, quod magis contingit, endemice graſſari in populos, imprimis qui malo victu dyſcraſias dictas ſibi acceſſunt, unde & maxime in Saxoniæ ac Weſtphaliæ nutritur viſceribus. Maligna ipſius lepræ & impetiginis nomine veniens, valde ferax eſt, & æque ac ſimplex contagio propagatur, ut exempla proſtent ubi ſolo veſtium contactu in ſanum corpus tranſiit. Critica cæterum cum ſit maxime humorum pravorum excretio, caute tractanda eſt, ne, quod ſæpe numero fit, retropulſa, aliis & longioribus & gravioribus malis, portam aperiat. Sanationem ejus complectetur ſcorbuti cura.

§. IX.

Scorbutum ſapit ea quoque acrimonia, quæ ad faciem cum ſanguine ducta, puſtulis ſparſis, rubicundis & pure refertis varos & jonthos; collectis vero, ac guttarum inſtar colore roſeo tinctarum conſpiciendis guttam roſaceam procreat; & differt proinde horum adfectuum cauſa materialis nonniſi gradu, &, quod juxta aliquorum opinionem, illorum ſit acida & fixa magis, hujus autem volatilior. Moleſtiam non levem pariunt, ut & deformes ab iis redditi egredi foras per longum tempus recuſent, unde non video cur curatio eorum petita, ineptiis a CELSO adnumeretur, quanquam præſervari melius quam curari queant, recentibus tamen malis ſi ſuccurratur, ſpem omnem non elidunt. Gravior tamen eſt poſterius, imprimis inveteratum, ut & ex obſervatione SENNERTI conſtet, naſum exinde, circa quem frequentius viſitur, magnum acquiſiviſſe in quodam, & præternaturale incrementum. *l. c.* In curatione, alvo per lenientia ducta, adhibeantur ſanguinis acorem edulcorantia, abſorbentia, diaphoretica, infra nominanda. Imprimis autem Guttæ roſaceæ proſpiciatur præſervationis gratia venæſectione ſeu ſcarificatione ad ſcapulas, aut pone aures poſitis hirudinibus. HARTMANNUS ſcarificationem in ipſis auriculis inſtituere jubet. In feroſioribus magis conveniet fonticulus in pede vel brachio excitatus. Externa ſint abſtergentia, quorum ſub titulo varia incedunt. Hinc JONSTONUS ſanguinem virginis menſtruum calida ſolutum commendat, ſed quicquid præſtabit, nonniſi ob partes nitroſas præſtabit, ſive a virgine ſive a maritata ſumtus fuerit. *Pr. L. VI. c. V. art.* 4. Diæta maximum abſolvet punctum, in qua vitentur omnia calida & acria, ex potu enim vini ejuſque ſpiritus nimio ſcio qui malum ſibi conciliarunt nunc inveteratum & incurabile.

§. X.

Impertiginis etiam huc ſpectant ſpecies, quarum alii tres, alii quatuor recenſent; cutis autem cum magis ſubſtantiam quam colorem mutent, pauca tantum de illis proferam. Primam itaque juxta FERNELIUM & LOMMIUM, *l. c.* Pruritus, in quo cutis rubra, dura & exaſperata eſt, vehementique ſtipata pruritu: alteram Lichen ſeu Serpigo, ubi dictis dolor & ardor junguntur, ſubdiviſus iterum in ſimplicem ſeu miliarem & exedentem ſeu ferum, conſtituat. Tertia ſit Pſora, ipſa ſcabies maligna, in qua cutis admodum tumefit & finditur, eroſa denique ſquamulas nigras dimittendo; & quarta, ſeu apex prægreſſarum, Lepra Arabum, cancer quoque nominata univerſalis. Elephantiaſis ſiquidem ipſis tantum eſt particularis tumor pedum rubicundus nonnunquam lividus aut niger, adfectus criticus, proindeque caute tractandus. WEDELIUS *in Path. Dogm. S. IV. c. IV.* Pſora inveterata Malum mortuum exhibet: in Lepra autem Arabum tota cutis ſubalbida eſt cum ſquamulis ſanguinem fundit, colore tunc magis defœdato, livido, nigro. Gravior eſt quæ vi ia hæc producit ſanguinis acrimonia muriatica & fixior, graduque tantum differt, unde & non facile, niſi id fiat in tempore, curatur, imprimis Lepra. Convenient omnia quæ ſcorbuto medentur; quo & Vitiliginis pro graduali itidem materiæ peccantis differentia maculas coloris varii, nunc albi in Alpho & Leuce, in qua ſimul & pili albi fiunt & excidunt; nunc nigri, ubi vocatur Melas, exhibentis, curationem ſervamus.

§. XI.

Scorbuti, & omnium quæ ex illius dyſcraſia oriuntur, hactenus viſorum malorum curatio in eo conſiſtit, ut, I. educatur ſaburra primarum viarum morboſa, imprimis ſi ſub frigido ſcorbuto ea militent, purgantibus ad ductum curationis cachexiæ quæ conſiderari poteſt, jungendo tantum lenioribus ibi poſitis, & a quibus & hic initium faciendum, fortiora v. g. colocynthidem, agaricum, helleborum nigrum, reſinam gialappæ, ſcammonei, extractum catholicum, maſſam pilularum de gummatibus, de tartaro, &c. & vomitoriis, quæ tamen caveant, quibus viſcera minus conſtant integra. Evacuantibus hiſce præmittantur, reiteratis vicibus, quæ humorum in ventriculo & inteſtinis craſſitiem & lentorem corrigunt, eoſque ad egreſſum faciliorem diſponunt, digeſtiva itidem ſupra recenſita. Quod purgantia concernit, leniora dentur in vitiis notatis, maculis ſcilicet, & ipſo ſcorbuto adhuc recenti, præſervationis magis ac curationis gratia, imprimis vernali tempore: fortiora vero demum ubi & morbus magis invaleſcit, & cauſa gravior profundiuſque latens deprehenditur, nominatim in ſcabie, gutta roſacea, impetigine & vitiligine, habito non minus ſemper reſpectu ad morbi indolem, ætatis, temperamenti, ſexus & conſuetudinis diverſitatem, præ aliis. Sic in ſcabie ſicca & jam inducta fruſtra adhibentur purgantia, multo tamen cum uſu ad eam præſervandam, imprimis humidam, non intermiſſa tunc, quod & de gutta roſacea, & ipſa lepra valet, venæſectione, ſcarificatione, maxime ſi conſueta alias, nunc ceſſans ſanguinis evacuatio in cauſa fuerit.

§. XII.

Liberatis ſic probe a ſordibus primis viis, 2. Sanguis jam inquinatus, in frigido craſſus, viſcidus & acidus alteretur & corrigatur antiſcorbuticis generatim dictis, calidioribus, quorum ad claſſem pertinent præprimis ſudorifera, bonam partem ex cachexiæ cura repetenda; potiſſimam tamen laudem merentur ex vegetabilibus, quæ virtute alexipharmaca, & ſimul aperienti gaudent, v. g. radices ari, raphani ruſticani, pimpinellæ, angelicæ, enulæ; herbæ cardui benedicti, naſturtii, cochleariæ, fumariæ; ſummitates pini, centaurei minoris, flores bellidis, ſambuci, lignum ſaſſafras, guajacum, coſtus verus, in decoctum aut infuſum redacta, aut herbarum ſucci expreſſi, combinando ea cum aperitivis aliis, croco martis ſulphurato, cryſtallis tartari, tartaro vitriolato, reſoluto, ſale abſinthii, bezoardico martiali, minerali, antimonio diaphoretico, tinctura antimonii, martis aperitiva, ſpiritu aperitivo Penoti, ſale volatili oleoſo Sylvii; volatilia autem ſemper reliquis addant in frigido ſcorbuto pondus, cum in iis quaſi centrum omnium antiſcorbuticorum poſitum ſit. Poſſunt his commode remiſceri reſolventia, nervina, uti ſunt, lapides cancrorum, corallia, cinnabaris antimonii, & aromatum olea, cinnamomi, macis, caryophyllorum, de cedro, & alia. Nec quoque abſint diuretica ex antiſcorbuticorum numero, quæ ſerum ſalſum & viſcidum

cidum attenuant & evacuant, v. g. radices bardanæ, chinæ, graminis, glycirrhizæ, herbæ cerefolii, capillorum Veneris, hederæ terreſtris, flores geniſtæ, quorum locum ſupplere poteſt decoctum avenaceum, & præter ea, quæ ſub anticachecticis enarravimus.

§. XIII.

In calido autem ſcorbuto curationis initium faciat venæſectio, malo adhuc recenti & plethora præſente; modica tamen eſto & repetita: ſubſtitui ipſi quoque poſſunt ſcarificatio & hirudinum adplicatio, etiamſi dentur, quibus omnis in ſcorbuto ſanguinis eductio minus arridet. De frigido & inveterato res aperta eſt, quod venam tunc ſecare æque non liceat. Reliqua ſint temperantia, diluentia & generatim leniora; hinc maxime convenient acidulæ natura & arte paratæ, ipſæque thermæ, quæ tamen magis ad frigidum quadrabunt. Commendandum eſt inter alia diluentia, infuſum Theè aut ſuccedaneum ipſius, herbæ veronicæ, quibus mediantibus & ſalia peregrina ſolventur circuluſque ſanguinis felicius peragetur, unde variæ ſeceſſiones & excretiones legitimo modo ſi iterum ſucceſſerint, ſtaſes ejuſmodi etiam non amplius contingere nec obſtructiones oriri poterunt. Quod autem attinet externa, in ſcabie, æque ac ſupra dictis affectibus, adhiberi ſolita, niſi ea fuerint, quæ tranſpirationem liberam ſervant, conſulto ea rejicienda eſſe putarim, cum ad ſcopum fere nihil faciant. Hinc & ſpecificorum, ad delendas maculas & reliqua vitia, paſſim apud Autores inveniendorum, ſtudio hic prætereo, recenſionem.

§. XIV.

Reſtat ut curationi colophonem ſuperaddendo, 3. quoque, viſcerum tonum labefactatum roboremus, ſale volatili oleoſo pollentibus, aromaticis, balſamicis dictis, cephalicis, ſtomachicis, cardiacis, qualia ſunt, eſſentia ligni aloes, carminativa Wedelii, elixir proprietatis ſine acido, ſpiritus maſtichis, nitri dulcis, &c. Diæta laudabilis & quæ cachecticis conducit, ſi ſervetur, & omnia imprimis fugiantur, quæ malum inducere alias ſolebant, ut ſunt errores in diæta (valet enim de ſcorbuticis: corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læſeris) non dubitandum eſt de curationis exoptato eventu.

CAPUT VI.

De Morbis cum colore cutis depravato ex Inflammatione.

§. I.

Colorem rubrum conſtituere ſignum INFLAMMATIONIS pathognomicum neminem fugit. Hinc non abs re fore judicavi, ſi tractationem præſentem, cutis quoque in colore depravationibus per inflammationem cauſatis, continuaverim. Multus autem non ero, in inveſtigatione remotiorum, ad productionem omnis inflammationis, facientium cauſarum, nec & in quo conſiſtat hujus formalitas, cum utrumque (dubito num uſpiam elegantius) in Diſſertatione *Ill. D. Præſidis, de cauſis caloris naturalis & p. n. expoſitum*, deprehendatur; progrediendo potius ad ipſam morborum contemplationem.

§. II.

Rubore inſigni & per univerſam cutim ſuffundimur in ea febri, quæ noſtris in locis quidem admodum rara; alibi tamen, imprimis in Italiæ Provinciis, ſatis frequens notatur, & ab earum incolis, idiomate ſuo, propter colorem rubrum ROSSALIA, Latinis vero SCARLATINA, dicitur. Differunt SENNERTUS, BONETUS, INGRASSIAS & PECHLINUS quo eam referant, num ad morbillorum, num variolarum ſpecies; accuratius autem rem tetigit Cl. SYDENHAM, qui eſſe eam febrim ex familia continuarum, a prægreſſo æſtatis calore vel alia quacunque cauſa, genitam, apertiſſime demonſtravit in *Opuſc. var. S. VI. c.* 11. Efferveſcentiam, ſeu potius citatiorem ſanguinis progreſſionem, eam cauſare proximius, eo facilius admittitur quod in hac omnium ponatur febrium eſſentia: communem inſuper dari ipſius mediatam cauſam, non ſolum, quod exeunte æſtate, ſed & ſæpius, integras, notante iſto Autore, ſimul affligens familias viſatur, evincit; poterunt tamen ſine dubio & plures concurrere remotiores, modo in noſtris regionibus aut frequentius obſervaretur, aut ubi graſſatur, fuſiores circa eam inſtituerentur conſignationes.

§. III.

Symptomata, quibus comitatur, nunc mitiora nunc graviora a Practicis recenſentur, adeo ut & puer eadem extinctus legatur apud DORINGIUM in *Epiſt. XVIII. ad Sennertum.* Multa quoque cum variolis habet communia: adeſt enim intenſus calor cum horrore levi ſubſequente, maculæ viſuntur diſtinctæ, rubræ, inæquales, ignitæ & variæ magnitudinis, diſparentibus quibus, tota, ac ex eryſipelate rubet cutis, ſitis, cephalalgia, deliria, vigiliæ (ſub morbi tamen agmen) & catharri ad fauces, urgent, cutis eſt ſicca & aſpera, aliquibus fiunt hæmorrhagiæ per nares; alvus eſt adſtricta, appetitus dejectus, urina flammea & craſſa, pulſuſque celer. Declinante morbo, rubedo cutis in diſtinctas iterum mutatur maculas, cum genarum rubore permanente, ad obſervationem, nuper admodum, binis vicibus, habitam ab Excell. D. D. TEICHMEYERO, & gratioſe mihi communicatam. Tertio morbi die, abit color ille ſed redit nonnunquam funeſto omine: DORINGIUS *l. c.* Reſpirationem autem difficilem, corporiſque intumeſcentiam dubia ſequitur curatio, bonam contra ſpondent puſtulæ miliares colorem rubrum excipientes, HAMILTON, in *Tr. de febr. mil. p. m.* 62. Finitur ad diem ſeptimum, pedum relictis tumoribus œdematoſis, articulorumque dolore & rubore.

§. IV.

Ejuſdem fere commatis eſt, cum qua VARIOLÆ & MORBILLI initium trahunt, finiunturque, niſi quod illarum materia peccans & febrim alens (prædominantes ſcilicet, & æſtum p. n. in ſanguine excitantes hujus partes ſalino-ſulphureæ) groſſior & ſeroſior ſit, quam quæ morbillos producit. Illæ nomen ſuum, ſine dubio, obtinuerunt, a vario, quo incedere ſolent modo, ſeu, quod cutis cum ſubſtantia colorem quoque varient: morbilli autem a diminutivo potius Latinorum morbi, quam, quod legiſſe memini, Italorum *il morbo*, quo ipſis peſtis inſignitur, derivandi ſunt. Admiſſo enim, quod, ſi maligni extiterint, ad peſtis inſtar illi ſtragem multam edant, non ſequitur tamen, eſſe eorum nomen inde ortum, cum non ſolum Itali voce *la peſte* æque ac *il morbo*, utantur, ſed & morbilli ipſis audiant, a colore rubro ROSSELLE. Cauſa harum, quæ utique communis ſtatuenda, cum plerique iiſdem laborare teneantur homines, in idioſyncraſia humanæ ſpeciei magis, ac in concepto poſt liquoris amnii in utero ſorptionem, ex uſura lactis, (novi ali-

alimenti generis, ab illo differentis,) fermento, quæri debet, velificantibus ſimul, aliis externis, cibo, potu, aere, &c. Ill. WEDELIUS *in Compend. Pr. Clin. L. V. Caſ.* 11. qui & demonſtravit neceſſe minus per omnia eſſe, variolis decumbere, ſi modo earum præſervatio decens inſtituatur, in *Diſſ. de variol. præſerv.*

§. V.

Dictum eſt de variolis, quod variæ ſint ſpeciei, hinc & præter SYDENHAMII in regulares & anomalas, generaliorem in diſcretas & confluentes obtinuere, diviſionem, ut taceam quas BONETUS & RAYGERUS *l. c.* adferunt. Critica eſt earum eruptio, & ſi regulares fuerint, die tertio aut quarto poſt dolorem dorſi, anxietates & lacrymas profuſas, ex maculis elevantur in puſtulas, ubi ob materiam nondum bene coctam, tenſionem cuti aliqualem inferunt, quod noſtrates exprimunt: ſie ſtehen in der Dohne/ uſque dum calore febrili permanente, per exulcerationem partim excernitur, partim reſorpta in venas per ſudorem ejicitur. Morbilli autem ob calidiorem materiæ morbificæ naturam ad bilioſam magis accedentem, faciliori longe opera ſui productionem ſiſtunt, & ſine puris effuſione, nec dolore dorſi tanto, ac in variolis, majori tamen pectoris anguſtia, fervore totius, lachrymiſque pluribus, poſt diem ſeptimum terminantur, nullo in cute relicto veſtigio.

§. VI.

Curationis febris ſcarlatinæ, purpuratæ æque ac morbillorum & variolarum, ſi ſymptomata non urgeant graviora, & bene omnia ſuccedant, maxima pars conſiſtit in naturæ ſolius adjumento, adhibito ſaltim bono regimine. Non itaque ea turbanda eſt in motibus ſuis, per alienos arte tentatos, alvum ſcilicet aut ſanguinem ducentia, calidiorum, & diaphoreticorum uſum, niſi ſublevationem ea deſideret, ubi tamen leniora, ſeceſſum materiæ febrilis promoventia, conducent, v. g. cornu cervi uſtum, pulvis chelarum cancrorum compoſitus, bezoardicus LUDOVICI, &c. progrediendo tandem, ſi obedire hiſce malignitas noluerit ad fortiora & volatilia, ne natura ſuccumbat. Imprimis autem in variolis ante diem quartum non facile accedat medicamentum, quod & de morbillis dictum eſto; tractentur potius bona diæta ægri, nec nimius cubiculorum calor, aut, a potu (tenui tamen) abſtinentia major ipſis imperentur. Magnum capiunt variolæ levamen ſi excretio per ſalivationem ſpontaneam procedat erudite notatam ab Excell. D. D. FICKIO, *P. P. Jenenſi, in peculiari de ea habita Diſſertatione.* Purgari tamen poſſunt ægri præſervationis gratia a febri dicta, ut &, qui variolas metuunt ſub vernum tempus, ſed lenioribus, decocto tamarindinato ex ſero lactis, & aliis: venam quoque ſecare licebit, in variolis maxime adultorum, urgente plethora & ſub initium ſignorum: BERGERUS *in Diſſ. de venæſectione & clyſm. in variolis, conceſſis.* Morbilli omnia requirunt mitiora, & non raro ſine ulla medicatione (ab extra adhibita) evaneſcunt, niſi malignitas ſubſit. LISTERUS *de variolis*, LUDOVICUS MERCATUS, *de eſſ. febr. malignæ*, PORSCHON *nouveau Traité du Pourpre & de la Rougeole & petite Verole*, VALENTINI, WALDSCHMIDIUS, WEDELIUS, FICKIUS, BERGERUS *l. c.*

§. VII.

Pejoris notæ ſunt quæ febri comitantur malignæ, maculæ rubræ, purpureæ, circa collum, pectus & dorſum potiſſimum conſpiciendæ, dictæ PETECHIÆ. Venæſectio ipſi febri primas ferat ſuppetias, in ranina præprimis inſtituta, arripiendo poſtea bezoardica & alexipharmaca, calorem tamen febrilem nec extinguentia, nec intenſiorem reddentia. Vomitoria poſt venam ſectam ſub febris exordium data, ſuadent SYDENHAMUS & VALENTINI, *l. c.* Reliqua videantur, de hac febri apud *Ill. D. Præſidem in Diſſ. de febr. malign. petechiz.* ROBORETUM, TILINGIUM *de pericul. febr.*

§. VIII.

Prima coloris in parte per inflammationem in rubrum fit immutatio in ERYSIPELATE, igne quoque ſacro & Antonii nominato, quia divus ille incendiis, cum quibus analogiam quandam habet affectus, præeſſe creditur, unde etiam, quod munuſcula ipſi offerenda campanæ charactere ſignentur, noſtratibus das Glock-Feuer audire ſolet. Eſt tumor in cute diffuſus cum roſeo colore, febrique ſtipatus continua; quam mediate inducunt ex naturalibus, plethora, temperamentum bilioſum; ex nonnaturalibus, errores diætæ, nimius calidorum uſus, ut & ex ſola diuturniori ſub ſole verſatione ortum aliquando fuiſſe conſtet: ex præternaturalibus autem, diſpoſitio ſcorbutica, (unde Eryſipelas ſcorbuticum, circa tibiarum fines conſpiciendum) excretiones conſuetæ alias nunc intermiſſæ, violentiæque variæ externæ, quatenus vel ſanguinis craſin & motum invertunt vel jam deſtructum corrigendum impediunt. Finitur frequentius ſponte ſua & motu critico, quanquam & non raro peſſimi deprehendatur moris, phrenitidi, gangrænæ, ſphacelo & aliis, viam ſternens. HILDANUS *Cent. I. Obſ.* 82. In curatione id efficimus, ut materia peccans ex loco eliminetur, diſſipantibus, diſſiantibus, diaphoreticis blandioribus, fortioribus ſi malignitas quædam ſubſit, v. g. antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, ſuccino, myrrha, camphora, ſpiritu bezoardico Buſſii; ſuccurrendo fervori nimio ſimul aqueis, nitroſis, terreis, &c. Externa caute adplicentur, abſint imprimis omnia pinguia, oleoſa, emplaſtica, frigida, quorum in locum ſubſtituatur pulvis eryſipelatodes Mynſichti & ſambuci flores ac cortices. Ad præſervandum, poteſt vernali tempore dari purgans lenius, imo ipſo malo præſenti: vena ſecetur magis præſervationis quam curationis fine: diæta exquiſitior maximam præſtabit operam.

§. IX.

Majores certe inſidias ſtruit CANCER, qui tumor eſt durus, rotundus, nigri aut lividi coloris, loca maxime glanduloſa occupans; cauſatus ab humore accerrimo corrodente & acido, ob bilis aliquam admixtam portionem a Veteribus atra bilis nominato, cujus materiam largiuntur dyſcraſiæ ſcorbuticæ & cachecticæ, aliaque ad inflammationem conſpirantia. Diſpeſcitur in latentem & manifeſtum, exulceratum, ex partium exeſione, illuvie ſordida, fœtore, & ſanie tenui ac nigra ex ulcere manante, dijudicandum. Curationem prioris prohibuit HIPPOCRATES *S. VI. aph.* 38. quod tamen magis de palliativa per emollientia & alia topica inſtituta valet. Porrigantur morbo adhuc recenti, & ubi tumor nondum incrementum majus acquiſivit, purgantia leniora, repetita vice adhibita, & tunc inſiſtatur diaphoreticis & abſorbentibus, quæ ſi non ſuffecerint, & in pejora ruat malum, imprimis in exulcerato, ad ferrum & ignem, remedia dicta GALENO aurea recurratur, reſecando partem affectam; quam operationem inter alios exponunt HILDANUS, *l. c.* PIGRÆUS, *in Pr. Chir.* MUNNICKS *in Chir. ad prax.*

hod. accom. Verduc *in chir.* Rodericus a Castro *de morb. mul.* Riverius.

§. X.

Teterrimo afficiuntur colore partes in Gangræna & Sphacelo, quorum cauſæ mediatæ conveniunt cum iis qui inflammationem in genere pariunt. Gradu tantum hi adfectus differunt, & poſterior facile priorem excipit, ſi huic non probe proſpiciatur matura venæſectione & omnibus quæ ſanguinis motum reſtaurant, acidumque peregrinum abſorbent, diaphoreticis, abſorbentibus, reſolventibus, aperitivis, topicoque externo ſummæ laudis ſpiritu vini camphorato. Sphacelus ad mortem tendit cujus in hoc anno duo exempla inſignia Jenæ notare licuit, primum quidem in viro adulto, ſcorbutico, in quo ex ſubortis in pedibus per pediluvium ſalitum veſiculis male tractatis, (ad obſervationem fere Spindleri, in Centuriis ſuis deſcriptam,) productam gangrænam, ſequebatur ſphacelus, miſerum brevi jugulando; alterum, in juvene, qui ex contuſione, per ruptum tormentum oſſis tibiæ eadem cum priori fata experiebatur. In hoc mali gradu unicum ſupereſt remedium, abſciſſio partis emortuæ, qua cito adhibita, multi leguntur ſervati.

§. XI.

Nonniſi gradu quoque differunt, Carbunculus, Bubo & Furunculus, tumores valde urentes, glandulofas maxime partes infeſtantes. Dividuntur pro materiæ morbificæ conſtitutione, in benignos & malignos. Illi cauſam agnoſcunt, lympham in copia & acrimonia aliquali, occaſione errorum diætæ, peccantem, hinc ejuſmodi bubones pueris & adoleſcentibus familiares ſunt; Ab ophthalmia retroverſa, largiuſque juſto adplicato veſicatorio carbunculum talem, ſed exitialem vidit *Ill.* Wedelius, *in Exercit. Pathol. Therapeut. p. m.* 26. quod contra eos valere poteſt, qui nunquam conſpici carbunculos benignos perhibent, Schelhammerus, *de tumor. p. m.* 60. Malignorum autem cauſa materialis longe pernicioſior eſt, & nunquam ſine febri acuta eos ſiſtit, quod omnium maxime in carbunculo & bubone obſervatur; radices enim ſuas agit in ſanguine ipſo, ſalibus, in Peſte, lixivialibus, cauſticis efferantibus; in lue Venerea potius acidis (quo & ipſæ Maculæ ac Puſtulæ membris genitalibus ſub coitu impuro inductæ, referendæ) inquinato. Simplices hi tumores facilis ſunt curationis, maligni contra; ibi convenient data, lymphæ acorem corrigentia & in motum redigentia, diaphoretica, reſolventia; externe maturantia, v. g. emplaſtrum ſpermatis ceti, cataplaſmata ex mucilaginibus radicis altheæ, ſeminum lini, fœnu Græci, caricarum parata, ordinatis ſimul poſt eorum apertionem, ut & præſervationis gratia, purgantibus lenioribus, imprimis in furunculo. In malignis vero fortioribus pugnandum eſt, febri conjunctæ proſpiciendo, venæſectione, alexipharmacis, bezoardicis & expulſivis, ſuperveniente demum artificioſa eorundem apertione, legenda apud Barbette, *l. c.* Blancardum & Botallum *de morb. Vener.* & Sylvium *in Pr. Med.*

§. XII.

Unguium denique coloris conſideranda venit morboſa immutatio varia pro conſtitutione humorum ſub illis in cute circulantium, unde & omnem ſuum colorem in ſtatu naturali habent. Vid. a Franckenau *de Unguibus.* Malpighius *in Diſſ. Epiſtol. de corn. veget.* Multum autem referre ſi color eorum viſatur bonus, non ſolum qui ex illis proſpera & adverſa prædicere conantur, Chiromantæ, ſed & experientiſſimi norunt Practici, quorum ad inſtar omnium Hippocratem ipſum *in Coac.* 402. 432. 393. *&c.* judicationes eorum ex colore inſtituiſſe deprehenditur. Punctulæ vero in illis albicantes excrementa humorum ſunt eo delata, hinc & præſentibus iis, bona valetudo, adverſa ſin evanuerint, in quibuſdam viſa eſt. Frequentior tamen coloris eorum in rubrum & lividum fit tranſitus ſi inflammentur in Paronychia, quæ facile contrahitur a peregrinorum in tubulos carnis ab extra immiſſorum violentia. Externe imponatur emplaſtrum Barbettianum *in Pr. p. m.* 48. deſcriptum imprimis tumore ad ſuppurationem tendente; caveantur omnes externæ injuriæ, frigoris, aquoſorum & pinguium contactus; reliqua enim cum generali inflammationis curatione communia habet.

§. XIII.

Finem Diſſertationi imponens equidem fateor morbos prolixiori labore tractandos pagellis hiſce nimium anguſtis, fuiſſe incluſos: verum, cum, quod maximo incitamento erat, limites diſſertationi præſcriptos tranſcendere, & alia, & temporis penuria, reprehenderent; multi quoque ſint ex recenſitis, qui magis ad qualitatis in ſubſtantia, quam colore cutis mutationem pertineant: uberius de illis quis informari poterit, ſi adeat, qui de Morbis Cutis egêre, Practicos paſſim laudatos. Deo autem Triuno T. O. M. ſit gloria pro conceſſis viribus, ultra omnem ſeculorum finem!

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

SCIRRHO HEPATIS.

Primùm edita Anno 1722.

PROOEMIUM.

INTER reliqua machinæ noſtræ viſcera hepar, organon abdominis primarium biliſque ſecretorium, ſtructuræ ac uſus ratione ultimum ſane non meretur locum, quod non ſolum ex vaſis majoribus (quorum alia adducentia, alia abducentia pronunciantur) ſed & totum tenuiſſimis vaſis mirum in modum eſt conſtructum, ut ſpectantium oculos teneat, cujus functioni hominum ſanitas maxima ex parte eſt adſcribenda. Bilioſas enim particulas a purpura rite ſeparando, ſanguinem ad motum naturalem diſponit; bilem ſeparatam ad organa chylificationi dicata debite dimittit, quæ concoctionem promovet, inteſtina abſtergit, & tanquam clyſter naturalis a fæculentiis inutilibus ea liberat. Quo ſubtilius vero hæc ſubſtantia hepatis ex innumeris & varii generis vaſis eſt intertexta, eo facilius morbis illud obnoxium eſſe, triſtes comperimus: & quanta utilitate ex illa ſatis vegeta fruimur; tantis ſane moleſtiis in varios modos ob canaliculorum mutationem ac deſtructionem excruciamur. Aſſumta bile non correcta, non niſi in chylum crudiorem degenerant, viæ ſtimulo naturali alias ab oneribus ſuis liberatæ, ob inertiam bilis onerantur, obſtructiones patiuntur, oſcula teneriora vaſorum lacteorum vitiantur, ſanguis particulis effœtis abundans balſamum amittit, ita ut totum fere hominem ſentias inverſum. Non unicus autem ex mutatione hepatis oritur morbus; ob diverſitatem enim ſubjectorum ac cauſæ morbificæ, diverſam mortales experiuntur tragœdiam. Sic ſanguineo temperamento, aut cholerico præditi præ phlegmaticis, aut melancholicis, ob bilem copioſius in hepate calidiori ſecretam & ſanguini commixtam, facilius hepatitidem incurrunt, nec non febribus continuis ac ardentibus torquentur. Poſſidentes vero temperaturam frigidam, ob purpuram viſcidi tegmine detentam, ac motum liberiorem per vaſa denegatum, excruciantur congeſtionibus, obſtructionibus, imo & ſcirrhis, qui ubi profundiores egerint radices, medicamenta ſatis ſalutaria interdum reſpuentes ægrotantes lento gradu variis ſymptomatibus totos conſumtos è medio tollunt. De hoc itaque ſcirrho, morbo rebelli, diſſertationem hanc eruditorum ſubmittere diſquiſitioni, nullus erubui, qui mihi de ſpecimine publico meditaturo obtigit, & licet a quodam jam jam forſan fuerit tractatus, accuratius tamen eum perveſtigare, ſymptomata exinde enata adducere, nec non communicare remedia, quibus hoſtem debellare, ægrotanti priſtinam ſalutem reſtituere ſtudui, & finem exoptatum obtinui, operæ pretium omnino judicavi. Numen itaque ſummum ardentibus adoro precibus, ut conatus meos tueri fauſtoſque eos & bonos eſſe jubeat.

HISTORIA.

LIber Baro XXVI. annos natus, temperamento ſanguineo-melancholico, diſpoſitione corporis ſucci plena, optimos ſuæ juventutis annos in caſtris tranſegit, & ut fieri ſolet, nunquam diætæ aſſuetus fuit. Redux in patriam iterum potationibus, equitationibus, venationibus, erat addictus. Præterea autem huic malæ vivendi rationi frigus accedebat, quo ſæpiſſime excruciabatur. Quare incidit in laſſitudinem totius corporis capitiſque dolorem, ſenſitque ſummas circa præcordia anxietates, cum reſpiratione anheloſa anxiaque, calore præternaturali, die ſeptimo ſaltem recurrente. Deinde appetitus ſenſim erat proſtratus, nauſeabat, accedebant vomitus, quibus materia ſpumeſcens, ſubflava, ac ſumme amaricans, confertim quaſi evomebatur. Iis autem nonnihil remittentibus, diarrhœa, per quam ſimiliter materia ſpumeſcens non ſine torminibus ſecedebat, faceſſebat

bat negotium in primis vehementi eaque ſicca tuſſi per paroxyſmos circa veſperam urgente, quæ circa præcordia anguſtiam, ſitimque excitabat magnam. Facies denique conſpiciebatur quaſi icterica, & corporis conſumtio de die in diem accreſcebat, ſic & tumor parvus extra lectum circa talos apparebat, ac continuo per urinam ingens copia particularum viſcido-tartarearum excernebatur. Quamvis autem ope præſentis Medici intra quatuor ſeptimanas reconvaluiſſe videretur, nihil tamen ſecius hic morbus recurrebat. Hinc æger paulo poſt conquerebatur de dolore & duritie dextri hypochondrii, reliquisque una ſymptomatibus, quæ ſenſim paulatimque augebantur, & ægrum affligebant, adeo ut ob difficultatem reſpirandi neque ambulare, neque aſcendere ſcalas, neque ſedere, neque in altero latere ſiniſtro ſe, ob molem hujus tumoris eo tendentis & reſpirationem ſufflaminantis, ac dolores ſatis enormes inferentis, decumbere poſſet. In quo ſtatu miſerrimo æger quidem ſui ordinarii Medici conſilio & auxilio iterum uſus eſt, qui illum leniter laxantibus bezoardicis, præcipitantibus & meris emollientibus, externis, ut unguento dialthea, populeonis, anodyno; oleis coctis ſeu expreſſis commixtis, per quadrantem fere unius anni tractavit: ſed morbus hoc modo non ſublatus fuit, quin imo in dies magis magisque ſuccreverit, viresque ita abſumſerit, ut æger prorſus iisdem deſtitueretur. Re igitur ad ſummum diſcrimen ſtatumque valde periculoſum deducta, medicamentisque omnibus in caſſum adhibitis, conſilium & medicamenta a me æger expoſcebat.

§. I.

Conſideratis omnibus ſingulisque ſymtomatibus atque circumſtantiis dicti affectus ægrotantem affligentis, nihil aliud reperimus, quam quod hujus affectus ſymptomata, quorum præcipuum eſt durities, tumor & dolor hypochondrii dextri, militent ſub *ſcirrho hepatis*. Priusquam autem in affectus hujus conſiderationem accuratiorem deveniamus, pauca quædam de ſcirrho generatim præmittere, quo deinde ſequentia felicius innoteſcant, conſultum duximus.

§. II.

Scirrhus Græcis & Latinis ita dictus, Germanice eine harte Geſchwulſt/ eſt tumor durus, tactui renitens, immobilis, indolens, qui in certis partibus mollioribus internis & externis, in ſpecie in glanduloſis, a particulis viſcidis, ſalinis, acido-tartareis, humorum vitalium certo in loco ſtagnantibus, & obſtructionem ab incarcerata ibi materia inferentibus, enaſcitur.

§. III.

Alius autem pronunciatur legitimus, ſeu exquiſitus, qui omnem fere medicationem reſpuit, & facile in corporibus cacochymicis, ob cutis livorem apparentem, in cancrum degenerat: alius nothus dicitur, cui humores alii, aliaque adjuncta ſunt ſymtomata: alius per ſe, a ſuis tantum cauſis dependens, ſenſim ſenſimque augetur, & a nonnullis primarius vocatur, dum humores vitales, heterogenea quadam materia referti, absque ullo præternaturali tumore præcedente, in aliqua parte congeſti, hunc tumorem excitant: alius morbos diu protractos aut male curatos ſequitur, & quibusdam ſymptomaticus audit, qui alteri morbo ſuccedit: alius partes exteriores & ipſas glandulas occupat, ut ſunt ſcrophulæ, tam tectæ, quam exulceratæ; alius viſcera interna affligit, unde renum, lienis, hepatis, aliorumque ſcirrhus obſervatur.

§. IV.

Quo copioſius hinc viſcus aliquod glandulis aut aliis vaſculis & fibris eſt intertextum, eo facilius quoque ad ſcirrhos eſt diſpoſitum. Unde mammas toto die ſcirrho affligi mulierculæ triſtes experiuntur. Etiam renum ſubſtantiam, glandulis ſatis copioſis conſtructam, urinæ a maſſa ſanguinea ſecretioni dicatam, infarctui eſſe obnoxiam, experientia docuit. Ne dicamus de hepate in ſpecie, cujus textura ad hunc morbum ſatis eſt diſpoſita. Hæc de definitione generali. Sequitur nunc definitio hujus affectus in ſpecie conſiderati.

§. V.

Eſt autem ſcirrhus hepatis tumor durus ad ſenſum tactus inſtar lapidis, non indolens, ſed dolens, (ob ſtatum jam confirmatum) a congeſtione, obſtructione, ac quaſi ſucceſſiva concretione humorum vitalium, particulis viſcidis, ſalinis tartareis ſeu terreſtribus ſcatentium, & bile inerte, in hepatis ſubſtantia, quam maxime & a principio in ejus vaſis capillaribus cum variis ſymptomatibus infra dicendis enatus.

§. VI.

Ex præmiſſa igitur definitione ſpeciali colligere licet, generis vicem conſtituere tumorem & dolorem. Notari vero meretur, quod hoc loco non intelligatur œdema ad mentem Hippocratis, qui generaliter omnes & ſingulos tumores ita vocavit, cum œdema potius tumor mollis ſit, minime dolens, ac facta preſſione digiti foveam relinquat. Hic enim deprehenditur tumor durus, dolorificus & ſcirrhoſus dictus, a ſanguine viſcido, tenaci, immobili & materia bilioſa inerte generatus. Reliquarum differentiarum & tumorum variorum præternaturalium genera, ob temporis anguſtiam, ſilentio prætereamus neceſſe eſt; ſiquidem practici libri omnes hiſce ſatis referti conſpiciuntur.

§. VII.

Huic alterum genus, quod dolor eſt, ſubjungimus, qui multifarius in praxi obſervatur. Siquidem nunc ardens, nunc gravativus, nunc acutus, nunc tenſivus, nunc pulſatorius, nunc tandem mixtus obſervatur; de quibus ſingulis ſeorſim agere, in quonam formalitas & eorum differentiæ conſiſtant, inſtituti ratio non permittit. Quare hujus tantum doloris mentionem injicere juvat, qui gravis, tenſivus, & ſuppuratione inſtante punctorius erat, cum tuſſi ſicca & difficultate reſpirandi. Hæc ſymptomata in decubitu lateris oppoſiti ita augebantur, ut æger ſine reſpiratione, ſuccedente mox pallore ac ſudore quaſi ſyncoptico, decumberet, forſan ob molem hepatis & tumoris, liberum deſcenſum diaphragmatis impedientem.

§. VIII.

Hiſce poſitis de parte affecta & ſede hujus morbi ſoliciti ut ſimus neceſſe eſt, quod uti ex ſitu tumoris & doloris ſatis cognoſci poteſt, juxta vulgatum, ubi dolor, ibi morbus, merito hepar eſt accuſandum. Non excludimus partes vicinas cohærentes, de quarum denominatione, textura & connexione prolixiores nos eſſe hic loci non eſt. Adeoque Lectorem benevolum ad Anatomicorum obſervationes, in ſpecie Glissonii in ſua *anatomia hepatis*, aliorumque remittimus. Hocce enim viſcus præ aliis, innumeris vaſis, glandulis, tubulisque ſecretoriis, præditum eſſe,

ſe, qui ejus anatomiam oculis haud fugitivis perluſtraverit, quisque fatebitur, quorum alia adducentia, alia abducentia dicuntur. Illorum virtute ſanguis a partibus inferioribus, partim pro ſui ſubſiſtentia, partim pro bilis ſecretione adducitur. Horum autem officio bilis ſecreta per ſua vaſa, ductus nempe cyſticos, & hepatico-cyſticos, ad ipſam veſiculam felleam, & ductum choledochum deducitur. Quid mirum ergo, dum particulæ acidæ, viſcidæ, tartareæ, in corpore generatæ, cum humoribus circulantibus hic adducuntur, varios morbos, quam maxime obſtructiones & conſequenter indurationes ſeu ſcirrhos, inde enaſci.

§. IX.

Scirrho itaque exiſtente, ſymptomata in eo ſibi invicem connexa, ſecundum ordinem paucis perluſtrabimus. Quamvis autem ſymptomata per ſymptomata magis & facilius, tum in genere, tum in ſpecie dignoſcantur, non tamen erit incongruum ea diſpeſcere in communia ſeu generalia, & propria ſeu ſpecialia. Communia illa dicuntur, quæ aliis, imo pluribus fere in morbis ſunt ſolemnia. Propria autem, quæ huic vel illi morbo tantum competunt.

§. X.

Primum itaque inter communia, quod affectum hunc concomitabatur, erat laſſitudo totius corporis, a chylificatione dubio procul læſa, ob deficientes & oppreſſos motores corporis ſpiritus. Spontanea enim laſſitudo, aut a plethora, aut a cacochymia, aut ab utrisque ſimul generatur ac fovetur, excepta laſſitudine laborioſa, cujus mechanica eſt in labore nimio, unde defatigatio. Hinc ab HIPPOCRATE *κόποι* dicuntur 2. *aphor.* 5. Viſitur hæc maxime in artubus, in reſpiratione, hincque pulſu, in toto imo corpore, in ſpecie in actionibus animalibus. Adeoque Senex hic *L.* 2. *de diæta Cap.* 44. *ait, qui labori non ſunt adſueti, ab omni labore laſſantur.* De reliquis differentiis laſſitudinis ſponte obortæ, quam autores, inprimis Cous, dividere ſolent, in ulceroſam, tenſivam, & inflammatoriam, cauſam ut plurimum arguentem, nihil dicamus. Brevibus hinc tantum addere licebit, quod laſſitudo ſpontanea ſemper prænunciet morbum, vel acutum, vel chronicum, pro ratione circumſtantiarum.

§. XI.

Eodem ex fonte anxietates ſcaturiant præcordiales, quatenus humores acido-viſcidi acres, in primis viis collecti, orificium ſiniſtrum ejusque plexus nervoſos vellicant, ut ſpiritus deinde confertim & cum impetu confluentes illos nimium tendant, & extendant, ac conſequenter ejusmodi anxietates in præcordiis inferant. Quibus autem plerumque una conjungitur reſpiratio anxia, uti videre licet ex hiſtoria morbi. Hæc partim ex eadem cauſa, partim a ſanguine viſcidiori, in vaſculis pulmonum ad coagulum diſpoſito, & arctiori hujus viſceris connexione cum diaphragmate per ligamentum latum membranaceum, profluit, dum tumor viſceris naturalem & liberum ejus aſcenſum ac deſcenſum non niſi ſumma cum moleſtia, admittit. Cum heterogenea vero e ventriculo elapſa, per vaſa meſaraica ad ductum thoracicum in ſanguinem delata, motum irregularem producant, ob particularum harum inæqualitatem, calorem præternaturalem enaſci, & febriculam hecticæ fere ſimilem ſeptimo ſaltem die recurrentem, produci, non eſt, quod miremur.

§. XII.

Sic morbum hunc antecedebat, urgebatque appetitus dejectio, proveniens dubio procul a calore depreſſo, & generatis inde humoribus pituitoſis abundantibus, ſaliva viſcida, vel ut maxime liquorum gaſtricum, ita ut iſte orificium ventriculi ſiniſtrum, veram famis & appetitus dejecti ſedem, ſufficienter ſtimulare non poſſet, inviſcante. Et quia ingeſta ob liquoris hujus inertiam non legitime ſubiguntur, ſed mutantur in materiam magis viſcidam, acrem, vomitus, ob ventriculi cum inteſtinis inſignem conſenſum, ac bilis acrioris inteſtina ſtimulantis, ac quaſi corrodentis acceſſum, dejectiones alvi crebriores teneſmo ſatis graviori, torminibus ſane non minoribus, oboriebantur.

§. XIII.

Cum id vero, quod in coctione prima legitime non abſolvitur, neque in ſecunda neque in tertia corrigitur, ſua ſponte hinc fluit, chylum laudabilem exinde conſurgere non poſſe, quin multo magis, humores crudi variique generis enaſcantur. Qui, quamprimum lege circulationis cum reliquo ſanguine e corde in pulmones diſtribuuntur, eosdem irritando tuſſim producunt, eoque magis, quod ob ſtatum aëris humidiorem, ac frigidiorem temporis veſpertini, juxta communem regulam, omnes morbi a ſeroſa colluvie oriundi circa noctem ingraveſcunt, fuerit moleſta. Quandoquidem ob eandem rationem, item ob motum ſanguinis præternaturalem, chylus in nutrimentum conveniens mutari haud potuit, ideo corpus de die in diem magis magisque decrevit. Unde ob virium motricium in partibus ſolidis defectum & circulationem humorum per inferiora tardiorem, pedum tumores circa talum conſpiciebantur. Sitis vero continua, qua æger premebatur, partim ob ſeri defectum, per calorem internum abſumpti oriebatur, quia faucium partes interiores non rite humectari poterant; partim ob ſalivæ viſciditatem, & glandularum in faucibus obſtructionem & ariduram excitabatur, dum ſaliva ſemper ſequitur naturam & motum humorum in corpore exiſtentium. Cætera tandem ſymptomata communia in hiſtoria enarrata, facies ſcilicet icterica, inſufficienti particularum bilioſarum in hepatis ſubſtantia ſeparationi, ac ingens copia tartarearum per urinam continuo excretarum, particulis viſcido-tartareis uberius in corpore hærentibus ſunt adſcribenda. Reliquorum, qualia ſunt præcordiorum anguſtia circa veſperam, capitis dolor, reſpirandi difficultas inter ambulandum &c. hoc loco brevitatis ſtudio, ſilentio prætereuntes ad ſpecialiora nos convertamus.

§. XIV.

Specialia ergo ſeu eſſentialiter inhærentia ſigna, indicant hunc adeſſe morbum, nempe dolor, tumor, & durities lateris dextri; in quo ſitus hepatis, tanquam ſubjecti hujus affectus, ex anatomia cognoſcitur. Brevibus: ubi calor, ubi tumor, ubi dolor, ibi morbus, teſte ipſo HIPPOCRATE.

§. XV.

Sicuti ſymptomata nunc dicta partem ſemper affectam indicant: ita & hic dolor, tumor & induratio dextri hypochondrii hepar affectum notant. Qualis affectio extra omnem dubitationem ab acido nimio & fixiori exoritur: quo enim fixius, eo tumor magis eſt ſcirrhoſus, vel durities major. Sic ſanguinem viſcidum, tenacem, bilem inertem, ac lympham minus fluxilem reddit, & inde obſtructionem tubulorum hujus viſceris glanduloſorum, qui veluti filtra,

tra, pro humoribus colandis ſunt, producit. Quandocunque enim hi humores vel viſcidi redduntur, vel particulis terreſtribus inquinantur, eorum circulus tardior fit, & particulæ terreſtriores ob gravitatem ſuam ſenſim in glandularum tubulis ſubſident, coacervantur, congeruntur, & accumulantur, eoſque infarciunt, ac denique obturant, omnemque tranſitum impediunt. Propter hanc itaque interceptionem, accumulationem, ac quaſi incarcerationem harum particularum, tumor ac denique induratio neceſſario conſequitur. Cum particulæ autem illic ſubſiſtentes, motu interno proprioque ſe expedire conantur, & a conatu tali fibræ nerveæ inſimul vellicantur, calor & dolor conjunctus atque moleſtus eſt.

§. XVI.

Perluſtrato hucuſque ſcirrhi ſubjecto, ac ſede ipſius perſpecta, nec minus ponderatis omnibus in præſenti circumſtantiis ac phænomenis, proximum eſt, ut ordine nunc nos conferamus ad cauſarum inveſtigationem, ſiquidem quanta harum ad morborum cognitionem ſemper ſit neceſſitas, a qua omnis curationis felicitas dependet, Medicorum Cicero, Cl. CELSUS *in præfatione lib. I. de re medica* ſatis indicavit, dicens: *Non poteſt is ſcire, quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint, ignorat.*

§. XVII.

Hæ nunc jam dudum a Medicis etiam eruditiſſimis diviſæ ſunt, in immediatas, mediatas, & occaſionales, vel etiam in proximas, antecedentes, & remotas ſeu procatarcticas. Primario unde conſideranda venit proxima, qua poſita, immediate ſequitur ipſe morbus. Eſt vero hæc nulla alia, ſicuti in definitione jam jam innuimus, quam materia quædam viſcida, acida vel auſtera ac terreſtris humoribus vitalibus commiſta, ad vaſa per circuitum delata, & ita per ſucceſſivam appoſitionem, obſtructionem in iſtis, in ſpecie tamen in hepatis ſubſtantia, quod præ cæteris, liene excepto, ob vaſa ſua obſtructionibus magis eſt, diſpoſitum producens.

§. XVIII.

Cauſa vero antecedens hujus, alia dicenda non eſt, quam quæ ponit primum ejus fundamentum, nimirum ſanguis & ſerum crudum ac viſcidum cum bile inerte; quæ omnia teſtantur de chylificatione læſa, ac ſanguificatione; quippe qualis chylificatio, talis chylus taliſque ſanguis. Quales nunc humores vitales, tales fiunt in corpore actiones, in ſpecie ſecretiones. Nam quando alimenta in ventriculo non rite ſolvuntur, nec porro in inteſtino duodeno, & tenuibus proximis, ob bilis minus ſubtilis & ſulphureæ ſed inertis, aut nimium aqueæ, aut terreæ acceſſum, aut propter vaſa biliaria excretoria obſtructa, non ſufficienter intra cavum duodeni effuſæ, volatiliſantur, a fæculis ſeparantur, quin potius in paſtam quaſi tenacem, ut materiam pro generandis obſtructionibus ſatis aptam mutantur, mirum non eſt, in corpore undiquaque obſtructiones generari. Quæ & hoc loco a materia ejuſdem farinæ, in principio ſaltim hepatis poros ſubtiliores, in progreſſu vero & per paulatinam collectionem, totum quaſi ejus ſyſtema obſtruente, diſtendente, ac indurationem denique inferente, ſunt enatæ.

§. XIX.

Sicuti ergo ſingulis hiſce dictis ceu cauſæ procatarcticæ occaſionem dederunt, uti videre licet ex ipſa hiſtoria præmiſſa, partim errores in diæta commiſſi, ex quibus tanquam ex fonte omnia enarrata profluxere; partim & ægri ipſius conſtitutio melancholica in craſſiori ſanguine radicata, humoreſque circulantes ad aliquam ſtaſin, & ſubſequentem obſtructionem, congeſtionem, ac indurationem, ſuum ſymbolum adferre potuere. Sic aer inæqualis, vel per reſpirationem admiſſus, ſanguinis motum circulatorium impedit, hinc viſciditas ac coagulum humorum prompte ſequitur, vel corpori ambiens ac in poros illapſus, occludendo eos, ſufflaminat tranſpirationem; quo minus particulæ bilioſæ ac ſeroſæ acres per loca ſua excretoria evacuari poſſint, quibus retentis, variæ exſurgunt in corpore alterationes, pro diverſo tamen cujuſcunque temperamento.

§. XX.

Cibus & potus, quantum poſſint ad productionem noſtri affectus, teſtatur hiſtoria. Ut enim alimenta moderate aſſumta, conducunt, & quam maxime ſunt neceſſaria ad individui conſervationem, ac virium reſtaurationem, ita e contrario copioſius ac ordine inconſueto aſſumta, noxia ſunt corpori, & inferunt varios morbos, ex quibus obſtructiones ſunt famoſiſſimæ, quæ ſemper pro cauſa viſcoſitatem, & coagulum fixum, quale quicquam facillime ex immoderato alimentorum uſu, & inde chylificatione læſa, exſurgit, agnoſcunt, de quibus legi meretur PLATERUS *lib. II. obſ.* 1. Eadem eſt ratio potulentorum, quæ ventriculo ſatis negotii faceſſunt, dum diluunt, fermentum obtundunt, ventriculi tonum lædunt, ejuſque fibras laxiores reddunt, ut ingeſta & digeſta, non adeo commode poſſint reſolvi & expelli.

§. XXI.

Nec minorem adferunt noxam, ſomnus & vigiliæ, juxta Venerandum HIPPOCRATEM *ſect. II. aphor.* 3. *ſomnus & vigiliæ, utraque ſi immoderata ſint, malum.* Ille adauget ſeroſam colluviem, facile in coagulum abeuntem, & producit ingentem laſſitudinem, certum cruditatum indicium. Hæ vero diſſipando particulas balſamicas ſpirituoſas, depauperant ſpiritus, & ſanguinem una reddunt viſcoſiorem & acriorem. De motu & quiete annotandum eſt, quod uti in omnibus ſemper medium ſit tenendum, ita & hoc loco, ſi legitimo modo & tempore fiant, id ſanitati conducit. Namque a nimio motu chylificationis & ſanguificationis opus acceleratur, humores ultra quam par eſt commoventur, in vaſa præcipitantur, & facili negotio inferunt obſtructiones. Contrario vero modo ſe habet quies immoderata, quæ humores incraſſando, vaſa capillaria quoque obſtruere ſolet. De reliquis ut animi affectibus motum ſpirituum & ſanguinis turbantibus, nec minus de excretis & retentis infinitorum morborum cauſis, de quibus §. 19. mentionem jam jam fecimus, neque de remediis antea præpoſtere adhibitis, nihil amplius dicamus.

§. XXII.

Cognitis ita ac tractatis cauſis: Semeiotica nunc ſequitur ſeu doctrina de ſignis, quæ potiſſimum Medicum facit, & Dogmaticum ab Empirico diſtinguit. Hinc inde & jam dudum, unanimi quaſi conſenſu celeberrimi dixerunt Medici, partem maximam ceu veræ & felicis curationis fundamentum dependere a morborum dignotione, quippe methodicam inſtituere curationem nos docet. Qua propter & pluſquam verum eſt illud tritum, quod ſæpe laudatus HIPPOCRATES *libr. de arte* commendat. *Si ſufficit Medicus ad cognoſcendum, ſufficit etiam ad curandum,* verbo: tantum curat, quantum cognoſcit Medicus. Ante-

Antequam vero ad expoſitionem ſignorum progrediamur, neceſſe eſt, ut prius eorum diviſionem præmittamus. Dividuntur itaque ſigna in duo quaſi genera, unum eſt diagnoſticum, alterum vero prognoſticum, illud de ſtatu præſenti, hoc de futuro agit.

§. XXIII.

Diagnoſin igitur quod attinet, quæ nos in affectus hujus cognitionem deducit, partim ex hiſtoria, partim ex ſymptomatibus jam jam adductis & explicatis ſatis abunde conſpicitur. Verum ne videamur ea præmittere, quæ ad curationem noſtri affectus demonſtrationem faciunt, breviter ponamus, quod præcipuum & pathognomicum ſignum hujus ſcirrhi ſit tumor durus & dolor dextri hypochondrii. Adeſt præterea reſpirandi difficultas, & ſenſus ponderis dextri lateris, quorum cauſa durities eſt, & hepatis moles, quibus diaphragma premitur, ad obſervationem KERKRINGII *in ſuo ſpicilegio Anatomico obſerv.* 33. qui ſimile quid in quodam cadavere humano lienis tumore, & inde reſpirandi difficultate, laborante, ex facta ſectione notavit & demonſtravit. Quibus accedit dolor ac decubitus in latus oppoſitum ſatis moleſtus, cum pallore faciei, ac ſudore frigido mox ſuccedente. Denique etiam febris, facies icterica, totius corporis emaciatio, pedum inflationes, aliaque ſuccedunt.

§. XXIV.

Alterum ſignorum genus, ad quod juxta ordinem accedimus, eſt prognoſis, qua ratione ſalutis & mortis modi & eventus, ponderanda eſt. Circa mortem & ſalutem obſervandum venit, quod inveteratus & indolens ſcirrhus, difficilem vel plane nullam ſuſcipiat medelam, eoque magis, ſi in corpore cacochymico fuerit productus. Extra hunc ſtatum vero, licet non ſine difficultate, facilioris tamen ſæpe eſt curationis, uti & plurimi annotarunt practici. GALENUS *lib.* 2. *ad Glauc.* c. 5. ſcribit: *Scirrhus qui ſenſatione caret, medelam non admittit, qui vero ſentit, adeo non eſt incurabilis.* Modum autem & eventum quod attinet, interdum ſolet eſſe ſalutaris hæmorrhagia narium. Verum ſi ſcirrhus eſt rebellis, nulliſque etiam optimis cedit remediis, interne & externe applicatis, terminatur denique in cachexiam, tumorem pedum œdematoſum, quibus paulo poſt, ut plurimum ſuccedit hydrops ipſe lethalis, ac multo magis ſi icterus ſimul eſt conjunctus. A ſcirrho lienis *hydropem ſæpe lethalem vidit Divinus Senex ſect. VI. aphor.* 43. Verbo: uti omnes tumores vel reſolvuntur, aut abeunt in ſuppurationem, aut indurationem, aut in gangrænam & ſphacelum: ita & hic tumor pro diſpoſitione humorum eodem modo ſe habet.

§. XXV.

Hactenus expoſuimus ea, quæ ad ſcirrhi productionem concurrunt: reliquum nunc eſt, ut curationem ipſam aggrediamur, quæ abſolvitur tribus potiſſimum indicationibus, ut curatoria ſcilicet, præſervatoria, & diætetica. Hiſce autem tribus indicationibus, variis etiam remediis partim internis, partim externis, & ex triplici fonte, ut chirurgico, pharmaceutico, & diætetico petitis, ſatisfacimus.

§. XXVI.

Ex fonte Chirurgico venæſectio nobis occurrit, omnino mature inſtituenda, hoc eſt, quando ſcirrhus adhuc eſt in fieri, conſentiente ipſo HIPPOCRATE. In exquiſito vero & valde antiquo, ſanguinis depletio neutiquam ſuadenda, partim ob ſeparationem jam factam particularum terreſtrium a ſanguine, & illarum depoſitionem ad partem hujus morbi affectam, partim ob cacochymiam latentem, quia raro noſtrum affectum concomitatur plethora. Vix itaque ac ne vix quidem locum habet, niſi alius indirectus finis coincidat. Aſt ubi vires a morbo jam confectæ ibi magis magiſque debilitantur.

§. XXVII.

Ex fonte autem pharmaceutico ad cacochymiam deplendam, tum in ſanguine, tum in primis viis, remedia præſtantiora & tutiora interna & externa, vel pro fine evacuandi, vel alterandi, depromuntur. Illorum potiſſima ſunt lenientia, quibus ſi non tolli, imminui tamen & mitigari poteſt ejus incrementum, quæ lubricando, abſtergendo, & blande irritando agunt, ſenſimque materiam morboſam e primis viis evacuant, ne exſuperet, & data occaſione, copia & collectione ſua obſtructiones adaugeat. Talia nunc ſunt pro diverſa cauſæ morbificæ & ſubjecti diſpoſitione varianda. Sunt ergo ea, v. g. extractum rhabarbari, hellebori nigri, panchymagogum Crollii, aloë depurata & correcta, multis indicationibus ſatisfaciens, ut & radix gialappæ, rhabarbarum alexandrinum ipſum, ejuſque anima cum elixire proprietatis, vel eſſentia aloes in doſi ſubdupla mixta; Item pilulæ tartareæ Quercetani, balſamicæ Becheri, aliaque. Quandoque conveniunt quoque clyſteres, qui egregie abſtergunt & blandiſſime liberant inteſtina craſſa ab infarctu, inprimis quando ventriculus interna reſpuit. Cæterum bene obſervandus eſt hic *aphor.* HIPPOCRATIS *ſect.* 2. Tutius eſſe per ἐπίκρασιν ac ſenſim, quam fortiter & ſemel cum virium jactura evacuare corpus. Ex hoc fundamento etiam a ſanioribus Medicis ſcammoniata, colocynthiaca & omnia δραστικώτερα purgantia hodie fere rejiciuntur.

§. XXVIII.

Quoniam autem materiæ educendæ non nunquam lentor & viſciditas, non nunquam acrimonia inhæret, opus eſt, ut evacuantibus etiam leniſſimis, præparantia, ſeu digeſtiva vulgo dicta, quæ incidendo, abſorbendo, & extinguendo acidum operantur, præmittantur. Qualia ſunt omnia tartarea ceu univerſalia, ut tartarus vitriolatus, ſal tartari, cremor & cryſtalli tartari, liquor terræ foliatæ tartari, item arcanum duplicatum aliaque ſalia alcalica, de quibus in ſequentibus, radix ari, crocus martis Stahlianus (quem recentiores quidam magneſiam rubram vocare ſolent), antimonium diaphoreticum martiale cachecticum. Cuncta hæc non modo corrigunt acidum primarum viarum, ſed quoque ſua virtute fuſoria diureſin ac diaphoreſin neceſſariam promovent, & denegatam reſtituunt.

§. XXIX.

Horum autem nempe alterantium uſus eſt latiſſimus; inter ea, primum obtinent locum aperientia, quæ reliquis omnibus palmam præripiunt; quippe ejuſmodi tumores, a cauſa interna (excepta externa) puta ab acido, viſcido, & coagulo tartareo obſtructiones viſcerum ac vaſorum producente, ut plurimum foventur. Sic viis obſtructis debentur ea, quæ bilis humorumque viſcedinem, acorem, ac ſtaſin corrigunt & expediunt. Hæc autem ſunt, vel amaricantia, velut optima omnis acidi viſcidi correctoria, ut radices trifolii fibrini, cichorei, helenii, pimpinellæ, quinque aperientes, majores & minores, herba abſynthii, fumariæ, ſummitates centaurii minoris, cortices citri, capparum, ex quibus omnibus pro re nata noduli cum vino concinnari, & de die

ad uncias aliquot aſſumi poſſunt. Quia autem non inconſultum eſt, ut ejuſmodi infuſa una habeant vim laxativam, quod facile præſtari poteſt, per additionem quorundam laxantium, & ſimul aperientium, neceſſe eſt, ut addantur fibræ hellebori nigri, folia ſennæ ſine ſtipitibus, mechoacanna alba & quam maxime rhabarbarum Alexandrinum. Nihil jam dicamus de cryſtallis tartari & limatura martis in petia ligata. Talia infuſa ſeu vina medicata ad extricandas particulas acido-terreſtres, eaſque educendas per vaſa urinaria optime inſerviunt, quia lente, ſucceſſive & penitius agunt, & abſtergunt amurcam venarum. Quod enim lente eſt congeſtum, illud etiam ſucceſſive eſt expediendum; Hoc igitur tritum ſermone proverbium quam maxime valet, de apertione venarum. Ex compoſitis eodem modo huc faciunt, eſſentiæ abſynthii cum amaris, rhabarbari, fumariæ ſimplex & compoſita, ſcordii, pimpinellæ, elixir proprietatis ſine vel cum liquore martis, aut tinctura martis aperitiva & anima rhabarbari mixtum, ceu medicamentum omnibus fere indicationibus convenientiſſimum, dum non ſolum particulis ſuis acribus, amaricantibus, gummoſis, bilem reſpicit, unaque particulis terreis villos roborat, ſed & opus chylificationis & balſamum totius ſanguinis reſpicit, dummodo non adſit bilis acrimonia & inde dolor ac teneſmus hæmorrhoidalis excitetur: *Vel aromatica*, cum hæc polleant particulis ſalinis, ſulphureis, acribus, volatilibus, quibus bilis inertiam & humores viſcidos tardius circulantes corrigunt, & debitam fermentationem ſeu ſpirituaſcentiam in iſtis ac conſequenter motum reſtituunt. Cujus modi ſunt aromata omnia, caryophilli, cardamomum, cinnamomum, galanga, zedoaria, caſſia cariophyllata, cortices citri, aurantiorum, capparum, radices ari, pimpinellæ, & ex his paratus & decantatus pulvis ſtomachicus Quercetani ab Illuſtr. WEDELIO Hippocrate Jenenſi Præceptore meo etiam poſt mortem multis nominibus, & encomiis, maximopere colendo, reformatus, item ſpecies diagalangæ, diacurcumæ, &c. quibus adjungenda ſunt abſorbentia, ſalina alcalina, alcalica, & martialia, ut pulvis cachecticus cinnabarinus Wedelii in morbis infimi ventris non ſatis deprædicandus: antimonium diaphoreticum martiale cachecticum, bezoardicum martiale, corallia rubra & alba, mater perlarum, ebur ſine igne, arcanum duplicatum, ſal tartari, abſynthii, juniperi, cardui benedicti, polychreſtum Sylvii, ſal ammoniacum depuratum ipſum, cinnabaris nativa, quæ particulis terreis ſulphureis acrimoniam ſalinam contemperat & abſorbet, mercurialibus vero coagulum & ſtaſin disjicit & fundit.

§. XXX.

Quoniam autem in morbis hepatis, ejuſque obſtructionibus, non modo bilis, ſed & lympha eſt reſpicienda, utrum ſufficiat, an minus, quantum ad motum neceſſario & principaliter requiritur, ſine qua nunquam motus in corpore recte peragitur. Propterea etiam aperientia, humectantia, ac diluentia præ ſiccantibus in ſeri defectu ſeligenda veniunt v. g. tincturæ martiales omnis generis, in ſpecie tinctura martis aperitiva Zwelferi cum arcano tartari, ut divinum fere medicamentum in omnibus obſtructionibus ſucceſſive expediendis, aliiſque morbis chronicis, item eſſentia martis vitriolata, antiſcorbutica, quæ quoque polychreſta, tinctura aperitiva Mœbii, tartari, antimonii tartariſata ſimplex vel rhabarbarina, quæ omnium optima ob virtutem mundificantem & aperitivam. Huc quoque ſunt referendæ potiones ex aquis deſtillatis paratæ, decocta & infuſa antea laudata; item aquæ ſimplices deſtillatæ, vel per ſe loco vehiculi ſumtæ, ut aqua polychreſta Rolfincii, fumariæ, ſummitatum pini, antiſcorbutica, acetoſæ, cichorei, ſcorzoneræ: ne dicamus de acidulis, quæ ſæpe ut extremum auxilium in chronicis plus præſtant, quatenus humectant, diluunt, ſerum reſtituunt, & ob partes vitriolicas martiales roborant ac fluxilem reddunt lympham, quam omnia jam adhibita medicamenta exſiccantia. Hæc ſunt quæ Pharmacia ad exſtirpandum morbum ſuggerere ſolet, plura qui deſiderat practicorum celeberrimorum ſcripta evolvat.

§. XXXI.

Præter ea etiam externa ſeu topica huic fini appropriata remedia, non ſunt de nihilo, modo dentur pro diverſa cauſæ morbificæ indole. Sic reſolventia, diſcutientia ac fundentia, præmiſſis internis, vel ſimul, aut ſub forma cataplaſmatis, aut emplaſtri, ſunt laudatiſſima; quæ ſunt: radices bryoniæ, zedoariæ, galangæ; herbæ ſcordii, rutæ, ſalviæ, matricariæ, cicutæ, naſturtii; ſummitates abſynthii, flores chamomillæ romanæ, myrrha, crocus, camphora, theriaca, ex quibus omnibus cum ſpiritu theriacali, vel cochleariæ, vel matricali confici poteſt cataplaſma, ſæpe ſæpiuſque calide applicandum. Non minorem præſtat effectum, ſacculus paregoricus ex ſimilibus confectus, facto prius litu olei paregorici v. g. ex oleo hyoſciami cum vino parato, deſtillato anethi, carvi, aniſi, ſuccini, petræ, juniperi, tartari fœtido rectificato, quod pondus quaſi reliquis addit, quatenus mire reſolvit & tumores duros potenter diſcutit. Præ his tamen potentiora reſolventia ſunt gummata, nempe galbanum ejuſque emplaſtrum, quod MYNSICHT *in ſuo Armamentario chymico pag.* 511. mire commendat, & pro expertiſſimo ad emolliendos & reſolvendos tumores ſcirrhoſos, nec non ad mitigandos dolores habet & venditat, opoponax, labdanum, bdellium & ammoniacum omnium optimum vel ſolum, cum aceto ſolutum & applicatum, vel mixtum cum emplaſtro de cicuta, diachylo cum gummis, de meliloto, di phoretico, diapompholigos, aliiſque ſaturninis, quæ tamen magis in motu ſtatus cancroſi conveniunt. His vero non ſufficientibus, confugimus ad mercurialia ut ſacram anchoram, dum potentiſſime reſolvunt & fundunt omnem ſtaſin. Hinc & emplaſtrum de ranis Vigonis cum duplo, triplo, quadruplo mercurii applicatum & diutius geſtatum multum juvat, vel ejus loco, lamina plumbea mercurio illata & impoſita. Quodſi autem omnia iſta laudata duritiem non removeant, cogitandum eſt de ſuppuratione, quæ, quantum fieri poteſt, ſuis remediis, quibus ſemper intermiſcenda ſunt reſolventia, promovenda eſt.

§. XXXII.

Cæterum tandem diſſertationis noſtræ finem imponit fons diæteticus, quem brevitatis ſtudio paucis proponere libet. Conſiſtit enim diæta ſeu abſolvitur uſu legitimo ſex rerum non naturalium, quibus teſte Coo, multi & magni morbi curantur & evitantur. Aër itaque qui primum obtinet locum, ſit purus ac temperatus, non frigidus aut pluvioſus. Obſervetur tenuis victus h. e. cibi ſint εὔπεπτοι, & potus probe defæcatus ac dilutus, nunquam frigidus. In ſomno & vigiliis omnis exceſſus vel defectus evitandus, moderamen potius ſeu medium tenere convenit. Simile notandum eſt, circa motum & quietem, juxta tritum illud, omne nimium naturæ inimicum, alvus ſi ſit ſegnis, ſtimulanda eſt, laxantibus vel clyſteribus, nec minus etiam reliquæ excretiones ſuppreſſæ ad ordinem debent revocari. Animi denique

nique pathemata vehementiora, ſanguinis & ſpirituum motum turbantia quantum fieri poteſt, omnino ſunt fugienda.

§. XXXIII.

De ſcirrho hepatis atque ejus vi ac indole jam ſatis ſuperque in genere dixiſſe ſufficiat. Nunc vero etiam in ſpecie meminiſſe debemus, quomodo morbus, quem in hiſtoria huic diſſertationi præmiſſa, iiſdem poſitis fundamentis indicavimus, fuerit curatus. Poſtquam omnia quæ ad morbum rite cognoſcendum perſcrutati ſumus, deprehendimus eum eſſe ſcirrhum ſeu indurationem hepatis. Quoniam autem ex praxi notum eſt, primario curationem ita eſſe inſtituendam, ut id, quod magis urget, auferatur; quare & nos quoque magis urgens ſcilicet dolorem, ſequentibus ſedare atque e medio tollere, allaboravimus.

Recip. *Olei paregorici unciam ſemis, deſtillati carvi drachmam unam ſemis, anethi ſcrup. duos: miſce: detur ad vitrum: Signetur; Oleum emolliens, prunis calefactum, ad partem affectam omni ſemihora ungendum.*

Recip. *Herbæ meliſſæ, abrotani, menthæ, florum chamomillæ romanæ, ſeminum aniſi, fœniculi, carvi, ana unciam ſemis; baccarum juniperi, manipulos tres. Conciſis, contuſis groſſo modo dentur ad chartam: ſignentur, Species pro duobus ſacculis poſt inunctionem calide ſemper imponendis.*

Hiſce multis vicibus repetitis eodem fere die omnis dolor evaneſcebat & reſpiratio liberius abſolvebatur. Præter hæc vero quam maxime proficuum erat ſequens emplaſtrum quod altero die ordinabatur, non omiſſis ſupra jam dictis.

Recip. *Emplaſtri diaphoretici Mynſicht; de cicuta, ana unciam ſemis, baccarum lauri drachmas duas, gummi ammoniaci in aceto ſoluti drachmas tres, camphoræ ſcrupulum unum: olei capparum quantum ſatis: miſce: fiat lege artis emplaſtrum: detur in charta incerata; ſignetur, Emplaſtrum diſcutiens.* Præmiſſis hiſce externis ad ulteriorem remotionem cauſæ proximæ interne dedimus ea, quæ ſanguinem viſcidum acidum corrigunt, fluxiliorem reddunt, ad naturalem ſtatum ducunt & ita pororum & viſcerum obſtructiones tollunt.

Recip. *Pulveris cachectici cinnabarini Wedelii drachmam unam ſemis; rhabarbari veri, cinnabaris nativæ præparatæ, cryſtallorum tartari, ana ſcrupulos duos, olei citri veri guttulas duas: miſce: divide in 5. partes æquales; dentur pars una omni veſpera.*

Recip. *Eſſentiæ carminativæ abſynthii compoſitæ Wedelii, elixirii balſamici ſcrupulos duos: mixturæ ſimplicis albæ ſcrupulum ſemis: miſce: dentur 36. guttæ, omni mane & veſpere, hora una ante paſtum.*

Recip. *Animæ rhabarbari drachmas tres, tincturæ antimonii tartariſatæ drachmam unam, olei aniſi guttulas tres: miſce: dentur 50. guttæ ſemper poſt meridiem hora quarta.*

Recip. *Pilularum tartarearum Quercetani, num.32. dentur 8. Pilulæ ſemper altero veſpere, loco pulveris.*

Relatio prima ad præmiſſa.

1) Durities abdominis maxima ex parte remiſit, & ſaltim tuberculus durus parumque dolorificus ſub coſtis ſpureis adhuc obſervatur. 2) Vires augmentum capiunt & ægro conceſſum eſſe lecto per certum tempus abeſſe. 3) poſt aſſumta non amplius ſequuntur anxietates præcordiales, appetitus redit, cruditates copioſius per urinam excernuntur, & ſine notabili ſenſatione æger tuſſire & ſternutare poteſt.

Hæc ex ægrotantis ipſius confeſſione communicare conſultum duximus.

Recip. *Emplaſtri de cicuta, baccarum lauri, ana unciam ſemis, gummi ammoniaci, galbani ſpiritu vini camphorato ſoluti, ana drachmas tres; camphoræ ſcrupulos duos: miſce: fiat, cum ſufficiente quantitate olei capparum lege artis emplaſtrum: detur in charta incerata: applicetur ut antea.*

Recip. *Eſſentiæ abſynthii compoſitæ, elixirii balſamici ana drachmam unam, ſpiritus nitri dulcis guttulas ſex: miſce: dentur 25. guttæ ſemper hora una ante paſtum.*

Recip. *Elixirii proprietatis antiſcorbutici drachmam unam ſemis, clyſſi antimonii tartariſati ſcrupulum unum: miſce: dentur 36. guttæ mane & poſt meridiem.*

Recip. *Antimonii martialis cachectici, arcani duplicati, ana drachmam unam, rhabarbari veri, cinnabaris nativæ, ana drachmam unam ſemis, olei macis guttulas quatuor: miſce: divide in ſex partes æquales: dentur ut ſupra.*

Relatio ſecunda.

Præter ſpem & expectationem ſtatu priſtino miſerrime æger iterum affligitur. Symptomata omnia de novo excruciant, majori vero cum exacerbatione ſeptimo vel octavo die. Heri circa veſperam enormes dolores pungitivos, dorſum excurrentes, ſentiebat, qui ex regione iſchii exſurgebant, & ad partem affectam tendebant. Tumor tanta duritie, mole tantoque dolore afficitur, quanto unquam prædicus de præſente conſpiciebatur, niſi quod magis partes inferiores occupet. Urina doloribus hiſce præſentibus emittitur clara, & licet diæta quam optime obſervetur, tamen vomitus interdum urgent. Ponderatis omnibus, ſequentia ordinavimus.

Recip. *Radicis helenii, cichorei, trifolii fibrini, ana drachmas tres; herbæ cardui benedicti, fumariæ, cuſcutæ, ſcolopendrii, ſummitatum centaurii minoris, ana manipulum ſemis: aniſi ſtellati drachmas duas: corticis capparum, rhabarbari veri, ana drachmas tres; cryſtallorum tartari drachmas duas ſemis: limaturæ martis drachmam unam: miſce: conciſis contuſis groſſo modo, dentur ad chartam: ſignentur, Species pro vino medicato.*

Recip. *Arcani duplicati antimonii martialis cachectici, ana drachmam unam: cinnabaris nativæ, radicis ari, ana ſcrupulum unum: olei caryophillorum guttulas duas: miſce: divide in quinque partes æquales: dentur ante decubitum ut ſupra.*

Recip. *Arcani tartari per deliquium, drachmas tres: tincturæ martis aperitivæ drachmam unam: eſſentiæ citri ſcrupulum ſemis: miſce: dentur 60. guttæ ſemper poſt meridiem.*

Recip. *Tincturæ antimonii rhabarbarinæ drachmas tres: ſpiritus ſalis ammoniaci aniſati drachmam ſemis: miſce: dentur 46. guttæ omni mane.*

Recip. *Olei paregorici drachmas tres, deſtillati carvi, anethi, ana drachmam unam: tartari fœtidi ſcrupulum ſemis: miſce: dentur ut ſupra.*

Emplaſtrum antea propoſitum æger plane abhorrebat; & loco ejus, primum quod præſcripſimus ex diaphoretico, de cicuta, baccis lauri, & aliis appetebat.

Relatio tertia.

Ægrotantis noſtri ſtatus jam mitior eſt, Tumor vero lateris dextri nondum decrevit, ſed ad inſtar pugni magnitudine conſpicitur, ſummaſque inducit moleſtias inter tuſſiendum, tendit quidem ab umbilico verſus dorſum, ad mentem ægroti & ſeparat ſe ab abdomine. verum circa ſedem ſuam ad latitudinem pollicis ſeſe elevavit, reſpiratio obſervatur difficilis, calor eſt fortior, & urina emittitur turbulenta. Deſiderantur remedia convenientia.

Recip. Tincturæ antimonii tartariſatæ, drachmam unam: animæ rhabarbari drachmas duas: olei aniſi guttulas ſex: miſce: dentur 60. guttæ omni mane & veſpere, quando non ſumuntur pilulæ, ſed antea agitando.

Recip. Arcani tartari per deliquium drachmas tres: tincturæ helleboratæ ſcrupulos duos: olei citri guttulas tres: miſce: dentur 60. guttæ ſemper poſt meridiem.

Recip. Cinnabaris nativæ præparatæ, corallii rubri præparati, pulveris pleuritici, arcani duplicati, radicis ari, ana drachmam ſemis: olei aniſi guttulas octo: miſce: divide in quinque partes æquales: dentur ut ſupra.

Recip. Pilularum tartarearum Quercetani num. 24. dentur octo ſemper altero veſpere loco guttarum.

Relatio quarta.

Æger hucuſque per Dei gratiam melius ſe habet, ſibique prorſus perſuadet, modo durities decreſceret, ſe mox convaliturum.

Recip. Emplaſtri diachyli, cum gummis, de cicuta, gummi ammoniaci depurati & aceto ſoluti, ana unciam ſemis: mercurii vivi terebinthina extincti drachmas tres: camphoræ drachmam unam: miſce: fiat cum ſufficienti quantitate olei ſcorpionum compoſiti, lege artis emplaſtrum: applicetur ut antea.

Recip. Olei paregorici drachmas tres, deſtillati carvi ſcrupulos duos, tartari fœtidi ſcrupulum unum: miſce: detur ut ſupra.

Rec. Arcani duplicati, pulveris cachectici Quercetani, ana drachmam unam: cinnabaris nativæ, antimonii martialis cachectici ana ſcrupulum unum: olei citri guttulas tres. Miſce: divide in quinque partes æquales: dentur ut antea.

Rec. Tincturæ antimonii rhabarbarinæ unciam ſemis: arcani tartari per deliquium drachmas duas; olei aniſi guttulas tres: miſce: dentur 50. guttæ omni mane & poſt meridiem, antea bene agitando vitrum.

Relatio quinta.

Abdomen majori duritie & tumore grandiori, ac elevatione in pyramidis formam quaſi tendente jam conſpicitur. Per urinam viſcidum tartareum rubrum copioſe excernitur. Reſpiratio fit paulo difficilior & ſitis valde urget.

Recip. Pulveris pleuritici Wedelii drachmam unam ſemis: antimonii diaphoretici, cinnabaris nativæ, arcani duplicati, ana drachmam ſemis: olei aniſi guttulas ſex: Miſce: divide in ſex partes æquales: dentur ut antea.

Recip. Arcani tartari per deliquium unciam ſemis: liquoris martis guttas duodecim: olei ligni ſaſſafras guttas duas: miſce: dentur 40. guttæ mane & poſt meridiem.

Recip. Elixii pectoralis balſamici drachmam unam ſemis: eſſentiæ abſynthii compoſitæ, mixturæ ſimplicis albæ, ana ſcrupulum unum: miſce: dentur 30. guttæ, ſemper una hora ante paſtum.

Relatio ſexta.

Tumor longe majori, quam antea elevatione, rubore & dolore mox punctorio, mox pulſatorio jam viſitur. Chirurgus advocatus hucuſque herbis calidioribus omni modo eum diſcutere voluit, ſed fruſtra. Et quoniam Chirurgus ſuppurationem jam eſſe in fieri conjicit: Quæritur quid ſit agendum? Remedia appropriata, ut tranſmittantur, eſt quod rogamus. Rebus ita ſe habentibus & bene conſideratis, ſtatuimus ſuppurationem eſſe promovendam, juxta vulgatum illud Hippocraticum: *Quo natura vergit eo quoque eſt ducenda.* Hunc in finem commendavimus ſequentia.

Recip. Radicum altheæ, liliorum, alborum, ana unciam unam: herbæ paridis, cherefolii, hyoſciami, florum chammomillæ romanæ, ana manipulos tres: meliloti, ſambuci, ana manipulum unum: ſeminum fœnu græci unciam ſemis: farinæ lini uncias duas: conciſis contuſis groſſo modo dentur ad chartam: ſignentur, ſpecies pro duobus ſacculis in aqua coquendis & per vices calide imponendis.

Recip. Radicum chinæ, ſcorzoneræ, glyzyrrhizæ, ana unciam ſemis: altheæ, helenii, ana drachmas duas: herbæ cherefolii manipulos tres: hederæ terreſtris, ſaniculæ, florum papaveris rhoeados, ana manipulum ſemis: ſeminum aniſi drachmas tres: corticum citri, cinnamomi, ana drachmam unam ſemis: raſuræ cornu cervi, unciam unam: ligni ſaſſafras drachmas duas: paſſularum minorum uncias duas: conciſis contuſis groſſo modo Miſceantur. Dentur ad chartam: ſignentur ſpecies pro decocto.

Recipe. Elixirii pectoralis balſamici, drachmas duas: tincturæ traumaticæ, ſcrupulum unum: mixturæ ſimplicis albæ, ſcrupulum ſemis. Miſce: Dentur 40. guttæ, omni mane & poſt meridiem in decocto.

Relatio ſeptima.

Adhibitis ſacculis emollientibus, denique tumor rupturæ locum dedit, & ingens copia puris & ſanguinis effluxit. Chirurgus vult informari, quomodo vulnus nunc ſit tractandum. Æger vero præter cætera bene ſe habet, niſi, quod dolor punctorius in parte affecta obſervetur & reſpiratio adhuc ſit difficilis.

Rec. Dentis apri præparati drachmam unam ſemis: cornu cervi philoſophice præparati, antimonii diaphoretici, cinnabaris nativæ præparatæ, ana drachmam ſemis: olei aniſi gutt. tres: miſce: divide in ſex partes æquales: detur omni veſpere & mane pars una.

Recip. Elixirii pectoralis balſamici, eſſentiæ theriacalis balſamicæ, ana drachmam unam ſemis: tincturæ bezoardicæ Wedelii, drachmam ſemis, anodynæ, guttas ſex: miſce: dentur 36. guttæ, omni mane, meridie & veſpere, una hora ante paſtum.

Recip. Arcani tartari per deliquium, unciam ſemis: animæ rhabarbari, drachmas duas: olei aniſi guttes ſex: Miſce: Dentur 60. guttæ poſt meridiem hora quinta, cum decocto pugill.

Recip. Elixirii balſamici, Unguenti digeſtivi, ana uncias duas: miſce: dentur in pyxide: ſignentur, Balſamus vulneri infundendus, quocum & linamenta inungenda.

Recip. Aquæ calcis vivæ uncias tres: eſſentiæ aloes, myrrhæ, balſami peruviani, ana drachmam unam: miſce: dentur pro injectione. Inſuper cum ſacculis emollientibus & emplaſtris reſolventibus uſque ad finem continuavimus.

§. XXXIV.

Hæc ſunt potiora quibus adhibitis per Dei gratiam convaluit æger. Omnia B. L. ut boni conſulat, bonoque interpretetur animo, eſt quod rogamus. Deo autem O. M. pro viribus hiſce conceſſis immortales perſolvimus grates, & ut porro noſtris conatibus ex alto benedicere & omnia ad bonum finem dirigere velit, ardentibus efflagitamus precibus.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MORBIS LIENIS.

Primùm edita Anno 1704.

PRÆFATIO.

SI ullum viſcus univerſi corporis humani varia a Medicis fata expertum eſt, noſtris imprimis temporibus, certe eſt ipſe lien. Nonnulli enim eo perducti ſunt, ut viſcus plane inutile & otioſum cum ERASISTRATO & RUFFO EPHESIO haberent. Quinimo carere hoc ipſo hominem poſſe, ſalva vita & ſanitate, ex Lienis canum exciſſione probare contenderunt. Taceo, quanta contentione & diſſenſione aſſertio muneris ejus tractata fuerit, dum Veteres ſedem melancholiæ eſſe, ibique ſuccum atrabilarium ſeparari, aſſeverabant. Alii ex Recentioribus ſingulare ibi locabant fermentum ſubacidæ naturæ, quo ſanguis impraegnetur & condenſetur; quidam ad ſpirituaſcentiam ſanguinis, nonnulli ad bilis ſecretionem in hepate conferre hoc viſcus, exiſtimabant. Silentio quoque tranſmitto varias anatomicorum de hujus partis ſtructura ſententias; quippe fuerunt, qui merum parenchyma ſanguinis credebant; Recentiores vero etiam in diverſas adhuc abeunt opiniones, dum vel ejus ſtructuram ex fibris & cellulis innumeris contextam; alii ex meris vaſculis ipſum conflatum eſſe, aſſerunt: quidam glandulas ſtatuunt, quidam negant; alii anaſtomoſin arteriarum & venarum inter ſe invicem, alii extravaſationem ſanguinis in hoc viſcere credunt. Hoc ſaltim, quod maxime pertinet ad noſtrum inſtitutum, de præſenti attingere lubet, quod plane inſontem eſſe Morbis Lienem quidam ſtatuant, neque in melancholia, ſcorbuto, malo hypochondriaco, illud viſcus eſſe accuſandum affirmant, cum alii e contra ſedem morborum chronicorum, & eorum principiis, hypochondriaci mali, cachexiæ, hydropis, ſcorbuti ſedem ibi firmam ponant. Cum autem una ſit veritas quæ ſub tanta diſcordia autorum & opinionum diſconvenientia ſubſiſtere nequit, igitur tentandum & inquirendum eſt, quos morbos proprie patiatur Lien, & quæ mala corpori reliquo conferat. Quoniam vero hæc res non exigui uſus erit in medendo, certe miratio ſubit animum, perpaucam reperiri mentionem in Practicorum recentiorum libris de Lienis Morbis, & quod nullus ex profeſſo hoc notabile & utile pertractaverit argumentum.

Suſcepimus itaque id laboris, & ſub favente Numine altiſſimo non modo hiſtoriam anatomicam & naturalem ipſius LIENIS trademus, ſed & affectuum, quibus obnoxius ſit, explicationem medendique methodum aggrediemur.

CAPUT I.

Lienis hiſtoriam anatomicam & naturalem exponit.

§. I.

DE lienis vitiis dum ſumus acturi, melioris doctrinæ & elucidationis gratia non inutile erit de lienis ſtructura, connexione & uſu quædam prælibare. Notum autem ex anatomicis eſt, lienem ſitum habere in hypochondrio ſiniſtro, proxime ſub diaphragmate, inter coſtas ſpurias ipſumque ventriculum prope renem ſiniſtrum. Connectitur vero parte convexa quandoque diaphragmati, verum non firmiter, ſicut hepar, ſed ſuperficialiter, nervoſis quibuſdam ac tenuibus fibris ex peritonæo enatis, ipſo peritonæo autem ſub coſtis ſpuriis firmius alligatur, gibbum ejus interdum ſiniſtri renis involucro, multo adipe referto, adhæret, concava autem & depreſſa parte pancreati, omento, nec non ventriculo per vaſa nempe & membranam peritonæi. Hiſce vinculis ligatus in corpore bene habito ultra infimam coſtam non deſcendit. Figuræ eſt oblongæ & ovalis; ratione texturæ in margine ſatis craſſus, non

non tenuis, inſtar hepatis. Color variat pro diverſitate ætatum & temperamentorum, in fœtu rubeus plerumque, in adultis ex atro purpureus, in provectæ ætatis hominibus ſublividus. Magnitudo diverſa quoque eſt pro corporum & conſtitutionum diverſitate. Ordinario longitudinem habet ſex digitorum transverſorum, latitudinem trium, craſſitiem pollicis. Cingitur membrana duplici. Externa ſatis valida & robuſta eſt, & longe robuſtior tunica hepatis, in hominibus autem tenuior eſt, quam in beſtiis, vitulo, cane &c. Exterior autem a peritonæo, vel potius ab exteriore membrana vaſorum lienem ingredientium pronaſcitur, nam interiorem expanſio extremitatum fibrillarum innumerarum, quibus lien conſtructus eſt, conſtituere videtur; hæc valde poroſa eſt; nam quando arteria ſplenica inflatur, ventus percipitur tranſire interiorem, minime exteriorem.

§. II.

Quod ad ſtructuram ipſam lienis attinet, in diverſa hic abeunt recentiores etiam exercitatiſſimi Anatomici. Primus Malpighius *in Exercit. de Liene* affirmavit, totum lienis corpus membranarum congeriem eſſe, in cellulas ac concamerationes, veluti apum favos, efformatam, ac per excurrentes fibras nerveas innumeras firmatam, intra quas collocatæ apparent glandulæ. De liene ovino & vitulino, quod pure celluloſi ſint, res extra controverſiam eſt. In iis ramus ſaltim arteriæ conſpicitur, qui ſanguinem adducit, iſque per cellulas ac ſulcos cribri inſtar tranſit, non ſecus ac per interiorem penis cavernoſam ſubſtantiam, tandemque in ſinum venoſum recipitur. Negant autem has fibras & cellulas in ſplene ex recentioribus maxime Ruyschius qui *in Anat. Epiſtolis* docet, totam humani lienis ſtructuram eſſe mere vaſculoſam, & ex numeroſiſſimis propaginibus arteriarum & venarum in helices contortarum & ſerpentino ductu progredientium, ipſum conſtare; deeſſe autem illas cellulas, quæ viſuntur in liene, præſertim vitulino. Non poſſum autem non, quin hic moneam, utique diverſam imo præſtantiorem ſtructuram eſſe lienis humani, quam reliquorum animantium. Equidem copioſiſſimis vaſis tam arterioſis, quam venoſis, & innumerabilibus ramificationibus minimis & capillaribus ipſe inſtructus eſt, id quod dudum etiam præter Ruyschium, Casserius *Placentinus* notavit, & pulcherrima imagine expreſſit. vid. *Tab. IX. L. VIII. Anatomiæ.* Illudque jam ante octo annos *Excell.* Præses, *Patronus ac Promotor meus æternum devenerandus* injectione liquoris rubicundi in arteriam ſplenicam publice demonſtravit, quod præparatum adhuc in ſcriniis ſuis ſervat. Verum enim vero pace hujus & aliorum clariſſimorum virorum affirmare cum D. Præside cogor, lienem humanum præter vaſcula ipſa copioſiſſima, non fibroſarum cellularum retis in modum formatis concamerationibus plane deſtitui, quas fibras omnes cavas & tubulos arterioſos & venoſos eſſe minus recte Ruyschius exiſtimat. Sequentia autem ſtructuræ lienis indagandæ magnam lucem fœnerabunt experimenta. Notabile eſt, corpus lienis humani foramine facto in membranam ejus & flatu immiſſo mire poſſe flatu diſtendi, manifeſto indicio dari ſpatium quoddam inter has membranas & vaſa. Deinde corpus lienis & ejus extima membrana flatu immiſſo in venam ſplenicam vel etiam arteriam ejus eodem modo in magnum tumorem attollitur. Porro & illud notari meretur, quod aqua calida injecta per arteriam ſplenicam ea ipſa ægrius refluat per venam, bene autem & commode per foramen tunicæ ejus externæ immiſſum. Deinceps elutriari commodiſſime a ſanguine poteſt lien, ſi per ſiphonem immediate in lienis corpus per ejus tunicam aqua infunditur; quo fit, ut etiam nulla prius injectione aquæ facta in vaſa albicantes fibrillulæ & cellulæ in conſpectum veniant. Quod ſi ergo totus lien eſſet vaſculoſus, & vaſa invicem arcte eſſent juncta, experimenta hæc, quæ ſæpius cum ſucceſſu tentavit Excell. Præses, eſſent omnia irrita. Accedit & illud, quod liquor rubicundus tenuis, qui tamen poſtea conſiſtentiam acquirit, injectus in arteriam ſplenicam, impleat copioſa vaſcula ſerpentino ductu hinc inde contorta arterioſa, ſi in vaſa venoſa cum viridi liquore id quoque fiat, relinquuntur multæ fibræ albicantes, in quas non tranſeunt liquores injecti. Quapropter ſtatuimus, lienem humanum non tantum eſſe vaſculoſum, ſed & fibroſum. Fibræ ipſa hæc vaſa fulciunt, expanſa & exporrecta tenent, quæ alias facile in ſe conciderent; fibræ hæ fluido nerveo animatæ ſtrictura & tono ſuo, ut ſanguis redeat in vaſa, conferunt. Glandulæ autem, quas Malpighius in liene ſtatuit, nullæ viſuntur, ſed potius congeries conſpicitur tenuiſſimorum vaſorum capillarium in extremitatibus vaſculorum, quæ ſecundum Præſidem villoſam quandam veſicularem muſcoſam ſubſtantiam conſtituit, per quam arterioſi & venoſi rami majores invicem communicant.

§. III.

Antequam autem de uſu lienis noſtram ſententiam proferamus, utile erit primo de eorum vaſis & nervis quædam dicere. Arteria videlicet eſt ex cœliaca, cujus ramus ſiniſtrorſum tendens ſplenicus vocatur; hic ſuffultus pancreatis glanduloſo corpori & capreolorum vitis inſtar flexuoſus totus in lienem abſumitur, niſi quod ante ingreſſum in hoc viſcus bifurcetur, & ad ventriculum vaſa ſpargat brevia retrorſum, alia deorſum ad epiploon, medio itinere ad pancreas. Vena ſplenica procedit ex porta, & eſt ejus ſiniſter ramus, qui ſplenicus dictus; antequam ingreditur lienem, duplici gaudet tunica, interna ſubtili & tenui, externa valida & craſſa, quæ poſterior non ultra internam lienis membranam procedit. Dividitur & vena in tres vel quatuor inſignes ramos, quorum ramuli per cellulas tranſeunt, in iiſque terminantur. Vaſa omnia ingrediuntur lienem circa ſuturam quæ dici ſolet linea recta. Notandum hic, quod ex trunco venæ ſplenicæ nonnunquam enaſcatur ramus, qui ad anum tendit, & dicitur hæmorrhoidalis, nam ſanguinem per arteriam meſaraicam inferiorem adductum hic longo itinere per ramum hunc colo & meſocolo annexum reducit ad hunc truncum venamque portæ. Hujus delineationem elegantem vid. in Casserii *Tabul. cit.* Quod attinet vaſa brevia, hæc ex arteria & vena duo vel tria ad ventriculi fundum & eam in partem implantantur, ubi ventriculus tenuiſſimus, & maximam cavitatem habet in ſiniſtro latere. Memorandum & hoc loco eſt, quod inter arteriæ & venæ ſplenicæ ramum ſuperiorem ante lienis ingreſſum notabilis anaſtomoſis occurrat, quam primus omnium eleganter depinxit idem Casserius *l. c.* Hujus etiam facit mentionem Highmorus. Hanc anaſtomoſin ſine dubio provida natura inſtituit, ut, ſi forſan lien infarctus & plenus ſit ſanguine, hic ipſe mox per venam ante lienis ingreſſum poſſit abſorberi & reduci ad hepar.

§. IV.

Præterea nervi quoque lienis interiora ſubeunt & individue arterias comitantur. Oriuntur hi ex plexu ganglioformi ſemilunari ſiniſtri lateris, qui partim ex intercoſtali, partim ex octavo pari coaleſcit, quorum inte-

interiores nerveum plexum ſtomachicum, nec non meſentericum conſtituunt, exteriores autem ſurſum delati nerveum plexum lienarem efformant, ſicuti id clariſſimus VIEUSSENS *in Nevrographia p.* 385. demonſtrat. Hujus nervei funiculi ſanguifera ſplenis vaſa vinciunt, intimamque illius compagem penetrant, quorum tamen quidam in membranam, qua ſuccingitur, explicantur. Hi nervi totam compagem lienis, quaſi retiformi fibrarum textura conſtantem, velut ſuccutiendo lienoſi ſanguinis motum urgent. Dicendum & hoc loco eſt, quod nervi, antequam lienem ingrediantur, communi capſula includantur, quæ capſula craſſa eſt, in ipſa maxima parte, quam occupant nervi & arteriæ; ubi autem venæ ſitæ ſunt, admodum tenuis eſt, velut reticulum. Lien lymphaticis vaſis quoque abundat, quæ in membrana exteriori maxime ſunt inter tunicas conſpicua. Tendunt maxime ad iſtam partem, ubi venæ & arteriæ lienem ingrediuntur, ut in receptaculum chyli lympham exonerent.

§. V.

Quoad uſum lienis videtur ille ex ſtructura ejus optima ratione poſſe elici. In univerſum enim tenendum eſt, cum in circulo ſanguinis libero & expedito vitæ & ſanitatis ratio contineatur, naturam providiſſime per multa viſcera ſanguini fluiditatem & ſpirituaſcentiam conciliare, utpote ſpirituaſcentia motum, fluxilitas autem mobilitatem ſanguini unice fœnerat. Utitur eum in finem attritu & impulſu ſanguinis per copioſa & minima vaſa. Huic uſui etiam pulmones deſtinati ſunt; conſtant enim ex copioſiſſimis & minimum diviſis vaſorum ramulis, ut ſanguis ibi tranſiens diſcerpatur, divellatur, ſubtiliſetur, fluiduſque fiat; unde etiam fluidiſſimus ex ipſis egreditur, ad ſpirituaſcentiam etiam aptiſſimus. Simili uſu lienem gaudere ſententia noſtra eſt, ut nempe per multiplices iſtos copioſiſſimos ramulos tenuiſſime diviſos & convolutos attritione & preſſione ſanguinis a ſua cohæſione magis divellatur, attenuetur, ſolvatur, quod vel ad oculum adparet, dum floridior & miniato coccineo colore imbutus ex hoc viſcere redit. Præterea videtur probabile, lympham elaſticam ſpirituoſam, ex nervis per poros tenuiſſimorum vaſculorum & ſubſtantiam villoſam ſanguini communicari, unde ad ſpirituaſcentiam utique lien multum confert. Opus autem erat hepati tali viſcere, quod ſanguinem floridum & ſpirituoſum reddat; nam notum eſt, venam, quæ dicitur portæ, afferre ſanguinem valde craſſum, immobilem, longinque ex omni inteſtinorum tractu in ipſum hepar; notum & porro eſt, quod hæc vena nullo gaudeat pulſu, qui tamen neceſſarius eſſet, ut per capillares vaſorum ramos per hepar diſperſos ſanguinem propelleret per venam cavam uſque ad cor. Ne itaque ſanguis craſſus ex meſenterio rediens hæreret in minimis venæ portæ vaſis hepar penetrantibus, natura hic præter alia adminicula ſanguinem fluidum & floridum ex liene redeuntem admiſcet, ut eo melius circulum ſuum per hepar abſolvere poſſit.

§. VI.

Statuto ſic hujus viſceris uſu facillimum jam erit exponere rationem horum phænomenorum & ſymptomatum, quæ evenire ſolent in canibus, quibus lien fuit exſectus. Recenſet hæc ipſa MALPIGHIUS *in Exercit. Anat. de viſcerum ſtructura C. 6.* Canis nempe voracior & pinguior factus fuit, plurimum & frequentius mingebat, & tumor in dextro hypochondrio protuberabat ingens. In ſecto rurſus abdomine lien gracillimus apparuit & hepar maximum, & vaſa ad ventriculum & omentum valde turgida ſanguine, dum enim ſanguis non poterat accedere hoc viſcus, quod tamen multis ſcatet vaſis, neceſſe fuit, ut, cum copia ſanguinis in corpore non fuit minuta, vicina vaſa & maxime hepar diſtenta fuerint a ſanguinis copioſiori ingreſſu, unde tumor hepatis & vaſorum dependet; forſan frequentius mingebat propter ſanguinis majorem acceſſum ad renes, glandularumque renalium & ſiphunculorum poros magis dilatatos. Vel etiam ratio hujus phænomeni hæc dari poteſt, quod ſanguinis ſolida pars cum fluido ſero intime uniri & miſceri ſoleat per tranſitum lienis, attritura nempe & preſſura ad minima iſta vaſa frequenti, quæ ſi ceſſat, facile ſerum ſeparatur a ſanguine, & per renales glandulas tranſit. Voracitas autem naſcitur a menſtruo ſalivali gaſtrico acidiori ejuſque propter ampliata vaſa ſtomachica inſtillatione in ventriculum largiori facta.

CAPUT II.

Vitia Lienis tradit.

§. I.

DEſcripto jam ſtatu ſecundum naturam viſceris hujus, traditiſque iis, quæ ejus ſtructuram, uſum, ſitum & connexionem patefaciunt, facilius jam erit ad explicationem ſtatus præternaturalis deſcendere, ejuſque vitia exponere. Primus vero & frequentiſſimus, quem patitur lien, affectus eſt ejus tumor & inflatio. Vocari ſolent tales ægroti ab HIPPOCRATE *lienoſi*, & tumores hi *magni* dicuntur *ſplenes.* Obſervationes vero practicæ, anatomicæ teſtantur, ad miram magnitudinem excreviſſe lienem. Ita notabilis *obſervatio XIV* GERHARDI BLASII, qua mentionem facit de muliere tumore ſiniſtri lateris laborante, qui graviditatis ſuſpicionem referebat, & inde augmentum ſumebat cum gravitate mobilitateque ſingulari, adeo ut quoties corpus in hoc illudve latus inclinaret, vel etiam in dorſum decumberet, corpus aliquod durum in ventris cavo de loco in locum moveri manifeſte ſentiret. Cum extincta fuerit, apertum fuit cadaver, & repertus lien inſignis magnitudinis, latus ſiniſtrum & hypocaſtrium totum occupans, inteſtinis incumbens, penduluſque hærens, adeo ut pro varia corporis agitatione varie etiam facile moveri potuerit, vaſis ſpleneticis mirum in modum & longitudine & capacitate auctis. Recenſent quoque *Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. A. 9. obſ. 56.*, in milite diſſecto obſervatum fuiſſe lienem maximum pondere 8. libras æquantem. DIEMERBROECK *in anatom.* Anno 1657. proſecuit cadaver, in quo lienem invenit quadratum ac durum, æquantem capitis humani magnitudinem. AETIUS *L. 7. c. 10. & 16.* ſcribit, hoc viſcus in lienoſis nonnunquam longitudine ſua uſque ad inguina pervenire, & latitudine jecur contingere. Hujuſmodi lienes ſe quoque vidiſſe referunt VESALIUS *L. 5. de corp hum. fabrica c. 9. &* MARCELLUS DONATUS *hiſt. medica mirab. L. 6. c. 3.* Talem quoque annotavit CABROLIUS *obſ. 9.*, qui pendebat libras 5. Multo tamen majores fuerunt illi lienes, de quibus ſcribit COLUMBUS *Anat. L. 15.*, qui ſinguli excedebant 20. librarum pondus. Accidit etiam quandoque, ut præ nimia magnitudine & pondere relaxentur ligamenta, humilioreque loco ſentiatur lien, imo ea quoque diſrumpantur, ſicque in hypochondrium deſcendat, utpote vincula illa, quibus hepati, reni, coſtis connectitur, non adeo tenſa & firma ſunt. Ita CABROLIUS in nobili viro diſruptionem ligamentorum notavit, cui lien per to-

 tam

tam ventris cavitatem natabat; & RIOLANO quoque id viſum fuit in muliere Pariſienſi, in qua lien ſupra uterum ſubſedit, & Medicos per biennium molæ ſpecie ſefellit, cum tandem fato defunctæ cadavere aperto dicta tumoris & mortis cauſa inventa fuerit à liene delapſo producta. vid. DIEMERBROECK *Anatom. L.* 1. Quinimo lien ſæpius tam turgidus ſanguine fit, ut externæ membranæ rumpantur, & ſanguis extravaſatus in abdominis cavum effluat. Taliſmodi rupturas lienis annotarunt TULPIUS *L.* 2. *obſ.* 29. FONTANUS *in Veſalii Epitomen p.* 21. BOHNIUS *de lethalitate vulnerum*, & *M. N. C. Decur. II. A.* 8. *obſ.* 197. & GEORG. GARNERUS *in obſerv. propriis.*

§. II.

Rationes ſi inquiramus, cur lien tam ingenti ſanguinis ſtagnationi & inde naſcenti tumori obnoxius ſit, plures ſeſe offerunt. Primo enim inſignem conſiderationem meretur; quod ſanguis refluus non modo ex omnium inteſtinorum & ventriculi tractu, ſed & ex omento pancreate & liene univerſus infundatur trunco venæ portæ, & per hepar tranſgrediatur ad venam cavam, per hanc autem ad dextrum cordis ventriculum. In toto autem corpore omnia vaſa, quæ adducunt ſanguinem ad partes, ſolent eſſe arterioſa, quæ impulſu & conſtrictione urgent ſanguinem per capillaria vaſa, eumque transfundunt in venas. Excipitur autem hic ſolenniter hepar, cujus vas magnum adferens ſanguinem copioſiſſimum ex dictis partibus eſt venoſum, (nam arteria hepatica ſatis exigua eſt, hinc parvam quoque adducit ſanguinis quantitatem) & dicitur vena portæ. Per hanc, quoniam impulſo debito deſtituitur, ordinario ſanguinis curſus per minima & innumera vaſcula hepatis tardior & languidior eſt; unde, niſi difficultas hæc adjuvetur concuſſione perpetua diaphragmatis in continua reſpiratione, paratiſſima eſſet ſemper cauſa ſtagnationis & infarctus ſanguinis circa hæc loca. Quod ſi itaque vel ex defectu virium & ſpirituaſcentiæ in partibus muſculoſis, vel propter ſanguinis lentorem, copiam & craſſitiem tardiſſimus ſanguinis per hepar fit tranſitus, non poteſt aliter fieri, quin regurgitans & ſtagnans ſanguis in venæ portæ ramificationibus anſam præbeat circulationi etiam tardiori ſanguinis non modo per meſenterium, ventriculum, omentum, pancreas, ſed maxime omnium per lienem. Neceſſe enim eſt, ut retardetur motus ſanguinis in arteriis, eædemque nimium diſtendantur. Altera autem cauſa, cur lien tam inſignem experiatur tumorem & infarctum, ejus eſt ſtructura, ex copioſis & innumeris vaſculis tenuiſſimis conflata, quibus interpoſita eſt mucoſa quædam & capillaris tenuis vaſculoſa ſubſtantia cum innumeris fibrillis. In hoc itaque contextu vaſorum minimorum copioſiſſimorum facile hærere poteſt ſanguis, & inſignem molem ac magnitudinem conciliare huic viſceri, quod ſi tenuis illa mucoſa & villoſa vaſculoſaque ſubſtantia, quæ ramificationes arteriarum & venarum interjacet, & cujus interventu arterioſus ſanguis intrat in venas, a nimia diſtenſione diſrumpitur, non amplius in vaſis manet ſanguis, ſed extravaſatus magna copia irruit in fibroſum contextum lienis, quem ulterius totum mirifice diſtendit & talem tumorem efficit.

§. III.

Anſam autem & occaſionem hiſce tumoribus præbet primo omnium nimia ſanguinis redundantia, imprimis craſſi, viſcidi, ex victu lauto, craſſo, potu vinoſo, cereviſia alimentoſa, motus abſtinentia contracta; quare conſpicere licet, ſanguineos, habitus corporis ſpongioſioris, & ſanguineo-melancholicos, qui ſanguinem copioſum & craſſiorem alunt in venis, huic malo citius eſſe obnoxios, quam cholericos & phlegmaticos. Aſſenſum huic ſententiæ præbent variæ notatæ obſervationes. Ita FORTIS *Cent.* 3. *obſ.* 45. affirmat, eos, qui aſſueti ſunt craſſis, dulcibus cibis, crapuliſque dediti, facile incurrere tumorem lienis, præſertim tempore autumnali. Deinceps ex ſuppreſſis menſibus & hæmorrhoidibus, ſanguinis nimiam quantitatem ejuſque valde impuritatem augentibus, lienem affectum fuiſſe, teſtantur paſſim obſervationes. Sic FORTIS *Cent.* 3. *obſ.* 46. virginem adducit, cui vigeſimo ætatis anno poſt febres & ſuppreſſa menſtrua lien intumuit, ut non ſolum epigaſtrium, ſed & hypogaſtrium obſederit. HILDANUS *in Oper. p.* 645. ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus ortam fuiſſe graviſſimam obſtructionem lienis & quartanam, teſtatur. Quod ſi enim ſolennes hæ criticæ ſanguinis evacuationes, cum ſanitatis emolumento factæ, variis de cauſis ſupprimantur, non poteſt aliter fieri, quin ſanguis copioſus lentius progrediens ſimul viſcidus factus affligat maxime ea viſcera abdominis, quæ communicationem habent cum vena portæ, inter quæ ob vaſa copioſa aptiſſimus eſt lien. Veteres exprimunt, μετάςασιν fieri ſanguinis ad has partes. Ante omnia autem tumidos & magnos lienes efficiunt febres intermittentes perperam curatæ, & intempeſtivo uſu adſtringentium ſuppreſſæ, præſertim ſi fuerit quartana, quæ plus cæteris hepar & lienem affligere ſolet. Hæ namque febres plerumque naſcuntur ex ſanguinis & humorum copia ac impuritate, diſſlatione & tranſpiratu per cutim impedito, & viſcida bilioſa amurca in inteſtinorum plicis ac valvulis hærente. Provido itaque conſilio & ſapienter, utut per mere mechanicas cauſas id fiat, natura inſtituit vehementes motus ac ſpaſmos in genere nervoſo & fibroſo, in ſanguineis vaſis commotiones æſtuoſas ac impetuoſas, ut horum motuum beneficio craſſum & ſuperfluum in ſanguine & humoribus reſolvatur, attenuetur, expellatur, obſtructiones reſerentur; unde ſaluberrima medicina tales febres exiſtunt, ſi earum motus rite adminiſtret Medicus. vid. *Diſſ. Excell.* PRÆSIDIS *de ſalubritate febrium.* Quod ſi vero nimis cito, antequam materia febrilis, ob quam & per quam fiunt iſti motus, rite correcta vel expulſa fuerit, adſtringentium, quorſum etiam ſpectat china chinæ, vel anodynorum uſu ſiſtuntur & ſupprimuntur, non poſſunt non copioſi & impuri humores, præſertim quantitate delinquentes & effœti, nec non mobilitate ac ſpirituaſcentia defraudati, hærere & ſtagnare hinc inde in vaſculoſis viſceribus, & multorum magnorum morborum, nempe febris hecticæ, cachexiæ, mali hypochondriaci, hydropis, obſtructi lienis, dolorum in artubus, viam apertiſſimam pandere. Porro tales progigni lienis tumores ſolent, quandocunque debilitatis corporibus vel per longiores paroxyſmos febriles vel hæmorrhagias aut aliis modis mox per appetitum auctum ingeritur magna copia ciborum, victuſque craſſus & plenior inſtituitur, qui, quoniam ob vires defraudatas non poſſunt ſufficienter digeri, ſubigi, & ſuperfluum ab iis ſecerni, occaſionem magnis cruditatibus præbent, quæ humores crudos, viſcoſos, minus ſpirituoſos proferunt, qui in lienis minimis vaſculis hærent, ſtagnant, & ſic tumores ac infarctus producunt.

§. IV.

Eſt adhuc alius modus expeditior in generandis viſcerum, & maxime lienis obſtructionibus, quando nempe motus ſpaſmodici meſenterii in hyſtericis & hypochondriacis, menſibus vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis laborantibus accidunt, tunc enim plexibus nervoſis circa centrum meſenterii conſtrictis ſimul vaſa anguſtantur & impediuntur humores in circulo circa

ca hepar & lienem. Quando etiam corpori nimis calefacto vel per motum, vel per febrem ingeritur mox aquæ gelidæ largior hauſtus, notavit inde D. PRÆSES hydropem ſubitaneum & lienis infarctus ortos. Ratio in procinctu eſt. Gelidus enim potus largus in venas lacteas inque calidum corpus celeriter abſorbtus ſerum mox condenſat & coagulat, quod glutinoſum & gelatinoſum redditum hæret quam prompte in tenuiſſimis capillaribus vaſculis lienis, quæ obſtipat, & ita tumorem facit. Egregius hac de re locus exſtat in JOH. LANGIO. Si quartanæ male curatæ hydrops acceſſerit, maxime accidere ſolet, ſi ægrotus in victu aberraverit & intempeſtivo frigidæ potu caloris lenimen quæſiverit, quo humores incraſſati obſtructiones ac ſcirrhum in hepate ac liene pariant, & tum præcipue, ſi dejecti in paroxyſmo particulari caloris putridi exhalationem externo quæſito frigore cohibuerint, qui impulſus utrumque hypochondriorum viſcus adurit & indurat. Ex claſſe alimentorum dulcia, maxime lacticinia, conferunt ad hoc malum. Dulcia ſpleni nocere, autor eſt ipſe antiquiſſimus PYTHAGORAS. Locum ejus ex HEURNIO *meth. ad Praxin L.* 2. *p.* 414. mutuabimur, inquiens: Spleneticis acria & amara proſunt, dulcia nocent. Idem ſentit OCTAVIUS HORATIANUS *L.*2. *c.*15. Spleneticis ab omnibus expedit dulcibus abſtinere. Conferunt itidem potus aquarum paluſtrium, nivalium glaciatarum. De hiſce prodit CELSUS, quod ſplenes magnos & ventres duros faciant, ac calidos. LINDANUS refert, Friſiorum vulgus, quod pro potu quotidiano utitur lacte ebutyrato acido, plerumque magnos habere lienes. Ex animi affectibus contribuit diuturnus mœror. Hic enim, ſicuti ſanguinis curſum imminuit, & inde craſſitiem parit, ita ad generationem hujus affectus multum contribuit. Riſu etiam nimio forti & familiari obſervavimus in ſanguineo plethorico ingentem lienis tumorem. Sanguis enim, craſſus ſi eſt, ſique violentia urgetur in lienem diaphragmatis deſcenſu vehementi, propter copiam & craſſitiem facile in ejus anguſtiis hæret.

§. V.

Cæterum & tempus anni ad ſplenis tumores aliquid confert. In univerſum accuſare ſolent tempus autumnale, imo etiam vernum. Ita HIPPOCRATES *Sect.III. aph.*22. ſcripto reliquit: autumno ſplenes fiunt; & *Idem Author de internis affectibus aph.*34. inquit: alius ſplenis morbus fit maxime veris tempore, verum a ſanguine. Et VALESIUS *exerc.*40. *de morb. intern.* in medium affert virum, cui ter aut quater in anno, maxime vere & autumno ineuntibus intumuit lien. Et ARETÆUS *L.*2. *c.* 14. inquit: autumnale tempus ad ſplenis morbos maxime facit. Ratio, quare in autumno morbi vigeant, mihi hæc videtur; hoc tempore ob maximam mutationem inæqualitatemque aëris tonus fibrarum muſculoſarum, quo adminiſtratur maxime ſanguinis circulus, læditur & vitiatur, unde circulatio debita & excretio ſuperfluorum humorum impeditur; quapropter hoc tempus morborum eſt feraciſſimum, & hypochondriaci, hæmorrhoidarii, arthritici, catharroſi, tunc temporis pathemata & paroxyſmos ſuos experiuntur graviſſime.

§. VI.

Alter morbus, quem lien patitur, eſt ejus durities ſeu ſcirrhus. Primo omnium autem hic notandum, totum hoc viſcus non indureſcere vel ſcirrhoſum fieri, ut nullus amplius ſanguinis circulus per illud ipſum fiat, ſed intelligendum id maxime eſt primo de membranis, quibus lien cingitur, deinde de capillaribus vaſculis conſtrictis & contractis. Durities talis non tam fit a ſanguine copioſo ejuſque infarctu. Rariſſime enim lienes nimis magni & tumidi ſunt, ſimulque lapidoſi & duri, utpote ſanguis non induratur, ſed lympha eſt, & ſerum, quod poros obſtipat, concreſcit, & firmam ſenſus expertem ſubſtantiam induit, unde ante omnia membranæ lienis in duras cartilagines abeunt, & viſitur ſæpius Lien quaſi cortice lapidoſo incruſtatus. Talem ante duos annos invenit D. PRÆSES hic loci in ſervo morbo nigro mortuo. De ſplene pro dimidia parte duro cartilagineoque videſis *obſ.* 168. *Decur. I. Anno* 3. *p.*288. *Miſc. Nat. Cur.* Eadem *Miſcell. Decur. I. an.* 1. *obſ.* 29. *p.*100. de magno agunt liene, cujus membrana gibboſa maxime illius parte cartilaginea erat, ac per quam facile a ſubjecto corpore disjungi poterat. CORN. STALPART VAN DER WIEL *obſ. rar. obſ.* 49. mentionem facit cadaveris, cujus lien, quo loci peritonæo alligabatur, ſolida & fere cartilaginea cute digiti circiter craſſitiem æquante obtectus fuerit.

§. VII.

Durities vero & ſcirrhoſitas lienis, quia non a ſanguine craſſo copioſo lieniſque infarctu & obſtructione dependet, ideoque in ſanguineis & plethoricis raro contingit, ſed potius phlegmaticis, inque ſanguinis defectu cachecticis & ſero viſcido impuro laborantibus taliſmodi ſerum ſtagnat in ſubſtantia villoſa & fibroſa, nec non in vaſis lymphaticis per membranas lienis diſſeminatis replet & opplet poros, in iiſque coagulatur, indureſcit, nam duri tumores partium membranoſarum & fibroſarum plerumque fiunt a ſtagnatione ſeri. Ita videmus membranam ſcroti, peritonæi, duræ matris, etiam a ſtagnatione indureſcere, denſiorem ac craſſiorem fieri. Sic portio nervi in aquam frigidam immiſſa per aliquot tempus quadrupla major fit, nam ipſum ſerum ſtagnans poris inſinuatum fibrillulas expandit, poſtea diſſipata ſubtiliori parte concreſcit & indureſcit. Oriri & manare ſolent tales ſcirrhoſitates plerumque a magnis cruditatibus congeſtis poſt morbos diu perpeſſos; v. g. diuturnam quartanam, nimias hæmorrhagias, item aquæ frigidæ potum, &c. Accuſat FORTIS *Cent.III. obſ.*36. adſtringentium præpoſterum uſum, dum inquit: Sanguine craſſo infarctus lien non diſſlatus, præſertim ſi adſtringentia uſurpentur, duritiem ſcirrhoſam producit. FORESTUS *L. XX. obſ.*8. duplicem eſſe ſcirrhum ait, vel ex ſe per paulatinam collectionem, vel Medicorum imperitia ex inflammatione male curata, vel nimium refrigerantibus applicatis.

§. VIII.

Tertio lien obnoxius quoque eſt inflammationibus & exinde natis apoſtematibus, quamvis hic affectus rarior ſit. Sanguis enim in viſcere tali vaſculoſo ſtagnat quidem, & impeditius circulatur, ſed non ζέσιν concipit, qualis ſolet contingere in inflammationibus, quæ poſtea, ſi non diſcuti poſſunt, vel in abſceſſum, vel in pus aut in ſphacelum degenerant. Talem abſceſſum lienem circumquaque cingentem vid. apud STALPARTIUM VAN DER WIEL *obſ.*48. dum nempe mulier de latere ſiniſtro multum conquerebatur, mortuum enixa fœtum, poſteaque moriebatur. Hujus abdomen fœtenti pure repletum fuit. Cauſa hujus mali fuit diſruptio membranæ lienis, in qua copioſiſſimum pus exiſtebat. Exemplum quoque vide in FORESTO *L.XX. obſ.*5. JOH. RIOLANUS *Enchiridio Anatom. & patholog. L. II. c.* 27. in inflammationibus lienis pulſationem in ſiniſtro latere vehementiſſimam obſervavit, a qua valde coſtæ collidebantur.

§. IX.

§. IX.

Quarto lien aquoſum quoque tumorem etiam patitur, a quo rupto hydrops cito oritur. Solet hic tumor exiſtere inter membranam lienis & ipſum parenchyma, & ex ipſis vaſis lymphaticis nimium lympha diſtentis naſcitur. Fiunt primum veſiculæ, quæ vulgo vocari ſolent hydatides, & ſunt magnæ vaſorum lymphaticorum expanſiones lympha repletæ, ex quibus ruptis lympha extravaſatur & ſubito progignit hydropem. Ita JOBUS A MECKEREN *p.* 416. memorat, ſeſe in liene rotundam veſicam aqua repletam, ſuaque concluſam membrana, reperiſſe, e qua aperta pura albaque lympha prodibat. Ita etiam COITERUS *Libr. obſ. anat. & chirurg.* reperiſſe ſe ait in corpore cujuſdem fune interemti veſiculam quandam duobus pugnis magnitudine parem, quæ aqua plena inferiori ſplenis parti annectebatur. De ſingulari quoque lienis hydrope agit CAROLUS PISO *de morbis a ſero Sect. I. p.* 45. Conferatur etiam hac de re THOMAS BARTHOLINUS *Act. med. obſ.* 13. *fol.* 23.

§. X.

Quinto lien corrumpitur, abitque in fœtidam putrilaginem, atteſtantibus hoc frequentibus hiſtoriis. Sic lienem nigrum inſtar picis notavit BLANCARDUS *obſ.* 59. *Anat. Pract. Miſc. N. C. A.* 10. *Dec.* 2. *obſ.* 161. mentionem faciunt maniaci, qui poſtea lethargo obiit, lienem habuit ad levem contactum diffluentem aterrima ſanie exſtillante. Et THEOPHILUS BONETUS *Medic. Septent. L.*3. *Sect.*5. *c.*4. vocatum ſe ait ad ſenatorem ſexagenarium, qui per os ejecit humorem nigredine cum atramento certantem, & ſingulis poſtea hebdomadis redibat affectus. Cadavere aperto vitium lienis deprehenſum fuit, qui ſumma parte carcinomate exceſus intus & extra nigricans erat, in ventriculum ſarcina ſe exonerante. Et *Miſc. N. C. Dec. I. ann.*6. *obſ.* 133. adducunt Virum, qui ob febriculam & melancholiam in delirium actus, ut ſe ipſum ſuſpenderet laqueo. Cultro ſubjectus anatomico lien, ablata, qua tectus eſt, membrana, totus inſtar craſſæ & nigræ amurcæ defluxit. Nihil in eo ſolidum; ut non creditum ſit diſſimile vero, ex corruptione melancholici viſceris miſerum in deliria actum fuiſſe. FELIX PLATERUS *L.* 2. *obſ. p.*469. notavit, quod lien in hujuſmodi cadaveribus inſtar coagulatæ ſanguinis maſſæ apparuerit abſque ulla ſubſtantiæ ſoliditate. Sexto lien non modo ingentis magnitudinis ſæpius viſitur, ſed quandoque etiam ſatis exiguus & contractus. Durus autem ſimul tunc ſemper eſſe ſolet. Perpauca ſaltem memorare placet hac de re exempla. Sic VIDUS VIDIUS *L.* 10. *c.* 10. *de curat. membr.* obſervavit in cachectico viro repente ſyncope mortuo, lienem columbacci ovi magnitudinem non excediſſe, durum, ac compactum, ut lapidis duritiem imitaretur. VESALIUS *lib.* 5. *c.* 9. *de corp. hum. fabrica* notavit in viro aqua inter cutem mortuo lienem albidum, ſed exiguum. Facile patet, decrementum pati lienem, & contractiorem eum fieri, quando propter obſtructa & corrugata & indurata vaſa ſanguinea ſanguis non poteſt ad illud viſcus pertingere, a cujus copia ejus moles & magnitudo dependet.

§. XI.

Conſideravimus hactenus varia vitia, quibus humanus lien affectus eſt; ordo jam poſcit, ut recenſeamus quoque graves morbos ac ſymptomata, quæ ex liene male affecto manant ac oriuntur. Placet vero maxime omnium, quæ nobis de morbis ſplenis ſcripto reliquit *maximus antiquiſſimæ medicinæ Antiſtes* HIPPOCRATES, paulo penitius in conſiderationem ducere. *Ipſe* autem *intern. affect. text.* 34. & 49. ſequentia habet: Patitur æger ab hoc morbo ſplenis hæc: Venter inflatur, poſtea ſplen intumeſcit & durus eſt, & dolores acuti in ſplenem incidunt, color autem mutatur & conſpicitur niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens, & ex aure male olet, & gingivæ malæ olent & a dentibus diſcedunt, & ex tibiis ulcera erumpunt, & velut puſtulæ nocturnæ, membra vero attenuantur & ſtercus non ſuccedit. *Idem L.* 35. Alius ſplenis morbus fit veris maxime tempore, verum a ſanguine. Cum enim repletus fuit ſplen ſanguine, erumpit in ventrem, & dolores acuti in ſplenem incidunt, & in mammam & in claviculam & in humerum & ſub ſcapulam, color autem corporis plumbiformis eſt, & parva ulcuſcula, velut lancinata in tibiis exſurgunt, ex quibus ulcera magna fiunt & primum infra ſecedunt, ſanguinolenta ſunt & æruginoſa, & venter durus ſubit, & ſplen velut lapis eſt. Et idem graviſſimus *Autor* 2. *Prorrh. text.* 42. hoc de lienis tumore tradit indicium; quibus oculorum ſubcava attolluntur valde, hos lienes magnos deprehendes habere.

§. XII.

Clarum fit ex allegatis hiſce HIPPOCRATIS locis, ex lienis tumore enaſci maxime habitum corporis cachecticum, vaſa nempe repleri ſero impuro, unde fiunt pravus ille lividus color, palpebrarum tumor, tibiarum ulcuſcula, corruptio dentium & male olens ſtillicidium ex auribus. Accedit plerumque etiam fœtor oris, pedum inflatio, ſanguinis ex gingivis eruptio, ulcerum in tibiis difficilis ſanatio. Ratio nempe cachectici iſtius mali eſt ceſſatio muneris, quo lien fungitur. Dum enim obſtructus craſſo ſanguine eſt, ipſe non poteſt circulum ac tranſitum per hoc viſcus abſolvere, ſed potius ſtatim vel per anaſtomoſin, quæ eſt in ingreſſu inter arteriam & venam ſplenicam, ad venam portæ redit, vel ſi tranſit cum impedimento per hoc viſcus, ſimul contagio putrido & vappido ſanguinis ſtagnantis vel extravaſati imbuitur; unde loco ſanguinis ſpirituoſi floridi adducitur ad venam portæ & totum corpus ſanguis luridus, craſſus, non exacte mixtus, fæculentus, qui ſpiritus paucos gignit, imo ſpirituaſcentiam vitalem inteſtinam ſanguinis deprimit, unde circulatio, & cum ea omnes functiones retardantur, ſicque augmentum fit ſeri ſuperflui impuri, quod hærens in minimis vaſculis capillaribus tumorem, lividum colorem, inflammationem, ulceraque efficit putrida, idque maxime in gingivis & pedibus; nam ibi ordinario eſt lenta progreſſio ſanguinis & adſcenſio ad cor difficilis. Uno verbo, lienis vitium & infarctus magnus diu durans faber eſt cachexiæ ſic dictæ ſcorbuticæ, quæ cognoſci ſolet a Medicis ex plumbeo faciei colore, gingivarum putredine & arroſione, habitu corporis laxo & tumido, pedum ulceribus, ſcabie, reſpiratione difficili, inflatione palpebrarum, oris fœtore, ſanguinis e naribus effluxione.

§. XIII.

Alter morbus, qui ex liene magno prognaſci ſolet, eſt ipſe hydrops tam anaſarca, quam aſcites. Accidit tumor hydropius, maxime in febribus intermittentibus, præſertim quartana, quando plus juſto aquam ingurgitant in paroxyſmo, nec per veſicam, aut ſudorem excernunt. Hinc vitiato ſplene ſubnaſcitur aqua interius, docent id LANGIO *in Epiſt.* 41. Quamvis enim hepar conſenſu omnium fere autorum, præſertim antiquiorum, cauſa ſit hydropis, & ex ejus vaſis lymphaticis diſruptis, quæ illic copioſiſſima ſunt, aqua deſcendat in cavum abdominis, nihilominus vitium in ſplene procreare & eundem morbum poteſt, quoniam magnus jecoris & lienis eſt conſenſus. Unde

de

de HIPPOCRATES *L.V. de loc. affect.* ſcribit, quod lienis cauſa totum hepar frequenter afficiat. Nam quando ſanguis non rite motu evolvitur per lienem, nec ibi fluxilior & ſubtilior redditur, fit, ut ſanguis craſſus majori impetu & copia incumbat in viſcus hepatis, ubi facilius in portæ ramificationibus per hepar diſperſis ex impeditiori motu terreſtres multas limoſas partes vaſis capillaribus apponit, ea obſtruit, ſicque induratum hepar efficit, & bilis nec non lymphæ ſecretionem impedit, unde ad cachexiam & hydropem tranſitus fit facillime. Accidit autem hic effectus maxime, ſi lien in ſcirrhum & duritiem abit, & inde plane contrahatur & exiguus fiat. Ita VESALIUS *L. V. c. 9. de corp. hum. fabrica* in viro aqua inter cutem mortuo obſervavit lienem albidum ſed exiguum. Dum vero hæc ſcribimus, raram obſervationem habet DN. D. PRÆSES. Generoſus juvenis ex potu frigido corpori prius calefacto immiſſo incidit in hydropem totius corporis, abdominis, pedum, ſcrotique horrendum. Apertum fuit ſcrotum non ſine ſucceſſu, dum nempe intra ſex dies vel viginti libræ aquæ ex ſcroto fuerunt emiſſæ, quæ totius abdominis tumorem ſuſtulerunt. Notatu autem dignum eſt, quod circa ſiniſtrum latus tumor in abdomine non voluerit totus cedere, & quod is etiam adhuc auctus fuerit, quando aquæ per foramen ſcroti emiſſio per turundam fuerit impedita. Exinde illud diſcimus, ſplenem eſſe maxime affectum, & ſanguinem a frigido potu ibi coagulatum diſruptionem vaſorum lymphaticorum in hoc latere, ipſoque liene ortam fuiſſe, præſertim cum ipſe ægrotans per multos annos coloris lividi & tumidi fuerit, & maculas hinc inde in corpore habuerit lividas & flavas.

§. XIV.

Tertius morbus, qui frequens eſt vitiis lienis, eſt vomitus ſanguineus, morbusque niger. Extra dubium eſt, quod vomitus niger proveniat ex vaſis dictis brevibus & arteria & vena ſplenica, ante ingreſſum lienis in ventriculi capaciſſimam ſiniſtram partem, ubi tenuiſſimus eſt, & tunica ſatis exigua glanduloſa & fibroſa præditus, intra has tunicas diſperſis, quæ a ſanguinis ſtagnantis copia facile aperiri & diſrumpi poſſunt, unde ſanguis in cavum ventriculi effunditur & per os ejicitur. Interdum etiam ſimul vaſa in inteſtinis aperiuntur propter nimiam a ſanguine diſtenſionem, & ſic fit ſeceſſus niger fœtidiſſimus, qui *morbus* dicitur *niger* HIPPOCRATIS, quo de integram diſſertationem ſcripſit *Dn. D. Præſes*, qui obſervavit in duobus apertis cadaveribus, diſruptionem factam fuiſſe in inteſtino ileo, non aliam ob cauſam, quam quod tenuiſſimum ſit & tunica glanduloſa, muſculoſa longe ſubtilior, quam in jejuno & duodeno, unde ora vaſorum tecta tam tenui pellicula ibi facilius poſſunt aperiri. Dependet eruptio hæc extraordinaria & ſumme detrimentoſa per ileon & ventriculum ex lienis vitio, quod vel in tumore infarctuque, vel in ſcirrho & corruptione conſiſtit, teſtantibus id ſectionibus anatomicis. Sic RIOLANUS *anthropolog. L. 1. c. 17. fol.* 114. teſtatur in lienoſis a vaſe brevi ſæpiſſime copioſas immodicas ſanguinis ſusque deque ejectiones emanare ſe vidiſſe; & in nobili quodam Senatore, qui rejectione ſanguinis per ſuperiora & inferiora de liene prodeuntis interierat, deprehendiſſe vas breve, minimo digito latum, & in ventriculo adapertum. Idem teſtantur REALDUS COLUMBUS *rerum anatom. L. XV.* p. 492. WEDELIUS *in phyſiol. reformata*, & MARCELLUS DONATUS *Hiſt. mirab. L. IV. c. 9.* hanc recenſet hiſtoriam: Monachus Carmelitanus, cum lienis tumore diu laboraſſet, repente in ſanguinis rejectionem copioſi, craſſi & fæculenti, per vomitum extramiſſi incidit. Eadem die & per alvum ejusdem generis ſanguinem emiſit; die ſequenti ſanguis per vias lotii exivit, cum interim de nullo dolore ulla in parte conquereretur, animam una cum ſanguine fudit. A nimio pondere & magnitudine lienis non modo accidit vomitus cruentus & ſeceſſus niger, verum etiam difficilis urina. Vid. BLANCARDI *Anat. Pract. Obſ.* 47. Et quod lien magnus in morbo nigro ſit in culpa, vid. *obſ.* 23. & 32. *ibid.* item SCHENCK. *obſ. rar. L. III.* ita ſcribens: vir, cujus lien valde intumuerat, ſanguinis nigricantis & grumoſi libras decem & amplius per ſeceſſum & vomitum excrevit, unde lienis tumor longe minor, quam antea fuerat, redditus eſt. Nihilominus cum intemperantiſſimus eſſet, rurſus intumuit; & poſtmodum per annum a prima ſanguinis excretione in alteram conſimilem incidit, ex qua in hydropem devenit & obiit. vid. etiam THEOPHILUS BONETUS *Med. ſeptent. L. III. c. 4. ſect. 5.* Ratio vero, cur quandoque tantum ſanguis diſrumpat vaſa ventriculi & inteſtinorum, cum tamen cauſa mali, nempe lienis tumor & obſtructio ſemper præſens ſit, hæc eſt, quod animi accedente affectu, vel quadam corporis commotione interna ex alia cauſa ſpaſmis centrum meſenterii afficiatur, & ſic in anguſtias magis redactus ſanguis in vias apertas irrumpat, vaſorumque orificia vi quadam reſeret.

§. XV.

Eſt quoque lienoſis valde familiaris nimius ſanguinis fluxus per venas ani, per quem etiam, ſi moderatus ſit, egregie juvari ſolent ademta ſuperflui ſanguinis quantitate lienoſi. Ratio vero, cur ipſi ſint obnoxii huic fluxui, hæc eſt: venæ videlicet hæmorrhoidalis internæ ramus vel ex ipſo ramo ſplenico, vel ex meſenterio ſiniſtro naſcitur, & longo ſatis itinere ſanguinem ex ano per arteriam meſaraicam adductum revehere perpendiculari motu ſatis difficili debet. Quando autem ſanguis non bene procedit per hepar, & ſtagnat in ramo ſplenico valde diſtento, neceſſe eſt, ut & in vena ſubſiſtat, & conſequenter urgens ſanguis a tergo per arteriam aperiat tandem & diſrumpat vaſorum ora tunica inteſtinali tecta. Conſentit in hanc rem GALENUS, *comment. in 6. aph. L. II.* qui lienis fœturam hæmorrhoides appellat, quibus, inquit, melancholicos, ſpleneticos potiſſimum affici, diſtorqueri, his ſublevari communi conſenſu receptum eſt, & quandocunque etiam hic fluxus aſſuetus ceſſat, gravius inde luunt ſplenetici, & facillime in vomitum ſanguineum vel nigram dejectionem incidunt. Alia quoque ſanguinis eruptio lienoſis familiaris eſt, & quidem per narem ſiniſtram. Meminit hujus ſymptomatis ipſe CÆLIUS AURELIANUS *L. III. c. 4. p.* 413. Et talis fluxus quandoque non inutilis eſt.

§. XVI.

Diſponunt deinceps lienis morbi ad hypochondriaca pathemata. Recentiores equidem in inteſtinis & ventriculo hujus mali cauſam unice quærunt, ſed revera falluntur; quamvis enim hic morbus in partibus nervoſis & membranaceis, in ventriculi orificiis duobus, œſophago, inteſtinis, meſenterio, diaphragmate, ſpaſmodicis contractionibus ludat ſuam tragœdiam, nihilominus ſedes cauſæ in hypochondriis & ibi viſceribus latitantibus, jecore, liene, quærenda, maxime omnium autem in tardo progreſſu ſanguinis ex omnibus iis partibus, quæ ramis venæ portæ irrigantur, oritur; & quoniam lien obſtructus, ad talem progreſſum tardiorem multum contribuit; hinc occaſionem quoque dare poteſt iſtis pathematibus ſpaſmodicis. Fuit hæc antiquiſſima hujus affectus ratio.

Ipſe

Ipſe GALENUS *L.* 3. *de loc. affect. c.* 7. ex DIOCLIS ſententia dicit: ſuſpicandum eſt in hypochondriaca affectione, in illis venis, quæ alimentum ex ventriculo excipiunt, ſanguinem eſſe craſſum. Et SENNERTUS *in praxi L.* 3. *part.* 5. *Sect.* 1. ex ſtagnatione in venis meſaraicis idem malum petit. Ita etiam FORTIS *cent.* 3. *obſ.* 90. hanc ipſam adfectionem ex lienis maxime vitio derivat, & quidem ex ſtagnatione ſanguinis in vaſis meſaraicis. Qui *Autor* etiam *ibidem* dicit, quod phlogoſis pylori, intenſus calor hypochondriorum & vomitus cruentus a craſſo ſanguine ſtagnante proveniant. Verum enim vero accidit ſæpe, ut, qui tumore, inflatione, & ſcirrho lienis diutius laborant, immunes ſint ab hoc malo, imo ſæpius hypochondriaci diſſecti inſontem lienem habuerint. Quibus reſpondemus: Equidem lien non ſemper eſt infarctus in hoc malo, neque, ſi talis eſt, continuo ſpaſmi ſeu ſymptomata hypochondriaca excitantur; nam plura certe concurrunt, quam ſanguinis craſſities & ſtaſis in hiſce venis, ut ſpaſmi inde fiant. Si enim vaſa ſatis ampla ſint, ut ſanguis poſſit habere locum, ſi etiam per hæmorrhoides vel per ſectionem venæ evacuatur, ſi natura non eſt ſenſibilis & inclinat ad ſpaſmos, ſi ætas vergit ad ſenectutem, ubi pauciores & imbecilliores ſpaſmi exiſtunt, utique tunc non expectanda hypochondriacis conſueta ſymptomata ſunt.

§. XVII.

Conſideratis itaque iis malis & gravibus affectibus, quos lienis vitia preſſo pede poſt ſe trahunt, ſequitur jam, ut perpendamus ea ſigna quibus adfectiones & vitia lienis dignoſcere poſſimus. Præter jam dicta ſymptomata, quæ etiam ſæpius vicem gerunt ſignorum, ſunt maxime tumor & dolor gravativus in ſiniſtro hypochondrio ad diaphragma & ſiniſtrum humerum protenſus, difficilis decubitus ſupra dextum latus, pedum inflatio, cibi itidem adeſt faſtidium & appetitus proſtratus, dolores quandoque acuti ſentiuntur & ad ipſum jugulum accedunt. Ratio dolorum eſt, quoniàm ab ipſo pondere lienis tenduntur nervi lienis, it. ipſe ventriculus, diaphragma, quibus annectitur. Scirrhus vero manifeſtatur ex duritie ſaxea ſub ſiniſtra parte præcordiorum deprehenſa, doloris & febris experte. Præter hæc autem recte cachexia, ſcorbutus, hæmorrhoidum fluxus, ſanguinis fluor ex naribus, & ſupra dicti adfectus demonſtrant certo malum radicari in liene.

§. XVIII.

Sed ne fallamur in diagnoſi, 1) tumor lienis probe diſtinguendus eſt ab eo, qui poſt vehementiores corporis motus, præſertim poſt paſtum & potum, accidere ſolet in ſiniſtro latere. Hic non lieni, ſed potius arctato inteſtino colo adſcribendus eſt. Tunc enim copioſiores flatus, vel contenta etiam inteſtinorum ad coli flexuram, quæ ex profundo deſcenſu & aſcenſu longo in ſiniſtro latere fit, diſturbantur, quæ ibi hærentia faciunt dolorem tenſivum; unde impreſſio digitorum in locum affectum flatuum impetum retundendo dolorem ſopire ſolet. 2) Tumor lienis diſtinguendus a dolore colico, quia ſcybalis ibi retentis vel ab acribus humoribus oritur; dolor autem lienis magis eſt gravativus, colicus autem acutus; deinde lienis eſt chronicus, colicus autem brevioris temporis; ille quoque eſt fixus, colicus vero magis vagus; ille non ceſſat clyſteribus & carminativis applicatis, hic autem vel ceſſat, vel levamen inde accipit notabile. 3) Differt quoque dolor ſplenis, quomodocunque fiat, a dolore muſculorum per tactum externum. Si enim muſculi dolent, etiam leviter ſi tangatur, illico dolorem percipit æger, dolor in ſplene ſtatim a cibo ſumto communicatur & color ſæpe mutatur, quod in muſculis externis non fit; quamvis difficilius cognoſcantur in muſculis profundioribus, quam in iis, qui in ſuperficie poſiti ſunt. Deinde inflatio lienis diſtingui debet ab inflato ventriculo. Ab hoc diaphragma maxime patitur, & hujus tumor ſeſe exſerit magis in parte antica corporis, tumor lienis magis in parte poſtica eſt. Hic etiam eſt magis gravativus.

§. XIX.

De prognoſi etiam quædam dicenda reſtant. Scirrhus lienis, ſi omnis doloris expers eſt, incurabilis habetur ab ipſo HIPPOCRATE *L. VI. Epidem. Sect.* 6. Enimvero non ſemper præſentiſſimum minatur vitæ periculum. Sic BENEDICTUS SYLVATICUS *in Conſil. & Reſponſis* plures vidit ſcirrho laborantes multos annos ſuperſtites. Refertque MARCELLUS DONATUS *L. VI. Hiſt. mirab. c.* 3. nobilem mulierem lienem tantæ molis habuiſſe, attamen plures filios peperit optime formatos, qui adhuc in vivis erant. Novit quoque FORESTUS; qui vid. *L. XX. obſ.* 8. *in ſchol.* nobilem quandam matronam, quæ ultra annos triginta duritie lienis laboraverat, & tamen in ſolitis operationibus non læſa eſt. Quod ſi vero ſcirrhus adhuc dolet, curationem aliquam, licet difficulter, admittit; quinimo aliquando naturæ critico conatu quodammodo evaneſcit, prout contigit *Bioni apud* HIPPOCRATEM *propoſ.* 2. *in* 2. *Epidem.* 27. qui per copioſum ſanguinis effluxum ex nare ſiniſtra & urinæ profluvium ſanatus fuit. *Bion*, inquit HIPPOCRATES, ſimul copioſa mejebat ſine ſedimento, & ſanguis per ſiniſtram narem fluebat; erat enim ſplen in gibbum elatus & durus, & ſurſum elatus; ſuperſtes fuit. Deinde bonum pronunciant eventum profluvium ventris. Ita enim FORESTUS *L. XX. obſ.* 6. ſcribit: Sicut ex nare ſiniſtra ſanguinis profluvium, ita & profluvium ventris bonum pronunciat in morbis lienis exitum. Et AETIO *teſte L. X. c.* 15. ventris fluxus bonum augurium præſtat. Et HIPPOCRATES, ſi ſupervenit lienteria lienicis, in bonum cedere judicavit. Accedit etiam, quod hæmorrhoidum fluxus ſplenicis valde ſit utilis, unde HIPPOCRATES *VI. Epidem. Sect.* 6. non affirmare erubeſcit, lienis affectu non laborare, quibus hæmorrhoides fluunt. Porro nec hoc ſicco prætereundum eſt pede, quod catarrho obnoxii raro ſplenetici fiant. Ratio eſt, quoniam aquoſa, fluida materia, craſſa & melancholica adeſt. Et HIPPOCRATES conſentit etiam in hanc rem, dum *L. II. Epidem.* 44. affirmat, minus intumeſcere lienem iis, qui laborant a capite. In inflammato liene ſi ſanguis e naribus fluit, magnam afferre ſolet utilitatem, ſicut etiam id confirmat FORESTUS *L. XX. obſ.* 6. *in ſchol.* inquiens: in viro inflammatione lienis laborante quarta die e ſiniſtra nare ſanguis erumpit magnam afferens utilitatem. Illud denique notabile eſt, quod lienis tumor non ſit perpetuus, ſed quandoque tantum urgeat certis anni temporibus, vel certo cœli ſtatu. Ita TURNEISERUS *in Examine urinarum* adducit fœminam juvenem formoſam, quæ ſubinde plenilunii tempore graviſſime ex ſiniſtro latere ad triduum uſque affligebatur, quo exacto dolor eouſque remittebat, donec novum plenilunium inſtaret. In liene, quod rariſſimum eſt, inventus lapis caſtaneæ magnitudinis, ſubalbidus, alabaſtri mollitie, pondere unc. duarum & drachm. IV. laminis ovorum putaminibus invicem cruſtatim involutis ſimilibus, concretus. Non minus urinæ profluvium conducit. Sic VALERIUS *exerc.* 40. *ad Hollerium de morb. intern.* affert virum, cui ter aut quater in anno, maxime vere aut autumno ineuntibus, intumeſcit lien, ac dum prominulus tumor inſtat,

ſtat, dolore hypochondrii infeſtatur, ſublividus toto ſit corpore, ſenſimque deterius habet; ſed tandem nigricantibus urinis atramento ſimilibus erumpentibus, per 5. aut 7. dies priſtinam reſumit incolumitatem tumore & gravitate hypochondriorum evaneſcentibus. Jam autem 12. vel 15. annis urinarum profluvio detinetur, cum antea turgidas, ſed minus apertas habuiſſet hæmorrhoides.

§. XX.

Quod attinet ipſam curam, commendamus ante omnia hic in tumore lienis a ſanguine, præſertim in plethoricis & ſanguineis, venæſectionem, & quidem in pede inſtitutam, quam omnes Veteres, ut CÆLIUS AURELIANUS *L.* 3. *c.* 3. commendant. Quoniam vero, dum per hæmorrhoides vel nares expurgatur ſanguis, hoc malum ſublevatur, hinc colligitur, quod ſanguinis miſſio per venam inſigne ſit ſolatium hoc malo affectis. Meretur hic commendari egregius locus GALENI *Lib. de ſanguinis miſſione not.* 16. Perpetuo inſignem utilitatem obſervavit ſanguinis miſſionem ex ſiniſtro latere, hac cautela, ut, ſi niger & craſſus effluat, educatur in magna copia, ſi autem pallidus & tenuis, non multum. Deinde hæmorrhoidum apertionem, præſertim in aſſuetis mirifice commendamus. Habemus in hac re conſentientem HIPPOCRATEM *L.VI.Epidem.6.* qui ſcribit: hæmorrhoidum apertio indurationem lienis ſanat, ſanguinem atrabilarium ſeu craſſum & copioſum ſolvendo. Poteſt hoc commode fieri per applicationem hirudinum, quam CAELIUS AURELIANUS *l. c.* & FORTIS *cent. III. obſ.* 40 laudant. *Idem hic cit. Autor* quæſtionem movet, an in lienis affectibus, quando cœcæ adſunt hæmorrhoides, ſanguis ſit educendus per hirudines, vel an eæ ſint exſiccandæ. GALENUS *Sect.* 4. *aph. comment.* 25. ſcribit, hominem non eſſe ad evacuationem per hæmorrhoides aſſuefaciendum, & rationem reddit, quia uterque exceſſus progreſſu periculoſus evadere poteſt, ſeu nimis ſeu nihil ſanguinis effluat; quare nullo modo abundantes humores excrementitii ad illam partem ducendi & minus attrahendi, ut evacuentur. Potius itaque ſunt exſiccandæ topicis. Si autem hæc non ſufficiant ad apertionem ſenſibilem deveniendum, quæ, licet procurari ſoleat hirudinibus applicatis, felicior tamen ſemper ſucceſſit inciſio ad inſtar phlebotomiæ ferro facta, quæ, cum ſit operatio magis expedita, minor etiam ſuccedit humorum attractio, quam ab hirudinibus diu partem ſugentibus, quæ præterea tenuiorem ſanguinem attrahunt, craſſior vero per anguſtum foramen non educitur, ſed in parte relinquitur, ad quam operationem tunc deveniri permitto, quando hæmorrhoidum aliqua valde repleta ſanguine turget & dolorem moleſtum infert, neque carnis excreſcentia ſuperemineat.

§. XXI.

Tertio non præſentius remedium contra lienis morbos inveniri poſſe exiſtimo uſu debito acidularum. Ipſa enim ratio hoc dictitat, & experientia luculentiſſime id confirmat. Acidulæ enim tum copia tum ſpirituoſitate ſanguinem illum craſſum diluunt, reſolvunt, & fluxilitate ſua vaſa lienis minima oppleta ſanguine præſentiſſime ſolvere & deoppilare ſolent. Nihil enim magis contrarium craſſitiei, quam fluxilitas. Et habuit *Excell. Præſes* ante annum exemplum in viro hujus loci ſanguineo, alias ſano, cui lien intumuit, & moleſta pathemata peperit, appetitumque proſtravit, qui levamen quidem aliquod ſenſit ex vena ſecta in pede, plane tamen malum non ſuſtulit. Tandem perfecte liberatus fuit ſuperiori anno uſu acidularum Pyrmontenſium. Nam certe nec ullum purgans nec aperitivum, nec alterans, niſi fluidum ſit, & in copia præbeatur, tumori taliſmodi removendo aptum & conveniens exiſtit; unde non ſine fundamento Veteres mirifice in lienis affectibus commendaverunt aquam extinctionis fabrorum. Ex his eminet CORNELIUS CELSUS *L. IV. c.* 19. In lienis morbis potu, inquit, jejuno dari debet ſtomacho abſinthium incoctum, & poſt cibum aquam a fabro ferrario, in qua candens ferrum extinctum eſt; Hæc enim præcipue lienem coërcet; quod animadverſum eſt in illis animalibus, quæ apud fabros educata exiguos lienes habent. Et ANTONIUS BENIVENIUS *Cap.* 105. *de abditis* ſcribit: Multos nos tali vitio affectos curavimus, inter quos unum, quem cum ſeptennio hoc morbo vexatus, fruſtra multa conſilia & pene infinita præſidia expertus fuiſſet, ſolo tandem cappari, qui tali ægritudini aptiſſimus cibus eſt, ſolaque aquæ vi, in qua faber ferrarius ſæpe candens ferrum extinxit, annua potione liberavimus. Et SERVIUS *L.II.Inſtitut.med.c.3.membr.*1. *p.* 127. hypochondriacis commendat refrigerantia, ſerum lactis, aquas acidulas, &c. CÆLIUS AURELIANUS *quoque L. III. C.* 3. uſum aquarum naturalium laudat.

§. XXII.

De martialibus etiam, quæ mirificis laudibus extolli ſolent in affectibus hiſce aliquid dicendum. Aſſerimus vero, ea non carere ſuo uſu ac laude, non quidem ut acidum abſorbeant, ſicuti plurimi exiſtimant, acidum enim non eſt ipſo in ſanguine, vel lienis affectus parat, ſed ſanguinis craſſities eſt, neque acido per ſanguinem diſperſo corrigendo vel temperando proportionata eſſet tam exigua portio remedii martialis, ſed potius agit roborando & tonum reſtituendo nimium dilatatis & relaxatis fibris vaſorum & glandularum, ut hac ratione ſanguinis humorum circulus celerior & citatior fiat, quemadmodum etiam id ad oculum patet, dum ab uſu martialium facies fit floridior, pulſus celerior. Parum tamen ipſum ſolum prodeſſe, cum FORTI *Cent. III. obſ.* 40., præſertim in ſcirrhoſis tumoribus, exiſtimamus, niſi in actum deducatur per magnam quantitatem liquidi, utpote omnis motus & impulſus fruſtraneus eſt, niſi materia prius mobilis facta fuerit. Commode hunc in ſcopum decocta vel infuſa herbarum ſplenecticarum acui & condiri poſſunt tincturis martialibus. Experti ſumus, ſcribit FORTIS *obſ.* 41., efficaciſſimum ſalem martis cum decocto ſarſæparillæ, quod mirabilis ad duros tumores emolliendos.

§. XXIII.

Ulterius notum eſt, quod inter ſpecifica ſplenetica tam recentiores, quam veteres commendare ſoleant ſcolopendrium, chamæpytin, radicem capparis, corticem tamariſci, cuſcutam, epithymum, abſinthium, radicem cyclaminis, meliſſam, lamium, &c. Dicimus nec hæc deſtitui ſuo fructu & operationem ſuam exſerere, dum terreſtri quodam ſubtili adſtrictivo principio fibras nimium relaxatas roborando, celeriorem progreſſum ſanguini & humoribus injungunt, & hoc pacto obſtructa vaſa reſerant. Meretur legi, quod habet FORESTUS *L.XX.obſ.* 2., qui adducit vetulam lienoſam, quæ etſi jam 20. annis laboraſſet tumore lienis duriuſculo, ſolo continuo uſu capparum convaluiſſe; ſolo oxymelle ſquillitico ELIDÆUS Bononiæ in noſocomio curavit quendam ſpleneticum tribus annis eo malo detentum, vid. FORESTUS *l. c.* SOLENANDER in obſtructione & ſcirrho lienis commendat lamium ſeu milzatellum, edoctus a monacho Etruſco, qui ſingulis diebus hujus herbæ aliquot folia contuſa

tuſa & ovo incocta, exhibebat edenda & permultos curabat.

§. XXIV.

Tandem commendamus motum corporis, & maxime equitationem. Juxta PLAUTUM enim ambulatio lienoſis eſt magna medicina. Novit aliquos AETIUS, qui ex ſolis deambulationibus & exercitiis ante cibum, corpore ſuperfluiditatibus non abundante, ab omni affectione lienis ſunt liberati. Motu enim & frequentiori diaphragmatis deſcenſu ſuccutitur hepar, quod diaphragmati adjacet, & ita promovetur ſanguinis motus per venas meſaraicas & totum tractum venæ portæ, ejuſque circulus augetur, qui ad obſtructiones in vaſis ſolvendas unice aptus eſt. Poſtremo alvum in hiſce morbis, præſertim quando pathemata urgent, ſemper apertam habere præſtat, id quod commode fieri poteſt per clyſteres aperitivos, carminativos, pillulas de tribus, Becherianas, Stahlianas, mixturas ex anima rhabarbari, auro fulminante, arcano duplicato, tartaro tartariſato conſtantes. Alvo enim aperta dolores & ſpaſmi notabile decrementum patiuntur.

§. XXV.

De Topicis reſtant quædam dicenda, neque hæc defraudanda plane ſunt laude ſua; vulgo commendare ſolent oleum capparum, emplaſtrum de ammoniaco, de tabaco, de cicuta, it. Cataplaſmata ex emollientibus, ſucco bryoniæ, cyclaminis, ebulo compoſita, nec ſine ratione, præſertim ſi applicentur illi loco, ubi lien ſitus eſt; penetrando enim particulis ſuis volatilibus & balſamicis, fibris relaxatis robur quoddam conciliare poſſunt. HIERON. FABRICIUS AB AQUAPENDENTE *L. I. Chirurg. C.* 51. commendat ceratum ſequens pro ſplene, factum ex duabus partibus ammoniaci in aceto diſſoluti, una ſucci herbæ reginæ, quam tabacum vocitant, dimidia reſinæ pini & terebinthinæ & ſucci ebuli, una olei de capparibus & ceræ novæ q. ſ. ad conficiendum emplaſtrum.

§. XXVI.

Coronidis loco etiam ſubjicienda eſt curioſa quæſtio, num conferat & poſſibile ſit, ut ſi deſperatum malum eſt, & lien minus magnus & ſcirrhoſus, ingens vitæ periculum imminet, ipſum lienem exſcindere. De lienis canum exciſſione res nota eſt, de liene autem humano res adhuc dubia, habemus tamen exemplum apud FIORAVANTIUM *in theſauro vitæ humanæ L. 2. c. 8.*, quod contigiſſe fertur anno Chriſti 1549. Uxor centurionis anno ætatis 24. ſcirrho lienis ita ob pondus affligebatur, ut præ dolore anxie mortem expectaverit. Acceſſit Chirurgus, malumque inſpiciens deſperatum excogitavit remedium itidem deſperatum, ſicque conſentiente ægra abdomen diſſecuit, exciſſoque pondere lienis prægrandi abdomen iterum conſuit, atque ita ægram ſpatio 24. dierum feliciter reſtituit. Noſtro judicio res eſt periculi non expers in homine exſcindere lienem, nihilominus exiſtimamus, hoc auxilium quandoque deſperatum poſſe ſuccedere, ſi ætas & robur ſubjecti conſentiat, peritusque ſit Chirurgus. Si enim poſſibile eſt, ut fœtus ex utero poſſit exſcindi, uti memorabilia habemus exempla, præſertim in MARCELLO DONATO, quidni etiam fieri poſſe in liene non dubito.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MORBIS PANCREATIS.

Primùm edita Anno 1713.

PROOEMIUM.

IN morborum curationibus plurimum ſibi vendicare diligentem uniuscujuſque temperaturæ & cauſarum morbum continentium notitiam ſolertiores Medicorùm omni tempore communi ſuffragio tradiderunt, neque id ſine ratione. Quandoquidem perfecta morborum ſanatio non alia ratione perficitur quam ut peculiaris cuivis individuo proprius fluidorum motus ac circulus, neque minus morborum genuinæ cauſæ exacte explorentur, atque iis idonea auxilia remediaque opponantur. Ideoque unice enitendum eſſe practico Medico, cui hominum ſalus ac valetudo curæ cordique eſt, videtur, ut, qua fieri poteſt ſolertia ac cura, cujuſvis mali cauſam inquirat, ejuſque ſedem ac domicilium, diligenter perſequatur. Neque vero ſufficit, cauſam, quæ dicitur proxima morbi noſſe, ſed inquirere quoque convenit, in quo viſcere, in qua parte ſuam fixerit ſedem. Rarius enim, præſertim in morbis chronicis, ſolidas partes viſceraque ſine labe ac vitio inveneris, utpote quæ progignendis longis & rebellibus morbis aptiſſima ſunt. Cujus aſſerti veritatem comprobat pleniſſime nunquam ſatis laudanda anatomica inſpectio

ſpectio morbo extinctorum, quæ affectuum non modo naturam ac locum ſed & funeſtas læſiones apertiſſime oculis exponit: Etenim Anatome dicente MONTANO alphabetum Medicinæ eſt, quo tanquam fundamento neglecto, reliquum etiam ædificium neceſſe eſt corruat, cum abſque eo nec partes nec partium functiones neque proinde earundem læſiones cognoſci aut diſcerni commode poſſunt. Optandum itaque vehementer foret, ut cadaverum, quocunque etiam morbo perierint, ſectiones eſſent frequentiores, ita enim futurum credimus, ut ad longe majorem perfectionis gradum ars noſtra ſalutaris poſſet accedere. Nobis jam, Deo Auſpice, propoſitum eſt, mala, quæ ex vitio ac læſione pancreatis, teſte anatome, corpori ſuccreſcere poſſunt, eo, quo fieri poterit compendio thematis loco indagare. Equidem obſcurum eſſe nequit, quibus fatis ſuperiori ævo hoc viſcus fuerit obnoxium, ubi ejus ſucci tanta dignitas utilitaſque aſſerta fuit, præeunte præſertim Magno Medico SYLVIO, ut non modo univerſi corporis ſanitas omniumque ejus partium incolumitas, ſed & morborum præcipua cauſa ac ſanationis ratio magno labore inde fuerit deducta, utpote hic ſolertiſſimus Vir ex bilis & ſucci pancreatici temperie & commixtione decenti ſanitatis præcipuum negotium explicavit & ulterius quoque ex eorundem intemperie multos & magnos morbos, præcipue qui in primis ſic dictis viis & genere nervoſo conſiſtebant, deduxit. Enim vero quanto applauſu, ut in lucem hæc prodiit ſententia, fuerit olim excepta, tanto etiam conſenſu brevi tempore deſtituta atque repudiata fuit, uſque adeo ut, quia mortalium indoles rarius modum tenere ſcit, cum olim in omnibus fere morbis increparent pancreas ejuſque ſuccum, noſtro tempore in recenſendis morborum cauſis & locis plenaria fuerit ejus facta oblivio. Re interim paulo diligentius examinata utrique animadvertimus & hoc nobile viſcus ſuos pati manes, ejuſque vitia non minima eſſe & frequentius occurrere, quam Medicorum hodierna fert opinio. Hæc etiam fuit cauſa quare hunc laborem ſuſceperimus, demonſtraturi qui morbi & quæ læſiones ex pancreate male affecto in corpus noſtrum poſſint redundare. Summum vero Numen ſupplices obteſtamur, ut felicem ac rei Medicæ ſalutarem jubeat hunc noſtrum conatum.

§. I.

INquiſituri itaque morbos vitiaque, quorum ſedes pancreas eſt, neceſſum omnino arbitramur, ut priusquam altius noſtrum propoſitum perſequamur, ex ipſis anatomicis paulo diligentius pancreatis ſtructuram & fabricam ac ex hac denique ejus uſum & ſtatum naturalem proponamus. Glandulam eſſe Pancreas & ex earum numero quæ conglomeratæ appellantur i. e. quæ ex innumeris parvis glandulis compoſitæ ſunt, ubi ſingulæ ſuum peculiarem ductum, qui tandem conjuncti, majorem conſtituunt, habent, res apud Anatomicos in confeſſo pene eſt. Nemo quoque facile inficias ibit, pancreas glandulas ferme reliquas univerſi corporis omnes & magnitudine & mole ſuperare. Neque enim mammarum glandulæ unius lateris a pinguedine ſeparatæ tam ingentis molis ſunt, ut pancreatis pondus ſuperent, id quod manifeſtum exhibet indicium, ſingulari uſu glanduloſum pancreatis corpus eſſe inſtructum. Accedit ut plurimum ad octo vel decem digitorum transverſorum longitudinem, latitudinem vero duorum digitorum cum ſemiſſe exhibet, craſſitiem pollicis transverſi raro ſuperat. Situm eſt maxima ſui parte in hypochondrio ſiniſtro atque circa primam lumborum vertebram peritonæi membranæ, qua inveſtitur, firmiter annexum eſt: cohæret arcte cum inteſtino duodeno & quidem magna ejus portione, adeo ut non modo ventriculo ſed & ipſi duodeno fulciendo & molliter calore ſuo ſubveniendo idoneum ſeſe præbeat. Denique communicat ipſum pancreas cum hepate per venæ portæ majorem ramum, connectitur quoque cum duodeno in quod ſuccum illum, quem filtrat nobilem infundit, cum liene communicationem quandam habere videtur, quoniam arteria ſplenica æque ſanguinem ad pancreas ac ad lienem diverſis ramis adducit; Venam vero a ramo Venæ portæ ſiniſtro, qui pancreati infertus verſus lienem ſe extendit & illi hinc inde ſuas propagines transmittit, nanciſcitur. Quare etiam liene adfecto vix aut nunquam pancreas, anatome id docente, integrum manet: communicat etiam, quamvis paulo remotius, cum cerebro dum nervos ab octavo pari & intercoſtalis dextri plexu ganglioformi accipit; proximius vero, quoniam idem nervi in jecur, duodenum & porum biliarium transferuntur, cum iisdem partibus fovet conſenſum.

§. II.

Pancreas diximus eſſe glandulam ex numero conglomeratarum: Non enim ignotum eſt, omnis generis glandulas in conglomeratas & conglobatas a GRAAFIO & STENONE diſpeſci, quarum priores congeries ſunt innumerarum minorum glandularum, quarum unaquæque vaſe peculiari excretorio gaudet & hinc vaſculoſæ dicendæ. Conglobatæ vero magis fibroſæ ſunt quia non tam ſecretioni ſed potius motui & lymphæ progreſſioni impulſu, quo gaudent, velificantur. De ſtructura vero glandularum, quæ conglomeratas conſtituit, non una eademque eſt Anatomicorum ſententia. Subtiliores recentiorum aſſerunt glandulas eſſe membranarum tenuiſſimarum, per quas vaſorum tam arterioſorum quam venoſorum nec non excretoriorum tubuli & fibrillæ nerveæ extenſæ ſunt, convolutiones & in ſpiram quaſi complicationes, ubi excretorii ductus ab extremitatibus vaſorum ſanguiferorum oriuntur adeoque totas fere eſſe vaſculoſas. Cui invento maxime ſuffragatur VIEUSSENS *in novo vaſorum corporis humani ſyſtemate p.* 212. qui pancreas bene conſtitutum ex cadavere humano exemtum & propria membrana denudatum clavo affixum intra duodecim dies ita exſiccavit, ut in corpus membranoſum abierit, tenuiſ-

ſimas in membranas poſtea diviſibile, has vero pellucidas & microſcopio perſpectas ex arteriis, venis & vaſis lymphaticis conflatas apparuiſſe, arterias puniceo, venas nigricante, lymphatica ſubcinereo colore diſcerni potuiſſe affirmat. Ex hac itaque ſtructura pancreatis mere vaſculoſa evidentiſſime cognoſcitur non ſecus ac in aliis glandulis conglomeratis ſuccum ſeparari, qui etiam per ſingularem ductum primum à Mauritio Hoffmanno inventum, poſtea a Wirsungo Patavii publici juris factum in ſinum duodeni infunditur. Notatu vero perquam dignum eſt, quod in homine uterque ductus & choledochus & pancreaticus concurrat, eorum denique orificia in unam papillam deſinant, quæ directe fundo flexuræ duodeni, quod ſæpius a nobis obſervatum, ſuperpoſita eſt, adeo, ut guttatim in ſubjacentem chymi maſſam uterque ſuccus invicem mixtus deſcendens inſtilletur. Multum enim ad boni chyli ulteriorem elaborationem horum duorum menſtruorum ſubtilitas quin contribuat, nullum eſt dubium.

§. III.

Equidem Veteres Anatomici nullam hujus ſucci notitiam habuerunt, poſtea vero quam a Recentioribus pancreatis ductus & ſuccus fuerit detectus, variam indolem atque virtutem aſſignare contenderunt. Et primum tempore eo, quo doctrina de acido & alcali in medicinam introducta & magnopere æſtimata fuit, quam plures, inter quos ſummi in Belgio Medici Graaffius & Sylvius primum ſibi vendicant locum, ea fuerunt in ſententia acidum hunc humorem eſſe, qui cum bile quam credebant alcalinam, efferveſcentiam ad chyli perfectionem in inteſtinis celebrare debeat. Quin imo ipſe Cl. Sylvius huic efferveſcentiæ inteſtinali univerſæ tam theoriæ quam praxeos fundamentum unice fere, ut ejus monumenta teſtantur, ſuperſtruxit. Verum enim vero accuratiori poſtea facto examine non tantum pancreatis ſuccum in corporibus ſanis minime acidum ſed plane inſipidum eſſe, verum etiam & totum pancreas veſiculamque felleam in canibus ſalva vita exſcindi poſſe, deprehenſum fuit. Quo factum, ut Sylvianæ hypotheſi valde detractum ipſaque decrementum non minimum paſſa fuerit. Interea tamen negari neutiquam poteſt & bilioſum, quem univerſum hepatis viſcus fundit ſuccum, & qui ex pancreate fluit, ad intimam alimentorum ſolutionem neque minus ad congruam cum ſuccis corporis noſtri lympha & ſanguine efficiendam diſpoſitionem multum utique conferre. Siquidem in pancreate, non ſecus ac in glandulis ſalivalibus cum quibus maximam ratione ſtructuræ hoc viſcus habet affinitatem, ſuccus valde ſubtilis ex partibus ſalino-ſulphureis aqueis & aëreis tenuiſſimis compoſitus ſeparatur, qui propter ſummam, qua pollet penetrantiam & expanſivam elaſticam vim, qua intima alimentorum ſubit, magnum microcoſmicum menſtruum conſtituit. Neque immerito ejuſdem cum ſaliva indolis & virtutis eſſe pancreatis liquor, id eſt, menſtrualis, penetrantis, fermenteſcibilis judicatur. Saliva videlicet tenuiſſimum quod eſt univerſi corporis elementum complectitur, imo ipſo ſemine ſubtilior eſt: nulla ibi viſitur in ſtatu ſano viſcoſitas, vel gelatinoſa & concreſcibilis ſubſtantia ſed tota aërea, ſpirituoſa & elaſtica eſt, unde etiam non modo mire in vacuo ebullit & prompte dulcia in fermentationem conjicit, ſed & in metalla & mercurium operatur, & ſi jejuni hominis fuerit lichenes, impetigines penetrante ſua vi ſanat. Eſt itaque non modo ſaliva in ore & ſuccus ventriculi pariter ac glandularum inteſtinalium, ſed & pancreatis liquor genuinum alimentorum menſtruum, quo ipſorum intima mixtio ac craſis intime diſſolvitur, quod patet ex eo dum ſapor, odor, conſiſtentia ciborum priſtina plene deletur atque immutatur. Quum enim diverſiſſimæ indolis ſoleant eſſe ingeſta, opus utique erat, menſtruo ſimpliciſſimo eoque valde activo & quaſi univerſali: quod omnes poros penetraret & inteſtina elaſtica agilitate unionem partium mixtionem conſtituentium diſcerperet. Rectiſſime itaque Recentiores ſuccum pancreatis id præſtare in inteſtinis quod efficit ſaliva in ventriculo aſſeverarunt. Ex quo jam facile intelligitur, utique ejus ſucci & hujus viſceris ad firmandam valetudinem maximam eſſe utilitatem, præſertim cum duodenum nil aliud quam alter & ſuccenturiatus ſit ventriculus, cujus aſſerti veritas clariſſime à *D. Præſide in Diſſert. de Duodeno multorum morborum ſede* eſt evicta.

§. IV.

Notabile vero eſt, quod in homine hi duo diverſi ſucci, bilis nempe & pancreatis ſuccus, ante ingreſſum in inteſtinum prius invicem miſceantur, quæ mixtura ut ita loquar ſimplex, temperatior facta naturæ noſtræ valde congrua videtur. Homo quippe omnium fere animantium eſt calidiſſimus & propter frequentem calidorum uſum ut vini, aromatum & potus ſpirituoſi, carnium quoque, quæ multum ſulphuris & ſalis volatilis habent, ſanguinem præcalidum, qui intenſum fervorem, ut patet in febribus, concipit, in venis fovet; Quare etiam bilis, qui liquor eſt valde ſulphureus in homine, calidior & acrior eſſe ſolet. Ne itaque nimis acris bilis nimis celeriter ciborum maſſam ex inteſtinis præcipitet, neque etiam ipſorum tunicas valde ſenſiles offendat; provida natura ſapientiſſimo conſilio hunc acrem ſuccum alio inſipido mitigat ac temperat; quo fit, ut blandior minusque acris vel fervida fermentatio in inteſtinis celebretur. Ex hiſce jam perſpicua fit ratio, quare bilis facta majori per iram affuſione vel pancreate obſtructo vomitus bilioſi & alvi fluxus frequentiores fiant: quorſum etiam ſpectat elegans *Obſerv. Cl.* Brunneri *in libro de experimentis circa Pancreas c. IX.* ubi fatetur quod canes, qui obierunt pancreate ademto, vomitibus bilioſis finem vitæ fecerint.

§. V.

Ex ſupra jam dictis atque expoſitis clariſſime intelligitur primo pancreatis ſtructuram eſſe ex innumeris minimis capillaribus vaſculis tam arterioſis quam venoſis & etiam excretoriis, contextam, quod non modo glandularum fabrica ſed & ipſe ſuccus ſubtiliſſimus omnis viſcoſitatis expers declarat; ſecundo hujus ſucci utilitatem in elaborando bono & temperato ſubtili chylo, bile contemperanda & inteſtinali motu ac tono ſecundum naturam conſervando eſſe maximam. Qua de cauſa præter naturalem pancreatis ejuſque ſucci conſtitutionem mirifice valetudinem turbare & morboſas affectiones progignere poſſe, evidentiſſime colligitur. In genere vero ſciendum eſt, omnes fere morbos, qui aliis glanduloſis corporibus ſunt frequentes ac familiares pancreati eſſe communes.

§. VI.

Inter hos primum ſibi vendicant locum tumores qui perfrequenter in glanduloſas partes incidunt. Quid enim facilius eſt, quam quod in anguſtiſſimis tubulis ac vaſculis humor hærere, ſtagnare, coire eaque obſtruere poſſit, unde tumor & durities naſcitur. Mirum vero eſt, quemadmodum minoris alias molis glandulæ, ut ſunt ſubaxillares, inguinales, glandulæ colli, valde intumeſcere inque ingentem tumorem attolli poſſint; Cujus rei exemplum etiam teſtes præbent, qui non niſi congeries

mini-

minimorum vaſculorum ſunt & ita ſæpius intumeſcunt ut pugni magnitudinem exſuperent. Accidit hoc dubio procul, quod materia ſtagnans in tubulos fortiori impulſu adacta eos ſupra modum diſtendat. Jam vero nil frequentius fit, quam quod inſignis tumor in pancreatis glandulam incidat, quod obſervationibus anatomicis ſubinde perſpectum eſt. Neque, ut quasdam hanc in rem notabiles hiſtorias afferamus injucundum & ad ſcopum noſtrum inutile fore judicamus. Primum vero prodeat STEPH. BLANCARDUS qui *in Anat. pract.* hanc obſervationem inſinuat. Vir 40. annorum ab annis tribus cruentis & atrociſſimis renum ac dorſi doloribus vexatus & inter mingendum arenulas rubras ejiciens, ſubinde vomitus graviſſimos habuit, & tandem his revertentibus demortuus exhibebat pancreas longitudinis duarum ſpithamarum & latitudinis duarum manuum transverſarum. In melancholicis pancreas ad ingentem molem aſſurrexiſſe notavit RIOLANUS *in Anthropog. L. II. c.* 16. Neque lectu injucunda eſt, quam tradit HARDERUS *in Miſc. N. C. Dec. II. Ao. VI.* hiſtoria. Fœmina videlicet 50. annorum doloribus circa præcordia graviſſimis conflictata ventriculi regionem admodum diſtentam habeat, atque circa ejus fundum corpus magnum & durum perſentiens, quod a ſiniſtris dextrorſum & ab hinc ſiniſtrorſum ſenſim protrudere potuit, malo per aliquot annos vexata fœmina, remediis liberari potuit nullis, morte tandem victam cultro aperuit idem *Cl. Autor*, vidit jecur pallidum non nihil ad duritiem inclinans, meſenterii vero glandulas ſcirrhoſas fere ad unum omnes, & tandem cum tumorem magnum quæreret, pancreas ſeſe exhibuit tantæ magnitudinis, ut penitus tumore ſuo ſpatium abdominis & ventriculi fundum impleverit. Neque hanc in rem aliena videtur ZWINGERI *obſervatio* quam videſis *in Miſcell. N. C. Dec. II. Ao. VI. p.* 91. utpote qui refert in maniaco per 30. annos hoc malo detento hepar & lienem non multum vitiatum apparuiſſe, pancreas vero magnum & glanduloſum reperiſſe, exacte referens pancreas vituli elixatum.

§. VII.

Neque vero tantum propter obſtructos & infarctos pancreatis tubulos ipſum more aliarum glandularum multum intumeſcit: verum etiam interveniente tempore durum & ſcirrhoſum evadit unde contumacium & ſævorum morborum origo. Referunt *Miſc. N. C. Dec. II. Ao. II. obſ.* 71. in puella duorum annorum atrophia lenta demortua, glandulas non modo meſenterii ſcirrhoſas, hepar inſignis magnitudinis, vaſa lactea obſtructa, ſed & lienem & pancreas indurata inventa fuiſſe. Simili ratione *Cl.* SCHELHAMMERUS, ut teſtatur in *Miſc. N. C. obſ.* 88. *A. II. Dec. III.* in cadavere infantis 6. annorum atrophia extincti totum pancreas ſcirrhoſum ac durum annotavit. Eſt nempe infantibus atrophia perquam familiaris, ſive in ſtatu lactationis ſive extra eum fuerint; nihil enim tam promte minimos vaſorum tubulos occludit quam lactis caſeoſa materia: Et quia paulo adultiores facti adiphagia laborant & vitæ otioſæ indulgent, non mirum eſt a copia ſucci nutritii lenteſcentis ſenſim paulatimque abdominis viſcera, quæ non niſi congeries ſunt minimorum vaſorum, ut hepar & pancreas, obſtrui atque intumeſcere, quo fit, ut non modo impuritas ingens ſuccorum qui præeſſe nutritioni & aliis corporis actionibus nequeunt, ſuccreſcat.

§. VIII.

Præterea veterem ac invincibilem pancreatis obſtructionem aſthmatis & phthiſeos tandem cauſam fieri ex variis obſervationibus compertum habemus. Ita *Cl.* SCHROECKIUS in cadavere phthiſi demortuo totum pancreas vidit ſcirrhoſum, quod legitur in *Miſc. N. C. Dec. III. Ao. III. p.* 317. *Cl.* VATERUS quoque in anatome phthiſici & ſimul cachectici rigidum, ſcirrhoſum pancreas reperit: qua de re conſuli poſſunt *Miſc. N. C. Dec. III. Ao. III. obſ.* 146. Huic quam proxime accedit ſequens obſervatio, quæ legitur *obſ.* 188. *Dec. III. Ao. III. Miſc. N. C.* in anatome phthiſicæ pancreas totum ſcirrhoſum inventum, pulmones habuere tubercula dura & veſiculæ pus album craſſum fundebant: hepar quoque ſcirrhoſum fuit, poſt morbillos ſucceſſit hic morbus. Teſtatur quoque STEPH. BLANCARDUS in viro, quem phthiſis e medio ſuſtulit, ſe hepar ſcirrhis putridisque tuberculis refertum inveniſſe in *l. c.* Referunt identidem curioſa hæc *Miſc. Dec. III. Ao. III. obſ.* 15. in anatome ſtudioſi phthiſi pulmonali & cachexia intereunti, pulmonem ſcirrhoſum & ſinuoſum, hepar tumidum, pancreas rigidum & ſcirrhis conſpicuum notatum fuiſſe. Neque deſunt rationes, cur ex pancreatis vitio naſci poſſit phthiſis; utpote hæc à tuberculis ſcirrhoſis, quæ partem pulmonum occupant & ſucceſſive in exulcerationem abeunt plerumque fovetur. Quodſi vero ſuccus ille elaſticus pancreatis, fermenteſcibilis, qui chylo ſubtilitatem conciliat, ob pancreas obſtructum deficiat vel degener factus fuerit, inde fit, ut ſuccus chyloſus admodum viſcidus, rudis ac crudus evadat, qui poſtea tenuia pulmonum vaſcula per veſiculas aëreas diſperſa facile replens & occludens tubercula ſcirrhoſa pulmonibus ingenerat: quæ tandem aperta & exulcerata inſtar cancri ſerpunt, & ingentem ſæpe pulmonum ſubſtantiam funeſta ratione conſumunt.

§. IX.

Docent quoque frequentes ſectiones gravem aſcitidis morbum, qui plerisque quos corripit, eſt exitioſus, neque minus cachexiam quæ prodromus aſcitidis eſſe ſolet, a pancreate obſtructo & ſcirrhoſo admodum foveri. Memorabile eſt *Cl.* HARTMANNUM, ut teſtantur *Miſc. N. C. Dec. II. A. V. p.* 138. in viro anaſarca defuncto, pancreas longitudine quadrantis ulnæ, duorum digitorum transverſorum craſſitie, gibboſum ab una, ab altera ſimum, ſolidum, durum, grandinoſum inveniſſe, hepar vero quod miratione dignum & magnitudine & colore & ſubſtantia ſanum. Idem laudatus *Autor l. c.* in alio ſubjecto 52. annorum aſcitico renes ſcirrhoſos, pancreas inſolitæ magnitudinis totum ſcirrhoſum, itemque hepar durum reperit. Et rurſus aliam inſinuat obſervationem, ubi ſimili ratione in aſcitico pancreas durum, lienem ſcirrhoſum & veſiculam fellis non bile ſed lympha turgidam annotavit. Id ipſum quoque deprehenſum fuit a Celeberrimo autore in alia aſcite mortua, ubi pancreas grandinoſa duritie ita præditum fuit, ut fieri haud potuerit quin ſtylus ductui Wirſungiano immiſſus, verſus pancreas adigeretur.

§. X.

Pancreatis obſtructionem & indurationem viam ad hydropem pandere, non mirum eſt, ſiquidem hujus mali non alia cauſa eſt, quam quod ſanguinis crudioris admodum tarda progreſſio & circulatio per hepatis viſcus, propter venæ portæ, quæ ſanguinem impellere debet, deficientem pulſum fiat, quare ejus ſtagnatio & regurgitatio non modo minimos hepatis tubulos obſtruit, ſed & cauſa infarctus vicinorum viſcerum, ut lienis & pancreatis exiſtit. Cum vero lymphæ promtus progreſſus & circulatio a ſanguinis circulo pendeat, hinc non poteſt aliter fieri, quin a ſan-

ſanguinis motu per hæc viſcera intercepta lympha nimium in ejus vaſa congeratur, quæ tandem nimia diſtenſione diſrumpuntur, unde lethalis fere in cavo abdominis ſit extravaſatio.

§. XI.

Scirrhus pancreatis, præſertim ubi duodeno firmiter jungitur, continuæ & tandem funeſtæ vomitionis identidem cauſa eſſe poteſt, teſtante id *Cl.* Harderò *obſ.* 62. ubi notat hiſtoriam hominis vomitu perpetuo per menſem ante obitum conflictati, qui colico cruciatui ſucceſſerat, ubi facta ſectione pylorus, præſertim in orificio, prædurus & ferme cartilaginoſus fuit repertus, cui ſubjacebat pancreas durum ac ſcirrhoſum adhæreſcens quod ipſum comprimebat. Et hæc quoque dubio procul eſt cauſa, quod Pancirolus *in obſ. Pentecoſt. obſ.* 44. a pancreate lapidoſo in vetula quotidianum vomitum poſt prandium & cœnam conſpexerit. Hujus vero mali cauſa non altius quærenda eſt, ſi quidem vel anguſtato aut compreſſo pyloro exitus & tranſitus liber maſſæ ciborum intercluditur, unde fermentatio alimentorum in ventriculo diutius hærentium non modo intenditur, & flatuum eſt origo: ſed & mora maſſa ciborum acrior reddita dextrum orificium ventriculi hujusque fundum, qui maxime ob fibrarum ibi ingens exſiſtens robur & copiam tono & motu gaudet valido, ad vomitionem ſollicitat.

§. XII.

Neque minus induratum & obſtructum pancreas hypochondriaco ſic dicto affectui, perpetuis nempe inteſtinorum flatulentiis & melancholiæ, admodum lenocinatur. Extra dubium eſſe arbitror, ſpaſmos & flatulentias illas, quæ mira in hypochondriacis excitant ſymptomata, potiſſimum in toto alimentorum & excrementorum canale, qui propter ſenſibiles valde membranas conſenſum fovet cum toto nervorum genere, ſedem ſuam habere, utut ſubjectum cauſæ alibi & maxime in hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii & earum partium, quæ cum vena portæ communicant, conſtitutione præternaturali quærendum ſit. Quod ſi enim hepar & pancreas ſanguine craſſo obſtructa & infarcta ſint, fieri aliter nequit, quin catholica hæc & ſummæ activitatis ac utilitatis menſtrua microcoſmica, quæ pro univerſo corpore aptos ſuccos præparant, videlicet bilis & pancreaticus ſuccus, vitientur, unde chylificatio depravatur, tonus inteſtinorum pervertitur, fermentatio in ventriculo & duodeno flatuum præcipua genitrix præternaturalis ſit. Sicuti enim a lympha gaſtrica & pancreatica nec non bile ſecundum naturam ſeſe habente blanda & moderata maſſæ ciborum in duodeno & reliquis inteſtinis intima ſit ſolutio & fermentatio: ita ſi bilis nimis acris, pancreaticus vero ſuccus acidior & pituita viſcida ſit, fortis & acris emergit fermentatio, unde ingens flatuum oritur copia. Quodſi enim in pituitam viſcidiorem menſtrua hæc elatere ſuo agant, horribilis flatuum ſit proventus, a quibus tot rugitus, borborygmi, murmillantes ſonitus, fluctuationes, tot anxietates, dolores tenſivi, punctorii, tot ructus fiunt. Igitur frequentiſſime in malo hyſterico chronico, quod non niſi affectio hypochondriaca eſt, neque minus in paſſione illa virorum flatulenta, quæ morbus hypochondriacus audit, vitio & obſtructione pancreas laborat. Habemus aliquot ſectionibus compertum, ubi hypochondriaci perierunt cachectici & pancreas ſcirrhoſum deprehenſum fuit quod aliquot ante annos in viro hujus urbis primario viſum fuit. Highmorus *Diſquiſit. Anat. p.* 47. fœminam refert convulſionibus, epilepſia, & paſſione hyſterica conflictatam quæ poſt mortem pancreas male affectum & ulceratum exhibuit. Similem recenſet hiſtoriam Harderus *obſ.* 59. *p.* 242. Fœmina, inquit, 40. annorum per menſes duos aſſidue conqueſta ſuit de ventris cruciatibus, adeo ut motus in ventre fuerit perceptus quaſi infantis ſubſilientis, cum frequentibus nauſeis, animi deliquiis, lumborum doloribus, nec non coxendicis; in ſectione hepar fuit deprehenſum exſuccum, friabile, putridum, innumeris abſceſſibus farctum, pancreas totum ſcirrhoſum & magna quantitas calculorum majorum & minimorum in veſicula fellea, unde dubio procul motus inteſtinorum ſpasmodici fuerunt oborti ab acri ichore fibras nerveas inteſtinorum miſere exercente. Cui & illa addenda, quam videre licet *p.* 297. *obſ.* 91. in ſupra citato *Cl. Autore.* Fœmina 50. annorum doloribus circa præcordia graviſſimis conflictata, ventriculi regionem diſtentam atque circa ejus fundum corpus durum habente, pancreas inſigniter ſcirrhoſum & magnum tumorem præ ſe ferens, imo & pylorum ſcirrhoſum invenit; & quoniam melancholia plerumque ſolet eſſe fœtus affectus hypochondriaci, hinc non mirum, quod in melancholicis Riolanus *in Anthrop. L. II. c.* 16. pancreas ad ingentem aſſurrexiſſe magnitudinem ac molem deprehenderit, idque præſertim in Auguſto Thuano, in quo etiam ſcirrhoſum fuit. Cum denique melancholia facile tranſire poteſt in maniam, hinc teſte *obſ. Cl.* Zwingeri *Miſc. N. C. Dec. II. A. VI. p.* 543. in maniaco 20. annorum pancreas magnum & nullum veſtigium ductus pancreatici potuit reperiri, quod etiam factum eſt in phrenetico, de quo ſcribit Hartmannus in iisdem *Miſc. Dec. II. Ann. V. p.* 120.

§. XIII.

Quemadmodum vero aliarum glandularum tumor non raro in abſceſſum, corruptionem & exulcerationem tranſit, ita etiam eidem fato obnoxium eſſe ipſum pancreas variæ hiſtoriæ loquuntur. Memoratu digna eſt hiſtoria, quam refert Blancardus *in Anat. pract.* de viro nobili cruentis renum ac dorſi doloribus detento, qui pancreas inflammatum & multo pure plenum habuit. Praterea de alio viro mentionem facit, qui identidem de maximis doloribus circa lumbos conqueſtus eſt, & poſt mortem pancreas inſolitæ magnitudinis & inſimul inflammatum, putridum & concroſum exhibuit, a. regio circa ſpinam venamque cavam corroſa fuit, quæ mala omnia ex obſtructione glandularum pancreatis ortum traxerunt; ex hac enim inflammatio & ex illo cancer prodiit, ut poſtea renes venaque cava ſphacelo & putredine fuerint corrupta. Scirrhum degenerare ſæpe in ulcus depaſcens quotidiana loquitur experientia, unde etiam non mirum pancreatis ſcirrhum in putridum & cancroſum totam pancreatis ſubſtantiam depaſcens ulcus abire. Ita innumerabiles fere proſtant hiſtoriæ, ubi poſt mortem corruptum ſuit inventum. Et ut brevitati conſulamus, per pauca ſaltim proponere placet. Jo. Manardus Vorwaltnerus in anatomia viri vomitorio ſublati, pancreas totum purulentum & laceratum invenit *Miſc. N. C. Dec. III. A. VII. obſ.* 143. Idem in arthritico pancreas putridum & corruptum obſervavit *l. c. p.* 147. D. Anhorn in puella ex abſceſſibus internis defuncta pancreatis quaſi elixati & corrupti invenit veſtigia *vid. Miſc. N. C. D. III. A. IV. p.* 164. Neque prætereundum hic eſt, quod *Dn.* Herdot. *Dec. I. A. I. obſ.* 99. *Ephemer.* annotavit, cancroſum nempe ulcus pancreatis duas ſpithamas longum & duas transverſas manus latum, quod non ſolum corroſivo acido diaphragma perforavit, ſed & ſpinam dorſi ac ipſam venam cavam arroſit, vidit. Et quoniam

niam ulcus tale cancroſum totam ſubſtantiam partium conſumere ſolet, hinc evenit quandoque, ut nullum fere veſtigium pancreatis in diſſectis reperiatur, de quo meretur legi *obſ.* 156. *Dec. II. An. VIII.* ubi anatome hydropici nullum fere pancreatis veſtigium exhibuit.

§. XIV.

Conſideravimus hactenus varia vitia pravasque affectiones, quibus pancreatis viſcus patet, & quæ mala inde in œconomiam corporis noſtri vitalem redundant, jam vero res & ipſe ordo poſcit ut majori cum cura cauſas pancreatis morborum inquiramus, & idonea quoque hiſce removendis remedia proponamus. Fuſius ſupra deduximus vitia fere omnis generis quæ in pancreas incidunt ex minimorum, quibus conſtat, tubulorum obſtructione naſci. Ex quo jam ſatis, ut arbitror, conſtat, ea omnia, quæ fluidis lentorem ingenerant, eorumque motum & circulum minuunt, horum malorum generationi velificari. Quid vero plethora & quæ ex hac ſequitur preſſo pede cacochymia, nimiaque ſanguinis & humorum ſpiſſeſcentia id magis efficiat, equidem non video: Sicuti enim vitæ ac ſanitati in univerſum nihil abundantia nimia humorum eſt magis inimicum, ita maxime ſingulæ partes viſceraque multum damni inde experiuntur. Exceſſiva enim fluidorum moles, quæ moveri debent, mirifice vim, motum ac tonum ſolidorum minuit, unde tardior eorum fit circulus, major humorum craſſities, & inde major ad obſtructiones proclivitas. Quanto vero magis nimia voracitas, ſedentaria ſine motu ac exercitio vita, venæ ſectionis conſuetæ neglectus ſanguinis generationi favet, tanto majori cura hæc omnia evitare oportet, niſi longas & contumaces corpori velimus inferre affectiones.

§. XV.

Denique quemadmodum ad obſtructiones, quæ fœcundæ morborum genetrices ſunt, viſcerum firmandas, nihil aëre & potu frigido aptius eſt, ita maxime omnium glanduloſa corpora & præcipue pancreas damnum & pœnas inde ſuas perluunt. Quid enim in praxi frequentius viſitur, quam quod a potu liberalius hauſto frigido, poſtquam corpus incaluerit vel iracundia excanduerit, immedicabile ſæpe in viſcera vitium tranſeat? hoc vero unice ab obſtructione eorum ſubito facta dependet; Poſtea imprudens medicatio & præpoſtera opiatorum vel acrium purgantium nimis repetita applicatio, aut adſtringentium in hæmorrhagiis vel aliis humorum profuſionibus perverſus uſus mirifice & inteſtinorum & aliorum viſcerum tonum deſtruit, & firmiorum obſtructionum fundamentum conſtituit. Neque melioris ſunt indolis ea, quæ nimis præmature febrium impetus coercent, quo nomine noſtris temporibus china chinæ eſt celebratiſſima, utpote quæ adſtrictione cauſam non modo febris, ſed & excrementitias ſordes, in quas febrili calore ipſi humores reſolvuntur, intra corpus retinent & obſtructionibus progignendis aptiſſimam materiam ſubminiſtrant. Accedit & hoc, quod cum adſtringentium diverſa admodum ratio ſit, quod abdominis viſcera præſertim, hepar, lien, & pancreas ſæpe numero, fixato ibi humore, in graves obſtructiones incurrant, unde non mirum, cachexiam, malum hypochondriacum, anaſarcam, aſcitem, lentamque febrem imprudentem febrium per adſtringentia curationem ſubſequi. Neque dubium eſt, ſi conjecturæ prudenti locus, quin pancreas propter anguſtas, quas habet vias, longe magis præ hepate & liene obſtructionibus ſit expoſitum.

§. XVI.

Habemus vero diuturno experimento compertum, quod a ſanguinis menſtrualis in fœminis, in viris hæmorrhoidalis conſueta evacuatione diu inhibita, præſertim ingenti triſtitia comite, glandulas mox increſcere inque cancroſum ſæpe ſcirrhum, id quod in mammis haud raro videtur, degenerare. Quidni etiam eædem cauſæ ſimile quid in pancreate efficere poſſint, nihil video, quod obſtet. Quare etiam perſpicuum eſt, diuturnum mœrorem contumacem hæmorrhoidum vel menſium ſuppreſſionem longas & contumaces adfectiones ingenerare. Et ut paucis rem expediamus, nullus fere, qui longius & gravius affligit corpus morbus eſt, qui non altas in viſceribus obſtructis, præſertim hepate, liene, & pancreate, egerit radices. Videmus quidem pancreatis ab auctoribus, ubi cauſæ morborum exponuntur, nullam fere amplius mentionem fieri, ſed ſolum hepar & lienem inculpari, cum tamen anatome morbis chronicis defunctorum omnium, ſalvis ſæpe intactisque liene ac hepate, pancreas maxime gravi vitio laborare, luculenter oſtendat.

§. XVII.

Ex quibus jam ſatis, ut arbitror, intelligitur, quod, cui ſanum corpus & commodam valetudinem conſervandi antiquiſſima cura eſt, illi maxime enitendum ſit, quo omni ſolertia ac arte obſtructiones viſcerum ac præcipue pancreatis, magnorum morborum genetrices præcaveat. Ita enim nemo non a longis & gravibus paſſionibus erit tutus. Pauci vero ſunt & Medici, & alii hujus ſcientiæ expertes, qui id curant idque cogitant. Pauci etiam ſunt, qui intelligunt, magnorum morborum parva & fere inſenſibilia eſſe & fieri initia, & perpauci quoque convenienti auxilio, remedio apto levibus hiſce initiis ſuccurrere norunt. Neque enim, negari poteſt, graviſſimis morbis, ut hydropi, phthiſi, hecticæ, in principio poſſe reſiſti, qui, ſi poſtea incrementum ſumſerint omnem artem medentis eludunt. Principium vero difficulter cognoſcitur & ingraveſcenti ſæpius nimis ſero medicina quæritur.

§. XVIII.

Quæ cum ita ſint, optima certe ratione valetudini ſuæ conſulere videntur, qui, ut a periculo obſtructionum, quæ conſiſtunt in viſceribus, permaneant tuti, temperantiæ victus ſtudent, neque multis cibis eisque diverſis replent ac ſatiant corpus & ad minimum motus ac ingeſtorum habent æquilibrium, qua de re conſuli poteſt *D. Præſidis Diſſertat. de ſeptem legibus ſanitatis.* Utile quoque eſt plethoram vel ſanguinis miſſione vel evacuatione per alvum vel tranſpiratione aucta omni tempore minuere vel præcavere. Et ne obſtructionum fiat metus, infuſis calidis Thee aliarumque herbarum frequentius utendum, ita enim mobiles & fluidi manent humores, neque facile in iis craſſum coit, atque concreſcit. Et quoniam alcalia tam terrea quam ſalia fixa & volatilia neque minus aromatica & balſamica, debita doſi oblata, viſcidum & acidum, quod prompte humores coagulat, egregie removent, & celerem efficiunt ſanguinis progreſſum, hinc horum uſus tam præſervationis, quam curationis cauſa debet eſſe commendatiſſimus. Coronidis loco adjicimus, quod major ſpes in præſervando quam in curando poſita ſit, ſi velimus evitare magna omnia pericula, quæ nobis ab obſtructis & læſis viſceribus imminent. Quibus pro præſtito nobis auxilio Deo ſummas dicimus gratias.

DISQUISITIO MEDICA

CIRCA

CURIOSAM PULLI GALLINACEI

IN FOEMINA CACHECTICA FORMATI HISTORIAM.

Primùm edita Anno 1702.

INTRODUCTIO.

QUO rerum naturam non abludere, & omnia ex ovo ſeu ſemine, & in ovo mirandos produci ſiſtique fœtus, nobiſcum faciunt omnes illi, qui ſagacioribus mentis oculis corporum naturalium effectus contemplari & ſpeculari ſibi ſumunt. In veterum jam dum Philoſophorum monumentis ovum Orphei & Platonicum legimus adumbratum, quid quod Sinenſes ovum primordiale ex eoque primi non minus hominis, quam cœli, terræ, uno verbo, totius orbis ortum adſtruunt: Recentiores vero, noſtri potiſſimum ævi, Philoſophi ᾠολογίαν curioſis ſcriptis dederunt explanatam. Ovum ſane origo genituræ exiſtit & motus circularis principium ovum recte habetur, qui naturam perpetuaturus

redit actus in orbem.

Unde motus hic ſimpliciſſimis decurrit viis ſuiſque circumſcribitur legibus, ut ſecundum *oculatiſſimum rerum naturalium perſcrutatorem* MALPIGHIUM naturæ operandi norma ut plurimum una & ſimplex ſit. Cum enim in univerſo nil niſi mutuas materiæ & motus inter ſe σχέσεις, habitudines & affectiones deprehendere liceat, facile colligere eſt, eas pauciſſimis includi regulis, quas qui inſuper habuerit, is citra manifeſtam & urgentem cauſam vel ad aniles fabulas vel ad ſupernaturales prætextus recurrere debet: contra vero ſi naturæ ductum ſimpliciter & ſine præconceptis opinionibus ſecuti fuerimus, re ipſa experiemur, naturam equidem quoad tot ac tam varia primo obtutu phænomena ampliſſimum uſque diſcendi docendique campum exiſtere, hæc ipſa tamen principiis phyſico-mechanicis quam commode explicari & dilucidari poſſe. Laudibus ſuis hinc minime defraudandi ſunt, qui obſervandis naturæ phænomenis intenti illam ipſam per ſuos effectus nitidam, claram & perſpicuam reddere allaborant. Non adeo multum temporis effluxit, quo cimmeriis ignotæ ſubtilitatis vel ſubtilis ignorantiæ tenebris involuti abſtractionibus rerum nimium quantum indulgebant & enormibus autoritatum præjudiciis ſopiti priſtinos errabant errores. Sed, uti recte dicente *Romanæ Eloquentiæ Parente* CICERONE *de nat. D. II.* 2. opinionum commenta dies delet, naturæ judicia confirmat: ita & illæ ipſæ nova naturæ congrua philoſophia reſurgente veritatis lucem tandem effugerunt. Tanto magis autem inſigne inde incrementum acceſſit arti medicæ, quæ mechanicis principiis ex materia & motu petitis fundata, corroborata & illuſtrata fuit. Quoniam enim, non aliter ac in macrocoſmo ætheris motus circularis regnat, pariter in microcoſmo hujuſmodi motum & pericycloſin obſervamus, merito eo reſpexerunt ſaniores Medici, juxta tritum illud: *Ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*; dum generali iſta conſideratione ad notitiam mechaniſmi humani ſic tanto facilius pervenerunt, interim utique ſimul attendentes diverſum materiæ concurſum, utpote in & a quo variæ motus determinationes proferuntur. Ubi tamen omni modo notandum eſt, mechaniſmum noſtrum non adeo craſſum eſſe, nec uniſonis ſeu uniformibus perfici motibus, quod præter alia cum victui vario, tum animi affectibus tribuendum eſt, ſed tam affabre conſtructum, ut mediante fluido quodam ſubtiliſſimo æthereo varias eaſque ex neceſſitate materiæ provenientes motiones exſerat. Unde tota quanta in effectibus naturalibus diverſitas occurrit,

currit, ex ſpecifica interni principii ad certam & peculiarem materiam relatione & diſpoſitione derivanda venit. Sed ut ab ovo, quod ajunt, rem noſtram ordiamur, proponimus & ſiſtimus in hujus rei ſpecimen ceu ſpeciem ſingularem caſum Hannovera *ad Excell. Dominum Præſidem Promotorem ſtudiorum noſtrorum venerandum, cujus fideliſſimam informationem & inſignem favorem in omni vita ſancte recolemus*, tranſmiſſum, novum ſcilicet Cachexiæ productum, quod in fœminæ corpore fotum, deinde vero ex ipſo rejectum nuper ibi videre contigit. Placuit autem hoc ipſum præſenti noſtræ diſquiſitioni deſtinare, cum & novitate & utilitate, quam inde in res naturales & medicas promanare certi ſumus, præ aliis ſe commendet, parum anxii, quid unus vel alter iniquus rerum æſtimator de hoc noſtro inſtituto ſiniſtre judicaverit, ubi naturæ nihil eſt inutile, nihil inane. Tantum vero abeſt, ut nova & nullius frugis affectemus, ut potius ex ipſa, ſi qua datur, novitate non vulgarem uſum trahere cordi habeamus. Qui ut obtineatur, adſpira quæſo ſumme Deus huic noſtro labori tua gratia & clementer concede, ut quævis ſtudia mea nunc & in poſterum felicem ſortiantur ſucceſſum, & quod unice piis precibus exoro & illorum finem reputo, his ipſis S.S. Tui Nominis gloria & proximi ægrotantis ſalus promoveatur!

HISTORIA.

QUadriennium & quod excurrit abhinc eſt, ex quo fabri ferrarii in aula Hannoverana uxor partum enixa mox inſigni corripitur ægritudine, ita ut in manibus pedibuſque prægrandia, dura tubera ſubnaſcerentur & inde manuum ac pedum uſu prohiberetur. Quare adhibitis corroſivis iſti tumores tandem in manibus fuerunt ad diſruptionem perducti, ex quibus magna laticis quantitas profluxit; illorum autem maximum quod in pede erat, diu reſtitit aperturæ, donec poſt interruptum cathæreticorum & emplaſtrorum ſic dictorum attrahentium uſum diſparuere, & ægrotans cum morbo per 17. ſeptimanas a ſe perpeſſo in gratiam rediit. Poſthac denuo puerpera facta nonniſi ordinarias experta eſt moleſtias. Circa pentecoſtes autem circiter tempora proxime elapſi anni accidit, ut die quodam facta ambulatione lac recens aſſumeret, quo derepente anxietates incurrit & in tam atrocia incidit ventris tormina, ut ad lectum properanti maximi ferendi eſſent dolores. Dramatis facies hæc erat, quod nec alimenta nec medicamenta retineret, ſed continuis vomitionibus exerceretur & immanes vibrationes in abdomine perſentiſceret. Conſulti Medici morbum pro colica, pro ſcirrho in abdomine & habentes eo curationis cardinem, utut in caſſum, direxerunt, uſque dum omnes de ejus cura deſperarent. Sub hoc rerum ſtatu circa S. Johannis evenit, ut quatuor eximiæ longitudinis lumbrici primum ex ore, deinde per alvum quoque ipſi ſecederent. Urina nihil inſigne præ ſe ferebat. Sic conflictata ægra mire extenuata fuit, & in toto corpore, utriſque hypochondriis & abdomine morſicationes, tractiones & tenſiones ſenſit, & quando malum ab uno loco in alterum migrabat, miſere exclamavit & penitus contracta fuit, quam violentam commotionem in abdomine manu explorare licebat. Materia, quam duobus cochlearibus juſculi alicujus ægre aſſumtis evomuit, ex viridi flaveſcentem referebat colorem, & ſeorſim ad ſubſidendum poſita viſcidum humorem & in fundo reſiduum quoddam quaſi ex deſtillatis lumbricis terreſtribus exhibebat. Quodam autem die paulo ante obitum ſuum accepto medicamento ingentem ſanguinis grumum ex faucibus emiſit, & ſic penitus viribus exhauſta de reſtitutione ſua omnem ſpem abjecit; Vetula ipſi miniſtrans aliis nihil proficientibus cataplaſma ex calido & recenti ſtercore equino impoſuit, a cujus uſu ad quatuor dies morbi inducias habuit, quibus exeuntibus mali vis acerbiſſima recruduit, & ſæpius conqueſta eſt ægrota, quod dorſum, umbilicus & hypochondria morderi & pertundi ſibi viderentur, ideoque maritum ſuum anxie rogavit, ut abdomen ſibi aperiri curaret, qua ratione malum certiſſime innoteſceret. Nudius tertius ante mortem aliquid per inteſtinum rectum eliminatum in lecto deprehendit, eumque in finem maritus & vetula a ſe advocati illud vermem eſſe dixerunt. Inſequente poſtmodum die afflictiſſima placidum fecit vitæ finem. Modo memoratus vermis, ſub finem delineatus, ex relatione mariti cute obſcuri fuſci coloris ad anguillæ accedente obductus erat, caput admodum ſimile eſt capiti equino, niſi quod in ſuperiori parte criſtam gera, collum formam colli equini itidem repræſentat, os vero & apertura, quoniam rugoſus erat, dignoſci non potuit. Pedes ipſi ſunt duo longi, ſuperius craſſis, carnoſis, femoribus eminentes; ipſi vero pedes in eo differunt, quod unus anſerinum referat, alter autem in tres diviſus ſit uncos, quales in avicula formatos cernimus, reliquum corpus oblongum eſt & in lacertæ figuram terminatur. Ipſe vermis paucam fovet carnem, nec ulla oſſea ſubſtantia exquiri in eo poteſt, extremitate præterea conſpicuus acuminata.

THESIS I.

SOlidum ut exſtruant ædificium, de baſi recte ponenda, cui tota reliqua moles ſuperſtruitur, merito primum omnium ſoliciti eſſe ſolent architecti. Parili nos ratione, ut naturæ ordo & adductæ hiſtoriæ nexus ſervetur, illud prælibare omnino e re judicamus, quod reliquis ejus circumſtantiis fundamenti loco inſervire debet. Qua de cauſa, cum mali radix in ipſo ægrotæ noſtræ corpore intrinſecum ſui agnoſcat fomitem, diſpiciendum nobis erit, qui ſit affectus, quo laboravit, quo hoc oſtenſo nos tanto melius accingamus & præparemus ad ipſius phænomeni luſtrationem. Venit iſte in ſcholis medicis *Cachexiæ* nomine recepto & ſatis uſitato, quod, ut origine Græcum, nihil aliud niſi malum habitum deſignat, quo non aliter ac in nuce Iliada, morbum compendioſe innuere & ex ſolo quaſi aſpectu ejus diagnoſin formare voluerunt. Hic vero occaſione vocis καχεξία obiter diſcriminis ratio habeatur, quo diſtinguitur a κακοχυμία, quæ cum pravitatem ſuccorum in genere denotet, minime ita lato ſenſu ſumi debet, ſed ad primarum viarum releganda eſt regionem, utut ſucceſſu temporis totam humorum maſſam collutulare poſſit, quo tamen ipſo hanc notionem amplius non ſervat. Illa, de qua nobis ſermo eſt, majorem ut habet ambitum, ita majus quoque invol-

involvit periculum, quoniam labem jam dum ſanguini & humoribus & inde toti habitui externo cute incluſo, ipſo colore livido teſte, affrictam portendit.

THESIS II.

Propoſita affectus denominatione, jam circa locum ipſum affectum ſcrutinium noſtrum verſabitur, quem priuſquam tangamus, breviſſimis aliqua circa ſanguinis craſin & motum ut præmittamus, neceſſe eſt. Sanguinem ex diverſis conflatum elementis eumque in ſe conſideratum vel maxime corruptioni ſubjacere, quam ne ſubeat, motu opus eſſe & quidem tam inteſtino quam circulari ad vitam, uti in introductione monuimus, perpetuandam neceſſario, ex phyſiologicis conſtat. Inter tot autem ac ſæpius contrarias res externas & in tam vario ciborum uſu, ad quem luxus hominum propenſiſſimus eſt, omni modo naturæ conveniebat, ut partium tam quantitate quam qualitate heterogenearum, quæ inde non poſſunt non emergere, affluxus jugi non modo circulo ſed & maturo ſecretionum & excretionum, ad quas perficiendas tantus colatoriorum, vaſorum & tenuiſſimorum canaliculorum hinc inde, præſertim in nobilioribus viſceribus, conſpicuorum apparatus requirebatur, concurrente ſimul partium ſolidarum tono; maturo, in quam negotio præſcinderetur, proſcriberetur. Hinc facile eluceſcit, in quonam bona temperatura ſeu craſis conſiſtat, & a quo ſanitas noſtra dependeat. Nam quouſque humores noſtri vitales a ſordibus ad inteſtinum deſtructorium putredinoſum motum concipiendum diſpoſitis bene & ſufficienter depurantur, in debito fluore conſervantur, tamdiu quoque illi ipſi a corruptione & diſſolutione liberi integrum & ſanum corpus ſervant. Vigente etiam motu circulari, æquabili, libero, vehementioribus animi commotionibus non interturbato, vigent quoque quævis in corpore humano operationes, quocunque inſigniantur nomine, & ſic homo ſummum, quod præter bonam conſcientiam in his terris datur, poſſidet bonum, amabilem volo ſanitatem.

THESIS III.

Cum craſin & motum humorum ſecundum naturam paucis conſideraverimus, proximum eſt, ut in utriuſque præternaturales affectiones inquiramus. Periodo humorum ſtante vitam conſiſtere uti deductum fuit, ita illorum plenaria quiete aut impeditiore tamen & lentiore progreſſu mortem vel morboſum ſtatum adeſſe experientia convincimur. Jam vero omnis morbus ad duo ſumma revocari poteſt genera, vel quatenus materia copioſa, craſſa, lenta, tenax redditur; & hac ratione tranſitus & circuitus humorum ſegnior & remiſſior oboritur, vel quatenus materia ſulphurea, bilioſa, tenuis excedit, & tunc exæſtuationes, phlogoſes, inordinatæ febriles motiones ſe pandunt. Illa chronicorum, hæc acutorum morborum fœcundiſſima eſt mater, cum preſſio materiæ conditioni reſpondeat. Hinc utut utrinque ſpaſmi a natura ad hoſtile ejiciendum excitati obſerventur, minus tamen activitatis in illis ob datam rationem exerunt. Quando itaque Maſſa Sanguinea non ſatis ſubigitur, ſubtiliſatur, per frequentiorem reſpirationem attenuatur, nec nimia ejus quantitas ſeu moles evacuatur, quid aliud evenire poteſt, quam ut craſis ipſa lædatur, ſanguis ſpiſſus, craſſus evadat, hic emunctoriorum & evacuatoriorum, per quæ tranſire debebat, poros obſtruat, bilis virtutem infringat, cruditates ingeneret & ſic oppilationes & infarctus viſcerum inducat.

THESIS IV.

Ut autem ad locum affectum propius accedamus; nullibi facilius obſtructiones viſuntur quam in inferiori corporis regione, hepatis imprimis & lienis viſceribus, in quibus propter miram vaſorum venoſorum tortuoſitatem, diramificationem & complexum, motu progreſſivo deficiente & abdomine per vitam ſedentariam compreſſo, longe promtius quam in aliis partibus ſanguis ad ſpiſſitudinem vergit. Quod inſuper confirmat ſexus ſequior menſtruis evacuationibus jam aſſuefactus, quando fœminæ his male habentibus non ſolum propter menſium vitium ſed & ipſam vaſorum abdominis conformationem inter alia peſſima conſectaria cachexiæ obnoxiæ fiunt. Hinc humorum dicto modo incraſſatio, impuritatum acido-viſcidarum coacervatio & viarum illis obſeſſarum ſucceſſive facta relaxatio, aeris tenuioris externi in motu conſtituti ſufficientem admiſſionem & calorem naturalem excludens, ad putredinem plus minus ex materiæ indole concipiendam inclinat.

THESIS V.

Non unius autem generis, quæ craſin & motum humorum invertunt, nec unam, ſed plures præſto debere eſſe cauſas cachecticum malum inferentes; certiſſima inter Practicos res eſt. Cauſa proxima & immediata quidem una, ſed remotæ, ut loquuntur, variæ eſſe ſolent, quas ut breviter ſtrictimque evolvamus, non incongruum cenſemus. Illa jam per ſe clara venit ſub ſanguinis humorumque debilitate ſpirituaſcentiæque defectu; inter has vero primo loco nominamus & notamus plethoram, quæ, quia mortales, uti dictum, corrupto ſuo genio nimium quantum indulgent, ex tanta ingluvie, præprimis ſi motus ſuccorum moli reſpondens deſideretur, non poteſt non pronaſci. Inde fit, ut ſucci ultra neceſſitatem ſeu ullam utilitatem, quam corpori conſerre poſſint, colligantur & vaſa magis diſtendantur, qui ſi non tempeſtive vel ſpontaneo motu a natura ſuſcitato vel medico conſilio & auxilio imminuantur, tum vires motrices ſuperant & craſin manifeſto alterant, ut fluida ſatis antea conſiſtentia paulatim in denſam, viſcidam, tenacem abeat. Hoc ex fonte promanat affectus polypoſus, non ita ut vulgo creditur inſolitus, a concretione fibroſarum ſanguinis partium per nimiam ejus glutinoſitatem procuratus, quales compactiones ſerierum ex fibris *nunquam ſatis æſtimandus D. Præſes* duabus abhinc ſeptimanis in ſanguine e vena generoſæ hic loci fœminæ miſſo nobis quam plurimas monſtravit & *ſagaciſſimus* M. MALPIGHIUS *microſcopio perluſtratas in Diſſert. ſua de Polypo cordis* exhibuit. Tanto magis autem huic cauſæ aſſurgit menſium negotium, qui cum ordinaria quaſi & ſolenniter recurrens plethora exiſtat, majus quoque ad hujus affectus generationem conferunt ſymbolum, ſive quod naturalem menſuram tranſcendant, quod ſere rarius accidit, ſive quod languidius ſuccedant. Et hæc eſt ratio, quare fœminæ præ viris magis incidant in hunc morbum, quoniam cum propter laxiorem & poroſiorem habitum, tum propter ſibi familiarem fluxum menſtruum præter naturam emanantem, longe citius purpurei roris ſtagnationes, & ex his varia ſubnaſcentia pathemata ac ſymptomata experiuntur. Idem præſtat lochiorum interruptus vel inordinatus ſucceſſus, hæc enim ſi ſubſtiterint nec graviores inflammatorios febriles inſultus excitaverint, maſſam ſanguineam conſiſtentia vitioſa laborare ſatis indicant, ubi tum cachexiæ ejuſmodi ſoboles, varii nempe tumores conſpiciuntur, quales HAGENDORNIUS

NIUS *Hiſt. ſuarum Cent. III. conſignavit.* Deinde vero aeris humidus, frigidus flatus, ciborum craſſorum, induratorum, & ſalſuginoſorum quotidianus uſus diſpoſitionem internam corroborant & fovent, dum illic inſenſibilis tranſpirationis energia remittit, excrementitiæ partes, quæ debebant foras ejici, intra ſpiracula & in toto corpore remanent, plures de novo accedunt, humores ſalibus peregrinæ indolis immerguntur & inviſcantur; hic extractio laudabilis ſucci nutritii deſideratur, bilis tenuitas & ſulphur naturæ noſtræ amicum retunditur, chylus nec ſatis diluitur nec ſatis attenuatur, uno verbo, ex viſcidis cibis, cæteris conſpirantibus, viſcidus chylus, ſanguis impurus & ſerum acre, ſalſuginoſum conficitur. Affectus tandem animi quantum valeant in motibus humorum alterandis, morbis exſuſcitandis & præſentibus gravioribus reddendis, praxin clinicam exercentes frequenter admodum attendunt & optime norunt. Ut enim in genere HIPPOCRATE *Autore aphor. 33. ſect. II.* in ſtatu præternaturali valere ratione, recteque ſe ad ea, quæ offeruntur, habere bonum eſt, ita non minus in naturali graviores animi perturbationes œconomiam humanam vi unionis iſtius inſigniter afficere ſolent. Inter illos autem terror, triſtitia, mœror animi, eminente præcipue in fœminis teneriori & ſenſibiliori ſyſtemate nervoſo gaudentibus virtute, humorum motum refrænant, ut cortice corporis exteriori conſtricto, illi verſus interiora reprimantur, qui quo gravius & pertinacius inſiſtunt, tanto præſentius vigor actionum perit, ſolennes evacuationes menſtruales ceſſant, motuque ſic langueſcente ſucci vitales una vitium capiunt. Ultimo etiam ab ipſis morbis ſalinis, variolis, morbillis, ſcabie aliiſque morbis diuturnis perpeſſis, quibus humorum ſpiritualſcentia, actionum vigor decrementum ſubiit, magnam mucoſitatem in ſanguine remanere notiſſima res eſt, quæ ſi alvum leniter apertam ſervantibus non educatur, ſimiliter cachexiam & varios tumores profeminant, ut tormina ventris cum lumbricis ſubſequantur, cujus generis exempla præter alios apud *citatum* HAGENDORNIUM *Cent. I. hiſt. 67. & ſeq. legi* poſſunt.

THESIS VI.

Poſtquam præcipuas cauſas malo corporis habitui ingenerando faventes enarravimus, ſequitur, ut quæ graviſſimo huic affectui accidunt, paucis itidem perſpiciamus. Excipiunt vero ſecundum effectuum ſeriem ſe ita, ut (1) ex defectu energiæ motus in ſanguine, qui ſuas depurationes non obtinet, relaxatio toni partium ſolidarum proficiſcatur, (2) relaxatis membris, habitus corporis mollis, tumidus, fœdus, lividus pallidusque & decolor reddatur, & ſtagnationes humorum confirmatiores eveniant, cum ſanguis ob langueſcentem motum in minima vaſcula penetrare, & habitum florido, vivido colore tingere nequeat; (3) ſtagnantibus humoribus iisque per minores canales venoſos non progredientibus, ſeri ſeceſſiones exſurgant, & hinc varii tumores œdematoſi pedum & tubercula pronaſcantur. (4) cum motu fatiſcente humorum craſis quoque invertatur, & ſic bilis, quæ ſanguinis noſtri balſamum merito audit, non minus iners reddatur, utpote ſanguis per hepar non rite procedit & circulatur, in contracto hujusmodi mucidiore ſtatu verminoſa progenies innidulctur. (5) Ex lenta & vappida humorum conditione & putida vermium geneſi nauſea, appetitus ciborum imminutio, aut ſi qui aſſumantur, vitiata concoctio, vomituritio, tum etiam ex tunicæ nerveæ inteſtinorum vellicatione, roſione, anxietates, tormina, ſpaſticæ tractiones & tenſiones oriantur; (6) Has ipſas vibrationes motuum actuales vermium ejectiones inſequantur; (7) omnibus ita ingraveſcentibus corporis mira extenuatio & infirmitas coincidat, (8) & ultimo confirmato humorum vitio & confirmata viſcerum, hepatis præſertim & lienis obſtructione, ſanguis ſpaſmis invaleſcentibus vehementer commotus in alia vaſa irruat ejusque profuſio certiſſimus funeſti eventus prodromus proveniat. Hic genius, hæc Cachexiæ facies, quæ nobis *admiranda*, ut nonnulli volunt, *vermium myſteria.*

THESIS VII.

Corpus humanum poſt fata putredinoſa diſſolutione in vermes abire, & vermibus in eſcam cedere vulgo creditur, ſed quod majus eſt, vivum adhuc præ aliis animantibus vermibus obnoxium reddi, experientia ſic ſatis teſtatur. Quorum ortum paucis jam tacturi, illum utique petimus & deducimus ab ovo, quod ſeminis vicem gerit, imo quod ſemen in plantis, illud ovum in animalibus præſtat. Animantium ſiquidem generatio continuatur virtute ſeminis ipſis inſiti, quo Deus T. O. rerum creator ut regna naturæ univerſim, ita & hæc inſtruxit, ut in ovo & ſemine ceu compendio tota futuri animalis facies & idea ſubtiliſſime extet delineata, quæ ovo ad maturitatem perducto ſenſim explicatur, & perfecta partium textura & configuratione oculis noſtris tandem ſiſtitur. Hinc colligere poſſumus, quid ſentiendum ſit de diſtinctione illa in animalia perfecta & imperfecta, & num æquivoca & ſpontanea generatio locum habeat, cum ſi ordinem & ortum eorum ſpectemus, unum deprehendamus commune viventium principium, (utut quoad ipſum fœcundationis actum perfecta & minus perfecta dici queant,) & ſimile nonniſi producat ſimile, quod optime deduxit ſolertiſſimus naturæ interpres REDI *in prælaudato Tract. de Gener. Inſect.* Paſſim equidem inter veteres Autores proſtant, qui fingere non dubitarunt, inſecta originem ſuam debere variis rebus putredini & corruptioni ſubjacentibus; prout ANTIGONUS, PLINIUS, PLUTARCHUS &c. veſpas ex carnibus equinis; alii vero ex mortuo & putrefacto crocodilo; FORTUN. LICETUS, JOH. BAPTISTA PORTA, MOUFETUS, ſcorpiones ex cancris marinis ſub terra ſepultis; DIODORUS SICULUS ranas ex viſcoſo limo absque ovis, quod in Ægypto evenire dicit; PLINIUS, ÆLIANUS, FORT. LICETUS ſerpentes ex medulla ſpinali, & qui non alii ſexcenta alia aſſerucrunt, ſed non evicerunt. Illud autem lubenter concedimus, certam putridæ carnis ſpeciem certæ magis arridere inſectorum ſpecici & ſua peculiaria fovere inſecta, quæ inibi innidulentur & ova ſua deponant, ex quibus ceu ex orco poſtmodum magna crabronum & inſectorum copia prodeat. Spontaneam itaque vermium emerſionem ex ſola putrida & putida materia ideo prorſus negamus, cum forma ſeu virtus ſeminalis neceſſario concurrere debeat. Elaboratur enim ovum in ipſo naturæ arvo ceu utero, quod vitaliter actuatum, debito calore fotum & nutrimento ſufficienti inſtructum, naturalem figuram, texturam & proportionem partium paulatim repræſentat, & ſpeciem, cujus ovum fuerat, demonſtrat, quam ſententiam ipſa comprobat experientia, ubi ſi abarceantur inſecta a contactu carnium, nulla unquam comparebunt animalcula ex his prodiitura; nec alienum eſt a ratione, quoniam in omni reliquo viventium genere ovum generationis principium exiſtit. In qua tanto magis adhuc confirmamur, modo perpendamus, Deum certo ordine ea quæ in terris creſcere & vivere videmus, ita creaſſe & abſolviſſe, ut quælibet ſpecies ſuo ſemine gauderet, ſuique conſerva-

vationem ex potentiſſimo Creatoris verbo, *creſcite & multiplicamini*, eo ipſo & ſuis viribus obtineret, ut adeo non inſtar fungorum confuſe & fortuito ex accidentario variarum atomorum concurſu pronaſcantur. Num vero ſemina & ovula hæc per aëra volitent, quod Philoſophorum nonnulli voluerunt, id nobis perſuadere non poſſumus ex eo, quoniam unumquodque ſemen & ovum ſuum inter ſe tenet, deinde quod ova, non aliter ac illa quæ incubatione gallinæ excluduntur, immanentem magis actum & placidum calorem requirant.

THESIS VIII.

Cum itaque ut omnium inſectorum ſic & vermium ortus ab ovo ſit, neceſſe eſt, vermes in corpore humano vivo generatos ejusdem eſſe conditionis ac notæ, qui quomodo aptum in eo fomentum inveniant, diſpiciendum erit. Ex ſuperius jam dictis conſtabit, quod ut vermes in corpore generentur, peculiaris quædam humorum requiratur aptitudo; ſiquidem generale axioma fert, *in omni generatione convenientem ſupponi materiæ diſpoſitionem, cum forma non introducatur in materiam indiſpoſitam.* Quare ad verminoſum ſeminium illi maxime ſuſcipiendum inclinant, qui motu potius inteſtino quam progreſſivo auctiori, vita ſedentaria, tono inteſtinorum remiſſo, flacciditate & mollitie partium, ventriculo imbecilliori, humoribus impuris, viſcidis, mucoſis eminent, quibus præſentibus ova commode excluduntur & vermes protruduntur, ut deprehendimus in infantibus, ſexu ſequiori, perſonis cachecticis, quæ muceſcentiam putredinoſam ſibi contraxerunt. Contra vero facilis eſt ratio, cur non omnis ætatis homines, ſed pauciſſimi vermibus corripiantur; quousque enim motus progreſſivus & circularis eſt vegetus, humores ſatis tenues & fluxiles, calor vividus, tonus & motus inteſtinorum periſtalticus ſalvus eſt, ut ſecretiones & excretiones legitime decurrant, tamdiu homo a verminoſa progenie immunis exiſtit, ut adeo nimis a veritatis via deflectant, qui omnem morbum a vermibus derivant, & quid mirum, quando ipſum hominem ex verme progigni audacter ſtatuunt. Hi jam vermes putredine vivunt, quatenus hæc vices obit inſtrumenti, in qua formatio inſectorum eveniat; minime vero, quod ex ea vermes in corpore humano proveniant, ut nonnulli incongrue concludere volunt ex *dicto Jobi cap.* 17. Putredini dixi, pater meus es, mater mea & ſoror mea vermibus: calor vero ex inteſtino putredinoſo motu fermentativo prorumpens vermes excluſos blande ſovet & ſuſtentat, ut hi impune inteſtina humana laceſſant & atrocia pathemata cauſentur.

THESIS IX.

Quomodo autem ova corpori humano inſerantur, ut vermes inde naſcantur, facile concipi poteſt, dum muſcæ & quæ alia hujus generis inſecta dulcia apprime appetunt, qualia ſunt lacticinia, mellita, pultes, quibus pro genio ſuo indulgent & ova ſua imponunt, quæ una cum lacte aſſumta & deglutita in corpore humano verminoſam proſapiam relinquunt. Et hæc eſt ratio, quare Hollandi præ aliis nationibus vermibus laborent, cum illi lacte quantopere delectentur. Ne vero ullum dubium ſuperſit, quaſi lac in ventriculo infantum præcipue corruptum vermes iſtos producat, lucem affundit obſervatio Redi, quando infantes, ſi ſolo lacte nutricis nutriuntur, affectum verminoſum non incurrunt, eo quod lac immediate ab infante ſugitur, quod inſecta ovis ſuis inquinare nequeunt; deinde etiam recens nati, utut lac ſeu chylum in inteſtinis & primis viis corruptum & acrem gerant, non tamen æque lumbricos egerunt.

THESIS X.

Vermium ita formatorum locum natalem quod attinet, illos non ventriculum & inteſtina ſaltem, ſed & omnes fere corporis partes occupare Practici norunt, in quibus perveſtigandis modo non verſabimur, cum paſſim apud Autores hac de re notata proſtent; communiter tamen & frequentius inteſtina ſedem & focum illorum conſtituunt, qui ſi longius proceſſerint, gravius arguit malum. Numerantur vero inteſtinorum vermium jam ab antiquioribus ordinarie tres ſpecies, teretes, aſcarides, tæniæ ab aliis etiam cucurbitini dicti, qui figura & longitudine ab invicem diſcernuntur, ubi teretes oblongo-rotundi, aſcarides rotundi quidem at breves, tæniæ vero planitie quadam & latitudine conſpicui ſunt. Qui vero locus & pars inteſtinorum proprie cuivis ſpeciei aſſignanda ſit, & num teretes in tenuibus magis reſideant, aſcarides in recto, lati denique lumbrici in pyloro ventriculi, determinari æque facile nequit; probabile interim, tenuiora ipſis commodiora exiſtere præ craſſis, propter chyli præſentiam, imo in ſpecie ipſum ventriculum, ne forte bilis acrimonia, quæ tamen utplurimum, ubi vermes adſunt, ſatiſcit & hebeſcit, ipſis adverſetur.

THESIS XI.

Ut vermes ſint hominibus infeſti, nec tamen ſoli habendi, cum & alia animalia πολύμορφα ſundi eorum calamitas accedant, quorum exempla diligentiſſimi Obſervatores ſcriptis ſuis mandarunt. Pauca ſaltim ut adducamus, Salmuth. *Cent.* 1. *obſerv.* 62. mentionem facit avis cujusdam ſimul cum bene nato fœtu naſcentis: Molæ volatilis effigiem avem quadrupedem referentem exhibet Thom. Bartholinus *Act. Medic. philoſ. tom.* 1. *cap.* 26. de eadem vid. etiam *Obſerv. medic. phyſ. Germ. Decur. I. ann.* 2. *obſerv.* 160. ut & *ann.* 3. *obſerv.* 129. Matthæus de Grado *Comment. ſuis in Rhaſin cap. de mola*, de animali alato a muliere producto, quodque illico poſt nativitatem volaret, teſtatur. Rhodius refert *obſerv. 66. cent. III. ex* Marcell. Donato *hiſtor. l. IV. cap.* 26. vermem monſtroſum diuturni morbi & mortis cauſam, quod nimirum cuidam viro nec obeſo poſt varios dolores & maciem extincto vermis ab eo ſeceſſit multiceps, cauda longa, cornu gemino cancro ſimilis, flavi & nigri coloris, palmi longitudine deprehenſus. Paræus *l. XIX. Chir. c.* 3. *ex* Levino Lemnio adducit monſtrum quoddam ab humano utero excluſum, roſtro adunco, longo teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata eximiaque pedum agilitate, quod egreſſum ex utero totum domicilium fremitu ſibiloque replevit & latebras quæſivit, donec a præſentibus mulierculis ſuffocaretur. *Idem ex* Jouberto memorat duas mulieres Italas eodem menſe monſtroſos partus excluſiſſe, quorum alter murem craſſiorem cauda carentem, alter formam & craſſitiem felis repræſentaverit. Memorabile quoque occurrit exemplum in *ſylloge Caſuum incantationi vulgo adſcribi ſolitorum* Mercklini *caſu* 1. de duodecenni puero, qui varii generis cum viva animalia no. 250. tum varias inanimatas non ſolum naturales ſed etiam factitias inſolentiores res no. 26. ſucceſſivis vomitibus rejecit, ſub quo tamen caſu præter cauſas naturales alias adhuc ſupernaturales & diaboli luſum forſan delituiſſe non poſſumus non in animum noſtrum inducere. Tacemus ſerpentes, ranas, lacertas, bufones, quæ fœminæ interdum enixæ fuerunt, interdum per os evomue-

muerunt; tacemus quoque anguillas, millepedes, ſcarabæos, erucas, imo & ſcorpiones, de quibus ipſimet Autores conſulantur, ut SCHENCKIUS, RIVERIUS, ZACUTUS LUSITANUS, MARCELLUS DONATUS, ULYSSES ALDROVANDUS, PARÆUS & qui *Miſcellaneis Nat. Curioſ.* ſtudium ac operam impendunt, ne in re tot exemplis corroborata inutiliter prolixi ſimus.

THESIS XII.

Jam ſi horum multiformium animalium corpori humano inexiſtentium ortum evolvere placet, illa partim in ipſis ovorum ſtaminibus adhuc latentia, partim jam dum formata illi irrepſiſſe vel ingeſta fuiſſe firmiter perſuaſi ſumus. Si enim ratio naturalis danda eſt horum phænomenorum, non aliam ſuggerit noſtra ratio experientia a poſteriori quoque munita, naturæ vim nullam inferens, quam quod illa ipſa ex ſui ſeminio producantur, nec poſſumus aſſentiri illis, qui transmutationem vermium in aliam formam admittunt, quaſi nimirum vermes mora temporis diuturna ſcorpionis, lacertæ vel alterius cujusdam animalis figuram capiant, uti Autor cujusdam tractatus de *generatione vermium in corpore humano* ante annum editi opinatur, lingua ſua ſequentem in modum ſententiam ſuam exprimens: *Ces ſortes de vers monſtrueux* (loquitur enim de diverſis formis vermium) *ſe diviſent en dix claſſes; ſçavoir les grenouilles, les lezards, les ſerpens, les anguilles, les vers à queüe fourchüe, ceux à cent pieds, les eſcarbots, les chenilles, & les ſcorpions; non que ces vers ſoient effectivement des ſcorpions, des grenouilles &c. mais c'eſt qu'ils ont une apparence, qui les fait reſſembler à ces animaux. Or toutes ces figures leur arrivent quand ils vieilliſſent.* Quam ſuam opinionem ut ſtabiliat, argumenta a ſimili petit, ut verba inſequentia ferunt, ſicut enim barba certa ætate viro prorumpit, & cornua nonniſi aliquo a nativitate tempore emicant, formicæ cum tempore alatæ evadunt, & bombyx quamplurimas in vulgus notas metamorphoſes ſubit, ita & hi vermes ſucceſſu temporis omnes has extraordinarias formas recipiunt. At vero primum nunquam probabit, quod unum ovum fuerit, quod tam diverſos diverſo tempore exhibendo verminoſos fœtus diverſas induerit formas; deinde Obſervatores non tam vermium, ſcorpiones vel ranas inentientium, quam ſcorpionum & ranarum ſimpliciter mentionem faciunt; porro omnes illi vermes, quos corpus humanum fovet, cum ſint adventitii, ſiſtunt inſectum illud, a quo ovula fuerant emiſſa. Præterquam enim quod impoſſibile eſt definire tempus, quo has vel illas formas referant, durum eſt credere, quod unum ovum tam diſſonas figuras repræſentare poſſit, cum ovum ex ſcorpione deſumtum nunquam degeneraverit in gallinam, & quod allatum exemplum de bombyce, quod unum ſtringere videtur, attinet, illud in genere applicari nequit, niſi in infinitum fingendi licentiam nobis ſumere velimus. Ut adeo omnia illa, quæcunque corpori humano præter naturam ingenerata fuerint inſecta & animalia, ex ſpecifico & peripheria activitatis circumſcripto ſeminio oriantur. Id tamen, quod vel maxime ad noſtri caſus dilucidationem faciet, omnimodo præeunte experientia largimur, monſtroſa illa ſchemata, quæ hujusmodi producta & fœtus non ita raro conſequuntur, provenire ex materiæ, qua ſuſtentantur, ad hæc vel illa animalia ſic deturpata diſſimilitudine, ut a naturali nonnihil deflectant figuratione.

THESIS XIII.

Quibus ſic in genere circa geneſin lumbricorum & inſectorum in corpore humano & cauſas deformitatis ſtrictim quoad potuit prælibatis & obſervationibus quibuſdam autorum præmiſſis, ad ipſam noſtram pulli gallinacei devenimus hiſtoriam, cujus rationes naturales & fiendi modum tradere, & dicta ad hanc applicare præſens fert inſtitutum. Ut autem analyſis hujus caſus recte procedat, primum reſpiciemus ad ipſam perſonam, quo affectu fuerit afflicta, deinde affectus hujus effectus declaraturi, quo loco, cujus gratia præſens ſit diſquiſitio, potiſſimum hic fœtus ratione ſui ortus in conſpectum veniet, ultimo difficultates, quæ oboriri circa hoc phænomenon poſſunt, ſoluturi.

THESIS XIV.

Quantum itaque ad primum, Cacheƈticam noſtram fœminam dicimus, quod mox ſuis ſignis innoteſcet. Eſt cachexia morbus admodum chronicus, & ſi radices egerit, curationi refractarius & ſexui præſertim fœmineo familiaris, qui cum ſub malo corporis habitu indigitetur, brevibus adhuc motus & craſis humorum in conſiderationem veniunt, qualis ſit in ſtatu naturali, ut eo melius ad præternaturalem tranſeamus. Jam vero ſat abunde clarum eſt illum bono gaudere corporis habitu, qui ſufficientes habet vires motrices, requiſitum calorem, ſanguinem floridum κατ' ἐξοχὴν ſumtum, laudabilem concoctionem ſeu chyli extractionem & robur partium, bilem ſatis activam, quibuſcum actionum vitalium, ſecretionum & excretionum energia conſpirat. Quæ ſi adſunt quæcunque inſinuata fuerint corpori humano verminoſa ſemina, in eo fixam ſedem ſtabilire non poterunt, ſed potius a prævaleſcente congrua humorum temperie disjicientur, invertentur, verbo evertentur. Principium enim activum ſanguinis, quod ſulphur formaliter habetur, inducias non concedit heterogeneo cuidam principio, quod ex ſua virtute materiam ſuam evolvere & explicare poſſit. Hinc etiam ſanitas optime conficitur recrementorum tempeſtiva expulſione, ne ſalino-acris, vel mucido-viſcida intemperies humoribus introducatur. Ideo tamen non ſola materia notanda erit, ſed motus ſimul a natura inſtituti & qui præternaturales videntur, examinandi, utpote hi nulla materiæ inhærente labe excedere ſolent, commonſtrantibus id exquiſite animi pathematibus, quibus in morbis cum producendis tum proſcribendis divina ineſt virtus. Quamdiu itaque conveniens inter utrumque, quod corpus humanum ut vivum format & ſervat, perdurat harmonia, tamdiu homo recte valere dicitur. Secus autem ſe res habet cum pravo corporis habitu, qui ex muceſcentia humorum emergit. Peccant autem humores vel quantitate vel qualitate, ex qua ſit motus vitioſus & perverſus. Quantitas & moles, quæ pariter τὸ quale vitioſum pediſſequum habet, accitur variis de cauſis, vel debito regimine in rebus non naturalibus neglecto, vel evacuationibus ſolennibus ſubſiſtentibus. Hæc maxime præponderat in fœminis, quæ ex naturæ ordine ſanguinis excretionibus ſtatariis expoſitæ ſunt. Fruſtrantur hæ ſucceſſu, accedente vita otioſa, ſegni, victu craſſo, potu parco & pauco Sub his actiones vitales magis magiſque langueſcunt, animi indoles evadit tenebricoſa, taciturna, terror & mœror ſubinde obveniunt, ſanguis & humores per colatoria ſua minus vegete tranſprimuntur, hinc nec ſufficienter attenuantur, ſubtiliſantur, mucidæ, recrementitiæ partes colliguntur, bilis retunditur & ſit iners, corpus male nutritur, ciborum concoctione vitiata

vitiata & calore vivido deficiente, & faciei color liveſcit, qui primus cachexiæ gradus eſt & leucophlegmatia audit. Quod ſi vero vaſa venoſa minora ſenſim infarciantur, redditur tum corpus molle, laxum, flaccidum, tumidum; vigore & robore partium ſublato, quinimo ſtaſibus confirmatis, fiunt ſeri ſeceſſiones, tumores, & primo quidem œdematoſi pedum, ſcirrhi, maxime hepatis & lienis, quæ viſcera primario in hoc affectu inſignem labem incurrunt, quæ omnia cachexiam obfirmatam deſignant. Deinde quoque non raro cruditates ex cibis apeptis & incongruis ita accumulantur, ut ovula cum illis deglutita in inteſtinorum canali lumbricos edant, quod ſuo jam tempore novit COLUMELLA *dicens L. VI. cap.* 25. lumbrici fere naſcuntur cruditatibus; qui primo nauſeas, deinde & vomitiones ægrotis creant, ſaliva ad os uſque affluente, morſicationibus inteſtina vellicant, hinc anxietates præcordiales, cardialgiæ, tenſiones & torſiones graviſſimæ ad ſyncopen & ſudores frigidos uſque, & cum lumbrici ſerum ægrotantis conſumant, ut vermibus affecti vehementer ſitiunt, fit ut habitus corporis collabatur & tabeſcat, ſolo abdomine quandoque intumeſcente, quod fit, ſi inteſtina atrocius ſollicitentur & convellantur. Sin cruditates in primis viis minus abundent, & tamen tumores ingraveſcant, tum demum ultimum quaſi complementum cachexiæ aſcites imponit.

THESIS XV.

Deſcripto ſic cachexiæ genio opus eſt, ut modo dicta & deducta ad noſtram fœminam applicemus, eamque notato morbo laboraſſe eoque ſublatam fuiſſe evictum demus. Ex hiſtoriæ itaque circumſtantiis morbum dijudicaturi, deprehendimus, illam mox a puerperio in diverſis locis, ut manibus & pedibus dura quædam tubera ſubiiſſe, quorum originem, ubi humores per lochiorum fluxum ſine dubio non ſatis fuerunt depurati, non aliunde niſi ex maſſæ ſanguineæ adaucta impuritate & viſciditate & ſeri ſeceſſione atque ſtaſi facta derivamus. Deinde quidem morbi facies obvelata manſit, tum tubercula iſta variis topicis adhibitis diſparuerunt, at mali fons & origo non fuit exciſa, ita ut, quanquam poſt iteratum puerperium tolerabiliter ſe habere viſa fuerit, non multo poſt lactis eſum larvam ſuam deponeret & tanto gravius ingrueret. Præſentiſſime autem pejus exinde habuit ægra, quoniam lacticinia illis, qui viſcera ſana non habent, & ubi humores mucoſitatem contraxerunt, minime ſalubria exiſtunt, dum viſciditatem augendo & infarctui viſcerum litando, aptum generationi vermium nutrimentum & locum præbent & hac ratione affectum exaſperant. Et quoniam ex obſervatione accuratiſſimi naturæ indagatoris FR. REDI infantes rariſſime ante lacticiniorum uſum vermibus divexantur, excepto ſolo lacte nutricis, quod illa aëri externo expoſita ovis externe advenientibus acceſſum concedant, utique accidere potuit, ut noſtra mulier, ſtatim atque lac ovis inſectorum impnægnatum hauſerat, conſectaria illa, quæ vermibus vulgo tribui ſolent, experiretur, qualia ſunt tormina, lancinationes, nauſeæ, vomitiones & ſpaſtici motus. Porro ipſi vermes ceu luculentiſſimum cachexiæ acceſſorium ſatis teſtantur de cauſa, quando & hi ut forex ſe ipſos in noſtra fœmina prodiderunt. Ipſe denique morbi exitus & funeſta cataſtrophe cachexiam obſignat, eo quod morti proxima ſanguinem copioſum ex faucibus ejecerit, ex quo viribus notabiliter fractis & motibus vitalibus in languorem verſis ultimum rerum diſcrimen exſpectandum aut metuendum haberet.

THESIS XVI.

Nunc demum ad noſtrum fœtum devenientes, rem ita proſequemur, ut ejus ortum, ſpeciem, deformationem & exitum contemplemur. Quare prima hujus curioſi fœtus ſtamina retexturi, (qui licet in ſe Medico ſcopo alienus videatur, attamen cum in corpore humano generatus fuerit, & omne, quod præter naturam illi accidit, Medico diſquirendum veniat, nec hic ipſe noſtra diſquiſitione Medica indignus habendus erat) ſemen ſeu ovulum omnium animantium primordium merito agnoſcimus, quod per externam quandam fluidam ſubſtantiam ad intrinſecam motionem & fermentationem quaſi deducitur. Unaquæque equidem guttula ſanguinis ſecundum mentem *Excell.* D. PRÆSIDIS ideam & notam characteriſticam totius animalis refert, non aliter ac ſemen plantæ & exiguus ramuſculus characterem & ſignaturam ſpecificam ipſius plantæ & arboris, ex quibus fuerant deſumta, impreſſam tenent, nullum tamen unquam ex ſanguine vel tenuiſſima fluida ſubſtantia producetur animal, niſi vis hæc ſeminalis involucris & membranis circumcirca muniatur & includatur, quod convolutum nobis exhibet taliſmodi corpuſculum ſphæricum, ovulum dictum. Ovum autem ad principium generationis animantis ideo requirebatur, quod vita & ad ipſam pertinentes functiones, nutritio, explicatio & diductio partium abſolvantur ſolo motu pericyclico, hic vero in ullo liquido in ſe peragi nequeat, niſi illud contineatur & ſuis ſphærulis circumſcribatur. Quamvis ſic ovulum omnium viventium rudimentum gratis concedatur, inſignis tamen adhuc in ipſo fœcundationis actu reſidere deprehenditur diverſitas. De animalibus perfectis nota res eſt, quod ovula ſemine maſculi reddantur actuoſa, vel aura ſeminali irradientur, dum hoc ipſum ceu delibatiſſima & ſubtiliſſima portio ſanguinis motum æthereum circularem ovulo imprimit, & effectum illum, quem fœcundationem nominamus, producit. Cum inſectorum autem ovulis aliter comparatum eſt, quæ grata humiditate & pluvia & temperato calore fœcundata excitantur. Hinc ortum judicamus illum errorem, quod, prout hiſtoriæ loquuntur, ranis, cicadis, imo muribus pluiſſe vulgo credant, quod tamen ita potius accipiendum eſt, pluviam nimirum admodum fœcundam derepente inſectorum & animalium hujuſmodi ſeminia excluſiſſe, & hac ratione inſecta magna in copia ſe propagaſſe. In qua ſententia tanto magis confirmamur, dum in urbibus talia inſecta, quæ ruri & in campis gregatim degunt, non advertuntur, quod tamen æque deberet evenire, ſi ex pluvia ceu ex Jovis ſinu prolapſa fuiſſent. Quandoquidem ergo firma manet generatio ex ovo, quam tot argumenta evincunt, & hodierni Philoſophi ac Medici unanimi conſenſu recipiunt, itidem certum eſt, hoc ipſum noſtrum animalculum, quod ab ægra per alvum ſeceſſit, ex ovulo quodam petere ſuum ortum, ſuum fundamentum.

THESIS XVII.

Speciem ovuli nunc determinaturi, partim ex ipſa fœtus noſtri externa figura, partim ex analogia aliorum animalium ipſam deducemus. Ex vermium genere fœtum hunc eſſe minime ſentimus, quod is perfecti animalis formam exhibeat, & pedibus carnoſis, longo collo & capite conſpicuus ſit; vermes enim nonniſi mucidiori & laxiori corporis compage, carneis fibris non intertexta gaudent, quod ex multis nodulis & juncturis eſt conflatum. Quare propius intuentes figuram, perfectiorum animantium, & quidem

dem volucrium generi adſcribimus, quoniam pedes illud ipſum demonſtrant, quin uno ſi reliqua veſtigia legimus, pullum gallinaceum ingenue habemus. Primum ſiquidem criſta capiti ſuperemmens, deinde magnitudo & proportio partium inter ſe invicem, & tertio demum in ſpecie collum, pectus & pedes conjunctim ſumta gallinæ partum eſſe perſuadent. Qui quomodo corpori humano ingenerari potuerit, de eo merito quæſtio movetur, quod ut expediamus, noſtra ſententia hæc eſt. Inter alias morbi hiſtoriæ circumſtantias hæc quam maximi momenti habetur, quod ægra noſtra quodam die lac ceperit, ex qua non incongrue ſuſpicari nobis videmur, numne ægra ovum quoddam gallinaceum cum lacte, (qui ovum lacti communicatum fuerit, non adeo inquirimus,) ſimul deglutiverit, quod affirmare non dubitamus, quando conſideramus fieri potuiſſe, quod ægra exiguum, nondum partum, incoctum ovum inſcia acceperit & ingurgitaverit, qualia ex gallinis & avibus depromimus exenteratis. Hoc itaque ovum per œſophagum ad inteſtinorum ductum detruſum in eo commodum nactum eſt ſpatium ſe dilatandi, ubi non tam in ipſo ventriculo, (quoniam ægræ propinata medicamenta proventum & genituram hujus animalis potius invertendo deſtruxiſſent,) quam circa initium inteſtinorum craſſorum & quidem valvulæ conniventi coli adhæſerit, quo in loco pullus excludi, ſenſim increſcere & ſignatam molem, utut non ſine inſigni fœminæ ægritudine, acquirere valuit. Hunc igitur pullum intra corpus fuiſſe generatum fide digna facti docet hiſtoria, ejus ortum ab ovo eſſe docet naturæ ordo, ovum ab extra fuiſſe illatum docet pariter rei natura, cui ratio ſuffragatur, ovum gallinæ fuiſſe comprobant adducta argumenta, ſed qua ratione inſinuatum fuerit, noſtram diximus ſententiam, pro qua ſi quis in re ſic comparata aliam & meliorem ſubſtituere noverit, vel gratiſſimum nobis erit, interim noſtra erat ſtatuminanda.

THESIS XVIII.

Ad ipſam nunc accedentes deformationem, hujus rationes phyſicas proponemus, quo difficultates circa monſtroſi hujus pulli formationem removeamus ſuborientes. Primam & præcipuam mox ſuggerit ejus nuditas, quando implumis excretus fuit, alteram capitis diſtorta facies, cui inſuper poſterioris partis mira ſtructura & tandem alterius pedis depravatio velificantur. Quod ejuſmodi pulli in corpore humano excludi & implumes naſci poſſint, nullibi tale quid obſervatum legitur, præter unum exemplum, quod *in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. V. in appendice Obſerv.* 54. *p.* 34. extat, ubi ſimilem fere caſum *Autor* DD. Paulini conſignavit, quando refert ſe vidiſſe, quod ſannio cujuſdam Principis, qui recens, incoctum, teſta incluſum ovum deglutiverat, & intercurrente ſpatio aliquot ſeptimanarum immanes dolores in abdomine perpeſſus fuerat, tandem ab uſu infuſi nicotianæ vehementer vomuerit, & ſub finem vomitus pullum mortuum & quidem NB. abſque plumis rejecerit. Quæ unica obſervatio noſtræ huic lucem fœnerans ſatis evincit, quod ejus generis deformationes utique evenire poſſint. Quanta enim non ineſt virtus aëri, nutrimento, loco natali in perturbanda naturali animalis idea, ſive ut cum Veteribus loquar, facultate formatrice. Conſideremus modo plantas & arbores ex calidioribus regionibus ad ſeptentrionales plagas advectas & in his plantatas, quæ non viſitur illarum diſtortio, quæ non diverſitas ratione fibrarum magis minuſve compactarum & ſolidarum? quantum non diſtant fructus ab invicem? Sane dum ſuccus alienus cum genitali non coincidit, vis plaſtica & nutritionis actus declinant, pori aliter configurantur, uno verbo, aſcititia temperies naturali non reſpondet. Annon etiam tale quid in noſtro phænomeno notandum venit? non videmus diſparitatem. Nam hoc quidem certum eſt, quamvis animalium ſpeciem peculiarem ſuum habere ſuccum, proprium characterem & ſingulari eminere corporis textura. Jam ſi animal quodpiam in corpore humano formetur, neceſſario ob ſucci nutritii & arvi ſui diverſitatem aliam aſſumet conformationem, aliam partium texturam, ut hinc minime mirum videri debeat, pullum noſtrum non ſolum plumis fuiſſe privatum, ſed & capite deformi & enormi donatum. Quod ut ulterius confirmemus, unde quæſo ſæpius in infantibus, imo & adultis vermes decem & plures ulnas longi oriuntur? Ex ſeminio proveniſſe notum eſt, at unde hæc ipſi longitudo? non enim a vermibus, ſed a muſcis ſuam originem trahunt. A materia externa hoc proficiſci quid non ſtatuamus, cum hæc omnimodo magnum ingreſſum habeat, qua ut diſpari ovum pariter in formatione turbetur, & evolutus fœtus ob immutatam nutritionem ſtructuram longe aliam induat, quale quid in papilionibus advertere licet, qui prout de hac vel illa planta delibant, peculiarem quoque papilionum ſpeciem gignunt; evidens ſiquidem eſt, quod ex ovulis, quando eruca moritur, papiliones ſurgant ceu alia inſectorum ſpecies, ut adeo magna metamorphoſis ex hiſce eluceſcat. Cum ergo noſtra Cachectica vermibus obnoxia humores viſcidos, mucoſos foverit, pullus nonniſi ſqualidus, laxus, toroſus & luxurians prognatus fuit. Pori etenim redditi fuere laxiores & magis patuli, majorem humiditatis imbibendo quantitatem, qua dum pullus fere diffluebat, partes huc & illuc ſic ſpongioſiores redditæ in deformem abibant texturam, quod comprobat caro luxurians in vulneribus & ulceribus, ubi fibræ carneæ propter copioſum affluxum & ſtaſin ſeroſo-lymphatici laticis, tono in parte affecta relaxato, inæquales & tortuoſæ fiunt. Quando itaque pulli noſtri fibræ ex ſtagnantibus mucoſitatibus in primis viis diducebantur, plumæ non commode exſurgere potuerunt, quod phænomenon nos de ratione certos facit, quare homines macilenti præ pinguibus & obeſis pilis abundent. Quantum vero primum ad caput, illud equino accedere videtur, utut criſta clarius arguat, cujus habendum ſit; cujus deformitatis ratio hæc eſt, quod ex mora temporis, quo in inteſtinis permanſit, inſignem ſqualorem & fibrarum, imo & lamellarum oſſearum mollitiem ac deletionem contraxerit; uti ipſa hiſtoria memorat, ne oſſiculum quidem in eo potuiſſe deprehendi. Hac enim ratione caput emollitum bene ex accidenti hujus vel illius animalis caput referre, & quid monſtroſi alere dici potuit. Alarum, an eas habuerit, nulla quidem in noſtra hiſtoria mentio occurrit, at non æque illis deſtitutum fuiſſe negaverimus, quas (uti & oris aperturam) accurate dignoſcere prohibuit forte ſqualida maſſæ facies. Nam hoc quidem valet materia externa, ut partibus & membris ſeries fibrarum diſtorquendo pravitatem inducat, ſed non ut partes eſſentiales corporis tollat, quarum prima ſtamina in ipſo jamdum ovo texta aderant. Poſteriore, quæ ſequitur, parte ſingularis caudæ in longum diductio advertitur lacertæ figuram mentiens, quæ pariter irregularitati & extenſioni fibrarum a muceſcentia tribuenda venit, & quoniam ordinarie poſterior pars craſſior in volucribus, ita & gallinis, comparet, illa forte compreſſione quadam in longum magis extenſa fuit, & nullum eſt dubium, quin ipſe hujus pulli in inteſtino ſitus multum ad monſtroſam conformationem fecerit, & prout una pars præ altera gurgite quaſi muciditatum magis minuſve obruta fuerit;


fuerit; quæ conſideratio ultimam quoque nobis eximet difficultatem, quare alter pes ab analogia alterius diſceſſerit. Ut adeo nutrimenti pravitas, loci genius & ſitus ratio omne punctum in deturpatione hujus pulli ferant.

THESIS XIX.

Adductis deformitatis rationibus, ſupereſt, ut pulli hujus receſſum morbique ſucceſſum & triſtem eventum ſubjungamus, & eo ipſo hiſtoriam noſtram ad umbilicum perducamus. Quod ſanguis & ſerum, ſi nec libere moveantur, nec recrementa debite removeantur, copioſas mucidas partes admittant, & organa ſecretoria & excretoria ſeu colatoria illis pedetentim repleantur, ut obſtructiones propullulent, ex ſuperius dictis innoteſcere arbitramur. Quid autem aliud, ſi organa ad motum inepta redduntur, mechanica ratione conſequitur, quam ut putredinoſus inteſtinus motus invaleſcat, & ſic proxima ad mortem via pandatur. Invaleſcente enim ſeri & ſanguinis corruptione, ut vermes ſuum ſeminium late diffundunt, ita ex his ipſis illa quoque corruptio incrementum capit. Imprimis vero pullus gallinaceus, qui in ægræ,& ſui ipſius deſtructionem ingenitus fuerat, non ſolum humores conſpurcabat, ubi inconvenienti ſucco nutritio admotus mucorem & fracedinem concepit, ſed & tonum naturalem inteſtinis atque viſceribus adimebat. Qui enim ſqualor non prodit ex infectis putredinem infectantibus, ut fœtor oris, nauſea, appetitus languor & materiæ verminoſæ ejectio illum innuunt. Remiſſio toni, qui initio quidem, ubi lumbrici tunicam inteſtinorum nerveam ſubinde laceſſebant, eamque pullus nimium diſtendebat, ſatis ſpaſticus evadebat, (unde illæ anxietates, dolores acerbiſſimi, lipothymiæ, vomitiones ſurgebant) inevitabiliter ſequebatur, quoniam motus provocati ad proprimendum & exprimendum fœtum & vermes ſibi moleſtos objecto non pares erant, cum quod humores non ſatis ad movendum apti eſſent, tum quod moles producti pulli ambitum inteſtinorum naturalem excederet, ut ſic pullus in ſe innoxius noxam mortiferam ægræ noſtræ inferret. Sed ut natura pulli erat impatiens, hunc motu periſtaltico propreſſit, & tono ſubinde relaxato, vix tandem per ani ſphincterem eliſit. Super his omnibus vires conſumtæ, ſtaſes humorum confirmatæ, quarum ſoboles erat collecta ſanguinis portio ex faucibus emiſſa, corruptio ſeroſa ex vermibus ad ipſam putredinem jam proclivibus ſenſim adaucta, tunicæque inteſtinales effæ & flaccidæ relictæ, vitæ finem impoſuerunt, in quo & præſens noſtra naturalium diſquiſitionum particula ſubſiſtet, ubi illam ab ovo uſque ad mala, quod aiunt, proſecuti ſumus. Interim tibi, Benevole Lector, integrum eſt judicare, qua felicitate vel infelicitate illud præſtiterimus, qui raras equidem cum Th. Bartholino viro πολυμαθεστάτω hiſtorias amplectimur, ſed quibus probabilis favet ratio eaque naturalis: Me vero ad æternum Naturæ præſidem ſupplex recipio, ut, ex quo ceu centro egreſſus eram, ad eundem rediens in eo acquieſcam & concludam:

Pectus ovans textis ſtudiis Te laudo, precando,
Fac ovum Medicum fertile, Summe Deus!

Effigies pulli gallinacei pro verme habiti.



Cui gravis hoſpes eram, me deturpaverat arvum,
Huic mors, luce carens confero lucis opus.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

GENUINA CHLOROSIS INDOLE,

ORIGINE ET CURATIONE.

Primum edita Anno 1731.

PROOEMIUM.

EXTRA omne dubitationis ſchema poſitum eſſe judico, hominem a nativitate nil niſi morbum eſſe, teſtante hoc divo HIPPOCRATE feliciſſimo Medicinæ rationalis reſtauratore. Si enim corpus humanum quatenus eſt mixtum, & quatenus ſtructum conſideramus, omnis dubitatio hac de re ſuborta, omniſque admiratio evaneſcunt. Mixturam enim corporis humani ingreditur materia ſumme corruptibilis e partibus diverſæ indolis conſtans, quæ minus cohærent, ſed facillime a ſe invicem ſecedunt. Materiam aqueam, pinguem, terream ſolubilem ſive ſalinam & fixiorem inſolubilem corpus ingredi humanum analyſis teſtatur chymica. Has vero partes differentis eſſe indolis, minus cohærentis, & hinc facile disjungibilis, præter inſcios ignorat nemo. Si itaque hæ partes continuo & æquali non agitantur motu, a ſe invicem disjunguntur, craſſiores, fixiores, gravioreſque coëunt, ſubtiliores vero ac fluidæ avolant; hoc vero vigente arctius ac intime uniuntur, miſcentur, combinantur, & machina noſtri corporis admodum corruptibilis optime a præſentaneo interitu ac corruptione vindicatur motuum coordinatione. Quotidiana etiam experientia de noſtræ theſis evincimur veritate, qua edocemur nulla corpora ſuo privata motu in putridam tam ſubito ruere corruptionem, quam animantium ipſiuſque hominis. Hujus vero phænomeni rationes progerminant e ſupra allegatarum rationum fonte. Structura corporis humani, ſi eam perluſtramus, maxime eſt hydraulica, ex innumeris diverſæ magnitudinis & ſtupendæ exiguitatis nec non anguſtiæ tubis conflata, per quos fluida varii generis perenni agitantur motu, volvuntur, circumvehuntur, & ſecernuntur. Ad hunc actum celebrandum, corpus humanum, ut fibris, potentiis motricibus inſtructis, quæ quaſi vectes & elateres conſtituunt, gaudeat, neceſſe eſt, ut earum motu conſtrictorio & dilatatorio fluida indeſinenter propellantur. Quia vero humores per tot tubulos anguſtos & ſubtiles propelli debent, neceſſe erit, ne juſtæ fluiditatis excedant cancellos, canales vero ad unum omnes ſemper & ubique ſatis aperti exiſtant, & motus denique juſtam & adæquatam obtineant temperiem. Ea vero eſt omnium horum recenſitorum conditio, ut levi data cauſa a ſua juſtæ proportionis inter ſe invicem tramite deflecti queant, quare non mirandum corpus humanum tam proclive eſſe ad varios morbos ſubeundos, qui in motuum conſiſtunt perturbatione. Quævis itaque ætatum periodus certis morborum generibus, ipſi familiaribus vexatur, quodvis hominum genus majori præ altero gaudet propenſione ad varia morborum ſchemata. Quam multis, quamque intricatis affectibus variis ex cauſis demum obnoxius ſit ſequior ſexus præ potiori neminem qui caſtra Apollinis ſequitur, procul dubio fugiet. Huic enim ſexui varii familiares ſunt affectus, variæque excretiones, quæ ſi non rite procedunt, innumeris januam pandunt pathematibus. Indefinitam itaque Summi Numinis ſapientiam ſic voluiſſe videtur, quod ſexui ſequiori, quia variis perſuaſoriis ſuum contribuit ſymbolum ad lapſum Adami triſtiſſimum, velocioribuſque ad illam feſtinavit pedibus, plures intricatioreſque affectus, pœnæ inſtar, aſſignaret. A teneris enim ſtatim hocce alias ſatis amabile genus modo hoc, modo illo agitatur morbo, donec

imminente pubertatis termino primoque tributo lunari, novi etiam iique rebelliores ac intricatiores immineant morbi. Mox enim majorem, quam ſanitati conducit perſentiſcunt exundationem catameniorum fluxus, mox ejus nimiam exſiccationem ſive ſuppreſſionem, mox vero inordinatum ratione temporis ac loci profluvium, & denique nonnunquam nimiam inordinatamque decolorationem; qui menſium ſtatus præternaturalis multum incommodi nec non interdum periculi poſt ſe trahit. Fœminæ utero gerentes variis innumeriſque exponuntur incommodis, & fœtu denique excluſo in ancipites devolvuntur morborum anguſtias. Lochia enim interdum nimium prorumpunt, interdum prorſus deficiunt, vel plus juſto citius evaneſcunt, quæ itaque variorum morborum exiſtunt opifices, quibus miſerrima earum exacerbatur conditio. Inſtituti ratio non permittit, quaſvis enarrare morborum ſpecies, quibus ſexus ſequior exercetur, dum alias noſter labor academici ſpeciminis excederet cancellos. Cum vero more conſueto, & gratioſæ Facultatis Medicæ Ordine jubente mihi incumbat per ſpecimen quoddam meas probare ingenii vires, meoſque profectus oſtendere in arte ſalutari; Chloroſin, affectum illum virginibus admodum familiarem, perluſtrandam mihi elegi, cujus genuinam indolem, originem & curationem pro exiguis ingenii mei viribus explicabo. Cui conatui Summus Archiater ſua benedictione ex alto clementiſſime adeſſe velit, ut omnia in Sui nominis gloriam noſtrumque emolumentum cedant.

§. I.

Vela noſtræ tractationis expanſuri ſupervacaneum eſſe judicamus prolixiorem etymologicam inſtituere analyſin. Sufficit, chloroſin eſſe vocem græcæ proſapiæ ἀπὸ τοῦ χλωροῦ vel ἀπὸ τοῦ χλωρίζειν viridem eſſe, ut illam græcarum antiſtites derivent, quod vocabulum vel ἀπὸ χλόης herba vel χλωροῦ colore viridi luteo, qualis in recenter germinantibus viſitur herbis, deducitur. Haud obſcure fœdum illum faciei colorem, quo ægrotantes ſubinde afficiuntur, denotat, utpote etiam ejus perantiquum nomen ab ipſo artis principe HIPPOCRATE in forum medicum introductum fuit. Scriptores latini varie hunc nuncupant affectum. Salutant enim Pallorem virginum, fœdum virginum colorem, icterum album, cachexiam virginum, morbum virgineum, febrem virgineam, albam, pallidam & amatoriam ſecundum tritum illud Naſonianum:

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

Germanicis vero der Bleichſucht / die Mißfarbe dicitur. Alia quidem adhuc tam apud Medicos quam vulgus proſtant nomina; nimis vero eſſet prolixum, nulliuſque uſus omnia recenſere, quare etiam huic nominum declamationi ſuperſedemus.

§. II.

Præmiſſis his, quæ in eorum adjecimus gratiam qui ejuſmodi verbali delectantur enodatione, ad realem affectus pertractationem nunc propius accedamus & omnium primo realem præmittamus chloroſis definitionem. Chloroſis eſt depravatio externi habitus corporis, Virginum præprimis, quoad conſiſtentiam & colorem, cum aſpectus floridi in pallidum, virideſcentem & flaveſcentem mutatione, a turbato ſanguinis circulo, ejuſque læſa craſi, ob menſes obſtructos eoſque inſequentem ſpaſmorum vehementiam, viſcerumque atoniam producta, variis ſtipata ſymptomatibus iisque graviſſimis, deſiderio præprimis conjuncta Veneris ſubeundi caſtra. An hæc deſcriptio realis & genuina ſit, iis relinquo, qui ſe Lynceo acutiores eſſe credunt. Meo quidem judicio, niſi me omnia fallunt, putarem, illam ſatis ſuperque affectus exhaurire formalitatem. Nam experientia, crebræque teſtantur obſervationes, externum corporis habitum quoad conſiſtentiam & colorem omnino eſſe depravatum. Coloris floridi loco ægræ palleſcunt, virideſcunt, flaveſcunt pro exacerbatione affectus, illiuſque duratione; conſiſtentia vero corporis tumida, turgidaque ſane obſervatur; ſie ſehen recht aufgedünſſen aus / quæ conditio a nimia fibrarum & cutis relaxatione, toni debilitate ſanguiniſque corrupti in cute dependet reſtagnatione. Quod ex menſium obſtructione ſuam denique deducat originem, hujus veritas, ut & reliquorum momentorum, ex ulteriori rationali pertractatione hujus affectus inclareſcet.

§. III.

Non inconſultum ac inutile fore nobis perſuademus, noſtram, qualitercunque etiam fiat, explicare mentem, a quonam principio color naturalis æque ac præternaturalis dependeat, & quomodo contingat. Licet corpus illud reticulare cuticulam & cutem intercedens nonnulli unice pro principio agnoſcant coloris, nihilominus tamen ſuo falluntur judicio. Reticulum enim iſtud humido perfuſum eſt viſcoſo, lymphatico, limpido, ut in noſtris Europæis, ita ut ad ſenſum rite inſtituto examine nulla gaudeat conſtanti tinctura, licet ad quamvis recipiendam aptitudine non careat. Si itaque per alias res varie coloratas alterari ac tingi poteſt, ſequitur ſane ſubnatum colorem non unice huic reticulo, ſed rebus coloratis, adſcribendum eſſe. Firmis inconcuſſiſque rationis ac veritatis talis ſuffulta eſt ſententia ſanguinem quoad colorem varia pati diſcrimina. Nec rationi nec experientiæ demum contrariatur, ſanguinem omnes univerſi corporis partes fibroſas rigare ac perfluere. Quare itaque concludendum ſanguinem illud corpus reticulare quoque rigare ac perfluere ut oporteat, neceſſe eſſe. Si perfluit, tingit etiam, quia eſt coloratus. Lucis demum radii per pellucidam cuticulam penetrantes in eodem reflectuntur. Prout itaque utrumque humidum comparatum exiſtit, ita etiam color variat in corporis ſuperficie. Quo major itaque ſanguinis copia ad corporis propellitur peripheriam, ut in ira, gaudio, eo major eam occupat rubor, hoc vero nimis retrocedente ſub terrore, frigore &c. major reſidet pallor in corporis peripheria. Quo copioſius vaſcula ſanguifera cutim pervagantur & cuticula tenuior exiſtit, eo rubicundiori pars perfunditur colore, ut genæ & labia. E quibus deductis jam ſatis perſpici poteſt, quænam coloris ſit defœdatio in noſtro affectu & quomodo contingat. Reticu-

ticularis illius cutanei, ſanguiniſque diſpoſitioni ac variæ tincturæ adſcribendam eſſe conſtat. Si humidum, quo iſtud perfunditur reticulum, peregrinum induit colorem ob ſanguinis dyſcraſiam & decolorationem, ut pallidum, ſubviridem & flaveſcentem, & ſanguis, illud perfluens, variis ſordibus, & quiſquiliis excrementitiis varii coloris impraegnatur, ſana ſane dictitat ratio lucis radios varie quoque reflecti ac modificari poſſe, peregrinumque colorem in ſcenam prodire.

§. IV.

Noſter affectus, uti e ſuperioribus colligendum, ſexum ſolum invadit ſequiorem & præprimis virgines toro maturas ex menſium obſtructione, vel etiam ſi illi inordinate & pauciores fluunt; rarius viduas & maritatas, quare etiam, quia a potiori fit denominatio κατ' ἐξοχὴν Virginibus adſcribitur, unde etiam morbus virgineus ſeu febris virginea vocatur. Ob victus aliarumque circumſtantiarum rationem quibuſdam familiaris exiſtit locis uti e. gr. valde frequens Berolini obſervatur. *vid. Act. Berol. med. Dec. I. Vol. IV.* Ante pubertatis terminum nunquam in ſcenam prodit hic dirus affectus, ſed ſequitur menſium emanſionem, vel etiam ordinario eorum a quacunque cauſa ſuppreſſionem. Ad legitimam menſium excretionem requiritur, ut humores, quibus omnes corporis partes ſufficienter rigantur, debitam & proportionatam poſſideant fluiditatis indolem, ſin minus, difficulter ſane per tot ſtupendæ anguſtiæ ac exiguitatis tubulos propelli poſſunt. Requiritur etiam demum ut viæ & ductus, quos permeare decet humores, ſufficienter ſemper iis pateſcant; huic etiam accedit requiſito, ut eorum motus integer exiſtat, ne nimis ſit languidus ut partium atonia laborantium, vel nimis auctus, celer & nimis conſtrictorius, uti ſub ſpaſmorum exacerbatione ac vehementia; & denique etiam requiritur, ut juſta ac proportionata adſit ſanguinis quantitas. Omnibus his non rite conſpirantibus facile contingit, ut utiliſſima & ſalutaris hæc excretio in ſuo turbetur circulo. Si ſanguis nimis craſſus & ſpiſſus exiſtit per tot canales exiguoſque canaliculos, qui tractu ſerpiginoſo & anfractuoſo per uteri ſubſtantiam convoluti diſſeminantur, libere & æqualiter circulare non poteſt. Hinc fluida tantum trajicitur pars ſanguinis, craſſior vero remanet, ſtagnat, tubulos infarcit & varias excitat ſpaſticas conſtrictiones. Si demum ſpaſmi ſummam induant vehementiam, eo ſane ſæpius res redit, ut ad tempus ob nimiam vaſorum conſtrictionem, fluidiſſimæ etiam ſanguinis parti, tranſeundi præcludatur via. Neceſſe itaque eſt, ut ſanguis impetu ad alia vicinaque regurgitet loca. Cum vero ubique tubuli deprehenduntur exigui, minus libere per eos volvitur ſanguis regurgitatus, & ratione majoris, quam par eſt, molis & quantitatis, liberum etiam retardat tranſitum per reliqua viſcera. Stagnat itaque in ſuis tubulis, eos nimis diſtendit, expandit, infarcit & eorum vim elaſticam vel infringit, enervat, & relaxando integre ſæpius abolet, vel eam augendo exacerbat, ut actualis inſequatur ſpaſmorum vehemens exacerbatio.

§. V.

Spaſmi vero ejus ſunt naturæ, indolis ac ingenii, ut iis partibus, ad quas cum impetu ingens vibratur ſanguinis & humorum copia, magnam inducant debilitatem. *vid. Ex. DD.* Præsidis *Med. Syſt. Tom. II.* Cum itaque ſpaſmi circa uterum ejuſque confinia ſuas ſæpiſſime ludant tragœdias, impetu ſanguis & humores ad alia, regurgitatione etiam tantum, propelluntur loca, ut ventriculum, hepar &c. quorum tonum ac robur valde infringunt, enervant, adeo ut priſtinam vim ac robur difficulter recipiant. Spaſmi etiam iis, quas diu obſederunt, partibus inducunt atoniam atque imbecillitatem. Validiſſima enim illa uteri fibrarum agitatione, alliſione mutua & contorſione fluidiſſimæ & ſpiritui æmulantes ſanguinis ac ſucci nervoſi partes, quæ tonum ac robur efficiunt vitale, diſſipantur ac avolant: Neceſſario hinc ſequitur, uterum laborare debilitate ac atonia, quibus liber impeditur ſanguinis tranſitus per ejus vaſa. Variæ itaque in ſanguinis circuitu contingunt inæqualitates & functionum turbationes non tantum ex ſpaſmis, ſed etiam ob atoniam & nimiam partium ſolidarum & motricum relaxationem & debilitatem.

§. VI.

Hepar denique ſuum quoque confert ſymbolum ad hunc maturandum affectum, dum ex ſpaſmo uteri regurgitans ſanguis majori vi ac copia ad hoc propellitur ac alluditur viſcus, illud per ſe ſatis laxum in ſuo debilitat tono, nimis diſtendit & infarcit, quare ſegnior evadit ſanguinis tranſitus. Retardatur enim ob robur deperditum & vim contractilem & elaſticam imminutam motus fluidorum. Latius itaque ſerpente hepatis obſtructione viſcus hoc naturalem ſuperat molem, ita ut diaphragmate cum ventriculo deorſum coactis varii propullulent dolores, difficilis ſpiratio & ad vomitum inclinatio, quæ ſymptomata ordinario noſtro ſe aſſociant affectui. Per ſe difficiliorem ſanguinis tranſitum eſſe per hepatis compagem luce clarius exiſtit meridiana, quare etiam in noſtro affectu, quia tardius ſanguis trajicitur per hepar ob imminutum & deperditum tonum, negotium ſecretionis bilioſæ & ſanguinis depurationis imminuitur, ac evaneſcit. Hinc impuritates illæ bilioſæ ſanguini admixtæ una cum ſanguine ad corporis peripheriam & cutis compagem propelluntur; cui ejuſmodi colorem pallidum ſubviridem & flaveſcentem ſecundum §. III. imprimunt. Ob conſenſum etiam partium patiuntur renes, lien & ventriculus, qui ob imminutum robur & tonum negotio concoctionis rite præeſſe non poteſt, quare etiam crudus gignitur chylus, crudus variis ſordibus oneratur ſanguis; hinc non mirandum, cur omnes corporis functiones ſuo priventur æquilibrio.

§. VII.

Variis etiam chloroſis concomitatur ſymptomatibus iiſque graviſſimis, ut menſium obſtructione, facie admodum pallida, ſubflava & virideſcente, imprimis etiam labiorum inſolito pallore, corporis habitu aliquantulum intumeſcente, als wenn ſie etwas aufgeſchwelt und aufgedunſſen wären/ oculorum ſubſidentia, palpebrarum vero cingentium livore, maxima membrorum laſſitudine, animi ac corporis languore & torpore, appetitu inordinato, ejuſque naturalis dejectione, nauſea & vomitu, ſomno turbulento, minori ad motus laborioſos proclivitate, & ſub illis citiore defatigatione, pedum gravitate & ad movendum inertia, excretionum ordinariarum & conſuetarum minore ſucceſſu, frequens intercurrente cordis palpitatione, reſpirandi difficultate maxime poſt motum concitatiorem & ſub ſcalarum aſcenſione, cardialgicis pathematibus, præcipue poſt paſtum cum intercurrentibus capitis doloribus & abdominis turbis flatulentis & tenſoriis, animi dejectione, ſie ſind insgemein traurig und verzagt / verdrießlich / träge und verdroſſen / extremitatum frigore, crurum & pedum præſertim circa malleolos poſt ſomnum intumeſcentia & quaſi inflatione & denique intercurrente animi deliquio. Quibus omnibus ſucceſſive, increſcente malo, lenta ſe aſſociat febris, noctu ma-

xime affligens, & niſi cito hæc curatur, in lethalem tranſit hecticam, uti omnia hæc teſtantur Schenckius *in ſuis Obſerv. Lib. IV. p. 632.* Sydenhamæ *in prax. medic. experiment. p. 781.* & Timæus vom Gülden = Klee *in Caſ. medicin. Lib. IV. Caſ. 16.* aliique.

§. VIII.

Quia etiam noſtrum affectum multum intercedit affinitatis cum aliis morboſis affectibus, operæ pretium eſſe judico, ut enodem, in quantum illis accedat, in quantum etiam diſcrepet. Differentia quidem vulgo ſtatuitur inter cachexiam & chloroſin, quæ tamen magis accidentalis quam eſſentialis exiſtit. Diſcrepat itaque tantum quoad ſubjectum, & quædam cauſarum genera, quoad indolem vero morbi, una eademque eſt morbi conditio. More enim conſueto & ſemel recepto in ſcholis medicis virili ſexui cachexiæ tribuitur appellatio, ſequiori autem ſua relinquitur chloroſis. Differt noſter affectus ab anaſarca & leucophlegmatia, quæ majori premitur inflatione quam chloroſis, cujus inflatio mollior deprehenditur. Anaſarcæ vero tanta ſæpius obſervatur durities, quæ poſt digiti impreſſionem foveas relinquit, quod in chloroſi evenire non ſolet, niſi jam proxime ad horum affectuum acceſſerit gradum. Diſcrepat etiam chloroſis ab aſcite. Hic enim affectus inferiores tantum corporis partes, ut abdomen, pedes, femora, imo ſcrotum in maribus, affligit, chloroſis autem univerſum corporis habitum æqualiter obſidet. Diſtinguitur etiam a tympanite ratione partis affectæ, quam in noſtro affectu univerſum corpus, in illo vero abdomen tantum conſtituit, & demum extenſionis intuitu, quæ in illo affectu maxima eſt ac dura, in noſtro vero turgida ac flaccida. Diſcrepat denique chloroſis ab ictero intuitu coloris, qui in hoc flavus & croceus, in chloroſi vero pallidus, ſubviridis & flaveſcens evadit; ratione penetrationis, quæ in ictero tantum ſuperficiaria in chloroſi vero profundior, quare etiam fibræ turgidæ evadunt. Differt etiam domum ab atrophia, quod ſc. in hac corpus maxime extenuatum contabeſcat, in chloroſi vero ejus magis augeatur moles; nihilominus tamen atrophia ſymptoma eſſe poteſt chloroſis.

§. IX.

Non eſt, ut de ſignis hujus morbi diagnoſticis anxie ſolliciti ſimus, dum plurima §. VII. ubi ſymptomatum recenſuimus numerum, ſuppeditavimus; pauca itaque tantum, ut addamus, utile nobis viſum fuit. Si omnia recenſita vel plurima tantum ſymptomata concatenata occurrunt in quodam ſubjecto, juſta exin reſultat præſumtio de chloroſi, præprimis ſi pulſus concurrit languidus, juſto debilior, & urina vel plane aquea, citra colorem ac hypoſtaſin in principio, in progreſſu vero morbi magis turbida & tincta, ſemper tamen minori excernitur quantitate. Huic ſignorum ac ſymptomatum concatenationi variæ accedunt animi perturbationes alienationesque. Nimirum ægræ plerumque triſtes obſervantur, moroſæ, ad iram proniſſimæ, ſua abhorrent munera domeſtica, & levi data cauſa ita ſenſibiliter afficiuntur, ut largas effundant lacrymas, quarum ſæpius nullam neſciunt reddere cauſam & rationem, & denique ſolitudine delectantur. Per intervalla vero inſomnia experiuntur laſciva, voluptuoſis agitantur cogitationibus, & continuos ad amplexum venereum perſentiſcunt ſtimulos. Delectantur itaque lectione librorum de arte amandi & fatis amantium ſcriptorum, & ambiunt denique commercium cum viris, quo acquieſcere videntur. De harum deſiderio illum Poëtam ſi cecinisſe videtur: *Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ:* Sie ſtellen ſich auf die Schau / zu ſehen / ob niemand anbeiſen wolle.

§. X.

Subjectum noſtri affectus quod concernit, in genere conſtituunt perſonæ temperamenti phlegmatici ac ſanguinei, fœminæ & ſpeciatim virgines, quibus menſium negotium minus feliciter ſuccedit, vel integre ſuppreſſum eſt. In perſonis enim mollioris & laxioris conſtitutionis partim major obſervatur humoris lymphatici & ſeroſi abundantia, qua partes fibroſæ emolliuntur & inordinate relaxantur, partim vero languidior & tardior ſanguinis circuitus ob fibrarum refractam vim elaſticam. Sexus ſequior præ virili varias ob cauſas a vitæ genere aut excretionum ſanguinearum turbis dependentes huic obnoxius evadit vitio. Sexui vero virili, nunquam, ut nonnulli delirantes ſomniarunt, hic tribuitur morbus, ſed ſolum ad ſexum reſtringitur ſequiorem; & virginibus non tantum nubilibus, ſed viduis etiam junioribus, mulieribus extra viri conſortium viventibus ac maritatis ſterilibus familiaris eſt; viduis vero & mulieribus in latiori competit ſignificatu hæc habitudo, virginibus autem in ſtrictiori & ſpecialiori evenit ſignificatione; unde etiam morbi virginei & febris virginum nomen tam apud Medicos, quam vulgum obtinuit.

§. XI.

Perluſtrato itaque noſtri affectus ſubjecto ordinis requirit ratio, ut ad concatenatam cauſarum accedamus ſeriem. Noſter morbus pro fundamento & proxima agnoſcit cauſa toni ac roboris naturalis dejectionem in viſceribus maxime ſanguineis, ut utero, hepate, liene, ventriculo & renibus &c. Unde ob partium fibroſarum & vaſculoſarum atoniam tardior fit ſanguinis circulatio. Variarum hinc ſecretionum & excretionum imminuitur negotium, quare ſordes & quisquiliæ excrementitiæ, quæ in hepate & renibus alias ſecerni & foras ejici debent, maxima ex parte retentæ, impurum plane & intemperatum reddunt ſanguinis ſerum & ſuccum nutritium. Temporis ſucceſſu fibræ motrices illius ſubcutanei cribri æque ſuo naturali privantur robore, quare hæ ſordes minus rite & feliciter per cutis colatorium colari ac ejici poſſunt, unde pallidus, ſubviridis & flaveſcens color cum aliquali turgida corporis conſtitutione una cum reliquis ſupra recenſitis provenit ſymptomatibus. Cum renes & hepar ob refractam & imminutam vim roboris vitalis ſecretioni humorum riteæ præeſſe nequeunt, partes bilioſæ excrementitiæ non ſolum, ſed etiam mucidæ, viſcidæ, & ſalino - ſulphureæ ſanguini admixtæ remanent in corpore & per totam illius compagem lentiori propelluntur gradu. Mucida itaque viſcidaque ſanguinis exiſtente indole in vaſculis capillaribus & tubulis exiguis ſtagnant humores, impeditioremque ſanguinis reddunt circuitum. Cutis enim hoc modo obſtructis tubulis excretoriis excretio illa peripherica vel integre ſuffocatur vel tantum ſufflaminatur, quæ circumſtantia depravatum generat colorem corporisque habitum turgidum. Si vero particulæ illæ viſcidæ ac mucidæ, quibus ſanguis infectus ſcatet, magis circa uteri confinia commorantur, perque vaſcula ejus difficulter propelluntur & ob debilitatam ductuum vim elaſticam ſtagnant, eos obſtruunt & infarciunt, ſpecies exin reſultat fluoris albi, qui falſo pro excretione liquoris habetur ſeminalis. Quod vero atonia ejusmodi, quos ipſi aſſignavimus, effectus edere poſſit, rationi & experientiæ maxime eſt con-

conſentaneum, quare etiam non incongrue a nobis factum eſſe judicamus, eam pro fundamento & cauſa proxima noſtri allegaſſe morbi.

§. XII.

Hæc vero viſcerum atonia non per ſe in ſcenam prodit, ſed effectus alius exiſtit cauſæ, hanc vero conſtituunt ſpaſmi in univerſam uteri compagem ſævientes, quibus vicinæ partes ſimul ob intercedentem nexum cum nervorum & vaſorum ramificationibus in conſenſum trahuntur. Hæc vero ſpaſmorum vehementia non per ſe oritur, ſed aliam etiam agnoſcit ſcaturiginem. Januam vero inter alias cauſas ſpaſmis pandit uterinis magna ſanguinis copia ad uteri confinia affluens. Quia vero viæ & tubuli uteri, per quos ſanguis meare debet, nondum ſatis ampli, uti in virginibus, quæ nondum expertæ ſunt tributum illud lunare, exiſtunt, quæ tamen circumſtantia pro juſta fluidorum transjectione requiritur, difficulter per illos circulatur, vaſa itaque ultra modum diſtenduntur, inſarciuntur, expanduntur & in ſpaſticas rapiuntur conſtrictiones, quibus tota uteri compages cum vicinis affligitur partibus, quod ſatis ſuperque atrociores illi dolores illis familiares teſtantur. In iis vero ſubjectis, quæ hanc excretionem alias experta, ſuppreſſionem menſium variis ex cauſis, ut terrore, nimia refrigeratione, præpoſtero adſtringentium uſu &c. paſſa ſunt, ſanguis affluens vaſa & tubulos ad motus ſpaſticos proclives, ad novos procreandos diſponit ſpaſmos. Quare etiam ejusmodi ſubjecta atrocibus agitantur ſpaſmis, qui atoniam ceu cauſam proximam relinquunt chloroſis.

§. XIII.

Sanguis ſpiſſioris indolis plurimum quoque contribuit ad ſpaſticas conſtrictiones. Nam naturæ microcoſmicæ legibus eſt ſancitum, ut humores juſtam poſſideant fluiditatis indolem, qua mediante libere per minima etiam vaſcula vehi poſſint. Si vero eorum ſpiſſitudo illorum diametrum excedit, per ſe patet humores libere transjici non poſſe. Stagnant itaque in ſuis ductibus, eos nimis expandunt, qua expanſione fibræ membranaceæ & nervoſæ premuntur, diſtenduntur & in ſpaſticos trahuntur motus. Uti itaque ſanguinis nimia copia ejusque nimia ſpiſſitudo graves excitant ſpaſmos, ſic quoque magna ejus inopia eandem efficit ſpaſmorum vehementiam. *vid. Exc.* Hoffmanni *Med. Syſtem. Tom. II.* Contingit enim, ut Medici, vel rationales, vel Medicaſtri, virginibus oppreſſione menſium a quacunque etiam cauſa ſuborta laborantibus crebris ſuccurrere intendant venæſectionibus, quibus tanta ſæpius detrahitur ſanguinis quantitas, ut fluidorum proportio ſolidorum non reſpondeat proportioni, quare incidunt ejusmodi ſubjecta in motus ſpaſticos. Sanguinis turgeſcentia calida elaſtica vaſorum vim efficit motricem, qua ſuum adjuvat motum; ſi vero major, quam decet, detracta eſt ſanguinis portio, is non ubique æque vaſa implere, nec ſatis illa expandere valet turgeſcentia ſua elaſtica calida, quare exin variæ reſultant ſpaſticæ conſtrictiones. Sic inter alias etiam cauſas ſpaſmi uterini dependent a varia ſanguinis quantitate & conſtitutione, qui, uti e ſuperioribus patet, magnam relinquunt viſcerum debilitatem.

§. XIV.

Perluſtratis itaque cauſis continentibus proximis formalibus & materialibus reſtat demum, ut propius ad cauſarum antecedentium remotarum & occaſionalium accedamus explanationem. Ad chloroſin itaque viam aperit habitus corporis a natura valde laxus & ſpongioſus, qui conſiſtit in fibrarum mollitie, exilitate, ſed copia vaſorum ac nervorum & tendinum tenuitate, quare etiam aſſeruimus perſonas temperamenti ſanguinei & phlegmatici genuinum eſſe hujus affectus ſubjectum. Nam hic corporis ſtatus ad copioſum ſanguinem progenerandum maxime eſt idoneus, ſecundum *Exc. D.* Præsidis *Med. Syſtem. Tom. I.* & ſuum quoque contribuit ad ſanguinis circuitum, qui tarde & ſegniter in ſanguineis, tardior vero atque ſegnior in phlegmaticis decurrit, quare itaque ſtagnat, ſtagnans excitat ſpaſmos, qui demum generant atoniam, ex qua noſtra propullulat chloroſis. Vitæ genus, præprimis vita ſedentaria ac otioſa, cauſis annumeratur antecedentibus, quia ad humorum copiam æque ac impuritatem & ſtagnationem, infarctus & obſtructiones viſcerum contribuit. Huc demum referri merentur aër valde frigidus & humidus & loci valde humidi & paludoſi, humiliora depreſſioraque conclavia, præſertim ſi quis in iis dormiat, cibus & victus valde durus, ſalſus, bellariorum & acidorum abuſus, panis calidus butyro illitus, ſi præprimis frigidum hauriant hauſtum, parcior & craſſior potus, cereviſia fæculenta, quæ omnia plurimum conferunt ad noſtrum morbum. Nam omnia ita ſunt conditionata, ut æqualem ſanguinis turbent circuitum, partim partes ſolidas ſpaſtice afficiendo easque debilitando, partim vero, quia nimium, crudum, craſſum, ſpiſſum æque ac impurum generant ſanguinem.

§. XV.

Sicuti inter alia cibi ordinarii maxime diſponunt ad chloroſin, ita etiam uſus rerum peregrinarum, quæ medicamentorum inſtar ſæpius uſurpantur, ad chloroſin viam parat, præprimis ſi crebrior eorum occurrit aſſumtio. Maxime vergunt ejusmodi virgines toro maturæ ad incongruum inordinatumque appetitum, resque appetunt incongruas ut cretam, calcem, arenam &c. Multæ etiam virgines ambitionis fulmine tactæ & variis præjudiciis enervatæ pro formoſiore concilianda forma cretam, calcem ejusque farinæ alia ſtudio magna edunt in quantitate, ut coloris albi & ut vocant nobilis evadant prædítæ: dicunt enim: roth ſey bäuriſch / blaß oder weiß aber ſey adelich und vornehm. Maxime vero falluntur in ſuo judicio & cum formoſitati conſulere ſtudent ſanitati minime conſulunt. Obſtructiones enim exin variæ exſurgunt, ventriculus nimis prægravatur & in ſua læditur functione, quare humores craſſi ſpiſſiorisque indolis generantur, qui proclives exiſtunt ad menſium obſtructionem. Conſtat mihi caſus virginis menſium ſuppreſſione laborantis, quæ maximopere zingiberis crebriori delectabatur uſu, ita ut quotidie fere duas comederet uncias, cujus uſu crebriori demum in veram incidebat chloroſin.

§. XVI.

Quod potum attinet, circa quem varii committuntur errores, varie quoque diſponit ad hunc morbum virgineum. Virgines enim, uti ſexus ſequior ut plurimum in genere, licet nonnunquam quædam bibaciores exiſtant, plerumque parum aſſumunt potulentorum, ita ut ſæpius vix intra duarum dierum ſpatium ſemel bibant. Per quotidianas vero contingentes excretiones multum decedit fluiditatis a maſſa humorum, ſi itaque hoc quantum non reſtituitur, neceſſario humores evadunt ſpiſſiores, quæ humorum conditio fons exiſtit, e quo variæ affectiones promanant morboſæ ut & noſtra chloroſis. Potus ſpirituoſi, conſiſtentiores cereviſiæ, vinum aduſtum, & potus ille Coffee nimis concentratus varie

riæ quoque lædunt humorum qualitatem, quorum læſio ob harmoniam quæ fluida & ſolida intercedit, corporis pervertit, turbatque functiones, quare etiam prima deponunt ſtamina ad noſtram chloroſin. Præprimis potus Coffee nimis concentrati largior uſus ſanitati eſt obnoxius. Me non fugiunt exempla virginum, quæ huic adeo indulſerunt potui, ut ad libram medicam aquæ, tres imo plures ſumerent uncias Coffee, cujus demum pediſſequa temporis tractu exſtitit chloroſis. Maxime etiam nocet frigidus potus mane jejuno ſtomacho ſumtus, multoties enim menſium obſtructiones exin ſubortas, quæ ſuum largiuntur chloroſi, obſervavimus. Non minus pedum refrigeratio virginibus eſt inimiciſſima. Si enim mala conſuetudine ductæ in more habeant, ut mane, diu nudis ambulent pedibus, ſane contingit, ut in pertinaciores incidant menſium obſtructiones, quas ſequi ſolet chloroſis.

§. XVII.

Non minus imminet periculum noſtro affectui virgineo a corporis motibus, quibusvis modis inſtitutis. Conveniens & ordine ſuſceptus motus ſane eſt medicina univerſalis & ſanitatem præſtat. Si vero nimis aucti celeriores & diu durantes inſtituuntur motus, præſertim ſtatim poſt cibum, varia redundant damna in œconomiam motuum. Sanguis enim nimis reſolvitur, fluidæque ejus partes excernuntur, eliminantur & avolant, quare humores ſpiſſiorem induunt indolem & locum dant variis morborum ſchematibus, ex quibus etiam noſter excurrit morbus. Quid de motus defectu ſentiendum ſupra, ubi de vitæ genere egimus noſtram ſufficienter declaravimus mentem. Quies quidem ſi intra æquilibrii commoratur cancellos varia promovet commoda, ſi vero nimia, ingentes parit noxas ſecundum Hippocratem *Lib. II. de Diæt.* Digeſtionem enim & ventriculi impedit functiones, quare alimenta in cruditates degenerare facit. Crudus hinc concoquitur ſanguis, mucidus, viſcidus, univerſam corporis compagem interfluere neſcius, & ad uteri confinia admotus ob nimiam ſpiſſitudinem per ejus canales diffundi non poteſt. Stagnat itaque, tubulos obſtruit, infarcit, & ſpaſmos excitat, ex quibus variæ, ut & chloroſis, ſe evolvunt affectiones morboſæ.

§. XVIII.

Somnus & vigiliæ varie quidem ſanitatem diſpenſant, nullo tamen gaudent privilegio, quo minus ſanitati inſidias ſtruere poſſint. Somnus quidem inſtaurat vires & viſcera roborat, ſi vero immoderatus & meridianus evadit, hinc inde partium ſolvit tonum, ingentemque parit humorum ſtagnationem, quæ demum diſpoſitio certo reſpectu reliquiſque conſpirantibus cauſis ad chloroſin diſponit. Vigiliæ e contra, ſi iis nimis indulgetur, varie quoque oppugnant ſanitatem; ſub iis enim roſcidum illud humidum, liquidumque nerveum in vehementem abripitur motum magnaque etiam ex parte conſumitur. Concoctio itaque perturbatur, unde crudi in ſcenam prodeunt humores, ſpiſſi ac impuri, ſecundum Hippocratem *Lib. de Diæt. in Acut.* ita loquentem: *vehemens vigilia potus cibosque tum crudos, tum incoctiores reddit:* facies fœdo diſcoloratur pallore, aliæque exſurgunt læſiones, quæ varie quoque ſuum conferunt ſymbolum ad chloroſin. Excreta demum atque retenta, ſub quorum claſſe materias in corpore ſano excerni ſolitas ſolenneſque excretiones comprehendimus diverſimode, ſi vel exceſſu, vel defectu laborant, morbis procreandis largiuntur cauſam, quorum caſtra etiam noſtra ſequitur chloroſis.

§. XIX.

Animi denique pathemata, quæ maxime in partes agunt nervoſas, earum tonum motumque violant, planeque immutant, dum nectari nervorum valde alienum motumque turbulentum invehunt. Unde illis ſanitas, qui iis nimis indulgent, in dies fit arctior, morbi vero imminent varii iique graviſſimi. Præprimis animi commotiones ſexui inſenſiſſimæ ſunt ſequiori, quare ſalutarem illam excretionem menſium retardant, ſiſtunt, cohibent, inordinatamque reddunt; quæ conditio omnes corporis obterit functiones, quas innumeri ſequuntur morbi, ſub quorum claſſe noſtra quoque continet chloroſis. Hac in re Exc. D. D. Præsidis ubique devenerandam pro nobis loquentem habemus autoritatem in ſua *Med. Syſtem. Tom. I.* ad quam nobiliſſimum remittimus lectorem. Omnium primo vero ira, terror, curæ graviores, triſtitia, effuſumque in rem veneream deſiderium tantam exercent tyrannidem, ut motuum perturbatione debilitata & tono privata relinquant viſcera, quo eo facilius chloroſis virginum occupare poſſit corpus. Haud inſipide Autor quidam acuti ingenii de animi pathematibus ſequentem in modum ſcribit: Die Gemüths Kranckheiten e. g. Sorgen / Schrecken / Zorn / Furcht &c. ſind eine Peſt und Gifft der beſten Schönheiten. Dantur & aliæ cauſæ occaſionales ad chloroſin diſponentes, ſufficiat vero principaliores allegaſſe, quare harum explanationi nunc ſuperſedemus, ne noſtra diſſertatiuncula nimiam induat molem.

§. XX.

Antequam vero januam pandamus ad chloroſis curationem ejuſque extirpationem, neceſſitatis eſſe duximus prognoſin prius noſtri affectus virginei ſymptomatum moleſtiis ſtipati in medium proferre. Hæc vero differt pro circumſtantiarum ratione; Si enim adhuc in fieri exiſtit, & nondum altas egit radices, facilioris eſt curationis, difficilioris vero ſi diu duravit & inveterata evadit. Quo minus viſcera adhuc læſa & pertinaciter obſtructa deprehenduntur, eo magis etiam affectus medelam admittit. Si menſium turbationes ac ſuppreſſiones, in integrum reſtituuntur, chloroſis ſolvitur, ſæpiſſime vero nullo alio remedio certius, quam mutato ſtatu virginali in matrimonialem depellitur, uti nobis varia nota ſunt ejuſmodi exempla. Si chloroſi ſucceſſive increſcenti febris noctu maxime affligens ſe aſſociat & cito non curatur, in lethalem tranſit hecticam.

§. XXI.

Reſtat nunc demum ut huic affectui virgineo ſatis intricato noſtram opponamus medelam, quam quatuor ſequentibus indicationibus curatoriis abſolvi poſſe, judicamus. Primo eo eſt reſpiciendum, ut ſanguis & humores crudi, ſpiſſi & impuri corrigantur, fluidiores reddantur & impuri e corpore eliminentur, eorum vero loco blande ſpirituaſcentia ſeu ſubtilis chyli, ſanguinis & humorum promoveatur generatio. Secundo totius ventriculi & omnium inteſtinorum viſcerumque tonus roborandus venit. Tertio excretiones naturæ ſalutares, ſi imminutæ & ſuppreſſæ ſunt, in ordinem ſunt redigendæ; & quarto denique ſi ſpaſmorum urget vehementia, illi ſunt ſolvendi ac ſedandi. Quibus quidem quintam, ut promotionem tardioris circuli ſanguinis, & humorum, ſubjungere poſſem indicationem, quia vero hæc per primam ſecundamque obtinetur indicationem, miſſam hanc faciam.

§. XXI.

§. XXII.

Prima itaque indicatio duo præprimis complectitur membra, primum humorum crudorum ſpiſſorum & impurorum intendit correctionem eorumque plenariam extirpationem, alterum ver› chyli, ſanguinis & humorum ſpirituaſcentiam. Quod primum itaque attinet, ante omnia, antequam ad humorum reſpiciamus correctionem operam navare oportet Medicum, ut fontem præcludat, e quo ejuſmodi humoribus majus accedit incrementum. Fontem hunc conſtituunt ventriculus cum annexa inteſtinorum fiſtula. Hinc cruditates mucidæ, viſcidæ & tenaces ibi hærentes per incidentia, digeſtiva & reſolventia corrigi & ad mobilitatem præparari debent, quo eo melius eliminari poſſint. Conducit itaque ſalium neutrorum virtus laudata, tartari quippe vitriolati, ſalis digeſtivi Sylvii, arcani duplicati, terræ foliatæ tartari, ejuſque liquoris, tartari tartariſati, ſalis abſinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, quæ vero cum ſufficienti aqueo vehiculo diluta exhiberi debent. Hæc quippe ſi repetita vel majori præbentur doſi præter effectum incidentem & reſolventem, alvum quoque movent & ſordes efficaciter evehunt. Si vero hæc non ſuffecerint poſt ejuſmodi præparationem evacuantia ſubjungenda veniunt in forma pilulari e blandioribus laxantibus compoſita. v. gr. ex gummi ammoniaco, bdellio, ſagapeno, extractis enulæ, fumariæ, panchymagogo Crollii &c. aut pilulæ balſamicæ Excell. D. Præsidis, becherianæ, & ſtahlianæ genuinæ in uſum ſunt trahendæ, quæ tonum & robur ventriculi & inteſtinorum egregie ſimul confortant. Si vero ſpaſmi intercurrerent, ne magis exacerbentur, conſultius eſt per leniter purgantem mixturam mannatam, quam mannæ electæ unciæ duæ & cremoris tartari drachma una cum aqua florum acaciæ ingrediuntur, ſordes educere.

§. XXIII.

Expurgatis itaque ſordibus e primis viis & fonte oppilato ſordium tota humorum maſſa, qua univerſum rigatur corpus corrigenda, fluidior & purior reddenda eſt. Obtinetur hæc humorum purificatio & fluxilitas juſta per decocta ex radicibus ſarſaparillæ, ſcorzoneræ, cichorii, chinæ, raſura ligni ſaſſafras parata, quæ non modo humores diluunt & puriores reddunt, ſed etiam obſtructa aperiunt emunctoria, per quæ omnium optima fit ſanguinis depuratio. Opus etiam eſt interdum hiſce admiſcere medicinam, validioris, aperitivæ & ſudoriferæ efficaciæ ad ſtimulum ſolidis & majorem impulſum fluidis conciliandum. Conſultius vero eſt hæc validiora, ut ſunt lignum guajaci, radices ſerpentariæ virginianæ, vincetoxici, herbæ ſcordii &c. non ſtatim admiſcere decoctis, quia nimis calidum reddunt decoctum, ſed ſeorſim cum ſpiritu vini rectificato, vel, quod melius eſt, genuino ſpiritu vini Hungarici addita tinctura antimonii acri pro meliore operatione, extrahere. Horum loco pro humorum purificatione & eliminatione impurorum per cutis colatorium optime proſunt pulveres diaphoretici fixi ex cornu cervi philoſophice præparato, antimonio diaphoretico, terra ſigillata, unicornu foſſili, matre perlarum & ſuccino præparato compoſiti. Optime etiam maſſa humorum per diureſin ſuam obtinere poteſt purificationem, quare etiam hanc ſubjungendam eſſe cenſeo excretionem, quæ variis remediorum formulis perficitur. Conducunt itaque pulveres coralliis, conchis uſtis, ſale ſuccini, lapidibus Judaicis conſtantes, nec non variæ tincturæ, ut ſunt tincturæ trifolii fibrini, pimpinellæ, ſuccini, ſalis tartari, antimonii tartariſata, & antimonii acris, quibus ſane omnis pagina hujus excretionis abſolvi poteſt.

§. XXIV.

Hac methodo, ſi pro circumſtantiarum ratione rite & repetitis vicibus medicamenta uſurpentur recenſita, non ſolum humores fluidiores, ſed etiam puriores evadent. Si vero ſtagnatio & excretio illa mucida viſcida ſeri tenacis per uteri oſtiola his remediis ſolum audire nollet, neceſſe eſt, ut ægræ præparatis præparandis balneo per horam circiter immittantur, quod ſequentes ingrediuntur ſpecies e. gr. radices valerianæ, petroſelini, ſummitates juniperi, herbæ matricariæ, meliſſæ, ſerpilli, fumariæ, artemiſiæ, majoranæ; flores lavendulæ & chamomillæ romanæ. Quod balneum egregiæ eſt virtutis ad ſtagnantes humores reſolvendos & viſcidos, glutinoſoſque expurgandos. Correctis ſic humoribus craſſis, mucidis, viſcidis, impuris, reſtat demum, ut ſpirituaſcentia ſubtilis lymphæ, ſanguinis & humorum generatio promoveatur & adjuvetur. Melius vero ventriculi robore reſtituto hujus adminicula e fonte promuntur diætetico quam pharmaceutico. Conducunt itaque omnia alimenta, quæ bonum præbent ſanguinem, ut panes, carnium genus, vinum generoſum & cereviſiæ bonæ notæ, quarum ſufficientem hauriant quantitatem pro juſta humorum fluiditate concilianda & conſervanda. Multum quoque contribuit ad ſanguinis ſpirituaſcentiam aër purus, temperatus, ſerenus, uti in altioribus & temperatis locis, tempore verno & ſub flatu orientali animadvertitur; quare etiam hujus, quantum fieri poteſt, uſus admittendus.

§. XXV.

Huic indicationi ſecunda, quæ in totius ventriculi & omnium inteſtinorum viſcerumque tono roborando conſiſtit, eſt ſubjungenda. Huic vero indicationi ſatisfaciunt elixiria ſic dicta ſtomachica, viſceralia, inter quæ eminent elixir ſtomachale Michaelis, balſamicum Exc. D. Præsidis in notis ad Poterium, eſſentia abſinthii compoſita Conerdingii, ſal volatile oleoſum Sylvii cum tinctura tartari remixtum, elixir ſtomachale e tinctura gentianæ rubræ, tartari & eſſentia corticum aurantiorum conflatum, nec non elixir balſamicum ſine menſtruo ſpirituoſo paratum, quod conſtat ex extracto centaurii minoris, cardui benedicti, abſinthii, gentianæ, rhabarbari, myrrha, croco, ſuccino, corticibus aurantiorum & lixivio ſalis tartari. Quæ medicamenta uſurpata & ſingulis diebus bis vel ter repetita, præſertim ſi ſtatim a cibo ſumto ſumuntur, vel cum cibo, magnæ miræque ſunt virtutis ac efficaciæ in reſtituenda naturali & blanda humorum temperie, in depurandis ipſis humoribus, & dejecto roborando tono. Interponi itaque etiam poſſunt hæc medicamenta primæ indicationi, nonnullis omiſſis, quæ quidem commendavimus, quod a Medici judicio dependet diſcretivo. Spectant huc etiam pilulæ balſamicæ.

§. XXVI.

Tertiam quod attinet indicationem libere fateor, quod hæc, ſi modo omnia ex voto fluant, per primam ſecundamque obtineri poſſit indicationem. Per has enim humores temperantur, & fluidiores redduntur, viæ vero, quas permeare ſolent, roborantur curſuſque fluidorum ad ſuum reducitur æquilibrium: quare etiam ſæpiſſime hæc indicatio ſponte ſimul obtinetur. Majoribus vero occurrentibus difficultatibus ſeorſim ad hanc eſt reflectendum. Si

magna

magna adeſt ſanguinis quantitas, ita ut vaſa ſanguine turgeant & morbus adhuc inter initia verſatur, utique conducit venam ſecare; ſi vero multum conſumti ſunt humores, & febris lenta ſe aſſociavit; tunc ſanguinis miſſio plus nocet, quam prodeſt. Præter venæſectionem prudenter inſtitutam medicamenta martialia cum balſamicis, vel ſalinis aperientibus maritata convenienter exhibita, non ſolum chloroſi medentur, ſed & menſtrualem ſanguinis excretionem in ordinem redigunt. E quorum cenſu plurimum commendamus limaturam martis in tenuiſſimum pollinem redactam, potius vero ejus crocum ſubtiliſſimum ex ipſa aqua pluviali & calore ſolari paratum, in forma liquida demum tincturam martis pomatam, it. ex floribus ſalis ammoniaci, martialibus, vel hæmatite præparatam. Hac methodo per menſem & ultra, non neglectis decoctis ſanguinem purificantibus pro potu ordinario, & pilulis balſamicis ſupra laudatis bis vel ter in ſeptimana circa decubitus horam ſumendis, ſi ſimul corporis motus & ſufficiens injungitur ejus exercitatio, non ſolum menſes in integrum reſtitui, ſed & noſtra cholоroſis ſanari poteſt. Si quibuſdam pro hac obtinenda indicatione clyſteres arrideant, confici ii poſſunt ex herbis pulegii, artemiſiæ, meliſſæ, matricariæ, hormini, hyſſopi, origani, floribus chamomillæ romanæ & vulgaris; ſale tartari, baccis juniperi, lauri, & ſeminibus carvi, cumini &c. quibus poſt cocturam addi poſſunt vini hiſpanici unciæ quatuor.

§. XXVII.

Quando ſpaſmi interdum ſe aſſociant noſtro affectui, optime debellari poſſunt per decocta ſupra laudata, quæ potus ordinarii loco uſurpari poſſunt, ſpiritu nitri dulci, liquore anodyno minerali Exc. D. Præſidis, nec non pulveribus antiſpaſmodicis e nitro depurato, tartaro vitriolato & cinabari nativa compoſitis. Quorum ſedata ac compoſita vehementia reliquæ indicationes feliciori ſane ſucceſſu ad exoptatum perduci poſſunt finem. Tardior demum humorum circulus ſimul obtinetur per legitimum uſum ſupra laudati Elixiris balſamici. Reliquorum vero ſymptomatum moleſtiæ remota & ſanata cauſa proxima & materiali ſponte evaneſcent, ita ut non opus ſit contra quodvis ſymptoma nova inſurgere curandi methodo. Si denique magna ad amorem adeſt propenſio, noſtræque ægræ magno agitantur deſiderio viros amplectendi, omnium optime iis ſecundum HIPPOCRATEM alioſque celebres Medicos per matrimonium conſulitur.

§. XXVIII.

Thermarum denique & acidularum in noſtro morbo magnus eſt uſus. Præſervant enim non ſolum a chloroſi, ſed etiam ipſam curant. Locum vero habent hæ aquæ; ſi ventriculus adhuc eſt ſalvus, ipſarumque copiam aquarum ferre & ſubigere poteſt, nulliſque ſpaſmis & cardialgiis obnoxius. Omnium optime vero humores ſpiſſos, craſſoſque fluxiles & mobiles reddunt, obſtructos emunctoriorum meatus reſerant, & tonum ac robur partium augendo ſanguinis circulum promovent aquæ minerales temperatæ, quales ſunt Fontes Spadani, Wildungenſes, Selterani, Denikſteinenſes, quorum certe, experientia teſte, magna vis ac efficacia eſt ad chloroſin tam præcavendam quam debellandam, ita ut ſine eorum uſu optatus effectus & ſcopus rariſſime a Medicis obtineatur.

§. XXIX.

Reſtat demum, ut diætæ & regiminis aliqualem faciamus mentionem, quippe e diætæ fonte maxima ſanitatis præſidia, tam illam conſervandi, quam reſtituendi, petere licet. Si in ullo certo morbo exacta diætæ ratio habenda eſt, locum ſane habet in noſtra chloroſi. Abſtinendum itaque eſt ex toto ab omnibus cibis vappidis, mucidis, tenacibus aut valde fermenteſcentibus leguminibus, & lacticiniis, piſcibus mucidioribus ac mollioribus, conchis, oſtreis, carnibus ſalitis & fumo induratis, potu etiam nimis diluto & aquoſo vel valde ſpirituoſo. Pro potu potius eligenda eſt cereviſia amara, bene lupulata, non nimis diluta & tenuis, nec magnæ conſiſtentiæ, ſed mediocris, diureſin cum alvi apertione promovens, nec non vinum, ut Rhenanum, Moſellanum & Franconicum cum aqua moderate mixtum. Alvus ſemper eſt ſervanda in debito ſucceſſu & corporis motus moderatus & adæquatus ſemper obſervandus, vita vero ſedentaria maxime evitanda. Animi demum pathemata, ut iram, terrorem, mœrorem, &c. cane pejus & angue fugiant ejusmodi ægræ, ut illas, omnibus rite obſervatis cautelis, chloroſis deſerere poſſit.

DISSER

DISSERTATIO MEDICA,

DE

HYDROPE ASCITE,

Primùm edita Anno 1718.

PROOEMIUM.

HAUD facile graviores in curſu ſtudiorum meorum mihi deprehendere licuit errores, quam qui ex ſequenti ſcaturigine promanarunt. Inveniuntur nimirum, qui hypotheſin ex proprio ingenio confingunt, eamque pro certa habent, poſteaque ex ea rationem phænomenorum reddere satagunt. Quod ſi cum plurimis modo bene procedat, rem feliciter ſe confeciſſe, & ſcientiæ nomen huic ſuo inde exſtructo ſyſtemati imponi poſſe putant. Et hæc videtur plerorumque fere unica fuiſſe norma, quam in producendis novis ſyſtematibus ſequi ſe quam tutiſſime poſſe exiſtimarunt.

Imputant hunc errorem communiter Nobiliſſimo CARTESIO, quaſi ille primus ſuo exemplo hunc pernicioſiſſimum philoſophandi modum docuerit. Verum enim vero mihi videntur hac chorda oberrare omnes veteres Phyſici, Ariſtotelici præcipue, quibus nil familiarius, quam abſtractioribus ſuis in explicanda rerum natura abuti; Imo Medici veteres fere omnes in hoc luto hæſerunt. Horum hic poſſem texere ſeriem numeroſiſſimam, niſi plane alienum a propoſito meo foret. Fatendum tamen prælaudatum CARTESIUM vitam quaſi reddidiſſe huic modo philoſophandi, conſepulto quodammodo per methodum experimentalem a CL. VERULAMIO aliiſque in philoſophiam naturalem introductam.

Aſt, cum ex eo, quod plurima phænomena ex hypotheſi aliqua explicari queant, ejus poſſibilitas, non vero certa veritas eluceſcat; (unius enim rei plures poſſunt eſſe cauſæ) cumque facile ſeducantur auctores, ad corrumpendam mutilandamve rei hiſtoriam, ut ſalvent hypotheſin; poſſit etiam hypotheſis vera eſſe, quanquam nondum modus pateat, quo omnia phænomena ex ea reſolvi queant, ut cætera taceam incommoda: facile apparebit, periculi pleniſſimum hunc eſſe modum inveniendi veritatem.

Melius igitur ii ſibi proſpiciunt, qui, non in alterius nec in unius jurantes verba magiſtri, prius ex attenta obſervatione phænomena omnia ſollicite colligunt, deinde ſingula ſeorſim perpendunt, ac denique ex eorum inter ſe comparatione rationem eorum phænomenorum reddere intendunt; quæ enim ita inveniri nequeunt, certe incognita manebunt.

Hanc ſemitam & ego ingreſſus ſum in conſideratione Thematis, quod *Speciminis* loco elaborare ſuſcepi de *Hydrope Aſcite*; Ita enim quam tutiſſime veram adfectus noſtri indolem explorari poſſe nobis viſum fuit. Si tamen alicubi erraſſe deprehendamur, veniam apud æquos Lectores facile nos impetraturos ſperamus, dummodo perpendere velint, hæc non pro materiæ ipſius amplitudine & dignitate fuiſſe pertractata, ſed pro ingenii noſtri modulo, cujus aliquod ſpecimen hic dare, & primam quaſi fœturam excludere in animo habuimus.

Cum argumentum valde compoſitum præ manibus habeamus, diſpertiemur melioris ordinis cauſa Tractationem noſtram: ita ut primo, præmiſſa definitione nominali, Hiſtoriam ponamus, ſi non omni, maxima tamen ex parte completam; ab hac progrediamur ad Cauſas; dein ad Signa; iis denique tanquam principiis, & juſtis præſuppoſitis in enucleanda Therapia inſiſtamus.

Faxit Deus O. M. ut veritatem, quantum licet in hac rerum humanarum caligine, aſſequamur, & hæc noſtra molimina omniaque ſtudia noſtra in ſui Nominis Gloriam, commodum proximi, noſtramque ſalutem cedant.

THESIS I.

INter varia & mira morborum genera, quibus cum humanum noſtrum corpus quotidie conflictari debet, ſæpius quoque noſtræ ſanitati infeſtiſſimus ſe prodit ille hoſtis, *Hydrops* vocatus, qui variis omnino machinationibus aggreditur noſtram machinam eaque obſeſſa varias in ea ludit tragœdias, miro modo medentium operas illudens. Nulla enim propemodum pars noſtri corporis eſt, quam non obſediſſe aliquando obſervatores memorant, ſic, ut merito in claſſem adfectuum generalium, qualis ſunt inflammatio, ſcirrhus &c. referri mereatur.

II.

Non libet hic terere aures inutili tranſcriptione illa *Etymologiæ* hujus nominis; Ut autem quivis ſtatim intelligat, quid nobis eodem veniat, non ſupervacaneum puto, *Deſcriptionem* hujus morbi brevem noſtræ Tractationi præfigere: *Eſt nempe Tumor præternaturalis vel totius noſtri corporis, vel quarumcunque ejus partium mollis, albus ab aqua vel aëre diſtendente procreatus.* Albo enim colore a quocunque tumore inflammatorio, a ſcirrhoſo vero molli adtactu diſtinguitur.

III.

Nobis non propoſuimus omnes hujus adfectus percurrere claſſes, ſed ad evitandam omnem prolixitatem inter ſpecies hujus morbi principaliores, quarum tres ab auctoribus recenſentur, *Anaſarca*, *Tympanites*, *Aſcites*, ultimam hanc, maximo omnium ſuffragio inter cæteras diriſſimam, elegimus, omnia, quæ de Hydrope in genere dicturi ſumus, ad hanc in ſpecie applicaturi.

IV.

Eſt autem *Aſcites*, ut hujus quoque nominis rationem reddamus, *Tumor præternaturalis abdominis ab aqua diſtendente generatus.* Quod eum tumorem abdominis nominavimus, in eo diſtinguitur a reliquis hydropis ſpeciebus capitis, thoracis &c. maximè ab Anaſarca, quæ non abdomen tantum, ſed totum corpus obſidet. Ab aqua eum generari diximus, a potiori facta denominatione, hac enim formali ratione a Tympanitide differt, in qua abdomen a flatu imprimis diſtenditur. Reliquas differentias ſuo trademus loco.

V.

Nolumus paginas implere variarum hujus vocis acceptionum commemoratione, criticorum potius judicio committenda, cum præcipue res ſit ad hujus ſeculi palatum faſtidii pleniſſima. Ad utiliora magis nos conferemus, ipſius nempe indolis hujus morbi accuratiorem, quantum a nobis fieri poterit, evolutionem.

VI.

Primum, quod obſervatur in ægris hoc morbo detentis, eſt *Tumor pedum*, qui plerumque portam aperire reliquis funeſtiſſimis malis ſolet. Communis fere omni Hydropi. Aſciti tamen imprimis familiaris, quanquam nec hunc ſemper præcedere ſoleat. Etiamſi vero non ſemper in initio adſit, morbo tamen confirmato non abeſt, tum autem pejoris ordinario indolis obſervatur teſte Cl. BAGLIVO Diſſ. varii argum. p. m. 71. Incipit enim ex experientia *Avi mei τοῦ μακαρίτου* nonnunquam etiam in ventre vel ſcroto, ita ut præcedat Hydrocele (quæ alias in fine plerumque ſupervenit) idem quoque contingit, quando a Tympanitide incipit. Exſerit ſe Tumor circa malleolos imprimis & talum, qui magis auctus, ſuras quoque & crura occupat, imminuitur corpore magis declivi, ægro noctu in lecto decumbente, interdiu vero, cum corpus erigitur & ægri ſedent vel ambulant, ad priſtinam amplitudinem redit.

VII.

Huic, ſi per congruas medicationes non tollatur; (nam facile per duas treſve ſeptimanas œdema durare poteſt, imo annos, non ſtatim ſubſequente Aſcite, ſi nimirum id medicamentis & congruo vitæ genere in ſtatu ſuo conſervetur) ſuccedit *Tumor & inflatio abdominis* circa inguina incipiens, & ſucceſſu temporis ad ſcrobiculum uſque cordis pertingens. Imo quandoque thoracem occupat; faciem & manus, ſic ut univerſalis inde Hydrops oriatur. Tanta vero amplitudine hæc diſtenſio eſſe ſolet ut ægri ipſi ne quidem pedes ſuos cernere præ propendente abdomine poſſint. Augetur hic tumor nunc ſenſim & vix animadvertentibus id ægris, nunc ſubito tanta irruit aquarum diſtendentium vis, ut ab ipſius abdominis ruptura omni momento ſibi metuant ægri.

VIII.

Ab impreſſo tumori digito fovea aliquandiu remanet, nonnunquam tamen durus eſt & renitens, imprimis, quando a Tympanitide incepit, vel in ſua ἀκμῇ conſtitutus, ubi aquæ ab impreſſione digiti recedendi nullus amplius relictus eſt locus. Splendet tum cutis, quæ ſic nimium diſtenta lævior evadit & politior.

IX.

Comitatur eundem *laſſitudo* quædam & *gravitas* omnium artuum, præcipue inferiorum, qui pondere ſuo corpus reliquum ad humum ſemper deprimunt.

X.

Fluctuationes in infimo ventre percipiunt ægri, ſi corpus in latus alterutrum movent, quod tamen haud in omnibus obſervatur, quanquam in quibus tales volutationes de latere in latus audiuntur, de morbo mentem non ſinunt amplius eſſe dubiam. In morbo enim inveterato, & in quibus aqua ſuis ciſtis pepeculiaribus continetur, uti inferius dicemus, minime talis motus de loco in locum contingere poteſt.

XI.

Dolore quoque *tenſivo* nunc in dextro nunc in ſiniſtro hypochondrio adficiuntur, cui quandoque accedit inſignis *pruritus* in partibus pedum membranoſis, imprimis plantis, quæ acri ac rodente madore aliquando irrorantur. Nonnulli maximos *cruciatus in femore* percipiunt, ac ſi ſecarentur vel urerentur, ut voce quoque alta clamare cogantur; nonnullis inde *ulcera* crurum & *abſceſſus* oriuntur, ordinario tamen eventu funeſto. Mali enim ſolent eſſe moris & difficulter ob ſerum continuo adfluens & magis ſua acredine partes rodens, conſolidantur. Nonnunquam *maculæ fuſcæ* & lividæ in illis tumentibus partibus apparent.

XII.

In nonnullis *penem* inflari *cum ſcroto*, adeo ut hoc ad capitis magnitudinem excreſcat nonnunquam, obſervatum fuit. Retrahitur quoque præputium, ſic ut fœda mictione faciem ſibi maculent. Maximam iſtam virgæ una & ſcroti intumeſcentiam obſervavit *Avus meus* b. m. in ſutore hydropico, adeo, ut glans

glans ſeu balanus contabeſceret ad digiti minoris craſſitiem, & in totum retorqueretur, ut cum ſumma urinandi difficultate ſe ipſum æger commingeret. In fœminis *Labia uterina* intumeſcunt, uteri quoque prominentiam iis accidiſſe memorant inter alios & *Acta Haffnienſia* T. 2. p. m. 139.

XIII.

Quibus ſic conſtitutis *ſuperiora* magis magiſque *contabeſcere* ſolent, quo magis tumor in inferioribus & ipſo ventre increſcit. Aliter tamen ſe res utique habet, ſi hydrops pectoris origo fuerit morbi, vel anaſarca juncta ſit. *Faciei color* quoque ſolet eſſe *fœdus* ex virore albicans, vel ad citrinum & plumbeum declinans. Neque tamen negandum, multos aſciticos ſic ſatis vivido eſſe colore, teſte Argenterio in Comm. §. 11. l. 4. Obſervavit quoque *Avus* b. m. *obſſ. mſſt.* in aſcitico quodam floridum faciei & totius cutis in corpore colorem ad finem uſque vitæ permanſiſſe; Corpus etiam hujus viri parum abſumptum, ſed pingue ſatis & boni habitus fuit.

XIV.

Pulſus utplurimum mollis, undoſus & frequens eſt, nonnullis ſubdurus & parvus, indicium *febriculæ*, quæ comitari hunc morbum plerumque ſolet; eſt vero hæc *continua*, *lenta*, circa veſperam intolerabilior, tam parva quandoque, ut vix ſenſibus obvia ſit. Interdum ſatis vehemens eſſe ſolet, quando ſc. morbis acutis, viſcerum inflammationibus hydrops ſupervenit, & tunc etiam pulſus pro ratione febris ſolet eſſe vehementior.

XV.

Haud parum quoque diſcruciantur ægri *Dyſpnœa*, quæ omni hydropis ſpeciei familiaris eſt, graviſſima tamen in aſciticis. Accedit plerumque, cum tumor abdomen totum occupans thoracem petit, quandoque tamen tumorem præcedit, cumque cæteris paribus utplurimum præſagit. Exacerbatur poſt motum corporis vehementiorem, & noctu ob ſitum corporis declivem, abdominaliſque aquæ adſcenſum, quare magis erecto corpore ſedere, quam decumbere cupiunt, imprimis quando hoc ſymptoma cum ipſo morbo eundo majores vires acquirit. Plane non ferunt totius corporis decubitum; ſi enim hoc aliquando tentant, manifeſtum incurrunt ſuffocationis periculum, ſic ut mox corpus erigere cogantur, atque cum inſigni levamine plerumque tunc melius reſpirent. Eſt tamen & ille corporis erecti in ſella ſitus iis haud parum moleſtus, mire enim corpus inde defatigari & exhauriri vires ſentiunt, quarum defectus, ſi in ullo morbo, certe in hoc funeſtum poſt ſe trahit exitum.

XVI.

Semper etiam *Flatibus* vexantur aſcitici, ideo non mirandum, ſi tympanitis huic adfectui jungatur, has enim duas ſpecies Hydropis invicem permiſceri expertus eſt *Avus in Obſſ. mſtis* Cap. de Hydrope, cujus propria hæc ſunt verba: » Nullus in progreſſu » ſeu ſtatu morbi (a quo tempore denominandi ſunt) » eſt aſcites, nulla tympanites, in quibus, hic qui» dem ſimpliciter flatus, ibi vero ſolum ſerum accu» ſandum ſit permanenter & toto morbi decurſu: » ſed ſemper ex prædominante fit appellatio; ſi fla» tus ſunt plures, refertur hydrops ad tympanitidem; » ſi ſerum exſuperet, ad aſciten. Et de tympaniti» de omnes practici conſentiunt, de aſcite autem qui » dubitat, conſulat experientiam; Semper enim una » flatibus abundant.

XVII.

Accedit his, idque in fine magis morbi, *Tuſſi* arida ſecundum Hippocratem *Lib. prænot. & coac.* §. 452. Quæ quo ſiccior, eo plerumque ſolet eſſe pejor, quicquid enim virium corporis a ſævitia præcedentium ſymptomatum reliquum & intactum manſit, hic plerumque cum ipſius ægri vita interire conſuevit.

XVIII.

Ad res dictas non naturales quod attinet, & quidem primo cibum & potum, magis hujus quam illius exceſſus obſervatur. *Appetitus* enim ab initio morbi per totum ejus decurſum plane proſtratus eſſe ſolet, ſic ut nonnulli quoque a ciborum adſpectu abhorreant. Videntur, inquit Hippocrates vel quiſquis eſt *Autor lib. de int. adfect.* alimenta cucumerem agreſtem olere præ averſatione a cibo. Nonnullos tamen bene appetere & comedere, *Avus b. m.* obſervavit. *Sitis* vero urget aſſidua, ſecundum illud Ovidii lib. Triſt.

Quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Hanc præternaturalem ſitim, quam plerique pro diagnoſtico hujus morbi ſigno adferunt, abſuiſſe obſervavit *Avus* b. m. in eod. ægro §. 13. allegato, qui alias ſatis bibulus fuerat ad crapulam uſque. Ordinario tamen ſolet adeſſe, & quandoque ſic augeri, ut obſervatum ſit, ægros ſuam urinam bibiſſe alio potu deſtitutos, & malagmata ſua devoraſſe teſte Celso *lib. III. c.* 21. p. m. 161.

XIX.

Quidam multum *vigilant*, imprimis juvenes atque quibus nondum a prægreſſo morbo exhauſtæ ſunt vires, ubi quoque febris plerumque intenſior ſolet eſſe. Senes vero morbo confirmato *ſomnolenti* ſunt, in ſpeciem eorum, qui lethargo adficiuntur.

XX.

Alvus plerumque *adſtricta* nonnullis, raro tamen laxa, qualem *Avus b. m.* in aſcitico quodam ſimul anaſarca laborante invenit. Fæces vero albidæ, colore ſuo flavo vireſcente naturali deſtitutæ. Quibuſdam accidit *Diarrhoea* eaque ſeroſa, quæ ſi inter initia morbi incidat, eum plerumque ſolvit, ſi vero ipſo morbo jam aucto ſuperveniat, ſignum lethiferum præbet. Sentiunt tum ægri in nimio iſto alvi profluvio ſenſum morſicantem & vellicantem inteſtina. *Menſes* rite ſolent fluere, niſi quando ab aliis cauſis impeditæ fuere morbo jam inſtituto, vel ante ejus generationem, quando nimirum ab earum ſuppreſſione dependet.

XXI.

Urina ad menſuram eorum, quæ aſſumuntur ex liquidis, *pauca*, *craſſa*, & in aſciticis præcipue cum copioſo ſubinde *ſedimento rubro*, lateritio emittitur; quibuſdam *tenuis* fluit, *alba* inſtar aquæ, incocta. Mittitur haud raro cum inſigni inter fluxum ardore & ſtranguria, certo acredinis, ſi ſaporem jungas, teſtimonio. Viſa quandoque crocea, quæ cum adſit, hunc hydropis ſtatum deſperatum pronunciant autores, imprimis ſi febricula ſimul adſit continua. Aqueus color, quocunque alio durante tumore, ſemper optimus habetur. Obſervandum tamen hic eſt, hanc urinæ imminutionem non ſemper huic morbo adeſſe, nec omni tempore uti ex *avi b. m.* obſervatione didici, cujus propria verba ex mſſto

miſſo ſup. cit. hic apponam. „ In principio fere reſpondet potui urina, quatenus ea proportio in natura locum habet; in fine vero minuitur urina maximè, ubi tamen hydrops jam eſt generatus & in ſua ἀκμῇ quaſi. Obſervavit quoque urinam imprimis fuiſſe rubram cum magno ſedimento rubro partim fuſco & atro in medio, quo ad dimidium ſemper replebatur urinale, quando hic morbus *ex Ictero* natus fuerat.

XXII.

Urinam, ſi fluat, morbo *nondum confirmato*, ſemper levaſſe ægrum obſervatum eſt, quandoque tamen iſta excretio mortis nuncius eſſe ſolet, ſi viribus ſolutis contingat, atque copioſiſſima ſit. Ad hanc morbi per urinam ſolutionem pertinet quoque ſæpius apud autores Medicos repetita obſervatio Wieri de pulvere bufonum, cuidam mala quidem intentione, optimo vero eventu exhibito, convaluit enim a morbo, ſubſecuta maxima urinæ excretione.

XXIII.

Plurimi quoque *Diarrhœa* ſponte ſuperveniente cum ſanitate redierunt in gratiam, cui quoque adſtipulatur Hippocrates *S. VI. aph.* 14. *Hydrope detento* ſi aqua e venis in ventrem confluxerit, ſolvitur morbus. Exemplum vero, ubi morbo conſummato accedens mortem intulit, habet Welschius *Curat.* 4. *Dec.* 7. conf. §. 20.

XXIV.

Ad *ſudorem* rariſſime proclives ſunt, hinc illa ſolutio morbi rarius quoque contingit; quandoque quidem corpus humore quodam madidum habere ſolent, cum ſenſu frigiditatis ac horripilatione febrili: nunquam tamen hoc cum euphoria ægri contingit; potius obſervarunt, quod quando ad ſudorem per artificia, balnea imprimis, coacti fuerunt, accedente apoplexia, mortem oppetierint; ſed nec in balneis quidem ſudore ſemper madeſcere inquit Aretæus *L. II. diut. c.* 1.

XXV.

Meliuſcule longe habent a vomitu, a quo multum levaminis ſentiunt. Imprimis Dyſpnœa, qua ordinarie anguntur per §. 15. ſolet a ſua atrocitate remittere. Ipſum quoque morbum aliquando e medio ſuſtulit opportune inter initia accedens vomendi conatus; ſic Forestus *obſ.* 32. *L. XIX.* hydropicum pro deſperato habitum refert, qui navim conſcendens provocato vomitu, poſt vomitum exercitio integre curatus fuit.

XXVI.

Caſu ſæpius hic morbus profligatus ex vulnere in ſcroto vel crure accepto, per quod aqua paulatim effluxit; exempla videri poſſunt apud Schenckium *obſ. medic. p. m.* 481. 482. *& ſeqq.* Zacutum Lusitanum *de princip. med. hiſt. L. II. obſ.* 23. *p. m.* 405. Mirum eſt, quod Hildanus refert *Cent.* 1. *obſ.* 48. de quodam aſcitico, cui ſcrotum gangræna correptum decidit, teſticuli ſic denudati, callo rurſus naturæ beneficio obducti fuere & æger poſtea diu ſanus ſuperſtes fuit. Huc quoque ſpectant reliquæ hujus morbi ſolutiones paulo tamen rariores, quæ Schenckius l. c. ex Solenandro adduxit, de ſpontanea abdominis apertione, ex qua poſtea veſiculæ plures aqua plenæ extractæ fuerunt. Huc refer *Obſervat.* Riverii comm. it. ex *Vido Vidio* de veſicula in umbilico orta, aquoſum humorem fundente, cum ægri reſtitutione in integrum v. plura ſi placet apud eund. l. c. Veſiculæ nonnunquam per alvum excretæ fuerunt, exempla leguntur apud Riverium *Cent. III. obſ.* 27.

Diuturna quoque abſtinentia ſine medicamentis, ægros reſtitutos fuiſſe, obſervatores memorant. v. Schenck. *l. c. p. m.* 479. 480. Hildanus *Cent. IV. obſ.* 41.

XXVII.

Supervenit nonnunquam *Hydrocele* & *Exomphalos* ſeu protuberantia umbilici. V. *Obſ. Hildani*: quibusdam *Epilepſia* accidit cum ingenti periculo, teſte Hippocrate *Coac.* §. 454. Duretus in Comm. in h. l. p. m. 200. obſervavit ejusmodi epilepſiam interdum in apoplexiam mortiferam & inſanabilem verti. Singulare tamen exemplum nobis ſervavit Ballonius *l.* 1. *epidem.* cujusdam hydropici, qui epilepſia accedente, abſceſſu in teſticulis & femore facto ab utroque malo fuit liberatus. Quandoque ſuffocati moriuntur poſt alvi fluxum diuturnum biliofum vel copioſum teſte Hippocrate *V. aph.* 28.

XXVIII.

Junguntur aſciti anaſarca, præſertim in fine vid. §. 7. tympanitis magis in initio vide §. 16. quandoque etiam alii morbi, v. g. paralyſis vide Poterii *obſ.* 5. *cent.* 1. *Cur.* 97. Palpitatio *cordis* vide Solenandri *Conſ.* 9. *S.* 3. Aſthma vide Trincavellum *l.* 3. *conſ.* 34. Icterus vide *Tulpium Obſ. medicar. l.* 2. *c.* 36. *&c.*

XXIX.

Duratio hujus morbi variat quidem pro diverſa conditione cauſæ, ſymtomatum, temperantia ægri, atque ipſa medela; citius tamen hoc morbo juvenes præ ſenibus occubuiſſe obſervatum eſt, alias diu ægros tenet ſuſpenſos intra ſpem metumque integræ ſanitatis vel mortis. Frequentius ad *ſex menſes* producitur, quandoque *integros annos* ſuperat, medicamentis idoneis nonnihil allevatus. Qui eo morbo ſuccumbunt, plerumque *tempore æquinoctiali* moriuntur; recedere quandoque ſubito videtur, peſſimum tamen hoc ſignum eſt, plerumque enim & quidem haud impune de novo ægros invadit, quem atrociorem poſtea experiuntur, morte preſſo pede ſequente. Non raro imprimis diuturnior hic morbus ſuas patitur *periodos*, obſervatum enim, in plenilunio omnia in hydropicis exaſperari conf. Baglivi *lib. de fib. motrice.*

XXX.

Recidivæ huic morbo haud raro contingunt, imprimis poſt medicamenta, effectum quidem, ſed fomitem totius mali non tollentia, vel quod hic tolli nequeat, vel quod æger a Medico eundem ignorante tractatus ſit. Quandoque etiam ex errore ægri, qui poſt morbum profligatum, nondum roboratis viſceribus, genio magis, quam par eſt, indulget, ac intemperantius vivit. Sin autem curatus hydrops redeat, ut plurimum συναποθνήσκει, ita Hippocrates *in Coac.* aph. 460. *S.* 2. in *Foeſ. Edit.* *Aqua inter cutem, quæ curationi ceſſit, ubi recurrit, ſpem tollit. Cui non male* Foesius in nota ſubjungit: *Cauſa enim pertinax cenſetur & vitalium partium magna corruptio.* „Sic *Avus* b. m. *in obſ. mſſ.* exemplum habet „mulieris aſciticæ, quæ ter ob ipſo curata fuit, primo „medicamentis convenientibus; poſtea caſu diſrupto umbilico, ita ut una vice aquæ plus minus 24. „libræ proſilierint; a quo caſu convaluit, & per „ſemeſtre fere bene habuit. Sed ſemper negligens „hepatica medicamenta tertia vice hunc in morbum „incidit & mortua eſt.

XXXI.

XXXI.

Atque ita initium, progreſſum, & exitum hujus morbi ſufficienter, uti ſperamus, delineavimus. Progredimur ad ea, quæ anatome poſt mortem nobis de ſede & cauſis hujus mali revelat, preſſius tamen hæc proſequemur, quia jam in utiliſſimo opere, cui *Sepulchreti* nomen indidit, laborioſiſſimus ac Cl. BONETUS hæc omnia fuſius collegit; ſufficiat nobis tantum ea exempla ad capita quædam relata paucis hic recenſuiſſe, quo eo tutius poſtea ad ipſas cauſas progredi queamus. *Tria* vero in hoc morbo nuda hiſtorica relatione ex ipſis inciſis cadaveribus *innoteſcere poſſunt* (1) aquæ natura (2) locus eandem continens & (3) viſcerum internorum conſtitutio.

XXXII.

Quod ad *primum* igitur (§. 31. n. 1.) attinet, *liquidum* (1) ratione *coloris* flavum, citrinum, urinæ ſimile, luteum aliquando, quandoque viride, ſæpe loturæ carnium ſimile obſervatum fuit, interdum cruentum, plane nigrum apparuit, nonnunquam plane limpidum & cryſtallinum aquæ inſtar; ſic lympham naturalis coloris nec fœtidam ad 60. circiter libras in hydropico reperiit BAGLIVI *Diſſ. var. arg. p.* 73. (2) *Foetet* nonnunquam, quandoque ſine odore inſigni eſt. RHODIUS *obſ.* 8. *Cent. III.* halitum pueri hydropici ſulphuris odore nares feriiſſe obſervavit. (3) *Sapore* acidum eſt, atque ſenſibili acredine ſalſa linguam irritans, hinc in *Act. Haffnienſ. Vol. IV. obſ.* 69. BORRICHIUS lactis balneum coagulatum vidit a ſudore fœminæ hydropicæ. (4) *Conſiſtentia* nonnunquam valde dilutum aquæ inſtar eſt, ſpiſſiuſculum tamen utplurimum, igni impoſitum in gelatinam concreſcit. BARBETTE *in Praxi p.* 169. in fœminæ cujusdam hydropicæ abdomine primo tenuem lympham, poſtea gelatinam, deinde concretam, tandem duram & ſteatomaticam invenit. Cui adſentitur WILLISIUS *Pharm. rat. p.* 2. *p. m.* 156. qui ſerum hoc ovi albuminis in modum calore foci inſpiſſari teſtatur. Variant tamen hæc omnino in diverſis ægris, prout nunc recens effuſum, nunc diu ſtagnans, nunc urina, nunc lympha, nunc ſerum, pus &c. eſt. Et ex his modo ſingula ſeorſim reperiuntur, modo conjuncta novum aliquod compoſitum formant; non unius enim indolis hoc eſſe ſatis ex ſupradictis, uti confido, apparebit. *Quantitas* diverſa eſſe ſolet pro corporis amplitudine & morbi diuturnitate; ita, ut quandoque 30. quandoque 40. 60. 90. quandoque centum libræ inventæ fuerint, imo ultra 100. libras in abdomine contentas fuiſſe *Avus b. m. in mſſt. obſ.* refert.

XXXIII.

Continetur vero *ſecundo* illa aqua plerumque quidem §. 31. n. 2. 1.) in cavo abdominis inter peritonæum & viſcera, nonnunquam etiam 2) inter peritonæum & muſculos abdominis, referentibus PLATERO, LIDDELIO, BLASIO aliisque. 3) aliquando in omento, qui vocari ſolet *Aſcites Epiploicus*, GALENO jam notatus *Comm. in Hippocratis* 7. *aph.* 55. Huc pertinet *obſ.* HORSTII *Dec.* 6. *Probl. X.* qui omentalem tumorem ſcirrhoſum & glanduloſum invenit libras 56. pendentem, exterius robuſta & craſſa membrana cinctum, in medio vero cavitatis fœtida ſordidaque ſanie repletum: item celeberr. *Amſtelod. Profeſſ.* FR. RUYSCHII *obſ. chir.* 18. ubi refert, in cadavere mulieris XV. annos aſciticæ omnia viſcera ſalva, tumorem tantum piloſum in omento repertum fuiſſe, quem ibi etiam delineari curavit. 4) nonnunquam in duplicatura peritonæi formato ibi ſacco incluſam aquam fuiſſe obſervationes referunt. Notabilis inter alias eſt obſ. Cl. LITTRII, quæ reperitur in *Obſ. Acad. ſcient. Pariſ. ſ. u. Mémoires de l'Academie anni* 1707. 5) aliquando ipſe ventriculus & inteſtina aqua repleta obſervantur, ubi plerumque univerſalis inundatio eſſe ſolet, alias huc non ſpectat, ſed ad hydropes particulares. 6) Singularis aſcitis ſpecies eſt, quando *Hydatides* nunc parvæ magno numero, nunc una vel pauciores prægrandes pendulæ obſervantur in iſtis modo enumeratis interſtitiis; notantur enim & inter muſculos abdominis & cutim, item in omento &c. Hæc proprio nomine ab autoribus inſignitur, vocatur nempe *veſicularis*. Hanc primus ARETÆUS, & poſt illum plurimi obſervarunt, ubi apud ſupra laudatum BONETUM exempla legi poſſunt. conf. OL. RUDBEK *deduct. hepat. & vaſ. glandular. ſero. c.* 9. *p.* 289. It. CEL. RUYSCHII *lib. cit. obſ.* 27. *figur. e.* Glandulas autem has hydatides eſſe, atque ita ab aqua diſtendi poſſe, ut ad tantam molem excreſcant, recentiores anatomici ad ſenſum demonſtrarunt. Nonnunquam enim ipſius tunicæ e. g. omento adhærentem reliquasque etiam nonnihil inſtar bullularum elevatas obſervarunt; ſic in *Act. Haffnienſ.* refertur glandula omenti inuſitatæ magnitudinis ab OL. BORRICHIO viſa v. *Vol. II. p. m.* 205. ſic in anaſarca extinctis glandulæ ſubcutaneæ viſum ſubterfugientes, optime in conſpectum prodeunt. Lymphatica & lactea ſic extendi aſſerit Cl. BIDLOO *Exercitat. anat. chirurg. Dec.* 1. *Exerc.* 2. in qua prolixe de hydatidibus agit, earumque varia genera recenſet. 7) Singularem obſ. PALFYN habet *Chir. P.* 1. *c.* 12, ubi in cadavere aſciticæ materia purulenta ſeroſa in ſacco duro & menſuram unius & dimidii capitis excedente, exterius inæquali, interius multis cellulis & loculamentis, communicationem inter ſe habentibus, repleto, inventa fuit. Parti ſuperiori ſeu fundo uteri adhæſiſſe hunc ſaccum refert, quem nihil aliud fuiſſe putat, quam mirum in modum dilatatam & expanſione ſua cavitatem abdominis replentem tunicam exteriorem uteri.

XXXIV.

Et ita ex hac ultima obſervatione etiam conſtare poteſt, quid de eorum ſententia cenſendum ſit, qui ubique in aſcite *hepar* incuſant. Idcirco enim ſollicite eas tantum obſervationes colligunt, ubi hepar in cadavere male adfectum repertum fuit, & ita exinde falſam ſuam & inadæquatam procudunt Pathologiam.

XXXV.

Equidem optime memores ſumus, (ut no. 3. § 30. ſatisfaciamus,) illarum obſervationum ubi hepar morbidum conſpectum fuit; nimirum nunc quidem *pallidum*, fere *exſangue*, nunc *tumidum*, nunc *atrum* & ſimul *denſum*, *durum*, ſeu *ſcirrhoſum*, infinitis quoque *coloribus variegatum*, ſæpius tanquam corium *torrefactum*, nunc *abſceſſibus* purulentis obſeſſum, *hydatidibus* quoque repletum obſervatum fuit, v. RUYSCH. *l. c. Obſ.* 45. Reliqua exempla apud BONETUM l. c. legi poſſunt. Quanquam vero hoc verum eſſe fateamur, & ita ut plurimum hoc ita eſſe concedamus; tamen haud minus certum eſt, *primo* in allegatis obſervationibus fere ſemper una cum hepate etiam lienem, pancreas, glandulas meſenterii, omenti, renes male conſtituta fuiſſe; *deinde* proſtant præter ſupra ex RUYSCHIO adductas obſervationes plures, ubi hepar repertum fuit ſanum: ita BONETUS ex DODONÆI *obſ. l. c.* refert urinam in abdomine effuſam per aliquot foramina, in veſica urinaria producta ab uteri ulcere, repertam fuiſſe, ſalvis una cum hepate reliquis viſceribus. RONDELETIUS quoque *Prax. c.* 35. ab ulcere meſenterii, reliquis viſceribus ſalvis, productum aſciten referunt.

Lienem corruptum & totam fere ipſius ſubſtantiam pici liquatæ ſimilem in quodam hydropico, hepate optime conſtituto, vide ſis apud RIVERIUM *obſ. comm. 6.*

Renes parvos, pallidos, nulla pinguedine obductos vid. apud SCHENCKIUM *obſ. l.* 3. Eoſdem multis ulceribus fiſtuloſis perforatos, adnatis hinc inde renum corpori hydatidibus, ex quibus ſciſſis aqua profluebat, eroſa ſimul undique eorum exteriore tunica, obſervavit PLATERUS *prax. p.* 260. Sic etiam *Parens b. m.* in aſcitico quodam obſervavit renes plurimis veſiculis aqua plenis refertas, quarum una præ cæteris eminens pendulum ſaccum in abdomine formabat.

Teſtes ſeu *Ovarium muliebre* aliquando mirum in modum tumidum, lividum, quaſi fungoſum hydatidibus refertum in aſciticis, vid. apud SCHENCKIUM *l.* 3. *obſ.* & BAUHINUM *in append. ad Rouſſet de partu Cæſar. it.* RUYSCHIUM *obſ.* 17. *l. c.* BIDLOO *lib. cit. Dec.* 1. *Exerc.* 2. *p.* 17. exemplum habet hydatidis pendulæ ovario dextro alligatæ, quæ capiebat libras 40. liquidi, tanta cum ventris diſtenſione, ut impraegnatam mentiretur. Tandem lubet & addere *Obſ.* 70. *Cl.* RUYSCHII *l. c.* quæ exhibet in cadavere aſciticæ peritonæum variis in locis duris particulis arenulas mentientibus conſperſum venamque portæ ex parte oſſeam factam, cæteris viſceribus ſatis bene conſtitutis, omento tantum in totum conſumto.

XXXVI.

Cæterum ſunt noſtro malo obnoxii præ omnibus aliis homines illi ſegnes, ignavi, ſtupidi, tardi, languidi, habitu corporis turgido, pallido, minuſve firmis fibris præditi, in quibus etiam in univerſum aqueæ ſubſtantiæ abundantia in humoribus præſto eſt, quos vocant *phlegmaticos.* Poſt hos *ſanguinei* vel ad minimum ex utroque *temperamento* mixta complexione gaudentes, conf. *Excellentiſſ.* PRÆSIDEM *Patron. & Præceptor. in Diſſ. de Temperam. fundamento morum & morborum in gentibus.*

Dein experientia confirmatum eſt, *omnis ætatis* homines huic malo eſſe expoſitos, proniores tamen præ aliis in hunc affectum ſunt in ætate juvenili & media conſtituti, & uti notatum eſt ab *Excell. Arch. Regio DD.* STAHLIO *in Diſſ. de morbis ætatum*, qui tenera juventute catarrhoſis defluxionibus vexati ſæpius fuerunt, poſthac tumoribus œdematoſis corripiuntur, œdemata frequentiſſime aſcitis occaſiones exiſtunt. Interim qui obeſi ſunt corporis, & temperamentum ſuperius deſcriptum poſſident, cum ſenium attingunt & quadam de cauſa elater vaſorum dejicitur & ita excretiones ſegniter procedere incipiunt, ſæpius hydrope corripi, obſervationes medicæ fidem faciunt, vide, ſi lubet v. g. *Cent.* 4. *obſ.* 13. *&c.* Imo quod mireris, ne fœtus quidem in utero materno ſemper ab hoc hoſte tutus exiſtit; vide ſi lubet tale exemplum in *M. A.* SEVERINO *l. de recond. abſceſſ. natura c.* 36. *p.* 266. it. PLATER. *l.* 3. *obſ. p. m.* 656. Cum denique *Fœminæ* per antiquiſſimam jam opinionem frigidiores utplurimum ſint viris, ſi frequentius illis tumores œdematoſos, aſciticoſque incurrant, non eſt, quod miremur.

XXXVII.

At enim vero cum recenſitæ circumſtantiæ (§.36.) non eo ſenſu à nobis adducantur, ut eas pro cauſa morbi proxima venditemus, quibus vel ſingulis vel etiam conjunctim poſitis ſtatim ſequatur adfectus noſter; bene enim meminimus, utrumque contingere quandoque, nempe, tum ut morbo hoc alius temperamenti, ſexus & ætatis homines adfligantur, quàm nos recenſuimus, tum etiam, ut homines, in quibus hæ circumſtantiæ vel ſingulæ vel conjunctæ reperiuntur, alium quandoque experiantur morbum: ſciendum hujus conditionis eſſe *utplurimum* eos, qui hoc morbo laborant. Corripiuntur vero tum demum hi (v. §. 36.) homines noſtro morbo, quoties una vel altera ex ſequentibus circumſtantiis ipſis obtingit. Poteſt vero quandoque ſingularis ſufficere, quandoque tamen plures junguntur, imo jungantur neceſſe eſt.

XXXVIII.

Nimirum 1. *Aer* frigido humidus multum contribuit ad hunc morbum; inde tam frequens in locis maritimis, ut in Anglia, Belgio & ſimilibus locis; quanquam 2. hiſce gentibus ſolitus abuſus *potuum* calidorum aquoſorum, in nimia quantitate quotidie bis vel ter uſurpari ſolitorum, minime hic excludendus ſit, præcipue, ſi nullo modo, nec alvo, nec urina, nec ſudore excernantur. Deinde 3. obſervatum e cenſu utplurimum literatorum, monialium & monachorum fuiſſe aſciticos, ob ſedentariam quidem vitæ rationem; ob eandem etiam cauſam ſartores, ſutores, textores huc referendi, item fullones, olearii, balneatores, piſcatores, zythopeptæ, lotrices, quia in aere valde humido & vaporibus repleto degunt; imò quidam horum dimidia corporis parte in aqua verſantur, hinc ad hunc morbum præ aliis ſunt proclives. Conſ. RAMAZZINI *Tr. de morb. opificum.* Ex *Tempeſtatibus* anni autumno maxime hydropes fieri aſſerit HIPPOCRATES *S.* 3. *aph.* 22. nulla alia de cauſa, quam quoniam pluviis & nebulis ordinario aerem refert, caliginoſumque reddit; medietas etiam illius, quæ vergit verſus hyemem & multum frigoris junctum habet. Sique hiſce *mœror & triſtitia* animi, omnia, ut notum, in œconomia vitali languida reddens, & frequens uſus craſſorum, viſcidorum, flatulentorum accedat ciborum, eo magis diſpoſitum corpus ad morbum hunc ſuſcipiendum evadit. *Aquas paluſtres & ſtabiles* ORIBASIUS *l.* 5. *collect. c.* 3. & alium aſciticis multum nocere, TULPIUS notavit *l.* 2. *obſ. c.* 35.

XXXIX.

Porro inducunt etiam aſciten, frequenti medica experientia teſte, *conſuetæ evacuationes ſuppreſſæ.* Ita ab urina ſuppreſſa hydropem ſecutum eſſe ſpatio paucorum dierum ſcribit NENTERUS *pathol. med. p.* 101. Suppreſſiones hæmorrhagiarum per nares, per uterum, ut menſium & lochiorum, quacunque de cauſa contingant, ſæpius excipit cachexia & hydrops in ſanguineo-phlegmaticæ temperiei hominibus, ac plethoricis. Fluxus hæmorrhoidum quacunque de cauſa cohibitus, præſertim in plethoricis, aſciten producere poteſt. Vide HIPPOCRATEM *ſ. 6. aphor.* 12. Ita Trajanus Imperator ex retentione hæmorrhoidum aſciticus factus, ſemelque curatus recidivam paſſus ex eo mortuus eſt. v. DIO CASSIUS. Quod ſuppreſſos fluxus efficere diximus, illud pari ratione *immodici* efficere valent. Quid enim notius, quam quod excretiones ſanguinis per nares, hæmorrhoides, uterum nimias, præſertim ſiniſtre per reſtringentia medicamina repreſſas, hydrops excipiat. Excretio in dyſenteria immodica ſæpius mater hydropis eſt: HIPPOCRATES *ſ.* 6. *aph.* 43. *qui lienoſi*, ait, *difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſupervenientem longam dyſenteriam aqua intercus aut inteſtinorum lævitas excipit & moriuntur.* Hæc vero tum plerumque contingunt, ſi præpoſtere adſtringentibus ſiſtantur, nec æger debitis analepticis reficiatur. *Sudores* nocturni, præſertim circa æquinoctia ſalubri naturæ conſilio

lio contingentes, ſi intempeſtive ſupprimantur, aſciten producere quandoque ſolent.

Omnia *Turgefacientia* vel alimenta vel medicamenta, quæcunque nimirum ſanguinem commovent, ſtimulando fibras, viis minime liberis ab obſtructionibus, humoribus adhuc craſſis, hydropi & ita etiam aſciti progignendo anſam præbent; ita ex uſu *ſalium volatilium urinoſorum* in corporibus ſpongioſis, ſi commotis jam humoribus, aut corporibus ad minimum plethoricis & calidis humoribus præditis adhibeantur, quia ſtimulando & ſtringendo ſolida tantum agunt, talia proveniſſe frequentius cautiores notarunt Medici.

X L.

Frigidæ confertim hauſtæ *potus*, corpore prius calefacto, hunc morbum etiam inducit, a quo ſubito plerumque, intra paucos ſc. dies, hic morbus oritur nullo pedum prævio tumore. Sic Fr. DE LE BOE SYLVIUS *in Tr. de morb. epidem.* §. 540. *p. m.* 846. obſervavit non ſemel, in ardore ac ſiti febrili intra duos tresve dies a potu copioſius ingurgitato excitatum fuiſſe aſciten.

X L I.

Quædam quoque *venena* ad hunc morbum producendum efficacia eſſe notarunt, ut *Bupreſtis* &c. ſic memini quoque me legiſſe, a *vermibus* inteſtina vaſaque lymphatico-lactea in iis hiantia corrodentibus hunc morbum quandoque ortum fuiſſe. Huc etiam referri meretur, qua a violentia externa hujus morbi inducitur cauſa, ut quæ fit a contuſione e regione hepatis, it. a vulnere externo, cujus habet egregium exemplum *Parens*, ὁ μακαρίτης in milite quodam gregario, qui vulnus acceperat in ſiniſtro latere tribus ſuper papillam digitis. „ Hujus militis „ corpus tribus a vulnere accepto horis totum ita in„ tumuerat, quaſi hydropicus a longo tempore fuiſ„ ſet æger, cujus ſanitas cum omnibus Medicis præ„ ſentibus deſperata videretur, ſudoriferis & diure„ ticis propinatis, non neglectis interim medicamen„ tis accommodatis, integre reſtituta eſt. „ Non negamus tamen & aerem hic eſſe accuſandum. Denique, quin exceſſivæ crebræ potationes *ſpirituoſorum tam vinoſorum*, *quam imprimis ardentium* liquorum huic morbo ſæpius anſam dederint, dubitare nos non ſinit experientia, præprimis tamen in ſpongioſis illis corporibus, debilibus præditis fibris & hinc excretionibus ſecretionibuſque languidis hæc contingere ſolent. Pari ratione *acidulæ* & *thermæ* ſortiuntur hunc a vulgo jam declamatum effectum.

X L I I.

Cum fœcunda ſemper malorum reperiatur progenies, & hunc noſtrum adfectum ſobolem plurium *præcedentium morborum* eſſe, res videtur admiratione minime digna. Ita *febres intermittentes* male tractatas per chinam chinæ &c. in perſonis ſucci plenis & laxioris habitus corporis, imprimis fœminei ſexus, vitæque otioſæ & ſedentariæ excipit communiter tumor œdematoſo-hydropicus, deinde etiam aſcites, conf. *Excell. Dn. Præſidis Præceptoris ætatem deveneraudi Ideam medic. fund. C. de morb. ex imprud. medicatione.*

XLIII.

Succedit quoque omnibus pertinacibus *viſcerum obſtructionibus*, *ſcirrhis* quoque hepatis, lienis, pancreatis, uteri, inteſtinorum, glandularum majorum meſenterii, ſeu omnium ſeu præcipuarum, ac renum. Sufficienter hæc docent obſervationes practicæ, & ipſæ cadaverum ſectiones, conf. §. 35. Et hæc eſt frequentiſſima fere atrocis hujus mali humanum genus depopulantis ſcaturigo, ſic enim *Avus b. m.* in mſſt. ſæpius allegatis ita de ſe ſcribit: „ Experientia mea qualicunque didici, nullum hydropi„ cum vere ita dictum ſine alicujus viſceris obdu„ ratione, nunc majori nunc leviori, mihi fuiſſe ob„ latum.

X L I V.

Morbos quoque acutos imprimis ardentiſſimos v. g. inflammatorios viſcerum, ſive ægri in iis ſitim ſuam inexplebilem nimio potu demulcere imprudenter tentaverint, ſive quandoque etiam ſine ſiti fuerint, haud raro inſequitur aſcites.

XLV.

Cachexiam excipere etiam ſolet dirus hydrops, ita quidem frequenter, ut inde a quibuſdam cachexia pro primo hydropis gradu habita fuerit; quod quanquam non penitus ſit verum, tamen cachectici in proxima diſpoſitione ad hydropem poſiti ſunt, & devolvuntur denique ſæpius in ſtatum aſciticum. Eſt vero hoc metuendum præprimis in iis ſubjectis, ubi vigor activitatis vitalis remittit. vid. *Excellentiſſimum* D. STAHLIUM, *in Diſſ. de Cachexia* §. 21. Præſertim vero *martialia* improvide data in cachexia infauſtum hunc ſortiuntur effectum, teſtis erit iterum *Excellentiſſ.* D. PRÆSES *c.* I. §. 42.

XLVI.

A *tympanitide* quoque haud raro hic morbus oritur, ſemper enim hæc paullo diuturnior in aſcitem degenerat, niſi homo valde ſit debilis vel alio ſymptomate mors præveniat, uti obſervavit *Avus b. m. in mſſt. citat.* conf. etiam BAGLIVUM *in diſſ. varii argumenti p. m.* 72. & 94. ubi duos inſignes caſus refert tympanitidis in aſciten mutatæ. conf. ſupra §. 16. & 28.

Nonnunquam etiam *Icterus* terminatur in hydropem, uti & *Scabies retropulſa*, conf. BAGLIVI *l.* 2. *Prax. med.* §. 9. ubi locum ex HIPPOCRATE *in Epidem.* refert; item *Scorbutus*, vide hic imprimis EUGALENUM *de Scorbuto*. *Podagram* in aſciten degeneraſſe non raro, aſſerit Cl. WEDELIUS. Nobis etiam conſtat, *curam lactis* in podagrico quodam intra ſeptimanarum duarum ſpatium hydropem abdominis produxiſſe, qui creberrimis purgationibus tandem ſanatus fuit.

„ *Ulcera* quoque *repreſſa* hunc morbum produ„ cunt: ita *avus b. m.* ex fiſtula ani 20. annorum „ temere ſuppreſſa aſciten ſenſim generatum fuiſſe „ obſervavit l. c. idem in virgine 24. annorum ex „ apoſtemate & ulcere umbilici, ex ſuppreſſione „ menſium proveniente, eundem morbum procrea„ tum fuiſſe notavit.

XLVII.

Hactenus omnia bene procedunt & habemus hic non facile quendam contradicentem, cum omnia certæ obſervatorum experientiæ innitantur; ſed aliter ſeſe rem habere, cum ad cauſam hujus mali proximam deventum fuerit, cuilibet ſcripta Medicorum evolventi patebit.

Abeunt enim hic in diverſa autores: Plerique hepar incuſarunt, cum eo tamen diſcrimine, quoad fundamentum imputationis, ut antiquiores Galenici uſque ad Cl. SENNERTUM hepar dixerint eſſe cauſam proximam aſcitis, quoniam eo per ſcirrhos alioſve morbos male adfecto ſanguificatio lædatur, hujus vero læſionem hydropis unicam eſſe cauſam firmiter credebant.

Fernelius ex ruptura ὑδατίδων in hepate, quas rimas ſeu fiſſuras vocat, ſerum in cavitatem abdominis deſtillare & omnem aſciten eo modo produci aſſerit.

Denique ſunt ex Recentioribus, qui hepar præcipue in hoc morbo reſpiciunt, quia eſt præcipuum lymphæ colatorium, Conf. *Excell. Archiatr.* Stahlium *Præceptorem meum omni honoris cultu proſequendum in Diſſ. elegantiſſima de Hydr. Aſcite* §. 23. 26. *& ſeqq.*

Helmontius in renibus ſedem cauſæ ponit, dum in *Tr. ſuo Ignotus hydrops* §. 20. *n.* 19. poſt pauca inquit: „ Cauſa immediata tam materialis, quam „ efficiens veri hydropis eſt archeus renum errans, „ quatenus ſc. exorbitat ac in furorem velut percel- „ litur, a cauſa occaſionali ideam gignit ſive ſpe- „ ciem --- per quam ſc. vix aut non ſeparat uri- „ nam --- quin etiam velut furioſus dimittit laticem „ ad abdomen, ut ſui velut internecionem procu- „ ret.

XLVIII.

Non libet examinare fuſius haſce opiniones. Brevibus dicam: mihi omnes illi errare videntur, qui unicum tantum viſcus pro cauſa hujus morbi proxima allegant. Quid enim reſpondebunt illi v. g. qui pro hepate pugnant, ſi opponamus ſectiones illas, ubi hepar ſanum deprehenſum? conf. §. 34. & 35. ſimiliter renes ſalvi adhuc pluries reperti; quorſum ergo ruet Helmontii hypotheſis? v. §. 47. At, inquient, ſæpius imo utplurimum hepar in aſciticorum cadaveribus læſum fuit repertum, & Helmontiani ſimilia pro renibus allegabunt exempla, alius aliud viſcus accuſabit. Verum reſpondeo: vera ſunt hæc omnia, eſt in hepate, eſt in renibus quandoque; imò ſit ita, utplurimum vitium deprehenſum, ſed utplurimum non ſemper. Divide & imperabis.

Nimirum nullum eſt viſcus (per §. 33. & 35.) in abdomine quod non quandoque in aſciticis læſum repertum, quandoque etiam plura uno læſa deprehenſa fuerunt; imo omnia viſcera interna multis veſiculis materia viſcoſa & aquea plenis referta, quarum numerus exceſſit nongentas, reperit Horstius *Opp. V.* 2. *lib. x. p. m.* 541. Ergo nullum ex viſceribus unice & ſemper in culpa erit.

XLIX.

Subolfecit iſtud jam dudum Celsus *L. III. c.*21. ubi Erasistratum confutans, qui etiam ſolum jecur hic adfici putavit, *non hujus*, inquit, *viſceris unius hoc vitium eſt. Nam & ſplene adfecto & in totius corporis male habitu fit.* v. quoque Cælium Aurelianum *Tard. paſſion. L. III. p. m.* 435. Parem errorem errarunt etiam illi ex Veteribus, qui a nimio calore, ſeu *intemperie calida*, hunc morbum deducunt, inter quos etiam *Celeberr.* Conringius reponendus eſt. In eo enim error latet, quod eam ſolam, uti alii ex Veteribus contra frigidam intemperiem, pro cauſa adducunt, reliquaſque omnes excludunt. Nihil enim familiarius eſt, quam quod idem effectus ſæpe etiam contrariis cauſis ſuam originem debeat. Nolo in dubium vocare, a calore nimio quandoque hæc produci, cum experientia hæc ſat clara ſint; neque tamen minus evidens erit, ſi & frigus nimium & nimis diu durans, quod humores æque coagulando ac calor nimius exſiccando inſpiſſat, in eadem claſſe reponam. Fieri etiam poteſt, ut ſine vitio alicujus viſceris hydrops naſcatur: ut quando ab errore externo per §. 40. ſerum in abdominis cavitate colligitur. Hic enim obſtructio glandularum forte vaſorum lacteorum in meſenterio produci videtur, quod etiam ex modo curandi, quo Piso *in Tr. de morb. a ſeroſa colluvie* uſus eſt, (nimirum dedit tabulas diacarthami, qui roborando ſeu leviter adſtringendo ſimul purgant,) confirmare videtur.

L.

Non vacat nobis pluribus hic inquirere in cauſam mali noſtri proximam, brevibus igitur rem expediemus. Si indolem cauſarum (a §. 36. ad 47.) cum natura effectus conferamus, concludemus ſequentem in modum: Liquor, qui in aſciticorum diſtento abdomine continetur, eſt vel urina vel ſerum ſanguinis, vel lympha, vel pus conf. §. 32. *Urina*, quod ex corroſa veſica urinaria per ulcus v. §. 35. in abdomen confluere debeat, in propatulo eſt; *Pus* provenit, cum hepar aliaque abdominalia viſcera, vel etiam meſenterium ulceribus vel abſceſſibus purulentis obſidetur, conf. §. 35. *Pus ſero ſ. lymphæ permixtum* replebit abdomen, ſi ab ulcere una cum ſanguineis vaſa lymphatica vel lactea v. g. in meſenterio corroſa ſint, conf. §. 35. & hic unus modus eſt, ubi ex ruptura vaſum lymphaticorum hic morbus per *diæreſin* producitur, ab ulcere nimirum.

LI.

De cauſis vero ulcerum hic loqui res non eſt hujus loci. Quomodo vero alio modo *lympha* hujus mali cauſa proxima eſſe queat, ſequentem accipe modum: nimirum lympha ſi ſtagnat, diſtendet vaſa continentia & hydatides pariet, ſique diu duret malum, nimia diſtenſione rumpet vaſa. Ad ſtagnationem deducitur vel vitio *ſui* dum ſc. ſpiſſitudine peccat & ita obſtructiones efficit; *vel vitio glandularum ſecernentium*, quæ obſtructæ vel ſcirrhoſæ ſunt. Cum igitur lymphæ circulatio impedita ſit, ſubſiſtit & ante dicta mala parit. Lympham vero ſpiſſam reddunt ea, quæ §. 38. adducta ſunt. Hæc enim dejiciunt tonum ſolidorum, quorum elatere dejecto vigor ſecretionum & excretionum imminuitur; ſpiſſæ itaque partes remanent in humoribus; cumque maſſa humorum minus ſtrenue propellatur, ſemper ſpiſſeſcentia augetur. Solidarum enim partium vitia fluida mutant in pejus & vice verſa, ita ut mutuas cauſarum & effectuum vices hæcce agant. Præprimis vero atonia partium maxime poſthac malum fovere ſolet.

LII.

Ubicunque igitur *glandulæ* vel *vaſa lymphatica* ſunt in abdomine, ibi aſcitis inveniemus cauſam effectricem. Ergo non tantum in hepate, ſed & in liene, renibus, glandulis meſenterii, omenti, pancreate &c. ſedes erit cauſæ hujus morbi proximæ, quandoque in uno viſcere ſolo, quandoque in duobus, tribus conjunctim, imo in omnibus per §. 48. aliquando in vaſis lymphaticis ſolum hærebit. In caſu enim §. 40. & 49. adducto certe glandulas ſalvas eſſe & lymphatica tantum ita diſtenta vel rupta, valde vero ſimile videtur. Refert etiam Diemerbroeck *L.* 1. *c.* 12. *p. m.* 66. ſalvis pleriſque viſceribus lymphatica tantum rupta in hydropico obſervata fuiſſe.

LIII.

Et iſte modus (§. 50.) quidem ſatis evidens eſt, nolumus tamen adfirmare hunc ſolum atque unicum eſſe, quo ex obſtructis viſceribus noſter adfectus oriatur; ſic ut quidem aſſeramus, hydatides iſtas in viſceribus imprimis obſervatas ab omni cauſa obſtruente & impediente refluxum ſemel advectæ lymphæ

orii,

oriri, nondum tamen affirmemus, cauſas iſtas obſtruentes neceſſario & ſemper hydropem producere, & ſi hunc producant, factis id hydatidibus fieri debere.

LIV.

Experimentum a LOWERO *Tr. de corde c.* 2. vel ex eo *a* WILLISIO *Pharmac. ration. S.* 2. *c.* 3. deſcriptum etiam noſtrum ſupra adductum (§. 50.) fiendi modum illuſtrare videtur, ubi ligatis venis, arteriis vero liberis relictis, & ita adfluxu uti ſanguinis ita & lymphæ, quam ab arteriis autores deducunt, vigente, refluxu vero impedito, ſeceſſio lymphæ, i. e. irruptio nimis magna lymphæ in vaſa ſua, horumque tandem diſruptio contigit, & ita aſcites prognatus fuit.

LV.

Sanguificationem vero inde (§. 50.) turbari debere, ſeu ſanguinis confectionem non rite fieri poſſe in aſciticis, inde patet, quod chylus cum lympha omnium fere partium ſub diaphragmate poſitarum prius ciſternam lumbarem chyli ingredi debeat, quam in ductum chyliferum, & demum ex hoc in venam ſubclaviam pervenire queat. Cum autem in abdomine aſciticorum maxima ex parte retinetur, quomodo chylus in ſanguinem mutari poterit? Inde etiam fit, quod partes ſuperiores in thorace poſitæ ſuo nutrimento debito & lympha defraudentur. Hinc ratio petenda ejus, quod §. 13. de contabeſcentia aſciticorum & §. 18. de eorum ſiti adductum fuit.

LVI.

Notari etiam meretur, quandoque in cauſando priorem locum obtinere vitia viſcerum, quandoque vero vitium liquidi, & nonnunquam ipſam ſeri collectionem, ita ut ab hac illa dependeant, ut iis accidit, qui ab hauſtu enormi frigido in diſpoſitionem hydropis (§. 40.) conjiciuntur. Et hoc etiam in culpa eſt, quod ordinem cauſis hactenus adductis aſſignare nequeamus: eſt etiam hoc ipſum in genere factu impoſſibile, & debet hæc diſcretio in ipſo individuo a prudenti Medico fieri. Quæ enim in quibusdam ægris proximum inter cauſas locum occupabunt, hæc ipſi in aliis remotius concurrere ad producendum morbum videas. Sic nunc hoc viſcus proxime aſcitis ſedes erit, nunc magis remote, ac, ut vocant, per conſenſum ex aliorum viſcerum actione læſa adficietur. Neque enim ipſæ ſectiones cadaverum ſolæ indicant proximam mali cauſam; nam ſæpius effectus eſt, quod nobis patefaciunt: ut nunc taceam morbos conjunctos, ubi ſemper ſedulo attendendum, quænam viſceris læſio alicui morbo adſcribenda veniat. Haud raro etiam effectus morbi, imprimis diutius protracti, eſſe ſolent, quæ immediate ipſum morbum produxiſſe putantur.

LVII.

Forte etiam *Serum* ex ipſis vaſis ſanguineis majoribus ac minoribus viſceribus ipſis intextis, quandoque majori in copia per poros tunicarum transſudat & in cavitatem abdominis recipitur, (vocant per diapedeſin,) qualem modum etiam *Cl. archiater D. D.* STAHLIUS *in Diſſ.* ſæpius citata non improbabiliter adſtruit, ſc. lympham per poros vaſum lymphaticorum ita exſudare in cavitatem abdominis, (præprimis cum rupturam eorum non facile contingere aſſerat) præcipue ſi per exteriora abdominis integumenta foras exire nequeat, vel quod meatus in cute ſint obſtructi, conſtricti a frigore externo &c. vel quia in majori proportione transſudat, quam quod evacuari poſſit per ordinariam diapnoën vel diaphoreſin e corpore.

LVIII.

Forte quoque, ſi, quod probabile eſt, vaſcula minima omento inſerta in abdominis cavitatem hient, atque ibi vaporem illum, quo irrorata viſcera in ſectionibus cadaverum deprehendimus, emittant, hæc vaſcula anaſtomoſi facta cauſa collectionis hujus ſeroſæ eſſe poſſunt.

LIX.

Plures forte ſunt modi, quibus hic morbus producitur; præcipuos tamen evidentiores admodumque probabiles, ni fallimur, omnes attulimus.

Hæc ita paucis de ætiologia morbi noſtri adduxiſſe ſufficiant. Poſſemus facile inde explicare phænomena & reliquos effectus hujus mali in hiſtoria morbi (§. 6-22.) adductos. Hæc enim omnia tum ex confectione chyli læſa, ipſam ſanguificationem lædente, malaque omnium partium nutritione, tum ex ipſius ſeri ſtagnantis corruptique effectibus, quaſi ſummis capitibus, facili negotio deduci poterunt.

Sed potius trademus hujus mali *Differentias*. Hæ igitur ex ſuperioribus collectæ erunt ſequentes.

LX.

Nimirum Aſcites (1) *ratione loci* ſecundum quosdam diſtinguitur in *verum & ſpurium*. Verum vocant, ubi aqua in cavitate abdominis, ſpurium, ubi non in cavitate libere continetur, ſed clauſa eſt in membranis quibusdam, ut in ſacco peritonæi. v. PALFYN. *l. c. & Mr.* LITTRE *l. c. (v. §.* 33.) in veſiculis quibusdam (*v.* §. 33. *no.* 6. ſeu dilatatis glandularum cavis, vel vaſis lymphaticis &c. (2) differt *ratione cauſæ continentis*, conf. §. 32. (3) *ratione cauſæ remotæ internæ*, ut aliquando ſcirrhi hepatis, lienis aliquando &c. *conf.* §. 35. (4) *ratione complicatorum morborum v.* §. 14. 16. 28. inde vel exquiſitus vel minus exquiſitus audit. (5) *ratione durationis*, *v.* §. 29. ut inde vel *recens* vel *inveteratus* ſit. (6) denique quidam ab aliis morbis prægreſſis ortus, quidam non. v. §. 42-47.

LXI.

Imminere morbum noſtrum ſuſpicio ſeu metus eſt, cum cauſas procatarcticas & proëgumenas (v. §. 38-47. it. §. 36.) præceſſiſſe ex ægro cognovimus, pedes aliquando tumere incipiant, & quanquam rurſus ſubſideat, tamen redeat tumor, appetitus pereat, urina pauca, tenuis, aquoſa, cruda excernatur, ſubjectum incipiat ad omnes animi & corporis motus tardum & ſegne eſſe, reſpiratio difficilis adſit præcipue ſub adſcenſu ſcalarum. Adhuc magis hic metus creſcit, ſi cachecticus ſtatus præſens ſit ſimplex vel ſcorbuto junctus.

LXII.

Adeſſe vero aſciten ſigna ex hiſtoria morbi ſupra recenſita, & exinde facile colligenda patefaciunt, addendum tantum iis, quæ de tumore abdominis ibi monuimus, nunc unum tantum latus tumorem occupare, nunc utrumque, ita ut venter quaſi in duas partes dividatur. Probe quoque obſervandum, ne confundantur *aſciticæ* & *gravidæ* mulieres. Diſcernere autem eas ab invicem ex ſequentibus nos docet ETTMULLERUS: (1) ex colore faciei vivido & bene habito in gravidis; ſed hoc per §. 13. fallere poteſt. (2) ex tumoris ſpecie. In gravidis tumor abdominis ad præcordia ſurſum vergit eſtque inæqualis;

lis; In hydropicis autem inferior pars abdominis intumeſcit, mammæ detumeſcunt, & tumor undique æqualis & quaſi œdematoſus eſt: ſed quod hoc ultimum attinet, ſemper illa præ oculis habenda, quæ in initio hujus §. monuimus. (3) ſignum certum aſcitis eſt fluctuatio in abdomine, ſed confer §. 10. (4) vivacitas & vigor oculorum ſignificat geſtationem. (5) urinæ in gravidis non ſunt ita conſtitutæ, ut aſciticorum. (6) quo ſe vertunt aſcitici, eo labitur aqua, conf. iterum §. 10. (7) ſitis in hydrope juncta eſt, in geſtatione non, conf. §. 18. (8) ſub hydrope menſes ſæpe fluunt, in geſtatione non &c. Hoc ultimum ſignum tamen minime certum eſt, cum etiam in gravidis nonnunquam menſes fluxerint; quale v. g. refert exemplum LOTICHIUS *obſ. med. l. V. obſ.* 17. it. *Gregor.* HORSTIUS *opp. T.* 2. *l. V. obſ.* 34. 41. 48. *&c.* nec ſemper abortum minatur talis fluxus, uti *Cl.* WEDELIUS *in Diſſ. de not. gravid. c. Hippocr. S.* 5. *aphor.* 60. aſſerit: contrarium enim quandoque contingere ſupra citatæ ex HORSTIO *obſ.* nos docere poterunt. Motus infantis in utero vigeſima ſeptimana contingens omnem dubitationem tollere debet.

LXIII.

A *tympanitide* aſcites ita diſcriminatur ſecundum MENJOTIUM *in Diſſ. patholog.* quod tympanitici liberius reſpirent & decumbant quam aſcitici, partes etiam ſupernæ in illis minus diſcrucientur quam in his, nec inferna membra in tympania extumeſcant perinde ac in aſcite fieri ſolet. Abdomen ad concuſſum manus prætenſione reſonum eſt, preſſum vix demergitur, moxque reſurgit, nec ut in aſcite impreſſionem ſervat: attende tamen in hiſce ultimis ſignis ad ea, quæ §. 8. jam monuimus.

LXIV.

Quomodo dignoſci debeat, an *hydrops ovarii* muliebris adſit (v. §. 35.) inter deſiderata medica ponendum eſt.

Ipſum cavum uteri clauſo accurate ejus orificio interno tantam aquarum copiam nonnunquam collegiſſe, ut mentitus fuerit aſciten, vide ſis apud GREG. HORSTIUM *opp. T.* 2. *obſ. l. IV. obſ.* 53. AETIUM *l. ult. p.* 79. 109. FERNELIUM *pathol. l. VI. c.* 15. HILDANUM *obſ.* 56. *Cent. II.* it. VESALIUM *Anat. l. V. c.* 9. *p.* 627. *&* 628. qui ſupra 60. Auguſtanas menſuras aquæ in utero hydropico invenit. Quomodo talis uteri hydrops ab aſcite diſcerni debeat, cum perfecte quandoque eundem mentiatur, & graviditatis ſpecie Medicum fallat, cum ignariſſimis neſcimus, nec apud autores conſignatum reperimus; niſi quod tentata curatio per fomenta relaxantia, vapores tales, it. uterina adhibita detexerit aliquando morbi ſedem.

Quando a morbis prægreſſis, ut febribus, ſcirrhis &c. profectus aſcites & ab iiſdem foveatur, hoc & ex relatione ægri & ex ſignis cuilibet morbo propriis petatur, ex quibus ultimis etiam dignoſci debet, quænam pars adfecta ſit.

LXV.

Prognoſin quod concernit, eandem ſupra in hiſtoria morbi recenſuimus, ut quædam tantum addenda habeamus. Nimirum

(1) *Ratione ſpecierum* hydropis: aſcites omnis hydropis ſpeciebus periculi gravitate præit, quod confirmat ARETÆUS *l. II. diut. c.* 1. dum inquit: » omnes ſpecies hydropis quidem pravæ, inter ipſas autem leucophlegmatia mitior, difficilis flatuoſa, difficilior anaſarca, maximi momenti etiam veſicalis, » aſcites certe periculoſiſſimus.

(2) *Ratione ægri:* primo melioris ſpei eſt in juvene & robuſto homine ob majorem vitalis activitatis vigorem præſentem. Dein facilius ſanantur temperantiæ adſueti nec luxurioſi, imprimis a potu, quantum fieri poteſt, abſtinentes: hæc enim cauſa eſt, quare CELSUS *l. III. c.* 21. judicavit, facilius hoc malum in ſervis, quam in liberis tolli, » quia, inquit, cum deſideret famem, ſitim, & mille alia » tædia longamque patientiam, promptius iis ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis » libertas eſt. Cautus igitur ſit Medicus in prognoſi, ne intemperantia æger prædictum ex natura morbi exitum fallat.

(3) *Ratione Cauſæ*: Ille aſcites, qui a vaſis lymphaticis ruptis fit, curatu impoſſibilis exiſtit, niſi ruptura ſponte coaleſcat. Immedicabilis etiam, qui ex ureterum, aut veſicæ, aut renum, aut meſenterii &c. læſione, ruptione aut exulceratione oritur. Difficulter & fere nunquam ſanabilis, qui aliis morbis ſucceſſit, imprimis, qui ſcirrhis viſcerum inveteratis debetur (ſi enim recentes & leviores ſint, nec per hydatides v. §. 33. n. 6. morbum produxerint, modo §. 51. & 53. deſcripto, aliter utique ſeſe res habet) dein, qui acutis & chronicis, qui diutius ægrum detinuerunt, ejuſque vires detriverunt, ſupervenit, ſecundum HIPPOCRATEM 7. *prognoſticor.* Sanabilis tamen aſcites, qui febres ſuppreſſas v. §. 42. vel hæmorrhagias ſuppreſſas, vel etiam nimias v. §. 39. it. ſcabiem retropulſam v. §. 46. excipit, ſi tamen ſtatim in initio medicina adhibeatur, quod etiam dictum ſit de illo, qui ab errore deſubito ortus, v. §. 40. vid. etiam PISO *in Tr. de morb. a ſeroſa colluvie obſ.* 112. Bene igitur conſtitutis viſceribus melior ſpes apparet, unde HIPPOCRATES *in Prorrh ticis* eos, qui ab hydrope ſervari volunt, ἐυσπλάγχνυς eſſe debere adfirmat, conf. *Coac. prænot. text.* 275. *& ſeqq.* (4) *Ratione Symptomatum:* Magnitudine, vehementia, & varietate accidentium & corruptione virium magis incurabilis judicatur: parva vero magnitudine atque paucis & ſimplicibus accidentibus, quæ Græci ſymptomata appellant, & ſine nimia virium læſione, minime curatione difficilis approbatur, ut verbis utar CÆL. AURELIANI *l. III. Tard. Paſſ. c.* 8. *p.* 421.

Apoſtaſes vel maculæ in cruribus erumpentes lethales ſunt, v. HIPPOCRATEM 7. *Epidem.* it. Ulcera incurabilia plerumque ſunt & ad mortem ducunt, quod etiam optimus *Senex* adfirmat *aphor.* 8. 6. *it.* CORN. CELSUS *l. III. c.* 21. de tuſſi HIPPOCRATES *S. VII. aphoriſmus* 47. proſtat, ubi ita: *ſi hydropicum tuſſis habeat, deſperatus eſt*, *conſ. S. VI. aphor.* 35.

Pro meliori ſigno etiam a Medicis habetur, ſi, quod rariſſimum tamen, ſitiant parum, e contra commode plus minus appetant; Ille æger tamen, de quo ſupra §. 18. mortuus eſt, an forſan ideo, quod nulla medicamenta aſſumere voluit? uti *Obſſ. mſſt. avi b. m.* referunt.

Denique quo magis excretiones naturales ſupprimuntur, eo pejus, quo minus a ſtatu ſano recedunt ac quodammodo etiam augentur, eo melius eſt: ſic enim CELSUS *l.* 3. *c. x. ſi plus humoris excernitur, quam aſſumitur, ita demum ſecundæ valetudinis ſpes eſt.* Reliqua vide in hiſtoria morbi. (5) *Ratione ſedis morbi* ſeu loci, ubi aqua continetur. Si aqua contineatur in veſiculis quibuſdam ſeu hydatidibus v. *§.* 33. n. 6. incurabilis eſt, nulla enim arte humana ibi contentas educi poteſt, niſi ſponte, uti §. 26. dictum, ope naturæ ſanetur, quod tamen rariſſimum. Aſcites epiploicus dictus v. §. 33. etiam immedicabilis eſt, quorſum referendus HIPPOCRATIS

aph.

aph. 55. ſ. VII. ubi ita : *quibus hepar aqua plenum erumpit in omentum, iis venter aqua impletur & moriuntur.* Idem quoque judicium de eo ferendum, quem §. 33. n. 7. adduximus, ob eaſdem rationes, quas de veſiculari dedimus. Nec illi, qui eo detinentur, quem §. 33. n. 4. deſcripſimus, meliori gaudebunt fortuna. Optimæ ſpecies cæteris paribus ſunt illæ, quæ n. 1. & 2. §. 33. deſcribuntur, quæ bonam ſpem de ſe præbent, ſi reliqua conſpirent, & modo ſuis ſe ſignis manifeſtent, ut a ſuperius recenſitis ſecerni queant. (6) *Ratione durationis* ſeu ſtatus morbi: Inveteratum hydropem incurabilem eſſe, in confeſſo apud omnes eſt rationales Medicos. (7) *Ratione complicatorum morborum* hoc notandum, eum aſciten, qui cum tympanitide incipit, utplurimum eſſe lethalem. Alius aſcites, qui cum leucophlegmatia copulatur & a pedibus incipit, non adeo periculoſus eſt (in ſuo tamen genere.) (8) *Ratione temporum anni*: Ita enim CÆL. AURELIANUS *Tard. Paſſ. L. III. c. 8. p. 434.* æſtatis tempore laborantes difficulter ſanari putat, ſiquidem multa ſiti adduciuntur, de quo plura ibi legi poſſunt. v. CELSUM *L. II. c. 8.* Atque hæc de prognoſi ſufficiant.

LXVI.

Aggredimur nunc *Therapiam*, quam ſequenti modo pertractabimus. *Indicationes generales*, quibus hic morbus arte medica profligari poterit, reſpiciunt vel cauſam continentem, i. e. illud fluidum, quod in abdomine præter naturam contentum eundem diſtendit; vel cauſas proximas hanc continentem producentes, vel cauſas procatarcticas & proëgumenas. Quæ proëgumenas & procatarcticas reſpicit indicatio, eam vocant *ſervatoriam*, quæ vero duas priores, *curatoriæ* dicuntur. In genere monendum, eſſe e re ægri, ut curatio initio mali ſuſpiciatur, hic enim valebit illud: Principiis obſta &c.

LXVII.

Curatorias indicationes ſequenti modo exequemur:

1. Evacuatione liquidi ſtagnantis in cavitatibus abdominis v. §. 33. *n.* 1. *&* 2.
2. Remotione, & correctione cauſæ hujus extravaſationis ſeu collectionis liquidi, uno verbo fontis obturatione, v. §. 35. 51. *& ſeq.*
3. Reſtitutione toni viſcerum dejecti v. §. 38. *&c. it.* 51.

Ab *evacuatione* liquidi cura incipienda, (non a cauſæ ſublatione) & hoc eo citius, quo majus periculum ab humore effuſo diutius ibi ſtagnante metuendum; nam corrumpitur, acredinem concipit partes, quas alluit, corrodentem, imo gangrænam & ſphacelum viſcerum ſæpius producit. Tentabimus vero eandem variis modis, ut

α) *Subducendo* per alvum. Præparantia non opus eſſe arbitrantur autores, cum humores ſatis fluxiles ſint, ſi tamen circa primas vias mucus hæreat, is abſtergendus, digerendus, & evacuandus digeſtivis jam ſat cognitis. Ad evacuationem ipſam quod attinet, commendant hic utplurimum fortiora, nota tamen ſunt exempla, uti datis fortioribus ne minimum quidem aſciticis alvus mota fuit, leniora econtra & eccoprotica fortiter eandem ſubduxerunt. Cavendum & hic imprimis, ne nimis fortiter purgantibus diarrhœam excitemus non ſemper tutioris eventus, & ut hanc eductionem potius per vices corrigentibus interpoſitis exequamur, quam una vice ægrum evacuando, vires & ipſum viſcerum tonum hic maxime conſervandum, & qui nimium quantum jam hic periclitatur, dejiciamus. Confirmat hoc *Excellentiſſimus* D. PRÆSES *in Diſſ. de Purg. fortior. &c. §. 17.* ubi de methodo tractandi hydropem per draſtica loquens ſubjicit: „ hujus naturæ remedia cum „ tonum ventriculi & inteſtinorum hoc morbo jam „ labefactatum penitus lædant & deſtruant, & violenta conſtrictione flatulentiis & lymphæ ſtagnationi magis occaſionem præbeant, non poſſunt non „ irreparabile damnum hoc malo correptis inducere, „ & quæ ibi ſequuntur plura. Certe toni dejectionem gangræna ſphacelum denique producens non raro ſequitur. Sic Cl. ROLFINCKIUS obſervavit, ſubitanea tali ſeri evacuatione catarrho ſuffocativo virum illuſtrem extinctum fuiſſe. Imo, cujus ſupra obliti ſumus, purgantia draſticotera hydropem produxere. Ita enim *Excellentiſſimus* D. PRÆSES *l. c.* refert ex *A. N. C. Dec. III. A. 4. obſ. XI.* „ civem „ Wittenbergenſem poſt ſumtum a circumforaneo purgans draſticum incidiſſe in hydropem aſciten, & „ ægre tandem valetudini priſtinæ reſtitutum fuiſſe. Rejicimus igitur draſticotera illa purgantia, gummi guttæ ſcammonium, elaterium &c. niſi quod bene præparatis viis & humoribus, ubi leniora non ſufficiunt, ſtimuli loco quandoque ad aliquot grana propinari poſſint. Commendamus potius leniora illa, qualia ſunt rhabarbarum, folia ſennæ, tamarindi, mechoacanna, myrobalani; imprimis ſuccus iridis noſtratis cum manna & ſyrupo de cichoreo cum Rheo mixtus egregie aquas ſine moleſtia eduxiſſe ſæpius viſus eſt Avo. b. m. in mſſt. Vel poſſunt exhiberi, ſecundum egregiam methodum *Excell.* D. PRÆSIDIS, fortiora in refracta doſi cum additione ſalium digeſtivorum v. g. reſina Jalappæ cum pineis vel amygdalis trita ad monitum Zwelfferi paucorum 3. 4. granorum doſi cum tartari vitriolati gr. iv. extracti panchymagogi Crollii gr. x. A ſcr. j. mechoacannæ præparatis prius humoribus hydropicos ultra x. ſedes copioſiſſimas habuiſſe refert *Excell.* D. PRÆSES *in diſſ. cit.* Pulverem Jalappæ ad ſcr. ſem. cum rhabarbaro doſi anatica & tartari vitriolati gr. x. exhibitum aſcitico, eundem ſatis fortiter evacuaſſe & ad 20. ſedes provocaſſe refert *Avus* b. m. l. c. Solo uſu rhabarbari continuato quoſdam aſciticos curatos fuiſſe memorant autores. Credo fuiſſe in initio morbi, viſceribus nondum valde obſtructis, adhibitum, alias & roborandi, attenuandi, & diuretico ſcopo prodeſt leniſſimum hoc catharcticum.

β) *Per diaphoreſin:* Quanquam non ſoleant facile ad eandem diſponi per §. 24. ſæpius tamen per hanc viam ſolutus fuit morbus; ita referente Cl. BOERHAAVE, *Præceptore colendo*, *in Coll. mſto in aphoriſmos*, chirurgus quidam Leodienſis cuidam aſcitico epithema ex ſale communi, ægro fornaci propius admoto, applicuit, & madefacto uno novum ſiccum appoſuit, & ita exſiccando eundem curavit. Magis tamen hic per *externa topica* excitandus ſudor, quam per interna diaphoretica remedia. Hæc enim parum vel nihil, obſtructis cutis exterioris poris, efficient. Ad naturam ægri ſingularem hic etiam reſpiciendum, an ad hanc evacuationis ſpeciem ſeu viam inclinet, & circumſtantiæ reliquæ morbi patiantur commotionem talem humorum. Si enim ægri in ſtatu ſano natura non proni fuerunt ad ſudores, dyſpnœam hic facile augebimus, inprimis ſi plethorici ſint.

γ) *Per vomitum* quoque educi poſſe materiam in perſonis alias evemetis, junioribus, viribus nondum a morbo prægreſſo proſtratis, & in initio mali, teſtantur *obſ. conſ. & §. 25.* Accedit, quod & ſæpius ſoleant ſimul evacuare per alvum & urinam, imo qui effectus quandoque præ omnibus aliis expetendus, quia obſtructa viſcera & infarcta reſerare atque ſic *cauſam* ſimul & *fomitem* hujus mali tollere motu ſuo concuſſorio valent. Præprimis tum indicantur, ſi ſigna humorum circa ventriculum & tenuia inteſtina

ſtina hærentium, vel muci in ventriculo præſentis ex nauſea ſpontanea adſint. Poteſt exhiberi v. g. ſal vitrioli, quod roborandi & incidendi vi pollet ſimul, ad ſcr. j; vinum emeticum vulgare ad uncias ij. &c. poterunt digeſtiva ſalina, ut alias fieri ſolet, vel præmitti vel conjungi.

δ) *Diuretica* hic ſæpe profuiſſe obſervationes medicæ teſtantur. Ita profuiſſe Spadanas aquas, forte reſeratis ſimul viſceribus, probabile eſt, v. Henr. ab Heers *obſ. 1. p.* 37. Forte etiam tali modo ſuum effectum produxere Tœplicenſes, de quibus Jac. Janus, Archiat. Reg. Daniæ in *Epp. mſſt. ad Avum b. m.* ſic ſcribit: „ Nota mihi ſunt exempla hy„ dropicorum, qui hic plene & totaliter convalue„ runt, etiam conſtanter & abſque recidiva. Non tamen hæc exempla ſtatim in imitationem tranſire debent, cum non ſemper de certitudine effectus, & ægri interna viſcerum conditione conſtet; an ſc. tantum iis ſuppetat robur, ut eam aquarum molem ſuperingeſtam digerere, ſecernere, & excernere poſſint. Non paucos enim hunc quaſi acherontis potum bibiſſe & ſic ſibi mortem conſciviſſe, etiam in vulgus notum eſt. Melius hunc ſcopum, ſiquidem natura præeunte v. §. 22. hanc viam tentare velimus, impetrabimus ſalſis illis digeſtivis ſimul incidentibus, quæ duplici hic ſcopo proſunt. Adhibeantur ergo ſalia neutra ſalſis mixta in ſtatu ægri calidiore febri juncta; in ſtatu vero frigidiore & abſente febre diuretica ex vegetabilibus e. g. petroſelinum, fœniculum, pulegium, ſeſeli creticum, linaria, aſparagus, radices graminis, vincetoxici, pimpinellæ, alkekengi &c. vina Rhenana juniora, Moſellana &c. e compoſitis Trochiſci de Rhabarbaro, Capparidis, Diacurcuma. Supra dicta ſimplicia e vegetabilibus proſunt præcipue, ſi infundantur cum vino, ut inde vinum fiat medicatum. Hæc vina medicata & tutius & melius operari omnibus aliis, illiſque maxime hydropem, ſi modo curari poſſit, ſanari, experientia longa ſe comperiſſe ſcribit Fel. Plater.*Opp. pract. T.III.c.*3. p. 255. Bonetus *in not. ad Jonſton.* refert, matronam 60. jam annum prætergreſſam, a juventute aſcite laborantem, uſu vini talis medicati, infuſis laxantibus quandoque interpoſitis, & hiſce per tres hebdomades ita continuatis, hepate emollito, & excitato tam largo urinæ profluvio, ut etiam diabetem metueret, convaluiſſe.

ε) Reliquorum evacuantium per ſcarificantia, veſicantia &c. uſum melius & tutius omittimus ob funeſtos inde a Practicis notatos eventus, quanquam non deſint, qui & cum fructu hæc adhibita fuiſſe memorent. Sic inter alios J. C. Claudinus *de Ingr. ad infirm. L. II. c. 6. p.* 141. ſcarificationis feliciter in cruribus tumidis a ſe adminiſtratæ meminit, quæ ordinario alias ſphacelum, vel & ulcera hic fere nunquam ſanabilia producunt. Conf. *Excellent. Archiatr.* D. Stahl. *præceptor. ætat. degener. in Diſſ. de aſcite.*

ζ) Denique quoad *Paracenteſin* in diverſa abeunt Autores, nonnullis eandem ſuadentibus, quibuſdam vero plane rejicientibus. Verum circumſtantiæ loci, temporis &c. ut in cujuslibet remedii applicatione, ſic & hic a prudenti Medico reſpici debent. Equidem rem dubii eventus eſſe, ob ſigna incerta loci, ubi aqua hæreat, certum eſt. Ita, ſi veſicalis ſit aſcites v. §. 33. *n.* 6. infelici cum ſucceſſu hanc operationem tentari, evidens eſt, & confirmant id etiam obſervationes. Brevibus: ſi unquam hæc operatio locum habet, fieri debet ſub morbi initio, juvene & viribus nondum exhauſto ægro, viſceribus ſalvis, nec alio morbo perditis, fluido in ſtagno & in locis v. §. 33. *n.* 1. & 2. hærente, nondum putrido nec diu ibi exiſtente. Quæ omnes circumſtantiæ cum utplurimum non ſatis perpenſæ fuerint, nec etiam omnia per ſigna ſatis cognoſci queant, non mirum infauſto plerumque cum ſucceſſu hanc operationem fuiſſe inſtitutam. *Regulæ* quomodo operatio ipſa inſtituenda & *Cautelæ* in hac operatione adminiſtranda legantur apud auctores chirurgos v. g. Aquapendente, Solingen, Dionis, Palfyn &c.

LXVIII.

In genere adhuc notandum, quandoque unum ex hiſce evacuationum generibus ſufficere, quandoque vero plures conjungi, vel alternari debere pro diverſa cujuſvis individui & morbi præſentis natura. Succeſſive evacuandum, a lenioribus incipiendo, interpoſita quiete, varianda etiam medicamenta eſſe, ne æger iis adſueſcat, & medicamenta fruſtra deinde adhibeantur, legibus methodi medendi generalibus conforme, & ex illis notum eſt.

LXIX.

Indicationem ſecundam v. §. 67. *n.* 2. ita exequemur, ut *humorum, ut lymphæ &c. ſpiſſitudinem* corrigamus attenuantibus, qualia ſunt diuretica ſuperius §. 67. lit. (δ) adducta; dein radices graminis, radices & folia cichorei, taraxaci, herbæ capillares, cuſcuta, capilli veneris, &c. abſinthii, cortices ut Winteranus, chacarillæ, cappares &c. hæc omnia vino infuſa magis quam alia forma data proſunt: porro aromata, mercurialia, mercurius dulcis, præcipitatus ruber &c. ſalia alcalina fixa plantarum per incinerationem parata, ut geniſtæ, ſtipitum fabarum, hederæ &c. ex horum cineribus parata lixivia, ut & ex ligno dulcamaræ proſunt, ſi vinum tenue diureticum iis ſuperfundatur. Imprimis myrrha, aloe, juniperus, cochlearia & antiſcorbutica commendanda. Ita meminit *Avus b. m. l. c.* fœminam quandam ex cachectica aſciticam factam, cujus venter fuerit 5. ulnarum menſura in amplitudine, & pedes unius ulnæ, aliorum medicamentorum, quæ a variis Medicis acceperat, pertæſam ſpiritum juniperi vulgarem hiſce ſimplicibus ſuperfudiſſe, & bibiſſe ſingulis diebus aliquot cochlearia & ſic continuando ſpatio trium menſium plene convaluiſſe. Abſtinuit ab omni vini & cereviſiæ potu, vidit eam *Avus b. m.* poſtea Ciiviæ 1665. ſanam & incolumem. Hiſce referantur etiam *obſtructiones* viſcerum, ut hepatis, lienis &c. minores, & ſcirrhi incipientes, quorum de reliquo cura ex tractatione propria horum morborum petenda. Qui aſcites a morbis prægreſſis ortus fuit, pro indole iſtorum morborum tractari debet, adjuncta ſimul generali methodo hydropem tractandi, qualem præmiſimus. Conf. *Archiatr. Excell.* D. Stahl. *in Diſſ. de morb. conſeqq. corrupt. febribus intermitt. turbat. & corruptis, de Tumore œdematoſo podagrico & ſim.*

LXX.

Denique (§. 67. n. 3.) *Debilitas viſcerum*, ſive ſit cauſa ſive aſcitis effectus, tollitur roborantibus, martialibus, chalybeatis, ſalinis junctis v. g. limatura martis cum aloë in pilulis; Tinctura martis tartariſata, Tinctura vitrioli martis Ludovici; pilulis Sylvianis ex vitriolo martis, rhabarbarinis, abſinthiacis, ut eſſentia abſinthii, ſyrupo de abſinthio, &c. cortice tamariſci, Winterano, chacarillæ, fraxini; radicibus capparidis, acetoſæ, gentianæ & talibus innumeris. Poteſt & hic a lenioribus ſubadſtringentibus incipi & ita, ſi opus videatur, ad fortiora adſcendi. Hæc omnia debita doſi & per tempus ſufficiens continuentur.

Hiſce rite adhibitis *Diæta debita* concurrat, ut ita & vitali & præſervatoriæ indicationi ſatisfaciamus.

Con-

Conſiſtet hæc primo in medicamentis analepticis v. g. miva cydoniorum &c. *Auct. l. m.* Electuarium diacubebarum ad confortandum & exſiccandum perutile reperit; Deinde victus ſit initio præprimis ex cibis eupeptis, nec nimia quantitate aſſumatur, aromatiſatus zingibere &c. brevibus, ſit ſiccus, calidus, potus quo parcior, eo conducibilior, vinum bibatur meracum vetus, adſtringens, cereviſia ſit oleoſa pinguis, ut Brunſvicenſis mumma &c. Corpus ſufficienter moveatur, cavendum tamen ab omni vehementiori animi & corporis commotione. Aer ſit temperatus, magis tamen ad calidam temperiem inclinans.

Hac via ſi non ſemper tolli, multum tamen hujus morbi ſævitiam leniri poſſe ſperamus, & ita huic noſtræ Diſſertationi, quæ præter opinionem crevit, finem imponimus. Meliores meliora dabimus. Summo vero Numini ſit pro conceſſis viribus Laus, Honor, & Gloria in ſempiterna Secula.

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA,

SISTENS ÆGRUM

HYDROPE EX QUARTANA

LABORANTEM ET RESTITUTUM,

Primùm edita Anno 1725.

PRÆFATIO.

QUUM laboribus academicis, ſpecimen profectuum exhibendo, colophonem imponere neceſſe eſſet; diu multumque dubius perpendi, quænam res, e foro medico diſquiſitioni materiam, cum uſu practico conjunctam, ſubminiſtrare poſſit. Tandem amor in patriæ ſalutem, mihi dictitavit, non inutile fore, ſi de morbis Gueſtphalorum endemiis, vel eorum regioni maxime familiaribus, aliqua in medium proferrem. Præſertim quum exoptata mihi obtigerit occaſio, fidas obſervationes, ad exponendum hoc ampliſſimi ambitus argumentum neceſſarias, *ex Illuſtr. Dno* Præside *& Celeberrimo Dn. Dre* Junckero, privatis ſermonibus percipiendi. Jam igitur inceperam, plura, quæ huc pertinebant contexere, genuinas obſervationum cauſſas ex ſolidis theoriæ medicæ fundamentis arceſſere, ac deinde ad uſum, ut fieri decet, therapeuticum adplicare; ſed quum longius in elaboratione hujus thematis progrederer, animadverti, tantam eſſe morborum in Gueſtphaliæ oris ſolemnium multitudinem, ut ſi pro dignitate eos ſigillatim pertractare vellem, non diſſertatio, ſed liber haud exiguus mihi conſcribendus eſſet. Etenim tum ſcorbutus, varias, Prothei inſtar, formas induens, & ex hoc arthritis vaga & pertinax, (quam *die Bahren* adpellitant) nec non ulcera manantia cacoëthea, tum tædioſiſſima ſcabies, tum pleuritis & peripneumonia ſæpius ambigua & fatalis, item febres intermittentes, diuturnæ & refractariæ, præcipueque illud Medicorum ſcandalum, quartana, & ex hac quam ſæpiſſime natus hydrops inter inquilinos Gueſtphaliæ morbos numerantur. Quapropter alia mihi ratio ineunda fuit & meditationes ſolum ad unam alteramve horum adfectuum ſpeciem dirigendæ. Ex his, licet me non fugiat aquam inter cutem a Medentibus ſæpe notatam & evolutam fuiſſe; tamen præ cæteris hunc morbum elegi, utpote qui non ſolum ex perverſa victus & vivendi ratione Gueſtphalis haud raro infeſtus eſt, ſed etiam plerumque ex febribus intermittentibus, præſertim quartana, & hæmorrhagiis, perperam tractatis oritur eoſdemque affligit. Quare non male me patriæ conſulturum fore putavi, ſi noxam hanc iiſdem æque gravem ac familiarem publice aperirem, ac inprimis explicata genuina febrium, præſertim quartanæ, curatione docerem, quibus præſidiis effici poſſit, ne hydrops & perlculoſi ejuſmodi tumores ſuperveniant, vel inſequantur; denique etiam ut exemplo commonſtrarem lenem methodum, heroica, quam multi in cœlum laudibus ferunt, atque unice conſectantur, non modo tutiorem eſſe, verum etiam viribus & poteſtate ſuperiorem.

Atque ut hæcce veritas quotidianis ſuffulta documentis jam eo luculentius eniteſcat, ſingularem caſum qui hydropicum Gueſtphaliæ incolam ibidemque curatum exhibet, in hoc ſpecimine enarrandum & enodandum ſuſcepi. Ita quidem ut hoc argumentum duobus capitibus altero theoriam, altero medelam partim quartanæ, partim huic ſuccedentium hydropicorum tumorum ſim expoſiturus. Faxit immenſa Divini Numinis benignitas, ut quæcumque heic pro ingenii mei tenuitate tradidero, in ipſius gloriam & hominum ſalutem, tamquam primarios medicinæ ſcopos dirigantur univerſa.

HISTORIA MORBI ET MEDICATIONIS.

GUeſtphalus juvenis XXX. circiter annorum, robuſtus, procerus, ſanguineus, leviter cholericus, vitæ generi admodum laborioſo addictus, ab incunabulis fere ſanus, impiger, ut ruſtici tempore Maiali ibidem ſolent, ad oras Belgii extremas excurrerat, ut ex ceſpitum bituminoſorum, vulgo Torff dictorum præparatione, victum ſibi adquireret hyemalem. Æſtate tunc frigidiuſcula humidaque exiſtente & accedente diæta craſſa, inordinata & concoctioni refractaria, febre intermittente corripiebatur tertiana. Hæc quum labores iſtius interrumperet, medicam Practici cujuſdam Groeningenſis imploravit opem, & ab iſto pulveres quoſdam accepit, ejus qualitatis, ut labia & linguam ipſius adſtringente quadam vi contraherent. Febris quidem aliquot pulverulenti hujus medicaminis doſibus ſtatim, uti æger dixit, perſanata, aut rectius dicendo, ſuppreſſa videbatur, ſed tamen prægreſſis corporis languoribus, intra decem dierum ſpatium novis inſultibus tertianariis iiſque vehementioribus recrudeſcebat. Ad hoſce iterum ſubigendos, Medicus eodem ſuppreſſionis effectu idem remedii genus adhibuit, & quod mirum, quum febris denuo rediret, eandem medicationem in duabus ſubſequentibus recidivis repetiit, adeo ut demum poſt quartum ſuppreſſionis tentamen febriles motus conquieſcerent. Ruſticus licet ex ſingulari virium exſolutione, artuum præprimis, item faſtidio, preſſionibus circa præcordia & hypochondria laboraret; inceptos tamen labores indies ſtrenue continuare contendit. Aſt [illegible] medicus, nec æger ſolide ſunt gaviſi, quum poſt duas circiter hebdomades, patiens novos rurſum perſentiſceret paroxyſmos febriles, non autem ut antea ordinatos, tertianarios, ſed confuſos & anomalos, qui tamen poſt aliquot dierum intervallum in typum febris quartanæ legitimum tranſiebant. Miſellus iſte quia omnes fructus, quos tot tantique labores reddiderant, omniaque bona, parvula licet, corporis curæ & valetudini inſumſerat, ſe quartanarium medicæ ſubjicere tractationi nequivit; ſed per octo, & quod excurrit, hebdomades ſoli naturæ negotium commiſit, ſatiſque habuit, dies intercalares operi faciundo impendiſſe. Poſteaquam vero tali modo ſummulam quandam accumularat, occaſioni intentus & majoris lucri avidus, æquo animo diutius ferre non potuit, quod paroxyſmus febrilis tam ſæpe laborem interpellaret, ad alium Medicinæ Practicum ſe contulit. Qui quidem pharmaca valentiora, excalefacientia, gravi odore naribus, nec leviore ſtimulo linguæ moleſta ſimulque ſtyptica propinavit, iiſque intra paucos dies contumaciam, hujus infenſæ febris, ut putabat, retudit. Sed audiamus quo ſucceſſu. Protinus & vires concidebant, & ſomnus adeo nihil reficiebat, ut æger plane languidus priſtinos labores ſuſtinere nequiret & deinde non ſolum, cum moleſta ponderis ſenſatione, abdomen intumeſcere, ſed etiam crura & pedes œdemate pallido, tactu frigido, indolente quadantenus tamen gravitate moleſto, corripi ſentiret. Urina quæ parciſſime emittebatur tenuiſſima adparebat. Paſtum, ob adpetitus proſtrationem, parciſſimum reſpirandi difficultas, ſtrictorii dolores & præcordiorum anguſtia ſemper excipiebant. Tandem etiam caput, pectus & brachia, quæ antea marcida adparuerant, aquoſo duriuſculo elevabantur tumore, ſimulque alvus magis lubrica, æſtuſque aliquando volatici obſervabantur. Ægrotans tali adflictus calamitate, quum in patriam rediret, ibi Practicum quendam ex ſchola Illuſtris STAHLII prodeuntem, eruditione æque ac pietate celeberrimum arceſſit. Hic omnibus circumſtantiis bene penſitatis, ter de die ſcrupulum unum tartari vitriolati & circa ſomnum doſin pilularum balſamico-confortantium propinavit, quæ, per octiduum continuatæ, quod notandum ſepties aliquando octies alvum duxerunt, unde tumor etiam, præcipue partium ſuperiorum, ita evanuit, ut ſcrobiculum cordis, cujus nullum antea erat veſtigium, diſtincte videre licuerit. Succeſſit etiam & major quies nocturna & adpetitus vegetior & urina ſenſim largius ſtillavit. Eadem hæcce remedia, quum in ſecunda hebdomade iterum ab ægrotante ſumerentur, œdematoſus tumor ad genua uſque ſubſidebat. In tertio octiduo quum matutino tempore bis quadraginta guttulæ eſſentiæ cujuſdam reſolventis ſupradicto ſali medio & pilulis a meridie & veſperi datis adjungerentur, convaleſcendi ſpes lætior adfulſit, œdemate ad taleolos uſque depulſo. Inſiſtendum ergo huic methodo, & reliquias morbi eadem via diſſipandas eſſe Medicus judicavit. Quod licet exſpectatione tardius ſuccederet, tumore reliquo circa articulationes pertinacius ſubſiſtente & pilulis nullam evacuationem præſtantibus; tamen quum æger ad vires & alacritatem indies majorem rediret, admonitus de laboribus ſolitis denuo ſuſcipiendis, obſequio & patiente medelæ ſuperioris continuatione, tandem priſtinam valetudinis integritatem feliciſſime recuperavit.

CASUS EXPLANATIO.

CAPUT I.

Idque Theoreticum.

§. I.

HAbes heic, BENEVOLE LECTOR, accuratam morbi hiſtoriam, ex qua ſtatim luculenter perſpicis ex perverſa diæta in noſtro ægrotante ortam eſſe febrem intermittentem tertianam, quam deinde male curatam excepit quartana. Hæc autem iterum ex ſiniſtra medicatione in dira hydropiſeos tranſiit pathemata. Et quidem ordine non admodum conſueto, primo enim tumor abdominis, deinde œdemata & tandem ſtatus conſequutus eſt anaſarcodeus. Adpellavi tumorem iſtum non tympaniticum, quia pugno

gno percuſſum abdomen non tympani inſtar reſonuit, neque murmura, nec ſonitum, nec rugitum, quæ tamen in tympanitide plerumque obſervantur, edidit, præterea moles ac pondus abdominis in tympanitide non adeo perſentiſcitur, ac in juvene noſtro ægrotante. Quod porro tumor pedum œdematis ſtricte ſic dicti, & impedito libero progreſſui humorum originem ſuam debentis, genium exhibeat, probat pallida, frigida atque indolens ejuſdem conſtitutio, quæ omnia in aliis tumoribus e. g. podagricis, eryſipelaceis, congeſtionis quam longiſſime abſunt. Et quum partium ſuperiorum tumor, duriuſculam foveaſque relinquentem, non autem pendulam, mollem & flaccidam inflationem oſtenderit, anaſarcodeum tumorem, minime vero cachecticum adpellare ſatius eſſe exiſtimavi.

§. II.

Explicata morbi indole, procedo ad digniſſimam raritatis vel frequentiæ hujus morbi conſiderationem, ex qua uti alias in cæteris adfectibus; ita heic quoque non mediocre emolumentum in practicas redundare poteſt adplicationes. Hydrops quidem ex ſe & ſua natura, ſi recte calculum ponamus, rariorum morborum familiæ inſerendus eſt, ita, ut nec ætatibus, neque ſexui, neque cauſſis conſpicuis, neque tandem individuis aliter quam revera rarius obtingat. Cur vero in Gueſtphalia tam frequens ſit, ut ab Excellent. D. PRÆSIDE *Medic. ſyſtemat. Tom. II.* in endemiorum morborum numerum ſit relatus, ex ſequentibus liquido patebit.

§. III.

Primo ſciendum, quod Gueſtphali craſſa, inordinata & concoctioni refractaria utantur diæta, carnibus nimirum & petaſonibus infumatis, aſellis aere induratis, fabis exſiccatis majoribus, placentis ex farina fagopyri crudis, nec bene coctis, nec fermentatis, aliiſque hujus generis cibis ſeſe delectantes. Deinde etiam permulti eorundem, inprimis infimæ ac ruſticæ plebis homines, ut noſter hicce æger, æſtate ad Batavos migrant, ceſpitibus fodiendis, frumento metendo & fœniſecio victum ſibi in hiemem paraturi, ubi aquam turbidam, & acidam terreſtremque lactis partem vel oxygala aliaque dyſpepta ingerunt, & ſæpius in locis udis & paludoſis degunt, fœtentem limum emoliuntur, & dum ceſpites parant, calefacta labore corpora ſubinde in frigidam immergunt. Ex quo fit, ut complures in varia mala e. c. quotidianam, tertianam & quartanam implicentur, atque hæc ſimul cum mercede in patriam reportent.

§. IV.

Harum vero febrium pertæſi, eaſdem remediis domeſticis, ex quercu deſumtis, alumine & nuce moſchata, quinquefolio, tormentilla, aliiſque infauſto omine ſupprimunt, ne dicam quod ipſi Medici tam in itinere quam alibi conſulti, chinchinam ipſis largius & intempeſtive offerant, atque adeo hinc natæ ſuſpectæ ejuſmodi adſtrictionis agant architectos. Hinc illæ lacrymæ, hinc iſta vulnera. Permulti enim eorum quotidiana experientia in dirum incidunt hydropem, & tunc haud raro iterum methodo heroica tractati, miſerrime præmaturo fato intercipiuntur.

§. V.

Equidem ſcio, non paucos heic reclamare & frequentiam hydropis in Gueſtphalia aliunde deducere, & vel craſſæ diætæ, vel nimio ſpirituum ardentium abuſui adſcribere conari; ſed fruſtra ſane, ſi hoc ſolummodo urgeant. Nam Ruſſos & Polonos, immoderatius, quam Gueſtphali ſolent, huncce potum ingurgitantes in hydropem non adeo frequenter incidere novimus. Succurrit mihi ſimile exemplum in Anglia, in qua LISTERUS notavit, a quinquaginta vel circiter annis, longe majori numero quam olim ibidem conſueto hydropem prævaluiſſe, atque hic auctor cauſſam quidem derivat ab immodico & liberaliori ſpiritus vini uſu; ſed probabilius, & providæ obſervationi magis conſentaneum eſt, abuſum Jeſuitici corticis in febribus, quem propterea merito taxat GEDEON HARVÆUS, potiorem hujus fundi eſſe calamitatem.

§. VI.

Qua vero ratione hujuſmodi damna exoriantur, jam ſub reſolutione hujus caſus, ea quæ propoſito meo convenit, brevitate enucleabo. Primum igitur oſtendendum eſt, quomodo febris tertiana in quartanam intermittentem ſit converſa. Satis ſuperque eſt pervulgatum, quod febris tertianæ indoles in eo conſiſtat, ut mucus & viſcida ſemicocta materia, per ſanguinis ad interiora congeſti ſecretiones ſeroſo-lymphaticas, emolliatur & eliquetur, deinde etiam ut ipſi humores vehiculum pro ipſa egerenda præbeant. Si vero hicce motus ad corporis centrum per adſtringentia interiora contrahendo intercipitur, tum non ſolum materia iſta noxia inprimis viis inauſpicato permanet, ſed partes vicinæ etiam, ut hepar, meſenterium aliaque viſcera hypochondriaca, conſtringuntur. Unde materia in iſtis lenteſcit, majoremque nanciſcitur ſpiſſitudinem & ipſæ etiam ſecretiones ſufflaminantur.

§. VII.

Huncce viſcerum hypochondriacorum ſtatum, natura motibus febrilibus quartanariis corrigere atque tollere intendit, quod frequentior & quotidiana experientia omnino comprobat. Aſt quare natura tantummodo ſingulis quatuor diebus, & non alio tempore hocce moliatur opus; cauſſam ſolidam ſive mechanicam, ſive metaphyſicam aut moralem dum me latet, adducere nequeo. Quod quidem aperte eloqui non erubeſco; dum præſtantius eſſe arbitror ignorantiam ingenue conſiteri, quam frivolis commentis, aut obſcuriorum cauſſarum allegatione, ſubtilis eruditionis gloriolam aucupari. Quod ſi tamen alius quiſpiam lucem hiſce tenebris ſe accendere poſſe confidat, eum lubentiſſime audiam, & ſi quid vero ſimile proferat non a me ſolum ſed etiam a cunctis medentibus maximam gratiam inibit.

§. VIII.

Jam filum hiſtoriæ nos perducit ad conſiderandum hydropem, qui in noſtro ægro excepit quartanam. Cujus rei ſequentem fiendi modum fuiſſe reputo. Ex phyſiologicis liquet, viſcus hepaticum ſegregationi lymphæ purioris, a ſero ſalſo pingui dicatum eſſe, quod ex copioſiſſimis vaſis ſic dictis lymphaticis in hepate reperiundis ſatis videre eſt. Hæcce vero ſaluberrima ſecretio, ſi per tales conſtrictiones turbetur aut aliquando plane intercipiatur, tunc lympha a diuturniori ſeri connubio lenteſcit, & in ſpiſſiorem, turbidiorem, mucidam & tenacem abit conſiſtentiam. Quare vero lympha & ſerum non perpetuo inter ſe temere commixta relinqui poſſint, ſequens ratio illuſtrius explicabit. Ingens eſt diſcrepantia inter conſiſtentiam gelatinoſam & mucoſam, iſta calore & tranſpreſſione per organa poroſa, fibroſa, ſpongioſa attenuatur, hæc vero calore nil fluidior redditur, neque tranſpreſſioni tali obſequitur, ſed potius vaſa obſtruit & infarcit capillaria. Accedit etiam, quod ſerum cum lympha diutius conjun-

ctum eandem ſalſedine ſua inficiat atque hac corruptela mixtionem illius prorſus contemeret. Unde ſi humores hi non debite per vices ſequeſtrentur, ſequitur inde eo magis certo & manifeſto citatum illud a nobis magnum incommodum, nempe dyſcraſia ſpiſſa, mucida, ſalſa, ſeri fluiditatem ita irretiens, ut nulla ſufficiens ſecretio atque excretio perpetrari, lympha vero officium ſuum in alendo corpore noſtro amplius explere nequeat.

§. IX.

Ex hacce conſideratione, tamquam ex prima ſcaturigine, omnium fere ſymptomatum in ægro noſtro obviorum cauſſæ rectiſſime derivari poſſent, ſi id propoſita brevitatis ratio pateretur. Interim exempli loco tantummodo aliquot ſymptomatum explicationes in medium proferam. Nimirum primo unde tenuis & parciſſima ægrotantis urina originem traxerit. Quod facillime concipi poteſt. Nam ſpiſſius & mucoſum ſerum, cribrum renale arctiſſimum tranſire non potuit, & fluidiſſima hujus humoris portio per minutiſſima vaſa ſecedere ſolum apta emiſſa fuit. Pari ratione ſerum mucidum per poros ſubtiliſſimos cutaneos ſeparari haud potuit, unde ibi reſtagnans & impeditius progrediendo, humiditate fibrarum ſubcutanearum tonum ita deſtruxit, ut copioſiori, immo paucarum tenerrimarum halituoſarum ſeri partium, vaporoſæ expanſioni facillime cedentes, partim aquoſum, partim halituoſum, ſpongioſum, ſpumidum ejuſmodi tumorem hinc efformaverint.

§. X.

Antequam practicam aggrediar tractationem, paucula tantummodo circa prognoſin annotare, ab inſtituto meo non erit alienum. A priſcis jam tum temporibus periculoſa quartanæ & hydropis prognoſis artis ſalutaris cultoribus ſatis innotuit, hydropem & quartanam Medicorum ſcandala pronuntiantibus. De quartana, qua tali, ſi viſcera nimirum adhuc ſunt illæſa, hæc effata dignitatem ſuam minime tuentur; hodie enim, per methodum in practica explicatione collaudatam, ibidemque nominata remedia, gratia favente divina, omnes fere quartanarii, ſine ſuſpectis quibuſdam recidivis, aut aliis morbis ſupervenientibus curantur & in integrum reſtituuntur. Cum hydrope vero aliter res eſt comparata, namque ſi viſcerum & organorum labes e. c. meſenterii & pancreatis ſcirrhoſitas, hepatis exareſactio, aut in aliis irreparabilis expanſio, immo vaſorum lymphaticorum ruptio invaluit, vix aut plane non ſolida hujus morbi medicatio eſt exſpectanda. Si autem fundi calamitas, tantummodo in humorum vitio, aut incipiente quadam obſtructione viſcerum, alias integrorum, inprimis febribus male ſuperatis ſuccedente, lateat, ſolida morbi reſtitutio ſolidius etiam ſperari poteſt, licet therapia multis etiam aliquando difficultatibus non deſtituatur.

CAPUT II.

Et quidem Practicum.

§. I.

Quemadmodum in omnibus conſiderationibus, ex veris Naturæ phænomenis deſumtis, non ſufficit, ad ſubtiles ſpeculationes animum intendere, & deinde in iis acquieſcere; ita in medicis digniſſimum hocce momentum inprimis obſervandum eſſe reputo, ne in ſubjecto tanti ponderis vacuam curioſitatis nebulam captemus, & in ejus ambitu requieſcere ſtudeamus, ſed omnia ad uſum & neceſſitatem practicam referamus, & ea propter magis rem notam tritamque recoquere & in aptiorem uſum mutare laboremus, quam pro more erudito raritatis aut curioſitatis titulum adſectare ſtudeamus.

§. II.

Priuſquam vero methodum tumores hydropicos curandi demonſtrem, antea nonnulla de genuina quartanæ tractatione in medium proferre, & ita tumores tales antevertere, officio meo quam maxime erit conſentaneum. Quum vero ſigna & ſymptomata hujus febris etiam in vulgus nota ſint, & quædam theoretica de iſta prælibare, neque locus neque diſſertationis ſpatium permittat, ſtatim indico, quod felix atque tuta curatio hiſce nitatur fundamentis. In quartana duo momenta nobis obveniunt expendenda, materia & motus. Materia in viſceribus cum vena portæ connexionem habentibus infarcta, mucoſa, lenta, viſcida, tenax eſt præparanda, incidenda & reſolvenda. Nil enim juxta monitum divi Coi movendum niſi antea mobile ſit redditum. Deinde hæc ad motum apta atque correcta per alvum, renes & corporis peripheriam educenda eſt. Poſtea viſceribus adfectis hypochondriacis, ob ſtabulantis & infarctæ materiæ copiam debilitatis, firmitas naturalis & robur tonicum reſtituendum eſt. Tandem ſi hac ratione cauſſa morbi primaria eſt ſublata, motus tamen adhuc durantes & in conſuetudinem degenerantes obſervantur, tutis, fidis, ac probatis remediis iſti ſunt ſiſtendi.

§. III.

Medicamina quæ primæ ſatisfaciunt indicationi, materiamque ſpiſſam incidunt, ex mineralium ſerie ſunt ſalia neutra ſic dicta digeſtiva, & e vegetabilibus ſalia lixivioſa imprimis ex herbis reſolventibus parata, quæ ultimæ etiam ipſæ cum radicibus incidentibus & gummatibus temperatis, reſolventibus propinatæ, in ſaburra mucida reſolvenda operæ pretium faciunt. Interim de talibus lixivioſis eſt notandum, quod mucum primarum viarum, aliorumque viſcerum nimis crude ac vehementer adgrediantur & colliquent, unde fortior illorum vis diuretica, & in aliis colatoriis roſiva facultas, parciorem, & non æque ſolitarium uſum ſuadet. Materia correcta optime ex corpore eliminatur & quidem per alvum ope pilularum Stahlianarum aut confortantibus Junckeri. Qui vero hiſce remediis numquam ſatis collaudandis aliiſque pilulis methodo Becheri correcta confectis deſtitutus eſt, vina medicata ex vegetabilibus reſolventibus & laxantibus parata non ſine euphoria adhibere poteſt. Quum vero plerque reſolventia ſimul ſint diuretica, non opus erit plura remedia diuretico ſcopo in uſum vocare. Periphericam autem excretionem temperatis alexipharmacis promovere rectius a medentibus poſtulatur. Alii ad viſcera corroboranda, quod tertia requirit indicatio, etiam non ſine fructu, ſtomachica, tonica, nervina uſurpant, ſed pilulæ Stahlianæ & confortantes Junckeri tituli ſui honorem omnino hic quoque merentur. Motus qui ob pertinacem hujus febris indolem, non raro remota jam tum materia perſeverant, ab aliis decantato cortice Peruviano compeſcuntur, ſed quum unuſquiſque heroicum hocce medicamen adhibendi cautelas non calleat, & alia efficaciſſimæ virtutis præſidia (e. g. tantummodo crocum martis antimoniatum Stahlii teneriorem & ſulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis nominabo) proſtent, cortice hocce Jeſuitico inſidioſo, ſine inſigni praxeos damno quantum ego quidem reor, carere poſſumus.

§. IV

§. IV.

Sed quum curationis fundamentum in methodo adhibendi æque ac in ipſis remediis poſitum ſit, genuinam medendi viam eamque ſpecialiſſimam adponam, quam in permultis quartanariis, cum ſubſequuta plenaria ſanitatis reſtitutione, in perampla & feliciſſima Celeberr. JUNCKERI praxi ipſe ſum ingreſſus. Diei febrilis tempore matutino, circa prandium & aliquot horas ante paroxyſmum, immo etiam in paroxyſmo frigoris propinavimus ſemper ſcrupulum ſequentis pulveris. *Recipe tartari vitriolati, conchariarum citratarum ana.* Si vero ægri ob diuturniorem & frequentiorem uſum pulveres averſati ſint, in eorum locum tincturam antimonii ſaturatam, cum liquore terræ foliatæ tartari æquali portione miſtam ſubſtituimus. Et hæc methodus naturæ eſt convenientiſſima. Hoc tempore enim iſta humores a corporis peripheria ad centrum ſeu ſedem mali ad abſtergendam materiam morbiferam febrilem urget, & cum materialis correctio & inciſio muci naturæ poteſtati non adeo ſubjecta eſt, tum Medici, naturæ miniſtri, officium eſt ſcopum ejuſdem convenienter adjuvare.

§. V.

Atque hæc de præparatione materiæ, quam ante & ſub paroxyſmo tum his, tum diluentibus tepidis intendimus. Evacuationem autem non prius ſimul exequi conamur, quam natura ab æſtuoſis motibus, quibus humores, ſub frigore & rigore in viſceribus diutius ſtabulantes & ſpiſſiores facti, denuo fluidi redduntur, & ad peripheriam propelluntur, remittit, atque ad excretionem peragendam inclinare videtur. Quod cum altero mane plerumque fiat, exeunte paroxyſmo, tum opportunum eſt lenibus alexipharmacis,in quibus ſe nobis ſequentia præcipue adprobarunt, auxiliares manus porrigere. *Rec. Eſſentiæ pimpinellæ albæ, vincetoxici ana drachmam unam, ſcordii drachm. duas, aut in robuſtioribus Rec. Eſſentiæ imperatoriæ, helenii, angelicæ, valerianæ, carlinæ ana drachm. ſemis, eſſentiæ pimpinellæ albæ, vincetoxici ana drachm. j. eſſentiæ ſcordii drachm. ij.* Pauca hæc ſufficiunt, ad ſerum ſub æſtu febrili reſolutum per meatus ſudoriferos & urinarios leniter educendum. Nam impetu nihil efficitur, & inprimis calidioribus ſtimulis ſudor, qui jam per ſe in quartanariis ægre ſuccedit, magis inhibetur quam adjuvatur. Primo hoc die intercalari præter hæc nihil aliud præſcripſimus, quam verſus ſomnum ſcrupulum pilularum confortantium Junckeri, quarum efficacia & laudatiſſima facultas ea eſt, ut craſſiorum ſordium evacuatione, materiæ febrilis diſſipatione, viſcerum apertione & roboratione, totum fere indicationum numerum expleant. Quamquam non inconſultum ſit, robuſtiores & phlegmaticos, craſſioribus impuritatibus oneratos, paullo acriori ſtimulo ſub initium exercere, adeoque his confortantibus extractum panchymagogum Crollii anatice conjungere. Sequente die intercalari eſſentiam alexipharmacam ter de die ſumendam ad triginta guttulas, conjunctis aliquando verſus ſomnum dictis pilulis, præcepimus.

§. VI.

Huic methodo per aliquot hebdomades adhibitæ, ſi febris cedere detrectet & euphoria ſubſequatur, ſiſtentia conceduntur; nos aut croco martis antimoniato teneriore aut ſequente utimur pulvere: *Recip. ſulphuris antimonii aurati ultimæ præcipitationis, tartari vitriolati, ana gr. xxxvj. M. D. in 6. p. D. S. una hora ante paroxyſmum capiendus unus.*

§. VII

Quemadmodum in omni morbo diæta probe obſervanda, ſic in quartana non leve momentum adfert ad valetudinem recuperandam. Imprimis motus corporis diebus intercalaribus inſtitutus, quod etiam in ægrotante noſtro videmus, optime paroxyſmos miteſcere docet. Unde & ditioribus commendabilis eſt equitatio. Aer frigidiuſculus & humidus, qui transſpirationem impedit, ſi fieri poteſt, fugiendus, ex quo etiam fit, ut curatio quartanæ tempore vernali & æſtivo melius ſuccedat. Diæta ſit eupepta, tenuis, parca & humida; craſſa enim, cruda, acida, præcipue ſi voracitas accedat, valde ſymptomata auget & graviora reddit. E contrario vero embammata ex cochlearia, ſinapi, naſturtio, raphano &c. quæ mucoſum lentorem incidunt & reſolvunt, egregie conducunt.

§. VIII.

Reſtat denique, ut de tumoribus nonnulla adjiciam, qui licet efficaciſſime prædicta methodo tum arceantur, tum etiam plerumque diſſipentur, tamen quoniam diverſa ratione identidem adparent, diverſam etiam medicandi viam quodammodo deſiderant. Etenim 1.) ſuppreſſa aut corrupta quartana alii præter languores, ſtricturas alvi aut phlogoſes nihil incommodi primum ſentiunt, ubi tumores adhuc in fieri, ut loquuntur, exiſtere conjectura eſt. 2.) In aliis tumores febri pertinaciter duranti junguntur. 3.) Nonnulli denique ceſſante febre in œdemata & hydropem tranſeunt. Quapropter neceſſe eſt ut ſecundum hos reſpectus variantem methodi rationem ſuccincte aperiamus.

§. IX.

Remedia, quæ huc pertinent & primo partibus conſtrictis laxitatem debitam reſtituunt, ſunt potiones calidæ & infuſa ex ſic dictis aperientibus ac moderate reſolventibus parata & per epicraſin, ut loquimur, laxantia e. g. radices ari, pimpinellæ albæ, caryophyllata, polypodio querno, rhabarbaro, herba capillorum veneris, fumariæ, centaurio minori vino & aqua extrahenda. Atque hæc eo commodiora ſunt, quo certius reliquis indicationibus etiam ſatisfaciunt, & ſicuti illuſtria obſervationum monumenta teſtantur, febrem, ſalutarem iſtum naturæ actum, feliciſſimo eventu revocant. Eundem, niſi quidem multo ſalubriorem effectum, a continuato pilularum confortantium uſu exſpectare poſſumus.

§. X.

In ſecundo caſu ſi tumores incipientes hydropici, cachectici, œdematoſi, anaſarcodei jam tum cum febre complicantur, ſequentis methodi utilitatem maximam experti ſumus. Die nempe febrili hora ſexta & nona pomeridiana gtt. xxx. eſſentiæ alexipharmacæ & ante paſtum & duas horas poſt prandium item in frigoris paroxyſmo hunc pulverem præſcripſimus. *Rec. concharum citratarum, nitri regenerati, nitri antimoniati ana drach. j. D. in xij. p.* Diebus intercalaribus autem ter per diem aut tartarum vitriolatum ſolum aut in robuſtioribus cum ſale lixivioſo e. g. ononidis, geniſtæ &c. remixtum, conjunctis pilulis confortantibus in uſum vocavimus.

§. XI.

Quid poſtremo agendum ſit in tertio caſu, ubi hydropis ſpecies, quæcunque demum ſit, quartanam ſuppreſſam, aut alio modo male ſuperatam excipit,

cipit, docet ſuperius excuſſa noſtri decumbentis tractatio. Quocirca pluribus his immorari ſuperſedemus, contenti bina tantummodo Medicorum fide digniſſimorum allegaſſe teſtimonia: Celeberr. JUNCKERUS *in Conſp. medic. theoretic. pract. Tab. LXXX. Caut. 9. p. 662.* „ vix dicendum, inquit, quam ſalutariter ſe commendent pilulæ Becheri correctæ „ in tumoribus huic febri, de quartana loquitur, „ ſupervenientibus; proſtant enim exempla, ubi febris quartana cum tumore per univerſum corpus „ non mediocriter ſtipata intra tres hebdomades ſolis hiſce pilulis & pulveribus digeſtivis feliciter ſublata eſt, quod caſus etiam noſter confirmat.

Et Illuſtr. STAHLIUM *in Diſſ. de intermittentibus turbatis & corruptis p. 43.* de viro vegetioris indolis refert, quod per pulveres ſalinos & pilulas balſamicas, quotidie uſurpatas, a tumore febrem ſuppreſſam excipiente, & intra octiduum ultra ſcrobiculum cordis prævaleſcente, liberatus fuerit penitus. Ultimo Tibi etiam, benigniſſimum Numen, immortales perſolvo grates, quod mihi vires levidenſia hæcce pertexendi largiri volueris clementiſſime.

DISPUTATIO MEDICA
DE
HYDROPE PERICARDII
RARISSIMO,

Primùm edita Anno 1697.

PROOEMIUM.

QUOD *Sol* in univerſo pulcherrimarum creaturarum theatro, macrocoſmo, id in perfectæ creationis compendio, microcoſmo, *Cor* eſt. Sicuti enim à vivo *illius* lumine radios recipiunt omnia ſublunaria, & hinc vitam, florem, vigorem nanciſcuntur, langueſcunt verò eadem, triſtantur, imò pereunt, dum vel macularum obſcuritas *illius* obfuſcat faciem, vel denſæ nubium tenebræ influxum luminis ejus calorificum intercipiunt; Ita ex *Corde* cum ſanguine continuo motu ad cunctas omnino partes derivatur omne nutrimentum, calor, motus & vigor, & ex oppoſito *hoc* male affecto, compatitur tota corporis machina maleque ſe habet. Eo autem magis œconomiæ animalis hinc turbantur actiones, quo vitia, quæ ipſum *Cor* patitur, magis inſolita ſunt, difficiliuſque dijudicari poſſunt; Quippe conceditur ſic ipſis indomita pro genio ſuo ſæviendi libertas, adeo ut, ubi ad extremum uſque crudelitatis gradum tacite pervenerunt, nulla hinc medicamentorum etiam efficaciſſimorum vi dejici poſſint, &

- - - ſero medicina paretur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Duo ejuſmodi notabilia & triſtia ſane exempla obſervare mihi licuit, ubi in divitiarum pariter ac ſcientiarum Emporio, *urbe Amſtelodamenſi* commorans fruebar favore & conſuetudine Celeberrimi D. D. FREDERICI RUYSCHII, clariſſimi illius Anatomici. Hujus enim benevolentia ſicuti uberrimam nactus fui occaſionem cadavera humana ſecandi, ita & facta mihi inde fuit copia duorum, alterius fœminæ, viri alterius, in quibus ſectio inaudita fere patefaciebat. Erat autem fœmina miſere demortua ex continuis lipothymiis, angore & ſuffocationis anxietatibus, in cujus *cordis* cavitatibus ne guttula ſanguinis deprehendebatur, ſed illud ipſum totum flatu diſtenſum conſpiciebatur, *tympanitidem cordis* dixiſſes. Ipſe vero vir Hydrope thoracis, ut judicabatur, defunctus, aliam longe mali cauſam detegebat, *Pericardii* ſcilicet à copioſo ſero repletionem præternaturalem quam *Hydropem Pericardii* nominant. Rapuerunt me hi duo affectus in attentam illorum cauſarum meditationem; adeo ut tandem perſuaſus eſſe inceperim non de nihilo plane eſſe, in illorum ætiologia perſcrutanda aliquam collocaſſe operam. Vix tamen auſus fuiſſem ea, quæ de hac materia animo conceperam, in publicum effutire, niſi in *Celeberrima hac Fridericiana Univerſitate* ſummos in arte medica

dica honores ambiens, mihi ſatisfaciendum eſſe prævideam cœptæ conſuetudini & laudatiſſimis inſtitutis conſcripta aliqua diſſertatione. Periclitari itaque proprii ingenii vires conſtitui in enucleando *Hydrope Pericardii*, affectuum illorum propria autopſia obſervatorum altero. Quam opellam dum aggredior, obnixe rogandus mihi venit *Cordatus Lector*, ne ex eo, quod à magnis viris hinc inde diſſentiam, & argumenta pro ſtabiliendis quibuſdam ſententiis ab ipſis prolata liberius excutiam, aliquam contradicendi libidinem vel litigandi pruriginem concludat, quin potius ea, quæ modeſte hic propoſui, æquo examinet judicio, erroribuſque, à quibus non minus quam ab humana ſorte me exemplum ingenue confiteor, benevolam det veniam. Faxit interim ſummum Numen, ut omnia cedant feliciter!

§. I.

STupenda omniumque corporis partium facile princeps machina, Cor, ſanguini ejiciendo & recipiendo opitulans, ſuum firmiſſimum non ſolum recipit præſidium a circumſtantibus coſtarum, ſterni, clavicularum & vertebrarum munimentis, ſed circumdatur quoque involucro membranaceo, *Pericardium* dicto, quod ſuſpenſum & ab undiquaque parte liberum tenet hunc muſculum, ne in continuo & reciproco ſyſtoles & diaſtoles motu verſans, alicubi prematur, vel vicinis oſſium parietibus allidens, notabile, multisque œconomiæ animalis turbis luendum patiatur impedimentum. Connectitur proinde *capſula hæc cordis in baſi* majoribus arteriarum venarumque in corde vel initium vel finem nanciſcentium truncis, *anterius* mediaſtino, & mediante hoc, oſſi ſterni, *poſterius* ſpinæ dorſi intervenientibus plurimis fibris, pulmonum lobis *lateraliter* intercurrente tenera quadam membranula, & *inferius* in mucrone diaphragmatis ſic dicto centro nervoſo, ſecus ac in brutis fit, quibus Pericardium inferius omnino liberum & ab ipſo diaphragmate tantiſper ſejunctum contigiſſe autopſia docet; Cujus diverſitatis atque phænomeni cauſam efficientem in fœtum ultimis geſtationis menſibus caput deorſum dimittentem, quo diaphragma ab incumbentibus abdominis viſceribus propius pericardio admoveatur, rejicit Lowerus *tr. de Corde cap. 1. p. m. 9.* ſicuti uſum ejusdem connexionis *l. c. p.* 8. eſſe vult, ut diaphragmatis aſcenſus in exſpiratione propter hominis erectum ingreſſum, viſcerumque abdominis molem ipſi annexam alias difficilior futurus, facilitetur & juvetur.

§. II.

Adeo vero functionum cordis integritas a pericardii ſana & legitima conſtitutione dependet, ut vel quævis *hujus* labes funeſta quoque ſtigmata *illi* inurat, teſtante hoc mirifica ſymptomatum omnimodam quandoque corpori ruinam minantium ſyndrome, pericardii inflammationem, accretionem &c. concomitante. Nunquam tamen videas cor magis premi, frequentiusque opprimi, quam a pondere aquarum in pericardii cavo præter naturam coacervatarum, id quod *Hydrope Pericardii* laborantium triſtia fata aperte loquuntur.

§. III.

Eſt nimirum *Pericardii Hydrops ſeroſa quædam illuvies, qua ſerum pituitoſum & viſcidum intra cavitatem pericardii copioſius colligitur & graviſſimorum ſymptomatum cauſa atque fons exiſtit.* Miraberis autem pericardium ipſum tantæ quidem capax eſſe aquarum quantitatis, quantam Authorum obſervationes paſſim teſtantur. In Centurione enim hydrope abdominis, pectoris & pericardii defuncto præter lienem quadruplo juſta magnitudine auctiorem, inteſtina livida & gangrænam minantia, nec non pulmones parvos exſuccos & flaccidos cum cavitate thoracis aqua fœtida ad libras quatuor referta, obſervavit pericardium ampliatum & diſtentum, tres libras acris turbidique liquoris complectens, cordisque externam faciem profunde exeſam in lacinias & villos carneos putreſcentes, Olaus Borrichius *Act. Medic. Hafnienſ. Vol. I. obſ.* 89. Phthiſici & Hydropici pericardium juſto quadruplo craſſius & aqua loturæ carnium ſimili infarctum, cor vero ipſum permagnum, & inæquali ſuperficie horridum, totumque adeo fungi ſpeciem, quam cavernoſam appellant, menſis multorum, etiam Principum, expetitam, exprimens viſum Peyero *Method. hiſtor. Anatomico-medicar. cap. 6. p. m.* 87. 88. Alterius duplici illo morbo pariter defuncti pericardium ichore copioſo vireſcente, quantitate dimidiam menſuram patriam ſuperante, refertum obſervavit J. J. Harderus *Apiar. obſ. medic. obſ. 50. p.* 215. Vir XXX. circiter annorum pondus gravativum in imo pectoris ſentiens, cæterisque ſymptomatibus hydropem thoracis innuentibus diu vexatus, irrito medentis conatu, fruſtraque adhibitis ſub legitima medendi methodo præſtantiſſimis remediis, ſupremum tandem obiit diem. Facta thoracis apertione deprehendimus pulmones totos pericardio & diaphragmati accretos, cavitatem omni ſero vacuam, pericardium vero in tantam extenſum molem, ut totum thoracis cavum repleret. Diſſecta per longitudinem pericardii membrana effluebant aquæ purulentæ & ſubviridis plusquam pintæ duæ Amſtelodamenſes. Cor totum exeſum erat atque membranula ſua inveſtiente privum. Conſpiciebantur autem innumeræ ipſi appenſæ laciniæ atque portiunculæ membrano-carneæ, quæ repræſentantur *in fig.* lit. BB. iisdemque ramis horrida atque inæqualis erat interna ſuperficies pericardii, ut videre eſt *fig.* litt. DD. Ipſius vero pericardii tenuitas multis modis erat aucta, adeo ut craſſitiem ſui naturalem vel ſexies ſuperaret, quod facile judicatur in annexa figura ex rugis, quas pericardium hinc inde complicatum format, quæ coriaceæ craſſitiei ſigna ſunt.

§. IV.

Atque hæ quidem ex anatomica autopſia petitæ obſervationes ſufficienter equidem probare videntur collectionem illam aquarum intra pericardium. Dum vero aliis quoque & ab hydrope pericardii diverſis morbis defunctorum cadavera notabilem ejusdem humoris pericardii exuberantiam exhibent, probe iidem affectus a ſe invicem diſtinguendi veniunt. Reſpiciendum itaque hanc ob cauſam ſolum ad ſymptomata, quibus toto decurſu dignoſcendum ſe præbet ipſe hydrops pericardii. Si autem ullius affectus, ſane hujus diagnoſis diſtincta difficillima eſt. Clanculum enim latet vixque ulla ſui indicia præbens, ſucceſſive ſenſimque irruit, variorumque quandoque morborum larvam induens, lento gradu ægrum ad mortem trahit, retardatum lethiferum ictum ſymptomatum acerbitate compenſando. Et adeo pene nulla deprehendo ſigna, quibus illum ab hydrope thoracis

acis diſtinguere rite poſſit etiam exercitatiſſimus Medicus; Niſi forſan lipothymias frequentiores, ſpirandi vero difficultatem mitiorem in hydrope pericardii, quam thoracis eſſe quis dixerit, prætereaque ægrum pericardii hydrope affectum fluctuationes aquarum, de latere in latus ſeſe convertendo, adeo diſtincte, ac quidem alias in hydrope thoracis fieri aſſolet, non ſentire obſervet. Solent tamen plerumque affectus hujus candidati cachexia laborare pituitoſa, vel ſcorbutica, ſtipata faciei plumbeo colore, pallida, viſcidaque urina, obſtructionibus viſcerum variis, functionum corporis inertia, virium languore; Tandem mali labe ulterius ſerpente, pulſus valde diminuitur, urina pallida, tenuis, pauca, frequentes invadunt lipothymiæ, pondus cor aggravans & conſtringens ſentitur, reſpiratio paulo exiſtit difficilior, febris lenta cum ſiti haud raro ſupervenit, & neſcio quæ non alia truculenta mala in miſerum corpus turmatim arietant.

§. V.

Recte equidem GALENUS ſcribit, *fieri non poſſe, ut qui id, quod ſecundum naturam ſit, non norit, dignoſcere id, quod præter naturam ſit, poſſit.* Quis enim Hydropis Pericardii cauſas eruere debite atque tradere abſque Phyſiologiæ adminiculo poſſet? Non alienum itaque a ſcopo erit, in amœniſſimos aliquantiſper Phyſiologiæ campos exſpatiari, ibidem ſelectos quosdam floſculos de humoris pericardii natura & ortu ad ſtatum ejus morboſum explicandum ex aſſe facientes decerpendi gratia. Communi autem tantum non omnium ſententia receptum eſt, intra Pericardii cavitatem naturaliter atque ſemper certam quandam humoris tenuis reperiri quantitatem, vid. VESLINGIUS *Syntagm. Anatom. Cap. X. p. m.* 146. *cum comment. Blaſii.* BARTHOLINUS *Anat. reform. Lib. II. cap. V. p. m.* 350. LOWERUS *tr. de Corde cap. I. p. m.* 4. aliique plures. In hujus vero humoris uſibus & fontibus deſignandis tantæ ſunt rixæ, tantæque varietatis ſententiæ, ut authores in ſolo diſſenſu conſentire videantur. VESLINGIUS *l. c.* ſiccitatem & ſqualorem cordis repentinum prohiberi hoc vult. BARTHOLINUS *l. c. p.* 351. 352. quatuor ipſi attribuit uſus, (1) cor humectare & refrigerare, motumque faciliorem reddere; (2) ad adipis concretionem facere; (3) ut cor innatando minus grave fiat & in nullam partem impingat; (4) pericardium humectare. LOWERUS *l. all.* ſtatuit externam cordis ſuperficiem hoc continue humectari, quæ alioquin ex perenni agitatione & calore inareſcere & corrugari, adeoque ad motum inepta reddi poſſet; Et huic ſubſcribunt omnes fere Neoterici, niſi quod ZYPÆUS *Fundament. medic. Reformat. Part. II. cap. III. artic. XI. p. m.* 104. & ex illo BLANCARDUS *Anatom. Reform. cap.* 2. *p. m.* 11. velint, aquam pericardii motum cordis faciliorem reddere, ſicuti omnia aquæ innatantia facilius moveantur.

§. VI.

Sicuti variorum ductuum, plurium partium, viſcerumque mechanicæ ſtructuræ, inventorum noſtri ſeculi egregiorum, ignorantia innumeras qualitatum, facultatum, & vaporum in corpore oberrantium chimæras & figmenta in Veterum ſcholis produxit, ita vel in humoris pericardii origine indaganda nugis hiſce haud pepercerunt. Volunt enim Anatomici plerique ultra Veterum ſapientiam ſapere haud volentes, vapores ex fervido cordis foco egredientes, ad latera pericardii appellentes in aquam condenſari: vid. VESLINGIUS, ejusque commentator BLASIUS, BARTHOLINUS, DIEMERBROECK, LOWERUS vero *tr. all. cap.* 1. *p.* 5. 6. exinde, quod natura in variis corporis partibus, ubi operis aut functionum eadem aut par ratio eſt, iisdem plerumque machinis atque inſtrumentis utatur, glandulæque lachrymales ad humorem ſuggerendum, quo oculi illinantur atque madefiant, proſtent, pariter & juxta cordis baſin diverſas glandulas conſtitutas, ex illisque humorem intra capſulam exſtillare concludit. *Cl.* PEYERI de humore pericardii ſententia fert, illum inde prodire, unde ab antiquo denominationem ſuam habuit, videlicet ex ipſo pericardio, lege ſis *method. hiſt. Anat. medic. cap. 6. pag.* 89. 90. & *Exercit. familiar.* 3. Alii tandem fontem humoris hujus derivant ex vaſis lymphaticis vel cordis, vel pericardii vel adjacentium partium. *Exc.* J. DE MURALTO *Exercit. Medic. VI. p.* 253. illum deducit ex glandula Thymi.

§. VII.

Adeo fruſtra circa uſum & ortum aquæ pericardii ſeſe torquentes vidimus authores, antequam vera ejus exiſtentia indubitata & ſolide probata extiterat. Mihi ſane ex ipſis hactenus aliorum ratiociniis de hac dubitandi occaſio ſuboritur, dum ex operoſis multifariisque hiſce demonſtrationibus humoris pericardii uſum vel fruſtraneum, vel ortum ejus dubium, obſcurum & impoſſibilem concludo. Quid enim ad *ſiccitatem cordis & ſqualorem repentinum* impediendum externo aliquo fictove remedio indigemus? cum ſingulis pulſuum ictibus cor novus vivificusque ſanguis per arterias coronarias, & ſpiritus animales per nervos alluant. Cordine, nullo caloris æſtu ferventi, neque fibrarum ſiccitate rigeſcenti neceſſarium eſt quoddam *refrigerium* vel *humectatio?* Quis unquam *pinguedini*, in cordis baſi reperiundæ, intra proprios ſuos ſacculos adipoſos concluſæ, *à tenui lympha ab extra aliquid accedere* poſſe credat? Uſque adeo vero cor ipſum a pericardio, undiquaque firmiſſimis thoracis fulcris connexo, ſuſpenſum tenetur, ut nec *pondere decumbere*, vel *ullibi impingere* poſſit. Nec pericardium ſuis deſtituitur vaſis ſanguineis & nervis, a quibus ipſi ſuppeditatur humor quo nutritur & ſimul *omnes ejus fibræ humectantur.* Non magis vero timendum, cordis ſuperficiem ex perenni agitatione & calore inareſcere atque corrugari debere, ut hinc *continue humectari cogatur*, quam alios muſculos ut diaphragmatis, reſpirationi inſervientes &c. cum majori cor præ aliis muſculis non uratur incendio. Ut *cor facilius moveatur*, non ſane opus eſt ut aquæ innatet, cum motus ejus non ſit progreſſivus, ſed ſingularum fibrarum inteſtinus, adeo ut ſimile illud, quod a navi mari impoſita facilius ope unius viri, quam viris centum, cum adhuc in arido ſita quieſcit, a loco dimovenda, profert BLANCARDUS, ad rhombum nullatenus faciat.

§. VIII.

Oriri autem humorem pericardii ex vaporibus ex corde elevatis & in pericardio denſatis, vel inde dubium redditur, quod humor iſte evaporatione igne facta in gelatinoſam ſubſtantiam inſpiſſetur, quod de compoſitis ex vaporibus nemo aſſereret; Craſſiores etiam & denſiores ſunt cordis parietes, quam ut vaporibus tam liberum concedere queant tranſitum, & præterea calor ille cordis, humores in vapores reſolvens, imaginarius eſt & præconceptæ Veterum de flammula vitali ſententiæ originem ſuam debet; frigida vero pericardii qualitas vapores rurſus in liquidum condenſans merum eſt figmentum, erroneæ & ab omnibus jam exploſæ de qualitatibus & temperamentis partium corporis humani doctrinæ ſuperſtructum, vid. hic quoque LOWERUS *tr. all. p.* 5. Quod vero glandulas baſi, cordis adſitas, a quibus nonnulli

nonnulli humorem pericardii derivant, attinet, optandum eſſet, ut Lowerus easdem non tam finxiſſet, quam accuratius deſcripſiſſet. Hactenus enim ab aliquo fide digno hoc factum fuiſſe non memini, niſi quod J. J. Harderus *Examin. Cochleæ Anat. p.* 68. ſcribat ſe in cuniculi ſectione glandulas circa baſin cordis notaſſe, tumidas & quaſi albicantes, baſin cingentes, palpabiles facileque unicuique viſibiles; eas tamen in aliis animalibus, vitulo, cane, vulpe, imo homine fruſtra ſe quæſiviſſe, quamvis in volucribus ibidem loci easdem rurſus viderit. Neque ipſe, cordis humani baſin ſæpius luſtrans, aliud præter pinguedinem adipoſis cellulis incarceratam deprehendi. Et ſi vera eſt jam citata Harderi obſervatio, ea vel ipſo fatente, a proprio cuniculi mechaniſmo dependet, adeoque in humanum corpus non quadrat, vel coincidit cum illis glandulis, quæ conſpiciuntur circa cordis regionem, quæque vel nimis diſſitæ non pertinent ad pericardium, vel conglobatæ, ſeu mucoſæ ſunt, quæ ſicuti non ſecernendæ proprie lymphæ, ſed promovendæ illius circulationi inſerviunt, nec vaſorum lymphaticorum ſunt fontes, ſed diverticula; ita ubique in omnibus corporis partibus, ex quibus vaſa lymphatica prodeunt, eædem reperiuntur, ceu latius id deductum videre eſt apud Clariſſ. Nuck. *Adenogr. curioſ. c.* 3.

§. IX.

Ut fontem humoris pericardii ex ipſa membrana clarius derivaret *Cl.* Peyerus, ipſum pericardium poris pertuſum, per illosque peculiarem emulgi humorem probare ſatagit. Teſtatur enim l. c. *crebra ſibi innotuiſſe experientia, pericardii ſuperficiem internam ad inſtar foliorum hyperici vulgaris innumeris foraminibus ſeu poris perviam eſſe, ſed tunc demum conſpicuis, quando ſuppoſito forinſecus digito preſſa minutis aquæ guttulis ſudant.* Quod ſicuti Cl. viro negari nequit, ita ſufficienter probata hinc nondum eſt ſecretio quædam lymphæ, cum humor ille compreſſione violenta exſudans ſit nutritius, qui, fibrarum ſtaminibus a vi externa e loco ſuo dimotis, ex interſtitiis tandem exprimitur. Præterea nullas video validas rationes, quæ poros ejusmodi membranarum cribrandis & ſecernendis humoribus ſufficientes inferunt. Quam quidem difficultatem alii prævidentes glandulas iſtis poris adjicere non dubitarunt, magis tamen illas conjectura quadam ſupponentes, quam evidenti autopſia demonſtrantes, quos inter primus Zypæus *lib. citat. p.* 103. & poſt eum M. Malpighius *Epiſtol. de ſtructur. glandular. conglobatur.* Atque hic quidem obſervationes ſuas, atque folliculorum horum glanduloſorum deſcriptiones ex morboſo petiit ſubjecto, in quo pericardium ſemidigitum craſſum extitit, cauſam & anſam ſuppeditante, ut reor, inflammatione quadam, vel alio morbo, quem author non notat. Mihi vero haud ſatis firma videtur a morboſo ſtatu ad naturalem & ſanum concluſio; ſiquidem negari vix poteſt ſanguinem quandoque quacunque de cauſa p. n. inſpiſſatum & viſcida pituita plus juſto deturpatum ſubſiſtere tandem debere in vaſis ſanguineis capillaribus reticulatim reptantibus, hincque illa præter modum extendi, indurari atque etiam alius pene fieri ſubſtantiæ, ut tandem glanduloſum quid mentiantur. Ad quod credendum tanto facilius compellor, quod in hydrope aſcite defuncto, cujus abdomen duas amphoras ſeri continebat, præter alia obſervaverim totum hepar tali modo metamorphoriſatum, albidum atque adeo ſuo naturali ſanguineo colore & ſubſtantia privum, ut totus ille majorum capillariumve vaſorum contextus in meras hydatides & glandiformia corpora alba degeneratus videretur, ſicuti ejus portionem conſervatam cuilibet oſtendere poſſum. Porro deprehendi aliquando cum D.D. Henrico Ruyschio, paternæ virtutis ſtrenuo æmulo, in infante, ubi organi auditus ſtructuram mirificam luſtrare animus erat, utriusque auris capſam ſeu tympani cavitatem p. n. copioſo humore repletam, *tympani* ſeu *capſæ* vocarem *hydropem*, membranam vero tympani ipſam pluribus tuberculis glandularum æmulis dotatam, quas quidem alius putaret veras eſſe glandulas, humorem illum ſubminiſtrantes, cui tamen ſententiæ vix ſubſcribere queo, ſi conſiderem quantis ſuperbiat illa membrana vaſis, nuper a Cel. Fr. Ruyschio *in Epiſtola ad me data*, delineatis, quæ facile obſtrui a pituita poſſunt & tali ſub ſchemate poſtea ſe exhibere.

§. X.

Humor pericardii ut ex adjacentibus partibus v. gr. thymo defluat in cavitatem pericardii, vaſa deferentia adſint neceſſe eſt, quæ tamen nulla hactenus detegere potuit induſtria. Quæ enim hic nonnulli commemorant vaſa lymphatica ex thymo prodeuntia & ad pericardium tendentia, nullo modo muneri huic deſtinari poſſunt, cum lymphatica ad partes nihil ſed ex illis lympham revehant ad ſanguinem; ut taceam dubium adhuc eſſe, num vaſa illa lymphatica obſervata pericardium perforent, & annon cum aliis a corde & pericardio prodeuntibus ſeſe ſociantia communi ductu adeant ipſum lymphaticorum fere omnium finem, ductum thoracicum.

§. XI.

Sed quamcunque demum humori pericardii originem aſſignent authores, fateantur tamen ejus ſecretionem & elaborationem perennem eſſe, quæ conſumptionem antecedaneam præſupponit continuam. Quo pacto enim quæſo concipi poſſet continuus illius humoris affluxus abſque eo quod tandem in juſto majorem accumulari debeat copiam cordis functionibus moleſtam, niſi abducatur ſimul per peculiares quasdam ſenſim vias. Sicuti vero abundantiam illam autopſia refutat, & in homine ſano ultra cochlear unum vel unc. j. aut unc. ij. humoris hujus non reperiri teſtetur Blasius *in Comment. ad Veslingii Syntagm. Anatom. cap.* 10. *p. m.* 146. ita facile ductus quosdam devehentes admittent, qui humorem iſtum in pericardio ſecundum naturam in vivis reperiri aſſerunt. Atque horum neceſſitatem ex analogia infert quidem, ſed eoſdem inter deſiderata ponit N. Steno *de muſc. & gland. p. m.* 47. dum ſcribit: *Conglomeratarum lympham, poſtquam in certas e vaſis effuſa cavitates, non ibi ſubſiſtere, ſed alio per alias vias intra corpus ablegari. Sic ex auribus & oculis in nares, e naribus in os, ex ore in œſophagum, &c. Hinc patet quærendas etiam vias, per quas evacuatur pericardium,* & ſic porro. Nulli vero vaſorum generi aptius illud munus demandari poſſe judicant, vid. Tauvri *nov. Anatom. cap.* 4. *pag.* 61. quam lymphaticorum. Verum horum origo etſi litigiis ſatis vexata ſit, probavit tamen *B. D.* Nuck. *Adenograph. curioſ. c.* 4. plurimis experimentis illorum, ſi non immediatum, ſaltem arctiſſimum, cum arteriis commercium, quod omnino impedit, quo minus aliquid ex cavitatibus abſorbere queant.

§. XII.

Itaque abſurdum non erit & ab omni veritate alienum ſtatuere, ſecundum naturam in vivis ſanisque nullum reperiri humorem in pericardio, ſed eſſe illum vel mortis generis vel morborum effectum.

Præ-

Præclare & pro more ſuo hanc ſententiam proponit Celeberrimus *D. D.* Bohnius *Circ. Anatom. Progymn. XX. p.* 323. dum de ſeroſitatibus, quas plerique authores a ſpirituum generatione ſuperfluas ad ventriculorum cerebri cavitatem tranſudare ajunt, illisque varias vias & exitus quærunt, differens, illas cum humore pericardii in unum cenſum ponit, dubiamque utriusque exiſtentiam pronuncians, ſequentia addit: *De quibus tamen* (ſcil. ſeroſitatibus cerebri) *idem, quod de humore pericardii, promonerem, diſquirendum ſcil. eſſe ante omnia de utroque hoc latice, an ſecundum naturam congerantur, antequam de illius vaſis excretoriis, de hujus vero uſu ſolliciti ſimus. Fabulantur multa de uſu aquæ in capſula cordis ſtagnantis, dum eorum alii cordi refrigerio exiſtere, alii hujus calorem intendere, alii motum juvare, illam ſibi fingunt, nemo tamen unquam de illius exiſtentia dubitavit, niſi quod in hydropicis & hecticis copiam ejus majorem teſtentur omnes, qui morbis defunctorum cadavera ſecuerunt. Uno verbo, nulla eſt, & ſi reperiatur, aut morbo aut mortis generi ſuam ſcaturiginem debet: ſi nimirum alterutrum aut utrumque horum tale extiterit, quod circulationem ad tempus turbet, & ejusmodi violentam ac præternaturalem ſeri tranſudationem atque congeſtionem præſtet: unde in decollatis aut ſimili velociſſimo mortis genere ereptis, alias vero ſanis, ſæpe ne guttula quidem cernitur.*

§. XIII.

Atque ita ſane eſt, in animalibus vivis ſubito diſſectis nullum humorem deprehendi in pericardio. In homine, fateor, eadem experiri haud licet. Fuit tamen ſalva pietate hoc in paſſu felicior Andreas Vesalius, qui *de Human. corp. Fabric. lib. 6. cap.* 8. refert, vidiſſe ſe eum, cui cor vivo eximi ſpectaverat, aquam etiam in involucro continere; deinde ſe aquæ hujus intuendæ cupidum Patavii pulſans adhuc cor cum pulmonibus & reliquis viſceribus illico ex his, quos vivos in quatoor partes diſſecant, exemptum in proximam pharmacopolæ officinam deferri curaſſe, ac in involucro aquam nonnullam reperiſſe. Teſtantur quoque uno ore omnes, humoris in pericardio quantitatem longe minorem eſſe in recenter extinctis, quam à longo tempore defunctis. Referenda autem hujus phænomeni cauſa non ultima mihi videtur in mortis genus. Sive enim animal ſub cultro anatomico diutius vexes, ſive hominem criminis reum mortique deſtinatum intuearis, angoris hic, paſſionum & cruciatuum oppido videbis effecta. Quid enim in corpus omneſque humores & partes valeat affectuum impetus, haud ignotum eſſe puto illis, qui ad illorum naturam, & originem vel leviter attenderunt, vel effecta eorundem accuratius penſitarunt. Afficitur hinc œconomia animalis tanto atrocius, quanto magis paſſiones ſimul exſurgunt diverſæ, ſibique e diametro oppoſitæ. Ibi enim modo ſpirituum cæterorumque humorum exagitatur motus, modo partium ſolidarum tubuli laxantur, mox vero conſtringuntur, hic ſanguinis turbatur mixtura, vel motus mille modis alteratur, unde humorum colliquationes inſolitas, convulſiones & partium contractiones ſpaſmodicas, pororum & capillarium vaſorum aperturas, fibrarum rupturas, ſeri effuſiones copioſas & quæ non alia, ut in reliquis corporis partibus, ſic & in pericardio oriri debere manifeſtum prorſus eſt.

§. XIV.

Quin & aſſerere haud dubito, ipſam mortem, quam vocant, naturalem, hancce humoris pericardii collectionem & ſtagnationem poſt ſe trahere, ſiquidem corporis noſtri vita a legitima ſanguinis bene mixti reliquorumque humorum circulatione profluit, qua vigente vigor, calor & nutrimentum ſufficit cunctis partibus, quaque contra vel labefactata, vel ſufflaminata, morbi oriuntur, ipſaque mors frigida & rigida relinquit membra. Duplici autem ſanguis eoque continuo progreſſivo agitatur motu, altero ſcil. a corde per arterias ad omnes partes, altero vero a partibus per venas ad cor. *Illius* cauſa unica eſt alterna cordis muſculorum contractio, cooperantibus pro multiplici fibrarum ſuarum muſculoſarum ſerie ipſis arteriis; *Hunc* vero cauſantur ſanguinis, continuo a tergo ſibi ſubſequentis, non interrupta impulſio aeriſque atmoſphærici, qua incumbentis, qua inſpirati preſſio: Eundem vero promovent primario motus ipſarum venarum periſtalticus, jugiſque fibrarum, per omnes corporis partes earumque penetralia diſperſarum, contractio atque tonus. Durante hoc purpurei cruoris itu & reditu variarum ejus partium genera, ſub diverſis liquorum ſchematibus ſeſe ſiſtentia, hinc inde dimittuntur, in hepate ſcil. bilis in teſticulis ſemen, in renibus urina &c. & ubique in partibus ſolidis inter interſtitia fibrarum gelatina nutritia, & in vaſa lymphatica lympha, quorum omnium proventus cæteris paribus uberior, quo regreſſus ſanguinis per venas tardior magiſque impeditus eſt, id quod egregie confirmant experimenta Loweri *tract. de Corde cap. II. p.* 123. 124. 125. quibus conſtat, ex vena cava in thorace filo conſtricta in canis abdomine magnam ſeri quantitatem innataſſe, non aliter, quam ſi aſcite diu laboraſſet, & ex ligatis venis jugularibus partes ſuperiores mire intumuiſſe, lacrymas ſalivamque copioſius effluxiſſe, factaque diſſectione omnes muſculos & glandulas ſero limpido maxime diſtentas & admodum pellucidas apparuiſſe. Similem vero prorſus eſſe rationem cum emoritur corpus quivis facile concedet, qui animadvertit, circulationem ſanguinis nullo alio ſupprimi modo, quam quatenus egreſſus ipſius ſanguinis ex corde ad ultimum uſque vitæ halitum continuatur, regreſſus vero per venas ſenſim ſenſimque imminuitur tandemque ceſſat ea de cauſa, quia cor, non inepte hinc ultimum moriens a priſcis nominatum, functionis ſuæ omnium diutiſſime tenax manet, pulſuſque in moribundis talis qualis ſemper conſtat: partes vero extremæ omnium primo emoriuntur, cum vaſa ibi tenuiora ſint, ut a ſanguine quocunque demum vitio corrupto facillime obſtruantur, ſpiritibuſque deſtituantur, unde elater eorum perit, tonuſque fibrarum citiſſime langueſcit, ſerum copioſius colligitur & qua data via erumpit tandem vel per ſic dictas glandulas & earum ductus, ſi arteriæ in eaſdem contortæ duplicantur, vel per lymphatica, ſi iiſdem continuantur, vel per interſtitia fibrarum, ſi ibi dehiſcunt, vel per earum poros, ſi vim nimiam patiuntur. Ex quo fundamento equidem recte obſervavit lymphæ ſecretionem etiam poſt mortem continuari *Cl.* Pechlinus *obſervat. Medic. Phyſic. lib. I. obſ.* 60. *p.* 146.

§. XV.

Morborum vero effectum ipſum humorem pericardii quandoque eſſe teſtantur ubertim authorum obſervationes. In hectica defuncto ille ad unc. xx. & plures abundaſſe legitur paſſim apud Bonetum *in Anat. Practic.* In palpitatione cordis illius xv. cochlearia deprehendit, hincque mali cauſam derivat Tulpius *Obſerv. medic. lib.* 4. *cap.* 19. In eodem affectu ex vehementibus ictibus ipſam pericardii aquam ita agitatam, ut ejus fluctuationes ab adſtantibus etiam audiri potuerint refert Stalpart van der Wiel *Obſervat. variar. Cent. I. obſerv.* 36. Vo-

lunt

lunt quidem plerique hanc abundantiam cauſam potius eſſe quam effectum palpitationis, ſed, meo quidem judicio, abſque omni fundamento. Quippe à pondere aquarum opprimente, expanſivo cordis motui ex aſſe oppoſito, motum eundem infinitis augeri gradibus quis unquam credet? Rectius ſane cordis muſculum, à quacunque demum cauſa irritatum, vehementius evibrare ſanguinem, indeque ſucceſſive vaſis vim inferri, & ſerum ſic ad egreſſum præternaturalem cogi quis ſtatuerit. Apprime hanc in rem commentatur LOWERUS *tr. de Corde cap. II. p.104.* ſic inquiens: *atque, ut obiter hic dicam, cum aquæ iſtius pericardio contentæ nimia copia cordis motui adeo officiat, ut ipſum tandem obruat ſupprimatque, veriſimile eſſe cordis palpitationi ſuccedere potius, quam concitatum hunc cordis motum ab illa irritari; quod quidem eo magis veriſimile eſt, quod affectus iſte ſanos & improviſo ſæpe, aliiſque de cauſis ex oritur, & nullo ſigno aut indicio adventum ſuum denuntiat.* Quæ vero aliæ cauſæ reliquis in morbis cogant ſerum ad ſeceſſum in cavitatem pericardii, latius jam oſtendere non lubet, ne aliena prolixius tractando neceſſariorum explicationem intra anguſtos nimis circumſcribere videar cancellos, præprimis cum hæc non poſſint non manifeſta eſſe, illis, qui ad viſciditatis, acredinis, aliuſque nominis vitia, quæ ſanguis & ex illo manantes reliqui humores patiuntur, accuratius attendunt.

§. XVI.

Itaque ut noſtri affectus cauſas reddam, non ex re eſſe duco longiori ſerie enarrare ea, quæ anſam illi dare potuerunt; ſiquidem nemo facile inficias ibit, perverſum rerum ſex nonnaturalium uſum, plurimos quoque alios antecedaneos morbos & innumera alia maſſam ſanguineam viſcidis ſenſim ſenſimque & pituitoſis imprægnare poſſe particulis cachecticaque labe inficere. Sanguis vero peſſimo hoc charactere notatus, dum per univerſum corpus diſtribuitur, vitioſæ ſuæ qualitatis notas modo omnibus partibus, modo certis quibuſdam imprimis viſceribus. Dum enim ad extremos arteriarum capillarium pervenit ramos, propter partium ſuarum craſſitiem motuſque inertiam lentius progreditur & vix ac ne vix quidem in venas tranſit. Illuc vero ægre progreſſus, cum impetum, quem a cordis vibratione ſibi hactenus impreſſum ſervaverat, omnino amiſerit, venarum vero elater facta a nimia mole gravante preſſione deſtruatur, fibrarumque contractio & tonus labefactentur, remoram ſibi ipſi injicit, hæret tandem atque regredi ad cor neſcius accumulatur, quo facto inſtante & urgente a tergo jugiter de novo appulſo ſanguine, ſerum tandem viſcidum à reliquarum partium conſortio ſeſe extricans ſecedit vel in latifundia fibrarum, vel ſic dictas in glandulas earumque ductus, vel in orificia lymphaticorum, vel vi ſibi quærit tranſitum per arteriarum venarumque tunicas atque ſic in proximam effunditur cavitatem. Omnibus vero partibus atque viſceribus hæc fata familiaria eſſe ut ex hiſce conſtat, ita per experientiam ipſam etiam docemur, nullam omnino eſſe partem ab hydrope exemptam.

§. XVII.

Pari ratione cor cum pericardio ab hoc malo non eſt liberum. Dum enim cor vaſis gaudet coronariis multiplici atque dædaleo ductu, nuper elegantiſſime omnium primo exhibito a Celeberr. FR. RUYSCHIO *Reſp. ad Epiſtol. Anatom. Problem. III. Tab. 3. fig. 1.* per exteriorem ſuperficiem, internamque muſculoſarum fibrarum ſubſtantiam diramificatis, pericardio quoque copioſæ conceſſæ ſunt arteriæ & venæ a variis truncis oriundæ ab eodem D. D. RUYSCHIO delineatæ *Reſp. ad Epiſt. II. Tab. 2. fig. 4.* idem hic vitium, ſanguinis viſciditas ſcil. & pituitoſa inertia dictas tragœdias ludere poteſt, obſtructiones nimirum parere, ſerumque ad ſeceſſum & eruptionem præternaturalem diſponere. Neque deſunt viæ, per quas ſerum ita ſeparatum ſecedere poteſt in ipſam pericardii cavitatem. In ipſo enim arteriarum fine, venarumque origine quidni illud perrumpat oſtiaque extraordinaria ſibi vi aperiat? Præterea copioſa reperiuntur per cordis ſuperficiem externam diſperſa vaſa lymphatica, quæ ex parte deſcripta & delineata vide apud *Cl.* NUCK *Adenograph. curioſ. p. 143. & fig. 41.* Imo pericardium ipſum gaudere lymphæ ductibus paſſim loquuntur authores, vid. BARTHOLINUS *Anat. reform. lib. II. cap. 5. p. 350.* quamvis eorum accurata deſcriptio deſideretur, eo quod rariſſime in ſenſus incurrant. In hæc vero vaſa lymphatica dum tranſit ſerum illud viſcidum, ibidem hærendo ulteriorem ad ductum thoracicum ſibi obſtruit progreſſum, inde ſenſim accumulatur & vel mole vel acredine tunicas perrumpit ſicque effluit; quod contingere facillime quoque poſſe, ſi fluenti lymphæ obex ponatur in ipſis glandulis conglobatis, ad quas alias divertere aſſolet, ſi vel obſtructionibus vel ſcirrho aliove vitio afficiantur, nemo ſane inficiabitur.

§. XVIII.

Ex poſitis hiſce noſtris affectus cauſis, ceu ex equo Trojano, omnia prodeunt ſymptomata hactenus recenſita. Cum enim ob pravam ſuam atque pituitoſam diatheſin per minimos capillares faciei externæ ramulos circulare tam vegete ſanguis haud poſſit, quin potius ex illis excludatur, purpura fugata *pallidus atque plumbeus faciei color* ſuboritur; pariter ſi per arteriarum emulgentium truncos pervenerit ad renum tubuloſam ſubſtantiam, ibidemque tubulos offenderit ſatis laxos, dimittet partes viſcidas, unde *pallida & viſcida urina*, ſi vero obſtructiones ſuperent eorum tonum, adeo ut a partibus viſcidis coarctentur viæ, nonniſi ſero fluidiori, eique pauco tranſitus in pelvim patebit, & excernetur *urina limpida & pauca*; Dum jugi circulatione omnia alluit viſcera, illis quoque ſuæ pravitatis ſtigmata inuret, tum *varias* gignet *obſtructiones* plus minuſve pertinaces in pluribus vel paucioribus viſceribus, prout vitium ipſius ſanguinis & reliquorum humorum erit pertinacius, unde non mirum, ſi *variarum functionum læſio* propullulet. Loco quod ſanguis deperditas reſtaurare deberet vires, pravos jam omnibus partibus advehit humores, non refectorio ſed ponderi illis exiſtentes, & ad cerebrum delatus ſpiritus illic deponit minus mobiles vel etiam paucos, ex quibus *virium languor* exſurgit. Sanguis propter viſciditatem adeo prompte haud egreditur ex cordis thalamis; ſed lente progrediens arteriarum tunicis oneri eſt, earumque contractiones naturales imminuit vel penitus auferr, & eatenus languido ſubſultu pulſat carpum; *pulſuſque* ſic obſervatur *valde diminutus*, ad quem confert etiam ſymbolum ſuum ipſe humor in pericardio ſenſim in magnam quantitatem accumulatus, qui premit cor ejuſque contractiones mirum in modum labefactat, unde quoque derivandæ ſunt *frequentes lipothymiæ*. Coarctato enim corde ſanguis vix ac ne vix quidem exprimitur & ſpirituum ſecretio ad tempus ceſſat, tranſituſque per pulmones tardior eſt; quæ omnia dum fiunt, mens propter commercium, quod ei ex ſummo Dei beneplacito cum corpore intercedit arctiſſimum, non debet non in conſenſum & ſympathiam trahi, *ponduſque* illud *cor aggravans* ſentire. *Reſpiratio* quoque *difficilior* redditur,

ditur, partim quod ſanguis viſcidior ſegnius per pulmones circuletur, adeoque eorum expanſionem veſicularum pneumonicarum intrinſecam impediat, partim vero quod pulmones circumcirca cordi appoſiti illudque ſuavi amplexu comprehendentes a pondere & mole aquarum, qua pericardium diſtenditur, comprimantur, ſicque utroque modo ingreſſus aeris liberior præpediatur. Ob eandem hanc ſuam viſciditatem atque languidum motum ſanguis in capillaribus ubique vaſis accumulatur & ſtagnat, adeo ut vim faciat vaſorum lateribus, ſpirituum major & tumultuarius excitetur motus, a quibus ſpaſmodicis contractionibus ipſe ſanguis inæqualiter circulatur, in interioribus ſcil. partibus liberius, in extremis vero ſegnius, ſicque quaſi in cataractas actus, motus celeritate locorum anguſtias compenſat, unde frigus caloremve alterno ſeſe excipere debere ordine, atque adeo *febrem* oriri, pro circunſtantiarum varietate plus minuſve *lentam*, præſuppono. *Sitis* vel conſequens erit ipſius febris & orietur ex obſtructione glandularum ſalivalium, vel cauſam habebit defectum debiti in ſanguine ſeri, ab ejuſdem in cavitatem pericardii effuſione præternaturali cauſatum.

§. XIX.

Dum ſanguis dictas ob cauſas ſegnius per pericardii ſubſtantiam circulatur, humoreſque viſcidi præternaturaliter accumulantur, mirum non eſt, *pericardium* adeo *incraſſari* & juſtam excedere tenuitatem, ſiquidem id in omnium omnino partium corporis, quas hydrops invadit, membranis obtinet, miratuſque aliquando fui peritonæi & membranæ lienem inveſtiendis craſſitiem atque tuberculis innumeris inæqualem ſuperficiem in hydrope aſcite defuncto, cujus abdomen duabus aquarum amphoris repletum deprehendebamus, ceu jam memini §. 9. Serum vero in cavitatem pericardii effuſum motu tum progreſſivo, quem una cum ſanguine receperat a corde, tum inteſtino, quem aer elaſticus ſingulas ejus partes circumfluens induxerat, privatum ſenſim varias ſubire debet alterationes. Immutata enim antecedanea partium figura, ſublato æquipondio balſamicarum, fluidarum, ſalinarum &c. inter ſeſe, deſtructoque prorſus per diutinam ſtagnationem omnium inter ſe nexu, ordine & proportione, alium induat neceſſe eſt *colorem*, plus vel minus ab albedine & limpiditate ad *viridem & opacum* accedentem, prout putredo major acceſſerit. Putrefactivo hoc motu partes antea flexiles in ſcindentes atque rodentes acuantur cuſpides, ſaliaque etſi pauca prius amplexibus fluidi unanimiter coercita & æqualiter temperata extricantur, ſuique juris facta in membranam cordis exteriorem & interiorem pericardii impetum faciunt illaſque exedunt, quæ, cum nil niſi extrema fibrarum carnearum tendinoſa ſint, arrodi vel diſrumpi nequeunt, quin fibrarum extremarum diſſolvatur compages atque faſciculus, remotoque ſic, quo antea cohærebant, vinculo a ſe invicem ſecedant leniſque quaſi ſuperveniat exulceratio. Luxuriante vero demum affluente ſucco nutritio jamdum corrupto *excreſcentiæ* fiunt *ſylveſtres carnoſæ*, tantæque emergunt *laciniæ*, quantas cor noſtri ægri cum pericardio nobis exhibuit. Eodem prorſus id contingit modo in aliarum partium hydrope, ubi primaria meo judicio lethalitatis cauſa eſt ſeri ſtagnantis nimia acredo partiumque proximarum hinc facta exeſio & gangrænoſa exulceratio, ceu etiam nuper in matronæ nobiliſſimæ ſectione obſervavit *Magnificus Dnus* Præses ex abſceſſu uteri copioſam purulentam materiam in cavum abdominis effuſam, quæ acredine ſua omnium fere viſcerum infimi ventris arroſerat ſubſtantiam, inprimis vero inteſtinorum & meſenterii ita dilaniaverat tunicas, ut illæ leni raſione a ſe invicem divelli & ſeparari potuerint.

§. XX.

Ut vero aliarum hydropis ſpecierum cura ob cauſæ pertinacem indolem & indicationum curativarum ſibi invicem contrariarum concurſum difficillima & tantum non mali eſt ſucceſſus, ita vel hicce pericardii hydrops medelam promittit, ſi non impoſſibilem, ſaltem laborioſam. Præterquam enim quod partem afficiat primariam corporis, cujus etiam leve vitium totam facile concutere poteſt œconomiam animalem, ex dictis quoque colligere eſt, humorem jam extra vaſa in cavitatem effuſum eſſe, unde illum in circulum reduci, vel alíorſum derivari, aut inſenſibiliter eliminari poſſe, nulla nobis ſpondent medicamenta. Huc accedit, quod adeo ægre & nonniſi cum jam extremum attigit gradum dignoſcatur. Mea quidem ſententia ſi ullam admittit opem, fieri hoc debet in initio, cum vaſorum tantum adſunt obſtructiones, ruptis autem lymphaticorum aliorumque vaſorum repagulis, effuſoque ſero, omnem ſimul ſanitatis recuperandæ ſpem prorſus dilui quivis videt.

§. XXI.

Verum cum prudentis Medici haud ſit, animum ægri triſti prognoſtico ſolum dejicere, aut ipſum jam ſuo malo miſerum in totum deſerere, ſolatium omnino aliquod, ſi non remedium, porrigendum, atque aliquid ſaltem moliendum, ne nihil feciſſe aut officii ſui negligens judicetur ipſe Medicus ab imperitis. Dirigi autem poterit methodus medendi ad haſce præprimis indicationes, ut intemperies ſanguinis viſcida & pituitoſa, ordinarius hujus hydropis prodromus & faber, per appropriata alterantia corrigatur, obſtructiones hinc inde in cordis & pericardii vaſis ortæ tollantur, humorum ſtagnantium vitium emendetur, ſerum vero effuſum evacuetur, rupta vaſa conſolidentur, viſcerumque gangræna ſiſtatur. Quæ ſi præſtari poſſint, morbus cum tota ſymptomatum caterva facile ceſſabit.

§. XXII.

Inter medicamenta vero his ſcopis opitulantia commendata deprehendes purgantia, quæ ut in aliis hydropis ſpeciebus ex ſola veræ cauſæ ignorantia erroneoque præjudicio præſcribuntur a nonnullis, ita ſecundum illorum hypotheſin hic quoque agmen ducent, hydragogorum præprimis ſi ſuperbiant ſpecifico titulo. Sed ita priſcis non inſiſtendum veſtigiis, ut ſpem noſtram in talia reponamus remedia, quæ ſive in initio ſive progreſſu noſtri affectus adhibita nullam afferre poſſunt ſalutem, quin majores potius turbas excitare. Ratum quippe firmumque judico, purgantia hæcce, qua talia, noxios humores ex maſſa ſanguinea cum euphoria expurgare non poſſe, quin potius ejuſdem mixturam valde turbare, motumque non parum alterare & vires ſic ægri maxime conſumere. Quid quod eadem obſtructiones in vaſis vel ſanguineis vel lymphaticis nullatenus tangant, nedum tollant, ut taceam, ſerum jam effuſum & ſtagnans reduci ab hydragogis ſic dictis ad ſanguinem & inde expurgari minime poſſe, cum omnis præcluſus ipſi ſit aditus omneque viarum commercium penitus turbatum. Si vero vel adſtricta alvus vel fæces in primis viis hærentes medelam ſui videantur exigere, opponerem ego vel laxantia ſic dicta, vel clyſteres emollientes & aperientes.

§. XXIII.

Ad corrigendam vero ſanguinis intemperiem viſcidam & pituitoſam commendanda veniunt ea, quæ cache-




H
K
I
G
M
L
F
E
A
B
D
B
D
C

cachexiæ ſcorbuticæ ordinario opponuntur. Eligerem itaque omnia amara, utpote quæ lenem ſpirituaſcentiam lymphæ introducunt. Referendæ autem ſunt huc eſſentiæ majoranæ, centaurii minoris, abſinthii, gentianæ &c. aut earum extracta cum tartareis & martialibus in pilulas redacta, atque matutinis & veſpertinis horis mediocri doſi adhibita, tincturæ item tartari & bezoardicæ, quarum guttæ aliquot in infuſo thee & veronicæ ſumi queunt, quod etiam inſerviat pro potu ordinario, vel ejus loco decoctum chinæ cum paſſulis bibi poteſt.

§. XXIV.

Cum, obſtructionibus jam in vaſis cordis & pericardii ſubortis, lymphæque & humorum circulatione præpedita, malum per longas invaluit moras, rem aggrederer diaphoreticis & diureticis, ut ſalibus volatilibus omnibus tum urinoſis tum oleoſis, cinnabarinis & tinctura tartari ſicca. Mercurius quoque dulcis hic magni erit uſus, ſiquidem egregia ejus in penetrandis minutiſſimis vaſis obſtructis & educendis hinc viſcidis humoribus virtus jam oppido nota eſt, quem in finem redigi poterit cum gummi ammoniaco in pilulas. Extrinſecus ut ſanguinis motus intendatur & humorum ſubtiliſatio eo magis promoveatur, applicari thoraci poſſunt & inungi olea deſtillata quævis, balſamus peruvianus, crocus, camphora, gummata, maſtiches &c. ex quibus pro circumſtantiarum varietate linimenta vel emplaſtra fieri poſſunt.

§. XXV.

Sic quidem præſervari poſſet æger, vel malum in ipſa herba ſupprimi, ſi ejus ortus ſignis quibusdam infallibilibus & pathognomonicis dijudicari & præviderі poſſet; verum cum nonniſi ejus crudelem præſentiam animadvertamus, ubi jam copioſo ſero cor inundat, mihi ſane nullum remedium ſupereſſe videtur, ſi non *apertio ſeu perforatio ſterni.* Commendat illam RIOLANUS *Enchirid. Anatom. Lib. III. Cap. IV. p. m.* 213. hiſce verbis: *Sæpe in eo* (pericardio) *copioſus humor colligitur, qui ſuffocationem adfert & cor obruit. Si non poſſis exhaurire illud ſerum per hydragoga, licetne terebra ſternum aperire, intervallo pollicis a cartilagine Xyphoide, quia pericardium ibi adnexum ad ſuſpenſionem cordis.* Obeſſe huic operationi videntur plura dubia, inter quæ primaria ſunt, quod difficillimum ſit pericardium ita caute aperire, ne cor ſimul lædatur, liquor quoque ita commode educi non poſſit, cum vulnuſculum pericardio inflictum ſubito collabaſcere debeat, illud vero apertum ſervare per cannulam intruſam periculoſum ſit & vix ſperari poſſit ob continuum cordis appulſum & perpetuam thoracis conſtrictionem & dilatationem, qua ipſum ſternum notabilem ſitus ſui mutationem ſubit. Verum enim vero hæc facili negotio tolluntur, ſi conſideres pericardium a ſero adeo diſtentum, ut & cor hinc defendatur, & apertum ſervetur vulnuſculum. Siquidem præterea *dubia ſalus certa deſperatione potior, ſatiusque eſt anceps remedium experiri, quam nullum, ubi nulla ſpes eſt ſalutis, niſi ex machina Deus affulſerit*, ut idem RIOLANUS concludit. Cum enim in evidenti hac ſeri eductione totius omnino felicis curæ cardo verſetur, adeoque ſine hac æger in præſentiſſimo vitæ periculo ſit conſtitutus, nullum ipſi pejus contingere poteſt, neque ab hac operatione ipſi mors accelerabitur. Primum autem, quod hic attendi debet, eſt, quod certiſſime antea conſtare debeat de ipſius ſeri abundantia in pericardio: hæcce enim niſi evidenter fuerit cognita, temerarium eſſet ſane atque inconſultum ad operationem ipſam accedere; Secundo, ut viſcera ſint adhuc integra & ab omni gangræna remota: alias enim innocuum per ſe medicamentum injuſte ab imperitis atro notabitur carbone, quæ reliquis paracentheſeos ſpeciebus fata etiam contigiſſe notum eſt.

§. XXVI.

Igitur ſi hæc *perforatio ipſius ſterni* inſtitui debeat, eligatur locus ab ipſo RIOLANO indigitatus, qui ſcil. in medio pollicis intervallo a cartilagine Xyphoide eſt, non ſolum quod pericardium ibi annexum ad ſuſpenſionem cordis, ſed & quia vaſa mammaria ibidem in interiore ſterni ſuperficie ad latera decurrunt. Cutis vero cruciformi vel triangulari ſectione incidenda, & perioſtium ungue vel inſtrumentis abradendum. Poſtmodum ſuſpenſa manu os ſterni trepano perforetur uſque ad membranam interius inveſtientem, limbus oſſis perforati lenticulo appropriato lævigetur, penicillo purgetur a ſcobibus abraſis. Deinde cultro ancipiti mucroniſque rotundi pleura cum pericardio crucis in formam diſcindatur, ſumma tamen adhibita cautela, ne cor continuis ictibus ſubſultans lædatur. Hiſce omnibus factis immittenda cannula conveniens, per quam pro lubitu evacuari poſſit ſerum, cavendo ne ſubito & una vice educatur omne. Reliqua vero, ut vulneris conſolidatio &c. tractentur ut moris & artis eſt.

§. XXVII.

Notandum tamen quod durante hac eductione aquarum continuandum ſit in uſu leniorum diaphoreticorum & amarorum jam antea commendatorum. & ipſe æger ſemper inter ſtragula blande ſudare debeat. Circa finem vero, ubi certis ſignis conſtet, ſerum jam correctum & eductum eſſe, vulneraria cum leniter adſtringentibus propinari poſſent, ut balſamum peruvianum, copaibæ, terrea quævis abſorbentia & leniter adſtringentia; corallia rubra, terra ſigillata, bolus armena quo tubuli vaſorum vel laxati vel diſrupti conſtringantur modice & conſolidentur.

§. XXVIII.

Diætam vero facile prudens Medicus ita accommodabit circumſtantiis & ægri conditioni, ne rigida nimis diſciplina irritet ejus animum, vel liberali indulgentia malum accumulet.

EXPLICATIO FIGURÆ.

Exhibetur hic cor cum accuratiſſima aortæ diramificatione, prout illa videre eſt in *Celeberrimi D. D.* RUYSCHII præparatis, in Muſeo ſuo nitidiſſime aſſervatis. Notantur autem

A. Cor.
B.B. Excreſcentiæ ejus carnoſæ, ramoſæ.
C. Pericardium coriaceæ craſſitiei.
D.D. Excreſcentiæ ramoſæ ipſius interioris ſuperficiei.
E. Auricula cordis dextra.
F. Auricula ſiniſtra.
G. Arteria magna.
H. Arteria ſubclavia dextra.
I. Arteria ſubclavia ſiniſtra.
K. Arteria carotis ſiniſtra.
L. Arteria pulmonalis.
M. Truncus venæ cavæ ſuperior.

DISPUTATIO MEDICA,

DE

APEPSIA,

Primùm edita Anno 1696.

PROOEMIUM.

NASCIMUR, nutrimur, morimur. Quamdiu vero in hoc orbe terrarum vitam degimus, maxima noſtra cura eſt corpus nutrire, quo in ſtatu ſanitatis conſervetur. Quilibet enim in ſemet ipſo poſt exantlatos labores notabilem virium deprehendet defectum, ut niſi alterna requies corpus debile reficeret, & jacturam virium alimenta reſarcirent, brevi homo conſumi neceſſum habeat. Hujus rei ſunt teſtes anxiæ eſurientium & ſitientium querelæ; Abſque cibi enim & potu non modo homo, verum etiam, quicquid vitalem ſpirat auram, vivere vitamque prolongare nequit. De animali quodam chamæleonte dicto refert quidem PLINIUS *L. VIII. c.* 33. ſolum illud inter animalia nullos aſſumere cibos neque potus, ſed ſolo aere vivere. Aſt huic aſſerto BELLONIUS, GESNERUS, SCALIGER, LICETUS & RAJUS contradicunt, qui modo laudatus in *ſua ſynopſ. animal. quadrup. p.* 276. *&* 279. mentionem facit, quod muſcas aliaque inſecta pro alimento capiat & vivat. Quanta itaque alimentorum eſt neceſſitas, quantuſque uſus ad vitam continuandam, tanta corporis humani pernicies & ruina eſt ſolutionis ciborum in ventriculo abolitio. Si enim nullæ ex aſſumtis cibis chyloſæ extrahuntur particulæ, nulluſque novus in locum deperditarum contingat appulſus, actiones totius machinæ langueſcunt, partes corporis areſcunt, animi deliquia ſuperveniunt, tandemque omnes actiones & motus in corpore deſinere coguntur. Igitur ne ejuſmodi corpori humano contingat ſtrages, in præſentiarum loco thematis Apepſiam, hoſtem illum crudeliſſimum, proponere, curamque pro viribus addere conſtitui. Faxit Deus T. O. M., ut hæc intentio mea vergat in ſui nominis gloriam proximique ſalutem.

§. I.

VOx *Apepſiæ*, quam per tractationem ſumſimus, nativitatem Græcis debet, componitur enim ab α privativo & verbo πέπτω, coquo, quod idem eſt, ac nulla alimentorum in ventriculo concoctio. Veteres enim dum ventriculum ollæ aut lebetis inſtar habebant pro cibis continendis, actiones hinc etiam in eo contingentes coctiones nominabant. Aſt meliori informatione inſtructi ſcimus, ventriculum, quatenus non ſolum menſtruum concedit, ſed & ratione fibrarum motricium alimenta ſoluta exprimit & ulterius promovet, non eſſe organon mere paſſivum. Igitur apepſiam juxta mentem recentiorum ita vertimus, quod ſit nulla ciborum in ventriculo ſolutio.

§. II.

Circa hujus affectus ſynonymiam variant Autores. Vocatur enim a PETRO APONIO & GORDONIO *libr. med. part V. c.* 3. indigeſtio; ab HERCUL. SAXON. *p. II. med. libr. III. c.* 13. & HARTMANN. *Prax. Chym.* coctio ablata, a TRINCAVELLO *libr. VII. de ratione cur.* defectus primæ coctionis, a PETRÆO *in noſolog. harmon. l. II. diſſ.* 23. *pag.* 386. & SENNERT. *in inſtitut. med. l. II. part. III. ſect. I. c.* 4. *p.* 274. cruditas, a BONETO *in ſepulchr. anatom. p.* 762. abolita alimentorum fermentatio. Germanis audit **Undauen / Unverdaulichkeit / wenn der Magen nichts verdauen kan.**

§. III.

Sumitur autem Apepſia in latiori & generaliori ſignificatione pro cruditatibus humorum, ciborum, excrementorum & morborum; quæ enim nondum perfectam acceperunt conſtitutionem in quolibet ſuo genere, apepta, cruda, & cruditates dicuntur. Stricte vero & magis proprie pro ſymptomate ventriculi, chylificatione ſcil. abolita, quo ſenſu & nos impræſentiarum Apepſiam pertractaturi ſumus.

§. IV.

Detracto nominis involucro ut propius pateat Apepſiæ eſſentia, eam definimus, quod ſit actio ventriculi abolita, qua alimenta ad ſufficiens tempus in eo

retenta

retenta ob vitium ſolventis, ſolvendi, vel ventriculi, cruda & immutata manent, & oneri atque moleſtiæ ſunt; interdum etiam talia vel ſurſum vel deorſum excernuntur.

§. V.

Poſuimus generis loco actionem ventriculi abolitam, quod eidem præſertim digeſtio prima competat; quamvis varios quoque complectatur gradus, quatenus vel nequicquam digerit, vel non ſufficienter, vel male coquit, & tum hic dyſpepſia, illic bradypepſia, hic vero Apepſia nominatur.

§. VI.

De parte affecta & ſubjecto hujus ſymptomatis ut multum ſolliciti ſimus, non eſt neceſſe, ſiquidem ventriculum pati, ex actionis ei potiſſimum debitæ læſione evidenter ſatis cognoſcimus. Sed ad cauſas inveſtigandas applicandus eſt animus. Cum vero in ſtatu naturali actio illa bonam conſtitutionem organi, congruitatem ſolventis, & proportionem ſolvendorum ſive alimentorum requirat, ſtatus præter naturam quoque ex vitiato vel organo, vel ſolvente, vel ſolvendis recte derivabitur. Præſertim autem hæc conſideratio cauſam determinabit immediatam proximam & continentem, dum remotiores, antecedentes & accidentales aliunde promanant.

§. VII.

Organi ex culpa digeſtio vitiatur non modo, quando incongruum habet ſitum, quale exemplum VESALIUS *anat. l. V. c.* 4. recenſet; Aut etiam ejus amplitudo naturalis vitiatur, quando anguſtior juſto eſt, ciboſque retinere nequit, uti FORESTUS enarrat; ſed etiam in tono ejus vitiato. Hic vero ſpecialius ut cognoſcatur, attendere debemus præſertim ad tunicarum conſtitutionem, quæ partim ſunt nimis extenuatæ, uti in Ferdinando III. Rom. Imp. BONETUS annotavit. vid. *Sepulchr. Anatom. l. III. ſect. II. pag.* 761. partim excoriatæ, & cruſta villoſa velut abraſa, ut hinc ob nimiam ſenſibilitatem nihil retineant, ſed mox iterum rejiciant; partim carnearum fibrarum nimia laxitas, aut etiam conſtrictio convulſiva adeſt, ubi utrinque nec alimenta continet, nec ſufficienter ſubigit.

§. VIII.

Sic etiam ex vitio ventriculi oritur apepſia, nimirum ſi ejus tunicæ ſint nimis laxæ, i. e. quando ſingulæ fibræ, quæ antea in latitudinem & rotunditatem erant expanſæ, jam diſſolvuntur, & longiores redduntur, ita ut nihil aſſumtorum in ventriculo retineri & diſſolvi queat, quod in muliere quadam obſervavit BALLONIUS, vid. *Conſil. LXXVIII. l. III.* & BAUHIN. *Theatr. Anatom. lib. I. c.* 46. Sic etiam ſi tuberculo duro ventriculus obturatur, ut FERNELIUS *l. VI. pathol. c.* 1. exemplum recenſet de gravida fœmina, quæ nihil cibi aſſumere potuit, quin iterum eos intactos redderet. Pyloro etiam affecto hoc malum oritur, vid. SALMUTH *obſ. XX. cent. I.*, qui hiſtoriam recenſet de quodam, qui pro hypochondriaco habebatur, revomuiſſe cibum ingeſtum ob pylorum ſcirrhoſum, quem poſt mortem deprehenderunt. Imo malum hoc inſuper naſci poteſt, quando ventriculus a partibus adjacentibus læditur, v. g. ab omento putrefacto, ut annotavit MOLLENBROEC. *miſcell. curioſ. anno* 1670., vel quando ventriculus mutat ſitum, ſcil. ſi uſque ad umbilicum propendeat. vid. RIOLANI *Ench. Anat. pathol. l. II. c.* 23., aut ſi ventriculus eſt inflammatus, exulceratus, excoriatus, vid. BARTHOLINUM *in act. med. anno* 1674. *ſeqq. vol.* 3. *obſ.* 34.

§. IX.

Quod ſolvens attinet. Juxta veterum hypotheſin cauſam ſolutionis immediatam in calore ponebant. At nullus hic adeſt ignis, ſed calor ille, qui in corporibus deprehenditur, ex motu tantum proficiſcitur. Cauſa autem chylificationis dici vix poteſt; alias omnium optime illa peragi deberet in febribus ardentibus, ubi maximus & in omnibus partibus, & in ventriculo etiam calor eſt; aſt quotidiana experientia contrarium probat. Videmus etiam ex aſſumtis calefacientibus, v. g. ſpiritu vini, quanquam ille interdum chylificationem promovere ſoleat, nihilominus tamen ejus nimium uſum hanc actionem lædere obſervamus. Et quid dicam de piſcibus, in quibus nullus concipi poteſt calor; ut taceam, potum frigidum inter cibandum aſſumtum quotidie oſtendere, quod tantus color vix concipi poſſit. Nonne etiam multa in ſtomachis nonnullorum animalium diſſolvuntur, v. g. oſſa in canibus, quæ ſane calor diſſolvere nequit. Concludo itaque, calorem non digerere efficienter, ſed excitative, id eſt, quod calor ex ſanguinis & ſpirituum motu perenni ortus multum quidem ad ſolutionem ciborum conferat, ut ex chymicis videre eſt; ibi enim caloris beneficio omnes ſolutiones ferme facilius ſuccedunt, interim tamen non ut cauſa efficiens & abſolvens. Proin, quamvis frigus noceat & impediat chyloſin, caloris tamen defectus ſolitaria cauſa Apepſiæ ſalutari nequit.

§. X.

Nec cauſam chylificationis eſſe fermentum aliquod acidum, ut mihi videtur, quamvis nonnulli illud vel in liene ut HELMONT. vel in pancreate, ut HORSTIUS & BROECKHUYSEN, vel in ventriculo & quaſi connatum, ut TACHENIUS quærere conantur.

§. XI.

Lienem autem officinam non eſſe, ex hoc concludere licet, quod 1.) quamvis ille in lacte coquatur, nulla lactis in caſeoſam ſubſtantiam contingat præcipitatio, 2.) nec exſtirpato liene chylificatio & appetitus læditur, 3.) quia vaſa ex liene ad ventriculum non dantur adducentia, quare chylificatio a fermento ex liene in ventriculum inſpirato, ut fingunt, proficiſci haud poterit.

§. XII.

Sic nec pancreas officinam eſſe fermenti acidi; ſuccus enim ille non in ventriculum, ſed in inteſtinum duodenum fluit, imo in ſtatu naturali juxta NEEDHAM non acidus, ſed ſalſus deprehenditur. Et ſi eſſet acidus, chylus in inteſtino duodeno coagularetur; & licet ligetur pylorus & inteſtinum duodenum ſub inſertione ductus cholodochi & pancreatici, interim tamen nihil præcipitationis aut efferveſcentiæ obſervatur.

§. XIII.

Cum igitur fermentum illud acidum non proveniat ex liene, nec ex pancreate, forte ipſi ventriculo connatum. Verum & hoc eſſe falſum, concludimus, quia infantes, ſi aliàs ſani, lac quam optime digerere & in nutrimentum vertere poſſunt, ubi e contra, cum acidum in eorum ventriculis detineretur, lac ſtatim aſſumtum coagularetur, nec in nutrimentum abire poſſet, ſed coagulatum tanquam inutile pondus vel per vomitum aut alvum ejiceretur.

§. XIV.

Et tandem quis ſibi perſuadebit, fermentum acidum eſſe menſtruum univerſale ſolvens? dum ſcimus varia acida pro diverſitate ſolvendorum requiri, dum Mars a ſpiritu vitrioli, Saturnus aceto, metalla (excepto auro) aqua forti ſolvuntur. Imo quis neſcit, acida, licet fortiſſima, non attingere pinguia & oleoſa, ſed potius ab his eorum vim hebetari & obtundi, quæ tamen in ventriculis ſanorum optime ſolvuntur & in ſuccum laudabilem vertuntur. Atque hinc, ſi acidum non eſt ſolvens naturale, neque flatus præter naturam ab acidi abſentia pendebit.

§. XV.

Enimvero genuinum ſolvens eſt lympha partim ex glandulis ventriculi ſecreta, partim etiam ex ore ſalivæ nomine, & glandulis œſophagi ad ventriculum deſcendens. Hoc enim ſerum genuinum eſſe ad cibos diſſolvendos menſtruum, perſuademur, quia in ſufficiente adeſt quantitate, ſcil. ſi tot fontes, ex quibus congeritur, reſpiciamus, & proportionem inſtituamus cum alimentis, non quæ aſſumuntur ordinarie, ſed quot aſſumi debebant; quare etiam, ut digeſtio facilitetur, aſſumuntur ſimul liquida. Præterea particulis ad diſſolutionem ciborum neceſſariis inſtructum eſt. Etenim ſi ſalivam inſpiciamus, etiamſi videatur inſipida, nihilominus ſalis alicujus præſentiam præter aqueas particulas accuratus examinans obſervabit. Præter has recenſitas particulas, aqueas nimirum & ſalinas, etiam viſcidæ quædam ſive flexiles inveniuntur, quæ acrimoniam ſalinarum aliquantulum obtundunt, & quaſi glutinis inſtar exiſtunt ad particulas gelatinoſas e cibis evolutas cum aqueis combinandas. Serum reliquum, tam a glandulis ventriculi, quam gulæ ſecretum, ejuſdem eſt cum ſaliva indolis, quia a glandulis conglomeratis ejuſdem generis ſecernitur, ejuſdemque etiam cum ea conſiſtentiæ, tandemque guſtu exploratum aut inſipidum aut leniter ſalſum ſuper naturam deprehenditur, ut proin aqueæ partes menſtrui alimentorum ſalinas, ſalinæ ſolidiores & firmiores aggrediantur & diſcontinuent, viſcidæ vero aqueas & gelatinoſas pro chylo conſtituendo combinent.

§. XVI.

Vitiatur igitur digeſtio ex ſolventis hujus vitio, ſcilicet quando vel deficit, ſive quod nulla in æſtu nimio ſecernatur, aut alio tranſeat, ſive quod incongruum & qualitatibus debilis inſtructum non ſit, viſcidius, ſpiculis ſalinis deſtitutum &c. exiſtat.

§. XVII.

Ratione ſolvendorum abolita fit chylificatio 1.) ſi alimenta, quæ calida potius aſſumi debebant, (quod particulis actu jam agitatis earum reſolutio facilius ſuccedat) frigida aſſumantur. 2.) Si inter ſolida & liquida non obſervatur proportio, id eſt, cibum & potum; nam qui meris liquidis veſcuntur, in cachexiam tandem etiam incidunt, quemadmodum id Kerkringius de fœmina quadam recenſet, quæ omnibus ſolidis neglectis liquida tantum ſumſerat, unde ventriculus adeo debilis fuit factus, ut liquida deinceps ferre non potuerit. Sic neglecto potu qui cibos affatim devorant, chylificationem maxime turbant, uti ex chymicis operationibus videmus, ſi ſolvens ſolvendo non reſpondeat, imo ſi non in majore adhuc quantitate adſit, parum aut nullam fieri ſolutionem. Hoc etiam animadvertit Drelincurtius, qui canem, cui aquam denegaverat, ſolo pane cibavit, poſt aliquot horas in ejus ventriculo panem intactum obſervavit. Sic & neglecto potu obſtructiones aliaque incommoda oriri poſſunt. 3.) Si alimenta utriuſque generis juſta non gaudeant quantitate, id eſt, tantum non aſſumantur, quantum corpori alendo requiruntur, quare ſi illa intempeſtive ingurgitantur, in ſuccum laudabilem converti nequeunt. 4.) Debitam etiam ſi qualitatem non obtineant, id eſt, ſi euchyma non ſint, nec bono ſucco turgida, atque eupepta & facile digeſtibilia, dum viſcida, ſolidiora, energiam ſolventis eludunt, acria ad ſui excretionem continuo ventriculum irritant. 5.) Incongruus in ingerendis iis ordo, & tempus, viam quoque parat, quatenus videmus, potum intermedio tempore a prandio, a cœna, & præſertim nocturnum inſigniter nocere. 6.) Ætas quoque annotanda eſt, quatenus alia alimenta infantibus, alia juvenibus, alia conſiſtenti ætati, alia ſenibus convenire, experientiæ quotidianæ eſt, dum v. g. infantes & ſenes molliora & facile liqueſcibilia expoſcunt. 7.) Conſuetudo etiam hic referenda eſt, v. gr. ſi aliquis hactenus victui delicatiori aſſuetus alimenta ruſticis proficua aſſumat, is notabilem ventriculi debilitatem deprehendet, ita ut nihil deinceps diſſolvi poterit in ventriculo.

§. XVIII.

Inſuper cauſæ hactenus recenſitæ proximæ ex variis aliis remotioribus & antecedentibus excitari & foveri ſolent. Nimirum ex longa abſtinentia ciborum, nimiaque ventris compreſſione. v. Langii *epiſt. med. l. 2. ep. 27. p. 671.*, vel ſi ventriculus nimis amplus eſt ex defectu ſpirituum, vel ex aſſumtione nimiæ ciborum quantitatis, vel potu copioſiori. Particulis enim his humidioribus fibrillæ ventriculi extenduntur, relaxantur, ſicque patentior redditur, quod ſæpe etiam in potatoribus videre contigit. vid. Willis *pharm. rat. c. 2. ſect. 2. p. m. 10.*, vel ex ſero & bile ad ventriculum regurgitante nimis acri, vel aſſumto veneno, arſenico, mercurio ſublimat. Salmuth *cent. 1. obſ. 9.*. unde excoriatio tunicarum ventriculi fit, quæ etiam a vermibus oritur, vid. Boneti *ſepulch. anatom. pract. l. 3. ſect. 7. obſ. 5. p. 770.*, imo vulnere inflicto.

§. XIX.

Quod ſalivæ attinet defectum, ille oritur vel ex continua exſpuitione, vid Sylvii *pr. medic. l. 1. c. 7. §. 13.* vel ſudore, diarrhœa, aliiſque excretionibus nimiis. Lymphæ autem vitioſa qualitas accuſatur, ſi aquea eſt nimis ob aquam jejuno ventriculo ſuperbibitam. vid. Sylvii *Pr. l. 1. c. 7. §. 11.*, aut ob alia potulenta aquea in nimia quantitate ſumta. v. gr. thee, coffee; particulæ enim aqueæ ſalia ad ſolutionem maxime neceſſaria eluunt & e corpore ducunt. Lympha viſcida utplurimum generatur ex aſſumtis eandem naturam habentibus, v. gr. ex eſu melonum, cucumerum, oſtrearum, caſei, pernæ, aſelli, aliorumque viſcidorum & duriorum ciborum; viſcida enim ſpicula ſalina ramoſis ſuis partibus involvunt, & ad agendum & ſolvendum inhabilia reddunt. His accedit intermiſſa ciborum in ore præparatio, vel ob neglectam maſticationem, vel ob ſalivæ permiſtionem non factam, utpote quibus ingens ad facilitandam digeſtionem momentum ponitur.

§. XX.

Conſideratis cauſis progrediendum erit ad ſigna tam diagnoſtica quam prognoſtica, quæ ad curam rite inſtituendam neceſſaria ſunt. Ex diagnoſticis autem quædam ſunt, quæ cauſas in ſpecie tegunt quæ-

quædam demum, quæ apepſiam a morbis analogis diſtinguunt.

§. XXI.

Morbum itaque præſentem patefaciunt, quando æger poſt aſſumtionem ciborum, imo juſculorum, de dolore ventriculi gravativo conqueritur, poſtque plures horas ructus aſſumtorum ſaporem & odorem referentes ſuperveniunt, nec ab iis prius liberantur, donec immutati & indigeſti vel per vomitum aut alvum ejiciantur, vid. Petræi *noſolog. harm. l.* 1. *diſſ.* 23. *pag.* 389. Superveniunt hinc pallores faciei, cephalalgiæ, defectus virium, aliaque ex non facta præparatione incommoda.

§. XXII.

Ne autem apepſia cum lienteria confundatur, tenendum, in lienteria cibos non ſolutos quidem, ſed brevi tempore poſt aſſumtionem, in apepſia vero in ventriculo non tantum ad horas 4. 5. vel 6. alias ſolutioni deſtinatas vid. *Circ. anatom. phyſ. Excell.* D. Bohnii *p.* 151. detineri, verum etiam ad dies, imo menſes, ut de uvis obſervavit Kerkringius vid. *obſ. anatom.* 6. donec tandem integri & immutati excernantur.

§. XXIII.

Cauſas ipſas judicamus ex phænomenis, quæ circa apepſiam hinc inde obſervantur. Ita, quo diutius cibi in ventriculo continentur, eo major etiam erit ſalivæ ſeu menſtrui ſolventis defectus, vel viſciditas; nec malum hærebit in ventriculo; ſin vero vix per horas 4. vel 5. ob conjunctum dolorem rodentem poſſunt detineri, palam eſt, malum in ventriculo hærere.

§. XXIV.

Vitium ventriculi, & quidem 1.) nimia anguſtia patefcit ex paucitate aſſumtorum, nimiaque ventris (ut virgines ſolent) compreſſione. 2.) Nimia amplitudo ex ventre prominente, imprimis in regione epigaſtrica, nimioque potu hactenus aſſumto &c. 3.) Inflammatio & excoriatio ex ardore ingenti, dolore acerrimo, febre ardente, ſiti inexhauſta, nauſea, ructu, vomitibuſque, pulſu duro valido, unde etiam arteriæ rigidæ quaſi tactu obſervantur. Exulceratio vero ex rejectione ſimul puris cognoſcitur.

§. XXV.

Menſtrui autem defectus dignoſcitur ex ariditate, ſiccitate linguæ, ſudore nimio, diarrhœa, urina copioſius excreta, hæmorrhagiis nimiis, &c. viſciditate ex ſaliva tenaciori pertinacius adhærente, aſſumtiſque aliis viſcidis. Salium in lympha defectum vel ex aſſumtis liquidis nimiis, quæ illa diſſolvunt & eluunt, vel ab aliis, quæ ſpicula ſalina involvunt, & eorum vim obtundunt, concludimus.

§. XXVI.

His igitur recenſitis recte ad prognoſin ſive eventum hujus effectus proveniendum eſt. Eſt autem apepſia inter morbos non leves collocanda, quia plurimorum morborum cauſa, origo, & fomes eſt. Denegata in ventriculo chylificatione omnes corporis partes enervantur, accedunt animi deliquia, lienteria, imo omnes motus tandem ceſſant, ut nihil aliud ſperandum, quam vitæ cum morte commutatio. Interim tamen ſpes aliqua recuperandæ valetudinis adhuc ſupereſt, ſi a defectu particularum aquearum aut ſalinarum proveniat, aut ex aſſumtione in magna ciborum copia potuque neglecto. Difficilioris autem curationis eſt, ſi malum hoc ex exulceratione aut excoriatione ventriculi ſit. Et in illis vix cura ſupereſſe mihi videtur, qui a ventriculo male conformato illud acceperunt; ſic & incurabilis videtur in ſenibus, quibus ob defectum ſpirituum omnes motus jam debilitati ſunt.

§. XXVII.

Tandem ad ipſam morbi curationem recte properamus, quæ quidem pro diverſa cauſarum indicatione diverſimode inſtituitur. Nimirum ventriculi tonus roborandus, menſtruum in ſtatum naturalem reſtituendum, & in ſolvendis debita proportio obſervanda.

§. XXVIII.

Ventriculi tonus vitiatus, quando ſcil. fibrillæ in ventriculo ob aſſumta in nimia quantitate potulenta, defectumque ſpirituum ſunt laxatæ, corrigitur (potu prius hactenus conſueto interdicto) vel per aromatica & leniter adſtringentia. Ea autem adhibentur vel interne vel externe. Inter interna medicamenta imprimis laudatur maſtiche ejuſque ſpiritus. vid. Paulli *in quadrip. botanic. p.* 541. Poſtea nec minorem virtutem habent mentha, abſynthium, ejuſque eſſentia & extractum, it. flores roſarum, ſpicæ, ſchænante, cortex citri & aurantiorum, poma cydonia, ſuccus catechu & tinctura ejus, nux moſchata, cardamomum, maxime vero in hocce caſu aliiſque ventriculi debilitatibus ſequentem Decker commendat tincturam ſtomachicam. *Rec. Radicis enulæ campanæ. unc. unam & dimid. zedoariæ unc. unam; calami aromatici, angelicæ, galangæ ana drachm. ſex; zingiberis, liquiritiæ, ana unc. ſem. ligni aloes drachm. quinque, foliorum menthæ criſpæ, manipul. duos, baccarum juniperi unc. unam; baccarum lauri, ſeminis fœniculi, ana unc. ſemis; aniſi, carvi ana drachm. tres, corticis Winterani ſive canellæ albæ, drachm. ſex; cinnamomi acuti, ſantali rubri, ana unc. unam; piperis nigri, corticis aurantiorum, cardamomi minoris, nucis moſchatæ ana drachm. duas; inciſis & craſſe contuſis, affunde ſpiritus vini q. ſ. miſceantur & digerantur per octiduum, deinceps* tinctura decantatur. vid. *laudati Autoris exerc. practic. pag.* 265. Huic tincturæ non minor virtute erit Aqua ſtomachica D. Wedelii, quæ ita componitur. *Rec. Radicis calami aromatici conditæ, unc. duas; zingiberis, flavedinis aurantiorum ſiccatorum, ana drachm. ſex; caſſiæ ligneæ, unc. ſem. fœniculi, aniſi, ana manip. unum & ſemis; herbæ menthæ, manip. duos; roſarum rubrarum manip. unum & ſemis, omnia inciſa macerentur in ſpiritus florum ſambuci, ſucci cydoniorum & vini malvatici, ana libr. duabus, deſtillentur*; de quibus inter cibandum cochl. 1. vel 2. ſumi poſſunt. vid. Juncken *in Chym. pag.* 615. Sic pulvis ſtomachicus Birckmanni, Quercetani, Michaëlis; item Elixir proprietatis Paracelſi cum acido, mixtura ſimplex, & tinctura Bezoardica D. M. huc referri poſſunt.

§. XXIX.

Succurrunt quoque medicamentis internis externa, v. g. cruſta panis cum nuce moſchata aliiſque aromatibus, aut ſpiritu vini, vel vino malvatico aut aqua menthæ imbuitur, & ventriculo calide imponitur. Sunt & alia adhuc in uſu domeſtica, theriaca cydoniata emplaſtrorum loco applicanda. In uſum denique vocantur olea deſtillata aromatica angelicæ, menthæ, balſamum peruvianum, gummata tacamahacæ, galbanum, maſtix, uti ſequens balſamum ſtomachale laudatur: *Rec. Olei nucis moſchatæ expreſſ. unc. unam, ma-*

maſtiches, *menthæ*, *ana unc. ſem. caryophyllorum*, *calami aromatici*, *ana drachm. unam*; *carvi*, *macis*, *ana ſcrup. duos*, *balſami peruviani unc. ſem.*; *ceræ albæ q. ſ. miſce* : *fiat balſamum.* Nec emplaſtra in officinis jam parata excludenda ſunt, v. gr. de cruſta panis, diaphœnicum, carminativum Sylvii, uti & JUNCKEN *in ſua Chym.* emplaſtrum quod nonnulli magni æſtimant, cujus compoſitionem hic inſerere volui: *Rec. Maſtiches unc. tres*, *tacamahacæ*, *unc. unam*, *hiſce leni calore mixtis adde gallarum drachm. tres*, *caryophyllorum*, *cinnamomi*, *ligni aloes*, *nucis moſchatæ ana drachm. tres*, *ceræ virginis unc. octo*, *agitentur*, *ac in paſtam redigantur. Ultimo cum parum refrixerint*, *adde balſami peruviani unc. unam*, *miſce in emplaſtrum vid.* JUNCKEN *Chym. p.* 620.

§. XXX.

Ventriculus vero nimis anguſtus, ſi vitium conformationis ſit, medicamentis non tollitur. Quis enim fibras natura quaſi arctiores ſive breviores factas longiores reddere audebit? Interim ſi a nimia ventris compreſſione oriatur, v. g. in virginibus, hinc vincula, quibus quaſi incluſæ ſunt, relaxentur, tam inter quam poſt prandium, quo ventriculus motum ſuum exercere queat. Adhortentur etiam, ut ſæpius copioſiore doſi, quam forſitan alias factum, aſſumant liquida. Hac enim ratione digeſtio facilius inſtituitur. Tandem longe aliter ſe habet curatio ab inedia oborta; hoc in caſu enim non niſi partitis vicibus cibi facilioris ſolutionis atque potulenta adjunctis ſpirituoſis, v. g. vino generoſo porrigi debent; nam ſi in quantitate ſumuntur cibi, utplurimum funeſtus ſuccedit eventus.

§. XXXI.

Excoriationem tandem quod attinet, omnium optime auxilium præſtant mucilaginoſa, præ aliis vero albumen ovi cum aqua roſarum, mucilagine tragacanthæ, gelatina cornu cervi, ebur, emulſio ex amygdalis pineis, &c. lac & lacticinia, juſcula avenacea, hordeacea &c. terra ſigillata; & ſi excoriatio imprimis fit a veneno ſumto, conducunt oleoſa, lac, oleum olivarum, amygdalarum dulcium ad vomitum uſque propinanda; vel a vermibus, ubi illi prius enecandi per amara, abſynthium, centaurium minus, abrotanum, carduum benedictum, folia ſcordii, tanaceti; item antimonialia, v. gr. tincturam antimonii ſimplicem & tartariſatam, item mercurialia; quemadmodum etiam aquam mercurialem cum tincturæ opii tantillo profuiſſe novi. His enecatis tandem per purgantia educendi ſunt, & ſic per ſupra recenſita excoriatio reſtituatur. Inflammationi aut exulcerationi ventriculi per appropriata remedia conſulitur.

§. XXXII.

Ut denique defectus particularum aquearum reſarciatur, videndum imprimis eſt, ex quibus cauſis ille ſuam ducat originem. Si enim ex continua exſpuitione, ſudore nimio, urina copioſius excreta, aut hæmorrhagiis nimiis proveniat, prius iis ſedatis conducunt aquea, ſpirituoſa; aquea, ut ſerum in ſanguine reſtituatur, e. gr. cereviſia primaria & ſecundaria, infuſum thee, coffee, ſerum lactis, & omnia medicamenta de aqua participantia. Spirituoſa vero, ut defectus ſpirituum recuperetur, e. gr. vinum generoſum, aqua cinnamomi, liliorum convallium & ejus ſpiritus, cunctaque aromata in claſſem ſtomachicorum referri ſolita, cinnamomum, galanga &c. In viſciditate proſunt incidentia tum ſalina alkalia, tam fixa, abſinthii, cardui benedicti, tam volatilia, ſpiritus ſalis ammoniaci, quam acida blanda, ſpiritus maſtiches, nitri dulcis, item ſalſa, liquor terræ foliatæ tartari, & aromata jamjam recenſita; porro etiam mixta tinctura tartari ſimplex & compoſita; ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus, caryophyllorum & ſal volatile ſtomachica optima ſunt. Interdum opus eſt cruditates evacuante removere, imprimis vomitorio ex tartaro emetico aut mercurio vitæ rite edulcorato.

§. XXXIII.

In defectu ſalinorum in uſum vocantur aromata & ſalina. Inter aromata prævalent zingiber, piper, galanga, zedoaria, radix ari, calamus aromaticus, caryophylli, cinnamomum. Præterea optime proſunt vinum aromatiſatum & ſalia ſuperius recenſita, item cochlearia & naſturtium cum cibis ſumta aut ex iis ſpiritus deſtillati.

§. XXXIV.

Quod ſolvenda attinet, bene reſpicere debemus, ut ſecundum circumſtantias recenſitas ab uſu frigidorum, viſcidorum, difficulter ſolubilium abſtineamus, alimenta euchyma & eupepta eligamus, conſuetudinis, ætatis, climatiſque rationem habeamus.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

BRADYPEPSIA,

SIVE

TARDIORI VENTRICULI CONCOCTIONE,

Primùm edita Anno 1703.

PROOEMIUM.

CONSIDERATA mihi magna ac prope infinita morboſorum affectuum copia, quæ valetudini atque incolumitati generis humani quotidie inſidias parat eamque non raro deſtruit ac pervertit, dubium ac plane incertum reddidit animum, quemnam potiſſimum eorum Thematis loco explicandum mihi ſeligerem. Opportune autem venit in mentem eorum opinio, qui plerorumque, ne dicam omnium, morborum originem ac fontem ventriculum arguunt, inque ejus vitioſe habentis juſta correctione curationis fere omnis cardinem verſari contendunt. Quam quidem ſententiam licet in totum meam facere nolim, perſuaſiſſimum tamen habeo, ſæpius eum, quam quidem vulgo creditur, fabulam ludere, non quidem, quod ab initio ſtatim male conſtitutus prima ſemper morboſæ cladis fundamenta jaciat, quamvis non raro ita ſeſe rem habere, non eam inficias; quin potius, quod aliunde licet enata labe vix liceat ipſi eſſe ſalvo ac incolumi, ſed in ſocietatem malorum veniens conſueto ſuo officio minus dextre defungatur, ut ita chylificatio læſa, tanquam fæcundiſſima cruditatum mater, cauſæ quaſi procatarcticæ faciem inducat, ac non ſolum oleum deinceps flammæ addat & præſentia mala foveat intendatque, verum inſuper etiam nova aliorum acceſſione eorundem numerum augeat cumuletque. Rectiſſime proinde in ſtatu præternaturali tantum non ſemper aliqua ventriculi ratio habetur, utpote quæ curationem, quamvis non abſolvat penitus, egregie tamen juvat ac promovet, neglecta vero felicem ejuſdem ſucceſſum plurimum, ſi non fruſtretur penitus, certe retardat inſigniter atque remoratur. Quæ cum accuratius penſitarem, nullus amplius dubitationi locus relictus videbatur, quominus Bradypepſiam Diſputatione mihi ſumerem explicandam. Quod ut feliciter cedat, Divini Numinis auxilium devotis precibus imploro.

§. I.

VOx Bradypepſiæ Græcos habet natales, conflata ex βραδὺς, tardus, & πέπτω, coquo, quaſi dicas tardam coctionem, ſcilicet ventriculi, ſiquidem Veteres eum ollæ aut lebetis inſtar ſe habere credebant, hincque contingentem in eo chylificationem per modum coctionis fieri ſtatuebant. Contradiſtinguitur nonſolum Apepſiæ ſive abolitæ chylificationi, cum particula α Græca *inſeparabilis* & *privationem* ſignificet; verum etiam Dyſpepſiæ, quæ vox GALENO ac plurimis aliis Authoribus depravatam ventriculi coctionem denotat, quamvis alii per *imminutam* explicent, non ſecus, ac appetitum imminutum dicant Dyſorexiam, cum particula δὺς aliis voculis adjecta non præciſe male ac depravate quid fieri aut ſe habere indicet, quin potius, quamvis difficultatem deſignet; jam vero, quæ tarde fit, quæ imminuta exiſtit chylificatio, ea ægre ac difficulter procedere recte dicatur. Quamvis autem derivatio ac vis vocis poſteriorem hanc explicationem facile admittat; cum tamen uſum, quo verba non minus ac nummi valere non immerito dicuntur, propriori magis ſignificatione militare deprehendam: malui affectum, circa quem præſens occupabitur tractatio, Bradypepſiam inſcribere, actionem imminutam indicaturus. Equidem inficias ire nolim, quin imminuta chylificatio ordinarie aliquid depravati inſimul involvat, dum chylum minus exaltatum ac perfectum, craſſum crudumque producit; quæ forte eti-

am cauſa nonnullos movit, quod depravatam ventriculi actionem dicerent Bradypepſiam. At vero cum depravatæ vitium veluti effectus quidam ab imminuta dependeat, inſuperque aliquando aliam cauſam agnoſcere poſſit, ſatis recte imminutæ chylificationi Bradypepſiæ titulus conſtabit.

§. II.

Expedita termini anbiguitate ut ad rem ipſam propius accedam, Bradypepſia mihi dicitur actio ventriculi ac inteſtinorum imminuta, alimentorum extractionem tardius & imperfectius præſtans, ac modo menſtrui extrahentis, modo organi calore motuque ſuo extractionem juvantis, modo denique alimentorum extrahendorum culpa contingens. Equidem affectus noſtri ſubjectum unicus vulgo creditur ventriculus, utpote cui totum chylificationis negotium in ſtatu ſecundum naturam tribui conſuevit, cum tamen in communionem laudis hujus recte venire videatur inteſtinorum tenuium, ſi non omnis, certe maximus tractus, non ſolum ratione caloris motusque ſui, periſtaltici dicti, ventriculo haud cedens, verum etiam ſimilem liquorem ipſamque inſuper bilem aſſumtis alimentis affundens. Nec obſtat, quod in ventriculo longiorem paulo moram trahant alimenta, utpote quam inteſtinorum longitudo ſatis ſuperque compenſare videtur, ut adeo chylosis, uti in ventriculo inchoatur, ita in inteſtinis continuari & abſolvi, atque chylus inibi ulterius perfici ac ultimam quaſi manum experiri recte dicatur, proindeque una cum ventriculo inteſtina ſubjectum affectus noſtri jure meritiſſimo nuncupentur.

§. III.

Antequam vero cauſarum evolutioni me accingam, operæ pretium facturus mihi videor, ſi chylificationem, prout in ſtatu ſecundum naturam ſeſe habet, breviter exponam, non niſi primas quaſi ejus lineas ducturus, cum id præſenti inſtituto abunde ſufficere poſſit. Fieri igitur illa ac abſolvi per modum ſolutionis & extractionis cujusdam mihi creditur, ita ut objectum extrahendum conſtituant alimenta, particulis nutritiis chyloſis gelatinoſis fœta, (ſive ea ſub nomine cibi ſive potus aſſumantur) quæ modo ſufficientem præparationem in culinis conquaſſando, contundendo, incidendo, aſſando, elixando, ſimilibusque modis aliis pluribus peractam admiſerunt; modo inter aſſumendum demum maſticationis, quæ inciſoribus ac molaribus dentibus perficitur, beneficium experiuntur, non ſecus ac in Chymicis res extrahenda inciſione, pulveriſatione, tritura, aliisque artificiis eo diſponi ſolet, ut majorem nacta ſuperficiem actionem menſtrui eo promtius admittat. Quod vero noſtro inſervit negotio menſtruum, id non ex uno ac ſimplici emanat fonte, ſed plures agnoſcit ſcatebras, compoſitum ſcilicet ex ſaliva ac liquore ſeroſo, quem gulæ quidem glandulæ parciore, ventriculi autem majore quantitate fundunt, accedente deinde non abſimili alio, qui ab inteſtinorum glandulis proficiſcitur, nec non ſucco pancreatico ipſaque deinde bile, quam copioſiſſimo ſale ſalſo turgidam ab injuriis Veterum, inutilem & excrementitium humorem urgentibus, jure meritoque recentiores vindicarunt. Atque hi liquores, uti conjunctim menſtruum chylificans conſtituunt, ita omnes, unica excepta bile, ejusdem plane indolis ac naturæ deprehenduntur, niſi quod unus præ alio, præcipue ſaliva, copioſioribus gelatinoſis moleculis inſtructus majorem conſiſtentiam præ ſe ferat, cum revera ſunt ipſiſſimum maſſæ ſanguineæ ſerum, in glandulis ſalivalibus, gulæ, ventriculi, inteſtinorum atque pancreatis (quod ex minutulis glandulis in unum quaſi acervum conglomeratis totum conflatum eſt) mechanicæ, quam obtinuerunt, conformationis beneficio ab eodem ſecretum. Quandoquidem autem ſalinæ (haud tamen acidæ, ſed ad ſalis ſalſi ſeu enixi indolem ac naturam proxime accedentes) pauciores ipſi obtigerunt particulæ, contra vero aqueæ longe maxima quantitate in eo abundant non deficientibus inſuper gelatinoſis moleculis, in feliciores harum atque alimentorum permixtionis gratiam oppido neceſſariis: magno œconomiæ animalis commodo factum credi debeo, quod copioſiſſimo ſale turgida bilis, quam hepatis glanduloſi acini ſecernunt, reliquo liquori accedat, ultimum quaſi complementum ei addens, quo extractionem juſtam eo facilius ac rectius perficiat & abſolvat. Atque hic multiplex liquor aliorum liquorum, ſive in cibis ipſis contentorum, ſive potus nomine venientium, cum ſibi ſoli relictus quantitati alimentorum haud reſpondeat acceſſione ulteriori inſuper locupletandus, uti brevitatis gratia deinceps menſtrui nomine mihi deſignabitur, ita haud ſimul & ſemel ſed ſucceſſive alimentis extrahendis admiſcetur, ſiquidem aliqua ejus parte jam in ore inter maſticandum irrigantur, alia eaque uberiori in ventriculo ipſis præſtolante ac perpetim eo confluente, cum, quod reliquum ejus eſt, in ipſo tandem inteſtinorum tractu illis confundatur. Quamvis autem eorum pariter atque ventriculi cavitas hoc nomine cum vaſe ſeu receptaculo componi poſſit, in quo extractionis noſtræ negotium abſolvatur, haud tamen mere paſſive ſe habent viſcera iſta, uti quidem Veterum nonnullis videbantur, cum, ut alia mittam, & calore ſuo, qui a ſanguine proprio nonnihil intenditur, & motu, quem fibris ſuis muſcularibus tunicam carneam conſtituentibus debent, chylificationem inſigniter promoveant, non ſecus, ac Chymici actuali calore crebriorique vaſis continentis concuſſione, qua contenta intus agitantur, extractionem quamvis juvant & accelerant, quæ, abſque iis ſi eſſet, longiori multum temporis ſpatio indigeret, quin & ita felix omnibusque numeris abſoluta ſæpius haud obtineretur. His igitur ſubſidiis ſuffultum menſtruum chylificationem præſtat, dum aſſumtorum maſſæ, activitate ſua diſſolutæ, comminutæ, laxatæ, multumque ſubactæ, pulpæ mollioris conſiſtentiam ac formam inducit, ſenſimque particulas gelatinoſas oleoſas a reliquarum compage liberatas porisque ſuis exceptas imbibit ac abſorbet, quibus ſaturatum ac tunicæ inteſtinalis ſive cruſtæ, quam dicunt, villoſæ poris tanquam colo naturali filtratum extractum nobis conſtituit, quod non ſecus, ac Chemicis productum ejusmodi tincturæ ſeu eſſentiæ titulo condecorari ſolet, chyli nomine inſignitum omnibus innotuit, fæcum reſiduarum inſtar capitis cujusdam mortui commoda per alvum ſubſequente excluſione. Adeo Chymicorum operationi naturalis hæc extractio, ac ovum ovo ſimilis videtur.

§. IV.

Ex iis, quibus ſtatum ſecundum naturam nonnihil adumbravimus, facile colligere poſſumus, in ſtatu præternaturali chylificationem imminui culpa modo menſtrui extrahentis, modo caloris & motus extractionem juvantis, modo denique alimentorum, tanquam objecti extrahendi, quæ cum cauſæ proximæ ſive immediatæ inſtar ſeſe habeant, ſingula accuratiorem merebuntur conſiderationem. Quod ergo 1) *ad liquorem gaſtricum* tanquam menſtruum attinet, non unum rurſus ac ſimplex ſed varium prorſus ac multiplex, quo chylificationem lædit, ejus deprehendimus vitium, quale quidem 1) eſt *quantitas deficiens, nec moli extrahendæ proportionata*, cum men-

menſtruum ultra ſphæram activitatis ſuæ, (uti loquuntur) agere nequeat, hincque inter illud, ac rem extrahendam juſta proportio neceſſario requiratur. Neque enim major alimentorum moles aminore menſtrui quantitate ſufficienter ſubigi, & ad dimittendum, quas in ſinu ſuo fovet particulas chyloſas diſponi poterit, nec, qui eas admittere debebant, pori menſtrui excipiendarum numero reſpondebunt, ut proinde utroque nomine chylificationis negotium turbetur ac impediatur.

§. V.

Atro carbone notanda etiam erit 2) *nimia menſtrui noſtri aquoſitas*, ſive eam conſideres ratione ſalinarum, ſive ſubtiliorum ac ſpirituoſarum particularum, quarum beneficio id obtinetur, quod ab aqueis ſolis, connubio iſtarum deſtitutis, fruſtra ſperaretur. Certum enim eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſitum, ſalia notabili præ aliis particulis gaudere & rigiditate & acutie, ut proinde ipſarum actio per vim ac potentiam cunei rectiſſime explicetur, neque in alias particulas impingere ac impelli poſſint, quia eas findant, dividant, & in minores moleculas divellant atque diſcerpant. Jam vero, ſi ſpicula hæcce in menſtruo noſtro rariora occurrant, ac abundantibus contra aqueis nimium diluantur, haud totidem ictus, ac ſi numeroſiora adeſſent ſalia, aſſumta alimenta ſuſtinebunt, quibus alias non ſolum particulæ eorum chyloſæ gelatinoſæ abraduntur, aquearum poris illico excipiendæ, verum etiam fibræ inciduntur ac dilacerantur, compages ſolvitur, partes craſſiores in minores moleculas rediguntur, ac proinde pori antea profundius latentes extravertuntur, ipſisque aqueis menſtrui particulis porta aperitur, ut omnia intimius penetrare, majorem vim ubique exſerere, ac reſpondentes poris ſuis particulas detergere, excipere, ſecumque abripere poſſint. Quandoquidem autem vis cunei non a ſola dependet figura, ſed motus inſuper accedat neceſſe eſt, quo in objectum diſtringendum feratur iſte ac impingat; jam vero cuneoli iſti, ſive ſalia, quibus menſtruum noſtrum præditum eſt, vix alio motu gaudent, quam quem ab aqueis, quibus innatant particulis lucrantur; ipſæ inſuper aqueæ, licet inteſtino, quamdiu fluiditatem ſervant, motu perpetuo agantur, eundem tamen debiliorem ac placidiorem experiuntur: non exigui profecto momenti erunt particulæ menſtrui noſtri ſubtiliores, quæ in uberiori motu conſtitutæ aquearum, quibus permixtæ ſunt, ipſarumque proinde etiam ſalinarum motum uti neceſſario, ita notabiliter augent ac intendunt, ut eo majori vi ac efficacitate chylificationis negotium moliantur & perficiant. Per ſubtiles autem iſtas particulas nolo equidem ipſos ſpiritus animales intellectos, quos ex nervorum canalibus in ipſam ventriculi cavitatem excidere, ac liquori gaſtrico intimius nubere nonnulli volunt, nullo probabili ſuffulti argumento, cum ad motum ventriculi uberiorem, cujus neceſſitatem §. VIII. declarabit, perficiendum notabilis omnino ſpirituum copia hosque advehentium nervearum propaginum numerus requiratur, proindeque nulla urgente neceſſitate atque precario, imo invita plane Minerva duplex filamentorum nerveorum conformatio fingatur, quatenus aliæ in ipſam ventriculi cavitatem aperiri & hiare, aliæ in ipſam partis ſubſtantiam, ut alias fieri ſolet, ſe inſinuare ſtatuuntur. Rectius proinde hoc loco in medium advocare licebit particulas iſtas, quæ, quamdiu ſanguini permixtæ perſtant, ſpiritus vitalis nomine veniunt, in cerebro vero ſecretæ ſpirituum animalium titulo inſigniuntur. Has, inquam, & quæ ad harum indolem ac ſubtilitatem proxime adſpirant, deſignamus, quæ, uti cum maſſa ſanguinea, cui permixtæ latent, ad omnes corporis partes feruntur & appellunt, ita in glandulis menſtrui noſtri ſecretioni dicatis ab eadem una cum aqueis aliisque, quibus id præditum eſt moleculis, ſecedunt. Has ergo quandocunque deficere contingit, chylificationis negotium minus commode ſuccedat neceſſe eſt, eo quod menſtruum magna motus ſui inteſtini parte, quam in ſtatu ſecundum naturam illis debet, defraudetur, proindeque cum ſalinæ tum aqueæ ipſius particulæ nec toties repetitis vicibus nec tanta vi ac impetu, ac quidem alias conſueverunt, in aſſumta alimenta ferantur ac impingant, ſicque compagem eorum tardius diſſolvant, chyloſasque particulas minus promte abradant porisque ſuis excipiant.

§. VI.

Accedo nunc 3) *ad menſtrui noſtri vitioſam craſſitiem*, ſive ea particularum gelatinoſarum, quarum hic etiam in ſtatu ſecundum naturam aliquis, parcior tamen, datur proventus; aut terreſtrium mucoſarum ac viſcoſarum nimiæ moli proportionem, quæ cum aqueis intercedere illis debebat, lædenti debeatur, ſive earundem, juſtam licet quantitatem haud excedentium, arctiori congreſſui, mutuæ implicationi, firmiorique cohæſioni tribuenda ſit: profecto non uno nomine chylificationis negotium impedit ac remoratur. Etenim ſalinarum particularum ſpicula nimium involvuntur, ut caput exſerere inque aſſumta agere nequeant; aqueæ pariter arctiori reliquarum ſæpius inſuper craſſiorum ac copioſorum connubio detentæ, hincque muci magis quam juſti ſeri faciem præ ſe ferentes alimentorum ſuperficiei adhærere videntur, poris eorundem excluſæ, qui, licet ipſis ſolis aut pauciorum gelatinoſarum ſatellitio ſtipati pateant, haud tamen copioſiori inſimul craſſiorum numero admittendo reſpondent: accedit, quod deficientibus aut oppreſſis nimium ac coercitis ſubtilioribus, motum reliquarum intendentibus, contra vero abundantibus arctiusve ſibi implicitis movendis aliis particulis, motus inteſtinus menſtrui noſtri langueſcat, quo alias uberius agitatæ ſalinæ ac aqueæ moleculæ felicius munere ſuo defunguntur; quid? quod ſi vel pluribus aſſumta alimenta inſtructa eſſent particulis gelatinoſis, chyloſis, menſtrui noſtri ductui facile promteque obſecundantibus illæ tamen vix ac ne vix quidem poris ejusdem excipi ac detineri poſſint, ut pote jam antea ſatis ſuperque repletis atque onuſtis. Adeo chylificationem retardat, imo fere penitus ſufflaminat menſtrui craſſities, ut cauſarum reliquarum nulla pari cum eadem paſſu ambulare videatur, quin hæc omnes longe a tergo poſt ſe relinquat.

§. VII.

Pronimum nunc eſt, ut II. alia chylificationis impedimenta recenſeantur, quorum culpa menſtruum noſtrum minus commode ac perfecte eam perficere deprehenditur, quamvis ei in acceptis ferenda haud ſint ſecus, ac illa, circa quæ hactenus occupata fuit præſens tractatio, quin potius partibus continentibus ipſisque quaſi in ſubſidium venientibus vicinis aliis unice debentur; quale quidem eſt *caloris ſufficientis defectus*, quem uti a ſanguine ejusque uberiori motu lucrantur partes ſolidæ, ita contento liquori facillime impertiunt ac elargiuntur. Jam vero quantum iſte extractionem quamvis acceleret ac promoveat, neminem latere poteſt in chymia vel leviſſime verſatum. Nec ratio obſcura eſt, cur calor in inteſtino uberiori particularum motu conſiſtat, aut certe abſque eo concipi nequeat, cujus defectus ut extractionem alimentorum remoretur ac fere ſufflaminet.

minet, in præcedentibus dicta ſatis ſuperque declarant. Accedit, quod calore fluiditas ac tenuitas liquoris noſtri conſervetur, utpote ab inteſtino motu pariter dependens, quo langueſcente particulæ ramoſæ propius coëuntes, ſeque mutuo implicantes, quam modo tantopere culpavimus craſſitiem menſtruo noſtro inducunt. Sed nec minoris momenti eſt *motus ventriculi atque inteſtinorum periſtalticus* dictus, quem non inſuper habendum eſſe, vel inde inferre licebit, quod vaſorum continentium crebriori agitatione extractiones ſuas chymicorum filii mirum quantum adjuvare obſerventur. Et profecto, cum tantum motui liquoris noſtri inteſtino tribuendum eſſe conſtet, quidni & huic, qui a partibus ſolidis proficiſcitur, aſſurgamus? Siquidem extractionem præſtantes particulæ in alimenti extrahendi fruſtula ac moleculas, hæque rurſus in illas identidem impelluntur uno eodemque prorſus ſubſequente effectu, cum, utrum cuneus motus in objectum findendum ac diſſringendum, an vero hoc in eum quieſcentem agatur ac impingat, eodem recidere mechanica teſtetur. Quid? quod ipſa alimenta, dum in ſe invicem inque ipſius organi noſtri parietes ac tunicas continuo aguntur, inſignem attritionem atque comminutionem ſuſtineant, ſicque majorem acquirant ſuperficiem, (namque in quo plura atque minora fruſtula aliquid dividitur, eo majorem id ipſum ſuperficiem lucrari certiſſimum eſt, ut adeo longe plures ac numeroſiſſimæ menſtrui liquoris particulæ uno eodemque momento undique in eam ſimul irruere poſſint, chylificationis negotium felicius perfecturæ, quam ſi contra minorem nec adeo expanſam ſuperficiem obtinuerint, ſicque paucioribus menſtrui moleculis expoſita impetum earundem ictusque parcius admittant. Quandoquidem ergo tantam chyloſi remoram ponunt calor motusque ventriculi ac inteſtinorum imminutus, recte cauſarum immediatarum claſſi inſeri poterunt *viſcera iſta ſanguine vel parciori vel aquoſiore aut ſpiſſiori prædita*, utpote qui tantum iſtis calorem præſtare nequit, quantum conſuevit copioſior aut uberiori motu gaudens, adeoque calore largiori actu præditus. Ulterius eadem heic accuſari poterunt, ſi *ſufficienti ſpirituum animalium quantitate haud ſint inſtructa, aut ſanguinem parciorem, aquoſiorem aut craſſiorem poſſideant*, aut *nimia demum fibrarum ſuarum muſcularium laxitate, extenſione, conſtrictione, continui ſolutione, ſimilique malo laborent*, cum, quæcunque talis adſit diſpoſitio, inepta ſint, quæ motum conſuetum juſto modo poſſint perficere.

§. VIII.

Sed & 3) *alimenta ipſa* examinanda veniunt, quæ non una ratione Bradypepſiam inducere certum eſt. *Duriora* enim *ac firmiorem arctioremque nacta compagem* non aquearum ſolum, verum ſalinarum molecularum vim pertinacius eludunt, nec niſi repetitis diu multumque earum ictibus fibræ rigidiores diſſringuntur ac dilacerantur, totaque maſſa eouſque comminuitur atque ſubigitur, ut aqueæ particulæ altius eam penetrare chyloſamque ſubſtantiam abripere ſecumque auferre poſſint. *Craſſa*, *mucoſa*, *viſcida*, *pinguia atque oleoſa*, & ſi quæ dantur hujus farinæ alia aſſumta, ſalina ſpicula involvunt, ſicque eorundem actionem fruſtrantur; aqueas vero moleculas vel penitus excludunt, vel ægrius admiſſas ramoſis plexibus irretiunt ac detinent; utrarumque denique motum torpore ſuo atque inertia imminuunt ac ſupprimunt; tantum abeſt, cum arctius ſibi involuta atque mutuo implicita cohæreant, ut aquearum ductum ſequantur; quemadmodum & ſpeciatim pingues ac oleoſæ particulæ aquearum conſortium pertinacius reſpuunt, eo forſitan potiſſimum, quod ob copioſiores, quibus inſtructa ſunt, ramulos laterales aquæ porulis minus reſpondeant, niſi iſti ſalium beneficio magnam partem præſcindantur, ſicque mutua copula atque arctior implicatio prius quodammodo ſolvatur. Copioſiores aſſumanter cibi? menſtrui activitatem juſta proportione ſublata ſuperabunt, ceu ex §. XII. conſtare poterit, motumque ventriculi ac inteſtinorum non ſecus ac ponderoſiores impedient. Minus dextre maſticentur, ſed majoribus bolis deglutiantur? minori pollebunt ſuperficie, adeoque priusquam ulterius comminuantur, actionem menſtrui extractionem molientis parcius admittent. Sint actu frigidi aut aquoſitate uberiori abundent? liquoris noſtri particulas activas nimis diluent, motumque ejus adeoque vim omnem imminuent atque infringent. Contra aquoſitate omni deſtituantur, aut liquidorum aſſumtio negligatur? augmento iſto deſtitutum menſtruum quantitate deficiet, nec extrahendæ aſſumtorum moli reſpondebit. Et quid opus eſt longius hiſce immorari, ac in minima quævis momenta, quibus alimenta delinquunt, anxie inquirere, cum hactenus dicta facilem reliquorum explicationem ſuppeditent. Sufficiat præcipua capita indigitare, ratione quorum bradypepſiam cauſæ proximæ ac immediatæ inſtar generant atque inducunt, cum, prout mediatæ cauſæ ſpeciem gerunt, jamjam novæ conſiderationi ſubjicere eas oporteat.

§. IX.

Propero enim nunc ad cauſarum mediatarum examen, quarum aliæ propinquius, aliæ remotius paulo ſymbolum ſuum morbificum huc conſerunt, mediatarum proinde vel propinquiorum vel remotiorum titulum ſibi vindicantes; quamvis non deſint, quæ cauſam immediatam abſque interventu ac concurſu tertiæ producant; duplici proinde cauſarum ordine rem omnem abſolvente. Quod ad propinquiores attinet, quæ, uti cauſam immediatam producunt, ita ab alia ipſæ rurſus excitantur ac foventur, apprime hic argui merentur varia maſſæ ſanguineæ vitia, uti *penuria ejusdem aut ſeri diluentis defectus*, largiorem menſtrui noſtri proventum primis viis denegans; nec non *nimia aquoſitas particularum ſalinarum* ſubtiliorum ſpirituoſarumque juſta quantitate deficiente, effœtum inermemque liquorem ſuppeditans: quin & *vitioſa craſſities ac ſpiſſitudo*, a qua melioris notæ menſtruum haud licet expectare. Atque hæc maſſæ ſanguineæ vitia alio inſuper nomine hic accuſanda ſunt, quod ſcilicet juſtam ſanguinis quantitatem ventriculo denegent, aut aquoſum, inertem, ac viſcidum, ac proinde juſto calore deſtitutum eidem obtrudant; ne nunc dicam, quod ejusmodi ſanguis partibus illis id præſtare nequeat, quod ad motum conſuetum perficiendum præſtare illis debebat. Atque cum motus iſte ſpirituum animalium miniſterio potiſſimum peragatur, in cenſum cauſarum harum quoque veniet *eorundem in toto penuria ac defectus*, qui cum ad ipſas quoque chylificationi dicatas partes deinde reſultet, non poteſt non fibras earundem muſculoſas ineptas reddere, quominus conſueto ſuo officio deſungi poſſint.

§. X.

Reſtat, ut nunc quoque in medium prodeat iſtarum cauſſarum agmen, quæ vel remotius paulo ad affectus noſtri generationem concurrentes ex propinquioribus modo expoſitis aliquam excitant, vel ipſam etiam cauſam immediatam ſtatim producere aptæ ſunt abſque eo, ut propinquior quædam, immediatam demum generatura, inſimul concurrat. Quandoquidem autem numeroſiſſimus ac prope immenſus cauſarum harum datur proventus, adeo ut vix quæ-

piam

piam inveniri queat res vel ex non naturalium vel præternaturalium ordine, quæ non aliquando fabulam iſtam luſiſſe deprehenſa fuerit: inſtituti præſentis ratio prohibet, quominus omnes, quæ huc trahi poterant, ſollicitius enumerare ac ſingularum agendi rationem curatius exponere allaborem, quin potius ſpeciminis loco præcipuas quasdam indicaſſe, quoque modo effectum talem præſtent, monuiſſe ſufficiet. Ex *rerum* proinde *naturalium*, quas dicunt, claſſe præcipue commemoranda erit *nativa illa diſpoſitio ventriculi & inteſtinorum*, qua ipſis parciora aut minora vaſa ſanguifera, ſanguinis defectum inducentia, vel pauciores minoresve nervorum propagines, quarum culpa ſpirituum juſta quantitate defraudantur, vel denique pauciores tenerioresque fibræ muſculares, motui debito præſtando impares, obtigerunt. Cum enim quotidiana, certe non infrequens ſit illa anatomicorum obſervatio, in diverſis ſubjectis vaſa parti cuidam data ratione numeri, magnitudinis, ac decurſus ſui multum variare, nec minus fibras muſculares, ipſosque inſuper nervos eidem varietati obnoxios eſſe: haud quicquam profecto obſtabit, quominus ejusmodi cauſam in illis caſibus, certe non adeo rarius ac ægerrime medelam admittentibus, accuſare liceat, ubi chylificatio læditur, nec tamen ullum humorum, ſpirituum, partiumve ſolidarum notabile vitium deprehenditur. Atque ita e ſcholis Medicorum facile exulare poterit Recentiorum ſtudio jam ſatis ſuperque refutata iſta partium antipraxia, quam occaſione hujus potiſſimum phænomeni excogitarunt Veteres, quod hepar ſæpe calidius medicamenta reſpuat a ventriculo frigidiore deſiderari viſa, licet nulla vitioſorum humorum ſaburra ventriculum lædat, nec alia diſparitatis hujus cauſa manifeſta indagari poſſit, ſcilicet licet eodem caloris gradu polleat ſanguis, quo ventriculus imbuitur, ac qui hepati impendit, impar tamen (habito ſcilicet diverſæ quantitatis, qua partes iſtæ fruuntur, juſto reſpectu) utriusque obſervatur calor, quod ventriculus ob peculiarem vaſorum diſpoſitionem eam non recipiat ſanguinis quantitatem, quæ ipſi, ſi pro ratione aliorum ſubjectorum calculum ponas, omnino deſtinata videbatur.

§. XI.

Ex rerum non naturalium claſſe primo loco recenſeri ſolet *Aër*, qui, ſi *calidior* ſit, aqueas ſubtilioresque ſanguinis particulas nimium diſſipando ſeri ac ſpirituum animalium penuriam inducit, ſubſequente neceſſaria humorum reſiduorum craſſitie, (quas tres cauſas mediatas proximiores modo §. IV. culpavi) cum & diluentibus ſeroſis motumque inteſtinum multum adaugentibus ſubtilioribus particulis defraudetur ſanguis, & juſto ſpirituum proventu circularem motum (a quo fluiditas & tenuitas ejus magnam partem dependet) præſtantes partes ſolidæ deſtituantur. Nec omnis culpæ expers eſt *frigidior*, ſi nonnihil intenſior exiſtat, aut diutius corpus affligat, cum humores potenter incraſſet ac inſpiſſet; ſive quod interni aëris elaſticitatem indeque pendentem motum humorum inteſtinum imminuat; ſive quod rigidioribus & ad motum ineptis redditis partibus muſculoſis quin & coarctatis vaſis viisque omnibus circulationem ſanguinis turbet; ne dicam, quod deficiente juſta ſanguinis fluiditate ac imminuto inſuper motu nec menſtrui chylificantis nec ſpirituum animalium ſecretio debite perficiatur. Porro *humidior aër* ſeroſitatem ſanguinis adauget ſubſequente inſimul ejusdem craſſitie; ſiquidem cum inteſtinus motus langueſcit, tum moles aucta tardius circulatur, tum denique partium ſolidarum circulationi faventium tonus laxatur; ne dicam, quod deficiente juſta ſanguinis, quæ motu peragitur, attritione parcior ſpirituum proventus nequeat abeſſe. Contra vero *ſiccior* ſerum majori quantitate imbibit ac auſert, eandemque craſſitiem, diverſa quamvis ratione, ſanguine inducit, quatenus ſeri diluentis notabili quantitate defraudatæ particulæ ſanguinis ramoſæ propius coëunt ac fortius ibi mutuo implicantur; quin & ſicciores rigidiores redditæ partes ſolidæ motum conſuetum, quo ſanguis in circulum agitur, rite exercere nequeunt. Nec minus chylificationis negotium is ipſe turbare poterit; ſive *craſſior* particulas elaſticas parciori manu maſſæ ſanguineæ ſuggerat; ſive *ponderoſior* interni aëris elaſticitatem indeque pendentem motum humorum inteſtinum gravitate ſua nimium compeſcat; ſive *vitioſis effluviis pollutus* inimicas noxiasque corpori particulas inferat; ſive denique tempeſtatibus agitetur, aliisve modis vitium contrahens a ſtatu naturali longius recedat.

§. XII.

Quod ad *cibum potumque* attinet, quos §. VIII. recenſui errores, omnes hic quoque culpari poterunt, non quidem, quatenus cauſæ immediatæ inſtar ſeſe gerunt, ſed quod difficilem ac imperfectam digeſtionem chylus crudus ac vitioſus preſſo pede ſequatur, eodem vitio maſſam ſanguineam, cui commiſcetur, imbuens ac contaminans. Inſuper hic accuſari merentur *aſſumta ponderoſiora nec non copioſiora*, quod extenſis eorum culpa ac diſtentis ultra, quam par eſt, ventriculo ac inteſtinis fibrarum muſcularium tonus deſtruatur, ſiquidem ſpirituum animalium expanſio, quam molitur, earundem inflationem ac corrugationem præſtare nequit, cum elongatæ nimium vim eorundem non admittant penituſque eludant. Pari propemodum ratione peccant *liquida copioſiora*, quæ fibras muſculares laxant nimium & emolliunt, ſicque ad motum præſtandum ineptas reddunt; inſuper ſeroſitatem ſanguinis augent ac ſalinas particulas nimia quantitate abripiunt & e corpore educunt. Neque ſilentio prætermitti debent *acida*, ſive alimentis tanquam blandimentum palato amicum majori copia addantur, ſive medicaminis loco ad ipſum noſtrum alioſque ventriculi affectus curandos aſſumantur, ſiquidem ipſum menſtruum ventriculi liquorem potentiſſime inſpiſſant ac coagulant, ſimilemque toti deinde maſſæ ſanguineæ notam inurunt, ſubſequente neceſſario ipſorum ſpirituum animalium penuria, imo omnium eorum, quæcunque ad chylificationem aliquid conferre poſſunt, ſubſidiorum vitio aut defectu; non obſtante, quod ab eorum uſu cum major ſalium ejuſmodi copia gravius & non raro ad doloris uſque ſenſum ventriculum pungat ac vellicet, avidius appetantur cibi majori ſui quantitate actionem ventriculi ulterius turbantes ac imminuentes. Meliori forſitan loco haberi poſtulabunt, nec tamen culpæ, eæque ſatis gravis, abſolvi poterunt illi, qui *vini generoſioris* aut *ſpiritus vini*, indeque paratarum *aquarum vitæ* dictarum, *ſimiliumque ſpirituoſarum uſu largiori* delectantur, cum talia non ſolum majori quantitate diſtendendo ac laxando tonum ventriculi imminuant, verum etiam particulas oleoſas, ſulphureas, & quidem quam minutiſſime diviſas, inſigniori ac fere incredibili quantitate corpori inferant, quæ alias quaſcunque menſtrui noſtri ipſiuſque ſanguinis moleculas irretiunt, ac quaſi compedibus injectis ligant & coercent, adeo ut, cum iſta calamitas ad ipſos quoque ſpiritus animales redundet, ſpirituoſa talia vi quadam narcotica pollere nonnullis videantur. Opiata, terrea, auſtera, adſtringentia, pluraque alia ſicco pede prætereo, cum eorum noxa omnibus cognita magis ac perſpecta ſit, nec agendi ratio tantis tenebris involuta videatur.

§. XIII.

§. XIII.

Sed & ulterius virgula cenſoria notandæ mihi ſunt *Vigiliæ*, *motus corporis atque exercitia*, *ſtudia*, ſimileſque animi labores, quin & *affectus impetuoſiores*, cum ſingula iſta, ſi modum exceſſerint, ſanguinis motum utrumque inſigniter intendant, ſicque aqueas ac ſpirituoſas ejus particulas nimium diſſipent, ſubſequente neceſſario incraſſatione (quo ipſo nomine aërem calidiorem ſupra §. XI. culpavi), imo ipſi ſpiritus animales, cum in aliis partibus majori ſolito copia conſumantur, parciores ad ventriculum ac inteſtina feruntur, magno chyloſeos impedimento, quod eo gravius obſervatur, quo citius ab aſſumto cibo ventriculo adhuc repleto, eoque majorem eorum copiam deſiderante errores iſti committuntur. Sed nec omni culpa vacat *ſomnus nimius vitaque ſedentaria*, cum, quod tempore ſomni parcius ſecreti tardiuſque moti ſpiritus animales non ſufficiant fibris organi chylificantis muſcularibus, quorum beneficio debitum motum perficere poſſint; tum quod eidem fato obnoxiæ partes corporis muſculoſæ aliæ circulationem (abſque qua fluiditatem ac tenuitatem juſtam ipſi haud conſtare poſſe, toties commemoravi) ſanguini rite præſtare nequeunt, quam ipſam cum motus corporis inſigniter promoveat, male ſibi ſuoque ventriculo conſulere certum eſt, qui conſuetis laboribus ſeſe ſubtrahentes, ac exercitia motuſque corporis negligentes otio ac quieti nimium indulgent. Nec minus ſanitatis detrimentum experiuntur illi, qui *curis*, *triſtitiæ ſimilibuſque animi affectibus* frena laxant, ſiquidem ea ratione non ſolum ſpirituum magnam copiam conſumunt, verum etiam motum eorundem imminuunt ac retardant, ceu ex modo dictis abunde elucet, & chylificationi & circulari ſanguinis motui obicem ponunt.

§. XIV.

Reſtat adhuc excutiendus rerum præternaturalium ordo, quæ uti ad producendum affectum noſtrum maximæ obſervantur efficacitatis, ita diverſa ratione ſymbolum ſuum morbificum conferre certum eſt. Aliæ enim ipſi maſſæ ſanguineæ aut, quo abſque præſente valetudinis detrimento carere nequit, ſeri defectum inducunt, quemadmodum *hæmorrhagiæ*, *diarrhœæ*, *aliæque inſolitæ* aut *modum excedentes evacuationes* humores ad oculum e corpore eliminant, *febres* vero nonnullæ *aliique ſanguinem enormius agitantes affectus* ſerum & quicquid ſubtilium moleculorum ſanguini innatat, inſenſibiliter magis diſſipant, & reliquas particulas nimis atterendo, comminutaſque pariter evacuando totius maſſæ ſanguineæ quantitatem plurimum imminuunt. Contra vero alii ſunt morbi, in quibus motus ſanguinis languidior juſto atque torpidior exiſtit, qui non ſolum particulas ramoſas propius coire ſibique mutuo implicari permittit: verum inſuper quod debitam eorum attritionem minus præſtet, ulteriorem eidem craſſitiei anſam dat; quin etiam imminutis conſuetis ſecretionibus aquoſis, terreſtribus, aliiſque corpori inutilibus particulis ſanguinem onerat cumulatque. Atque hæc maſſæ ſanguineæ vitia, uti motui languidiori nonnunquam debentur, certe ejuſdem culpa mirum quantum augentur & intenduntur, ita eundem ſæpius præcedunt ac inducunt, aut producta nimium ulterius retardant ac ſufflaminant, cum, uti in ſtatu ſecundum naturam, ita etiam ſi præter naturam ſeſe res habeant, pleraque omnia quaſi in circulum redeant, & quod affectus inſtar jam produci videbatur, id illam rurſus, a qua generabatur, cauſam fovere ac intercedere obſervetur. Quod ſi ipſorum porro ſpirituum animalium ratio habeatur, rurſus inſignis rerum præternaturalium numerus Bradypepſiæ favere deprehenditur, quatenus ſcilicet ſanguinis quantitate aut qualitate peccantis, &, a quibus iſta vitia proficiſcuntur, variorum morboſorum affectuum culpa *debita ſpirituum copia* cerebro haud offertur; vel vitiatus ſanguinis motus, tanquam cauſſa ſecretionis efficiens, aut male affectum cerebrum, ac genus nervoſum *ſecretionem ac diſpenſationem* eorum impedit; vel denique majori ſolito copia alibi conſumuntur, aut *inordinate* ac *depravate* agitantur, (quod in affectibus doloroſis potiſſimum obſervamus) ut ad juſtum organi motum perficiendum ineptiores reddantur. Quid dicam ipſas chylificationi dicatas partes, in quibus quam ſæpiſſime omnis mali fontem ſcaturire experientia docet; ſive quod *obſtructione*, *ſcirrho*, aliove vitio laborantes *glandulæ* ſecretionem menſtrui liquoris præſtare nequeant; ſive vulnera, ulcera, ſimiliaque, vitioſi humoris admixtione illud inquinent ac contaminent; *tumores*, *inflammationes*, & quæ compreſſionem aut tenſionem vaſorum fibrarumque muſcularium inferunt, plurima alia, juſtam ſpirituum ac ſanguinis, a quo ſecretio fieri debebat, copiam non admittant; ſive denique *fibræ muſculares exeſæ*, *diſſectæ*, *laceratæ*, alioque modo læſæ officio ſuo defungi nequeant. Ut plura alia ſicco pede prætercam, quæ una cum hactenus recenſitis in ventriculi perniciem, hincque totius œconomiæ animalis detrimentum egregie nonnunquam conſpirant.

§. XV.

Diagnoſis affectus noſtri perquam eſt facilis, pendetque maximam partem cum ex appetitu tardius redeunte, quod aſſumta ventriculo negotium faceſſant, ac tardius eundem derelinquant, tum ex moleſtia ac dolore ventriculi gravativo aſſumtionem alimentorum ſubſequente, qui modo citius ac quaſi preſſo pede eam comitatur, quod fibræ muſculares juſto robore deſtitutæ, ac moli ſuſtinendæ impares facile langueſcant; aliquando vero evenit, quod parum aut nihil aſſumtorum ex ventriculo expellatur (ceu ſucceſſive fieri debebat,) hinc longiori mora fatigatæ fibræ minus arcte eadem complectuntur, quin potius mole iſta deorſum trahantur & extendantur. Atque uti interea temporis aſſumtorum ſaporem & odorem referentes ructus non raro occurrunt, quorum indicio aſſumta parum digeſta in ventriculo hinc inde volutari cognoſcuntur: ita ſæpius poſtmodum per alvum parum mutata excernuntur, aut a ventriculo pondere iſto, cui vitioſa qualitas non raro accedit, irritato, inque motum convulſivum inverſum acto ſurſum per os rejiciuntur, ſubſequente inſuper pallore faciei, virium defectu, aliiſque vel penuriam vel cruditatem chyli arguentibus ſymptomatibus. Quod ad cauſarum morbificarum dignotionem attinet, longum nimis, nec operæ pretium videtur eam curatius perſequi, cum cauſæ mediatæ remotiores, quæ ex relatione ægri ſæpiſſime cognoſcuntur, nonnunquam in ſenſus Medici occurrunt, aut, ſi vel ex rerum præternaturalium ordine ſint, diligentiori circumſtantiarum omnium conſideratione non adeo difficulter eruuntur, cauſas propinquiores (dummodo ſuperius expoſita earundem agendi ratio probe penſitetur) clare ſatis ac aperte indicent, quæ ipſæ inſuper pluribus aliis ſymptomatibus, quæ præter Bradypepſiam ab iiſdem proficiſcuntur, non ſecus ac ſorex indicio ſuo ſufficienter ſeſe prodél. Cæterum ut de prognoſi paucula addam, affectum noſtrum flocci pendere haud decet, utpote quem craſſities ac cruditas chyli tantum non ſemper comitatur, ſubſequente neceſſario totius maſſæ ſanguineæ, cui commiſcetur, corruptela ac cruditate, quam lernam malorum ac morborum innumerorum fœcun-

fœcundiſſimam matrem recte appellaveris; uti quidem practicorum omnium conſenſu certum eſt ac exploratum, ut laborioſa probatione facile poſſim ſuperſedere. Utrum vero medelam admittat, necne, eaque brevi tempore ſperari, an vero non niſi tardius ac difficilius obtineri poſſit, ipſarum cauſarum, a quibus malum pendet, conſideratio facile docebit, prout ſcilicet illæ graviores levioreſve vel promte corrigi poſſunt, vel removeri pertinacius recuſant.

§. XVI.

Expedita affectus noſtri theoretica conſideratione ad curationem ipſam me confero, tribus nixam indicationibus, quam triplex cauſarum ſupra recenſitarum ordo ſuggerit, inverſo tamen ordine, cum a cauſa mediata remotiori, quam ultimo loco expoſui, indicatio 1.) peti debeat, ejuſdem vel remotionem vel correctionem deſiderans. Atque cum neminem latere poſſit, quomodo ratione rerum non naturalium ſcopus præfixus obtineri poſſit; de rebus autem præternaturalibus ſollicitum me eſſe inſtituti præſentis ratio prohibeat, ſiquidem alias univerſa propemodum praxis medica excutienda hic foret: tantum de ventriculi debilitate iſta atque conformatione naturali, quam ſupra §. X. tetigi, verbulo monuiſſe ſufficiet, cum mutari ea penitus nequeat, actuali tamen calore, eumque foventium integumentorum externorum accumulatione, emplaſtrorum ſtomachicorum applicatione, ſimilibuſque artificiis opus eſſe, quo major ſanguini rareſcentia atque amplior ſpiritibus animalibus expanſio concilietur, viæque ac pori omnes laxentur, quo ulteriorem utriuſque fluidi copiam admittant. Nec rejicienda ſunt penitus olea & balſama aromatica, quæ exterius regioni ventriculi illinuntur, cum activarum particularum, quibus abundant, plurimæ, ſi ad ipſas primas vias penetrare nequeunt, certe vicinarum partium poris ſe inſinuent, motum ſanguinis inteſtinum atque ita calorem intendentes; quod quidem beneficium, quatenus ad totam maſſam ſanguineam inde quodammodo redundat, non hujus loci eſt, ſed ad cauſam modo removendam ſpectat. Qui vero inſuper aſſumenda quævis, quantum fieri poteſt, calidiſſima capit, eum quam optime valetudini ſuæ conſulere certum eſt ac indubitatum.

§. XVII.

Indicationem II.) ſuggerunt cauſæ mediatæ propinquiores, quæ pariter earum remotionem vel correctionem imperant, pro varietate cauſarum diverſis modis obtinendam. Atque ſi parcior ipſius maſſæ ſanguineæ ſit proventus, alimento facilem digeſtionem admittentia, & gelatinoſis particulis abundantia locum invenient, non neglecto inſuper aromaticorum ſimiliumque ſtomachicorum uſu, quo & citius ac facilius chylificationis negotium abſolvatur, ac ulterior chyli utpote laudabilis, activiſque particulis turgidi, poſtquam ſanguine permixtus eſt, digeſtio obtineatur. Nec minus promte ſeri defectui, quoties eo ſanguinem laborare contingit, liquida aquoſiora medebuntur, ſi largiori paulo quantitate aſſumantur, dummodo (ceu ubique fieri debet) removeantur prius cauſæ remotiores, damnum iſtud inferentes, quarum tamen curationem moliri loci hujus non eſt. Quod ſi contra aquoſior ſit ſanguis, non ſolum abundantes, quibus reliquæ nimis diluuntur, ſeroſas particulas, largiori inſtituta diaphoreſi ac diureſi, evacuare par erit; verum ipſæ etiam deficientes ſive ſalinæ ſive ſpirituoſæ majori copia ſanguini ſuggerendæ ac inferendæ erunt, utque iſtæ numeroſiores deinde generentur, latenteſve felicius evolvantur atque extricentur, omni ſtudio allaborare conveniet. Ad omnia iſta non magis opportuna erunt alia, quam quæ ſalinis volatilibus, oleoſarum tamen acceſſione commode impeditis & mitigatis, particulis abundant, ac liquori vinoſo & ſpiritui oleoſo per fermentationem paratis lubentiſſime nubunt, feliciterque in praxi junguntur. Etenim hac ratione particularum ſubtiliorum in motu uberiori conſtitutarum, earumque ex parte ſalinarum, uberrima acceſſione ſanguis locupletatur, quæ & defectum earum, quas deſideramus, commode & reſarciunt, & reliquas particulas acutie ſua incidunt, ſecumque in motum uberiorem abreptis majorem comminutionem & attritionem inducunt, ut ramoſarum complexu liberata ſalia caput exſerant, largior ſpirituoſarum ad juſtam ſubtilitatem evectarum proventus exſurgat, auctiſque glanduloſarum partium ſecretionibus abundantes ac moleſtæ corpori moleculæ proſcribantur & eliminentur. Nec contemnenda ſunt ceteris paribus ſalia fixa, cum alcalia, tum præcipue ſalſa ſeu enixa; ſicuti nec laude ſua fruſtrare par eſt iis ipſis ſæpius palmam præripientia amara, quæ qua talia, notabili fixi, & quidem ad ſalſi indolem proxime accedentis ſalis quantitate gaudent, cui copioſior eaque ſubtilior in aquæ poris hoſpitari non recuſans ac quaſi ſolubilis terra intimiori connubio juncta eſt, beneficio cujus impediuntur ſalia, quominus ſpiculis ſuis adeo potenter agant, & partibus ſolidis ac primis præſertim viis tantam pariant moleſtiam. Quamvis autem fixiora iſtiuſmodi remedia ratione ſubtilitatis particularum ſuarum multum cedant volatilibus, utpote non niſi leviori parcioris terræ pondere oneratis; nec alio polleant motu, quam quem fluidis permixta eorum impulſui debent: nihilo tamen minus maximæ obſervantur efficacitatis, ac, ſi non inſignior humorum craſſities adſit, præ illis fere commodiora videntur, ſiquidem copioſioris terræ conſortio gaudentia magnitudine moleque ſua eas ſuperant, adeoque potentius obvias quaſque particulas dividunt atque dilacerant, nec adeo facile iiſdem involvuntur ac obtunduntur, quin & diutius in corpore ſubſiſtunt ac commorantur. Quandoquidem ergo adeo feliciter eorum beneficio maſſæ ſanguineæ viſciditas tollitur, non poteſt non inteſtinus ipſeque deinde circularis motus vires reſumere, cujus accedente beneficio eo facilius citiuſque voti omnis compotes reddemur, ceu ante dicta ſatis ſuperque declarant. Cæterum longius hiſce inhærere, quæque circumſtantiæ ad inſtar coindicantium vel contra indicantium, uti dicuntur, modo hoc, modo illud remediorum genus vel commendent ulterius vel diſſuadeant, prolixius exponere, longum nimis foret, nec inſtituti præſentis ratio concedit; quin potius, cum ex dictis jam abunde conſtet, quomodo humorum craſſitiei ac ſpirituoſorum ſanguinis particularum defectui mederi liceat, ad ea, quæ reſtant, verbulo expedienda properare jubet.

§. XVIII.

Scilicet indicationem III.) ſuppeditat cauſa immediata ſive proxima, quæ pariter nel corrigenda eſt, vel penitus removenda. Jam vero, qua ratione liquori noſtro menſtruo conſulere liceat, §. præcedens ſatis ſuperque declarat, cum medicamenta ſanguini permiſceri nequeant, quin prius ventriculi ac inteſtinorum cavitatem ingrediantur, ibique eo potentius agant, ac vires quaſi omnes effundant, quo parcius admixtis aliis diluuntur minuſque implicita ac detenta coercentur. Quod ſi vero major craſſiorum humorum ſaburra adſit, qualis ex alimentis male digeſtis inque ventriculo juſto diutius hærentibus nonnunquam enaſcitur, commodum erit, ſi cætera ſint paria, vomitorii beneficio evacuationem ejus moliri, utpote

utpote correctionem non niſi ægerrime ac tardiſſime admittentis; quamvis ſi præter qualitatem vitioſam in quantitate inſuper excedente contenta ventriculi haud delinquant, rectius evacuatio iſta omittatur, ſiquidem elapſo aliquot horarum ſpatio ejuſdem notæ ac indolis liquor a ſanguine ſecretus ventriculo ſuggeritur acerbe adhuc dolenti, nulla urgente neceſſitate, & nequidem id ſuadente utilitate tam violentos ac convulſivos motus excitari, quos hominum pauciſſimi impune ac ſine magna œconomiæ animalis turba ferre obſervantur. Quod ad ipſorum viſcerum chylificationi dicatorum vitia attinet, ſi culpa ſanguinis aut ſpirituum animalium calor motuſve eorum langueſcat, non alia remotis prius cauſſis mediatis remedia locum invenient, quam quæ §. 16. laudantur. Quodſi vero fibras eorum nimia humiditas laxaverit, aromatica blanda, præcipue terræ ſubtilioris & copioſioris conſortio gaudentia commendari merentur, v. g. cinnamomum, cujus pulvis aut eſſentia prædeſtillatis, terreſtreitate iſta carentibus, in hoc caſu conveniet; quemadmodum etiam, ſi gravius ſit malum, adſtringentia mitiora nonnunquam adhiberi poſſunt, quibus ipſis pariter ac acidulis temperatioribus corrugatio blanda fibris induci poterit, ſi quando aſſumtorum culpa nimiam paſſæ fuerint extenſionem. Contra vero ſi corrugatæ nimium ac quaſi conſtrictæ detineantur liquidis copioſioribus opus erit & laxantibus eas & inimicas particulas eluentibus, niſi forte ſpaſmodicum quid ſubfuerit, cui, ut & ſolutæ continui unitati quodammodo medela fieri poſſit, aliunde peti debet. Denique quod ad alimentorum vitia attinet, cum aſſumta & in ventriculo hærentia corrigere amplius non ſit integrum, vomitorii beneficio nonnunquam eliminari poterunt, vel penſitata probe, qua peccant, ratione, quantum fieri poteſt, ventriculo ſuccurrere par erit, ut v. g. pinguibus ſalina, ſiccioribus liquida aquoſioribus aromatica, ſimiliaque ſuperingerantur.

§. XIX.

Reſtaret, ut more conſueto diætæ, quæ teneri debeat, rationem exponerem; at vero, quæ fugienda ſint ægro, ne ulteriorem ſibi noxam contrahat, §. VIII. XI. & ſequentes abunde commonſtrant; quæ vero ſaluti eſſe poſſint ipſi medicaminum vicem quodammodo implentia, ad ductum eorum, quæ de curatione rite inſtituenda modo tradita ſunt, ſeligi debent, ne dicam, quod ex abuſu eorum pluribus ſupra expoſito legitimus uſus facile intelligatur. Qurre cum navicula portum jam teneat, vela contraho, Deo O. M. pro conceſſis viribus gratias habens agenſque immortales.

DISQUISITIO MEDICA,

CIRCA

AFFECTUM PECTORIS RARISSIMUM,

PERPETUI SUCCI NUTRITII EX THORACE STILLICIDII,

Primùm edita Anno 1704.

PRÆFAMEN INTRODUCTORIUM.

NATURAM *ab arte adjutam miracula interdum patrare*, appoſite pariter & veriſſime dictum eſſe arbitror; idque toto die ſicut ubivis in hoc rerum univerſo, ita ſpeciatim in microcoſmo noſtro, machinam intelligo vitalem, cuivis ſedulo attendenti licet obſervare. Etenim ſi penitius expendas ſtupendos in morbis effectus & phænomena quandoque mirabilia, ſi varias in corpore actiones reactioneſque certo ordine tempore ac modo tam affabre & methodice, quin mechanica quaſi ratione inſtitutas, quid aliud ibi agit provida rerum conſervatrix quam ut amoliri intendat omnia ea, quæ heterogenea & exitioſa ſunt, totius fabricæ compagem diſſolvendo, ruinam ejus minitantia? Nunquam enim otioſa ibi cernitur, & niſi in opere turbetur, ſed quo tendat prudenter ducatur, nihil ipſi difficile eſt, intentatumque nil quicquam relinquit in fabrica noſtra organica, quæ ad ipſam à malis liberandam & ſartam tectam conſervandam ullo modo faciunt. Hinc autem fiunt tot motiones morboſæ, quibus ceu inſtrumentis utitur, ſæpius ſat violentæ, quæ vel à peripheria corporis tendunt ad ejus centrum, & ſunt ſpaſmoticæ, vel quæ a centro pergunt ad circumferentiam quos febriles appellitamus, eum nempe in finem, ut alteret, imminuat, ſubigat atque excludat finibus

nibus ſuis quodcunque noxium invenit, ſive id quantitate, ſive qualitate ſeu ſolo motu ullo modo peccet. Omnia hæc autem, utut miratu digna ſint, non tamen certo & deliberato conſilio, ſed neceſſaria prorſus connexione quin vere mechanice peraguntur. Qua de cauſa h. l. per *naturam* nil aliud intellectum volumus, quam *complexum variorum motuum vitalium, ex certa ſtructura, nexu, ſitu ac diſpoſitione partium ſolidarum & fluidarum ab autore Deo coordinatorum, ac conſervationem corporis tendentium.* Interim vero, cum vires ejus ſint admodum limitatæ, non mirandum eſt quod fine ſuo ſæpiſſime fruſtretur optima hæc morborum medicatrix, medentium omnium facile princeps, vel quando medica ope plane deſtituta, vel quando machina hydraulica, quæ συνεργα eſſe debet, ob plenariam diſſolutionem potiorum partium ſit deſtructa, vel quando interceptis viis neceſſariis aut plane deficientibus, ut explodat id quod eliminandum erat, porta patula nulla datur. In taliſmodi igitur caſibus, naturam, ſi debitæ ſuppetiæ ipſi ferantur, varias criſes moliendo, tantum non miracula quandoque patrare non diffitendum erit, quæ obſerata optime recludit, abſtruſa pandit, & invia quævis nobis à priori impenetrabilia viſa, ſibi facit pervia, ut exitum tandem inveniat morbo adæquatum, ipſi autem ægro ſalutarem. Felix demum Medicus ille, qui ejuſmodi naturæ conamina, & molimina critica tempeſtive obſervare, & quo ducenda ſunt prudenter dirigere novit. Nihil enim certius, nil tutius ac jucundius unquam agere poterit, quam ut magiſtrum artium naturam, tanquam ejus miniſter officioſus ſequatur, eam in opere ſuo adjuvando, ad ejus ductum & normam ſe componendo, motus juſto tempore ſiſtat, vel ſi opus eſt excitet atque promoveat. Sicce enim profecto fieri poterit, adſpirante gratia divina, frequentiſſime, ut in deſperatiſſimis etiam caſibus complures ægri miſerrimi cum graviſſimis pathematibus conflictantes, quin conclamati & prognoſtico jam relicti, liberentur, & ſanitati atque vitæ reſtituti, plures per annorum tractus ſalvi ac incolumes ſerventur. Haud abſimilem igitur & notatu digniſſimum caſum in præſenti diatriba, loco ſpeciminis pertractanda, conſtituimus in ſcenam jam producere, ſiſtentem nempe ægrum ante XI. abhinc & quod excurrit annos graviſſimo affectu pectoris, variis periculoſiſſimis ſymptomatibus ſtipato laborantem, qui tamen peracta, per paracentheſin, in loco quem natura monſtrabat, materiæ chyloſæ ultra X. menſurarum evacuatione, orcæ faucibus ereptus, hodienum per Dei gratiam, in vivis adhuc verſatur. Hunc autem affectum rariſſimum, uti partim ab ipſo ægro qui eum perpeſſus eſt, cum omnibus circumſtantiis principalioribus fideliter communicatum accepi, partim etiam, quorundam pathematum & novorum ſubinde emergentium phænomenorum teſtis αὐτόπτης exſtiti, ſic etiam jam dudum præ aliis thematibus loco ſpecimis mihi eligendum, jam autem ad mentem & ductum Excellent. Dn. PRÆSIDIS mei, Patroni optimi maximi, elaborandum, & circa ejus enucleationem pro ingenii modulo vires proprias B. C. D. periclitandas eſſe duxi. Igitur, hujus intricati ſatis nodi gordii ſolutionem, dum paro & aggredior, ante omnia ſummi numinis divini auxilium, cui ſoli quævis dicta facta & cogitata, ſi ſalutaria eſſe debeant, accepta referenda ſunt, piis ſuſpiriis ſollicito, ut mentem noſtram ad veritatem, inſtitutum autem omne ad ſempiternam nominis ſui gloriam utilitatemque proximi promovendam, velit dirigere. A lectore candido vero & cordato non niſi judicium æquum, erratorum autem, quæ, ſi iis convictus fuero, lubenter corrigere nunquam averſabor, veniam & condonationem benevolam mihi promitto.

HISTORIA MORBI.

VIr quidam eruditus, Mathematicus pariter ac Theologus conſummatiſſimus, temperamenti cholerico-melancholici, habitus corporis gracilis & ſtrictioris, texturæ ſenſibilioris, ætatis ſuæ 43. aſſuetus vitæ ſedentariæ, & inter cibos valde delectans multis acidis, ad rheumatiſmos & decubitus ſeri acris valde pronus, ante XI. & quod excurrit annos, tempore autumnali, poſtquam frequenter coryza, ſæpius cohibita, laboraſſet, corripiebatur primum tuſſi quadam ſicca & gravi, ſine ulla materiæ ejectione, ollam quaſi cavam reſonante, quæ conſtans durabat ad ſemeſtre fere ſpatium, donec tandem variis ex officio negotiis diſtractus, aëriſque humidi ac frigidi injuriis expoſitus, febri quadam acuta cum dolore lateris punctorio affligebatur. Inter medicamenta adhibita fuerunt etiam pilulæ pectorales, opiatæ, quarum frequenti uſu materia reſoluta copioſe quidem per tuſſim excreta fuit, ſed abſque levamine, citraque omnem εὐφορίαν; reſpiratio quippe anxia & difficilis manebat, cibi, quoties aſſumpti erant, continuo per vomitum reddebantur, totum corpus macie conficiebatur, vireſque exhauriebantur, ita ut vix per exiguum greſſum ſine magna moleſtia proſequi valeret æger. Hyberno tempore ſubſequente, cum nihilominus munia ſua, licet ægre, obiret, purpura copioſa accedebat, quæ pectus & paſſim totum corpus occupabat, quod cum expoſuerat aëri externo frigido, mox retropulſæ maculæ evaneſcebant. Poſt aliquot dies vero accidit, ut circa tempus matutinum aſthma quoddam ſubito invaderet ægrum, idque quaſi ſuffocativum, adeo ut ne ſonum quidem edere poſſet,

poſſet, & dolores ſimul in pectore & abdomine vehementes perciperet, una cum obſtructione alvi contumaci. Aucti cum tempore dolores per 12. dies noctesque totidem ſine remiſſione ſæviciam ſuam exercuerunt, qui corporis vires conſumſerunt, & tandem effectum quendam poſt ſe reliquerunt in ægro notabilem ad præſens uſque tempus. Alvus occluſa tympani in modum diſtenta, reſerari haud potuit, licet præter alia medicamenta interne data ultra 20. enemata eſſent applicata, donec tandem ex uſu ſucci pomi borſdorſiani ſimul ac ſemel flatus vehementes erumperent; quo facto abdomen antea extenſum confeſtim collapſum comprimebatur, & æger ſceleti quaſi figuram repræſentans jaceret. Intra iſtud ſpatium autem 12. dierum, ineffabiles fere cruciatus æger ſenſit in corpore, horribiles vellicationes, roſiones ac dilacerationes mordaciſſimas; præcipue autem aderant ſenſationes ac ſi prunæ candentes intus laterent ac inſtar globulorum igneorum circa regionem lienis circumvolverentur. Notabile eſt autem, nil niſi ſolum caput ab his doloribus intactum manſiſſe, ingeniique vigorem integrum manſiſſe, licet propter triſtem dolorum ſenſum lipothymia quædam nonnunquam intercederet, quæ tamen mox receſſit. Collapſo autem antea & compreſſo ſic abdomine, ſimul dolores quoque priſtini ceſſarunt, aſt æger viribus plane deſtitutus erat, ut nullum fere membrum movere poſſet. Totum enim corpus mox occupabat gravativus quidam dolor, ac ſi undique furunculis eſſet obſitum, unde durantibus his anxietatibus per 3. hebdomades, neque pes neque manus ſatis ſuum officium facere potuerunt, donec ſenſim malum decreverit. Cum vero ope aliorum jam e lecto aſſurgere tentaret, ſimul ac terram pedibus tetigerat, inſignem & ineffabilem ſenſit dolorem in ſiniſtro colli & humeri latere, non aliter ac ſi ferreo filo caput à ſiniſtro verſus dextrum latus divelleretur. Præterea notatu dignum eſt, pulſum cordis qui in ſiniſtra pectoris cavitate alias ſe proderat, jam ſtatim in altero latere, dextram prope papillam tactu & viſu fuiſſe perceptum, unde æger erectum ſe tenere non poterat niſi dolori præſentiſſimo & acuto ſe vellet exponere. Ceſſante igitur jam in totum ipſo pulſu in latere ſiniſtro pectoris, aliud phænomenon ſe ſiſtebat: nempe ab oſſe ſterni uſque ad ſpinam dorſi ſiniſtrum pectus expanſum diſtendebatur, extuberabatque paulatim inſtar gibberis magni convexi, ut cor atque pulmo in latere dextro quaſi in anguſtum ſpatium coarctarentur: Aderat ſimul ſumma præcordiorum anxietas, reſpiratio difficillima, & ſi pede ſiniſtro terram attingere volebat patiens, ſingulis paſſibus quaſi depreſſus humum procumbere cogebatur. Somnus per totam noctem erat irrequietus propter tuſſim continuam, nec citius quam horis matutinis ſomnus capi poterat, ultra horulam non perdurans. Appetitus erat omnino proſtratus & licet cibi ſumerentur, deglutiri tamen vix poterant, quoniam ventriculo ejuſque orificio ſuperiori ob coarctationem vehementem nullum fere ſpatium hoſpitandi cibos relictum erat, unde ægrum oportebat ſæpe parumque cibi capere. Hac morbi ejuſque ſymptomatum facie omnis fere ſpes valetudinis recuperandæ evanuit, ut etiam conſenſu Principis ſereniſſimi, totiuſque Conſiſtorii, æger munere ſuo ſacro ſponte ſe abdicaverit, poſtquam per 4. annos integros malum hoc duraſſet. Interea miſere ſic degens vitam interdiu in ſella, noctu vero in lecto ſedere & tuſſire continuo cogebatur. Jacere enim non poterat niſi latere ſiniſtro, dextro vero latere ſe inclinare non licebat, propter metum ſuffocationis; nam gibbus ille qui ex ſiniſtra pectoris cavitate magis magisque extuberabat, incrementum ſumebat, non ſolum reſpirandi, ſed & cibum & potum capiendi impedimentum præbebat. Varia quidem in uſum vocata ſunt medicamenta, ſed omnia in caſſum, ut tandem tumor œdematoſus qui antea modo obſidebat pedes, ulterius abdomen occupans & ipſum quoque caput aſcenderet, unde oculi valde prominebant, & mors ipſa jam imminere videbatur. Hoc tempore accidit, ut Chirurgus quidam haud imperitus forte fortuna interveniret, qui locum affectum aſpiciens, facile autumabat, magnam materiæ copiam in cavitate pectoris collectam eſſe, eamque intra membranas extimas, quaſi ſolliculo ſuo collectam eſſe, ſcite judicabat. Hinc cum iſtam materiam per paracentheſin educendam eſſe conſtitutum foret, ipſe hanc operationem B. C. D. aggreſſus eſt. A tergo itaque intra coſtas ſtatim ſupra diaphragma ſitum habentes beneficio inſtrumenti cujuſdam ferrei bicuſpidis perforabat cutim, & cum ulterius pertingeret, interne ſonus excitabatur ac ſi veſica aqua diſtenſa, pertuſa rumperetur; quo facto poſtquam inſtrumentum extraxerat, confeſtim effluxit materia quædam conſiſtentia ac colore referens lac album, omni fœtore carens. Quantitas autem materiæ prima vice emiſſæ pendebat ad libras tres; intruſa igitur turunda, vulnus deligabatur. Peracta hac operatione duplex ex ea commodum percipiebat æger, (1) ut pulſus dolorificus & anxius cordis in latere dextro illico ceſſaret, (2) ut ſtatim poſt deligationem libere circumambulare poſſet, citra priſtinum incommodum. Subſequente die altero, extracta turunda, vulnereque inſtrumento quodam ampliato, de novo emiſſa eſt materiæ portio ad libras 4. & eodem die veſperi, cannula plumbea eſt intruſa, per quam materiæ quantitas iterum 4. librarum educta eſt, ut tali modo diebus circiter 4. ingens materiæ quantitas ultra 12. menſuras ſenſim ex cavitate pectoris educta, fuerit collecta. Curioſum autem erat peracta jam evacuatione iſtius materiæ, quoties corpus conquatiebatur, exinde auditum fuiſſe ſtrepitum in cavitate ſiniſtra, ac ſi ſtrophiolum quoddam in aqua volutaretur, qui motus vero non ultra aliquot hebdomades poſt apertionem factam perceptus fuit, poſtea non item. Poſthæc adhibitis ſedulo decoctis vulnerariis, aliiſque medicaminibus neceſſariis, æger cum morbo in gratiam redire cœpit, ut ſpes ſubitæ reſtitutionis jam imminere videretur. Nihilominus tamen circa aperturam iſtam nonnunquam inflammationes, & tumores oriebantur, præſertim cum infuſiones liquorum vulnerariorum cum ſyphone, & eductiones materiæ per cannulam, quæ operationes non ſine dolore fiebant, peragerentur, quæ ſymptomata tamen ſponte tandem remittebant. Poſt 3. annorum ſpatium meatus aperturæ iſtius callo & cartilaginea quaſi ſubſtantia obducebatur, unde cannalicula metallica non tam commode intrudi nec materiæ effluxui liber exitus concedebatur, cum alias per foramen hocce, poſt materiam etiam aër tanto cum impetu egredi ſolitus ſit, ut flammam candelæ admotæ extinxerit. Sequenti autem tempore per aliquot annorum tractus, ſine impedimento materia iſta continuo affluens quotidie educta eſt, & quidem ſingulo 24. horarum ſpatio, quoties vulneris apertio & deligatio peragitur ad quartam partem menſuræ vini, ſive ad unciarum XII. vel ſemi libræ medicæ pondus. Cæterum materiæ qualitas & color ordinarius ſemper fere idem eſt, niſi quod pro diverſitate ciborum aſſumptorum, modo ad flavum magis, modo cinereum, modo brunum colorem accedat, unde etiam conſiſtentia quandoque ſpiſſior, quandoque tenuior apparet. Si forte guttula una vel altera ſanguinis ex improviſa læſione interne facta, ſimul prodeat, illa non miſcetur intime cum ipſa materia, ſed

ſed manet ſeparata quoad colorem ſuum rubicundum. Taliſmodi in ſtatu quoad jam vixerit vir laudatiſſimus, partim nullum in corpore ejuſque membris quoad carnoſam ſubſtantiam augmentum, partim nullum virium ſufficiens robur ſenſit, nec potentia pollet diu multumque circum ambulandi; reliquarum imbecillitatum corporis accidentalium ut nullam jam mentionem faciamus. Hæc omnia tamen in actionibus externis nullo impedimento ipſi ſunt, quo minus ſtudiis in muſeo operam navet, quin & foris munia neceſſaria obire & ipſo in ſuggeſtu quandoque ſermones ad populum clara & diſtincta voce licet ſedendo habere valeat. Magis itaque ſedentaria vita fruitur quam ſtataria; quoniam membra corporis ſtando & obambulando juſto diutius mirum in modum delaſſari ſentit. Frigus externum & aërem humidum ac nebuloſum vaporibus repletum minus perferre poteſt, cœlo autem ſereno exiſtente melius ſemper ſe habet. A frigore enim intenſo ſtatim tumor & inflammatio circa aperturam ſubſequuntur, item ventriculi debilitas, ructus continui & vomitus eſculentorum quæ aſſumſerat; à calore autem externo licet fortiori non facile læditur. In deligatione ſi nimium aëris thoracem ingreditur, faucium vehemens conſtrictio cum tuſſi moleſta ſequitur. Poſt evacuationem materiæ autem ſingulis vicibus inſtitutam, ſemper in fine ſibilus & flatus aëris per ſiphunculum ex pectore prodiens aures ferit, indicio omnem materiam jam eſſe evacuatam. Diæta utitur tenui, & ſimplici & magis liquida quam ſolida aſſumere ſolitus eſt, præſertim juſcula, lacticinia ac pultacea, mirum in modum autem delectatur acidis. Præter has jam recenſitas in ipſa hiſtoria morbi circumſtantias, notanda quoque ante omnia erunt phænomena alia curioſa huc uſque obſervata. Scilicet poſt apertionem iſtam in latere ſiniſtro thoracis verſus dorſalem regionem factam, quotieſcunque ad mundificandum vulnus & diluendum pectus liquor quidam, conſtans ex vino hiſpanico vel etiam aqua cum radice chinæ, ſarſaparillæ &c. decocta, in cavitatem ejus per ſyringam injectus eſt ſingula vice, poſt horulam unam vel alteram ſubſecutus eſt paroxyſmus quidam perfecte febrilis. Deinde notabile eſt phænomenon, ſi quandoque acciderit, ut deligatio & cum ea evacuatio materiæ per aliquot dies fuerit dilata, eam inſolitas vias quæſiviſſe, & noctu, dum incumberet vir laudatus ſiniſtro corporis lateri, excitata tuſſi moleſta & expectoratione violenta ex pulmonibus per arteriam aſperam & tandem per os exiviſſe, & quidem notabili quantitate, ſapore inſtar emulſionis præ ſe ferente, quo facto ægre ad aſſuetum locum reduci iterum potuit. Idem phænomenon etiam obſervatum fuit, cum in itinere conſtitutus, cannulam metallicam alias perpetuo foramini intruſam, per diem unum, ne incommoda exinde curru vectus ſentiret, extraxerat. Si morbis quandoque, & rheumatiſmis, quibus frequenter obnoxius eſt Vir plurimus reverendus, affligitur, & cibo ac potu parciori utitur, nihilominus materia iſta evacuata in quantitate & qualitate parum immimuta apparuit nec immutata, quin ſæpe numero majori copia ac in ſtatu ſano prodire viſitur cum magna virium labefactatione. Denique attendi merentur reliqua phænomena, circa ipſam materiam evacuatam experimentis inſtitutis obſervata. Mixta nempe ſi hæc fuerit cum ſpiritu quodam acido, v. g. ſalis, nitri &c. nulla notabilis mutatio, niſi quod dilutior paulo & quaſi exaltata colore apparuerit, obſervari potuit. Simulac vero cum alcalico liquore v. g. oleo tartari per deliquium combinata eſt alia materiæ portio, indenſata ac viſcidior illico facta eſt, ut ad ulnæ longitudinem extendi & in fila quaſi dilatari potuerit. Cum ſpiritu vini rectificatiſſimo quando mixtio inſtituitur, materia ſtatim coagulatur inſtar caſei recentis. Si ſeorſim vero reponatur non immutatur, nec facile corrumpitur aut fœtida fit, niſi per multos dies aëri aut calori expoſita, ob motum inteſtinum peregrinum, putredinem concipiat.

RESOLUTIO CASUS, & quidem.

SECTIO I.

De origine, natura, ac indole morbi.

§. I.

INter myriades morborum & affectuum, quorum variis inſultibus obnoxia eſt humana mortalium conditio, non ſolum, nec ſemper notos & ſolennes occurrere videmus, tot retro ſeculorum obſervationibus Medicis jam notatos, verum etiam prorſus novos, incognitos & ignotos plane hoſpites in ſcenam non raro produci, quos cum nulla adhuc eorum notio in foro pathologico habeatur, haud immerito innominatos appellaveris. Tam inſolita enim ſæpius ſunt & portentoſa, quæ obſervantur pathemata, tam complicati quandoque & anomali affectus, nullum analogiſmum cum aliis habentes, ut quo nomine congruo eoſdem indigitemus, non facile ſuppetat. Horum ad claſſem ſi ullus, certe omni jure referendus eſt præſens circa cujus tractationem jam verſamur affectus pectoris rariſſimus; quorum ſimilem vel ratione loci affecti aut partis læſæ, vel ratione ſymptomatum ac phænomenorum ſingularium, tum etiam reſpectu morbi ipſius, ægro minus exitioſi, vix ab Autoribus obſervatum, nec ullis ephemeridibus annotatum invenies.

§. II.

Morbum quidem dicendum eſſe illum, extra dubitationis aleam poſitum, cum & HIPPOCRATIS effatu omne id quod corpus humanum quocunque modo affligit, dicendum ſit morboſum; ſed ad quod genus morbi, cujus eſſentiam adæquate exhauriat, referendus ſit, haud adeo proclive eſt decidere. Dijudicari tamen id optime poterit, non tam à priori quam à poſteriori rationibus petitis: ex actionum nempe vitalium, quarum integritas primario vitiata eſt, læſione probe perſpecta; quæ cum potiſſimum fundata ſit in ſenſu, motu ac nutritione, quoad omnes quidem vitium quoddam animadvertitur, maxime tamen quoad poſteriores, motum nimirum ac nutritionem. Has enim operationes notabiliter partim depravatas, partim ſi non abolitas, valde tamen imminutas eſſe, haud obſcure indicat perpetuum ſucci gelatinoſi ac nutritii, qui alias in ſubſtantiam corporis abire ac verti debebat, quoad notabilem quantitatem, ex thorace ſtillicidium.

§. III.

Omnis autem hujus fundi calamitas, malique prima ſcaturigo cum procul dubio in thoracis cavo quærenda ſit, non alienum à ſcopo fore duximus, ut prius hujus ſtructuram examinaturi in amœniſſimos phyſiologiæ & anatomiæ campos pauliſper exſpatiemur, & ſelectos ibidem floſculos ad diagnoſin noſtri affectus ejuſque phænomena explicanda ſumme neceſſarios decerpamus. Bene enim GALENUS monet, *fieri non poſſe, ut qui id quod ſecundum naturam ſit, non noverit, dignoſcere poſſit id, quod præter naturam accidit.* In hac itaque regione cum fontem vitæ noſtræ, primum illud ſaliens, cor intelligo,

go, abſconderit natura, non mirandum eſt, tam affabre eam conſtructam & fabrefactam, tantiſque propugnaculis contra injurias externas non ſine cauſa eſſe munitam. Etenim præter involucra, ipſi cum aliis corporis regionibus communia, extrinſecus non ſolum validis ſatis muſculis, quorum quovis latere ſex numerantur, tanquam vallibus circumdatum eſt pectus, ſed & utrimque coſtis duodecim ceu mœniis, anterius ſterno, in poſtica autem parte vertebris connexis, undique cinctum, quarum ſeptem, ſuperiores veræ ac legitimæ; quinque inferiores, quoniam non niſi interventu cartilaginis ſternum attingunt, vocantur ſpuriæ. Has intra coſtas ſingulas in utroque latere ſinguli conſiderandi ſunt muſculi, interni undecim & totidem externi utrimque, quorum fibræ ſe mutuo interſecant per modum crucis Burgundicæ, ſeu literæ X. omneſque inſerviunt coſtarum elevationi & dilatationi ipſius thoracis. Cinguntur hi muſculi interius membrana ſua propria, pleura dicta, totum pectoris concavum inveſtiente, quæ mox duplicatur ſeque à vertebris uſque ad ſternum extendit, tumque dicitur mediaſtinum, quia pulmones tanquam ſeptum intermedium dividit. Præterea notandum quod intra hanc duplicaturam incedat vena azygos, diſperſis paſſim ramulis ſuis, item arteriæ & nervi intercoſtales, quorum omnium originem & uſum hoc loco intimius rimari operæ pretium erit.

§. IV.

Arterias igitur quod attinet intercoſtales, quæ in ſinu cujuſvis coſtæ cum venis & nervis comitatæ reſident, ſuperiores ejuſdem rami quatuor ab arteria ſubclavia, inferiores octo a trunco aortæ deſcendente ipſo immediate progignuntur, qui omnes ſanguinem ex corde pro nutritione ad has partes afferunt. Sequuntur porro venæ intercoſtales, quarum inferiores originem ſuam debent venæ azygos ſive ſine pari dictæ, à latere dextro trunci venæ cavæ ſuperioris abſcedentis. Hæc enim dextrorſum reflexa & vertebrarum lateribus applicata ſingulos ad ſingula ſpatia intercoſtalia tranſmittit ramulos. Superiores autem venæ intercoſtales à latere exteriori venæ ſubclaviæ prope ejus initium exoriuntur trunco ſimplici, qui in duos vel tres ramos dividitur, per ſpatia intercoſtalia ſuperius ubi deficiunt rami venæ azygos diſtribuendos. Vaſorum lymphaticorum comitantur ubique canaliculis & arteriis, a quarum ſurculis quaſi germen ab aliena arbore pullulant, ductuque inverſo in ramos & ramunculos partim in venam cavam partim in venam pulmonariam abeunt, & receptos ab arteriis humores ex rivulis in rivos tandem in cor ipſum, revehunt.

§. V.

Jam ad nervorum propagines ac diſtributiones devolvimur, quæ ad pectoris partes, præcipue ejus muſculos intercoſtales, tendunt. Obſervandi igitur h. l. maxime ſunt nervi duo intercoſtales, ita dicti, quod ejuſdem diramificationes intra pectoris cavitatem coſtarum radicibus accumbant, qui originem ſuam parium quinti & ſexti nervis acceptam referunt; etenim unus nervorum ſextæ conjugationis & bini rami majoris anterioris nervorum quinti paris ſurculi juxta utrumque ſellæ equinæ latus ſimul coaleſcentes, in truncum nervi intercoſtalis deſinunt. Egreſſi autem ex calvaria circa cervicem in tumores oblongos ſeu plexus gangliformes excreſcunt, è nerveis fibrillis, arteriolis & venis pia craſſaque meninge involutis compoſitos. A plexu hoc cervicali truncus deorſum fertur ad claviculam, ibidem bifurcatus, arteriam ſubclaviam ſtringit & fere circumligat. Thoracem vero ſimulac ingreſſus eſt, conſtituit plexum intercoſtalem, qui ramulos in ſingula ſpatia intercoſtalia dimittit. Deinde ex thorace egreſſus idem nervus per diaphragma ad ventriculum tendit, & poſtea in meſenterium delapſus præcipuos abdominis plexus conſtituit quorum infiniti ſurculi & fibræ ad viſcera & inteſtina diſtribuuntur, unde tanta harmonia & conſenſus partium corporis, utut longe ab invicem diſſitarum, haud obſcure deduci poteſt & demonſtrari. In primis vero octavæ conjugationis nervi per thoracem diſcurrentes & ad infimi ventris partes diſperſi, ſuum ſymbolum huc contribuunt, quorum deſcriptionem uberiorem reſervamus in ordine ſymptomatum examinationi.

§. VI.

Hiſce jam prælibatis breviter nunc ad dignoſcendum affectum noſtrum & cauſas phænomenorum mirabilium reddendas, citra magnam difficultatem jam deſcendere licebit. Ut autem, cujus indolis ac naturæ ſit, eo melius demonſtremus, conſultum erit ut deciſioni noſtræ præmittamus rationes quaſdam dubitandi, ſicque remotive prius procedentes, quænam morbi ſpecies, comparatione inter eaſdem inſtituta, locum hic habeat, nec ne, determinemus. Statim itaque diſquirendum erit, an etiam apoſtematis cujuſdam vel vomicæ pulmonum inter initia morbi ſubeſſe potuerit ſuſpicio, cum tuſſis ſicca ac vehemens, reſpiratio difficilis præcordiorum magna anxietas, adeo conſtanter duraverint, totumque corpus, exhauſtis viribus ejus, macie confectum ſit. Sed reſpondemus ſtatim quod non: taliſmodi enim apoſtemata cum ex tuberculis ſcirrhoſis ac duris conſtent & plerumque parva ſint, ſine incommodo ſingulari diutius ſubſiſtere poſſunt, donec tandem maturentur, unde difficilius fere cognoſcuntur quam curantur. Quoniam enim membrana propria tanquam cyſtide incluſa ſunt, vicinas partes vix afficere, nec gravia ſymptomata inde ſolent inducere, donec tandem maturatæ ac ruptæ ſimul ac ſemel corruptionem ſuam aliis partibus communicent. In noſtro autem affectu dolor non tam gravativus quam acutus & punctorius perceptus fuit cum inflammatione muſculorum intercoſtalium & febre. Deinde materia excreta non fuit purulenta & fœtida, nec ſanguinea, etiam non una vice ἀθρόως καὶ βιαίως ejecta fuit, quale quid in apoſtematum ruptura ſemper perſpicitur. Denique nec paracentheſis habuiſſet locum tali in caſu, præſertim ſi vomica adfuiſſet pulmonum.

§. VII.

Neque ſtatuendum eſſe ducimus, febrem illam ſubſecutam inflammatoriam, qua laboravit æger, cum tuſſi ſicca continua, dolore lateris punctorio & reſpiratione difficili comitatam, dici poſſe pleuritidem veram, licet pleraque ſigna illam mentientia adfuerint, multo minus peripneumoniam. Etenim cum certum ſit in hiſce affectibus pulmones principaliter eſſe affectos & inflammatos, pleuram vero tantum per accidens; in noſtro autem affectu contrarium facile poſſit demonſtrari, ubi labes primario in interſtitiis muſculorum intercoſtalium eorumque ruptis vaſis concepta, pulmones autem non niſi per conſenſum & communionem vaſorum demum affecti ſunt, ſponte hæc opinio cadit. Impoſſibile enim eſt ſalvis adhuc legibus motus, anatomicis & regulis mechanicis, ſtagnantem ſanguinem intra membranam pleuram ſatis denſam ac firmam & muſculos thoracis ad pulmonum ſubſtantiam tranſire & per eorum, qua undique cincti ſunt, membranam itidem ſatis firmam penetrare poſſe. Non enim probabile eſt has membranas à ſanguine ſincero puro in pleura ſtagnante corrodi poſſe nec à pure extravaſato & in cavitate pecto-

pectoris hærente, quoniam hoc non bene attingere poſſet hanc pulmonum membranam. Præterea ſi hæc una cum pulmonum ſubſtantia à purulenta hujuſmodi materia notabiliter eſſet corroſa, remaneret certe exulceratio nec tam cito conſolidationem recipere poſſent, quam tamen in pleuriticis ſæpius intra dies 7. vel 9. vel 11. perfecte reſtitutis fieri certum eſt. Firmiter igitur concludendum eſſe cenſemus, ſecundum hypotheſes Excell. Dn. Præſidis *in Diſſert. de pleurit. & peripneum.* §. 9. & 12. *Omnem pleuritidem veram non ſecus ac peripneumoniam immediate hoſpitari in pulmonum corpore, adeoque illos conſtituere principale hujus morbi ſubjectum, non vero pleuram; tali tamen differentia, quod in pleuritide levis ſaltem & magis ſuperficialis in lobo nempe pulmonis ſtaſis ſanguinis exiſtat inflammatoria, in peripneumonia gravior & profundior illa ſit & vaſa occupet majora, quandoque in uno quandoque in altero latere.* Quæ aſſertio cum ſolidis rationum momentis & experimentis circa cadaverum pleuriticorum ſectiones factis & ibidem allegatis ex profeſſo ſit deciſa, L. B. illuc placide amandatum volumus. Conſentientem quoque præter alios complures Autores hac in re invenimus VINCENTIUM BARONIUM, Medicum Italum celeberr. *in perelegants & raro tractatu de pleuripneumonia conſcripto.*

§. VIII.

Empyematis autem ſeu ſuppurationis in pectore titulum minime huic affectui adæquatum eſſe, facile patet. Arguere id quidem videtur locus ex HIPPOCRATE, *in Coac. p. 565. ſecund. edit. Lindenii*, quem huc allegandum eſſe duximus: *Quibus latus ſublevatum eſt in tumorem ac calidius eſt, & inclinatio in alterum, gravitas aliqua impendere videtur, his pus ex una parte eſt.* Multæ autem ſunt, quæ huic opinioni obſtant rationes. Primo enim empyema ſupponit ſemper alios, quos preſſo pede ſequi ſolet, tanquam productum eorum, inflammatorios morbos ad ſuppurationem tendentes v. g. pleuritidem, peripneumoniam, ſi non bene curentur, vel per ἀνακάθαρσιν ſufficientem terminentur. *Pure enim in pleuritide* (intra ſpatium 14. circiter dierum) *ſive ob copiam ſive ob debilitatem non repurgato, vel moriendum eſt ſuffocatione vel tranſitus fit in alium morbum chronicum, phthiſin, empyema &c.* uti ſecundum Divi Coi effatum optime docet Excell. & celeberr. D. WEDELIUS, itidem Præceptor meus jugi pietate & obſervantia proſequendus *in Aphor. aphoriſmorum L. V. aph. VIII. n. 3. 4.* (2) Communiſſime etiam ſuccedere ſolet vomicæ, tuberculis pulmonum ruptis, aut etiam quandoque effuſæ in phthiſi materiæ purulentæ. (3) Materia ejus, ſive per paracentheſin educta, ſive à natura, per os, alvum, urinam, uti variæ obſervationes docent, excreta, ſemper eſt purulenta, vitioſo ac fœtido charactere notata, quæ omnia de noſtro affectu neutiquam affirmari poſſe, ex antedictis partim, partim ex dicendis adhuc diluceſcet.

§. IX.

Ipſam autem materiam in cavitate pectoris collectam quod jam attinet, illam forte ex læſione ductus thoracici derivandam eſſe, non incommode autumare quiſpiam poſſet, nec diſſimulabimus h. l. etiam noſmet per aliquot tempus olim hac in opinione fuiſſe, haud improbabilibus hujus ſententiæ rationibus inductos, quod ſcilicet ramus quidam hujus ductus, à decubitu lymphæ acris ſtagnantis prope inſertionem ductus in venam axillarem & ſubclaviam, fuerit corroſus & diſruptus, unde portio materiæ iſtius chyloſæ continuo efflueret. Verum enim vero, utut hæc opinio nullam contradictionem involvat, experientia vero poſtea edocti, rem aliter ſe habere comperimus. Nam cum ex accidenti in mentem veniret Medicorum diſceptatio de urina potus & ſeri, an nempe illa via ordinaria per circulum ſanguinis ad renes deduceretur, vel immediate ex ventriculo tranſſudans per poros occultos ad veſicam urinariam ſtatim ferretur, cogitavimus illico, hanc litem à noſtro ſic affecto, præſuppoſita ſcilicet in illo læſione ductus thoracici, experimento quodam inſtituto facile poſſe dirimi. Rogatus igitur à nobis Vir pl. Reverendus, ut poſt conſuetam mane evacuationem iſtius materiæ, certam portionem aquæ calidæ Thee aſſumeret, & breve poſt temporis ſpatium deligaret iterum aperturam, videndo nempe, an poſt aquam epotam materia majori quantitate ac magis diluta prodiret: dictum factum: non detrectavit itaque hujus rei periculum facere, ſed nulla ne minima quidem hujus materiæ alteratio fuit obſervata, ita ut nec magis fluida, nec quantitate, qualitate aut colore mutata, ſed more ſolito apparuerit, pauca tamen quantitate vix ad cochlear dimidium, quantum nempe brevi iſto temporis ſpatio colligi poterat. Quod experimentum unicum ſufficeret ad refellendam læſionem ductus thoracici. Præterea notavimus in Viro laudato, quando morbo afflictus, quod ſæpius accidit, minorem portionem cibi ac potus ac alias ſolet, aſſumſerit, nihilominus materiam eadem quantitate ac in ſtatu ſano, quin & majori quoque copia fuiſſe eductam, certo indicio eam non ex ductu thoracico ortum ſuum immediate ducere poſſe.

§. X.

Hiſce omnibus jam ſatis, uti exiſtimo, diſcuſſis, expendi ulterius meretur quæſtio, qualiſnam in ſtatu præſenti conſideratus ſit ille affectus, ſublato nempe jam morbo priori, & quo nomine nunc commode indigitandus ſit? Diceret quis eſſe abſceſſum aut ulcus quoddam pectoris inveteratum, vel potius fiſtulam thoracis, quæ ob ſolutionem continui ſeu filamentorum dilacerationem indeque formatam cavitatem perpetuo lympham & ichoroſum quoddam ſerum ex ſinu ſuo effunderet. Aſt huic ſententiæ ſtatim repugnat (1) quod nullus hic adſit canalis continuus & oblongus oræ calloſæ ac prædurae, cicatrice quadam obductus, quale quid in fiſtulis tantum non omnibus ſemper reperitur. (2) Quod ipſa materia qualis ab initio & etiamnum quotidie egreditur minime ſit fœda, putrida aut purulenta, malo odore prædita, uti in empyemate ſolenne eſt, nec ichor acris malignus partes vicinas corrodens, ſicuti in fiſtulis obſervatur, ſed teſtimonio ſenſuum, potius gelatinoſa ac γλίσχρα, ſenſu medico dulcis inſtar lactis vel emulſionis, & demum ſine odore laudabilis ac nutribilis, uti id varia experimenta circa ejus indolem explorandam abunde comprobant.

§. XI.

Quantum autem ex omnibus hujus affectus circumſtantiis ſimul ſumptis & expenſis, licet judicare, ut his remotis brevem epicriſin addamus, ſtatuimus eum, quali ſchemate hodienum apparet, præ ſe quidem ferre ſpeciem abſceſſus, minime tamen pus aut ulceroſam ſaniem ibi ſecerni. Igitur non dubitamus aſſerere, materiam iſtam quotidie ex cavitate thoracis plorantem nihil aliud eſſe quam ſucci chyloſi ac nutritii ex vaſis & arteriis intercoſtalibus membrana ſua ob decubitum ſeri acris depaſcentis privatis, perpetuum ſtillicidium. Etenim cum horum

vaſorum orificia dilatata, & membrana ſua qua alias inveſtiuntur ac teguntur in initio morbi penitus deſtituta ſint, & corroſa a materia acri in interſtitiis muſculorum intercoſtalium tum temporis ſtagnante, fieri aliter non poteſt, quoniam nova eorum integumenta denuo accreſcere nequeunt, quod pori eorum continuo hiantes & adhuc patentes ob ſolutionem continui ſuccum iſtum quem vehunt indeſinenter plorent & effundant; Non mirum igitur eſt, ſed rationi maxime conſentaneum, chyloſam materiam, vel etiam lympham gelatinoſam per ductum thoracicum & venam ſubclaviam ad cor delatam, nondum intime cum ſanguine mixtam per arteriam ſubclaviam & truncum aortæ deſcendentem ad vaſa intercoſtalia ablegari, unde colore ſuo parum immutato data porta erumpit, & ſenſim ſic in cavitate thoracis collecta ulterius per aperturam iſtam, beneficio ſiphonis intruſi quotidie educitur certa ejus portio.

SECTIO II.

De Loco principaliter affecto, malique ſede.

§. I.

PRoximum jam erit ut de parte læſa nunc diſſeramus, & ſubjectum quod inhæſionis adæquatum & idiopathicum ipſius morbi determinemus, ubi nempe labes primario concepta ſit. De pulmonibus id, ſi accurate loquendum eſt, affirmari neutiquam poſſe in prioribus jam ſatis oſtenſum eſſe arbitror. Interim tamen plane inſontes eoſdem manſiſſe non poſſumus dicere, id enim mox refutaret in principio reſpiratio difficilis valde laborioſa, cum anxietate præcordiorum, ſono loquelæ impedito & ſuffocationem quaſi minitante. Sicuti enim pulmones tanquam folles & ventilabra microcoſmica, præcipue reſpirationi & formandæ voci inſtar organi muſici inſerviunt, ita etiam his actionibus impeditis vel ſublatis, certum indicium eſt eoſdem labem quandam, licet non per ſe, aliunde tamen concepiſſe. Certum igitur eſt, in initio quidem eoſdem eſſe affectos, ſed non niſi per conſenſum, ob vaſorum nempe communicationem, idque confirmat copioſa materiæ poſt uſum pilularum, opiatorum, per ἀνακαθάρσιν, excretio, licet ad morbum ſolvendum inſufficiens. Cum enim pateat ex ipſa morbi hiſtoria ejuſque circumſtantiis allatis, ægrum noſtrum ſemper ad defluxiones & decubitus humorum acrium ſtagnantium, coryzam, catarrhos, rheumatiſmos pronum fuiſſe, & præterea ſanguis ejus ſit craſſus ac viſcidus, difficulter per poros & vaſcula mobilis, facile poterit concipi, cum in interſtitiis muſculorum intercoſtalium ejuſque vaſis & membranis graves illorum ſtaſes & decubitus lymphæ vitioſæ dramata ac tragædias ſuas luſerint, & ob magnam communicationem vaſorum etiam pulmonum corpora non intacta ab iiſdem manere potuiſſe. Docet enim experientia & nihil etiam notius eſt, quam quod illi, qui ſanguinem talem in vaſis alunt atque fovent, & qui crebrius detinentur rheumaticis ac ſpaſmodicis circa coſtas ſcapulas & dorſum doloribus, quam maxime diſpoſiti ſint ad pulmonum varios affectus, qui ob conſenſum & ſymboliſmum vaſorum communium facillime inde ſuſcipere ſolent læſionem. Hinc autem fit, cum ſanguis viſcoſus & qualitate acri imbutus in circulatione libera ſua ſit impeditus & in vaſis intercoſtalibus ſtagnans, ut cum impetu quaſi illabatur in pulmones, ibique hærens magnam pectoris oppreſſionem, reſpirandi moleſtiam, tuſſes vehementes, præcordiorum anxietates, ut in caſu noſtro apparet, neceſſario inducat.

§. II.

Subjectum igitur morbi inhæſionis & locus principaliter affectus, ubi malum immediate hoſpitatum ſit, procul omni dubio, ſunt muſculorum intercoſtalium, ubi & hodienum læſio hæret, ſpatia intermedia, & ipſa membrana pleura quoad duplicaturam ſuam, cujus vaſa à moleſto & copioſo decubitu ſanguinis & ſeri vitioſi, mirum in modum diſtenta ac læſa, ampliatis poris ſuccum ſuum quem vehunt deponere debuerint. Hujus itaque cum magna moles ſenſim congeſta & intra pleuræ, mediaſtini duplicaturam collecta nullum exitum invenerit, fieri aliter non potuit, quin ipſas membranas diſtendendo & dilatando maximum ſpatium in ipſo thoracis cavo occupaverit. Hinc autem ſtatim ratio reddi poterit ſubitaneæ illius & magnæ dilatationis totius pectoris, inſtar gibberis elati excreſcentis, ut cor atque pulmo ſiniſter verſus dextrum latus detorquerentur, & in angulum quaſi anguſtum coarctarentur, ut pulſus cordis vehemens ſub papilla dextra tactu & viſu perciperetur. Etenim cum ex lecto ſurgens, totum corpus antea in quiete conſtitutum, motu iſto inſolito conquatereter & poſitura erecta extenderetur, ligamenta quibus hæ partes invicem connectuntur, quin & nervorum filamenta violenter diſtendebantur, ut dolores inſignes inde ſtatim perceperit, unde & membrana pleura, à materiæ copia jam ſatis dilatata ac tenuis facta, undique compreſſa ac vellicata, accedente hoc motu ſatis valido, ſimul ac ſemel divulſa eſt, & effectum notabilem produxit. Hinc & poſt paracentheſin & materiæ evacuationem per aliquod tempus in ſiniſtra cavitate pectoris ſubauditus eſt ſtrepitus, ac ſi ſtrophiolum quoddam in aqua volutaretur, nullam aliam ob cauſam, quam quod membrana iſta, quæ quaſi folliculus materiam comprehenderat, jam ſeparata & flaccida facta facilem motum & conquaſſationem in vacuo nunc jam ſpatio ſuſcipere poſſet.

III.

Porro inter partes læſas, per communionem affectas merito etiam referendum erit mediaſtinum pulmones & ipſam thoracis cavitatem in duas partes ſecundum longitudinem diſpeſcens, quod originem habet à pleura quæ è medio pectore recta ad dorſum porrecta hanc membranam conſtituit binis lamellis. Præterquam enim quod magna vaſorum intercoſtalium & pleuræ præcipue cum hac membrana ſit communio, ut his labefactatis etiam illa non illæſa & intacta permanere potuerit, valde etiam probabile eſt, materiam iſtam extravaſatam intra muſculos thoracis & duplicaturam pleuræ ſtagnantem, etiam huc ulterius delatam, ſpatium extenſionis ſibi quæſiviſſe.

SECTIO III.

De variorum morbi ſymptomatum nexu & cauſis.

§. I.

AFfectum itaque hunc noſtrum nil niſi perpetuum eſſe ſtillicidium ſucci gelatinoſi ac nutritii

nutritii ex poris arteriarum intercoſtalium nimium diſtentis, ſuperioribus jam ſatis demonſtratum eſſe arbitror. Jam autem conſultum erit, ut hanc ipſam aſſertionem ulterius per cauſas explicemus, ſolidisque rationibus corroboremus. (1) Materiam eſſe gelatinoſam & chyloſam exinde devincitur, quoniam ſapore eſt dulcis, omnis fœtoris & corruptionis expers; (2) Si enim ſpiritu vini rectificatiſſimo, oleo tartari per deliquium miſceatur, calori etiam ignis exponatur, abit in offam ſpiſſam gelatinoſam. Non purum autem eſſe chylum, ſed cum gelatina ſanguinis mixtum hunc ſuccum ex eo diſcimus, quoniam non eſt perfecte albus, uti chylus, neque fluidus ſatis & dilutus ſed ſpiſſus, neque à potu largiori fluidior evadit, nec poſt cibum & potum mox rurſus colligitur materia in thoracis cavo, unde vias ac vaſa, quæ chylum purum vehunt, non eſſe primario læſa luculentiſſime perſpici poteſt. Quapropter originem hujus perpetuæ effluxionis ex ſanguine ejuſque vaſis arterioſis in thorace collocatis, principaliter repetendam eſſe dubitari vix poterit. Diximus autem arterias intercoſtales primario eſſe læſas, quia hæ primo ex ſiniſtro cordis receptaculo recipiunt chylum, quem antequam intime cum ſanguine miſcentur, continent in quantitate ſatis inſigni. Deinceps fidem facit noſtræ aſſertioni ipſe locus affectus, de quo jam egimus, ubi ſtatim inter initia morbi labem quandam conceptam eſſe, patet ex morbi Hiſtoria.

§. II.

Eſt autem noſtra ſententia, à graviſſimis doloribus, conſtrictionibus ſpaſmoticis in ſenſibiliſſima thoracis membrana pleura obortis, vaſa lymphatica fuiſſe compreſſa & conſtricta, ut difficillimus per venas ſanguinis reditus ſit factus, & penitus ablata æqualitas quæ eſt inter ſanguinis per arterias appulſum & eadem quantitate regreſſum. Factum hinc eſt ut mirum in modum à ſanguine ſtagnante diſtentis arteriis, tunicarum earum pori & oſcula nimium aperta & diducta fuerint, ex quibus poſtea exſtillavit intra pleuræ duplicaturam lymphaticus ille chyloſus ſuccus nutritius, maxima in quantitate. A regreſſu vero ſanguinis per venas difficiliori diſtendi vaſa arterioſa, ampliari glandularum ductus, qui non niſi continuationes arteriarum ſunt, & ex ipſis poſtmodum ſuccum ſpiſſiorem ejici, quamplurimis argumentis evinci poterit. Videmus enim id clariſſime in coryza diuturna, in tuſſi humida & penes mulieres in albo fluore, ubi per longum tempus hi affectus duraverint, quod ſæpius diu poſt ſecernatur materia ſpiſſioris conſiſtentiæ, flaveſcentis coloris, tam per nares, os ipſum, quam & per uterum, quæ nullam aliam habet originem, quam ſanguinem retrogradum per venas motum tardiorem inæqualem, tonum glandularum relaxatum, arteriarum diſtenſionem tubulorumque ſecretoriorum nimiam apertionem.

§. III.

Profluit hinc neceſſario craſſiuſculum ſerum cum lympha tenui dilutiori, quæ poſtea in poros lymphaticorum vaſorum recipitur, remanente ſpiſſiori ſubſtantia. Perdurare hæ ejectiones craſſæ viſcidæ flaveſcentis materiæ diu ſæpius ſolent, quoniam arteriarum tunicæ ſupra modum diſtentæ non tam ſubito rurſus redeunt in priſtinam ſuam formam magnitudinemque, nec tonus fibrarum à copia humidi laxus & debilitatus, recipit mox robur & reſtituitur in integrum, unde etiam pori & tubuli valde ampliati non tam facile rurſus ſeſe occludunt, nec coarctati anguſtioreſque fieri iterum poſſunt.

§. IV.

Chyloſæ autem materiæ in noſtro caſu profluxus inde provenit, quoniam ſanguis in affecto loco plurimo chylo ſcatere ſolet, unde accidit ſæpius in vulneribus thoracis, in ejus exulcerationibus & empyematibus, diutius quandoque remanere effluxionem ſucci chyloſi, eandem nempe ob cauſam jam dictam. In cujus rei fidem, exempla multa afferre poſſemus. Sufficiat vero una vel altera hiſtoria circa hanc rem obſervata. Videlicet, adoleſcens quidam in hac urbe 17. circiter annorum, poſt languorem, pectoris anguſtiam febremque pectoralem tandem in ſiniſtro latere thoracis incidit in tumorem magnum. Medicorum opera in hoc tollendo omnis fuit fruſtranea. Adivit itaque carnificem ſicuti id genus hominum ſolet, qui niſi præſens Medici auxilium conſpiciunt extrema quærunt, ſecundum illud Poetæ:

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Novus itaque hic adſcitus medicaſter ſtatim applicavit ſua emplaſtra, quibus etiam mox aperturam procuravit & quidem verſus ſpinam intra 7. & 8. coſtam. Hinc copioſa albidæ materiæ facta fuit effuſio ex thorace, non citra notabilem ægrotantis εὐφορίαν. Cum vero carnifex tumorem pro ulcere haberet, primo turundis eundem tractavit, deinde adhibitis conſolidantibus vulnus iterum coaleſcebat. Quo facto autem æger pejus ſe habere cœpit, donec materia in thorace denuo collecta, ſua ſponte paulo altius verſus ſcrobiculum cordis intra 6. & 7. coſtam exitum ſibi paraverit. Apertura vero hæcce ad conſolidationem non potuit deduci, ſed materia chyloſa alba, quæ aſſumptorum ciborum odorem quandoque refert, perpetuo effluit præſertim ſub inſpirationis actu. Nullum dubium eſt & hic quoque ſimili modo, uti antea dictum fieri ſeceſſionem in ſpatio, quod eſt intra coſtas & pleuram, ſive etiam intra duplicaturam pleuræ, ſucci cujuſdam chyloſi ab ipſo ſanguine, nempe per pororum in arteriis nimiam apertionem, & ſeri ac lymphæ decubitum in parte affecta ſolito majorem largioremque. Præterea referunt *Miſcellanea Nat. curioſ. Dec. II. A. VI. p.* 417. ſequentem obſervationem: Mulier quædam cultro in ſiniſtro pectoris latere transfoſſa fuit, ubi per vulnus iſtud interdum effluxit chylus, & quando ægra cibis ſolidioribus uſa fuerit, ſpiſſior quoque fuit, ſi vero dilutiora alimenta aſſumpſerit, tenuis quoque fluidus apparuit iſte liquor albidus. Accidit etiam abſceſſum thoracis ſubſequi quandoque ejuſcemodi materiæ ſeparationem. Ita *Miſcellanea N. C. Dec. II. A. VIII. p.* 105. mentionem faciunt abſceſſus thoracis per apertionem feliciter curati, poſtea vero ſucceſſive collecta fuit materia quædam albicans lacti ſimillima, quæ etiam diu evacuata eſt per foramen apertum citra fœtorem.

§. V.

Aſſertionem itaque noſtram poſtquam rationibus & experientia jam ſatis adſtruximus, res jam & ordo ulterius poſtulant, ut paulo accuratius in cauſas & geneſin hujus mali inquiramus. Vir nempe honoratiſſimus ob *temperamentum cholerico-melancholicum, texturam ſenſibiliorem, habitum corporis gracilem, ſine motu ſufficienti, quietem, vitam & delectationem ciborum acidorum* ſanguinem diſpoſitum habuit maxime ad generationem bilioſarum & tartareorum humorum, & ſeri impuri ſalſi acris, quo præſente facile fiunt rheumatiſmi, dolores tenſivi artuum, catarrhi, tuſſes acres, ſiccæ, vehementes convulſi-

væ

væ quibus pathematibus etiam jam ante affectum iſtum ſæpius correptus fuit, & etiamnum quandoque iiſdem affligitur. Et quod notabile eſt, malum hoc primordia cœpit *ex coryza ſæpius ſuppreſſa.* Etenim ſi ex defectu naturæ vigoris ſerum quantitate & qualitate peccans à ſanguine ſeparatum non foras ejicitur per congrua emunctoria, ſuſcitat intus graviora adhuc mala. Inde profluxit quoque in noſtro ægrotante *tuſſis ſicca gravis ſine ulla materiæ ejectione ollam cavam reſonans, ad ſemeſtre ſpatium perdurans.*

§. VI.

Hac rerum facie cum æger nihilominus variis aëris humidi ac frigidi injuriis expoſuerit corpus infirmum, acceſſit poſtea *febris acuta pectoralis cum dolore lateris punctorio.* Orta fuit hæc ipſa ex decubitu ſeroſi acris ſanguinis in vaſculis intercoſtalibus, eorumque facta inde inflammatione, unde etiam dolor acutus punctorius ob diſtenſionem & vellicationem membranæ pleuræ enatus fuit. Oritur autem ſæpiſſime talis febris ex tranſpiratione impedita, qua accumulatio ſeri acris fit ejuſque collectio copioſa, unde etiam tuſſis gravis cum dolore latere punctorio. Aſſumpſit æger pilulas pectorales, opiatas, ſed citra ſingularem fructum utpote reſpiratio anxia & difficilior reddita fuit. Et ut verum fateantur, minus huc quadrant opiata. Quamvis enim dolorum atrociam mitigando, gravia quædam ſymptomata præſcindere poſſint, nihilominus & hoc ſecum gerunt incommodi, ut præpediendo tranſpirationem & halituoſitatem liberiorem, ſordium harum accumulationem, & ſic iiſdem fixam ſedem & immobilitatem concilient, ut etiam hic factum eſſe videmus.

§. VII.

Attendi porro meretur, quod *cibi omnes aſſumpti per vomitum ſtatim iterum ejecti* fuerint. Sæpius hoc accidit in tuſſi graviori. Nam notum eſt quod par vagum non modo ramos ſpargat ad ipſos pulmones ejuſque tunicas aſperamque arteriam, ſed & ad ipſum ventriculum, unde ob conſenſum & communionem nervorum, vellicatis & convulſis nervis in thorace, ipſe ventriculus moleſtiſſime afficitur contractorio convulſivo motu. Cum igitur nequicquam cibi & alimentorum retinere potuerit æger, *ſecuta fuit macies & vires corporis omnino exhauſtæ.* Nutritur enim corpus & reſarciuntur vires ſi humores ſunt benigni & laudabiles, ſi placidi & æquabiles ſunt eorum in corpore motus; Hic autem cum tota œconomia motuum ſit turbata, dolores adſunt, febriles commotiones, effuſiones, ſeceſſiones & ſtagnationes humorum fiunt aliorſum, & acrimonia manifeſta laborant fluores vitales.

§. VIII.

Supervenit etiam hyberno tempore purpura. Hæc teſtatur de exundantia ſeri excrementitii ſalſi bilioſis particulis infarcti, unde facillime illa excitari ſolet, imo generatur etiam libenter in aliis morbis, dum nempe per febrilem calorem intus recondita & in involucris viſcoſis ſanguinis latitantia ſalia, motu evocantur, explicantur & acriora reddita, poſtea magno motuum impetu ſubſecuto quandoque ad partes extremas propelluntur. Retroceſſionem purpuræ ab aere externo frigido, ſecutum mox fuit *aſthma*: nihil enim frequentius occurrit in praxi, quam ut ſordes ſalinæ, cauſticæ, à ſanguine ſemel ſeparatæ quando fuerint, poſtmodum vero ad habitum corporis retropulſæ, ſi retrocedant, longe violentiores fiant, & vellicationibus, contractionibus, & ſpaſmis, in nerveis maxime & ſenſibilibus partibus ſæviſſima ſæpius pathemata progignant. Plerumque vero ſubſequi ſolet aſthma ſuffocativum, dum nempe in bronchias pulmonum eorumque expanſiones nerveas irruit materia retropulſa acris. Convulſi autem nervi, criſpati & conſtricti remoram injiciunt ſanguinis libero per pulmones circulo. Generalis enim regula eſt nervis præter naturam affectis & ſpaſmodice adſtrictis, turbari quoque ſanguinem in ſuo motu ac circulo.

§. IX.

Hinc ſecuti quoque fuerunt dolores in pectore & abdomine una cum obſtructione alvi contumaciſſima; flatibus enim turgebat totum abdomen, ita ut injectio clyſmatum ſæpius repetita nunquam penetrare potuerit, manifeſto indicio, nervos qui ad thoracem & abdominis viſcera tendunt, nempe par octavum & intercoſtale à materia acri vellicante, retropulſa, vehementiſſime affectos fuiſſe & mirum in modum conſtrictos. Notum vero eſt nervorum vellicationem neceſſario ſequi ſpaſmum fibrarumque muſculoſarum & nervoſarum conſtrictionem. Notum quoque porro eſt, ex ſpaſmis dolorificis nervoſarum partium, etiam in remotis & diſſitis locis, alvum pertinaciter conſtringi, flatibuſque repleri. Conſpicimus id ipſum clariſſimo in epilepſia, in dolore ex calculo renum & veſicæ felleæ, malo hypochondriaco, hyſterico, cephalalgia, dentium aliiſque ſæviſſimis doloribus, ob conſenſum nempe nervorum.

§. X.

Ineffabiles porro cruciatus æger ſenſit in corpore, qui utique teſtantur de vellicatione & irritatione vehementi facta à ſpiculis acribus cauſticis ſeri ſtimulantibus. Sub doloribus vero iſtis ſpaſmodicis *ſenſationes erant ac ſi prunæ candentes intus laterent ac inſtar globulorum igneorum circa regionem lienis circumvolverentur.* Quandocunque incendium intenſiſſimum & ardor magnus interne percipitur, certum indicium eſt, partem eſſe inflammatam, ſtagnare ſanguinem & vaſa eſſe diſtenta. Lienis autem regio, quam judicabat ægrotans, partem eſſe affectam, potius fuit regio thoracis. Nam notum eſt, quod diaphragma ſub quo latitat lien, verſus dorſum longe inferiorem ſedem occupet ipſo liene. Etenim ſæpius ſe extendit ad duodecimam vertebram dorſi ſub coſtis ſpuriis, unde in corpore reſpectu lienis præſertim circa regionem ſpinæ valde inferiorem habet ſitum.

§. XI.

Dolores acuti poſtquam ceſſarunt, *abdomen collapſum eſt, ſed gravativus dolor totum corpus occupabat*; Conſtrictio nempe iſta ſpaſmodica & vellicatoria cum exſpiraverit, ſecutus fuit tumor, non ſecus ac videmus poſt graves dolores, in arthritide, podagra, dolore dentium, fieri demum relaxationes nimias partium & inde ſurgentes tumores. Nam poſt dolores graves & vellicationes, mirum in modum debilitantur nervi, tonus partium deſtruitur, languidior fit ſanguinis circulus per venas, unde fiunt decubitus, ςάσεις humorum tumoreſque: Ita etiam in noſtro ægro tumor in cavo thoracis ob ſeceſſionem & extravaſationem copioſi ſeri per poros arteriarum diſtentos ob difficilem ſanguinis & lymphæ reditum per venas; & cum ſucceſſive magna quantitas collecta fuerit in cavitate thoracis, pleura, intra quam vaſa feruntur, fuit ſeparata & divulſa, unde enatus fuit hic maximus tumor, qui non modo pulmones & ipſum cor violentia ſua detruſit ad

dextrum

dextrum latus ut pulſus ibidem ſentiretur, ſed & ſiniſtrum latus extuberare faciebat inſtar gibberis magni convexi cum ſumma præcordiorum anxietate.

§. XII.

Non poterat ſiniſtro pede terram attingere: quoniam a tumore diſtenti nimium ſunt intercoſtales nervi, qui etiam ramum majorem mittunt ad ipſum femur unde nullum robur in pedibus ſupererat. Aderat reſpiratio difficilis cum anxietate præcordiorum ob dilatatum nimis diaphragma & pulmones compreſſos. Cibi non poterant deglutiri ob œſophagum & ventriculum a tumore valde compreſſum. *Sequebatur tumor œdematoſus pedum:* fit ſæpiſſime in debilitatis & ubi circulus ſanguinis per cor & arterias venaſque difficilis eſt. Debilitato enim circulo ſpirituaſcentia ſanguinis perit, tonus partium labaſcit, ſanguis lentus & craſſus fit & ad regreſſum per venas inidoneus, unde tumorum geneſis.

§. XIII.

Rectiſſime tandem *apertus fuit tumor* & ſub ipſa apertione ſonus excitabatur ac ſi veſica aqua diſtenta rumperetur, manifeſto indicio: collectam fuiſſe materiam in folliculo. *Materiæ ſucceſſive XII. menſuræ diebus 4. fuerunt eductæ.* Indicat hæc quantitas extraordinariam tumoris magnitudinem. Indicat quoque non purulentam fuiſſe materiam, ſed potius benignam gelatinoſam. *Auditus quaſi fuit ſtrepitus in cavitate ſiniſtra membranæ circumvolutatæ*, propter membranam pleuræ nimis diſtentam & jam flaccidam factam. Continuavit egreſſus iſtius materiæ jam per X. annos adeo ut ſingulis diebus dimidiam libram adhuc excernat. Ratio hujus perpetui fluxus eſt, quod vaſa intercoſtalia præſertim arterioſa in loco affecto adhuc valde diſtenta ſint, porique eorum ampliati & aperti, unde cum in læſa parte circulus ſanguinis valde ſit debilis & regreſſus per venas valde difficilis, accidit ut per tubulos arteriarum quos ibi materia apertos formavit, perpetuo adhuc deſtillet materia. Et quod valde dignum notatu eſt, dolore rheumatico vel punctorio accedente in parte affecta ſub paroxyſmo rheumatiſmi, qui quandoque adhuc infeſtat ægrum, majorem quantitatem quandoque ad libram & ultra effluere, quam ſi fuerit in ſtatu ſano, non aliam ob rationem quam quod in parte jam ante debiliori major fiat ſtaſis & magnus decubitus humorum, unde arteriæ ſanguinis copia refertæ diſtentæque majorem fundunt materiæ copiam. Nil autem magis nocet viro optimo quam frigus intenſum, quoniam valde inimicum eſt nervis, ipſe vero macilentus cum ſit & texturæ ſenſibilioris, hinc frigidus aer conſtrictione ſua nervoſas partes facilius in anomalas motiones rapit, & facile inflammationes circa aperturam cauſatur.

SECTIO IV.

De Phænomenorum notabiliorum reſolutione.

§. I.

IN ipſa deligatione, poſtquam materia evacuata eſt, *aer cum tanto impetu egreditur, ut inſtar follium crepitum edat & flammam candelæ admotæ exſtinguat.* Deducere nonnulli volunt hoc phænomenon ex pulmonum læſione. Nam perſuaſum ſibi habent, aerem in inſpiratione attractum per pulmones læſos tranſire in thoracem & ſic expelli per vulnus, ſed falluntur. Potius in inſpiratione cum dilatatur cavitas thoracis, aer per vulnus ingreditur non ſecus ac diductis parietibus follium aer intrat per eorum foramen; quando vero rurſus exſpiratio fit & thorax concidit, diaphragma autem deprimitur, tunc denuo expellitur ipſe aer externus atmoſphæricus. Notabile quoque eſt, quod ſi nimium aeris thoracem ingrediatur, faucium vehemens conſtrictio cum tuſſi moleſta ſequatur. Nam ſi non omnis aer fuerit per foramen expulſus & hoc turunda obturatur, tunc aer atmoſphæricus in cavitate thoracis impedit liberam expanſionem pulmonum, unde anxietatis & conſtrictionis fit ſenſus.

§. II.

Alterum curioſum phænomenon eſt: quod quotieſcunque ad mundificandum vulnus & eluendum pectus liquor quidam injectus ſit per ſyringam in cavitatem thoracis conſtans ex vino Hiſpanico vel etiam aqua cum radice chinæ, ſarſaparillæ, decocta, ſingulis vicibus poſt horulam ſubſecutus ſit paroxyſmus perfecte febrilis. Hoc jam phænomenon egregie ſi quid aliud, explicat generationem febrium. Sunt qui ſibi perſuadent, febriles ſanguinis & humorum motus inſtitui a natura, quæ quaſi prævidens malum, prudenti intentione ac directione motus tales inſtituat ad amovendum illud quod ipſi eſt moleſtum. Verum enim vero dependet febris productio ex mechanica quadam neceſſitate, & fiunt plerumque febres non tam a quantitate vitioſa, ſed potius a qualitate, & utplurimum a materia exili acri cauſtica vellicante nervos unde ferme omnibus gravioribus doloribus febres ſunt adſtites. Ceſſante enim dolore ceſſare etiam ſolet febris. Et utut non ſemper vellicationes nervulorum qui comitantur arterias & vaſa cordis, ſequantur dolores, ſequitur tamen eas ipſas febris, unde exiliſſima ſæpe materia, modo vellicante qualitate ſit inſtructa, producit febres, quod videmus in contagio peſtis, variolarum, morbillorum, purpuræ, tertianæ epidemicæ: quæ ſæpius terminari ſolet per puſtulas labiorum.

§. III.

Thermarum quoque Carolinarum balneo calido ſæpius in inſtanti generari febres non novum eſt. Videmus exinde clariſſime, intenſas illas ac impetuoſas cordis & arteriarum in febribus commotiones & pulſationes, quæ febrem progignunt, ſpaſmodicas quoque conſtrictiones cutis in horripilatione pendere a nervis præter naturam affectis, vellicatis, irritatis ac convulſis, unde etiam omne adſtrictivum, omne anodynum ſive ab extra ſive ab intra uſurpatur, omne quoque nacoticum ſuſpendit febriles inſultus, quoniam diſponit ita nervos, ut ad actiones & inſultus materiæ peccantis minus ſe commoveant & afficiantur. Eodem modo dum liquor ille vellicans heterogeneus diaphragma & partem affectam ſenſibilem irritaverit, mox ſubſequutus fuit perfectus paroxyſmus febrilis, cum horripilatione, pulſu celeri, calore intenſo durans quandoque per aliquot dies.

§. IV.

Porro notabile quoque phænomenon eſt, quod diu remanente tumore in thorace nec per viam ſolitam evacuato, in ipſo ore ſentiatur non modo ejus ſapor, ſed & ipſa materia ratione ſubſtantiæ ſuæ. Deducimus hoc ipſum ex eo, quod nempe, quando vir laudatiſſimus ſiniſtro lateri incumbit, humor per poros venarum & vaſorum lymphaticorum rurſus recipiatur & poſtea glandulis aſperæ arteriæ, faucibuſque, circulatione huc adductus ſeparetur. Per

poros

poros extravaſatam materiam recipi poſſe in venas teſtatum faciunt purgationes fortiores in cachecticis & hydropicis, ubi ſerum extra vaſa poſitum reductum in ſanguinem magna in copia expurgatur; Hæc quoque eſt ratio, quare purulenta materia, in abſceſſibus thoracis ſæpius educatur per alvum & urinam. Quotidiano etiam experimento videmus coagulatum & extravaſatum in contuſionibus ſerum, debitis fomentis & cataplaſmatibus adhibitis, diſſipari & rurſus recipi in ſanguinem.

SECTIO V.

De ſanatione hujus affectus.

§. I.

EXplicatis jam omnibus ſymptomatibus & phænomenis, reſtat ut ſententiam quoque noſtram afferamus circa curam inſtituendam. Primo autem occurrit quæſtio num ſtillicidium iſtud ſucci nutritii poſſit in totum auferri, vel an ſpes ſit, ſublato nempe hoc affectu, ut in integrum reſtituatur Vir pl. Reverendus? Sed reſpondemus, exiguam ſpem hac in re promittere nos poſſe. Nam notum eſt, quod vitia in mala conformatione ſolidarum partium & pororum, tubulorumque difficillime perfectam medelam admittant, maxime in iis partibus ad quas proxime medicamentis non poſſumus pertingere. Deinde periculum etiam hic eſſet conſtringentia applicare, utpote hæc non modo vellicando ſenſibiles partes producerent majora mala, ſed & violentia coarctando & occludendo poros, metus eſſet, ne produceretur nova inflammatio, nova abſceſſio vel decubitus materiæ.

§. II.

Tacendum quod difficillime occludi poſſit foramen in thoracem penetrans. Etenim omnia hic facta ſunt calloſa, cartilaginea. Notum vero ex chirurgicis, ibi non bonam & laudabilem poſſe creſcere carnem, nec conſolidationem veram, tutam ac conſtantem ſperandam. Difficillimum enim eſſet exequi, ut calli prius auferrentur. Nam cauſtica quæ inſerviunt huic ſcopo hic applicare non convenit. Potius intactum eſt ſinendum hoc malum & committendum Deo & naturæ.

§. III.

Interim ne gravius accedat malum, & ne variis ſymptomatibus moleſtet: oportet obſervare certas quasdam cautelas & regulas, quales jam breviter communicabimus, quæ inſtar omnium eſſe poterunt:

(1) Deligatio conſueta ad minimum ſemel vel bis de die fiat, ubi ſemper materia illa evacuetur collecta; cannula uſurpetur quæ auro obducta oleo amygdalarum dulcium inuncta eſſe debet.

(2) Singulis menſibus injiciatur bis de die infuſum ſcordii & veronicæ, cum vino Hiſpanico, additis floribus roſarum & momento myrrhæ.

(3) Externe emplaſtrum ſaturninum vel diapompholigos applicetur.

(4) Aer ſerenus & temperatus ſicuti optimus eſt, ita ſedulo evitandus omnis frigidus, humidus & vaporibus nebulisque repletus.

(5) Cibis utatur parum acidis & ſalitis, non nimis aromatibus & calidis rebus conditis; carnibus veſcatur junioribus; & inter eſculenta eligat, quæ bonum chylum præbent.

(6) Potus vini dulcis optimi moderatus ſumme proficuus erit. (7) Ante omnia autem commendanda ſunt juſcula ex alimentoſis ſuccis & vegetabilibus ſelectis præparata.

(8) A medicamentis calidioribus & volatilibus nimiis, ſedulo abſtinendum. Interdum tamen oleoſum quoddam ſal volatile cum tinctura antimonii mixtum adhiberi poteſt præſertim poſt prandium, ad chylificationem bonam promovendam.

(9) Alvus quando obſtructa eſt, paſſulæ rhabarbarinæ in uſum vocari poſſunt.

(10) Ad rheumatiſmos & decubitus ſeri acris quoniam diſpoſitio adeſt, infuſis calidis veronicæ, ſcorzoneræ, ſcordii &c. cum dimidia parte lactis calidi mixtis frequenter utendum erit.

(11) Paroxyſmus ejusmodi ſi præſens ſit, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis, papaveris, amygdalis dulcibus ad mitigandos dolores rheumaticos proderunt. Item diaphoretica ex antimonio parata, ejusque ſulphure probe fixato cum croco ſolis mixto frequenter tum uſurpanda.

(12) In tuſſi moleſta, pilulæ de ſtyrace, ſ. laudanum pectorale ad ſcrupulum ſemis veſperi ante ſomnum, optimam præſtabunt operam.

DISSER

DISSERTATIO MEDICA,

DE

INCONTINENTIA URINÆ EX PARTU DIFFICILI,

Primùm edita Annò 1724.

PROOEMIUM.

ADMIRANDA eſt ſummi conditoris noſtri ſapientia, qua omnium animalium, maxime vero hominis, ita fabricavit corpora, ut, non ſolum neceſſitatibus ſingulis rectiſſime ſatisfaciant, verum etiam ad elegantiam munditiemque comparata ſint. Nolumus jam argumentum hoc pleniſſime excutere, ſed Lectori tantum in memoriam revocare, quantum ſit illud beneficium, quod ea, quæ neceſſario excerni debent, ab aſſumtis quotidianis tanquam feces reſidua, voluntatis noſtræ arbitrio ex parte ſubjecta ſint, nec invitis nobis exitum, quoad ſani ſumus, inveniant. Nam quum ciborum intra corpus aſſumtorum digeſtio, chyli extractio, deſcenſus per longum canalem inteſtinorum ita fiant, ut nec conſcii ſimus, nec voluntatis ullum imperium in hæc habeamus: quis non admiretur voluntati noſtræ in unam ultimam tam longi canalis particulam jus quoddam fuiſſe tributum? Pari ratione potulentorum, ubi ſemel in ventriculum deſcenderunt, diſtributio, & in humores vitales deductio, nobis nec conſciis, nec adjuvare, vel impedire valentibus, ut & ipſa ſuperfluæ humiditatis in renibus ſecretio, perque ureteres deſcenſus fiunt & abſolvuntur: Sola emiſſio eſt, cujus nos conſcios natura voluit, ejuſque moderamen voluntati tribuit. Quantum hoc ſit beneficium, ii demum intelligunt, qui morboſa quadam diſpoſitione detenti, poteſtatem hanc amiſerunt, vel illi, quibus neceſſaria cura ejuſmodi ægrotorum incumbit. Quantum pretio hominis detrahat ſola, de qua agere conſtituimus, mictio involuntaria, vel ex Romanorum legibus diſcere licet, quibus cautum fuit: ut, *ſi quis mancipium vendidiſſet, quod immingeret, contractus ille reſcindendus ſit.* Non itaque indignam putavimus hanc materiam, quantum nobis quidem conſtat, diſputationibus non multum detritam, quam inauguralis thematis loco, conſideraremus, & tanquam ſpecimen profectuum qualecunque, demum ſiſteremus. Quum vero late pateat hoc argumentum, ſtudio brevitatis factum eſt, ut unice reſtringeremus illud ad eam incontinentiam, quæ fœminis, partu difficili defunctis, accidit, totamque eorum vitam, niſi in tempore ſuccurratur, infeſtat. Faxit Deus feliciter!

§. I.

Dicturi igitur de graviſſimo morbo, qui fœminis, dum matres fiunt, ſubinde accidit, neceſſarium putamus, partium in hoc morbo affectarum, naturalem ſanamque conſtitutionem, breviſſimis verbis delineare; tum vero addere, quasnam illæ mutationes ſubire debeant, ſub ipſo illo actu, quo fœtus excluditur. Me autem tacente, quivis intelligit, veſicam, ejuſque collum, cum urethra, uterique vaginam, in hoc morbo affici.

§. II.

Veſica urinaria locum habet ſub oſſe pubis & peritonæo ſubjecta. Cervix ejus, muſculoſis fibris circumdata, valde brevi canale exit in pudendum muliebre, pollicis fere ſpatio ſub clitoride. Nobis vero maxime illud hic eſt notandum: quod cum vagina uteri arcte cohæreat, ita, ut prorſus unica tunica videatur. Vaginam uteri, ex parte ſuperiori accurate cum meatu urinario conjunctam eſſe, ex dictis patet, nihilque opus eſt adjungere: videamus potius, quantum mutationis hæc pars ſubeat, dum fœtus excluditur. Scilicet appropinquante partu aliquot ante dies, prægnans, molis, quam in utero valde

auſcto & expanſo geſtat, ſenſibilem inclinationem ad hypogaſtrium ſentit. Intercurrunt tunc dolores circa præcordia & lumbos, qui tandem in veros partus dolores, a lumbis incipientes & ad ſinum progredientes, abeunt; hosque inter uteri orificium internum aperitur, quin ad aliquot dies prorſus aboletur, ſic, ut matrix tunc temporis inſtar campanæ pateat, rectiſſime docente harum rerum per tot annos experientiſſimo, FRIDERICO RUYSCHIO, *Adverſar. Anatom. Decad. II. obſervat.* 10. ſub hac dilatatione ſimul valde tenduntur fibræ membranaceæ, vaginam conſtituentes, & quum tanquam fixo loco annexæ ſint oſſi pubis, fieri nequit, quin exeunte fœtu grandiore, præſertim in primipara annoſiore, ubi difficilius fibræ jam duriores elongantur, maxima cum moleſtia parturientis, difficultateque partus illud accidat. Longe vero magis pati debent hæ fibræ, partus laboribus diutius protenſis, ob urinæ in veſicam coacervationem: præcipue quoniam fœminæ parturienti, quando fœtus caput ad exitum tendit, impoſſibile eſt lotium reddere, quia meatus urinarius, quantum poteſt, maxime compreſſus, nihil transmittit.

§. III.

Quod ſi igitur fœtus, exitum quærens, capite ſuo oſſi pubis diutius inſideat, neceſſarium eſt, ipſam illam preſſionem continuumque accubitum, ſeu incubationem, fibris tantopere tenſis moleſtum ſenſum, vaſis autem omnis generis humores continentibus impedimentum progreſſivi motus inferre. Unde ſimul ſtagnationis, vel prorſus ſtaſeos, ſimul vero ſuggillationis effectus emergit. Huic vero, per ſe ſat gravi incommodo, ſuccenturiatur alterum, quod obſtetrix, manus ſuæ digitis, uterum ſubitura, dictam compreſſionem valde augere, ſuggillationem producere, vel immodeſtius agendo, prorſus rupturam fibrarum perpetrare valet. Immo ipſa tam valida extenſio fibrarum, ſola ſufficit ad rupturam per ſe efficiendam, quemadmodum etiam perinæi, nec non inteſtini recti, ruptura, in difficiliori negotio, non ſemel obſervata fuit.

§. IV.

Dicta nunc & expoſita ſatis, ut exiſtimo, declarant, quid fieri poſſit & ſoleat, ut in parturientibus cervix veſicæ lædatur, ſive ſuggillando, ſtaſinque humorum in ipſo corpore veſicæ, qua parte illud cervici proximum eſt, inducendo, quæ deinde in inflammationem corruptionemque abit, partisque ſubſtantiæ ejus ablationem infert, ſive obſtetricia manu ſcalpente & perrumpente, in continenti illud accidat, ſive demum, quod plures auctores Medici unice admittere videntur, ſphincteri veſicæ, qui fibris carnoſis vaginæ implicatur, atonia quædam & laxitas, ab immoderata illa extenſione, inducatur.

§. V.

Eſt itaque urinæ involuntarius exitus, ſeu incontinentia, poſt partum accidens, lotii effluxus perpetuus, qui vel per ordinarium urinæ meatum accidit, ſi ſphincteris tantum vitio ſit, vel per ipſum veſicæ exulceratæ cavum, in vaginam uteri continuo exſtillat, adeoque ſolutionem continui ſupponit.

§. VI.

Cauſſas hujus mali, multis indagare prorſus ſuperfluum exiſtimo, poſtquam ex breviſſima adumbratione eorum, quæ in partu fiunt, intelligentibus ſatis patent. Non leve malum eſſe, aut facillimæ curationis, ſine ambagibus profitemur; præſertim, ſi mulieres, ut fere ſolet fieri, inconſulto pudore prohibitæ, medelam tempeſtive admittere negligant. Non tamen abſolute incurabilibus accenſendum eſſe, ex inferius dicendis palam fiet. Ante vero quam nos accingamus ad diſpiciendum, quid facere ad curationem poſſit, neceſſarium putamus, productis quibusdam obſervationibus, certum reddere, dari ejusmodi urinæ incontinentiam, quam mulieres, per multos annos, non ſine ſumma moleſtia, perferunt, poſtquam veſica illarum inde a partus difficilis tempore diſrupta in vaginam hiat. Eodem labore etiam licebit ediſſerere incommoda, quæ ita læſis accidunt, huncque morbum fœditate ſua abominandum, dolorum etiam & incommodorum copia deteſtabilem reddunt.

§. VII.

Et ſane, non multa adeo exſtant documenta, quibus convincamur claſſicis Medicinæ auctoribus, paullo vetuſtioribus, hanc a partu læſionem indeque evenientem urinæ incontinentiam, innotuiſſe, quum plerique dum cauſſas hujus morbi enumerant, ſicco illam pede prætereunt. Antiquiſſimus eorum, qui mihi occurrerunt, eſt FELIX PLATERUS, qui *Obſervat. Lib. III. p. m.* 787. de quadam juvencula commemorat, quod ipſi ex partu difficili & primo, orificium veſicæ adeo ſciſſum fuerit, ut longa illic & hiante rima, veſica aperta cerneretur, ſtylusque longus intrudi poſſet; curatam hanc fuiſſe, quia auctor nihil addit, vix credo. Poſt hunc, HENRICUS ab HEER, *Obſervat. Lib. I,* 14. egregiam, de primipara, hiſtoriam refert, cui inter pariendum, veſica ſic erat lacerata, ut ne momento urinam contineret. Jugi acris humoris ſtillicidio pudenda excoriata, mollibusque multis verrucis obſeſſa fuerunt, quod quidem malum, per duos annos moleſtiſſime fœminam exercuit. Huic laudatus Medicus, poſtquam prægrandem verrucarum molem, omnemque carnem corruptam abſtulerat, per diducta pudendorum labia ſiphonem argenteum in veſicam immiſit, per quem urina in lagenulam ſiphoni annexam influeret, ſed pleniſſimam reſtitutionem fœmina adepta eſt, poſtquam remedium, cujus mentionem infra faciemus, adhibuit. Atque hæc ſunt exempla, quæ plerique Practici recentiores adducunt, quibus addere liceat, PHILIPPUM SALMUTHUM, & TIMÆUM A GULDENKLEE.

§. VIII.

Poſt hos viros, celebris ob peritiam obſtetricandi Gallus, MAURICEAU, *p.* 24. *&* *p.* 298. commemorandus eſt, qui ſimilem caſum ſe vidiſſe, funeſtumque exitum, quem eventus non multo poſt tempore confirmavit, prædixiſſe teſtatur. Sed plenius multoque copioſius de hoc incommodo diſſeruit Chirurgus quondam Wurtenbergicus, CHRISTOPHORUS VOELTER, in libro vernaculo, quem *Scholam Obſtetricum* inſcripſit. *P. III. c.* 8. Hic vero plurium meminit fœminarum, quæ hac ratione miſere fuerunt mulctatæ, ſeorſim illud annotat, quod ad rem facere omnino videtur: diſrumpi fibras veſicæ colli, non ſecundum longitudinem, ſed transverſim. Maxime notatu digna eſt, *Obſervatio III.* qua hæc veſicæ ruptura, cum vaginæ uteri procidentia & inteſtini recti ruptura, complicata ſiſtitur.

§. IX.

His omnibus addo recentiſſimam obſervationem, quam, quum ſuperiori anno, in Academia Altorffina degerem, Excellentiſſimus D. D. SCHULZIUS, Præceptor ac Patronus meus, ætatem venerandus, habuit, & mecum benevole communicavit. Nam quum is pauperculæ ruſticæ remedium, ab Henrico ab

ab Heer commendatum, dediſſet, illaque a diuturno, quod paſſa fuerat, urinæ ſtillicidio, liberata eſſet, alia, ſimili detenta calamitate, ad eundem veniebat, idem auxilium efflagitatura. Erat autem mulier triginta duorum annorum, quæ ante biennium primo pepererat, ſed ut fieri in annoſioribus ſolet, cum maxima difficultate. Ex eo tempore perpetuo urinæ ſtillicidio vexata fuerat, ut nunquam, niſi ſpongia pudendorum labiis applicata, prodire auderet; dederat ipſi Henrici ab Heer remedium, ſed nullo cum fructu per aliquot menſes geſtaverat. Rediit itaque menſe Septembri, & ut juſſa erat, ſucceſſum retulit. Miratus ille ſupra laudatus D. D. SCHULZIUS eventum ſpei contrarium, ſuſpicari cœpit gravem exulcerationem, quare inſpecto exploratoque loco, liquide obſervavit, urinam per vaginam effluere. Hoc viſo, digitum indicem vaginæ immiſit, ſuperatoque oſſe pubis, foramen oſtendit, cui anterior articulus ſine impedimento intrudi poterat; immiſſo itaque cathetere, ibique paulisper relicto, lotium per ſiphonem effluere vidit, ut nullus dubitandi ſupereſſet locus de veſica graviter exeſa. Incidebat ipſi tentare, utrum per ordinarium urinæ meatum, immiſſo cathetere commodo ibique relicto, lagenula vel veſica annexa, mulieris moleſtiæ ſublevari poſſent? non ſine admiratione vidit illum meatum omnino clauſum eſſe & coaluiſſe, quare fœminæ, ut aperiendum meatum curaret, ſuaſit, quæ mariti conſilium voluntatemque auditura tunc abiit. Quid vero ulterius factum ſit, nondum habeo compertum.

§. X.

Notatu digniſſimam hiſtoriam, peculiari Diſſertatione, *de incontinentia urinæ ex partu globulis ligneis curanda*, exhibuit, D. D. HILSCHERUS. Fœmina quadraginta annorum, poſt exantlatos, per trium dierum ſpatium, acerbiſſimos partus dolores, tribus a puerperio elapſis diebus, urinæ involuntaria excretione cœpit vexari, quam ut cohiberet, mulieris cujusdam ſuaſu, globum, e ſtupa linteis filisque confectum, ac cera obductum, in uteri vaginam intruſit, hocque pacto moleſtum effluxum per decem annos prohibuit. Quum vero per tam longum tempus globulum vagina nunquam exemiſſet, factum eſt, ut moles ejus, tot ſordibus accreſcentibus, nimium augeretur, ſenſimque magis extrorſum propelleretur. Ruſtica dum globum reponere in priſtinum locum omni niſu allaborat, abſcidit fruſtum quoddam materiæ tartareæ, unde inæqualitas enata eſt, quæ ſenſim inteſtinum rectum attentavit, tandemque penitus dilaceravit, ut maxima ſui parte per illud foramen novum deſcenderet, inteſtinumque obduraret, adeo, ut nunc longe miſerabilior fœmina, alvi excrementa per ſinum muliebrem effunderet, ſimulque priſtina urinæ incontinentia rediret, unde dolorum tormentis & continuis moleſtiis victa, Medico ſe committere, tandem coacta fuit. Laudatus Dominus D. Hilſcherus ibidem commemorat: *Excellentiſſimum Dominum D.* SCHLEVOGTIUM, de eodem noſtro argumento, ante ſe, diſſertationem ſcripſiſſe, eamque pulcherrimis obſervationibus exornaſſe, quam tamen, etſi ſtudioſe requiſitam, nondum licuit reperire.

§. XI.

Ex hiſtoriis laudatis juvat nunc aliquas obſervationes elicere, & inde occaſionem arripere, naturam affectus hujus omnemque hiſtoriam penitius inſpiciendi. Et quidem in eo conveniunt plerique hunc affectum a partu difficili, laboribusque ejus diutius protractis, præſertim ſi fœtus mortuus, aut mater primipara paulloque annoſior fuerit, enatum fuiſſe ſtillicidium urinæ, non ſemper immediate poſt partum, ſed aliquot demum diebus inſequutis obſervari. Ipſum liquorem urinoſum acrimonia ſua partes, quas continuo madefacit, male afficere, erodere, exulcerare, unde excreſcentiæ fungoſæ, immanes dolores, inflammationes, aliaque id genus mala, continuo emergunt. Veſicæ in vaginam perruptionem modo ſolitariam eſſe, modo cum inteſtini recti perforatione, aut perinæi ruptura conjunctam deprehendi, aut incongrua medicatione demum oriri inteſtini vitium. Denique in nonnullis atreſiam accedere, meatu urinario, per omiſſum uſum partim collabente, partim in principio ſuo conglutinato.

§. XII.

Nolumus geneſin hujus læſionis altius indagare, præſertim cum ſupra, brevibus quidem verbis, ſententiam de eo noſtram propoſuerimus. Juvat nunc tantummodo inquirere, an læſio ejusmodi, obſtetricum magis culpa eveniat, an per ſe poſſit enaſci, nullo ipſarum vitio? Non diffitemur, in pagis paſſim & oppidis, rudes adhibere, & tam neceſſario officio minime aptas fœminas, anatomica partium, quas tractare debebant, cognitione minime inſtructas, & inſuper non raro ad tantum opus accedere, quibus potu inebriante mens obnubilata eſt, manusque pedesque vacillant; unde rudiori tractatione, ubi manu ſuccurrere volunt, tenſas partes valdeque extenuatas, præſertim ſi ungues fortius adigant, poſſe diſrumpere video, quo minus tamen abſolute, immo plerumque culpam ipſi tribui debere aſſeram, impedior partim rationibus, partim teſtimoniis virorum in hac arte verſatiſſimorum.

§. XIII.

Et primo quidem, quod ad rationes pertinet, puto extra dubium poſitum eſſe, perinæum muliebre, ſeu ſpatium, inter pudendorum labra, & inteſtini recti exitum, neutiquam imbecillius, potius vero robuſtius eſſe, illo pariete intergerino, qui veſicæ collum a vagina ſejungit; idemque, quum oſſibus non adeo incumbat, arcteque jungatur, quam pubis oſſibus vagina cum collo veſicæ annectitur, facilius poſſe ſine rupturæ periculo tendi. Attamen non adeo rara eſſe earum puerperarum exempla, quibus illud ſpatium, partus conaminibus, penitus perrumpitur, Practicorum obſervationibus pluribus edocemur, ut non opus ſit, in re manifeſta auctores excitare. Id vero in primiparis annoſioribus præcipue accidere, itidem certum & exploratum eſt. Si igitur in hac parte, ubi manus obſtetricia non adeo ſæpe admovetur, ſolutio continui ſine earum culpa accidere ſolet, ob nimiam dilatationem, non video, cur non idem facilius vaginæ atque collo veſicæ poſſit accidere?

§. XIV.

Ut vero minime dubium eſt, ejuſmodi ſolutionem in collo veſicæ fieri poſſe, ab actuali ruptura nimis tenſarum fibrarum: quo caſu etiam ſemper perinæi rupturam fieri, laudatus VOELTERUS *p. m.* 318. aſſerit, & celeberrimus Academiæ Altorffinæ Profeſſor, *Dominus* D. SCHULZIUS, in ea, quam ſuperius deſcripſimus, fœmina, rupturæ hujus reliquias, inſtar labii leporini, uſque ad marginem inteſtini recti, obſervavit; alius tamen etiam modus ſupereſt, ad hanc læſionem perveniendi, quem MAURICEAU *p.* 24. *& pag.* 298. indicavit, noſque ſupra attigimus. Quando enim fibræ ſub diuturnioribus partus laboribus, ab infantis capite ad os pubis fortius compreſſæ diu manent, fieri deinde ſolet, ut inflammentur atque

atque in abſceſſum abeant, aliquot demum a partu diebus conſummandum; unde fluxus & ſtillicidium urinæ, per vaginam, tertio demum vel quarto die, contingit. Hoc autem caſu, prorſus non accuſari obſtetrix, niſi injuſtiſſime, poteſt: meritoque earum patrocinium ſuſcepit, ſæpius a nobis commemoratus MAURICEAU, teſtaturque id accidiſſe fœminæ cuidam, cui Chirurgus in obſtetricando verſatiſſimus, atque ob id celeberrimus, fœtum eduxerat.

§. XV.

Læſionem hanc accidiſſe, urinæ effluxus indicat, & incredibiles dolores, quos acrimonia ſua rodente excitat. Sed videamus, quænam porro conſequi hanc læſionem, ab auctoribus fide dignis, annotatum ſit? HENRICUS ab HEER vidit jugi ſtillicidio excoriatam primum cutem labiorum pudendi, moxque tot ibi verrucas, ſed molles, natas, ut vix duæ manus ad illas comprehendendas ſuffecerint: nates ad oſſa fere eodem lotio exeſas. Immanes dolores paſſa hæc muliercula fuit, ut ejulatibus ejus in platea e longinquo auditis, ad opem ferendam accurrerit. De atrocia hac dolorum, continuo moleſta, omnes auctores teſtantur, quare nihil addo, ſed ex VOELTERO referam, quid ipſe crebrius obſervaverit. Paucis, inquit, diebus, ab illa læſione facta, ex ea provenire obſervantur concretiones calculoſæ, membranulis intermixtæ, ſoletque hæc calculoſa excretio in decimum quartum fere diem durare, non levi augmento malorum, quæ miſeras fœminas exercent. Nam quum urina vaginam parteſque vicinas arroſerit, & tumorem circum circa excitarit: moleſta hæc dura corpora inſtrumentis eximenda ſunt, ne intolerabiles porro dolores excitent, eaſque ad deſperationem adigant. Quid illud ſit membranaceum, quod auctor ille commemorat, utrum veſicæ corruptæ ramenta, an vero interioris veſicæ membranæ particulæ ſenſim abſcedentes, in medio relinquo, pro poſteriori autem militare videtur RUYSCHII obſervatio, quam *Adverſar. Anatom. Decad. II. pag.* 24. communicavit.

§. XVI.

Quo pacto per ſe jam ſatis grave hoc malum incongrua medicatione reddi poſſit, longe gravius, ex *Diſſertat. D.* HILSCHERI, jam ſupra indicatum eſt. Nunc pauca de imperforatione, ſeu atreſia, quam ex ſupra etiam expoſito caſu vidimus, adjiciemus. Illam vero enatam fuiſſe ex eo, quod urina priſtinum iter non frequentaret amplius, unde meatus ille ſenſim ſenſimque anguſtatus fuit, exiſtimare licebit: maxime autem ad effectum conſolidationis feciſſe puto prægreſſam excoriationem & eroſionem, quam acrimonia ſua lotium in pudendis paſſim effecerat; unde eo facilius coire potuit per ſe anguſtum foramen: veroque haud diſſimile videtur, effectum remedii amuletici, in illa fœmina non æque votis, quam in alia, reſpondiſſe, propterea quia hic meatus clauſus, ordinarium iter repetere lotio non permiſit.

§. XVII.

Vidimus hactenus, quæ ad hiſtoriam atque ætiologiam hujus affectus pertinuerunt; tempeſtivum nunc videtur ad ea progredi, quæ Medicus vel Chirurgus facere, in hoc morbi genere poſſunt. Et quidem ubicunque annoſiores fœminæ primiparæ occurrunt, cautio hæc ſit Medico, ut ante omnia veſicæ exonerationem, ante partus labores, ſuadeat, & ſi aliter impetrare nequit, cathetere immiſſo procuret. Rectiſſime id monuit VOELTERUS, *pag.* 307. & ratio concinit. Nam quum veſica lotio repleta eſt, omnis ejus fibras extendi, quantum fieri poteſt maxime, apparet, quumque eo tempore, quo fœtus ad exitum tendit, capite ſuo collum veſicæ maxime comprimat, ut per omne illud tempus, ſi vel maxime velit, urinam emittere parturiens nequeat: vix evitari eventus hic poſſe videtur, ſi ſtatus hic in ſecundum vel tertium diem duret, & inſuper medicinæ ad partum promovendum, quæ ſimul diureticam vim habent, adhibeantur. Parcius etiam tunc potum offerendum eſſe, facile patet.

§. XVIII.

Si malum hoc accidiſſe fœminæ ſentiatur, matureque conſilium & auxilium admittatur, antequam oræ vulneris occalluerunt, medicinæ locum eſſe minime deſperamus. Nam quum veſica ſit ex illis corporibus, quæ vacua fibras ſuas contrahunt, & conjungunt labia a ſe invicem ſeparata, valde hiatura eſſe, non eſt metuendum. Atque ſane ſpes eſt, ſolius naturæ beneficio malum ſarciri poſſe, ſi fœminæ ſic laboranti catheter in veſicam per meatum urinarium intruderetur, ibique per plures dies relinqueretur: interea autem per vaginam immediate applicarentur remedia ad conſolidationem idonea. Immo fieri poſſe, ut Chirurgus, acu & filo labia conſtringat, expertus eſt claris viris medicis, & hos inter *Domino D.* WEPFERO præſentibus, ſæpe dictus VOELTERUS, etſi repetita operatio etiam ſine fructu fuit, quoniam nimis ſero ad medicinam hanc faciendam, ventum fuerat.

§. XIX.

Quoniam vero ita ferunt corrupti hominum mores, ut Medicum vix admittant ad ea, quæ in locis, quos pudor abſcondere ſuadet, occurrunt, niſi prius convicti ſint, privatos anicularum auſus in vacuum exiiſſe, & interea mala pleraque ad immedicabilem ſtatum progrediantur; conſiderandum eſt quid medicina, etiam in illa ægrotantium conditione, ſi non ad tollendum, tamen ad demulcendum palliandumque morbum valeat. Ante omnia igitur videndum eſt, quo pacto fœdum lotii effluxum cohibeamus, ab eoque factas exulcerationes jam præſentes tollamus. In hunc finem HENRICUS ab HEER in ſua, quam curavit ægrota, ſiphonem argenteum fieri curavit, quem altero extremo per vaginam in veſicam immiſit, alteri autem quatuor latos digitos exſtanti, lagenulam, in quam lotium efflueret, alligavit, ſicque ipſam a moleſtia ſumma liberavit, ut etiam amplexibus conjugalibus, remoto ſiphone, apta eſſet, conciperet, feliciterque pareret. VOELTERUS affert hiſtoriam fœminæ, quæ ſibi aptam pelvim faſciæ alligatam, pro colligenda urina aptaverat, poteratque ſpongia pelvi immiſſa in publicum prodire, tandemque uſu balneorum artificialium ita reſtituta fuit, ut urinam per plures horas contineret, neque pelvi indigeret amplius.

§. XX.

HENRICUS ab HEER, poſt aliquot annos ægrotam ſuam reviſens, omnino illam liberatam a malo ſuo deprehendit, poſtquam remedii amuletici uſum a Cingaro edocta fuit. Scilicet pulverem bufonis vivi, in nova olla uſti, ſacculo incluſum, collo appenderat, ſicque liberata fuit. Superius commemoravi quem ſucceſſum D. D. SCHULZIUS, ab eodem remedio, in una fœmina paupercula viderat, ſcilicet voto reſpondentem: quod vero in altera non æque ſucceſſit, puto coalitum meatus urinarii in culpa fuiſſe,

fuiſſe, Cornelius Solingen, a ſe curatam fœminam, non ſine magno labore, commemorat, quo vero id pacto effecerit, non adjecit.

§. XXI.

Ultimo loco ſervavimus, *Domini D.* Hilscheri, methodum, qui globulos ligneos, vaginæ intrudendos, monet: quod quidem, qua cautione faciendum ſit, quum doctiſſimus vir multis exponat, nolo hic multis repetere, ſed Benevolo Lectori, ut apud ipſum auctorem legat, permitto. Quod ſupereſt, omni intuitu conſultum videtur, balneis artificialibus, quantum profici poſſit, experiri, quin etiam naturalibus, præſertim ob adſtringentem calcaream terram, aliquid tribuere.

§. XXII.

Quando durat effluxus, & urina acrimonia ſua moleſtas excoriationes excitat, mucilaginoſa præcipue commendari poſſunt; ad exſiccandum autem atque conſolidandum pulveres ex lythargirio, ceruſſa, radicibus biſtortæ & ſimilibus, applicari ſic poterunt, ut vel cum oleo roſato in unguenti formam redigantur, ſicque imbuta lintea applicentur: vel nudi pulveres adſpergantur, interpoſitis tamen linteis, ne qua conſolidatio contingat. Si vero omnino, poſt excoriationem fungoſæ excreſcentiæ, vel profundæ exulcerationes, acciderint: his ex communibus Chirurgiæ præſcriptis mederi convenit. Ceterum, immortale Numen, quod præſidi valetudinis humanæ arti præſidet, ſupplex veneror, velit omnium honeſtorum virorum, meiſque conatibus porro ſuccurrere, ut ad optatum pertingere liceat.

DISPUTATIO MEDICA, DE EXULCERATIONE VESICÆ,

Primùm edita Anno 1724.

PROOEMIUM.

QUAM frequenter veſicæ mala medentium curas eludere ſoleant, immo quam ſæpe in iiſdem dignoſcendis horum judicia fallant, notius eſt, quam ut pluribus id oſtendi neceſſe ſit. Ut ergo alia magis vulgaria, quamvis vulgo haud minus in illis erretur, nunc prætermittam, ipſe calculus quanto interdum labore in veſica inveſtigari debet? & quoties nihilo ſecius peritiſſimis etiam & perſpicaciſſimis Medicis hæret aqua, ſi quando, quidnam igitur rei ſubſit pronunciare tenentur? Nam ultimum & optimum de cætero auxilium, quo ille e latebris ſuis producitur, catheter, quam ſæpe parum explorantibus prodeſt? Quodſi vero purulenti aliquid e veſica cum urina profluit, quanta Medicorum in hoc plerumque caſu diſſenſio deprehenditur, & quanta adhibenda eſt cura, ut vera & deliteſcens nocentis materiæ ſcaturigo detegatur? Audies, qui veſicam exulceratam accuſabunt, ubi renum labes ſubeſt, & ex his, quicquid inſoliti in urina conſpicitur, in veſicam deſtillat: nonnunquam hi ipſi in ſuſpicionem venient, ubi veſica unice ſe male habet; ſæpe vero utramvis partem nulla injuria accuſaveris, ubi omnis in alterutram ex his culpa transfertur: quinimmo erit, ubi neutram earundem meritò arguere & ex certis indiciis concludere poſſis, ab aliis viſceribus eam materiam ad veſicam amandari. Ipſa hæc veſicæ exulceratio quoties ex aliis notis, magis adhuc fallacibus, fruſtra conjicitur, & quam rurſus ſæpe non attenditur? De cauſſis hujus vitii, de generationis diverſis modis, deque incommodis, quæ poſt ſe illud relinquit, nihil dicam. Quam enim hæc omnia parum in ſcriptis etiam Medicorum adhuc pro merito ſint excuſſa, iis judicandum relinquam, qui ſuper ea acta medica conſuluerunt. Argumento tamen inprimis eſſe poteſt, quod pro interna exulceratæ veſicæ cauſſa unice fere calculum agnoſcant auctores, inque hujus ipſius generatione, quam rariſſime, ſi omnino in veſica incipi ſibi perſuadent, veſicæ ulcus ne quidem ſuſpicentur; cum ex hoc potius illum frequentius prodire graves rationes oſtendant, ipſumque ex variis admodum cauſſis, probe diſtinguendis, primam originem trahere demonſtrari queat. Utrumque præſenti diſſertatione evincam, qua ſimul integram exulcerationis veſicæ hiſtoriam & curationem complectar. DEUS annuat cœptis!

§. I.

In cauſſis morborum, eorum inprimis, qui a partis alicujus inſigni vitio foventur, inveſtigandis, haud leve ab anatomia practica ſubſidium peti, non fruſtra ſtatuitur, & egregiis ſpeciminibus adhuc comprobatum eſt. Magis tamen ſæpiſſime hac arte eas in conſpectum produci, quæ ægrum jugulaverunt, quam a quibus ab initio morbus fuit productus, dudum prudentes Medici agnoverunt. Frequenter etiam aperto cadavere, multa ſimul viſcera labe affecta conſpiciuntur, ut ne locum quidem, ubi à principio fuit ſedes mali, diſcernere ab iis, ad quæ ejus vis progreſſu temporis ſerpſit, valeas, tantum abeſt ut de cauſſis certi aliquid ſtatui poſſit, niſi qualem morbus a prima origine uſque ad fatalem horam ſe geſſerit, quæque ei ſit curatio adhibita, accurate conſtet. Quam ſine hoc neceſſario lumine parum abſque offenſionis metu progredi liceat, exempla cadaverum, in quibus veſica exulcerata deprehenſa fuit, curatius mihi examinanti, ut cauſſas hujus mali genuinas, alibi non reperiundas, inde enuclearem, colligere ſatis potui. Utut enim illorum haud exiguus numerus paſſim reperiatur, præſertim in Boneti *Sepulcreto*; cum tamen præcipuo eo lumine careant, aut ſaltim ejus in pleriſque caſibus non ſatis præbeatur ab auctoribus; in tanta phœnomenorum multitudine, quæ cum exulceratione veſicæ ſimul obſervata enarrantur, illa utrum ad morbi cauſſas pertinuerit, & reliquis originem dederit, an ab his tandem fuerit producta, haud facile ſemper eſt affirmare; iis ipſis, qui ægro per totum morbum adfuere, adeo plerumque fluctuantibus, ut quidnam ergo omnino ſtatuendum ſit, facta diſſectione non magis quam antea inveniſſe, pateat.

§. II.

Diſpiciam tamen, quæ ex illis obſervationibus, & aliis tam anatomicis quàm practicis de hujus affectus cauſſis cum fundamento aliquo affirmari queant. Ab iis enim mihi ſermonis initium erit, inſuper jam habita vulgari methodo. Exiſtimo autem perquam multas eſſe poſſe. Mihi potiores allegaſſe ſuffecerit, unde reliquis conjectura fieri queat. Ordiar a vaſorum ſanguiferorum ruptione. Sanguinem in vaſorum extremitatibus diſruptis, nec iterum, prout decet, conſolidatis, hærentem, vel tenuiorem ejus partem per orificia aut ad latera eorundem deſtillantem, idoneam ulceri materiam præbere, ex pathologia notum eſt. Mora enim neque commixtæ invicem probe ſanguinis partes, ad corruptionem pronæ fiunt; corruptæ vero tenerrima vaſcula & fibras aggrediuntur, & unacum iis, niſi corruptio fuerit gravior, in materiam purulentam vel ulceroſam abeunt.

§. III.

Ut autem, qua de cauſſa vaſcula ſanguinem vehentia diſrumpi interdum in veſica ſoleant, & ubi potiſſimum id fiat, intelligatur, earum quæ ſit cum aliis partibus connexio, & qua ratione in veſicam digerantur, noſcendum eſt. Utrumque pleniſſime & accurate docet magnus Vesalius, Anatomiæ feliciſſimus reſtaurator, cujus proinde hic verba allegare, non abs re erit. Ita autem ille *Lib. 3. anat. cap. 9 p. 475. interior*, inquit, *propago* (hypogaſtricam venam deſcribit) *ab interiori ipſius latere exiguas ſoboles ſacri oſſis quoque foraminibus diſpenſat, & alias his majores* (hæmorrhoidales externæ ſunt) *in recti inteſtini muſculos cutemque ani digerit, quæ fæculentum ſanguinem hic expurgant, ſi quando is per venam cavam huc decumbat eodemque colligatur. Deinceps hæc interior propago notatu dignum diffundit ramum, qui in viris dextrum veſicæ latus amplectitur, & in plures ſciſſus ſurculos, veſicæ cervicem ſeu penem adit, in eumque numeroſe digeritur, ea ſemper ſerie, ut cervici veſicæ craſſiores amplioreſque ſurculi, quam ipſius fundo exporrigantur. In mulieribus vero præſens ramus ab interna ductus propagine, pingui membrana ſuffulcitur, ac quibuſdam ſurculis veſicam quidem adit, verum frequentioribus inferiorem fundi uteri ſedem intercurrit, ramulos quoque ſpectabiles in uteri cervicem diſpergens.* Eadem fere arteriarum venis reſpondentium ſtructuram tradit *cap. 13. p. 492.*

§. IV.

Plures hinc concluſiones, uſui nobis futuras, deducere liceret: binas vero in præſenti tantummodo adducemus, in progreſſu diſſertationis data occaſione reliquas derivaturi. Primo nempe mechanica patet ratio, cur ſanguis per vaſa hæmorrhoidalia externa ad anum delatus, ſiquando exitum, quem ibi quærit, non invenit, ad veſicam ruere debeat, hujuſque tenerioribus vaſculis aucta mole atque in petu laceratis, cruento mictui anſam præbere poſſit. Rariorem hujus mictus cruenti caſum ex hoc fundamento dilucide explicavit *Illuſtris Dn. Præſes in Medicinæ conſultatoriæ Dec. I. p. 44. ſeqq.* Deinde cum vaſa iſta non modo circa cervicem veſicam adeant, ſed in eadem hac regione copioſiſſimos ramulos dimittant; maximum hic quoque ab irruente ſanguine fieri impetum, in progreſſu ramulorum magis magiſque frangendum, neceſſe eſt, ita ut ſurculi minores & breviores ab initio in ipſa cervice inde abſcedentes, eique vi ſuſtinendæ impares, fatiſcant.

§. V.

Deducit vero nos eadem conſideratio ſtatim ad cognitionem alius cauſſæ, unde veſicæ ulcus oriri poſſit, inflammationem puta. Sanguinem per vaſa hæmorrhoidalia majori cum impetu in ano appulſum, in hujus regione interdum inflammationem, tumorem & denique exulcerationem procreare, multiplici obſervatione conſtat. Idem ab eodem ſanguine in veſica contingere poſſe, non eſt quod dubitemus. Huc enim ob hæmorrhoides externas ſuppreſſas, illo ſimili cum impetu delato, qui rumpendis quidem vaſorum tunicis non magis quam in ano par ſit, diſtendendis vero tenerrimis ſurculis ſufficiat; ſequitur, ut portio ejuſdem vi impulſa, in his ad contrahendum ſeſe rurſus ineptis redditis, ſubſiſtat, ac inflammationem pariat, unde poſtea, niſi pejus quid accidit, lethalis nempe corruptio vel cancer, apoſtema, & hoc denique rupto, ulcus exoritur.

§. VI.

Unicam inflammationis veſicæ allegavi cauſſam, a ſuppreſſo ſanguine hæmorrhoidali derivatam, plures in ſequentibus in ſcenam producturus. Cum vero antea ex vaſorum in veſicam diſtributorum ſtructura oſtenderim, cur circa hujus potiſſimum cervicem illorum laceratio accidere debeat, ac ſimili modo argumentari liceat, inflammationes & tumores eandem præcipue regionem occupare; utrumque à poſteriori quoque probandum erit. Satis autem evidenter illud evincunt ſymptomata, quæ in utroque caſu animadvertuntur, quorum vel ideo etiam hoc loco mentio injicienda eſt, ut, ſi quando puris excretionem ea præceſſerint, certum de hujus fonte judicium ferri poſſit. Mictus cruenti a veſicæ vaſis ruptis

ruptis orti ſymptomata accurate recenſet *Illuſtris Dn. Præſes Obſ. cit.* ſuntque ea: perpetuus ad mingendum conatus, cum ani ardore & teneſmo, dolor urens, pungens, ſecans, in regione pubis & perinæo, maxime in dextro latere, uſque ad penis glandem ſe extendens, cum hujus rigida tenſione, alvus dura & inteſtinorum ſpaſmus, nullo in renum regione notabili dolore præſente: cuncta, ut ego quidem arbitror, manifeſta læſæ cervicis indicia. Haud valde diverſa ſunt, quæ inflammationi accidere obſervantur, notata à BONETO *in Sepulcr. L. III. p.* 550. & ETTMULLERO *in Colleg. pract. Cap. de Veſicæ inflamm.* niſi quod modo recenſitis accedant febris, vigiliæ, delirium, ſitis & alia. Scilicet ob ſanguinem continuo huc appellentem, nec exire valentem, & inde concitatum vehementem ſpaſmum, atrocius hic omnia, quam ſanguine profluente, ſæviunt & partes reliquæ corporis in conſenſum trahuntur.

§. VII.

Eandem rem confirmant obſervationes in diſſectis poſt mortem corporibus inſtitutæ, quæ vel ipſum ulcus, præſertim veſica à calculo libera, vel tumorem & inflammationem, vel aliud quoddam vitium, præcedentis vel ruptionis vel inflammationis indicium, vel ſaltim ab eadem progenitum cauſa, unde hæc oriri ſolent, in cervicis regione hærens viſui obtulerunt. Et ulcus quidem ipſum in eo caſu, de quo diximus, hic frequentiſſime reperiri è collatione exemplorum conſtat, ut ſingularia allegare non opus eſſe exiſtimem. Exemplum inflammationis & ulceris exhibet BONETUS *l. c. p.* 627. §. 2. *Lib. III.* abſceſſus *p.* 642. §. 3. tuberculorum duorum utrinque orificio appoſitorum cum inferiori veſicæ parte gangrænoſa *p.* 633. §. 9. carunculæ & calloſæ ſubſtantiæ. *ib.* §. 10. ſcirrhi *p.* 628. §. 8. calli *p.* 632. §. 3. carnis ſpongioſæ ibidem repertæ obſervationes minime raras eſſe ſcribit RIOLANUS *Anthropol. lib. II. cap.* 28. Egregie vero huc facit notabilis caſus, ubi venæ cervicis ſanguine admodum diſtentæ & varicoſæ in mortui cadavere, qui ante obitum ſtranguria, dyſuria & aliis ſymptomatibus, a calculo communiter excitari ſolitis, vexatus fuerat, in conſpectum prodierunt, Vid. BONETUM *p.* 673. *Obſ.* 22. cui adjungendus, quem *p.* 664. adducit, ubi æger eadem ferme ſymptomata paſſus, poſt mortem apertus, veſicæ & recti inteſtini phlegmonem cum venis hæmorrhoidalibus ſanguine nigro infarctis & penis livore, de cætero organis excretioni urinæ dicatis recte ſeſe habentibus, oſtendit. Sine dubio autem horum omnium longe plura exempla ſectiones ſuppeditarent, præcipue ulceris, ſi hoc ægrum mox ſemper trucidaret, neque variis ante phœnomenis aliis anſam præberet.

§. VIII.

Quamvis autem inflammationes in partibus membranaceis obortæ proniores ad ſphacelum eſſe, communiſſime obſervari ſoleant; cum tamen id non ſit perpetuum, & eas in noſtro caſu collum veſicæ, carnoſam magis partem, potiſſimum occupare oſtenderim, de generatione ulceris ex hac cauſſa dubium ſupereſſe nequit. Idem ſentit ETTMULLERUS *in Colleg. pract. Inflammatio & abſceſſus*, is inquit, *quæ fiunt circa collum veſicæ interdum ſuppurantur, & in pus mutantur, ſucceditque exinde veſicæ curatio difficillima.*

§. IX.

Cum inflammatione veſicæ ſpaſmum eſſe conjunctum ſupra (§. 6.) dixi. Sed interdum hic ipſe ab alia cauſſa excitatus inflammationi veliſicare & deinceps ulceri materiam ſubminiſtrare ſolet. Parte enim quadam ſpaſmo diutius ac vehementius affecta, ſanguis teneriora ejus vaſcula libere permeare nequit, unde reliqua, quemadmodum §. 5. expoſui, ſubſequuntur. Quam vero ſpaſmodicis conſtrictionibus opportuna ſit veſica, ex copia nervulorum, quos oſſis ſacri medulla & par ſextum a capite derivatorum nervorum illi largiuntur, conjici poteſt; licet omnes membranaceæ partes, qualis hæc eſt, natura ſua præ aliis ad ſpaſmos ſint proclives. Cumque præterea ab eodem ſexto nervorum pari plurimæ partes ramulos accipiant, quam frequenter aliena vitia luere veſica debeat, in promtu eſt conjecturam facere. Levius tamen plerumque afficitur, quam ut ſemper magnam inde labem contrahat. Maximus a ventriculo, inteſtinis & renibus metus, cum quibus ei partibus ſingularis ad damna ſibi mutuo inferenda intercedit conſenſus. Unde ventriculo flatibus diſtento, in paſſione hypochondriaca, colica, iliaca, nephritide, teneſmo graviori & diuturniori, & quotieſcunque abdominis viſcera motibus hæmorrhoidalibus vehementioribus agitantur, nunquam omnis affectionis expers cenſeri debet.

§. X.

Sed alia adhuc ratione veſicæ infeſti ſunt renes. Interdum enim ex his purulenta & viſcida materia, interdum calculi per ureteres in veſicam delabuntur. In utroque caſu, niſi peregrinus hoſpes tempeſtive foras ejiciatur, varia ſontica mala, & in his ulcus maxime, ciere valet. Quodſi enim tenacior & acrior materia eſt, parietibus veſicæ, inprimis circa collum adhæret, & ſtranguriam, dyſuriam, teneſmum inflammationemque excitat, vel membranas veſicæ clandeſtine ac lente magis erodit, atque ita hanc exulceratam reddit. Si vero aliarum cauſſarum acceſſione in calculum illa tandem transformata fuit, vel is jam factus in renibus ad veſicam migravit, aſpredine ſua vel pondere hanc continuo laceſſit, eademque mala, quæ modo recenſuimus, producit. Et in poſteriori caſu fundum quoque veſicæ & latera, præſertim ubi calculus fuerit grandior, exulcerari poſſe, nullum eſt dubium.

§. XI.

Forte nemo a me hic requiret, ut modo dicta obſervationibus confirmem. Paſſim enim hæ apud ſcriptores practicos ſunt obviæ, ut inter rariores adeo fortaſſe caſus referenda ſint exempla eorum, qui per longum tempus renes vel calculoſos vel purulentos geſtaverint, in quorum cadaveribus diſſectis veſica non ſimul exulcerata & lapillis obſeſſa comparuerit, ac qui olim, dum vita ſupereſſet, nunquam de iis ſupra allegatis ſymptomatibus ſint conqueſti. Videri tamen inprimis poſſunt SCHENCKIUS & BONETUS. Magis mihi memorabilis videtur caſus ab HENR. AB HEER. *Obſ. Med. cap. I.* adductus, ubi calculus e renibus provolutus & ſub finem ureteris moratus, puris in hac regione generationi occaſionem præbuit.

§. XII.

Interdum veſicæ collum irritant tenduntve ac ſpaſmo affligunt, hoc eſt, ſtranguriam vel dyſuriam pariunt, diverſæ ab iis, quas hactenus memoravi cauſſæ, e. g. ſanguis ob abundantiam in toto corpore, vel ob retroceſſionem ſub frigore externo ad partes interiores, & hinc ad veſicæ quoque collum copioſius delatus; materia ſalina, tartarea, acris, vel cum eodem ſanguine illa infecto ad collum veſicæ, vel cum urina in hujus cavitatem amanda-

ta. Atque hæ ſunt vulgares fere horum pathematum cauſſæ, ſæpiſſime non niſi brevi moleſtia notabiles, & cito diſpellendæ, quæ vero neglectæ, aut aliunde validiores redditæ, inter ulceris veſicæ cauſſas quoque interdum locum ſibi vendicare poſſunt. Hinc eſt, quod in ſcorbuticis e. g. haud infrequenter ſtranguria, dyſuria & alia ſymptomata obſerventur, quæ incautos calculi nonnunquam metu ita terrere ſolent, ut non niſi poſt mortem ægri vanum eum fuiſſe, inſtituto examine, convinci poſſint.

§. XIII.

Collo veſicæ binæ glandulæ apponuntur, proſtatarum nomine inſignitæ, & dum vel nimio humore diſtenduntur ac relaxantur, vel corruptum hunc venereis inquinamentis fovent, gonorrhoeæ ſedes. Quando is, ſive benignus ſive malignus fuerit, diutius in hoc hoſpitio commoratur, mora indies deterius redditus, ulcera nunc leviora, nunc graviora, & inflammationes in parte affecta parere, & ſi horum quoque vitiorum curatio perverſe peragatur, ſimili labe alias ſæpe partes, inprimis proxime adjacentes, afficere obſervatur. Hac ratione gonorrhoeam ulceris in veſica cauſſam tandem fieri, confirmat Bonetus *Obſ.* 4. *Sect.* 31. *L.* 3. *p.* 26. ſicuti ex hoc veſicæ ulcere interdum contraria ratione gonorrhoeam oriri ſtatim ſubſequente obſervatione docet. In prioris quoque confirmationem inprimis adduci meretur caſus ab *Excellentiſſimo Dn. Præſide in Med. Conſult. Part. III. p.* 103. adductus, ubi poſt gonorrhoeam imperite, maxime adſtringentibus, tractatam, exulcerationem renis dextri, colli veſicæ & circa proſtatas ortam eſſe, ex indubiis ſignis Vir celeberrimus arguit.

§. XIV.

Supra (§. 3. 4. 5.) ubi de hæmorrhagiæ & inflammationis veſicæ ab hæmorrhoidibus externis ſuppreſſis ortu egi, ſexus virilis potiſſimum rationem habui. In feminis vero hæc aliter ſe habere, ex deſcriptione vaſorum, quam e Vesalio adduxi, facile conjicitur. Etenim in iis veſicæ cum inteſtino recto neque ſitu, neque per vaſorum connexionem, is eſt conſenſus, qui in maſculis; ſed uti illis uterum interponi notum eſt, ita, maxima ramulorum ab hæmorrhoidalibus externis copia ad hunc delata, huic quoque, quicquid malorum hæmorrhoides externæ cohibitæ producere in hoc ſexu forte queunt, ut potiſſimum communicetur, neceſſe eſt.

§. XV.

Inter cauſſas ulceris veſicæ antea (§. 9.) purulentam quoque materiam ex renibus in veſicam effuſam retuli: monui autem jam in proœmio, aliunde interdum eam proficiſci, licet poſtremo e renibus forte in veſicam eadem deſtillet. Luculentum hujus rei exemplum affert Hollerius *in Comment. ad Aphor. Hippocr.* 75. *Sect.* 4. quod huc apponere non abs re erit. Mulier per quatuor menſes integros minxerat pus, & aliquando ſanguinem puri commixtum. Medici conſulti adhibent remedia ac ſi renes exulcerati fuiſſent, quod in eis per intervalla magnum dolorem ſentiret mulier. Hæc moritur menſe quarto. Diſſecta eſt, inventi renes integri & veſica integra, at in corde inventi duo ſunt calculi & abſceſſus multi, qui expurgabantur per urinas, neque in tranſitu pus dolorem infligebat renibus. Et apud Bonetum *L. III. p.* 695. hiſtoria legitur de virgine, quæ ante obitum urinas valde purulentas reddiderat, ac in cujus tandem meſenterio poſt mortem ingens puris copia viſa fuit, renibus integris. Idem nonnunquam poſt abſceſſus in hepate, pulmonibus, cerebro, aliiſque partibus ruptos fieri, crebra exempla teſtantur, & in adjecta l. c. nota confirmatur.

§. XVI.

In vias, quibus ad veſicam vel ad renes pus in hiſce caſibus feratur, jam inquirere non patitur inſtituti mei ratio: ſufficit mihi rei veritatem exemplis confirmaſſe. Si quis vero verum illud pus eſſe, negare vellet, quod ab urina difficile admodum ad fundum matulæ ſecedere ſoleat, ſecus ac verum pus, ſicuti Martianus hoc dubium movet, huic reſponſio in Boneto ad *Obſ.* 13. *p.* 691. adducta abunde, mea quidem ſententia, ſatisfaciet: quamvis ad meum ſcopum hujus controverſiæ rationes parum pertineant, qui id ſaltim nunc ſpecto, ut novam hinc generationis ulceris in veſica cauſſam deducam, cui, ſive verum id pus ſit, ſive ſecus ſe res habeat, modo non debite excernatur ſtatim, occaſionem ſubminiſtrare poſſe, ex (§. 10.) adductis facile intelligitur.

§. XVII.

Poteſt vero interdum accidere, ut ea materia, de qua modo dixi, in ſubſtantiam veſicæ ruat, eumque ibi affectum producat, cujus apud Hippocratem ſub ſcabiei veſicæ nomine mentio fit. Neſcio an temere quibuſdam hæc hujus mali geneſis excogitata a me videri queat, quibus tamen rationes allegabo, quæ, ut eam ita ſuſpicarer fieri me induxerunt, liberum iis poſtea judicium relicturus. Primo non infrequentes ſunt in praxi medica circa criticos febrium dies ejuſmodi metaſtaſes; materiamque noxiam ſæpiſſime ad inferiores partes ferri, ibique abſceſſus & ulcera efficere, notum eſt, ratione quoque hujus phænomeni non obſcura; illa enim ſanguine ſpecifice gravior, & ad promtam debitamque circulationem inepta, per arterias deſcendere quam adſcendere facilius poteſt. Secundo, cum eandem poſt factam in multarum partium morbis coctionem, interdum in veſicæ cavitatem deferri ex obſervationibus modo allegatis conſtet, cur non idem de hujus ſubſtantia ſuſpicari liceat, itineribus, quibus huc ſine ambagibus materia pergat cum ſanguine, obviis & facillimis, aorta nempe deſcendente, & hypogaſtricis arteriis, & hinc denique in veſicæ arterias rectiſſima & fere ad perpendiculum via, niſi quod deinceps in hac ipſa vario modo verſus ſuperiora inflectantur, eo conſilio, ut hic fracto impetu heterogenea materia, ſanguini adhuc intimius permixta, huc illuc in ſubſtantiam veſicæ deferri atque ſecedere poſſit. Hanc tamen ſcabiem interdum aliis adhuc modis fieri, facile perſuaderi mihi patiar.

§. XVIII.

Longum, nec in promptu facile eſſet, omnes eas cauſſas enumerare, quæ intra corpus productæ veſicæ ulceri originem dare queunt, cum illæ ſatis in obſcuro nonnunquam lateant, nec niſi ſectione facta Medicorum contemplationi, ac forte ne ſic quidem ſemper, ſe ſiſtant. Unde eas in apricum producendas relinquo, quibus hæc examina in morbis defunctorum corporibus frequentius inſtituere licet. Produxi plures, & hoc ſatis erit ad præſentem ſcopum, fortaſſis etiam plurimis nimium videbitur. Sed hi erunt fere, qui, poſtquam ſibi generale aliquod ſyſtema de morborum generatione finxerunt, ex eo unice cauſſas derivandas exiſtimant, iis omnibus arroganter rejectis, quæ pulchritudini ſyſtematis ſui officere queant, vel ejus plane vanitatem arguant. Sed his, quibus ſolis libertas conceſſa eſt, de morborum hiſtoriis pro arbitrio diſponendi, & pro ve-

ris falſiſve declarandi, quæ ſibi favere vel adverſa eſſe cognoverunt, ſenſu ſuo abundare, aut carere potius, per me licet. Mihi vel ideo conquirendæ eæ ſolicitius videbantur, ut oſtenderem, quam parum fidendum ſit eorum aſſertis, qui vix ab alia interna cauſſa, quam a calculo in veſica latente, ulcus in ea produci poſſe ſtatuunt.

§. XIX.

Quamvis vero contrarium tum rationibus, tum obſervationibus in medium productis, evidenter a me oſtenſum ſit; quarundam tamen adhuc aliarum cauſſarum, unde ulcus illud proficiſci interdum ſoleat, pauciſſimis tamen, mentionem faciam. Referri itaque huc poſſunt inflammatio inteſtini recti vel ejuſdem ulcus, eadem coli vitia, partium omnium interiorum abdominis abſceſſus, ex quibus verſus exteriorem ſuperficiem ruptis, pus in abdominis cavitatem effuſum, verſus veſicam tandem progreditur; corruptio inprimis omenti longius protenſi, ſanguis quacunque de cauſſa in abdomen effuſus, aqua in hydrope ad veſicam libere ruens, inflammatio & ulcus uteri, maximo ejuſdem cervicis, vaſorum ſeminalium corruptio, & alia, quorum omnium exempla apud Bonetum paſſim occurrunt.

§. XX.

Venio nunc ad cauſſas externas, a quibus veſicæ exulceratio provenire poſſit, in quarum tamen enumeratione brevior mihi eſſe licebit, quod earum in quolibet caſu recenſio magis ab ægro expectanda ſit; quam a Medico demonſtratio exigi queat; quamvis interdum curatius ab hoc illæ inveſtigandæ ſint. Pertinent vero huc contuſiones & ictus graviores in pubis & perinæi regionibus; ſectio calculi imprudenter inſtituta, in qua vel a cultri ineptiori adminiſtratione, vel a calculo, præſertim majoris & aſperi extractione rudiore, parietes veſicæ læduntur; vulneris a ſectione facti curatio perverſe inſtituta; catheter ad explorandum calculum, vel in urinæ ſuppreſſione, vel alia de cauſſa incurioſius intruſus, præſertim ſphinctere veſicæ arctius conſtricto, aut a tumore, caruncula, ſcirrho, vel alio vitio via præcluſa; fiſtulæ in ano exſectio, in qua ani ſphincter, arcte cum veſicæ collo connexus, incaute nimis vulneratus, aut ejuſdem vulnus negligentius habitum fuit. In feminis huc referri debet partus difficilis, in quo veſicam, & hujus inprimis collum ita ſæpe premi affici que, ut exinde ulcus & fiſtula proveniant, Mauriceau *aph.* 285. confirmat: quem tamen caſum ſi quis forte inter cauſſas internas recenſendum potius fuiſſe putet, cum hoc de nemine diſceptationem non inſtituam. Cæterum hic notari meretur peculiaris cantharidum malignitas, qua veſicæ infeſti ſunt. Eas enim ſive intra corpus aſſumtas; ſive externe tantummodo applicatas, inflammationem & ulcerationem in veſica interdum ciere, ſatis obſervationibus conſtat, quorum exempla exhibentur in *M. N. C. Dec. I. A. II. Obſ.* 105. *& A. VIII. Obſ.* 88. Potum denique frigidæ poſt ſectionem calculi aut lethali gangrænæ, aut fiſtuloſo ulceri occaſionem præbere, affirmat Ettmullerus *in Colleg. pract. l. c.*

§. XXI.

Quæ de corporibus, in quibus ulceris veſicalis generatio expeditior eſſe ſoleat, in conſiderationem venire queunt, eorum pars ex hactenus dictis facile intelligitur. Sunt vero quædam huc ſpectantia mihi nondum memorata vel pleniorem expoſitionem expoſcunt. Quamvis igitur nulla ætas & nullus ſexus ab hoc vitio plane immunis cenſeri debeat; id tamen frequentius in virili quam in feminino ſexu obſervatur, cujus ratio e §. 14. quodammodo peti poteſt. Et obſervantur certe feminæ hæmorrhoidibus tam internis quam externis minus quam viri obnoxiæ, niſi quod circa graviditatis finem cœcæ interdum conſpiciantur, poſt partum tamen mox retroceſſuræ; & ſi qua omnino ab hæmorrhoidibus in feminis quocunque tempore turbatio contingit, ad uterum præcipue malum derivatur, in hujus excretione ſolenni ſimul ejiciendum. Deinde veneris nimis frequens exercitium & equitatio eos viros, qui in utroque occupari amant, magis diſpoſitos ad hujus labis generationem reddere valent, dum in utroque caſu ſanguis impetuoſius verſus veſicam ruit, in priori etiam ob veſicularum ſeminalium viciniam ea vehementius irritatur. Ex utroque vero ſexu opportuniores huic malo fiunt, qui acida nimis intemperanter ingerunt, vina, liquores fœculentos & flatibus gignendis idoneos & diuretica calidiora præter modum in uſum trahunt, vitæ ſedentariæ pertinacius dediti ſunt, & denique qui parentibus hæmorrhoidariis, calculoſis, aut quibuſcunque veſicæ vitiis vexatis ortum debent.

§. XXII.

Inprimis vero porro notatu dignum eſt, quod idem vitium ſenilia frequentiſſime corpora occupare ſoleat, cujus mihi phænomeni ratio, parum vulgo perſpecta, nunc evidenter explicanda eſt, ut ea quæ deinceps de calculi generatione dicturus ſum eo minus dubitationis habeant. Sanguinem ergo particulis acribus, ſalinis, tartareis refertum, & ad veſicam quacunque de cauſſa copioſius delatum, ulceri materiam ſuppeditare poſſe, (§. 12.) oſtenſum fuit. Talem vero eum in ſenibus fere generari, ſcorbutus, arthritis, podagra, rheumatiſmus & ſimiles affectus, provectiori ætati familiares, immo ipſæ ſenum urinæ manifeſto arguunt. Unde quoque accidit, ut frequentius dyſuria, ſtranguria atque iſchuria iidem vexati obſerventur.

§. XXIII.

In primam hujus diſpoſitionis originem nemo hactenus ſollicite inquiſivit, aut quod quidem valde ad rem faciat, ad eam explicandam attulit. Rem clare & naturali via deducit *Illuſtr. Dn.* Præses, cujus proinde hic de ea ſententiam exhibere, maxime e re erit. Ita vero celeberrimus vir rationes ſubducit: cum vergente ætate fibræ corporis omnes ſenſim rigidiores & compactiores reddantur, teſtante id in animalibus annoſiorum carne, difficulter ad nodum coctioni obſequente, eaque de cauſſa colatoriorum, quorum infinita olim multitudo humoribus ſecernendis & excernendis inſerviiſſet, magis magiſque imminuatur numerus; proxime ſequi, ut partium inutilium, a ſanguine certe ſeparandarum, nimia nunc copia huic admixta remaneat, quæ majorem dein ipſa circulatione acrimoniam acquirat. Ipſum jam ventriculum, priori robore amiſſo, cibos lentius & minus debito ſubigere; hinc acoris, præſertim poſt cibos potuſve acidos aſſumtos, in ventriculis ſenum, multis ſe prodentis indiciis, originem, hinc ipſarum acidarum particularum copiam majorem ſanguini ſeſe jungentem, minorem vero earum, quam antea, ob cutis ſpiraculorum magnitudinem & numerum diminutos cum ſudore effluxum. Ipſos renes materiam terreſtriorem & tartaream non jam amplius in debita quantitate ſegregare. Jam bilis minus, quam par ſit in hepate ſecerni, & omne ſecretionis & excretionis negotium mirum quantum lentius procedere. Deficere poſtremo priorem ſeminis generationem & parcius id ſequeſtrari, hocque ipſum jam acre, jam ineffi-

inefficax eſſe, ut non modo ſanguini eum, quem olim, communicare porro vigorem non valeat, ſed hujus potius impuritatem adaugeat. En fontem malorum, quæ ſenibus ultimam tandem perniciem minantur, uberrimum, quemque ſi attendere velis, ipſa tibi natura monſtrat!

§. XXIV.

Sequitur, ut notas, quibus innoteſcere exulceratio veſicæ, & a renum imprimis exulceratione diſtingui queat, quanta id fieri licet diligentia, tradam. Potiores jam apud Hippocratem receníitæ reperiuntur, cujus ergo in iis explicandis inprimis auctoritate utar. Primum quidem horum ab ipſo *Aph.* 75. *Sect. IV.* adductum ambiguum eſt, verba ita habent: *ſi quis ſanguinem aut pus mingat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.* Et de pure etiam aliud dubium movet Hollerius *loco* §. 15. *citato*, anſam ab hiſtoria ibidem allegata arripiens, cujus ratio & ſolutio ex ibidem dictis perſpicitur. Cruenta vero mictio interdum ſine alterutrius partis ulcere vel præſente vel ſubſecuturo obtingit, ſanguine ſcilicet poſt violentiorem corporis motum aut in febribus quibuſdam per arteriolarum extrema in renum tubulos ſecretorios irruente: qualis tamen fluxus ſine renum exulceratione durare diu nequit. Cæterum non incongruum erit notas hic apponere, quibus purulentam materiam in veſica genitam ab ea, quæ in renibus facta eſt, diſtinxit Riverius *Prax. L.* 14. *cap.* 51. *Pus a renibus*, inquit, *procedens melius coctum eſt, album ſcilicet læve & minime fœtidum, quia parenchyma renum carnoſum melius concoquit: tum pus copioſius eſt, ac urinæ magis permixtum, quæ lacti ſimilis perfunditur, donec longe poſt mictionem pus ab ea ſeparetur, & in fundo reſideat: a veſica vero emanans purulenta materia pauca eſt, neque adeo concocta, ſed cruda, variegata, graveolens: pars enim exſanguis & debili calore prædita materiam ſufficienter elaborare nequit: ex collo autem veſicæ, aut meatu urinario ſincerum pus abſque urina ſæpe excernitur.*

§. XXV.

Magis diſtincta ſigna ab Hippocrate in ſequentibus adducuntur, nempe (2) ſtranguria *V. aph.* 80. cui jungi debet dyſuria, licet hæc quoque, purulenta materia e renibus delata, adeſſe poſſe, (§.9.) oſtenderim, & Celsus *lib. II. cap.* 7. inter renum affectorum notas ea ponat. Recte tamen monet Riverius *l. c.* in veſicæ ulcere perpetuam adeſſe dyſuriam & continuum doloris ſenſum cervicem infeſtantis, in renum vero exulceratione dilucida dyſuriæ & doloris intervalla. (3) Dolor in hypogaſtrio *aph. eod.* ac pectine, *aph.* 39. *Sect.* 7. quod ſignum præcipue de veſica affecta teſtatur, & cui jungi debent teneſmus & membri virilis tenſio. In renum vero exulceratione ſecus ſe iſta habent. Dolor enim lumborum magis regionem occupat, & adſunt interdum ructus & vomitus bilioſi. Vid. Celsus *l. c.* (4) Gravis urinæ odor, *aph.* 81. *Sect. IV.* de quo Riverii ſententiam §. antec. jam adduximus. Hunc tamen Celsus *l. c.* renum affectorum notis annumerat, in quo vero caſu rarius is obſervatur. (5) Squamæ urinæ admixtæ, *eod. aph.* & in veſicæ ſcabie urinæ craſſæ, cum qua furfuracea ſimul minguntur, *aph.* 77. Inter renum vero exulceratorum ſigna refert carunculas parvas & veluti pilos cum urina exeuntes. *aph.* 76. Cæterum, quæ a Celso *l. c.* præter jam recenſita ad diſtinctionem utriuſque affectus proponuntur, vix perpetua, & utrique fere communia eſſe obſervantur.

§. XXVI.

Dicendum nunc de mali hujus conſectariis eſt, & quid ſperare vel timere æger, ulcere in veſica hærente, poſſit. Difficilem vero admodum iſtud habere ſanationem, & plerumque omnem in eo curando operam oleumque perdi, unanimi fere conſenſu Medici affirmant. Ratio in promtu eſt. Membranacea pars eſt; parietibus ejus continuo allabitur urina, præſertim cervici: unde quicquid carnoſior hæc pars melioris ſpei promittere videri poſſit, perpetua id irrigatione atque irritatione motuque ejus vanum rurſus redditur. Dari tamen interdum ſanationi locum, calli in diſſecta veſica toties reperti. (Vid. Bonetus paſſim) & exempla ex hoc ulcere curatorum, evidenter probant. Et poſſe purulentæ materiæ in veſica eruptionem ſalutariter etiam evenire, Hippocratis jam obſervatio eſt in *Coac. Prænot.* Ita enim, *Veſicæ* inquit, *duræ & dolentes omnino quidem malæ ſunt, peſſimæ vero cum febre continua. Nam dolores ab ipſis veſicis ad occidendum ſufficiunt, & alvi his non valde egerunt. Solvit autem hos urina purulenta prodiens, albam ac lævam ſubſidentiam habens. His vero non ſolutis, neque veſica molleſcente, in primis circuitibus ægrum moriturum eſſe, timor eſt.* Utcunque ſit, rarior perfecta hujus ulceris ſanatio cenſeri debet. Præcipua in ſenibus difficultas, & ubi a calculo majore vel humore acri, viſcido, magna veſicæ portio exeſa eſt. Raro tamen etiam cita mors ſubſequitur, niſi febris vehementior adſit, vel inflammatio accedat, aut in aliam corruptionem graviorem ulcus ſubito degeneret. Sæpiſſime variis antea aliis phænomenis idem occaſionem præbet. Neque enim eſt dubium, quin ſcirrhi, ſteatomata, cancri & alia hujus generis mala, quæ in veſica poſt mortem ſæpe reperiuntur, talem plerumque originem habuerint. Sed de his, notioribus quippe ulceris veſicæ ſequelis, plura commemorare non neceſſe eſt. Propero ad alia phænomena, quæ vulgo inter hujus mali effectus vix agnoſcuntur, & proinde paulo curioſiorem inquiſitionem requirunt.

§. XXVII.

Atque hic inprimis nominandus mihi venit calculus veſicæ, de cujus prima origine tam inter ſe diſſentiunt auctores. Equidem Fernelius, vir magni in medicina nominis, prima ejus rudimenta in veſica provenire prorſus negat, ſemperque illa a renibus huc deferri ſtatuit, *Pathol. L. VI. c.* 13. Alii quanquam prius in dubium plane vocare non auſint, rariſſime tamen generandi initium in veſica fieri contendunt, nec niſi in infantibus & pueris. Ad ipſam veram hujus calculi, veſicæ indigenæ, compoſitionem haud aliam fere materiam aſſerunt, quam arenulas, aut terreſtrem illam & craſſam, utramque rurſus e renibus cum urina huc miſſam. Quarum opinionum epitomen exhibet Sylvaticus *Cent. III. Conſil.* 66. Sed ſupervacaneus ſæpe labor eſt, pace id ſecus ſentientium dicere liceat! aliunde ea ſemina conquirere velle, quæ ab ipſa frequenter veſica ſatis large ſuppeditantur. Uti ergo illa ex craſſioribus particulis, urinæ permixtis, calculi generatio in pueris infantibuſque forte plerumque locum habere, concedi poteſt, neque eorum, qui ſenum veſicas infeſtant, prima fundamenta e renibus advehi contra manifeſtam experientiam prorſus negaverim: ita in his veſicæ ulcera primam ſæpe, ſi non ſæpiſſime, originem præbere calculo ex ſequentibus obſervationibus haud fruſtra argui exiſtimo.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Equidem immo ipſum pus quam aptam calculo generando materiam præbeat, lapillorum in pulmonibus phthiſicorum, & aliarum partium abſceſſibus poſt mortem repertorum exempla abunde confirmant. Enimvero in tenaci jam & viſcoſa materia non alia re opus eſt, quam ut humiditas, quæ perfectam hactenus cohæſionem impedivit, caloris acceſſione diſſipetur. Quodſi vero alia ſalina, tartarea vel terreſtris, quales in veſica ſemper præſto ſunt, accedat, effectus eo promtius ſequitur. Ipſa (2) calculi in renibus generatio egregie mihi hanc ſententiam confirmare videtur, quem non ex aliis frequentius quam modo recenſitis cauſſis, provenire, luculentiſſime demonſtratur in *Diſſ.* ſub *Exc. Dn.* PRÆSIDIS tutela habita, & *obſervationes ac cautiones practicas in curatione calculi* exhibente. (3) Propius huc ſpectant, quæ ibidem §. 8. adducuntur, ſequentia verba: *non ſemel, ſed iterum ſæpiuſque obſervatum eſt, veterem gonorrhœam in mictionem purulentam & in calculoſam veſicæ diſpoſitionem tranſiiſſe, eo quod ob vicinitatem veſicæ ſubſtantia, diſperſo fermento ulceroſo, in conſenſum trahatur. Neque unquam facile grandis in veſica calculus progignitur, ſalva ac integra ejus ſubſtantia, cum plerumque ea eroſa atque exulcerata obſervetur.* (4) Interdum ſola in ſenibus veſica lapillos offert, renibus integris, & a calculo liberis. (5) Generationem calculi haud raro præcedit mictus cruentus, mox ſubſequente purulentæ materiæ excretione, idque nonnunquam cum veſicæ affectæ notis manifeſtis, ac ſine ullo lumborum dolore aliiſve renum affectorum notis. (6) Maxime tamen hic attentionem mereri videtur inſignis illa hæmorrhoidarum externarum, præcipue olim fluentium, & nunc ſuppreſſarum, cum mictu cruento & calculo conſpiratio. Quam enim ex hæmorrhoidibus turbatis vel ſuppreſſis mictus cruentus & ulcus veſicæ promte deriventur, ſupra a me demonſtratum fuit, & dubito, an quis tam expeditam ulceris in renibus exinde generationem oſtendere queat.

§. XXIX.

Sed uti iſta calculum e veſicæ ulcere progigni poſſe, dubitare non ſinunt: ita ſine adventu peregrini ſeminis ejus generationem hic omnino interdum fieri, luculentiſſimo argumento mihi videntur eſſe calculi in ipſa veſicæ ſubſtantia reperti, quorum exempla evidentiſſima habent CATTIERIUS *Obſ. III.* BAUHINUS *Theatr. Anat. Lib. I. cap. 26.* BONETUS *L. III. p. 656. §. 18.* TULPIUS *Obſ. L. IV. cap. 36.* alia, utpote obſcurius deſcripta, & proinde nonnihil dubitationis relinquentia in præſenti non allego. Qui vero in his caſibus per ureteres e renibus calculos intra veſicæ membranas delapſos fuiſſe affirmant, & proinde illos in cavitatem veſicæ hiare negant, parum certe eorum inſertionem attenderunt, cum extremitates ſuas ſatis conſpicue ultra interiorem veſicæ membranam in hujus cavitatem exporrigere obſerventur. Eandem quoque rem confirmare exiſtimo calculos, qui vera membrana, hoc eſt, ex fibris contexta, incluſi intra veſicæ cavitatem delituiſſe leguntur, ſive illi hic ab omni vinculo liberi fuerint, ſive veſicæ tunicis arctius alligati. Videatur inprimis TULPIUS *Obſ. lib. III. cap. 5.* VERZASCHA *Obſ. med. 52.* Unde enim & qua via hos calculos, præſertim majores, ſi eorum in veſica generationem negas, huc allatos dices, aut unde tandem illud membranaceum integumentum, ſeu minores adhuc, ſeu adulti eo migraverunt, derivabis?. Nec dubito huc denique referre exempla eorum calculorum qui in ſinubus ad latera veſicæ efformatis ceu in ſacculo reconditi paſſim obſervati memorantur. Videatur TULPIUS *Lib. IV. cap. 38.* BONETUS *Lib. III. p. 592. §. 4.* Ut enim nunc de variis hiſce caſibus ſummatim ſententiam meam dicam, antea allegatis rationibus adductus, ſuſpicor, materiam purulentam, acceſſione præſertim particularum ſalinarum & tartarearum, tenaciorem redditam, ut profluere liberius non poſſit, intra veſicæ interdum ſubſtantiam ſenſim in calculum transformari ac novæ ſubinde materiæ acceſſione in majus volumen excreſcentem parietes ſimul, quibus coercetur, paulatim extendere & ampliores reddere, ut cum his quaſi innatus vel adnatus veſicæ ſcrutatoribus videri queat. Idem ſic progreſſu temporis auctus, pondere, vel quod natura ſemper corruptas partes ab integris ſeparare ſoleat, cum velamine ſuo inſtar maturi cujuſdam fructus, a veſicæ ſubſtantia vel prorſus vel aliqua ex parte facile abſcedit, vel ſi magis verſus exteriora veſicæ, aut partem ano incumbentem propendeat, peculiarem ſibi ſacculum, ab interiori parte, pure quippe exeſa, pervium efformat.

§. XXX.

Neque vero huic ſententiæ de prima calculorum veſicalium generatione obſtare exiſtimo, quod ii facto examine plerumque incluſum minorem & hunc quidem coloris ex flavo rubeſcentis, corticem de reliquo album habentes, oſtendiſſe perhibeantur. Poſſent enim his forte ſatis multa aliorum calculorum qui eo caruerint rurſus opponi. Fac tamen rem ita ſe ſemper habere: eadem hujus diverſitatis ratio facile deprehenditur, ſanies nempe ſeu materia ex ulcere deſtillans, ſanguineis ſtriis colorata, cui ſive a renibus illam arceſſiveris, ſive in veſica productam ſtatueris, progreſſu temporis, particulæ terreſtriores & mucoſæ obductæ corticem conſtituunt. Quod tandem attinet ea exempla, ubi calculo in veſica hærente, renes ſimul vel calculoſi, vel purulenti ſaltim comparuerunt, a quibus novum contra hactenus memorata argumentum deſumi queat; ex illis ne ſemper quidem concludere licet, renum mala vetuſtiorem habuiſſe originem, tantum abeſt, ut juſto inde ratiocinio effici queat, e calculo vel pure renum veſicæ calculum ſuam traxiſſe. Sicuti enim renibus nephritide graviore vexatis, in veſica vehementiorem interdum concitari ſpaſmum, qui inflammationem & ulcus in hoc loco pariat, ſupra monitum fuit: ita hac ipſa veſica vel a calculo vel ab alia cauſſa immitius laceſſita, cur non idem ſpaſmus a conſenſu ortus eadem in renibus mala producere & ſic calculo originem præbere poſſit? Sed pluribus hac de re agere diſſertationis anguſti termini non patiuntur.

§. XXXI.

Perquam vero ſeſe nunc commodus offert locus allegandi caſum viri de republica literaria olim meritiſſimi, ISAACI CASAUBONI, triſtem aeque ac memorabilem, cujus paſſim ab anatomicis & practicis ſcriptoribus mentio fit & qui in MANGETI etiam *theatro anatomico Tom. I. p. 409. ſeqq.* & BONETI *Sepulcreto Lib. III. p. 644. ſeqq.* integer recenſetur; unde potiora, & quæ huic tractationi lucem aliquam affundere queant, huc transferam. Duodecimo ante obitum menſe, poſtquam hactenus immodicam vir egregius dies noctesque ſtudiis operam navaverat, punctoriis doloribus inter meiendum & urinæ ardoribus fatigari incipit, noctu præſertim importunis. Invaleſcunt indies ſtranguria & dyſuria, gravis adeſt pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter meiendum teneſmus, & dolor per totam urethram ſe extendens, maximus vero in glande; ingens

in

in dorſo calor, urinæ ut plurimum pallidæ, cum mucoſo ſedimento poſt equitationem vel vehementiorem ambulationem, cum arenoſis granis, craſſioribus, vel tenuioribus lapillis rotundis. Sexto ante obitum menſe in hypochondrio ſiniſtro prodit tumor, primum inſtar juglandis, paulatim auctus ad pugni magnitudinem, quo durius manu tractato veſica dolebat vel micturiebat. Diſparet interdum, mox in conſpectum rediturus. Paucis ante ultimam horam diebus æger reverſus ab itinere quod decem milliarium Anglicarum rheda confecerat, mingit frequentiſſime, aucti dolores, aucta ſtranguria cum dyſuria, urinæ cruentæ cum ſedimento mucoſo, quod maxime tenacis & vitreæ pituitæ ſimile aliquid puris admixtum habebat. Invaleſcit inter meiendum teneſmus, excluduntur calculi exiles quam plurimi. Invadit febris, quæ antea per intervalla occupaverat. Poſt aſſumta medicamenta urinæ olidæ, turbidæ, inſtar lixivii profluunt ſine levamine; ardor internus moleſtiſſimus, calidiſſimæ urinæ; dimidia lotii pars mucus, aliquando quicquid redditur mucus eſt, tam tenaciter cohærens, ut vix divelli poſſit. Poſt ejus ingentem quantitatem redditam inducias ad duos vel tres dies hoc ſymptoma dat, nova acceſſione facta denuo recurrens. Durant hæc ad viginti dies cum continua febre, urinæ fœtore adeo ingenti, ut ſpiritus oris ipſe eum redoleat, donec tandem prorſus labe confectus, ultimum ſpiritum ſex & quinquaginta annos natus reddit. Diſſecto cadavere ſub exitum veſicæ ſarcoma conſpicitur; proſtratæ quadruplo majores, quam fert earum natura; veſicæ corpus contractum, ſpiſſum, cuniculis quaſi exſculptum, quorum cavernulæ lapillis infinitis rotundis, ſcatebant; tumor interius in collo, ad ſiniſtrum latus veſica pervia rotundo foramine, quatuor digitorum apices admittente, in ſaccum quæ urina turgens capacitatis erat ad veſicam ſextuplæ. Habuit ſaccus ille tunicas tres cum veſicæ membranis continuas, ſpiſſas admodum, cum inſignibus nervis & vaſis. Situs talis, ut totam hypogaſtrii partem ſiniſtram occuparet, inſtar veſicæ intra peritonæi duplicaturam latitans: figura ejus inæqualis, ita ut infra foramen in forma ſacci pars propenderet plurimum. Utraque veſica lotio turgens pleniſſime: aſt in addititiæ fundo, infra foramen penſile, ingens ſaburra putris & olidi muci, ſive phlegmatis vitrei, quando cum tanto niſu & dolore a miſero profundebatur. Veſica ipſa neque ulcerata, neque inflammationis præ ſe ferens veſtigium: addititiæ interna membrana eroſa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrænæ proxima. Ureteres in veſicam deſinebant loco conſueto. Ren dexter totus purulentus: ſanus ſiniſter.

§. XXXII.

Habes ſyndromen phœnomenorum, quorum explicatio multorum hactenus clariſſimorum in medicina virorum ingenia exercuit. Maximum cunctis monſtrum viſum ſacculus veſicæ adhærens, cujus productionis rationem plerique non alibi, quam in vi πλαστικῇ inſolenti & gravi errore ſtatim a conceptione in hoc ſubjecto ludente, & quod materiam ſuperfluam in alios uſus convertere neſciverit, eam exinde ἔκφυσιν efformante, reperiri poſſe exiſtimarunt. Mihi ex ſupra dictis illorum omnium derivatio non valde difficilis videtur. Oſtendam id in potioribus momentis, cum omnia deducere hic non liceat. Referendum vero morbum eſſe inter veſicæ exulcerationes, omnia manifeſto arguunt. Adſunt cauſſæ, procatarcticæ dictæ, vita hactenus pertinaciſſime ſedentaria, noctes inſomnes actæ, inde virium diminutio, excretionum ſuppreſſio, digeſtionis negotium male procedens, & mox peſſimo conſilio longiora itinera equo, rheda, pedibuſque confecta. Adeſt ætas, quam huic malo maxime opportunam eſſe memoravi, allegatis ſimul hujus rei cauſſis evidentiſſimis. Adſunt ſtagnantis in vaſis hæmorrhoidalibus externis, præcipue in veſica, ſanguinis, & hinc productorum ibi ſpaſmorum, abſceſſuum, ulcerum, lapillorum ſigna tam ſignificantia, ut non ex aliis hæc mala certius cognoſci queant. Accedit in progreſſu febris, antea ob leviorem inflammationem mitius affligens, nunc abſceſſu orto aucta, & ob violentiorem corporis motum ſanguis ex ulcere & lapilli a purulenta materia geniti prodeuntes. Adſunt in veſica diſſecti cadaveris ſarcoma & tumor, in collo hærentia, in reliqua parte cavernulæ lapillos cuſtodientes. Verba tam hæc omnia ſunt luculenta, ut ad ſupra dictorum confirmationem nullum magis aptum exemplum adduci ad me potuiſſe putem. Sed reſtat de ſacculo dicendum: Unde ergo ille? forte hic reſponſio temeraria videri queat. Reſpondebo tamen, ab apoſtemate intra veſicæ membranas hærente, quod affluxu novæ ſubinde materiæ exterioris parietis partem ſenſim ſenſimque dilatatam intra peritonæi membranas ſuſtulit. Hinc enim is ab externo attactu dolor, hinc iſtud ingens & prorſus non aliunde derivandum tenaciſſimi & fœtentis muci profluvium, hinc febris ob continuam productionem purulentæ materiæ, ſemper vexans, ſemper acrior, hinc addititia ſola eroſa & corrupta poſt mortem inventa, & in hujus fundo infra foramen penſile ingens ſaburra putris & olidi muci, ceu maniſeſtiſſimum indicium, ex quo olim loco illam colluvies prodiiſſet. Qui enim hanc ἔκφυσιν a natura errante efficṫam ſtatuunt, his phœnomenis quomodo ſatisfacient? & num bonam eam matrem in hoc turbato morbi ſtatu mucum tenacem & gravem contra primas mechanicæ regulas verſus ilia ad ſuperiores ſacculi parietes, ut hos unice diſtenderet ac eroderet, naturali veſica ſalva relicta, ſuſtuliſſe affirmabunt? Ne quis vero ingentis hujus ſacculi in eo loco efformationem fruſtra a me excogitari putet, adducam ex *Eph. N. C. Dec. I.* obſervationem *Exc. D. D.* SEGERI, quæ ibi decima ſexta eſt, & mihi egregie illam geneſin confirmare videtur. Deprehendit nimirum is aliquando in exteriori & ſuperiori veſicæ ſuperficie inſolitum ſinum, magnitudine pugni, quem in membranis efformaverat pus, quod diſciſſo eodem cum fœtore effluebat. Et DODONÆUS exemplum affert veſicæ, cujus una membrana ab altera fuit divulſa, copioſo intermedio pure: *Obſ. med. cap.* 41. Neque me quicquam movet iſta aſcititiæ veſicæ in noſtro caſu craſſities, & quod e tribus membranis compoſita fuerit obſervata. Quam enim parum explicatione meæ iſta obſint, pluribus oſtendere liceret: ſed hæc quidem, ceu ex vulgaribus obſervationibus anatomicis & chirurgicis facile intelligenda, longam hic deductionem non requirunt.

§. XXXIII.

Claudant hanc de exulcerationis veſicæ ſequelis tractationem ſequentes obſervationes, ex quibus, quam inſolita illa interdum pariat phœnomena, perſpici poteſt. Primam huc integram allegare placet, ceu notabiliorem, & quod præcedenti §. dicta ulterius confirmet. Mulieri per plures menſes hypogaſtrium ita indics intumuerat, ut Medici quidem & obſtetrices, & quidem non unico, ſed plurimo fœtu gravidam judicarent; menſtrua enim ſubſtiterunt; mammæ diſtendebantur, immo cum poſtremis menſibus lac interdum effluere viderent, mammasque rurſum flacceſcere, abortum metuebant, miſera autem undecimo menſe tabe conſumta mortua eſt. In

cada

cadaveris abdomine putreſcente nihil quam humor lentus fœtidus ad tres vel quatuor libras inventus, atque in veſica urinaria, quæ inſigniter intumuerat, parte antica ſuperiore tunica exterior diſrupta viſa eſt, cum magno ibidem abſceſſu, pure multo ac fœtido ſubtus ſcatente, quod intra ambas veſicæ tunicas amplum ſpatium ambiebat, illæſa penitus tunica interiore. Uterus ſine omni labe. Ante annum vaccam emulgens ab ipſa calcitrante circa pubem violenter percuſſa fuerat. JOH. HELWIG. *Obſ.* 124. Altera ſit, quod veſicæ ulcus interdum illius parietes prorſus erodat, ut urina profundatur in abdomen, *vid.* TULPIUS *L. III. c.* 2. SEVERINUS *de abſceſſibus p.* 281. & ita aſciti originem præbere poſſit. *Vid.* DODONÆUS *cap.* 34. Solent denique nonnunquam poſt veſicæ ulcerationem illius membranæ paullatim integre abſcedere, & hinc urina ceu foliacea quædam ſedimenta ſecum ferre, quod in quodam per duodecim annos contigiſſe, autor eſt JOH. A BELLOFORTI *Comment. ad Galeni libr. de Urinis p.* 81.

§. XXXIV.

Diſpiciendum nunc denique eſt, quibus remediis veſica ab exulceratione præſervari, aut hac jam facta ſanari queat. Sed ægrius ejicitur hoſtis quam non admittitur. Quod ergo præſervationem attinet, cautelæ hic neceſſariæ ex iis, quæ ſupra de mali hujus cauſſis dixi facile deducuntur. Plurima harum pars a plethora oritur. Nam exinde uti in aliis partibus, ita in veſica etiam, ſi huc ſanguis copioſius feratur, ſtagnationes, ſtaſes, inflammationes, ſpaſmi & id genus alia incommoda, quæ ulceri producendo idonea eſſe demonſtravi, proveniunt. Hæc itaque ſi adeſſe judicatur, mature venæſectione obviam eundum eſt, magis adhuc, ubi modo recenſita ſymptomata jam urgent. Ac quam late quidem hujus remedii in cohibendo maligno hoc hoſte uſus pateat, vel exinde apparet, quod in urinæ difficultate, monente jam HIPPOCRATE *Aph.* 36. *Sect. VI.* ſtranguria, hæmorrhoidum ſuppreſſione mictuque cruento ſæpe nil magis proficiat, ipſeque calculus ex ſententia celeberrimorum Medicorum, haud alio felicius avertatur. Non minus auxilii aqua hic promittit, levior præſertim & calida. Diluit enim ſanguinem & circulationi aptiorem reddit, ſtagnationes impedit & tollit, excretiones promovet, ſpaſmos lenit, ipſumque mucum, qui variis modis vel ulceri vel calculo anſam præbere ſolet, incidit, & hunc non minus quam arenulas & lapillos cum urina educit. Unde etiam ſedulo aquæ, calidæ præſertim, potatores renum & veſicæ morbis obnoxii vix obſervantur: ipſarumque aquarum, κατ' ἐξοχὴν ſalubrium dictarum, quatenus in iisdem malis tam egregium ſolatium afferunt, vires nonniſi in aquæ copia quærendas eſſe, paſſim graviſſimis rationibus Exc. Dn. Præſes adſtruit. Inprimis hujus remedii frequens uſus commendari meretur iis, qui vitam ſedentariam agunt, vel corpus vehementius & crebrius, maxime equitatione exercent: cum in iis excretionis & ſecretionis negotium non ſatis, in his impetuoſius peragatur, ac proinde ibi ſtimulo, hic freno, atque unde ſerum deperditum reſtauretur, opus ſit; quæ omnia ab aqua commode præſtantur.

§. XXXV.

Hæc ſunt generalia auxilia, quibus ſi probe & opportune uti ſcias, neque ceu nimis vulgaria contemnenda ea putes, ſatis ſecurus, magis certe, quam omni pharmacopolii ſupellectile inſtructus, a formidoloſo hoc hoſte, & quæ is minatur, agere poteris. Eadem ſenilibus corporibus tutiſſima ſunt remedia, præſertim aqua calida. Nam & humorum acrimoniam temperat, & excretiones promovet, & poros patulos reddit. Quia vero in his acidum etiam in primis viis & alibi abundare & digeſtionis negotium minus vigere monui; perquam utilis iis erit uſus pulverum abſorbentium, ſalium digeſtivorum, & ſtomachicorum, inter quæ poſtrema primum ſibi locum merito vendicant eſſentia corticum aurantiorum, & elixir balſamicum Dni. Præſidis. Ad ſanguinis vero craſin corrigendam adhiberi poſſunt, quæ hoc titulo nota ſunt, tinctura tartari, antimonii acris, ſuccini & alia, maxime vina Hungarica, non uno hic nomine commendanda & commendata ab Ill. Dno. Præſide in *Diſſ. de vini Hungarici excellente natura & virtute.* Et ſi alvus officium ſuum ſegnius faciat, ſtimulandus is interdum lenioribus laxantibus, inprimis rhabarbarinis, & ex manna, caſſia, tamarindis paratis, rejectis omnibus fortioribus.

§. XXXVI.

Cæterum ſi ea mala ingruunt, quæ veſicæ exulcerationi proximam originem dare in ſuperioribus oſtendi, mature ſemper occurratur iis remediis, quæ in quolibet eorum ceu maxime proficua uſus comprobavit, & quorum recenſio, quum integrum librum expoſcat, & paſſim a Medicis facta ſit, hic a me prætermittitur. Adjiciam tamen quædam de mictu cruento in veſica orto, & hujus inflammatione, quod ea paullo curioſiorem curam efflagitare mihi videantur: ac in illo quidem, præter ea, quæ in eo caſu, ubi in renibus vitium eſt, commendari ſolent, hic quoque profutura; externe diſcutiendi & roborandi fine Exc. Dn. Præſes inprimis laudat aquam vulnerariam (Arquebuſaden-Waſſer) pubi & perinæo applicandam; *Vid. Med. Conſult. Obſ. ſupra cit.* Interne vero forte pretium operæ hic facere poſſit decoctum vel infuſum arnicæ, in pulmonum læſionibus tantopere nuper celebrari cœptum remedium. Cæterum ne ſanguinis grumi in veſica forte relicti cum muco ibidem hærente coire & calculum producere queant; facta conſolidatione omnino opus erit aquæ, maxime calidæ, potu, ut ſic nocens materia in veſica diſſolvatur ac cum urina mature excernatur. In inflammationis caſu, iis remediis, quæ in inflammatione reliquarum partium internarum locum habent, pugnandum, maxime venæſectione; externe vero ad ſtricturam fibrarum veſicæ relaxandam adhibenda cataplaſmata emollientia & paregorica. Sed duæ hic inprimis obſervationes neceſſariæ ſunt. Nam ſi inflammatio veſicæ collum occupat, quod communiſſe fieri dixi, hoc arctius ſpaſmo conſtringitur, & tum hac de cauſſa, tum a tumore, urinæ excretio impediri ſolet. In eo ergo caſu anceps valde curatio redditur, quia & potus, in inflammationibus internis tantopere ægris expetitus & utilis, parcius concedi debet, & urina, ſi forte jam copioſius ibi hæreat, graviſſimum periculum ciere valet, niſi viam inveniat: quæ itaque quocunque modo illi patefacienda eſt. Cum vero catheteris uſus hic minime locum habeat, ſuadent auctores perinæi puncturam inſtituendam. Vid. *Exc. D. D.* HEISTERI *Chirurg. p.* 648. *ſeqq.* cui tamen ipſe puncturam ſupra os pubis juxta lineam albam præfert, & præferri omnino debet, quod illa prior, quacunque ratione peragatur, cum in ea veſicæ collum vel proxima lædantur, malum ſine dubio exaſperatura eſſet.

§. XXXVII.

Quodſi vero ſtaſeos diſcuſſio obtineri nequeat, in abſceſſum morbus tranſit, vel alia graviora mala. Ille, qui ſolus medentium curam admittit, ſucceſſiſſe inflammationi cognoſcitur, ſi febris & reliqua ſymp-

ſymptomata poſt dies aliquot non remittunt, immo gravius urgent, pondus etiam quaſi in pubis & perinæi regionibus ſentiatur. In curatione prima utique febris ratio habenda eſt, ſique illa vehementius ſæviat, pulveres temperantes, julepi refrigerantes, emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis & citri hujuſque ſuccus: ſin lentius agat, alexipharmaca temperata, præſertim eſſentia Dn. Præſidis hoc nomine laudata, locum inveniunt. Spaſmorum & dolorum violentiam nil quicquam præter ſpiritum ejusdem anodynum promtius coërcet: laude tamen ſua non prorſus carent eſſentia croci vel caſtorei, trochiſci alkekengi cum opio, ſperma ceti & alia. Externe ſupra laudata, & in his axungia humana, pinguedo caſtorei, unguentum dialthææ, populeonis, oleum hyperici, verbaſci cum croco proficiunt. Quæ antea de urinæ ſuppreſſione & potu hinc parcius præbendo monui, hic quoque obſervanda ſunt. Sed novum incommodum accedit, novas cautelas poſcens. Omnino enim neceſſe eſt, ut apoſtema mature aperiatur & pus e veſica derivetur, quia alioquin mora acrius ſemper hoc redditum, graviorem exulcerationem, fiſtulas aliaque peſſima ſymptomata parit. Raro autem ſponte ſua, niſi damno jam facto, diſrumpitur, & excretionem vel ipſius puris tenacitas, vel tumor adhuc ſubſiſtens, interdum impedit. Pro utroque ſcopo obtinendo, injectio lactis tepidi tentanda eſt, ac ſi parum illa proficiat, ad ultimum auxilium, cultrum confugiendum & perinæum diſſecandum eo in loco, ubi ſectio calculi cum magno, quem vocant apparatu, peragi ſolet, vel methodo *Fratris Jacobi*, ſed a *Ravio* emendata, de qua vid. *Cel.* Heisteri *Chirurg. p.* 642. *ſqq.* Præſtat enim rebus ita deſperatis anceps quam nullum remedium experiri. Satis ſic tamen probatum illud in eo caſu eſſe, binis exemplis, e Riolano depromtis & omnino attentione digniſſimis, docet Bonetus *L. III. p.* 634. *ſqq.* In fœminis vero vix unquam neceſſitas tum hujus tum antec. §. memorati auxilii uſum requiret & ſatis tuto catheter adhiberi poterit, cum & veſicæ orificium magis amplum illæ habeant, & liberior ad eam acceſſus pateat. Cæterum ruptione facta, ſive a natura ſive artis ope, ac expurgato probe ulcere, curatio iis remediis peragenda eſt, quæ nunc ceu in omni exulceratione veſicæ celebrata, ſtrictim tamen recenſebo.

§. XXXVIII.

Pertinent ergo huc 1) abſtergentia, & traumatica leniora, e vegetabilium regno deſumenda, ac in forma decocti, infuſi, vel ſucci aut ſyrupi adhibenda. Ex animantium vero regno huc referri inprimis poſſunt, ſanguis hirci exſiccatus & ſperma ceti, quod poſterius ſanguinis grumis in veſica hærentibus reſolvendis & ſpaſmis leniendis perquam idoneum remedium eſt. 2) Gelatinoſa, viſcoſa, balſama temperatiora, e. g. Gummi tragacanthum, Arabicum, ſarcocolla, liquiritiæ ſuccus, ſemina frigida, maſtix, reſina laricea, abietina, terebinthina, vitellum ovi in bolos, pilulas, trochiſcos, emulſiones redigenda. Qua de cauſſa hic inprimis commendandi ſunt trochiſci alkekengi, utpote ex plerisque horum compoſiti. it. trochiſci de karabe, de terra ſigillata. 3) Magnus & varius hic lactis uſus eſſe poteſt. Lenit enim dolores, urinæ acrimoniam temperat, abſtergit & conſolidationem juvat. Cavendum tamen ne acido in primis viis abundante oblatum, plus damni quam ſolatii adferat. 4) Alvi probe ſemper ratio habeatur, quia tum fæcibus & flatibus diutius hic commorantibus, tum etiam a frequentiori excretione veſica varie perturbari poteſt. Ad externum uſum varia ab auctoribus commendari ſolent: injectiones ex lacte, decocto hordei, ſuccis detergentibus, melle, aqua chalybeata, cum vel ſine pulveribus glutinantibus, adſtringentibus & aliis. Quæ tamen omnia hac §. recenſita multaque alia hujus generis, quorum prolixam enumerationem inſtituit, Platerus in *prax. Med. Tom. III. p.* 776. etſi ſua laude non ſint defraudanda, plus ſæpiſſime tamen promittere, quam re ipſa præſtare obſervantur. Quare ſequentes adhuc cautelas adjiciam, iisque hanc diſſertationem finiam.

§. XXXIX.

I. In exulceratione veſicæ magis opera danda, ut ſanguinis vitia corrigantur, vitæque ratio, qua id malum fovetur, mutetur, quam externis remediis pugnandum eſt. Solent enim ſic ſæpius ulcera alia peſſimi moris ſponte ſanari; in recenti tamen ulcere externorum, nunquam certe prorſus ſpernendorum, uſus eſſe major poteſt.

II. Si exulceratio orta eſt a calculo in veſica hærente, hoc non remoto curatio fruſtra ſuſcipitur.

III. Sine convenienti vitæ regimine, cibis boni ſucci & aquæ ſufficienti potu, omnis alia medicatio irrita eſt.

IV. In hoc malo neque vitam nimis ſedentariam & otioſam agere, neque corpus vehementius exercere decet.

V. Inter præſtantiſſima remedia adverſus veſicæ ulcerationem & ad calculum avertendum aquarum ſalubrium uſus cenſeri debet. Laudat inprimis Spadanas Henr. ab Heer, & Tulpius deploratum veſicæ ulcus, omnibus aliis fruſtra adhibitis, iisdem debellatum tandem fuiſſe refert. *L. II. cap.* 53. In graviori tamen exulcerationis caſu vitandæ ſunt, quæ nimiam ſalis copiam ſecum vehunt. Vid. *Diſſ. cit. de Curat. calculi.*

VI. Nocent in hoc affectu vina omnia acida, auſtera; moderatus vero dulcium, inprimis Hungarici, uſus, non modo non nocet, ſed egregie prodeſt. Vid. *Diſſ. cit. de Vino Hungar.* & meretur hic allegari locus ex Aetio *ſerm. XI, c.* 22. de ſcabioſa veſica: *a mordacibus igitur & quæ humores acres ac ſalſiores reddunt abſtinendum. Exhibenda autem vina dulcia, lac & gallinæ, aut hœdorum aut agnellorum juſcula.*

VII. In ſenibus nunquam vilia remedia putentur, quæ ſupra illis ad præſervationem commendata ſunt. Sane potiſſimum iisdem curationis quoque momentum abſolvitur.

VIII. Non parum ſolatii atque auxilii in hoc malo a balſamo Vitæ Dn. Præſidis exſpectari debet, ſi is in veſicam injiciatur; de cujus uſu in gonorrhœa inveterata, proſtratis hiſque vicinis partibus, exulceratis, vid. ejuſd. *Med. Conſ. Part. III. p.* 239. Eundem enim quin veſicæ præſtare poſſit, non eſt dubium. Ne vero in hac nimium ardorem excitet, ejus vis adjecto infuſo herbæ thee nonnihil poterit temperari.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

AFFECTU RARO SCORBUTICO PUSTULARI,

Primùm edita Anno 1704.

PROOEMIUM.

IMPURITATEM ac corruptionem ſanguinis & humorum intenſam, quæ ſcorbuti nomine hodierno tempore venire ſolet, lernam malorum non ſine ratione pronunciari, is facile perſpiciet, qui in praxi & experientia exercitatus varia ſubjecta hoc affectu detenta curanda ſuſcipit. Mirum enim dictu eſt, quanta cohors ſymptomatum & malorum coacervatim ibi ſeſe ſiſtat & concentretur. Quin imo nullus ferme morbus eſt, ad quem non viam parare & diſponere ſcorbuti truculentia poſſit, unde a nonnullis univerſalis morbus dictus fuit. Igitur vehementer mirandum, dari adhuc quoſdam novatores, qui ſcorbuti exiſtentiam negant, & qualitatem ſalinam nocentem ex cauſarum morbificarum claſſe exterminare quærunt, tot innumeris exemplis & experientiâ contrarium quotidie adſtruentibus, & ſi ſanguinis impuritas admittitur ex ſalino-ſulphureis excrementis oriunda, ſique ſalia exceſſiva in corpore retenta & mixtione ac motu, mutuaque agitatione & tranſmutatione pejora & acriora facta conceduntur, certe ſcorbuti exiſtentia, imo geneſis, ſufficienter adſtructa eſt, utpote ſcorbutus eſt impuritas & corruptio ſanguinis & humorum facta ab excrementitiorum ſalium collectione & exaltatione. Verum enim vero ſpecimen rariſſimi adfectus ſcorbutici ſpeciminis loco de præſenti ventilare conſtituimus, quo luculentius apparebit dari utique ſummam ſanguinis dyſcraſian & impuritatem, gravium & mirabilium ſymptomatum cauſam. Cui labori ut altiſſimum Numen benedicat, precibus Deum ſollicitamus ardentiſſimis.

HISTORIA.

FOemina honeſta, 52. agens annum, ſucci ſanguinis & pinguedinis plena, habitus corporis ſpongioſi, naturæ ſenſibilioris & ad iram pronæ, diætam non adeo ſtrictè obſervavit, ſed potiſſimum delectabatur victu duriori, ſalſo, piſcibus infumatis, fructibus horæis quos primo jam mane ingerere conſueta fuit; maxime omnium vero acida lubentiſſime arridebant. Potu ordinario utebatur cerevifia Rupinenſi, quæ plerumque erat fæculenta, item vino vilioris ſortis, quod cum ſaccharo miſcere ſolebat. Cæterum non multum movebat corpus, ſed ſedentariam vitam amabat, & ſomno indulgebat largiori, qui tamen plerumque turbulentus laboris & phantaſmatum plenus erat. Animus intemperie affectuum ſævorum curiſque ſæpius diſtorquebatur; purgationes menſtruæ a trigeſimo quarto anno jam ceſſabant: ab eo tempore ſingulis annis adſueta erat ſanguinem mittere; ſed omiſit hoc ipſum jam per triennium. Per aliquot abhinc annos experta fuit varia gravia pathemata, ingens enim præcordia occupabat anxietas, ſpiritus anguſtia, & in reſpiratione difficultas non parum moleſtabant, primaque regio continuis ructibus, flatibus infeſtabatur, acutus dolor & ardor circa præcordia nocturno potiſſimum tempore affligebat, & ſæpe numero phlogoſes faciem poſt paſtum occupabant; maculæ flavæ hinc inde diſperſæ in corpore videbantur, potiſſimum in hypochondrio dextro, ipſaque fronte. Poſtea languor & ipſum corpus, maximeque pedes tenebat, acceſſit eorum tumor cum dolore intolerabili. Varia à Medico adverſus hoc malum tentata & præſcripta ſunt præſidia. Conſtabant autem potiſſimum ex volatilibus, ſpiritu cochleariæ, ſalis ammoniaci, ſale volatili Sylvii, liquore cornu cervi ſuccinato. Interpolatus quoque fuit uſus apozematum ex leniter evacuantibus & depurantibus ſanguinem concinnatorum; pulveres quoque acidum deſtructivi, nec male ſe, ſed potius melius ab uſu horum remediorum ſeſe habuit, ut ſurgere de lecto & ad conſueta redire potuerit œconomica. Remanſit tamen inſignis ſtupor manus & pedes affligens, qui tamen elapſo quodam tempore etiam exſpiravit. Anno ſubſequente menſe Februarii, præcedente tempeſtate valde auſtrina & pluvioſa, bibit cum appetitu & delectatione per aliquot dies vinum enulatum; ſed confeſtim ab ejus aſſumtione hinc inde in corpore, præſertim ſub mammis & axillis, erumpebant

puſtulæ ardore & pruritu ingenti ſtipatæ, quæ ſucceſſive coeuntes increſcebant, cutemque arrodentes ulcerationes & fœdam putredinem efficiebant. Hiſce juncta erat febris, quæ circa veſperam habebat acceſſiones ſuas & quidem circa horam quintam & ſextam, præcedente horripilatione, ſubſequente magno & continuo æſtu. Sub hoc, quod mirum & notatu digniſſimum, puſtulæ ſuperiores ad oculum augebantur, & extraordinaria magnitudine ova gallinarum & tenuia inteſtina inflata æquabant, & attollebantur ſemper bullæ cum ſibilo: exprimebat ægra: **Es wäre nicht anders als wenn ſie mit einem Rohr aus dem Leibe heraus geblaſen würden.** Erant in totum tranſparentes & continebant magnam aquæ quantitatem. Similes erant iis, quæ ambuſtionem vel veſicantia ſequi ſolent. Occupabant non modo thoracem, abdomen, artus & faciem, ſed etiam, oris, faucium, & naſi interiora. Cruciatus, quos ſub eruptione harum veſicarum perſentiſcebat ægra, non poterat ſatis exprimere, dicebat: **Es wäre nicht anders als wenn ſie im Feuer lege.** Sitis vexabat continua, ſomni defectus, pulſus celeritas & frequentia, urinæ color ruber, alvi adſtrictio internum ſanguinis febrile incendium ſatis declarabant. Quando acu, vel forcipe aperiebantur bullæ, fundebant permagnam quantitatem ichoris ex viridi lutei fœtidi ac corroſivi, ad aliquot, quod mirandum, menſuras. Hic humor virulentus cutim ſubſtratam, à qua cuticula ſeceſſerat, ulceratione & corruptione arrodebat, non ſine fœtore. Præterea aliæ minores puſtulæ ſubobſcuri nigri coloris ſanguine concreto refertæ, hinc inde diſperſæ in abdominis regione viſebantur, quæ ſphaceloſam corruptionem minabantur. Perquam dignum notatu erat, quod hæc veſicularum eruptio ſingulis diebus circa noctem cum febrili paroxyſmo per menſem fere integrum continua fuit: nam altero die mane ſemper fuerunt apertæ & pulvis exſiccans ex lapide calaminari, cornu cervi uſto, terra ſigillata, tutia, maſtiche, myrrha, compoſitus inſperſus, circa veſperam vero non quidem iiſdem in locis, ſed aliis eadem magnitudine protuberabant veſicæ cum peſſimorum ſymptomatuum comitatu, quæ ſimili modo tractabantur. Medicus ad gravem hunc affectum ſanandum in conſilium adhibitus temperantibus, abſorbentibus, nitroſis pulveribus, mixturis, refrigerantibus & decoctis humectantibus, depurantibus, & leniter laxantibus id effecit, ut ægra ſucceſſive ſanitati fuerit reſtituta, adeo ut extra lectum manere potuerit. Medicus reliquit prognoſticum: hunc affectum non ſimul & ſemel exſpiraturum eſſe, ſed ſubinde repullulaturum. Ipſa ægra præterito anno in æſtate bene ſe habuit, tantum quod in manibus hinc inde ſcabioſæ humidæ puſtulæ conſpicerentur, quare nonnullæ ſiccatæ decidebant novis ſurgentibus. Sed ægra palato indulgens ingerendo diverſi generis fructus, nec ab ira ſibi temperans febrilem inſultum rurſus fuit experta, ſub æſtu puſtulæ ut antea ſemper verſus noctem magno ardore & pruritu ſurgebant moleſtiſſimo cum propenſione ad ſyncopen. Erant quædam, ut ſupra deſcriptæ, tranſparentes, verum magnitudine fabam non excedebant: lympha intus contenta erat ſalſiſſima. Poſt noctem mediam & verſus auroram immanes ceſſarunt dolores cum eruptione puſtularum, quæ vero ſequentibus diebus circa veſperam verſus horam ſextam iterum recruduere. Quamobrem ut morbo, quacunque fieri poſſet ratione, proſpiceretur, ordinata fuit potiuncula ex aquis temperantibus & cordialibus, v. gr. endiviæ, acetoſæ, ceraſorum nigrorum, ſcorzoneræ, rubi Idæi, corticum citri, additis ſyrupis acetoſitatis citri, berberum, ribium, & ſimilibus. Præterea potui ordinario ad eximias ſitis moleſtias compeſcendas & particulas ſulphureas bilioſas infringendas infuſa fuit drachma ſemis mixturæ quæ ex clyſſo antimonii ſulphurato & tinctura violarum compoſita erat. Pulveres etiam præcipitantes & diaphoretici ex antimonio diaphoretico, cornu cervi uſto, nitro & cinnabari nativa fuerunt in uſum tracti, & prout urgens dolorum neceſſitas poſtulavit, eſſentiæ alicujus aut alterius anodyni medicamenti momentum iiſdem pulveribus fuit ſuperadditum. Nec defuit etiam Divina benedictio, utpote convaluit, & per trimeſtre ſpatium optime ſeſe habuit. Autumnali tempore cum iterum vehementi ira excandeſceret, & confeſtim ſuperingereret frigidum potum, intra triduum ejuſdem affectus memorati puſtuloſi recidivam eſt paſſa cum febre omnibuſque antea recenſitis ſymptomatibus. Eadem methodo, quæ ſupra tradita eſt brevi tempore in integrum reſtituta. Proxime poſt errores rurſus commiſſos in diæta, animique commotiones præcedentes, idem malum rurſus experta eſt, uti per literas mihi fuit traditum: ſed defuit febris, & mitius cuncta proceſſerunt.

RESOLUTIO.

Ariſſimum hunc eſſe in praxi affectum & de eo paucam mentionem reperiri in Practicorum libris, nullus dubitandi locus eſt, & ratione mirabilium phænomenorum ejus evolutionem non facilem, quivis etiam, qui rerum medicarum notitiam habet, fateri tenetur. Prima difficultas occurrit in eo, quo nomine copioſarum & magnarum puſtularum in cortice corporis ſingulis diebus ſub febre productio inſigniri debeat? Deinceps etiam ex qua materia & cur ſemper per ſtatos paroxyſmos redierint, non cognitu arduam putamus. Placet autem primo omnium, quæ Veteres circa hunc affectum memoriæ prodiderunt, inquirere. Fatendum vero eſt nomen puſtularum latius patere, & varias ſub ſe ſpecies comprehendere. Quædam enim ſunt humidæ, ex quibus ruptis vel humor vel ſanies, vel pus emanat. Aliæ ſunt ſiccæ, humoris nihil profundentes. Siccis annumerantur exanthemata quædam, puſtulæ purpuraceæ, vari, eſſeres, pruritus & verrucarum genera. Humidis continentur ὕδρωα puſtulæ, phlyctenæ ſeu phlyctides, epinyctides & varia ſcabiei tam benignæ, quam malignæ genera. Quæ Græcis ſunt Hydroa, latinis quibuſdam ſudamina, PLINIO papulæ ſudorum audiunt. Sunt autem ſudamina teſte GALENO *lib.* 3. *aph.* 21. æſtate provenientes puſtulæ in ſumma corporis parte erumpentes & cutem mordentes & pruriginoſam efficientes, ex ſudore bilioſo cohibito. Epinyctis ſecundum CELSUM peſſima puſtula eſt, colore ſublivida vel ſubnigra, circa quam vehemens inflammatio, & cum adaperta eſt reperitur intus exulceratio mucoſa, non major eſt faba, oritur in eminentibus partibus & fere noctu; unde nomen etiam a Græcis epinyctis impoſitum eſt. Et non pauci arbitrantur epinyctides eſſe puſtulas illas quæ ab AVICENNA vocantur eſſeræ. Etenim Eſſera ſecundum hunc eſt puſtula alba, lata inſtar veſiculæ ad aliqualem tendens rubedinem, quæ ſubito utplurimum evenit, & quandoque ab ea effluit humiditas, quæ fortaſſe eſt ſanguinea, & noctu utplurimum evenit, & in ea augetur ejus vehementia & malitia, & pruritum faciens anguſtia. Verum rectius eſſeræ dicuntur tubercula parva & ſicca ad rubrum vergentia duriuſcula, in quibus nullus ichor, nulla humiditas continetur non aliter ac ſi ab apibus & veſpis, homo demorſus aut urticis percuſſus eſſet, ſolet brevi tempore evaneſcere.

§. I.

§. I.

Phlyctenæ vero, vel phlyctides a Veteribus appellatæ ſunt veſicæ tenui humore aqueo ſubflavo plenæ & quaſi diſtentæ, & bullarum aquoſarum inſtar lucidæ, hiſque ſimiles, quæ ab ignis ambuſtione, vel a fervente aqua, vel a veſicatoriis excitantur. Repente quoque hujuſmodi veſicæ emergere ſolent. vid. MUSITANUS *Tom.* I. *p.* 37. Scribit hic autor quod phlyctenæ viris ſint rariſſimæ, contingant autem fœminis, quibus menſes non debite purgantur, & id in manibus & pedibus, ſed frequentius in cruribus & nonnunquam infantibus erumpunt per totam corporis peripheriam. Dicit etiam quod vel cum febre, vel etiam ſine febre oriantur. Cum hoc autore conſentit PLATERUS qui *Tom. II. Praxeos p.* 673. hæc habet: Puſtulæ aquoſæ, phlyctenæ appellatæ, ſub ſcabie humida comprehendi poſſunt, cum illis ruptis cruſtæ quoque naſcantur, dolorque ſuboriatur. Sunt autem puſtulæ parvæ inſtar bullarum, vel majores etiam ut veſiculæ, è quibus diſruptis aqua limpida effluit, dolorque tunc primum lancinans præſertim ex contactu cutis denudatæ, cruſtaque demum inducta accedit. INGRASSIAS hoc puſtularum genus appellat cryſtallos procul dubio ob pelluciditatem qua fruuntur.

§. II.

Ex hiſce Veterum locis clariſſime apparere arbitror in noſtra ægra phlyctenas eſſe nominandas veſicas illas magnas, quibus corpus fuit ſingulis diebus afflictum. Deinceps quoque epinyctides ſeſe intermiſcuerunt. Nam puſtulæ minores dolorificæ, nigricantes, ſanguine concreto refertæ, hinc inde in abdomine præſertim apparuerunt. Quod autem ſint phlyctenæ, evincimus id ex eo, quoniam in fœmina ortæ fuerunt ſcorbutica & menſibus ſuppreſſis laborante. Deinde quod bullulæ magnæ tranſparentes aquoſo humore diſtentæ cum febre nocte, & celerrime eruperunt & corroſivum fœtidum ichorem aperte fuderunt, qui ſubſtratam cutim corroſit; tandem quoniam ex mala diæta animique immoderata commotione ortum fuerit malum & recidiva quoque excitata, quæ omnia accuratiſſime deſcriptionibus phlyctenarum a Veteribus juxta ac Recentioribus prolatis quadrant. Nihilominus fatendum eſt affectum non adeo eſſe obvium: obſervationes enim de hoc parciſſimæ reperiuntur, è quibus eam quam tradidit SPINDLERUS *obſervat.* 92. huc pertrahere & communicare non erit inconſultum. Virgo, inquit, illuſtris, poſt levem rigorem, & inſequentem, mox autem iterum evaneſcentem calorem, conqueſta erat de puſtulis in abdomine erumpentibus, præcedentibus puncturis inſtar pulicum morſus, poſtea atrociſſimum dolorem ignis ad inſtar urentis introducentibus. Puſtulæ hæ aqua pellucidiſſima erant repletæ. Suſpicio erat ex menſium diminutione, adeoque peculiari quadam ſanguinis impuritate, vel eſu fructuum horæorum, venenatis animalculis infectorum ortum traxiſſe hunc affectum. Dato ſudorifero majores facti de dolore tamen nihil remiſerunt. Appetitus plane concidit, urina naturali tinctior pulſus longe major & celerior. Haſce eodem anno, ſcribit Autor, in quodam ephippiario notavi, ut & alio cive, item in viro quodam circa præcordia.

§. III.

Quoniam vero hic affectus inter rariores eſt, & puſtularum & veſicularum in externo corporis cortice generatio & productio in morbis ferme adhuc intacta eſt; decrevimus circa hanc materiam paulo longiorem & exquiſitiorem indaginem & tractationem inſtituere. Subjectum videlicet in quo enaſcuntur veſiculæ eſt cuticula ipſaque cutis. Cuticulam pelliculam eſſe tranſparentem, denſam tamen & poroſam, firmiterque adhærentem, nullus dubitationis locus eſt. Compactam eſſe, utut tenuem, & poris anguſtioribus præditam inter alia patefacit denegatus tranſitus ſeroſi & purulenti humoris in puſtulis, veſiculis atque ulceribus. Nihilominus cuticula habet ſuos poros majores, quibus patentes cutis canaliculi ſudorem effundentes firmiter juncti ſunt. MALPIGHIUS *in tract. de externo tactus organo* in extima cuticula admoto candente ferro detracta, ubi ſudoris hiant vaſcula, convexam quandam pelliculam interiora verſus non abſimilem cucurbitulæ extendi deprehendit ad edendum forte valvulæ miniſterium, ut interdum tenſa detineat ſudorem, & laxata exitum permittat. Poſtea adhæret cuticula cuti non modo per poros, ſed etiam per fibrillas tenuiſſimas, quæ lineas & etiam cavitates in cute conſpicuas efformant. Cuticulam vero non ſimplicem eſſe membranam, ſed ex tenuiſſimis pelliculis compoſitam eſſe fidem facit FABRICIUS AB AQUAPENDENTE; *item* LAURENBERGIUS qui geminam obſervavit applicatis veſicatoriis, & in plantis pedum lamellatim diviſibilis occurrit. Circa regenerationem cuticulæ monendum eſt, quod ex lentis ac viſcidis a cutis nutritione reſiduis partibus coagulabilibus concreſcat, imo augeatur in callum, ſicuti indies videmus in pedibus & manibus, quibus laboramus. Nam attritivo motu calor excitatur & augetur, qui tum arteriarum tum cuticulæ poros aperiendo tranſitum iſtis lentis coagulabilibus partibus concedit, quæ deinde pelliculam conſtituunt. Eſt vero cuticula operculum oſculorum & extremitatum vaſorum in cutem hiantium: unde detracta cuticula cutis madida obſervatur. Deinde cuticula defendit cutim ab aere, ab injuriis externis: Cutis enim per ſe ſenſibiliſſima eſt & ab aere in ſuccos agente mox alterationem patitur.

§. IV.

Quod attinet ad cutim, eſt hæc ipſa membrana ex filamentis vaſorum ſanguineorum, nervulorum extremitatibus & fibris nervoſis ac tendinoſis retis in modum vel inſtar panni varie inter ſe contexta, interius vero componitur ex fibris meris craſſis, vaſorum extremitatibus intertextis, exterius ex filamentis magis ſenſibilibus, tenſilibus, nerveis. Præter hæc cutis habet multos lymphæ ductus, item ſudorum & vaporum vaſa excretoria, de quibus legi potes STENO *tractatu de canis carchariæ diſſecto capite p.* 98. Recipiunt hæc materiam tranſpirationis ex vaſis arterioſis capillaribus, quæ ibi ſunt copioſiſſima. De his jam dudum veriſſime ſcripſit GALENUS *lib. I. de ſimplicium facultatibus cap.* 12. *Multæ venæ atque arteriæ hiant cum in poros cutis, tum in ejus ſuperficiem: In pororum etiam foramina non pauca oſcula pertinere cum arteriarum, tum venarum, credendum. neque minus ad externam ſuam ſuperficiem oſculis ſuis proficiſci.* vid. LINDENIUS *in Phyſiol. pag.* 729. Tandem etiam circa cutis ſtructuram monendum eſt, repleri interſtitia hiatus atque inæqualitates fibrarum, ſubſtantia quadam mucoſa lenta pinguiuſcula ſeu potius mucoſa villoſa, quæ abraditur in pellibus aqua maceratis cultris. Ad hanc ſubſtantiam mucoſam terminari vaſa credibile eſt: hanc quoque ſeparare ab ipſis lymphæ exhalationis & tranſpirationis materiam & glandularum vicem præbere. nam veras & formales glandulas, exceptis quibuſdam in locis ubi pili exſtant majores in capite & axillis, in cute reperire non licet: Porro ex hac mucoſa ſubſtantia pori & canaliculi majores termi-

terminantur in ſuperficiem corporis, qui deinde clauduntur cuticula & ſudorem foras eliminant.

§. V.

Expoſita ſic ex anatomicis cutis ſtructura, in qua ſubjectum affectus noſtri conſiſtit, facilius jam erit deſcendere in explicationem ſingularis illius phænomeni nempe productionis magnarum illarum veſicarum à cauſa interna. Verum enim vero cum veſicæ in noſtro ſubjecto obortæ eandem faciem, indolem, adſpectum, materiam quoque intus contentam habuerint, quam obtinere ſolent eæ veſicæ, quæ à cantharidibus vel aqua ferventiſſima ſolent corpori induci; hinc conſultum & è re fore judico determinare prius quomodo naſcantur talismodi veſicæ à cauſa externa. Eſt autem circa hoc negotium noſtra ſententia hæc: divellitur nempe & diſſolvitur per omnia ea, quæ veſicas exterius concitant, continuitas ſubſtantiæ cutis atque cuticulæ. Nam quemadmodum ſecundum naturam ex arteriis tam lympha quam ſerum excrementitium & ſudoris materia advehitur in mucoſam cutis ſubſtantiam ſecretoriam, interſtitiis fibrillarum cutis intertextam, ex qua deinde per tubulos excretorios ſalſum & tenue quod eſt in forma ſudoris foras ex ipſius cuticulæ firmiter poris cutis annexæ orificiis effertur, lympha vero nutritia per lymphæ ductus & ſanguis per venas reducitur: ita quando continuitas iſta viarum, vaſorum, ſolvitur ac læditur, neceſſe quoque eſt excretionem materiæ humidæ & vaporoſæ lædi ac immutari. Hoc ipſum ad oculum apparet, quando in cute oriuntur magnæ bullulæ atque veſicæ, in quibus extravaſatus continetur humor, qui originem ſuam inde habet, quandoquidem calor adurens, qui concitatiſſimi motus ſpecies eſt, externe cuti admotus diſrumpit primo vincula ſive filamenta iſta tenuia, quibus arcte cohæret cuticula cum cute, ejuſque excretoriis poris. Deinde quoque filamenta nervea motu talismodi validiſſimo agitata ſenſu moleſto afficiuntur, criſpantur, corrugantur, lymphæque & venarum ductus inde comprimuntur, coarctantur, dilacerantur, porro impedito retrogrado ſanguinis & lymphæ motu, arteriis vero ſubinde ſanguinem cum lympha advehentibus, non poteſt non fieri, quin ſubſtantia illa, de qua ſupra locuti ſumus, villoſa & ſecretoria ſeparet in abundantia lympham, quæ quoniam per cuticulam ſeparatam à cute non poteſt exire, neque per lymphæ ductus regredi, intra paucum ſpatium colligitur, & coacervatim illi collecta cuticulam expandit, ſicque veſicas ſæpius farciminis tenuioris magnitudine producit. Eodem modo agunt cantharides, famigeratiſſima illa & certiſſima veſicantia; hæc ſpiculis ſuis cauſticis ſalinis diſcindentibus diſcerpunt & dilacerant non modo tenuiſſima quibus cutis cum cuticula cohærent filamenta ac vaſcula ſed & fibras ſenſibiliſſimas nerveas cutis commovendo & ſtimulando, non modo dolorem, ſed & criſpationem, corrugationem & vaſorum compreſſionem efficiunt, ſicque eodem modo extra vaſa ponunt materiam lymphatico-gelatinoſam.

§. VI.

Probe vero notandum eſt humorem illum qui continetur in veſicis non eſſe tantummodo ſudoris materiam, ibi hærentem, ſed maximam partem nutritiam, gelatinoſam, laudabilem lymphaticam. Fecimus cum talismodi humore in inſigni quantitate collecto ſequentia experimenta. Primo ſimulac fuit ex veſica humor flaveſcens expreſſus mox concrevit in gelatinam ſive materiam inſtar albuminis ovorum cohærentem, ſpiſſam. Ejus portio cochleari indita & admota leni calori mox in offam albam inſtar albuminis ovi cocti ſeceſſit. Oleum vitrioli, item pulvis aluminis, ſpiritus vini rectificatiſſimus, oleum tartari per deliquium humori ſeorſim indita mox turbidam mixturam fecerunt & coagulum induxerunt. Tandem ipſa illa gelatina vitro infuſa & ſuper ignem facta leni exhalatione in materiam inſtar glutinis converſa eſt. Denique non eſt prætereundum guſtu examinatum humorem è veſica diſciſſa eductum ſalſedine manifeſta linguam vellicaſſe.

§. VII.

Ex allatis phænomenis atque experimentis clariſſime perſpicitur non modo ex ſalſo ſeroſo latice, qui forma ſudoris ejici ſolet, ſed maximam partem lympha gelatinoſa compoſitum eſſe hunc humorem, & teſtari partim de læſione & deſtructione lymphaticorum vaſorum eorumque tubulorum, qui ſuccum nutritium vehunt, partim etiam ſudoris vaſculorum: nam quod læſa & aperta ſint vaſcula, inde licet colligere, quod effuſa ex veſica lympha, mox nova reſurgat, ſemperque ſub veſica, cutis valde humida ſit, unde etiam humor gelatinoſus de novo collectus mox vel veterem veſicam rurſus in altum elevat, vel ſi penitus diſciſſa fuerit novam ex fibris cutis diductis format: nam perpetuus lymphæ per arteriolas à corde affluxus humoris iſtius abundantiam cauſatur, unde ferventiſſima aqua cadaveri inſperſa ſeparat quidem cuticulam à cute, ſed ſpatium illud non repletur humore, quoniam deficit ſanguinis & humorum affluxus.

§. VIII.

Quemadmodum vero extrinſecus à motu violento & materia ſpiculis & aciebus donata continuitas cutis ſolvitur, vaſaque dilacerantur atque aperiuntur: ita etiam in corporibus humanis generantur quandoque ſummæ corroſivæ indolis ſalia, quæ protruſa ad habitum corporis, eundem effectum rodendo, ſtimulando, dilacerando edunt, quem præſtant cantharides, inſecta, purgantia draſtica, aliaque ſali acri cauſtico imbuta & extrinſecus admota. Quod autem progignantur acerrimi & corroſivi in ſanguine humoribuſque ſales, ex eo patet quoniam ejiciuntur eique inſunt. Habemus exemplum in ſcabie, lepra, herpete, purpura alba & rubicunda, lichene, impetigine, puſtulis venereis, gutta roſacea, variolis, morbillis, puſtulis labiorum quæ intermittentium præſertim tertianarum plerumque comites ſunt aliiſque exanthematibus, quæ omnia ſcindenti, dilaceranti, cauſtico elemento, quod critico & benigno motu ex corporis centro ad circumferentiam corporis pellitur, deberi, nemo in dubium vocabit. Et certe nihil adeo infenſum œconomiæ noſtri corporis eſt, nihil tam violentum & motuum corporis vitalium deſtructivum quam materia penetrantis cauſticæ indolis, quæ quamdiu intra corporis pomeria continetur, & extricata cum lympha vecta fibrillas nerveas adoritur, luculentiſſima ſymptomata, ſpaſmi, anxietates, febres, lipothymiæ, epilepſiæ, vomitus, aſthmata fiunt, teſtantur id variolæ, morbilli, purpura, ante quarum eruptionem hæc aliaque peſſimæ naturæ ſymptomata conſpiciuntur, quæ protinus facta eruptione & propulſione ejuſcemodi materiæ ad habitum corporis mitiora evadunt. Tertianæ impetus mox retunditur viſis puſtulis in labiis, & quartanæ vehementia exſpirat, ſuccedente ſcabie. Quando vero, materia vitioſa cauſtica ad habitum corporis protruſa retro vertitur & relegit ſua veſtigia, eadem, imò pejora ſymptomata ſubſequi ſolere experientia abunde confirmat.

§ IX.

§. IX.

In noſtra ægra in puſtulas & veſiculas magnas paroxyſmum fuiſſe terminatum legimus. Ut vero hujus φασεως explicationem aliquam adornem, veri videtur ſimillimum, materiam acerrimam non modo dilacerare tubulos ſubcutaneos fluorem vehentes ſed & fibras nerveas cutis vel ramulos nervorum venas circumligantes eas conſtringere & ſic præpediri ſanguinem in circulo & lymphæ regreſſum; ſic non juſto modo fit humorum excretio. Quando enim humor & ſanguis per arterias advectus, per venas & vaſa lymphatica tramitem ſubingredi nequit; ampliatur ſubſtantia mucoſa cutis quam alii vocant glanduloſam, per quam lymphæ & ſeri excrementitii ſeceſſio fit copioſior. Præterea in noſtro caſu mentio etiam fit aliarum minorum puſtularum nigricantium, ſanguine concreto refertarum & ſphaceloſam corruptionem minantium, quod phænomenon etiam ex his dictis facillimo negotio deduci poteſt. Nam quando ſanguis adductus per arterias, per venas ob dolorem & ſpaſmum conſtrictas non regreditur, in interſtitiis inter hæc duo vaſa moram trahat neceſſe eſt, & quoniam præ ſanguinis per arteriam impulſu nimium diſtenduntur meatus, hinc emergunt illæ ſanguinolentæ puſtulæ, non admodum quantum ſcio frequentes.

§. X.

Eruperunt autem primo ſub mammis & circa axillas, quoniam in cute quæ circa mammas & axillas reperitur, præter glandulas illas majores axillarum & mammarum etiam veræ glandulæ in forma milii ſolis reperiuntur, hinc etiam ibi pori excretorii majores, & excrementitium ſerum ibi largius funditur. Quapropter etiam hoc loco puſtulæ prius viſæ ſunt. Comitabatur autem puſtulas ſemper ingens ardor & pruritus, **als wenn die Perſon im Feuer lege**; ardor provenit ab inflammatione, inflammatio ab accumulatione ſanguinis & vaſorum minimorum nimia diſtenſione, hæc autem ab ejus motu retrogrado impedito; unde quoniam in parte à ſanguine infarcto & obſtructo liberæ exhalationes ſulphureæ remanent, commotione agitatiori inteſtina facta tremulum motum & moleſtum ardoris ſenſum nervis inducunt. Pruritus naſcitur à particulis ſalinis & roſione ac inſultu in teneras fibrillas. Humor contentus exulceratione & putredine ſubſtratam cutem infecit, magno cum fœtore, manifeſto indicio, lympham extravaſatam acerrimo ſale fœtam eſſe, quod vaſcula cutis dilacerando ſtagnationem humorum & inde factam corruptionem & fœtorem inducit.

§. XI.

Prorumpebant ſemper puſtulæ præcedente horripilatione ſub principium æſtus, quoniam, uti notum eſt, in horripilationibus extrema cutis vaſcula ob ſpaſmum fibrarum cutanearum comprimuntur, unde etiam diſparere tunc vaſa ſolent, pori ſudoris occluduntur, hinc æſtu ſubſequente & concitatiori ſanguinis motu & appulſu ad partes extremas, qui ordinario fieri ſolet ſub calore, non potuit aliter fieri, quin major quantitas ſeri & lymphæ per vaſcula a ſalibus lacerata effluxerit in veſiculas. Quin illa ipſa horripilatio originem ſuam duxit non aliunde quam ab acribus ſalibus ad fibras nerveas delatis ibique ſubſiſtentibus. Extraordinariæ autem magnitudinis fuerunt veſicæ, quoniam ſanguis ſero ſuperfluo abundat hocque ſub æſtu, ſub pulſu celeri & magno, magna copia fuit ad habitum corporis delatum.

§. XII.

Occupant quoque puſtulæ interiora naſi, oris & faucium, quoniam membrana quæ tegit has partes, copioſis glandulis minoribus ſubſtratis ſtipata eſt. Sitis continua, urina pauca, rubicunda, alvus adſtricta, vigiliæ, pulſus celer & frequens febrili ſanguinis commotioni ejusque motui inteſtino & progreſſivo aucto debentur. Febris vero a vellicatione fibrarum nervearum in cute aliisque internis partibus facta a ſcorbuticis iſtis ſalibus proficiſcitur. Veſicæ magnam quantitatem ad menſuras aliquot ichoris, coloris ex viridi lutei, fœtidi & corroſivi fundebant, quæ materia teſtatur de copia excrementitii, impuri ac corrupti ſeri in ſanguine. Circa veſperam præcipue paroxyſmus febrilis oriebatur, qui mos eſt, uti ſupra fuit dictum omnium phlyctenum, quin imo omnes ſalini morbi, omnia pathemata ſalina plus moleſtant de nocte quam de die, nam de die tranſpiratio eſt liberior, motus ſanguinis expeditior; ſub nocte vero cum tardior eſt circulus & perſpiratio corporis non tam libera, excrementa ſalina collecta in corpore & hinc inde hærentia in poris cutis plus tragœdiam ſuam ludunt, quam de die. Surrexit malum ad uſum vini enulati, ſi ullum ex ſimplicibus, certe radix enulæ eſt vehementiſſimum pellens, ſudoriferum alexipharmacum; hinc in expellendis exanthematibus, nec non ſcabie præſidium commendatiſſimum: ſale enim acri volatili ſulphureo, fortiter ſanguinem commovendo a centro ad circumferentiam citatiſſime eum pellit, & ſic ita fit in partibus extremis ſecretio ſordium impurarum.

§. XIII.

Rediit affectus ſingulis diebus circa veſperam quanquam cauſa periodici mali & paroxyſmi morborum admodum cognitu & inquiſitione ſit difficilis. Nihilominus ſententia ſemper hæc noſtra fuit, habere tales morbos fontem ſuum in remotis locis, maximeque omnium primis in viis. Et valde credibile eſt morboſam mineram & ibi delitеſcere, ex quibus copia indies in ſubſidium mittitur & cum ſanguine communicatur: & agnoſco hic fabrum plurimorum excrementorum ſalino-ſulphureorum, cauſticorum ipſam bilem & lympham pancreaticam & inteſtinalem. Hi enim humores a ſanguine ſecreti impuris excrementitiis ſordibus onuſti, mora & mutua mixtione pejorem naturam induunt, ſi denuo cum ſanguine miſcentur, longe majores turbas in motu ſpirituum & ſanguinis excitant, quam antea. Origo mali fuit mala diæta, utpote peccatum non ſaltim in quantitate, ſed & in qualitate ciborum ac potus: ſi enim ex victu pravo impuritas ſanguinis naſcitur, certe hic ipſe, hic eſt, dum ſalitis, muriaticis, acidis, dulcibus, leguminoſis, fructibus horæis, vino acido, cereviſia fæculenta magna in quantitate utimur; præſertim ſi vita ſit ſedentaria, ſpongioſum & obeſum ſit corpus; utpote hæc alimenta multum particularum heterogenearum & non miſcibilium cum ſucco nutritio ſecum recondunt, quæ potius debent ſeparari & excerni e reliqua humorum maſſa. Si vero debitus circulus ſanguinis & humorum deficit, quod fit ſub quiete corporis vitaque ſedentaria, ſique porro emunctoria a craſſitie viſcidorum humorum fuerint obſtructa non poteſt non inde crudus, rudis, impurus, partibus excrementitiis ſalino-ſulphureis onuſtus ſanguis oriri. Ex impuro vero ſanguine & ſero omnes humores, præſertim bilis, lympha menſtrualis gaſtrica inteſtinalis, ipſa ſaliva, vitiantur, a naturali ſua indole deſciſcunt, & varia facta commixtione, præſertim ſi accedit mora & fermentatio,

mineram morborum peſſimæ indolis fabricantur idque in inteſtinorum canalibus eorumque plicis. Veteres talismodi in morbis atram bilem, fæces & ſalſuginem ſanguinis, ichorem tenuem, acrem, excrementitium, ad ſuperficiem corporis delatum, accuſarunt. Ex viſceribus dictis in morbis Antiqui ſemper inculpabant hepar, nec ſine ratione; ſi enim hepar obſtructum eſt & non rite bilioſum humorem ſecernit, hic remanens in ſanguine, alienam plane naturam induit, omnesque humores poſtea deſœdat. Deinde quoque quando hepar eſt obſtructum & infarctum, indicium eſt ſanguinem deficere in tenuitate, ſpirituaſcentia, motuque progreſſivo inque primis per abdominis viſcera. Præclara hac de re docet GALENUS *lib. 5. loc. affect. 7. Cum laborat hepar intemperie frigida & humida, afficitur ſanguis, non ille tantum qui in hepatis ſubſtantia eſt, ſed & ille qui per vaſa meſaraica affluit; verum diverſimode; qui enim ſtagnat, evadit craſſus, difficulter loco mobilis; qui affluit pituitoſus, crudus & ſemicoctus eſt.* Ex quo dicto patet communicatio hepatis cum ſanguine in meſaraicis vaſis contento, & quod ejus impuritas ex hepate profluere poſſit. Clariora autem habet WILLISIUS *de urinis c. 4. pag.* 531. qui ſcribit: hepar in nonnullis ſcorbuticis exſangue & ſiccum inſtar uberis vaccini obſervavi. Unde ſi bilem a ſanguine non ſeparet, ea vel in atram bilem, quæ omnium peſſima eſt, vertitur, vel per corruptionem in ſal acre & corroſivum, quo abundat, degenerat & reſolvitur.

§. XIV.

Ab anno trigeſimo quarto menſes emanſerunt. Non celerius ſanguis tranſit in cacochymiam, vitioſamque qualitatem, quam per ſuppreſſionem menſium; ſanguinis enim plenitudinem preſſo pede ſequitur abundantia vitioſorum humorum, præſertim in fœminis otio valde deditis. Tanta enim ſanguinis copia cum non debite a natura languidiori circumferatur, lentorem accipit, evacuatoria occludit, unde fons & ſcaturigo copioſarum ſordium. Recte ſcribit PRIMEROSIUS *lib. III. de morbis mulierum cap. 5. pag.* 179. *Mirum non eſt, mulieres, quibus in juventute menſtrua ſuppreſſa fuerunt, tandem, ſi prava victus ratio acceſſerit, ætate ingraveſcente ſcorbuto affici.* Omiſit venæſectionis conſuetæ uſum. Nihil conſultius eſt quam præſente ſanguinis redundantia ex ſuppreſſa evacuatione illius lunaria ſanguinem mittere & ſic reliquo cruori in vaſis liberiorem motum ac circulum procurare. Ita etiam nihil pejus eſt quam tali in caſu abſtinere a venæſectione, vel ejus loco minuere aliis modis, abſtinentia nempe, motu, ſudore, evacuatione per alvum, ſanguinis quantitatem, hoc pacto enim aperta panditur via ad graves chronicos morbos. Præcordiorum anxietas, difficilis reſpiratio, copia ructuum & flatuum, cardialgia, phlogoſes, macularum eruptio in corpore, languor, pedum tumor & dolor lancinatorius ſufficienter teſtantur de obſtructo ſanguinis fonte, de impedito ejus circulo, de ſordium accumulatione, & inde profluentibus ſpaſmodicis generis nervoſi agitationibus & ſanguinei fluxus inæqualitate.

§. XV.

Aucta fuit diritas mali tempore autumnali ſub tempeſtate auſtrina & pluvioſa. Hyberno tempore ob defectum aëris ſubtilioris atque tenuioris & atmoſphæram valde condenſatam non tantus vigor motuum in corpore obſervatur, unde obſtructiones tali tempore radices ſuas ponunt & excrementorum fit redundantia. Sub tempeſtate vero auſtrina & pluvioſa notabilis actionum torpor, motus impotentia, membrorum gravitas, putridorum humorum collectio gignitur. Ab atmoſphæra enim leviori & humidiori virtus motrix elaſtica in corde & muſculis imminuitur, & hac ratione circulatio humorum libera, quæ a motu partium tonico & ſpirituaſcentia ſanguinis debita pendet, impeditior fit, unde & partium halituoſarum tranſpiratio & ſuperfluarum ſecretio & excretio juſto minus ordine ſuccedit, ut ſic humores non tantum in corpore accumulati, membra gravent ac premant, ſed & ad putredinem diſponantur.

§. XVI.

Ira malum ſæpius reverſum eſt, quoniam ſcaturiginem hujus in bile corrupta impuriſſima ponimus; facile patet quare ira de novo produxerit adfectum, utpote hac ipſa bilis impetuoſius inque magna quantitate effunditur in duodenum, utpote motuum ſpiritu citatiori, ductus biliarii, nervoſis ac membranoſis tunicis conſtantes, compreſſi hujus eximiam quantitatem exonerant, unde inclinatio ad vomitum, ſapor in ore amarus, nauſea, dolor conſtrictivus in latere dextro ſub ſcrobiculo cordis profiſciſcuntur. Hæc vitioſa bilis cum lympha denuo in ſanguinem miſſa fermenti quaſi & ſeminii morboſi vicem gerit; & quoniam per ipſam iram ſanguis concitatiſſime movetur, & febrilem quaſi paroxyſmum efficit, fit ut ſordes excrementitiæ hinc inde in humoribus fluctuantes vi quadam & impetu ad habitum corporis propellantur. Et hæc quoque eſt ratio, quare podagra, variolæ, morbilli, eryſipelacea affectio, arthritis ſæpe numero ab ira excitentur.

§. XVII.

Quod ad curam attinet talismodi adfectus, non poſſumus non laudare eam qua uſi fuerunt præſentes Medici. Primaria intentio medentis eſſe debet talismodi in affectibus ſubcutaneis, cutem defœdantibus, primas aperire vias per congrua evacuantia. Cenſemus hæc omnino perneceſſaria eſſe, imo non exiguam partem curationis ab iis pendere, quippe niſi auferatur intus deliteſcens morboſa minera, imo nec præſcindantur copiæ, quæ illi in ſubſidium indies ſubveniunt, haud video quibus armis contra tam truculentum hoſtem dimicare valeamus. At hoc ab evacuantibus tam præmittendis, quam toto curationis decurſu debitis intervallis repetendis, unice ſperandum eſſe quis non videt. Nam quoniam ex prima regione mali fons eſt deducendus & bilioſa materia cum ſuccis corruptis ibi mixta & ad ſanguinem delata ſecundum noſtram ſententiam paroxyſmos excitet, facile apparet maximi momenti hæc ipſa eſſe. Nam optima methodus eſt medendi periodicis morbis, eosque præſcindendi per emetica, ſelectaque vacuantia. Draſticorum exhibitionem merito improbamus, quoniam ſpiritus nimium exagitant, tonum inteſtinorum deſtruunt, & univerſum ſyſtema nervoſum in irregulares motus concitant. Leniorum vero uſum quæ turbas non movent, non ſolum ratio, ſed & experientia ſuadent. Commendamus autem maxime ſerum caprinum, in quo infuſæ fuere paſſulæ, ſummitates pini, folia ſennæ, caſſia fiſtuloſa. Et dulcis quoque mercurius cum extracto fumariæ in pillulas redactus utiliſſimam locabit operam: Hic enim propter eximiam ſuam ſubtilitatem ſeſe ſimul in intimos receſſus inſinuat & non viſcoſiorum ſolum partium nexus diſſolvit, ſed & ſalium, qui ibi forte deliteſcunt, aculeos retundit. Acria & cauſtica purgantia maxime etiam ob id improbamus, quoniam vehemente acri cauſtico ſale imbuta ſunt, quod una communicant cum ſanguine. Nam certe aliena eſſet ſententia purgantia partes ſuas activas energeticas

cas tantum impendere in primas vias, nec cum aliis partibus ipſoque ſanguine eas communicare, ipſa enim experientia loquitur contrarium, nam purgantia ſæpius ſudorem vehementer movent, pruritum venereum excitant, mictus ardorem, pulſum celerem, ſitimque cauſantur, & hæmorrhagias, anxietatesque præcordiales, ſpaſmos quoque interdum concitant, unde etiam purgantia a nutrice aſſumta, utut quandoque in ipſis nullas ſedes moveant, nihilo minus in infantibus lactantibus operationes habent, ſufficienti argumento ſal illud ſtimulans purgantis cauſticum, quod inteſtina matris ad ſtimulum recipiendum indiſpoſita fruſtra ſtimulat, in inteſtinalibus infantis tunicis tenerrimis operationem ſuam exſequi. Nam tam perſpicue nuper expoſitum eſt *in diſſertatione de ſelect s purgantibus*, ut cœcus affectibus ſit, qui hæc non capiat, videlicet omnia purgantia agere ob ſtimulum ſalinum, utut non omnia, quæ valde ſapida ſunt in lingua, propter ſalium differentiam, valde etiam purgent. Talismodi itaque ſales ſtimulantes in purgantibus, qui non aliis in partibus præterquam in inteſtinis ſtimulantem effectum edunt, non dantur. Hinc videmus omnia purgantia fortiora in morbis ſalinis & cacochymicis ſua acrimonia maſſæ ſanguineæ totique corpori noxam inferre, unde quoque noſtro in caſu non erunt.

§. XVII.

Phlebotomia num utilis ſit ad ſanguinem puriorem reddendum quæſtio altioris inquiſitionis eſt? Ego exiſtimo cum *Clariſſimo* olim BOTALLO ſanguinem depravatum ad craſin debitam ſemel amiſſam difficulter redire, ſive purgantium, ſive alterantium miniſterio hoc exequi velis; potius pars corrupti ſanguinis detrahenda eſt, non quidem maxima quantitate, ne ſanguifica vis in reliqua maſſa nimium retundatur, ſed per vices, nam chylus bonus proxime adventans ad novum puriorem ſanguinem tranſit, quo fit ut veræ ſanguineæ particulæ proportionem corruptarum, quæ ante ſanguinis miſſionem maſſæ inerant, tanto viribus nunc ſuperent, quanto hæ jam pauciores ſint. Quin imo ſanguis purioris chyli additamentis roboratus reliquas impuras, quibus ſcatet partes, multo promptius digerit, corrigit & per ſolennes ibi vias exterminat, quam ſi eodem gradu purus abſque his ſupetiis exſtitiſſet. Qua de cauſa in magna impuritate ſcorbutica, matre graviſſimorum ſymptomatum, magno cum fructu uſus eſt *Præſes* hac methodo: repetendam nempe phlebotomiam pluries debitis intervallis ſuaſit. Deinde elixir ſuum ſtomachicum balſamicum, aromaticum, ſingulis diebus inter cibos aſſumendum commendavit; tempore matutino infuſum veronicæ vel ſcordii ſuaſit. Quo remedio continuato per dimidium annum & ultra effœta & corrupta antea ſanguinis maſſa ſenſim & ſucceſſive univerſa ad primævam puritatem rediit. Hanc methodum etiam commendamus ægrotæ cum interpolato uſu congruorum laxantium ſingulis ſeptimanis ad depurandum ſanguinem, & ad avertendos non modo hunc ſed & alios adfectus.

§. XVIII.

Nitroſa, terrea, abſorbentia, corrigentia in forma pulveris vel cum aquis temperantibus & humectantibus ſumta egregium hoc in affectu præſtiterunt officium: nam hæc ejus ſunt indolis ac naturæ, ut ſaburram iſtam bilioſam acrem, qua ſordeſcit prima regio, immediato contactu invertant, alterent, contemperent, præcipitent & præparent ad meliorem excretionem & exitum per ſudorem & vias urinarias; tutiſſima enim ſunt hæc remedia in vitiis materiæ peccantis emendandis, in præſcindenda ulteriori impuritate ſanguinis, quæ ex primis viis ſcaturit.

§. XIX.

Salia volatilia, fortia ſudorifera expellentia nocentiſſima ſunt; hæc in ſcorbuto fixo in locis maritimis, ſeptentrionalibus præſtantiſſimam ſæpenumero locant operam, & eam ob cauſa celebratiſſimus eſt tam in Hollandia, quam Anglia, Scotia, ſpiritus cochleariæ, ſed in noſtris regionibus non adeo proficuus: nam regnat hic magis ſcorbutus calidus & ſordibus magis calidis bilioſis onuſtus eſt ſanguis, quorum energiam acuunt & augent dicta calida; unde dolores, ardores, inflammationes, anxietates augentur. Quod attinet ad uſum externorum, quæſtio eſt an tales puſtulæ magnæ ſubortæ in cute aperiri debeant; cui reſpondemus; quod, quamvis apertione facta aer liber accedens ſubſtratam cutem facilius in corruptionem rapiat, præſertim ſi ſerum contentum valde fuerit corroſivum, nihilominus cum magna quantitas ichoris extravaſati evacuari nequeat, & acrior factus eodem modo exedat & corrumpat ſubjectam partem, hinc apertionem non diſſuademus. Opus eſt autem ut linimento, quod alias celebratur contra ambuſta, & compoſitum eſt ex oleo lini, aqua calcis vivæ, croco, ſacchcro ſaturni & ceruſſa, illinantur ulceroſæ partes. Notanda hoc loco cautela eſt, inſpertionem pulveris exſiccantis ex bolis & terris in talismodi caſibus cutis eroſæ non adeo ſemper tutam ac fidam eſſe, partim ob id quod gelatinoſo illo ſucco glutinis in formam compacti tranſpirationem penitus impediat, partim etiam hac ratione, dum non à tergo effluenti materiæ datur exitus, unde hæc concluſa & mora pejor facta ſerpit & corrodit ſubnexas partes. Ita nuperum caſum habuit *Præſes*; nempe infans illuſtris familiæ quatuor circiter menſium lactans à nutrice impura & iracundia concitata in motum accepit lac. Brevi poſt per totum abdomen unica veſica facta eſt, cuticula ſeceſſit, & rubor intenſus in ipſa cute conſpicuus fuit; Quiete & ſomno caruit. Ab adſtante fœmina conſilium datum fuit, ut lapidem calaminarem toti abdomini inſpergerent, quod etiam factum fuit; ſed mox retrocedens materia in pectus incumbebat & aſthma cum ſumma virium proſtratione poſtea mortem inducebat. Eximia ſunt quæ hac de re prodidit HIPPOCRATES *lib. pop.* 7 §. 52. Timonactis filio ferme bimeſtri oriebantur puſtulæ in cruribus, & in coxis & lumbis ac imo ventre, & tumores valde rubicundi. His autem ſedatis convulſiones & motus comitiales fiebant ſine febribus multis diebus & mortuus eſt. BALTHASAR BRUNNERUS *in Tract. de Scorbuto* commendat cataplaſma, quod calidum impoſuit, quod ceu panaceam ad mitigandum dolorem & pruritum commendat. Paratum hoc fuit ex caſeo coagulato, germanice Qvarck/ herba naſturtii aquatici & baccis juniperi in lacte decoctis. Mitigata interius morbi vehementia ad nitorem cuti reſtituendum, balneum cum externis quod commendat JOH. BAPT. THEODOSIUS *epiſt.* 22. hoc eſt, *Recipe hordei m. iij. malvarum, fumi terræ ana m. iij. furfuris tantundem, radicum lapathi acuti, ſi haberi poſſunt, m. ij. bulliant in ſ. q. aquæ & ea calida fiat in loco pruriginoſo balneum, & poſt exſiccetur, & ungatur roſato, deſcriptionis Meſuæ.* Hoc quoque unguentum erit optimum; *Recipe terebinthinæ libram ſemis, butyri recentis uncias iv. vitellorum ovorum num. iij. lithargyrii, ſarcocollæ, pulveris radicis lapathi acuti ana unciam unam, ſucci limonum unc. j. diſſolvantur butyrum & terebinthina, & poſt addantur pulveres: & cum incorporata fuerint omnia, addantur ſucci fumi terræ, ſucci lapathi acuti, ſucci roſarum*

ſarum aa. unc. iv. & bulliant omnia ad conſumptionem ſuccorum, & cum tepuerit unguentum, addantur vitelli ovorum.

§. XX.

Ultimo de diæta pauca quoque ſubjicienda veniunt. Primum in omni taliſmodi affectu ab omni cibo acuto, ſalſo, calido, & qui choleram & melancholiam generat, abſtinendum: veluti ſunt aromata omnia ſicut piper, zingiber, cinnamomum, crocus, ciminum & ſimilia: caſeus antiquus & caro ſalita, & piſces ſaliti, caules, raphanus, porri, allia, legumina omnia. Hinc ſequitur, quod abſtinere conveniat ab omnibus cibis, quibus utuntur Catholici quadrageſimali tempore, & ab iis, quos è paſta præparant. Carnes autem hæ & cibi ſalutares, ſcilicet animalium juvenum, pullorum, avium nemoralium, vituli caſtrati, agni annales, & hædi, piſces ex fluentibus & bonis aquis, cancri fluviales, lactuca, endivia, ſcariola, acetoſa, cichorea, creſſones fontales, ſpinachia, blitum, borrago, caſeus recens ſine ſale, lac & lacticinia ſine ſale: ptiſanæ etiam uſus ſit frequens & longus in ſero, in modum ferculi. Potus ſit, vinum album pauciferum lymphatum: uſus omphacii, aceti paſſulati, non contemnendus: butyrum non laudo, oleum vero bonum mihi placet. Sed hæc ſufficiant hac vice.

DISSERTATIO EXHIBENS CASUM DE PURPURA SCORBUTICA, PRÆGRESSO HÆMORRHOIDUM FLUXU NIMIO, EX PRINCIPIIS SOLIDIS DEDUCTUM.

Primùm edita anno 1732.

PRÆFAMEN.

PRIMA Medicinæ fundamenta experientiam jeciſſe, nemo fortaſſis in dubium vocare auſit: initium quippe atque Artis progreſſus, nec non priſca illa a tot retro ſeculis relicta præſtantiſſimorum virorum, Medicorum nomine inſignium, monumenta id ipſum ultro fatentur atque evincunt. Hac identidem methodo multa utilia in Medicina reperta fuiſſe, qua etiamnum hodie reperiuntur; fida antiquiſſimi Hippocratis, qui non Græciam modo, ſed & univerſum propemodum orbem in maximam ſui admirationem concitavit, pulcherrimarum obſervationum collectio teſtimonium præbet omni dubitatione majus. Hinc profecto res eo rediit, ut ab omni ævo, phænomenorum omnium, quæ in homine vivente, ſano, ægro, moriente, mortuo, in ſenſus externos incidunt, neque minus, a quibus ſingula hæc cauſis enata fuerant, obſervationes, quas hiſtorias Medicas appellitare conſueverunt, unanimi Medicorum rem æqua æſtimatione penſitantium ſuffragio, præcipua & ſolidiſſima Medicinæ principia habitæ fuerint. Ex quibus haud levi modo brachio tactis, ſeduloque collectis, phyſicis, chymicis, mechanicis, hydroſtaticis, hydraulicis doctrinis imbuti, regulas vel axiomata tam generalia quam ſpecialia in praxi uſui futura nunc diducere atque colligere negotio quidem facillimo poſſunt. Quid, quod ad veritatem propius accedendam nihil magis conferat, ac ſi legitimo ratiocinio, quæ ex phænomenis deducuntur, cum obſervationibus conferimus, ut conſenſu inter ſe perſpecto vel probentur vel ſaltim confirmentur; ſiquidem hujuſmodi per examina, regulas nos rite ex principiis deduxiſſe atque applicaſſe certi reddimur (conf. Celeb. Wolfius in *hor. ſubceſiv.* 1729. *trimeſtr. vernal.*) Unde clariſſime eluceſcit, neque Pathologiam, neque Therapiam firmo niti poſſe talo, utut exacta Corporis Humani omniumque quæ in eo peraguntur functionum ex principiis phyſico-mechanicis deducta & acquiſita notitia quiſpiam imbutus fuerit, niſi accuratam morbi & remediorum hiſtoriam ſedulus ſibi comparaverit. Neque vero temporis illa diuturnitas, laudabilem antiquiorum in re Medica operam, quum experientia eam feliciter probaret, poſteritatis memoriæ

memoriæ eximere potuit. Viget certe adhuc inter nos, & per multa etiam futura ſecula corruſcabit nomen laudati jam HIPPOCRATIS, identidem ARETÆI, ALEXANDRI TRALLIANI, CÆLII AURELIANI, CORNELII CELSI, MERCURIALIS, VALLERIOLÆ, cæterorum; quorum ſcripta experientiæ conſona atque innixa, non ſine fructu recedentes, quotidie pervolvimus. Licet autem Arti ad majorem perfectionem ducendæ atque ulterius ſtabiliendæ, omnium quæ in Corpore Humano occurrunt phænomenorum deſignationes valde neceſſarias eſſe Medici tantum non omnes dictitent; non tamen adeo amplam uſui aptarum hiſtoriarum exſtare copiam, mirandum niſi plane dolendum videbitur. Quantas igitur laudes, meam certe multis paraſangis ſuperantes Illuſtr. *Dn.* PRÆSES jure ſibi vindicet, ſcripta ejus quæ ſummo candore in perpetuam nominis ſui memoriam, orbi reliquit, apertiſſimo ore loquuntur: in quibus non modo centenos multos caſus ipſe conſignavit, ſed etiam quo pacto morborum hiſtoriæ rite ſint annotandæ omnium optime paſſim docuit; ex inſtituto vero *Tom. III. Med. rat. Syſt. S. I. c. III.* nunquam ſatis deprædicandam rem inculcavit.

At vero, quæ modo præfatus ſum, præclarum ſatis mihi argumentum ſuppeditarunt, quare, præ cæteris, ſingularem quendam caſum, pro ſiſtendo ſpecimine, elaborandum ſumſerim. Etenim partim materiæ dignitas atque utilitas ad ipſum poſtulavit, partim neceſſitas, ut, me non prorſus rudem atque illotis quod aiunt manibus, animum medendi negotio applicaturum eſſe, quorum intereſt, cognoſcant. Hunc in finem Illuſtr. *Dn.* PRÆSES *Patronus atque Præceptor*, *ob tot beneficia*, *nunquam intermoritura pietate & obſequio colendus*, pro ſingulari, qua me immerentem tantum non ſemper complexum fuiſſe benevolentia perpetuo lætabor, morbi præſentem hiſtoriam, benigne mihi communicavit, ut virium in eo enucleando periculum facerem. Quod, ut cedat feliciter, DEUS annuat!

CASUS.

VIr quidam illuſtris, quinquageſimum circiter ætatis annum tranſgreſſus, temperamenti ſanguinei, animi pariter ac corporis conſtante vigore ac robore gaviſus, a longo hinc inde tempore, ne ullis quidem morborum inſultationibus divexatus eſt. Ætate ſenſim ad ſenium vergente, juſtiori plus ſanguinis abundantia corpus turgeſcere cœpit, cujus ad incrementum, alimentoſi cibi largiterque aromatiſati (Speiſen von hohen gout) excedens appetentia, vini generoſi forte an largior hauſtus, nec non prætermiſſum conſuetum ac neceſſarium motus exercitium multum fecerunt. Quum autem exſuperanti ſic purpureo liquori nullus per venam ſectam daretur exitus: & ille, ob tantam copiam, amplius ſpatium affectaret; fieri non potuit, quin impedite ac cum remora, per ſingula corporis vaſa trajiceretur. Hinc benigna natura, per hæmorrhoidum fluxum ſalutari modo inſtitutum, a tanta machinæ obfutura mole ſeſe liberare annifa fuit; eventu adeo ſecundo, ut a multis poſtea annis, ſingulis tribus vel quatuor hebdomadibus, ſanguinea hæc per ſedis venas rite ſucceſſerit excretio. Hactenus igitur ab incommodis ſatis immunis degit Vir Illuſtris: ſed quum in itinere ſub frigido hyemali cœlo inſtituto, ſalutifera corporis impediretur peripherica exhalatio, cœcæ, quas appellitant, hæmorrhoides, ardore & dolore comite, in conſpectum prodierunt; quæ tamen convenientium externorum applicatione fugam quærebant. Verum, circa æquinoctium vernale ejuſdem anni, hæmorrhoidalis non modo effuſior rediit fluxus, ut per tres propemodum menſes perſiſteret, ſed &, ſub hoc temporis tractu, acris & ſalſa defluxio, cum rubore & dolore, oculos detinuit: quæ in uſum vocatis debitis remediis pedetentim deceſſit. Interea conſtrictivus in pectore & abdomine ſæpius adfuit ſenſus, nec non preſſorius in oſſe ſacro dolor cum ſtimulo urinam mittendi adflixit, qui lumbari quoque non pepercit regioni, pedem ſimili modo afficiens. Appetitus imminuebatur, ciborum quoque vacillare cœpit juſta digeſtio, ſiquidem ventriculus viſcoſam interdum protrudebat materiem. Rebus ſic ſtantibus, in conſilium accitus Illuſtr. Dn. PRÆSES venam in brachio tundendam primum ſuaſit; dein, ut cum fonte quodam ſoterio Spadano aut Selterano vel Schvalbacenſi, ſub exacto diætæ regimine, ægrotus illuſtris curam inciperet, auctor fuit. Poſt uſum harum aquarum, ut annuatim bis minimum vel ter venam ſecari pateretur, diligenter hortatus eſt, inſuper ut duabus vel tribus per hebdomadem vicibus, quindecim liquoris anodyni Dni PRÆSIDIS guttas, una cum pulvere præcipitante, in aquæ frigidæ hauſtu circa lecti introitum uſurparet, atque vino generoſo Hungarico, quantum fieri poſſet, vel valediceret vel parcius tamen uteretur; neque meditationibus ac aſſiduis laboribus mentem fatigaret; ſed corpus crebris ac moderatis exerceret motionum generibus, quam ſedulo inculcavit. Perfecit curam ab Illuſtri PRÆSIDE propoſitam ægrotans illuſtris, tam felici quidem ſucceſſu, ut haud exiguum malorum perſentiſceret levamentum. Sed annus effluxit, quum Februario menſe, in febrem incideret noſter, catarrhali primum æmulam. Appetitus dein proſtratus, ſitis & æſtus intenſior ægrum mire torſerunt, quibus vomitus quoque ſeſe non raro adjunxit. Acceſſerunt alta ſuſpiria, anxietates præcordiorum, cardialgia, compunctorius ſenſus, reſpiratio difficilis, alternante frigoris & horroris ſæpe ſæpius ſenſu, pulſuque durius atque celerius micante. Purpuram ante fores eſſe prudenter auguratus eſt PRÆSES Illuſtris. Ecce! ſucceſſit cutis aſperitas, prodeuntibus innumeris puſtulis, milii ſemen figura & exiguitate referentibus, rubris tamen. Symptomatibus his acriter adfligentibus, bezoardicum pulverem circa ſomni tempus, vomitui vero obviam eundi gratia liquorem anodynum mineralem, cum balſamo vitæ maritatum, & pro potu ſerum lactis dulce, Ill. Dn. PRÆSES ad uſum propoſuit. Sic ſedatæ per octiduum prope moleſtæ adflictionum turmæ. At vero indulſit plus juſto appetitui ciborum incongruorum, vini generoſi plus licitam quantitatem aſſumſit,

ſit, atque compactum panem, quem ſpiras vocant, comedit: unde vomitus rediit. Interea purpureæ illæ maculæ alibi copioſiores comparuerunt, in locis quibuſdam deciderunt, atque tandem manus & thoracem adfectantes, inſignem pruritum ac inſomnes aliquando noctes introduxerunt. Crura circa talos tumeſcere horis præſertim veſpertinis viſa ſunt. Urinæ craſſæ rubicundo-bruni coloris miſſæ. Pro potu, quo appetitus ferebat, vel cereviſia Duchſteinenſi vel huic ſimili uſus eſt. Hæmorrhoidalis prodiit iterum fluxio, alvuſque bis de die reſpondit. Transgreſſo ſeptem vel octo dierum ſpatio, exanthemata purpuracea diſparere atque areſcere cœperunt. Quum autem pulverem lenitivum rhabarbarinum obferrent Medici ordinarii, fœtidorum humorum magna ſentina fuit educta. Hinc crurum tumor imminutus, quem tremor manus & brachia cumprimis intentans, oris quoque ſiccitas inſecuta eſt. Remedia quod attinet, ægro opitulandum erat; quippe potus loco, mox cereviſia Duchſteinenſis cum gelatina cornu cervi permixta, mox gallinarum juſcula cum radicibus cocta, quandoque etiam ſarſaparillæ decoctum uſurpata atque interpolata fuere: ex medicaminibus, eſſentia ſtomachalis liquori anodyno nupta, poſt meridiem pulvis abſorbens cum pulvere caſcarillæ permixtus, & veſperi bezoardicus pulvis obferebantur. Purpura ulterius deſiccata, cruſtam, qualis in ſcabie ferina ſicca conſpicitur, reliquit, cutemque rugoſam ubique reddidit. Aliquando pituitoſam ventriculus materiam ejecit, qualem faucium quoque glandulæ ſtillarunt. Somnus quidem multus, ſed parum reficiens. Pulſus mane frequens & validus, veſperi debilis micavit. Excrementorum fœtidus odor, virium proſtratio omnimoda, corporiſque emaciatio obſervata fuerunt. Medicaminum modo recenſitorum uſus continuatus quidem: ſed febris tandem acceſſit inflammatoria, quæ ſæviter adeo adflixit, ut, omnium adhibitorum ſpe protinus eluſa, ægrotans illuſtris tam diri morbi vehementiæ victrices dare manus debuerit. Peracta poſt mortem ſectione, panniculus adipoſus, una cum renibus, inteſtinis tenuibus, veſica urinaria, inflammatione correpta comparuerunt; lien putredine exeſus, ita ut tactu in liquamen fatiſceret; ventriculus flatibus diſtentus; vaſa gaſtrica ſanguine craſſo infarcta; diaphragmatis ſiniſtrum latus corruptum, conſpicienda fuere. Pulmones inflammatione obſeſſi, colorem ex atro cæruleum induerant. Pericardium liquore carebat, cor flaccidum, multo atro ſanguine repletum. Glandulas meſenterii ſcirrhus infeſtarat. Hepatis gibboſa pars maculam inflammatoriam oſtendit, cujus veſicula fellea bile erat repleta.

RESOLUTIO CASUS.

§. I.

ENarravi ſic morbi exitum minus felicem fortiti hiſtoriam, & quod confido, nullas, quæ noſtro ſcrutinio argumentum ſuppeditare poterunt, neceſſarias circumſtantias vel omiſi aut neglexi. Jam, uti propius ad reſolutionem ſingulorum in præfato caſu occurrentium phænomenorum me accingere debeo; ita eo annitar, ut, quæ in *Præfamine* rudi penicillo adumbravi, breviter & quantum vires permittent adimpleam: ſcilicet id agam, ut ratiociniorum cum phænomenis, facta inter ſe collatione, conſenſus appareat. Igitur, ut in tam ardua re rite atque prudenter procedam, quæcunque ſenſibus externis in caſu noſtro obvia fuere, ſingulatim, tanquam fundamenta enarrationum ſequentium ſolerter expendere atque præmittere juvabit, ut ſuum cuique jus maneat, quo corpus noſtri ſubjecti, de quo jam ſermo erit, alterandi, ad mutationes varias diſponendi vel plane deſtruendi gaviſum fuit. Atqui, ubi effectus illos morboſos, ex præcedentibus, occaſionalibus, proximis vel immediatis cauſis proveniſſe atque ſub hujuſcemodi rerum facie oriri debuiſſe, ex veris principiis demonſtravero; in curatione ipſa omnibus indicationibus, qua fieri potuit, ſatisfactum fuiſſe oſtendam, & tandem, mortem nulla humana ope aut ſcientia ſuperabilem neceſſario ſecutam evincere ſtudebo.

§. II.

Equidem non dubito, fore pleroſque, quibus in enarratione præſentis morboſi ſtatus fortean nimius viſus fuero, eo, quod integram morbi qui præceſſit hiſtoriam plenius conſignavi: ſic ut quoque non deerunt, qui ſuperflua judicabunt, quæ in ſequentibus prioribus §§. generalius paulo tradere conſtitui. At vero, in judicando modum tenebunt, ita qui ſentiunt, ſi in perlectione hujus tractationis ulterius progredi non tædeat: palam enim factum iri autumo, quanti momenti & quam neceſſaria illa fuerint, dummodo perutiles multas uſui factas concluſiones me inde deduxiſſe animadvertent. Inſuper etiam uberiorem fidem dabit Ill. Dn. Præses loco in *Præf. cit.* ubi morbi hiſtorias, quam fieri poteſt, completiſſimas ut conſignent, Medicis auctor eſt.

§. III.

Ipſum nunc caſum mihi conſideranti primum ſe obfert Illuſtris noſtri corporis conſtitutio, ſive ſic dictum temperamentum: quod ut pauciſſimis tangam, dicendarum, quem mihi propoſui, ordo requirit. Erat nimirum ſanguineum. Sed nolo in characteribus hujus temperamenti moralibus, uti interdum mos fert, enarrandis immorari. Modo ea recte attendam, quæ experientia docet, ne rem claram perplexis quibusdam vocabulis, aut diſceptatione philoſophica impediam. Otium autem mihi fecit Præses Illuſtris: cujus definitionem *Med. rat. Syſt. Tom. I. lib.* 2. *c.* 12. inſertam, meam facere licebit. *Sanguinei*, inquit, *vocantur, quibus habitus corporis ſpongioſus eſt, & laxe cohæret, qui venas copioſas, ſed exiles atque anguſtas, obtinent, per quarum alveos ſanguis placide & ſecundo flumine decurrit.*

Ex moribus temperamenta dijudicare Philoſopui plerumque, quin Medici etiam nonnulli, aſſolent. Sed, quam fallax hæc ſit obſervatio, quotidie experimentum facere licebit. Videas enim ſanguineum nunc ſimulare melancholicum, & ſic porro, prout vitæ felicis commoda id juſſerint: & ſic in concluſionibus formandis majori cautione opus eſſe facile perſpicis. Quid vero obſtare putabis, quo minus audacter pronunciem, Medico talem cognitionem vel prorſus inutilem eſſe. Ponamus hypochondriacum ſanguineum me conſultum adire, hunc ego ex moribus melancholicum, vel, quia facile iraſcitur, cholericum appellitare debeo: quum ubique ſtatui corporis ſtatus animi conveniens ſit. De cætero temperamentum ſanguineum a morbis ſatis diu immune eſt, quia blando flumine undæ vitales per vaſculoſum corpus jaculantur; ſi modo vitæ inſtitutis ei ſuccurratur: id quod noſter luculenter etiam teſtari poterit.

§. IV.

Hæreo adhuc circa corporis conſtitutionem noſtri ſubje-

ſubjecti: atque, dum ita meditor, hæc elicio. Fluidorum conſtitutio a ſolidorum diſpoſitione pendet (*Phyſiol.*) Quum igitur vaſa exilia (§. 3.) tantam fluidi molem (*de figura loquor*) non capiant ac quidem majoris diametri vaſa (*p. exper.*) globulus autem ſanguineus majoris diametri ſit ac ſeroſus & lymphaticus (Leuwenhoeck); temperamentum ſanguineum majori lymphæ & ſeri, quam temperamentum melancholicum aut cholericum, quantitate gaudebit. Pari modo concludo. Vaſa plura ſanguinea majorem ſanguinis quantitatem capiunt, ac quidem pauciora: ſed ſanguinei copioſioribus vaſis ſunt dotati (§. 3.) Ergo *ſanguinei majori ſanguinis copia gaudent.*

§. V.

Ut in propoſito tramite rite procedamus, ætas, utrum mutationes quasdam in noſtro ſubjecto producere potuerit, diſpiciamus. Verſatus eſt Vir illuſtris in ætate maxime provectiori, quæ annos quinquaginta exceſſit. Attendamus ergo ſequentia.

Non eſt de nihilo, quod ætatis conſiderationem inculcent Medici rationales: hæcce quippe non parum utilitatis adfert. Etenim robur corporis per ætatem incrementum capere experientia docet.

§. VI.

Omnes corporis humani partes majores ex vaſis conſtare, in vaſa minora, minima, membranas vaſculoſas, ſimplices, denique in fibras atque fibrillas reſolubiles, docuit ac ſolide demonſtravit Ill. Boerhaave, identidem Cl. Schreiberus (in *Phyſiol.*)

§. VII.

Per majora æque ac minima vaſa (§. 6.) liquidum in ſtatu naturali, continuo ferri, per experientiam æque ac per rationem cognitum eſt.

Inflige parti corporis, cuicunque fere, vulnus, aciculæ tenuiſſimæ ope, & ſtatim effluet humor quidam. (conf. Boerhaave, tr. *de viribus medicam.*

§. VIII.

Perennis ille fluidorum motus (§. 7.) in majoribus præſertim vaſis, reciproca dilatatione & contractione, quas ſyſtolen & diaſtolen Medicorum ſcholæ appellitant, abſolvitur. (*Phyſiol.*)

§. IX.

In ſyſtole, vas illud (§. 8.) naturali diametro gaudet, in diaſtole violentam diametrum i. e. naturali majorem patitur.

§. X.

Sit jam vas quodcunque in dilatatione (§. 9.); tum vaſis hujus parietes extrudi debent, ſicque vaſculorum illud perreptantium æque ac membranas & tunicas hujus conſtituentium diameter minor fiet, ſive a ſanguine in vas illud agente atque dilatante comprimentur.

§. XI.

Compreſſis ſic vaſculis minoribus, minimis (§. 10.) humidior pars exhalabit, remanente craſſiori: quæ ad latera vaſculorum ſe apponens, ſive in interſtitia parietum ſe inſinuans, eorum capacitatem minuet. Ergo *vaſcula illa arctiora evadunt.*

§. XII.

Durante hac particularum ad parietes vaſorum appoſitione vel inſinuatione (§. 11.) tandem eorum cavitas adimpletur atque obſtruitur. Hinc *ex vaſculis minimis fibræ ſolidæ emergunt.*

§. XIII.

Quo ergo diutius fluidorum motus perennat (§. 7.); imo, quo validius fluida in ſolida agunt hæcque diſtendunt (§. 10.); eo plura vaſcula in fibras fatiſcunt. Sed, dum in ætate maxime provectiori verſatus eſt noſter (§. 5.); omnia & ſingula hæc ita in eo contigiſſe neceſſarium eſt.

Docent hoc arteriæ in ſenſus plane incidente modo, quæ quo propiores ſunt cordi, i. e. quo validius fluidum ſanguineum in ea agit, eo citius in oſſeam ſubſtantiam degenerant: quin etiam de hoc phænomeno teſtantur, tot magnificis nominibus paſſim celebrata oſſa de corde cervi. Poſſem equidem concluſiones meas ultra extendere: ſed, quoniam hæc ſcopo ſufficiunt, hic ſubſiſto.

§. XIV.

Secretiones & excretiones fere omnes in minimis vaſis contingunt (*Phyſiol.*) vel vaſa ſecretoria & excretoria ſunt minima. Sed in noſtro ſubjecto vaſa minima alia arctiora, alia ſolida facta (§. 11. 12. 13.) Ergo *ſecretionis & excretionis negotium non ita rite atque libere proceſſit.* Q. E. D.

§. XV.

Per ſecretiones & excretiones ſanguinis & humorum copia alias minuitur. Sed in noſtro caſu hæ ipſæ non tam larga ac debita quantitate ſucceſſerunt (§. 14.) Hinc *ſanguinis moles major ſolito evadere debuit.*

Prolixiores Tibi forſan hæ meæ, de ætate, cogitationes videbuntur: ſed tunc rationes in Medicina Te vel negligere vel vilipendere teſtaris. Si autem ex Ontologia perſpexeris, tum demum veritatem maximi habendam, cum demonſtrare eam valeamus; meditationes meas haud ægre feres. Enim vero ſi in meditando proſequi metam ſemel cœptam vellem, ex hac conſideratione una flueret: mortem, rationem ſui ſufficientem in fabrica corporis habere, principio vitali vel invito; quod argumentum, *Ill. Dn.* Præses inter primos in medium protulit (conf. *Med. rat. Syſt.* T. I.)

§. XVI.

Ducit me caſus præſentis ſuſcepta tractatio ad victus & vitæ regimen decumbenti noſtro hactenus ſolemne. Uſus enim eſt diæta lauta. Hanc appello, ſi quis alimenta nutribilia, nec non vina inprimis generoſiora, majori, ac ad vitæ uſum neceſſaria erant, quantitate ingerit. Nutribilia autem ſunt, quæ proxime ad chyli naturam accedunt.

§. XVII.

Nutritiva quum parum in C. H. immutanda ſint (ex defin. §. 16.); ad horum digeſtionem minori ſtomachi vi opus eſt. Hinc citius e ventriculo promoventur, copioſioremque chylum largiuntur. Ex chylo autem ſanguis naſcitur. Ergo *in noſtro, ex §. 16. maſſa ſanguinea incrementum cœpit.*

§. XVIII.

Vina ſpirituoſa, quorum cenſum præ aliis ſubeunt generoſa Hungarica, motum expanſivum humoribus inducunt (conf. *exper. chym.*). Sed humores expanſi majus ſpatium affectant: & ſic, ex hoc etiam capite, humorum maſſæ, in noſtro caſu, augmentum acceſſit.

§. XIX.

Porro ad intermiſſum corporis exercitium, ut oculos convertamus, non incongruum erit. Etenim reciprocæ contractiones & relaxationes fibrarum muſcularium ſanguinis motum maxime intendunt & adjuvant (conf. Ill. Præsidis *Phyſiol.*). Quum igitur ſiluerit in noſtro voluntarius hicce motus; *fluidorum tardior per alveos ſuos fieri debuit progreſſus.*

Admirabimini ſtupendam immenſi Numinis bonitatem & ſapientiam, quia illud, omne damnum, quod ex intermiſſo motu in hominem redundare poterat, prævidens, ſanitati quam maxime accommodatam promulgavit legem, vi cujus, in ſudore faciei panem comedere debet. Atque egregia plane ſunt quæ de motus multiplici uſu orbi communicavit *Ill. Dn.* Præses paſſim in ſcriptis. Scite quoque Galenus *com.* XI. §. 15. ſcripſit: *exercitatio ſupplet purgationem vitioſorum humorum, qui in corporis profundo ſunt.* Otium vero, ſecundum Hippocratis dictum, humectat & debilitat.

§. XX.

Secretiones & excretiones, quibus ſuperflua & inutilia, partes maxime ſalino-ſulphureæ, e corpore eliminantur, a libero & expedito ſanguinis & humorum motu pendent (*Phyſiol.*). Sed in noſtro fluidorum motus tardior (§. 19.). Ergo *ſecretiones & excretiones debite non peractæ.* Ergo *maſſa humorum impurior reddita.* Ergo (per §. 15.) *hujus quantitas aucta.*

Apparet in animantibus hoc phænomenon, quæ quo minus motu exercentur, eo majorem in molem corpus increſcit, majusque pinguedinis pondus in ſinu acquirunt: ut inde etiam, ex *Ill. Dni.* Præsidis ſententia (*Med. Syſt. Tom. I.*) ſaginandi artificium repeti poſſit.

§. XXI.

Vitalis illa purpureo ſplendore in arteriis & venis C. H. rutilans unda, ſanguis dicta, ex partibus heterogeneis, &, præter aqueam portionem, gelatinoſis plurimis facile a ſe invicem ſecedentibus conſtat. Teſtantibus *experimentis Chymicis & vulgaribus.*

§. XXII.

Particulæ hæ (§. 21.) quando proportionate combinantur, intimius conjunguntur, ut corpus continuum quaſi efficiant, juſta huic mixto fluiditas ubique manet (*Exper.*).

§. XXIII.

Juſta igitur liquidi ſanguinei fluiditas (§. 22.) ſufficientem partim ſeroſarum molecularum interpoſitionem, partim proportionatam globulorum purpureorum magnitudinem requirit. Atque hæc particularum proportio ac figuratio, motu illo circulatorio in C. H. obtinetur (per *exper.*). Sub quietiori autem ægri noſtri ſtatu, fluida in alveolis ſuis tardius proceſſerunt (§. 18.) Ergo *juſta ſanguinis fluiditas periit.* Et, cum craſſities ſanguinis in particularum illum conſtituentium coalitione, ſolidarumque majori copia conſiſtat, hæc prioris locum occupabit.

Sanguis e vena miſſus, quieti redditus in coagulum abit, i. e. ſeroſæ partes ex interſtitiis globulorum purpureorum ſecedunt & avolant craſſioribus fundum petentibus. Huc ſpectat, quod calor, modus ſanguinis a Celeb. Boerhaave dicatur; qui non; niſi motu illo Circulatorio in C. H. obtinetur. (*conf. Cl.* Schreiber. *l. c.*)

§. XXIV.

Exhibui vobis generaliorem ac veram primæ ſcaturiginis malorum in noſtro caſu obviorum ideam: ex qua ſingula ſubſecuta incommoda originem traxiſſe poſtea evincam. Jam, ſi in memoriam vocare placebit, quæ (§. 4.) de temperamento propoſui; quæ (§. 15.) per demonſtrationem erui; quæ (§. 17. 18.) innui, & tandem quæ modo (§. 20.) tetigi: certe, niſi me omnia fallunt, palam nunc erit, ſub hac rerum facie ſanguinis plus juſtiorem quantitatem in corpore præſentem fuiſſe. Sed talem C. H. ſtatum appellant Medici plethoricum: qui quantum corpori obſit vel profit, nunc paulo penitius ſcrutabimur.

Quia plethora futuri morbi rationem ſufficientem in ſe continet; hæc ſignum prognoſticon fluxus hæmorrhoidalis & purpuræ ſcorbuticæ dicetur. Cogitanter ſcripſit *Ill. Dn.* Præses, *Tom. II. Med. Syſt.* c. VIII. §. 8. *Nihil eſt, ſi forſan venena & animi affectus exceperis, quod tantam ruinam ac perniciem corpori minetur, atque illud tam gravibus morbis obnoxium reddat, quam nimia ſuccorum abundantia.* Elegantia quoque ſunt quæ de hac re prodidit Celsus *Lib. II. c.* 2. quod plethorici bona ſua ſuſpecta habere debeant; *quæ*, uti pergit, *quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque ultra progredi poſſunt, fere retro quaſi ruinæ quadam revolvuntur.*

§. XXV.

Plethora eſt ſanguinis major in corpore abundantia, ac hujus vel vaſa vel vires ferre poſſunt (conf. Ill. Dn. Præses *l. c.*)

§. XXVI

Reactio corporum eſt actioni æqualis (*Mechan.*). Sed poſita plethora (§. 24.) ſanguis in cor & ejus vaſa fortius agit. Ergo *majori vi reagente cordis & vaſorum opus eſt.*

§. XXVII.

Omne corpus elaſticum diu ultra elaterem ſuum extenſum, elaterem ſuum perdit. Hinc ſi diu ultra modum cor & arteriæ dilatantur, elater eorum minuetur. Verum, ex definitione plethoræ (§. 25.), hac præſente, cor & vaſa magis dilatantur. Ergo *in noſtro ſubjecto* (§. 24.) *cordis & arteriarum elater minutus eſt.*

Vides adeoque æquilibrium fluida inter & ſolida tolli: quo ſublato, ſanitas, quæ in eo conſiſtit, periclitabitur (conf. Ill. Dn. Præsidis *Med. Syſt.*) Nemini autem ſcrupulum moveant verba: elater, elaſticitas, reactio, reſiſtentia; vis elaſtica, ſubſtitui enim poteſt, ſi malint, tonus. Enim vero Phyſices vel Mechanices peritis ſingula hæc eadem ſunt.

§. XXVIII.

Motus ille humorum progreſſivus, maximam partem, a robore & elatere cordis & vaſorum pendet. Igitur, cum in noſtro caſu cor & arteriæ juſto ſuo robore privatæ ſint (§. 27.); ſequitur: *motum humorum non tam expedite ſucceſſiſſe.*

§. XXIX.

Progreſſus humorum in minoribus & minimis vaſis, vi cordis quamvis non omni debetur (*Phyſiol.*): ſed vis cordis in minoribus, ob tot curvaturas, gyros atque mæandros, naturaliter minor eſt. Ergo *humorum*

rum motus in minoribus & minimis tardior erit (per §. 27. 28.).

§. XXX.

Sanguis tardiorem circulum obtinens, fluidas & mobiles maxime partes e ſinu dimittit (§. 23.). Hinc, ſtante §. 28. *gelatinoſæ ac terreſtres, craſſiores in vaſis remanebunt*, ſubtilioribus per pores avolantibus, i. e. Spiſſitudinis notio in ſanguinem cadet. Evicta autem §. 20. *ſanguis impuris ſalibus refertus erit.*

§. XXXI.

Sanguis ſpiſſus, craſſior, atque ſalibus refertus (§. 30.), ſpecificam gravitatem acquirit: & tunc fortius aget in vaſa eum continentia. Sed, creſcente actione ſanguinis, major requiritur cordis & arteriarum reactio (§. 26.). Ergo ex §. 30. *cordis & arteriarum vis iterum minuitur.*

§. XXXII.

Quando fluidorum actio ſuperat reſiſtentiam ſolidorum; fluida movenda tardiori gradu procedunt, ut quaſi ſubſiſtere videantur: & tunc dicuntur ſtagnare: ſtaſis vero plenariam quietem involuit.

§. XXXIII.

Sunt quædam C. H. partes ita locatæ atque conſtructæ, ut ſanguinis & humorum itus & reditus per eaſdem difficilius ac per alias naturaliter procedat (*per exper. Anatom.*). Sed ubi humores, cæteris paribus, naturaliter tardius procedunt, ibi facilius ſtagnatio obtinebit. Ergo *in quibuſdam C. H. partibus humores facilius ſtagnant.*

Non eſt, quod ſingularem talem vaſorum ſtructuram ad imperfectionem C. H. referamus, quæ potius omnibus numeris abſolutam perfectionem & ſapientiam ter adorandi Artificis loquitur. Ut enim impedimenta & obſtacula poneret, ne æque citato ac veloci curſu, per omnem corporis compagem, humores ferrentur, utique opus erat, ſc. ſi intima corporum ſanguinem efficientium combinatio, tot mille commoda corpori præſtans ſecretorium & excretorium negotium, ipſaque machinæ nutritio ſarta & tecta manere debebant.

§. XXXIV.

Sanguinis curſum naturaliter minus velocem in liene, pancreate, hepate, vaſis inteſtinorum, meſenterio, omento, ac in reliquis eſſe, harum partium ſitus, vaſa adeo incurvata, replicata, contorta, ut glandulas æmulentur, nec non officium, plane evincunt. Recurramus nunc modo pauliſper ad ea, quæ ſuperius propoſui. Etenim §. 24. plethoræ præſentiam, in noſtro caſu, palam feci, & ex hac, ut opinor, demonſtravi, cordis & arteriarum vim imminutam (§. 27.): ſimulac vero languidum humorum motum evaliſſe (§. 28.), coëuntibus ac cohærentibus globulis purpureis (§. 30.), oſtendi. Nunc nihil amplius reſtat, quam ut concluſiones meas formem, & quidem ita: Si quando progreſſus humorum in univerſa machina tardus, illi in iis partibus ubi naturaliter ita procedunt, magis tardiorem curſum nanciſcentur. Sed prioris propoſitionis veritas, ex §. 28. & 30. apparet. Ergo *in abdominis viſceribus tardius adhuc evadet.* Jam ſi ad §. 29. reſpexerimus, eumque cum hac noſtra propoſitione contulerimus, ex regulæ proportionis applicatione, manifeſtum erit, gradum tarditatis in minoribus & minimis priorem ſuperare. *Et tunc in hiſce*, ſi recte memini, *ſtagnatio obtinebit.*

§. XXXV.

Stagnante ſic in minimis viſcerum abdominis ſanguine (§. 34.), is qui in arteriis continetur, a tergo perpetuo urget, parietes vaſorum extrorſum agit, continuique ſolutionem intentat: ex qua apparitione in partibus nervoſis præſente, *preſſionis* atque *doloris* notio emergit.

§. XXXVI.

Quando fluidum nerveum in fibras muſculares valido & diuturno impetu influit, oritur ſpaſmus. Sed nimia vaſorum dilatatio influxum fluidi nervoſi proritat. Ergo *in viſceribus abdominis ſpaſmus orietur.*

Confirmabit ſententiam meam *Ill. Dn.* Præses *Tom. II. Med. Syſt.* nec non Celeb. Boerhaave in tr. *de virib. medicam.* qui docet, quod ea, quæ canales valido niſu ſuo ita dilatant, ut diameter longitudinalis minor, latitudinalis major fiat, ſpaſmum inducant. Ex dictis etiam ratio petenda erit, quare preſſio, dolor & ſpaſmus antecedere debeant fluxum hæmorrhoidalem, atque molimina vocari poſſint hæmorrhoidalia.

§. XXXVII.

Inteſtina quam maxime vaſis ſanguiferis abundant, ex ramo meſenterico provenientibus, eorumque ſubſtantiam perreptantibus. Hinc ſi ſtagnatio in vaſis viſcerum obtinet (§. 34.) hæc ipſa eodem modo afficiuntur. Sed ita ſimul tunicæ inteſtinorum premuntur, nerveaque cum muſculari ad ſui contractionem ſtimulantur. Ergo *ſpaſmus inteſtinorum præſens:* quo remiſſo, *debilitatis vitium aderit.*

§. XXXVIII.

Abſque demonſtratione ſumo, tanquam rem ubique obviam: parte quadam ſpaſmo affecta, omnes illas quæ communes cum eadem nervos habent ſimili modo affici. Ideoque ſpaſmo inteſtinorum præſente, ventriculum cum annexis partibus, item veſicam urinariam &c. compati neceſſe eſt. Conf. Ill. Dn. Præsidis *Tom. III. Med. Syſt. Cap. V. de conſenſu partium nervoſarum &c.*

Anne ex dictis idea ſaltim enaſcitur famoſi illius hypochondriaci mali? ſcintillæ certo certius adſunt; quæ niſi ſatis cito ſatque prudenter extinguuntur, temporis diuturnitate in apertam flammam erumpunt non ita facile extinguibilem.

§. XXXIX.

Arteria meſenterica ſuperior tenuibus inteſtinis proſpicit; inferior ad craſſa abit, inſignemque ramum inteſtino recto porrigit, arteriæ hæmorrhoidalis internæ nomine notum: ſuperior quoque cum inferiore per anaſtomoſin communicat: venæ vero ſic dictæ hæmorrhoidalis ſat notabiles rami, recto tramite aſcendunt & in ramum meſentericum, una cum iis quæ ex tenuibus ſanguinem reducunt, collecti, quandoque in ſplenicum terminati, ad portæ venam cruorem ſuum amandant (*Anatom.*)

§. XL.

Atqui nunc progreditur ſanguis in abdominis viſceribus lento admodum gradu (§. 34.), & omnis fere ad portæ venam confluit (*Phyſiol.*). Sed in portæ vena idem circulus eſt ſegnior (§. 29.). *Hinc ſanguis heic refluens, remoram patiatur neceſſe eſt.*

§. XLI.

Retardatus ſic circa portæ venam cruor, majori vi & impetu retrorſum in ſubſequentem aget, ſive fortius reſiſtet: qui cum gravior ſpecifice factus fuerit (§. 31.), atque linea perpendiculari in vaſe hæmorrhoidali venoſo interno feratur (§. 39.); fortius longe, ac alias, retro premet. Sed reſiſtentia ſanguinis in venis circulantis ſuperari debet a ſanguine ſubſequente arterioſo (*Phyſiol.*). *Increſcente* itaque *reſiſtentia, increſcere debet vis arteriarum.*

§. XLII.

Preſſus ſic antrorſum, retrorſum ſanguis (§. 41.) vaſorum parietes ubique extrorſum protrudet, ardoremque, particulis tunc mutuo in ſe agentibus, concitabit. Ergo ex §. 36. *ſpaſmus oritur.*

§. XLIII.

Spaſmo ſic affecto inteſtino præſertim recto, ob nervoſam ſenſibilem maxime tunicam, & ob inſignes venæ hæmorrhoidalis adjacentes ramos cruore turgidos preſſo (§. 40. 42.): quum intercipiatur plane ad portæ venam refluxus, ſanguiſque a tergo magis urgeat; is viam qua poteſt intrabit. Sed adſunt vaſa exhalantia pariter ac inhalantia ab arteriis & venis orienda, lateralia dicta, ſanguinis globulum non capientia, dilatabilia tamen (*Phyſiol.*). Ergo *hæc ipſa cruor intrabit*: quæ aucto horum diametro tandem dehiſcunt, atque ſanguinem plorant. Quum autem in minimis arteriolis, ubi in anoſtomoſin cum venis abeunt, ſanguis identidem majori copia & impetu urgeatur, atque hic ipſe acrioribus particulis refertus ſit (§. 20.); ſimiliter eruptionem, horumque dilacerationem contingere nemo dubitabit. Ergo *hæmorrhoidalis fluxus præſentia.*

§. XLIV.

Habes nunc in præcedentibus demonſtrandum hæmorrhoidum fluxum. At vero per hunc ipſum tam præſentium quam ſubſequendorum minera malorum ſubducta eſt (§. 24.): & ita commodum corpori præſtitit. Ergo *hæmorrhoidalis fluxus ſalutaris, in noſtro, habendus.*

De ſalubritate hujus fluxus multa dicere ſuperſedeo. Limitibus certe ſuis hæc ipſa circumſcripta eſt. Tribuant autem encomia, quanta quanta velint, quibus lubet; non invideo. Ego certe propoſito meo ſatisfeci, ubi ex machinæ ſtructura & adfectionibus hujus fluxus præſentiam demonſtravi. Ceterum vobis, de ſalubritate hujus fluxus, egregia multa, rationi conſentanea ſuppeditabit Diſſertatio Illuſtr. Dn. PRÆSIDIS eodem titulo ſalutata: quæ penſitaſſe neminem pœnitebit.

§. XLV.

Occurrit jam novum phænomenon, hæmorrhoidum cæcarum nomine notum: cujus cauſa ſatis obvia. Fiunt heic omnia, ſimili ac in præcedentibus docui modo. Frigus autem cum conſtringat partes, reſiſtentia ultimorum oſculorum major facta, ac illa a ſubſequente fluido ſuperari poterat. Hinc in lateralibus vaſculis vel in ipſis ultimis arteriolarum ſubſiſtit, ea expandit, cuticulam elevat, ardoremque concitat.

Haberem etiam hoc loco ampliorem dicendi campum. Brevis autem eſſe debeo. Cito vobis ideoque diſſertationem Celeb. WEDELII *de hæmorrhoidibus cœcis.*

§. XLVI.

Illuſtri noſtro eodem utente victus & vitæ regimine, plethora per hæmorrhoidum fluxum prius imminuta, nunc redire utique debebat. Et quum omnia fluida ea ſemper lege agant, ut ad minimæ reſiſtentiæ locum impetuoſius ferantur (*ex Hygron.*): minima autem arteriolarum pariter ac lateralia circa inteſtinum rectum ſerpentia vaſa ultra modum dilatata, ideoque debilitata ſint (§. 43.): facile patet ratio, quare fluxus ſtata tempora ſervaverit. At vero per frigus ſanguini effluxuro obex poſitus (§. 45.). Ergo *plethoræ in noſtro permanſit ſtatus, fluxuſque hæmorrhoidalis emanſio.*

§. XLVII.

Nimiæ nunc hæmorrhoides diligentius noſtrum ſcrutinium plane merentur. Inciderunt in ea tempora, ubi diem nocti æquaverat terræ ſitus. Juvabit ergo perpendere, quas mutationes in C. H. ver producat. Sed conſtans peritiorum nos obſervatio docuit: frequentes ſub hoc temporis tractu aëris regnare viciſſitudines; mox frigus, mox calorem, nunc ſiccam, nunc humidam & pluvioſam incidere tempeſtatem. Hinc fibrarum rigiditas & flacceſcentia viciſſim affligunt, quarum utraque adfectio debilitatis nomen adipiſcitur. Poſtremo etiam putridæ exhalationes per ſolis calorem e terra extractæ adſcendentes, ſub atmoſphæra frigida deſcendunt & corporis poris ſeſe inſinuant. Conf. Ill. Dn. PRÆSIDIS *Med. Syſt. Tom. III. c.* 7. qui Martium menſem, ob plurimos morbos & mortes quas infert, fere infamem deprædicat.

§. XLVIII.

Ex iis quæ §. 47. in medium protuli, naturali ordine hæ propoſitiones fluunt. Fluida ubi rarefiunt, majus ſpatium affectant (*Phyſ.*): ſed, ex calore, ſanguis rarefit. *Hinc vere amplius ſpatium affectabit.* (Docet hoc pulſus magnus ſub verno tempore nunquam non obſervandus). Simili modo concludo: Fluida quo ſpirituoſiora, eo facilius ſe expandunt; Sed in noſtro, ob vini generoſi potum, ſanguis ſpirituoſior. Ergo *calore vernali accedente, magis ſe expandet.*

§. XLIX.

Progredior ulterius, atque ex tempeſtate humida (§. 47.) fibrarum laxitatem evinco; qua præſente, ſecretiones & excretiones imminuuntur: quibus ſi accedit hyemalis humorum collectio, putridarumque particularum in corpus deſcenſio; ſi recte memini, non modo *humorum impuritas* (§. 20.), ſed & *plethora tam ad vaſa* quam *ad vires in noſtro caſu obtinebunt* (§. 25. & 27.): quin etiam ex §. 30. *humorum ſpiſſitudo aderit.*

§. L.

Corpore ſic majori atonia laborante (§. 49. & 27.), atque ſtagnatione jam tum in partibus quibuſdam (§. 34.) præſente, in his ipſis ſtaſi ni fallor locus facillimus dabitur (§. 32.). At vero inter abdominis viſcera nullum minori motuum adjumento gaudet, ac ipſum meſenterium. Ergo *ſtaſis in meſenterio.*

Sanguinis per hepar progreſſus, identidem per lienem curſus, diaphragmatis continuo motu nec non vi ventriculi concoctrice multum facilitatur. Ejus autem per meſenterium itus, niſi forte voluntario abdominis motu, itemque periſtaltica inteſtinorum virtute promoveatur, nullibi adjuvatur. Sed ex §. 19. & 37. apparet hæc in noſtro non adeo viguiſſe. *Hinc certe meſen-*

meſenterium omnium primo ſtaſin perpeti debebat.

§. LI.

Atqui, omnes & ſingulæ §. 47. *& ſeqq.* enarratæ atque demonſtratæ cauſæ eo nunc collineant, ut machinæ ruinam minentur. Etenim plethora (§. 49.) vaſorum parietes nunc extrudat; accedat calor vernus: & continui diſſolutionem plane intentabit. Sic quæret jam amplius ſpatium mare illud purpureum tumefactum, ruet importunius in vaſa inteſtini recti (§. 46.), oborietur ſpaſmus (§. 36.), vaſculaque dehiſcentia ſincerum ſanguinem tandem plorabunt (§. 43.), *Aderit* itaque *fluxus hæmorrhoidalis apparitio.*

§. LII.

Reſpice porro, meſaraicorum vaſorum obſtructionem, ſanguinis in pancreate, liene, hepatiſque amplo viſcere tardiorem progreſſum. Anatomica (§. 39.) in ſubſidium voca, nec non acrimoniæ rationem habe: & tunc ſanguis per arteriæ meſentericæ ſuperioris diſperſos undique ramulos progredi neſcius, (§. 50.) lege hydraulica impetuoſius majorique quantitate ad ramum inferiorem ruet. Pariter ac, cruor ad portam per hæmorrhoidalem venam tendens, obſtacula majora repetit atque fortiori niſu deorſum premit. Quid tum? Ergo *fluxus hæmorrhoidalis copioſior.* Sed acria vaſa dilacerant: quæ cum agglutinari non tam facile poſſint; ex hoc ſimul capite fluxus diutius durantis ratio petenda.

Simili ratione cruor a ventriculo, per brevia vaſa, ad ſplenicum ramum & ſic ad portæ venam reducendus, in hac remoram paſſus, tardius per ventriculum progredietur, hujus tunicas diſtendet: & *ſic ventriculus imbecillitatem contrahet.* Cæterum de acrimonia, quam ſupra demonſtravi, ſalſæ illæ oculorum defluxiones etiam teſtimonium præbent.

§. LIII.

Symptomata, fluxum §. 52. deſcriptum concomitantia, quod attinet; horum explicatio minus negotii faceſſet iis, qui ex *Prolegom. Sect. I. Tom. IV. Part. II. Med. Syſt.* Ill. Dn. Præsidis didicere: ſub omni hæmorrhagia ſpaſmum affligere. Nimirum ſub ſpaſmo humores alibi copioſius congeruntur, & quidem ſi is in inferioribus adeſt, ad ſuperiora feruntur. Id quod clariori luce radiat, ſi in memoriam revocatis, quæ *Neurologia* docet; par ſcilicet nervorum vagum & intercoſtale ad omnes in abdomine reconditas partes ramos ſuos ſpargere, diaphragmati, ventriculo, pancreati, inteſtinis, meſenterio, nec non veſicæ, quæ etiam firmius recto inteſtino connectitur, ſurculos præbere, neque minus hinc inde plexus renales, ſplenicos atque hepaticos conſtituere. Atqui hinc facile perſpicitis, modo conferatis, quæ *de conſenſu partium*, tradidit Ill. Dn. Præses, quare conſtrictivus in pectore & abdomine ſenſus, ſtimulus urinam mittendi, cætera, indivulſi hujus mali fuerint comites.

§. LIV.

Interea, quum ſpaſmo præſente, ad ſuperiora humores ferantur (§. 53.); ventriculi vaſa plus juſto dilatabuntur: atque ex hoc etiam capite ſpaſmo huic inducto, qui ob validum fibrarum attritum atoniam relinquit (*Pathol.*), ventriculus imbecillitate laborat. Sed ita vis ejus contractilis minuitur. *Ergo ciborum concoctio vacillare, viſcidaque materia generari debuit.*

§. LV.

Igitur, malum hujuſmodi faciem repræſentans maturius atque exactius judicium merito expoſcebat. Enim vero, cauſas tollere annitatur, qui remotionem effectus cupit. Sed plethora per nimiam cruoris effuſionem ſatis, ut puto, fuit imminuta. Attamen, ut largior humorum affluxus a partibus inferioribus averteretur, atque æqualis per omnes partes circulatio redderetur, venæ in brachio inſtituenda pertuſio, non ſine ratione, fuit commendata.

§. LVI.

Porro, fluxilitas ſpiſſis humoribus reddenda, ut quoſcunque corporis mæandros expedite iterum pervadere poſſint, neque minus hoſtilis illa acrimonia corrigenda erat. Pro utroque igitur ſcopo obtinendo, convenientius excogitari non poterat remedium, ipſis Spadanis fontibus, quorum virtutes per varia inſtituta experimenta exquiſite eruit Illuſtr. Dn. Præses in Diſſertatione, *de convenientia Spadani cum Schwalbac.*

§. LVII.

Cur venæſectio ſingulis annis reiteranda, ex §. 4. 5. 16. intelligitis.

§. LVIII.

Dein, quum ſpaſmo plurima mala deberentur (§. 51. & 54), hic ut complacaretur, nec non, ut orgaſticus ille humorum motus (§. 48. 51.) coerceretur, omni cura reſpiciendum erat. Optime his indicationibus ſatisfacit, pulvis præcipitans & liquor ſic dictus mineralis anodynus Ill. Dn. Præsidis, quo, mea quidem ſententia, quum quotidiana me obfirmet experientia, non datur tutius atque blandius ſedativum.

§. LIX.

Poſtremo, ſtomachi & inteſtinorum habenda erat ratio (§. 37. & 54.), ut ex hac digeſtionis officina, temperatus blandus & ſatis ſubtilis, ad ſanguinem apportaretur chylus, ſordiumque ſimul excretio promoveretur. Præſtitit id non ſemel balſamicum illud Ill. Dni. Præsidis Elixir viſcerale: quod eo convenientius noſtro decumbenti erat, quo magis nocuum fuiſſet, calida propinando, ebullitionem in ſanguine concitare. Moderamen in victu quærendum ventriculi debilitas ſuadebat (§. 52. *not.*). Motus autem voluntarii utilitas ex §. 19. eluceſcit.

Hæc vero erant, quæ ſucceſſu proſperrimo ad uſum propoſuerat, Ill. Dn. Præses, remedia. Miraberis fortaſſe, ex tanto & tam late ſeſe extendente, phalerata oratione magnificiſque encomiis ornatorum remediorum penu, tam pauca, vix nominanda, ſimpliciſſimo ſe elegiſſe. Sed perſpexiſti indicationibus omnibus, quantum fieri potuit, fuiſſe ſatisfactum. Atqui hinc omne in curatione punctum latum fuiſſe ex facili colliges. Facit in rem noſtram, præclari Medicinæ ſcriptoris Baglivi, egregius locus lib. *de Medic. ſolidor. Fruſtra*, inquientis, *curas chronicos aut acutos morbos, per purgantia, diaphoretica, diuretica, aliaque id generis, niſi ſolidorum & liquidorum naturam ad rectum ordinem deducas*, Conf. elegantem Ill. Dn. Præsidis diſſert. *de medicina ſimpliciſſima ſumma efficacia.*

§. LX.

Ut in via ſemel ingreſſa perſiſtamus, oculos in nimiam

nimiam illam hæmorrhagiam (§. 52.) defigere juvabit. Etenim in *Phyſiol.* ſi recte memini, argumentis indubiis evincitur, omnem in C. H. motum, a tono ſolidorum, influxu fluidi nervei & ſanguinis arterioſi dependere. Sed robur ſolidorum a plethora primum imminuebatur (§. 27. & 49.) & fluidum nerveum ex ſanguinis defectu (§. 52.) ſat copioſum ſecerni non potuit, neque ſanguis ſic in omnes partes expedite influxit. *Ergo motuum fere omnium adfuit ſegnities.* Hinc *debilium claſſem noſter ſupplevit.*

Confirment, quæ in §o. hac edixi, ex matura experientia enata Ill. Dni. Præsidis verba, *Tom. III. Med. rat. Syſt. S. I. c. XV. §. 26.* differentis : *Imbecillibus, ratione ætatis, ſenes & infantes; ratione corporis ſtructuræ, qui repleti multiſque & exilibus vaſis inſtructi ſunt, annumeramus : item qui præcedente diuturno morbo, vel immodicis ſanguinis profuſionibus &c. vires attriverunt & conſumſerunt.*

§. LXI.

Igitur, debilitatis vitio corpore noſtri ſubjecti laborante (§. 60.), quæ in illud redundaturæ ſint adfectiones, diſpiciam. Ordiar autem a ventriculo, cunctis in corpore obviis vaſis humorem parante & ſuppeditante. Enim vero, ventriculi vi imminuta, conſuetam alias cibi quantitatem ſubigendi is nunc impar erit. Sed noſter ad ventriculi ſui vim nullam rationem habuit (Hiſt. morb.). Hinc *cibi ingeſti, debitam mutationem in ventriculo non ſubierunt.*

§. LXII.

Cibi ſic in ventriculo parum comminuti & a ventriculi parietibus contriti (§. 61.), tandem ad inteſtina propulſi, exquiſitiorem præparationem expoſcunt. Sed hæc ipſa a morbo identidem debilitata (§. 60.), minori in cibos agendi facultate gaudent. Unde chymus moram primum hic nectet, atque aciditatem & vappeſcentiam contrahet; dein minus laudabilem, ſed craſſum, tenacem & acrem chylum e ſinu dimittet.

§. LXIII.

Indigeſtus nunc chylus ad ſanguinem properans, cordis & arteriarum robore ex communi vitio (§. 60.) infracto, intimam in pulmonibus combinationem & mixtionem haud ſubiturus erit. Ergo *ſanguis evadet impurus* : & quum ad generationem globuli purpurei, motus ſat validus & debita particularum moles requiratur, *is viſcido & aeri copioſiori ſero refertus erit.*

§. LXIV.

Ex arteriis ſubcutaneis ſub ſquamulis epidermidis, antequam in venarum tubos replicentur, in omni corporis puncto innumerabilia patent emiſſaria (*Ruyſchius*,) quæ, per cutem, tenuem, volatilem, ſalſum & ſulphureum humorem protrudunt (*Phyſiol.*). Sed liquidi hujus expreſſio a debito vaſorum robore pendet. Hinc, ſolidorum tono labefactato (§. 69.), *Sanctorianum hoc negotium impediatur neceſſe eſt.* Ergo *craſſiores, ſalſæ & ſulphureæ partes in maſſa ſanguinea remanebunt.*

§. LXV.

Maſſa humorum, quando craſſis, viſcidis, variis ſalinis & ſulphureis particulis ad putredinem & corruptionem vergentibus, inquinata eſt; tunc hæc illa conſtitutio ſcorbutica audit (*Pathol.*). Sed, ex §. 61. & *ſeqq.* hujuſmodi particulis, in noſtro, humorum maſſa abundat. Ergo *diatheſis ſcorbutica obtinebit.*

§. LXVI.

Excretionibus debitis atque neceſſariis imminutis (§. 64.) moles humorum accreſcat oportet. Idcirco *plethora jam aderit*; ſeroſa tamen magis quam ſanguinea : cujus mentionem facit Ill. Dn. Præses *Tom. IV. Part. II. Med. Syſt. l. c.*

Conſiderari hic omnino etiam debet hyemalis humorum collectio, neque minus habitus corporis §. 3. & 4. recenſita conſtitutio. Utinam vero ſalutari conſilio Ill. Dn. Præsidis facilem aurem præbuiſſet ægrotans noſter Illuſtris, & præter alia, venæſectionem tam ſedulo inculcatam admiſiſſet, rem omnem eo quo poſtmodo ſtetit, haud deveniſſe ego quidem auguror.

§. LXVII.

Stante nunc plethora ſeroſa (§. 66.), excrementitii humores majori copia ad partes feruntur, quæ, naturaliter, harum determinatam quantitatem ſecernunt. Quam ob rem in tunicam pituitariam *Schneideri*, glanduloſamque bronchiorum, laryngis & pharyngis copioſius ruent; harum vaſa relaxabunt, *gravedinem, tuſſim & deſtillationes catharrales prorita-bunt.*

§. LXVIII.

Aderat autem, Februarius menſis, ſub quo tunc temporis, frigida, ventoſa, humida & non raro calida tempeſtas, ſeſe mutuo excipiens, regnabat. Ea propter tonus ſolidorum, cutis præſertim, remiſſior, in debili præcipue noſtro ſubjecto, adfuit : ſub quo fluidorum progreſſus per minima vaſcula eo difficilior fuit; quo hæc tenaciora erant (§. 65.). Ergo *ſtagnationem in vaſculis minimis contigiſſe, intrepide concludo.*

§. LXIX.

Stagnantibus in vaſculis minimis, maximeque in cutis porulis, nervoſiſque bronchiorum & pituitariæ tunicis, ipſaque ſub hac ſtagnatione acrioribus redditis humoribus, fibræ diſtenduntur, nerveæ partes premuntur, lancinantur, quin ſpaſmus tandem oboritur (§. 36.).

§. LXX.

Spaſmo, cutem præſertim affligente, horroris incedet ſenſus. Humores ſic ad interiora aguntur, atque frigore corpus afficitur. Majori ſic autem copia ad cor & vaſa majora delati, hæc ipſa contractionem ſui laceſſunt. Copioſius itaque fluidum nerveum ad vaſa majora invitatur, minor idcirco in cutis ſubſtantiam influit. Hinc remittit ſpaſmus, motus ſanguinis celerior evadit & magis circa vaſorum parietes atteritur. Adeſt calor & æſtus, ſitis &c. qui ſenſim remittentes, paroxyſmum finiunt. Atqui ſic *febrem catharralem, in noſtro, demonſtravi.*

§. LXXI.

Laxatis autem de novo vaſis (§. 68.), humores ſecernendi acriores & viſcidiores fiunt. (§. 20.) Atque hinc ventriculo nullus aptus diſſolutorius humor ſuppeditatur. Hinc etiam aſſumta moram diutinam in ipſo nectent. Sic fibræ ventriculi fortius diſtenduntur, quarum contractio extemplo ſequitur. *Unde vomitus.*

§. LXXII.

§. LXXII.

Sub proſtratione appetitus, ex languente fibrarum motricium ventriculi vi oriunda, itemque ſub vomitu, novus ac blandus ſuccus vel nullus ſanguini advehitur. Hinc *humorum manifeſtior acrimonia*, *humidi diſſipatio*, *craſſiorum & viſcidarum particularum uberior proventus*.

§. LXXIII.

Spaſmo ventriculum laceſſente (§. 71.), ex conſenſionis lege, cutis ſimul conſtringitur. Et hac ratione impurus & tenax ille liquor (§. 72.), obeundis vitalibus motibus plane ineptus, in minimis cumprimis vaſculis ſtagnabit; humidum per lateralia avolabit, & ſubſequens fluidum fortius in illud impinget. Sic vaſorum parietes diſtenduntur: hinc *ſpaſmi, qui ſunt horroris & frigoris cauſſa*. Quum autem elater vaſculorum vi fluidi tenacis cedere debeat, elevabitur epidermis: ſicque *cutis aſpredo* intelligitur. Cæterum, ſi conferitis quæ §. 70. afferui, febrem comitem habebitis.

Reliquorum ſymptomatum explicationi ſuperſedeo: etenim, ex ſpaſmo & humorum acrimonia pariter ac viſciditate, hæc ipſa manifeſtiſſima erant. De qua re ſolidiorem *Pathologiam* conſulite.

§. LXXIV.

Porro, ſtagnans in poris cutis liquor maxime ſeroſus, alcalinam plane indolem acquirit, parteſque ſulphureæ per tranſpirationem alias eliminandæ acriores fiunt, & dum ſpiculis ſuis ad contractionem vaſa continuo ſollicitant, exitum ſibi præcludunt: ſic liquidior pars exhalat, craſſiores particulæ propius ad ſe invicem accedunt, per motum inteſtinum intime commiſcentur, combinantur; unde color purpureus. Deinceps etiam acredine ſua hæc materia purpuracea continuum diſſolvit, vaſaque dilacerat. Hinc pruritus & ardor, neque minus veſicula a liquido evaſato formata.

Rubram hoc phænomenon Medici purpuram dicunt: quæ, cum in noſtro ſubjecto a ſcorbutica humorum diatheſi proveniat ac foveatur, nobis ſcorbutica audit. Interea breviter attingo, partes alcalinas cum ſubtilioribus ſulphureis mixtas ruborem induere, conf. Ill. Præsidis *Tom. I. Med. Syſt. S. I. P. I. c. V. §. XIV.*

§. LXXV.

Quam egregie quadrent commendata remedia, cauſis palam factis atque deductis, clariſſime perſpicitis. Etenim ventriculi ſpaſmus ſedandus, humores acres & viſcidi corrigendi, mobiles reddendi, & demum e corpore blande & ſub vaporoſo halitu eliminandi erant. Tali virtute præ aliis omnibus ſplendere remedia in caſu memorata, & ratio & creberrima experientia teſtes locupletes præbent.

Præſtiterunt ſane optatum ſuum medicamina propinata effectum. Diſparuit purpura, ſedataque ſymptomata moleſtiſſima. Liberatum quadantenus morbidum corpus a materia ruinam ſibi minitante, quin in gratiam nunc redire cum ſanitate ſibi & aliis viſus fuit noſter illuſtris. Attamen alte concepta ſpes fefellit. Cujus phænomeni rationem ſequentia illuſtrabunt.

§. LXXVI.

Corpus a morbo quocunque lædi atque debilius reddi, abſque demonſtratione ſumo. Sed noſtrum ægrum jam tum (§. 60.) debiles inter collocavimus. Ergo noſtrum talem nunc corporis diſpoſitionem fuiſſe nactum, quæ vel a leviſſima cauſa lædi atque affici poſſit, nemini amplius mirum videbitur.

Debilitas illa, quum conſiſtat in motuum vitalium pariter ac animalium ſegnitie, ab elatere ſolidorum imminuto, fluidi nervei defectu vel prava indole, ſanguiniſque boni abſentia, producta; quam exacto opus erit poſt morbum vitæ regimine! Quam ſollicite temperantium, demulcentium ac blandorum roborantium uſus continuandus erit!

§. LXXVII.

Sub univerſali hujuſmodi debilitate, ventriculus præſertim, ob ſpaſticam illam criſpaturam (§. 71.), inſigni infirmitate laborat. Atque tunc quidem ingeſtis incongruis concoctu alias ſatis difficilibus, digerendis atque comminuendis maxime impar erit. Hinc ſimili, ac §. 71. deſcripſi, modo, *vomitus torquebit*.

§. LXXVIII.

Sub vomitu, ductus biliarii, ob connexionem cum duodeno & nervorum communionem, ſimul afficiuntur: ſic mora deterior reddita bilis ad ſanguinem regurgitabit. Renes quoque in conſenſum trahuntur, & ſic quoque craſſiora per urinam eliminanda ſalia in corpore remanebunt. Perpende nunc paulo curatius vim illam ſolidorum omnium in C. H. imminutam (§. 60.); *& fluidorum tardiorem progreſſum, atque ex hac enatam ſpiſſeſcentiam invenies.* Ex harum idearum nunc collatione, cum omnia requiſita ad eam producendam adſint, purpuraceæ materiæ protruſionem ex §. 73. & 74. faciliimo negotio Tibi concipies.

Anne vinum generoſum ebullitionem humoribus conciliando, atque acrimoniam ſic augendo, ſymbolum ſuum ad copioſiorum macularum productionem contulerit, non eſt quod longinquius demonſtrem: Neque etiam ſymptomata quæ demum irrepſere, mea dilucidatione indigent.

§. LXXIX.

Satis perſpicue, ut opinor, §. 34. demonſtravi, in viſceribus abdominis, ſub motu humorum in univerſo corpore tardiore, ſtagnationem contingere; imo ſtagnationem jam tum evici. Idcirco recte me concluſurum puto: ſolidorum robore magis magisque deſtructo (§. 60.) in quam plurimis, meſenterio cumprimis, ſtaſin nunc perfectam obtinere, ſive fluida in omnibus abdominis viſceribus ſtaſi ſaltim proxima eſſe.

Si nunc §um 51. huc trahere vobis placuerit, hæmorrhoidalem de novo prodeuntem excretionem evictam habebitis.

§. LXXX.

Confluente ex hepate, pancreate, glandulisque *Brunneri* & *Peyeri* acri corrupta & viſcida materia, in labefactatum inteſtinorum canalem (§. 71. & 79.) dicti humores, ob moram & contrariam indolem, mutuo in ſe agere ſive fermenteſcere incipient: acerrimique facti, inteſtinorum nerveam ſubſtantiam ſtimulabunt & largiorem humorum effluxum invitabunt. *Hinc diarrhœa infeſtavit.*

Cave, ne ex vulgi deſipientis more, pulveri rhabarbarino infenſas ſequelas tribuas: etenim etſi ad ſtatum morboſum reſpicere nolis, effi-

cient tamen ut aliter ſentias, materia acris anum rodens, nec non principium amaricans & roborans rhabarbari, quod ex hoc capite levem adſtrictionem relinquere omni tempore ſolet. Tumoris œdematoſi mentionem utrum injiciam dubius hæſito. Effectus enim eſt ſanguinis circuitus per pedum vaſa difficilioris. Ejus autem evaneſcentiam ſpaſmo diarrhœam comitanti deberi neminem fugit.

§. LXXXI.

Fluidum nervorum in partes quando inæqualiter influit, oritur tremor. Verum, quum hic humores ſtagnent, ibi ſubſiſtant, nunc per vaſa aperta impetuoſius ruant (§. 78. 79.); hincque partes quædam magis dilatentur, aliæ ſtimulentur, in aliis liquida in quiete plane ſint poſita: fluidum nerveum inæqualiter influet. Ergo *tremor in noſtro*. Oris autem ſiccitas ſpaſmo glandularum oris & faucium debetur.

§. LXXXII.

Devenio nunc ad ſymptoma ſcorbuticis admodum familiare & quaſi proprium, cruſtam puto purpuraceam in cute relictam: quæ quibus cauſis debeatur modo diſpiciam. Repetendum idcirco (ex *Pathol.*) ſub omni diarrhœa, univerſum corpus ſpaſmo affligi. Unde cutis porulorum diameter minor: atque hinc lymphæ tenacis (§. 78.) orificia vaſculorum ingreſſæ exitus præcluditur. Ergo ſtagnatio obtinebit, humores pone urgentes vaſorum cutem fere conſtituentium parietes ultra modum dilatabunt. At vero cutis vaſcula ob tot repetitas ſpaſticas criſpaturas (§. 70. *& ſeqq.*) debilitata, atque ob continuum viſcidi & acris humoris appulſum (§. 78.) relaxata & dilacerata, ſicque elatere ſuo privata (§. 27.), tantum impetum ſuſtinere nequeunt. Hinc in vaſis ſeroſis *ſtaſis*, *porulorumque cutis obſtipatio*, *in ſanguineis vero vaſculis inflammatio*.

§. LXXXIII.

Obſtipatione nunc tubulorum cuti implantatorum præſente, cutis una cum epidermide nullo amplius ſubtili, unctuoſo, lubricante liquido gaudebit. Ergo *cutis ariditas* atque ſub hac enatæ *rugæ*.

§. LXXXIV.

Impactus vero in minimis cutis canaliculis diſtentis tenax & viſcidus humor (§. 82.) per inteſtinam actionem acrior factus, vaſorum latera disjunget, ſicque evaſabit: atque avolante tenuiori parte, craſſior remanebit, *cruſtaque corpus undique fere obducetur*.

Phænomenon hoc, nullo tam inſigni præcedente ſpaſmo, eodem modo incedere potuiſſe, non inficior. Quum tamen aderat ſpaſtica illa per diarrhœam inducta criſpatura, ad eam attendere certe opus erat. Certum tenaciorem lympham in cutis tubulis vel glandulis ſubſiſtentem eandem tragœdiam ludere, rebellis ille morbus, lepra Græcorum vel ψώρα dictus, teſtatur: cujus exempla non longo abhinc tempore tria vel quatuor Ill. Dno. Præsidi per conſultationes occurrerunt. Speciem autem ni fallor ψώρας præſens in noſtro caſu phænomenon præbuit. Neque reticere poſſum, ſimilem fere apparitionem, aliquot ante menſes, meis me oculis uſurpaſſe, quum Philiatrum graviter purpura ſcorbutica decumbentem meæ inſpectioni benevolenter traderet Ill. Dn. Præses, in cujus cute arida admodum, poſtquam exanthemata purpuracea exaruerant, copioſæ ſquamulæ, in multis vero locis ulcera pollicis latitudinem æquantia apparebant: ſanguis in principio morbi e vena miſſus ſerum fundebat copioſum limoſum ac turbidum, lividum, viridescentibus maculis interſperſis, atque tunica adeo ſpiſſa obſeſſum, ut calamo ſcriptorio vix dilacerari ac perforari potuerit.

§. LXXXV.

Materiæ pituitoſæ e ventriculo protruſionem ſciens mitto, tanquam rem facilem intellectu (*ex præc.*). De ſomno hæc pauca adjicio. Vigilia oritur, quando ſufficiens & laudabile fluidum nerveum in medulla cerebri, ejusque ad omnes partes liber adeſt influxus. In ſomno itaque vel non ſufficiens quantitas præſens eſt, vel iners illud redditum functionibus ſuis non amplius par eſt (*Phyſiol.*). Sed in noſtro ſubjecto humorum maſſa tenax corrupta & impura (§. 78.) Unde ſufficiens laudabilis fluidi nervoſi quantitas nulla. Ergo *ſomnus multus*. Atqui a bono ſomno productio nova & accumulatio liquidi nervoſi. Verum, ex eodem fonte (§. 78.) hæc ceſſat. Hinc *ſomnus non reficiens*.

§. LXXXVI.

Exitu materiæ purpuraceæ ſcorbuticæ, ob cutis totalem propemodum deſtructionem, nunc penitus præcluſo (§. 83. & 84.), humores excrementitiis oleoſo-ſulphureis partibus fœcundantur, atque fluiditate eorum decreſcente, gravitatem ſpecificam acquirunt (§. 31.) Hinc majorem cordis & vaſorum reſiſtentiam expoſcunt. Quum autem ex penuria partim, partim ex corruptela liquidi nervoſi (§. 85.), neque minus ex §. 60. & 76. vis cordis imminuta; *cordis & vaſorum tonus nunc penitus langueſcet*.

§. LXXXVII.

Cordis & arteriarum vi propellente penitus nunc languida, ſanguis tenax & acris in extremitatibus arteriolarum ſive in canalibus arterias inter & venas interjectis ſtagnat, orificia lateralium obſtruit, illarumque parietes minus reſiſtentes (§. 86.) extra elaterem ponens, quiete gaudet. Contingit illud eo magis in iis partibus, quæ pluribus & minoribus ſanguiferis vaſculis dotatæ ſunt. Ergo *in liene*, *pulmonibus &c. ſtaſis obtinet*.

§. LXXXVIII.

Obſtructis ergo pluribus vaſculis, ſanguinis maſſa (*per leges hydraul.*) in univerſa machina celeriori curſu circumvolvitur: quæ impetuoſius ad cor ruens, illudque ipſum acrium particularum ope ad contractionem ſollicitans, *febrem inflammatoriam omniaque huic communia ſymptomata*, *ardorem &c. introducit*.

§. LXXXIX.

Subſiſtens ſic ſanguis, & in noſtro acrioribus particulis refertus, a pone urgente fortius propulſus atque impactus, vaſa diſtendit atque dilacerat. Sic humor profuſus leniter putreſcit & ſimul ſolida deſtruit. Hinc *phænomenorum poſt mortem conſpicuorum, &c. ratio petenda*.

§. XC.

§. XC.

Cur lien in liquamen abierit; cur diaphragmatis ſiniſtrum latus eadem labe conſpurcatum; cur ventriculus flatibus diſtentus; cur cor flaccidum; cur reliquæ partes inflammatione & ſphacelo hinc inde obſeſſæ? Docebunt vos partim ſanguinis in quiete poſiti natura & indoles, partim arteriæ cœliacæ ſitus, diaphragmatis cum liene connexio, partim etiam ea quæ §. 86. & 87. clarius deduxi.

§. XCI.

Uſque eo nunc proceſſi in deductione caſus explicandi, ut noſtrum, in eum ſtatum incidiſſe animadvertere debeam, ex quo eluctari impoſſibile erat. Etenim ex Phyſiologicis modo repetamus, quod in motu partium fluidarum per ſolida conſiſtat vita; atque ex eodem hoc fonte trium illorum ad perpetuandum hunc motum vitam efficientem, neceſſariorum (§. 76.n.) porro reminiſcamur; denique quæ per concluſiones in ſuperioribus eruimus, huc trahamus: ita certe deprehendimus, ſolidorum robur penitus imminutum (§. 86.), teſte etiam poſt mortem corde flaccido; ſanguinem arterioſum corruptum motuique ineptum (§. 89.), unde emaciatio, neque nullum laudabile liquidum nerveum (§. 85.), cujus penuriæ virium debebatur proſtratio, in noſtro comparuiſſe. *Atque hinc quidem mortis ſequela neceſſaria erat.*

§. XCII.

Priusquam finem huic tractationi imponam, remediorum adhibitorum mentionem paucis injicere operæ pretium erit. Etenim diluentibus & corrigentibus, quo materia peccans atque in canaliculis ſubſiſtens mobilis reddatur, neque minus roborantibus, quo ſolidis vigor accedat ad correctam ſic molem eliminandam, fluidisque per omnem partem expeditus reſtituatur itus ac reditus, hic opus fuiſſe nemo non perſpicit. Priori indicationi, ni fallor, per medicamina recenſita, quantum ea æger admittebat, ſatisfactum eſt: at vero, roborantia quod ſpectat, hic aquam hæſiſſe opinor. Nam, in robore ſolidarum partium naturæ ad morbum ſuperandum conſiſtere vim & vigorem, ſi dixerim, mea quidem ſententia, a vero minus aberrabo: quippe, hoc deficiente, omnis ad ſalutem ſpes, Medicis id unanimi ore profitentibus, penitus evaneſcit; ut ſcite hinc inter alios quam plurimos ſcripſerit Fernelius in *Præf. lib. I. Therap. Felix medicatio, cui adjutrix natura ſuccurrit, irrita vero, quæ repugnante natura tentatur.* Num igitur roborantibus deſtituimur? Miraberis virorum per tot ſeculorum decurſus medendi peritia celebrium indefeſſos labores eo nondum deveniſſe, ut roborantia ex aſſe ſpecifica ex tam faſtis naturæ regnis produxerint. Verum enim vero optandorum in Medicina claſſem, ipſo ita dictitante Medicorum Præſule, Illuſtri Dn. Præside *Med. Syſt. T. III. S. II. c. VI.* hæc illa ſupplent. Me quod concernit, talia vix dari vel deprehendi poſſe intrepide affirmo. Sint enim roborantia nobis cognita: tum vere pronuncio, millia centena mortalium orci faucibus eripi poſſe. Sed utrum ſapientiſſimi Conditoris fini hoc eſſet convenienter? Solvet fortaſſis Metaphyſica hanc quæſtionem.

Quam infelix de morbo judicium ferant, qui ſub ea facie, qua noſtri ſubjecti res ſtabant, calidiora pharmaca, utpote eſſentias alexipharmacas, nec non ex balſamo Peruviano paratas, vel quæ ex radice pimpinellæ & ſinapi conficiuntur, ſimul ac mira antiſpaſmodica, vitriolum ſcilicet album excogitantes, laudant atque commendant, me non monente, cuivis ſtatim animadvertere integrum erit. Utinam ita judicantes non tæderet, attenta mente evolvere ac perlegere quæ paſſim inculcavit *Ill. Dn.* Præses, in ſpecie vero quæ in diſſertatione: *de converſione morbi benigni in malignum* candide & ſolide docuit. Hæc quippe doloris, ardoris & pruritus facere augmentum, æſtum intendere, vires conſumere, ſtaſinque inflammatoriam, humidam cum defurentur partem, promovere, & ratio & experientia teſtantur: quum e contra, quæ diluunt & corrigunt quo ſpectat ſerum lactis dulce &c. in hujusmodi morbis quæ ab acrimonia foventur, præſtantia & virtute nulli unquam remediorum generi cedant.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

OSSIUM INFLAMMATIONE,

Primùm edita Anno 1737.

CAPUT I.

De Inflammatione in genere.

§. I.

OSSA corporis humani æque facile incendium concipere, atque alias ejuſdem molliores partes, velut toroſas & membraneas, &c. iis exploratiſſimum fore, qui non ſtudium modo ſuum in oſſium ſtructura perluſtranda unquam collocaverint; ſed ejuſmodi quoque oſſium morbis interfuerint, ubi occulta inque interioribus horum receſſibus latitans mali vis, convulſis oſſeis repagulis, intus erumpens, vicinas partes fœde devaſtavit, mihi haud difficulter perſuadeo. Verum enim vero ferme crediderim, hæc illis παράδοξα viſum iri atque a vero alieniſſima, quibus perſuaſum eſt, non ullas alias corporis partes, prætcrquam ſic vocitatas, ſanguineas, incenſionis eſſe patientes; exſangues vero, velut cartilagineas, oſſeas aliaſque id genus, ſingulari quodam privilegio, inflammatione prorſus eſſe exemtas. At vero me vix contineam, quin ita exiſtimantibus dicam planius atque apertius, genuinam ac veram phlegmones naturam non ſatis ſibi eſſe perſpectam, alioquin, ipſa penitus intellecta, facile cognoſcerent, non eſſe ullum uſpiam in corpore humano punctum, ſi ab epidermide, unguibus & pilis diſceſſerint, quin ad inflammationem concipiendam foret accommodatiſſimum. Atque quo facilius hunc erroris nodum, quo non paucos Medentium, nec ſane indoctorum, etiamnum videmus implicatos, exſolvamus, expediet heic magis dilucide oſtendere, 1) inflammatio quæ ſit & quomodo accendatur? 2) quæ ſit oſſium fabrica? Ex his intellectis nullo fere negotio exſtruere nobis licebit, 3) quo pacto ipſis oſſibus inflammatio accendi queat?

§. II.

Neglecta hujus morbi ὀνοματολογία, ipſam inflammationis notionem hoc loco tradere placet. Eſt igitur hæc validior juſto ac velocior ſanguinis arterioſi in canalibus minimis attritus *a*), ſub celeriori ejuſdem per hos trajectu contingens, ob nativam aliorum ejuſdem arterioſi trunci ramulorum diametrum, quomodocunque imminutam, occluſam aut deſtructam, cum dolore, calore ac febri ſemper, in mollioribus autem partibus tumore præterea & rubore ſtipatus.

§. III.

Jam vero ut, quæ hac definitione comprehenſa ſunt, explicatiora prodeant, non alienum erit ſingulas in ea obvias voces, quæ lumen clarius deſiderant, dilucide expedire, quo liquidius appareat, in quo inflammationis cardo potiſſimum vertatur. Suſtinet vero noſtra in definitione generis vicem attritus vocabulum, quippe quod ad veram incendii formam atque indolem declarandam omnium eſt appoſitiſſimum. Quod ſi enim ſedatiori neutramque in partem inclinante animo phlegmones ingenium contemplemur, omni luce clarius nobis pernoteſcit, eam nihil omnino in humorum ſtaſi ſeu perfecta quiete conſiſtere, ut multorum opinio fert; ſed contra in concitatiori & quaſi prærapido eorum per minimos vaſorum ſurculos motu, ſub quo exiles cruoris moleculæ uſque adeo inter ſe mutuo colliduntur & agitantur, ut inde nimium incaleſcant, ſicque incendium concipiant, quod, niſi in tempore extinguatur, convenientibus auxiliis, vaſculis diſruptis & deſtructis, in vicinas partes latius ſe diffundit. Poſſem omnino magnam vim obſervationum atque copiam, quæ hoc evincunt, in medium proferre, animus ſi mihi eſſet longius excurrendi, quam diſſertationis limites permittunt: argumento omni exceptione majori nobis eſſe poſſunt ecchymoſes ſeu ſugillationes, ubi cruor ex ſuis tubulis, undecunque divulſis, effuſus & conglaciatus ſub cute invulnerata ſubſiſtit & quieſcit, ne ullo quidem inflammationis veſtigio apparente. Idem hoc quoque in aneuriſmatibus arteriarum cuivis obvium eſt, ubi ſanguis in dilatato arteriæ ſacco hæret concretus per longinquum temporis ſpatium, ſine ulla tamen, nec leviſſima quidem, inflammationis nota. Nec diſſimile quid nobis ſpectare licet in ita dictis venarum varicibus, ubi cruor in ſuo ad primam ſcaturiginem receſſu impeditus, circa ipſarum divergia moram nectit, (unde etiam venæ ibidem in tortuoſos atque indoleſcentes aſſurgunt tumores,) nullo incenſionis indicio comparente. Quæ quum ita ſint, cuivis luculenter pateſcit, cruoris ſtaſin non ullo ſtabili argumento pro inflammationis efficiente venditari cauſa, experientia contrarium oſtendente.

§. IV.

Sciſcitanti vero, qui fiat, ut incendium excitetur in corporis partibus, illud facile innoteſcit, cogitaturo, qua ratione aliis corporibus, igni concipiendo atque alendo habilibus, ardor atque adeo flamma conci-

a) BOERHAAVE *Aphoriſm. de cognoſc. & curand. morb.* §. 371.

conciliari queat. Res quippe multorum oculis teſtatior eſt, ignem, quin apertam ſæpius flammam vel iis in corporibus ſuſcitari poſſe, ubi eum deliteſcere nec conjectura quidem aliquis proſpexiſſet, dummodo validius atque velocius aliquandiu inter ſe invicem atteruntur & concutiuntur, quo mutuo affrictu uſque eo haud raro concaleſcunt, ut, mutua illa arietatione diutius continuata, igneſcant, quinimo, ſi flammæ alendæ apta, flammam hauriunt. Experimenta quoque illa, a BOYLÆO, BOERHAAVE aliiſque eo conſilio capta, ut veram ignis naturam nobis ſiſterent exploratam, abundantiſſime docet, ſolo mutuo corporum quorumcunque inter ſe attritu ignem, prius inobſervatum, quovis tempore, produci poſſe b): teſtimonio nullo alio luculentiori, caloris omnis eſſentiam in ſolo concitatiori materiæ cujuſdam ſubtiliſſimæ, ipſis corporibus incluſæ, motu maxime niti, qui, prout varie augetur atque intenditur, modo caloris, modo ignis aut flammæ cieri nomine ſolet. Jam vero quum omnis inflammatio, humano in corpore orta, ita ſalutetur a ſimilitudine effectuum, quos cum vulgari igni habet cemmunes; ſimilium vero ſimiles dentur rationes, ac proinde quoque haud diſſimiles cauſæ efficientes: nihil quoque dubii eſſe poteſt, quin quodvis partium corporis incendium cum vulgari igni ex communi fonte emanaret; nec aliter, niſi gradu, ab ignis forma diſtaret. His itaque perſpectis, non obſcure intelligetur, quid cauſæ mihi fuerit, quamobrem attritus voce in mea de corporis incendio definitione uſus fuero.

§. V.

Quo autem liquidius conſtet, qua via ſanguini, fortiori illo attritu, calor nimius in affecta parte induci queat, non abs re fore duco cruoris genium heic breviter expendere, ut inde eluceat, quo ſignificatu in noſtra inflammationis definitione accipiatur. Ex Phyſiologicis perſpicuum eſt, purpureum vaſorum liquidum gemino ſenſu Medicinam facientibus intelligi, latiori ſcilicet & anguſtiori. Illo denotat liquorem rubicundum, externa ſpecie ſui ubique ſimilem, re autem vera diſſidentis ingenii partibus conſtantem, velut fluidis ac ſolidis, levibus & gravibus, agilibus ac minus mobilibus, globoſis, anguloſis & compluribus aliis, quem corporis vaſa qualiacunque ſuo coercent complexu, inque motum profluum agitant: hoc vero per ſanguinem intelligitur congeries particularum grate rubentium, ſphærica figura c) præditarum, quæ tantillæ ſunt exiguitatis, ut ſingillatim non, niſi armato viſui, compareant, &, reliquis in vaſorum alveis hærentibus liquidis admixtæ, colorem illum rubrum, in cruore ex vena pertuſa educto obvium, inducunt. Prior ſanguinis ſignificatio in noſtra definitione locum obtinet, utpote cruorem ſtricte ſic dictum, ſerum, lympham, & ſi quid aliud iſtis, ſimul ſub ſe comprehendens.

§. VI.

Experimentorum beneficio, a Viris omni laude majoribus inſtitutorum, conſtat, purpureas cruoris ſtricte ſic dicti moleculas, ex multis aliis ſphærulis, magnitudine multo inferioribus, nec rubicundis, ſed flaveſcentibus eſſe conflatas, quæ extra nexum & mutuam inter ſe cohærentiam in vaſis corporis provolutæ, ſeri nomine ſalutantur d). Has vero flaveſcentes ſphærulas ſeroſas itidem ex pluribus aliis minoribus corpuſculis, non flavis, ſed pellucidis eſſe coagmentatas, quæ ſimiliter a ſuo mutuo nexu in libertatem vindicata, lymphæ nomine venire ſolent e). Neque dubium eſt, quin hæc quoque rurſus ex aliis multo minoribus particulis ſint concinnata. Quouſque vero hæc particularum in ſubtiliores diviſio pergat, nullius ingenii vi determinare integrum eſt.

§. VII.

Hæc vero, quæ de ſanguine proprie ſic dicto jam commemoravi, non ficta eſſe & commentitia; verum reapſe ita inveniri, facile reperiet, ſanguinem in vaſis diverſorum animantium, velut piſciculorum, aranearum, lacertarum aquaticarum, ranarum, &c. vel humanum quoque, tubulo vitreo capillari exceptum, qui microcoſcopiis inſpexerit; viderit enim clariſſime purpureos in iis circumvolvi globulos, qui diaphano innatant liquido: quemadmodum quoque hæc non minus eleganter, quam docte, pro ſuo more, demonſtrata tradidit, nitidiſſimum orbis literati ſidus ac rei Medicæ ornamentum, *Illuſtris* FRID. HOFFMANNUS, *Præceptor ac Mæcenas* ſumma obſervantia ad urnas mihi ſancte venerandus f). Coccineas vero has cruoris ſphærulas ex partibus, nequaquam rubris, ſed ſubflavis eſſe compoſitas, quæ iterum ex aliis tenuioribus, non flaveſcentibus, verum perſpicuis componuntur, multis egregiis experimentis cum ſanguine, recens e venis detracto inſtitutis, teſtatum fecit *Doctiſſimus* BOERHAAVE.

§. VIII.

Perſpecto animalis liquidi ingenio, in eo jam eſt, ut breviſſime quoque ejus vaſa coërcentia attingamus. Uſu atque obſervatione exploratiſſimum eſt, non eſſe ullum uſpiam humano in corpore punctum, quin vaſculis, quamvis a viſu occultatis, abundaret: vix quippe ullus in omni corpore locus invenitur, qui acicula quadam ſanciatus, non illico liquidum funderet, argumento, omnium oculis teſtatiori, vaſorum ſurculos ubicunque pullulare. Idem quoque hoc comperimus, vena quavis arteriave in vivo animali pertuſa vel vulnerata, cruorem ſcilicet citatiori flumine ex inflicto vulnuſculo erumpere uſque eo, donec animans, vitali liquido prorſus exhauſto, interierit. Sic quoque obſervamus, ceram igni liquatam, inſigniori arteriæ vel venæ ramo, velut iliaco, carotidis aliive, ſi fuerit infuſa, inde continuo in tenerrimos quoſque, vel ultimos ipſorum ſurculos, diffundi. Perſpicimus ergo his experimentis, vaſa ad unum omnia, vel minima, arteriæ magnæ trunco & venis cavis eſſe connexa, ita ut ſanguini aditus ex alio ad aliud ſanguineum vas pateat liberrimus.

§. IX.

Experientia itidem conſtat, vaſorum ſanguiferorum ramos in propagines ſenſim ſenſimque graciliores diſcedere, quæ tandem uſque adeo gracileſcunt, & tantillæ evadunt, ut nec conſpicillo quidem colluſtratæ, ſub aſpectum cadant. Connectuntur autem tenerrimi arteriarum ramuſculi cum ejuſdem magnitudinis canalibus venoſis, nullo interveniente medio, neque glandula, neque folliculo, nec alio quodam ipſis ſimili, ſed immediate. Hoc omnium oculis teſtatum faciunt ipſe eorum per microſcopia obtui-

tus

b) BOERHAAVE *Element. Chem. Tom. I. de igne Exper. LX. Coroll.* 1. *&* 3.

c) BOERHAAVE *Inſtit. Med.* §. 226. DOMINIC. GULIELMINUS *Exercitat. de ſanguin. natur. & conſtit.* §. 46. *uſque ad* 50.

d) BOERHAAVE *loc. cit.*

e) *Idem eod. loc.*

f) *Medic. Rat. Syſt. Tom. I. Libr. I. Sect. I. Cap. V. §. XXIV. in Schol.*

tus in vivis animalibus, injectiones, ligaturæ vaſorum. Liquida ergo in corpore animali univerſa e corde, tanquam prima ſcaturigine, ſyſtaltica ipſius vi, expulſa, evolvuntur in appenſos arteriarum aortæ & pneumonicæ alveos, unde ſimili motu, in his æque atque omnibus aliis ramis, inde porrectis, aſſiduo micante, diffunduntur in cunctas ceteras arterias, uſque ad minutiſſima quæque harum incilia, quæ ſanguinem acceptum in venulas, anaſtomoſi ſibi inſertas, transferunt, ex quibus in ramos, pedetentim capaciores, regreditur, donec tandem in commune ſanguinis compluvium, unde profluxit, revectus fuerit.

§. X.

Hic ſanguinis in orbem motus, quem paucis quidem, ſed noſtro fini ſufficientibus, jam explicatum dedi, eſt illa, & apud veteres, & apud recentiores Medicorum, celebratiſſima corporis natura, quæ, quemadmodum a ſapientiſſimo ædificii humani conditore ita in corpore conſtituta, ut non poſſit non ſtructuræ ipſius & legibus mechanico-hydraulicis ſibi præſcriptis convenienter agere: ſic etiam non inepte ſapientis cognomine ſalutatur. Hujus quippe beneficio noxia & in pura, ab utilibus & delibatis ſegregata, per tam innumera diſſidentis fabricæ emiſſaria e corpore ejiciuntur; morborum vel acutiſſimorum vis vincitur & ſubigitur; obſtructiones in corpore contingentes recluduntur; inflammationes vel diſcutiuntur, vel, eo in caſſum cadente, ad ſuppurationem perducuntur, & omnia alia vitæ & ſanitati conſervandis inſervientia perficiuntur: circulo enim ſanguinis vigente, & æquabiliter, temperate nec interrupte per corporis vaſa progrediente, vitam ſanam adeſſe: eo autem utcunque offenſo & turbato, valetudinem labaſcere & periclitari, quin, prorſus extincto, vitam amitti experimur.

§. XI.

Jam vero quum in noſtra ſtatuatur definitione, incendium in vaſculis arterioſis maxime excitari, de his minimis vaſorum ſurculis me hoc loco dicere oportet, rectius ut cognoſcatur, quid cauſæ ſubſit, cur liquida, ad ſubtiliſſimos vaſorum canales delata, ibi tam expedite incendium concipiant. Ex ante dictis jam ſatis conſtat, eam eſſe omnium vaſorum habitudinem, ut, quo longius a ſuis truncis recedunt, in eo minores ſenſimque ſubtiliores abeant ſurculos, qui denique adeo teneraſcunt & remolleſcunt, ut a tomenti ſpecie non multum abludant; unde quoque eſt, cur ſolertiſſimo RUYSCHIO vaſa tomentoſa, polpoſa vel ſuccoſa nominantur. Oſtendit præterea laudatiſſimus Auctor, minimas has vaſorum propagines in quavis fere corporis parte, figura ac reptatu, a ſe invicem diſſidere, ita ut in renibus, verbi cauſa, vermium in modum reptarent *g*); in hepatis vero corpore in elegantes faſciculos rotundos & quaſi ſtellatos colligerentur *h*); in liene penicillorum ſpeciem præ ſe ferrent *i*); in corticali τῦ ἐγκεφάλυ ſubſtantia tenerrimæ lanuginis habitum induerent *k*), ſicque in cunctis reliquis partibus aliam faciem oſtenderent. Quanta vero & utilitas, & neceſſitas hujus in tantillæ diametri canaliculos diviſionis vaſorum fuerit, cuivis facile apparebit, perpenſuro diverſiſſimas illas, quæ ſanguinea in maſſa fluitant, partes, quarum quædam ea ſunt natura, ut, ni tempeſtive e corporis canalibus extrudantur per convenientia incernicula, ſed remaneant, ſolidis æque ac liquidis labem inferant: aliæ vero, velut ſanguis ſtricte ſic dictus, ſerum, lympha &c. quæ corpori nutriendo & tantæ ſanguinis copiæ continenter ſervandæ inſerviunt, quanta ad canales replendos & ſanguinis circuitum continuandum neceſſaria eſt, ita ſunt comparatæ, ut, iis quomodocunque nimium imminutis, corruptis, vel e ſuis canalibus effuſis, ſanitas quinimo ipſa vita jacturam faciat. Quomodo ergo fieri poſſet, ut tot tamque diverſa liquida, in humorum maſſa ſibi invicem promiſcue intermixta & confuſa, a ſe invicem ſejungerentur, niſi vaſcula ſubirent tantillæ tamque diverſæ capacitatis, quæ nihil, niſi quod ipſorum diametris reſpondet, intromittant, excludendo omnia, quibuſcum ſibi nulla intercedit proportio.

§. XII.

Quanquam vero vaſorum minimorum tanta eſt differentia, ut nemo mortalium eam ad unguem definire valeat; ſagaciſſimus tamen BOERHAAVE omnium primus, perſpicuis ſane argumentis, demonſtravit, minimos vaſorum ramuſculos, quotquot dentur, commode ad quatuor genera referri poſſe, velut ad vaſcula ſanguifera, ſeroſa, lymphatica & denique ſecretoria atque excretoria. Longior profecto in diſſerendo eſſem, quam diſſertationis ratio fert, cuncta, quæ in hanc rem dici poſſunt, hoc loco expromere conaturus, idcirco, brevitati ſtudens, remittam B. L. ad ipſos fontes, unde hæc omnia longe dulcius hauriri poſſunt. Nobis heic tantum ſufficiat indicaſſe, quadruplicia hæc vaſorum genera, quamvis viſui inarmato non pateſcant, tamen non poſſe negari, quum non ratio ſolum eorum exiſtentiam luculenter arguat, ſed ipſa quoque experientia confirmet: obſervamus enim aliquando tunicæ oculorum adnatæ in ophthalmiis, a ſanguine, ſeroſa & lymphatica ejus vaſcula ingreſſo, colorem induci ruberrimum, in qua tamen, vigente oculi ſanitate, nihil ruboris conſpicuum erat, argumento inexpugnabili, hanc oculi pelliculam jam antea utique vaſculis minimis, nullo liquido purpureo irriguis, verum alio quodam latice perlucido perfuſis, redundaſſe, quæ nunc demum, oculo præter naturam affecto, coccineo liquore referta, viſui noſtro ſeſe offerunt conſpicienda. Idem hoc quoque nobis oſtendunt omnes aliæ aliis in partibus inflammationes, ubi ante incenſionem pauciſſima comparebant vaſcula, cruore rubicundo diſtenta; ſuborta vero phlegmone, tanta vis vaſorum rubore conſpicuorum ibidem deprehenditur, ut ea intuentem in admirationem rapiat. Nec diſſentiunt hac in re a *Doctiſſimo* BOERHAAVE, Viri ab omni laude feliciores, *Illuſtris* FRIDERIC. HOFFMANNUS *l*) & Candidiſſimus RUYSCHIUS, qui in eo tantum diſcedit, quod hæc vaſa ſerifera & lymphatica paſſim ſuis in monumentis chylo-ſeroſa appellaverit *m*).

§. XIII.

Prius vero quam rationem reddamus, cur attritus ſanguinis in exiguis potiſſimum exoriatur arteriis, neutiquam vero in amplioribus, neque in venis, quantumvis minimis? expediet præmonere, ſanguinem minime uno eodemque velocitatis gradu, per univerſos aortæ ramos, ad ultima quæque ferri, verum per ſingulas arteriarum ſectiones, ſibi ex ordine ſuccedentes, lentius moveri verſus extremitates. Quum

g) *Theſaur. Anat. IV. Tab. I. Fig. I. & Prodrom. Theſ. Anat. VI. Tab. I. Fig. 2. 3. & 4.*
h) *Theſaur. Anat. IX. No. LIX. p. m. 30.*
i) *Epiſt. Anat. IV. Fig. 1. 2. & 4.*
k) *Epiſt. Anat. XII. Tabul. 14. & 15.*
l) *Medic. Rat. Syſt. Tom. III. Sect. I. Cap. IV. §. XII.*
m) *Adverſ. Anatom. Dec. II. III. p. 7. & VIII. p. 20.*

Quum enim celeritas nihil aliud, niſi modus, quo movendum certo tempore per determinatum propellitur ſpatium; hydraulicis vero legibus conſtet, velocitatem liquidi in ramis, ab uno eodemque trunco profectis, poſita ſumma orificiorum horum ramorum majori, oſtio illius trunci, per quod ingreditur, ſemper quoque minorem fieri; autopſia porro anatomica compertum ſit, quemvis arteriæ ramum in complures alios ramos abire, quorum orificia, in unam ſummam collecta, ſemper majus & amplius oſtium efficiunt, quam diameter trunci eſt, unde exporriguntur: omni luce clarius inde apparebit, cruorem in ramis lateralibus nunquam non multo tardius circumagi, quam in eorum truncis. Ergo quoque in minimis vaſorum ſurculis omnium tardiſſime protrudi. Nec difficile erit hoc clarius intelligere conſideranti conicam vaſorum figuram, ut quæ itidem influxuro ſanguini impedimento eſt, quo minus ſatis libere ea permeare poſſit. Ut in præſenti taceam plura alia, quæ vitali liquido, minimos vaſorum ramulos petituro, remoram injiciunt, ſicque ejus progreſſum retardant.

§. XIV.

Pronum jam erit perſpectu, cur ſanguini præcipue in minimis arteriarum tubulis tantus caloris gradus accendatur. Quod ſi enim expendamus, qua via inflammatio excitetur, inveniemus, in ea ſemper humorum ſtagnationem aut ſtaſin perfectam in aliquibus vaſorum ramis præſto eſſe, quæ ergo ſanguini, obſtructos hoſce canales perluere alias ſolito, obicem ponunt, eundemque ab ingreſſu excludunt: hinc neceſſe eſt, ut liquidum ad alios ejuſdem trunci ductus ſanguineos ruat: quemadmodum in Hydraulicis nobis animadvertere licet, canali uno alterove non ſatis patente aut plane interrupto, aquarum flumen ad alios patentes transferri; quum autem commemorati ſanguinei canales, licet aperti, tantam cruoris molem neque capere, neque ſatis expedite tranſmittere valeant in venulas ſibi connexas, neceſſum hinc eſt, ut motus celeritate reſarciatur, quod vaſorum capacitati deeſt; dum itaque ſanguinis globuli per tot tamque admirandæ exiguitatis canaliculos, torrentis ferre in modum, propelluntur, non aliter fieri poteſt, quam ut validiſſime & inter ſemet ipſos mutuo collidantur, & vaſorum lateribus fortius & citatius atterantur, ſub quo attritu ita incaleſcunt & incendium concipiunt. Jam perſpicuum erit, qui liquido vitali in minimis arteriis calor conciliari queat. Si porro conſideremus ſtupendam minimorum vaſculorum exiguitatem, eorum conicam figuram, varium reptatum, inflexionem & curvaturam, tandemque tardiſſimum, quo cruor ex ultimis ramulis urgetur in venulas ſocias, motum; liquido apparebit, cur hæc vaſcula, præ omnibus aliis iiſque conſpectioribus, facile obſtruantur; unde poſtea in iis, quæ hiulca & pervia relicta ſunt, ſanguini, eadem citatiori motu pervadenti, tantus æſtus conciliatur. Sin vero expendamus, venulas ex ſpatio anguſtiori ſemper in amplius ac patentius dehiſcere, ideoque ingredienti eas liquido nihil obſtare, ſed potius aditum ad eas patere liberrimum, clare nobis cernetur, quare venarum ſoboles & ab obſtructionibus, & conſequenter ab inflammationibus quoque immunes ſint.

§. XV.

Jam in eo eſt, ut breviter attingamus cauſas illas, quæ hoc in partibus corporis incendium tam concitant, quam alunt: perſuadeo enim mihi, iis recte perſpectis, clarius quoque intellectum iri, quomodo ipſa oſſa inflammatione corripi ſubinde poſſint. Ex his itaque primum jure ſibi vindicat locum, formalis cauſa quæ in ſcholis Medicorum dici ſolet, quam in ſolo concitatiori & fortiori partium ſanguinis inter ſe attritu ac mutua arietatione, neutiquam vero earum deſidia & requie ſitam eſſe, diſertis verbis jam ſupra ſignificavimus. Efficiens autem hujus affrictus in tenerrimis vaſorum propaginibus cauſa, eſt illa omnium ſermone in ſcholis Medicorum celebrata corporis humani natura, quam admirabilem illum ſanguinis circuitum, ab alternante vi cordis & vaſorum ſyſtaltica & diaſtaltica profectum eſſe, in antecedentibus pronunciavi: quippe hoc motu liquores, vaſorum alveis coerciti, perenni flumine ad ultima quæque vaſcula urgentur. In cenſum denique cauſarum προκαταρτικῶν, ut quæ fluidis, ad minimos vaſorum ramuſculos protruſis, occaſionem offerunt a via quaſi regia deflectendi, inque alios vicinos & pervios canaliculos ex obliquo, majore vi ac mole, irruendi, ſicque inflammationem in parte corporis ægrotante commovendi, veniunt ea omnia, quæ aliquibus vaſorum, ramis vel ſtagnationem humorum, vel perfectam ſtaſin ſeu obſtructionem inducere valent. Hæc vero quum pæne ſint innumerabilia, mihi autem conſtitutum ſit, hoc loco de inflammatione duntaxat agere, quatenus ad dicenda planius perſpicienda confert; iis heic ordine recenſendis, quæ vaſorum capacitatem vel arctare, vel penitus occludere valent, ſciens volenſque ſuperſedeo, ablegando B. L. ad Boerhaavii egregium librum de *Aphoriſm.* ubi in capite de *obſtructionibus* ad ſatietatem de his occaſionalibus cauſis differit. De materiali quoque incenſionis cauſa, utpote cuivis per ſe manifeſta, nihil attinet dicere.

§. XVI.

Jam perſpicuum fore exiſtimem, quam longiſſime ii a vero aberrant, opinantes, ſummam omnis inflammationis ac formam maxime, quin unice, in ſola tantum vaſorum obſtructione, & liquidorum a motu ceſſatione eſſe poſitam: ſi enim hoc verum, ſcire pervelim, qui fieri poſſet, ut in parte incenſa tantus tamque acerbe haud raro urens æſtus oriretur, quum tamen ex Phyſicis conſtet, calorem non ulla alia ratione, niſi validiori & ocyori corporum inter ſe concuſſu atque attritu, provocari poſſe, quippe quo materia illa ignea, in corporum interioribus occulta deliteſcens, cujuſcunque ingenii ſit, in rapidiorem motum agitatur, quæ hoc pacto excita, corpori calorem plus minuſve ſenſibilem accendit. Nec obſcurum inde erit, quid argumenti eorum habeat ſententia, qui inteſtinam partium ſanguinis fluidarum agitationem pro inflammationis vera genitrice agnoſcunt; ſi hoc ita eſſet, nulla appareret ratio, quamobrem cruor, in vaſis inſignioribus, velut aorta, venis cavis, pulmonali, arteria hæmorrhoidali externa, ſinu duræ matris ſagittali &c. ſubſiſtens, quemadmodum nobis animadvertere licet in aneuriſmatibus, polypis venarum, tuberculis illis ani exitum obſidentibus &c. non æque incendia ibi ſuſcitet, atque in minimis arterioſis canalibus. Hæc proinde quum ita ſint, verius aſſeveramus, omnis inflammationis formam atque eſſentiam conſiſtere in celeriori ac fortiori mutua globulorum ſanguineorum arietatione & affrictu, quem ſuſtinent, dum majori copia & citatiori motu per minimos arteriarum ſurculos percurrere coguntur.

§. XVII.

Expenſuri vero, quænam cauſa ſit, quamobrem vitalis latex copioſius in lateralia arteriarum vaſcula irruat, eademque velocius tranſmigret? ſemper in- venie-

veniemus diametrum canalium quorundam, aut nimis anguſtatam & diminutam, aut prorſus oppilatam eſſe, ita ut ſanguini, eos ingreſſuro, omni introitu interdictum ſit, qui ergo per laterales hos ſurculos, vel nimium arctatos, vel plane obturatos, pervadere præpeditus, in alios ejuſdem trunci ramulos, itidem laterales, at pervios, vi cordis & arteriarum ſyſtaltica adigitur: quum vero hi tubuli neque tantæ cruoris moli capiendæ, neque ſatis expedite tranſmittendæ pares ſint; hinc neceſſe eſt, ut velociori tranſcurſu compenſetur, quod vaſorum capacitati deeſt. Ergo non aliter fieri poteſt, quam quod globuli ſanguinei, ſub rapidiori hoc per aperta vaſcula trajectu, inter ſe fortius collidantur & agitentur, quinimo vaſculorum parietibus ſe atterant: unde oritur ille in omni incendio obvius calor: dum vero hæc quoque vaſcula majori ſanguinis copia ſimul obruuntur, ſicque nimium diducuntur, in villis ipſorum nerveis, hoc pacto immoderatius preſſis & tenſis, naſcitur dolor; & in mollioribus corporis partibus ſi hæc contingunt, aſſurgit eo ipſo tumor cum rubore conjunctus. Febris denique, individua inflammationis comes, quæ pro loci, in quo incendium hæret, ipſiuſque inflammationis diverſitate, modo acerbior & intenſior eſt, modo remiſſior & mitior, ex ſola pulſus arteriarum velocitate cognoſcenda, exoritur a fibris arteriarum irritatis & immodice extenſis. En tibi incenſionis genium, breviter hic quidem, fini tamen noſtro ſufficienter, explicatum: cognoſces inde, cur inflammatio commemoratis in noſtra definitione ſymptomatibus ſemper ſtipata incedat, nec ſuboriri queat, niſi ſtagnatio liquidorum vel ſtaſis in canalibus quibuſdam minimis inhæreſcat: cave tamen, exiſtimes, ſummam inflammationis in his conſiſtere; quum dilucide expedierim, eas duntaxat inflammationi accendendæ viam pandere. Intelliges quoque ſingulas, quæ in tradita definitione leguntur relatæ, notiones, utpote ex jam dictis ſatis perſpicuas. Perſpicies etiam univerſis corporis partibus, quibus vaſa intexta ſunt, inflammationes accidere poſſe: quia incendium non, niſi in vaſorum alveis ſuccenditur, nec fieri poſſe, ut aliquis ipſum extra ſanguinis conceptacula ſibi vel animo tantum fingat.

§. XVIII.

Explanata itaque inflammationis natura, reliquum eſt, ut diſpiciamus, qualis tandem exitus partium corporis incenſionem maneat. Obſervatione compertum eſt, quamlibet inflammationem vel reſolvi ac diſcuti, vel in abſceſſum deſinere, vel in gangrænam, &, niſi ſatis mature huic malo præveratur, in ſphacelum abire, vel denique, ſi partes potiſſimum glanduloſas occupaverit, in tumorem prædurum, at indolentem cedere, σκιῤῥὸν Medicis dictum. Primus igitur inflammationis eventus, qui omnibus cæteris antecedit, eſt reſolutio, quæ nihil aliud eſt, niſi ea partis inflammatæ mutatio, qua vaſcula obſtructa in loco incenſo recluduntur, & cruor iiſdem incluſus & progredi impeditus, in libertatem vindicatur, ita, ut ſui juris iterum factus, in motum profluum & circularem revertat, evaneſcentibus cunctis in loco accenſo antea conſpicuis ſymptomatibus, nec ulla labe in parte offenſa remanente.

§. XIX.

Si perpendamus, qua arte natura corporis humani occluſa vaſcula reſerat, ſicque humores in iis ſtagnantes, vel plane ſubſiſtentes, in motum reducat; ipſa cauſa, canales ſanguineos arctans, & iiſdem ſtagnationem humorum vel ſtaſin arceſſens, nobis eſt præponderanda: hæc quippe ſi extra vaſorum cava ſedet, & inde ipſorum nativam diametrum, comprimendo, intorquendo, diſtorquendo, contundendo, criſpando, diſtrahendo &c. anguſtat & diminuit, quemadmodum fit a tumoribus vaſis incumbentibus, fracturis & luxationibus oſſium, ligaturis & compluribus aliis; quiſque, vel me ſilente, videbit, fruſtra hic a ſola corporis humani natura ſtaſeos diſcuſſionem exſpectari, niſi auxiliante periti cujuſdam Chirurgi manu ea amoveatur. Quod idem quoque intelligendum de materia quadam peregrina, velut calculoſa, ſebacea, omnique id genus alia, vaſorum ſurculos obſtruente intuſque in ipſis canalibus latitante, utpote ſuopte ingenio inidonea movendo, & per corporis tubulos circumagitando, ubi ergo omnia naturæ conamina, itidem plane irrita erunt atque inania. Non obſcure igitur hinc intelligetur, ad liquidorum ſtaſin, in vaſis quibuſcunque, a natura corporis humani vincendam & diſcutiendam requiri, 1) ut ea ſit reſtitantium liquorum habitudo, dividi ſe in ſubtiliores partes ac diſſipari ut ſinant, hac enim deficiente, omnis conatus ad irritum cadet: 2) ut ipſis vaſculis, in quibus humores requieſcunt, ſpatium extrorſum cedendi ſeque rurſus contrahendi relinquatur ſatis liberum, quippe vel hoc deſiderato, reſolutionis negotium difficillime ſuccedet: 3) ut liquida, per arterias ad canales obſtructos ſyſtole cordis & vaſorum advecta, ſatis blanda, diluta, fluidiſſimaque ſint atque omnis acrimoniæ ſalinæ expertia, alias tenerrimis vaſorum propaginibus facile vim inferunt: 4) ut tandem motu moderate accelerato & placido ad locum inflammatum accedant: quia alioquin, ſi rapidiori vi, torrentis in modum, eo ruant, exigua hæc & molliſſima vaſcula deſtruunt atque evertunt, id quod eo certius continget, quo acriores ægrotans ſuis in canalibus alit humores, aut alio pacto corruptos. His ergo conditionibus in corpore præſentibus, nihil dubitationis eſt, quin reſolutio ſtaſeos perbelle ſit naturæ ceſſura.

§. XX.

Jam in eo eſt, ut conſideremus, qua via ſanguinis in minimis vaſculis immoti conſiſtentes globuli, ſuis vinculis naturæ corporis humani beneficio exſolvantur, inque libertatem aſſerantur. Efficitur autem hoc ſola cordis & arteriarum ſyſtole & diaſtole, alternis ſibi ſuccedente, qua ſphærulæ ſanguineæ, in tubulis ſeroſis & lymphaticis arterioſis peregrinantes, laxatæ ex ſuis canaliculis excutiuntur & in motum rediguntur. Sciatur vero ſanguinis globulos, ſive mole auctos, ſive alia ad movendum minus apta figura indutos, ſive alio modo corruptos, aut ex loci errore vaſcula peregrina ingreſſos, ſubſiſtere vel in horum initiis, vel altius iis intruſos, in ipſorum medio aut finibus. Si globulorum ſtaſis in vaſorum introitu hæret, hoc modo a natura auferri eam, veri videtur ſimile. Dum cruor ex ſiniſtro corde ſyſtoles ope in quoſcunque arteriarum ramos, vel maxime exiguos expellitur, arteriæ omnes in diaſtolen abeunt; corde vero ad diaſtolen redeunte, arteriæ contra eo ipſo omnes ſe contrahunt, ideoque ipſi etiam obſtructi arteriarum ramuli, eodem temporis puncto, ſe arctare conantur: quorum ergo latera, propius ad ſe invicem accedere nitentia, hoc temporis, conquieſcentes cruoris globulos, ſingulis arteriarum ictibus, premunt, urgent & foras trudere adnituntur: unde hi globuli, in horum vaſculorum introitu commorantes, arteriarum vibrationibus, toties reiteratis, pedetentim vinculis ſuis relaxantur & de ſuo loco dimoventur, qui ſic expediti, quum minimos hos canales, ob conoidem figuram,

ram, ſemper capacitate decreſcentes, pervadere vix poſſint, arteriarum minimarum renixu, ſub diaſtole cordis, retruduntur cor verſus, & hoc pacto in venulas ſanguineas, proxime ipſis obvias refunduntur. Quod ſi vero globuli pedem fixerint in medio vel extremis horum vaſculorum, natura iiſdem mediis ad illam ſtaſin utitur auferendam: quippe ſanguine, a cordis vi ſyſtaltica appulſo, arteriæ omnes, ideoque etiam occluſæ, diducuntur; unde globuli in iiſdem intercepti aliquantillum verſus canalium apices protruduntur; corde autem ad diaſtolen revertente & arteriis in ſyſtolen abeuntibus, a lateribus canalium, quibus infixi hærent, ſemet itidem contrahere conantibus, paululum cor verſus repelluntur inque priſtinum locum rediguntur: hoc ergo alternante arteriarum ſyſtaltico & diaſtaltico motu, aſſidue continuato, intercluſi ſanguinis globuli, ſingulis arteriarum vibrationibus, ultro citroque truduntur, ſicque ſenſim in maſſulas multo minores dividuntur & conteruntur, quæ hac via a mutuo ſuo amplexu divulſæ, comminutæ, & ipſa vaſculorum obſeratorum amplitudine longe minutiores redditæ, nunc (quum vaſculorum fines, ob diminutam molem ſuam, pervadere poſſint,) in motum circularem abiguntur inque venulas, obſtructis vaſculis connexas, propelluntur. Ecce tibi admirabile hoc mechanicum, quo ſapiens natura ad ſtaſes humorum tollendas utitur, artificium, brevius heic explicatum, quam tanta res dici poſſit. Data opera hoc loco tacitus prætereibo illos mechanicos ſtaſeos reſolvendæ modos, quibus medicamenta, ad eam diſpellendam a foris adhibita, agunt; quia de reſolutione atque inflammationis exſtinctione hic dixero, quatenus ſolius naturæ beneficio atque efficacitate eam perfici nobis ſubinde animadvertere licet, neutiquam vero artificis ope, ne diſſertationis modum excedam.

§. XXI.

Reſolutione vero incaſſum cadente ob quaſcunque cauſas, abit inflammatio ſuppurando in abſceſſum, qui alter eſt, quem habet quandoque, exitus, ubi cuncta, indivulſo comitatu incendium comitari ſolita in parte ægrotante ſymptomata, magnopere invaleſcunt: tumor ſenſim altius aſſurgit, ruborque in partibus incenſis mollibus intenditur, æſtus evadit ferventior, dolor aſperior & triſtior, quin ipſa febris aucta corpus perurit acerbius. Tum minima in loco inflammato diſſeminata vaſcula, abundantiore humorum, nunc ſtaſin radicibus defixam altioribus alluentium, vi ac mole obruta, & proinde immoderatius diſtenta, quum tantæ cruoris copiæ nec capiendæ & coërcendæ, nec tranſmittendæ ſint, incipiunt in ſuis lateribus fiſſuras ſeu rimulas agere, initio tenerrimas, per quas deinceps particulæ cruoris, omnium fere ſubtiliſſimæ, velut alibiles lymphaticæ, exſtillant in vicinas intercapedines, tum vero paulatim magis diductas & hiantes; effunduntur quoque partes ſanguinis ſeroſæ, tandemque etiam ipſæ rubicundæ ſanguineæ, quæ univerſa in unum locum paulatim aggregata & collecta, inſtratam quoque cutim ſenſim ſenſimque in ſublime extollunt, hocque pacto tumorem, gradatim aſſurgentem, pariunt. Liquida itaque hæc, ex ſuis perruptis vaſorum ſurculis elapſa, inque commune compluvium uſquequaque congreſſa, ibidem per aliquot tempus detenta, & loci calore aſſiduo fota, pedetentim in motum quendam inteſtinum, neſcio, quo nomine ſalutandum, leviter putreſcentem, an fermenteſcentem? abripiuntur, unde aliam, atque ipſis erat, canalibus ſuis coërcitis, naturam induunt. Dum vero effuſi hi ex vaſorum alveis liquores, inque unum communem locum confluentes, ita ſubſiſtendo a priſtina indole degenerant, ipſas proxime ſibi obvias partes ſolidas, paulatim correptas, emolliendo, macerando, liquando & depaſcendo corrumpunt, demoliuntur, inque liquamen quoddam convertunt, quod cum ipſis denique commixtum, illum ſpiſſum, album atque inolentem progignit laticem, puris nomine in Medicorum ſcholis inſignitum. Eſt itaque ſuppuratio ea inflammationis mutatio, qua liquidum, & obſtruens, & inflammans, ex ſuis vaſculis perruptis in vicina paulatim exterminantur loca, ubi conſiſtens, & ſuæ ipſius naturæ commiſſum, in motum quendam inteſtinum abripitur; quo ipſa ſolida, ibidem conſita, ſenſim abſumta, liquefacta, & cum liquidis confuſa, in liquamen album, ſpiſſum atque inodorum, quod pus vocatur, commutantur.

§. XXII.

Luculenter ex dictis apparebit, quare, incendio in apoſtema exeunte, cuncta ei uſitata ingraveſcant ſymptomata uſque eo, donec vaſculis diffiſſis, liquidi nimium hæc diſtendentis copia ex iis fuerit excuſſa, quo enim facto, dolor, calor, rubor ac febris retenduntur: quæ, quum ex iis de inflammatione ſupra expoſitis facile intelligantur, heic fuſius explicare nihil attinet. Quam diu purulenta hæc illuvies in occulto ſuo & communi latet compluvio, integumentis externis iiſque illæſis contecta, tam diu abſceſſus ſeu apoſtematis nomen retinet; quamprimum vero, ſepimentis hiſce exterioribus intus perruptis & patefactis, ſibi exitum aperuerit atque ex ſuo conceptaculo prodierit, ulcus appellari aſſolet. Quod ſi vero huic tabo exitus non maturatur, ſed ſpatium in ſuis latebris juſto diutius morandi, ſicque in parte affecta cuniculos agendi concedatur; aut ſi ulceris apertura adeo anguſta & parva, ut puri egreſſuro vix via exeundi pateat ſatis commoda, quod in ſuo ſpecu tum maximam partem relictum, diverticula quærendo partem ſuffodit & occultos ſinus excavat, ulcus vocatur ſinuoſum: ſin autem ipſius ulceris introitus jam occalluere, fiſtula nominatur. Alias ulcerum differentias, ab iis, quæ non nunquam ulceribus adjuncta ſunt, derivatas, unde diverſis nominibus deſignantur, heic de induſtria omittam.

§. XXIII.

At vero ſi incenſionis in parte inflammata vis neutra via, modo oſtenſa, deſinat, ſed latius ſe fundat, in gangrænam atque adeo ſphacelum erumpit. Hæc vero tum denique oriuntur, inflammatio ſi corpora inceſſerit impuris, ſalinis, acribus & ſpurcis humoribus redundantia, velut ſcorbutica, gallico morbo inquinata, idque genus complura alia; aut liquidis ſpiſſis & circumducendo per vaſa minus aptis prædita; vel viribus effœta & ſenio pene confecta, ubi canales tenerrimi ab humoribus illis acribus & corrodentibus, uberiore jam ſolito copia & citatiori motu in ipſos irrumpentibus, diſcinduntur & deſtruuntur; tum liquida, iiſdem ante contenta, foras exiguntur, inque circumjecta loca expelluntur, ubi commorando & reſtando tandem putreſcunt, illoſque funeſtos eventus, gradu duntaxat a ſe invicem diſtantes, gangrænam ſcilicet & ſphacelum pariunt. Ne vero longior ſim, quam decet, breviter horum vitiorum definitiones hic ſubjungere lubet, quo clarius inde intelligantur. Eſt itaque gangræna ea inflammationis mutatio, qua ſanguinis in parte incenſa, per vaſcula ibi collocata, circuitus, maximam partem eſt exſtinctus, plurimis ipſorum perruptis, laceratis, deſtructis & ſanguini vehendo plane

plane ineptis redditis, cum auſpicante effuſorum ex ipſis ac conſiſtentium liquidorum corruptione, repentina ardoris, ruboris, doloris & tumoris in loco affecto remiſſione conjuncta. Sphacelus vero eſt ea inflammationis mutatio, qua omnis humorum in parte morboſa acceſſus & receſſus per vaſcula, ibi diſſeminata & diſciſſa ſive diſrupta, uſque adeo interceptus eſt, ut omnis in ea ſenſus & motus pereat, cum effuſorum ibidemque plane ſubſiſtentium liquorum putrefactione, & partis demortuæ vaſtatione, algore, fœtore ſemper ſtipata. Perſpicuum ex his erit, ſanguinis qualemcunque in orbem motum per vaſcula quædam eſſe ſuperſtitem in gangræna: in ſphacelo contra ſanguinis progreſſum penitus eſſe per omnes canales reſtinctum & ſublatum: unde hominis ægrotantis vita non ulla alia via conſervari poteſt, quam partis ſphacelatæ exſtirpatione & amputatione; cum in gangræna, ſi mature convenienti medela ſuccurratur, ſanguinis per vaſa circuitus reſtitui ſæpius poſſit.

§. XXIV.

Ultimus tandem, quem inflammatio aliquando perfert, exitus eſt, qui ſcirrhi nomine venire ſolet, quo potiſſimum incenſio deſinit, glanduloſas corporis partes ſi comprehenderit, utpote quarum denſior eſt & magis conſtipata textura & habitudo; etiamſi nec aliæ corporis partes, ejuſdem ſint immunes. Conſiſtit autem ſcirrhus in tumore quodam præternaturali, perquam duro, indolente, frigido & inæquali, a materia quadam concreta, exſiccata atque indurata, in vaſis minimis hærente, oriundo, qui undecunque exſuſcitatus & exulceratus, in ipſum cancrum apertum, vel in ulcera, non niſi exſectione ulceratæ partis ſanabilia, ſæpius degenerat. Hæc itaque habui, de inflammatione quæ prius dicerem in univerſum, quam ad ipſam oſſium phlegmonen explicandam ingrediar, quo clarius inde & facilius perſpici poſſit, an & quo pacto ipſis oſſibus incendium accendi queat? cognita ergo inflammationis natura, de oſſium quoque ſtructura ut quædam præmittamus conveniet, quippe qua curatius excuſſa, liquidius judicare cuivis integrum erit, quemadmodum fieri poſſit, ut in ipſis oſſium penetralibus quandoque incendium oriatur.

CAPUT II.

De Oſſium fabrica.

§. XXV.

PAulo altius & a capite repetituro oſſium natales, atque attentius contemplaturo, quo ex fonte prima eorum elementa ac primordia emanaverint, ea ex colliquamenti liquidis, ἀμνίῳ incluſis, ſicut cunctarum reliquarum corporis partium, item fluxiſſe atque in mutuos ſenſim complexus coiiſſe, haud obſcure intelligetur, præclara illa de hominis origine obſervata, quæ in monumentis virorum, ab omni laude feliciorum, Harvæi & Malpighii, memoriæ exſtant commendata, ſi conſideratius perluſtraverit. His enim compertiſſimum eſt, naturam, admirabili ſane artificio, prima velut totius futuri animalis corporis lineamenta ducere & quaſi adumbrare ex pauxillo liquaminis, ovulo fœcundato innatantis, hacque ratione rudimenta omnibus inde naſcendis corporis partibus ponere: quibus faciem deinceps ac formam paulatim inducit expreſſiorem, & tandem, quum iiſdem, temporis progreſſu, plus incrementi ac roboris acceſſerit, ad exactam elegantiam, venuſtatem & magnitudinem perducere atque expolire, hacque via omne humani corporis ædificium exſtruere atque exædificare. Nihil ergo dubii eſt, quin, vel ipſa minuta tenelli embryonis oſcula ad unum omnia, ab eodem liquido rudimenta ſua fuerint auſpicata.

§. XXVI.

Nemini quoque mirum hoc videri crediderim, diligentius dummodo expenderit, ſolida ſic dicta omnia a fluidis non, niſi quiete, figura & cohæſione diſſidere n): unde etiam hæc, reſtincto illo motu, quo ipſorum minima corpuſcula, quaſi tecte, inter ſemet invicem continenter agitantur, vique in mutuum eumque arctiorem amplexum ruendi ipſis aucta, facile ſolidorum induunt naturam. Ex minimis ergo liquoris amnii particulis, antea fluidis, nunc vero quiete ſolidatis, tanquam ultimis naſcendi oſſis primordiis, eo ordine, quem Havers o), Santorinus p), Hambergerus q) & Gorterus r) dederunt delineatum, inter ſe connexis & conglutinatis, conflatur ſolidum, oblongum, nec pertuſum corpuſculum, quod non inepte fibra vocatur ultima. *conf. diſſertat. de ſenium diæta*, ſub Præſidio Viri conſummatæ eruditionis, *Illuſtris* Jo. Henr. Schultzii, Præceptoris ac Mæcenatis, omni honoris cultu ætatem mihi venerandi. Ex his præſtructis ſtaminibus, compoſitiſſima ſerie inter ſe contextis, conficitur planum flexile & plicatile, quod membrana cluet ultima: quæ cylindraceo cavo circumvoluta, vaſculum, ex omnibus omnis humani corporis minimum, a nerveo tubulo, vel, ſi mavis, filamento, nihil omnino abludens s), progignit, ultimi vaſculi nomen haud indigne ferens. Ultimos ergo hos corporis humani canaliculos qui cum Malpighio & Boerhaave nerveas appellaverit fibras, & pro primis omnium partium cum Santorino t) ſtaminibus venditaverit, a vero non aberrat. Nec obſcure jam indidem cuivis, mente hæc diligentius agitaturo, liquebit, quid cauſſæ, & Malpighio, & Gagliardo, fuerit, quamobrem teſtatiſſimis verbis oſtenderint, tenerrimas oſſium lamellas ex nerveis eſſe filamentis concinnatas u). Ex ultimis ergo jam explicatis vaſculis, elegantiori ordine diſpoſitis & inter ſemet conjunctis, enaſcitur pellicula, nequaquam vero fibrata, ſed vaſculoſa; quæ item in orbem contorta & meatu pervio adornata, novum profert vaſculum, minime vero minimum, ſed ex minimis canalibus conſtructum. Ex quibus deinceps, pari ratione inter ſe collectis, ſibique mutuo nexis, aliæ conſpectiores membranæ denuo excuduntur. Membranarum hic ex vaſis minoribus contextus; & vaſorum itidem ex hujuſcemodi tunicis, uſque eo pergit, dum humani corporis natura, quem in univerſis corporis partibus fabricandis ac perficiendis intendit finem, eſſe videtur conſequuta.

§. XXVII.

Atque his, in medium nunc prolatis, nihil commentitii

n) Boerhave *Inſtit. Med.* §. 443. Frid. Hoffmannus *Fundam. Med. Cap. II.* §. 31.
o) *Obſervat. de oſſib. Serm. V. Cap. I.* 220. & 21.
p) *Opuſcul. de ſtructur. & motu fibræ. N. VI.*
q) *Element. Phyſic. Cap. III.* §. 190.
r) *Medicin. Compend. Tract. I. N. VIII.*
s) Boerhaave *Libr. cit.* §. 440. & 700.
t) *Libr cit.*
u) *Anatom. oſſ. Part. I. Cap. I. obſerv. I.*

mentitii ficlique, nedum abſoni, ineſſe, (quamvis naturæ minutiſſima quæque viſui, etiamſi optimis microſcopiis adjuto, craſſis occultata & circumfuſa tenebris lateant) non fere ullo perſpiciet negotio, ſecum volutaturus, quantæ ſit teneritatis & mollitiei embryonis corpuſculum, in utero hoſpitantis; RUYSCHIUS quippe varios puſillos embryones, in ſuis ipſius conceptaculis, videlicet ovulis adhuc concluſos, deprehendit, qui tantæ fuerunt teneritudinis, ut, præ incredibili mollitie, liquaminis inſtar diffluxerint inque nihilum quaſi redacti fuerint, ovulo ipſo cæterum ſoſpite ac ſalvo, & a ſuo incola omnino vacante *x*). Quid? quod ſanctiſſime aſſeverat idem ille egregius obſervator, ſibi aliquoties ejuſmodi embryones fuiſſe traditos, quorum tanta fuit ſubtilitas, ut inter contemplandum liqueſcerent *y*): aſſervat quoque parvulum embryonis cujuſdam corpuſculum, ex umbilicali ſuo funiculo pendens, in quo nonnullæ partes etiamnum ſatis conſpicuæ ſunt, reliquis maximam partem liquatis atque in nihilum redactis *z*), argumento luce meridiana clariori, prima omnium corporis partium, ideoque etiam oſſium elementa, initio fuiſſe fluida atque ex amnii liquido profecta, quæ deinceps admirabili artificio digeſta ſibique mutuo vinculo nexa, prima totius ſtruendi ædificii humani fundamenta jaciunt.

§. XXVIII.

Jam vero ſi diſpiciamus, oſſium in fœtu facies quænam intuenti ea objiciatur ſpectanda? liquido apparebit, eorum plurima uſque adeo eſſe mollia, ut membranis quam proxime accedere videantur: quid? quod, ſi in embryonibus colluſtrantur, nihil aliud, niſi meras membranas eſſe, obſervationibus iis, a RUYSCHIO memoriæ proditis, id clariſſime teſtantibus. Solertiſſimus enim hic humanæ fabricæ inveſtigator, in fœtu bimeſtri vel trimeſtri, oſſa cranii nudas fuiſſe membranas, nec dum ullum oſſeæ texturæ veſtigium oſtendiſſe, crebrius reperit *a*). Id quod compluribus aliis obſervationibus adhuc fuſius comprobare ex facili mihi foret, per exempla heic ituro. Has vero naſcituri inde oſſis pelliculas, nequaquam eſſe ultimas, ſed impenſe multis ſanguineorum vaſorum ſurculis feſtive contextas, facile inveniet, ipſa cranii oſſa ex infantulo, recens in lucem edito, qui ſuiſmet unquam oculis uſurpaverit. Vaſcula hæc, per futuri oſſis membranam diſſeminata, ſi liquido ſuo perluente pedetentim fuerint orbata, vel cum eodem, ipſis inhærente & ſenſim ſenſimque congelato, concreta, in filamenta illa vel cartilaginea, vel oſſea abeunt, quibus ſingulæ, in pluribus oſſibus, lamellæ compinguntur.

§. XXIX.

Ex oſſeis his ſtaminibus ſeu fibris, innumero ſane numero ſibimet mutuo inſtratis, paulatimque exſiccatis atque induratis excitantur variæ oſſeæ laminæ, quæ ſibi mutuo, diſpari ordine & numero ſuperinductæ, ipſa tandem oſſa fingunt & conſtituunt. Eſt vero non eadem & conſimilis horum oſſeorum ſtaminum in univerſis oſſibus directio: quandoquidem in aliquibus, velut cranii, oſſibus ab uno in oſſium medio hærente puncto ſeſe diffundunt eorum peripheriam verſus; radiorum fere in modum, a corpore quodam lucido quaquaverſus diſperſorum *b*): in aliis vero oſſibus, quæ magno cavo inſtructa ſunt, velut femoris, tibiæ, humeri &c. ab altero ipſorum extremo exporrecta, ad alterum recta & παραλλήλως excurrunt *c*). Cogitate autem perhibui, ex oſſeis hiſce fibris bracteas ſeu lamellas conſtrui, quæ inter ſemet ipſas, diverſo ordine ac numero, conjunctæ & connexæ ipſum oſſium corpus ſeu diaphyſin efficerent. De quo qui forte dubitet, oſſa is modo inſpiciat, quæ, jam a longo tempore alternantibus variis cœli mutationibus atque injuriis offenſa, ſub dio humi jacuere, ubi inveniet, ea, dicto modo ſuis liquidis exhauſta atque exſucca, negotio minus difficili in plures oſſeas bracteas diffindi & diſſolvi poſſe. Quod longe etiam expeditius ſuccedit in oſſibus, ignis tortura moderate & ad juſtum duntaxat gradum exuſtis & calcinatis: omnium vero facillime divelluntur oſſium laminæ a ſua mutua cohærentia, ſi Papiniana machina fuerint emollita, hac quippe via, nullo negotio, dimoveri & a ſe invicem diduci ſe ſinunt *d*). Sic dicta quoque exfoliatio, quæ oſſibus ſubinde, ſuo perioſteo exteriori denudatis, uſu venire ſolet, ubi plures ſæpius ſquamas, deinceps deciduas, protrudunt, hoc abundanter evincit.

§. XXX.

Quamvis certo certius ſit, plurima corporis oſſa e variis laminis, initio membranaceis, ſenſim vero poſtea induratis vel in cartilagineam, vel in oſſeam ſubſtantiam, ac inter ſe conjunctis & ferruminatis eſſe compoſita: cave tamen exiſtimes eandem eſſe omnium humani corporis oſſium geneſin & fabricationem. Sunt enim, quæ non unquam membranei quid retulerunt, ſed tenui muco, ſua ipſius membrana involuto, ſenſimque in cartilagineam duritiem concreto, unde tandem, progrediente ætate, in oſſeam abeunt, fuere prognata, velut oſſa carpi, tarſi & ſterni: hæc quippe nullo tempore membranæ fuerunt, verum ex ſolo quodam muco, ſenſim occalleſcente, in oſſa induruerunt, quemadmodum hoc ita ſemper in fœtibus invenit Vir, inuſitatiſſima Anatomes peritia nulli ſecundus, Excellentiſſimus CASSEBOHMIUS, Præceptor & Patronus in primis mihi ætatem colendus. Sunt quoque plurimi Anatomicorum perverſa hac in ſententia, omnia corporis oſſa prius fuiſſe cartilagines, quam in oſſeam naturam tranſiiſſent; quum tamen, experientia ipſa loquente, cranii oſſa nunquam ullam cartilaginis ſpeciem exhibuerint, ſed, omiſſa & neglecta cartilaginum natura, proxime ex membranis in oſſeam duritiem & ingenium tranſmigraverint.

§. XXXI.

Luculenter ergo ex dictis elucebit, eum fruſtra operam eſſe ſumturum, qui illa oſſa ex ejuſmodi muco, tanquam primis ipſorum incunabilis orta, in varias lamellas diffindere conatus fuerit. Perveſtigaturus vero illa oſſa, quæ reapſe compluribus lamellis, ſibimet mutuo incumbentibus, coagmentata ſunt, iis caute diffractis, reperiet, harum bractearum ſeries in diverſis oſſibus admodum quoque eſſe diverſas & diſſimili ordine digeſtas. Namque in oſſibus, inſigni quodam ſpecu, medullæ recondendæ apto, intus adornatis, velut tibiæ, femoris, humeri, cubiti &c. eo ordine ſibi mutuo inſtratæ ſpectantur hæ laminæ, ut exterior & ſuperinducta ſemper lon-

x) *Theſaur. Anat. VI. No. XXXIX. & XL. Ibid. No. LXXXI. 5.*
y) *Theſaur. cit. No. XLIII. 3.*
z) *Eod. Theſ. No. XCIII.*
a) *Theſaur. Anat. III. p. 6. & Catalog. Rarior. No. VI. 1. & Ibid. No. VIII. 1.*
b) HEISTERUS *Compend. Anatom.* §. [illegible]
c) CLOPL. HAVERS *libr. cit. Serm. I. Cap. II. §. 26.*
d) WINSLOVIUS *Anat. Tom. I. de oſſib. exſicc. §. 89.* MALPIGHIUS *Diſſert. epiſt. cit. & Anat. Plant. Idea p. 4.*

longius excurrat & procerior ſit ea, quæ ipſi proxime ſubjacet: quæ gradata bractearum ſibi incumbentium porrectio atque increſcens longitudo, per omnem ipſarum ſeriem, pergit uſque ad extimas, cæteris omnibus ſubſtratis obductas: extima ergo oſſea ſtrata, quæ oſſium fiſtuloſorum ſuperficiem candida cruſta operiunt exteriorem, omnium ſunt longiſſima: quum ex adverſo ea, quæ intime locata hærent & ipſam medullam proxime cingunt, ex cunctis ſint breviſſima.

§. XXXII.

Longe aliter res ſe habet in iis oſſibus, quæ innumeris cavernulis ſeu forulis in ſuis penetralibus ſunt inſtructa, & unico vaſto cavo deſtituta, velut in cranii oſſibus, quippe quæ itidem perpluribus oſſeis bracteis, alia alii ſuperinductis, conſtant; ubi exterior ac ſuperior lamina ſemper arctioribus terminis circumſcripta conſpicitur, quam quæ huic proxime jacet ſubſtrata ſeu inferior: hinc quoque in fœtus craniis margo bracteæ inferioris ſemper obſervatur aliquantillum prominentior limbo ſuperſtructæ laminæ oſſeæ. Unde liquido apparet, plana oſſea exteriora in cranii oſſibus, velut frontis, bregmatis &c., quo longius ab infima lamella oſſea recedunt, eo ſemper evadere contractiora & minora. Extimam ergo oſſium cranii lamellam omnium eſſe minimam: ſicut e contrario infima horum oſſium lamella, ipſas cavernulas, binis cranii tabulis interjectas, proxime contegens, inter cunctas reliquas eſt maxima; Excellentiſſimo CASSEBOHMIO in ſuis lectionibus Anatomicis hoc ita ſæpius demonſtrante. Hinc quoque pronum eſt judicare, cur oſſium fiſtuloſorum parietes, in ſui medio, nunquam non multo craſſiores ſint ac denſiores, quam in ſuis extremis, HAVERS id præclare admonente *e*).

§. XXXIII.

De induſtria hoc loco tacitus præteribo DOMINIC. GAGLIARDI opinionem de mutua harum lamellarum cohærentia, quam peculiaribus quibuſdam oſſiculis, eaſdem inter ſe ita configentibus, acceptam eſſe ferendam, & ſibimet ipſe, & aliis perperam perſuaſerit *f*); neque eorum ſententiam heic perquiram, quibus perſuaſum eſt, diverſa illa oſſium ſtrata ſingulari quodam oſſeo ſucco, ceu ferrumine, præter illos oſſeos, quos jam commemoravi, clavulos, ad ſe invicem adjungi atque agglutinari *g*), quinimo ipſis oſſeis filamentis tantam duritiem atque oſſeam rigiditatem ab eodem circumfuſo ſenſimque concreſcibili oſſeo latice induci *h*); quum innumera ſane argumenta, rationis & experientiæ fulcris ſuffulta, hocque loco data opera reticenda, ejus exiſtentiam funditus convellant: verum ad ipſa oſſium penetralia colluſtranda ingrediar, utpote quæ dicendis atque inde deducendis plus luminis fœnerant.

§. XXXIV.

Ante vero quam ad oſſium interiora perſcrutanda aggrediamur, in rem noſtram erit diſtinctionem Anatomicis uſitatam adferre, qua diſpeſcuntur in oſſa fiſtuloſa, & cavernoſa ſeu ſpongioſa. Illa vocantur, quæ intus excavata & perquam conſpicuo ſunt inſtructa cavo, medullæ concludendæ accommodato: hæc vero, quæ hujuſmodi quidem antro concavo deſtituta, ipſius vero loco innumeris exiguis cellulis ſeu cavernulis intus ſunt donata, quæ oleoſo quodam & rubello ſucco perfunduntur. Inſpecturo itaque oſſis cujuſdam fiſtuloſi, velut cruris vel femoris, compagem, ſecundum ipſius longitudinem diſſectam, triplex ſe ſubſtantia offert conſpicienda. Una, a qua ſuam potiſſimum ſtabilitatem habet ac ſoliditatem, ipſius oſſeos fingit & format parietes: altera, quæ innumerabilibus cellulis & cancellis, admirabili artificio conſtructis, & mutuis aperturis inter ſe connexis, conſtat, (propterea quoque ſubſtantia cluet celluloſa ſeu ſpongioſa) in hujuſmodi oſſium extremis intus ſedem figit ſuam: tertia denique, reticulata WINSLOVIO dicta, intimam horum oſſium cavi partem eamque mediam ſibi vindicat, ubi in facie oſſei parietis interiore admodum conſpicua eſt.

§. XXXV.

Prima igitur ſubſtantia, qua magnum oſſi intus inſculptum cavum, tanquam oſſeis mœnibus cingitur, ex oſſeis laminis, denſiſſime ſtipatis atque inter ſe arctiſſimo nexu conjunctis, excitata eſt; quarum ea eſt collocatio, ut gradatim evadant breviores & ab oſſium extremis retractiores, in oſſibus nominatim fiſtuloſis: ex quibus interiores, prout ſenſim longitudine decreſcunt, a reliquis ſuperſtratis exterioribus bracteis diſcedendo interiora verſus deflectere, cumque oppoſitis totidem oſſeis ſtratis, ſimiliter reflexis, ſibique mutuo obviis, committi atque uniri ab HAVERS dicuntur *i*). Ex mutuo hoc laminarum oſſearum, ab oppoſitis oſſis parietibus profectarum conjugio, illud celluloſum ſeu cavernoſum, quod in utroque ejusdem oſſis fiſtuloſi extremo conſpicitur, opificium oriri, idem ille Auctor teſtis eſt *k*).

§. XXXVI.

Quanquam vero harum ſtrues cellularum elegantes referre videtur cancellos, ob plures fibrillas oſſeas, cellulis intertextas, ſibique mutuo paſſim implexas: nullo tamen negotio cuivis, intentioribus eas contuenti oculis, animadvertere licebit innumeras ipſis oſſeis filamentis interſertas eſſe exiles cavernulas ſeu cellulas, interjectis oſſeis ſepimentis nitide a ſe invicem interſtinctas, ita ut unaquæque cellula, ſuis ipſius parietibus oſſeis circumſepta, parvulæ cujusdam quaſi ciſtellulæ ſpeciem efficere videatur. Maxime vero annotari dignum eſt, cuicunque cellulæ ſuas eſſe aperturas, unde non medulloſo ſolum ſucco, in iis recondito, ſed ipſis quoque vaſorum, per ſubtiliſſimum cujuslibet cavernulæ perioſteum internum diſtributorum, ſurculis via, ex alia in aliam, patet ſatis expedita. Hæc eo magis hoc loco mihi monendum exiſtimavi, quo plus luminis intricatis oſſium morbis, in celluloſa hac oſſium textura perſæpe occultatis, affundunt.

§. XXXVII.

Tertia tandem oſſium ſubſtantia, quæ reticulata eſt, in magnis oſſium fiſtuloſorum cavis, medullæ complectendæ & recondendæ deſtinatis, occurrit, ubi interiorem ejusmodi ſpecuum ſuperficiem inveſtit. Structura ejus, quæ a retis cujusdam non multum abludit, compluribus oſſeis ac tenuibus filamentis, diverſo ordine inter ſe contextis, conſtat. Eſt præterea opus hoc reticulatum multis diverſæ magnitudinis foraminulis, retis cujusdam maculas feſtive referentibus, pertuſum, quæ totidem pene exiguorum canaliculorum, oblique in magnum oſſis cavum hiantium, oſtiola eſſe videntur: tenui quippe ſpecillo, ipſis intruſo, aditum ad perexiguos quosdam

e) *Libr. cit. Tab. I. Fig. I.*
f) *Libr. cit. Part. I. Obſervat. II.*
g) *Idem Ibid. Obſervat. VIII.*
h) M. MALPIGHIUS *Anat. Plant. Idea p.* 4.
i) *Libr. cit. Serm. I. cap. V.* §. 50. 51.
k) *Libr. cit. Serm. I. Cap. IV.* §. 53. *Tab. I. Fig. I. & Cap. V.* §. 55.

dam & occultos aperiunt meatus, per aliquod ſpatiolum excurrentes, qui cuncti in ſpectabile oſſis cavum, medullæ coërcendæ dicatum, oblique ſuis oſtiolis patent.

§. XXXVIII.

Sunt præterea oſſibus varia pororum & meatuum genera: quorum illi oleoſo ſeu medulloſo pingui ex parte vehendo & per ipſam oſſis compagem diſtribuendo inſervire videntur: hi vero vaſorum ſanguineorum, & perioſtei externi propagines, tam ad ſolidam oſſium ſubſtantiam, quam ipſorum penetralia & interiores receſſus transmittunt. HAVERS duo pororum genera, oſſibus aſſignavit, quorum quosdam per oſſeas laminas ex transverſo penetrare, & a cavo oſſis magno profectos per totam oſſei parietis craſſitudinem, transverſo quidem itinere, ſed non ita directo, ad uſque exteriorem ipſius pertingere faciem, diſerte perhibet *l*): alios vero intra ipſas oſſium bracteas, via recta, ab altera oſſis extremitate ad alteram ferri *m*). Priores ipſi dicuntur transverſi, poſteriores vero longitudinales. De poris ſtrata oſſium transverſe perforantibus, lubens fateor, eſſe tantæ eos exiguitatis, ut vix in oculos, licet optimis conſpicillis armatos, incurrant: mirari ergo ſatis nequeo, qui fieri potuerit, ut HAVERS, tam compoſitiſſima ſerie digeſti, comparuerint; quum tamen neque Solertiſſimo WINSLOVIO, neque Perſpicaciſſimo CASSEBOHMIO, ita, ut ab HAVERS deſcripti fuere, unquam occurrerint. Verum magis demiror, quomodo DOMINIC. GAGLIARDUS oſſeos ſuos claviculos in poros hos, uſque adeo exiles, vixque electiſſimis microſcopiis conſpicuos, adigere, hocque pacto oſſium bracteas inter ſe configere valuerit *n*), a cujus tamen opinione, Vir, cæteroquin minus credulus, Doctiſſimus MORGAGNUS non adeo abhorrere videtur *o*).

§. XXXIX.

Quamvis vero hæc transverſa oſſium ſpiracula, per quæ medulloſi quid ad oſſium exteriora in ſanitate exhalare fertur, viſui minus obvia ſint: multa tamen eaque præclara eorum in oſſibus præſentiam teſtatum faciunt documenta. Quod ſi enim oſſium quodvis, adhuc recens & medullæ plenum, ſuoque externo perioſteo prorſus deglubitum, in aprico quodam vel alio loco calido locaveris, uſque dum medulla incluſa liqueſcat, oculis, vel inermibus, uſurpare tibi licebit, quomodo hi pori liquatam medullam exſudent; quam ſi curatiſſime perterſeris, in eodemque loco repoſueris, oſſe hoc recaleſcente, idem tibi ſpectare integrum erit. Quoties hoc experimentum tibi reiterare volupe eſt, toties quoque eadem in eodem hoc oſſe obſervare poteris, uſque eo dum maxima medullæ in ipſo reconditæ pars fuerit excuſſa: argumento vix ullo teſtatiori, utique oſſis compagem ejusmodi poris redundare *p*).

§. XL.

De poris intra oſſium bracteas, ſecundum ipſorum longitudinem ductis, hic nihil attinet dicere, quum non facile ullus, qui de illis dubitet. Reſtat itaque, ut de iis quædam meatibus hoc loco ſubtexamus, qui vaſorum ſanguineorum ramis, & compactam oſſium ſubſtantiam, & horum medullam ſubeuntibus, tranſitum concedunt. Horum meatuum foramina in oſſium ſuperficie, potiſſimum fiſtuloſorum, viſui facile obvia ſunt: multo tamen frequentiora offenduntur in oſſium extremis, quam in media ipſorum regione. Exemplo nobis ſit os femoris, ubi foramina horum oſſeorum ductuum, quæ canales ſanguineos ingrediuntur, circa hujus oſſis cervicem, magna copia deprehenduntur, nec non in extremitate ipſius inferiore: longe autem rariora in hujus oſſis corpore occurrunt. In oſſibus vero cavernoſis vel, ſi magis arriſerit, ſpongioſis per omnem ipſorum faciem exteriorem diſſeminata cernuntur. Hoc vero omnium maxime notatu dignum eſt, hoſce meatus nunquam via recta, verum ſemper obliqua, per oſſeum corticem deſcendere; neque omnes ad oſſis vaſtum penetrare cavum, ſed complures intra oſſeas lamellas deferri ibidemque occultari.

§. XLI.

Cognitis ergo illis viis, quibus ſanguinis rivuli ad oſſium parietes æque ac medullam deducuntur; operæ pretium erit ipſa quoque ſanguinea vaſa, quæ oſſium parietes ingreſſa, in ipſorum ſeſe abdunt interiora, hoc loco contemplari, quippe quæ in oſſium incenſione utramque fere paginam faciunt. Oſſa quæque ſuis ipſius vaſis, & advehentibus, & revehentibus, non minus ſcatere, quam cunctas corporis alias partes, non ſana ſolum ratione perfacile intelligi poteſt, ſed experientia etiam ſuffragante ab omni dubitatione vindicatum eſt. RUYSCHIUS quippe, admirandis ſuis vaſorum injectionibus, evidentiſſime demonſtratum dedit, oſſa itidem, ut molliores corporis partes, ſanguineis vaſis eſſe inſtructiſſima: in ipſo enim patellæ meditullio, oſſea ejus cruſta perite ſcienterque prius ablata, tam incredibilem vaſorum ſanguineorum, miniata cera confertorum, nactus eſt abundantiam, ut intuenti eam admirationem injiciat *q*). Quid? quod quum ſanguineos craſſæ meningis canales ceraceo fartu implevit, factum eſt, ut injecta materies, per illas vaſorum duræ matris propagines, quæ cranii tabulas intrant frequentiſſimæ, in ipſam oſſeam cranii ſubſtantiam ſe diffunderet *r*), argumento non ullo alio illuſtriori, vaſa per omnem omnium oſſium fabricam quam numeroſiſſime eſſe diſſeminata. Alter, qui huic ſuccedit, teſtis locuples eſt Cl. HAVERS, qui aperte fatetur, ſibi contigiſſe vaſorum ſurculos, vel in ſolidiſſima quaque oſſium parte, atque adeo intra oſſeas ipſorum lamellas decurrentes videre, & per inſigne ſpatium proſequi *s*). Et; quamvis in quibusdam oſſium partibus ne veſtigium quidem alicujus vaſis ſanguinei appareat, ea tamen vel in albiſſima oſſium cortice, ſemper adeſſe, dummodo in oſſibus juniorum inveſtigarentur *t*).

§. XLII.

Vaſa vero hæc oſſium laminis abundantiſſime eſſe intexta, idem ille Præclarus Auctor recte colligit ex illa inſigni ἐκχυμώσει, quam in oſſe quodam ſolido ac perfecto, atque illa quidem ejus parte, quæ naturaliter alba eſſe ipſi videbatur, invenit *u*). Neque his abludit ipſe WINSLOVIUS, teſtatiſſimis oſtendens verbis, ſanguineos ductus, filorum tenuium inſtar, per foraminula in exteriore oſſium facie conſpicua ſeſe inſinuare in ſolidam eorum ſubſtantiam, in

l) *Libr. cit. Serm. I. cap. IV. §. 34. & 35.*
m) *Eod. loc. §. 37.*
n) *Libr. cit. Part. I. Cap. I. Obſ. II. & III.*
o) *Adverſ. Anat. II. Animadverſ. XXV. p. 55.*
p) WINSLOVIUS *Libr. & Tom. cit. §. 107.*
q) *Adverſ. Anatom. Medic. Chirurg. II. II. p. 3. & ſeqq.*
r) *Theſaur. Anat. maxim. No. CCVII. p. 30.*
s) *Libr. cit. Serm. I. Cap. VI. §. 60.*
t) *loc. cit.*
u) *Eodem loco.*

in qua, ſecundum oſſis longitudinem, intra oſſeas fibras proſerperent *x*). Quæ, quum tam ſint clara, tam explorata, ut oculis judicari queant, cuicunque ſatis eſſe perſuaſum credam, cuncta corporis humani oſſa item, ut omnes molliores partes, in quavis ſui parte, vel duriſſima quaque, vaſis exuberare ſanguineis.

§. XLIII.

Eſt autem Havers ea in ſententia, arterias venasque, oſſis compagem ingreſſas, minime ſeſe in ſuo itinere concomitari, verum unamquamque, ſolam atque incomitatam, iter ſuum per oſſis texturam emetiri: luculentioribus quippe verbis tradit: quamlibet arteriam, a vena ſocia deſtitutam, per ſuum ipſius foramen, in oſſium ſe ſubſtantiam immergere, ea ſcilicet in extremitate eorum, quæ a corporis trunco propius abeſt, a qua deinde incomitatam pergere ad alterum idque oppoſitum oſſis extremum, ubi in venam deſineret, quæ ergo in extremitate oſſis, a trunco corporis remotiore, itidem per ſuum peculiare foramen, ex oſſeo munimento, emergeret. Verum enim vero Excellentiſſ. Cassebohmius, qui corporum diſſecandorum peritia nemini cedit, omni mihi aſſeveratione affirmavit, ſe ſemper inveniſſe, arteriis in receſſus oſſium interiores ſeſe recondentibus, venas æque comites hærere, quæ per unum idemque in oſſe foramen, hujus ſubſtantiam ſubirent, & individuo comitatu per ipſam ſe comitarentur, atque in omnibus aliis corporis partibus: quicum etiam Winslovius *y*) & Dominic. Gagliardus *z*) concinunt. Feruntur autem hæ vaſorum propagines non intra oſſium modo bracteas ſatis frequentes; ſed ad eorum celluloſam quoque ſtruem, intus latitantem, ubi ramulos cuicunque cavernulæ impertiunt: Doctiſſimus enim Cassebohmius, non tantum ſuis in lectionibus hos, in celluloſa oſſium ſubſtantia progerminantes vaſorum ſurculos, perſpicue videndos exhibuit; ſed omnium fere primus quoque demonſtravit, quomodo ſanguinei hi rivuli ex alia in aliam ſemper cellulam, per mutuos harum aditus, proſerpant, ſeque hoc pacto per univerſam cellularum congeriem diffundant. Sunt præterea perplures vaſorum rami, tam arterioſi, quam venoſi, qui per oſſeum corticem delati, ipſam medullam adeunt.

§. XLIV.

Expoſito itaque oſſeo cortice, quanta fieri potuit brevitate, in eo jam eſt, ut ipſam quoque medullam, quæ ei inclusa, tanquam nucleus inhæret ſuo putamini, luſtremus. Uſitatum eſt Anatomicis eam diſcernere in medullam κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictam, quæ in ſpecu duntaxat oſſium conſidet fiſtuloſorum, velut humeri, cruris, femoris &c. & ſuccum medullarem, qui in cavernulis ſeu forulis celluloſæ delitescit ſubſtantiæ, tam oſſium fiſtuloſorum, quam ſpongioſorum, ſatis fluidus eſt & coloris rubelli. Medullam hanc a reliqua corporis pinguedine non, niſi loco & teneritate tantum diſſidere, ipſa loquitur experientia: eſt quippe innumerabilium congeries folliculorum, tenerrimis membranulis conſtructorum, & inter ſe invicem ita connexorum, ut via ex alio in alium pateſcat, qui naturaliter oleoſo liquamine, per arteriolas eo delato, & quiete aliquantulum craſſeſcente fœti ac turgidi ſunt. Omnes hæ veſiculæ medulloſæ obvolvuntur membrana communi, quæ ſummæ eſt teneritatis & perioſteum cieri ſolet internum: quia interiorem oſſei corticis ambitum ſuccingit, eidemque infinito vaſorum capillarium numero adnexa eſt *a*). Patefecit quippe Ruyschius, hanc prætenuem medullæ membranam vaſculis ſanguineis usque adeo affluere, ut, iis cera rubra diſtentis, tota rubeſcat *b*): imo, quod magis mirandum, incomparabilis Anatomicus Cassebohmius perioſteum hoc internum, vaſculis ſanguineis irrigatum, in oſſiculorum auditus, mallei ſcilicet & incudis cavitatibus omnium primus detexit *c*).

§. XLV.

Succus vero ille, medullaris qui vocatur, in iis membranaceis veſiculis colligitur, quæ oſſea cellularum ſepimenta veſtiunt, ipſisque pro perioſteo interno inſerviunt: eſt enim unaquaque oſſea cellula intus admirandæ teneritatis pellicula, veluti periſtromate, obtecta, cui permultæ vaſorum ſanguineorum propagines conſpiciuntur inextæ, quæ per mutuos ipſarum hiatus, quibus ex alia in aliam, proxime ipſi adſtructam, itur, e ſuis cavernis proreptæ, in alias ſemper feruntur. Per eosdem quoque cellularum exitus ipſi medulloſo etiam ſucco, in his forulis, perioſteo interno obductis, diverſanti, via aperitur ſuis cavernulis exeundi, atque in alias transmigrandi. Neque ſilentio prætereundum cenſeo, hanc medullæ circumvolutam communem membranam aque atque illam, quæ cellulas oſſeas conveſtit, acutiſſimo ſenſu pollere, Winslovio id præclare admonente *d*), qui cum Ruyschius quoque conſentit, hanc membranam, ajens, undecunque acri quadam illuvie arroſam, dolores movere acerbiſſimos *e*), teſtimonio ſatis luculento, interius hoc perioſteum fibris nerveis, utpote omnis doloris procreatricibus, eſſe dotatiſſimum. Nemo quoque hoc facile dubitabit, expenſurus, ingemiſcere aliquando ægrotos atque adeo ejulare vi ac magnitudine dolorum, quos in imo ſibi oſſium meditullio hærere & diſtinctiſſime ſentiri, queribunda voce ſignificant, cujus non ulla eſſe alia videtur cauſa, atque hoc internum perioſteum, Ruyschio id ſæpius animadvertente.

§. XLVI.

Quanquam rei naturæ convenientius egiſſe viderer, de perioſteo exteriori ſi ſtatim ineunte hoc capite verba feciſſem: conſulto tamen ab hoc ordine deflexero; quia pauca tantum habeo, quæ in præſenti de hoc oſſium involucro dicam: malui idcirco ea hoc loco ſubnectere, quam aliis, ad dicenda rectius intelligenda magis neceſſariis, præmittere. Univerſa corporis oſſa, ſi a dentium parte, ſupra gingivas eminente, & illorum oſſium extremis, quæ per laxiores ad motum commiſſuras inter ſe connectuntur, diſceſſeris, membrana mediocriter quidem craſſa, ſed perquam valida & transparente circumveſtiuntur, quæ ſubtiliſſimis fibris, & nerveis, & tendineis, tam denſe eſt contexta, ut vix ſe extendi patiatur, quid? quod ſenſu pollet adeo exquiſito, ut undecunque, vel diſtento, vel alio pacto gravius afflicta, impenſos ſane dolores progignat *f*). Eſt inſuper tam inſana vaſorum ſanguineorum in hoc oſſium tegmine redundantia, ut vix credibile foret, niſi Ruyschius ea ſuis injectionibus in apricum protuliſſet: vaſculis enim

x) *Libr. cit. Tom. I. Tract. de oſſ. recent.* §. 79.
y) *Libr. cit. loc. cit.*
z) *Libr. cit. Part. I. Obſ. VI.*
a) Winslovius *Libr. & Tom. cit* §. 74.
b) *Theſaur. Anat. IX. No. XIII. 3. & Theſ. Anat. X. No. CLXXXII. Tab. III. Fig. II. lit. C.*
c) *Tract. de Aur. human. Tract. IV.* §. 142.
d) *Libr. & loc. cit.* §. 78.
e) *Theſaur. Anat. X. No. CLXXXII.*
f) Winslovius *Libr. cit. Tom. I. de recent. oſſ.* §. 60.

enim ejus rubicunda cera effartis coccinei panni illud induitæ faciem, aperte teſtatur g).

§. XLVII.

Hoc oſſium velamen, quod externam eorum ſuperficiem immediate circumplectitur, ab interiore ſua facie, oſſium convexitatem reſpiciente, innumeras protrudit propagines membranaceas, capillaribus vaſculis & nerveis ſurculis inſtructiſſimas h), quæ per exigua, in oſſium ambitu obvia ipſis foraminula, in ipſam oſſeam ſeſe inſinuant compagem, ubi ſanguinea hæc vaſcula, a membranaceis his productionibus eo delata, oſſeas lamellas interluunt. Involvit inſuper venas atque arterias conſpectiores, ad oſſium interiora contendentes, quas eo comitatur i). Liquido itaque ex adductis apparebit, id utilitatis hanc membranam oſſibus præſtare, ut non ſanguineos ſolum ramos, uberrima copia oſſium penetralia & abſtruſiores receſſus intrantes, ſuffulciat & affectetur; ſed ipſos quoque nerveos ſurculos eodem adducat: hinc quoque WINSLOVIO non abſonum fidei & a vero alienum videtur, certas oſſium portiones aliquo ſenſu, quantumvis perquam obtuſo atque hebeti, quem ab nerveis hiſce propaginibus haberent, eſſe præditas, k), cui nec HAVERS adverſum tenet, diſerte pronuntians, oſſa ſenſu quodam interno eſſe donata, ita ut in ſua non modo membrana, ſed ſua ipſius quoque ſubſtantia ſentire dici poſſet l). Verum enim vero exorſam telam vix ac ne vix quidem pertexere mihi liceret, cuncta, quæ de hoc oſſium involucro juxta atque ipſorum fabrica dici poſſent, expromere conaturo: ſufficiat ergo nobis eorum ſtructuram noſtro fini convenienter hoc loco explicaſſe: ea quippe intellecta, proclive erit judicare, utrum oſſa inflammari queant, nec ne? id quod quo clarius perſpiciatur, ipſi oſſium inflammationi nos accingamus excutiendæ.

CAPUT III.

De Oſſium inflammatione.

§. XLVIII.

POſtquam itaque veram cujusvis inflammationis indolem ac formam habemus cognitam, nec non ipſorum oſſium fabricationem, nullo negotio vel ſolius tantum ſanæ rationis uſu intelligemus, nihil obſtare, cur incendium oſſa eorumque partes non æque facile comprehendat, atque alias corporis partes. Etenim quum ex ſupra traditis in confeſſo ſit, incenſionem in omnibus iis corporis partibus, quæ ſanguineis largiter irrigatæ ſunt rivulis, ſuſcitari & ſufflari poſſe; explicata vero oſſium fabrica exploratiſſimum ſit, ea locupletiſſimo vaſorum penu omnino eſſe inſtructa: non quoque ulla ulli erit dubitatio, quin pariter inflammari queant, atque omnes aliæ corporis partes. At vero curatius qui expenderit eximiam illam, quæ cunctis oſſibus, præ aliis corporis partibus, priva eſt, duritiem cum ſenſu adeo hebeti atque obſcuro, (perioſtea ipſorum ſi exceperis) conjunctam, ut, an hoc nomine dignus ſit, affirmare vereat; nullo ſane is negotio perſpiciet, in cauſa hæc potiſſimum eſſe, cur phlegmone oſſium interiora ſi obſederit, non tam claris ſignis luceat ac phænomenis, quam ſi in partibus, acrius ſentientibus, reſederit; verum tam obſcure atque occultiſſime quandoque ſerpat, ut vel perſpicaciſſimo cuicunque Medentium vix ac ne vix quidem integrum ſit, abdite latitantis incendii vim ac fomitem ſubinde pernoſcere.

§. XLIX.

Atque quid opus eſt verbis & argumentis, moleſta ſedulitate, ad inflammationem oſſium ſtabiliendam, uſquequaque conquiſitis, ubi rerum adſunt teſtimonia, omni luce clariora atque illuſtriora, quæ quemcunque de ea dubitantem convincunt: ALEXANDER quippe BENEDICTUS perſpicuis tradit verbis, in muliere quadam, gallico morbo interemta & ab obitu, fontis, unde malum produxit, perquirendi gratia, diſſecta ſe inveniſſe, oſſa ſub membranis ſuis quidem integra, at tumentia & ad medullam uſque ſuppurata, ea duntaxat ratione, quoniam & ipſa nutrirentur, & abſceſſibus ob id adficerentur m). Cui alter locuples teſtis, MONTUUS ſuccedit, *quandoque*, inquiens, *in ſuppurationem tranſit coxendix, quem tranſitum in calceolario Viennæ & vidimus & curavimus n*). Nec abludit illis BENIVENIUS, *inventus eſt*, ajens, *peſtifer humor in coxa. quo magna pars oſſis eroſa, etiam in cinerem verſa videbatur o*).

§. L.

Omnium vero evidentiſſime probavit, in ipſis aliquando oſſium abditis atque adeo medullis. incendia exoriri, quæ, niſi tempeſtive & decenter reprimantur, haud inſolenter in ſuppurationem contenderent, celebratiſſimi nominis Vir, JOANN. LUDOV. PETIT, qui inuſitatiſſimum quoddam affert exemplum, quo non facile aliud ullum illuſtrius. Dicit enim, ſe aliquando homini cuidam, lue venerea polluto ſuppetias tuliſſe, qui verum abſceſſum, prævia quadam inflammatione natum, inque oſſis femoris interioribus reconditum geſſiſſet; & quamvis ipſi, ad malum hoc radicitus exſtirpandum, mercurialis ſalivatio, non ſine inſigni levamine & ipſius fœdæ luis expulſione, fuiſſet adhibita, tantum tamen abfuiſſe, ut acerbi dolores, qui, profligata lue, in hujus ægrotantis oſſibus ſuperſtites remanſere, a ſalivatione confecta ſiluerint, ut contra quatuordecim poſt diebus, ſenſim invaluerint cum febre accedente. Quod vero maxime animadverſu dignum, eſt, quod ipſum femoris os inflammatum externa ſua facie rubicundum apparuerit, &, manibus contrectatum, vehementer doluerit; eo tandem terebra chirurgica perfoſſo, ut ad ipſius penetralia aditus remediis pateret, ingens putris saniei & graveolentis vis & copia ex abſtruſis hujus oſſis receſſibus & latebris prorupit. Quid? quod recondita in ejus cavo medulla pedetentim uſque adeo delicuit, ut effuſo pure, oſſeum hunc ſpecum omni ſuo medulloſo plane exhauſtum ac vacuum nactus fuerit p), teſtimonio ſole meridiano clariore oſſa item, ut cunctas alias partes, incendio ſubinde comprehendi.

§. LI.

g) *Epiſt. Anat. V. p. 6. Tab. V. Fig. 1. & 2. & Epiſt. Anat. II. Tab. II. Fig. 3. It. Adverſ. Anat. Tab. II. Fig. 8.*

h) WINSLOVI s *loc. cit. §. 62.*

i) D. GAGLIARDUS *Libr. cit. loc. adduct.*

k) *Libr. cit. loc. eod. 65.*

l) *Libr. cit. Serm. I. Cap. III. §. 21.*

m) *Anatom. Libr. 1. Cap. 6.*

n) *Cap. 54. Tom. 4.*

o) *Cap. 79. Abditor.*

p) *Tract. de Morb. oſſ. H. C. Part. II. Cap. XVII.*

§. LI.

Animus ſi mihi foret plura hoc loco exempla, ab ipſis oſſium morbis petita, quibus dictorum veritas & certitudo magis adſtrui & communiri poſſit; aut graviſſimorum ſcriptorum teſtimonia coacervare, quorum tamen ſatis magnam vim atque copiam recenſere nullius fere negotii eſſet, vix mihi exitus in latiſſimo hoc differendi campo pateret: volupe tamen ſi cui foret Auctorum, qui præclaris ſuis obſervatis abunde teſtatum fecerunt, oſſa ſubinde incendio & abſceſſibus corrumpi, ſuffragia colligere, adeat is LANGIUM *q*), SCHENCKIUM *r*), FABRIC. HILDANUM *s*), BOERHAAVE *t*), JOAN. CHR. HEYNIUM *u*), inque primis PETITUM *x*): ubi largam obſervationum pulcherrimarum meſſem, quæ hoc luculenter declarant, deprehendet.

§. LII.

Verum enim vero æqua animi lance ponderaturus, quæ de diverſa unius ejusdemque vel cujusvis oſſis conſtructione explicata leguntur (Cap. II.), facile intelliget, inflammationem nequaquam eadem ſemper facie ac forma indutam, in omnibus ipſius partibus, eſſe inceſſuram, ſed pro ipſius, quem in eo occupaverit, loci ingenio & diverſitate, admodum quoque mutata variaque ſe fore oſtenſuram: quid? quod disjunctis quoque inter ſe eventibus exituram. Quod ſi enim corporis humores ſtagnent in illis vaſorum rivulis, qui per compagem oſſium denſiſſimam, lamellos ipſorum inter, deducti ſunt, quisque, vel me tacente, videbit, incendium inde exortum multo obſcurius atque occultius eſſe ſerpturum, ob duriſſima oſſea ſepimenta ſanguineis vaſculis circumdata, vixque ſenſu quodam, ſi forte ullo, prædita, quam ſi in celluloſa ipſorum ſubſtantia, aut interno ſedem ſuam ceperit perioſteo. Quod quum ita ſit, non abs re fore autumo, ſi, præeunte magno BOERHAAVE, in præſenti oſtendamus, quid diſcriminis inter illos, qui oſſibus accidere ſolent, morbos intercedat.

§. LIII.

Omnes vero, qui oſſa tentare aſſolent, morbi, vel hærent in ipſorum perioſteo defixi externo; vel in ipſa ſolida duraque oſſea fabrica, e pluribus ſtratis, ſibimet mutuo nexis, excitata, reſident; vel ſedem ſibi figunt in cavernoſa ſeu celluloſa eorum textura; vel perioſteum tenent internum; vel denique in ipſa medulla ſtabulantur. Solet vero incendii vis plerumque, in una harum cujuscunque oſſis partium ſi fuerit ſubortum, ſe latius in alias ipſius diffundere, ita, ut perioſteo velut interno, undecunque inflammatione incenſo, ex hoc, vel ad incluſam utplurimum medullam, vel ad circumvolutum ipſi corticem oſſeum, vel ad utraque ſimul tranſeat. Quemadmodum id quoque obſervatur in loculis ſubſtantiæ celluloſæ, aut in externo perioſteo ſi morbi fomes gliſcit. Prout ergo phlegmone in hac illave oſſis ejusdem parte fuerit enata, ipſa quoque inflammationis & ſymptomata, & eventus a ſe invicem disjuncta erunt.

§. LIV.

Quod itaque ad illos attinet morbos, quorum incunabula in exteriori ſunt perioſteo, quippe qui utplurimum ex eo in ſolidam quoque oſſium ſubſtantiam redundant ipſique labem inferunt, non eſt, cur eos ſpeciatim heic pertractemus, niſi quatenus inde vitium oſſibus acceſſit. Videmus enim oſſa plerumque vitia facere, perioſteo externo inflammato, contuſo, vulnerato, exulcerato, vel alia quadam via offenſo. Innumera ſe nobis offerunt exempla, quibus hoc confirmare valeamus, niſi brevitatis ratio nobis foret habenda. Quænam vero ſubſit cauſa, quamobrem ipſa oſſa nonnunquam cariem inducunt, perioſteo ſuo externo orbata, ex dicendis clarius cernetur.

§. LV.

Prius autem quam ad illos oſſium morbos, qui in abditioribus ipſorum atque interioribus latebris, quinimo mediis ſubinde medullis, velut natali ſuo loco progignuntur, ingrediar excutiendos, vix teneor, quin apertius dicam, oſſium morbos a plerisque rei Chirurgicæ ſcriptoribus, in primis antiquioribus, adeo obſcure & leviter, quin perplexe in ipſorum monumentis eſſe traditos, ut vix quicquam aliud, præter quam ipſorum cariem attigerint. Quid? quod nec inter Recentiores quidem, vel optimos quosque, qui de oſſium vitiis aliquid literis mandarunt, convenit, quotena morborum genera ipſis accidere poſſint, aut quemadmodum a ſe invicem diſſideant. His itaque conſideratis, ſpero futurum eſſe, ut nemo mihi, ingenii mei vires experturo, vitio vertat, ſi in morbis eorum excutiendis, non ita rem acu tetigero, ut in votis fuit, præſertim quum tam pauci ſint, qui in hac tam ardua, tamque contorta re mihi, ſi a BOERHAAVE paucisque aliis diſceſſero, præluxerunt.

§. LVI.

In cenſu igitur morborum, in denſa duraque oſſium compage qui pedem ſubinde figunt, primas ferre videtur ipſorum caries, quæ conſiſtit in ſoluta ipſius oſſeæ ſubſtantiæ continuitate, qua hujus lamellæ paulatim ita invertuntur & deſtruuntur, ut in exiguas ſquamulas ſeu furfures, ſenſim ſenſimque deciduos, fatiſcant, cum ſuperficiei oſſis aſperitate ſeu inæqualitate, ſi in hujus externa hæret facie, ſemper ſtipata. Non ſum quidem neſcius, hanc de oſſium teredine definitionem non cuivis probatum iri, quum longius ab ea diſſideat, quæ rei chirurgicæ deditis uſitata & recepta. Eſt quippe ea plurimorum ſententia, illa oſſa, quæ cariem ſentiunt, non colorem modo ſuum album aſſiduo permutare cum flaveſcente aut nigricante; ſed ichorem quoque graviter olentem fundere: quæ quum noſtra in definitione non legantur, eam pluribus forte mancam videri poſſe, facile crediderim. At vero quum, experientia ipſa docente, oſſa carie corrupta haud raro reperiantur, his dotibus prorſus deſtituta, malui ab recepta definitione diſcedere, quam in leges definitionis rite condendæ peccare. Namque RUYSCHIUS teſtis eſt, ſemet oſſa, quæ teredinis injurias ſenſerunt, pluries inveniſſe, in quibus ne ullum quidem, vel minimum, nigroris aut alius cujusdam coloris inuſitati veſtigium exſtitit, ſed quæ nativum nitorem retinuerunt, quamvis carie ita ſuerint vitiata, quaſi vermibus forent exeſa inque minutiſſimas ſquamulas comminuta: quamdiu enim, inquit, oſſa ſuis integumentis exterioribus probe munita ſicque ab externo aëris allapſu tuta eſſent defenſaque, tam diu ea quoque eſſe ab atrore aliove peregrino colore immunia

q) *Epiſt.* 42. *Tom.* 2.
r) *Obſervat. de Fract. & oſſib.*
s) *Chirurg. Cent. II. Obſ.* 36. 68. *Cent. VI. Obſ. LXXIV.*
t) *Aphoriſm. de Morb. oſſ.* §. 512. *& ſeqq.*
u) *Tentam. Chirurg. Medic. de præcip. oſſ. Morb.*
x) *Tract. cit. Cap. cit.*

munia *y*). Eodem quoque Auctore diſcimus, interdum oſſa teredine vitiari ſine ullo ſanioſæ uliginis ſtillicidio: offendit enim coſtas, ab inſanæ molis aneuriſmate, in aorta nato, ipſisque accreto, usque adeo fuiſſe corroſas & carie conſumtas, ut maximam partem defecerint *z*). Quod eidem obſervatum eſt in alio quodam, itidem aortæ aneuriſmate excruciato, quod tantæ fuit vaſtitatis, ut coſtas fere omnes cum annexo ſterno, carie ipſis a ſolo violentiori hujus tumoris preſſu affricta, depaverit *a*). Documento omnium oculis teſtatiori, oſſa ſæpius cariem inducere ſine ulla, nec nativi coloris mutatione, nec tabi cujusdam effuſione. Ex quo itaque clare etiam apparebit, illam communem teredinis definitionem in illud cariei genus duntaxat convenire, quæ oſſibus ab ulcere quodam ſupernato, vel fiſtula, aut vulnere, libero aëris acceſſui patente, fuit illata, quippe quæ & multum ſaniei profundit, & ingenitum oſſis colorem mutat; nequaquam vero in quamcunque cariem quadrare.

§. LVII.

Sunt quoque, qui teredinis vocabulum tam arctis includunt limitibus, ut nullam aliam, niſi eam oſſium corruptionem, quæ a foris in horum compagem, velut a vulnere, abſceſſu, ulcere &c. fuit derivata, hoc nomine velint intellectam: quæ vero in oſſium interioribus, ceu primis ipſius incunabulis, orta, inde usque foras proſerpit, &, pereſo oſſis cortice, in externa hujus ſuperficie ſe tum demum oſtendit, ſpinæ ventoſæ nomine inſigniri cupiunt *b*). Quanquam vero lubens largiar, cariem ſpinæ ventoſæ ſemper hærere comitem, quin certam cariei eſſe ſpeciem: non tamen propter ea omnem, in oſſium penetralibus enatam cariem, ſtatim pro ſpina ventoſa eſſe venditandam arbitror: ſicut enim pædarthrocace in ipſis oſſium interaneis, item caries quoque iſthic aliquando oriri poteſt, quemadmodum hoc ſpectare licet in illa oſſium corruptione, quæ natales ſuos ducit ab infectione venerea, ſcorbuto, aut ab ipſis exoſtoſibus, vel benignis, celeberrimo Pariſienſium Chirurgo Petit recte id annotante.

§. LVIII.

Conciliatur vero carioſa ejusmodi corruptio oſſium ſoliditati, vel a cauſis externis, vel internis, in penitiſſimis eorum receſſibus abdite latitantibus. Ex illarum numero ſunt omnia, quæ externum perioſteum premendo, contundendo, inflammando, exulcerando, peredendo, conſumendo, vulnerando, aut arctiſſimum ipſius cum oſſeo ſepimento, per tot innumerabiles vaſorum myriades, nexum laxando, deſtruunt ita ac devaſtant, ut liquidorum expeditus inde ad oſſa acceſſus & receſſus vel retardetur, vel omnino intercludatur; ut fit a ſupernatis abſceſſibus, ulceribus, tumoribus, plagis cruentis, idque genus ſexcentis aliis. In harum vero cenſum veniunt, quæcunque humores ejusmodi dotibus adornant, ut in tenerrimis vaſorum propaginibus, foliaceæ oſſium ſubſtantiæ affatim interſitis, conſiſtant; velut qualiſcunque liquidorum acrimonia atque inſolens ſpiſſitudo, venerea ſit, ſive ſcorbutica vel rachitica, aut alius indolis. Quod ſi enim tanta eſt humorum ſpiſſitudo, non poteſt fieri, ut tam ſubtiliſſima & anguſtiſſima vaſcula, quæ oſſeas interluunt lamellas, pervadant; hinc neceſſario in iis ſubſiſtendo obſtructionem efficiunt; id quod etiam fit acribus ſi redundant partibus, utpote quæ, movendo minus aptæ, ſi tantæ anguſtiæ canaliculos cum ſanguine intrant, qui ob circumſtructos rigidos parietes oſſeos ſe dilatari non patiuntur, itidem in iis pedem figunt, ſicque obſtructionem faciunt, quinimo ipſa vaſcula lædunt; unde oſſea ſtrata cariem ſentiunt.

§. LIX.

Lubens itaque fateor, in oſſium carie, ſi a perioſteo externo natales fuerit ſuos mutuata, vix aut omnino non inflammationem quandam prægreſſam, tanquam cauſam, accuſari poſſe, ſed potius culpam in humores, in minimis vaſorum ſurculis, per oſſis ambitum diſſeminatis, jamque a nexu cum perioſteo disjunctis, reſtitantes, eſſe conferendam, utpote qui, acrimonia jam imbuti, aut eam mora & quiete iſthic demum nacti, conſumtis ſuis vaſculis, ipſas oſſium bracteas erodunt, hocque pacto cariem oſſi inferunt. Quum enim in omni teredine, quam oſſa in ſua facie externa ſentiunt, perioſteum exterius, niſi ab oſſis convexitate avulſum, ſemper tamen laxatum & liberatum deprehendatur, inde manifeſto apparebit, ſanguineos ex hac membrana in oſſium compagem demiſſos canaliculos, ab ipſa nunc eſſe plane abreptos ac ſejugatos; ergo ſanguini, neque aditum ex hoc perioſteo ad oſſis denſitatem, neque regreſſum patere ullum: hinc liquoribus neceſſario ſubſiſtendum eſt in vaſculis, per cruſtam oſſis exteriorem diſtributis: qui tum immoti ibidem hærentes, & alienam indolem contrahentes, oſſa carie vitiant. Eſt quidem hæc Celeberrimi Petit ſententia, cariem æque atque exoſtoſes inde oriri: quia in illa oſſis parte, ubi perioſteum ab oſſis ſuperficie revulſum aut dimotum eſt, & liquorum per deſtructa vaſcula motus, & oſſis nutritio, plane ceſſant *c*). At vero ſola vaſorum inde enata obſtructio & nutritionis defectus, vix oſſi corrumpendo ſuppetere mihi videntur, quum obſervationes exſtent, ubi oſſa, velut cranii, ſuo perioſteo magnam ſane partem denudata & deglupta, nihil carioſi ſenſerunt *d*). Vero itaque ſimilius videtur, non oleum modo medullare in ſuis meatibus ſubſiſtens, rancorem ducere, h. e. a ſua blanda diatheſi dejectum, acrem & rodentem naturam adipiſci; ſed ipſa quoque liquida, in vaſculis dilaceratis conſiſtentia, eodem ingenio indui, unde lamellarum mutuus nexus ſenſim ſolvitur, ipſæque oſſeæ fibræ, jam exſuccæ & fragiles redditæ, a ſuo mutuo amplexu ita dimoventur, ut in ſquamulas, furfures, quinimo ſubinde in pollinem paulatim fatiſcant. Quod ſi vero oſſibus vitium hoc a cauſa quadam interna, velut ſcorbuto vel venerea infectione fuerit partum, nihil quoque dubii eſt, quin caries ex prævia quadam qualicunque incenſione ſubinde ortum ducere queat, liquidis ſcilicet humani corporis nondum adeo lentis ac ſpiſſatis.

§. LX.

Si autem perpendamus ingentem illam, quæ oſſibus eſt, duritiam & perexiguum, ſi quis forte ipſis fuerit, ſenſum; teneritatem atque exiguitatem vaſculorum, quæ oſſeis bracteis hærent interpoſita; oppido languidam horum vim ſe contrahendi, & perlabens liquidum protrudendi; defectum motus partium, his vaſorum ſurculis circumjectarum, ipſisque ſubſidio venire neſciarum; inſignem illam a conica vaſo-

y) *Obſervat. Anat. Obſerv. LXXXI. & Catalog. Rarior. Thec. P. Repoſit. III. No. XIV. 2.*
z) *Obſervat. Anat. Chirurg. Obſerv. XXXVII.*
a) *Ibid. Obſerv. XXXVIII.*
b) Nuckius *Chirurg. Experim. XLVI.* L. Hesterus *Chirurg. Libr. V. Part. I. Cap. 9.*
c) *Libr. cit. Cap. I. cit. p. 248.*
d) *Fabr.* Hildanus *Libr. cit. Cent. IV. Obſ. XCV.*

vaſorum figura objectum latici ingreſſuro renixum; ipſam liquorum jam appulſorum conditionem, ſanguini ad intimas quaſque oſſium latebras provolvendo minus commodam, & ab omnibus his relatis pendentem valde retardatum atque adeo lentiſſimum cruoris per oſſium vaſa circuitum: nullo ſane negotio cognoſcemus, quamobrem ſanguineo latici tam promptæ via per exiles vaſorum ramos, in oſſium ſoliditate conſitos, progrediendi obſepiatur, & quomodo, iis occluſis, incendium oſſibus qualecunque interdum inde accendi poſſit, cujus tum effectus, præter multos alios, lenta illa oſſeæ compagis eſſe poteſt conſumptio, cariei nomine ſatis nota. Intelligemus quoque indidem, cur aliqui diſſertis verbis tradiderint, quod ulcera forent in partibus corporis mollioribus, idem eſſe in oſſibus cariem *e*); quare etiam B. WEDELIO nomen corruptionis ulceroſæ huic malo non inepte convenire fuerit viſum *f*), quamvis ſint, qui gangrænæ nomen vel ſphaceli huic vitio vindicare maluerint *g*). Perſpiciemus quoque iis, quam ob cauſam incendii vis, ſi in ipſo oſſis corpore fuerit concitata, adeo occulte tecteque ſerpat, ut vix ab ægroto ſentiatur, nec æque clara inflammationis ſigna ibi, atque in mollioribus corporis & acriori ſenſu dotatis partibus, oſtendat.

§. LXI.

Nullus itaque vereor affirmare, oſſa quandoque cariem trahere a prægreſſa quadam, vel quantulacunque, inflammatione, ſive in ſolida ipſorum textura, compluribus laminis, alia ſuper aliam aggeſtis, compoſita; ſive in celluloſa ſtrue, aut alia eorum parte, undecunque ſuccenſa, potiſſimum ſi hæc a cauſis internis fuerit progenita: at vero haud quoque inſolenter eadem inſeſtari, ne ullo quidem ullius incendii veſtigio conſpicuo; liquidis videlicet in ſubtilibus vaſorum ramuſculis, a perioſteo externo protentis, & toto oſſis cortice ſeſe ſpargentibus, iter pergere ſuum omnino impeditis & conquieſcentibus, ob ſegregatum ab oſſium ſuperficie prorſuſque exſolutum aut alio pacto conſumptum perioſteum: unde ſanguini ex membranaceo hoc involucro, neque aditus eo per arteriolas interruptas patet, neque per venulas uſque inde ad perioſteum regreſſus. Rebus ſic ſe habentibus, fieri non poteſt, ut, liquidis aditu atque introitu in oſſeum munimentum prohibitis atque intercluſis, huic incendium accendatur: quemadmodum hoc liquidius apparet iis, quæ de inflammatione Cap. I. relata leguntur. Data ergo opera hæc mihi de oſſium teredine præſtruenda eſſe exiſtimavi, ne quis eam in opinionem adducatur, quamcunque oſſium cariem uni me acceptam eſſe relaturum inflammationi præviæ: quum non ignorem, plures eaſque varias unius ejuſdemque effectus eſſe ſæpius cauſis poſſe; non ergo dubitari poteſt, quin vel carioſa hæc oſſium conſumptio, itidem a disjunctiſſimis interdum cauſis ſuboriri queat. Quocirca de hoc exitiabili oſſium malo eatenus heic ſermonem expono, quatenus illud ipſis a præcedente quadam incenſione naſcitur, nequaquam vero de qualibet iiſdem illata teredine, utpote ad nos non pertinente.

§. LXII.

Jam proinde ad ipſam oſſium inflammationem, utpote genitricem multorum, quæ oſſibus crebro evenire ſolent, malorum fœcundiſſimam, ingrediar breviter explicandam. Quæ, ſi in vaſis ſanguineis, intra oſſeas ipſius duri denſique corticis lamellas decurrentibus, fuerit concepta ac ſuſcitata, eo difficilius adeſſe cognoſcitur, quo magis latebroſe a conſpectu ſe occultat noſtro, nec ullo alio prodit ſigno, niſi formicante illo & perquam obtuſo doloris ſenſu, in ipſa oſſium ſubſtantia hærente, quem aque obſcurus hebeſque ardor utplurimum comitatur, qui attactu externo neque exaſperatur & crudeſcit, neque miteſcit aut omnino ſilet, ſed antiquum ſemper obtinet. Hoc tamen haud ſane indignum obſervatu videtur, eum, venerea potiſſimum lue ſcorbutove ſi fuerit, veluti ſua radice, pronatus, noctu utplurimum, ægrotis cubitum euntibus, lecti calore ingraveſcere: quamprimum vero cubitu reſurrexerint atque alſerint, quodammodo remittere. Accedit plerumque febris, e pulſus velocitate judicanda, quæ modo vehementior, modo remiſſior, interdum uſque adeo moderata exiſtit, ut non niſi peratiento obſervatori pulſus duntaxat exploratione innoteſcat, utpote quem æquo citatiorem percipiet. Hæc itaque potiora incendii ſigna ſunt, unde, adjunctis iis, quæ hoc malum vel præceſſerint, vel comitata fuerint, colligere licet, ubi locorum illud in oſſibus deliteſcat.

§. LXIII.

Quodſi vero phlegmone perioſteum interius ſeu tenerrimam medullæ circumtextam corripuerit membranā, utpote quæ ſenſu eſt acerrimo, tum ea hanc occupaſſe intelligitur cruciatibus illis acerbiſſimis, quos, hoc morbo afflicti, in oſſium abditis & quaſi viſceribus ſibi ſentiri verbis ſubinde exprimunt cum magno ardoris ſenſu conjunctos, RUYSCHIO id optime omnium obſervante *h*): quibus febris comes hæret individua. Ejuſdem quoque cenſus eſt, quæ loculos celluloſæ ſubſtantiæ, præſertim in ſic dictis oſſibus fiſtuloſis, comprehenderit inflammatio, quippe qui itidem membranula, ſimilis & teneritatis, & ſenſus, intus ſunt conveſtiti; ut inſignis ille cavus, cui medulla ſpiſſior hæret incluſa; ubi ergo hujus inflammationis ſymptomata eandem præ ſe ferunt faciem, quam in medullæ membrana obvolvente oſtentant; unde iiſdem quoque ſignis, paulo ante commemoratis, perſpicitur. Quo igitur hæ inflammationes, in fiſtuloſis cumprimis oſſibus, loci ingenio, quem obſident, a ſe invicem duntaxat diſtantes, facilius dignoſcantur, omnium præcipue eas exploraturo & perſpecturo ſtructuræ horum oſſium ratio habenda eſt: quæ enim alte defixa hæret in membrana, magnum oſſis ſpecum ſuccingente, triſti ſe prodit dolore atque ardore in media oſſium fiſtuloſorum parte ſeu corpore reſidente: abſtruſiores vero ſubſtantiæ celluloſæ receſſus quæ tenet occupatos, in ipſorum extremitatibus, ubi cancellata ſeu celluloſa hæc deprehenditur fabrica, ſævitiam dolorum exercet.

§. LXIV.

Nec incendii quidem vim ipſi medullæ, in vaſto oſſium fiſtuloſorum antro intus latitanti, parcere, perattenta, proh dolor! obſervatio cumulate facit teſtatum. Laudatiſſimus quippe PETIT, ipſam medullam abſceſſu uſque eo fuiſſe colliquefactam, reperit, ut in putrem ac fætidam mutata fuerit colluviem, quæ, oſſe trepano perforato & aperto, inde effluxit, cavo ipſius caſſo ſeu vacuo remanente *i*), teſtimonio manifeſtiſſimo, medullam non minus habilem eſſe atque aptam ad incendium concipiendum, quam cunctas alias corporis partes. Hoc qui forte dubi-

e) SYLVIUS *Tract. III. Prax. Medic. Append. LXXXVIII. p.* 669. PETIT. *Libr. & Cap. cit.*
f) *Diſſert. de carie oſſium Cap. I. §.* 2. *&* 6.
g) *Ibidem.*
h) *Theſaur. Anat. X. No. CLXXVII.*
i) *Libr. & Cap. cit. p. m.* 342. *&* 343.

dubitet, illi relinquam expendendum, quemadmodum fieri poſſet, ut abſceſſus oriatur ſine prævia inflammatione. Quum vero iis, quæ Cap. I. expoſita ſunt, luculenter conſtet, inflammationes quaſcunque, quæ cuivis in humana machina parti uſu quandoque veniunt, non niſi in exilibus vaſorum ramulis contingere: præterea quoque oſtenſum Cap. II. medulloſos folliculos capillaribus affluere vaſculis, quæ cum ſanguine medullare oleum eodem deferunt & ſecernunt: quiſque citra pulveris jactum videbit, hanc medullæ incenſionem neutiquam eſſe illi oleoſo pingui afferendum, quod membranaceos ipſius loculos implet; ſed vaſculis minimis, quibus medulloſi hi folliculi uberrime adornantur, ſolis vindicandum. Dum enim vaſcula hæc incendii vehementia deſtruuntur, neceſſe eſt, ut medullare liquamen ſuis in cellulis conſiſtat, quod hoc pacto quiete & loci calore ſenſim corruptum faceſcit, cumque ſuis receptaculis, ſimiliter incendio deletis & liquefactis, in fœtentem abit amurcam.

§. LXV.

Quemadmodum vero oſſium inflammationes, pro loci, quem devaſtant, ingenio, inter ſe differunt, ita ut mitioribus ac lenioribus ſymptomatis ſtipatæ incedant in ipſa ſolida eorum compage, quam in ſubſtantia ipſorum celluloſa, aut medullæ involucro, ubi dolores pariunt multo efferatiores: ſic diverſos quoque habent ſubinde exitus, ita, ut in ſolidis oſſium parietibus ſolenniter in cariem abeant; in perioſteo autem interno & cavernoſa oſſium textura nonnunquam, licet rariſſime, ſe diſcuti ſinant, crebrius autem in abſceſſus deſinant, quinimo in ſpinam ventoſam, aut alia graviora mala, craſſis hucuſque ignorantiæ tenebris occultata, & recentiſſimorum quorundam impenſiori ſtudio paucis abhinc demum annis obſervata inque lucem prolata, evadant. Multo quippe uſu ſe comperiſſe, inquit celebratiſſimus Petit, in magno illo oſſium fiſtuloſorum, velut femoris, humeri, tibiæ &c. cavo, in quo medulla latet recondita, haud raro vera concrementa carnea progigni *k*); quinimo tumores cancroſos excreſcere *l*); quid? quod ipſam duram ſolidamque oſſium ſubſtantiam, aliquando ita a ſuo ingenio degenerare, ut carnoſum indueret habitum: quæ oſſium in carnoſam ſubſtantiam mutatio, ipſi oſſium carnificatio vocatur *m*). Quæ quum ita ſint, luculentiſſime inde cuivis elucebit, in oſſium inflammationibus & dijudicandis, & ſanandis, Medenti ſemper, (ſi ab ipſa remotiore cauſa, in corruptis maſſæ ſanguineæ humoribus hærente, diſceſſero, qua nihil nobis eſſe prius debet nihilque antiquius) ad locum in oſſibus inflammatione obſeſſum, maxime eſſe reſpiciendum, quo recte intellecto, non adeo erit arduum, cæteris eam affectari ſolitis ſymptomatibus, in conſilium ſimul adhibitis, de earum præſentia rationali conjectura augurari.

§. LXVI.

Cauſæ vero, quæ huic incenſioni, in oſſium tam dura multiſque ſtratis condenſata compage, quam interioribus atque abditioribus latebris ſuſcitandæ viam pandunt, externæ juxta atque internæ eſſe poſſunt. In numero illarum ſunt, præter alias, perioſtei externi inflammatio, non ſatis mature diſcuſſa, ut quæ tum latius ſe fundens, ſubſtrato oſſis cortici ſimile vitium affert: quam diu enim hoc velamentum cum ambitu oſſis exteriori, per tot vaſculorum ſtupendæ exiguitatis myriades connexum eſt, nec dum utcunque ab eo exſolutum aut ſublatum; tam diu quoque patet liquidis introitus ad ſubſtructi oſſis ſoliditatem. In hoc ergo caſu nihil impedit, quo minus ſanguis ex hoc involucro in oſſium ſubſtantiam influat, hujuſque bracteas alluat. Quod ſi itaque perioſteum hoc inflammatione fuerit incenſum, non dubium eſt, quin purpureus latex, velociori motu per patulos ejus tubulos jam actus, itidem citatior quoque latus fuerit ad oſſis incluſi ſubſtantiam, ubi quidem initio celerius per exiguas vaſorum propagines, oſſeis laminis affatim interſitas, decurrit, (niſi forte uberiore copia, quam pro capacitate horum vaſculorum, eo irruat) unde ſanguinis globuli pernicius inter ſemet invicem agitati & colliſi inflammantur, ſicque incendium oſſi accendunt; at perioſtei inflammatione eo uſque increbeſcente, nec in tempore convenientibus auxiliis repreſſa, ut vaſcula hæc, in oſſis cortice diſſeminata, nimia humorum vi & mole obruantur, non aliter fieri poteſt, atque ut liquida, ipſis a perioſteo uberius juſto infuſa, ob loci ingenium, vaſculis nimium repletis & diſtentis, neque cedens, neque auxilio in contentis liquidis propellendis veniens, in illis conſiſtant, hocque modo acrimoniam contrahant, unde oſſea ſtrata cariem recipiunt.

§. LXVII.

Præter hanc commemoratam inflammationis cauſam, eidem malo, oſſium interiora quæque invadendo atque occupando, viam quoque aperiunt, quæcunque promptum liquidorum per vaſcula oſſium minima progreſſum interturbant, velut graves partium corporis percuſſiones & concuſſus, undecunque oriunda, ſive plagis & verberibus, corpori illatis; ſive violentis ictibus, aut caſu quodam ab alto idque genus pluribus, quippe quæ omnia non medullam modo in oſſibus reconditam vehementer concutiunt, ſicque ſanguini in hujus canalibus reſiſtendi occaſionem offerunt; ſed ipſis quoque vaſculis, per interiores quoſque oſſium receſſus & cavernulas diſtributis, injuriam ſubinde faciunt. Ne igitur longius abeam, unam duntaxat obſervationem, ab laudatiſſimo Petit mutuatam, quæ nobis inſtar omnium ſit, huc adferre liceat, quippe qua dictorum veritatem ſatis ſuperque adſtruxero. Vir quidam, ex equo cadens, exiguum inde cutaneum duntaxat excepit vulnuſculum in crure, a quo ipſi haud ita multo poſt exoſtoſis quædam, in epiphyſi oſſis tibiæ ſuperiore, fuit ſuborta, qui aliorum auxiliis & conſiliis per longum tempus, non tamen ullo levamine, uſus, Celeberrimi Petit opem imploravit. Hic, vulnuſculo hoc curatius explorato, latitantem profundius ſub eo deprehendit abſceſſum, ad oſſis uſque cruſtam deſcendentem, quo pertuſo & eo uſque aperto, ut ipſi aditus ad oſſis tibiæ externum ambitum patuerit, eum contegente ſuo perioſteo degluptum nactus eſt: vulnere autem ſatis amplificato, fragmentum quoddam, ab oſſe ſeparatum & aliquantulum intro depreſſum, oculis uſurpavit ſuis, quo inſtrumenti ope rurſus elevato, actutum purulenta graviterque olens prodiit ex oſſe materia: verum enim vero, quod omnium maxime mirum, erat hoc, quod, extracta illa atque amota oſſea feſtuca, ipſaque inde relicta in hujus oſſis pariete apertura uſque eo patefacta, ut digitum vaſto hujus oſſis cavo, qui medullam com-

k) *Libr. & Cap. allegat. p. m.* 268, *& ſeqq.*
l) *loc. cit. p.* 279.
m) *Ibidem p.* 283. *& ſeqq.*

plexu ſuo coercet & continet, inſerere valuerit, carnoſam quandam inſignis profecto molis maſſam, in ipſo illo osſis antro deliteſcentem atque incluſam, quæ ex ſolido osſis pariete pullulaverat, invenit, quæ in parva fruſta conciſa, & uſque inde fruſtillatim exemta, inque unum congeſta, pugni magnitudinem æquavit. Hunc carnoſum tumorem non minus, quam illam purulentam amurcam, a nulla alia fuiſſe progenitam cauſa, ac ſola ea violentiori osſis concusſione, quam ſuſtinuit, viro hoc ex equo prolabente, PETITO perquam probabile videtur *n*). Reliqua, quæ in hanc rem dici poſſent, ex induſtria ſilentio premam, ne longior ſim, quam inſtituti ratio permittit.

§. LXVIII.

In cauſarum numero internarum ſunt referenda, quæcunque humoribus acrimoniam & inſignem induere valent ſpisſitatem, ita ut in minimis vaſorum tubulis facile pedem figant, & hac via osſibus incendium excitent: ut lues venerea, ſcorbutus, rachitis & quævis alia liquorum corporis humani lentitia, undecunque nata. Quum enim vaſculorum, quæ per osſium fabricam feruntur copioſisſima, tanta ſit teneritas & anguſtia, ut non niſi liquida, ſatis tenuia & fluxa, ſecundum naturam admittant, nemo non facile intelliget, ſanguini de ſua ingenua agilitate ita deturbato & congelato, aut acribus & arrodentibus ſalinis partibus fœto, non ſatis expeditum iter per tam anguſtos osſium tubulos eſſe futurum, qui hac ratione in iis, præſertim intra rigida osſium ſtrata deductis, inhæreſcit; aut, ſi minus quidem lentus & viſcidus, veruntamen ingenti ſalium varii generis ubertate fuerit conſertisſimus, eadem permeando dilacerat & diſcindit; unde liquidis diſturbatos hos & dirutos vaſorum canales percurrere præpeditis, ad alios pervios divertendum eſt ramulos: hinc oritur inflammatio. Pandit ſe hic mihi campus de his pervicacis ingenii malis, quæ ægrotis ſæpius ſunt exitium, dicendi latitisſimus, animum ſi induxiſſem longius evagari atque oſtendere, quo pacto delibatisſima ſanguinis lympha, venereis ſordibus inquinata, indeque immodice ſpiſſata & corrupta, tot tantiſque disſidentibus osſium malis conflandis, velut ipſorum cariei, inflammationi, abſcesſibus, exoſtoſibus, aliiſque, viam ſterneret; aut quemadmodum ſcorbutica humorum mordacitas iiſdem vitiis cauſa ſubinde exiſteret: at vero tum non diſſertatio, ſed liber haud parvæ magnitudinis, mihi foret excudendus, cuncta latius perſecuturo. Sufficiat ergo hic tantum indicaſſe, Medico, veram harum in osſibus inflammationum cauſam ſciſcitaturo, eos morbos eſſe maxime reſpiciendos, qui hanc osſium incenſionem, vel quondam præiverunt, vel etiamnum comitantur; iis quippe exploratis & compertis, haud quaquam erit difficile certius cognoſcere, ex quo fonte hæc mala fluxerint, & quis affectus ea ſit conſecuturus.

§. LXIX.

Operæ ergo pretium erit hoc loco illos exitus, quos hæ oſſium incenſiones nonnunquam habent, leviter tantummodo perſtringere: de inflammatione quippe, quomodo in quavis fere oſſis cujuſdam parte ſeorſum contingat, hic nihil attinet dicere: quia in oſſium interioribus vix alio modo peragitur, atque in omnibus aliis partibus, præterquam quod magis abſtruſa atque abdita latens, a conſpectu noſtro occultetur. Qui ergo ea, quæ in univerſum de inflammatione explicata Cap. 1. exſtant, ſpectata habuerit & cognita, ex iis nullo intelliget negotio, quemadmodum in oſſium latebris, vel abſtruſiſſimis, ea efficiatur; ut proinde non attineat uſque a capite huc arceſſere, quæ jam iſthic dilucide & perſpicue expedita leguntur. Quod ſi itaque conſideremus, qualis exitus incenſionem maneat, in oſſium duritia & ſoliditate ſubortam, nullus dubito aperte fateri, inſolenter eam ac perraro, ſi forte unquam, reſolvi & diſcuti; ſed utplurimum in cariem deſinere, aut in exoſtoſes aliquando abire. Hujus non ulla eſſe alia videtur ratio, quam quod vaſcula ſanguinea, oſſeis rigidis ſepimentis uſquequaque circummœnita, non habeant, quorſum cedere ſeque movere poſſunt: unde deſideratis iis, ad ſtaſeos reſolutionem perquam neceſſariis conditionibus, §. 19. no. præſertim 2. commemoratis, fruſtra heic reſolutionis effectus a natura exſpectatur: at vero nec is quidem ab ipſa arte ſperandus videtur, 1) quia incendii locus, circumſepto oſſeo munimento, medicamentis, vel efficaciſſimis, externe admotis, plane invius atque obſeptus eſt; 2) quia neque canalibus ibidem conſitis aliquanto auctior ſyſtole & diaſtole; neque, ſi uſus fuerit, moderata laxitas; neque ipſis eodem loco ſubſiſtentibus liquidis per remedia diſcutientia, tam alcalina fixa, quam volatilia, aut ſaponacea, diluentia, idque genus alia, fluiditas conciliari queunt. Omnis enim, quæ artis beneficio perficitur, reſolutio humorum, in ſuis vaſculis conquieſcentium & concretorum, non ulla alia, niſi triplici hac via abſolvi poteſt, id quod pluribus demonſtrare nullius eſſet negotii, niſi rem hoc loco, quam breviſſime poſſim, expedire conſtituiſſem; 3) quia etiam ſæpiſſime ipſorum, tam in oſſium vaſculis conſiſtentium, quam in canalibus motorum liquidorum, ea eſt indoles, quæ artificis reſolvendi conamina illudit, præcipue ſi venerea aut ſcorbutica eſt (vid. §. cit. N. 1. & 3.) Non obſcure ergo his perſpicietur, quid cauſæ ſit, quamobrem inflammatio, ſi in præduro oſſium ſepimento hæret defixa, plerumque in cariem tranſeat, minus vero ſæpe ſe diſſolvi ſinat.

§. LXX.

Qua autem via incendium in carioſam oſſium corruptelam contendat, id perſpicuum erit iis, quæ de oſſium carie, inflammationi ipſorum §. 56. & ſeqq. præmiſſa habentur; ubi oſtenſum eſt, ſtagnantes in vaſis liquores, alienum ſenſim induere ingenium, oſſeæ texturæ infeſtiſſimum. An vero acrimonia hæc acidæ ſit proſapiæ, ut SYLVIO *o*), an alcalinæ, ut HEYNIO *p*) fuerit viſum, an alterius naturæ, hic determinare ſuperſedeo aliiſque perſpicacioribus dijudicandum relinquo. Quum itaque adducto loco meam de oſſium teredine mentem fuſius expoſuerim, hinc non eſt, quod ei latius perſequendæ immorer. Quæ ergo nobis jam venit contemplanda, eſt ſic dicta exoſtoſis, quæ eſt tumor inæqualis & ſalebroſus, exteriore oſſium ſuperficie ſe exſerens, & ab ipſorum ſubſtantia non multum abludens, modo prominentior & major, modo minor & depreſſior, qui cum doloribus interdum ſatis vehementibus eſt conſociatus, aliquando autem adeo obtuſis, ut vix ab ægrotante percipiantur. Solet quoque hic affectus pluribus aliis efferri nominibus a quibuſdam Scriptoribus, velut nodi, nodoſitatis, tophi, tuberoſitatis &c. *q*); quamvis ſint, qui his denominationibus diverſis, diverſa quoque oſſium vitia volunt eſſe

n) *Libr. & cap. cit. p. m. 268. ſeqq.*
o) *Tract. III. Prax. Medic. Append. §. XC.*
p) *Tentam. cit. Theſ. XXVII.*

q) SYLVIUS *Tract. cit. §. XCIV. & XCVII. p. II. §. 70.* BONETUS *Polyalth. Tom. III. Libr. V. Cap. XXXIII. IX.*

eſſe complexa *r*). Celeberrimo PETIT tam late patet hujus vocabuli ſignificatus, ut non quamcunque modo oſſium intumeſcentiam, ſed ipſam quoque ſpinam ventoſam eo comprehendat *s*).

§. LXXI.

Neque conſentiunt Auctores de cauſa hujus oſſium morbi. SYLVIUS eam in materiam quandam pituitoſam, at tenacem & viſcidam, ab acido coagulatam, conjecit *t*): RUYSCHII vero ea eſt ſententia, hoſce oſſeos naſci tumores iis ex foraminulis oſſium, quibus tendinoſæ muſculorum aut ligamentorum fibræ radicibus defixæ inhærent altiſſimis, quum hæ ſcilicet quomodocunque inde violenter forent evulſæ *u*). GAGLIARDUS autem ipſorum cauſam ſuo oſſeſcenti ſucco attribuit *x*). Verum enim vero quum mea nihil interſit, cuicunque etiam cauſæ Medici hoc malum aſſeruerint, nihil quoque attinet ipſorum ſententiam huc ad incudis examen revocare, atque fuſius oſtendere, veri quid falſive cuique inſit: ut itaque compendii faciam, nullus dubito affirmare, exoſtoſes a lympha viſcida, e ſuis canalibus undecunque perruptis vel pereſis excuſſa, ſenſimque in exteriori oſſis ambitu collecta, conglaciata atque indurata, progigni.

§. LXXII.

Nec hoc fidei abſonum iis videbitur, qui non neſciunt, quo pacto oſſibus diffractis callus, quo partes eorum a ſuo mutuo amplexu divulſæ, ſibi invicem agglutinantur, renaſcatur: ubi alibilis lympha, cordis & arteriarum motu, ad diſruptos & diremtos vaſorum tubulos in oſſe fracto adacta, ex hiantibus ipſorum oſculis in quantumcunque illud ſpatium, binis illis a ſua cohærentia dimoti oſſis fruſtis interjectum, paulatim effluit, quæ ibi ſubſiſtens, & pedetentim plus pluſque congeſta, tandem in maſſam quandam ſolidam, oſſium duritiæ quam proxime accedentem, indureſcit *y*). Ecquis eſt, qui adeo hoſpes rei Chirurgicæ, adeo ignarus, ut ignoret, quam frequentes haud inſolenter hi oſſium tumores ſocietatem coëant cum ipſo oſſibus renato callo? RUYSCHIUS hoc, egregiis ſane obſervatis, abunde teſtatum fecit *z*); cui quoque PETIT aſſentitur *a*), neque his abludunt alii, quos brevitatis cauſa, cujus mihi ratio habenda eſt, hic omittam. Quod ſi itaque tenerrima ſanguinea vaſcula, per oſſium ſuperficiem diſſeminata, a liquidis coërcitis fuerint perrupta, aût perroſa & aperta, tum inde lympha pedetentim exterminatur, quæ exteriori oſſium faciei adhæreſcens & pauxillatim indureſcens, ſolidi naturam induit, ſicque ejuſmodi excreſcentias parit. Nec diſſentit a me HAVERS, hos oſſium nodos pariter a ſucco oſſa nutriente, e ſuis receptaculis ejecto, atque in oſſium ſuperficie ſenſim ſolidato, arceſſens *b*). Accedit eodem quoque PETIT, ut qui ſimiliter hujus mali fontem in lympha tenaci, vaſorum alveis effuſa, ſenſim plus congeſta, conglaciata inque oſſium cortice foris adnata, quæſivit *c*).

§. LXXIII.

Noli vero putare, excreſcentias haſce prægreſſæ cuidam oſſium incenſioni a me uni ſolique acceptas referri: ſunt quippe plures, præter eam, aliæ adhuc cauſæ, quæ his exoſtoſibus generandis velificantur. Huic rei teſtimonio eſſe poſſunt conquiſitiſſimæ illæ a PETITO literis commendatæ de his morbis obſervationes, ubi ejuſmodi exoſtoſes ortum inde duxerunt ſuum; quod perioſteum exterius a ſubjecta oſſium cruſta fuit vi externa laxatum, aut omnino diſtractum: hinc quoque ipſi venit in ſuſpicionem, numne ejuſdem generis mala, perioſteo interiori utcunque læſo, aut a circumjecto oſſeo munimento liberato & retracto, ſicut in exteriori oſſium ambitu, item in facie ipſorum interiore, atque adeo celluloſa compage, exiſtere poſſent? *d*) nec ego exputare poſſum, quin hoc conceſſuri ſimus, quum RUYSCHIUS duo diverſa oſſis tibiæ exhibeat ſegmenta, ſecundum longitudinem ſingulari ſtudio diffiſſa, in quorum externa facie tophus haud mediocris magnitudinis ſatis eſt conſpicuus; in interiori autem ſuperficie exoſtoſis cavernoſa viſui objicitur conſpicienda *e*).

§. LXXIV.

Exploratæ autem eſt veritatis, non eſſe ullum humano in corpore oſſeum fulcimentum, vel minimum, quin his vitiis foret obnoxium, PETITO id optime annotante: nec oſſicula quidem illa perexigua, in auditus organo latitantia, ab his malis eſſe immunia, Excellentiſſimus CASSEBOHMIUS in oſſiculo incudis præclare oſtendit *f*); condita quippe ſervat plura hujuſmodi oſſicula, præſertim incudes, in quarum cruribus exiguas exoſtoſes mihi, (quæ ſingularis ejus eſt in me benevolentia) haud ita pridem dedit conſpiciendas. Neque eadem omnium exoſtoſium eſſe facies & in oſſibus ſedes obſervatur: quædam enim ſunt exſtantiores & ampliores, aliæ vero depreſſiores & anguſtioribus terminatæ limitibus: nonnullæ pariunt oſſibus, quibus agglutinatæ hærent, duriorem, quam in ſanitate alias fruuntur, ſoliditatem; aliquæ e contrario exuunt oſſibus nativam denſitatem, unde haud raro uſque eo remoleſcunt atque immodice extumeſcunt, ut nullius ingenii fere vi integrum ſit, vel conjectura, aſſequi, unde oſſibus tam admiranda eveniat metamorphoſis. Luctuoſa, eheu! experientia uberrimam ejuſmodi obſervationum copiam ſuppeditat, ubi illa tantopere emollita fuerunt atque extuberata, ut ceræ mollis in modum flecti ſe ac torqueri paſſa ſint: alia ex adverſo tam fragilia tamque friabilia ſunt reddita, ut leviſſima quaque occaſione, vel ſola corporis tantum commotione, tam inter ambulandum, quam recumbendum, fuerint diffracta *g*). Enim vero non erubeſco aperte atque ingenue confiteri, per ſane difficile eſſe, veram tantæ mutationis oſſium rationem reddere; multo autem difficilius, eam ad ſanitatem reducere, præcipue ſi altas in oſſibus egerit radices.

r) BOERHAAVE *Aphoriſm.* §. 549.
s) *Libr. & Cap. cit.*
t) *Loc. jam cit.*
u) *Catalog. Rarior. Repoſ. V. No. I. & II.*
x) *Libr. cit. Part. I. Cap. II. Obſ. VI.*
y) JOANN. MUYS. *Libr. ſupra cit. Dec. 1. Obſ. IX.*
z) *Loc. jam cit. No. I. II. III. & IV.*
a) *Libr. & Cap. cit. p. 263.*
b) *Libr. cit. Serm. II. Cap. IV. p. 176. & ſeq.*
c) *Libr. & Cap. cit. p. 249. 251. 256. & ſeqq.*
d) *Cap. jam cit. p. 260.*
e) *Theſaur. Anat. X. No.* CLXXVII. *&* CLXXVIII. *Tab. II. Fig. IV. V. IX. X.*
f) *Tract. Anat. de Aure human. Tract. IV.* §. 145.
g) FABR. HILDANUS *Cent. II. Obſ. LXVI. Obſ. LXVIII. & Cent. VI. Obſ. LXXIV* JOH. SCHENCKIUS *Obſervat. Libr. V. Obſ. 7.* DOMINIC. GAGLIARDUS *Libr. cit. Part. I. Cap. II. Obſerv. III.* RUYSCHIUS *Catal. Rarior. Theſ. I. Rep. V. No. V.*

§. LXXV.

Quod ſi tamen nobis dicendum, quænam ſint hujus calamitoſi mali ſemina, non veremur fateri, ea in ſingulari quadam humorum corporis noſtri corrodente & perquam mordaci acrimonia eſſe ſita, qua oſſium textura ſenſim adeo exeditur & conſumitur, aut ſimul remollitur, ut, vel mutuus particularum in fibris oſſeis nexus omnino pereat; vel adeo laxus & diſſolubilis evadat, ut quoquoverſus ſubinde incurvari ſe atque obliquari ſinant. An vero hæc liquidorum mordacitas alcalina ſit, an acida, ut pleriſque videtur, hoc loco decidere non ſuſtineo, quanquam plurima, & argumenta, & experimenta, contra alcalinum ab acido ſtant: indubiis quippe experimentis compertum eſt, oſſa ab affuſo quodam acido, cum primis validiori, velut ſalis, nitri aut vitrioli &c. uſque adeo macereſcere ac diſſolvi, ut in pultem abeant: Ruyschius quoque in ſuis conditis Anatomicis aſſervat infantis cujuſdam coſtas, acido liquore maceratas, quæ tam flexuoſæ inde factæ ſunt, ut nullo negotio curvari, & ad ſimilitudinem literæ majuſculæ P configurari potuerint *h)*. Si porro cogitemus, ex hujuſcemodi oſſium corruptionibus utplurimum laborare homines, qui Gallicum morbum, ſcorbutum, aut aliud id genus vitium alunt, non improbabili forte ratione Auctores inde concluſerunt, oſſa tam turpiter deformari, & de ſua ingenita ſoliditate dejici, acido quodam humorum magmate *i)*.

§. LXXVI.

Operæ pretium mihi fuit viſum paululum excedere ad enarrandum, quam gravia oſſibus interdum naſcantur damna ab ejuſmodi excreſcentiis: ut igitur in viam, a qua declinavi, revertar, non ſilentio mihi tranſeundum exiſtimo, exoſtoſes a ſolertiſſimo Petit in benigniores partiri & deteriores vel, ſi magis tibi arriſerit, maligniores. Hujus generis ſunt ipſi omnes, quæ natales ducunt ſuos, a depravata, corrupta & multis impuritatibus redundante fluidorum maſſa, velut a venerea contagione, ſcorbuto, rachitide, aliiſque vitiis, quorum ſemina in ſanguine diſperſa hærent, quæque magno dolorum atque aliorum ſymptomatum choro ſunt ſtipatæ: de illarum vero grege ſunt, quæ a ſola perioſtei quadam labe, ſanguine ipſo incontaminato atque innoxio, proveniunt, neque cum ullo propemodum dolore, aliove triſti accidente, ſociatæ exſurgunt, præterquam quod oſſibus, in quibus adnatæ ſunt, in loco affecto, plus ſoliditatis & duritiæ concilient *k)*. Affert quoque varia exempla de quibuſdam hominibus, qui ejuſmodi melioris notæ exoſtoſes, per multos annos, aluerunt ſine ullo fere incommodo & ſanitatis diſpendio; quæ ſcalpro Chirurgico minutatim deſectæ & ablatæ, non ipſæ ſolum nitidiſſimi eboris, & duritiam, & candorem, retulerunt; verum ipſius quoque ſubjecti oſſis ſubſtantiam ſimilibus adornarunt dotibus.

§. LXXVII.

Præter jam excuſſos oſſium morbos, qui prægreſſam aliquando incenſionem conſequuntur; alius quidam iſque fere inauditus ac perquam inſolens inflammationis exitus huc venit conſiderandus, quem, præter laudatiſſimum Petit, vix quiſquam animadvertit & literis dedit conſignatum. Multo enim uſu expertus eſt, tumores carnoſos in amplo illo oſſium, in primis fiſtuloſorum, cavo, medullæ cuſtodiendæ dicato, ex ipſis ſolidis oſſium parietibus intus interdum progerminare, qui modo benigniores, modo maligniores, quinimo ſubinde cancroſi ſunt: quemadmodum hoc videre eſt rariſſima illa obſervatione, quam §. 67. ex hoc Auctore dedi deſcriptam, ubi excreſcentia carnoſa in oſſis tibiæ antro, in quo medulla latitat concluſa, ex interiore oſſis facie extuberavit, quæ bonæ indolis videtur fuiſſe: quod ſola exſectione feliciter fuit ſanata. Longe vero pejoris notæ fuit alius fungoſus & cancroſus tumor, qui, amputato crure, in ipſo magno oſſis relicti & detruncati cavo excrevit: hic enim, qui admodum durus & lividi coloris, brevi adeo increbuit, ut fœmina hoc malo afflicta inde mortem obierit *l)*. Neque his multum abludere videtur ille rariſſimus caſus, cujus Fabr. Hildanus mentionem facit, ubi fœminæ cuidam crus fuit præciſum, ob inſanabile ulcus, e cujus reſtantis & mutilati oſſis tibiæ ſpecu, medullam complectente, ab obtruncatione, de integro fungoſa quædam caro pullulavit, quod plurimum negotii Chirurgis faceſſivit *m)*.

§. LXXVIII.

Quod vero maximopere mirandum videtur, eſt, quod Celebratiſſimus Petit perſæpe attonitus quaſi obſervaverit, ipſam oſſium ſolidam ac præduram compagem a ſua oſſea natura deſciiſſe, inque molliſſimam & carnoſam degeneraſſe ſubſtantiam, quæ, ſicut aliæ molles & carnoſæ corporis partes, item cultri acie dividi ſe ac minutatim conſecare paſſa eſt. Documento hujus mirabilis rei complura affert exempla, ex ſua ipſius experientia deprompta, ubi denſa oſſium textura uſque adeo fuit commutata, deque ſua nativa ſoliditate deturbata, ut admodum nihil a carnis ingenio abluſerit; valuit quippe ea ſimiliter ferri acumine conſcindere, atque alias molliores corporis partes. Quæ omnia huc adducturus, diſſertationis modum facile excederem: adeat ergo, qui perlegendi has obſervationes deſiderio captus, allegatum Scriptorem, quo non facile ullus oſſium morbos hucuſque dilucidius magiſque perſpicue pertractavit *n)*.

§. LXXIX.

Qua autem via oſſibus tanta afferatur deformitas, tantaque mutatio, nondum inter Auctores conſtat, neque ipſi laudatiſſimo Petit liquiſſe videtur, nihil aliud perhibenti, quam, non adeo fore arduum hujus metamorphoſeos rationem invenire, dummodo aliquis oſſium progenerationem ſpectatam haberet & cognitam. At vero quum hæc nondum ſatis perſpecta, ſed ſpiſſis adhuc circumfuſa tenebris lateat, vix ulla inde ſpes hujus oſſium in carnoſam maſſam mutationis declarandæ videtur affulgere: via igitur magis compendiaria ad illum modum, quo carnoſi ejuſmodi tumores in oſſium cavis ſuboriri poſſunt, cognoſcendum nobis duci poſſe videmur, ſenſus ſi ad ea percipienda intendamus, quæ in aliis aliarum partium excreſcentiis, præter naturam identidem luxuriantibus, viſui ſubinde obvia: iis quippe pernotis, neque ipſo modo, quo affectis partibus inoleſcunt,

h) Theſ. Anat. Maxim. No. CLXIV. & Curis Renovat. No. CXXIX.

i) Sylvius Loc. cit. Joan. Muys. Libr. cit. Dec. I. Obſ. VIII. & Dec. III Obſ. II. W. Wedelius Diſſert. cit. Cap. III. §. 4. Gagliardus loc. cit.

k) Libr. & cap. cit. p. 261. & 301.

l) Loc. cit. p. 279.

m) Libr. cit. Cent. II. Obſerv. XXXVI.

n) Libr. & Cap. alleg. p. 279. 283. 291. & ſeqq.

cunt, ignorato, minus difficile erit, ſatis probabili analogia, inde colligere, quo pacto ejuſmodi tumores carnulenti in oſſium abditis & penetralibus extuberare; quid? quod ipſa ſolida horum fabrica in facile dividuam & ſectilem degenerare maſſam poſſint. Plurima ſane atque obvia ſunt exempla, quæ nobis uſui eſſe & argumento poſſent, ea huc allaturis; ſed, ne longius abeamus, ex tanto eorum penu ſolius polypi narium generationem præſenti explicatione, quoad ejus fieri poteſt, illuſtrare conabimur: quia, hujus geneſi intellecta, nullius fere negotii erit cognoſcere, qua via ſimiles prope extuberationes in oſſium interioribus ſe exſerere queant.

§. LXXX.

Eſt vero narium polypus tumor utplurimum carnoſus, modo rubens & mollis, modo albicans, interdum vero lividi aut nigricantis coloris perque durus, ideoque tum ad cancri naturam accedens proximus, qui oſſibus plerumque ſpongioſis ſuperioribus, aut ipſi cribroſo oſſi hæret ſuis radicibus affixus, unde multis perſæpe ramis protentus, per naſi compluvium, ad intimos quoſque hujus receſſus ſpargitur. Hujus egerminandi modum ſedato animo qui fuerit contemplatus, clariſſime perſpiciet, eum a nulla alia oriri cauſa, quam a vaſculis ſanguineis, per pituitariam membranam abundantiſſime diſſeminatis, undecunque, vel diruptis, vel acri quodam & corrodente pereſis & laceratis, quæ tum nutrientem qualemcunque ſuccum ex aperturis ſuis pedetentim exſtillant, cujus partes minimæ deinceps inter ſe mutuo ſenſim, nunc laxius nunc arctius, cohæreſcentes, lenteſcentes, tandemque ſolidatæ, fungoſam illam excreſcentiam, polypi nomine inſignitam, pariunt: quemadmodum hoc longe elegantius doctiusque dedit explicatum Vir magna doctrina & virtutum ſplendore ornatiſſimus, Excellentiſſimus Bassius, Præceptor ac Patronus, æternum mihi colendus atque obſervandus *o*). Dedita opera hic omitto, quæ de modo, quo luxurians in vulneribus caro, ſarcomata aliaque id genus compluria ſubinde ſuccreſcere ſolent, in medium proferre poſſem, ut quæ cuncta ejuſmodi in oſſium cavo prognatis tumoribus, quinimo ipſi oſſium in mollem & carnoſam habitudinem mutationi rectius capiendæ lumen accendunt, ne ſim longior, quam mihi propoſitum eſt.

§. LXXXI.

Quod ſi ea, quæ jam de narium polypo ejuſque excreſcendi modo commemoravi, conſideratius expendamus, exputare non poſſum, quid obſtet, quo minus eadem oſſibus aliquando item evenire contendamus, vaſis ſanguineis quum pariter, atque omnes aliæ corporis partes, affluant; quæ, vel a prævia qualicunque inflammatione læſa & diffiſſa, vel a ſola humorum mordacitate pereſa & aperta, liquores ſuos contentos continenter exſudabunt, quorum ergo minima corpuſcula, ex patulis atque hiantibus vaſorum ſurculis elapſa, eodem modo, ac de polypi narium progeneratione expoſitum eſt, ad ſe invicem deinceps adnexa, ſenſim agglutinantur denſius adſtrictiuſque aut remiſſius & rarius, prout ipſa liquida effuſa inter ſe differunt: id quod quum infinito vaſorum numero ſimul ſimiliterque accidat, quiſque nullo perſpiciet negotio, quemadmodum omnia hæc excreta & producta vaſcula, in unum gregem congeſta & inter ſe conjuncta, ejuſmodi carnoſos confingere & conformare valeant in ipſo oſſium cavo tumores, qui, ſicut narium polypi, item vel bene interdum, vel male morati, quinimo ſubinde liveſcentis aut nigricantis coloris & impenſe duri exiſtunt, ſicque cancrum æmulantur. Neque arduum erit jam explicata ſedulo ſecum agitanti inde cauſam eruere, quamobrem dura ſolidaque oſſium ſubſtantia, compluribus laminis, alia ſupra aliam ſtratis, denſata, in maſſam quandam carnoſam facileque ſecabilem non nunquam transformetur. Quod ſi enim acria & corrodentia liquida, ex eroſis laceratiſque vaſorum ſurculis intra fibroſas oſſium lamellas effuſa, ibidem ſubſiſtunt, quiete & loci calore ipſis acrimonia adeo exaugetur, ut oſſeas fibras arrodant, ſenſimque minimas earum moleculas a ſuo mutuo amplexu & cohærentia divellant & diſtrahant, hocque pacto evertant. Quum vero liquidorum in vaſis ſuis vi vitæ motorum acrimonia haud quaquam ſit tanta, quanta liquoribus, intra lamellas oſſium conſiſtentibus, ob dictas jam rationes, acceſſit; hinc utique fieri poteſt, ut lymphaticus latex, ex vaſorum alveis excuſſus, eodem modo, ut de polypo & interioribus oſſium excreſcentiis traditum eſt, concreſcat & perruptis ſuis vaſculis adhæreſcat, eademque hac via ſenſim producat; quæ tum in unam ſtruem congeſta, ejuſmodi deformatam mollemque referunt ſubſtantiam carnoſam. Fateor mihi brevius hic dicendum eſſe, quam tanta tamque mirabilis res dici & poſſet & deberet; verum temporis ratio me prohibet, quo minus eam latius perſequar.

§. LXXXII.

Cognito, quales ſubinde ferat inflammatio eventus, ſi ipſa ſolida oſſium fabrica inſideat; ordinis ratio exigit, ut quoque, quam breviſſime potero, oſtendam, quomodo incendium deſinat, in perioſteo interiori, aut celluloſa oſſium ſubſtantia ſi occultata proſerpit. Inflammationem in hac membrana aliquando reſolutione terminari, nullius dubii eſt, ſi illa præſto ſunt requiſita, quæ ſtaſi humorum in vaſis diſcutiendæ velificantur, non neglectis cæterum iis, e promptuario materiæ Medicæ depromptis ſalutaribus remediis, & convenienti methodo in tempore, tam externe parti incenſæ admotis, quam interne adhibitis, quæ exſpectatiſſimum hunc reſolutionis effectum ſecundant: deſideratis vero his humorum dotibus, inflammatio in ſuppurationem abibit. Re autem vera hoc medullæ involucrum cum ipſa involuta medulla in abſceſſus tranſire, luculentis confirmatum dedit teſtimoniis, ab experientia petitis, Celeberrimus Petit, qui in ſpectabili oſſis tibiæ cavo, eo terebra vulneraria pluribus locis perterebrato, inſignem fœtidi puris copiam deprehendit; argumento omni exceptione majori, non minus medullam, quam perioſteum internum, ſubinde abſceſſibus corrumpi. Quod ſi autem puri huic concluſo non ſatis mature via e ſuis carceribus erumpendi paratur, mali vis ex hac membrana brevi latius manat, & in circumductos parietes oſſeos ſe diffundit; unde oſſi interdum caries acceſſit; quandoque ſingularis quædam cariei ſpecies naſcitur, quæ Aurelio Severino παιδαρθροκάκη vocata eſt, aliis vero ſpina dicitur ventoſa.

§. LXXXIII.

Sunt, qui exiſtimant, Spinæ nomen ortum inde ſuum traxiſſe; quod hoc morbo afflicti in interioribus laborantis oſſis receſſibus, ſpinæ velut peracutæ hærere,

o) *in Gründlichen Anmerckungen über* Neckii *chirurgiſche Hand-Griff. Exper. XI. p.* 79.

hærere, & pungendo vehementes iſthic movere dolores ſibi videntur: ventoſæ vero vocabulum ipſi eo adſtrui: quia os ipſum valdopere tumefactum & ſpongioſum, quaſi vento foret inflatum *p*). Quidam hanc oſſium corruptionem ad oſſium cariem referunt *q*), alii vero eam malint exoſtoſibus annumeratam *r*). THEOD. ZWINGERUS hunc morbum cancrum oſſium nuncupavit: PANDOLPHINUS vero ulcus carioſum. Eſt vero ſpina ventoſa ſingularis quædam oſſium caries, vel a perioſteo interiori, vel ab ipſa medulla, vel ab utriſque corruptis exorta, & inde uſque in circumſeptum oſſeum munimentum propagata, quod inſigniter inde intumeſcit, extuberat & veluti fungoſum evadit lenteque exeditur. Eſt ea quidem complurium Medicorum cum citato SEVERINO communis ſententia, hanc oſſium afflictionem in nullos alios, niſi pueros atque adoleſcentes convenire; reliquis adultiore & provectiore ætate hominibus ejus plane exſortibus atque immunibus. At vero Doctiſſim. GOHLIUS multis obſervationibus planum fecit, nec homines in hoc ætatis flexu hujus morbi cruciatibus eſſe exemtos, quamvis, experientia teſte, pueri multo frequentiores hoc morbo conflictentur, quam ætate provectiores *s*). Hoc autem obſervatu dignum eſt, hanc oſſium calamitatem nihil omnino in homines ſenectute confectos cadere: hujus rei ratio eſt, quod plurima vaſcula, quemadmodum in univerſum ætate ingraveſcente & præcipitata aboleſcunt & delentur; ita quoque in oſſibus evaneſcunt. Haud quaquam itaque HEYNII ſententiæ ſubſcribere poſſum, diſerte ſcribentis, omnem ætatem huic malo gignendo & alendo eſſe obnoxiam *t*.)

§. LXXXIV.

Ut vero deplorati hujus morbi ingenium quam breviſſime adumbremus, ſciatur, hoc malo correptos initio de profundis, rodentibus, modo obtuſioribus, modo lancinantibus & acerbioribus querimonias habere doloribus, in imis oſſium medullis ſævientibus, dicendo, ſibi non aliter videri, ac ſi præacutæ ſpinæ in ipſis oſſium penetralibus hærerent defixæ, compungendo medullam urentes; aliquando autem quoque de doloribus conqueruntur in mollioribus oſſi circumnatis partibus. Tum incipit pars oſſis depravata lente inflari, extuberare inque latitudinem diſtendi majorem; oſſis ſuperficies exterior ſpongioſa evadit & velut pumicoſa, quaſi multis vermibus foret arroſa & eroſa, cum inſigni inæqualitate, quæ in eo ab aſperitate, in ſimplici carie obvia, diſſidet, quod multis tuberculis & nodis obſita appareat, Excellentiſſimo BASSIO rectiſſime id monſtrante *u*); unde ipſis haud raro tanta ſuboritur fragilitas, ut leviſſima quaque occaſione fracturas incurrant. Neque cunctatur diu hoc malum in oſſium ſoliditate, ſed latius manans brevi ſe, perioſteo externo pereſo, in circumjectas diffundit partes molliores, quas in tumores ſæpe acerbius dolentes & furentes attollit, (quemadmodum Doctiſſimus GOHLIUS hoc pluries ita deprehendit, *x*) qui, vel ſua ſponte dehiſcentes, vel vulnerario ſcalpello recluſi, acrem ichorem uberius, quam pro ulcere fundunt, male olentem & impoſita ulceri emplaſtica plerumque denigrantem, quinimo in vicina carne cuniculos agentem. Ipſum vero carie infeſtatum os luxuriante carne obtegitur, quæ vulneratio ſpecillo offenſa, illico ſanguinem ſtillat. Omnium vero maxime attendi meretur, oſſa carie hac corrupta, GOHLIO id crebrius obſervante, ſi deglupta & nudata conſpiciantur, nullo livore vel nigrore eſſe tincta, ſed colore alba; quid? quod nec ſeparata quidem atque extruſa oſſis fragmenta peregrino colore eſſe infecta. Adhæc vim hujus mali uſitatiſſime ex alio ad aliud os propagari, ita ut, radicibus ejus in uno oſſe vix evulſis extirpatiſque, in aliis oſſibus ſtatim novas agere radices occipiat ac progerminare, obſervationibus illis, a Doctiſſimis GOHLIO & ZWINGERO de ſpina ventoſa relatis, hoc ita manifeſto arguentibus.

§. LXXXV.

Prima vero hujus acerbæ afflictionis, quæ oſſa ita turpat funditusſque evertit, ſemina in humorum maſſa hærent diſperſa, unde oſſibus, vel ſolidiſſimis, tantam inferunt perniciem. Conſiſtunt vero hæc in ſordibus ſalibus, acribus & corrodentibus, ſanguini intermiſtis, quæ, tam diu in amplioribus vaſorum alveis cum purpureo latice circumaguntur, vix quicquam detrimenti corporis partibus inferant: quamprimum vero in vaſa capillaria adigantur, in iis pedem figendo acerbitatis ſuæ virus in coërcentes tubulos aliaſque circumtextas evomunt partes. Attenta enim obſervatione in comperto eſt, eos in primis exitiali hoc morbo tentari, qui, vel Gallicum morbum alunt, vel a parentibus, deteſtabili hac lue quondam inquinatis, procreati ſunt; aut quorum liquida effœta, acria & ſcorbuto corrupta ſunt; item qui rachitide conflictantur. Obſervatum quoque eſt, oſſa tum hanc cariem ducere, ſi achores, tinea, ſcabies, item materia podagrica, arthritica, rheumatica, aliaque ſalina, quæ jam e corporis interioribus in ejus habitum externum foras extruſa fuerant, indidem quomodocunque repelluntur, inque humorum maſſam de integro regeruntur. Neque inſolens eſt hujus mali ortus a purgamentis illis acribus, poſt variolarum diſceſſum in ſanguine relictis, nec reiteratis alvi ductionibus aliaque commoda inde via penitus excretis. Quæ omnia quum ſint tam clara, tam explorata, ut dubitari nefas ſit; neceſſaria ex iis fluit conſequentia, incunabula hujus calamitatis potiſſimum in acri quadam & arrodente liquorum ſanguineorum indole eſſe poſita.

§. LXXXVI.

Hinc quoque eſt, cur HEYNIUS ſibi habeat perſuaſum, ſpinam ventoſam forte infauſtam luis venereæ prolem eſſe: quia ante morbum Gallicum vix ulla hujus mali notitia fuiſſet *y*). A quo nec diſſentit Laudatiſſimus GOHLIUS, diſerte ſcribens, utique probabile eſſe, iis in morbis, qui παιδαρθροκακη viam ſternunt prodeundi, venerei quid ſublatere occultatum; nec eos quidem infantes, quibus achores, tinea &c. forent ab exteriori corporis circumferentia in liquidorum maſſam utcunque rejecta, hujus luis ſuſpicione omnino eſſe abſolvendos: ex centenis quippe pueris, vix unus alterve, a retroactis achoribus ſpinam reportaret ventoſam, nihil ergo cauſæ ſubeſſe, quamobrem hi infantes, achoribus vel tinea repercuſſis, inde hoc morbi genere excruciarentur, cæteris omnibus, quibus tamen illa ſimiliter retroceſſere, ab eo immunibus & alio morbo correptis. Verum enim vero ſummopere demiratus ſum, Experientiſſimum hunc Virum ſibi tam parum conſtare, quod paulo poſt, in geneſi ventoſæ ſpinæ enucleanda,

p) MANGETUS *Biblioth. Med. Tract. Tom.* 3. *L.* 13. *p.* 659.
q) NUCKIUS *Chirurg. Experiment. XLVI. Exper. p.* 313. WEDELIUS *Diſſert. cit. Cap. I.* §. 3. HEYNIUS *Libr. cit. Theſ. XXXIII.*
r) PETIT. *Libr. & Cap. cit. pag.* 247.
s) *Diſſert. Epiſtol. de Spina ventoſ.*
t) *loc. cit.*
u) *Loc. cit.*
x) *Diſſert. cit.*
y) *Libr. cit. Theſ. XXXIII.*

da, ad peculiarem, neſcio quem, apparatum delabitur inflammatorium, illam liquidorum acrimoniam (quam ipſe tamen aliquanto ante verbis accuſavit diſertiſſimis,) ementitam agnoſcens fictamque; quaſi venereum in ſanguine delitefcens miaſma in corrodentium & acrium numero non foret referendum: quæ quum inter ſe conciliare nequeam, alii videant, quemadmodum hæc repugnantia inter ſe conjungant. Mihi ſatis eſt hic oſtendiſſe, acre ſalinum, in ſanguine reconditum, vi ſua rodente oſſa ita deformare & deſtruere.

§. LXXXVII.

Perſpectis itaque diverſis illis eventibus, quos perioſtei interioris, tam medullæ circumvoluti, quam forulos celluloſi opificii intus conveſtientis, inflammatio ſuſtineat; non abs re quoque foret de illis quædam hic ſubtexere, quæ phlegmonæ accidunt, ſi in ipſius medullæ folliculis fuerit ſuccenſa: at vero quum ex iis, quæ ſparſim a nobis relata leguntur, nullo negotio intelligi poſſit, quales medullæ incenſionem exitus maneant, actum profecto agerem, hoc loco moleſta ſedulitate repetiturus, quæ indidem facile cuivis pernoſcantur. Satius itaque eſſe mihi videtur, hic loci pauca duntaxat ex iis deguſtare, quæ de gummatibus Gallicis, tophis nodiſque jam ſupra §. 70. commemoravi, aliquibus videlicet rei Chirurgicæ cultoribus eſſe conſuetum, diſſonis hiſce vocibus disjunctos inter ſe quoque tumores ſignificare, eoſque ſolicitius a ſe invicem diſcernere; quum ex adverſo etiam ſint, qui iiſdem indiſtincte & promiſcue utuntur z). Ante vero quam de diſſidentibus his inter ſe tuberculis, in dura oſſium cruſta obnatis & viſui occurrentibus, verba facere adorior, convenit breviſſime dicere, hos oſſium tumores, tam indiſſolubili nexu arctaque Gallico morbo conjunctos eſſe propinquitate, ut hunc ſemper fidum habeant comitem; aut certe genus ducant ab ipſo ſuum, etiamſi non ullum aliud hujus fœdæ luis veſtigium in præſentia compareat.

§. LXXXVIII.

Jam vero ad diſcrimen illud, quod a ſe invicem ſejungi hæ excreſcentiæ ſolent, breviter oſtendendum aggredior. Gumma Gallicum eſt tumor præternaturalis, in externo oſſium ambitu defixus & perioſteo exteriori velatus, tenacitate ſua & duritie ad gummi cujuſdam ſimilitudinem proxime accedens, (unde quoque preſſus digitis cedit, & horum veſtigia relicta oſtendit,) lamellis oſſeis, ob lymphæ viſciditatem in vaſculis eas interluentibus ſubſiſtentis, a ſuo mutuo nexu paulatim dimotis, diſtractis inque altum elevatis, oriundus, qui ſubſtratum os lenta carie corrumpit, nec fere unquam abſcedit. Tophi vero nomen ferre ſolet, ſi ipſius tanta eſt durities, quanta in cornibus vitulorum aut avium roſtris, primo pullulaſcentibus, deprehenditur, ideoque durior eſt gummi Gallico. Exſurgit hic itidem, exterioribus oſſium laminis, ob infarctas vaſorum ipſis interjectorum propagines, a ſua mutua cohærentia laxari ſenſim cœptis & diſcedentibus. Nodus tandem dicitur aliquibus hic tumor, ſi duritas ipſius ſuperior eſt tophi ſoliditate. Prout itaque horum tumorum alius alio mollior eſt duriorve, diverſo etiam nomine cieri ſolet, quamvis omnes ex uno eodemque emanaverint fonte, & oſſium exteriorem ſemper obſideant faciem. Frequentius in oſſe tibiæ egerminant; rarius in aliis oſſibus, cave tamen ne credas, alia oſſa calamitate hujus morbi eſſe prorſus exemta, experientia contrarium docente a). Sunt præterea excreſcentiæ hæ triſtiſſimis ſubinde doloribus ſtipatæ, qui, appetente potiſſimum nocte, ſurgunt ſæviores atque efficiunt, afflictos noctem ducere inſomnem; quandoque vero propemodum indolentes obſervantur. Magnitudine ſæpius ovum columbinum æquant, haud vero inſolenter hujus magnitudinem excedunt altiuſque ſe ab oſſis ſuperficie attollunt. Quid denique diſcriminis intercedat tumoribus hiſce cum ſic dictis exoſtoſibus, ex iis apparet atque exſtat, quæ in antecedentibus habentur explicata. Enim vero minus quoque inuſitatum eſt, hæc oſſium tubera ſocietatem quandoque cum ipſis exoſtoſibus inire, & viribus conjunctis oſſeam ſoliditatem invadere, quemadmodum ex Ruyschii obſervationibus in propatulo eſt, ubi tophus oſſis tibiæ munimentum a foris obſidet, exoſtoſis vero idem intus tenet occupatum b).

§. LXXXIX.

Ex illis igitur, quæ de vera inflammationis natura & indole, de oſſium fabrica, & ipſis tandem morbis eorum hucuſque recenſui, luculentiſſime patebit, oſſa non minus, quam cæteras omnes corporis partes, inflammationibus & concipiendis, & alendis, eſſe apta atque accommodata, morbis ipſis, ex incendio prævio naſci ſemper ſolitis, inque oſſium partibus tam crebro repertis, hoc quam optime & manifeſtiſſime demonſtrantibus. Plura profecto ſupereſſent, digna, quæ illuſtriore hic loci & latiore declaratione Ben. Lectoris oculis mentique ſubjicerem: at vero quum, periclitandi ingenii gratia, hæc mihi duntaxat fuerint elucubranda, nec ego animum induxerim diſſertationis modum excedere, pervelim, Ben. Lector hæc pauca, quantumvis non ita terſa, ornata atque omnibus numeris abſoluta, ut ſe ipſi forte probatura ſint, æqui tamen bonique conſulat. Voti hujus compotem ut me ſit facturus, tanto facilius mihi perſuadeo, quanto magis æqua animi lance expenderit, quot quantiſque tricis, inexplicabilibus fere nodis & difficultatibus oſſium mala, etiamnum implicata, abdite lateant; meaque adoleſcentis, hoc in argumento nondum exercitati, ſtudia & conamina, tot perplexis morbis ex tenebris eruendis & ita explicandis, ut omnium puncta ferant, non eſſe ſuffectura. Optandum itaque magis, quam ſperandum, eſſet, ut ii, quibus occaſio eſt ejuſmodi oſſium morbos ſuis oculis uſurpandi, horum cauſas ac formam impenſiori ſtudio explorarent, eaſque recte literis conſignatas cum Medico orbe communicarent; quia inde plurimum luminis obſcuris oſſium morbis accenderetur. Meum denique etiam foret, ut hoc loco Therapiam horum morborum, Medicam perinde atque Chirurgicam, ſubjungerem: verum hoc pacto vix exitum tam patentiſsimi diſſerendi campi invenirem. Placet ergo hic filum mei de oſsium inflammatione ſermonis abrumpere & huic diatribæ ita imponere finem.

z) Bonetus *Polyalth. Tom. III. Cap. XXXIV. §. IX.* Fran. Sylvius *loc. ſupra cit.* Clopt. Havers *Libr. cit. Serm. II. Cap. IV. §. 120.*

a) Purmannus *Chirurg. curioſa. Part. II. Cap. XXII.*
b) *Theſaur. Anat. X. Aſſer. II. No. CLXXVII. & CLXXVIII. Tabul. II. Fig. IV. V. IX. X.*

DISSERTATIO MEDICA, DE SPHACELO EX CAUSA INTERNA FELICITER CURATO,

Primùm edita Anno 1717.

PROOEMIUM.

QUUM nihil æque valeat ad ſalutaris artis perfectionem, quam attenta conſideratio ſingulorum morborum, & quæ in illis ad ſalutem vel perniciem eveniunt; nullusque ſit ægrotus ex cujus ſollicita inſpectione aliquid addiſcere nequeas: mihi tamen non ſine magno jure videntur illi præcipue adnotandi morbi, qui graviores ſunt & deſtructionem machinæ corporeæ propius minantur. Etenim omnes facile videbunt ibi artem maxime exercendam eſſe, ubi natura minimum valet, & in his clariſſime conſpici veritatem & dignitatem artis, quando noxa, quam expugnat, oculis omnium quam clariſſime patet. Deinde etiam illi mihi ægrotantium caſus videntur Medicum maxime inſtruere, ubi, qui decubuerunt, eam fortunæ conditionem nacti ſunt, ut nihil opus habeant illorum ſibi ipſis detrahere, quæ Medicus, ad reddendam ſalutem, putavit eſſe vel neceſſaria vel commodiſſima. Tandem & hoc unice exoptandum eſt, ut, ſi priora omnia adſint, ægrotus etiam ea ſit animi nobilioris præſtantia & conſtantia, ut ad obſequium Medico, ſalutis ſuæ cauſſa, præſtandum, paratus promtuſque maneat, nec ulla re ab ejus ſalutari monito diſcedat. Non enim ſine gravi ratione magnus noſter HIPPOCRATES *Aphoriſm. Sect.* 1. *aph.* 1. ſic effatur: *Oportet autem non ſolum Medicum exhibere ſeipſum, quæ decent, facientem: ſed etiam ægrotum & præſentes, & quæ externa ſunt.* Atque ſane, ſi ita omnia conſpirent, ut Medicus ſciat, quibus rebus, & qua ratione, quam optime conſulat in rem præſentem; & ſi poſſit, ex omni remediorum copia, præſtantiſſimum quodque liberrime eligere & ad uſum, ſine neceſſaria parſimonia, proponere; & ægrotus denique, eique domeſtici, ab obedientia medica nihil recedant: tum demum, modo DEUS faveat, præclara ſperare poſſumus, nec fortuna indigemus, ſed illam omnia & ſingula fabricantur, quæ in talibus præſto ſunt. Minus autem ſperandum eſt Medico gloriæ, & artis incrementi, & ægroto ſalutis, ſi quicquam ex indicatis voto minus reſpondere videatur, & fortunæ novercantis invidia miſero ægro copiam eorum non permittat, quibus ad ſalutem indiget; aut ipſe ægrotus iræ, triſtitiæ, curarum, cupiditatum cæterarumque animi peſtium furiis exagitatur, quando maxime providendum fuerat, ne quid animi commotionibus corporis imbecilla valetudo detrimentum capiat. Quare mihi illi Medici non parum infelices videntur, qui caſtra ſequuntur: pauci enim ſunt, in quibus ipſi aliquid perdiſcant vel ſpectandum exhibere poſſint, quod ſit nobiliſſimæ artis, quam profitentur., illuſtri gloria, & exſpectatione mortalium, ſatis dignum. Quo magis operæ pretium nos facturos putavimus, ſi morbi graviſſimi nec omnino vulgaris, hiſtoriam, cum ipſius curationis ſucceſſu pertexeremus & medicis rationibus illuſtratam, publico ſpecimini ſiſteremus, ex quo reſtitutus vir generoſiſſimus cum opem ſibi ferentibus certaſſe quaſi viſus eſt, utrum hi ſint ad neceſſaria adferenda promtiores, an ipſe, omnibus ad amuſſim ſubeundis, ferendo abſtinendoque, paratior. Accedimus igitur, quod DEUS felix fauſtumque eſſe jubeat, ad ipſam rem nobis propoſitam & primo quidem omnium accurata erit ſiſtenda.

MOR-

MORBI ET CURATIONIS HISTORIA.

VIr generoſiſſimus, quinquageſimum annum uno jam ſupergreſſus, temperamenti ſanguinei, qui primam ætatem juventutis & multos etiam deinceps annos, vir factus, militiæ laboribus ſtrenue conſumſit; inter tot moleſtias, quæ huic vitæ generi adeſſe ſolent, ſatis tamen commoda valetudine uſus eſt. Poſtquam, relicto hoc vitæ inſtituto, magis quietam rationem iniit, ante plures jam annos arthriticis doloribus corripi cœpit. Contuliſſe ſuum hic merito putatur ſymbolum, præter hæreditariam diſpoſitionem, diætæ quoque inſtitutum. Vinis enim generoſis & antea in Hungaria, & poſt hæc aliis in Germania, multum uſus eſt, prætereaque cibis indulſit ſalſis, fumo induratis & maxime dulcibus atque acidis. Acceſſerunt ſubinde animi admodum graves affectus & ii quidem non tranſitorii ſed ſatis aliquando diuturni. Adverſus hæc incommoda fontium mineralium ope uſus eſt; Egranas quippe aquas aliquoties bibit & Carolinas; his etiam, nec non Teplicenſibus thermis, externe uſus eſt, nec ſine notabili emolumento.

Accidit vero, cum anno cIↃ. IↃcc. XV. prope Egram in Variſcis degeret, ut levi & fortuita occaſione tibiam dextram, ligno alliſam, leviter vulneraret. Parvitatem vulneris aſpernatus, perfunctorie tantum, charta impoſita, deligavit. Poſtero die, qui admodum æſtuoſus erat, corpus ſub libero cœlo vehementius commovit, & mox horrore per totum corpus correptus eſt, quem calor tunc valde magnus, cum laſſitudine & virium dejectione, inſequebatur, prorſus ut extra lectum non poſſet degere. Advocatus in auxilium Medicus & Chirurgus, inſpecto vulnere, inveniunt labia ejus circum circa profunde inflammata, quo loco ſequentibus diebus portio, nummi imperialis magnitudinem æquans, in perfectum ſphacelum abibat. Cæterum ulterius tunc non proſerpebat corruptio, tandemque mundificantibus & conſolidantibus multis adhibitis, poſt ſeptimum menſem, vulnus perſanabatur. Per illud itaque tempus, quod ab hoc ad Majum menſem anni ſuperioris cIↃ. IↃccxvi. interceſſit, inter continuas valetudinis afflictiones verſatus eſt, catarrhis enim multis, imbecillitate ventriculi, ſoda, flatulentiis, vertigine, doloribus capitis gravativis, inſultibusque arthriticis continuo vexabatur.

Adverſus hæc mala, & ut conſuetis podagræ cruciatibus obviam iret, Egrani fontis conſuetum ſibi jam & familiarem uſum inſtituit. Octo jam dies bibendo tranſegerat, magnamque ſpem læti ſucceſſus conceperat; quum mali gravioris prima initia ſeſe proderent. Quum enim a ſervo detrahi ſibi veſtes juberet, is in tibiali, quod dextro pede geſſerat, madorem inſuetum deprehendit. Juſſus itaque is inquirere, quid novæ rei hoc eſſet, & unde humor proflueret, ad digiti pedis quarti illam partem, qua ad quintum inclinat, levem aliquam eroſionem animadvertit. Nihil de reliquo doloris in parte affecta vel toto pede uſquam ſentiebatur; quare locus linteolo molliori obvolutus relinquitur, & corpus quieti traditur, nemine quicquam ſiniſtri ſuſpicante vel metuente. Poſt aliquot vero dies obſervatur ille digitus totus a colore naturali deſciviſſe. Advocatur Chirurgus, qui, quum multa in caſſum adhibuiſſet, oſſicula tandem, ſine ullo patientis dolore, exemit, nec multo poſt totum digitum, utpote penitus emortuum ac mire fœtidum, forcipe abſcidit. Serpit ulterius putredinoſa corruptio & ſub planta pedis, inde a quarto digito, profunda cavitas ſuboritur. Non deſiſtunt Medicus & Chirurgus externis ac internis medicamentis pugnare, verum infido ſucceſſu. Quamvis enim ſpes affulgebat proximæ conſolidationis, brevi tamen recruduit ulcus, longeque major, quam antea, cavitas, totum plantæ pedis ambitum complexa, ſeſe offert.

Hoc tempore aliud ſimul phænomenon non exiguo terrori fuit, nempe febris vulneraria & glandularum inguinalium tumor. Fuit autem acceſſus febris cum tanto horrore & tam intenſo frigore, ut ipſe patiens, quoties ejus reminiſcitur, non putet verba inveniri poſſe, quibus vehementiam illam exprimat, nec putet ſe ſuperſtitem fuiſſe manſurum, niſi poſt unius horæ tempus remiſiſſet, ſubſequuto brevi nec admodum magno calore.

Hactenus præſentes illius loci Medicus & Chirurgus ægrotum conſiliis ſuis ſoli rexerant; nunc rem totam D. D. Præſidi, miſſo celerrimo nuncio, committunt. Hic vero non diſſimulanter periculi magnitudinem exponit, ſed aperte ſignificat ſphacelum eſſe a cauſſa interna ortum; parum refugii in externis fore, niſi corruptio lymphæ, nervis & oſſium intimæ medullæ inhærens, per convenientia remedia corrigatur & a corpore auferatur. Ejus ſpem oſtendit, ſi recte conſulentibus obtemperaret; ſi vero his nihil proficeretur, unicum, ſed ambiguum, ſupereſſe remedium, ſphacelatæ partis exſtirpationem. Cæterum ab inciſionibus & corruptæ carnis exciſionibus cultro peragendis, in parte tot tendinibus & copioſis nervis conſtante, monet abſtinendum eſſe, niſi intenſiſſimos dolores & ex his gangrænam lethalem velint producere. Operam præcipuam eſſe dandam ſanguinis & lymphæ in toto corpore depurationi & inſtaurationi, in quem finem intra corpus ſumenda medicamenta præſcribebantur, ex herbis & radicibus antiſcorbuticis & ſanguinem depurantibus, temperatis ac ſelectioribus, infuſi forma uſurpandis, injuncto regimine blande diaphoretico, in quem finem obtinendum etiam conſpirabat ſpiritus bezoardicus ad modum Bussii fere factus. Hæc mane potiſſimum fieri debebant. Cubitum eunti pulvis, ex temperantibus, abſorbentibus & bezoardicis compoſitus, dabatur ex vino ſumendus. In prandio de balſamo vitæ liquido D. Præſidis guttas XX. aſſumebat. Alia non erant intra corpus ſumenda, & ſollicite cavendum ne purgantibus quicquam ageretur; ſi alvus non reſponderet officio, per clyſteres emollientes in ordinem debebat redigi. Externo uſui commendabatur, quod inſtar omnium eſſet, oleum caryophyllorum in vini rectificatiſſimo ſpiritu ſolutum, ea proportione, ut ad duas olei drachmas ſpiritus una uncia adhiberetur.

Hæc per litteras accepit. Verum Patiens e re ſua fore ratus, ſi ex loco propinquo ope Exc. D. D. Præſidis uti poſſet, cogitare cœpit, qua poſſet ratione Halam quantocyus deferri. Et quamvis non deerant, ex neceſſariis amicis, qui id magnopere diſſuaderent, iter tamen ſuſcepit non modicum, utpote ſeptendecim admodum milliarium; quod prorſus majoribus animi quam corporis viribus perfecit. Quippe quum huc perveniret, adeo miſera erat ejus conditio, ut vix concipi poſſit ulla miſerior. Febris enim urgebat vulneraria, vires autem erant penitus proſtratæ, ut, quum alvum clyſteribus conaremur expedire, præ imbecillitate totus concideret & lipothymia corriperetur. Ad hæc appetitus aderat nullus, nec tota hoc nocte, niſi duabus horulis, ſomnum capere poterat. Poſtea vero quam a brevi quiete vires mediocriter recuperaverat, prima ſpes ex eo affulgebat, quod clyſterem cum fæcibus ſponte reddebat, & facies, antea penitus Hippocratica, levem emendationem oſtendebat. Quum illuxiſſet,

Chirur-

Chirurgum, quem poteramus invenire optimum ac in arte verſatiſſimum, Dom. SCHWET adduximus, & pedis ulcus contrectavimus. Huic poſtea alius etiam legionarius Deſſaviorum militum Chirurgus, ipſe etiam vir probatiſſimus ac ſollertiſſimus, adjungebatur. Ab his igitur, quam diu vigebat ulceris ſordities, binis in ſingulos dies deligationibus ſollicite tractatus eſt ægrotus noſter, proſpiciente interim D. D. Præſide & jubente quid factu ſit neceſſariam, qui idem etiam omni remediorum genere continuo adverſus vim corruptionis depugnabat, & depurandæ humorum omni maſſæ operam dedebat, certiſſime ratus, niſi hoc obtineretur, nulla ratione ſalvum eſſe poſſe qui tam graviter decumbebat. In hanc rem præſcripto regimine, quod omnia excludebat augendis fovendisque impuritatibus apta nata, eaque poſtulabat, quæ excludendis blandiſſima ratione jam corruptis maxime forent idonea: in eumdem quoque finem medicamenta deſtinabat, non vehementia illa, quæ ſummo ſtudio vitat ac deteſtatur; ſed naturæ maxime amica & convenientia, quæ & roborando & concoctionem modicorum, quæ præſcripſerat, alimentorum, juvando, novos ſuccos novasque vires redderent, & vias, eliminandis ſordibus deſtinatas, expedirent, tum ipſa etiam corruptionem jam paſſa ad excernendum apta redderent.

Erant autem iſtæ non multum ab iis diverſa, quæ per litteras antea ſignificaverat, & ſupra jam indicata ſunt; in prandio, quod modicum & frugale erat, hauſtus vini generoſi Hungarici vel Hiſpanici, nullo mangonio corrupti, addebatur; in cœna aliquot guttæ medicinæ ſtomachicæ ex aurantiis factæ; cubitum eunti pillulæ balſamicæ Exc. D. D. Præſidis ſumendæ erant vel pulvis bezoardicus, æthiope minerali temperatus, quo eodem etiam interdiu utebatur. Nec infuſi, ſuperius jam tacti, omittebatur uſus, poſt quem tranſpirationi promovendæ opera dabatur. Mirum quam cadaveroſum nidorem ea habuerint, quæ, vigente primis diebus corruptione, per cutis poros expellebantur. Et hæc fere ſola ſunt, quorum ſollicito uſu ſalutem recuperavit, eamque firmitatem corporis, ut nunc, per Dei gratiam, tantum viribus valeat, & ſine incommodo valetudinis degat; quantum vix meminit ſe primis & florentiſſimis virilitatis annis habuiſſe.

Ad glandularum inguinalium tumorem reſolvendum, aut impediendum ſaltem ne nimis eæ indurarentur, emplaſtrum ſubinde admovebatur, ex cepis aſſis, veneto ſapone, cera, reſina, & farina fœnigræci factum. Nec tamen magnopere urgebatur negotium, quum facile appareret tolli malum non poſſe, niſi maxime repurgata lympha, quæ ex inferioribus partibus per has glandulas decurrit.

Sed videndum eſt qua ſe ratione pedis ulcus habuerit, quum primum patiens huc deferretur, & qua ratione porro omnia, uſque ad ſalutem redditam, acciderint. In affecta igitur parte, inde ab digito quarto dextri pedis uſque ad talum, per plantam pedis protenſa cavitas deprehendebatur, & ſupra circaque utrumque malleolum rubor jam ad livorem tendens, juncto non admodum magno tumore. Hunc ipſe patiens interpretabatur a podagra eſſe, adeoque parum de eo ſibi metuebat, donec ipſi de inſidioſa hujus corruptionis natura, & quod hanc partem aggreſſa jam eſſet, ſignificabatur; quod non multis poſt diebus ipſe eventus comprobavit, hunc ruborem non fuiſſe niſi gangrænam lentam & ſegniorem, perfecti ſphaceli præcurſorem. Nam quo loco ille tumor rubens ſubſtiterat, poſtridie omnia apparebant nigra, ſenſu carentia & teterrimum odorem, qui omnibus videbatur aliquid de allio habere, nares miſere ferientem, ſpargentia, eratque illud ſpatium utrimque paullo majus illa moneta noſtrati, quæ duos groſſos valet.

Quum hæc deligationis ordinario tempore in oculos incurrerent, feſtinare viſum eſt, ne pars ſincera in ſimilem corruptionem traheretur. Inciſione igitur, ex juſſu D. D. Præſidis facta, ſecundum longitudinem, nihil quicquam ſentiebatur doloris, ſed multo plus, quam antea, fœtoris adflantium nares implebat. Nolebat autem Dom. Præſes exſcindi carnem corruptam, quare nihil jam, niſi quod ſponte ſecedebat, eximebatur, idque oppido parum: locus autem apertus linteis carptis, prædicto liquore ſatis imbutis, largiſſime implebatur. Sequuta una & altera deligatione idem fiebat, ſemperque ablato, quod a ſano ſeceſſerat, locus non niſi ea, quem diximus, materia replebatur. Quum ita per paucos dies externis remediis pugnatum eſſet, nec intermiſſum interea internis quoque ſalutem promovere; non ſolum animadverti poterat putredinem ulterius non ſerpere, verum etiam carnis corruptæ nihil ſupererat; tendines tantum & nervi, qui nondum ſatis facile ſecedebant, curæ eſſe debebant, qua ratione commodiſſime auferrentur: quod temporis etiam beneficio impetratum eſt.

Sed nondum ſatis intelliget lector quantum de ſano & vivo ſtatu deſciverit, & mortuum fuerit; quare clarius dicendum eſt. Supra protuberantiam utriuſque oſſis cruris, quas malleolos vocare ſolemus, ad unius palmæ longitudinem, aſcendebat antea dictus tumor, magis tamen utrinque ad poſticam partem quam ad anteriorem inclinabat. Hæc fere omnis regio cum tempore ſeceſſit a ſano ſtatu, tantumque ſpatium relinquebat vacuum, ut facile potuiſſes anteriorem totam manum inter duo oſſa & magnum tendinem, qui ad calcaneum excurrit, vulgoque chorda Achillis appellatur, intrudere. Adeoque non cutanea ſolum integumenta erant corruptione illa abſumta, verum maxime etiam muſculorum, quos hic locus abdit, peronæi poſtici & antici partes, caudæ & tendinibus propiores. Nervus etiam, qui hac parte decurrit, ſatis inſignis, non immunis a labe manſerat, quare ipſum ſuperius, in parte ſana, oportebat reſcindi, quæ unica operatio dolorem creavit ſatis acutum, & totum corpus pervadentem cum ſenſu tractionis & alteratione inſigni. Illa autem pars, quæ ad inferiora pergit, ſuoſque ibi ramos ſpargit, diutius moleſtiam creabat & optatam reſtitutionem non mediocriter remorabatur; quare Chirurgi opera neceſſaria fuit, qui illum forcipe apprehenſum fortiter extraheret, quod ſine magno dolore factum eſt, cum maximo emolumento. Jam itaque cogitatione metiri licet ulceratæ & abſumptæ partis magnitudinem; ſed inde ab digito ablato cuniculus ad utriuſque lateris malleolum procurrebat, ut ſyringa injectus liquor in extremum illud orificium, juxta malleolum utrinque efflueret, circa finem flexoris pollicis, & tendines flexoris longi digitorum nec non tibiæi poſtici. Quare in medio hæc plantæ cavitas, rectiſſimo conſilio, incidi debuit, ut mundificationi opera poſſet cum majori commoditate dari.

Dictum eſt corruptionem, tendinibus occupatis, tardius eſſe expugnatam, quare tempus exſpectari debuit, donec & illi ab oſſibus, ad quæ affiguntur, poſſent detrahi. Ex his erant muſculorum enarratorum, peronæi antici & poſtici, præter hos autem etiam extenſoris tertii internodii digitorum, qui integri ſunt extracti; magnus quoque tendo non prorſus immunis manebat a noxa, quare reſiſtendum magnopere fuit ne & hic nobis eriperetur; quod feliciter ſucceſſit aliquibus ramentis ejus, quæ corruptio inva-

invaſerat, a ſano ſeparatis. Per illud autem, quod dicti tendines ad partes ſolidas affixi ſunt, non leve periculum erat ne ipſa oſſium ſubſtantia etiam ſubjaceret cariei; nec prorſus immunia ea manſiſſe, præcipue autem calcaneum, ex eo poterat ſatis intelligi, quod mundificatio hic tarde ad modum procedebat, & ſanguis cum multo fœtore profluebat. Similiter evenit cum proceſſu oſſis peronæi. Sed adhibitus ſæpe multumque liquor antea dictus & progredi ulterius eam vetuit, & præſentem ſuſtulit.

Ubi jam maximus vigor corruptionis fractus erat, & tantum reliquiæ ſupererant penitus conficiendæ, dictus liquor, adjecto balſamo Peruviano, temperari cœpit; aliquando etiam in ejus locum alius, ex herbarum vulnerariarum extractis paratus, & ſuperiori, ſed parva quantitate, mixtus injiciebatur.

Quum jam aliqua ſatis repurgata viderentur; ſenſim labia debebant coire, & in hunc finem locus vacuus carne nova impleri. Adhibebantur præſtantiſſima ſarcotica, ex quibus myrrhæ ſuccinique eſſentiæ palmam reliquis præripiebant. Sed caro, quæ prima ſubnaſcebatur, ſine ullo ſenſu erat, non certe aliam ob cauſſam, quam quod nervi erant ablati. Nec ſolum hoc loco ſenſatio nulla erat, verum quoque inferiori toto illo tractu, in quem ſuos ramulos hic nervus diſpertitus fuerat. Circa is metatarſi quartum ſenſus iterum deprehendebatur; quod ſine dubio inde fuit quia alterius illæſi nervi ramificationes illuc decurrunt.

Deligatio cum maxima cura fiebat & per tres fere primos menſes bis ſingulis diebus; inſequuto vero tempore mane tantum adminiſtrabatur. Præter autem illa, quæ laudavimus, adhibita eſt partibus vicinis tuendis aqua ad ambuſtiones (*Eau d'Arquebuſade*) non raro etiam ſpiritus vini rectificatisſimus camphora multa imbutus. Lintea, quæ proxime ambiebant partem affectam, aqua calcis vivæ, cui vinum, medicatum herbis vulnerariis, erat incoctum, humectabantur. Denique nihil, quod ad tuendam partem ab externo frigore facere ullo modo poſſet, prætermiſſum eſt.

Hac itaque ratione, DEO ſic volente, effectum eſt ut optimus patiens, qui omnium ſibi ad ſuam ſalutem præſcriptorum tenaciſſimus vixit, nihilque neceſſariarum rerum prætermiſit, ſupra multorum & tantum non omnium ſpem & exſpectationem, integritati optimæ valetudinis reſtitueretur, adeo quidem, ut quæſitam illam totius humorum maſſæ depurationem ac in integrum reſtitutionem pleniſſime obtinuerit, priſtinaſque vires recuperaverit; pedis autem ulcus, quo tempore hæc ſcribimus, tam belle ſanatum ſit, ut posſit plura, quam ullus ſperare aut promittere fuiſſet auſus. Belle enim & ſine gravi incommodo promte incedit, & ſcalas etiam ſcandit; leve autem vulnus, quod fonticulo ſimile dicas, de induſtria fovet retinetque apertum, ne, ſi forte citius coiret, aliquid incommodi inde enaſcatur. Ut brevibus dicam: eam in ſe ipſo ſanitatis vim agnoſcit & miratur, qualem viginti proximis annis vix umquam in ſe deprehendit.

Expoſuimus itaque hiſtoriam morbi & curationis; ſupereſt ut ea luſtremus, quæ conſiderationem medicam in his maxime merentur.

CONSIDERATIO MEDICA.

§. I.

PRimo itaque dicendum eſt, quiſnam ſit ille morbus, ex quo generoſisſimus Vir male tanto tempore & tam graviter habuit. Eſſe autem illum ſphacelum, quem Latini ſiderationem vocant, ex eo ſatis apparet, quod omnia, quæ in ſphacelo eſſe alias ſolent, hic nobis offeruntur conſpicienda. Corruptio enim omnimoda & ſenſus vitæque ablatio in certis partibus, quas morbi hiſtoria indicavit, extremum corruptionis, quæ corporis animalis parti accidere poteſt, gradum, ſatis comprobant.

§. II.

Eſſe autem non unam rationem, qua hæc omnimoda corruptio corpus ſolet invadere, res eſt nota; proinde igitur nec eadem eſſe ſigna, nec ſymptomata eadem, nec eventum aut curandi modum eundem eſſe, conſequitur. Nam qui a gangræna fit, ſive ſanguinis vehementi ſtaſi & inflammatione, juvenibus maxime & ſanis accidere ſolet, & tantum non ſemper a cauſſa manifeſta & obvia originem habet, fractura nempe partis cum fortiori contuſione, aut ſtrictiori ligatura partis, ut ſanguis poſt ligaturam non inveniat libere remeandi vias; aut læſione tendinis vel nervi, & hinc orta dolorum atrocia. Et hic quidem acutus maxime eſt, & celeriter, niſi convenienti modo & tempore ſubveniatur, hominem enecat, nec medicamentis internis feliciter, ob mali celeritatem, ſatis oppugnatur; verum efficaciorem medicinam externam a ferro exſpectat. Hunc a tractatione præſenti prorſus removemus.

§. III.

Supereſt ut alteram ſphaceli ſpeciem adferamus in medium, qui a cauſſa interna, ſponte ſua & nemine provocante, emergit. Accidit ille corporibus maxime ſenilibus, & male conſtitutis, quorum lympha corruptis humoribus ſcatet, totumque corpus impuritate ſcorbutica inficit. Et quo tardior eſt lymphæ, præ ſanguine, in corpore circuitus; eo etiam minus celeriter totum hominem deſtruit, ſed ſatis eum diu aliquando affligere, antequam interficiat, experimentis docemur. Et hic quidem utramque nobis implebit paginam. Latinorum medicorum eloquentiſſimus, CORNELIUS CELSUS hanc ſphaceli ſpeciem cancri nomine, ſed latius patenti, ut eryſipelas etiam & gangrænam complectatur, nobis deſcribit, & adeo diſerte de ejus cauſſis & generatione loquitur, ut clariſſime pateat non alium eum in animo habuiſſe, quam hunc ipſum morbum, qui nobis eſt propoſitus. Sed ejus quidem doctrinam ſuis locis proferemus, vocabulum autem illud adhibebimus, quod minus eſt ambiguo ſenſui ſubjectum.

§. IV.

Diximus itaque in ipſo noſtro corpore gigni tantum malum: id qua ratione fieri poſſit, ante omnia eſt conſiderandum. Jam illud eſt certiſſimum totius machinæ corporeæ in eo conſiſtere ſalutem & ſanitatem, ſi humorum vitalium in ea circuitus libero & æquabili ſucceſſu gaudeat, & partium ſolidarum, per quas fluidæ impelluntur & propelluntur, ea ſit firmitas, idque robur, ut earum beneficio & preſſione fluidorum motus adjuvetur, viarum autem meatus ſatis pateant, ne quid, illis obſtructis aut impediis, libero progreſſui officiat. Hæc ſi adſunt corporibus, omnia rectiſſime ſe habent & ſecretiones cum excretionibus, nutritio partium, cæteræque functiones ad vitam neceſſariæ, ad votum peraguntur, niſi res extra corpus poſitæ felicitatem hanc tantam perturbant. Enimvero hæ ſunt, quibus effici poteſt, ut tanti boni excidamus poſſeſſione, quemadmodum eædem recte & decenter ſe habentes, firmam nobis valetudinem præbent.

§. V.

Quemadmodum autem longum & ab hoc loco alienum

alienum eſſet, ſi omnem percurrere doctrinam vellemus, quæ præcipit rationem corpus in ſano & naturali ſtatu conſervandi: ita non incongruum erit aliqua huc afferre, quæ in univerſum doceant, qui poſſit in nobis corruptio ea generari, ex qua putredo ſphacelosa vivi corporis partibus ingeneretur. Maximum autem in eo poſitum eſt momentum, quibus alimentis, in cibum ac potum aſſumtis, corporis vires quotidie decedentes inſtauremus. Nam ſi illa ejus fuerint generis, ut in ſanguinem invehant multas partes peregrina qualitate imbutas, ejuſque dulcem ac lenem indolem, mediocriter glutinoſam & gelatinoſam, corrumpentes, metuendum omnino eſt ut multum turbetur œconomia vitalis, præſertim ſi reliquæ cauſſæ, quas recenſebimus, concurrerint. Pertinent autem ex ciborum genere ad hunc cenſum ea inprimis, quæ exceſſivis qualitatibus prædita ſunt, dulcia, ſalſa, acida; tum vero etiam fumo indurata, quibus non ſolum ſalis plurimum adjici ſolet, ſed etiam a fumo aliquid intime adhæret, quod acre & vellicans evadit, ſi multum in corpore coacervetur. Ex liquidis, quæ bibuntur, vinum meracum copioſius ingeſtum maxime diſſolvit & attenuat ſanguinis laudabilem γλισχρότητα ſeu lubricitatem, & hoc etiam magis ſic dictus vini ſpiritus, ſive ex vino ipſo ſive aliis fermentatis ſublimando paratus, ut egregie, ex rationibus publicis Londini mortuorum, hebdomatim editis, probat MARTINUS LISTERUS, ex quo tempore hujuſmodi liquores in Anglia familiarius poti ſunt, hydropes & alia morborum chronicorum genera frequentius oberrare ſolita eſſe.

§. VI.

Plurimum augentur impuritates, ſi ad pravum victum accedat aeris inſalubritas, præſertim effluviis humidis multum referti; & vel frigore intenſiori conjunctus ſit, vel magno calori. Nemo vim aeris ad corpora ſcorbutica reddenda in dubium revocabit, qui populos mari Balthico & Germanico propius degentes intuitus fuerit, aut illos, qui mare navibus trajiciunt & vel loca ad ſeptemtriones proxima adeunt, vel ad auſtrum procurrunt. Eſt enim perpetuæ & conſtantis obſervationis, illos maxime a gravi morbo corripi, qui, itinere forte longius extracto & commeatus delectum prohibente, minus commodo victu uti poſſunt, reliquis, in eodem aere verſantibus, non adeo expoſitis iſti periculo, ſi ciborum ſalubritate caverint, ne plurimæ impuritates in corpore coacerventur. Aer itaque humidus maxime corporibus, in eo continuo verſantibus, nocet, quia languidum reddit fibrarum tonum, motum & elaterem, adeoque efficit, ut circulatio minus expedita fiat. Idem etiam tranſpirationem impeditam reddit, quo facto ſordes, per cutis ſpiraculum migrare ſolitæ, cohibentur & cumulantur. Auget illud incommodum frigus, quod ſanitati magis eſt inimicum & minus ſinit ex corpore prodire ipſi gravia & incommoda, quæ in humoribus ſubſiſtunt: prorſus ut chronicis affectibus, cachexiæ, ſcorbuto, ac cæteris ab impuro ſanguine exortis morbis, nihil promtius obſtetricetur aere humido & ſimul frigido, uti auſtrinæ tepidæ conſtitutiones, cum humiditate conjunctæ, epidemicas lues familiarius invehere ſolent.

§. VII.

Metuenda autem ſunt hæc eo magis in his, quibus natura eſt imbecillior, ut ex omni re nova, forte incidente, morbis opportuni fiant, quales ſunt maxime ſenes aut ad ſenium declinantes, quorum fibræ, rigidiores factæ, minus patiuntur promte humores ſubire, & ſi forte copioſius, promovente motu, calore vel alia quacunque cauſſa, ſubierint intimos fibrarum receſſus; dejecto poſthæc ab externa injuria tono & elatere, minus promte propellunt & commercio reliquorum humorum æquali reddunt. Quare ex omnibus, qui ſcorbuticam ſanguinis corruptelam maxime admiſerunt, pleroſque videas conſtitutionis eſſe ſanguineæ, aut ſanguineæ ad cholericam inclinantis, quorum poroſa ac ſpongioſa caro multis perſunditur humoribus. Nec parum augent periculum animi affectus diuturniores, mœror ſcilicet & curarum turbæ, quarum tanta vis eſt, ut prorſus animo & corpori vigorem eripiant, nullaque functio animalis machinæ rite procedat, & ſic morborum variis generibus feneſtra latiſſime aperiatur. Quare non ſine magna certe ratione SEVERINUS EUGALENUS in ſuo *de ſcorbuto* libro ſæpiſſime nos admonet de animi affectibus, eorumque exempla complura ſiſtit, in quibus, ob accedentes ad victum & aerem non optimum animi ægritudines, cum reliqua corruptione etiam ulcera gangrænoſa in partibus extremis ſunt oborta, quin immo axioma practicum ſibi procudit: omnes, quos diuturnior mœſtitia cum victu craſſiori teneret, a ſcorbuto invadi.

§. VIII.

Motus voluntarii & tempeſtivarum corporis exercitationum, earumque moderatarum, intermiſſio, aut tam rarus uſus, ut vita magis ſedentaria quam activa ſit; non minime etiam valet ad producendas in majus incrementum cumulandaſque humorum vitalium impuritates. Sed in eo debent multa teneri, quæ hic locus vetat adduci; alioquin intempeſtive, præſertim a largiore mox paſtu, ſuſceptus fortior motus, nec debito modo & gradu ad finem tranquille deductus, miram vim habet ad lædenda corpora, quum ſanguis & ſpiritus, ratione citatioris motus in ambitum corporis confluentes, rapere ſecum eo crudum alimentum ex ventre ſoleant, unde morbi cutanei, pruritus, ſcabies, oriuntur & intus obſtructiones, ut pulchre PLEMPIUS *de ſanitate tuenda pag.* 288. admonet.

§. IX.

Præter has cauſſas impuritatum in corpore noſtro naſcentium, conſuetarum quoque evacuationum, menſium ſcilicet, hæmorrhoidum aut alvi quoque ſuppreſſionem longiorem & vehementiorem plurimum momenti habere, quivis, in artis operibus verſatus, per ſe intelligit, nec opus eſt hoc loco repetere. Videamus potius quænam in generoſo viro, cujus morbum conſideramus, effecerint ut tanta incommoda incurrerit. Vidimus ipſum pancratice olim vixiſſe & inter ſtrenuæ militiæ labores commode degiſſe; hoc autem vitæ genere in quietius & tranquillius mutato, arthriticis primo infeſtatum eſſe cruciatibus. Enimvero cauſſam ejus rei, cur homines, optime olim vigentes & magnis laboribus adſueti, miſeris cruciatibus nephriticis & podagricis obnoxii cum tempore fiant, olim jam optime indicavit Illuſtris BRUNNERUS *de glandulis duodeni p.* 143. quod acrior in illis ac vegetior appetitus alimenta complura poſtulat, & vehementius concoquit inque ſanguinem abripit. Quum vero deinceps & humores multum coacervati minus promte in circulo ſuo & curſu conſerventur, & laboribus ceſſantibus non ita multum, ut antea, conſumatur ac depuretur: fit inde, ut ſanguis conſiſtentia ſua & qualitate corrumpatur, & vel in renibus, occaſione menſtrui ſtomachici acidioris, concreſcant arenulæ & lapilli, vel in articulis dolores, tandemque tophi, generentur, videlicet glandulis mucilaginoſis, ad articulos maxime & oſſium capita collocatis, multo viſcoſo & lento

to humore obſtructis & ad præſtandum officium præpeditis. Nec aberratum in hoc ratiocinio eſſe vel a poſteriori ſatis videmus, experientia non minus quam gravi teſtimonio PROSPERI ALPINI, qui non raro obſervatum a ſe teſtatur, *homines a podagra renumque calculis vexatos vomituum crebro uſu magnopere adjutos eſſe. Medicin. Ægypt. libr. III. cap.* 17. Nimirum cruditatibus in primis viis collectis, hac ratione excuſſis & benigniori ſucco humorum maſſæ reddito.

§. X.

Prima itaque ſanitatis jactura poſt mutatum vitæ genus facta eſt, & fundamentum majoris corruptionis jactum. Auxerunt deinde malum ipſa illa aſſumta, quæ in morbi hiſtoria legimus, eorumque indolem antea conſideravimus. Maximum autem pondus attulerunt animi graviores & profundius, diutiuſque affligentes dolores, quorum impetu nihil efficacius eſſe ad turbandam omnem œconomiam vitalem, tum vero maxime ad concoctionis chylificationiſque negotium turbandum, ſicque affectus ſpaſticos inferendos, totam denique humorum maſſam corrumpendam, dari, extra controverſiam poſitum eſt. Nec aeris culpa omnis reticeri debet, qui illo loco, ubi Vir generoſiſſimus a multis annis domicilium fixit, non paucis per æſtatem continuo inquinatur effluviis humidis, a copioſis aquis lentiſſimo alveo ibi decurrentibus, multiſque ſpatiis ſatis longis per totum annum ſtagnantibus.

§. XI.

Sed hæc omnia videbuntur fortaſſe nimis remota & diſpoſitionem potius pravam inducentia, quam ipſum hunc tam atrocem affectum. Quare proximam cauſſam, quæ effecit tantam in corpore ſtragem, non ſine ratione judicamus fuiſſe fontium intempeſtivum nec ſatis circumſpectum uſum. Hi enim, quemadmodum ſummum naturæ beneficium merito exiſtimantur, ſi uſus eorum recte & ordine inſtituatur; ita poſſunt valde nocere, ſi quis illis utatur, corpore, vel ob ſenium non ſatis apto permittendis tam copioſis aquis, vel debita præparatione non ſatis diſpoſito, aut regimine debito non adjuto, quo maxime pertinet ſi non animi liberioris hilaritas præſto ſit. De quibus ſingulis accurate egit, & cautelas neceſſarias ſuppeditavit, D. D. PRÆSES, peculiari libello non ita pridem evulgato. Et meminimus ſane plures, quibus ob ætatem rigidiores erant fibræ, adverſus arthriticos dolores fontium mineralium, præſertim frigidorum, uſum inſtituentes, noxam hinc gravem & extremorum artuum incurriſſe ſphacelationes; quare eo magis omnes iterum iterumque monemus, ne remedii ejus generis uſum temere, aut ſine Medici in his verſati, ac prudentiam longo uſu conſequuti, judicio & conſilio ſuſcipiant vel adminiſtrent.

§. XII.

Si rationem, qua nocent tali ſtatu minerales aquæ, perpendimus, apparet omnino in his hominibus, antea ſatis debilitatis, aquarum multo potu, quicquid ſupererat ſpirituoſioris in ſanguine partis, nimium dilui ac diſſipari, ut ſanguinis progreſſus, præſertim in partibus remotioribus, minus promte ſuccedat. Quo facto dein humida pars multa in lymphaticos ſuccedit ductus, quorum contenta, ſi progredi debent, a ſanguine ſubſequente impelli ac proprimi neceſſe eſt. Id vero quum in manibus & pedibus, quibus parum eſt carnoſarum fibrarum, plus nervoſarum, tardius & minori vehementia accidat: evenit inde ut tumores facilius has regiones, quam alias occupent, quod in iis non raro animadvertas, qui ad fontes conceſſerunt. Verum his pleriſque, ſi vires modo naturæ ſuperſunt, & balneorum tempeſtivus accedat uſus, facile tumores diſcutiuntur: quando autem ob ſenium vires & calor corporis defecerunt, & maſſæ ſanguineæ inſignis præſto jam eſt corruptio, a levi ſtati facile ſuccedunt eroſiones, illis præſertim locis, ubi cutis integumentum tenuius eſt & pori ampliores, veluti eſt illa regio, in qua noſter patiens primum ulcus accepit.

§. XIII.

Acceſſit in noſtro caſu notabilis circumſtantia temporis, quum primo apud fontes mali moris ulcus incurreret. Etenim bibitis aquis, a cauſſa externa, eaque mere fortuita, leviter vulnerabatur, cum modica contuſione, & poſtero die, ubi movebatur corpus, cœlo ſereno & æſtuoſo, ad locum humidum, ubi piſcando occupabantur, horror & frigus notabile, ſubſequuto calore inſigni, corripiebat patientem. Eaque fuit ratio, qua vulneraria hæc febris, aut, ſi mavis, eryſipelacea, accedebat, quam multa excitabant; prævia ſenſibilitas ab uſu fontium, commotio humorum a motu voluntario & pororum ab externo aere calido recluſio, denique aeris humidi, apud piſcinam corpori illabentis, vis poros occludendi & ſubito tranſpirationem prohibendi; unde ſpaſmus & contractio fibrarum initium ſumſit & totum corpus pervagata eſt. In quo ferme omnia vidimus, quæ tum alias febres concitare ſolent, vere præſertim & autumnali tempore; tum etiam febres finitas facillime reverti faciunt: unde vulgus fere jam cautus eſt redditus, ut a febri nuper liberatum ad aquas accedere prohibeant.

§. XIV.

Cæterum hæc febris malum in eo ſignum de futuro dabat, quod levi vulneri tam vehementer ſupervenit, non ſolum quum prima accedebat, ſed etiam quum poſt annum in eodem pede ulcus emergebat. *Illa* enim *febris*, teſte CORNELIO CELSO *lib. V. cap.* 26. *pernicioſa eſt, quæ levi vulneri supervenit.* Teſtatur enim de copia & activitate materiæ illius peccantis, quæ hunc motum præternaturalem excitavit. Sed eam quoque metiri inde poſſumus, quod multis catarrhis, imbecillitate ventriculi, ſoda, flatulentiis, & variis caput affligentibus malis patiens colluctatus eſt per aliquot continuos menſes, antequam ultimo ad fontium uſum pergeret, & loco ſperatæ ſalutis tantam calamitatem reportaret.

§. XV.

Vidimus febrem vulnerariam, aut potius eryſipelatodem, utroque tempore paſſum eſſe, generoſiſſimum ægrotum, & ad hæc in poſteriori morbo inſignem rubedinem fuiſſe in utroque latere cruris inferioris. Gangrænam hanc fuiſſe eventus docuit; ſed inflammatio hæc, ſi comparetur cum illa, ubi partes ſanguineæ, in hominibus cæteroquin ſanis & robuſtis, ea corripiuntur, admodum ſegnis & lenta fuit. Partes enim, quæ hic patiebantur, potiſſimum nervoſæ membranaceæ erant, utpote corruptio non tam ſanguinem quam lympham tenebat. Adeoque levem hanc inflammationem a ſtaſi ſanguinis in carnoſis partibus adjacentibus, iiſque paucis, ortam fuiſſe certiſſimum eſt. Id ſatis multis conſtat obſervationibus medicis, in ſphacelo, ex impuritate humorum adeoque cauſſa interna, ſuborto adeo non magnam aut manifeſtam præcedere inflammationem, ut REMBERTUS inde DODONÆUS *ad medicin. obſer. XXX. ſcholio, pag.* 68. aſſerat: falſum eſſe, quod nonnullis videtur, ſemper debere inflammationem præcede-

re partis ſphacelationem. In quam rem duas a ſe viſorum ægrotorum refert hiſtorias, alteram viri, abſceſſu internarum partium, poſt longam cachexiam, correpti, cui, non ſatis patienti & obtemperanti Medicorum conſiliis, ſed ad ebrioſitatem priſtinam redeunti, antequam interna reſtituerentur, corruptio externas partes corripuit, & ita ſenſim, ſine ullo dolore, progreſſa eſt, ut tandem vitam eriperet *vide obſ.* 37. Alteram pueri ſex annorum, cui articulos digitorum in manu & pede ſphacelus, ſine prægreſſa inflammatione, invaſit & ſenſim omnes corporis partes depaſtus eſt. *vide obſ.* 53.

§. XVI.

His a Dodonæo notatis adjicere poſſumus Eugaleni obſervationes, qui *pag.* 124. in medium affert ſenem ſupra ſeptuagenarium, longa mœſtitia conſumtum, in quo ulceratio pedis ſimul ac ſemel a puſtula levi incipiebat, & per duodecim hebdomades ſerpendo, tandem interfecit. Non autem fuiſſe in hoc homine inflammationem aut dolorem ex eo cognoſcas, quod ſequenti pagina ipſe hic auctor miratur, cur ſine horrore & febre ulceratio invaſerit & pulſu parvo, debili, inæquali ac vix digitis percipiendo ægrotus decubuerit. Apud eundem plures hiſtorias eorum videre licet, qui ulcera gangrænoſa & ſenſim emorientia ſine dolore habuerunt. Quod etiam Paulus Barbette *in ſua Chirurgia* annotat; ſi ex ſcorbuto ſphacelus oriatur, poſt maculas ſubnigras partis ſtuporem & tandem mortificationem accidere, aliquando ſine ullo dolore, aliquando cum intenſiſſimo, in illis imprimis qui ſibi ab ira & triſtitia non ſatis temperant.

§. XVII.

Atque ſane notabilis eſt hæc differentia, quam in morbo cætera ſimili deprehendimus ratione dolorum, qui in multis prorſus abſunt, in aliis maxime urgent. Ita Joannes Fernelius *de abdit. rer. cauſſ. lib.* 2. *cap.* 15. *extremum pedem*, inquit, *aliquando repente ſphacelatum meminimus, ſine cauſſa externa, ſine tumore aut rubore conſpicuo; oborto primum dolore immaniſſimo, mox ſenſum in eo ac motum periiſſe, partem totam livore contabuiſſe, exulcerationem fœdam inſequutam; non multo poſt arteriam brachii dextri, deinde etiam ſiniſtri, pulſare deſiiſſe; ita ſenſim univerſo corpore obſeſſo miſerum exſtingui, ſine febre, ſine ſymptomatibus admodum gravibus.* Similia exempla ab Hildano adferuntur *libro de gangr. & ſphacelo cap. V.* de ruſtica puella ex peſtilentiali febre perfecte ſanata, cui aliquanto poſt ingens dolor in pede utroque exortus eſt, ut brevi poſt omnes digiti plene ſiderati amputandique fuerint; & alterum de viro ex febre continua & acuta curato, qui poſt duos menſes dolore acutiſſimo, in ipſa planta pedis ſiniſtri, correptus fuit, quem mox inflammatio, gangræna & ſphacelus ſequebatur, unde pes amputari debuit. Cujus rei ipſe quidem Hildanus, exemplis aliorum, qui ſine dolore ſphacelum perpeſſi erant, etiam adductis, hanc reddit rationem, ut in iis dolores & gravia ſymptomata abeſſe aut obſcuriora eſſe ſtatuat, quibus ex intemperie malum enaſcitur, hoc eſt, ut nos loqui ſolemus, quibus minimum virium & vigoris, plurimum autem in ſanguine & humoribus coacervatum impuritatis ſcorbuticæ adeſt.

§. XVIII.

Sed & illi, quibus cum magno dolore malum accedit, majori ſunt in periculo his, quibus res lentius ac mitius procedit. Sunt enim ipſi dolores vehementer apti nati ad ſphacelum producendum, quippe proveniunt a gravi ſpaſmo, qui circulum humorum magis magisque turbat & invertit, ſtaſesque inducit, unde facilis eſt in profundiorem inflammationem ac mortificationem partis tranſitus.

§. XIX.

Ad corruptionem, ſemel in parte conceptam ac generatam, longius ad vicinas partes diffundendam, maxime fecit quod tendines ac nervos ea in noſtro, quem conſideramus, ægroto invaſerat; tum etiam quod lymphatica vaſa, ab extremis partibus adſurgentia & verſus lumbares glandulas excurrentia, ſimili labe fuerunt infecta. Et nervos quidem quod attinet, illi copioſius in pede concurrunt; lymphatica vero vaſa a ſingulis manuum & pedum digitis prodeuntia, dudum jam ſunt ab Anatomicis demonſtrata. Jam vero ut de nervis primo dicamus, ab his vitiatis non ſolum illud damnum partibus, ad quas tendunt, accedit, quod ſubtiliſſimum illud, quod per eos a cerebro influit, ſincerum & incorruptum non transmittunt, ſed etiam ipſam ſuſceptam labem ulterius propagant. Agnovit illud Antonius Benivenius, qui *obſervat. medicin. cap.* 71. ulcera gangrænoſa in pede ſuborta inde maxime accuſat, quod nervi inſunt plurimi, qui, quum inficiuntur, facile etiam circumjacentia loca inurunt, unde proxima corruptioni loca ſtatim etiam livent. Id in noſtro caſu evidenter accidit, & magis etiam eveniſſet, niſi medicinæ virtute obviam fuiſſet itum, & tandem Chirurgia abſtuliſſet omnem illum nervum, non niſi plura mala illaturum. Quoniam vero tendines de nervis vicinis ramos, ſuumque robur ac nutrimentum ab illis accipiunt: mirum non eſt illos maxime in conſortium veniſſe corruptionis & vitam amiſiſſe; ut prius nulla potuerit reſtitutionis firma ſpes concipi, niſi hi etiam aufferrentur.

§. XX.

Vitium lymphæ illatum per ductus hos aquoſos ad glandulas inguinales pervenit, easque in tumorem extulit; febrili impetu ad eas materiam noxiam impellente, ut alias non infrequens in corpore eſt glandulas conglobatas, trajectui & impulſui lymphæ dicatas, intumeſcere, quando magna in corpore viget corruptio & impuritas, quod toto die obſervare licet. Ex hac cauſſa etiam factum eſt, ut in curatione ad hunc tumorem non magis reſpiceretur, quam ne prorſus illæ indurarentur, quum certum eſſet, niſi tota humorum omnium depuratione impetrata, non poſſe exſpectari expeditam lymphæ per has glandulas viam.

§. XXI.

Sponte devolvimur ad curationem graviſſimi morbi conſiderandam, in qua primo allaborandum fuit, ne gangrænoſa corruptio ulterius ſerperet; tum vero, ut a ſano diſcederet quod jam erat corruptum; tandem ut loco ejus, quod ablatum vi morbi fuerat, nova caro ſubnaſceretur & vulnus conſolidaretur. Quæ ſingula, ut impetrata ſint, breviter percenſebimus. Et ad compeſcendam quidem putredinem celeri auxilio & efficaci opus erat, quod ex voto attulit ſpiritus vini optime rectificatus, olei caryophyllorum balſamica virtute inſtructus. Penetrans ſane medicina, quæ non ſolum, quia fluida eſt, profunde ſi inſinuat, ſed etiam, quia humiditatem noxiam imbibit, & exſiccat, præſenti ſcopo maxime accommodata. Et ob olei caryophyllorum vim mundificandi & putredini reſiſtendi, tum etiam roborandi, magis præſens & optatus fuit effectus. Jam dudum Hippocrates *de ulceribus*, & ex eo Cornelius Celsus *lib. V. c.* 26. graviter prohibuerunt ulcera,

ulcera, niſi vino, humectare; at oleum, & quæcunque mollia aut oleoſa ſunt medicamenta, prorſus non conducere. Rationem illam perpetuo addit, ſtudendum eſſe ut maxime ea ſiccentur. Illud autem per ſpiritum vini, cujus uſum noſtra ætas in hunc finem addidicit, maxime & citiſſime ac citra periculum impetratur. Quando autem oleoſa prohibet, quilibet intelligit talia non indicari, quæ ſunt per deſtillationem facta, aromatica, iſti ævati nondum cognita; ſed unctuoſa illa expreſſa, quibus Antiqui alias multum utebantur.

§. XXII.

Præter hoc unicum nihil eſt ad ſiſtendam corruptionem exterius adhibitum; & nec opus pluribus fuit. Sed multum internis effectum eſſe nullum eſt dubium; immo his in ſolidum tribuendum eſſe, ne expugnata uno loco putredo in alio recrudeſceret, quod Antonio Benivenio ſæpius accidit ipſo fatente *obſ. medic.in.* 71. mortique patiens ſuccumberet, firmiter credimus. Ea autem, in hiſtoria morbi jam indicata, hic debemus contemplari pluribus. Inhærebat corruptio omnibus humoribus, & ex his univerſis corporis partibus diſpenſabatur. Opus igitur fuit tum eliminando noxio occupari; tum etiam progenerandis innoxiis humoribus dare operam. Ut prius fieret, utendum erat blando & tamen ſufficienti remedio, cujus generis fuit infuſum illud ex radicibus & herbis antiſcorbuticis, in quibus primas tenebat radix ſarſæparillæ, chinæ, ſcrophulariæ. Quæ ita cum multo liquore intra corpus hauſta, totum pervaſerunt & relaxatis omnibus excretoriis putredinem ejecerunt. Conferebat ſuum calor, bibebat enim infuſum calens ante meridiem, deinde iisdem ſpeciebus ſuperfuſa aqua, & tantiſper decocta, pro potu ordinario fuit. Nec obſcurum erat, quantum hac Medicina proficeretur, ipſa ſudoris exhalatione putrem corruptionem teſtante, quæ cum incremento ſalutis ab hoc odore magis magisque recedebat.

§. XXIII.

Ut autem perpetua transſpiratio promoveretur magis, præter moderatum externum calorem & quietem, quam ipſa neceſſitas imponebat, porro impetratum eſt exhibito ſpiritu bezoardico; in quo non ſolum illud commodum erat, quod facile corpus penetraret, ſeque ſpirituoſo ſuo ac volatili in humores inſinuaret; verum etiam quod talia, ex animali regno, per ignem elicita (hujus enim generis aliquid ineſt illi ſpiritui) fibras quoque roborandi & leviſſime adſtringendi aliqua virtute pollent, qua maxime indigebat hic æger, quem ipſe morbus omnibus viribus deprædatus fuerat, & continua exhalatio magis facile potuiſſet reſolvere.

§. XXIV.

At vero præcipua cura inter hæc erat meliores ſuccos corpori advehere, quod alimentis rite præſcriptis & juſte diſpenſatis impetrari debuit; aliquibus etiam medicamentis robur ventriculi & inteſtinorum conſervantibus & inſtaurantibus; tum quoque, ſi quid noxii ibi oberraret, corrigentibus vel eliminantibus. Ex alimentis pauciora oblata ſunt, ſed digeſtu & in chylum redactu facillima, quandiu magna impuritatum copia aderat. Impura enim corpora eo magis læduntur, quo plus nutriuntur. Quam vero primum confidere liceba vim putredinis infractam eſſe, largius hæc etiam ſunt conceſſa. Erant autem pleraque ex carnibus, quæ facile concoquuntur, tum quoque ex juſculis carnium, quæ maxime nutriunt; verum enarrare illa longum foret & tædioſum. Potus his addebatur dilutiſſimus ex decocto ſecundario, de quo ſupra diximus. Adjiciebatur autem hauſtus vini generoſi & puriſſimi, ut vires foverentur nimis collapſæ, tum quoque, ut confectio laudabilis alimenti adjuvaretur. Pulchre Celsus lib. V. cap. 26. monuit de præſenti affectu, *præcipue in hoc caſu petendum, non a medicamentis ſolum, ſed etiam a victus ratione, præſidium eſt.*

§. XXV.

Ex medicamentis, ad bonam nutritionem promovendam datis, ſunt balſamus liquidus D. D. Præſidis, ex præſtantiſſimis & puris oleis vegetabilium, ſpirituoſo vehiculo maritatis, conſtans; quod medicamentum incomparabilem opem adfert illis, qui ſenio debilitati ſunt, aut virium jacturam aliunde fecerunt. Nervis enim amiciſſimum eſt, illisque roborandis ac vegetandis unice dedicatum. Sumſit de eo in prandio; at in cœna aliam medicinam ex aurantiorum recentibus corticibus factam, paucis adjectis aliis, hauſit. Hujus hæc eſt ſingularis virtus, ut balſamica & blanda amaritie, juncta oleoſitate, ventriculum & inteſtina demulceat, tonum roboret & appetitum vigentem reddat. Denique temperans & abſorbens his interpoſitum eſt, ſimulque antiſpaſmodicum medicamentum, pulvis ſcilicet bezoardicus ex ſelectis diaphoreticis fixis, juncto nitro & cinnabari, compoſitus, aliquando etiam æthiope minerali remixtus, ſub qua forma mercurius, lymphæ depurandæ commodiſſimus, in ſatis magna quantitate, abſque periculo, ſumitur. Multiplex ab hoc pulvere uſus fuit, potiſſimus autem ille, ut impediret quo minus ventriculo & inteſtinis moleſta acrimonia aliqua, aut acor, laudabilem chylificationem impediret, cruſtæ etiam villoſæ abſtergerentur ſordes, ut in ſanguinem non niſi pura pertingerent. In eundem finem pilulis balſamicis D. D. Præſidis non raro uſus eſt, & frequentibus per infuſa depurationibus alvum ab obſtructionum incommodis vindicavit.

§. XXVI.

Hac ratione ad optatum & præfixum finem perventum eſſe, non opus eſt multis dicere, quum res ipſa comprobet. Sed nunc progrediendum eſt longius, ut videamus quo modo ſit ablatum illud, quod corruptum fuit. Chirurgum, cui ſe primo tradiderat generoſiſſimus patiens, rem ferro egiſſe & abſtuliſſe ſphacelatum digitum, ex hiſtoria intelleximus, nec reprehendimus quum in extrema & parva parte non melius fieri potuerit, utpote prorſus putri & mortua. Idem fecit Ido Wolffius, vide *Obſ. VII. lib.* 2. ubi caſus enarratur a noſtro non multum diſſimilis. Et Hildani ſupra exemplum vidimus, qui idem in puellæ ruſticæ omnibus digitis fecit: & ſunt multa in promtu exempla, ubi ab aliis toti pedes ſunt ablati. Sed raro opus eſt ad tam deſperatum remedium prodire, & rarius prodeſt hoc fieri. Nam quum hoc mali graviſſimi genus maxime ſenibus accidat & impuris corporibus; illis non conſultum eſt tam generoſam medicinam adhibere, hos autem parum juvat, quum non tollat infectionem & putredinem humoribus inhærentem.

§. XXVII.

In noſtro ægroto locus ſphacelatus, eodem externo remedio a mortua carne & reliquis corruptis partibus, liberatus eſt, quo diximus putredinis vim eſſe infractam; niſi quod balſamo Peruviano & herbarum vulnerariarum aliquibus extractis fuit aliquantum temperatus, quod quidem propterea fieri placuit, ut leniora hæc & emollientia magis adjuvarent fibrarum ſemicorruptarum reſolutionem & ſepara-

rationem, præſertim cum ſucci meliores, quibus producendis opera dabatur, parti affectæ diſtributæ & affluentes, quod ſanum erat foverent, quod cum corruptione conflictabatur extruderent & de commercio ſuo ſegregarent.

§. XXVIII.

Cæterum peccari in hujus generis affectu ſæpe ſolet, & graviter quidem, inciſionibus & corruptin ſana parte exciſionibus, quæ non ſolum illud non impetrant, propter quod fiunt, quippe ANTONIUS BENIVENIUS *l. c.* ſcribit, ipſe ter expertus; *quod ſi, quicquid corruptum eſt, & proximum quoque locum, vel uſque ad ſanum, prorſus excideris, revertitur tamen & ſerpit*: ſed etiam ex ſphacelo lento efficere celerem illum ſanguineum poteſt, nervis in parte ſana copioſis conciſis, una cum membranis & reliquis obviis. Oriuntur enim magni dolores, quorum vehementia graviorem inflammationem & celerem ſphacelum invitat, ut in celeberrima civitate Regia factum meminimus, in ſimili corruptione metatarſi oſſibus exciſis. Sed pars penitus corrupta incidi & excidi poteſt, ea tamen cautione, ne ferrum ad hæc quoque penetret, quæ gangræna quidem tenet, nondum autem vitam prorſus amiſerunt, quod egregium eſt HILDANI monitum *Centur. VI. obſ.* 19. qui his etiam removendis Aegyptiacum unguentum ſuum feliciter ſemper adhibuit, quod magis laudibus & ipſe extollit & MARCELLUS CUMANUS *obſ. V.* approbat. Atque ſane videtur hæc compoſitio ex antiquiſſimis eſſe, nam quæ HIPPOCRATES ad ulcera purganda commendat *libro de ulceribus* §. *VIII.* revera nihil ſunt aliud, quam ipſum noſtrarum officinarum unguentum, niſi quod paucula adjecta ſunt. Sed nobis ejus uſu non opus fuit, quia jam indicata ſuffecerunt.

§. XXIX.

Quæ autem in noſtro ægroto corrupta ſeceſſerint & vel ſponte, vel mediocri vi adhibita, ſint extracta & exemta: jam ſatis ex morbi hiſtoria patet. Quare, ut ad finem veniamus, paucis de conſolidatione dicendum eſt. Ea quidem ſponte accidit, quum corruptio diſpulſa eſt, & corpus recto ac laudabili nutrimento adfluit. Apparuit id maxime in præſenti negotio, ubi caro, quæ prima renaſcebatur, antequam perfecte omnia, præſertim in imo pede, purgata eſſent, bis terve iterum collapſa fatiſcebat, donec cum totius corporis ſano ac optatiſſimo habitu melior & duratura ſuccrevit. Adhibita quidem ſunt etiam ſarcotica, in ſuperiori enarratione jam indicata; ſed ſine prævia reliqua emendatione ſi fuiſſent, parum fuiſſent effectura.

§. XXX.

Illud ſingulare, carnem, quæ nova generata eſt, ſenſu omni penitus carere, quia nervi huc decurrentes & ſenſum facientes, exciderunt vi putredinis. Carnem tamen propterea minus fore durabilem non conſequitur, quamdiu humorum modo vigebit emendatior ratio. Videmus enim in aliis caſibus a violenta vulneratione ſæpe etiam conſcindi nervos, & tamen partem ſatis tolerabili deinceps frui ſanitate; aut paralyſi quædam membra affici & ſenſum amittere, vita tamen permanente. Eſtque talis ἀναιϑησία, ab ademto nervo, minus extimeſcenda, illa, quæ præſentibus nervis accidit, ſed ita vitiatis, ut nihil per eos ſpirituoſi amplius in partem influat, ſed potius corruptum. Et quia ab hac re non alienum eſt, duo laudare ejus exempla liceat. Alterum TULPIUS adfert *obſ. libr. III. c.* 43. hominis ſenis & fatui, in quo cum effœto ſanguine ſenſuum uſus erat abolitus, ut mirum non ſit ipſius totum corpus, a leni & parva compreſſione exortum ſphacelum tandem occupaſſe. Alterum non minus eſt notatu dignum quod in *Ephemer. N. C. Dec. II. A. VIII. obſ.* 171. refertur de puero ſtupidi ſemper ingenii, qui, prævia totius corporis laſſitudine, defectu virium & capitis exiguo dolore, incurrit id malum, ut capilli primo defluerent, mox ſuturæ cranii oſſium a ſe diſcederent, tandem ad reliquam corporis omnem compagem putredo proſerperet, ſine tamen dolore aut fœtore, ut poſt ſeptimum menſem morti ſuccumberet. Singulare in hoc erat, quod inter hæc edere, bibere, per alvum excernere bene poſſet, quod ab hoc ſine dubio fuit, quia prægrandes nervi ad ſtomachum abeuntes, difficilius obſtruuntur & a munere ceſſant, quod Ill. BRUNNERUS irrefragabili experientia practica confirmat *de gland. duod. p.* 75. *ſeqq.* reliquorum autem plane perverſum & abolitum fuit officium.

§. XXXI.

Tandem etiam nemo mirabitur membrum, tot inſtrumentorum motus localis orbatum partibus, poſſe exercere motum, & ſine incommodo inſervire corpori; quum aliqua, a quibus pedis motus potiſſimum pendet, intacta manſerint, aut leviter tantum afflicta fuerint, velut tendo magnus, in quem maximi ſuræ muſculi, gaſtrocnemii Græca voce dicti, deſinunt. Hoc vigente ſolo, ut pes modo extendi recte poſſit, ambulatio, ſi non commodiſſime, viget tamen & exerceri poteſt, quum femoris muſculi ad protendendum cum tibia pedem, eundemque retrahendum ſufficiant, & homines videamus, quibus in tibia pes reſectus eſt, & incedere tamen ligneo pede valent.

§. XXXII.

Ex hac itaque tota curatione hæc potiſſimum ſunt addiſcenda: Sphacelum ex cauſſa interna non eſſe affectum acutum; ſed maxime tardam paſſionem, ac putredinem in eo eſſe frigidam atque lentam: nihil in eo profici externe cataplaſmatibus ex herbis, floribus aliiſque optimis vegetabilibus, quorum decoquendo vis exhalat, &, quod remanet, multa aqua diluitur: opus eſſe acrioribus, penetrantibus & ſpirituoſis, velut eſt oleum caryophyllorum purum & vini ſpiritus puriſſimus: ad percurandum affectum ſummam ſpem eſſe in univerſali humorum depuratione ſitam: hanc impetrari diætæ recte conſtitutæ beneficio & medicamentorum, quæ chylificationem optimam præſtent, prudenter continuato uſu: ab exciſionibus corrupti in parte ſana abſtinendum eſſe: corruptioni membranoſarum partium reſiſtere ſuccum nerveum, quoniam in noſtro caſu tendinum putredo ibi ſubſtitit, ubi ſenſus deprehendebatur: non tamen ſtatim terrere debere quamvis ſenſus abſentiam, & carnem quoque probam gigni, etiam ubi nervi præciſi ſenſum abſtulerunt, modo humores in corpore de reliquo recte ſint conſtituti.

§. XXXIII.

Sed tempus eſt abrumpendi ſermonis filum, quod facimus cum feria gratiarum actione pro tanta ſummi numinis benevolentia, quæ effecit ut labor ſanitati generoſiſſimo viro reddendæ impenſus, ſine fructu non fuerit; ab eodem ſubmiſſe petimus ut diuturnitatem ſuo muneri addat & optimum Virum, Reipublicæ emolumento ſanum, vegetum, felicem diutiſſime conſervet.

DISPU-

DISPUTATIO MEDICA,

DE

AMPUTATIONE MEMBRORUM SPHACELATORUM

EORUMQUE SECURA MEDELA,

Primùm edita Anno 1696.

§. I.

NULLUS affectus atrocior & crudelior, quam ſphacelus eſt, ubi nobis viventibus integræ partes corporis immanes inter cruciatus & æſtum igneum putreſcunt & moriuntur; Neque is perfunctorie ſaltim infeſtat, aut ad ſalutem, ut alii morbi ſolent, terminatur, ſed, ubi ſemel nidum ſuum elegit, pertinaciſſime inhæret, & non tantum illam partem, quam aggreditur, mortificat, ſed citato pede progreditur, & ſæpius totam microcoſmi machinam deſtruit. In tanti affectus atrocia quid Medico agendum ſit, & quid officii ejus ratio poſcat, paulo penitius impræſentiarum expendere animus eſt. Quoniam autem pro diverſitate individuorum & ingenii ſui magis vel minus maligni ac concurſus vehementiæque ſymptomatum gradus ſuos habet ac multum inter ſe diſtat & variat, hinc non eadem auxilia eandemque medendi rationem ac viam exigit; ſed nonnunquam inter initia ſtatim per valentiora remedia pars ad corruptionem vergens cuſtodiri & integra ſervari poteſt; nonnunquam autem, malo majores vires adepto, corrupta & mortua pars corporis a viva ſeparari & exſtirpari debet. Placet itaque loco ſpeciminis de ſecuris ac certis contra inſenſiſſimum hunc corporis noſtri hoſtem in præſenti diſputatione paulo fuſius agere. Imprimis autem, qua ratione & methodo partes jam totæ corruptæ & emortuæ amputandæ & ſeparandæ ſint, circumſpectius paulo decernere, annectendo ſimul indicationes utiliſſimas, cautelas, & ſuccinctam operationis ipſius methodum. Altiſſimum Numen gratia & auxilio ſuo aſſiſtat conatibus hiſce!

§. II.

Ut autem feliciter progrediamur in apte diſponendis & decernendis remediis contra perniciosiſſimum hoc malum præſentiſſimis, e re fore duco in anteceſſum paucis delibare atque attingere, qua ratione gangræna a ſphacelo differat, & quibus ſignis uterque affectus multum inter ſe cognatus dignoſci queat. Gangræna autem dicitur a γράινειν, quia maxime exedit & devorat inſtar lupi vel cancri. Quare omnes Novi Teſtamenti interpretes gangrænam in *Epiſt. Pauli* 2. *ad Timoth. cap.* 2. *v.* 17. per cancrum verterunt. Eſt autem peſſimus inflammationis comes & incipiens partis corruptio. Si autem jam eo proceſſit, ut pars corruptione extincta & emortua ſit, ſphacelus nuncupatur. Hinc bene gangrænas GALENUS *L.* 2. *ad Glauconem* nominat eas, quæ ex magnitudine inflammationis fiunt mortificationes, nondum tamen integræ factæ & confirmatæ ſunt. Mali autem hujus tanta vis ac tyrannis eſt, ut, niſi celerrime ſuccurras, facile affecta pars mortis habitum repræſentet, h. e. vitæ, ſenſus, & motus exſtinctionem tetramque putredinem contrahat. Et partis affectæ mortificatio incipiens tantæ eſt ferocitatis, ut niſi quis ruptâ omni morâ præſentiſſimas tulerit ſuppetias, laborans particula emortua vicinas ſedes invadens ulterius ſerpat totaque membra enecet, ipſumque hominem jugulet. Sphacelus vero dicitur a σφάζειν, jugulando, ſeu enecando, quoniam necroſin inducit partibus. Hæc autem gangrænam præſentem in inflammata parte prænunciant, ſi nimirum coloris floridum, quod in inflammatione adfuit, extinguitur, deinde dolor & pulſus ſive arteriarum motus ipſi ægro antea ſenſibilis nondum finita adhuc morboſa diſpoſitione remittunt, & pars antea dura ac renitens mollis fit & livida, ſenſu quodammodo deſtituta, & cutis a carne facile ſejungitur, ſique premitur digitis, in profundum cedit, nec poſtea revertitur aut reſilit. Sphacelus vero appellatur, ubi coloris flos perit, aut pars livet, aut nigreſcit & tumida, mollis, & prorſus cadaveroſa apparet, nec calor, nec pulſus, nec dolor, aut ſenſus ullus amplius adeſt, ut etiam citra doloris ſenſum alte ſcalpellus in partem adigi queat; puſtulæ quoque & veſicæ copioſæ taliſmodi in partibus apparent; ſi aperiuntur, laticem acrem fundunt & nigredinem a corroſivo ſale gangrænoſo inuſtam ſubtus recondunt.

§. III.

Occupat hic affectus frequentius partes ſanguine copioſo vel ejus vivido influxu deſtitutas, ut tendinoſas, nervoſas, & corporis extrema; quare frequentius videmus manuum & pedum digitos, ipſumque ſcrotum hoc malo laborare. Porro adoritur corpora diuturno morbo vel ſenio emaciata & confecta. Ubicunque enim vires, ibi etiam tenuiſſimæ ſanguinis & fluorum vitalium particulæ deficiunt. Ubi autem horum defectus, ibi circulatio humorum remiſſior & impeditior eſt; ubi hæc, ibi facilis ad putredinem diſpoſitio præſto eſt. Denique hic affectus ſæpius quoque prehendit cachecticos, hydropicos, paralyticos, ſcorbuticos, & omnes, qui impurum ſanguinem & paucos ſpiritus in venis alunt. Oſſibus hic morbus accedit, cum caro ipſis circumdata tetros gignit ichores ſive depravatam ſaniem, quæ virulentiâ ſuâ ea induit ac fœtidiſſimâ putrilagine

gi..e conſumit; ſphacelus enim oſſibus innaſcitur, gangræna non.

§. IV.

Quod cauſas truculenti hujus mali concernit, breves erimus in illis allegandis aliud inſtituti ratione exigente, e re tamen erit non plane illas negligere, quo remediorum ratio, illorumque modus agendi magis innoteſcat clariorque appareat. Compertum autem ex Phyſiologia mechanica eſt, ſicuti totius corporis, ſic etiam cujuſvis partis animantis vitam & ſanitatem verſari in perenni ac jugi ſuccorum, & principaliter ſanguinis, circulari motione debita & æquali; tamdiu enim viva adhuc pars dicitur, quamdiu ſanguinis circulatio per illam adhuc ſalva & libera eſt. Sic paralyticorum membra, utut ſenſu & motu animali privata ſint, vivere tamen dicuntur, quoniam adhuc vitalis purpura per illa ipſa fertur & per circulum revolvitur. Proinde uti mors totius, ſic etiam certæ cujuſdam partis mortificatio conſiſtit in circulatione ſanguinis ceſſante & penitus deſtructa. Simulac enim humorum in circulum abiens motus in parte quadam corporis noſtri perit, protinus elementa partes fluidas & ſolidas componentia a ſe invicem ſecedunt & vinculum ac unionem priſtinam deſerunt; unde fœtidiſſima putrilago emergit. Quando enim internus ſanguinis motus progreſſivus ceſſat, ſtatim externum aëris fluidum jus acquirit in partem hanc, motumque alienum introducit, qui, cum texturæ nativæ deſtructorius ſit, corruptionem cadaveroſam & putredinem accerſit. Motus enim circularis eſt præcipuum naturæ inſtrumentum, quod non tantum in unione vitali elementa ſanguinis valde heterogenea ſervat, verum etiam tali ratione a putredine, quæ ſeceſſio partium a ſe invicem totum componentium eſt, egregie defendit & tuetur. In ſphacelo itaque omnis motus & circulus ſanguinis vitalis extinctus eſt, & externo fluido jam obſecundare & in putrilaginem abire incipiunt partes ſolidæ. In gangræna vero, quæ, ut jam ſupra dictum, incipiens ſphacelus eſt, motus ille vitalis penitus quidem non extinctus, tardus tamen, impeditus, & extinctioni proximus eſt.

§. V.

Ex hiſce adductis jam facile conſtabit ratio, quare a frigore penetrantiſſimo, quale eſt in Suecia, Norwegia, Curlandia, Livonia, &c. maxime ſi corpora impura impura & emaciata tangit, quare porro a ligaturis fortiſſimis partium luxatarum vel fractarum, item ob graviorem contuſionem & ambuſtionem partis, frequentiſſime generentur gangræniſationes. Simile quoque accidit a prohibita tranſpiratione, quando nimirum partibus valde inflammatis vel eryſipelaceis, ubi jam tum pori obſtructi & compacti humores ſunt, applicantur frigida aquea, oleoſa, emplaſtra, aliaque obſtruentia & poros anguſtantia. Notabile eſt ex immiſſione manus ægri maligna febre laborantis in frigidam ſphacelum obortum fuiſſe, de quo vid. *Miſcell. curioſ. Decur. II. A. III. p.* 145. Patebit jam porro ratio, quare illis perſonis, quæ impuros, vappeſcentes & ad corruptionem ſive diſſolutionem elementorum ſanguinis deſtructoriam vergentes humores poſſident, tam intrinſece viſcerum, quam externarum partium frequentes ſphacelationes ſint, uti id videmus in peſte, ubi interiora ventriculi nigricantibus maculis & eſcharis conſpiciuntur referta. Anthrax & bubo glandulosarum partium quid aliud, quam inflammatio fortiſſima cum ſphacelo juncta eſt, a corroſivo virulento alcali inducta? Petechiæ nigræ, mortis prodromi, quid aliud indicant, quam leviorem & ſuperficiarium ſphacelum? quod de ſcorbuticorum maculis latioribus etiam valet. Deinde ſolenne quoque eſt, cachecticos & ipſos paralyticos facillime tentari diro noſtro affectu. In illis infarctæ jam partes a craſſis impuris humoribus ſunt; in hiſce tardiſſima ſanguinis circulatio & pulſus arteriarum debilis propter elaterem ſpirituum animalium, qui tonum ac robur fœnerant partibus, deficientem. Quapropter oportet, ut praxin exercentes probe dignoſcant & diſtinguant ſphacelum, qui ab intrinſeca cauſa & ſanguinis vitio dependet, ab illo, qui foras & ab extrinſeca cauſa ſaltim accedit. Et notabile eſt, ſæpius citra ullam cauſam extrinſecam & occaſionalem ſphacelum adoriri, uti videre licet in HORSTIO *Lib. 9. obſerv.* 22.; ubi quoque animadvertere eſt, gangrænam in corpore cacochymico vi ſaltem purgantis fortioris introductam fuiſſe. *v. ibid. obſ.* 25. FERNELIUS *de abditis rerum cauſis L.* 2. *c.* 15. teſtatur, ſe aliquando partem ſphacelo affectam vidiſſe non ſolum ſine cauſa externa, ſed & ſine tumore aut rubore conſpicuo, oborto primum dolore immaniſſimo, tandemque ægrum exſtinctum fuiſſe ſine febre & ſymptomatibus gravioribus. Gangræna itaque, quæ ab extra provenit, longe citius & felicius ſanationem admittit, nec tam citato pede progreditur, dum ſanguis & humores balſamo ſuo genuino, quod cuſtos putredinis eſt, adhuc abundant; ſecus fit, ſi ab intrinſeca cauſa malum dependet, ubi longe periculoſior eſt ſtatus, nec tamen brevi humorum vitium emendabile.

§. VI.

Cum itaque noſter affectus varias habeat cauſas & ratione vehementiæ ſuos gradus, & quoad partes, quas infeſtat magis vel minus periculoſus ſit, nec æqualiter ſemper totum membrum corrumpat & mortificet, ſed ſæpius ſaltem ejus partem, & quandoque tantum ſuperficialiter & nonnunquam ſatis profunde deſtruat. Hinc remedia ad hoc malum expugnandum non ejuſdem generis ſunt, nec illorum applicatio & medendi methodus una eademque ſemper eſt. Prudentis itaque eſt pro conditione & ſtatu morbi convenientia adhibere remedia; aliud enim auxilii genus exigit membrum totum emortuum & corruptum, & longe aliud, ſi ſaltim pars quædam vita exuta eſt, reliqua vero integra. Illud tamen breviter ſummatimque monemus, omne corruptum ac emortuum, quod non amplius a naturæ regimine dependet, ſeparandum ac disjungendum eſſe a reliqua ſana parte, ſive provida natura, quæ etiam hic ſui cuſtos, conſervatrix & medicatrix eſt, ſola inſtituat ſeparationem illius, quod leviter ſaltim infeſtum eſt, ſive ope & arte Chirurgi graviter corruptum amoveatur. Notabile autem eſt, ipſam naturam non tantum carnem emortuam a ſana provide ſeparare (quod apparet, ſi circulus ruber exquiſiti ſenſus inter ſanam atque mortuam carnem & materia albicans puris ſpiſſioris inſtar ſeſe oſtendit) verum etiam integra ſæpius membra, quod mirabile eſt a corpore ſejungere. Sic integrum brachium, ægro ſanitati poſtmodum reſtituto, ſolius beneficio naturæ ſeparatum legitur in TH. BARTHOLINI *Hiſtor. anatom.* 69. *cent.* 1. *& cent.* 5. *Hiſt.* 63. it. CATTIER *obſerv.* 13. Memorabile non minus eſt, Conſulem ſeptuagenarium, de quo mentionem facit NICOL. TULPIUS *L.* 4. *obſerv.* 51. laboraſſe tibia adeo corrupta, ut a Medico ipſi conſultum fuerit, quo curaret ferrula ſibi eam præſcindi, quibus monitis autem non paruit homo imperio aſſuetus, ſed potius miſere perire volebat. Factum hinc eſt, ut tendinibus ac nervis ob diutinam moram ab acri pure eroſis totus pes vitiatus ſedibus ſuis exciderit; ut adeo

&

. & ipſa natura ſatis clare indicet remedium amputationis ſeu exſtirpationis; ſicuti autem hæc locum habet, ubi totum membrum corruptum ac infectum eſt, ita e contra, ubi membrum ſaltim quoad partem laborat & necroſi tactum, alia ſanandi via ineunda eſt, quæ maxime conſiſtit in hoc, ut ſanguinem benignum reddamus, obſtructiones removeamus & laudabilis ſanguinis influxum & refluxum in partem corruptioni proximam promoveamus. Hoc pacto, quod ſanum eſt, defenditur, emortuum vero facile ſeparatur, & laudabile pus, quod optimum reconvaleſcentiæ ſignum præbet, movetur.

§. VII.

Ut autem affectus & ſymptomatum ætiologia & modus agendi remediorum eo planius eniteat, breviter ſaltim totam rem perſtringemus. Nimirum certiſſima res eſt, partem facilius corrumpi, ſi ſanguis ibi hæret eccentricus, fixus, & immobilis; hac enim morâ æſtum concipit vehementiſſimum pars laborans, dum globuli ætherei per obſtructos ac infarctos membri poros celerrime rotantur ac reverberantur. Aeſtus hic, qui motus attritivus vehementiſſimus eſt, inſtar ignis nativum ſanguinis elementorum contextum & craſin plane diſſolvit & deſtruit, cutim a carne ſeparat, & fluoribus intenſam acrimoniam ingenerat, unde in partibus gangrænoſis non ſecus ac ab igne ambuſtis dolores, eroſiones, puſtulæ, veſicæ, acerrimam lympham fundentes obſervantur. Sicuti enim igneæ æthereæ particulæ velociſſimo ſuo motu & ipſas fluidas & ſolidas partes dilacerant ac deſtruunt: pari ratione id fit a motu ætheris vehementiſſimo in parte obſtructâ ſuſcitato. Ignem, dum crematione ſua contrahit criſpat partes, poros deſtruit, ut lucis radii in illis ſuffocentur, nigredinem partibus inducere, notum eſt. Eodem modo id fit in noſtro affectu, ubi corroſivum igneum illud ſal ſimiliter agit. Præterea effluvia ſatis actuoſa, corroſiva, ex parte laborante evecta ſanguinem & corporis noſtri ſuccos in motu ac mixtura ſua turbant, & partim febrim ac ſitim incendunt, partim virium magnam jacturam pariunt. Quamdiu itaque deſtructorius motus in affectis partibus viget & ulterius ſerpit, tamdiu res maximo in periculo conſtituta eſt. Prima hinc atque optima intentio Medici eſſe debet, violentum hunc & naturæ infenſiſſimum motum, mortem & putredinem inducentem, ſiſtere, *germ.* den Brand ſtillen. Peropportune autem illud peragitur deobſtruentibus, balſamico roborante ſulphure & ſale penetrante inſtructis. Sola enim hic deobſtruentia ſanguini liberiorem motum, partibus debitam tranſpirationem, materiæ æthereæ liberrimum itum ac reditum largiuntur atque concedunt. Sic enim ſanguinis & ſeri vinculum illibatum ſervatur, putredo arcetur, & quod emortuum eſt, ſponte ſecluditur; & pus, quod ſuccus nutrititius ob aceſcentiam, in quam facile vergit, albedine tinctus eſt, movetur.

§. VIII.

Ex claſſe autem remediorum, quæ prædictis indicationibus ex aſſe ſatisfaciunt, certe primas tenent & famoſiſſima ſunt ſale volatili oleoſo acidum deſtruente imbuta vegetabilia, uti ruta, ſalvia, angelica, leviſticum, flores ſambuci, baccæ juniperi, & omnia ſalia volatilia urinoſa vel oleoſa reddita; ex quibus maxime eminet ſal oleoſum nativum penetrantiſſimum, camphora. Huc ſpectant etiam ſale quodam alcalino fixo amaro imbuta, uti ſcordium, carduus benedictus, ariſtolochia rotunda, aloë, centaurium minus, abſynthium; item oleo balſamico imbuta, uti myrrha, thus, maſtiche, balſamum peruvianum, &c. Vel denique inciſoriâ vi agentia, uti ſal ammoniacum, lapis medicamentoſus Crollii, vitriolum tam Martis quam Veneris, aqua calcis vivæ, cineres clavellati, ſpiritus vini, & vinum ipſum. Ex hiſce jam dictis parata cataplaſmata & fotus, (qui penetrant promtiſſime, & longe exquiſitioris operationis ſunt, quam emplaſtica) calide & crebrius applicata divinam afferunt opem, dum unitâ quaſi vi partim incidendo & deobſtruendo, partim tonum membri labaſcentis roborando ſimulque putredinem arcendo perniciale hoc malum feliciter depellant. Inſtar omnium autem duo ſequentia a Magnifico Domino Præſide ex ſingulari affectu mihi communicata remedia, quæ præſtantiſſimam opem innumeris vicibus tulerunt, laudari merentur. Nimirum accipe *Radicis angelicæ, leviſtici ana unciam unam, herbæ ſcordii, rutæ, cardui benedicti, ſalviæ ana manipulum unum, myrrhæ, maſtiches ana drachmas ſex, ſalis ammoniaci unciam unam ſemis, viridis æris drachmam ſemis, aluminis uſti drachmas tres. Hæc omnia conciſa atque contuſa coque in aquæ calcis vivæ, vini Francici & ſpiritus vini camphorati partibus æqualibus.* Alterum eſt ſolutio florum ſalis ammoniaci vitriolatorum in ſpiritu vini rectificato, adjecta debita quantitate camphoræ. Notandum autem circa uſum horum remediorum, quod ſi malum nimis profunde & altius lateat, inque carnoſis partibus conſiſtat, prius inſtitui debeant ſcarificationes, partim ut ſanguis aceſcens & corruptus, qui in membro laborante compingitur, evacuetur, partim ut vis medicamenti ad ipſam labem propius pertingat. Et vanus ac inanis hic Practicorum nonnullorum metus eſt, qui aëris acceſſum putrefactionem facilitare cenſent. Satis enim mature affectæ parti debitis remediis impoſitis proſpici debet. Minus autem commode ſcarificationes hæ inſtituuntur in partibus tendinoſis, manuum pedumque digitis, & ubi maximus æſtus adhuc cum rubore perſpicitur; felicius id fit in partibus carnoſis jam corruptis vel corruptioni proximis, ubi profundæ ſcarificationes locum habent. Illud autem admirationem meretur, poſt ſcarificationem peractam in partibus mirum tumentibus, detumeſcentiam ſenſibilem illico deprehendi cum flatuum emiſſione, luculento indicio, non ſaltim infarctum humorum, ſed & expanſivam elaſticam vim grandiores tumores gignere.

§. IX.

Quo autem in ſanandis gangrænoſis membris ſecurius procedamus, non debent negligi interna, quæ externorum virtutem mirifice ſecundant. Talia autem ſunt omnia alexipharmaca & diaphoretica, quæ ſanguinis mixturam in craſi & motu ſuo ſervant, & tranſpirationem liberiorem inducunt. Ex his autem virtutis expertiſſimæ ſunt liquor cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus bezoardius Buſſii, tinctura bezoardica media & volatilis, diaſcordium liquidum, eſſentia theriacalis, theriaca cœleſtis, & omnia ſalia volatilia oleoſa. Euporiſton autem præſtantiſſimum, quod plus centum vicibus incredibili effectu intentioni tum *Magni* HOFFMANNI, *Dn. Patroni ac Præceptoris mei ad cineres uſque colendi*, tum etiam aliorum ſatisfecit, ſequens eſt, *Recip. vini rhenani optimi libram unam, ſucci cancrorum recentis uncias tres, theriacæ drachmas duas, lapidum cancrorum drachmas tres: blando calore hæc miſceantur & pro duplici doſi bibat ægrotus, obſervando debitum & temperatum ſudoris regimen.* Præterea ex alexipharmacis & noſtro ſcopo inſervientibus duo maxime eminent, quæ ſociata excellentiſſimam vim exerunt. Sunt autem nitrum & camphora: ſi verbi gratia ad drachmam unam nitri addatur ſcrupulus unus camphoræ. Nitrum ſanguinem & ſerum fluxile reddit, quod patet, ſi ejus ſolutio ſanguini congrumato aſ-

ſundatur, humorum acredinem contemperat, febrim extinguit, & balſamicam vim humoribus fœnerat. Notatu enim dignum eſt, nitro artificiali ſeu regenerato in aqua ſoluto ſanguinem e vena emiſſum diutiſſime floridum ac purpureum in thermometro ſervari poſſe. Camphora autem effluviis ſuis tenuiſſimis evaporationem ſalium morboſorum vehementium & particularum obſtruentium promovet, ſicque æſtum egregie extinguit. Circa horum remediorum uſum tenendum eſt, primo ut in longe largiori doſi, quam mos eſt, offerantur, & repetitis ſæpe vicibus, cum malum non patiatur moram, & præſens periculum emendationem ſanguinis urgeat; deinde ut, ſi ex intrinſeco principio malum ſuccreſcat, plus illis fidamus, quam externis. Et ſi ſcorbutica labes ſubeſt, ut ſæpius fit (& conſuli poſſunt EUGALENUS *de ſcorbuto*, & *Henricus* ROONHUYSEN *obſerv. chirurg. part.* 2. *obſ.* 40. HORSTIUS *lib.* 9. *obſerv.* 25. *pag.* 453.) antiſcorbutica ſpecifica immiſceantur; ſi autem lues gallica fons & origo mali, confert & remedia huic malo accommodata in uſum trahere.

membranæ eroſæ & particulas carneas diſciſſæ repertæ fuerunt cum magna extravaſati ſeri ſanguinei copiâ, verum etiam ipſum virile membrum nigricans & ſphacelo affectum deprehenſum fuit. Simile fere exemplum literis prodidit SALMUTHIUS *cent.* 1. *obſerv.* 10. Cui ſubjungi quoque meretur a *Viro Excellentiſſimo Dno.* D. STAHLIO, *Patrono atque Promotore ſtudiorum meorum graviſſimo* mihi communicata hiſtoria oppido rara. Sic nobilis loco non procul diſſito alchymiæ operam navans conduxerat mercenarium ad contundenda & præparanda viliora quædam altiori operationi ac proceſſui ſubminiſtrantia. Hic cum aliquando portionem arſenici deflagraſſet, forte fumum per os nareſve attraxerat, ſtatimque una vel altera hora poſt laſsitudinem & inſoliti quid in corpore ſentit. Confert ſe propterea, nobili ſociiſque inſciis in lectum, cumque abſentia ipſius vix attenderetur, tertio demum die inopinato plane emortuus, toto corpore lividus, ater, cadaveroſus, virgâ mirum quantum erecta, ſphaceloque unà cum toto infectâ deprehenditur.

§. X.

Hac methodo ſi quis aggreditur gangrænam vel ſphacelum, is feliciter in ejus ſanatione procedet, & impedire poterit, ne malum ulterius progrediatur & putredine jam tactam partem naturæ beneficio reſtituet. Natura enim loco carnis emortuæ facile reponit benigno jam ſanguine reddito damnum, & novam carnem progenerat, modo obſervetur, ut reſtitutâ jam parti gangrænoſæ circulatione, illud quod emortuum aut corruptum eſt, maxime ſi grandis & carneæ eſt molis, externâ ope Chirurgi prudenter ſeparetur & amoveatur. Varii autem ſeparationis modi hic concurrunt, qui paſſim in Chirurgorum & Medicorum libris proſtant & celebrantur. Nonnulli cauſticis corroſivis id peragere volunt & ſcarificatione profundiori inter partem ſanam & mortuam factam inſpergunt pulverem ex arſenico, vel imponunt unguentum ægyptiacum, cui hoc admixtum eſt. Alii butyrum antimonii cum ſublimato corroſivo remixtum in uſum trahunt, qui celebris modus fuit *Domini* POLEGRINI, Medici Galli, de quo legi meretur CHARRAS *in Pharmacop. reg. pag.* 293. Alii id oleo vitrioli vel ſalis, uti FABER *in chirurg. ſpagyric. p.* 172. præſtare conantur. Quidam actuale cauterium præferunt, quo inurunt, quicquid infectum eſt. Recentiorum plurimi novaculâ utuntur, & quicquid peccat vel corruptum eſt, reſecant. Certum hoc eſt, quod eo citius totum illud, quod peccat, tolli poteſt, eo melius eſſe, ne fiat recidiva. Hinc ex omnibus modis poſtremus valde arridet, & hic etiam uſitatiſſimus, & ſemper adhibendus, ſi caro muſculoſa altius infecta eſt. Denique conſtat etiam attentâ praxi & frequenti experimento, cauſtica illa virulenta, qualia ſunt arſenicum & mercurius ſublimatus, externe applicata penetranti ſuâ acrimonia funeſta ac ſæviſſima ſymptomata in nervorum ſyſtemate excitaſſe. Equidem arſenicum in quantitate epotum necat perfecte hominem, ſed non id præſtat per ſolam eroſionem membranarum ventriculi & vaſorum ſanguiferorum apertionem; verum maxime quod vim ſuam volatilem cauſticam nervis ac cerebro etiam communicet, duriſſimos ſpaſmos & convulſiones ibi excitans. Accedit, quod hujus generis venena malignâ ſuâ acredine ſolidis partibus ſphacelum quendam inducant, abunde id teſtantibus maculis nigris poſt aſſumtum arſenicum in ventriculo repertis. Notatu dignus eſt *nuperrimus caſus ad ampliſſimam Facultatem Medicam Academiæ hujus Friderianæ miſſus*, ubi ab arſenici ſcrupulis quatuor marito a malitioſâ uxore oblatis non ſolum ventriculi

§. XI.

Ut autem conſtet, quantum & quando ſolis ſcarificationibus & fotibus hic fidendum ſit, legi meretur RIVERIUS *Centur.* 1. *Hiſtor.* 84. & 86. ubi gangrænam brachii manusque feliciter his ipſis ſublatam eſſe teſtatur. Nec nihilominus præ omnibus hic adhuc ſemel commendamus modum recentiorum. Ante aliquot annos hic loci vir ſexagenarius melancholicæ conſtitutionis & vitæ ſedentariæ indulgens alvi adſtrictione laborans, hyeme intenſiſſima corripitur de nocte præter omnem expectationem crudeliſſimo dolore cum rubore ac tumore in ultimo articulo digiti minimi; hic tumor perbrevi totum occupabat brachium cum calore intenſiſſimo, febre, & virium præcipiti lapſu; mox totum nigreſcebat; articulus autem, ubi dolor exordium ſumſerat, omni ſenſu privatus erat. Hinc forcipe ejus amputatio peracta fuit. Toti autem brachio calide duplicatis linteis ſpiritus vini camphoratus & urina humana, in qua ſufficiens quantitas ſalis ammoniaci & vitrioli ſoluta erat, applicata fuit, & quidem ſingulis diebus ſex ad minimum vicibus. Interne exhibitum fuit crebrius nitrum præparatum cum camphora, item tinctura bezoardica cum ſpiritu cornu cervi & nitri remixta. Præterea potiones cordiales confortantes ex aquis deſtillatis & pulveribus cordialibus præparatæ offerebantur, quibus remediis effectum, ut intra quatuor ſeptimanas æger ſanitati plenarie fuerit reſtitutus. Hæc gangræna a cauſa interna nata & in parte tendinoſa excitata periculoſiſſima fuit, partim quod ab aeris frigore tubuli atque canales corporis plurimi obſtructi erant, partim quatenus in totum ſanguis craſſus & auſterus erat, & particulæ acres corroſivæ in parte affecta ſuſceptæ a venis vaſculiſque lymphaticis, ſicque ad ſanguinem revectæ ejus totam maſſam turbabant. Mentio quoque injicienda eſt ſingularis cujusdam caſus, qui itidem hic locorum contigit, dum militiæ præfectus in inferiori ſpinalis medullæ parte globulo plumbeo percuſſus quoad truncum inferiorem, pedes, & inferiorem ventrem totus paralyticus omnique ſenſu & motu privatus evaderet. Accidit hinc, ut muſculi ani, vaſti, glutæi, quibus nullus ſenſus inerat, ad magnam ſuperficiem corriperentur putredine, colore nigricante, & cadaveroſo fœtore. Hæc putredo latiſſime ſerpebat; hinc commendata fuit carnis omnis emortuæ exciſio, & aliquot libræ hujus carnis ſine ullo dolore usque ad oſſis acetabulum exciſæ fuere, dumque caro florida appareret, probe defenſa ab aëre fuit fovea ſtuphis linimento balſamico imbutis, quod con-

ſtabat ex terebinthina myrrha, maſtiche olibano, balſamo peruviano, oleo lumbricorum & ſpiritu vini camphorato. Quodque maxime admiratione dignum, ingens hæc cavitas intra quinque ſeptimanarum ſpatium tota iterum carne recluſa erat. (*Ambos hoſce caſus Magnificus Dn. Præſes in Collegio ſuo Practico-Caſuali nuperrime fuſius dictitavit ad calamum.*)

§. XII.

Eſt igitur, ſi gangræna proſerpens late contagio ſuo funus partis inde & corporis minatur, totumque membrum occupavit & enecavit, unicum & ſecuriſſimum, quamvis miſerum & crudele, remedium amputatio ſeu extirpatio partis. Enſe enim juxta OVIDIUM reſcindendum eſt corruptum membrum, ne pars ſincera trahatur. Quod enim emortuum eſt & ad vitam amplius revocari nequit, optime a viva parte ſeparatur. Satius namque eſt, motum alicujus partis perire, quam hominem totum; & conſultius eſt cum CELSO anceps in re gravi experiri auxilium, quam nullum; & melior ſemper eſt dubia ſpes, quam deſperata ſalus; Imo ſatis tuta videtur illa curatio, cujus effectus eſt ſalutaris. Nolumus hic multa verba facere, utrum nimirum membrorum amputatio fieri ſalva conſcientia poſſit. Evolvi de hac re meretur ZACCHIAS *in quæſtionibus Medico-legalibus Lib. VIII. Tom. II. quæſt.* 4. Sufficit nobis, ipſam naturam provide ſuaque ſponte ſeceſſum integrarum partium interveniente pure a corpore moliri, uti hiſtoriæ ſuperius allatæ id comprobant. Imo innumera exempla feliciſſimum hujus operationis ſucceſſum ſufficienter confirmant. Legi poſſunt hanc in rem BARTHOLINUS *Cent. III. Hiſt.* 84. BINNINGERUS *Cent. II. Hiſt.* 19. *Petrus* MARCHETTE *obſerv. Chirurg.* 15. *Henricus* ROONHUYSEN *Lib. I. obſerv. Chirurg.* 25. ROSSIUS *Conſult. Chirurg.* 13. *& ipſe devenerandus Dominus Parens meus olim in patria operationi huic in aliquot militibus Danis ab expugnatione urbis Wiſmariæ tunc temporis Roſtochium reverſis, quibus, frigus pedes mortificaverat, feliciter peractæ moderator & teſtis adfuit.* In negotio tamen hoc arduo & cum magno vitæ diſcrimine conjuncto magna circumſpectione opus eſt, unde ſemper admonendos eſſe Chirurgos arbitratur *Excellentiſſimus* AMMANNUS *in Paræneſi p.* 113. ne fingant neceſſitatem; & firmiſſime ſumus perſuaſi, quod multi ob inſcitiam & neglectum Chirurgorum, imo ob defectum valentium & generoſorum remediorum torturam hanc pati cogantur. Quare Medicos ad tales operationes vocatos non ſine ſingulari circumſtantiarum ponderatione de membro abſcindendo vel conſervando judicare debere, annotavit HOEFFERUS *Lib. IV. c.* 2. cum haud adeo excuſabilem errorem hic committi a fraudulentis vel imperitis hominibus poſſe, adducta ab iis exempla comprobent.

§. XIII.

Ut itaque circumſpecte & cum ratione hoc in negotio verſemur, ratione individuorum & circumſtantiarum breviter ſtrictimque ſequentia annotare placet: Primum nempe aſſerimus, ad partis amputationem non ſemper neceſſario requiri ejus ſphacelationem præſentem, ſed dantur caſus, ubi conſulto abſcinditur pars, quæ nondum ſphacelo affecta eſt, quod ſæpius accidit, ſi nimirum a cauſa nimis violenta fere omnes dilacerati fuerint canales, ut ſuccis vitalibus omnis tranſitus denegetur; tunc inevitabili neceſſitate mortificatio partis ſubſequitur, & antequam id fiat, ad amputationem tranſeundum eſt. Si gangræna ſiſti non poteſt, & celerius proſerpit, ita ut truncum corporis mox attingat, commode quoque inſtituitur hæc operatio. Tandem ſi diuturni & atrociſſimi dolores nulla arte placandi cum ulceribus & eroſionibus membrum quoddam occupant, nonnunquam optimo cum fructu ad hoc remedium refugere Practici. Sic HORSTIUS *Lib. IX. obſerv.* 20. meminit ſequentis hiſtoriæ: *Nimirum filia* 22. *annorum per triennium fiſtuloſis ulceribus circa genu dextrum laborabat. Hinc corpus conſumtum, continuo dolebat pars affecta, & quoniam totum tibiæ os una cum patella carioſum judicatum fuit, de pedis ſupra genu amputatione deliberatum, exſtirpatum quoque ſit felici cum ſucceſſu.* Memorant quoque *Miſcellanea curioſa Dec. II. anno* 8. *obſ. III.* propter ſolam dolorum vehementiam in uſum vocatam fuiſſe, inflammatione nulla præſente, nec gangræna, nec ſphacelo, quale exemplum memoriæ etiam prodidit BINNINGERUS *Cent. II. obſerv.* 19.

§. XIV.

Quod ipſam chirurgicam encheiriſin ſpectat, antequam de illa noſtra tradamus monita, opus eſt, ut, quænam in anteceſſum, antequam illa inſtituatur, conſideranda veniant, ſubnectamus. Sc. ante omnia ſemper primum deliberandum eſt, an ſine vitæ periculo exſtirpatio partis fieri queat. Quod ſi enim tales partes ſphacelus adoritur, quæ non commode deligari poſſunt, & amplioribus arteriis & venis inſtructæ ſunt, quæ diſſectæ magnam ſanguinis viriumque faciunt profuſionem, ſatius intermittitur. Deinde reſpiciendum & eo eſt, an vires ægri conſentiant. Vires enim, quæ ſunt vitæ conſervatrices, in ſubſidium venire neceſſario debent, ſiquidem metus, terror, dolor, hæmorrhagia ingentem harum adhuc efficiunt jacturam. Ubi itaque vires, vel ratione vehementiæ morbi, ſuccumbunt, & pulſus arteriarum debilis eſt, & defectio animi præſens, ibi cautiſſime cum auxilio hoc crudeli mercandum eſt. Si autem omnia rite ſeſe habent, & indicationes hoc remedii genus luculentiſſime urgent, quæſtio oritur, quænam remedia ad facilitandam hanc operationem intrinſece propinari debeant. Vulgus Chirurgorum & Medicorum ad præcavendos dolores opiata commendat, geben einen Schlaff-Tranck ein/ quod tamen hoc in paſſu valde inconſultum videtur; ordinaria ſiquidem opiatorum, imo etiam duplicata doſis atrociam dolorum vix avertit, ceu hoc in ruſtico quodam, cui pes ſphacelo corruptus præſcindebatur, oculis vidi; qui dentium ſtridore & ejulatu præſentes fere omnes terrebat. Exceſſiva autem doſis ſi præbeatur, res eſt periculi plena, & verendum, ne ſopitos ligatosque ſpiritus ſomnus ſequatur ſempiternus. Deinde opiata dum vaporoſo ſuo ſulphure ſpirituum activitatem & elaterem obtundunt, vires deſtruunt & quominus venenum gangrænoſum foras propelli queat, efficiunt. Nihil namque magis auget & promovet malignitatem ſuccorum vitalium, quam opium incaute exhibitum. Quapropter FALLOPIUS uſum narcoticorum in hac operatione penitus damnat. Idem tenendum quoque eſſe cenſeo circa uſum opii poſt peractam operationem. HORSTIUS *lib. cit.* recenſet exemplum, ubi opiatum laudanum dederunt. Nox quidem ſubſecuta fuit quieta, poſt vero leves accedebant lipothymiæ cum indiciis convulſionum. Deſideratiſſima potius ſunt vulgo dicta confortantia, & quæ ſanguini cordique tutelam præbent. Talia autem ſunt ſpirituoſa analeptica, quæ blandis ſulphureis partibus inſtructa vigorem ſanguini & ſpiritibus addunt, v. gr. aqua cinnamomi cum vino Hiſpanico confecta, quæ omnium præſtantiſſima, aqua florum aurantiorum, liliorum convallium, alborum, roſarum, eſſentia ambræ, ſyrupus balſami peruviani, ſpiritus volatilis oleoſus cum oleo corticum citri recenti & cardamomi

mi eſſentificatus. Hæc vel per ſe vel cum vino Rhenano optimo combinata & bono hauſtu exhibita egregie roborant. Confert quoque tali in caſu ex culina commendare juſcula bonæ notæ refectoria ex vino, juſculo carnis, vitello ovi, ſucco citri, ſaccharo & cinnamomo parata; omnium optimum præſidium eſt, analeptica hæc cum alexipharmacis ſupra dictis commiſcere & convenienti doſi propinare. Reliqua remedia, ut evacuantia, ſanguinis miſſiones, purgationes, merito improbamus & rejicimus, utpote quæ ſpiritus depauperant & malignitatem in centro magis detinent.

§. XV.

Quoad actum operationis variæ inter Authores moventur controverſiæ, quo in loco nimirum celebrari debeat. Multi in articulo amputationem inſtituere ſuadent, moti his rationibus, quoniam ibi hæmorrhagia non metuenda, nec oſſium fit nudatio. Verum enim vero in praxi contrarium magis obtinet, nec rationes deſunt prægnantes. In articulis enim non tam promte junctura oſſium invenitur, & cicatrix quoque difficillime inducitur, deinde malum non ſemper eſt in articulo, ſed ſæpius in medio membri. Alia autem res eſt, ſi digiti articulus reſcindendus, quod optime fit in juncturis, & quidem mit einer Kunipzange. Porro altera quæſtio eſt, utrum in parte ſana an emortua operari liceat? Utraque pars non deſtituta eſt rationum momentis. Qui in emortua parte id fieri debere contendunt, adſerunt hæc, quia minor ibi dolor & minor quoque hæmorrhagia. GALENUS *lib. II. de curandi ratione ad Glauconem cap. 9.* ſcribit, membrum emortuum ſtatim reſcindere oportet, quo ſanam partem vicinam attingit, item VIGO *lib. IV. Chirurg. cap. 7.* ſcribit, incidendum eſt membrum ſanum ita, ut aliquid corrupti remaneat. In quam rem etiam conſentiunt FALLOPIUS *de tumoribus C. 26*; *Item* AQUAPENDENS *Lib. I. cap. 19.* At vero conſilium hoc periculoſum videtur, quoniam malum illud, quod relinquitur, ex facili ſe multiplicat, ſenſim obrepit, & inficit. Contrarium ſtatuit CELSUS *Lib. VII. cap. 33.* hiſce verbis: *inter ſanam vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro uſque ad os eſt, ſic ut neque contra ipſum articulum id fiat, & potius ex ſana parte aliquid exſcindatur, quam de ægra relinquatur.* Eandem ſententiam fovent expertiſſimi Chirurgorum, PARÆUS *Lib. II. cap. 18.* & HILDANUS *cap. 17. de gangræna.* Regula exceptionem patitur in tibia, in qua ſi ſphacelus ſit, ſupra malleolos prope genu præciſio eſt facienda; quod enim relinquitur, nullum uſum præſtat, ſed magnum incommodum ægro affert, cum ligneo crure ipſi utendum ſit, & pars otioſa in poſteriora vergat. In brachio tantum conſervetur, quantum commode alligandæ & aptandæ manui ferreæ ſufficit. In digitis manuum & pedum in articulo id ipſum fieri debet, nervi & tendines inciſi ſurſum attrahuntur & carne obteguntur.

§. XVI.

Ipſam ſectionem quod attinet, ante omnia implorandum eſt divinum auxilium, & Chirurgus eligendus, qui prudens, pius, expertus, & omnia, quæ ad hoc opus requiruntur, inſtrumenta & alia neceſſaria in promtu habeat; prout hæc fuſius recenſet CORNELIUS SOLINGEN *in Chirurgia pag. 378. & ſeqq.* ut feliciter reſpondeat inſtitutum; poſtea detineatur patiens, vel imponatur in ſcamnum conveniens; deinde Chirurgus trahat cutem, muſculos, & carnem fortiter verſus ſanas partes, ut ſcil. operatione peracta oſſi denudato iterum obduci queant; deinde vinculo valido ſatis forti, non tamen adeo lato conſtringenda eſt cutis, partim ut atrox dolor præcaveatur in exſtirpatione, partim etiam ut enormis hæmorrhagia, quæ preſſo pede diſciſſionem ampliorum vaſorum ſubſequitur, impediatur. Et quamvis primum vincula non ſine gravi dolore injiciantur, poſtmodum tamen omnes cruciatus, qui ex ſectione oriuntur, leniunt, & obtundunt, ita ut vix ullus doloris ſenſus percipiatur. *vid. Dec. II. Ann. 8. Obſerv. 211.* Vinculum hoc bis circumdetur & optime firmetur, ne hujus fiat relaxatio. Alii malunt, ut duo robuſtiores viri, præcipue in partibus carnoſioribus, fortiter manibus teneant & conſtringant. Locus, ubi applicari debet ligatura, eſt ſupra partem abſcindendam aliquot & quidem duos digitos transverſos, ne ſecta carne ligatura decidat. Prius autem quam ſectio peragitur, filum atramento tinctum applicandum eſt loco incidendo, qui ad minimum quatuor digitos transverſos ſit ſupra carnem emortuam & corruptam, poſtea cultro falcato ſatis acuto cutis & caro muſculoſa uſque ad os unica ſectione ſeparanda eſt, quo facto muſculi ab oſſe ſtatim ſeparandi ſunt foras & intrinſecus, & quidem ſatis amplo ſpatio, quo locus detur ſerræ, quæ ſatis acuta, oſſibus bene a perioſtio purgatis, applicanda & primo fibula, deinde tibia præſcindenda eſt citò ſatis & tuto agilique dexteritate octo vel novem tractibus, leni tamen tractatione, ne nimio motu & concuſſione ſæva mala obveniant ægro. Notandum autem hic eſt, pedem bene eſſe extendendum, ita tamen, ut paulatim inflexus teneatur ad intra, quo ambo oſſa æqualiter ſerra præſcindi queant.

§. XVII.

Peracta ſectione ſanguinis profluvium ſiſtendum, quod variis modis Chirurgi præſtare ſolent. Nonnulli cauterio actuali ſeu ferro ignito carnem adurunt, qua aduſtione fibræ vaſorum criſpantur & conſtringuntur, ſicque remoram ſanguini injiciunt. Alii uti PARÆUS, ſuadet *in Chirurg. Lib. I. cap. 20. & 22.* tenacula vel volſella vaſa apprehendunt & acu transfigunt, atque obducto filo deligant. Plurimi ſtyptico ſanguinis nimium fluxum compeſcunt. Primum modum improbat D. HORNE *in Microtechne*, quoniam cauteriſatione actuali cruſta quædam gignitur, quæ frænum injicit ſanguinis effluxui, hæc autem quando decidit, de novo cruor largiſſime profluit. Nos dicimus, remedium hoc eſſe facillimum & ſatis ſecurum, &, ubi periculum in mora eſt, adhibendum, maxime talibus in caſibus, ubi remedia ſtyptica non ſunt ad manus. Juvat etiam cauterium adhibere tum temporis, ubi aliquid corrupti remanſerit, ſicuti quandoque ejuſmodi caſus occurrunt. Ferrum autem inſigniter & ad ruborem uſque candefactum eſſe debet; ſic enim citiſſime ſequitur effectus, applicandum ipſis orificiis vaſorum, & cavendum quoque, ne ægrotans videns ferrum hoc terrore inſigni percutiatur. Quod alterum modum ſpectat, nimirum deligationem arteriarum, variis premitur difficultatibus, quoniam arteriæ poſt ſectionem breviores fiunt, & intra carnem ſeſe occultant; hinc forcipe non bene teneri & extrahi poſſunt ad deligationem; deinde ligaturæ harum etiam tempus & moram requirunt, quam imbecillitas & defectio ægri non permittunt; porro ipſum vinculum quoque arteriæ tunicas quandoque diſſecat, ſi nimis fortiter ſtringatur; hoc autem ſi non fit, ſanguinis fluxus non impeditur. Melior & optimus modus eſt ſiſtere ſanguinem ſtypticis, ſeu ſolidis, ſeu liquidis. Varia autem hunc in finem laudantur remedia. Nonnulli vitriolum cyprium, item ſolutionem vitrioli albi, nec non liquorem ſtypticum Danicum ex alumine, vitriolo, oleo vitrioli & aceto præparandum

maxime

maxime æſtimant. HILDANUS *Cent. V. obſ.* 17. pulverem ſtypticum ſuum magnificat. Nos inſtar omnium caput mortuum vitrioli probe exuſtum cum HEURNIO *in comment. ad aphoriſ. Hippocratis* 3. *S. I.* commendamus; hoc enim præſtantiſſimæ virtutis eſt ad omnem effrenem ſanguinis fluxionem cohibendam. Hiſtoria, quam refert laudatus HEURNIUS de hoc pulvere, obſervatione digna eſt. *Nimirum Illuſtriſſimus Aurantiæ Princeps Wilhelmus Naſſovius Antverpiæ a latrone læſus ſclopeto in collo, ita ut vena jugularis magna maximam copiam ſanguinis funderet per plurimos dies, cum quotidie aliquot libras ejus emitteret; Non autem potuit ſiſti illa fluxio; tandem quidam digeſtivo illito ac involuto colcothare id perfecit.* Si compoſitum quis deſideret, poteſt eſſe tale: *Recipe boli Armenæ unc. iv., ſanguinis draconis, aluminis, terræ ſigillatæ ana unciam unam ſemis, nucum cupreſſæ, gallarum, ana unc. unam, capitis mortui vitrioli unc. duas. Miſce, fiat pulvis.* Ex liquidis, quæ, quoniam ſoluta ſunt, facilius penetrant & ſanguini coagulum inducunt, omnibus palmam dubiam reddit liquor martis ſeu vulgo dictum oleum martis, quod ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium aëri libero expoſito per deliqueſcentiam emergit, & longe præſentius eſt quovis etiam famoſo ſtyptico. Sanguini ſi infunditur, illum in inſtanti in firmum & ſtabile coagulum imo ex fluido in ſolidum mutat, quoniam craſſioris molis & anguloſæ figuræ particulæ vitriolicæ globulorum ſanguineorum ab æthere rotationem, in qua fluiditas ejus conſiſtit, impediunt, & globulos iſtos coaduniunt. Alii curioſiores ſpiritum vini rectificatiſſimum ad ſanguinis fluxum refrænandum collaudant, quod experimentum, quamvis propter debilitatem ſuam huc non trahendum exiſtimem, non tamen prorſus de nihilo eſt, & in levioribus læſionibus locum invenit. Ratio autem operandi eſt in procinctu; nimirum ſpiritus talis omni phlegmate orbatus quam promptiſſime imbibit ſerum ſeu partem aquoſam ſanguinis, unde particulæ ſanguineæ craſſiores ex poris ſeri præcipitatæ in molem concreſcunt & ſtabile quoddam corpus conſtituunt, quod effluxioni ſanguinis remoram immittit, deinde etiam vaſorum ac tubulorum carneorum fibræ particulis æthereis ſalinis ſpiritus vini exſiccantur, conſtringuntur, ac ſic breviores ac anguſtiores evadunt, ut intra limites ſuos manere queat fluor ſanguineus. Modus autem applicandi ſtyptica hic eſt, nimirum turundæ inſignes ex lino diſcerpto conficiuntur, quæ madefiunt albumine ovi conquaſſato, quibus deinde pulvis ſtypticus inſpergitur, vel ipſæ turundæ liquori ſtyptico immerguntur, & poſtea applicantur ipſis vaſis, quæ, prout amplitudine ac capacitate differunt, diverſas figura & magnitudine turundas quoque exigunt.

§. XVIII.

Sedato ſanguinis fluxu opus eſt, ut vincula ſtupefactiva removeantur, cutis remittenda, quæ os contegit, & bonam partem læſionis, imo nonnunquam totam; & dum pelle illa vaſa conteguntur, partim & fluens ſiſtitur ſanguis, partim & conſolidatio promovetur. Venetorum lictores, teſte BARTHOLOMÆO MAGGIO *de vulnerum ſclopet. curat. pag.* 268., qui facinoroſo alicui homini manum abſcindere debent, pellem ad ſuperiora trahunt, & poſt manus amputationem illico contractam pellem laxant, & diligenter circa juncturam conſuunt, vulnerique ventrem gallinæ morientis adhibent, nec ullum deinde fit ſanguinis profluvium, & hoc a GALENI ſententia non abhorret, qui *lib. V. Method.* ſcribit, *ſanguinis fluxum ſiſti ex propriæ cutis ſuperpoſitione, quapropter tuto hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatisfecerit, illum te docuiſſe non me pœnitebit.* Accepimus, in Belgio modum hunc admodum eſſe familiarem & multiplici experimento utiliſſimum deprehenſum fuiſſe; nimirum tibia ſecta muſculus gaſtrocnemius vel ejus portio ſalva adhuc & viva non abſcinditur, ſed ſeparatur a reliqua parte, qua deinde olvolvitur membrum ſauciatum, & ſic brevi tempore feliciſſimo cum ſucceſſu ſanatio abſolvitur. Impoſito poſtea pulvinari linteo albumine madefacto ad replendam cavitatem, veſica bubula ſatis fortis, & aquæ calidæ prius immerſa toti trunco obducitur, donec hæmorrhagiæ metus tranſiverit; tertio vel quarto die demum removetur ligatura, & iterum pulvis ſtypticus cum albumine ovi mixtus imponendus eſt, & opera danda, ut indurata ac inglutinata prius emolliantur, eſchara ut decidat, ad quod egregie facit digeſtivum ex melle, terebinthina, pulvere ariſtolochiæ, iridis florentinæ, thure & ſpiritu vini paratum. Eſchara delapſa vel filo vulneris os latis ſuturis conſtringendum, vel per emplaſtra cutis attrahenda. Luxurians & ſpongioſa caro, quæ ſæpius excreſcit, coercenda eſt inſperſo pulvere radicis ireos & aluminis uſti; tandem cicatrix emplaſtro diapalmæ, item de ceruſſa nec non unguento deſiccante rubro inducenda eſt.

§. XIX.

Poſtremo ad feliciorem proceſſus ſucceſſum quædam neceſſariæ cautelæ adjiciendæ ſunt. *Primo* nimirum hæc operatio ita a Chirurgo inſtituenda eſt, ut exponendo inſtrumenta ſua non timorem incutiat ægroto, qui peſſimus nonnullorum mos eſt, dum ex abrupto quaſi ægrotantibus inducunt exſtirpationem & ſtatim omnia ad hoc opus parata inſtrumenta monſtrant. Novi ex relatione ſuaviſſimi Dni. parentis mei, plures panico quaſi terrore ſic correptos & exanimatos fuiſſe, ut poſtmodum parum feliciter res ſucceſſerit. Subitus enim & inopinatus terror mirum quantum turbat ſpirituum & corporis œconomiam: *Secundo* non aggredienda res eſt ſtomacho vacuo, protinus enim moleſta ſyncope prehendi ſolent, nec eo repleto, ne cibus propter agitationem corrumpatur. *Tertio* in cacochymicis, ſenibus, raro feliciter cedere ſolet, & conſultius ſemper inſtituitur horis matutinis, quam pomeridianis, tempore verno & autumnali, quam hyberno & æſtivo. *Quarto* denudatæ partes & oſſa non diu aëri exponenda ſunt, ne hic conglutinationem impediat & corruptionem ac nigredinem oſſi inducat. *Quinto* poſt operationem peractam inſiſtendum eſt remediis intrinſecis, refocillantibus, & alexipharmacis, temperatis tamen, & in genere vitanda omnia exceſſiva qualitate prædita, ſpirituoſa, calida, vaporoſa, opiata. Mixtura, quæ conſtat ex vino, oculis cancri, aqua cinnamomi, ſcorzoneræ, eſſentia nuciſtæ, & paucis granis theriacæ cœleſtis omnium optima; hæc enim confortat, blandam diaphoreſin & tranſpirationem inducit, ſimul & ſpirituum tumultum componit. *Sexto* ad cruſtæ vel medicamentis vel ignito ferro inductæ a carne reſolutionem (ſolet enim inde profluvium ſanguinis ſequi) non properare debemus. Cum autem putredo ceſſaverit, nec amplius ſanguinis profluvium reformidandum, ea quæ cruſtam detrahunt, applicanda ſunt; poſt cruſtæ autem caſum, ſi adhuc inflammatio adeſt, unguentum diapompholygos, quo nullum aliud præſtantius, adhibendum eſt, nullaque acria, & quæ nimis calida, tum admovenda. *Plura qui legere circa hanc operationem cupit, conferat* JOHANNEM VIGONEM *Lib. IV. Chirurg. cap.* 7. AQUAPENDENTEM *Lib. I. Chirurg. cap.* 19. *& titulo de ſphaceli chirurgia*, *&* CELSUM *Lib. VII c.* 33.

HILDA-

HILDANUM, *lib. de gangræna & ſphacelo*, SOLINGEN *Part.* 4. *cap.* 2.

§. XX.

Coronidis loco de ſymptomatibus, quæ poſt operationem ſubveniunt deque illorum cauſis pauca adhuc addam. Sunt autem potiſſimum ſyncope, hæmorrhagia, febris inflammatoria, cum phrenitide, delirio & de novo gangræna & ſphacelus; ſyncope debetur potiſſimum timori & terrori, nec non nimio ſanguinis effluxui. Si autem gangræna a cauſa intrinſeca eſt, non mirum, ipſam malignitatem ſpiritus in craſi & motu turbare, unde præceps virium lapſus, animi defectio, ſudor frigidus & fœtidus naſcitur. Deinde hæmorrhagiæ facilius de novo fiunt. Hinc videndum, ne æger multum ſe commoveat, ſternutet, vociferetur, tuſſiat, aut corpus culcitris multum oneret, & quæcunque corpus & ſanguinem commovent, hinc vitanda ſunt. Hinc quando æger dormit, ſemper vigilans ipſi adſit miniſter. Quod ſi autem hæmorrhagia denuo ſupervenerit, non amovendus eſt illico prior apparatus, ſed tentandum, an aliis remediis retineri poſſit; nimirum aqua frigida inſperſa, item ſtuppis cum pulveribus ſtypticis, venæ ſectione in oppoſita parte. Illud autem maxime quoque obſervatione ac notatu dignum eſt, non ſolum poſt graviores convulſiones membrorum, verum & illorum amputationem frequentem eſſe hæmorrhagiam narium. Ratio mihi videtur eſſe talis, quoniam ſanguinis circulatio ex arteriis in venas non rite & æqualiter procedit; dum nimirum magna arteria amputata & ejus pars ligata vel obſtructa eſt, ſanguis neceſſario, qui tranſiret ad illam partem emortuam & detruncatam & reverteretur per venam, ad alias partes per arterias magno cum impetu ruit, & qua data porta effluit. Hinc optime annotavit HILDANUS *Lib. de dyſent. c.* I. quod ſanguinea dyſenteria in iis, quibus membrum aliquod abſciſſum eſt, proveniat. Tunc enim, *inquit*, ſanguis, qui pro nutritione partis abſciſſæ conſtitutus fuerat, ad fontem ſuum recurrens beneficio naturæ ad inteſtina depellitur. Febris inflammatoria in omnibus graviter vulneratis familiaris eſſe ſolet propter ſtaſin & corruptionem ſanguinis & ſeri, nec non inæqualem ſanguinis & ſeri circulum. Convulſiones utplurimum nunciæ mortis ſunt, dum fluidum nerveum penitus deſtructum & irregulares motus indicant.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE LUXATIONUM SYNTHESI IN GENERE.

Primùm edita Anno 1703.

PROOEMIUM.

TANTA erat olim artis Chirurgicæ dignitas & præſtantia, ut antiquiſſimi & ſapientiſſimi Medici ÆSCULAPIUS & HIPPOCRATES eam exercere non dubitarint; quin imo ipſe HOMERUS paſſim PODALYRIUM, MACHAONEM, divini ÆSCULAPII ſobolem ceu Chirurgos inſignes celebrat, neque hoc ſine injuria; nam vitia & labem externarum partium non recte & feliciter Chirurgus tollere poterit, niſi anatomiam & ſtructuram ſitum ac nexum partis affectæ calleat, niſi porro internis remediis temperiem & motum ſanguinis & humorum in ordinem redigere ſtudeat, uno verbo, niſi rationalis ſit. Quapropter omnis Chirurgia empyrica ſolida ratione deſtituta non modo fallax ſed & periculi pleniſſima eſt. Mea itaque eſt ſententia, neminem poſſe tuto compendioſe & feliciter exercere hanc artem, niſi principiis phyſicis mechanicis & præſertim phyſiologia corporis humani & anatomia exacte ſit inſtructus, unde Chirurgia etiam à Medico rationali facile addiſci poteſt. Optandum itaque foret, cum ars tam nobilis & evidens, humanoque generi utiliſſima ſit, ut à Medicis diligentius & accuratius excoleretur: ita enim non tanti errores, abuſus & noxæ quotidie committerentur. Hæcce penſitans, non dubitavi, cum ſpecimen mihi edendum injungeretur, argumentum quoddam Chirurgicum expendendum eligere, in quo vires meas proprias, quantum poſſint, exerere volui; aſſumendo prænobilem iſtam materiam de luxationibus, quam ſi pro rei dignitate, non adeo peritus ceu juvenis perſecutus fuero, veniam me impetraturum eſſe confido ab eo, qui conſiderat, materiæ difficultatem & amplitudinem. DEUS interea aſſiſtat his meis conatibus.

CAPUT

****

CAPUT I.

Nominalem & realem Luxationum definitionem explanat.

§. I.

AD ipſam jam materiam hujus diſſertationis elaborandam lubentiſſime a me ſuſceptam, me accincturus, nec plane ἀμεθόδως acturus, hoc in loco remota omni verborum circumitione explicanda mihi occurrit Luxationum Ὀνοματολογία, quæ more veterum conſueto tribus illis communiſſimis, Etymologia, Homonymia & Synonymia abſolvitur. Oſſium Luxatio nil in chirurgicis aliud, quam oſſium flexibilium è locis ſuis naturalibus mutationem præternaturalem ſignificat, quæ à Latinorum Cicerone CELSO græcos reſpiciens codices à ſede ſua vocatur motio: & denotat violentum ex proprio naturalique ſitu in ſequentem oſſium prolapſum, ſola motus impotentia, doloreque pluſquam notabili, aut ſimul inflammatione, vulnere, vel fractura è quibus prima ſpecies luxationis ſimplex, altera compoſita Chirurgis dicitur. Morbus eſt in ſitu, à cauſa plerumque externa violenter agente proveniens, & receſſus oſſis è proprio ſinu & loco in alienam ſedem, motum arbitrarium impediens, uti JOH. MUYS in Chir. Barbett. cap. 5. p. m. 21. definit.

§. II.

Luxatio derivatur à ſupino luxatum verbi luxo, quod vocabulum unicuique ferme non ignotum eſt; differt autem luxatio à fractura, quod etiam vox innuit ipſa, nam fractura eſt quando os aliquod diſrumpitur & frangitur; luxatio vero quando articuli caput ſua è ſede excidit, & in aliam ſecedit. Genuina huic, quæ de Jacobo Patriarcha, ex luctatu cum angelo claudicante, *Geneſ.* 32. *verſ.* 25. extat D. D. paraphraſis eſt cui eo major habenda fides, quo ea vocem illam omni teſtimonio majorem ſignificare conſtat.

§. III.

Dicitur Græcis ἔκπτωμα, ἔκπτωσις, HIPPOCRATI oſſium vel articulorum è ſede ſua prolapſio vel emotio citra fracturam, GALENO *com.* εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν, ſine fractione exceſſus, Excidentia abſque fractura eveniens GALENUS *l. de Fract.* 1. Idem quod ἐξάρθρωσις, ἐξάρθρωμα, dicitur quum os citra fracturam ſuo loco movetur 1. *de fract. t.* 1. §. 3. de iis, *q. in med. t.* 13. (vid. GALENUS *in com.*) *l.* 1. *de morb. v.* 15. At v. in l. 3. Epidem. in ſtatut. peſtil. ἐκπτώσιες ſignificant partium corruptarum decidentias & mutilationes. Cum additione ὑστερέων etiam de ſecundinis excidentibus legitur V. *Aphor.* 49. Vid. DIETER. *n.* 257. Verbum quoque ἐκπίπτω de omenti prolapſu uſurpatur. VI. *aph.* 58. DIET. *n.* 254. ἐξάρθρημα, luxatio dicitur, & quidem totalis, quando totus a ſua ſede naturali excidit articulus, vel quantus eſt receſſit. GALENUS l. 2. & *Method. Med. c.* 2. PAULUS Ægin. c. 111. de oſſibus luxatis p. m. 678. Ὀλίσθημα, ὄλισθος. Oliſthema appellatur integra articuli vel oſſium prolapſio ſeu Luxatio perfecta ad differentiam διακινήματος, quod parvam oſſis emotionem ſignificat. HIPPOCRATES 3. *de fract. t.* 51. GALENUS *in com. ad h. l. & in defin. Med.* à verbo ὀλισθαίνω, prolabor, quod legitur 2. *de fract. t.* 39. & 3. *h. t.* 61. & 4. *de artic. t.* 1. ἐκβολή, Luxatio, artuum ejectio vel expulſio, λυσιγυῖα, membrorum luxatio & diſſolutio, ap. HIPPOCRATEM *in lib. de loc. in hom. XXVIII.* 11. nuncupatur διακίνημα, dicitur dimotio, cum oſſa paulatim exceſſerunt, parva oſſium prolapſio apud CELSUM *l VIII. c.* 14 à verbo διακινέω dimoveo, HIPPOCRATES 2. *de art t* 13. παράρθρησις, παράρθρημα, vel diſtorſio, id quod Diacinema, parva luxatio, per quam ſcil. articulus leviter ſuo loco naturali receſſit, GORRÆO ſubluxatio, prolapſus, dici poteſt. FORESTUS *l. IX. chir. obſ.* 1. *in ſchol.* Elongatio ligamentorum ab AVICENNA dicitur. χάλασμα, χάλασις. Laxatio vel remiſſio verbi χαλάομαι, laxor: διάστασις ſpecialiter ſumitur de oſſium diductione, quæ vel ſuturam vel coalitionem mutuam juncta eſſe debent, HIPP. 3. *de Fract. t.* 63. GALENUS *c.* 2. *de artic. t.* 1. Lat. Dislocatio, Arab. Algaacnu. Alheven. Feqq. Facea. Gal. Dislocation de membre. Ital. Snodatione Snodato in Lex. Caſtello Brunoniano p. m. 926. vocatur Batav. dicitur Ontleding, Wanneert een of ander Been uit ſiin ordinario plaats, of holtigheit gewecken is. & Germ. Verrenckung / Verſtauchung oder Verrückung.

§. IV.

Fracto nunc nominis cortice ipſum rei nucleum liberius deguſtabimus, & realem luxationis definitionem explicabimus; Luxatio ſaltem articulationibus propria, quando ſcilicet oſſis extremitas ſive caput e ſede ſua ſeu acetabulo detorquetur, & id quidem fieri ſolet aut cum elevatione ita ut os luxatum aſcendat, vel cum depreſſione, ut deſcendat, vel ad alterutrum latus, ut aut in dextram aut ſiniſtram partem recedat. Id quod apud Nobiliſſimum Excellentiſſimum atque Experientiſſimum Dn. D. AUGUSTUM QUIRINUM RIVINUM, Prof. Publ. Lipſ. Pathol. per orbem famigeratiſſimum, D. Patr. & Præceptorem, omni honoris cultu plurimum devenerandum in Notitia morborum compendioſa §. 55. eximie legere licet.

§. V.

Oſſa Luxationi apta ſunt ea, quæ per articulationem cohærent. Nam utut urgeri poſſit, ſecedere interdum à ſeſe invicem oſſa per ſuturam cohærentia; attamen hic potius fit ſeceſſus per fracturam quam per Luxationem; quæ vero à ſeſe recedunt medio connexionis læſo, potius præſupponunt medii connectendi aut Luxationem aut unitatem ſolutam: ſic v. g. ſi clavicula ſecedit vel à ſterno, vel à proceſſu etiam acromio, hoc potius præſupponit vulnus, in quo tamen vulnere habenda eſt oſſis translocati ratio, licet non ſub Luxationis forma.

§. VI.

Luxationis ſubjectum, in quo hæret malum, ſunt oſſium juncturæ pariter atque articuli, extra eos vero non datur Luxatio. Quot ergo ſunt articuli in toto hominis corpore, tot etiam ſunt Luxationes: Sic caput, thorax & lumbi poſſunt luxari, ſcilicet quod ſuis gaudeant vertebris, item oſſa carpi & metacarpi, tarſi & metatarſi, maxilla inferior, aliaque poſſunt pati luxationem & dislocationem.

§. VII.

Explicata vero Luxationis denominatione & ſignificatione earum quoque ſyntheſin huic adhuc capiti ſine prolixis verborum evolutionibus adjungendam & explicandam eſſe, ſumma ſane urget neceſſitas. Syntheſis conjungere ſeparata, mutuam oſſium compoſitionem ac connexionem ſignificat, GALENUS *lib. de oſſibus, in proœmio.* Nam in ſpecie de naturali oſſium coordinatione uſurpatur, & eandem, quam homilia, habet ſignificationem, videli-

cet cohæſionem partium, & præcipue oſſium inter ſe apud HIPPOCRATEM I. *de artic. t.* 5. ubi verbum ὁμιλέα legitur: καταρτισμὸς, reſtitutio Luxatorum in naturalem ſitum legitimumque juxta PAULI ÆGINETÆ mentem *lib.* 6. appellanda eſt ſyntheſis, metaphorice ſignificat reconciliationem. Quamvis alius etiam morbus nec periculo, nec facie diſſimilis phthiſi hoc nomine veniat apud PLINIUM *ſecund. l.* I. *de Medic. c.* 62. qui tamen ſolus inter tam multos ita ſcripſit. Medicamentum quoque compoſitum dicitur à Q. SERENO *c.* 30. Vide KEUCHEN *not. p.* 210. Græc. σύνθεσις, σύνταξις & ὁμιλία GORRÆUS Lat. Coordinatio vocatur.

§. VIII.

Luxationum igitur ſyntheſis eſt operatio mere chirurgica, quæ partes corporis noſtri præter naturam à quacunque cauſſa ſeparatas & luxatas adducit, conjungit, conjunctaſque ſervat. Indicans hanc, ejuſque objectum externi ſunt ſolutæ unitatis morbi ſeu in durioribus ſeu mollioribus membris contingentes, ſcilicet fractura & luxatio, qui ideo dicuntur externi, quod à vi utplurimum externa, contuſione & percuſſione oriantur, non vero quod ſolas externas afficiant partes, nam interdum etiam ad interiora v. g. vulnera cordis & pulmonum, penetrant.

CAPUT II.

Multifarias Luxationum differentias, examinat.

§. I.

EXplanatis in ſuperiori luxationum definitionibus, ad illarum differentias mihi cognoſcendas, eſt progrediendum, & in ſpecierum diſtinctionem deveniendum. Quoad Luxationum differentias poterunt hæ dici germanis, quibus utplurimum propria ſordent, aliena rident, **das Ausrencken /** & ſi à lapſu oritur **Ausfallen /** quando ita loquimur: **Er hat ſich den Arm oben in der Achſel ausgerenckt oder ausgefallen.** In ſubluxatione **verrencken / den Ellenbogen verrenck /** in manu **vergreiffen /** in pede **vertretten /** & in dorſo, **verrenckt oder verruckt** dicitur, & dividitur primum in ſimplices & compoſitas, ita ut ſimplex ſit, cui nullus alius combinatur morbus, & compoſita, quæ aliis cum malis interdum concurrentibus complicatur, v. g. inflammatione, vulnere & fractura. Deinde ex cauſarum mox ſequentium differentia multiplex iterum luxationum varietas oritur, quatenus nempe vel ex toto, vel quatenus ſede ſaltem naturali exturbatur oſſis caput, aut ſimul tendines diſtenduntur aut diſrumpuntur.

§. II.

Ea propter ſimplicem rurſum juxta BARBETTE Chir. c. V. p. m. 21. à forma dividere ſolemus in Exarthrema, Pararthrema & Diaſtaſin. ἐξάρθρημα lat. κατ' ἐξοχὴν dislocatio dicitur, quod os totum extra ſinum ſeu receptaculum prodit; παράρθρημα, Parartrome, diaſtremma ſeu diſtortio, quod ex parte ſaltem, i. e. ad limbum ſeu marginem acetabuli tantum os dislocatur, quod tamen vix locum habet, niſi in Synarthroſi ac Arthrodia, διάστασις, Subluxatio ſeu Prolongatio vero qualem in carpi oſſibus ſæpius ſe vidiſſe AQUAPENDENS teſtatur, eſt, quando ſcilicet articulus à naturali tantiſper declinat ſitu, & ubi ligamenta & tendines extenſi, prolongati aut plane diſrupti ſecedere os permittunt, ut membrum exin longius latiuſque fiat.

§. III.

Dislocatio ſex iterum differentias complectitur à loco, in quem os prolabitur, petitas, ſcilicet ad inferiora, ſuperiora, dextrorſum, ſiniſtrorſum, in anticam & poſticam partem, quamvis pauciſſimæ articulationes has differentias cunctas ſuſtineant, dum v. g. maxilla inferior antrorſum ſaltem in adultis luxatur; os femoris ad interiora, rarius ad poſteriora; os humeri rariſſime ſurſum aut extrorſum, frequentius deorſum ſeu introrſum movetur. Quo vero paulo curatius cognoſcamus harum Luxationum differentias cognitæ nobis prius accurate naturales oſſium juncturæ eſſe debent, tumque haud difficile obſervaturi ſumus, num introrſum, aut extrorſum, ad ſuperiora aut inferiora propulſum fuerit oſſis caput.

§. IV.

Sed, ſi naturalem oſſium connexionem ſubjungerem, nimis prolixum fore, puto. Videri hac de re poſſunt viri Excellentiſſimi atque Experientiſſimi: B. Dn. D. JOH. FRID. ORTLOBIUS *in partium corporis humani hiſtoria:* Dn. D. CHRIST. LUD. WELSCHIUS *in Tab. Anat.* PHILIP. VERHEYEN *in ſua humani corporis Anat. Tr. V. c.* I. *p. m.* 416. JOH. MUNICKS *in Tract. de re anatomica conſcripto* §. 66. *p. m.* 201. JOH. HELFR. JUNCKEN. *in app. anat. c.* 23. *p. m.* 103. PAUL. BARBETTE *in anat. pract. c.* 3. *p. m.* 313. D. L. STERRE *in exam. chir. pract. c.* I. *p. m.* 255. GODFR. BIDLOO *in corporis hum. Anat.* CASP. BARTHOLINUS *in Inſt. anat.* HORNIUS, BLANCARDUS, COWPERUS aliique plures ex recentioribus. Ex veteribus autem vid. REAL. COLUMBUS *de oſſibus lib.* I. *p. m. à* 16. *ad* 23. *uſque.* VESALIUS & SPIGELIUS *de humani corporis fabrica.* HIER. FABR. AB AQUAPENDENTE *de oſſium articulationibus:* CASP. BAUHINUS *in Theat. anat.* PETRUS PAVIUS *de hum. corporis oſſibus.* JOH. RIOLANUS *in oſteolog.* & nonnulli alii. Differentiam à cauſis deſumptam ſufficientem eſſe cenſeo, ſi dico luxationem exiſtere aut externam vel violentam, aut internam, quæ nimirum originem trahit ex humoribus ad articulos fluentibus & laxantibus utplurimum autem obſervatur in enarthroſi cum ſyneuroſi conjunctâ.

CAPUT III.

Externas & internas Luxationum cauſas rimatur.

§. I.

DIfferentiis luxationum probe conſideratis porro ad cauſas ipſarum enucleandas perventurus ſum: Scire, eſt rem per cauſas cognoſcere, dicunt Philoſophi. Medicorum eſt mederi, morborum cauſas dignoſcere, eaſque legitima methodo & neceſſariis tollere remediis præcipuorum generum, altera nempe eſt proxima, alteraque remotior: Quo de videri meretur JOH. THEOD. SCHENCKII *Exerc. Med. Chir. de Luxationibus oſſium in gen. memb.* 3. Luxationum cauſæ poſtmodum iterum duplices ſunt, vel externæ vel internæ. Externæ varia exiſtunt violenta, quæ corpori accidere poſſunt, ſcilicet: violentæ articulationum contuſiones & diſtorſiones. In genere omnis violentia externa in cauſa eſt, ſive id fiat corpore ipſo, ſi alliditur quis ad objectum, ſive objectum ipſum allidat ad corpus.

§. II.

§. II.

. Sic à percuſſione, atque ubi aut ſaltus aut caſus ab alto vel equo præceſſerit ibi non difficile fieri poteſt luxatio oſſis ſemoris & axillæ: Sic facile contingit vertebrarum dorſi luxatio ab inconvenienti ſuper dorſo decubitu **da man ſich wehe thut** (ut ita loquar,) ſicque multi de luxatione conqueruntur perpetua, atque hæc eſt cauſa, ſi quis nimium ſe extendit attollitve, quod laborioſis non infrequens eſt hominibus. Porro a tendinis muſculi ſubclavii laxatione oritur claviculæ luxatio, & in recenti adhuc memoria hæret, quod Excellentiſſimus atque experientiſſimus Dn. D. ANDREAS PETERMANNUS Prof. Publ. Anat. & Chir. longe Celeberrimus Dn. Patronus & Præceptor meus etiam poſt obitum ejus pia & nunquam intermoritura veneratione deprædicandus, in Anat. cad. hum. Maſc. publ. Anno 1702. præterlapſo Lipſiæ habita allegavit, & in eo ipſo ſubjecto ad oculum veluti demonſtravit, ſe ejuſmodi exemplum in quodam ruſtici ſervo, cui pullus equæ ſuper utramque axillam circa oſſium claviculamrum ſitum à parte tergi poſtica impoſuit, obſervaſſe. Ad hæc lapidum quoque projectio brachium & inæqualis ſuper lapides acutos & altos ingreſſus, ubi pes periclitatur, pedes luxare poteſt. Tum luxationem introducere poteſt impetuoſus corporis motus, ac vehemens haud raro extenſio vel repreſſio, quæ ſubinde obſtetricibus non admodum cautis evenit, ut PAUL. BARBETTE *in chir. c. v. p. m.* 22. ſe obſervaſſe putat.

§. III.

Verum vir, mihi pro merito nunquam ſatis laudandus, Dn. D. PETERMANNUS, in *Colleg. chir. in Barbette privatim habito cap. V.* ſe profecto non videre inquit, quomodo per vehementem extenſionem obſtetrix inferre luxationem poſſit parturienti. Siquidem nunquam per extenſionem, ſed potius per repreſſionem, os coxendicis ab obſtetrice tractatur. Conjectu itaque facile in ſtatu naturali luxationem infantis non eſſe metuendam, quia tunc ſi eæ poſſunt prehendere caput, & firmiter trahere, ipſum caput jamjam ultra dimidium pudenda penetravit muliebria; ſed in ſtatu potius præternaturali ob brachia, ſcapulas etiam nimium latas capite jamjam expreſſo infantis truncus facilius adhæret, uti videre eſt penes FRANC. MAURICEAU *de morbis gravidarum l. II. c.* 7. *p. m.* 287. *c.* 17. *p. m.* 354. tunc luxatio poteſt cauſari, & 1.) quidem ipſius capitis cum vertebra prima ratione atlantis, 2.) in brachiis, ſi brachium nimirum alterum præ altero extrahere conatur 3.) obſtetrix, ſi infans ordine paritur inverſo & 1) quidem pedibus, teſtante Authore jam allegato *c.* 21. *p. m.* 367. *c.* 22. *p. m.* 371. Imo lapſus fœtui, quanquam intra uterum adhuc latitanti, luxationem infert, ſicuti HIPPOCRATES *de Artic.* paſſim innuere videtur. D. BARBETTE loco citato ictu aut lapſu gravi embryonum oſſicula in utero luxari teſtatur.

§. IV.

An vero embryonum in utero luxentur oſſicula ab ictu aut lapſu ex Dn. D. PETERMANNI ſupra laudati ſententia locis antea jam allegatis certe determinari nequit. Quippe cum nemo ocularis eorum phænomenorum poſſit eſſe teſtis, neque licet argumentari: gravida geſtationis tempore aliquando eſt lapſa, peperit vero infantem cui femur alterutrum fuit luxatum, ergo hæcce à lapſu dependet luxatio. Et ſi rem accuratiori altiorive mentis trutina penſitamus, animadvertimus hanc luxationem ab hac cauſa non ſatis eſſe probabilem, cum conſtet, quod fœtus toto geſtationis tempore his innatet humoribus, prætereaque duplici præmuniatur involucro, prout Dn. M. NABOTHUS, Fautor integerrimus & Præceptor meus honoratiſſimus, in *Exercit. anat.* exquiſitiſſime & admodum perſpicue demonſtravit.

§. V.

Nec infrequens eſt, ut cauſa externa cum interna concurrat, ſicut videre licet apud HILDANUM *cent. VI. obſ.* 100. Unde etiam eſt, quod tenellorum oſſa puerorum frequentius & ab externa cauſa leviore membrorum contorſiones atque luxationes patiantur, quod articuli iſtorum imperfectiores, flexibiliores & molliores adhuc ſint, vid. MUNNICKS *Anat. nov. §.* 33. *p. m.* 83. THEOD. KERCKRINGII *curioſa fœtuum oſteogenia.* HENR. EYSSONII *Tr. de oſſibus infantis* & VOLCK. COITERI *Tr. de fœtus abortivi oſſibus.* Externis quoque luxationum cauſis à FABRO in *chir. ſpag. ſ.* 4. *c.* 11. *p. m.* 149. conſtellationes, maligni etiam Aſtrorum influxus & aſpectus, catarrhos & defluxiones excitantes, adnectuntur.

§. VI.

Internæ Luxationum cauſæ ſecundum ANTONII NUCKII ſententiam *in oper. & experim. chir.* 48. *p. m.* 121. à ligamentorum laxitate, vel humore extravaſato inter duo oſſa articulationem componentia hærente, productæ, præter conformationem oſſium, ligamentorum & muſculorum vitioſam (ſicut latius oſſis innominati acetabulum, & exilius oſſis ſemoris caput occaſionem dediſſe KERCKRING. *Spicileg. anat. obſerv* 61. perhibet,) ſunt 1.) humores ſeroſi pituitoſi acres & quandoque tartarei & ad juncturas fluentes, nunc ipſa oſſa è ſuis articulationibus ejicientes, & nunc ligamenta tam interiora, quam exteriora cum muſculis ſaltim irritantes & relaxantes, ut tono horum vitiato oſſa firmiter ſatis contineri nequeant, vel eoſdem muſculos ac ligamenta externa contrahentes, ut hæc abbreviata, illa à naturalibus ſedibus protrahant.

§. VII.

Illius generis humores, hincque emergentes luxationes, ſe frequentius in hydropicis obſervaſſe refert Excellentiſſimus atque Experientiſſimus Dn. D. JOHANNES BOHNIUS, Prof. Publ. Lipſ. Therapeut. conſummatiſſimus, Dn. Patronus & Præceptor perpetuo venerationis cultu proſequendus, *in Colleg. Chir. art. IV. c.* 8. 1. *p. m.* 87. Quæ vero ex violentiore muſculorum & ligamentorum contractione contingunt, uti ex TULPII *l. IV. obſ.* 55. & JOB. A MECKREN *obſ. chir.* 30. videre eſt, convulſivos præprimis artuum motus pro cauſa agnoſcunt: immo iidem humores intra articulos congeſti mole & pondere ſuo oſſa extra ſedes naturales deturbant, obſervante BARBETTE *chir. c.* 5. *p. m.* 22. potiſſimum ſi coagulentur & in tophum abeant, v. g. in arthriticis, quo etiam referri debet, calli in acetabulis dictis poſt ſerotinam nimis oſſium luxatorum repoſitionem producti, vid. JOH. SCULTETI *Arm. chir. p.* 1. *Tab.* 56. *p. m.* 226. Hic primo gelatinæ, dein cartilaginis, tandem oſſis naturam aſſumens, ſenſim ſenſimque incrementum capiens articulationem diſnectit; Et hæc illa eſt luxationis ſpecies, quæ difficile & fere nunquam reſtituitur teſte NUCKIO loco ſupra jam citato.

§. VIII.

Non influxus ſucci nervoſi impeditus (uti plurimi olim veterum ſomniarunt,) ſed idem præſtare poterit fluxus potius ſpirituum animalium denegatus, atque hinc emergens ligamentorum & tendinum laxitas,

xitas, quemadmodum ab Excellentiſſimo atque Experientiſſimo Dn. D. Joh. Wilh. Paulli, Patrono & Præceptore, nulla mihi unquam intermoritura pietate colendo *in coll. anat. experim. in Clariſſimum Verheyen* Lipſiæ habito nobis demonſtratum fuit ſufficientiſſime, atque in paralyticis quotidiana adhuc experientia comprobat.

CAPUT IV.

Diagnoſtica & Prognoſtica Luxationum Signa revelat.

§. I.

Cauſis luxationum explicatis proximum nunc eſt, ut ſigna tam diagnoſtica, quam prognoſtica proponamus, quæ tantæ ſane neceſſitatis ſunt, ut haud immerito, vulgo quidem, at vere tamen, dicatur, quod qui bene cognoſcat, bene etiam curet. Luxationum diagnoſin in corpore præſertim macilento eſſe ſatis manifeſtam facilemque ſatis abunde teſtatur Barbette loco ſuperius allegato. Nam ſi quid eſt, & præceſſit, quod introducere luxationem poteſt, v. g. lapſus, percuſſio, contuſio, gravioriſque ponderis geſtatio, tunc non dubitandum de luxatione, imprimis ſi dolor accidit exquiſitus. Inſuper tamen motus impotentia & fovea in loco inſueto, tumorque in oppoſita parte apparens, item membri alteratio, ſituſque reſpectu ſanæ partis immutatio omnem tibi ſcrupulum forſan adhuc hæſitanti eximant, confirmante B. Dn. D. Christ. Joh. Langio, Practico quondam Lipſ. longe celeberrimo *in coll. chir. c.* 3.

§. II.

Cauſas dabunt externas ægrotorum relationes, ſicuti internas & in ſpecie ſeri vel pituitæ vitium habebis, ſi membrum pedetentim debilitatum naturalem deſerat ſitum, & licet repoſitum perfecte intra ſuum domicilium haud permaneat. Porro humorum acrimoniam cognoſces ex dolore ſummo ſimul conjuncto, & tartarum denique ex tophis ac nodis illius loci exigentibus.

§. III.

Signa itaque Luxationum diagnoſtica duplicia ſunt, communia ſcilicet quæ luxationem ejuſque ſpeciem, & propria quæ ejus cauſas harumque differentias manifeſtant. Illa ſunt, 1) mutatio figuræ membri naturalis, quando in parte ejus altera tumor, circa ſinum vero ſeu acetabulum fovea apparet, vid. Cl. Juncken *chir. man. c.* 4. *p. m.* 142. quod ſolis dijudicare oculis licet in tenerioribus & mollioribus ſubjectis & membris, in carnoſis vero & craſſioribus contrectatio ſimul requiritur.

§. IV.

Inſpectio & contrectatio nos reddit de luxationibus ſecuros, ſi in nudo nimirum corpore, v. g. in brachio ſunt eminentiæ & foveæ obſervante Joh. Vigone *in Tr. de oſſium juncturarum dislocatione c.* 1. *p. m.* 202. Nam os illo in loco ad quem prolabitur, eminentiam, & ex quo receſſit foveam efficit; ſi vero acceſſit jam tumor, ut inſpectio locum non inveniat, contrectatio adornanda erit. Sed plurimi Chirurgorum id in uſu habent, ut manibus contrectent impoſitis, quas ferre nolunt ægri, dum ſufficit modo ſi digito ſuperficialiter fiat contrectatio, nam fovea aut eminentia etiam in tumore facile animadvertitur, etiam in dorſo, ſi modo digito dorſi vertebræ contrectantur, tunc fovea vel eminentia quoque obſervatur.

§. V.

In ſubluxationis autem diagnoſi, in corporibus apprime obeſis, ſigna rariſſime adſunt pathognomonica infallibilia, præter actionem impeditam doloremque. Quamdiu igitur dolor & actio impedita adeſt, tamdiu pars illa habeatur luxata, & repoſitio tentetur, quia nimirum per hanc nihil mali præter dolorem ægrotanti inferimus. Quoniam vero omnis luxatio per integrum vitæ tempus actionis naturalis rectitudinem tollit, melius eſt in caſu dubio aliquem perferre dolorem ſuperfluum, quam per totum vitæ tempus actionis integritate carere, idque in corporibus maximopere tenellis.

§. VI.

Signis propriis cauſæ externæ utpote in ſenſus incurrentes non indigent, ſed ſaltem internæ. Mala articulorum conformatio vix niſi per ſufficientem reliquarum cauſarum remotionem in cadavere cognoſcitur, ſicut obſervatio Kerckringii ſuperius allegata teſtatur, quamvis etiam hoc in paſſu aliquid lucis diſpoſitio parentum concedat, quando claudicantes à claudicantibus frequentius generari per experientiam conſtat, adeoque etiam vitioſa partium ſolidarum conſtitutio per hæreditatem in prolem transfertur. vid. Juncken *chir. man. p. m.* 14½. *ſ.* 2. *c.IV.* Pet. Borellus *c.* 1. *obſ.* 7.

§. VII.

Ab humorum ad ligamenta atque tendines accubitu luxationes factas eſſe colligitur, 1) ex illorum in toto abundantia, 2) ſi luxatio non ſubito ſed pedetentim contingat, ita ut luxandum membrum per aliquot tempus huc atque illuc motibus agitetur inordinatis, vacillet, ac licet reponatur, mox iterum procidat; 3) ſi non in uno latere, ſed undique circa articulum cavitas gignitur, in quem digitus nullo reſiſtente corpore adigi poſſit.

§. VIII.

Callus vero ſubeſſe judicatur, 1) ſi membri ante luxati reſtauratio tardior contigerit; præprimis ſi 2) in articulis non multa carne ſtipatis, ut in cubito, genu &c. Callus autem ſicuti modo durior, modo mollior eſt ita illius ſigna ſunt, 1) quando articulus deprehenditur gracillimus atque ſicciſſimus, 2) nec ab ægro, nec ab adſtantibus violentiore manu moveri queat: 3) Si præceſſerit medicamentorum nimis incraſſantium & ſiccantium uſus: 4) extenuatio & gracilitas membri dicti ſit diuturna. Molliorem adhuc denotat 1) ſi recens is fuerit, 2) membrum aliquantum adhuc moveri queat: 3) recenſita medicata haud fuerint applicata; ac 4) ad tactum quoque tumor obſervetur mollior. Denique tophum ſubeſſe præter ſigna cauſarum internarum & calli durioris generationem ſuadet diſpoſitio ægri arthritica.

§. IX.

Ad prognoſin luxationum in genere quod attinet, ſciendum nullam harum per ſe eſſe lethalem, niſi & capitis & vertebrarum ſpinæ, præprimis ſuperiorum, luxationem excipias, teſte Barbette loco ſupra jam dicto, utpote quam neceſſario ſpinalis medullæ circa ſuum principium compreſſio, hinc ad partes inferiores denegatus ſpirituum animalium influxus excipit, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. Bohnii, nunquam ſine honoris præfamine nominandi judicio.

§. X.

§. X.

Capitis luxationem Germ. den Halß umdrehen pronunciat omnino lethalem Excellentiſſimus atque Experientiſſimus Dn. D. PETERMANNUS *in coll. Barbetian. c. v.* §. 8. *p. m.* 28. quia nimirum ſimul infert ſpinalis medullæ contorſionem, & multorum vaſorum ruptionem. Hinc in iis luxationibus ſemper obſervatur ſanguis quidam extravaſatus circa ſpinalem medullam, qui ſanguis, indicio nobis eſt, utrum in infante recens nato & jamjam mortuo luxatio deprehenſa ſit facta infante vel adhuc vivo aut jamjam mortuo? Vertebrarum luxatio itidem eſt periculoſa pro diverſitate nimirum graduum. Nam poteſt omnino etiam eſſe penitus lethalis, ſicuti vulnera ſpinalis medullæ profunda. Non raro infantes moriuntur ex vertebrarum dorſi luxatione, obſervante Excellentiſſimo atque Experientiſſimo Dn. D. RIVINO antea jam laudato in *coll. p. m.* 243. *patholog.*

§. XI.

Specialiorem vero prognoſin & quæ curam luxationis faciliorem & difficiliorem promittit, ſuppeditant 1) Forma & conditio luxationis, quo facilius curatur Pararthryma, tanto difficilius luxatio perfecta, & elongatio ſeu quæ cum ligamentorum laxitate conjuncta; 2) cauſæ, quæ ſi externa, faciliorem, quam interna ſeu quam conjunctam cauſam comitem habet, ſanationem concedit, 3) conditio ſubjecti, quatenus in corporibus puerorum ſeu adoleſcentum ceu alias exilioribus & mollioribus oſſa luxata facilius quidem reſtituuntur, non tamen adeo firmiter retinentur, ſed retentio eſt difficilior, quia difficulter aſſervari quieti poſſunt, cujus contrarium in adultis ſolidioribus & robuſtioribus ſubjectis contingit, ſicuti à MUYS *in Chir. Barbett. l. c.* judicatur. 4) Tempus, cujus ratione luxatio in junioribus recens cum minore, inveterata cum majore curatur labore, vetuſtaque in adultis luxatio, ubi partes quotidie augentur, demum evadit incurabilis.

§. XII.

Et 5) Symptomata, quæ, quo plura & vehementiora, eo quaſi curationi obſtrepunt, quo pauciora & mitiora eo faciliorem promittunt ſanationem. Unde difficillima eſt luxationis repoſitio ſi conjungitur cum fractura luxationi ſæpe vicina. Hinc v. g. luxationes in quibus oſſium ſupercilia franguntur peſſimæ, cum articulus reſtitutus non firmiter ſatis retinetur. Pariter quibus luxationibus dolor ingens, vulnus aut fractura combinatur, ſunt difficiles curatu, ideo, quod ſine convulſionum periculo reſtitui nequeant, vid. SCULTETUS *P.* 1. *Tab.* 56. *p. m.* 226. Membrum denique luxatum, v. g. luxatio vertebrarum dorſi, potiſſimum ad interiora contingens, difficilius curatur, juxta HIPPOCRATEM *de artic.* §. 43. FABRICIUM HILDANUM *cent. V. obſ.* 69. difficilius æque reponitur os femoris quam humeri, de quibus Excellentiſſimus atque Experientiſſimus Dn. D. BOHNIUS, *in coll. chir. art. V.* §. 11. §. 19. *p. m.* 104. & 110. ubi de luxationibus ſpecialioribus agitur. PARÆUS *l. XV. c.* 28. CELSUS *l. VIII. c.* 15. & ÆGINETA *c.* 114. *p. m.* 631. videantur.

CAPUT V.

Chirurgicam luxationum & ſimplicium & compoſitarum curationem ſubminiſtrat.

§. I.

Hiſce præmiſſis quæ ad cognitionem juxta ac dignotionem nec non ad cauſas præſagiumque facere videbantur ordinis ratio poſtulat, ut ad ipſam nunc luxationis curationem ſine ulteriori verborum circuitu deveniam, eamque ex triplici veluti uſitatorum præſidiorum fonte petitam, tradam: nimirum Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico. Sed ne pauculum temporis & pagellæ ſpatium verbis tantum teramus, quid agendum erit agam & ordiar a Chirurgica, quia hæc primo omnium eſt inſtituenda: Luxationis chirurgia ἀρθρέμβαλον, Arthremballum, embole audit, complectens ſub ſe quatuor actiones miniſtras, ſcil. extenſionem, coaptationem, deligationem atque repoſitionem. Ad quas tamen antequam ſe convertat Chirurgus, præparet inſtrumenta tam, quæ, ſi forſan manus non ſufficerent ad extenſionem, quam quæ ad deligationem & repoſitionem neceſſaria.

§. II.

Levis equidem primo intuitu videtur ſimplicis cura, cum facile reponi oſſis eminentiam poſſe, cum plebe ignava vulgus Chirurgorum ſibi perſuadeat, dummodo ſcilicet ſola partis læſæ circumgyratione inepta aut diſtenſione crudeli negotium aggrediantur, annotante B. Dn. D. LANGIO jamjam allegato *in coll. chir. loc. cit.* Verum enim vero luxati membri naturalem in ſedem reductio ut facilius peragatur, ſumma peritia connexionis ac ſitus membrorum naturalis ſemper requiritur, aliter namque procedendum in dislocationibus non ſolum reſpectu ipſorum partium affectarum, v. g. ſcapulæ, maxillæ inferioris vertebrarum. Conferantur HEYDENTRICK. OVERKAMP. p. m. 821. & DAN. SENNERTUS prax. lib. v. p. 6. c. V. Sed inſuper alia adminiſtratio exigitur in luxatione verſus exteriora aut interiora, aliter in extenſione tendinum ſeu ſubluxatione, conſulatur VERDUC Tr. de luxatione.

§. III.

1) Extenſio, ἀνάτασις GALENO VI. med. m. c. 5. vix in omnibus luxationibus neceſſaria eſt, imo ſæpe ad has non pertinet, ſcilicet ubi nimia ligamentorum relaxatio, nec in ſubluxatione, ſed tunc demum, ubi muſculi oſſi luxato in plantari hoc verſus ſuum principium retrahant. Imo obſervantur ſæpius quædam extenſionem & repoſitionem indicatam prohibentia, qualia ſunt tumor atque inflammatio inſignis, & ab his dependens dolor, ut ſymptomata urgentia, primam curam poſtulant. Qui vero dolor a fragmentis oſſium tendentibus aut pungentibus, dictas operationes non inhibet.

§. IV.

Vix audiendi tamen ſunt HIPPOCRATES *lib. IV. de artic. c.* 65. & FALLOPIUS cap. 3. de Luxatione, qui reſtaurationem intra tres priores dies fieri volebant, iis vero quacunque de cauſa elapſis, ante nonum ad illam accedere interdicebant: cum non adeo certi ſimus, an infra definitum tempus omnia ſymptomata recedant, interim juxta eosdem Autores jam

dictos aut oſſium fragmenta corrumpantur, aut callum contrahant.

§. V.

Quod ſi vero conveniat, quam mature adornanda, omnique tempore eo eſt allaborandum, ut quanto citius fieri poteſt ad propriam iterum ſedem deveniat, antequam inflammatio ſuperveniat; ejusque inſtrumenta varia ſunt, quorum intuitu duplex reponendi modus ab Autoribus conſtituitur: Alter Palæſtricus ſeu qui ſola manuum contrectatione fit, eſtque admodum invalidus, & ad corpora mulierum nimirum & puerorum mollia, ut & ad maſcula paulo robuſtiora, ſi recens fuerit vitium, ſolummodo utilis, quo de legi meretur GOURMELIN. *chir. art. lib.* 1. p. m. 56. CASP. TALIACOT. *in chir. l.* 1. *p. m.* 257. Alter autem Medicus, qui iterum duplex vel methodicus, qui habenis, ſcalis, forcipe aliisque utenſilibus; vel organicus, qui machinamentis diverſis inſimul adhibitis perficitur commode. Hic ad prolapſa diuturna non incommodus in corporibus athletarum, ille vero omnibus fere ſubjectis eſt idoneus, de quibus videatur: HIPPOCRATES *de artic. text.* 64. *& lib.* 1. *de luxatis & fractis partibus c.* 1. GALENUS *com.* 4. *in Hipp. text.* 64. ORIBASIUS *de Machinamentis* 5. *c.* 35. 40. *&* PARÆUS *lib. XV.*

§. VI.

Inter quæ tamen reliquis præferenda Gloſſocomium ſeu Ambe Hippocratis humero reſtituendo inſerviens. Vid. SCULTETUS *in arm. chir. Tab.* 24. *p. m.* 46. *it. Tab.* 49. *Fig.* 1. 4. *p. m.* 190. trochlea illa communis ſeu machina tractoria Vitruvii cum funiculo annexo, & zonula parti luxatæ alliganda, quam PARÆUS *l. XIV. c.* 7. delineat, aut correcta, qualis ab HILDANO *cent. V. Hiſt.* 86. 60. & SCULTETO *Tab.* 21. 22. *in app. Tab.* 13. *&* SOLINGEN *tr. de man. operation.* deſcribitur; manubrium autem verſatile prout aut ab eodem PARÆO, aut a LAMBSWERDE *in Append. Inſtr. ad Scult. Tab.* 23. exhibetur; aut illius Galli machina, huicque anteferenda Germanorum, qua icones in actis Eruditorum Lipſienſibus Anno 1683. menſe Januarii videre eſt.

§. VII.

Probe tamen notetur, quod inſtrumenta iſta maximopere ſint doloroſa, hinc Chirurgis noſtris plane inuſitata, quinimo penitus etiam videntur non neceſſaria, judicante Excellentiſſimo atque Experientiſſimo Dn. D. PETERMANNO *in coll. Barbettiano l. c.* & memini me audiviſſe *in coll. path. publico* Excellentiſſimum atque Experientiſſimum DN. D. RIVINUM huic etiam præbuiſſe aſſenſum, quia ab inſtrumentorum terribilium multitudine abhorrent timidi, ſi modo Chirurgus fuerit ſatis peritus articulationis, motus muſculorum & aliarum encheiriſium.

§. VIII.

Quia vero noſtra memoria luxatio quædam præprimis vero humeri eſt frequentior carnificibus in torturis, accidit, ut his ipſis etiam frequentius ægroti ſe concredant, quam Chirurgis. Carnifices profecto abſtinent ab omni tali inſtrumento extenſorio, ſoloque manuum miniſterio utuntur, & quidem feliciter, ut jam allegatus Dn. D. PETERMANNUS quondam *in colleg. chir. ſecundum Nuckii ductum publice habito*, ſe meminiſſe aliquot luxationes femoris, quas laudatiſſime & ex voto curarunt, diceret.

§. IX.

Opiliones etiam & horum uxores paſſim operam navant luxationibus curandis, & quidem ſæpe etiam felici cum ſucceſſu. Quod genus hominum tamen abſtinet ab omni pompoſo inſtrumentorum extenſoriorum apparatu. Si vero utuntur quibusdam inſtrumentis aſſumunt leviſſima. Sic v. g. Dn. D. PETERMANNUS ſæpius laudatus *in coll. Barb. l. a.* tradit: ſe noviſſe ruſticum ex opilione natum, olimque juvenem opilionis adjutorem, ein Schäffer-Knecht/ qui in luxati humeri extenſione humerum ſuo imponit capiti, corpusque ſuum intentum inclinat, poſtea vero utraque manu prehenſo humero ſenſim ſuum attollit corpus, & capite demum ſubducto humerum reponit.

§. X.

Quidam utuntur janua apta, gradu ſcalarum, ſuper quibus humerum extendunt, & utut a quibusdam ejusmodi extenſiones putentur periculoſæ ob fractionis metum, attamen hic metus eſt ſuperfluus, ſiquidem non fieri poteſt, os frangi quod in una extremitate firmiter eſt prehenſum, in altera vero ſolis mollibus ligamentis eſt alligatum. Quod autem ſentina hominum ſe alienis immiſceat, vituperandum eſt, & tantum abeſt, ut a quopiam laudetur.

§. XI.

Circa ipſum extenſionis actum notetur, 1) modus, quem deſcribamus, ut miniſtrorum manibus perfici ſoleat, utpote ſecundum cujus circumſtantias illa extenſio, quæ vel a ſolo Chirurgo fit, vel habenis & machinis peragitur, facile peragi poteſt. Scilicet alter miniſtrorum tibiam v. g. luxatam ſupra luxationem & circa genu comprehendat, ita ut utrumque pollicem ipſi tibiæ imponat; alter vero ſi dextrum crus affectum fuerit, ejus alteri extremitati prope malleolos manum ſiniſtram ſupponat, dextram vero tibiæ applicet, contraria ratione procedendo ſi pes laboret ſiniſter, adeoque in ipſa extenſione pars ita tractetur, ut lineam ſemper rectam atque muſculorum tractum obſervet, docente JUNGKENIO ante dicto *in chir. man. ſ.* 2. *cap.* 3. *p. m.* 126. & ÆGINETA *l. VI.* 114. *p. m.* 681.

§. XII.

Deinde qualitas ſeu potius quantitas ratione cujus extenſio major vel minor eſſe debet, intuitu oſſium majorum & minorum, utpote majore aut minore muſculorum robore pollentium. Extendatur tamen membrum ſufficienter, aliquanto longius, ne omnia in reducendo ſe invicem tangant ac repoſitionem impediant. Utrum autem ſufficiens videatur extenſio, judicatur 1) ſi luxatum os acetabulo ſuo e diametro opponatur, 2) ſi membrum idem ſano aliquantum longius & inter extrema aliqualis fovea aut in luxationis loco nulla amplius inæqualitas appareat, aſſerente STEPH. BLANCARDO c. 1. p. m. 526.

§. XIII.

Secunda operatio coaptatio, διάρθρωσις, HIPPOCRATI *l.* 6. *de art. tex.* 64. Mochlia, Mochleoſis ſeu reſtauratio dicta, fieri debet, quæ facile contingit, ſi luxatum os manibus ſuis oleo roſaceo vel myrtino inunctis ita dirigat, articulosque adaptet Chirurgus, ut muſculorum tractus obſervet, aut extenſione ſenſim luxata illud quaſi ſponte ſua ſedem naturalem repetat. An autem bene reſtauratum ſit membrum dignoſcitur ex iisdem ſignis legitimam repoſitionem pronunciantibus: 1) ex figura; comparatione nimirum facta cum membro ſano & v. g. ſi pollex pedis

cum

cum genu in recta ſtet linea, 2) ex æqualitate ſuperficiei reſtituta, ac 3) ex doloris ceſſatione, dicente JUNGKEN L. 2. c. 6. p. m. 148. quibus vulgo additur ſonus ſeu ſtrepitus quidam, qui in ipſo repoſitionis actu obſervatur; Aſt fallax quandoque hoc eſſe ſignum & vix deſiderandum, cum quotidiana experientia SCULTETUS monet, eo quod etiam obſervetur, ubi non ſufficiens facta fuit extenſio, adeoque de violenta nimis & impertinente repoſitione teſtetur, i. e. cartilaginum ſeu ligamentorum effractionem ac rupturam non raro portendat.

§. XIV.

In coaptatione ſitus eſt naturaliſſimus, in quo pars obſervatur quieſcens; utplurimum eſt quidem ita, ut os oſſi inarticuletur & undique ſinum ſuum claudat; naturalis humeri ſitus eſt ſi deorſum verſus genua dependet, femoris ſi ei innitor, maxillæ inferioris ſi os eſt clauſum. Probe tamen animadvertitur hunc ſitum adeo ſtricte non eſſe obſervandum, ſed præſtare etiam quadantenus hinc inde os elapſum vel luxatum commovere, licet illa commotio debeat eſſe modica nec vehementior.

§. XV.

His igitur circa repoſitionem juxta artis præcepta peractis, inſequitur operatio videlicet deligatio, ἐπίδεσις, vid. *Lex. Caſtello - Brunon. p. m.* 293. eſt firmatio partis affectæ legitima ad impediendum novum articuli egreſſum. Deligatio longe eſt facilior quam in fractione. Hinc etiam, ſi inflammatio ſuperveniret poſt luxationem jamjam repoſitam, nihilominus poterit fieri deligatio ſed laxior. Nam ſimulac remiſerit inflammatio, nova eaque arctior inſtitui poterit deligatio; ceſſante inflammatione poſtmodum inſtituatur firmior deligatio cum emplaſtro ad iſtam neceſſario.

§. XVI.

Ipſum deligandi modum quod concernit, membrum (niſi inflammatio jamdum intenſior fuerit,) oleis cap. ſeq. nominandis inungatur, eique emplaſtrum conveniens applicetur: ita tamen ne hoc membrum totum circulariter tegat, multo minus ejus una extremitas alteram conſcendat, ſed ſpatium latitudinis pollicis in membri latere has intercedat, ne inæqualitas premens ac dolorifica fiat, ut emplaſtrum facilius detrahi queat, ac locus tranſpirationi ac tumori concedatur. Qua de re memini legere ap. JUNGKEN *in chir. man. ſ. 2. c. 3. p. m.* 126. Emplaſtris imponantur ſplenia membri conditione adaptata, & deligationis faciendæ longitudinem emetientia, poſtquam hæc in principio uno vel altero illorum appropriatorum liquorum tepidorum quos inferius capite proximo recenſiturus ſum, fuerint imbuta.

§. XVII.

Quoad faſciationem, faſciis aut ſolis hoc ipſum negotium, aut ſi opus fuerit ferulis ex corticibus albis, corio aut charta denſa vel multiplicata paratis, quæ luxatis utplurimum membris, poſtquam hæc repoſita & faſciis obvoluta fuerunt, (niſi inflammatio hoc impediat,) ad ſtabiliendam & firmandam articulationem opponuntur, perficitur. Vid. ap. GABR. FALLOPIUM *oper. Fr. Tom. 3. Tr. 4. c. 6.* FEL. WURTZ. *chir. c.* 25. MARQUE *chirurgie traité des Bandages chapitre* 16. DAN. LE CLERC *chirurg. complette, p. m.* 188. Si modo paululum prudens fuerit Chirurgus, nec nimium arcte circumjectis ſpleniis conſtringat locum, alias non in flammationibus ſolum, ſed variis præterea ſymptomatibus anſam dabit gravioribus.

§. XVIII.

Spleniorum vero quæ iis ſupponuntur plura ſint, non ſolum melioris firmationis & retentionis gratia, ſed ut juncturarum quoque cavitates & inæqualitates repleantur, pro commodiore faſciarum injectione: horum tamen craſſiora & maxima illi articuli parti opponantur, per quam os luxatum prodibat, ne hoc extra ſedem ſuam facile relabatur. His loco ſpleniorum imponatur linteum concerptum quadruplicatum vel ſiccum, liquore aut unguento imbutum, cui ſi pars deliganda inæqualis fuerit, minora quoque ſplenia apponantur.

§. XIX.

Hinc faſciatio ſive fiat per unam tantum faſciam, ſi ſcilicet articulus ad prolapſum non adeo proclivis, ſimili ratione, ac in le CLERC *chir. p. m.* 360. adornatur, ita tamen ut deligationis principium fiat in latere, per quod os procidit, ibidemque etiam faſcia ſemper firmius conſtringatur, uti videre eſt in *Coll. chir. ſ. V.* §. 7. *p. m.* 116. excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. POLYCARP. GOTTLIEB SCHACHER, P. Publ. Anat. & Chir. extraordinarii; ſive ad manus ſint faſciæ tres pariter liquoribus appropriatis impprægnandæ, quarum una eademque breviſſima circa ipſam luxationem ter volvatur, poſtmodum ad membri partem ſanam quinque vel ſex circuitibus aſcialibus aſcendat. Quo facto alteram quoque unius capitis & priore duplo longitudinem eidem luxationi, ſed in contrariam plagam pariter bis vel ter circumducat Chirurgus, eademque quater vel quinquies deſcendat, mox iterum per totam ligaturam & ſurſum ad finem uſque prioris redeundo. Atque hæc faſcia tertia ſcilicet duorum capitum tertia ſui parte circa luxationis locum ſtringat, breviori capite aſcendat, altero deſcendat, quod idem per totum membrum ſuperius prodeat, ibique firmetur. Conf. GALENUS *tr. de faſciis.* ORIBASIUS *de Laqueis* & GOURMELINUS *l.* 1. *p.* 43.

§. XX.

Faſciæ autem hæ cunctæ circa luxationis locum arctius conſtringantur, inter aſcendendum ac deſcendendum compreſſio ſemper minuatur. Ita quoque in genere ſeſe habet deligatio, ne nimis laxa ſit, alias non retinet; nec arctior juſto, præprimis ubi callus progerminat, ac corpus tenerius fuerit, alias dolorem atque inflammationem augent & atrophiam cum motus imbecillitate, quam corrigere difficillimum, membro inducunt. Signum autem congruæ deligationis eſt bona ægri tolerantia, i. e. qua ſe firmatum haud tamen compreſſum refert: cui accedit, ſi levis & mollis tumor ſequenti die in membri extremitatibus appareat, quippe ſi talis non conſpiciatur aut major & durior obſervetur, in priore caſu laxior, in poſteriore ſtrictior juſta ligatura erit pronuncianda: ut proin opus ſit, ægrum frequentius viſitare, pro deligationum conditione inveſtiganda. Cæterum faſciis, (ſi membri ratio hoc patiatur, nec inflammatio impediat) ferulæ, obſervatis illis circumſtantiis, quas ſuperius jam indicavi, ſuperimponantur; hinc HIPPOCRATES ſeptimo demum die, quo hujus motus ceſſabat, hoc faciebat.

§. XXI.

Quarta tandem operatio, Repoſitio ἰμβολὴ vel collocatio locum habet. Ad collocationem, quod ſpectat, fit hæc membrorum collocatio duobus modis, h. e. vel reponendo, vel ſuſpendendo; reponi pars deligata dicitur, quando nunc vel à motu concuri-

tur vel affluxione tentatur, vel in ea exercenda cumulentur dolores, ſtabilimentis quibuſdam fulcitur, atque molliter ea figura, qua deligata fuit, collocatur, modo activitatem pro effluxu maturando; modo ſi neutrum horum ſine moleſtia fieri queat, æqualitatem obſervando & illud ſaltim addendo, ut dum membro reponendo, media & indolens figura tribui debet, hoc fiat ante deligationem, ne, ſi illa poſtmodum inducatur, faſciæ aut nimis laxentur, aut ſtringantur. Conf. STEPH. GOURMELIN. *chir. p.* 37. Media autem membri figura dicitur, quæ abſque muſculorum tenſione retineri valet, v. g. in brachio flexa, in pede recta. Interea quieſcit æger nec faſciæ prius ſolvantur, niſi vires denuo parti redditas eſſe obſervetur, prout J. DE LA CHARRIERE *Traité des operations chapitre XXXIV.* tradit.

§. XXII.

Commoda tamen ac tempeſtiva religatio duo complectitur, ſcilicet deligationis renovationem ac ejuſdem durationem. Quoad priorem niſi aliqua circumſtantia contrarium urgeat, ſcilicet pruritus, dolor ac nimia faſciarum conſtrictio, ante 6. aut 7. diem hæ non ſolvantur, ſuadentibus NUCKIO *exper. chir.* 48. *p. m.* 121. & BARBETTE *cap.* 5. *p. m.* 24. aliiſque. Quamvis igitur multis religio ſit illas ante diem 6. vel ſeptimum ſolvere, tertio tamen vel ſecundo rectiſſime & jubente HIPPOCRATE *de Fract. Text.* 5. ſolvuntur, vel quia tunc laxari incipiunt vel propter tranſpirationem impeditam ſæpius inflammatio, pruritus, imo gangræna metuenda veniunt, qualia exempla præter quotidianam praxin HILDANUS *cent. II. obſ.* 92. perhibet.

§. XXIII.

Durationis autem tempus vix ſpecialibus determinari poteſt, niſi dicamus tunc demum tollendas eſſe faſcias, ſi articulus ſufficienter firmatus videatur, quod in partibus minoribus, v. g. digito præterpropter 14. in mediocribus, v. g. brachio atque tibia circa 20. in majoribus autem v. g. humero, ſcapula ac femore vix 40. dierum ſpatio contingere ſolet, quia tamen pro diverſitate ſubjectorum, regionum, anni temporum, majore ac minore ligamentorum tenſione, luxatione recenti & veteri, quaſi articulorum quoque robur, modo celerius modo tardius reſtituitur, tutius illi agunt, qui numeratis diebus, adhuc aliquot addunt, ac vinculis demum ſublatis ægrum monent, ne membrum motibus exagitet vehementioribus. Atque hæc de luxatione ſimplici, nunc de compoſita ſeu quæ vulnus & fracturam comitem habet.

§. XXIV.

Ubi vulnus aut contuſio luxationi aſſociatur, ſummo ſane periculo non vacat malum; imminet ſiquidem gangræna & ſphacelus, niſi celerrime fiat repoſitio, & ex oppoſito metuenda eſt convulſio, ſi violenta manu ſuſcipias laborem. Tali igitur in caſu aut ſuadente JOSEPH DE LA CHARRIERE *traité des playes chapit.* 4. *p.* 353. membrum erit abſcindendum, aut ſatius eſſet ſuaſu HIPPOCRATIS in *Vectiar. text.* 19. *adde artic. text.* 25. & 76. negligere penitus ægrum, ne ars in tam ancipitis auxilii effectu proſtituatur, niſi Chriſtiana charitas Medici opem nihilominus adhuc requireret; Unde etiam Chirurgi prudentiores ab ejuſmodi luxatorum reſtauratione abſtinent; imo præeunte CELSO, nec minorum articulorum repoſitiones abſque periculo ſuſcipiendæ, ſed cum grano ſalis accipiendæ ſunt, ita quidem, ut, ſi repoſito articulo inflammatio major ac convulſio ſuperveniat, melius a quibuſdam obſervetur, ſi ſine magna violentia hoc fieri valeat, articulum ex ſua iterum ſede exturbare.

§. XXV.

Licet non ſtatim in ſua ſede firmari poſſit os diſfractum, non tamen propterea ab opere deſiſtendum, conferatur MUYS *prax. chir. rat. Decad.* 5. *obſ.* 7. Locum itaque hic invenit illud: Ex duobus malis minus eſt eligendum. Qui canon in caſibus nimirum dubiis & ubi indicantia contraria adſunt, quid agendum ſit, Medico docet an deſperandum an minus.

§. XXVI.

Valde periculoſa etiam eſt luxatio fracturæ oſſis juncta, ſecundum VIGONIS prognoſin *c.* 1. *p. m.* 202. ob imminentia ſimilia ſymptomata; negligi tamen nec hic ſubitanea debet repoſitio, quo oſſis fracturæ facilius poſtmodum poſſint coaptari. Plura qui deſiderat, vid. *Diſſert. de membris fractis inaug.* ſub Præſidio Excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. FRID. HOFFMANNI, Patroni ac Promotoris omni venerationis cultu proſequendi à Dn. OTTONE 1700. Halæ Magdeb. habitam, & *Diſſert. de Fractura oſſis Tibiæ cum vulnere & prominente oſſe*, quam Præſide D. SCHENCKIO 1659. Jenæ habuit Dn. GRAV. Præter hos conf. PARÆUS l. XIII. c. 4. GUILLEMEAU *de operation. chirurg. Tr.* 9. *c.* 5. GUIDO DE CAULIACO *Tr.* 3. *Doctr.* 1. *cap.* 1. TAGAULT. *Inſtit. chir. l.* 2. *c.* 4. ut alios taceam Autores.

§. XXVII.

Bene hic etiam notandum eſt, luxationem competere ipſis etiam tendinibus, quando vulgus Chirurgorum, imprimis vero carnifices vocant: Eine Ader verſtaucht haben. Nam utut verum ſit tendines ſemper & ubique firmiter eſſe partibus oſſeis & carneis annexos; Interim tamen non ſecundum longitudinem duntaxat, verum ſecundum latitudinem etiam ſæpe numero diſtenduntur & a partibus vicinis in tantum abducuntur, quæ abductio, annotante præter alios Practicos, Dn. D. PETERMANNO *in coll. Barbettiano. c. V.* §. 18. *p. m.* 31. eſt dolentiſſima & momentanea. Obſervare eam licet in muſculis capitis lateraliter flectentibus, (obliquis inferioribus) hi ſane taliter læſi tantum inferunt doloris, ut communiter nulli plane dubitent, quin conferant cum dolore quem ex denata uxore ſentit maritus; Siquidem uterque dolor eſt penetrantiſſimus, licet ſubito remittat: cujuſmodi luxationem obſervare etiam poſſumus in muſculis tibiæ abducentibus, membranoſo nimirum vel faſcia lata, quam vulgo vocamus (die Hunde-Hincke.)

§. XXVIII.

Hoc mali genus Excell. atque Experientiſſimus Dn. D. PETERMANNUS, etiam quondam perpeſſus, nunc tenetur ſecundum omnes dimenſiones cautelam adhibere, ne de novo hanc luxationem excitet, alias namque intolerabili ferme afficitur dolore, cui etiam mederi neſcit, niſi vehementiſſima tibiæ extenſione, uti ab eo ipſo *in coll. chir. publ. in Clariſſ. Nuck. habito anno* 1700. auribus audivi. Tendinum vero luxatorum curatio conſiſtit unice in eorum extenſione juxta motum naturalem. Et hæc genuina etiam eſt ratio, ob quam carnifices inquiſitos torquentes poſt applicatas chordas extendunt, eorum nempe carpos atque cubitos.

CAPUT

CAPUT VI.

Pharmaceuticam & diæteticam luxationum curationem continet.

§. I.

QUibus exacte conſideratis, ad curam nunc pharmaceuticam me accingam. Licet citius rediiſſe videantur vires, tamen ob metuendam novam luxationem nunquam tuta ſunt omnia, ſed accelerari nihilominus reconvaleſcentia poteſt optime, ſi ſimul cum faſciis adſtringentia v. g. vinum auſterum tepidum, in quo antea parum ſalis ſolutum, applicemus, vid. FEL. PLATERI *Praxin in Tr.* I. *c.*2. *p. m.* 394. 397. quia tam topicorum applicationem, quam faſciarum ac ferularum impoſitionem involvit deligatio. Medicamenta in principio convenientia ſunt, quæ adſtringendo atque roborando dicuntur operari & inflammationem arcere, v. g. oleum myrtillorum, roſarum, florum ſambuci, nepethe, oxycratum, mixtura ex vino auſtero & dictis oleis, aqua vitrioli, quibus ſequentibus diebus aliquid ſpiritus vini addi poteſt. Quidam ex bolo armeno, thure, maſtiche, ſanguine draconis, gypſo, floribus balauſtiorum, roſarum &c. & cum albumine ovorum cataplaſma parant, quale etiam HILDANUS *Ciſt. Milit. claſſ.* 15. commendat, quod nihilominus ab aliis. v. g. AGRICOLA *chir. parv. p. m.* 323. & 343. improbatur & convenientiora videntur emplaſtra contra fracturas ſeu catagmatica dicta, (Bruch-Pflaſter/) v. g. RENODÆI, WÜRTZII, c. 25. p. m. 382.

§. II.

Deinde etiam luxationi admoveantur adſtringentia & defendentia præparata: ex gummi tragacantha, maſtiche, ſanguine draconis, bolo armena, floribus balauſtiorum, nucibus cupreſſi, radicibus biſtortæ, tormentillæ, cortice granatorum, baccis myrtilli, baccis juniperi viridibus & pinguedine equina fiat Unguentum. Fotus pro humectandis ſpleniis & faſciis parari poſſunt ex reſolventibus & adſtringentibus.

§. III.

Aſt progreſſu temporis & ſi inflammatio ceſſat, hujuſque metus imminuatur, adſtringentia quoque imminui debent, quorum potentia, dum in terreſtreitate pontica ſeu in acore particulis terreis determinata ratione combinato, conſiſtit, vid. Excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. BOHNII *Diſſertationem Chymico-Phyſicam XI.* §. 16. *p. m.* 315. & Dn. D. WELSCHII *accuratum medicamentorum ſimplicium examen c. p. m.* 16. Hiſque modo recenſitis emplaſtrum oxycroceum cum emplaſtro diachalcytideo, ſeu diapalmæ mixtum eſt ſubſtituendum, & reſolventibus potius atque nervinis agendum v. g. oleo roſarum, hypericonis, lumbricorum terreſtrium, vulpino, balſamo Peruviano nigro, oleo deſtillato juniperino, tartari fœtido, emplaſtro de gummi elemi, de minio, &c.

§. IV.

Interim ut calli productionem juvemus commoda medicamenta non exterius ſaltem ſed intrinſecus quoque propinentur. Externa ſunt in infantibus albumina ovorum cum farina volatili, in adultioribus myrrha, aloë, acacia &c. de quibus jam dictum fuit. Interna autem obſervantur ſuccus primulæ, interdum & folia agrimoniæ, quæ in luxationibus etiam eſt egregia & ſine pari teſte experientia, ſcilicet in aceto vel vino cocta, & calide cataplaſmatis forma applicata. Vim enim fibrarum tonum roborandi poſſidet efficaciſſimam, prout non ſatis deprædicare poteſt, FORESTUS *l. VII. obſ. c. III.* HILDANUS *cent.* 3. *obſ.* 81. HORSTIUS *l.* I. *p.* 2. *obſ.* I. SIM. PAULLI *in Q. B. p.* 296. *Eph. N. C. Dec. II. anno* 3. *p.* 13. & JOH. FRENGIUS chirurgus Amſtelod. Summopere quoque laudatur lapis oſteocollæ ſeu morochtus (Beinbruch) tam ad fracturas oſſium conſolidandas, quam ad callos ipſorum producendos ad ℨj. in vino rubro vel infuſo vincæ (cui male juxta D. RIVINUM additur pervincæ,) aſſumendo, ſed cavendum, in nimia quantitate detur, alias juxta HILDANUM in junioribus imprimis callus deformis generatur. De cujus efficacia vid. HILDANUS jam dictus *cent. III. obſ.* 90. & 91. SENNERTUS *chir. l. V. p.* 5. *c.* I. BOYLE *Exercit.* 5. *de utilit. phil. experim. p. m.* 343. OL. WORMIUS *Muſ. l.* I. *ſ.* 2. *c.* 6. *p. m.* 53. CONRAD. KHUNRATH. *p.* 2. *Tr.* 21. *p. m.* 427. *Med. de ſil.* ANDR. MATHIOLUS *Comm. in lib. V. Dioſcor. c.* 109. *p. m.* 878. GESNERUS *de Lapidibus pretioſis & foſſilibus*; GEORG. AGRICOLA *de rebus foſſilibus*, JOH. CRATO & FERNELIUS *in conſiliis*, LANGIUS *in Epiſt.* ac nonnulli alii.

§. V.

Quæ tamdiu continuentur, donec callum productum eſſe dignoſcatur, 1) ex omnimoda doloris ceſſatione, 2) ſi circa locum luxatum vel perfractum color cutis bonus ac nativus efflorescat, 3) ſi juxta PARÆUM, ſanguis quidam rorulentus non quidem per vulneris ſi adſit oras, ſed poros quoque cutis tranſſudet, faſcia & ſplenia tingens, quamvis hoc phænomenon rarius obſervetur; & 4) ſi cum vulnere ſaniei quantitas imminuatur.

§. VI.

Fomentationes denique & Epithemata ex ſummitatibus abſynthii, herba ſalviæ, roriſmarini, majoranæ, pulegio, ruta, floribus roſarum, balauſtiorum, baccis juniperi cum vino facta optime conducunt, quo de legi meretur JUNCKEN *Prax. Med. p.* I. *ſ.* I. *c. XI. p. m.* 73. *chir. man. ſ.* 2. *c.* 4. *p. m.* 153. & MAYOW. *Op. Med. Phyſ. tr.* 5. *p. m.* 414. Quo ſcilicet tendinum rigiditas deligatione introducta aliquo modo corrigatur, ſpirituumque animalium influxus reſtituatur. Ex his tandem, quæ ultimo nominavi loco, omnium ſunt optima, magiſque convenire ſolent, quam priora, utpote propter vim adſtringendi & inviſcandi ſæpius nocent, quamvis judicio uſurpata laudem quoque mereantur egregiam.

§. VII.

Tendinum vero rigiditatem atque contracturam quod concernit, hæc corrigitur partim fomentationibus ſimilibuſque emollientibus topicis, qualia HILDANUS *Cent.* I. *obſ.* 83. *c.* 15. annotavit & ego jamjam tradidi, partim callorum ſupergenitorum exciſione; partim etiam ejuſmodi inſtrumentorum applicatione, quæ membrum in oppoſitum latus flectant, quale illud, quod ab HILDANO loc. alleg. delineatur.

§. VIII.

Oleoſa equidem locum habent hoc in caſu, ſed ubi combinatur contractura & aridura ſeu atrophia, minus vero ubi obſtructio ſubſit, magis enim oleoſa poros & nervos obſtruunt, ſpirituumque motum & ita influxum impediunt; Ubi vero contractura & aridura, à ſpirituoſis & oleis deſtillatis abſtinendum eſt,

eſt, ſed cocta olea ſeu pinguedines adhibeantur v. g. oleum lumbricorum terreſtrium, pinguedo humana &c.

§. IX.

Sic procedendum in ſimplici luxatione, ſed aliter paululum in compoſita, ubi tumorem citra inflammationem accedentem externa diſcutientia tam fixa quam volatilia, item laxativa reſpiciunt. Inflammationem autem aut venæ ſectio aut alia aliquoties laudata ſanant. Ante omnia autem ligatura parti affectæ applicata nimium arcta haud ſit, cum ſæpius hæc ſola primaria omnium pene ſymptomatum ſit cauſa. Quod ſi tamen nihilominus dolor ardens aut ſpaſmodicus accedat adhibebis cataplaſmata ac fotus ex diſcutientibus ac anodynis: parietaria, malva, floribus chamomillæ, ſambuci, verbaſci, meliloti in vino decoctis, quibus ſpiritus vini ſimplex vel camphoratus & cum ſpiritu ſalis ammoniaci mixtus propoſitis nervinis commode adjunguntur. Item elixir balſamicum à JUNGKENIO in *chir. man. ſ. 2. c. 2. p. m.* 118. deſcriptum. Nunquam ſatis etiam extollere poteſt AGRICOLA *com. in Popp. chym. part. 2. tr. de Sale p. m.* 785. in luxatis membris ſpiritum ſalis compoſitum ſecundum ſuam deſcriptionem *p. m.* 782. deſtillatum. Primum autem haud inique obtinet locum eſſentia antipodagrica noſtra in omni fere arthritidis ſpecie non ſine inſigni hactenus efficacia tam interne quam externe adhibita.

§. X.

Ante omnia itaque in luxatione partis membri majoris ratio habeatur inflammationis atque convulſionum metuendarum, hinc in media minuſque doloroſa figura membrum collocetur aut ſuſpendatur, eidem applicando topica appropriata, externa antepileptica cum anodynis & refrigerantibus, minores vero articuli interdum ante inflammationem, interdum illa ſedata demum reſtituuntur, & quidem extenſione mediocri, quoniam validam non ferunt, & ſi reſtaurati fuerint, inflammationes atque convulſiones arcentia ſedulo applicentur. Ulterius B. Dn. D. LANGIUS *in coll. chir. c.* 3. impoſſibilem eſſe curam arbitratur, imprimis callo perfecte indurato. Sin vero texturæ adhuc mollioris extiterit à reſolventibus & diſcutientibus adhuc quodammodo ſalus ſperanda.

§. XI.

Tandem ſi propter tendinis elongationem ac inſequentem atoniam non commode firmari in ſua articulatione poſſit os, roborantia iterum ac nervina ſunt advocanda, fotus nimirum ex vino calido nunc ſimplici, nunc cum floribus hyperici, majoranæ, ſalviæ, roremarino, chamomilla, floribus ſtœchados decoctis, vel inungantur oleo petrolei, balſamo Peruviano nigro quod nervinum eſt ſingulare. In ſpecie ſpiritus ac oleum baccarum juniperi commendatur; uti videre eſt apud ROLFINCKIUM *l. 4. ſ. 1. c. 10.* SCHROEDERUM *in Phar. Med. Chym. l. 4. p. m.* 86. KUNRATH. *in Med. deſtil. Tom. 1. p. m.* 419. *ad* 470. VOLKAMMERUM *in E. N. C. D. 1. a. 9. 10. p. m.* 63. Has enim baccas quod attinet, vim contra paralyſin & roboranda membra paralytica, aliaque quæcunque læſa habent plane ſingularem, atque utimur iiſdem ut diuretico & diaphoretico emmenagogoque; Quapropter & rob. ex iiſdem paratum theriaca Germanorum audit, teſte Dn. D. FRIDERICO HOFFMANNO *in Clav. Pharm. p. m.* 492. Ex his eſt unguentum Opilionum (Schäffer-Salbe / ut ſic loquar,) quod nihil aliud eſt, quam baccæ Juniperi viridis cum pinguedine equina, ſeu butyro majali ac deinde expreſſæ, ejus loco unguento populeo Chirurgi noſtri utuntur. Quo de vid. *Pharm. Aug. claſſ.* 17. *p. m.* 652. CORDI *diſpenſ. p. m.* 342. Ejus quoque gummi egregiam diſcutiendi vim in paralyſi & contractura partium obtinet, ita ut primatum fere inter nervina poſt maſtichen obtineat. Item oleum deſtillatum lavendulæ, ſalviæ, ſuccini, galbani, commendat MART. PANSA *in pract. ſpec. p. 4. c. 58. p. m.* 294. ac ſupponatur emplaſtrum ex cera, reſina, pulvere ſuccini & gummi elemi.

§. XII.

Hiſque non ſufficientibus imprimis ſi acerrimi humores copioſe ad partes affluant: 1) Abſorbentia & Temperantia, 2) Evacuantia & Revellentia, & 3) Alterantia & Reſolventia ſimul adhiberi debent, quo de conſulantur Viri Excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. BOHN. in *coll. de Medici Practici judicantis munere p. m. a* 59. *ad* 69. Dn. D. PETERMANN. *in coll. Therapeut. c.* 11. *ad VIII. p. m.* 4. *ad* 14. *& diſſ. de medicamentis alvum laxantibus c.* 1. §. 4. *c.* 2. §. 2. & WEDELIUS *Amœn. Mat. Med. p. m.* 220. 225. *l.* 2. *ſ.* 2. *c.* 2. B. ETTMULLERUS *in Prax. cap.* 5. *§.* 25. HARTMANNUS *in Pract. Chym. p. m.* 5. SENNERTUS, WILLISIUS, SYLVIUS aliique plures. In tertia quoque curationis intentione videri meretur Excellentiſſimi atque Experientiſſimi Dn. D. CHRIST. FRID. PINCKER Patroni & Præceptoris omni obſervantiæ cultu ætatem colendi *collegium form. Lect. 6. p. m.* 28. *ad* 38. Quo in caſu optime huc quadrant eſſentia vegetabilis noſtra amara & aqua bezoartica noſtra; ejus loco ſubſtituendus eſt ſpiritus Buſſii bezoardicus, aut ſi circumſtantiæ id ferant ſupra laudata adſtringentia & exſiccantia.

§. XIII.

Si callus in junctura poſt reſtitutionem generetur, & quidem tophaceus, ejus curatio fruſtranea: in molliore vero ſeu cartilagineo, ſucceſſus deſideratus interdum contingit, vid. DOLÆI *chir. lib. VI. c. 5. p. m.* 1506. Primo ergo articulus ſæpius foveatur decocto parato ex radice altheæ, cucumeris aſinini, malvæ, biſmalvæ, major. & thapſi barbati, deinde locus inungatur oleo amygdalarum dulcium, pinguedine anſerina, unguento dialtheæ & illo, quod HILDANUS *cent. III. obſ.* 25. in duritie mammarum deſcribit. Fieri ex recenſitis ſimplicibus quoque poteſt cataplaſma aut applicatur cerotium de cumino, quod ROONHUYSEN laudibus extollit maximis, ſeu emplaſtrum diachylum cum gummis, de cicuta, de ranis cum mercurio ſeu oxycroceum, quibus per aliquot dies continuatis pro ulteriore reſolutione fiat ſuffitus ex aceto ſuper pyritem effuſo, in quo prius aliquid gummi ammoniaci maceratum fuerit, imo nervina cuncta emollientibus mixta hoc in caſu conveniunt, v. g. aqua Reginæ Hungariæ, eſſentia noſtra antipodagrica jam antea laudata & ſpiritus matricalis cujus compoſitionem JUNGKEN. *in chir. man. ſ. 2. c. 1. p. m.* 77. deſcribit.

§. XIV.

Nec minus frequens eſt articulum poſt repoſitionem ſponte recedere; quod ſi non callus aut fractura acetabuli recipientis ſubſit, à nimia ligamentorum laxitate contingit, ſeu ab hac ipſa luxationis violentia ſeu medicamentorum exſiccantium atque roborantium neglectu & intempeſtivo emollientium uſu, ſeu ab humorum affluxu ex toto dependeat. In prioribus caſibus medicamenta nobis interne propinanda ſuppeditat Excellentiſſimus Dn. D. PETERMANNUS

MANNUS *in Coll. Med. Pract. ſecundum Doctiſſ. Barbett. ductum privatiſſime habito*, c. 3. §. 13. *p. m.* 80. & D. L. STERRE *in coll. Med. Pract.* c. 8. *p. m.* 29. Externe vero applicentur fortiora exſiccantia cum nervinis: v. g. aqua vitæ & Reginæ Hungariæ, ſpiritus matricalis, ſalis ammoniaci & camphoratus: quo de vid. BLANCARD. *Prax. Med.* c. 10. §. *V. p. m.* 70. & JUNGKEN. *chir. man. ſ.* 2. *c.* 4. *p. m.* 152. In poſteriore vero ſimul totius ratio per evacuantia alterantia & revellentia uti ſuperius jam dicta habeatur. THOMAS FIENUS *tit. de caut.* & SCULTETUS articuli uſtionem commendant omnibus aliis remediis anteponendum, cujuſque adminiſtrandi ratio in *Armam. chir. p. m.* 144. deſcribitur.

§. XV.

Deinde ſicco hic pede non prætereunda eſt Diæta juxta canonem:

Optima Medicina bona Diæta.

Hæc igitur regula præcipue generalis obſervanda venit, quod omnia, quæ ad membrorum luxatorum commotionem faciunt, hic relegare debeant. Aër externus non minus nobis eſt neceſſarius, ac cibus & potus, & ad vitæ conſervationem permultum facit. Nam aër eſt principium vitale, ejuſque partes inſpiratæ conſtituunt ſpiritus animales, ſicut videre licet in Excellentiſſimi Dn. D. BOHNII *circulo Anatomico-Phyſiologico Progymn. IV. p. m. 66. & Progymn. XIX. p. m.* 315. Et inſuper, ut uno quaſi verbo dicam: Aer requiritur temperatus, atteſtante GALENO *l. I. Temper. c.* 4.

§. XVI.

Sequitur aërem cibus & potus, qui in non naturalibus ſæpius morborum cauſam præbent. Patet autem peccare alimenta vel quantitate, vel qualitate, vel in utroque ſimul, tum quantitate, tum qualitate. Quantitatis vitia ſunt vel in exceſſu vel in defectu, vel in utroque ſimul ſumptis, vel potius vel cibus uterque. Quantitas porro vel abſoluta, quando ſemper prava & in omnibus deprehenditur, vel reſpectiva quando in uno alterove ſubjecto tantum prava eſt.

§. XVII.

Jam quod ad animi pathemata pertinet, cum his multo alia res eſt & profecto ſi cum Excellentiſſimo Dn. D. RIVINO *in coll. pathol. p. m.* 26. vera dicere liceat, plures pereunt animi pathematibus, quam bello aliiſque morborum generibus. Dicis multi pereunt hydrope, phthiſi, cachexia, febre ardente, pleuritide &c. pauci ira, terrore, metu. Reſpondetur in hos ſi inquiras morbos, tunc hi & plurimi alii proveniunt ab animi pathematibus, ita, mœrore, terrore, metu, unde digeſtiones impediuntur, & varia ſequuntur mala. Sic in peſte ipſa plurimi moriuntur ex terrore, ubi ſcilicet anima ſemper meticuloſa tandem deſperabunda deſerit corpus, ubi ſatis prolixe in aureo libello Dn. D. RIVINI *de peſte Lipſienſi edito*, *cap.* 2. *p. m.* 30. videre eſt.

§. XVIII.

Jam ad iram ac mœrorem me accingam, hæc videntur terrori contraria, ubi ſpiritus in vindictam & iram ruit, tunc homines excandeſcunt potius imo & totum corpus rubet, facies oculique, ſpiritus ad exteriora migrant, tota maſſa ſanguinea exagitatur, pulſus acceleratur, cor palpitat. Ira autem non adeo nocet, ſi expleverit quaſi vindictam, aſt quo diutius hæret ira in corpore, eo magis nociva eſt. Circa mœrorem alia res eſt, nam hujus objectum interdum levis aliqua res eſt, ob quam mœror non introducitur vehemens; Sed ſi objecta ſunt gratiſſima, non recuperabilia & magni momenti, hinc certe graviter mœrore ſolet affici animus. Sic utique Dn. D. RIVINI judicio manet firmiſſimum, mœrorem, iram, terrorem omnium fere morborum, (niſi abſolute & proxime tamen remote & primitive,) immo mortis cauſas exiſtere.

§. XIX.

Quoad ſomnum ſcimus tranquillitatem ſpirituum requiri, nam dum anima in perpetuo motu eſt, dum omnibus functionibus deſtinata, hinc natura conceſſit ſomnum, ut anima operibus continuis defatigata vires recolligat & ab operibus iſtis ceſſet, ſicut Excellentiſſimus Dn. D JOHANN. CHRISTOPH Schamberg / P. Publ. Lipſ. Phyſiologiæ celeberrimus, Patr. & Præceptor plurimum honorandus, *in colleg. phyſiol. publ.* præclare detexit. Quod ad vigilias concernit, è contrario patet quando denegatur tranquillitas animæ ſpiritus igneos confundi, diffundi & debilitari enormiter, immo & mentem ipſam confuſionem pati dicente D. RIVINO *in coll. phyſiol. c. IX. p. m.* 35.

§. XX.

De motu & quiete nunc agendum eſt, & quis neſcit motum exceſſivum producere morbos immo & quietem exceſſivam. Principium omnis motus eſſe ſpiritus ex Dn. D. RIVINI *Phyſiol. Theſ* 9. ſatis ſuperque evincitur, & jam ubi nimium exagitatur in motu iſte ſpiritus igneus, ſic neceſſum eſt aucto calore defatigari vires, imo ut ſuperveniat ſudor, ſerum diſſipari, adeoque humores inſpiſſari. Sed quies nimia etiam ponderanda occurrit, unde morbi naſcuntur varii, qui fere incidit cum ſomno. Videmus nimia ex quiete uti & ſomno ubi nullus motus, in hydropem incidere homines, quoniam non diſſipant ſerum abundans & tranſpirationem impediunt, & ita ſerum colligitur intra cutis poros copioſius, ut hydropici, cachectici, melancholici, hypochondriaci & ſcorbutici fiant.

§. XXI.

Modus proinde in corporis alimentis pariter atque animi pathematibus, ſemper quam maxime eſt tenendus, jubente & teſtante HIPPOCRATE: Omne nimium naturæ inimicum. Quandoquidem in luxationibus etiam repoſitis eo neglecto, omnigena affectuum genera nemo non ſibi contrahere poteſt.

CAPUT VII.

Symptomata Luxationibus accidentia ſubnectit.

§. I.

His, quæ luxationes ſpectant, prælibatis, ſymptomata denique luxationem ſequentia adhuc adjungenda eſſe cenſeo. Luxationum ſymptomata ſunt: Dolor, tumor, inflammatio, gangræna & ſphacelus. Dolor articulorum vehemens & acerbiſſimus exiſtit ſi oſſa corporis habitum firmantia, nimium impulſa, aut ſua e ſede declinantia vicinas muſculorum nervorumque partes premunt, prout PLATERUS *Prax. T.* 2. *c.* 16. *p. m.* 681. annotavit, potiſſimum ſi partes nervoſæ & tendinoſæ fuerint læſæ. Quilibet enim articulus ſuos obtinet muſculos & tendines, qui nervoſi ſunt; ſi ergo elongantur vel comprimuntur, dolor exiſtit exquiſitiſſimus, & ſua ligamenta habet, tum externa, tum interna, & quo major inarticulatio dislocatur, eo major diuturniorque hinc

evenit

evenit dolor. Sic os femoris in oſſe innominato internum habet ligamentum ſatis firmum, & difficulter hujus luxatio vel plane non curabilis.

§. II.

Ad doloris medelam ſine prolixis verborum evolutionibus progredimur, quæ tres præprimis indicationes habet:

1) Ut cauſa removeatur dolorifica,

2) Fibræ diſtenſæ ſeu tenſæ ut laxentur & leniantur,

3) Ut fibrarum irritabilitas ſeu ſenſibilitas nimia ſedetur & compeſcatur.

In cauſæ ſublatione attendenda 1) ligatura, ſi obſervetur nimis arcta, eſt ſolvenda 2) Fibrarum tenſarum laxatio peragitur, ſuadente Dn. D Bohnio *in colleg. Therap. ſ.* 1. *p. m.* 59. paregoricis, anodynis & lenientibus. Anodyna agunt in partem dolentem: anodynorum autem nonnulla agunt in fibras corrugatas & tenſas partium emolliendo & laxando: radices altheæ, liliorum alborum, ſemen fœnu græci, herba malvæ & meliloti: adipes & medullæ, aqua tepida & omnia quæ vim lubricandi & laxandi habent. Vid. Muys *chir. rat. Dec. IV. obſ.* 7. Alia autem agunt, quæ humores impactos ſimul reſolvunt, & ita quoque fibras roborant. Talia ſunt flores chamomillæ, ſemina carvi, anethi, item contuſi caryophylli & impoſiti.

§. III.

Tertio indicantur, quæ irritabilitatem temperant, & quæ ſpiritibus aliquantum torporis introducunt, ſunt hæc medicamenta narcotica interne pariter & frequentius quidem, atque externe & rarius adhibita. Quoad narcotica hæc agunt in ſpiritus, toto corpori torporem introducendo, talia ſunt papaverina, opium, ſpongia cynosbati, radix mandragoræ, ſemen & radix hyoſcyami, lolium, aqua frigida, quæ torporem ſpiritibus introducunt. Sic multi frigore pereunt, nam ſpiritus ad centrum abeunt, & torpor iis introducitur. Quod autem fibras opiata laxent, patet exin quia omnes fluxus ſiſtunt, dolores mitigant, tuſſi medentur, & quia fibras poroſque laxant, ſudores & diaphoreſin movent.

§. IV.

Nunc ſequitur tumor ſubitaneus & inflammatio, nam ſtatim ac facta fuit luxatio, tunc intumeſcit articulus ſupra modum, nam dolor ſpaſmum excitat, a ſpaſmo autem tumor ſemper oritur & inflammatio; Motus quoque impeditus in momento accidit, ſi enim motus adhuc ſuperſtes res eſt bona, nullaque adeſt luxatio. Si dolor, tumor atque inflammatio urgeant, & quidem mox ante repoſitionem, ſymptomatibus his ante omnia proſpiciendum eſt, ne ſi articuli luxati reſtitutio mox tentetur, ex violentiore partium nervoſarum diſtenſione convulſiones aliaque mala oriantur atrociora. Hinc poſito membro in medio minusque doloroſo ſitu, ac univerſalibus ſi exigantur præmiſſis, applicentur tumorem diſcutientia & inflammationem atque dolorem mitigantia, qualia ſunt mixtura ex vino & oleo roſaceo vel floribus verbaſci tepida, aqua Reginæ Hungariæ, item ſuperius adducta & in cataplaſmatis formam redacta medicamenta, quibus ſimul admiſcenda anodyna ſcilicet malva, bismalva, parietaria, radix altheæ, flores chamomillæ, verbaſci, ſambuci cum meliloto, de quibus multum diuque ſermo fuit. Sin poſt repoſitionem demum ſymptomata hæc emergunt, vincula arctiora ante omnia moderate laxentur ac recenſita topica, ex repellentibus & adſtringentibus parata, admoveantur.

§. V.

Primarium autem inflammationis indicans eſt ſanguis in tertia corporis regione ſtagnans, qui ſui remotionem exigit: Sanguinis ſtagnatio inhibetur per ſanguinis eductionem, venæ ſectiones in partibus remotioribus adornatas, & uberiorem humorum afſluxum revellendo atque derivando impedientes. His ex internis addantur ſudorifera reſolventibus combinata, v. g. ſalia volatilia urinoſa, ſpiritus ſalis ammoniaci, cornu cervi &c. vel fixa illa oculi cancrorum, lapides percarum, raſura dentis apri, ſanguis hirci, tandemque antimonialia, antimonium diaphoreticum ſimplex vel martiale, quæ ſæpe ſola ſine ulla ſanguinis evacuatione in inflammationibus minoribus, & in ſubjectis non adeo plethoricis morbum hunc tollunt & humores viſcidos & coagulatos reſolvunt.

§. VI.

Bezoardica noſtra in permultis hucuſque affectibus Deo juvante nempe in cephalalgia, febri, variolis, phthiſi, hydrope, paſſione hyſterica &c. (abſit jactantia verbis,) maximo cum emolumento propinata, nec non eſſentia vegetabilis noſtra amara, quæ contra febrim & malum hypochondriacum ut & ad ſtomachum corroborandum & dolorem ſedandum inſigniter prodeſt; atque eſſentia noſtra antipodagrica huc etiam in uſum eſt vocanda. Ubi vero ſpaſmodica fibrarum affectio in cauſa eſt, incaſſum omnia adhibentur reſolventia & diaphoretica niſi antiſpaſmodica ſimul admiſceantur & imprimis anodyna obſervante B. Dn. D. Langio *in curſu* ut vocant *Medico c.* 8. §. 1. p. m. 63. conveniunt proinde hoc in caſu liquor cornu cervi ſuccinatus, antihecticum Poterii, cinnabaris antimonii, & ſi febris inſimul urgeat, lapis prunellæ imo ipſa quoque opiata.

§. VII.

Etſi a priſcis pro hac intentione commendantur repellentia, quæ ab extra appoſita vi adſtringendi aut refrigerandi tumorem & affluxum humorum reprimendo, partiumque poros claudendo agunt ſecundum Excellentiſſimum atque Experientiſſimum Dn. D. Langium beatæ memoriæ in *Diſſertat. de remed. vulnerariis aug. a D. Ritter* 1694. *habita §.* 22. Notetur tamen primo illos errare toto cœlo & repellentium uſum quibusdam in caſibus plane nullum, ſed ab illo abſtinendum eſſe, quemadmodum recentiores Henr. Overkampius im neuen chirurgiſchen Gebäude *p. m.* 571. Barbette *chir. c.* 2. *p. m.* 133. Blanckard. *chir. c.* 2. *p. m.* 205. Corn. Bontekoe in neuen Gebäude der *chirurgie*, & Daelmannus ſuadent. 1) In inflammationibus criticis, quales utplurimum ſunt eriſypelaceæ, 2) in tali quæ a cauſa dependet venenata, morſu ſcilicet viperæ, 3) quæ plethoram humoreſque viſcidos comites habeat, 4) quæ circa vaſa majora v. g. in inguinibus & cum dolore vehementiore exiſtit; In hoc quippe caſu anodyna potius jamjam nominata ſunt ſubſtituenda. Deinde vix repellentibus ſolis utendum, ſed his reſolventia atque penetrantia ſimul addenda.

§. VIII.

Idem de refrigerantibus eſto judicium expellendi intentione adhibitis, ſi circa primum ſtatim principium, antequam firmius fibris partium impingatur a violenta cauſa externa extravaſatus cruor, ipſa adhibueris, facile ad gangrænam & ſphacelum diſpones affectam partem. Abſtinendum quoque eſt ab emplaſtris reſinoſis & tenacibus admodum, ſua namque

que corroſivitate non raro illinunt poros, ſicque exhalationem inſenſibilem impediendo variis ſymptomatibus ſatis ſæpe periculoſis dant anſam. Adhiberi autem poſſunt emplaſtrum de minio, ſaturninum Mynſichti ſimiliaque. Pariter non facile ad pinguia calidiora qualia ſunt olea accedendum, uti BARBETTE *Anat. Pract. p. m.* 322. DOLÆI *Encyclop. chir. l.* 1. *c.* 3. *p. m.* 57. MUYS *Prax. Med. chir. Decad.* 5. *obſ.* 1. *p. m.* 172. ſuadent.

§. IX.

Sub morbi incrementum externa repellentia cum reſolventibus miſcenda, in ſtatu vero illis permutandum: cum ſudoriferis vero atque reſolventibus intrinſecis pergendum, quibus, quia dolor hoc tempore augetur, opiata addere conducit. Quodſi ergo ex horum uſu tumor ſubſidere & calor, rubedo atque dolor mitigari obſerventur, declinatio inflammationis & quidem per reſolutionem præſto eſt, adeoque diſcutientium atque reſolventium uſu tantum pergendum. Quod ſi vero ſuppuratio ex ſignis ſuis imminere videatur, huic maturantia v. g. mercurialis, melilotus, althea, chamomilla, ficus, fœnu græcum, ſemen lini ſunt adhibenda.

§. X.

Mediis inflammationis præmiſſis, ad gangrænæ & ſphaceli medelam mihi eſt tranſeundum: Gangrænæ proinde curam quod concernit, poterit hæc vel generaliter vel ſpecialiter explicari: Scilicet ſi incipiens atque imperfecta gangræna, diverſa auxiliorum genera poſtulat, cauſæ antecedentis rationem ſemper habentia, & curatio inſtituatur ſecundum has indicationes 1) acrimonia humorum temperetur per medicamenta primario interna, v. g. ex regno animali per partes duras præparatas & ſpiritus urinoſos temperatos; ex regno vegetativo per plantas vulnerarias: ex regno minerali per antimonialia fixa cum martialibus unita. Ab extra vero ex mineralibus ſunt imponenda omnis generis ſaturnina, v. g. tutia, nihil, minium, lithargyrium, imprimis vero ſaturnina hæc aceto incoquuntur. 2) Convulſiones aut præcaveantur aut mitigentur, ſi ſpiritibus miſceantur theriacalia, caſtoracea atque anodyna. Hinc ſatis deprædicari nequit Dn. D. PETERMAN. *in Coll. medico-Pract. part.* 3. *cap.* 17. *p. m.* 303. hic eſſentia theriacalis cum caſtoreo miſta vel poterit etiam fieri potio ex aquis nervinis, v. g. floribus ſambuci, ceraſis nigris, cornu cervi, theriaca cum ſpecifico cephalico, pulvere Marchionis epileptico &c.

§. XI.

Si autem vera & perfecta fuerit gangræna, a quacunque demum cauſa hæc dependeat, indicationem unam eandemque habet ſcilicet ut putredo inchoata inhibeatur, ne vel ulterius ſerpat vel intendatur, & in ſphacelum degeneret, quam iisdem quoque remediis in omnibus gangrænæ ſpeciebus exequi licet. Perfectiorem itaque gangrænam (ſecundum plurimorum autorum opinionem,) mox ad partem uſque ſanam ſcarificari convenit, cavendo, ne nervi aut tendines lædantur; hinc ſcarificata pars probe eluatur cum muria limonum vel braſſicæ (Laſe von Sauer-Kraut) lixivio barbitonſorum, decocto calcis vivæ ſolitarie vel cum ſpiritu vini ſimplici aut camphora maritato vel illo, quod a RIVERIO *obſerv. a Formio communic.* 24. miris præconiis commendatur, item vino hiſpanico, ſpiritu vini ſimplici ac cum ſale ammoniaco acuato vel ſpiritu vini camphorato aut theriacali, vel tinctura myrrhæ, aloes, aſſæ fœtidæ, ſpiritu ſalis ammoniaci, ſpiritu matricali, cujus mentionem fecit JUNGKEN in *chir. man. ſ.* 2. *op.* 2 *c. XII. p. m.* 307. in quibus aliquid unguenti ægyptiaci diſſolvitur. Hujus etiam loci eſt lotio HILDANI *de Gangræna & Sphacelo c.* 13. item cum RIVERIO obſervata ab eodem *Formio communic.* 22. deſcripta.

§. XII.

Probe autem hac ratione elotis & mundatis ſcarificationibus imponatur vel mercurius præcipitatus ſolus, vel cum alumine, myrrha, aloe & capite mortuo vitrioli mixtus, item lapis medicamentoſus Crollii aut quod magis approbandum, cum plumaceolis applicetur oleum cariophyllorum, item cinnamomi, guajaci, juniperi vel per ſe vel cum oleo roſaceo temperatum vel ſulphuri combinatum, quo caſu exſurgunt terebinthinaceus balſamus ſulphuris, præprimis juxta ZWÖLFFERI deſcriptionem cum ſale tartari præparatum, butyrum antimonii, unguentum Ægyptiacum & ſpiritus ſulphuris, cujus uſum ſingularem RIVERIUS *Cent.* 1. *obſ.* 84. per experientiam confirmat. Inſtar omnium tamen ſolutionem cinerum clavellatorum & tantillum aluminis proficuum novit B. Dn. D. LANGIUS *in coll. chir. c.* 2. §. & conferatur ex recentioribus OVERKAMP. *in cap.* 2. *p. m.* 90. ubi fuſius de convenienti apparatu diſſerit. Quæ cuncta tamen 1) calida aut tepida ſint, cum & actualis calor hic multum præſtet, nec 2) acriorum applicatione diutius juſto inſiſtendum, ne acrimonia ſua & diuturniore uſu novam gangrænam pariant.

§. XIII.

Sed ſi natura ſecretionem moliatur, quod dignoſcitur, quando uti ſuperius annotatum, circa partem gangrænatam circulus vel linea rubicunda & dolorifica quaſi appareat, & ulcus incaleſcat, ad alia tranſeundum. Scilicet digeſtiva & poſthæc abſtergentia, quibus tamen ſemper aliquid de illis, quæ putredini reſiſtunt, admiſcendum v. g. unguentum aureum, maturans, uſitatum de apro &c. cum unguento ægyptiaco, myrrha, oleo terebinthinæ, balſamo ſulphuris & Peruviano. Hæc interim omnia dum fiunt, & quouſque omne gangrænæ periculum ceſſarit, reliquis medicamentis ſuperimponi debent cataplaſma ac fomenta actu calida, adeoque pro calore hoc actuali conſervando ſæpius renovanda, parata ex radicibus angelicæ, ariſtolochiæ rotundæ, herbis nicotianæ, rutæ, abſinthii, ſcordii, menthæ, millefolii, floribus centaurii minoris, ſambuci, chamomillæ, roſarum, baccis juniperi, ſemine cumini, gallis, vitriolo, ſale communi, lithargyrio, urina, ſpiritu vini, vino & lixivio, quæ tamen in principio quaſi repellentia, in progreſſu vero potius reſolventia ſint.

§. XIV.

Parti autem ſanæ defenſionis gratia ſimul applicentur repellentia ac defenſiva, id eſt, quæ ulteriorem veneni gangrænoſi expanſionem æque ac humorum congeſtionem inhibeant, qualia partim ſuperius de inflammationibus tradita, partim ſunt defenſivum CHALMETHEI aut HILDANI, utraque ab hoc *de gangræna & ſphacelo c.* 13. deſcripta, item Ceratum Vigonis de minio & ſimilia.

§. XV.

Sphacelus denique ſi gangrænæ ſuperveniat, aut ſine gangræna præſto ſit, nullam amplius curam admittit, ſed cum quod in corpore plane emortuum eſt, vitam recuperare haud valeat, & rei toto genere præter naturam rationem habeat, una adhuc indicatio reſtat, illud e corpore tollendi ac extirpandi juxta Poetam:

-- -- -- *Sed immedicabile vulnus*
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Quod ſi ob loci incommoditatem fieri nequeat res deſperata eſt, de quo conſulendi Scultetus, Hildanus, Solingen, ac nonnulli alii. Alias vero totum interdum aliquod membrum amputandum eſt, quando ſcilicet corruptio omnes vel plurimas illius partes corripiat, interdum vero aliquid ſaltem ex illo demere ſufficit, ſi nimirum pars ejus ſaltem externa & patens ſphacelata fuerit.

§. XVI.

Tantum eſt L. A. quod hac occaſione oblata anguſtiis temporis pagellarumque ſpatiis ex curta eruditionis meæ ſuppellectile de luxationum ſyntheſi in genere in medium proferre potui, debui. Hocce ut æqui bonique conſulere, & ſicubi aberravero benigne condonare, defectuſque meos tua ſupplere humanitate, & favoris umbone tegere velis, tamdiu, donec impoſterum perfectiora tibi proponere poſſim, eſt quod abs te obnixe oro atque obteſtor. Unum tantum illud reſtat, ut tibi æterne Deus humillimas, quas mente concipere poſſum devotiſſima, agam habeamque gratias, pro ſumma, qua cunctis hactenus à me propoſitis adſpiraſti, clementia ſubmiſſis adorans precibus, ut conatibus meis porro annuas. Faxit Deus immenſa bonitate optimus, vi atque potentia infinita maximus, ut Praxis Medica, cui futuris me temporibus deſtinavi imprimis in ſui divini nominis gloriam, & plurium denique ægrotantium ſolamen & refectionem cedat.

DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA,

DE

MEMBRIS FRACTIS,

Primùm edita Anno 1700.

PROOEMIUM.

MEDICINAM, uti artium facilè nobiliſſimam, ita omnium quoque eſſe difficillimam, neque mei hic eſt inſtituti, prolixiori ſtylo adumbrare, nec opus teſtimoniis è longinquo accerſitis demonſtrare. Ipſe antiquiſſimus ejus parens, (ut Excellentiſſimi Dni Præsidis *in præfat. ad fundam. med.* epitheto utar,) Hippocrates, Artem longam in ipſo ſtatim aphoriſmorum ſuorum limine non fruſtra pronunciavit, & alibi, *in Epiſt. ad Democrit.* ingenue confeſſus eſt, *ſe, quamvis ſenem, nondum tamen ad medicinæ finem perveniſſe.* Loquitur idem quotidiana, proh dolor! experientia. Febres, Arthritis, Phthiſis, Hydrops, Calculi, bone Deus, quæ non ſæpe Medico, etiam doctiſſimo, etiam peritiſſimo faciunt ludibria? Nimirum, *morborum cauſæ*, (ſunt verba genere & virtute nobiliſſimi Boylei, *de utilitat. philoſ. experim. Sect. I. p. m.* 426.) *patientium conſtitutiones, affectuum complicatorum combinationes tam variæ, intricatæ, ac obſcuræ ſunt, ut eruditiſſimi, juxta atque experientiſſimi Medici experimentis accuratis, ac conſtanti ſucceſſu perennibus, vix, ac ne vix, in parte medicinæ Therapeutica gaudere poſſint.* Et hanc etiam divinæ alias noſtræ artis difficultatem, jam olim a priſcis Medicis perſpectam, in cauſa fuiſſe arbitror, illius, ex bona quidem intentione facti, at, utinam non adeo pernicioſi, inter Medicos ac Chirurgos divortii, cujus abuſus adeo altas egit radices, ut jam temporis tantum non dedecori habeatur Medico, ſi illam, antiquiſſimam pariter ac certiſſimam medicinæ partem, Chirurgiam, exercere velit, verum illa, artis potius ignaris ſit concredita, imò, quod dolendum, etiam ab hominibus abjectiſſimis, carnificibus, opilionibus, fabris murariis, magis, ruſticis, uno verbo, impoſtoribus, jam impunè exerceri patiatur; ut ſane mirum neminem habeat, ſi forte indignabundus etiam aliquis Monachus, (Basilius Valentinus *in curru triumph. antimonii, p. m.*305.) hoc factum carpere videatur: aut Medicus rationalis, cum videat quod (*dicente magno* Bacone de Verulamio, *Augm. ſcient. Lib.* 4. *cap.* 11. *p. m.* 104.) *impoſtor palmam, virtus cenſuram referat*, ita cum *Eccleſiaſt. Cap.* 2. *v.* 15. *Si unus & ſtulti, & meus eventus erit, quid mihi prodeſt, quod majorem ſapientiæ dedi operam?* lamentari audiatur. Interim tamen animus non eſt deſpondendus, verum potius

tius cum Chirurgiæ verè rationalis doctiſſimo autore Muys *in primæ decad. præfat.* conſolandus: quod, quemadmodum ars molendi ideò contemni non debeat quod equus molam trahens nonnunquam cœcutiat; ſic ars chirurgica pariter non ideò ſit parvi-facienda, quamvis barbitonſores ignari eandem exerceant interdum. Quibus, & ſimilibus hactenus cogitationibus tacitè mecum expenſis, non diu deliberandum duxi, quamnam mihi loco ſpeciminis materiam ſumerem ventilandam, ratus, modo talem eligere quæ & medicam imploret opem, & manum Chirurgicam ſimul expoſceret. Et fateor, me uni alterive materiæ, huic ſanè curioſiori, tantum non ultimam manum impoſuiſſe, cum, neſcio quis infortunatus cujuſdam mihi ſatis cogniti caſus, ad hanc præſentem materiam paulò diligentius inquirendam, autor erat, quam ideoque, etſi ſatis vulgatam, eò libentius elegi, tum quia ab eo inſuper mihi ſuadebatur, cui quidquam recuſare pietas prohibet, tum quia vulgaria multa in ſe contineat, in iis autem, eò craſſiores patrari errores ſciam. Faxit Divina Clementia, ut in ſempiterni ſui nominis gloriam, cedant omnia feliciter.

CAPUT I.

De Nomine, Definitione, ac Differentiis Fracturarum.

§. I.

Ad ipſum jam propoſitum me accincturus, benevolum Lectorem prolixis verborum evolutionibus detinere nolo, & breviſſime ſaltem, ne plane ἀμεθόδως agam, circa ſynonymiam Fracturarum monebo: quod Fractura, Græcis ἄγμα, κάταγμα, κλάσις, κλάσμα, dicatur, & paſſim quoque ab Hippocrate, *Lib.* περὶ ἀγμῶν & Galeno, *in commentar.* hiſce vocabulis deſignetur. Definiri autem *cum* Durante Scaccho *p. m.* 384. ea poteſt, quod ſit continuitatis in oſſe ſolutio, a violenta quadam, extrinſecus irruente cauſa accidens: utpote ex qua brevi definitione patere reor, me, primo, quia aliorum, ut, v. g. Guidonis de Cauliaco *Lib. V. cap.* 1. *p. m.* 271. in morem, inſtrumenti lædentis, (quod illi contundens ſaltem volunt,) nullam mentionem facio, nullam quoque inter vulnera oſſium, & eorum fracturas facere differentiam, cum, ſive per inſtrumentum ſcindens, ſive contundens oſſa divellantur, una tamen, eademque eorum continuitatis maneat ſolutio. Secundo, cum à re extrinſecus irruente factam ſolutionem dicam, iterum elucеſcit, propriè dictam fracturam, ab illis oſſium continuitatis ſolutionibus, quæ, e. g. in eorum carie, abſceſſibus, ſæpe contingunt, omnino eſſe diverſam.

§. II.

Alias oſſium fractorum Differentiæ *juxta* Barbette *Chir. cap.* 3. deſumi ſolent, 1. à forma, ſeu figura, 2. à parte affecta, fracturam ſcilicet patiente, 3. a concurrentibus accidentibus. Et quidem, quoad primam; ſi tranſverſim, & caulis ferè cujuſdam in modum illa diffringantur, καυληδὸν Veteres hanc fracturam appellarunt; cui ferè ſynonyma ſunt ῥαφανηδὸν, & σικυηδὸν, illud à fracti raphani ſeu radicis, hoc cucumeris diffracti ſimilitudine deſumpta nomina: Si vero inſtar alicujus aſſeris, ſecundum eorum longitudinem fiſſa eadem appareant, σχιδακηδὸν talis fractura, latinè, convenientiſſimo vocabulo, Fiſſura audit. Germani, ratione majoris vel minoris talis fiſſuræ, dicunt, Es iſt ein Klag-Kleck, ſeu potius, Klaff-Bruch. *Vid.* Fel. Wurtz *chir. cap.* 28. *p.* 411. Paul. Sorbait *p.* 681. In plura fragmenta os quaſi contritum, dicitur paſſim eſſe σύντριμμα, ſive comminutionem, it. ἀλφιτηδὸν, & καρυηδὸν, quibus verbis exprimitur, illud inſtar farinæ, in partes adeo tenues, aut inſtar contuſarum nucis teſtarum eſſe comminutum: Germ. Es iſt gantz zerſchellert: Quoad ſecundam vero res eſt per ſe clara, nam differunt ab invicem ejus reſpectu, fracturæ in hoc vel illo oſſe factæ; ut femoris, tibiæ, à cubiti vel humeri, item unius vel plurium oſſium fracturæ, quarum nunc unam ſaltem, nunc plures, nunc in medio, nunc capite, nunc in ipſa epiphyſe unum vel plura oſſa ſimul pati poſſunt: Quoad tertiam denique fracturæ dividuntur in ſimplices, ubi ſola oſſa, abſque partium adjacentium læſione, vel vulnere ſunt diffracta, & compoſitas, ubi dictæ partes una ſunt vulneratæ; Hæque ultimæ commodè iterum a Sculteto quinquefariam diſtinguuntur, 1. in fracturas cum vulnere ſimplici, ubi oſſe, tegumentis ſuis adhuc contecto, nulla ejus portio abſceſſura videtur, 2. & 3. Fractura cum vulnere ubi os quidem etiam denudatum non eſt, ejus tamen vel plures vel magna pars abſceſſura videtur, 4. Fractura cum vulnere ubi os à perioſteo denudatum, extra vulnus tamen non eminet, & 5. Fractura cum vulnere ubi os extra ipſum vulnus eminet; quæ omnes differentiæ tantæ neceſſitatis ſunt, ut, niſi eas bene cognitas habeat Chirurgus, ſucceſſu ſæpe infelici in fracturarum compoſitarum curatione defatigabitur.

CAPUT II.

De Cauſis Fracturarum.

§. I.

Cauſæ fracturarum, præterquam quod in definitione tacite quaſi eas indigitaverim, nunc ſuapte ſponte quaſi innoteſcunt; in immediatas tamen & remotiores diſpeſcuntur, ita, ut ſub nomine immediatarum nihil aliud intelligatur, quam ipſæ oſſium ab invicem disjunctiones, ſive continui ſolutiones, à quacunque etiam cauſa externa illæ contingant; & circa quas hoc ſaltim annotari meretur, quod illæ diverſæ, omnem quoque fracturarum diverſitatem, à forma ſupra petitam efficiant; (cujus rei mox infra rationem addam.) Remotiores autem omnes cauſæ externæ dicantur, quæ ſub nominibus, ictus, plagæ, caſus ab alto, lapſus, occurſus, ſeu alliſionis corporis duri communiter comprehenduntur, omnesque in eo conveniunt, quod corporis noſtri partium durarum ſolitam cohærentiam atque nexum, iiſdem occurrendo, ob majorem earum, vel agendi, vel reſiſtendi vim disjungant atque ſolvant. Ad quas for-

tè non immerito quoque referri poſſent Experientiſſimi D. Muralti obſervationes, in Chirurgiſchen Schrifften *pag.* 461. *ad* 464. ubi refert, ſe propria experientia obſervaſſe, quod, die Gichten / (quod nomen convulſiones ei denotare arbitror,) & Kindenwehen / ſive Epilepſia infantum oſſa aliquando diffregerint, illa namque hoc in caſu, adjuvante muſculorum nimia ac inordinata contractione, tanquam à cauſa externa fuiſſe diffracta, omnino conjecturæ locus eſt. Ubi tamen præterea inficias ire nolim, quod in hiſce ſubjectis, oſſa à prævia quadam cauſa corrodente ad frangendum magis diſpoſita reddi potuerint.

§. II.

Magis mirari ſubit quod apud autores etiam fiat mentio fracturarum ex ſola matrum imaginatione miſeris infantibus contractarum, cujus phænomeni tamen, cum ad ejus explicationem nimis multa prærequirantur ſuppoſita, & præterea acutiſſimus Lud. de la Forge, *in not. ad Carteſ. tractat. de hom.* & Autor curioſiſſimi tractatus, *la recherche de la verité* hoc in argumento ingenioſitatis ſuæ ſufficientia documenta dedere, ejus ſaltem hic meminiſſe ſufficiat.

§. III.

Dictas autem ſupra cauſas fracturarum externas, internæ quædam circulantium humorum, ſua corroſivitate oſſa frangibilia reddentium, diſpoſitiones multum juvare poſſunt, quæ, quamvis optimè ab Excellentiſſimo Dno. Petermanno, præceptore olim, ac Hoſpite æternum devenerando, *in Colleg. Chirurg. Mſto*, *Cap.* 3. magis ad cariei quam oſſium fracturarum cauſas pertinere dicantur, hic tamen commemorari quoque merentur. Sic v. g. frequentem Mercurii inunctionem oſſa frangibilia reddidiſſe Marcell. Donatus *Hiſt. mirabil. Lib.* 5. *cap.* 1. & Hildanus, *Cent.* 2. *Obſ.* 66. 67. 68. obſervarunt; Nec dubito, quin decantatum adeo illud Gramen Norwegicum, quod ob ſtupendam ſuam vim in oſſibus jumentorum mollificandis, Oſſifragum appellatur, eadem ratione, penetrantibus ſcilicet ſuis ac corroſivis particulis oſſa arrodendo operetur. *Vid. de eo* Mangetus, *in Bibliothec. pract. ſub tit. fractur. ubi, quæ hactenus de eo ſcripta, collecta invenies.* Alia, mirandæ oſſium fragilitatis exempla, apud allegatum Marcell. Donat. *Lib.* 2. *cap.* 5. Schenckium, *Lib.* 5. *obſ.* 8. Hildanum *l. mox citat.* Gagliardum *Anat. oſſium p.* 70. Blancardum *Anat. pract. obſ.* 4. Munnick *Chirurg. Lib.* 4. *cap.* 1. *p.* 428. legi poſſunt. Quibus, quamvis contraria videantur oſſium miræ flexibilitatis ac mollitiei exempla, ex eadem tamen cum ipſis cauſa, gradu ſaltem differente, ea deducenda crederem. *Vid. talia Ephem. A. N. C. Ann.* 1. *Dec.* 1. *obſ.* 38. *Dec.* 2. *Ann.* 6. *p.* 397. 447. *Dec. III. Ann.* 2. *p.* 7. Fernelius *de abdit. morb. cauſ. Lib.* 20. *c.* 9. *p.* 185. Schenckius *fol.* 804. Thom. Bartholinus *Hiſt. anat. Cent.* 6. *Hiſt.* 40. *p.* 202. *Act. Haffnienſ. Vol. III. p.* 38. Foreſtus *Lib.* 17. *obſ.* 15. *p.* 120. *ſupra.*

§. IV.

Reſtat adhuc ut ſupra dictæ §o primo oſſium fracturarum differentiæ annectam rationem, quam quidem vix aliunde, quam ex ipſa oſſium ſtructura, petendam eſſe cenſeo. Conſtat enim, ea non eſſe, niſi compagem quandam ex fibris tendinoſis, in multiplices laminas formatis, & à ſingulari interveniente oſſeo ſucco in ſubſtantiam adeo ſolidam compactis, (Sicuti hoc celeberrimi autores, Kerkringius *Oſteog. fœt.* Malpighius *Anat. plantar. p. m.* 36. Steno, *ſpecim. myol. p. m.* 74. Gagliardi *Anat. oſſ. part.* 1. *cap.* 1. *& ſeq.* Autor *Eſſais d'Anatomie, diſcours ſixieme*, Clopton. Havers, *oſteol. nov. per totum paſſim tractatum*, aliique evidentiſſimis argumentis demonſtrarunt,) circa quam ſtructuram ſi conſideremus, dictas laminas varie ſitas, varium quoque fibrarum in oſſe curſum formare, (uti hoc in oſſibus, inclementiæ cœli aliquandiu expoſitis facile quis obſervare poterit, & ipſe apud Excellentiſſ. Dominum Valsalvam, Prof. Anat. Bononienſem me vidiſſe memini,) oſſa autem ratione minoris harum fibrarum in lateribus connexionis, facilius ſecundum earum ordinem findi, probabili conjectura concludamus, hinc facillimum eſt videre, me, jure meritoque hanc fracturarum diverſitatem dicto fibrarum ordini diverſo adſcripſiſſe.

CAPUT III.

De Signis Fracturarum.

§. I.

Ad ſigna fracturarum nunc quoque devolvor, quæ ſane tantæ ſunt neceſſitatis, ut non immerito, vulgo quidem, at vere tamen dicatur, quod qui bene cognoſcat, bene etiam curet: Et, ſi Hippocratis totum volumen attente perluſtremus, illum ex prognoſi plus ſibi conciliaſſe autoritatis, quam ex ipſa morborum curatione, facile advertemus. Primo ergo à Diagnosi ordiar, quæ hic ſatis facilis eſt, atque evidens. Tria autem generalia potiſſimum fracturarum ſigna recenſeri ſolent, quarum primum Dolor vehemens, quia ſcilicet oſſis fracti eminentiæ vicinum perioſteon pungunt, parteſque adjacentes ſimul comprimendo, circulationem in earum tubulis impediunt, qui tunc à ſanguine intra eos magis collecto, nimium extenſi, dolorem, ac tumorem facile cauſantur. Secundum eſt membri immobilitas, & uſus prorſus denegatus, pathognomicon fracturarum ſignum, à luxationibus eas diſtinguens, quippe in quibus membrum, quamvis non ſine dolore, moveri tamen adhuc aliqualiter poteſt. Tertium vero ex eo deſumi ſolet, quod membrum fractum interdum appareat brevius, ac quaſi tortuoſum, quia ſublato fulcimento, muſculi in ſe quaſi contrahuntur, & inferiorem oſſis partem una ſecum verſus eorum origines trahunt.

§. II.

Aliæ fracturarum ſpecies manubus erunt explorandæ. Nam, tranſverſalis ſi adſit fractura, vel obliqua, oſſium fractorum extremitates manibus deprehenduntur, & magis adhuc, ſi una oſſis diffracti pars in hoc, altera vero in aliud latus receſſerunt, quod veteres oſſium ſuperequitationem vocant, Membri quoque taliter fracti ex colliſione oſſium mutua, quaſi ſtrepitus quidam audiri ſolet. Si os in plura fruſtula eſt comminutum, digitis tractatum, variis in locis cedit, exaſperatum præterea, & veluti lapilli, ſeu feſtucæ quædam ſacculo coriaceo incluſæ tangerentur, tangenti apparet: In femore vero ſi accidant tales fracturæ, ex generalibus utplurimum ſignis, ob muſculorum ibi craſſitiem, tangentis manubus obſtantem, de iiſdem judicatur. Fiſſuræ cognitu omnium ſunt difficillimæ, & conjecturantur ex membri præternaturali craſſitie, doloreque, eo in locis præprimis ſupra fiſſuram tacto, aut commoto, ſatis interdum ſenſibili, inæqualitate, & inſequentibus plerumque aliis moleſtiis. Fractura cum vulnere oſſe non denudato judicatur ex dolore intenſiori, partiſque

tiſque majori inflammatione; reliquæ fracturæ compoſitæ eſſe denudato, per vulnus immiſſo digito, omnium optime, vel etiam ſpecillo cognoſcuntur.

§. III.

Prognoſin formabimus ſequentem: Oſſa fracta ſecundum HIPPOCRATEM *Sect. 6. Aphor.* 19. & GALENI *commentar. in hunc locum* nunquam ſecundum intimas partes coaleſcunt, verum mediante porro, ſive callo circa extremas eorum margines oborto, iterum reuniuntur: *vid.* AQUAPENDENTE *Chir. part.* 11. *Cap.* 114. JOH. BAPTIST. SYLVATICUS *controverſ.* 59. *p.* 270. Recens fractura ad conſolidationem ſatis apta, imprimis in ſubjecto ſano. Quanto ſerius eæ reſtaurantur, tanto pejores, ſpatium enim inter ea materia calloſa repletur, & muſculi, pertinacius contracti, majorem demum ſui extenſionem requirunt, quam dolor & ſpaſmus raro non concomitantur. Fractura æqualis & veluti in circulum oſſis facta, difficilioris eſt curationis quam obliqua, quoniam in illa oſſa ſibi iterum coaptata, facile, à levi ſaltim muſculorum contractione, iterum ab invicem recedunt: in hac vero, ob majores, quas obtinent in locis fractis ſuperficies, eò facilius, ac firmius, ſemel coaptata, retinentur. Illis in partibus, ubi duo oſſa ſunt, ut in cubito, & crure, ſi alterum tantum frangatur, ſemper melius eſt, quam ſi ambo ſint diffracta, muſculi namque ab altero oſſe, adhuc integro, quaſi ſuffulciuntur, nec ita facile conſtringi queunt, hinc etiam extenſio eorum & coaptatio non eſt difficilis. Sed comminutio, uti periculoſiſſima, ita etiam curatu eſt difficillima, quia raro feſtucæ omnes iterum coaleſcunt, verum longa mora demum extrahi debent, antequam nova calli generatio ſequatur. Sic & Fiſſura adeo vilipendenda non eſt, ut quidem vulgares Chirurgi eam æſtimare ſolent, dicentes, das Bein iſt nicht gebrochen / ſondern nur geſchellert/ cum ſæpius intra illam perioſteon ſtringatur, ac dilaceretur, unde non ſolum acerbiſſimi dolores oriuntur, verum etiam poſtmodum id corrumpitur, oſſis cariem producit, & ſaniei ſtillicidium ad ipſam uſque medullam auget. *vid. Cap.* 5. *circa finem.*

§. IV.

Oſſa minus periculoſè in medio franguntur, & facilius curantur, quoque proprior fractura capiti oſſis eſt, eo pejor CELSUS *Lib.* 8. *cap.* 10. partim, quia propter tendinum circa oſſis capita magis, quam circa eorum medium ſitorum læſionem major dolor oriatur, illique convulſi, membrum ſemper irrequietum faciunt, partim, quia ligaturæ circa oſſium capita non ſatis commode inſtitui queunt. Ex iiſdem quoque rationibus periculoſa, ac tardioris curationis erit fractura, ſi ſimul pars quædam fracti oſſis ſit luxata vel & inflammatio ſupervenerit: Difficilis ſanationis eſt fractura cum vulnere magno, in partibus tendinoſis, utpote quam dolores, inflammationes, gangræna, plerumque ſupervenire ſolent. Fractura cum vulnere, imprimis ſi os ſit comminutum, curationem etiam reddit difficillimam, & ſæpe ulcera fiſtuloſa cauſatur: Quod ſi os ſit comminutum, & vas ſanguiferum aliquod magnum ſimul diſruperit, tunc ſuadente JOSEPH DE LA CHARRIERE *trait. des playes, chapit.* 4. *p. m.* 353. membrum erit abſcindendum. Illæ fracturæ, ubi epiphyſes ab oſſibus abſcedunt, vel ſimul franguntur, etiamſi curatæ ſint, ſemper tamen protuberantiam quandam, vel & flexurarum quaſi rigiditatem, ein ſteiffes Gelencke/ poſt ſe relinquunt: In fracturis cum vulnere, oſſe denudato, & extra vulnus prominente, ſi prominentia magna, partium circumjacentium magnus tumor, ac inflammatio, earum itidem ob muſculorum contractionem adeſt duriores, de difficili earum conſolidatione judicabis. Similem vero illam pronunties, ſi hæc omnia ſeſe habeant in contrarium.

§. V.

Circa oſſium ſeu feſtucarum ſeparationem notetur; quod os denudatum, & ab aëris injuria non ſtatim defenſum, ſæpiſſime ita alteretur, ut ſquamæ quaſi quædam ab eo ſecedant; hinc autem diligenter in hujuſmodi fracturarum conſiderandum, an os diutius aëri expoſitum, an vero ſtatim muſculis & cute fuerit contectum. Primum ſi acciderit, de ejus portione abſceſſura conjecturare tibi licebit; ſin poſterius, niſi aliis cauſis concurrentibus, nil tale metues. Rarum enim eſt quod HILDANUS *Cent. IV. obſ.* 95. & 96. oſſa, propter externas, tum internas cauſas denudata, non tamen fuiſſe alterata, nec ſquamas abjeciſſe, ac RUYSCHIUS *obſ. anat. chirurg.* 5. oſſa capitis denudata, & ab aere denigrata, ſeriiſ iliter tamen non fuiſſe ſeparata, obſervarunt. Solent alias oſſicula, ætate tenera, tempore æſtivo, & oſſe fracto non adeo magno, die 20. 30, vel 40. plerumque abſcedere, ætate vero adulta, tempore hyemali, vix die 60. aut etiam tardius ſeparantur. HILDANUS *Cent. IV. obſ.* 97. exemplo demonſtrat, oſſium fragmenta etiam poſt multos annos demum prorupiſſe. Conjicies autem feſtucas, ſeu oſſicula ab aliis oſſibus in fractura cum vulnere abſceſſura, ſi plus, quam pro vulneris conſtitutione, ſaniei prodeat, vulneris labia dehiſcant, & ſe uniri prorſus non patiatur, aut, ſi coaleſcant, rurſus veluti ſuapte ſponte ſecedant, laxa præterea, ac ſpongioſa quaſi evadant. Judicare quoque licet oſſicula quædam abſceſſura, ſi os fuerit comminutum in plures partes minores, illæ enim vix omnes iterum conglutinantur. Cito futuram oſſis abſceſſionem, ſi carnem videas in oſſis lateribus ſanam ac laudabilem propullulare, præſagies, illa enim os ſuperpoſitum attollet, atque creſcendo tandem foras elevabit. Interdum autem ita abſcedunt laminæ oſſeæ, ut inſtar circuli, os ambientis ſeparentur, interdum ex parte ſaltem, inſtar ſemicirculi, & minores: haſque laminas callus iterum interdum reſtituit ſufficiens, ita, ut ægri libere ſe movere rurſus queant, interdum callo licet genito, membrum tamen adeo debile permanet, ut quando æger v. g. pedi iterum inſiſtat, illum frangat. Exemplis hoc confirmante AQUAPENDENTE *part.* 2. *Chir. cap.* 114.

§. VI.

Oſſium eminentiæ reſecatæ, membrum non ſemper efficiunt brevius, jactura enim partium oſſearum ad miraculum ſæpe ſufficienti callo reſarcitur. Uti hoc non modo trepanatio demonſtrat, verum etiam tot Autores fide digni teſtantur. *Vid. Magni* WEDELII *obſ. Ephem. A. N. C. Dec.* 2. *ann.* 2. *obſ.* 184. *p.* 396. BONETI *Medic. ſeptentr. coll. tit. Lib. I. Sect. III. cap.* 14. 16. 18. *it. p.* 350. LINDANI *phyſiol. cap.* 16. *artic.* 21. SCULTET. *armament. tab.* 28. DIEMERBROECK *Anat. Lib. IX. Cap.* 1. *p. m.* 519. & *Obſerv. & Curat. med. obſ.* 15. *p. m.* 15. *Act. Haffnienſ. Vol. III. part. I. p.* 1. *os tibiæ elapſum, & callo reſtitutum, commemorantes*, ROONHUYSEN *part.* 2. *obſ.* 9. *p.* 217. E contrario oſſa plane non iterum coaleſcere voluiſſe, quamvis rarum, exempla tamen *cap.* 8. *diſſertat.* videri poſſunt.

§. VII.

FABRICIUS HILDANUS *Cent.* 6. *obſ.* 68. *it. Cent.* 5. *obſ.* 87. *Ephem. A. N. C. Dec. I. Ann.* 1. *obſ.* 25. *p.* 91. BONETUS *l. c. part. II. p.* 351. fracturas gravidarum, quamdiu uterum gerunt callo coaleſcere non poſſe,

poſſe, quia ſcilicet materia idonea novo callo producendo, fœtus nutritioni omnis impenditur, obſervarunt, Excell. tamen Dnus Francus de Franckenau *apud* Mangetum *in Biblioth. pract. Lib. VI. p.* 549. felicem fractæ coſtæ, & utriuſque cruris oſſis ſanationem intra trium menſium ſpatium, in fœmina à ſemeſtri gravida annotavit. Alias tempus conſolidationis fracturarum, ratione tum oſſis fracti, patientis ætatis, habitus corporis, anni tempeſtatis, aliarumque circumſtantiarum maxime variat, nec facile certum, ac determinatum definiri poteſt.

§. VIII.

In fracturis ſanandis, ſi vitium, in eorum præprimis extenſione, & repoſitione longiori committatur, rarum non eſt, ut inſequantur contracturæ tendinum; *de quibus cap.* 8. & pes, inprimis calcaneus, aut cubitus etiam, ſi nimis duriter aliquandiu reponantur, aut alias, etiam à ſola ligatura fortius ſtringantur, præ omnibus aliis partibus citius gangrænescunt.

§. IX.

Ultimo cum Dno. Muys *loc. c. p. m.* 216. adhuc notandum, quod in fractura tam ſimplici, quam compoſita, ubi callus oſſa fracta iterum conjunxit, ægri plerumque moleſtiam quandam perſentiſcant in membri motu, quod contingit, quia callus recenter generatus, occupat locum muſculorum, hanc aut illam partem moventium. Quibus ex multiplicibus Chirurgorum obſervationibus depromptis, diutius immorari non eſt hujus loci, ea tamen, quia omnia ſcitu mihi videbantur maximopere neceſſaria, ideo recenſere fas putavi, quo nunc experientia quoque munito, ad ipſam fracturarum curationem eo liberior pateat aditus.

CAP. IV.

De Fracturarum ſimplicium curatione Chirurgica.

§. I.

JAm itaque inſtituti ratio requirit, ut ad ipſam fracturarum curationem progrediar, eamque ex triplici veluti fonte, Chirurgico, Diætetico, & Pharmaceutico depromam. Ordior autem à Chirurgica, quia hæc primo omnium eſt inſtituenda; cumque omnis hujus curationis intentio eo collimet, ut oſſa diffracta quam ſubito iterum reſtituantur, atque coaptata retineantur, hinc omiſſis ambagibus, ipſas illas quatuor operationes quibus illa peragi debet deſcribam. Harum Prima eſt Extenſio, *ἀντίτασις*, Galeno *VI. med. m. cap.* 5. & ſimulac modo cognovimus fracturam, quam citiſſime venit inſtituenda, alias, ſi protrahatur, mox muſculi ab oſſium eminentiis cônvulſi, magis contrahuntur, eamque difficiliorem reddunt, dolores exacerbantur, & inflammatio preſſo pede ſequitur, qua præſente vix aliquid tentandum erit, donec illa iterum evanuerit. Intelligendum tamen hoc eſt in caſu, ubi oſſa fracta extra ſitum fuerint commota, alias, ipſis adhuc ſibi incumbentibus, tali extenſione ſæpe ſuperſedere poſſumus. Quod ſi vero accidat, os fractum ſimul quoque eſſe luxatum, tunc ante omnia luxatio prius, dein fractura eſt curanda, *ſuadentibus* Ant. Chalmetæo, *Enchir. Chir. Lib. IV. Cap.* 2. Tagaultio *Lib. V. Cap.* 4. Dolæo *Encyclop. Chir. Lib. VI. cap.* 7. *p.* 1521. ea ex ratione, quod major vis in luxationum, quam fracturarum extenſione requiratur.

§. II.

Hæc extenſio, vel ſolis manibus, (quas, etiam in femoris fracturis nunquam non ſufficientes ſibi fuiſſe teſtatur Roonhuysen *obſ.* 32. *p.* 135.) ubi miniſtri Chirurgi unam oſſis partem huc, alteram vero è contrario illuc, extendere debent, peragitur; vel linteis, faſciiſve membro circumvolutis, vel habenis, apud Scultetum *Tab.* 26. *fig.* 1. depictis; vel etiam fune, per trochleam trajecto, cujus typum Hildanus *Cent. V. obſ.* 86. *citat.* Scultetus *Tab.* 22. *fig.* 1. exhibent, interdum fieri ſolet. Ita vero fieri debet, ut ægro prius in lecto, quo permanere debet, collocato; quoniam ſine dolore vix unquam peragi ſolet, ille tamen dolor, quantum poſſibile, mitigetur. Id quod aptiori methodo vix procedet, niſi membrum ea figura extendere ſtudeamus, in qua *dicente* Barbette *Chir. Cap.* 3. muſculi non agunt, ſed otioſi ſunt, & ab omni opere quieſcentes: *Conſule hac de re* Aquapendente *Chir. Part. II. Cap.* 114. Deinde, alia quoque pars præ alia majorem vel minorem extenſionem expoſcit, (dicente enim Aquapendente *in Pentateuc. Lib. IV. cap.* 3. extenſio partis reſpondeat oſſium & muſculorum magnitudini,) ætas item, & corporum plus minus robuſtorum conſtitutio, ut & fractura recens, vel inveterata, quod unicuique patere arbitror. Eouſque tamen extenſio fieri debet, donec foſſula quadam inter oſſium fractorum extremitates apparente, ſentiamus eas aliquantiſper ab invicem diſtare, ne poſtea in earum coaptatione forte ſe tangant, & quædam ab iiſdem eminentiæ atterantur.

§. III.

Secunda Operatio vocatur Coaptatio, conformatio *Διόρθωσις* Hippocrati *de artic. tex.* 64. qua membrum extenſum, utraque manu prehenſum, ad priſtinam figuram reducere, & duorum vel plurium fractorum oſſium ſuperficies ſibi iterum coaptare ſatagimus. Ad quam operationem ſingulares quædam, ratione ſubjectorum oſſiumque fractorum, requiruntur encheiriſes, non niſi ex ipſa fideli *αὐτοψία* ac uſu addiſcendæ. Interim cauta, lenique manu ſemper opus eſt, quo nempe hæc coaptatio ſine vehementi quodam impulſu, aut fortiori oſſium preſſione fiat; eorumque eminentiæ manubus Chirurgi ita dirigantur, ut veluti ſuapte ſponte, extenſione relaxata, muſculiſque ſe iterum contrahentibus, in priſtinas ſedes recedant. Hoc facto, quo eo cautius verſetur Chirurgus, probe expendat, num debito modo facta ſit hæc coaptatio? judicabit vero hoc, tum ex oſſis fracti ſuperficie æquali, digitorum apicibus eam explorando, tum, interdum ex comparatione membri affecti cum ſano, ut & ſolita muſculorum figuratione, ita, ut nulla in eis contorſio notetur, doloreque mitigato.

§. IV.

Tertia, Deligatio, *ἐπίδεσις*, *vid. Lex. Brun. p. m.* 527. Qua mediante, oſſa jam coaptata in ſitu ſuo ſunt tenenda, ne iterum excidant. Et hæc iterum ſumma cum cautione fieri debet. Stricta namque non modo dolores ægrotanti accerſit, verum & partis tam nutritionem debitam, vaſa ſcil. ſanguifera, vel nervos conſtringendo, & liberam per partem circulationem prohibendo, impedit, quæ & gangrænam, eique ſubſequentem ſphacelum non raro cauſari ſolet: *Vid. Ephem. A. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 2. *obſ.* 248. Hochstetteri *obſ. med. Decad. V. Caſ.* 7. Laxior autem hoc incommodi præſtat, quod oſſa ſemel coaptata in loco

co ſuo non maneant, & coaleſcentia eorum impediatur, uti hoc MECKEREN *Cap.* 60. *obſ. chir.* non immeritò monuit. Quamobrem, qui hic media via incedere neſcit, ei curatio nunquam ex voto ſuccedet.

§. V.

Priuſquam autem deligationem aggredimur, ſemper quibuſdam ſupervenire ſolitis ſymptomatibus proſpiciendum, quæ inter raro abſens moleſta inflammatio, quod, quomodo fieri debeat, infra videbimus. In promptu quoque ſint quædam adminicula, ſine quibus hæc deligatio minimè peragi poteſt; ut ſunt: 1. Faſciæ, ratione variarum fracturarum quoque variæ, quarum icones apud Chirurgiæ ſcriptores paſſim videri queunt. Communiter ſolent fieri ex linteis vetuſtioribus, utpote uſu pauliſper attritis, ac mollioribus, validis tamen adhuc, ne extenſæ dilacerentur; & nullas neque ſuturas nec fimbrias obtinentibus. 2. Splenia, ſeu pulvilli, & barbaro vocabulo compreſſæ, ex mollibus linteis, ſæpius, at æqualiter, complicatis, factæ. 3. Ferulæ, ex ligno tenui, lævigato, vel potius charta craſſiori, aut membrana paratæ, quas, cum Veteres ex cortice ferulæ parare conſueverint, idem dein nomen retinuerunt.

§. VI.

Quibus auxiliis inſtructus Chirurgus, tandem ad ipſam deligationem ſe accingit: Parti affectæ, ſi opus, primo emplaſtrum quoddam juxta ejus figuram ac magnitudinem aptatum imponit, eoque undique, ne plicas formet, bene accommodato, duabus faſciis utitur, quarum primam bis vel ter, æqualiter eidem in ipſo fracturæ loco circumvolvit, & poſtea, poſt quatuor vel quinque ſurſum verſus factas circumvolutiones terminat; alteram vero, priori duplo longiorem, itidem ſemel vel bis, contrario modo, ut, ſi v. g. prima verſus dextram, hæc verſus ſiniſtram volvatur, circa fracturam ducit, dein circumvolutionibus quatuor vel quinque deorſum verſus, & iterum aliis, verſus ſuperiora, ad finem uſque prioris faſciæ factis, eam ulterius circumvolvere deſinit; &, quoniam faſciæ ad oſſa fracta in loco debito retinenda nimis ſunt debiles, ad ea firmanda ferulis, tot, quot membro ambiendo ſufficiunt, utitur, quibus, ne ob inflexibilitatem ac duritiem ſuam membro ſubjecto pariant moleſtias, ſplenia ſubſternit, ſemper animadvertens, ut ut hæc unius digiti tranſverſi ſpatio ab invicem remota, ſecundum membri longitudinem æqualiter imponantur, ſicque impoſita tenui quadam faſcia mediante, retineantur, illæ vero, vel ſolæ, vel emplaſtro quodam glutinatorio intus obductæ, hiſce exacte congruant, duobuſve vel tribus vinculis bene alligentur. Quo facto, Quarta tandem operatio, repoſitio locum habet, circa quam, primarium quod notandum, eſt: Quod ſi membrum in capſula lignea, (*qualem* HILDANUS *lib. de Ichor. & Melic. cap.* 29. & SCULTETUS *tab.* 56. *fig.* 1. 2. 3. ſtuppa linteo involuta, vel inſtrumento ex linteo & ſtramine parato, & eine Bind oder Bein-Lade vocato, vel molliuſculo ſaltem pulvinari) reponatur, ſemper habeatur reſpectus oſſis fracti; ut, ſi v. g. fractura magis ſit in parte ſuperiori, membrum paulo ſurſum verſus, ſi in inferiori, deorſum, ſi in dextro dextrorſum, ſemper tamen molliter, & ita collocetur, ut muſculi neque extendantur nimium, neque contrahantur, verum in ſitu quodam quaſi intermedio ſerventur. His enim probe obſervatis, ægrum non modo dolore alias moleſto liberamus, verum etiam liberiori ſanguinis circulationi, in qua curatio fracturarum potiſſimum nititur, optime conſulimus.

§. VII.

Peractis hac ratione hiſce operationibus, ulterius conſiderandum venit, numne illæ omnes legitimo quoque modo ſint peractæ, an vero aliquid minus dextre fuerit adminiſtratum? Quando itaque ipſe æger nec de dolore adeo inſigni, aut ardore ſub faſciis ſenſibili, verum iis ſaltem in ipſo fracturæ loco maxime moderatis conqueritur, nullaque poſtea in membro infra ligaturam videtur notabilis mutatio, ſed id modo leviter intumefactum, non tamen lividum, neque valde inflammatum appareat, Chirurgum pro tempore muneri ſuo ſatisfeciſſe judicabis, & membrum per dies tres vel quatuor, (nimis enim tuti mihi videntur ii, qui interdum per 15. vel 20. dies illud non revident,) intactum, ac immotum relinques. At contra, ſi æger forte die ſecundo, de ardore moleſto infra faſcias conqueratur, quem utplurimum veſiculæ quædam cauſantur, aut infra ligaturam tumor durus ac magnus oriatur, deligatio, HIPPOCRATIS *de fract. text.* 5. conſilio, extemplo erit ſolvenda, quoniam fuit nimis arcta; mox autem nova iterum fiat, & moderatè ſaltem conſtringatur. Et, ſi v. g. die uno vel altero poſt hanc ſecundam deligationem ob membri detumeſcentiam deligatio paulo laxior videatur, ea leviter iterum eſt conſtringenda, nullisque urgentibus ſymptomatibus, dolore, pruritu, ardore vehementi, per dies aliquot relinquenda; quibus præterlapſis iterum renovetur, & quoniam tunc æger ſine notabili incommodo eam perferre ſolet, ad evitanda ſymptomata, alias facile ſupervenientia, cum experientiſſimo HILDANO *Cent. II. obſ.* 91. ſingulis tribus, vel quatuor diebus repetatur, parſque affecta probe inſpiciatur, (licet enim ſæpe tactu quoque explorare calli firmitatem,) faſciis & ferulis ſemper cum judicio adſtrictis, donec circa 30, 40, vel 50. utplurimum diem fracturam ſanatam, ex euphoria ægri, & motu membri libero, judicare liceat.

§. VIII.

Fiſſuræ, ſeu fracturæ laterales communiter quidem uti aliæ fracturæ ſimplices curari ſolent, ſolùm, quod deligatio, ſi aliæ circumſtantiæ hoc patiantur, ad os fiſſum eo melius ad mutuum contactum deducendum, paulo fiat ſtrictior: At, cum *uti Doctiſſ.* STALPART. *Obſ. rarior. Cent.* 1. *obſ.* 95. *p.* 390. *obſervavit*, ſanies per illam ad ipſam uſque medullam penetret, ibique longiori fermentatione putreſcendo, intolerabiles dolores, ulcera fœtida, ac ſordida, oſſis cariem, & varias exoſtoſes cauſetur; tunc ad mala hæc tollenda, ad ipſam operationem chirurgicam eſt accedendum, quæque ſequentem in modum inſtitui debet: Primo partes ſuperjacentes ad unius digiti longitudinem, & ultra, medicamentis corrodentibus removeantur, ut videatur fiſſuræ ipſius magnitudo, quæ, ſi longius ſeſe extendat, partes quoque ſuperjacentes eouſque aperiantur. Poſtea totum os trepanis exfoliativis minoribus, ſecundum totam longitudinem fiſſuræ ad uſque ferè medullam abradatur. Quo facto medicamentis eſt locus, quæ, ſi nihil efficiant, in igne auxilium eſt quærendum.

CAPUT V.

De curatione chirurgica fracturarum cum vulnere.

§. I.

Sed majori opus eſt circumſpectione, ubi vulnera ſimul fracturis ſunt conjuncta. In earum autem curatione eundem ſervabo ordinem, quem ſupra in differentiis earum recenſendis ſum ſecutus. Si itaque accidat Fractura cum vulnere ubi oſſe, tegumentis ſuis adhuc contecto nulla ejus portio abſceſſura videtur; curatio ejus parum recedit ab illâ fracturarum ſimplicium, ſolum, quod circa operationes notetur: extenſionem non adeo validam eſſe inſtituendam, ne ſcilicet carnes vulneratæ magis dilacerentur, ac dolor augeatur, eamque fieri debere quam ſubito. Solet alias ſupervenire inflammatio, vix ante quintum, vel ſextum diem abigenda. Faſciæ autem cum cautela hic ſunt adhibendæ, & laxius ſaltem, præcipue circa vulneris regionem circumducendæ, ſint quoque ſatis latæ, ut vulneris ora utrinque comprehendant, ſecus, ſi pars in ſequentibus diebus, uti ſere ſemper fieri ſolet, magis intumeſcat, iis arctioribus non ſine dolore, majorique inflammatione veluti ſtringeretur. Tertio die faſciæ iterum ſolvantur, & ſi nulla majoris inflammationis inſecuturæ adſit ſuſpicio, in hac ſecunda deligatione paulo fortius adducantur, in tertia iterum relaxentur pauliſper, ut & in quarta, ne nimium compreſſo vulnere ejus conſolidatio impediatur, quæ tunc temporis plerumque contingere ſolet; reliquæ deligationes ut in fractura ſimplici ſunt peragendæ, modo ne ferulæ ſupra vulnus, ſed duntaxat ad ejus latera apponantur.

§. II.

Secunda fracturarum compoſitarum ſpecies, ubi oſſe ſimiliter quidem non denudato, feſtucæ tamen abſceſſuræ timentur, ſicuti in comminutionibus fere ſemper accidit, hoc auxilii a manu chirurgica ſibi expoſcit, ut primo, leni facta extenſione oſſicula ſeceſſa in priſtinas ſedes quantum poſſibile iterum compellantur; Quod, ſi tibi vel ob eorum inordinatum ſitum, vel intolerabilem ab interveniente perioſteo dolorem, una vice non liceat; aliquoties id tentabis, ſingulis interim diebus ſemel, vel bis, ob metum ſuperventuræ gangrænæ fracturam revidendo, & reliquum, faſciis leniter iterum conſtrictis, nulliſque, (niſi forte in latere, ubi nullas feſtucas ſuſpicaris,) ferulis impoſitis, naturæ circulanti relinquendo, donec ea tandem ſegregata, ac diviſa, foras promoveat, vel ita tamen ſeparet, ut ſine inſigni dolore volſella auferri queant. Qua facta tandem ſeparatione, extractiſque oſſiculis, reliqua curatio eo dirigatur, ut ulcus à feſtucis prodeuntibus cauſatum ſanetur. Quando autem in fractura cum vulnere non quidem denudato oſſe magna tamen ejus portio, vel plures etiam ſimul feſtucæ abſceſſuræ, cognoſcuntur, tunc chirurgus nihil aliud juvaminis conſerre poteſt, quam ut aptis medicamentis ſuppurationem promoveat, & membrum ita deligandum curet, quo illud quotidie bis, vel ter, ſine oſſis fracti commotione inſpici queat. Quem in finem ei inſerviet Faſcia octodecim capitum, Gallis uſitata, Belgis vero de bœxwyyſe ligatur vocata, quam SCULTETUS quoque *Tab.* 28. *p. m.* 92. deſcribit, &, neſcio cur, aſcialem vocat. Oſſibus demum ſolutis, ea itidem vel volſella, vel manu extrahenda, & oſſa reliqua de novo, ſi neceſſarium videtur, coaptandam, cum prognoſtico, membrum forte reddi paulo brevius altero, niſi ſufficienti calli copia damnum reſarciatur. De reliquo ulcus artis lege conſolidetur, eoque conſolidato membrum adhuc per aliquot ſeptimanas faſciis ac ferulis firmetur.

§. III.

Fracturæ cum vulnere, oſſe, perioſteo, reliquiſque integumentis denudato, & vel parum ſaltem e ſede priſtina receſſo, vel extra vulnus eminente, quam citiſſime reſtitui debent, ne os aeris injuriæ diutius expoſitum corrumpatur. Ad quod præſtandum, facta majori vel minori, prout ſcilicet oſſis reſtituendi conditio exigit, extenſione, videndum, ut oſſa fracta qua fieri poteſt induſtria iterum in priſtinas ſedes compellantur, cavendum autem, ne in eorum coaptatione perioſteon dilaceratum eis intercedat. Quod ſi ob majorem muſculorum contractionem extenſio fortior requiratur, vecte, vel ſcalpro, SCULTETI *Tab.* 27. ductu, inter oſſa fracta immiſſo, adjuvanda, &, ſi hoc pacto nondum oſſium eminentias ſibi coaptare liceat, eædem, HIPPOCRATE *text.* 4. *de fract. volente*, lima abradendæ, vel forcipe, aut ſubtili ſerra abſcindendæ. Si feſtucæ ſimul minores adſint, nec perioſteo amplius cohæreant, nec cum reliquis oſſibus ſe apte conjungi patiantur, volſella ſunt eximendæ; ſin perioſteo adhuc ſint connexæ, Dexterrimus Dn. SOLINGEN *part.* 4. *operat. manual. c* 19. *p. m.* 490. ſuadet, ut ob inſignes dolores relinquantur.

§. IV.

Porro, hæ quoque fracturarum ſpecies requirunt, ut ipſis vulneribus proſpiciatur: Ea primo à ſordibus ſuis, mediante medicamento quodam idoneo, filamentis carptis excepto, ſunt abſtergenda; & tam ad os contegendum, quam ipſam eorum conſolidationem promovendam, eorum labia, ex optima BARBETTE, *Chir. cap.* 3. *p. m.* 7. ſententia, potius emplaſtro quam acu, vel ſaltem ferulis, ad latera vulnerum apte poſitis, (ſi nempe vulnus ſecundum oſſis longitudinem ſit factum,) ad mutuum contactum adducenda. Quoniam autem præterea opus hic eſt, ut hæc vulnera quotidie inſpiciantur, emplaſtris ac faſciis incidenda ſunt foramina, juxta vulnerum proportionem vel majora, vel minora, per quæ, faſcia demum lege artis conſtricta, apta medicamenta, plumaceolis, vel linteis mollioribus excepta, immediate vulneribus imponi, eaque a ſordibus ſuis purgari queant. Foramina dicta linteis ſunt obtegenda, & membrum ſupra dicta faſcia octodecim capitum firmandum, ac commode reponendum, uſque dum nec feſtucæ amplius prodeant, nec vulnus opem requirat. Quo tunc conſolidato, ſi nondum ſufficiens callus oſſa conglutinaverit, ea, uti in fracturis ſimplicibus, faſciis ac ferulis demum curanda.

§. V.

Ad has fracturas compoſitas, tanquam maxime difficiles, etiam numerare liceat fracturas, & ſeceſſus epiphyſium, quæ quidem interdum ſolæ tantum ab oſſibus ſuis ſecedunt, interdum tamen una in duas vel tres partes diffringuntur. *Exempla vid. apud* SOLINGEM *part.* 4. *cap.* 21. *p. m.* 492. Harum ſane fracturarum curatio cautum requirit ac prudentem Chirurgum, nam, ſi epiphyſis fracta ſuis eminentiis tendines pungat, nullam plane ligaturam adhibere licet, (quod in iis fracturis, quæ circa oſſium capita contingunt itidem notandum) dictu enim citius gangræna, membro ligato, adeſt. Verum Chirurgus ſaltem leviter illam tangat, &, ſi poſſibile, reſtituat,

quo

quo facto, ſine ligatura membrum ita reponat, ut quam maxime quietum illud ſervetur, & concurrentia ſymptomata aptis remediis, cataplaſmatibus anodynis, nervinis, arceat. Si vero ſola epiphyſis eſt ſeceſſa, ita, ut tendines non pungat, tunc faſciæ ut in luxationibus laxe circumduci poſſunt.

CAPUT VI.

De Fracturarum Curatione Diætetica.

§. I.

NOn hic in animum induxi meum, ſingularem ac prolixum quendam de regimine ſex rerum non naturalium contexere catalogum, ſed breviter ſaltem, tanquam generali quadam regula monebo, quod omnia, quæ ad ſanguinis coagulationem, acrimoniam, turbationem, partiumque fractarum commotionem faciunt, hic exulare debeant. Hinc circa Aerem obſervandum, eum, aut temperatum, non frigidum nimis, nec valde calidum, nec humidum, aut multis particulis nitroſis refertum, eſſe eligendum. Quod in Germania noſtra, ubi hypocauſta fornacum ope calefacere conſuevimus, optime fieri poteſt. Cibus etiam ſit moderatus, bene coctus, non ſalinus nimium, nec acidus, ſed tenuis, ac boni ſucci, alimentum laudabile ſanguini ſuppeditans, & aromatibus blandioribus, floribus macis, nuce moſchata, vel herbis aromaticis ac carminativis conditus: Nequaquam vero ille ſit viſcidus ac glutinoſus, quamvis perperam à nonnullis talis victus commendetur, (optime hoc animadvertente HILDANO, *Cent.* 3. *obſ.*90.) hic namque in corpore minus moto, & alias obſtructionibus facile obnoxio, quid aliud quæſo efficiet, quam quod obſtructiones augeat, & ſanguinem ad majorem viſciditatem diſponat? Potus conveniet optime defœcatus, ac ſubdulcis; Cereviſiam præferrem paululum lupulatam, quia non tam facile aceſcere ſolet, ut quidem illa ex ſolo tritico, vel hordeo toſto cocta. Potum Coffeè, Theè qui amant, aut ejus loco e veronica, ſalvia, betonica paratum potum ſubſtituunt, ſibi ipſis, ſi non excedant, ſunt optimi Medici; dici enim vix poteſt quantum in maſſa ſanguinea ab heterogeneis ſalinis ac viſcoſis particulis depuranda, ejuſque juſta fluiditate conſervanda præſtent ſimiles potus moderate aſſumpti. Chocoladæ uſus, iis, in quibus ob nutritionis defectum calli generatio tardius procedit, non eſt noxius. Nec video cur HIPPOCRATES *lib. de fract. p. m.* 756. hic commendet diætam abſtemiam, cum tamen vino generoſo vix gratius quid vitali ſanguinis vigori conſervando excogitari poſſit, modo eo ita fruamur, ut matris virtutum, temperantiæ, terminos non tranſcendamus. Motus, niſi ipſa fractura eum prohibeat, itidem moderatus eſſe debet; Quiete autem, in omnibus continui ſolutionibus, ubi partium diviſarum coalitus expectatur nullum exiſtit efficacius remedium, eaque ſola magna ſæpe vulnera, non minus ac fracturæ ſunt ſanata. Idem quoque judicium eſt ferendum de vigiliis, ac ſomno, in utriſque enim modus eſt optimus. Et, ſi alvus ac veſica naturaliter reſpondeant, tranſpiratio quoque libere procedat, magnarum moleſtiarum cauſæ præſcinduntur, quare opus ut ad hæc omnia bene attendatur. Quantum autem animi pathemata in maſſæ ſanguineæ alterationibus valeant, non opus eſt ex CARTESIO, *tract. de paſſion. anim.* prolixius hic repetere. Felix, qui poterit rex eſſe ſui.

CAPUT VII.

D. Fracturarum curatione Pharmaceutica.

§. I.

OMne quod ex hac pharmaceutica curatione promittere nobis poſſumus auxilium, in calli ſufficienti generatione, eoque mediante oſſium disjunctorum conſolidatione promovendis ſitum eſſe arbitror. Utrumque quidem, unanimi tam veterum quam recentiorum conſenſu, ſolius naturæ circulantis eſt opus, & medicamenta vix aliud efficiunt, quam quod obſtacula, conſolidationem impedientia, removeant, adeo, ut non, niſi late admodum Catagmatica, vel porotica vocari debeant. Eorum tamen interim uſus, maxime etiam eſt neceſſarius, & quotidiana loquitur experientia, quamvis juvaminis ex hujus vel illius medicamenti legitimo uſu ægris hic quoque retundavit. Sic, exempli loco, de lapide Oſteocolla, quem & oſſifragum alii appellant, quas non legimus obſervationes, quam non ejus in conſolidandis oſſibus gignendoque callo virtutem deprædicant? adeo ut HILDANO *in Ciſt. militari claſſ.* 15. & SENNERTO *Chir. l.* 5. *part.* 5. *Cap.* 1. volentibus, ille adultioribus ſaltem ſit exhibendus, cum in juvenibus, & iis, qui boni ſint habitus calium nimis adaugeat. *Vid. etiam Boyle Exercitat.* 5. *de utilitat. phil. experim. p.* 343. *Ol.* WORMII *Muſ. L.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 6. *p.* 53. Hoc ſaltem in conſideratione hujus lapidis ulteriori exquiſitione indigere videtur, utrum nempe ille acidum tam potenter abſorbendo, an vero ipſe novi calli materiam præbendo adeo mirifica præſtet? Probabiliſſima ſententia videtur hæc, illum ſcilicet pari ratione, ac v. g. Corallia, oculos cancrorum, cornu cervi uſtum, &c. acidum, conſolidationi ac ſanguinis fluiditati inimicum potenter abſorbendo, humores craſſos fundendo, tubulos renum ſtimulando, aut obſtructos reſerando, diureſin valde promovere, ſicque notabilem ſeri quantitatem, una cum ſalibus, e maſſa ſanguinea eliminare, quo tunc eo felicior calli generatio, impedimentis ſublatis ſuccedere poſſit. Solent autem communiter eum in juſculis propinare autores, quæ, ſi ſint pinguia, vim ejus abſorbentem valdopere enervant. HELMONTIUS *tractat. adit. præcluſ. ad cond. viſcer. ſ.* 12. *p. m.* 445. *& tractat, confirmat, morbor. ſed in anim. ſen tir.* §. 17. *p.* 451. ſtatuens hunc lapidem in igne indomabilem, ideo a ſtomachi quoque fermento intactum relinqui, eum exhibet cum aceto deſtillato, dicitque ſic in minimos atomos ſolvi. Alii in vino, alii in aqua quadam deſtillata, v. g. Symphyti, Chærefolii, porrigunt. Sequentem formulam vires non contemnendas aliquando in ſubjecto ſenili exercuiſſe, recordor: Rec. Oſteocollæ præparatæ, dragm. ij. Antimonii diaphoretici drachm. j. Croci grana vj. miſce. Dentur ſingulo veſpere ſcrupul. ij. in aqua Ceraſorum.

§. II.

Cæterum, dantur adhuc multa alia medicamenta, quæ ab Autoribus ad fracturarum conſolidationem & novi calli generationem commendari ſolent, ut ſunt v. g. communiter dicta catagmatica, quibus omnia antacida, & acrimoniam humorum corrigentia, diaphoretica, ſanguinis duplicem motum conſervantia, ac poros cutis aperiendo, noxia conſolidationi ſalia ſimul eliminantia, accenſeri poſſunt: Ex qui-

bus omnibus ad præſens negotium ſequentia cenſeo eligenda: Lignum Guajaci, Fraxini cum cortice; Radices agrimoniæ, ariſtolochiæ fabariæ, longæ, lappæ majoris, ſaniculæ, rubiæ; Herbas ſcordii, veronicæ, cardui benedicti, centaurii minoris, verbenæ, betonicæ, virgæ aureæ, hyperici, nicotianæ, reginam pratorum a FEL. WURTZIO *Chir. cap.* 25. *p.* 345. tantopere laudatam. Flores ſambuci, Lapides cancrorum, Terram Japonicam, Mumiam, Oſſa Draconum, de quibus *Ephemerides* A. N. C. *anni* 3. *Decur. II. obſ.* 193. 194. Cornu cervi uſtum, Sanguinem hirci, Succinum, & Liquorem cornu cervi ſuccinatum, Antimonium diaphoreticum, Balſama naturalia, Aloen, Myrrham, Gummi Ladanum, Terebinthinam, Maſtichem, Aquam ſcordii, florum ſambuci, cardui benedicti, Eſſentiam ſuccini, Balſamum Arcæi, Emplaſtrum de Ladano, contrafracturas ſeu catagmaticum Wurtzii, (*Cap.* 25. *Chir.*) Stipticum Paracelſi, in quo tamen magnetem cum Dno. MUYS *prax. chir. ration. p. m.* 44. ſupervacaneum duco, Emplaſtrum Oxycroceum cum cautela adhibitum, Emplaſtrum ad rupturam Dolæi *Encyclop. chir. Lib.* 6. *cap.* 7. *pag.* 1522. parte prius ſpiritu vini camphorato illita.

§. III.

Probe tamen circumſpicere debet Medicus, ut ex hiſce medicamentis, pro varietate fracturarum ſymptomatumque easdem concomitantium formulas ita concinnet, ut voto quoque patientium, ſuæque intentioni reſpondeant, nec temere hoc vel illud medicamentum indifferenter, omnibus, in diverſis ſubjectis, fracturis applicet; verum ſemper recordetur illius CELSI, *præfat. Lib. I.* non eadem omnibus, etiam in ſimilibus caſibus, opitulari, &, ut paulo ante idem loquitur, pro natura locorum quoque differre genera medicinæ. In quam ſententiam HILDANI experientia, *Cent. IV. obſ.* 99. omnino facit, ubi obſervavit, emplaſtri oxycrocei, (quod tamen vulgus Chirurgorum indifferenter, in omnibus fracturis imponere ſolet,) uſum maxime fuiſſe noxium, imo ipſam partis gangrænam conciliaſſe: Non quidem, ut ille ex VIGONE *Lib. VIII. cap.* 16. *p. m.* 676. emplaſtrum oxycroceum ceratum diabolicum appellante, philoſophatur, quod ſcilicet ingredientia hujus emplaſtri pene omnia calida, hinc partem affectam calefaciendo, ſanguinem & humores attrahant; ſed potius, quod, uti opinor, ingredientia ejus magnam partem conſtent ex talibus, quæ particulas tenues, facile mobiles, obtinent, & ad ſanguinem, intra tubulos partium conſtitutum, penetrantes, ejus particulis de ſuo rapidiſſimo motu multum communicant, quæ demum ab aliis ex emplaſtro ſemper accedentibus magis motæ, majus ſpatium affectando, tubulos dilatant, & cum impetu in eorum poros irruentes, eos dilacerant fibrasque tandem disrumpunt, quæ tunc in cincinnos quaſi reſilientes reliqua tubulorum interſtitia occupant, & ſanguinis per eos circulationem impediunt, qua impedita neceſſario gangræna inſequi debet. Patet itaque ex hoc allato oxycrocei abuſu, quod medicamenta, ſic dicta calida, quamvis alias ad referendas obſtructiones parce adhibita ſint optima, in fracturis tamen cum cautela ſint adhibenda, ne ſcilicet parili ratione ſanguinis particulas nimium movendo, malum adaugeant.

§. IV.

Interim nemo ſibi perſuadeat talia me hic commendare, quæ ob lente motas ſuas particulas frigida, repellentia, audiunt, eo enim dementiæ non pervenio, ut contra evidentiſſimum circulationis torrentem nitar, verum ſaltem medio tutiſſimus ire contendo. Hinc primis octo vel decem poſt fracturam diebus, temperatis potius inhærendum cenſerem, qualia ex ſupra dictis pene omnia, cum judicio adhibita, præferrem tamen ea, quæ ex Myrrha, Maſtiche, Gummi Ladano, moderata Camphora, Herba abrotani & ſabina, ſpiritu vini, ac quibusdam abſorbentibus ad externum uſum parantur, non neglectis internis, maſſam ſanguineam temperate moventibus ac a ſpiculis ſalinis edulcorantibus. Decocta proinde vulneraria, moderate aſſumpta hic locum invenient, inprimis ſi ſaccharo non adeo copioſo ſuavia reddantur; illa namque, quamvis BONTEKOE *in continuatione* des neuen Gebäudes *cap.* 10. *p. m.* 904. ſolummodo ratione alcali ſui operari, hincque a Germaniæ ſuperioris Chirurgis tantopere laudari aſſerat, tamen ratione particularum quarundam minimarum, balſamicarum, quas quidem omnes alcalicas non dicerem, vim quoque exercere laudabilem non dubito. Taceo, ſolam aquam tepidam, moderate potam, ſalia noxia per diaphoreſin ac diureſin evacuando aliquid præſtare poſſe.

§. V.

Cum iis autem non paciſcor, qui veterem illam cantilenam de purgatione in omnibus ſtatim fracturis crepant, verum potius aptis alimentis, v. g. Radice cichorii cum paſſulis, Endiviæ, juſculis carnium, potu Coffe, decocto raparum exſiccatarum, vel braſſicæ rubræ, alvum, ſi opus eſt lubricam eſſe reddendam, vel apto clyſtere aut ſuppoſitorio ſtimulandam, ſuadeo; purgantia enim, niſi admodum lenia, cum nunquam ſine alteratione quadam, imo turbatione ſanguinis, aſſumantur, quam hic, ubi febres traumaticæ alias raro abeſſe ſolent, ægrisque quiete nihil optabilius, nec magis conducibile, ſanguinem magis turbando, ac febrim augendo, præſtent opem, unicuique patere mihi perſuadeo. Nonnulli, uti MUNNICKS, *Chirurg. p.* 335. ſolent in fracturarum ſimplicium deligatione a medicamentis externis plane abſtinere, ſolummodo quod faſcias oxycrato aut vino rubro adſtringente madefaciant; qui, ſi oxycrato & vino huic ſpiritum frumenti camphoratum & cum aqua calcis vivæ, vel alio decocto ex ſcordio & herbis vulnerariis parato commixtum ſubſtituant, meo ſenſu adeo errare non videntur; id quod dubio procul paradoxon videbitur vulgaribus tonſoribus ac balneatoribus, ii namque ægris ſuis, quam non artis lege proſpectum gloriantur, imo alios ſæpe eadem cum ipſis chorda non aberrantes traducunt, quando membro prius unguento aliquo pingui, Oleo infuſo, vel axungia probe inuncto, tandem emplaſtra ſua imponunt adſtringentia, pinguia, quibus neſcio quas virtutes admentiuntur, & ſpecioſo titulo derer Bruch-Pflaſter extollunt, ipſam eorum compoſitionem ſæpe ignorantes. Ecce autem quo vulgaris error deducat illos, ut quidem per jocum audiunt, Philoſophos; pinguia eorum unguenta, & emplaſtra, maximam partem ex adſtringentibus, acido auſteris, imo pinguibus conflata, (quibus, etſi ex omnibus officinæ pharmaceuticæ capſulis aliquid ſit admixtum,) quid aliud efficiunt, quam quod poros cutis occludendo, fœcundas multarum moleſtiarum matres ſe probent, ſicuti hoc, mox ſequenti capite paſſim videbimus.

§. VI.

Melius proinde patienti ſuo conſulit, qui nullis aliis ſymptomatibus præſentibus, primis diebus, ut dixi, ab emplaſtrorum & unguentorum uſu plane abſtinet, (&, ſi forte fractura cum vulnere curanda obveniat, ea ſolum cruciatim impoſita cum in finem adhi-

adhibet, quo vulnerum labia vicinius ad invicem adducantur,) ſolis faſciis, dicto ſupra medicamento, vel alio imbutis, contentus. Poſtmodum autem, tertia, & inſequentibus deligationibus emplaſtra adhiberi poſſunt, ſed ex temperatis confecta. Ad præveniendum etiam moleſtæ ex quorundam emplaſtrorum impoſitione cum cute cohærentiæ, pars affecta prius unguento quodam, ſed, quod mallem, nullis pinguibus parato, poteſt inungi; Quem in finem forte tale ex quarundam herbarum ſuccis, vel decoctis inſpiſſatis, oleo nuciſtæ expreſſo, vitello ovorum, ſapone veneto, melle &c. formari poterit. In caſu quoque, ubi os fractum adhuc inſuper eſt denudatum, eo magis a pinguibus abſtinendum eſſe ſuadent autores, (*vid.* BARBETTE *Anat. Pract. pag. m.* 322. DOLÆI *Encyclop. chir. Lib. I. cap.* 3. *p.* 57. MUYS *prax. med. chir. Decad. V. obſ.* 1. *p. m.* 172.) illa enim particulis ſuis ramoſis anguſtos oſſium poros pertinaciter occludunt, atque ita efficiunt, ut humores in oſſium tubulis ſtagnent, acrimoniam contrahant, oſſiumque ſalem volatilem corrumpant; Potius tunc oſſi imponantur ſola filamenta carpta, vel pulvere myrrhæ, maſtichis conſperſa; & quoniam vulneri ſimul conſulendum, his alia adhuc ſuperimponi poſſunt, ſpiritu vini cum melle mixto, aut alio medicamento nutrita. Si vero oſſis quarundam particularum exfoliatio expectetur, ad illam tam promovendam, quam & ulcera, forte in partibus carnoſis facta, ſananda, ſpiritus vini, in quo camphora & ſal ammoniacum ſunt ſoluta, optimum, ſufficiensque erit remedium. *vid.* JOSEPH DE LA CHARRIERE, *l. c. p. m.* 354.

§. VII.

Obiter adhuc circa finem hujus capitis, quidnam ſtatuendum de curis illis magicis fracturarum, apud BORELLUM *Cent.* 3. *Obſ.* 46. videndis, paucis attingere liceat. Ad quam quæſtionem ſi mihi ingenue reſpondendum, fateor, me hiſce parum fidei attribuere, &, ſi quis mihi objiciat, eventum tamen nonnunquam monſtraſſe, quod a talibus optime fuerint curati homines, ei reſpondeo, ſolam imaginationem eos ſanaſſe, quippe cujus potentiam ut in oſſibus frangendis experientia docuit, ſic in iisdem conſolidandis eam quoque eſſe efficacem dubitare non licet.

CAPUT VIII.

De ſymptomatibus fracturis accidentibus.

§. I.

SYmptomata hæc poſſunt diſpeſci, vel in ſymptomata fracturæ præſentis, vel ejusdem, uti videtur, jam curatæ. Ad primi generis ſymptomata referuntur, I. DOLOR, cujus eſſentia cum juxta incomparabilem CRANIUM *tract. de hom. c.* 116. *p.* 636. in eo conſiſtat, quod objecti partes tanta vehementia agant in exigua corporis noſtri filamenta nervea, ut illa aut ruptionis incurrant periculum, aut actu plane diſrumpantur; facile eſt concipere, quomodo ille in fracturis, vel ſimplicibus vel compoſitis, producatur; Fracti nempe oſſis eminentiæ fibras perioſtei aut muſculorum etiam, moleſte premendo, illas ſi non actu rumpunt, ſaltim tamen ad ruptionis uſque periculum extendunt. Hinc anima ex lege conjunctionis hanc noxam dictis partibus imminentem ſentiens, triſtem talem ideam, quam dolorem vocamus, concipit. Hic vero dolor, ſimulac modo os iterum legitime coaptatum, plerunque magnam partem imminui ſolet, ex ratione, quod oſſis eminentiæ in priſtina loca iterum reſtitutæ, perioſteon amplius pungere, ac premere neſciant. E contra in illis fracturis, ubi os in plures feſtucas eſt comminutum, is ſæpe intolerabilis ægros euſque excruciat, donec illæ, vel in loca priſtina iterum retruſæ, vel penitus exemptæ: ſemperque melius eſt patientem adhuc dolorem ſentire, quam nullam plane de eo moleſtiam percipere, quoniam, ſi eum non ſentiat, membrum plerumque gangræna invaſit. Ex faſciarum quoque nimia conſtrictione dolor oritur, quæ cauſa cognoſcitur ex membri extremitate magis intumefacta, ægerque ſe vehementer premi conqueritur, & facile, ſi nimirum faſciæ paulo relaxentur, aufertur. Sic etiam, non bene collocato membro, dolorem ſentiunt ægri, eumque utplurimum commode indicare non poſſunt, dicentes: **Es thut mir wohl nicht recht wehe / iſt aber als wenn michs gleichſam ſperrete:** Hoc ſi accidat, membrum inſpicies, idque non probe collocatum debite repones, quo facto dolor iſte ſuapte ſponte recedere ſolet. At, interdum dolor oritur adeo intenſus, ut neſcias, omnibus licet probe penſitatis, a quanam ille cauſa ſit deducendus; quo in caſu deligatio ſtatim erit ſolvenda, ac probe inſpiciendum, anne forſitan fontem hujus doloris in parte affecta deprehendere liceat? Quod ſi puſtulas quasdam, humore limpido, ac paulum flaveſcente refertas, & a ſeroſis ſanguinis particulis, poros cuticulæ obſtructos egredi neſcientibus factas, reperias, illæ forcipe aperiendæ, fuere enim cauſa doloris veluti ardentis, parsque, v. g. ſpiritu vini camphorato, cum aqua roſarum, florum ſambuci temperato, abluenda, vel etiam unguento albo camphorato inungenda: Nulla autem alia doloris cauſa apparente, illum vel ob ſpicula ſalina intra poros partium hærentia, aut oſſis extremitates fibras nerveas moleſte pungentes factum certo tibi perſuadeas, ad eumque mitigandum cataplaſma quoddam vel fomentum anodynum, ex herbis emollientibus, paregoricis, ac reſolventibus paratum applicetur; interne vero Cinnabarina cum anodynis, Theriaca cœleſti, Caſtoreo, Laudano opiato, Croco, mixta, parce propinetur.

§. II.

INFLAMMATIO, quam ex ſignis à CELSO *Lib. III. cap.* 10. datis, tumore, rubore, dolore ac calore cognoſces. Hæc inter moleſtiſſima, quæ tam ægro, quam Medico multum faceſſant negotii, ſymptomata merito venit recenſenda; ea enim præſente, nec extendi, nec coaptari oſſa fracta debent, imo vix aliquid, niſi illa ſedata tentari poteſt. Si in cauſam hujus inflammationis inquiramus, illa hic oritur, quia tubuli partium ab eminentiis oſſeis compreſſi, non modo arctiores redduntur, verum inſuper valide etiam convelluntur atque contrahuntur; Hinc ſanguinis ad anguſta eorum ſpatia propulſi partes ſaltem tenuiores tranſeunt, reliquis craſſioribus relictis, eaque obſtruentibus. Cumque hac ratione alius ſanguis per loca hæc obſtructa tranſitum non inveniens intra dictos tubulos ſenſim colligatur, eos dilatando, tumorem ac dolorem inducit, materia autem ſubtilis partes obſtructas libere pertranſire neſciens, variis impulſibus in eaſdem impingendo, ſimulque ſanguinis partes hinc inde, cum vehementia agitando, calorem, ruborem, ut & dolorem cauſatur, de quibus hic prolixius agendi non eſt locus. Vid. Excellentiſſimus Dn. PRÆSES, *in fundam. med. p.* 96. Inflammatio autem hæc ſui expoſcit opem citiſſimam, alias, præterquam quod curationem fracturarum retardet, in ipſam gangrænam facile mutatur.

tatur. Ab extra ergo talia imponantur, quæ poros partium penetrando, obſtructiones tubulorum leniter reſerant, acidum illas adaugens temperant, doloremque mitigant. Quæ inter ſequens medicamentum non eſt contemnendum. Rec. Spiritus frumenti camphorati, aquæ calcis vivæ ana uncias ij. theriacæ, vel diaſcordii unciam unam, vitrioli albi drachmas iij. miſceantur, & paululum calefactum mediante linteo quadruplicitato aliquoties in die imponatur. Lavamentum, quod habet celeberrimus MUYS, *l. c. p. m.* 85. hic etiam conducet, & decocta herbarum quarundam aperientium, quibus tamen ſemper ſpirituoſa ſunt admiſcenda optima. Solus ſpiritus ſalis ammoniaci, ſed non in tanta copia illitus, eſt quoque laudandus. Flores ſambuci, chamomillæ, roſarum, baccæ lauri, juniperi, ſcordium, ruta, probe pulveriſata & cum parva croci ac camphoræ quantitate nec non fermento commixta, boni effectus quiſque experietur. Ceruſſa etiam, creta, pulvis eryſipelatodes Mynſichti, album græcum, pulvis myrrhæ, aloës, vel per ſe ſicca, vel cum farina hordei, fabarum, lupinorum, in cataplaſma formata, conducunt; nec abs re erit fotum ex ſpiritu vini accenſo, vel baccis lauri, juniperi, carbonibus injectis membro applicare. Alii membrum perfundunt aqua calida, vel decocto quodam ex herbis emollientibus, ac aperientibus parato, hocque per horam continuant, quod quidem ab his fomentis initio intumeſcit, verum, bene advertente SCULTETO *Tab.* 28. *p. m.* 82. paulo poſt cum euphoria iterum detumeſcere ſolet. Idem ibidem pellem arietis recens mactati membro circumvolutam commendat, forte quod membrum ſub ea ſervetur calidius. Interne dentur abſorbentia diaphoreticis mixta, ut oculi cancrorum cornu cervi uſtum, pulvis cathecticus Ludovici, aurum fulminans, cinnabaris nativa, ſpecificum cephalicum D. M. pulvis bezoardicus Sennerti, eſſentia theriacalis, ſuccini, lignorum. Crocata proſunt omnia, & camphorata. Salia volatilia ſanguinem nimium agitando inflammationem exacerbare videntur, hinc, quamvis bona, parce tamen ſaltim propinentur. In ſubjecto plethorico, venæſectio rite inſtituta locum habebit, & repeti quoque urgente neceſſitate poterit: non quidem, quod obſtructiones illa ſolvat, verum potius, ut dolor ac tumor aliquantiſper compeſcatur, ſanguis enim emiſſus vaſa non amplius ita diſtendere, & hinc neque dolorem, nec tumorem adeo intenſum cauſari poteſt.

§. III.

FEBRIS CONTINUA, quæ, cum vix niſi præſente inflammatione obſervetur, prætereaque ea curata plerumque ceſſare ſoleat, forte non immerito ſymptoma ſymptomatis, reſpectu ſcilicet ipſarum fracturarum dici, & ex eadem cum inflammatione cauſa deduci poterit.

§. IV.

GANGRÆNA, ex partium ſublivido, ac veluti plumbeo colore, ſenſu abolito, mollitie ac flaccescentia quadam, & facili cuticulæ vel digito ſaltim leviter compreſſæ ſeparatione, partiſque ad tactum frigiditate dignoſcenda. Cauſari vero illa hic utplurimum ſolet, vel quando inflammatio incaute fuit tractata, ipſi ſcilicet adſtringentia imponendo, & ſanguinis ſtaſin intra tubulos partium augendo; vel quando vaſa ſanguifera ob ligaturam arctiorem conſtricta, ſanguinis ad partes tranſitum impediunt; facile enim ille tunc intra tubulos ſtagnans, mora illa vitium contrahit, imo penitus cadaveriſatur, ſuaque labe ipſam quoque partium ſubſtantiam contaminat. Medicationem hujus gangrænæ, ſiquidem illa interdum nimis prolixa requiratur, & non ſit mei inſtituti illam tradere, aliunde eam petet Lector Benevolus, & cum FRAMBESARIO *Canon. & conſultat. med. p. m.* 622. à pinguibus & refrigerantibus in ea ſemper abſtinebit.

§. V.

PRURITUS, & ſi æger ſcalpat, Excoriatio. Nimirum, facile, & inprimis poris cuticulæ obſtructis, particulæ quædam ſalinæ, alias, ſi æger ſe moveat, in auras evaneſcentes, in tubulis cutis excretoriis ſubſiſtunt, papillaſque nerveas proxime adjacentes vellicando, pruritum excitant, quem, ſi æger ſcalpendo abigere conatur, malum adauget. Concutit enim obſtructos tubulos cutis excretorios, & lympham una in eis contentam, cujus adeo leviores quædam particulæ cum impetu quaſi verſus cuticulam exprimuntur, ibique poros obſtructos invenientes, vel ſaltem tamen tanta copia non ſtatim eos pertranſeuntes, fibrillas, cuticulam ipſa cum cute connectentes, diſrumpunt, ut illa vel leviter tacta demum abſcedat, parſque excorietur. Cui moleſto ſymptomati conſulere ſolent aqua inter deligandum tepida, vel ſolo etiam ejus vapore, partem affectam fovendo; cui commode aliud quoddam decoctum emolliens atque anodynon ſubſtitui poteſt. Facta vero excoriatione unguentum album camphoratum, vel oleum ovorum inunctum, dolorem lenire ſolet.

§. VI.

TERROR IN SOMNO, qui ægros fracturas paſſos ſæpe adeo excruciat, ut ipſa oſſa jamjam paulum conſolidata, iterum, PARÆO *Lib. XIV. cap.* 26. referente, fuerint diſtorta. Cujus moleſtiſſimi ſymptomatis rationem, parum ſaltem mutatam ex ſæpius laudato MUYS, *Decad. Obſ.* 5. *p. m.* 218. ſequentem ſubeſſe veroſimile videtur. Ubi vigilant ægri, multum partium ſpirituoſarum variis actionibus peragendis conſumunt, ſic ut illæ tanta copia ad partes vulneratas affluere nequeant: At, cum ægri ſomno ſunt ſopiti, ſpiritus, etſi pauci, nullis tamen actionibus impenduntur, & hinc, veluti in indeterminatione poſiti, ad hunc vel illum corporis motum eo promptius auſcultant. Quando itaque accidit, ut, vel ob oſſium fractorum eminentias, vel acribus ſanguinis particulis, quæ, tubulis vicinarum partium compreſſis, aut obſtructis, facile ibidem remorantur, fibræ muſculorum eam partem moventium nerveæ ſolito fortius vellicentur, ac commoveantur, ſpiritus ſtatim majori copia eaſdem illabuntur, muſculos inflant, contrahunt, qui ſic os ſimul vehementer movent, ac unam ejus extremitatem in hanc, alteram in illam partem miſere diſtorquent, unde dolor ſatis atrox oritur, patienſque poſt brevem ſomnum expergiſcitur. Periculoſum itaque hoc ſymptoma remediis plane intactum relinquere non debemus. Conducent autem talia, quæ obſtructiones reſerando, ſalia acriora obtundendo, vel, quod melius, eliminando, & ſpirituum irritatorum ferociam demulcendo, operantur, qualia ſunt diaphoretica ac diuretica cum communiter ſic dictis nervinis anodynis & abſorbentibus commixta, v. g. antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, cinnabarina, camphora, crocus, laudanum, opiatum, caſtoreum, theriaca cœleſtis, myrrha, ambra, ſuccinum, & varia ex his parata, aqua florum ſambuci &, ſi ſyrupus arrideat, ſyrupus florum papaveris.

§. VII.

§. VII.

Callus interdum juſto major generatur, & membra reddit deformia, imo, ut ſupra in prognoſi monui, doloris in eorum motu cauſa exiſtit: Quod phænomenon eo facilius intelligemus, ſi prius breviter conſideremus quomodo ipſe callus naturaliter formetur? In aprico vero eſt, & à Dno. HAVERS *Oſteol. nov. paſſim, & inprimis à pag.* 87. *& ſeq.* demonſtratum, oſſa ſuis quoque gaudere vaſis ſanguiferis, perque ea eorum tubulis infundi certum quendam ſuccum nutritium, æque ac in aliis corporis noſtri tubulis ibi circulantem. Hic igitur ad fracti oſſis extremitates perveniens, cum ulterius, ob varia obſtacula, à fractura facta, per lineam rectam in curſu ſemel incepto pergere nequeat, ad latera oſſis neceſſario deflectere cogitur, ubi tunc ejus partes quædam, partibus oſſis propter ſuperficieculàrum convenientiam facile adhærent, reliquis in auras evaneſcentibus, ſenſimque ab aliis, eadem ratione ipſis adhærentibus auctæ, callum tandem conſtituunt, oſſa iterum conglutinantem. Qua de re experimenta Dni. DE HEIDE, *Cent. obſ. med. obſ.* 55. *p.* 123. legi merentur. Quando nunc ob vitiatum membri ſitum, vel ſiniſtro modo peractam coaptationem, oſſium fractorum margines in una parte magis quam in altera ab invicem dehiſcunt, vel à ligatura nimium laxa iterum ſecedunt, aut æger cibis eupeptis paulo liberius indulget, calloque generando copioſam porrigit materiam, pronum eſt videre, quomodo calli interdum ſatis magni, ac deformes accreſcant: Quamobrem boni Chirurgi erit, ut calli ſuccreſcentis ſtatum in omnibus, à tertia vel quarta deligationibus diligenter exploret, ægro victum, non quidem tenuem, moderatum tamen præſcribat; &, ſi videat quod nihilominus callus nimium excreverit, faſciis paulo arctius conſtrictis, & emplaſtro emolliente, ac diſcutiente, v. g. meliloti cum ana de ranis cum mercurio hoc impediat, aut, ſi fracturæ ſtatus patiatur, lamina plumbea ſuperligata eum deprimat.

§. VIII.

At, è contrario accidit quoque, ut, quemadmodum apud HILDANUM, *Cent. III. obſ.* 91. & JOB. VON MECKEREN, *obſ. Chir. c.* 68. *p. m.* 467. legimus, oſſa plane nullo interveniente callo iterum coaleſcere nequeant; cujus rei cauſam ille reputat, quod forſitan ſuccus nutritius oſſis, ex quo novus callus producendus, in pus commutatus fuerit unaque cum pure effluxerit; aut, quod portiones quædam carneæ inter duas diffractorum oſſium extremitates medient, earumque immediatum contactum impediant. Hic vero, quod forte à frequentiori reiteratione deligationum oſſa commota ſecedant, vel, quod humor ex quo callus generari debeat, ſit nimis tenuis, vel quod fractura ob ſymptoma aliquod calidum nimium convellatur, hoc accidere conjecturatur, tandemque exemplo confirmat, à ferulis quoque nimium brevibus, deligationeque laxiori oſſium coalitionem impeditam à ſe fuiſſe obſervatam. Quibus experientiſſimorum virorum rationibus in medio relictis, ſequentes quoque quinque cauſæ adnumerari poterunt, oſſium itidem coalitum impedientes; quarumque primam arbitror contingere; quando tubuli oſſei ſunt totaliter obſtructi, ita, ut ſuccus nutritius eorum aperturas ad novum callum generandum nullus elabatur; ſecundam, quando arteriæ oſſis nutritioni deſtinatæ ſunt obſtructæ, vel ſimul abruptæ; tertiam, quando ſanguis nimium acris, teſtante Illuſtri WEDELIO, *Ephem. Dec. II. ann.* 2. *obſ.* 184. ita, ut ex poris tubulorum ad callum propulſus, rigidis ſuis, acutiſque partibus eum ſemper iterum abradat, uti v. g. in lue venerea laborantibus hoc facile accidere poteſt; quartam, quando æger nulla plane idonea alimenta aſſumit, vel ob morbum aſſumere non poteſt; quintam, quando, uti in ſenibus, tubuli oſſei ſunt nimium anguſti, ut, etiamſi adhuc aliquid ſucci eos tranſeat, illud tamen adeo tenue ſit, ut ad calli generationem ſit plane ineptum. Ad has autem a me allatas cauſas removendas, & quidem ad primam, & ſecundam, medicamentis opus erit, incidentibus ac ſudoriferis, iiſque penetrantioribus, quia ad intimos uſque corporis receſſus penetrare debent; externe ſaltim conſueta in aliis fracturis medicamenta adhibendo, ne fortioribus applicatis forte pus circa fracturam excitetur; Ad Tertiam acrimoniam temperantibus, tam interne, quam externe adhibitis; Quartæ potius è culina quam pharmacopœa proſpiciatur, aut ſi ægro non liceat ob alias infirmitates cibos aſſumere, ſingulis conſulatur. Quintæ cura autem quomodo ea ſatis apte ſit inſtituenda certe non video, &, niſi cum primæ & ſecundæ curatione hic quoque optatus finis acquiratur, prognoſin futuræ coalitionis ſat deſperatam eſſe pronunciandam, cenſeo.

§. IX.

Tandem hic adhuc examinare liceat illum in fracturis cum vulnere adeo moleſtum *Synoviæ fluxum*; vulgo das Gliedwaſſer vocatum. Hanc ſynoviam e vaſis lymphaticis diruptis maximam partem profluere omnino cum Recentioribus ſtatuendum arbitror, cui ſi forte admiſceantur quædam aliæ ſanguinis rubicundi particulæ, e tubulis, vaſiſque pariter dilaceratis emanantes, illa ſub ichoris flaveſcentis, vel etiam rubicundi colore promanat: In iis autem fracturis, ubi epiphyſes ſunt diffractæ, & vulnus in ipſa junctura adeſt, huic ipſi ſynoviæ etiam illa mucilago, ſive lympha unguinoſa, ex glandulis partim mucilaginoſis *Havers* dictis, ſequeſtrata, commiſcetur. Circa hunc fluxum oritur quæſtio, an ille, ſicuti vulgo loquuntur, naturæ ſit relinquendus, an vero medicamentis ſiſtendus? Mea ſententia, ſi fluxus talis non equidem in juncturis, ſed alibi ex ruptis ſolummodo vaſis lymphaticis, tubuliſque partium diviſis accidat, illum, ſalvo aliorum judicio, ſiſtendum ſuaderem, tum, quod ille alias conſolidationem valde retardet, tum, quod vaſcula lymphatica, ſi in locis diſruptis occludantur, lympham alias profluxuram facile aliorſum per ramos laterales derivare mihi perſuadeam. Qui plura de hac materia volet, adeat HILDANUM, qui integrum de ea tractatum conſcripſit, & OVERCAMP. in neuen Gebäude der Chirurgie. *Lib.* 3. *Cap.* 15. 16. 17.

§. X.

Reſtant adhuc ſecundi generis ſymptomata, ea ſcilicet, quæ jamjam quando videtur curata fractura, ſuas nihilominus ludere ſolent tragœdias: ex quibus *Primum eſt membri debilitas, ac gracilitas*, vulgo dicunt: es ſchwindet. Potiſſima hujus mali cauſa Chirurgorum errori tribuenda; vel enim ob deligationem fortiorem, aut ineptam repoſitionem nervi partibus proſpicientes comprimuntur, & ſpirituum influxus intercipitur, (ut nec ſanguini per eas circulanti ſtimulus accedat, nec tubuli in juſto tenore conſerventur;) vel in diuturniori emplaſtrorum calidiorum uſu peccatur: quippe quæ, cum tranſpirationem ejus partis, cui ſunt impoſita, nimium promoveant, efficiunt, ut una partes nutritiæ quoque in auras propellantur; vel poſſunt & ipſæ eorum particulæ tenues ac rigidæ in concitatiſſimo motu conſtitutæ & vehe-

vehementer, hinc inde in tubulis partium allidentes, quasdam partes ab iisdem abradere, ut dein illi magis extenuentur, collabantur, ac veluti exareſcant. In curatione indifferenter commendant autores fotum aquæ calidæ, (embrocationem,) aliquoties continuatum, uſque pars rubeat. Quæ ſane curandi methodus adeo inepta mihi non videtur, ratio autem, quare illam inſtituant, utique apparet ridicula: Dicunt enim calorem hujus aquæ debitum parti alimentum attrahere; cum potius dicere debeant, fibras ac tubulos partium collapſos, ac fere exſiccatos flexilibus ac tenuibus aquæ particulis blande motis intra poros fibrarum ſe inſinuantibus, eosque contractos leniter extendentibus, emolliri, ut dein (laxata fortiori ligatura,) tubuli a ſpiritibus veluti inflati, ſanguini per arterias appulſuro liberum tranſitum concedere queant. Quo facto, ille demum particulas ſuas nutritivas apponendo, vaſa ac tubulos replendo, membrum priſtinæ vigori iterum reſtituet. Alii multa efficiunt in hac aridura, ſingulis duobus vel tribus diebus membro debili imponendo aliquot cucurbitulas, non ſcarificatas, cum flamma, (ventoſas) eousque, donec pars itidem rubeſcere incipiat, poſtmodum vero eandem partem ſuffitu aliquo fovent, vel & penetranti quodam lavamento ad ignem fricant, quæ tamen medendi ratio potius in atrophia ex partium obſtructione, (& hic quoque non impoſſibili,) locum obtinet. Vulgares Chirurgi hic quoque ſua pinguia non intermittunt; quæ in caſu, ubi pori propter abuſum emplaſtrorum calidiorum nimis ſunt aperti, non ſæpius reiterata, tolerari poſſunt, etſi illi rationem non aſſequantur.

§. XI.

Secundum eſt diſtorſio, ſeu mala oſſium conformatio, quando illa, vel ægri errore, vel Chirurgi ignorantia, vel ipſius fracturæ culpa perperam conſolidata apparent; ita, ut æger vel membrum bene movere nequeat, vel, ob deformitatem, quam inverſa hæc curatio membro conciliavit illud correctum velit. In tali caſu oſſa in locis jam conſolidatis iterum ſunt diffringenda, & poſtea melius, ac cautius coaptanda, curandave. Nunquam vero temere hoc fiat, niſi ſequentes cautelæ antea probe fuerint examinatæ: Nimirum, 1. ut hæc crudelis operatio non inſtituatur in ſubjecto ætatis decrepitæ, nec callo jam nimium indurato, neque oſſe valde magno, v. g. femoris, 2. ut, antequam peragatur, balneis prius, fomentis, cataplaſmatibus, per aliquot dies callus ſit emollitus, ne forte in plures feſtucas diffringatur. His obſervatis, operatio a forti Chirurgo poteſt inſtitui. Solent vero alii membro, genu impoſito, uno impetu illud ſtatim iterum diffringere; alii, membro pluribus linteis circa fracturam jam ſanatam involuto, mallei ictu, idem, ſed periculoſo conatu, moliuntur, AQUAPENDENS *Part. II. Chir. cap.* 114. hoc peragit extenſione fortiori membri, dicitque illud hac extenſione neceſſario in loco ſemel fracto iterum ſecedere. Quisque ſua abundet opinione, primus tamen modus potius arridet, illumque ſatis caute demum acturum credo, qui, niſi incommoda adeo magna ſententiat æger, dubiæ huic operationi manum temere non admovet.

§. XII.

Ultimo Contractura tendinum, quoque venit conſideranda, quando ſcilicet muſculi aliquandiu contracti ſeſe iterum extendi non patiuntur, verum membrum ſemper contractum relinquunt. Cauſa hujus quoque mali Chirurgi incuriæ venit adſcribenda, qui membrum aliquod nimis diu incurvum ac immotum relinquendo, hoc ægro contrahit; cum potius ſingulis poſt tertiam deligationibus paulum flectere & rurſus leviter extendere illud debuiſſet. Muſculorum namque ſic contracti tendines talem pororum fibrarum ſuarum tunc ſubeunt mutationem, ut, qui antea rotundi erant, hac diutina contractione ovales evadant. Enim vero, humores, qui alias muſculos hosce liberrimo motu pervadebant, iisdem diutius contractis, venisque ſimul compreſſis, multo tardiori curſu quam antea moventur, imo fere ſubſiſtere coguntur. Particulæ ergo eorum craſſiores, omnium primo ſubſiſtentes, forte ſeſe intra poros illos tendinum ovales inſinuant, eosque replendo in figura illa ovali conſervant, tandemque ſucceſſu temporis quibusdam levioribus ac mobilioribus, quibus antea adhuc ſociatæ erant, abeuntibus, ſedem ibi adeo fixam ſibi figunt, ut vix, ac ne vix quidem ſe poſtea expellere patiantur. Hinc tendines manent contracti, atque breves, duriores, nec prius iterum extendi poſſunt niſi materia hac ex poris eorum expulſa, illisque naturali figuræ rotundæ reſtitutis. Ad quod præſtandum, ſæpe multo opus eſt labore, hinc v. g. Autores ſuadent, ut ægri, ſi hæc contractura ſit in brachio, ſæpius pondus quoddam geſtent in manibus, vel, ſi in pedibus, iis tale quoddam ægro ſedente, appendatur: Medicamenta vero parti applicenturreſerantia,reſolventia ac emollientia. Hiſce enim medicamentis, ut MUYS *in notis ad Chir. Barbett. p.* 19. loquitur, partes obſtruentes veluti macerantur, pondere geſtato e ſuis ſedibus excutiuntur. Sicque breviter hiſce benevolæ Legentium cenſuræ ſubjectis, tandem bono cum Deo finem huic Diſſertationi impono, cujus infinitæ potentiæ omnes meos futuros conatus quoque commendo. Ei ſoli Triuno, ſit Laus, Honor, ac Gloria in ſempiternum.

DISSER-

DISSERTATIO CHIRURGICA,

EXHIBENS

ULCERUM ÆTHIOLOGIAM VERAM, ET CIRCA CURAM CAUTELAS.

Primùm edita Anno 1703.

PROOEMIUM.

QUEMADMODUM Medicus ſanat affectus corporis humani internos, qui ex depravato fluorum vitalium motu aut eorum craſi deſtructa proficiſcuntur: ita Chirurgus occupatus magis eſt circa ea tollenda, quæ præter naturam externis membris contingere ſolent. Differentia porro Medici & Chirurgi poſita eſt in eo, quod Medicus, dum labem in ſuccis vitalibus & vitium internarum partium emendare ac reſtituere debet, exquiſitiori ſcientia judicioque majori & prudentia præditus eſſe debet, quam is, qui vitia tollenda corporis tractat, quæ in oculum & in conſpectum incurrunt. Poſtea etiam Medicus tractat magis affectus cum periculo vitæ conjunctos, (quoniam internæ partes plus ad vitam ſuſtentandam conferunt, quam externæ) quam ipſe Chirurgus, cum vitia externa rariſſime, ſi nimirum interna ſunt ſalva, perniciem vitæ inferant. Deinceps differt quoque in eo Chirurgus a Medico, quod remediorum operationem, malum eventum clariſſime perſpicere poſſit, & ex eo evidentiam ſcientiæ vel artis ſuæ demonſtrare. Medico autem nequaquam id eſt conceſſum, cujus imperitia & actio magis occultata manet, neque ita aperte ſenſibus patet. Unde fit, quum judicium de Medico, quid egerit, tam difficile ſit, Medicum peritum æque ac imperitum eadem in dignitate atque exiſtimatione vulgo haberi. Sunt itaque in eo feliciores Chirurgi Medicis, qui, quid præſtiterint, demonſtrare poſſunt, cum in Medicina, num vigori naturæ an arti bonus ſucceſſus adſcribi debeat, valde obſcura & difficilis judicationis res ſit. Suaſor itaque autorque ſum omnibus, qui Medicinam facere allaborant, ut maxime omnium notitiam Chirurgicæ artis ſibi comparent. Olim a ſummis viris, uſque antiquiſſimis, Asclepiade, Hippocrate, & Galeno eximie culta fuit & nunquam a rationali curandi methodo ſejuncta, ſeorſim tractata, ſed potius perpetuo neceſſitudinis vinculo annexa fuit. Noſtro autem tempore, neſcio profecto, an fato quodam, an potius Medicorum ſocordia & faſtu acciderit, ut in hanc præclaram Medicinæ partem abjectæ ſortis homines, raſores, omnium litterarum ignari, veluti fuci in aliena alvearia ſpe lucri irrepſerint. Et veriſſime ex multiplici experientia habeo exploratum, cum affectus externi plerumque ab imperitis & anatomiæ, phyſices, & chymicarum operationum ignaris tractentur; majus damnum, perniciem & noxam a compluribus hodiernis Chirurgis humano generi introduci, & plures exinde perire, vel mutilari & depravari, quam inter media bella per arma id fiat. Hæc omnia cum apud me perpenderem, Medicinam cum Chirurgia conjungere ſemper mihi fuit voluptas. Placuit itaque, ut ſpeciminis loco thema Chirurgicum vulgare quidem, & quod ampliſſimam meretur evolutionem, excutiendum in præſens aſſumere; cui tamen deducendo non magna opinionum vel autorum ſerie adducenda immorabimur, ſed potius ea monita & cautelas, quæ perutiles, & neceſſariæ ſunt in praxi, & tamen rarius in Medicorum ſcriptis reperiuntur, ex optimo experientiæ promtuario in medium proponemus. Id quod ut in proximi ſalutem cedat, ardentibus a Divino Numine contendimus precibus.

§. I.

Vocabulum ulceris quod concernit, illud, licet origine barbaricum magis, quam e puriſſimo latinitatis fonte hauſtum eſſe videatur, tamen mentio illius apud bonos Autores, qui Latine ſcripſerunt, reperitur. Sic VIRGIL. *Georg.* III. v. 454.

> - - - *ferro reſcindere ſummum*
> *Ulceris os.*

Et HORATIUS Lib. I. Ep. XVI. v. 24.

> *Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.*

Nec non LUCRETIUS Lib. IV.

> *Ulcus enim viveſcit & inveteraſcit alendo.*

Imo & ipſe Latinæ linguæ & eloquentiæ Princeps CICERO *pro Domo ſua cap. V.* hoc vocabulo uti non eſt veritus, dum inquit: *Tu tanquam unguis in ulcere exiſteres* &c. alios brevitatis ergo ut taceamus. Non autem ſolummodo Ulcus, ſed & Hulcus, vel rectius Helcos apud Scriptores Medicos legitur. Græcis enim ἕλκος illud dicitur, quod Latinis ulcus audit. Hinc etiam ἕλκωμα, ἕλκωσις, exulceratio, &c. quod nomen vel late vel ſtricte accipitur. In illa ſignificatione notat omnem ſolutionem continui in partibus carnoſis & mollibus factam, unde HIPPOCRATES *lib. de Medico IX.* 11. ἕλκεα carnis vitia & calamitates dicuntur, ſæpeque cum vulneribus confunduntur *II. Porrhet. XIX.* 10. *XXII.* 12. *XXX.* 1. *Lib. V. Epid. XIV.* 7. *Lib. IV. de morb. XXV.* 1. & GALENUS *Lib. de Meth. Med. & Lib. I. de differ. morb.* cum ἕλκος dicitur ἡ συνεχείας λύσις κατὰ τὰ σαρκώδη πάντα, in carne unitatis ſolutio. Sic & apud HOMERUM ἕλκος pro vulnere ſæpe ponitur, ut It. il. v. 811. & v. ult. Hanc tamen ſignificationem hujus vocis in genere ampliorem ſumit HIPPOCRATES, cum *Lib. III. de Fract. t.* 4. *ſcribit*, πάντα τὰ νοσήματα ἕλκεα εἶναι, morbos omnes ulcera eſſe. Stricte vero ἕλκος ſeu ulcus ea ſolutionis continui ſpecies dicitur, quæ in partibus mollibus cum ſubſtantiæ deperditione ac eroſione fit. vid. GALENUS *lib. de conſt. art. p. m.* 36. Et hanc ſignificationem vocisque hujus acceptionem nos quoque in pertractanda ulcerum hiſtoria amplectimur.

§. II.

Ulcus igitur in ſignificatu ſtrictiore ſumtum ſic deſcribimus, quod ſit cum cavitate quadam ſoluta unitas a materia quadam depaſcente putrida fermenteſcibili orta cum effluxu ſaniei vel ichoris. Differt autem ulcus a vulnere, quod, licet vulnus æque ſit ſolutio continui, hæc tamen ſolutio non conſumtione a materia acri, ut in ulcere, ſed ab externo quodam inſtrumento vel cæſim vel punctim recens in parte fiat. A fractura vero diſtinguitur, quod in ea continui in durioribus corporis partibus adſit ſolutio, quæ ab externo & duro inſtrumento vi partem frangente efficitur. Aſt cum carie in eo convenit ulcus, quod utrumque ſit corruptio & exeſio partis affectæ a materia putrida & corrodente orta. Verum cum caries oſſa, ulcus autem molliores partes tantum corrumpat, facile quoque unum ab altero dignoſcitur. Differt quoque ulcus ſtricte ſumtum ab apoſtemate ſeu abſceſſu, dum in hoc magna ſit cavitas, pus bene coctum, laudabile, fluidum, & a ſanguine in partibus muſculoſis corrupto provenit. Ulcus autem ſtricte ſumtum denotat tantum continui ſolutionem, quæ cum minori cavitate eſt, quæ non pus laudabile, ſed potius aquoſum, ſalſum, tenuem, acrem liquorem fundit, utut non negandum ſit, ex apoſtematibus ſæpiſſime fieri ulcera, & hæc utplurimum in principio parvos vel magnos fuiſſe abſceſſus.

§. III.

Partem affectam ſeu ſubjectum tam abſceſſus, quam ulceris quod concernit, præbent hoc omnes omnino partes molliores corporis humani, ſive ſint externæ, ſive internæ; adeoque in capite, trunco, & artubus, ejusque contentis partibus haud raro varia ulcera fuerunt obſervata. Sic ulcerum capitis facit mentionem BAUHINUS *de font. Boll. p. m.* 53. 57. 61. FONSECA *tom.* 1. *Conſ.* 78. BONET. *ſepulchr. anat. p.* 1632. De ulcere in facie maligno vid. POTERIUS *Cent.* 1. *Cur.* 18. De ulcere narium & uvæ CLAUDINUS Conſ. 47. f. 108. POTERIUS *Cent.* 1. *cur.* 28. BENIVENIUS *cap.* 27. HORSTIUS *part.* 3. *lib.* 4. *obſ.* 31. MONTANUS *Conſ.* 119. PLATERUS *lib.* 11. AMATUS *cent. V. cur.* 25. BEN. SYLVATICUS *cent. II. conſ.* 25. *&c.* Et quot *de Ozaena in* naribus exſtant obſervationes apud EPIPHANIUM *hiſt.* 93. FORESTUM *lib. XIII. obſ.* 4. HILDANUM *cent. II. obſ.* 22. SCHENCKIUM *L. I.* JOH. SCULTETUM, MERCATUM *T. I. conſ.* 69. aliosque plurimos? Oculorum ulcera deſcribunt FORESTUS *Lib. II. obſ.* 17. ALEXIUS *conſ.* 5. HEURNIUS *de morb. oculor. p.* 11. MEECKREN *obſ.* 17. *p.* 341. *&c.* Aurium vero JOH. STEPHAN. *Decad. II. conſ.* 6. RULANDUS *Cent. I. cur.* 86. it. *Cent. IV. cur.* 36. FORESTUS *Lib. XII. obſ.* 7. BRENDEL *conſ.* 29. *p. n.* 109. HORNUNGUS *ciſt. med. Ep.* 215. BALLONIUS *Epid. p.* 217. PISO *obſ.* 9. CERMISONUS *Conſ.* 15. *fol.* 8. SCHENCKIUS *obſ. Lib. I. &c.* Oris ulcera enarrant WOLFF. GABELCHOVER *Cent. II. fol.* 132. BORELLUS *Cent. IV. obſ.* 64. RULANDUS *Cent. I. cur.* 95. & *Cent. III. cur.* 75. 93. & *Cent. V. cur.* 25. ZWINGERUS *Theatr. vit. hum. p. m.* 348. HILDANUS *Cent. VI. obſ.* 13. &c. De ulcere maligno fauces occupante vid. GUARINONUS *conſ.* 604. PLATERUS *f.* 377. *&c.*

§. IV.

In trunco frequentiſſime quoque hujusmodi ulcera obſervantur tam in partibus ejus exterioribus, quam interioribus. Deſcribit namque SMETIUS *Miſc. p. m.* 544. ulcus ſub mamma in thoracis cavitatem penetrans, per quod ſpiritus exibat; & de ulcere dextri hypochondrii a ſecto tuberculo cum puris alternata excretione per ulcus & vias urinarias. vid. SEVERINUS in ſuis conſultationibus; & quoties mammarum cancroſa ulcera quæſo obſervata hactenus non fuerunt & adhuc obſervantur. Quoties non ſordida ulcera & pectus & collum, & dorſum, & abdomen, & inguina, & umbilicum, aliasque partes externas moleſtant? Charta ſane nobis in allegandis iis omnibus deficeret, propoſitæque brevitatis limites excedere me cogeret alias neceſſitas. Pauca igitur, eaque curioſiora ſaltim ulcera in trunco ejusque contentis partibus ab Autoribus obſervata poſteritatique relicta huc apponere & allegare placet. Videatur ergo de ulcere in gibba hepatis parte DODONÆUS cap. 28. & BONETI *Sepulchret.* de ulcere ventriculi. *Idem cap.* 32. de eodem cum internorum viſcerum corruptione; *Idem cap.* 27. De ulcere in collo matricis FORESTUS *Lib. XXVIII. obſ.* 48. HORSTIUS *P.* 2. *Lib. IV. obſ.* 5. MATTH. DE GRADIS *Conſ.* 75. ZACUTUS *admirand. obſervat. Lib. II. obſ.* 87. *&* 88. De ulcere fiſtuloſo in collo matricis cum dolore ventriculi LÆLIUS A FONTE *conſ.* 35. De ulcere cancroſo uteri MERCURIALIS *tom. II. conſ.* 84. & SCHENCKIUS *Lib. IV.* nec non HUGO *conſ.* 83. *&c.* De ulcere oborto ex celeri equitatione circa recti inteſtini regionem intrinſecus CORNARIUS conſ. 2. de ulcere ani TRINCAVELLUS *Lib. III. conſ.* 113. BEN. SYLVATICUS *conſ.*

13.

13. c. 3. ZWINGERUS *Th. vit. hum. p. m.* 357. De ani ulcere fiſtuloſo BENED. SYLVATICUS *conſ.* 12. *c.* 3. & GULDENKLEE *L.VI.caſ.* 28. & MECKEREN. *obſ.* 61. De ulcere inteſtini recti Braſilianis familiari BONETI *Medic. Septentr. P.* 1. *p. m.* 559. De ano maligno ulcere exeſo VAN DER WIEL *Cent.I. obſ.* 81. *p. m.* 374. Renes quoque exulceratos fuiſſe, frequentes quoque obſervationes teſtatum faciunt. Videantur ergo hac de re AMATUS *cent.* II. *cur.* 16. FERNELIUS *conſ.* 53. GRADI *cont.* 60. MONTAGNANA *conſ.* 181. nec non de renum & veſicæ ulcere MASSA *P. I. Ep.* 22. BLANCARDI *Anat. Pract. p.* 103. BONETI *Med.Sept. P.* 1. *p.*763. MECKEREN. *obſ.* 59. *p.* 167. *&c.* Inter omnia autem viſcera nullum frequentius ulceribus eſt obnoxium, quam pulmo, cujus tenerrimam ſubſtantiam facillime a materia acri corrodi & exulcerari poſſe, innumera phthiſicorum corporum copia ſufficienter demonſtrat, adeo ut ferme ſupervacaneum eſſe videatur Autorum quorundam obſervationibus id confirmare. Videantur interim, ſi placet BONETUS *ſepulchret. p.* 539. 546. *&c.* FORESTUS *lib.XVI. obſ.* 52. 53. 54. 59. VALLERIOLA *lib. VII. obſ.* 3. HORSTIUS *obſerv. p. m.* 176. aliique. Diaphragma haud raro etiam exulcerari teſtatur BONETUS *loc. cit.* Imo & ipſum cor minime ab ulceribus immune exiſtere poſſe, experientia conſtat. Comprobant hoc noſtrum aſſertum BONETUS *ſepulchret. in locis variis*, nec non BLANCARDUS *anat. pract. p. m.* 94. 202. MECKEREN *obſ.* 35. HILDANUS *Cent.IV. obſ.* 51. RIVERIUS *Cent. I. obſ.* 87. SCHENCKIUS *obſ. med. p. m.* 275. *&c.* De Pancreate exulcerato vid. HIGHMORUS *Diſquiſit. anatom. Lib. I. part.* 2. BARTHOLINUS *hiſt. anat.* 39. *Cent. II.* TULPIUS *obſ. Lib. IV. cap.* 32. BLANCARDUS *anat. pract. p.* 271. BONET. *Med. Sept. P.* 1. *pag.* 650. *&c.* Sed de meſenterii ulceribus SENNERTUS *Tract. Lib. III. Part. V. Sect. II. cap.* 11. BONETUS *ſepulchret. p.* 1415. 1476. SALMUTH *Cent. I. obſ.* 11. *&c.* Et cui penis ulcera in gonorrhoea quotidie obvia non ſunt notiſſima?

§. V.

Artuum varia ulcera deſcripſerunt BONETUS *Sepulchret.* nec non *Med. Sept. p.* 345. 595. LAMZVERDE *App. ad Scultetum obſ.* 25. *p.* 249. *obſ.* 27. *p.* 250. GUARINONUS *conſ.* 493. JOH. BAUHINUS *de fonte Bollenſ. p.* 69. HORSTIUS *P.* 2. *fol.* 638. POTERIUS *cent.* I. *cur.* 7. FAVENTINUS *conſ.* 36. BALLONIUS *Epid. p.* 249. SEVERINUS *de effic. med. p.* 68. *&* 266. GUARINONUS *conſ.* 493. SCHENCKIUS *Lib. V. obſ.* 741. AMATUS *Cent.IV. curat.*56. MOCCHA *conſ.*43. *fol.*381. aliique quamplurimi, ad quos B. L. brevitatis ergo dimittimus.

§. VI.

Ex his ſimilibusve maniſeſtiſſime patet, nullam plane corporis noſtri ſolidam partem, cujuſcunque ſit generis, ulceroſam hanc corroſionem evitare poſſe. Et licet molliſſima tenerrimaque hujus machinæ ſubſtantia, cerebrum nempe, ob ſummam fibrarum ſuarum, quibus componitur, ſubtilitatem vaſorumque tenuitatem & meningum ſenſibilitatem exquiſitiſſimam vix per momenti ſpatium talem dilacerationem corroſionemque ſuſtinere poſſe videatur, attamen nos nonnullorum curioſorum naturæ Indagatorum obſervationes ſatis docent, illud & ulceribus & abſceſſibus obnoxium fuiſſe. Videantur ergo BONETUS *Sepulchret. pag.* 134. de lethargo in apoplexiam deſinente a vaſis tenuis meningis circa ſinciput, ſinu tertio ſanguine turgidis, ventriculiſque cerebri lateralibus pure oppletis ab eorundem ulceribus. P. BOAYSTEU *theat. mund. lib.* 3. *p.* 103. de ventriculis cerebri corruptis in ſubjecto melancholico. Item de abſceſſu cerebri BLANCARDI *anat. pract. p.* 269. EINNINGER *cap.* 4. *obſ.* 69. it. *cap.* 3. *obſ.* 46. VAN DER WILL *cap.* 1. *obſ.* 10. 11. THOM. BARTHOLINUS *Cent.VI. Hiſt. anat.* 13., BORELLUS *Cent.II. obſ.*49. HORSTIUS *exerc. de nat. hom.* HOEFER *Herc. Med. l.* 1. *cap.* 1., *de cerebri Vomica.* BOOTIUS *de affect. omiſſ. obſ.* 3. *cap.* 3., *de cerebro ſuppurato.* TULPIUS *Obſ. Lib.IV.c.* 1. *&c.* Vix igitur errabimus, ſi aſſerimus, totum noſtrum corpus verum ac genuinum ulcerum eſſe ſubjectum. Conſentit nobiſcum TRINCAVELLIUS *Lib. III. conſ.* 112. de ulceribus totius corporis. Et quid quæſo lepra, lues venerea, ſcabies, variolæ, &c. aliud ſunt, quam ulcus univerſale univerſum corpus inquinans ac corrodens? Hujus tamen machinæ humanæ unam partem præ altera magis diſpoſitam eſſe ad ulcera citius ſuſcipienda, nemo, ut opinor, ibit inficias, ubi præſertim exiſtunt plures canaliculi & vaſa lymphatica, ibi enim ſunt copioſiores ſucci, ſicque frequentiora ulcera ſunt in inguinibus, abdomine, ano, utero, ſcroto, perinæo, ut hinc inde notata exempla & quotidiana experientia comprobat. Sic quoque ſanguis ſcorbuticus; lue venerea contaminatus, multis ſcatens particulis acribus ſalinis, tanquam ſubjectum cauſæ accuſari poteſt, prout recte hoc aſſerit Cl. DOLÆUS *Encyclop. Chirurg. Lib. IV. cap.* 2.

§. VII.

Poſteaquam itaque ex probatis Scriptoribus varias ulcerum & abſceſſuum ſpecies, quæ non modo externas, ſed & internas partes occuparunt, in medium adduximus; noſtra autem intentio & ſcopus præcipuus non eſt diſſertationem præſentem in genere de abſceſſibus vel ulceribus internis inſtituere, ſed potius ea, quæ Chirurgicam manum expoſtulant, adeoque externa ſunt, in præſenti agitare: inde pernecesſarium eſſe duco primum varias differentias ulcerum exponere. Etenim non unius ejuſdemque naturæ ac indolis ſunt ipſa, ſed multum inter ſe diſcrepant; quam differentiam ut quis cognitam habeat, plurimum refert, tam ad prognoſin, quam ad curam prudenter dirigendam. HIPPOCRATES *lib. de Medico* §. 1. quatuor vias ulcerum conſtituit, primo in profundum, & talia ſunt fiſtuloſa, ſinuoſa; ſecundo in altum, quæ dicuntur ὑπερσαρκοῦντα; tertio in latitudinem, quæ ſerpunt, & dicuntur ſerpiginoſa; & quarto alia æqualitatem ſervant. Deinceps ulcera ſunt vel benigna, vel maligna; benigna, quæ pus non valde fœtidum, ſed album & purum fundunt, quæ obtemperant remediis. Maligna autem ſunt omnia ea, quæ ichorem tenuem, acrem, lividum aut nigricantem valde fœtidum alunt, quæ conſumunt & depaſcunt partes conterminas, & non modo ſubſtantiam carnoſam, ſed tendines, oſſa aggrediuntur. Talia dicuntur, corroſiva, græce νομάδες, item δυσεπουλάτικα. Et hæc corroſiva rurſus diſtinguuntur in phagædena, quæ mitiora ſunt; chironia, quæ talia dicuntur a *Chirone* medico, qui ea mira dexteritate ſanare potuit. vid. LANGIUS *epiſt.* 46.; & telephia, quæ pejora ſolent eſſe prioribus. Optime autem deſumitur differentia ulcerum ab ipſa natura ulceris. Ita ulcus malignum ſive cacoëthicum ſtricte dicitur, quod eludit remediorum omnem vim, & difficillimæ eſt ſanationis, & ab humore ſumme corrupto fovetur, vel a ſanguine valde impuro ſuſtentatur. Hujus generis ulcera ſunt, quæ morbo Gallico & ſcorbuto confirmato complicantur; item quæ ex ictu venenatorum animantium, aut ex armis veneno imbutis fuerint nata. Ejuſmodi generis ulceribus gravia ſymptomata ſolent jungi; ingens adeſt & celerrime progrediens putredo, dolor atrox, inflammatio, febris, oſſium caries, labiorum calloſitas, & horum omnium a remediis exacerbatio.

§. VIII.

Porro ulcera peſſimi etiam moris ſunt cancroſa, quæ cognoſcuntur ex tumore livido glanduloſarum partium ramulis venarum inſignibus ſtipato, doloroſo, qui apertus celerrime proſerpit cum intolerabili fœtore & putredine, & ſphaceloſa corruptione. Aliud iterum eſt ulcus calloſum, ubi magna durities in profundo inſtar lapidis ſæpe obſervatur, omni doloris ſenſu privatum. Sequitur carioſum, ubi ipſa oſſa incipiant corrumpi, exedi, quaſi a vermibus fuerint eroſa, ſphacelari, ſecedere. Manifeſtantur ea per oſſium nigredinem, inſignem fœtorem, & difficillimam coalitionem. Nominandum quoque eſt ulcus ſordidum, putridum, & humidum, cujus notæ ſunt materia intus contenta, lardi inſtar tenax, lateribus ulceris adhærens, & continua ichoris effuſio. De gangrænoſo ſeu ſphaceloſo quædam etiam dicenda ſunt. Vocari hoc ſolet carbunculus. Incipit cum maximo incendio, quaſi carbo vivus in cute exiſtat, & fit primo puſtula in cute exiguæ magnitudinis, ſub qua diſrupta cruſtoſa invenitur caro, nigra, omnis ſenſus & vitæ expers. Neque omittendum hic eſt carnoſum, quod excreſcente carne luxuriat. Exempla hujus videri poſſunt in FORESTO *Chir. lib.VII. obſ. 9.* & LAMZWERDE *App. ad Scultetum obſ. 25. p. 299.* BONETI *ſepulchret. p. 1635.*

§. IX.

Accedimus igitur ad fiſtuloſum, quod ex variis ſinibus & canalibus calloſis indolentibus compoſitum, ubi orificia ſæpius arcta, prædura, & calloſa ſunt, quæ ſi cicatrice interdum obducuntur, materia copioſa acris, alias vias quærendo, ſæpius novo orificio foras prorumpit. Mentio quoque facienda eſt ulceris œdematoſi, quale fit in corporibus cachecticis inque partibus tumore obſeſſis, in quibus veſtigia digiti impreſſa retinentur. Et quoniam putredo genitrix ſolet eſſe variorum inſectorum, hinc accidit nonnunquam, ut in ulceribus progignantur vermiculi. Familiare id eſt in purulentis aurium & aliorum membrorum ulceribus, præcipue graviter olentibus, ubi ex putredine & vappeſcentibus humoribus talismodi animalcula ſubnaſcuntur. Verminoſorum ulcerum alias meminit BORELLUS *Cent. I. obſ. 12. it. Cent. II. obſ. 48.* nec non FORESTUS *Chirurg. obſ. 10. lib. VII.* & SCHULTZIUS *conſ. 320. f. 903.* Sicut & DOLÆUS *Encyclop. Chirurg. lib. VI. cap. 50.* Evenit quoque interdum, ut lapidoſa concretio in ſinuoſis ulceribus & maximis abſceſſibus producatur, de qua teſtantur *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. An. 1. obſ. 66. A. IV. 189. An. VIII. obſ. 80.*

§. X.

Adductis itaque variis ulcerum differentiis neceſſe eſt, ut ad eorum cauſas, generationem ſcrutandam & explicandam nos accingamus. Cum autem ex harum cenſu quædam proximæ, quædam mediatæ & remotæ exiſtant, primum, qualis cauſa ea ſit, quæ proximam & formalem ulceris cauſam perficiat, differemus. Eam autem eſſe materiam quandam ſalina corroſiva facultate imbutam, conſtans fere & perpetua tam Veterum quam Recentiorum ſententia fuit. Cujus autem naturæ illud ſal ſit, non idem inter omnes conſenſus eſt. Plurimi hodierno tempore ex acidiorum proſapia hoc eſſe deducendum, aſſeveranter affirmant, hoc maxime ducti ratiocinio, quod acida concentrata, ut oleum vitrioli, ſpiritus nitri & ſalis dephlegmati cuti & carni appoſita, protinus continui ſolutionem & exulcerationem efficiant, quemadmodum fonticulorum artificialis excitatio id clare oſtendit. Adjiciunt porro in robur hujus ſententiæ, quod nullum aliud ſal ſolidam oſſium ſubſtantiam tam promte aggrediatur reſolvendo, quam acidum; unde etiam oſſium cariem ab acido ſale petendam eſſe cenſent. Evincere autem hoc aſſertum conantur maxime a poſteriori, quoniam acida intus aſſumta ulceribus obſunt, & non modo interna, quæ acido contemperando & abſorbendo apta ſunt, ſed & externa, quæ vel ſale volatili oleoſo, vel terra fixa abſorbente pollent contra acidorum ſpicula, magna eſſe præſidia deprehenduntur. Verum enim vero non poſſumus non hic fateri, quod in prædictam hanc ſententiam pedibus ire plura ſint quæ impediant. Non negamus acida cunctaque cruda viſcida omni continui ſolutioni eſſe inimica, & inter generoſa remedia ea quoque ponenda, quæ ſale volatili oleoſo vel terreo alcalino fixo principio imbuta ſunt. Minime tamen exinde concludendum eſſe judico, cauſam ulcerum eſſe ſal acidum. Et ut ingenue rem exprimamus, ex falſo & perverſo talismodi ratiocinio hypotheſis illa univerſalis, quaſi acidum ſit genuina & univerſalis & principalis omnium morborum cauſa, infauſto fato irrepſit in Medicinam, cui jam tum in juventutis annis ſeſe oppoſuit Exc. Dn. PRÆSES *in Exercit. de acidi & viſcidi inſufficientia pro ſtabiliendis omnium morborum cauſis*; ſiquidem minime ſequitur, acidum eſſe inimicum, v. g. vulneribus, & alcalina proſunt, ergo acidum cauſa eſt vulnerum, cum tamen cauſa ſcindens ea externa ſit. Spiritu vini ipſo non datur præſtantius remedium ad ulcerum ſorditiem expurgandam, eaque carne inducenda, cum tamen ſecundum eorundem ſententiam & vinum & ſpiritus vini acidum contineant. Et quiſnam ſano conceptu comprehendere poterit, omnia balſamica & ſalia volatilia oleoſa tam intus quam extus exhibita agere acidum abſorbendo & ſaturando, dum exigua doſis ſalis talismodi volatilis oleoſi unica vice exhibetur, quo pacto autem paucas talismodi guttulas & exigua grana ſalva & intacta accedere queant ad ſanguinem & ejus totam maſſam tactu alterare poſſint, non video. Interim a paucis guttulis ſalis volatilis oleoſi exhibitis virium erectio, liberior tranſpiratio, & flatuum diſcuſſio præſentiſſime notatur; quæ effecta certe non ab acido abſumto (hoc enim purum in ſuccis animantium intra vaſa contentis non datur, imo ingens quantitas ſalis requireretur alcalini ad hoc ipſum hinc inde diſperſum ſaturandum) petenda ſunt; ſed potius ſalia tenuia oleoſa motum inferunt ſpiritibus, & ſic robur fibris motricibus tono dejectis afferunt. Et eam ob cauſam quoque balſamica & ſale volatili oleoſo ſubtili fœta adverſus ulcera generoſæ ſunt operationis, quoniam circulationem humorum promtam efficiunt, quo fit, ut ipſi a ſuperfluis ſeroſitatibus excrementitiis, quæ mire nutritioni membri, cujus unitas ſoluta eſt, reſiſtunt, per convenientia emunctoria depurentur. Deinceps neque in ipſis ulceribus acidum ſal corroſivum admittimus; unde enim hoc proveniret & tantam corroſivitatem acquireret? nam in ſanguine purum non datur, & ſi detur, qua ratione certa in parte tantum id ſeparetur, intelligere haud poſſum. Et facillima quoque res eſſet ulcera corroſiva exedentia cancroſa ſiſtendi, cariem quoque oſſium tollendi, per ſola nempe acidum abſorbentia, id quod tamen minime procedit; utut non negemus, quod hæc ipſa exterius applicata non careant ſua laude, neque tamen propter hanc cauſam. Adjicimus & illud, quod ſi ab acido corrodente proficiſceretur oſſium & carnium abſumtio, non locum poſſe habere fœtorem, qui tamen perpetuus horum comes eſt; nam etiam ſumme corroſiva acida exterius applicata ſine fœtore operationes ſuas exſequuntur.

§. XI.

§. XI.

Noſtra itaque ſententia eſt, proximam & genuinam ulcerum non modo, ſed & cariei, & omnis exeſionis in partibus cauſam eſſe putredinem, ſive humorem in cavitate ſtagnantem putrefactum. Tanta enim vis eſt putredinis, ut ea corpora, quæ aggreditur, plane diſſolvat, deſtruat texturam, conſiſtentia eorum plane immutata, quemadmodum id tam in vegetabilium, quam in animantium genere ad oculum apparet. Putredo namque motus inteſtinus intimioris admiſſionis eſt, quo unio partium mixtum conſtituentium diſſolvitur, recedentibus maxime particulis ſalino-ſulphureis a vinculo terrearum viſcidarum, a quarum partium receſſione dependet etiam fœtor, qui individuus ſolet eſſe putredinis comes. Ex fœtore autem, qui omnibus dentibus & oſſibus carioſis aſſiſtit perpetuo, recte colligimus præſentiam putredinis. Imo non ſine fundamento peritiores judicant, quod, quo major fœtor eſt in ulceribus, eo pejoris moris ſit, unde cancroſa peſſima cum abominali odore juncta in dies videmus.

§. XII.

Putredo in animantibus ordinario oriri ſolet ex ſtagnatione ſuccorum, & ſicuti motus progreſſivus illorum per ſe admodum corruptioni obnoxiorum eos unice defendit a putredine, teſte noſtro ſanguine: ita e contrario quies humorum ad putredinem proclivium genitrix ipſius eſt. Ulterius quoque putredo hujus eſt indolis, ut ſeſe mirifice multiplicet, i. e. alios humores accedentes ad putredinem paratos in ſimilem motum putredinoſum abripiat. Habemus hujus rei clariſſimum argumentum in carie dentium, quæ non niſi putredo oſſis eſt, ſucceſſive totum dentem conſumens. Et ſi forſan reliquiæ ciborum in cavitatem ejus ingrediantur, protinus fœtidiſſime olent communicato nempe ipſis motu tali putredinoſo. Idem accidit etiam in ulceribus & apoſtematibus, in quorum cava quando ſuccus nutritius etiam laudabilis adducitur, mox diatheſin ſuam mutat & peregrinam, putidam indolem aſſumit, ut etiam apparet ipſis in fonticulis. Recentiores explicare ulcerum geneſin ſolent per fermentationem, & in quovis ulcere peculiare quoddam fermentum ſtatuunt. Poſſumus hoc vocabulum admittere, ſi putredinem multiplicativam eo ipſo intelligamus. Quoniam autem putredo non ſecus ac fermentatio genitrix ſalium & ſulphuris eſt, ita etiam ſalinam & ſulphuream peregrinam indolem in ulceribus ſinuoſis non excludimus. Odor enim, ſapor, pruritus, corroſio celerrima ſanæ cutis ſulphureo-ſalinam indolem acrem clariſſime demonſtrat. Et hæc eſt vera ratio, quare ulcera difficilis ſint ſanationis, & caries ex oſſibus, ſi ſemel ea occupaverit, & tempore longo atque multo labore tolli vix queat. Si ſimplex acidus corroſivus humor eſſet cauſa ulcerum, is faciliſſimo negotio corrigi & inverti poſſet. Secus autem fit in putredine, quæ ſi ſemel fixam ſedem invenerit in corpore ſive vegetabili ſive animali, ægerrime tollitur, ſed ulterius ſerpendo atque eundo ſeſe propagat, niſi ipſa corrupta pars exſcindatur.

§. XIII.

Ex dictis jam porro colligitur, optima eſſe ea præſidia externa ulcerum ſanandorum, quæ fermentum tale putredinoſum exſtinguunt, quod etiam eſt veriſſimum. Exſtinguunt autem ea, quæ humorum ſtagnationem in fibris & tubulis impediunt, & omni corruptionis generi materialiter reſiſtunt, quo de negotio inferiori loco prolixiorem ſermonem habebimus. Unicum tamen hoc non prætereundum exiſtimo dubium, nempe, quod circa hanc noſtram ſententiam enaſci poſſit, diluemus. Si putredo & corruptio cauſa eſt ulcerum, non differre ſphacelum, qui membri corruptio eſt, ab ipſis ulceribus. Membrum enim ſphacelatum dicitur, quando ſanguis in arteriis & vaſis ſubſiſtit & putreſcit. In ulcere autem eſt magis humor extravaſatus, & non tam ſanguis, quam ſerum; & utut etiam ſerum ſubſiſtat circa ulcera, non tamen ſtatim adeo fœdam corruptionem ſubit, quam ſanguis, qui corruptibiliſſimus.

§. XIV.

Perſpecta ſic cauſa principali, quæ fœdas iſtas progignit ulcerationes, proximum jam eſt, ut reliquas cauſas, quæ putredinem talem ulceroſam in partibus ſuſcitant, adferamus. Jam autem longa experientia probatum eſt, plerumque provenire ulcera a præcedentibus abſceſſibus & vulneribus perperam curatis. Abſceſſus eſt ingens ſinus in parte maxime carnoſa exiſtens factus a ſanguine & ſero ſtagnante, & in pus converſo. Omnis enim ſanguis extravaſatus & regredi neſcius vel mutatur in pus, vel putreſcit. Si pus adeſt, bonum eſt, ſi putreſcit, malum. Quod ſi itaque mature apoſtema aperitur, non modo pus diu ibi detentum in putrilaginem fœtidam abit, verum etiam gravitate ſua per poros deſcendit, & hinc inde varias vias & ſinus efficit, ubi diutius detentum putrido quaſi fermento inficit partes, & ita ulcus progignitur. Idem fit, quando profundum vulnus non bene a ſordibus abſtergitur, ſed nimis cito externe cicatrice obducitur, & materia, quæ profluere debebat, intus contenta corrumpitur, quam corruptionem poſtea cum vicinis partibus communicat. Demum ex inflammata quadam parte fieri perfrequenter apoſtemata & ulcera, non ignotum eſt. Ita interna phlegmone pulmonum & pleuræ in empyema, inflammationem renum, veſicæ, & uteri tranſire in ulcus mali moris, non infrequens in praxi eſt. Eodem modo externe ab eryſipelate ſcorbutico unctuoſis male tractato exulceratio creberrime oritur ipſo etiam HIPPOCRATE teſte *Sect. VII. aph.* 20. Confer. hac de re egregius locus *lib. epid. VI. Sect. III. §.* 35. In partibus quoque glanduloſis tumores duri, vehementer dolentes, inveterati, vel male tractati, aut propter ſanguinem nimis viſcidum, frigidum ad diſcuſſionem ineptum tandem ſucceſſu temporis exulcerantur; in quo ſtatu ſi non prudenter tam internis quam externis tractantur, perfacile fiunt mali moris fiſtuloſa vel calloſa aut cancroſa ulcera. Teſtes ſunt mammæ, parotides, glandulæ maxillares, glandulæ colli muſculo maſtoideo inſtratæ & ſubſtratæ, glandulæque inguinales, quæ ſæpius abeunt ex lento humore ibi ſtagnante in tubercula, inflammationes & putrefacientia ulcera; & nunquam periculoſiora ſunt ulcera, quam in glandulis, propter vaſa copioſa lymphatica & nervos. Pars autem quo magis eſt frigida nervoſa, vaſis lymphaticis perfuſa, eo graviorem patitur inflammationem & exulcerationem. Addimus præterea, contuſionem cauſam eſſe frequentem ulcerum. Hanc ipſam enim, præſertim ſi gravis ſit, preſſo pede inſequitur ſtagnatio humorum, inflammatio & putrefactio. Accidit hoc ſæpiſſime in partibus extremis, manibus & pedibus, ubi omnes contuſiones graviores corruptionis vel ſphaceloſæ vel ulceroſæ non ſunt exſortes, ob inſignem copiam tendinum, nervorum ad has partes abeuntium.

§. XV.

De cætero deprehendimus acerbas & periculi plenas ulcerationes ſine cauſa violenta externa prægreſſa non raro fieri a cauſa interna viſcerum, h. e. a vi-

tio & labe humorum. Nihil enim videmus in praxi crebrius, quam quod menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes cachectici, ſcorbutici vel ſponte vel leviſſima cauſa accedente fœdiſſima & peſſimi moris ulcera in corpore alant. Longe magis autem id ipſum deprehenditur in lue gallica infectis, quorum corpora, præſertim in locis glanduloſis, tenerioribus oſſibus narium, palati, graviſſimis fœdentur ulceribus. Horum rationem non procul arceſſendum eſſe ſumus perſuaſi, utpote ulcus, putredo carnis eſt a putredine in cavitate jam exiſtente producta. Jam ſi humores ipſi in vaſis detenti ex copia recrementorum detentorum proclives ſunt ad putredinem, valdeque impuri, eo facilius per ſtagnationem in languentibus maxime corporibus in ſummum corruptionis gradum evehentur. In prædictis autem morbis ſanguinem & humores valde eſſe onuſtos impuris excrementitiis ad corruptionem proclivibus partibus, ſeroſis, ſalſoſulphureis, nemo negabit, qui horum affectuum cauſas intimius ſcrutatus eſt. Graviſſimus *Author* GALENUS *Lib. IV. de comp. med. ſerm.* 20. lienem & jecur male affectum vitioſi humoris in ulceribus autorem eſſe judicat, & pulchre addit: his antea proviſis ſic tandem ad ulcus curandum venire oportet. Innuit hiſce veriſſime dictis ſanationem eſſe incipiendam, maxime ab internis remediis, quoniam fons mali in hypochondriis latet. Probe enim cognovit ſummus ille vir, quod a jecoris & lienis vitio, quod potiſſimum conſiſtit in impedito motu ſanguinis per hæc viſcera, maximæ impuritates in humores redundent. Inde enim & hypochondriacum, ſcorbuticum, hydropicum, imo hecticum malum ſuos natales agnoſcit. Unum adhuc notatu perquam dignum ſilentio hoc loco non tranſeundum eſſe judico; eſt nempe hoc, quod iis, qui variolis aut morbillis laborarunt, peſſima ſæpius ulcera ſubinde remaneant. Unde ſæpe vidimus ulcera carioſa dyſepuloticа in partibus externis, in pulmonibus autem exulcerationem phthiſin cauſantem. Ratio dubio procul hæc afferri poteſt, quod videlicet in morbis hiſce, conſumta parte ſanguinis balſamica, nutritia, reliquus cruor in effœtam putridam vappam, præſertim ex neglectu bonæ diætæ vel remediorum balſamicorum, imprimis myrrhatorum abeat. Accidit quoque id crebrius poſt alios morbos, præſertim febres internas inflammationes, ut apoſtemata, ulcera hinc inde in partibus emergant, non aliam forte ob rationem, quam quod talis morbus ſæpe copiam materiæ vitioſæ relinquat, vel etiam ipſi humores ſub morboſa diſpoſitione alienam & corroſivam diatheſin contrahant.

§. XVI.

Præterea ætas juvenilis & infantilis, ſenilis quoque, habitus corporis laxus, ſpongioſus, mollis, obeſus, copioſis & exilibus vaſis ſtipatus, temperamentum ſanguineo-phlegmaticum, intemperantia in victu, aër nimis ſqualidus & humidus, ſedentaria vita, multum favent & velificantur generationi ulcerum, ſiquidem eorum omnium ea eſt natura, ut ſanguinem copioſum & impurum ingenerent. Si enim flaccidæ & molles ſunt fibrillæ muſculorum, & corporis vaſa anguſta ſunt, ſanguis ſero ſuperfluo ſcatet, nec non ſpiritus, qui movent corpus, deficiunt, atque humoribus decens fluiditas, mobilitas ac ſpiritualſcentia deeſt, non poteſt non exinde reſultare tardior, ſegnior, & impeditior motus ac ſanguinis circulus, qui ſi in debita velocitate conſiſtens ſanguinem ab omni heterogeneitate depurat atque putredinem arcet, ita ignavus & impeditus fœcunda mater omnis cacochymiæ & impuritatis eſt.

§. XVII.

Commemorandum & hoc loco aliquid eſt de contagio, cujus beneficio ſæpe exulcerationes in ſana corpora transferuntur. Solenne & perpetuum id eſt, quod ubicunque exulceratio quædam putrida ichoroſa offenditur, ibi infectio & contagium principem locum obtineat, adeo ut ſumme contagioſi morbi ii ſint, quibus putredo ulceroſa juncta ſit. Et nullus morbus alius eſt contagioſus ſecundum *Excell. Dn. Præſidis* ſententiam, quam qui ex putredine eſt. Jam vero nullus contagioſior morbus ex omnium Practicorum conſenſu eſt dyſenteria, peſte, & varioloſo morbo. Peſtis recte dicitur ſummus putredinis gradus. Teſtantur putredinem ſphaceloſam carbunculi, bubones. Variolæ quid aliud ſunt, quam ulcuſcula copioſiſſime cutem defœdantia? In dyſenteria graves adeſſe inteſtinorum cum inflammatione & ſpaſmis exulcerationes nemo ex practicis facile negabit. Ex chronicis morbis lues venerea, ſcabies, lepra, elephantiaſis contagio alios inficiunt, certe non per aliam cauſam, quam ex putrida ulceratione. Quemadmodum autem in acutis contagium penetrantius, quam in chronicis, ubi fixius & tardius, ita in illis quoque motus putredinoſus eſt celerior, igneæ quaſi naturæ, in his lentior & tardior. Ex eo palam fit, haud dubitandum eſſe, ulcera, cujuscunque ſint generis, contagii non eſſe expertia, neque res non adeo ignota, ſed ſatis obvia eſt, phthiſicum vel ſcorbuticum per familiare conſortium & immediatum contactum derivare ſuum affectum in alterum ſanum. Mirabilis eſt hiſtoria, quam notavit SEVERINUS *Tractat. de Vipera p.* 350. de puella oſculo corpora inficiente. Quod autem omnes morbi, qui cum exulceratione juncti ſunt, contagio plus vel minus noceant, nulla alia dari poteſt cauſa, quam ipſa conjuncta putredo, cujus tanta vis & energia eſt, ut vapore tetro mirifice ſeſe propaget & multiplicet. Et quemadmodum in vegetabilibus unum pomum putridum reliqua protinus contactu corrumpit; & ſicuti parum fermenti ingentem maſſam ad ſimilem fermentationem adigere poteſt: ita etiam putredo in animantibus, mirifice multiplicatur citra virium ſuarum jacturam. Sique ex alto inquirenda eſt mirabilis in putredine hujus effectus origo, non alia occurrit, quam motus inteſtinus, qui potiſſimum in putredine reſpiciendus eſt. Minime vero materiæ moles conſideranda. Nam uti pauca flamma in intuitu ſeſe propagat ſolo motu, ſic contagium ex putredine natum vim in propagatione oſtendit.

§. XVIII.

Unicum adhuc reſtat, & quidem haud exigui momenti circa ulcera excutiendum, quod nempe hæc ipſa, præſertim inveterata & fiſtuloſa, medelæ ſæpe ſint, & corpus ab aliis immune vitiis præſtent. HIPPOCRATES *lib. de humor.* 201. *& lib. epid.* 3. *ſ.* 3. §. 35. ſcribit: quibus ad ſuppurationem venit tum temporis contagioſus morbus, plerique ſervabantur; quibus vero inflammatio diſceſſit, & nullum abſceſſum fecit, horum multi perierunt. Et *Sect.* 11. §. 4. Plerumque alii abſceſſus, veluti fiſtulæ, alii rum medela ſunt, quæ, ubi comparent ſedare ſolent prius oborientia impedimenta alterius loci morbos excipientia. Affert rationem GALENUS *in Comm. de humoribus.* Ab his, inquit, fiſtulis, ſicuti etiam ab hæmorrhoidibus repurgatur redundantia humorum in animantis corpore collectorum, ac plerique non ſecus ac ex hæmorrhoidum excretione, hujus evacuationis beneficio integra valetudine perfruuntur, ut igitur neque oſcitanter, neque ſine magna diligentia curare hæmorrhoides oportet, ita ne fiſtulas quidem. Neceſ-

Neceſſe enim eſt, ut humores ſuppreſſi & dolores & morbos pariant ejusmodi, cujusmodi ſunt humores, qui redundant. Non igitur a ratione alienum eſt, quod dixit, fiſtulas eſſe aliorum morborum remedia, ſicut de hæmorrhoidibus loquens affirmavit, eos, in quibus illæ eſſent, neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque cæteris corripi morbis poſſe. Meretur huc adduci, quod tradit SEVERINUS *de noviſſ. obſervatis abſceſſibus c.* 30. his verbis: Singulare genus eſt eorum ulcerum, quæ conſilio naturæ providentis ad ſoſpitatem hominis ſatagentis parantur, quæ quoniam a magiſtra noſtra bonorum noſtrorum diſcretrice parente proficiſcuntur, facinus hic aut amoliri aut cohibere temere hæc; tametſi enim haud criticum eſt illud opus, nihilominus quia cum profectu eſt animalis, amplectendum eſt beneficium, & a parente beneficia agnoſcenda.

§. XIX.

Perſpicuum ex adductis eſt, quamobrem poſt diurna ulcera occluſa alii morbi non ſine periculo corpus invadant. Poſt occluſum in interna parte manus ulcus pleuritidem & purpuram lethalem ſubortam notarunt *Miſc. N. C. Dec. II. A. III. & IV. obſ.* 43. Funeſtam quoque ulceris antiqui conſolidationem eodem in libro reperies *Dec. II. A. VIII. obſ.* 83. FABRICIUS HILDANUS *Cent. III. obſ.* 39. refert identidem ex ulcere empirice curato pleuritidem lethalem ſubſecutam. Et in eadem obſervatione docet, aſthmaticum ab aſthmate inveterato ulceris beneficio, quo in pectore, & quidem inter ſextam & ſeptimam coſtam laboraverat, pleniſſime convaluiſſe. Memoratu etiam dignus eſt caſus, quem adfert TIMÆUS A GULDENKLEE *lib. II. num.* 26. de sereniſſima Principe, quæ occluſo ulcere, quod a multis annis in pede fluxerat, in atrociſſimos capitis dolores, ſcotomiam, vertigines, denique in mentis alienationem & alia graviſſima ſymptomata inciderit, a quibus nulla arte liberari potuit. De cœcitate ex intempeſtiva ulceris rheumatici occluſione ſuborta memorat Idem *lib. II. caſu* 28., quod patiens in capitis dolores inciderit adeo vehementes, ut de vita deſperaret, & paulo poſt plane obcœcatus ſit. Exinde quolibet mane a ſomno multum viſcidæ ac flaveſcentis fœtidæque materiæ frequenti expuitione citra tuſſim rejecit, conqueſtus, ſe, quamdiu jejunus eſſet, eundem fœtorem in ore percipere, quem olim ex ulcere pedis. Fonticulos diu geſtatos vel naturæ vel artis beneficio conſolidari non ſine gravi ſanitatis damno, etiam in vulgus notum eſt. Rationem autem, quare non modo fonticuli, ſed & antiqua ulcera corpori medela ſint, & magna vitia ab eo avertant, invenire difficillimum credo. Non enim hic ſufficit ſolius quantitatis quædam imminutio per ulcera facta, ſed veroſimillimum eſt, prava etiam qualitate imbutos humores per ipſa ex corporis ſphæra ſecerni. Nam ſi conſideremus, quantum uſum in veteribus acribus defluxionibus ſeroſis nervoſas & tendinoſas partes infeſtantibus præſtent fonticuli, & quam celeriter vel in diæta vel animi motu vitium tranſeat in ulcus, ſive naturale ſive artificiale ſit, & quam male ſe inde habeant, non poſſumus, quin affirmemus, impuritati humorum hæc ipſa ſimul proſpicere. Dignum quoque annotatione eſt, ſi quando dens carioſus in principio mox evellitur, protinus in alium dentem ipſam cariem derivari, adeo ut conſultum ſit ad ſanandos dentes, non mox accedere ad evulſionem eorum, ſi doleant, ſed eos ipſos in ore retinere, quamdiu poſſibile eſt. Videtur nempe natura ad loca hæc putredine tacta maxime corruptos & malignos humores ex corpore amandare & per ea excludere; quod negotium mechaniſmo etiam abſolvi non dubitamus, tamen, qualis ſit, & quomodo fiat, determinare perdifficile eſt. Tandem circa hanc rem non negligendus eſt elegantiſſimus locus HIPPOCRATIS *lib. de morbo ſacro ſect.* 7. §. 8. *& ſeqq. Quibuſcunque pueris erumpunt ulcera in caput & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſalicoſi fiunt ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facillime degunt & comitiali morbo non apprehenduntur.*

§. XX.

Accedimus nunc ad ſingulare explicandum phænomenon, quod hoc modo habet: peſſimum ſtatum ægrotantis eſſe, quando fonticulus & ulcus quoddam, quod antea fluxerit, ſiccum & lividum evadit, conſtans obſervatio in praxi eſt. HIPPOCRATES noſter jam ſuo tempore id docuit, inquiens in *lib. prænot. Sect.*4. §. 8. *ſi periturus eſt homo, ulcus ante mortem lividum ac ſiccum erit, aut etiam pallidum & ſiccum.* Item *in Coacis Sect. III.* §. 356., *ulcus lividum & ſiccum aut cum virore pallidum lethale eſt.* Ratio hujus rei repetenda videtur ex ſanguinis motu. Hic enim ſi liber eſt & æquabiliter diſpenſatur per omnes partes corporis, præſertim extremas, indicat vigorem naturæ, pulſum fortem, & vias patulas, quod fit in ſtatu ſano. In ægroto autem & circa mortis confinia virtus iſta vitalis movens perit, hinc motus & influxus ſanguinis deſerit a corde remota membra, quæ inde coarctantur, horrent, frigent, arida fiunt. Eandem quoque ob cauſam ulcera non amplius manant, imo, quod notabile eſt, veſicatoria applicata, quod peſſimum in acutis ſolet eſſe indicium, effectu vacant.

§. XXI.

Expoſitis igitur non modo cauſis, ſed & variis phænomenis circa ulcera contingentibus jam non abs re erit ea ulcera, quæ non modo perículoſa, ſed ægre curabilia & rebellia ſunt, inſinuare. Pauca autem ulcera ſunt, quæ in articulis, capitibus muſculorum, malleolo, tibiâ, partibuſque tendinoſis, nervoſis, in manibus & pedibus oriuntur, ſique inveterata, fiſtuloſa, & carioſa exſtiterint, & totum pedem vel manum occupaverint, nulla ſpes ſanationis eſt; nam ob doloris acerbitatem in taliſmodi locis nec ſecare, nec canales ampliare licet. Ergo optimum conſilium eſt partem corruptam abſcindere, ſi quando æger talem operationem ferre velit vel poſſit. In lingua difficillimæ ſanationis quoque exiſtunt ulcera. Solet iſta comitari perpetua ſalivatio, eaque viſcida & glutinoſa ex ore defluens. Adeſt ſimul deglutitio difficilis, & dolor lancinans ad aurem lateris affecti quandoque exporrigitur. RUYSCHIUS *obſ.* 76. cenſet optimum eſſe, ſi pars linguæ corrupta ſectione exſtirpetur, & poſtea inuratur. Et veriſſime ſcribit CELSUS *lib. VI. cap.* 12., quæ in latere linguæ naſcuntur ulcera, diutius durant. Aurium ulcera peſſima quoque ſunt. Præcedere hæc ſolent inflammationes & dolores intolerabiles fere, qui teſte CELSO *pag.* 393. ad dementiam mortemque ipſam non raro præcipitant. Valet id autem magis in juvenili & virili ætate, non æque in infantili. Protinus etiam & inter initia taliſmodi exulcerationibus eſt ſuccurrendum. Si enim fuerint inveteratæ, & putredo ipſa oſſa infecerit graviterque oleant, nullum ſanationi locum eſſe, pro certo ſciendum eſt. Peſſimi quoque moris ſunt, quæ narium & faucium oſſa, uvulam & ſinuoſitates oſſium capitis in nares ſe terminantes occupant, præſertim ſi ex reliquiis luis Gallicæ vel ſcorbuti male confirmati oriuntur, quod genus Græci Ozænam appellant. Plurimum cruſtas & odorem fœdiſſimum habent, nec non tenerrima oſſicula per cariem reſolvunt, ut in fragmenta abeant. Curatio eam ob cauſam eſt laborioſa, quoniam non apte ad affecta loca latentia virtus externorum pertingere poteſt, niſi ſingulare accedat artificium. Demum prava ſunt inveterata, in paro-

parotidibus & glandulis maxillaribus nidulantia, perfacile enim degenerant in fiſtulas.

§. XXII.

Ulcera quoque matricis maligna ſunt, curatu difficillima, & cum perſeverant, ſæpe deducunt ad cancrum lethalem. Conqueruntur de ineffabili dolore, ut mortem ſibi ſæpius optent; conatus adſunt egerendi, & ſanguinis vel puris continuum profluvium. Ejuſdem commatis ſolet etiam eſſe veſicæ ulcus, cujus præſentiam indicat dolor aſſiduus in ea corporis parte, quæ inter podicem & teſticulos poſita eſt, perinæum vocant, moleſtat ſimul mictus creber, ſumme acris, dolorificus, & ſedimentum urinæ ſanioſum, graveolens. Non facile ſanantur hæc ulcera, quoniam ægre ad ea accedere poſſunt remedia, ſiquidem ab injectione liquorum facile læduntur partes, & urinæ acris perpetuus affluxus impedit conſolidationem; & cum veſica pars frigida ſit, pauci ſanguinis particeps, eapropter remediorum virtus penetrare huc non valet. Ardua identidem eſt inteſtini recti prope ſphincterem ulcerum ſanatio. Facile enim calloſa, profunda, & fiſtuloſa fiunt; & ob continuum ſordium & humiditatum affluxum ac tranſitum extergentium & conſolidantium virtus labefactatur.

§. XXIII.

Ulcus in urethra ex gonorrhœa natum non exigui quoque momenti eſt. Probe vero diſtinguendum eſt urethræ & veſicæ ulcus. In illo pus urinam præcedit, & dolor inter mejendum acerbus, membrum tenſum fit, dolet, curvatur ad infernum, nec niſi inter femora teneri poteſt. In veſicæ ulcere non tam ſævus eſt dolor, nec pus ſenſim, ſed cum urina ſecernitur, lotium fœtet. Niſi urethræ ulcera cito curentur, in carunculas peſſimas abeunt, quæ urinæ meatum obſtruentia multum laboris faceſſunt Chirurgis. Partes hæ, quoniam valde ſunt ſenſibiles, non bene ferre poſſunt ea, quæ putredini & excreſcentiæ removendæ apta ſunt. Amplius quæ fiunt ex cauſa interna, nempe ex ſcorbuto, hydrope, cachexia, præſertim ex menſium vel hæmorrhoidalis fluxus vitio, ſanationem ægerrime recipiunt. Galenus *lib. V. de atra bile* ſcripto reliquit: *Ubi adeſt calida intemperies aut lienis vitium, maligna ſunt ulcera, & difficiles curationes.* Notant hæc, viſcera non eſſe ſalva, ſed ingentem impuritatem ſuccis continuo infundi. De hydropicis ita cenſet Hippocrates *Sect. VI. aph.* 8. ait: inter cutem aqua laborantibus ulcera in corpore facta non facile ſanantur. Igitur ſanationem difficilem reddit depravata & a naturali craſi longe multumque deflectens ſanguinis & humorum conditio, quam niſi prius auferas, quod longum requirit tempus, incaſſum laborabis.

§. XXIV.

Supereſt nunc, ut de methodo & via ad felicem ſanationem perducendi mali hujuſmodi generis ulcera ſolliciti ſimus. Nolumus autem hic magnam remediorum vel formularum ſylvam in campum adducere, ſed tantum breviter ſtrictimque errores vulgares Chirurgorum & perutiles cautelas in medendo, & quid faciendum vel omittendum ſit, exponere, quæ ſi teneantur, Chirurgum non facile deſerent. Primum autem animadvertendum eſt in omni ulceris cura, num a cauſa interna foveatur, & utrum plethora atque cacochymia præſens ſit. Hæc enim niſi prius amoveamus, omnis externorum uſus nullus erit. Et quoniam a conſuetis evacuationibus ſanguinis ſuppreſſis videlicet in fœminis ex menſibus, in viris ex hæmorrhoidibus utplurimum naſcantur malæ illæ cutis & carnis defœdationes, videndum eſt, quomodo excretiones ſolennes & naturæ conſuetæ ſeſe habeant, quæ ſi deficiant, omni opere laborandum eſt, ut in ordinem redigantur. Cum itaque eo in internis omnis cura primum dirigenda, & conſiderandum, num ſanguinem mittere proficuum ſit: præſtat hic venam pedis aperire, vel in viris hirudines applicare. Præterea Hippocrates *lib. de humor. Sect. XI. §.* 1. prodidit: *Qui hæmorrhoides habent, neque phagedæna, neque furunculis, neque lepris, neque vitiliginibus corripiuntur.* Item *lib. de judicationibus Sect. X.* §. 5. ponit: *Atrabilariis ſi oboriuntur hæmorrhoides, bonum eſt.* Non datur autem melior modus eas aperiendi, quam per hirudines. Harum uſum jam probatum innuit Avicenna teſte Guidone *tract.* 7. *de phlebot. c.* 1. inquiens: *hirudines proſunt in ulceribus malis emunctoriorum & difficilis maturationis, inque partibus, quas teneritudine veremur attingere, quales oculi ſunt & nares, & gingivæ, pudenda, manus, pedes, & partes denudatæ carne, ut junctura, & denique in pueris.* In his etiam malis, quæ cutem perreptant, ut ſerpigine, impetigine, malo mortuo & ſimilibus. Singularem hac de re tradit obſervationem Tulpius *lib. IV. cap.* 14. hujus tenoris: Sacro igni mulieris melancholicæ crus exedenti optime profuit ſanguiſuga, quæ exſucto ſanguine fervido & aduſto, qui perennem fomitem ulceri ſuppeditaverat, facillime ceſſit reliqua moleſtia ſoli pani aquæ immacerato. Perpendamus quoque, quid de hæmorrhoidum provocatione ſentiat peritiſſimus Chirurgus Italus Severinus *in Trimembri Chirurgia pag.* 47. ſequentem in modum diſſerens: nolim ignorari certum hæmorrhoidum beneficium, cum aut cancer, aut atræ bilis ulcus partes quaſcunque corporis prehenderit. Et quidem in his vix invenitur aliquod mea & Paracelſi ſententia melius beneficium, ſive in maribus, ſive in fœminis; ſed ſi vetuli utrique ſint, omnium optime convenit. Aperiendarum autem iſtarum apud omnes fere pragmaticos interne ratio eſt aloë, quæ experimento omnia reliqua ſuperat, cujus medicamenti certum effectum expertus ego ſemper ſum in quamplurimis. Quod idem etiam mecum affirmat Prosper Alpinus *lib. III. method. med. c.* 9. & L. Scholzius *conſil. med.* 175., qui idem & de rheo Pontico perhibet *conſ.* 185. *p.* 548. & *conſ.* 295. *p.* 588. Quod ſi vero ſimplex adeſt plethora, quæ curationem impedit, ſanguinem mittere conducit; ſanguine enim defluente, perhibente Hippocrate *l. c. §.* 7. *Ulcera graciliſcentia ſicciora fiunt & minora; prohibet enim hoc maxime talia ulcera humectari.* Quin etiam fonticulorum uſus certis in ſubjectis non erit de nihilo. Legi de horum utilitate meretur Bonetus *Medic. Septentr. P. II. p.* 344.

§. XXV.

Si quando ſerum copioſum impurum in venis contentum moratur conſolidationem, nocente ſuo affluxu in rheumaticis alvum ducere oportet. Egregia ſunt, quæ hanc in rem habet Hippocrates *loc. cit. Sect. IV. §.* 6. *Depurgatio ventris deorſum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum eſt, & in his, quæ conſuta ſunt, & in exedentibus ac ſerpentibus & aliis inveteratis ulceribus.* Non autem hic promiſcue omnis generis pharmaca in uſum vocanda eſſe exiſtimandum, ſed talia opportuna ſunt, quæ balſamica & ſimul aperiente virtute pollent. Referri huc debent aloë, rhabarbarum, extractum hellebori nigri, cumprimis extracta ex amaris parata gummataque balſamica, ex quibus convenientem mixturam præſtantiſſimum remedium in pilulari forma paramus, quod vel ſolum vel cum mercurio dulcificato ſociatum non ſemel, ſed repetito uſu & mira in his &

& aliis præſtitit. Denique magnum præſidium in inedia & abſtinentia conſtituimus, hæc enim mirifice minuit humorum copiam & viſcidos lentos ſubtiliſat. Præclara tradit AVERROES & GALENUS *aph.* 4. Si timetur in ulceribus curandis purgatio vel phlebotomia, abſtinentiâ cibi totum corpus æqualiter purgandum eſt. Quare abſtineat æger a multo cibo, & erit loco levis evacuationis.

§. XXVI.

Ulterius quando ulcus pro fundamento habet ſcorbuticam, videlicet viſcidam & ſalinam peregrinam humorum dyſcraſiam, vel ex luis venereæ reliquiis ſobolefcit, non datur melior via ſuccurrendi hiſce malis, quam per ligni Indici decoctionem. Profecto latet in ejus decenti uſu magnum arcanum ferina ulcera imprimis, quæ in naribus & palato ſunt, ad ſanationem ducendi, uti cum ſucceſſu id aliquoties expertus eſt *Exc.* Dn. PRÆSES. Improbandum vero, quod hodierno tempore plurimi Guajacum penitus averſentur, metuentes ejus acrimoniam & ſiccitatem, ſed magno in errore verſantur. Olim ejus uſus incomparabilem adverſus luem veneream præſtitit effectum, qui ab aliis poterit expectari. Pollet Guajacum ſale ſubtili acri reſinoſo ſtimulante, quod per coctionem tranſit in aquam. Hoc coagulatum ex inventione Dn. PRÆSIDIS, vid. *Ejus diſſert. de ſternutatoriis*, præſtantiſſimum omnibusque præferendum eſt ſternutamentum. Hoc ſal tenue cum copioſa aqua in ſanguinem delatum fibras vaſorum animando motum injungit viſcoſis humoribus promptiorem, quo attenuantur & poſtea per omnis generis emunctoria eliminantur. Opus autem maxime omnium eſt, ut ejus uſus per tempus continuetur. Placuit hac de re adducere ex NIC. MASSA *in epiſt.* 29. eximium locum, verum decocti ligni Indici uſum nobis exhibentem. *Decoctio*, inquit, *ligni Indici per conveniens tempus, videlicet per* 40. *dies, ſumme neceſſaria eſt. Darem veſperi & mane cyathum unum aquæ primæ decoctionis; ſecundæ vero decoctionis aquam darem & ante prandium & per totum diem ad lubitum, etiam in nocte, ſi bibere voluerit, quoniam hoc univerſale eſt, maxime in morbo diuturno, quod quanto plus æger biberit tam ex prima, quam ſecunda decoctione, tanto melius liberabitur.* Hucuſque ille. Si vero contingit, ut ex Gallico morbo fœdiſſimis ulceribus movendis cura per decoctum hujus ligni non ſuffecerit, ad potentiora antimonialia, mercurialia ſelecta, qualia ſunt tinctura antimonii acris & mercurius diaphoreticus D. PRÆSIDIS, deveniendum eſt. His ſine ſalivatione tutiſſime multiplici experientia teſte graviſſima hujus ſymptomata perſanari queunt.

§. XXVII.

Memorandum adhuc unum egregium & longo uſu comprobatum remedium adverſus mala ulcera, & hoc eſt aquæ potus, ſive ſit pura, ſive ſale quodam minerali imbuta. Perpulchrum hac de re diſſerit HIPPOCRATES *lib. de ulcer. Sect. I.* §. 8., modicus cibus & aqua quam maxime omnibus ulceribus conducunt, & magis recentioribus, quam vetuſtioribus, & ſi quod aliud ulcus inflammatum eſt, aut inflammationem minatur, & ſi periculum eſt corruptionis, & ulceribus ac inflammationibus in articulis. Et ut brevibus, quid ſentiam, dicam, ſi ullum remedium quadrat tollendæ ſanguinis veteri impuritati ſcorbuticæ, ſanguinemque emendat, certe eſt aquæ bonæ liberalior & longior potus. Nobiliorem autem virtutem utique exerunt acidulæ & thermæ, quarum uſus in perſanandis exulcerationibus penes omnes ſcriptores eſt decantatiſſimus: Aqua enim eſt, quæ copia & fluxilitate ſua meatus obſtructos reſerat, viſcidos & ſalſos humores diluit, & per convenientia emunctoria eos ſecludit. Unde ſi ullum remedium univerſalis titulum meretur ſecundum *Dn. Præſidis* ſententiam, eſt bona aqua & bonum vinum. Manifeſtum eſt veſicæ ulcus valde rebelle eſſe; nihilominus TULPIUS *Lib. II. cap.* 53. hoc refert, deploratum ulcus veſicæ, & nullis aliis remediis cedens, tandem uſu fontis Spadani fuiſſe ſanatum.

§. XXVIII.

Perluſtravimus hactenus ea, quæ interne reſiſtunt ulcerum curationi, & qua ratione ea tolli queant, docuimus. Sequitur jam, ut impedimenta curæ cætera recenſeamus. Suntque ea in ulceribus ſordities, inflammatio, humorum affluxus, excreſcentia carnis, ſcirrhus, nimia cavitas, labiorum durities, caries, oſſis fragmentum, & ſimilia. Hæc omnia prius ſunt amovenda, antequam laudabilis poſſit ſperari conſolidatio, neque unquam prius ad ſarcotica & exſiccantia confugiendum, niſi impedimentis iſtis ablatis. Primum autem expedit inflammationem tollere, de qua GALENUS *meth. lib. IX. c.* 12. hæc habet. *Si ulcus carum junctum eſt cum inflammatione partis circumſtantis, niſi inflammationem auferes, ulcus fiet ſordidius & magis carum.* Confert tali in caſu interne exhibere diaphoreticum nitroſum cum aqua ex floribus ſambuci; extrinſecus vero parti affectæ admovere ſaturnina cum camphora, quæ in præſenti negotio omnibus anteferenda. In rheumaticis vero ulceribus, ubi perpetuus in partem imbecillem vel declivem ſeri fluxus reſiſtit exſiccationi, tum plurimum poſſunt faſciæ unio auſtero rubro imbutæ, quibus totum membrum involvendum. Ligaturæ enim, quantum hic poſſint partem firmando & avertendo hoſtile humidum, dici vix poteſt.

§. XXIX.

Si ulcera ſunt dyſepulotica, labia nimis tumida, nimiaque cavitas, vinum cum lithargyrio, thure, myrrha, bolo coctum omnibus palmam reddit dubiam. Vel ſi nimia cavitas in apoſtemate aut magno ulcere adiit, ſordibuſque ſcateat, aut agglutinari nequeat, ad mundificandum & ichores ac ſordes abſtergendas ſpiritus vini injectio, præſertim in putridis & ſenſus expertibus antiquis ulceribus optima eſt, cujus uſum potentiſſimum atque efficaciſſimum in detergendis ſordidis ulceribus ſine morſu, deprædicat VALLERIOLA *lib. V. obſ.* I. hiſce verbis: *mira profecto aquæ vitæ vis eſt in detergendis ulceribus & glutinandis, præſertim nervoſarum partium, ut diuturna obſervatione nobis eſt comprobatum, qua nihil præſtantius.* Idem *Autor loc. cit.* nobilem & efficacem injectionem in ſinuoſis magnis ulceribus commendat, quam, quoniam præſtans eſt, & uſu crebro explorata, hic recenſere placet. *Recipe ligni ſancti ſubtiliſſime pulveriſati, corticis ejuſdem ana uncias duas, ariſtolochiæ longæ, centaurii minoris, abſinthii, agrimoniæ, caudæ equinæ, foliorum oleæ, myrthi, pimpinellæ & conſolidæ majoris ana m. j., corticum thuris, myrrhæ, ſarcocollæ ana unc. ſemis, vini rubri odoriferi libr. tres, mellis deſpumati uncias quatuor; fiat omnium decoctio, ex cujus colatura fiat injectio intra ulcus, addendo hora injectionis aquæ vitæ electæ unciam unam pro qualibet vice.* Quandoque ingens ſordities ac magna putredo & corruptio viſitur, ubi laudatiſſimam opem tuliſſe aquam, in qua viride æris coctum fuit, aut lixivium ſcoriarum reguli antimonii meminimus. Mox enim corrodunt & nigredinem inferunt. Manifeſtum id eſt in unguento Aegyptiaco, quod dentibus admotum mox protinus inficit nigro colore. Quum etiam ſcirrhi & calloſitates fiſtularum perpetui comites feliciorem occluſionem præpediant, hanc itaque tollere primus Chirurgorum debet eſſe labor. Exequun-

quuntur hoc egregie, ut vario experimento id comprobavimus, viride æris tenuiſſimo pulvere cum ſaliva in maſſam redactum, ex quo variæ turundæ in canales intrudendæ fieri poſſunt. Cavendum vero, ne id tentemus in locis tendinoſis, oſſeis, quibus talia corroſiva ſeptica valde ſunt pernicioſa. Ad duritiem & carnis excreſcentiam exſtirpandam nihil præſtantius adhuc inventum eſt mercurii præcipitati & aluminis uſti pulvere. Conſideremus jam quoque cariem, quæ tam oſſium quam ulcerum eſt pernicies; & quamdiu præſens eſt, fruſtraneus omnis in curando labor. Hanc autem tollere non adeo res facilis eſt. Nihil autem eum in finem præſtantius invenit *Excell. Dn. Præſes* oleo puro nec fucato caryophyllorum, quo, non neglecto internorum uſu, inveterata & pro inſanabilibus habita Gallica narium & faucium ulcera ipſe perſanavit. Hoc mirifice reſiſtit putredini, & penetrantia ſua, dum minimos oſſium tubulos ingreditur, ulteriorem corruptionis progreſſum aufert. Animadverſionem autem meretur eorum, quæ cariei & ſcirrhoſitatibus contraria ſunt, prudens applicatio. Hæc enim ſi non fit, nullus ſanationi locus eſt. Habet autem res hoc modo: Proxime videlicet admovere oportet hujuſmodi medicamenta, alias nihil juvant, ſed potius nocent. Si vero magnæ adſint & profundæ ſinuoſitates, canaliculi occulti hinc inde diſtorti, ut in fiſtulis, res majorem dexteritatem exigit. Non aliud itaque hic datur conſilium, quam diſcindere & aperire occultas has vias, vel eas turundis opportunis, (quarum omnium optima & per experientiam diuturnam probata eſt ex oleo & cera aſſatis facta & compreſſa) ampliare, quo via pateat remediis.

§. XXX.

Remotis igitur obſtaculis, quæ omnem laudabilem excludunt ſanationem, aggredi demum oportet curam; ubi etiam occurrit excutienda quæſtio, utrum ſtatim ſarcoticis exſiccare & cicatricem formare, an prius pus movere conveniat. Errant noſtra ſententia, qui pro ſanando ulcere protinus utuntur topicis ſiccantibus. Placet in hujus rei confirmationem inſignem locum adducere ex SANCTORIO *de indicantium æquilibrio lib. XV. c. 7. p.* 938. Vidimus in Hungaria empiricum, qui ob hujus methodi inſcitiam miſerrime ulceratum hominem tractavit. Hic erat miles ulcere ſordidiſſimo cum phlegmone correptus. Empiricus utebatur exſiccantibus, ſcilicet emplaſtro de minio, de ſucco ſolani, unguento de pomo citri, linimento ſimplici, unguento de lithargyrio & ſimilibus. His ulcus modo videbatur ſanari, & modo ſordidius, & magis cavum effici, nunquam tamen poterat ad ſanitatem pervenire. Tandem me in conſilium vocavit. Novi, inflammationem magis poſſe, quam ulcus & cavitas, eamque alio modo non tolli, quam ſuppurantibus. Juſſi, ut farinæ, lac, & pinguedines applicarentur, poſt quorum uſum vel brevi apparuit album pus, quod erat ſignum, humores imbibitos eſſe concoctos & ſuperatos. Eſt enim GALENI *V. aph.* 22., pus in ulcere maximum eſſe ſecuritatis ſignum. Superata inflammatione brevi ſpatio exſiccantibus & epuloticis eum ſanavi. Cavendum autem, cum intentio eſt pus facere, ut ne id præſtemus unguentis pinguibus. Veriſſime hac de re ſcribit HIPPOCRATES *lib.de ulcer. §.IV.* Oleum & quæcunque mollia aut oleoſa ſunt medicamenta, talibus ulceribus non conducunt, ſi non valde jam ad ſanitatem tendant. Neque ulceribus ex recenti vulnere oleum conducit, neque mollientia, neque adipoſa medicamenta, tum alias, tum quod ulcus ampliore purgatione opus habet. Nec minus LANGIUS *ep.*42. *p.*173. Digeſtiva vulnerum non ſunt digeſtiva ulcerum, quæ aliquatenus ſunt balſamica. Amplius autem de externis ſic res habet. In nervoſis tendinoſis & membranoſis partibus ſi exſtant ulcera, tutiſſima via eſt uti meris balſamicis, ex quibus eminent eſſentia ſuccini, balſamus ſulphuris, Peruvianus, oleum hyperici, quæ vel ſola, vel melle adjecto omnia complent, quæ ad expeditam conſolidationem faciunt. Si vero carnoſa loca patiuntur, ſufficiet unguentum ex terebinthina, gummi elemi, myrrha, vitello ovi ac melle confectum. Ad incarnationem præſtantiſſimum eſt balſamum Peruvianum. Nimia autem ſi adfuerit humiditas, egregie exſiccant terra vitrioli dulcis, oculi cancri, antimonium etiam diaphor. inſperſum. Ex emplaſtris ſaturninum, diapompholigos, opodeldoch & ſtipticum omnium in præſenti negotio ſemper ſunt utiliſſima.

§. XXXI.

Sub finem monenda etiam quædam ſunt de cataplaſmatum uſu. Primum autem perſpiciemus, quid de his cenſeat HIPPOCRATES. Verba ejus *lib.de ulcer.* ſic habent. *Quædam ulcera cataplaſmata ferre nequeunt, magis autem recentia, quam vetuſtiora, & quæ ſunt in articulis.* In *lib. de Medico Sect.* 10. §. 4. *ſeq.* hæc habet. *Cataplaſmate per ambitum ulceris utaris. Nam hic uſus cataplaſmatis & artificioſus eſt, & multum prodeſſe poteſt. Videtur enim ulcera opitulari vis eorum, quæ circumponuntur. Linteum autem conterendum eſt ac emolliendum. Verum partibus extra vulnus circumſitis cataplaſma prodeſt. Talem igitur ipſorum uſum eſſe oportet.* Innuere hiſce videtur divus Senex, non eſſe hoc remedii genus proxime parti affectæ, quam ad ambitum ejus; ſiquidem cataplaſmata ex herbis diſcutientibus, alexipharmacis, ſale tenui oleoſo plenis, decoctis, in vino confici ſolent, quorum virtus potens eſt humores in vaſis vicinos corrigendi & balſamica virtute ad promtiorem motum & meliorem temperiem reducendi. Et quis non exploratum habet, quantum utilitatis & efficaciæ exſerant cataplaſmata in diſcutiendis promte tumoribus? Ultimo hoc ceu perpetuum ſervandum eſt circa curam ulcerum, ne in longum tempus trahatur eorum ſanatio, & ne inveteraſcant, quia periculum eſt, ut oſſa afficiant.

§. XXXII.

Coronidis loco ſubjicienda quædam ſunt de uſu rerum non naturalium. Commodus eſt aër temperatus, qualis eſt vernalis, & æquinoctii tempus, quod *lib. de ulcer.* præfert HIPPOCRATES. Quanta vis inſit aëri pro curandis fiſtulis, legi poſſunt *Acta Haffnienſia Vol. II. obſ.* 43. Quod cibum potumque concernit, conducunt omnia eupepta, bonum nempe chylum & ſanguinem præbentia. De abſtinentia ſeu victu parco jam ſuperius diximus. Sit enim quantitas ciborum ſecundum indigentiam; vitanda autem omnia olera, omnes fructus, omnia ſalſa, acida, cruda, viſcoſa. Vinum oligophoron boni ſaporis & odoris bene temperatum non nocebit. Quodſi ſpirituoſum fuerit, aqua juvetur; acidum autem nec non ſpiritus vini exſulent. Deinceps quoniam pars major ſanitatis fit temperato exercitio, & quies corpus hebetat, ideo hic caute agendum eſt, quoniam, etſi exercitium conferat excitando calorem, tamen nocet motus, & corporis humores provocat ad locum proclivem & debilem, & ideo loco exercitii fiant quotidie fricationes ante cibum, cruribus imprimis, & brachiis, deinde in ceteris corporis partibus. Tandem & venerem rarius admittere & nunquam affectuum vehementiæ indulgere ſaluberrimum erit.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

MORBO LAZARI,

Primùm edita Anno 1733.

PRÆFATIO.

INTER medicinæ partes præſtantiſſima vetuſtiſſimis temporibus celebrata fuit Chirurgia, & hodie celebrari *videtur*: & dum primi Podalirius & Machaon, *teſte* CORNELIO CELSO *pag.* 2. vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi fuerunt ſoliti, ipſa quoque hæc pars eſt antiquiſſima. Veteres hinc Medici pari ſtudio Chirurgiam coluerunt, tanquam Medicinæ partem eſſentialem ac ſumme neceſſariam: adeo ut priſcis temporibus vix inveneris celebres Medicos, quin fuerint præclari Chirurgi. Sed tranſiit pedetentim ad ſervos Medicorum ars præſtantiſſima, & ad nudam empiriam relegata fuit; niſi forſan hinc inde emicuerint veri Chirurgi admodum rari, FABRICIUS AB AQUAPENDENTE, HILDANUS, PARÆUS, SCULTETUS &c. Noſtris autem temporibus ſepulta ferme Chirurgia reſuſcitari viſa fuit; poſtquam Galli, & hos quidam Germanorum ſequuti in ea excolenda inſigniter deſudarunt. Verum enim vero quemadmodum Chirurgia duplex eſt, nimirum quæ vel ferro ac inſtrumentis curat, vel quæ medicamentis medetur: ita hodie manualis illa ac inſtrumentalis præ Medica palmam præripere videtur. Si ſummos noſtrorum temporum Chirurgos, ac ſtellas in cœlo Chirurgico primæ magnitudinis deſcriberem: dicerem, quod ſint *galants hommes*, qui effræni audacia omnia urere, ſecare, ſcindere, amputare, ac gallicam linguam ſtrepere didicerunt. Hinc proh dolor! eo devenit res, ut qui ulcere quodam antiquo & ſordido affectus, abſque membri ulceroſi amputatione ſanari cupit, ſidera illa Chirurgica minime adire debeat. Et gratulor Tibi, mi Lazare, quod noſtris haud vixeris temporibus: cum enim totus fuiſti ulceroſus, totum tibi forſitan corpus fuiſſet amputatum. Abſit vero quam longiſſime, ut debitas Chirurgiæ manuali detrahamus laudes; cui in certis caſibus ſuperſedere omnino non poſſumus. Sed optandum eſſet, ut melius excolendæ Chirurgiæ Medicæ ſtuderemus! Si ulcera duntaxat diſpiciamus, horum quidem frequentiora in libris Chirurgorum inveniemus; rariora autem & abſtruſiora vel confuſe deſcripta, vel alto prætermiſſa ſilentio offendimus. Eadem ſors preſſit ea ulcera, quæ ſub nomine morbi Lazari perſcrutari bono cum Deo conſtituimus: faxit Deus, ut cedat feliciter.

§. I.

QUem Lazari morbum vocant, explicaturi; operæ eſſe pretium putamus, ut ipſius nominis rationem reddamus. Ipſa igitur origo divo Lazaro natales ſuos debere videtur: cujus ſacræ litteræ in *Evangelio Lucæ cap XVI. v.* 20. mentionem injiciunt, tanquam pauperis & mendici, toto corpore ulceroſi, & ad fores divitis epulonis procumbentis. Neque vero ad nos pertinet, penitius inveſtigare, an hæc hiſtoria verum ſiſtat factum, uti veriſimile videtur B. Libero Baroni de CANSTEIN *in harm. Evangel.* aut num ſervator ſub Lazari perſona Johannem Baptiſtam, ſub divitis helluonis larva autem regem Herodem propoſuerit? anne potius parabolis ſit accenſenda? quippe quæ criticorum ſacræ ſcripturæ interpretum relinquimus induſtriæ. Id duntaxat inſtituti noſtri ratio exigit, ut quantum rationali conjectura licebit, perſcrutemur, qualis morbus Lazari a veteribus Medicis fuerit dictus, qualis nobis appelletur, an hodie adhuc detur ac quæ illius ſit indoles ac curatio.

§. II.

Primum itaque haud ignorari oportet, omnium abſurdiſſimam, nulloque prorſus argumento ſtabilem eorum eſſe ſententiam, qui forſitan putarent, Lazarum laboraſſe lue venerea. Ut enim taceam, turpe ac infame hoc morbi genus cum hujus probi viri, quem poſt mortem protinus æterno gaudio donatum fuiſſe legimus, integritate plane pugnare; cui

quæſo in hiſtoria medica paululum verſato incognitum erit, Neapolitanum hocce malum anno demum poſt Chriſtum natum 1494. per milites, quos Chriſtophorus Columbus ex America ſecum reduxerat, non tanto auro, quanto hoc morbo onuſtos, exercitui Romano Neapolim obſidione cingenti primum communicatum, & vi contagii, quod fovet, ſubtiliſſimi ad alias Europæ gentes delatum fuiſſe. *Conf.* FALLOPIUS *tr. de morbo gallico pag.* 685. & ALEXANDER TRAJANUS PETRONIUS *tr. de lue venerea pag.* 1. *ſeqq.* Sed viſne forſitan, hanc gallicam luem cum Lindano aliiſque jam veteribus & ipſi HIPPOCRATI fuiſſe cognitam aſſerere: ac juxta JOHANNEM LANGIUM *in epiſt. medic. part. I. ep. XLII. pag.* 155. ex aeris conſtitutione dicto anno in Italia denuo recruduiſſe? aut viſne cum lepra veterum eandem pronunciare? Fateor multa eſſe utriuſque morbi ſigna apprime inter ſe convenientia: at vero non minus permulta ſunt, quæ longiſſime ab invicem diſtant, & evidentem ſatis evincunt differentiam. Deinceps vero nulla prorſus mentio fit luis venereæ inter Judæos graſſantis, qui turpiſſima lepra ſatis mulctati fuerunt. Unde ergo concludi poſſet, Lazarum illa fuiſſe conflictatum? Abſit de hoc miſero talia prædicare, qui tantum abeſt, ut vel cum ſcortis impuris rem habuiſſe, vel hominum hac lue infectorum conſortio uſum fuiſſe præſumatur, ut potius meliori dignus omnino ſit judicio.

§. III.

Fuitne ergo lepra affectus Lazarus? quemadmodum fere innuere videtur LAURENTIUS *in exegeſi ad Evangelium Lucæ loc. cit.* & hinc leproſos olim Lazarum patronum invocaſſe refert CORNELIUS a LAPIDE *in Commentario ad citatum Lucæ locum.* Subſiſtamus hic paullulum, & perſcrutemur lepræ varia genera. Inſignis committi ſolet a recentioribus præſertim Medicis confuſio in explicanda lepra & elephantiaſi: quorum morborum clariorem apud veteres duntaxat reperimus ideam. Lepra veteribus dicta fuit vel Arabum vel Græcorum: illa dicitur elephantiaſis Græcorum, partim ob morbi magnitudinem, quam præ reliquis habet, quamque etiam Elephas inter cetera obtinere fertur animalia. Sunt ergo lepra Arabum, & elephantiaſis Græcorum ſynonyma, a lepra Græcorum bene diſtinguenda. Datur vero etiam elephantiaſis Arabum, quæ eſt tumor ſcirrhoſus, varicoſus, diuturnus pedum atque crurum: de qua conferatur FUCHSIUS *in paradox. Lib. II. cap.* 16. FORESTUS *obſ. med. Lib. XXIX. obſ.* 26. AMATUS LUSITANUS *Cent. II. curat.* 64. WEDELIUS *Pathol. Med. Sect. III. Cap.* 4. *p.* 512. &c. Hæc porro elephantiaſis Arabum diſtinguenda eſt ab Alboti AVICENNÆ; quem *Lib. IV. Fen. VII. tr. III.* deſcribit; & Græci juxta AETIUM *Lib. IV. Cap.* 62. therminthum vocarunt, quoniam in cruribus ſuboriebantur cruſtulæ granis therebinthinæ haud abſimiles: FALLOPIUS *oper. Tom. I. p.* 685. appellat malum mortuum recentiorum.

§. IV.

Elephantiaſis autem Græcorum ſeu lepra Arabum fuit morbus totius corporis fœdiſſimus ac inſanabilis ferme: quem deſcripſerunt ARETÆUS *Lib. II. cap.* 13. FALLOPIUS *oper. Tom. II. pag.* 268. LOMMIUS *obſ. medic. p.* 51. FORESTUS *obſ. chirurg. Lib. IV. obſ.* 7. &c. Dividunt eam in incipientem, ubi interna duntaxat viſcera vitio laborant, cute immuni; & confirmatam, ubi præter interna totus corporis habitus fœde fuit deturpatus. Incipientis, utut intricatioris ſigna auctores citati tradunt ſequentia: Torpor eſt omnium actionum atque functionum, reſpiratio difficilis, motus voluntarius tardus & ſegnis; alvus pigra; lotium ſubjugale ac ſemper turbidum, abſque tamen febri, vel vitio renum vel veſicæ: fœtida ſpiratio; quemadmodum etiam totius corporis odor & ipſe ſudor eſt fœtidiſſimus; inexplebilis urget ad venerem cupiditas ſeu tentigo; rauci ſunt & per nares loquuntur; cæterum mores habent melancholicorum ſimiles, ſomnia gravia, incubum perpetuum. Ubi vero hæc omnia tranſeunt in cutim ſimul, eamque turpiſſime defœdant, tunc cognitu facilior morbus vocatur confirmatus. Horroris plenum & aſpectu terribile morbi genus; cujus hæc ſunt ſigna diagnoſtica: Facies potiſſimum depravatur; namque malæ tument inæqualiter, oculi præter morem rotundi, ac atro rubore conſpicui altius reconduntur: frons redditur amplior, rugoſa, tuberculis obſeſſa; palpebræ cadunt; mentum intumeſcit tumoribus duris, ſcirrhoſis, cancroſis; labra craſſa, naſus ſimus, aures acuminatæ, tota facies rimoſa, ac colore morpheato induta. Adfligit præterea continua ſternutatio, lingua, & nares interne obſidentur grandinibus; unde nares conſtringuntur, ægri per os ſpirant: cadunt non ſolum capilli, verum etiam totius corporis crines, & evulſi in radice carnem ſecum trahunt. Oriuntur varicoſæ inflationes, tubercula, grandines, verrucæ in toto corpore, maxime facie, pedibus, digitis: hæc tubercula deſinunt in rimoſas dehiſcentias, ulcera fœtida, ac denique ſquamas & furfures ægros: muſculi conſumuntur in toto corpore; cutis ἀναισθησίᾳ afficitur; ipſi ægri fiunt timidi, fugiunt hominum conſortia, hoſque habent odio. Denique integræ partes exceduntur ac conſumuntur; hinc curioſi, ac fere riſu, niſi hunc hominum calamitas prohiberet, digni ſunt caſus bini, quorum primum recenſet GREGORIUS HORSTIUS *obſ. med. Sect. IV pag.* 388. ubi quidam elephantiaſi affectus, mane ſurrexurus integrum pedem corruptum reliquit in lecto: alterum allegat SCHOPFIUS *tr. de lepra*, quod quidam elephantiacus nares emuncturus, has cum pituita ſimul in terram projecerit. Sed fides ſit penes auctores.

§. V.

Hanc Græcorum elephantiaſin, Arabum lepram vocarunt quoque veteres Satyriaſin, partim ob vultum Satyris ſimilem, partim ob tentiginem inexplebilem; Leoniaſin ob faciem rugoſam, leonibus ſimilem, atque morbum Herculeum, quod ſit magnus & inexpugnabilis. Cauſſa eſt inquinamentum ac miaſma quoddam ſpecificum; quod humores vitales partim inſpiſſat, ut hinc mores melancholicorum pateant; partim inquinat & penitus corrumpit: quæ corruptio non ſolum ſuccos lymphatico-ſeroſos, verum etiam ipſum purpureum cruorem depravat, ac denique ſolidas quoque partes relaxat, depaſcit atque conſumit: unde etiam ratio peti poteſt omnium ſymptomatum, ac quod morbus ſit inſanabilis. Cauſſæ remotæ allegantur vel hæreditaria labes, qua parentes eo morbo affecti hunc ad liberos propagant; vel contagium per concubitum ac converſationem communicatum, vel denique proprium vitium, quod in victu ſordido, aëreque humido conſiſtit. Quando mecum perpendo hodierni veri ſcorbuti ſymptomata, vix mihi temperare poſſum, quin iis cum adflictionibus elephantiacorum collatis, ſcorbutum leviorem elephantiaſeos eſſe ſpeciem aſſeram; & inde miram morborum pro diverſa regionum ac aëris conſtitutione mutationem conſiderem. Sed tranſeat hæc conjectura, digna, quæ penitius inveſtigetur.

§. VI.

Hicce ſæviſſimus morbus primum in Ægypto, ſpeciatim Alexandria, admodum fuit familiaris ac fere

re endemius, ob Ægyptiorum victum ſordidum, ac impura ſubterranea habitacula, quemadmodum atteſtantur PLINIUS *Hiſt. nat. L. XXVI. cap.* 1. GALENUS *Lib. II. de arte curandi cap.* 10. PROSPER ALPINUS *Lib. I. de medic. Ægypt. cap.* 14. Hinc LUCRETIUS *Lib. VI. de natura*: Eſt elephas, inquit, morbus, qui Nili flumina propter gignitur, Ægypto in media, nec præterea uſquam. Fuit ergo morbus ille temporibus CORNELII CELSI plane incognitus in Italia; quemadmodum ille *Lib. III. cap.* 25. atteſtatur. Poſtquam autem temporibus Pompeii Magni, Julii Cæſaris, ac Medici Aſclepiadis Romanus exercitus Ægyptum petierat; ille reduxit ſecum contagioſum hunc morbum in Italiam, teſtantibus PLINIO *loc. cit.* PLUTARCHO *ſympoſ.* 8. *probl.* 9. Abhinc demum latius vagabatur hoc malum per Europam, & maxime frequens fuit in Belgio, Gallia &c. adfirmantibus AMATO LUSITANO *Cent. II. curat.* 64. & VALLERIOLA *Lib. VI. enarrat.* 5. Quum autem lues venerea invaderet Europæas regiones; leproſus hic affectus fere penitus diſparuit, ſaltem inter rariſſimos refertur.

§. VII.

Verum enim vero longe alia fuit indoles lepræ Græcorum; quæ magis cutis vitium denotat Veteribus, non totum corpus occupat, nec tam fœdam univerſæ faciei deturpationem involvit, quanta elephantiaſi propria eſt. Elegantiſſimus FERNELIUS *Cap. de impetigine* exhibet hujus lepræ ideam ſub generali nomine impetiginis: cujus quatuor ſiſtit ſpecies, nimirum primum ſcabiem ſiccam, quam Veteres vocare ſolent pruritum; deinde lichenem; tum pſoram, & denique lepram Græcorum. *Conf.* FORESTUS *obſ. chir. Lib. I. obſ.* 10. GREGORIUS HORSTIUS *obſ. med. Sect. IV. p.* 390. fuſius explicat pſoram & lepram hiſce verbis: *Pſoram judicamus, ſi ſcabies ſicca, fœda cutim afficit, eam puſtulis majoribus exaſperat, duriorem, tumidioremque reddit, exedit, findit, ac in ea furfures producit. Lepram Græcorum colligimus, ſi malum in pejus progreditur, ut cum maximo pruritu & corporis atrophia caro ſub cute ſimul exedatur, cutis non ſolum in furfures, ſed etiam ſquamas reſolvatur, nunc craſſiores, nunc tenuiores, maxime circa pilosas capitis & faciei partes.* Gradu enim ferme differunt hi morbi, adeo ut pſora male curata in lepram Græcorum; hæc in elephantiaſin abeat. Pſoræ ſeu ſcabiei ſumme malignæ caſus hodienum adhuc dantur, licet rariores; qualem etiam recenſet Excellentiſſimus HOFFMANNUS *in med. conſult. Tom. IX. caſ.* 5. Num autem vera adhuc apud nos detur lepra Græcorum, fere ambigo; cum omnes quotquot de ea legi, obſervationes, mihi adeo videantur eſſe comparatæ, ut vel ad pſoram vel Arabum lepram majori referri mereantur jure.

§. VIII.

Lepra autem Judæorum peculiaris plane fuit indolis, quæ magis ad Græcorum, quam Arabum lepram accedit. HORSTIUS *loco ſupra citat.* putat eam convenire cum vitiligine alba, & lichenibus: ſed meo quidem arbitrio, vera illius indoles ac natura, quippe qua etiam ædificia fuerunt imbuta, nobis manebit incognita & admiranda. Deſcribitur illa in ſacris bibliis *Leviticor. cap. XIII.* unde tantummodo ſequentia notabimus momenta: 1) quod lepra Judæorum conſtiterit in maculis albis, nive candidioribus, hinc inde in corpore ſparſim obviis; quæ ſi locum capillatum obſederunt, pilos dealbarunt ſimul, 2) hæ maculæ exſtiterint cute profundiores, 3) ulterius repſerint; 4) juxta dies criticos a ſacerdote fuerint judicatæ: 5) nec totum corpus occupaverint; tunc enim leproſi pro puris declarabantur, & 6) denique nullibi in ſacris paginis reperiamus, fœminam hoc diro morbo fuiſſe ſollicitatam, niſi ſororem Moſis Mirjam *Deuter. XII*. Hinc porro ſi quæſtio occurrat, num noſtris adhuc temporibus detur lepra Judaica? hanc recte negaſſe videtur OSIANDER *in Comment. ad Pentateuch. Part. III. pag.* 112.

§. IX.

Quod ſi ergo jam quæſtio incidit, num forſitan lepra quadam laboraverit Lazarus? hanc de lepra Græcorum vel Judaica plane negamus. Namque juxta divinam legem leproſi Judæorum a conſortio ſanorum hominum penitus removeri debuerunt, ne inquinarent alios. At enim vero, cum licuit Lazaro ante divitis epulonis fores procumbere: vero utique eſt ſimillimum, ipſum hac lepra minime fuiſſe conflictatum. Quod autem attinet lepram Arabum, ſeu Græcorum elephantiaſin: haud ignorari oportet, omnes veterum Medicorum unanimi conſenſu, eum morbum divi Lazari adpellare ſueviſſe; quos inter auctoritatis cauſſa allegamus FORESTUM *obſ. chirurg. Lib. IV. pag.* 105. FALLOPIUM *Oper. med. Tom. I. pag.* 268. GREGORIUM HORSTIUM *obſ. medicin. Sect. IV. pag.* 388. quid? quod Fallopius expreſſis enunciet verbis: *morbum hunc patiebatur S. Lazarus, mendicus ex Evangelio.* Hinc quoque iis temporibus, quibus primum Italiam obſidere cœpit hæc affectio, præter noſocomia ædificata fuerunt leproſoria, quibus fruebantur ſoli leproſi: qualis cum deinceps putatus fuit Lazarus, hæc noſocomia leproſorum dicta ſunt Lazaretta, teſte CORNELIO A LAPIDE *in Comment. ad cap. XVI. Lucæ.* Quam ob cauſam excuſationem me impetraturum confido, ſi elephantiaſin hanc, quam omnes hucuſque vocarunt morbum Lazari, ſuperius paullo fuſius deſcripſerim.

§. X.

Verum enim vero pace tot clariſſimorum virorum negaverim, Lazarum laboraſſe elephantiaſi Græcorum. Namque ſi ea laboravit, laboravit confirmata, quoniam dicitur ulceroſus. Si ergo laboravit confirmata, & odorem ſpiravit fœtidiſſimum, & faciem præ ſe tulit fœdam, tuberoſam, aſpectu horrendam: ſiquidem teſte HORSTIO *in obſ. med. Sect. IV. pag.* 388. faciei deturpatio illius morbi elephantiaci propria ac diagnoſtica exhibuit ſigna. Quis ergo crederet, fore ut dives helluo permiſerit, tam turpe fœdumque ſpectaculum ad ejus fores procumbere? Præterea autem, cum contagioſum fuit hoc morbi genus: Judæos procul dubio hoc morbo affectos ab omni hominum conſortio fuiſſe ſeparaturos, vero eſt ſimillimum. Et denique ſi per metaphoram a ſimilitudine miſeriæ, quam leproſi cum Lazaro communem habere viderentur, deſumtam fuiſſe denominationem contendas: quid, quæſo, opus eſt nomine metaphorico, ubi jam proprium adeſt? & quare tribuimus alicui morbo denominationem metaphoricam, quæ alii magis proprie convenire inferius oſtendetur?

§. XI.

Non alienum erit hoc loco allegare quædam ex WEDELII *exercit. medico-philog. Cent. II. Dec. II. exerc. II.* ubi agit de Lazaro ante portam. Poſtquam auctor in criticis ac philologicis verſatiſſimus, de Lazaro, ejusque conditione exegeſin veluti quandam præmiſit; & ad explicandam ipſam, qua ſolicitatus fuit Lazarus, ægritudinem devenit; concedit equidem Lazarum ulceribus ſordidis ac ſcorbuticis affectum, univerſali humorum laboraſſe dyſcraſia. Fovet autem duas opiniones, quibus, pace tanti viri, calcu-

lum addere valde dubito. Putat etenim primum, ulcera præſertim occupaſſe pedes: cur? quoniam reliquum corpus ſtola ordinaria, ſeu ſaltem lacero centone indutum fuiſſe credit. Sed inſufficiens hæc concludendi ratio: pedes fuerunt nudi, ergo maxime ulceroſi! Deinde vero pag. 13. putat, quod cum ſæpius contingat, ulcera externa complicari morbis internis, vero ſit ſimile, Lazarum ſimul laboraſſe ileo hæmatite Hippocratis. At enim vero, quæ, qualis, quanta concluſio! Ego certe hiſce conjecturis, cum ne minimam quidem fundamenti ſpeciem habeant, ſubſcribere neutiquam poſſum. Majorem probabilitatis gradum præ ſe fert ſententia, quam fovet SALVIANUS MASSILIENSIS *lib. 3. contra avaritiam pag.* 115. *Lazarum*, enim inquit, *dives contempſerat, qui in pure ac ſanie computruerat; cujus fœtorem ac ſqualorem longe refugerat, qui membrorum ſuorum ulceribus canes paverat*, *quem* SCATENTES VERMIUM GLOBI ETIAM INTRA RECESSUS PERESI CORPORIS EXARARANT &c. Nimirum, cum hoc ulcerum genus præ reliquis ad recipiendam verminoſam colluviem eſſe opportunum, ex infra dicendis patebit: facillimum fuit, ut ea ulcera in Lazaro etiam vermibus ſcatuerint. Sed nec hæc conjectura nobis utilitatem ſpondet.

§. XII.

Miſſis ergo, quæ nullo gaudent fundamento; cum recenſiti morbi ita ſunt comparati, ut non adpareat, qua ratione nomen morbi Lazari iſtis competat, niſi velimus per metaphoram loqui: diſpiciendum jam erit, numne detur morbus quidam ulceroſus, qui eo nomine magis ſit dignus? ſic enim argumentamur: ſi datur morbus ulceroſus, qui cum Lazari vitæ genere ac conditione omnium maxime quadrat; hodiernis adhuc revera exiſtit temporibus; & nullum nomen proprium adhuc nactus fuit: ille præ omnibus aliis morbus Lazari adpellari meretur. At vero dari talem morbum poſtea oſtendemus; ergo eum dignum reputamus, qui dicatur morbus Lazari. Nihilo tamen minus, licet vero videatur ſimillimum, Lazarum revera eo morbo ſolicitatum fuiſſe, haud demonſtrative audemus hoc adfirmare. Nobis enim perinde eſt: id duntaxat jam inſtituti ratio exigit, ut oſtendamus, quem ſub morbo Lazari intelligamus morbum; illius hiſtoriam ac cauſſalem explicationem tradamus; eundem nondum revera habere nomen proprium monſtremus, ac denique medendi rationem ſubnectamus.

§. XIII.

Intelligimus ergo per morbum Lazari affectum quendam ulceroſum, cujus ulcera ſunt ſordida, occupant muſculoſas potiſſimum corporis partes, abdomen, dorſum, brachia, femora; fovent carnem ſubtus jam putridam; ſaniem plorant turpem fœtidam; coaleſcunt facile; ſed mox in altero loco recrudeſcunt, hanc ſcenam per multos longosque annos, maxime in perſonis infimæ ſortis, plebejis, mendicis fœdo ludunt ſpectaculo, & ægre perfectam admittunt ſanationem. Vocatur vulgo **der Wurm/ ein Wurm-Schaden:** quaſi vero hic affectus ad recipiendam atque fovendam vermium colluviem ob ſuam ſorditiem præ reliquis exiſtat opportunus. Eſt quoque ad generandos vermes revera maxime promtus; quos ſi actu fovet, dicitur ulcus verminoſum, merito & proprie a noſtro morbo diſtinguendum. Jam vero, priusquam ad hujus hiſtoricam progrediamur explicationem: præmittemus quasdam de eo morbo obſervationes, ab amico quodam nobiscum communicatas.

§. XIV.

Fœmina XXX. annorum, quæ præmaturo mariti, paſtoris ſuum, obitu ad eam redacta erat miſeriam, ut per decem jam annos oſtiatim victum quærere debuerit; inciderat ſub hac vagabunda vita in militis cujusdam exauctorati, erronis pariter mendici ſocietatem, ab eoque ſub ſpe matrimonii ad intimiorem familiaritatem & coitum frequentiorem adducebatur. Hujus autem vitæ tandem pertæſa, ulterius cum hoc nebulone rem habere recuſavit: at ab illo verberibus male habita & pedibus peſſum data fuit. Quibus cum pectus miſeræ percuſſiſſet ſæpius; illa non ſolum ſanguinem ſpuere cœpit; verum etiam tuberculo inter mammas ſuborto corripiebatur; quod emplaſtro terebinthinato inunctum latius ſerpere cœpit, & adplicato demum emplaſtro mellito variis locis exulceratum eſt. Abhinc jam quatuor agebantur anni, cum inſuper menſium ſuppreſſionem, fluoris albi continuum profluvium, ſpirandi difficultatem, capitisque ac artuum atroces retinuiſſet dolores. Pectoris ulceribus impoſito fimo ſuillo conſolidatis, nova ſuccedebant in femoribus, dorſo, poplite, aliisque locis, adeo ut toto corpore Lazari inſtar ulceroſa exſtiterit. Erumpunt nimirum in quodam loco tubercula livida, quæ demum rupta carnem ſubtus oſtendunt ferme putridam, ichorem plorant fœtidiſſimum, colorem nigrum exhibent; & uno loco coalita, aliis in partibus recrudeſcunt.

§. XV.

Alteri mulieri XXX. & quod excurrit annorum, infimæ ſortis, amore olim ſurreptitio uſæ, hinc ſpurium ſœtum enixæ ac fluori albo obnoxiæ, novem abhinc annis quædam in ſiniſtro pede efflorcſcebant prurientes puſtulæ, quæ ex incongrua curatione latius ſerpentes, fonticulo demum brachio inflicto ſunt ſanatæ. Quatuor elapſis annis doloribus dextri humeri vagis ſolicitata, illos venæſectione & ſcarificatione ejusdem humeri fugavit: quibus fugatis adparuerunt in eodem brachio tumores, qui exulcerati putidum mox fuderunt ichorem cum fœtore & profundius ſerpſerunt. At his a Chirurgo quodam conſolidatis nova in poplite recrudeſcebant tubercula, quæ ſtatim in ulcera profunda, fœtida, dolore ac ardore ſtipata dehiſcebant. His iterum per impoſita folia hyoſcyami coalitis, nova in aliis locis efflorcſcebant, & hanc per plures annos ludebant ſcenam. Alia fœmina ruſtica poſt ſuppreſſos ante quatuor annos menſes, de ventriculi dolore, artuumque tormentis conqueſta, conſuluit empyricum circumforaneum; qui propinatis remediis effecit, ut illa ulcera abdominis, femoris, aliarumque partium poſt prævia tubercula inciderit, iisdem, uti antea dictum, ſymptomatibus. Alius vir mercenarius iisdem ulceribus vagis, ſordidis, fœtidis, poſt toleratam febrem acutam infeſtabatur: in quo notatu erat dignum, quod ubi ſaneſcere videbantur hæc ulcera, ille in artuum immanes inciderit dolores, & demum in ipſam iterum acutam febrem; quæ recrudeſcentibus ulceribus ſolvebatur.

§. XVI.

His ergo eum in finem allegatis, ut appareat dari revera hunc morbum ulceroſum, de quo apud pleroſque ſcriptores medicos ac chirurgos altum eſt ſilentium: illius hiſtoriam paucis complectemur. Infenſus nimirum potiſſimum eſt hominibus plebejis, ſordidis, mendicis, impuro vitæ genere utentibus, ac in victu pariter ac amictu immunditiei indulgentibus, partim ex libidine, partim neceſſitate coactis: neque ideo forſan a Doctiſſimo RAMAZZINI inter morbos artifi-

artificum relatus, cum mendici non ſint artifices. Pertinet potius ad magnos morbos, quorum parva ſunt initia. Namque occupant primum puſtulæ, tumores, tubercula parva partes maxime muſculoſas; livida ſunt, majora evadunt, pruriunt, ardent: mox dehiſcunt in rimas ac aperta ulcera: quæ carnem ſubtus jacentem exhibent corruptam, nigram, ac ſere putredinoſam, ſenſu tamen non penitus ablato: ichorem plorant fœtidiſſimum; magis ſerpunt in profundum ad ſubſtratos muſculos, eosque conſumunt, exedunt, depaſcunt: hinc coalita cicatricem formant, ac foveam reliqua cute magis depreſſam, & profundiorem. Conſolidantur in uno loco facile: ſed in altero plus minus remoto nova ſuccreſcunt iisdem ſymptomatibus, pruritu atque dolore ſtipata; & quod maxime miror, hancce ſcenam per aliquot annos ludunt, vita ſuperſtite. Ægerrime enim perfectam admittunt curationem; ſæpius complicantur vermibus, qui tanta caterva ac multitudine ea ulcera occupant, ut nullis ferme remediis deleri queant: ſubeſt frequentius venerea inquinatio, ac in ſequiori ſexu fluor albus: ut taceam reliqua ſymptomata magis accidentalia. Neque tamen more ulceribus venereis conſueto pudenda, fauces & faciem obſident, ſed magis brachia, humeros, dorſum, lumbos, abdomen, pectus, femora, ſuras &c. occupant. Quando ita per ſatis longos ſævierunt annos; tandem lenta, hectica, depaſcens ſupervenit febricula, miſerosque a ſuis vindicat calamitatibus.

§. XVII.

Qua igitur notata morbi hiſtoria, illius cauſſalem explicationem proſequemur. Ulcus ut a vulnere, quod eſt læſio continui recens in partibus mollioribus, a cauſſa externa ſecante, rumpente pungente aliaque inducta, rite diſtinguatur, eſt læſio antiqua, a cauſſa magis interna excitata, cum humorum quorundam corruptione ac ichoris ſeroſi plus minus putidi effluxu ſtipata. Læſiones externæ in noſtro morbo obviæ poſſident eas adfectiones; Ergo ſunt ulcera. Omne ulcus involvit corruptionem alicujus humoris: qui cum varii ſint, varieque corrumpantur, varia conſtituunt ulcerationum genera. Corrumpuntur autem humores vel ſoli citra peregrinum fermentum; vel ab alio miaſmate, ſæpius contagioſo. Hinc reſultant ulcera vel ſimplicia, vel qualificata.

§. XVIII.

Quemadmodum humores noſtri corporis differunt inter ſe: ita corruptio, prout hos vel illos occupavit, ulcerum ſimplicium producit varietatem. Quare haud ignorari oportet, quemcunque humorem peculiarem ſubire corruptionem: ſanguineus nimirum cruor ſphaceloſam & putredinoſam, uti in ſphacelo; ſeroſa colluvies ulceroſam, uti in pleriſque ulceribus ſuperficialibus cutim duntaxat corrodentibus: lymphaticus latex mucidam ſpiſſam, uti in tumoribus aliquatenus; ſolus enim raro corrumpitur; ſalivalis ros acriorem fermenteſcentem; chyloſus ac lacteus ſuccus ulceroſam acidam pariunt corruptionem. Hæc ulcera proprie ac ſtricte merentur nomen ſimplicium. Verum enim vero cum ſæpius contingat, & in uno ulcere bini humores ſimul corrumpantur: facile adparet, ſimplicia ulcera late dicta omni fundamento dividi debere in talia ſtricte nominata, qualia fuerunt recenſita; & mixta ſicce compoſita, a qualificatis ſeparanda.

§. XIX.

Quamobrem ulterius ſciendum, ſerum & lympham rariſſime ſeparatim corrumpi; ſed plerumque complicatam eſſe horum ſuccorum corruptionem. Verumtamen in quacunque ulceratione ſeroſiores partes præ lymphaticis ſunt corruptæ; ibi eſt ulcus indolis ſimpliciter ſalſæ: qualia deprehenduntur ulcuſcula ſcabioſa, achores &c. His proprius eſt pruritus. Ubicunque autem lymphatica corruptio prævalet ſeroſæ: enaſcuntur ulcera acriora, rodentia, calloſa, ſerpiginoſa, herpetes &c. quibus propria eſt roſio; arrodunt autem ſolam tantummodo cutim, vel ſaltem ſummam carnem. Quandocunque denique partes lymphatico-ſeroſæ ita corrumpuntur, ut ſanguinis quaſdam particulas in corruptionis ſocietatem rapiant: ſuboritur ulceratio ſemi-putrida, cui proprius ardor ac æſtus.

§. XX.

Seorſim de ſanguine notandum, quod ille cum reliquis humoribus corruptionem ſubiens, ſatis ſontica conſtituat ulcera putrida, mali moris ſive cacoethea; quæ ſubſtratas carnes, muſculos, nervos, tendines &c. depaſcunt, profundius exedunt, ichorem plorant putridum, fœtidiſſimum, nigredinem contrahunt. Obſervatur autem ſequens differentia: Quando ſanguinis tenerrimæ, flaveſcentes magis particulæ modica quantitate cum majori ſeri vel lymphæ copia corruptionem ſubeunt; exſurgunt ulcera eryſipelacea, ex eryſipelate male tractato ſuborta, quæ ſub nomine herpetis eſthiomeni indigitaſſe videntur Veteres. Quum autem ſanguinis ſubrufa magis complicatur ſubſtantia: emergunt ulcera profundius ſerpentia, colliquantia ac vicinas exedentia partes, quæ vocantur phagædenica, ambulativa, manducativa &c. Horum peſſimum videtur illud, quod veteres ulcus nonodes ſeu nome vocarunt. vid. FALLOPIUS *tr. de ulceribus pag.* 14. ubi præter allegata ſigna ſenſus adeſt privatio ac mortificatio, & quod gradu tantum, ac in eo differt ab ipſo ſphacelo, quod in illo ſanguinis corruptio aliis humoribus paullulum veluti coërcetur, ne tam præcipitem putredinem ac mortem inferat. Quod ſi denique ſanguis cum chyloſo aut lacteo ſeroſoque humore, & quidem in partibus glanduloſis corrumpitur: reſultat ulcus cancroſum, carcinoma, cancer.

§. XXI.

Reſtant adhuc ulcera qualificata, quæ ſpecificam ferme corruptelam ac peregrinum poſſident fermentum. Horum recenſentur bina, nimirum ſcorbutica & venerea. In illis deprehenditur univerſalis humorum dyſcraſia ſcorbutica, quæ in peculiari eorundem coagulo conſiſtere videtur: ex qua dein ſanguinis hac corruptela imbuti, & cum ſero acri in ſtaſin abeuntis fit corruptio ulceroſa, odore fœtido, colore nigricante, ichore tenui fœtido, conſpicua. Contra vero ulcera venerea nituntur magis obviſcatione humorum ſeroſo-ſalivalium ac ſeminalium; ſpirant odorem magis nauſeoſum & ſitulentum, quam fœtidum; & præ aliis partibus pudenda, faciem, fauces obſident. Neque vero negari poteſt, quin & hæc ulcera qualificata inſuper compoſita reddi queant: ſicuti venerea cum ſcorbuticis commode complicari queunt.

§. XXII.

Quæ itaque in noſtro morbo occurrunt ulcera, ea profundius ad ſubſtratas partes ſerpunt, fœtorem exhibent putredinoſum, nigricantem carnem monſtrant, ichoremque fundunt fœtidum: ergo involvunt corruptionem humorum ſanguineo-ſeroſorum, & ſunt ulcera phagædenica. Deinceps in noſtro morbo homines victu impuro, ac ſordido vitæ genere utuntur: hinc ſunt ſcorbutici adeoque eorum ulcera ſcorbutico-phagædenica. Quum autem ſubjecta illa por-

ro in ſordida ſua vita abutuntur venere, eaque utuntur, impura in tali vitæ genere frequentiſſima: ſæpius fit, ut ulcera eorum ſint complicatiſſima, nimirum phagædenica ſcorbutico-venerea.

§. XXIII.

Neque vero jam opus eſſe putamus, ut preſſius ac fuſius recenſendis cauſſis noſtri morbi occaſionalibus inſiſtamus: ſponte enim patet, has inter efficaciſſimas eſſe, quæ recenſita dyſcraſia humores imbuere valent. Ea vero jam nobis occurrit objectio; qua cum ſuperius diximus, morbum præſentem nullum adhuc nomen habere proprium; præcedente autem periodo ulcera vocavimus phagædenica ſcorbutica, nobiſmet ipſis contra dixiſſe videri poſſemus? Verum enim vero, quemadmodum in ſuperficialibus ulcuſculis ſalſis ſeroſo-lymphaticis, ille affectus, in quo ea deprehenduntur, vocatur ſcabioſus, achores &c. quidni nobis liceret, morbum, in quo occurrunt ulcera ſcorbutica, phagædenica, venerea, Lazari affectum denominare; Eo magis, cum hæc ulcera in hoc morbo, ab iis, quæ aliis ſingula ac ſeparata incidunt, longe diſcrepent; quia partes magis muſculoſas occupant, conſolidata in aliis locis erumpunt, ac tam diu hanc ſcenam vita ſuperſtite ludere queunt.

§. XXIV.

Dum itaque ſubjecta morbi Lazari ſint homines plebeji, mendici, victu impuro, ſordidis habitaculis gaudentes; hinc accedente levi amictu ſalutarem tranſpirationis ſucceſſum præpedientes: facile patet, quod ex iis cauſis, ſibimet acquirant dyſcraſiam totius maſſæ ſanguineæ ſcorbuticam. Qua cum ſucci reddantur acres, crudi, ſpiſſi ac ſpecifice coagulati: illorum portio quædam ſanguineo-ſeroſa facillime, in partibus potiſſimum exterioribus, ubi ſanguinis circuitus tardior eſt atque debilior, ſtagnationem & ſtaſin ſubit. Stagnantes ergo ac accumulati in muſculo quodam humores amplius occupant ſpatium; hinc fibras muſculares ac cutim relaxant, diſtendunt, elevant, & in tuberculum attollunt. Quæ ſtaſis cum ſanguineo-ſeroſa ſit, tubercula illa ob ſerum acre pruritum, ob ſanguinem ardorem referunt; & quia ſerum cruore tinctum cutim jam relaxatam ingreditur, livida adparent. Interim ſtagnans ea portio, adhuc intra muſculos incluſa, abit in corruptionem putredinoſo-ulceroſam: hinc fibras muſculi, cutimque exedit, depaſcit, colliquat, hanc in rimas diffindit ac ipſa ulcera. Hæc aperta ob ſerum corruptum fundunt ichorem; ob intermixtum ſanguinem fœtidum, colorem nigricantem, carnem ſemi-putridam oſtendunt; & ſic profundius ſerpunt, donec expurgata colluvie corrupta coaleſcant, & ob exeſam carnis portionem, foveam reliqua cute profundiorem relinquant.

§. XXV.

Conſolidantur autem hæc ulcera facile; quoniam more ulceribus putredinoſis conſueto affluxu humorum inflammatorio ſunt deſtituta, & hinc evacuata ulceris materia nihil eſt, quod coalitionem impediat. Quo vero minus ſanguinea corruptio putredinem inducat ſphaceloſam; prohibet ei intermixta ſeroſa portio, quæ illam coercet, ac putredinem lentiorem veluti muriaticam conſtituit, vi ſuæ ſalſedinis, cujus interventu a velociore prohibetur fermentatione. Talia ergo ſordida ac putrida ulcera vermium colluviem admittunt facillime, & eo magis, cum forſitan plebeji iſti homines illis imponant folia braſſicæ aliaque ſeminio verminoſo ſcatentia. Conſolidata autem in alio loco erumpunt: neque mirum: cauſſa enim, quæ huic coalito jam ulceri natales dedit, jam adhuc præſto eſt; quæ cum homines per multos annos occupat, hanc ulceroſam quoque tragœdiam per multos annos ludit. Salutari autem conſilio accedunt hæ ulcerationes, quibus inimica humanæ machinæ ſaburra eliminatur; hinc non miror, quod vir ille, cujus ſub finem §. XV. mentionem fecimus, ulceribus ſuis penitus coalitis inciderit febrem acutam, illis vero iterum efflorеſcentibus, ab hac liberatus fuerit.

§. XXVI.

His ergo præmiſſis facile colligi poteſt, hæc ulcera ſatis diuturna, & ob pertinacem ac intimam humorum dyſcraſiam, curatu eſſe difficillima; quæ curatio eo magis impeditur, cum homines plebeji tam accuratum victum obſervare haud poſſunt. Quod itaque ipſam attinet curationem; occurrunt bini potiſſimum ſcopi: nimirum ut primum maſſa ſanguinea depuretur, ac a ſcorbutica inquinatione vindicetur; deinde ipſa ulcera abſtergantur atque mundificentur. Depuratio humorum ſolidam promittit curationem: pro qua impetranda ante omnia eo ſtudere convenit, ut robur ventriculi confortetur, ac digeſtiva vis reſtituatur: quo exinde chylus laudabilis, & ex hoc legitimus generetur ſanguis. Deinde vero excretiones naturales, maxime quæ per alvum, cutim ac urinam fiunt, in legitimum ordinem atque ſucceſſum reducantur: quo per eas jam generatæ ſordes ac impuritates ex corpore proſcribantur. Et denique talis vivendi ratio præſcribenda, quæ bonos ſuccos ſuppeditet.

§. XXVII.

Egregius eſt aphoriſmus: *impura corpora, quo plus nutriveris, eo magis lædes.* Hinc in feliciter extirpando Lazari morbo non efficaciorem putamus curationem, quam quæ per famem fit (die Hunger Cur) Hæc ita inſtituatur, ut ægri primum veſcantur cibis minus nutrientibus, iiſque parciſſimis; ac inter illos carnibus aſſis magis quam coctis. Dein quovis mane portionem ſulphuris antimonii fixati ad mentem *Excellentiſſimi* PRÆSIDIS præparati aſſumant ex decocto quodam antiſcorbutico, quod ex radice ſarſaparillæ, lapathi acuti, & doronici cum aqua paretur; ex his enim ſudor fluet egregius, quo impuræ humorum partes ſimul ejiciuntur. Pro potu ordinario inſerviat idem decoctum magis ſecundarium: v. g. Recipe radicis ſarſaparillæ uncias quatuor, lapathi acuti unciam unam, radicis Doronici unciam dimidiam. Miſce: infundantur per noctem cum menſuris ſex aquæ ſimplicis: coquatur mane ad conſumtionem tertiæ partis: detur pro decocto primario. Hujus autem reſiduo addantur aquæ menſuræ ſeptem, coquantur pariter ad tertiæ partis remanentiam. D. S. ſchwächer Tiſch-Tranck.

§. XXVIII.

Ut ſub hac curatione roboretur ſimul ventriculus; operæ erit pretium, ſub epulis eſſentiam roborantem ac reſolventem L. vel LXX. guttulis aſſumere; quæ ex ſuccini albi pulveriſati uncia una, cum tincturæ antimonii acris unciis ſex infuſa concinnari poteſt, eique eſſentia trifolii fibrini, aut marrubii albi permiſceri. Proinde ut ſordes mucidæ, & acres primarum viarum eliminentur; neceſſe eſt, ſingulo quatriduo laxans quoddam lenius rhabarbarinum exhibere; præſtat enim generatim in hiſce morbis remediis pugnare magis liquidis, quam ſiccioribus atque pulverulentis. Hac curatione per tres circiter vel quatuor hebdomades protracta, ſi vires ſint integræ, per aliquot hebdomades alternis diebus ſtupham ſiccam ſudatoriam ſub debitis cautelis ingredi, haud alienum erit: qua ſcilicet decoctum ſaturatius

turatius lateribus candentibus infundatur, & vapor corpore excipiatur, capite probe munito. Haud enim ignorari oportet, homines hiſce ulceribus affectos balnea ſicca egregie ferre; & non dubitamus, quin ex dicta curatione debite adhibita felix inſequuturus ſit eventus.

§. XXIX.

Quod externam horum ulcerum tractationem attinet: eo omnes nervos intendere oportet, ut illa mundificentur, ulceroſa putredo arceatur & abſtergatur, ac ſi forſan verminoſa prælto ſit colluvies, ea eluatur. Huic ultimo ſcopo inſervit egregie ſpiritus vini rectificatus. Inter mundificantia primum locum obtinent myrrhata, ſuccinata, mellita &c. quæ ſimul putredinem mirifice arcent. Hiſce vero, cum ſpecifica ſit corruptio, addi poſſunt ſucci herbarum antiſcorbuticarum, veluti ſunt cochlearia, beccabunga, fumaria, ſedum verniculare, acetoſa &c. Convenit etiam in ſubjectis minus ſenſibilioribus lixivium ex calce viva & ſale ammoniaco paratum adplicare, quod potenter abſtergit. Et denique egregiam exſerit virtutem ferme ſpecificam radix lapathi nigri paluſtris, a MUNTINGIO nomine herbæ Britannicæ inſignita, & vel in ſucco, vel linimento ulceribus inuncta.

§. XXX.

Quod ſi, ut ſæpius fit, commixtum ſit inquinamentum venereum: quæſtio eſt, num ſalivatione uti liceat? Mihi quidem haud arridet; quoniam experientia conſtat, eam in affectibus ſcorbuticis majus inferre damnum, quam emolumentum. Et præterea ſpero, fore ut & hæc inquinatio commendata curatione expugnari poſſit. Magis arridet æthiops mineralis, ea ratione, quam *Excellentiſſimus D. Profeſſor* SCHULZE *in A. N. C. Vol. I. obſ.* 222. expoſuit, adhibendus: de cujus egregia in reſolvendo humorum coagulo efficacia conferatur prælaudati *Viri diſſert. de æthiope minerali anno* 1725. *Altorfii habita.*

§. XXXI.

Et hæc ſunt, quæ paucis de morbo Lazari proponenda duximus. Quicunque de illius vera exiſtentia convictus eſſe cupit, haud adeat Chirurgos ſummos, ſed noſocomia. Nec deerunt quidam hinc inde diſperſi Chirurgi civitatum; quos hæc ulcera ſæpenumero diſcruciarunt; ex quorum numero nobis peritus hujus urbis Chirurgus STECHEISEN nonnullas enarravit hujus morbi obſervationes, cujus nomen ſe ignoraſſe fatetur. Si vero quidam fuerint, quibus hæc tractatio haud placuerit, non miror; *non enim omnibus, nec omnia mihi placuere; quinam ego omnibus?* Opto cæterum, ut hæ meæ meditationes, eum, quem intendi, adipiſcantur finem.

DISSERTATIO CHIRURGICA, DE FISTULA MAXILLARI,

Primùm edita Anno 1735.

PROOEMIUM.

HIPPOCRATIS, Medicorum patris, ſuique temporis Phœnicis, trita ſententia: ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, quam ſtatim ab initio libelli Aphoriſmorum legimus, jure meritoque ad Medicinam applicari poteſt. Nullam enim ferme exiſtere diſciplinam, quæ cum pluribus aliis ſcientiis ſeſe conjungat arctiſſime, quæque plures complectatur partes, quam Medicinam, qui inficias iverit, haud exiſtet ullus. Sive verſetur in perpendendis diſciplinis ad theoriam ſpectantibus, ſive practicas intuear partes ubique invenio tam vaſtum veritatum nexum, ut cogar cum Viro erudito pronunciare: ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Complura quidem ſunt, quæ ad theoriam Medicam ſpectant; nolo tamen in præſenti omnia enarrare, ſed præcipuorum tantum faciam mentionem, utpote anatomiæ, chymiæ, herbarumque & totius materiæ Medicæ cognitionis. Harum enim partem quamlibet multos omnino requirere annos, ſi ultra principia progredi volumus, experientia, quæ hac quoque in re optima magiſtra eſſe poteſt, ſatis conſtat luculenter. Quumque Medicinæ cultoris ſit, rerum rationem dare ſufficientem, ſi a Medicorum vulgo ſejungere ſeſe velit; neceſſe quoque eſt, ut imbutus bene ſit præceptis philoſophicis & imprimis phyſicis. Commune & antiquum proverbium: *Ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*, non a vero eſt alienum. Et ſane fateri audeo ſine poſterioribus diſciplinis, quæ jure fundamentales appellitantur, neminem ad ſoliditatem

Aaa 4 in

in theoreticis pervenire poſſe. Quantum autem temporis ſpatium requiratur ad has excolendas doctrinas, illorum effato relinquitur, qui delectant ſeſe his fundamentis ſolidiſſimis. Si pergo diſciplinas ad praxin pertinentes conſiderare, deprehendo ferme infinitos morbos, qui etiam ſecundum minima accurate ſunt examinandi ab iis, qui Medicæ arti dicant ſeſe, ne in tollendis iiſdem hæſitent atque offendant. Vel unica pars illa, quæ occupata eſt ſanandis morbis externis, nomineque Medicis conſueto Chirurgia nominari ſolet, animos noſtros convincit, Galeni, cui etiam non minor in Medicina laus debetur quam Hippocrati, vera eſſe verba: *artis medicæ prolixitas ſuperat hominis vitam.* Nam licet illa medio ævo a nonnullis ſeparata ſit a Medicina: eam quidem ob cauſam, ut finibus anguſtioribus cingeretur Medica ars: attamen ſæculo ſuperiori quidam celebres Medici, veſtigia veterum ſecuti, utramque rurſus combinarunt artem & quidem rectiſſime. Etenim extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, illos viros, qui Medicinam ſtrictius ſumtam cum Chirurgia conjungunt, in auferendis morbis multo progredi felicius, quam qui in uno tantum acquieſcunt. Objicere quis poſſet, minime ſe ita rem habere, quemadmodum eandem hucuſque protulerim; niſi enim ars peculiaris exiſteret, non darentur homines, qui eam peculiari ratione exercerent; Verum ei, qui mihi ſic contradicere velit, reſpondeo prompte, diſtinguendum eſſe inter cognitionem & operationes alicujus artis manuarias. Medicus eam ob cauſam potiſſimum illam artem callet, ut poſſit alios dirigere, qui externe admovent manum, ne ob imprudentiam horum hominum, qui plerumque a ſolidis ſtudiis, adeoque a conſideratione læſionis alicujus accuratiori, ſunt alieni, res in pejorem deducatur ſtatum. Quum hac ratione certum omnino ſit, Chirurgiam, cum Medica arte vinculo poſſe arctiſſimo conjungi, & neceſſario debere ab eo, qui ſcientiæ cupidus eſt ſolidioris; ego quoque id ipſum hucuſque obſervavi, illique parti, quoad fieri potuit, operam navavi. Et quia valde delector illis materiis, quæ huc pertinent, apud animum ante aliquod tempus conſtituebam argumentum quoddam ex Chirurgia deſumptum fuſius explicare, quod diſputationis vicem ſuſtinere poſſet. Propoſitum exſecutus ſum, & congeſſi nonnulla de *fiſtula maxillari*, morbo noto non minus, quam perdifficili, qui Chirurgos valde torquere, eiſque gemitus exprimere ſolet ſæpiſſime. Siſto itaque Tibi, Benevole Lector, meditationes meas hac ſuper materia. Exiſtimo, me nihil ſuſcepiſſe, quod Tibi valde diſplicere queat. Faxit Deus, ut cedat inſtitutum meum in ſui nominis honorem, mihique ſemper in memoriam revocet, qualem me in ejuſmodi caſibus gerere debeam, qualemve me tueri oporteat perſonam, ſi quidem honoribus quæſitis ſatisfacere velim.

§. I.

Fiſtula eſt ulcus ſinuoſum, anguſtum & calloſum, ichoroſam fundens materiam.

§. II.

Ulcus eſt ſolutio continui cum conſumtione partis.

§. III.

Conſumtio partis vel degenerat in tenuem, vel craſſam materiam: in tenuem ſi abit, & cohæſio eſt minor, nominatur Ichor; ſin materia exiſtit craſſa & cohæſionem habet majorem, nomine venit Puris.

§. IV.

Ichor eſt materia tenuis, acris, vappida, ſeroſo-lymphatica.

§. V.

Pus eſt materia craſſa ſanguine & chylo emanans.

§. VI.

Sinus ſunt canales ab ulcere ad partes adjectas extenſi.

§. VII.

Callus eſt tumor durus, indolens, albicans, inſtar pellis, undiquaque interiora ulceris ſinuoſi ambiens.

§. VIII.

Callus in fiſtulis oboritur a materia craſſa & viſcida, quæ pedetentim ulceris circumferentiam obducit, inque membranoſum quaſi corpus firmum, ſenſus omnis expers, concreſcit.

§. IX.

Tumor eſt præternaturalis cujuſcunque partis elevatio.

§. X.

Fiſtula ab aliis ulceribus in eo diſtinguitur, quod illa ſinu ad minimum ſimplici, atque orificio anguſto, gaudeat, materiam complectatur ichoroſam, & undiquaque callo ſit obducta.

§. XI.

Denominationem obtinent Fiſtulæ a partibus, quas occupant atque pervadunt.

§. XII.

Fiſtula igitur Maxillaris, eſt Fiſtula Maxillam obſidens.

§. XIII.

Maxillæ ſunt oſſa ſub anteriori Cranii parte ſita.

§. XIV.

§. XIV.

Scaturiginem atque cauſas Fiſtulæ nunc indagaturus, alienum a meo inſtituto haud eſſe cenſeo, ſi brevem quandam deſcriptionem anatomicam earum partium, quæ hoc malo infeſtantur, præmittam, ut melius & meliori fructu percipiantur ea, quæ mox dicenda erunt. Maxilla tam ſuperior, quam inferior, ſunt oſſa ad faciem conſtituendam & cibos maſticandos pertinentia. Superior eſt immobilis: Inferior vero mobilis. Superior conſtat ex tredecim oſſibus, quorum ſex ſunt paria & unum impar.

§. XV.

Oſſa maxillaria ſuperiora faciunt Maxillam ſuperiorem, & maximam palati, narium atque orbitarum oculorum partem conſtituunt. Sed nunc propius ad rem accedam atque ſigillatim calamo deſcribam quodlibet, initium faciens a pari maxillari.

§. XVI.

Par maxillare foſſulas ſeu alveolos ſedecim, quibus radices ſuperiorum dentium infixæ ſunt, continet, & quatuor apophyſes habet. Hoc os in quovis latere in duas ferme laminas diviſum, cum aliis oſſibus cavitatem inſignem tunica undique pituitaria inveſtitam, quam ſinum maxillarem ſive antrum Highmori, muci ſecretioni & excretioni inſerviens, vocant Anatomici, efformat.

§. XVII.

Par palatinum ſunt exigua oſſa & complementa quædam præcedentium ad nares, palatum & ad oculorum cava perficienda. Apophyſes habent varias & ſulcum, cui vomer inhæret.

§. XVIII.

Par ſpongioſum ſeu turbinatum, ſunt friabilia atque parva oſſa, quæ adhæreſcunt parti interiori oſſium maxillarium in cavo narium & loco fulcimenti ſunt membranæ pituitariæ.

§. XIX.

Par naſale, a figura pyramidalia oſſa dicta, Naſum conſtituunt, & a vomere maxima fulcitur parte.

§. XX.

Par lacrymale ſunt oſſicula tenera, in canthis oculorum internis ſita, atque complementa oſſium planorum.

§. XXI.

Par jugale ſunt oſſa craſſa & firma oſſibus maxillaribus ſuperioribus firmiter cum cranio nexa.

§. XXII.

Ultimum os impar, a figura Vomer dictum, latum, tenue eſt, eminenti oſſium palati & maxillarum ſuperiorum commiſſuræ inſinuat ſeſe, quæ fundum narium medium a poſteriori parte ad priorem diſcernit, naſique oſſa ſuſtentat.

§. XXIII.

Omnia hæcce oſſa per harmoniam inter ſe invicem connectuntur & cohærent.

§. XXIV.

Inferior maxilla unicum tantum conſtituit os in adultis, in infantibus vero ex binis oſſibus per membranam junctis, annotante RUYSCHIO Catal. rarior. p. 110. componitur: coaleſcendo parte ſua anteriore & intermedia per ſymphyſin. Hæc eandem, uti maxilla ſuperior, dentium ſeriem continet.

§. XXV.

Muſculi, glandulæ & membranæ, quibus hæc obducuntur oſſa, atque involvuntur, ſimul ſubjectum hujus affectus eſſe ſolent.

§. XXVI

Maxillarum alveolis per gomphoſin infixi hærent dentes. In utraque maxilla triginta & duo, ſi numerus eorum eſt completus, deprehenduntur.

§. XXVII.

Dentes ſunt oſſa, radicibus ſuis alveolis firmiter infixa, & perioſtio obducta, ligamentis carneque circumvallata gingivali.

§. XXVIII.

Gingiva eſt caro dura & immobilis, dentes inſtar valli ſepiens, eosque in ſuis ſtabiliens alveolis, atque ad maſticationem aliquid faciens.

§. XXIX.

Alveoli ſunt illæ cavitates profundæ, quibus dentes infixi hærent.

§. XXX.

Sedes primaria maxillaris Fiſtulæ eſt caro gingivalis cum dentibus atque eorum alveolis.

§. XXXI.

Nunc vero perpendimus ſigna hujus Fiſtulæ, ex quibus dignoſcatur. Ejusmodi ſunt orificium aliquod anguſtum circa carnem gingivalem & radices dentium viſu & inſtrumento exploratorio patens & materiæ ichoroſæ ex compreſſa fiſtula effluxus; ſi quidem materia nonnunquam in ſacco quodam hærens per compreſſionem digitorum exprimi ſolet. Profunditas autem & longitudo ſinuum per immiſſum ſtylum exploratur.

§. XXXII.

Fiſtula maxillaris modo ſimplici, modo pluribus gaudet canaliculis, exploratione & injectione indagandis. Liquor enim ſyringa injectus, ſi non ſponte egreditur, & non omnis rurſus effluit, fiſtuloſum ulcus non ſimplici ſed magis duplici canale præditum eſſe indicat. Materia, quam hæc fiſtula excernit, modo parcius, modo copioſius profluit, & vel albicans, vel craſſa, vel tenuis, vel flava, vel nigricans eſt. Quodſi os ſubjectum carie ſit infectum, materia, quæ eliminatur, eſt tenuis, nigricans atque graveolens, ſin tantum carnem gingivalem, aliasque partes infeſtat, humor fœtoris expers plus vel minus ichoroſus deprehenditur.

§. XXXIII.

Fiſtula maxillaris a multis cauſis oriri poteſt. Frequentes ſunt vulnera profunda & male tractata, abſceſſus, ulcera non debite deterſa, parulis, imprimis odontalgia male ſanata, caries dentium & corruptio oris, Belgis *Waaterkanker*, fractura, ictus & mala dentis extractio.

§. XXXIV.

Plerumque maxillares fiſtulæ, experientia teſte, originem habent ſuam ex dente carioſo, humorumque defluxione circa ligamenta & perioſtium radicum

cum dentium. Hinc in catarrhoſis, ſcorbuticis, facile malum reſultat, imprimis quando materia, ad tales ante dictas partes devoluta, non cito egredi exitumque quærere poteſt ſuum.

§. XXXV.

Solet & nonnunquam ex mala dentis extractione enaſci fiſtula, quando ex improviſo, pelicani imprudenter applicati ope, dentis evulſio contingit cum carnis gingivalis alveolique dentis laceratione & diſruptione. Propter quam gravem læſionem, præſertim in ſenibus, ſcorbuticis & cachecticis, fit effluxus & extravaſatio humorum, qui ibidem conſiſtentes, effuſi, impuri atque corrupti partes longe devaſtare & ulcus fiſtuloſum producere valent.

§. XXXVI.

Fiſtulæ maxillares modo ad dentium penetrant alveolos, modo ipſum aggrediuntur os: imprimis ubi materia diu retenta fuerit, & hæc nonnunquam lamellatam offis ſtructuram & cavernoſam diſtendit, atque os in tumorem attollit, cum dolore vel nullo, vel pauco junctum. Materia hæcce collecta in maxilla inferiore, quamquam oſſe ſatis firmo & duro ſubſiſtens, & acrimonia & mole propter moram, quam tenet, oſſis ſubſtantiam, longe facilius aggreditur, colliquat, exedit, corrumpit, quam illa in maxilla ſuperiore, teneriore, magisque cavernoſa, utpote quæ proprio deſcendens pondere ad excretionem tendit facile. Quodſi vero materia intra alveolos, propter radices dentium, ad exitum pervenire nequeat, tunc illa non tantum dentium radices reddit carioſas, totumque dentem deſtruit, ſed & ipſum maxillare os facit carioſum. Et hæc materia vel in ipſis dentium alveolis, oſſeque maxillari hæret, vel ex dente carioſo effluit, & ad alveolum fertur, vel denique ex folliculo dentis inflammato, inque a'ſceſſum mutato, corrupto emanat, & alveolorum ſubſtantiam colliqueſcendo, integumenta aliquando perforat. Sed nec raro materia collecta diuque retenta, tunicam palatinam in tumorem elevat, os palatinum facit carioſum, & oſſa ſpongioſa exedit, ſinumque aggreditur maxillarem.

§. XXXVII.

Fiſtula maxillaris ſuos habet gradus: alia tantum carnem gingivalem pervadit, alia ad unum vel alterum dentis alveolum tendit: quædam ipſum os aggreditur maxillare; quædam profundius ad ſinum properat maxillarem, uti in antecedentibus prolixe demonſtravi.

§. XXXVIII.

Prognoſis derivatur a materia profluente vel multa nimis, vel pauca. Pauca indicat utplurimum unius, vel duorum ſinuum præſentiam: nimis multus vero effluxus plures canaliculos, vel ſinus adeſſe demonſtrat. Deinde a materiæ affluentis qualitate depromitur. Materia erumpens, flaveſcens vel nigricans, tetrum quodammodo ſpirans odorem, os carie infectum eſſe, teſtatur. Materia ſi eſt craſſa atque albicantis coloris, os ab omni carie, ſeu corruptione, adhuc immune eſſe cenſetur.

§. XXXIX.

Fiſtulæ profundiores, inveteratæ, ad interiora tendentes, variis & tortuoſis ſinubus præditæ, materiam flavam & nigricantem excernentes, odorem ſpargentes tetrum, cum carie oſſis junctæ, in ſubjectis ſcorbuticis, ſenibus, emaciatis, cachecticis atque catarrhoſis obvenientes, curatu difficiles, & plane ſanationem eludentes omnem cenſentur.

§. XL.

Sin contingant in junioribus corporibus, cæteroquin ſanis, materiam albam, paucam, ichoroſam fundant, recentes & non adeo inveteratæ ſint, non adeo multas pervadant partes, & ex dente carioſo enatæ, admittunt ſanationem.

§. XLI.

Quod ad ſanationem hujus fiſtulæ attinet, præmittenda ſunt ea, quæ corpus ad hanc ſubeundam præparant, quo exoptatum res nanciſcatur eventum. Hæc præparatio ægroti ad ſuſtinendam manualem operationem in eo conſiſtit, ut humores impuri ad partem læſam confluentes corrigantur, depurentur & ad alia deriventur loca. Præmiſſa, ſi opus fuerit, artificiali ſanguinis ventilatione, uſus decoctorum ſanguinem depurantium commendandus eſt ex Radicibus, Herbis, Lignis parandorum. e. g.

Rec. Corticis Ligni Saſſafras unc. ſem.
Radicum Sarſaparillæ unc. j.
Chinæ, Scrophulariæ,
Bardanæ, Liquiritiæ aa. unc. ſem.
Seminis Fœniculi, dr. ij.
Miſce; conciſis contuſis coque in aquæ ſimplicis Menſ. IV. pro potu ordinario hauriendo.

Conferunt etiam Decoctum cornu cervi citratum hordeatum,
cum raſura cornu cervi, radicibus cichorei, ſcorzoneræ.

Deinde humorum impuritas per alvum eliminanda eſt ac educenda, quod fieri poteſt ſubjunctis pilulis ita concinnandis:

Rec. Extracti Panchymagogi Crollii, drach. j.
Reſinæ Jalappæ ppt.
Mercurii dulcis aa. drach. j. ſem.
Cinnabaris ſcr. j.
Miſce: fiant l. a Pilulæ cum oleo Ligni Saſſafras q. ſ. ex ſemidr.. No. XX. quarum XV. mane ſingulis hebdomadibus, ſuperbibendo infuſo theiformi, exhibeantur.

In debilioribus atque tenerioribus ſubjectis loco harum pilularum, pilulæ de ſuccino Cratonis vel Beccherianæ aut Stahlianæ aut Hoffmannianæ circa noctem adhiberi poſſunt: vel infuſis ex manna & rhabarbaro alvus clementer ſubducenda: itemque clyſteribus ex emollientibus atque oleoſis cum ſtimulo ſalino, ſi alvus pertinaciter eſt clauſa, utendum. Quodſi vero ad fiſtuloſum ulcus humores confluant ubertim, præſertim in catarrhoſis, ſero impuro, acri, copioſo præditis, præter laxationes per epicraſin datas veſicatorium in nucha aut ſonticulus in brachio uſurpari applicarique poſſunt; quia humores ex alto evacuant, diſcutiunt, atque divertunt. Et ubi contumax malum, ſeroſaque colluvies per ambientes ſeſe diffundit partes, & ſubjectum eſt robuſtius, ad ſetaceum & cauterium actuale tandem multi tam veterum quam recentiorum progrediendum eſſe perhibent. Huc pertinent verba a Paræo *in Oper. Chir. Lib. IX. cap.* 24. deſcripta: *Quodſi omnibus remediis fluxioni ſiſtendæ idoneis nihil profecerimus, reſtat, ut pyrotico, ſive ignito ferro cervices inuramus & ſetone tranſverberemus.* Porro ad horum remediorum uſum recte applicandum faciunt temperantia, abſorbentia, diaphoretica, utpote quæ non tantum acrimoniam humorum corrigunt, ſed & eoſdem blande per cutaneum eliminant cribrum e. g.

Rec. Lapidum 69. ppt.
Cornu cervi uſti ppt.
Cryſtalli montanæ ppt. aa. dr. j.
antimonii diaphoretici dr. dimid.
nitri depurati,
Cinnabaris aa. ſcr. j.

Miſce:

Miſce: fiat pulvis, cujus doſis drachmæ dimidium mane & circa veſperam cum infuſo theiformi ſuperbibendo porrigenda.

§. XLII.

Præmiſſis hiſce generalioribus ad ſpecialem fiſtularum harum curationem, per chirurgicam manuum perficiendam, nunc deveniendum eſt. Cum autem ex dente carioſo, ſub collecta materia, primordia accipiat ſua hoc malum, primarius Chirurgi ſcopus eſt, carioſum evellere dentem, quo materia occulta commode egrediatur. Quodſi autem fiſtulæ latius excurrant, præter extractionem dentis materiam affluentem cohibere decet. Hoc autem ea ratione inſtituitur, 1) orificium, ſi anguſtum, dilatetur, 2) calloſitates ſinuum latera obſidentes auferantur, & 3) fiſtularum ulcus detergatur & conſolidetur.

§. XLIII.

Anguſtum ſinuoſi hujus ulceris orificium ſcalpello aperiendum eſt, non autem adhibitis turundis, ob ſenſibilitatem loci & humiditatum præſentiam.

§. XLIV.

Callo abſumendo inſervit injectio ex reſolventibus & detergentibus blandis compoſita, non ex ſepticis, quæ hic non requiruntur, quia harum fiſtularum callus, comparative loquendo, non eſt tam durus ut tam forti cuneo opus habeat. Inductura potius eſſent, in tam ſenſibili parte vehementes dolores. Sufficiet itaque injectio ex decocto radicum ariſtolochiæ, conſolidæ majoris, herbæ, pyrolæ, ſaniculæ, plantaginis addito aluminis tantillo, vel liquore terræ foliatæ tartari, tartaro ſolubili aut vitriolato admixtis.

§. XLV.

Ad ulcus detergendum atque conſolidandum uti poſſumus ſeqq. e. g.

Rec. Eſſentiæ Myrrhæ
Aloes
Succini aa. dr. ij.
Mellis roſati vel Chelidonii dr. j.
Balſami Peruviani gtt. XV. m.

Hæc eſſentia ſemel vel bis de die cum ſiphunculo injiciatur tepide: vel decoctum ariſtolochiæ rotundæ vin ſum cum eſſentia myrrhæ & aloës addito melle chelidonii adhibeatur.

§. XLVI.

Quodſi os carie ſimul infectum, illud a carne denudandum gingivali, parsque corrupta & carioſa ad ſeparationem perducenda, ita ut eſſentia myrrhæ & aloës, cum melle roſato & ſpiritu vitrioli pauco, mediante penicillo admoveatur. Sin materia ſaccum efformaverit & ſub tunica palatina in tumorem elevata fluctuet, cum inciſione ad evacuationem cogenda, poſteaque liquor antea dictus applicandus erit penicillo. Non nunquam os maxillare ob materiam reſtagnantem, imprimis inferius, in tophum elevatur, & tum ad reſolutionem nullum præſtantius datur remedium, quam emplaſtrum ex diachylo cum gummis de meliloto & diaſulphure Rulandi compoſitum, atque cum oleo cornu cervi fœtido malaxatum: Hoc reſolvit atque diſcutit efficaciſſime.

§. XLVII.

In ſubjectis cæteroquin ſanis neglectis omnibus remediis internis, ſtatim ſanationem hujus fiſtulæ aggredi poſſumus dentis ſola extractione, liquoriſque balſamici injectione, quibus mediis brevi temporis ſpatio funditus fiſtulæ ſanatio recipitur.

§. XLVIII.

Quod ſi vero fiat, ut fiſtula in ſinum maxillarem penetret: quod cognoſcitur ſi ſtilus exploratorius alte immitti poteſt, & liquor per ſiphonem injectus per nares, antrorſum inclinato capite, effluat: opus eſt aliquamdiu continuare injectiones decoctorum traumaticorum & ſimul detergentium: poſtea, ſi nihil ſuſpecti ſuperſit, foramen illud claudendum eſt maſſa quadam ex cera, maſtiche, & coralliorum tenuiſſimo polline, ne inter maſticandum aliquid intrudatur, quod mora inibi corruptum novam putredinem inducat. Plura de hoc, una cum notabili obſervatione, leguntur in *diſſertatione inaugurali de cavitatibus oſſium capitis, earum vera conſtitutione, uſu & morbis*, *Altorfii* 1722. a D. D. Reiningero propoſita, §. 48. & 49.

§. XLIX.

Accidit ſubinde, ut ex fiſtulis maxillæ inhærentibus fungi excreſcant, ſatis ſæpe celeri progreſſu invaleſcentes, atque indolem pertinacem oſtendentes: quibus ſi ſecando, urendo, & cathæretica fortiora imponendo obviam eas, quaſi hydram lernæam te aggreſſum eſſe diſces, tandemque deſperatum negotium omittere cogeris, & ægrotum ad orcum cum gemitu migrare conſpicies. Omni itaque modo diſſuadeo heroicam curam. Indulgeatur humorum emendationi, fungo primum naſcenti imponatur tartarus vitriolatus aut arcanum duplicatum tenuiter pulveriſatum, quæ ſatis efficaciter hic valent: via quæratur ad radicem, illaque ſuccidatur.

§. L.

Præterea haud negligenda in ſeroſis ſubjectis, cachecticis, ſcorbuticis exacta diæta atque vitæ decens regimen. Aer eligendus eſt moderate calidus, atque aeris mutationes ſubitaneæ ſunt evitandæ. Cibus debet eſſe bene præparatus, temperatus, concoctu facilis, atque moderata quantitate ſumendus. Potus ſit humidus oportet, atque bene defecatus, e. g. Aqua hordei cum radicibus chinæ vel ſarſaparillæ, cui parum radicis liquiritiæ & ſeminis aniſi addi poteſt. Præterea a motu nimio abſtineat ægrotus neceſſe eſt, item excretiones legitimo modo ſuccedere debent.

DISSER-

DISSERTATIO CHIRURGICA, DE

FISTULA ANI FELICITER CURANDA.

Primùm edita Anno 1718.

PROOEMIUM.

FRAGILIS corporis noſtri machina quanquam variis modo internis ſub cenſum Medici venientibus morbis, modo externis Chirurgi opem efflagitantibus pateat, illas tamen ab his partim multitudine & frequentia, partim majori difficultate operandi ſuperari nullus negare audebit. Partium enim externarum læſiones, ſi animum intente advertamus, tam innumerabiles & frequentes ſunt, ut omnibus & ſingulis obſervandis humana ætas haud ſufficiat, neque in libris chirurgicis accurate & ſufficienter eas annotatas eſſe, nullus extra dubitationis aleam ponet. Et quicquid tradunt Autores, aliquando tam imperitiam quam bene ratiocinandi defectum ſapit, quemadmodum cuilibet inſpicienti paſſim obſervandi dabitur occaſio. Hunc Chirurgiæ vero defectum non aliunde derivari poſſe contendo, quam ab Anatomes ſtudio neglecto aut plane intermiſſo; neque minus ex remediorum convenientium, quibus facultatibus operandi polleant, inſcitia. Hinc evenit, quod quamplurimi ægroti aut non curentur, aut in deteriorem ſtatum vel prorſus ipſam in mortem præcipitentur. Judicatu enim facillimum, quod nulla operatio rite inſtitui poſſit abſque partium læſarum debita ſecundum omnes circumſtantias, utut minimas, cognitione, quippe Chirurgum in operationibus ſuis rite obeundis attendere oportet ad fibrarum ductum, vaſorum curſum, muſculorum, tendinum, ac nervorum ſitum, nec non ligamentorum, oſſium connexionem ac membrorum articulationem, ne alioquin inciſione, apertione ac exciſione improvida variorum ſymptomatum, ut motus impotentiæ, convulſionis, hæmorrhagiæ enormis, inflammationis, imo ipſius mortis cauſa & author exiſtat. Præter ſolidam theoriam non minus quoque experientia, licet non crebriori, tamen judicio firmata, eum gaudere oportet, nam pauca experientia judicio roborata multo plus efficiet ea, quæ judicio ac prudentia deſtituta eſt. Quamvis autem id in omnibus operationibus rite inſtituendis pateat, nulla tamen affectio majorem Chirurgi prudentiam & judicium deſiderat, quam fiſtularum debita curatio. Et quemadmodum Medici judicium maxime elucet ex decenti febrium intermittentium tractatione, ſic Chirurgus prudens ex fiſtularum commoda curatione dignoſcitur. Nulla enim partium læſio Chirurgi animum tantopere torquet, vel tantis operandi difficultatibus ſtipatur, quam fiſtula, quemadmodum quilibet rationalis Chirurgus pleno ore confirmabit. Licet autem fiſtulæ valde differentes obſerventur, nullæ tamen majorem prudentiam requirunt ac conſiderationem merentur, quam quæ maxillam ſuperiorem, articulos, veſicam urinariam, uterum, &c. infeſtant. Quarum in cenſum ea quoque referri debet, quæ ani partes obſidet, ſiquidem cum variis operandi difficultatibus conjuncta eſt. Nam præterquam quod ſpecie ſint valde diverſæ, dum modo inteſtinum rectum penetrant, modo externas & conterminas partes perreptant, modo ſimplici modo pluribus cuniculis gaudent, diverſam tractandi methodum requirunt; aliquando ob acceſſionis impedimentum difficillime operationem admittunt, niſi delectis inſtrumentis & ad eas ſingulariter accommodatis utamur. Verum enim vero cum frequentius hoc malum occurrat, inque libris Chirurgicis pleriſque ejus curatio notabilioribus tractandi circumſtantiis deſtituta conſpiciatur, ac ægroti

ſæpe

ſæpe vano pudore detrectent operationem, (quam tamen Ludovicus Magnus, Galliarum Rex, in ſe adminiſtrari paſſus eſt,) operæ pretium fore exiſtimavi, cum mihi methodus commode ac tute Chirurgica operatione eas tractandi facilis cognita ſit, novo inſtrumento ad eas accommodato invento, in gratiam ægrotantium ac Chirurgiæ operam navantium gratioſæ Facultatis Medicæ conſenſu ſpeciminis loco paulo accuratius pro ingenii mei modulo de Ani fiſtula, ejuſque commoda operatione diſquirere, ac methodum tractandi facilem proponere. Non dubito, quin hæ ſtudii mei Chirurgici primitiæ, licet exiguæ, in decumbentium emolumentum ſint redundaturæ. Benevolus itaque Lector hanc meam diſſertationem æqui bonique velim conſulat, nec tam ad ſtyli conditionem, quem valde rudem eſſe confiteor, quam materiæ pertractandæ pondus ac utilitatem attendat, cogitans illud Celsi effatum, *non eloquentia, ſed medicamentis morbos ſanari.* Faxit itaque Deus T. O. M., ut conatus mei cedant in Nominis ſui gloriam, ægrotantium ſalutem, praxeoſque meæ incitamentum fructuſque uberiores.

§. I.

Dum Fiſtulæ Ani curationem pertractare mihi conſtitutum eſt, ante omnia genuinam ejus naturam ac indolem indagare oportet. Eſt autem Ani Fiſtula (ut a definitione exordiar) ulcus inveteratum, ſinuoſum, ichoroſam materiam fundens, callo undiquaque obductum, inteſtinum rectum & conterminas partes obſidens. Gallis vocatur *une Fiſtule à l'anus, ou ſur les feſſes, ou ſur le cul*, Germanice Steiß Fiſtel / Fiſtel am Hintern / oder Maſtdarm-Fiſtel.

§. II.

Ulcus inveteratum dicitur ex eo, quod materiam quandam ichoroſam, tenuem, acrem, corruptam ex vaſculorum minimorum ſanguiferorum ac lymphaticorum, nec non fibrarum fœdam ac putridam continui ſolutionem paſſarum, eroſione effundat. Hinc differt ab apoſtemate, ubi quidem ingens cavitas materiam bonæ notæ ac naturæ præ ſe ferentem complectens deprehenditur. Pus enim, quod effluit, craſſioris conſiſtentiæ & albicantis coloris eſt, ex fiſtula vero acris, ſeroſa & ichoroſa materia promanat. Neque cuniculis ſeu ſinubus apoſtemata gaudent, neque cavitas ampla vel callo obducta eſt. Contrarium vero in fiſtula animadvertitur. Ab ulcere quoque diſtinguitur in eo, quod, etiamſi conveniat in materia excreta, hæc tamen ſinubus gaudeat calloſitatibus obſeſſis, quibus ulcus carere ſolet.

§. III.

Nomen obtinet hæc fiſtula a partibus, quibus infenſa eſt; occupat enim non tantum ani partes externas conſpicuas, muſculos glutæos, ſphincterem inteſtini recti parteſque adſitas, ſed & profundius prorependo ipſum inteſtinum rectum aggreditur, hocque vel perforat, vel ejus membranas perreptat ſumma ... tis moleſtia & quodam dolore conjuncto, cum non ... olum ſordida lintea menta occultare, ſed & toto vitæ curriculo moleſtiam tolerare debeant ægrotantes, ni- ... in tempore curatio ejus acceleretur.

§. IV.

Sunt ani partes fiſtulis magis, quam aliæ corporis partes, ſubjectæ, hanc maxime ob rationem, quia inteſtinum rectum nil niſi cloaca & ſentina eſt fœtidorum craſſorum excrementorum, ex toto corpore illuc ablegatorum, quæ fœtore putredinoſo, ſi levis ... tim detur anſa, nempe hæmorrhoidum tam fluentium, quam cœcarum perverſa tractatio, hanc in ſceleram producendi viam pandit faciliimam, communi... modo putridam paſſam, miaſmate ſuo celerrime inteſtinum anique partes deſtruente, fiſtulamque celeriter introducente.

§. V.

Hinc reſpectu ipſius exiſtentiæ fiſtula Ani frequens malum eſt, licet partim ex moroſitate ægroti, partim ex vano pudore ſubticeatur; frequentius tamen in locis calidis, quam frigidis, iiſque, quibus ſanguinis ſalutaris per hæmorrhoides excretio obtingit. Sic notante Marchettis Italis magis familiaris, quam reliquis, poſtea Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæque &c. incolis. Neque minus iis frequenter infeſta eſt, qui illecebris intempeſtivis venereis indulgent, dum fructus circa ani partes & pudenda dulces, condylomata, mariſcos, verrucas Gallicas, ficus puto, brabei loco reportant, ſi minus decenter tractentur.

§. VI.

Originem ac cauſas hujus fiſtulæ nunc indigitaturi operæ pretium duximus, ut verus formetur de ea conceptus, levem quandam adumbrationem anatomicam earum partium, quæ hoc malo infeſtantur, præſertim inteſtini recti, cui maxime infenſum eſt, præmittere, ut melius intelligantur ea, quæ poſtea dicenda ſunt. Rectum itaque inteſtinum, ultimum ex ordine craſſorum, eſt canalis membranaceus continuatus cum colo inteſtino a flexura ejus ſigmoidea exortus, in anum deſinens, ad fæces ſeu alvina excrementa recipienda eademque pro neceſſitate excludenda deſtinatus. Dicitur hoc inteſtinum rectum, quia recta via a præfata flexura excurrit, & ad anum tendit. Longitudinem pedis adæquat, latitudo ejus eſt trium ferme digitorum tranſverſorum. Situm habet in cavitate pelvis, incumbitque oſſi ſacro & coccygi. Adhæret hoc inteſtimum firmiter in viris collo veſicæ urinariæ, in fœminis uteri, ita ut difficillime ſeparetur. Subſtantia ejus externa copioſa gaudet pinguedine, unde pingue inteſtinum, *le boyau gras*, Gallis dici conſuevit. Tunicis conſtat quatuor, quarum prima & extima dicitur membranacea, alias communis, quæ originem a meſocolo nanciſcitur, & involucri loco inſervit. Altera muſcularis audit, in duas lamellas diviſibilis, quarum ſuperior fibris conſtat longitudinalibus, ſeu ſecundum lineam rectam excurrentibus, inferior priori proxime ſubſtrata ex circularibus ſeu potius ſpiralibus conflata eſt, quæ prioris tunicæ fibras ad rectos angulos interſecant. Uterque fibrarum concurſus, reciproce agendo motum periſtalticum, in dilatatione & conſtrictione conſiſtentem, efficit, quo mediante excrementa re exigente expelluntur. Tertia, ab exteriori computanda, nervea dicitur, ſenſu exquiſito inſtructa; hæc non eſt celluloſa, ne excrementa retardentur, & ſanguifero-

guiferorum vaſorum capillarium ramulos recipit ac inſertos obtinet. Quarta & ultima glanduloſa vocitatur, aliquibus cruſta villoſa, eſtque nil aliud, quam mucoſa quædam ſubſtantia acinos glanduloſos habens interſperſos, inſerviens partim ſecretioni lymphæ pro commodiori contentorum expulſione, partim defenſioni tunicæ nerveæ, ne ab excrementis acribus lædatur. Omnes hæ tunicæ velamentum reliquorum inteſtinorum craſſius conſtituunt. Pars inteſtini recti ultima anum conſtituit, qui gaudet tribus muſculis, duobus levatoribus, & uno conſtrictore, qui ſphincteris nomine venit. Levatores originem habent a laterali & inferiore oſſis iſchii parte, inſeruntur que lateraliter ani ſphincteri. Hi facta excrementorum rejectione anum ſurſum retrahunt. Sphincter vero ani exoritur ex muſculoſa tunica ſtratis fibroſis craſſioribus annularibus donata. Figuram habet annularem ſeu circularem, latitudo ejus duos digitos tranſverſos exæquat. Annexus hæret variis partibus, nempe oſſis ſacri & coxendicum ligamento, veſicæ in viris, in fœminis collo uteri, oſſi coccygis. Inſervit hic muſculus excretioni fæcum alvinarum, anum enim voluntarie dilatat, eundemque facta alvi depoſitione iterum conſtringit & occludit. Vaſa ſanguifera, quæ inteſtino recto impenduntur, quod attinet, ea duplicis generis ſunt, vel arterioſa, vel venoſa, ambo hæmorrhoidalia dicta; priora partim a meſaraica inferiore, partim ab iliacis pronaſcuntur, ſanguinemque tam pro nutritione & ſequeſtratione ſeri tunicæ quartæ, quam pro ſalutari per hæmorrhoides expulſione, adducunt; hæc vaſa externa, illa interna hæmorrhoidalia vocitantur. Similiter quoque vena hæmorrhoidalis alia vel interna vel externa eſt; interna, rami ſplenici ſoboles, oritur a ramo ſplenico (qui eſt ſiniſter venæ portæ ante ingreſſum in hepar ramus) poſtquam venam ſplenicam formavit, tendit circa longitudinem per meſenterii membranas ſerpentino ductu ad inteſtinum rectum, cui in itinere varias ramificationes communicat, ſanguinem revehentes & ad ramum ſplenicum, per eumque ad portæ venam amandantes. Nonnunquam etiam vena hæmorrhoidalis interna oritur a dextro venæ portæ ramo, ſed rariſſime. Externa vero vena ab hypogaſtricis originem nanciſcitur inſeriturque partibus ani externis. Nervos obtinet inteſtinum rectum oriundos a plexu meſenterico infimo & medio, neque minus ab illis, qui ex oſſe ſacro egrediuntur.

§. VII.

Hiſce prædictis pauca ſaltem ad cauſas fiſtularum paulo penitius perſpiciendas in medium proferre de hæmorrhoidum fluxu haud inconſultum judicavi. Itaque quod ſanguinis per hæmorrhoidalia vaſa utiliſſimam ac ſolennem expulſionem attinet, ea ſequenti ratione peragitur. Sanguis in partibus abdominis circa viſcera copioſius collectus ac reſtagnans vaſa nimis diſtendendo premit plexum meſentericum renitentem, qui ſpaſmodice ſtrictus ac tenſus reliquas membranas in conſenſum trahit, unde illis fortiter conſtrictis vaſa ſanguifera anguſtantur, ſanguiſque impedite, immoderate ac inæqualiter movetur. Cum vero arteriæ ob majus robur tantam ſtricturam non patiantur, quam venæ, hinc major copia adducitur ad inteſtinum, quam per ramum ſplenicum revehitur. Congeſtus ergo ac forti niſu alluens ſanguis per venam refluere neſciens ac naturæ moleſtus ſalutari intentione per capillaria vaſcula arterioſa extruditur ac evacuatur, ut machina noſtra corruptibilis ab imminentibus morbis corruptionem minantibus vindicetur.

§. VIII.

Salutare hoc naturæ negotium quod ſi non rite procedat in ſegnioribus naturis, vel intempeſtive fluxus hæmorrhoidalis cohibeatur, aut frigore intercipiatur, evenit, ut ſanguis in extremitatibus vaſorum inter eorum valvulas ſubſiſtat, qui vaſculum unum vel alterum diſtendens ac incarceratus tumores ſatis dolorificos inflammatorios procreat, ita ut illis, quibus obtigerint, ſellæ aut ſcamno inſidere haud permittant, ſuntque hi nihil aliud, quam varices. Idem contingit cum hæmorrhoidibus externis, quæ cœcæ vocitantur, de quarum origine ac natura legatur *Excell. Dom. Prof.* Alberti, *Patroni mei ſumme devenerandi Diſſertatio de Hæmorrhoidibus cœcis.*

§. IX.

Thrombi hi ſeu tumores, ſi non cito diſcutiantur, vel applicatis hirudinibus ſanguis extrahatur, vel, quod melius, ſcarificatione grumoſus ſactus aut inciſione exturbetur ac eruatur, facillime in putredinem abit ac in pus convertitur, progeneraturque apoſtema, quod ſi ſcalpello inciſorio non cito aperiatur, ac deterſivis & traumaticis conſolidetur, in ulcus degenerat, quod manifeſtatur inſigni cavitate ſeu ſacculo ichoroſam materiam effundente.

§. X.

Ulcus hoc, ut propius nunc ad fiſtulæ ani cauſas accedamus, ſi non debite tractetur aut negligatur ejus curatio, fiſtulam ani producit, quæ fit, dum materia purulenta, ichoroſa non ſatis commode effluit, eaque mora acris facta partim gravitate partim acredine diſcontinuando, diffringendo fibrillas parteſque membranaceas ac vaſcula, ſinus ſibi efformat variæ figuræ ac magnitudinis, ichoroſam materiam effundentes, vel introrſum vel extrorſum patulos, vel intimius inter inteſtini membranas proſerpentes, qui ad partes adſitas ſucceſſu temporis tranſeunt. Sinus hi quando formati ſunt, fibræ diſcontinuatæ ac eroſæ criſpantur, indurantur & a craſſiore materiæ parte ſecedentibus & effuſis tenuioribus relicta oppilantur ac incruſtantur, & hac ratione calloſitates proveniunt, qui callus undiquaque mæandros obtegens certiſſimum hujus fiſtulæ præbet ſignum. Fuſius qui fiſtularum geneſin ſcire deſiderat, is evolvat Diſſ. *Excell. Dom. Præſidis, Præceptoris & Patroni mei æternum venerandi, de fiſtularum compendioſa, tuta ac commoda curatione.* Ex cuniculis itaque collo obſeſſis nunc promanat materia a ſeri & ſanguinis ſeceſſione ac decubitu modo fluida, modo ſeroſa, acris, ichoroſa & graveolens, modo livida, nigricans, fuſca, albicans, fœtoriſque expers, prout nimirum ægri conſtitutio, diverſus fiſtulæ ſtatus, ratione durationis, aggreſſionis, neque minus error in diæta commiſſus requirunt.

§. XI.

Cauſas fiſtularum ani itaque quod concernit, inter illas jure meritoque referenda venit ipſa ægrotantium moroſitas vanuſque pudor, quippe iſtiuſmodi ægri nec permittunt Chirurgo aditum, multo minus operationem admittere volunt, ſed potius an læſiones reticent atque occultant, metuentes, ne alii ipſorum ſtatus innoteſcat. Qua ratione hæmorrhoides cœcæ dum inflammantur ac in abſceſſum abeunt ex illorum incuria, negligentia, moroſitate, vanoque pudore ac neglecta cura, cogitantium, nil metuendum, nilque mali inde reſultare poſſe, ani fiſtulis celeriter generandis præbent occaſionem. E quod dolendum, tam pertinaces & moroſi exiſtun ægroti, ut etiamſi fiſtula ani infeſtentur, nihilo ſe ciu

cius tamen curam averſentur, ſed potius hoc malum ſumma cum moleſtia foveant, ita ut totam vitam miſerrime tranſigere non recuſent. Sed poſteaquam ipſe Ludovicus XIV. Galliarum Rex, huic operationi ſeſe ſubmiſit, nonnulli hoc exemplo excitati vano pudore propulſo Chirurgi opem crebrius nunc, quam antea, admittunt, ut notat DIONIS *in Operat. Chirurg. Demonſtr. IV.*

§. XII.

Deinde etiam cauſam fiſtularum ani ſubminiſtrat Chirurgi negligentia, aut inſcitia, quæ verſatur in eo, quod tumores hæmorrhoidum tam internarum quam cœcarum inflammatorios inque abſceſſum degenerantes haud cito aperiat, deterſivis ac conſolidantibus rite tractet, vel plane imperite ac perfunctorie earum curam gerat, hinc non aliter evenire poteſt, quin abſceſſus, dum materia longo temporis intervallo detinetur ac cuniculos efformat, in fiſtuloſum ulcus degeneret. Præterea quoque perverſa tractandi methodo condylomata, mariſcas, ficus & verrucas Gallicas, ani partes obſidentes, fiſtulas procreant; quod fit, ſi improvido & intempeſtivo ſepticorum & cauſticorum uſu tractentur, quippe quæ non tantum inflammationes, indurationes & eroſiones harum partium, verum etiam, ſi temere negligantur, ulcera, imo fiſtulas producere apta nata ſunt. Imperitiam hanc & negligentiam Chirurgi in tractandis partium ani læſionibus acriter deprehendit MUSITANUS *in Trutin. Chirurg. Tom. I. p.* 19. dicendo. *Qui nunc Chirurgos ſe jactant, inducunt fiſtulas, non curant, ſemper enim Chirurgi defectu fiſtuloſi fiunt ſinus, eoque devenit iſtorum ignorantia & impoſtura. ut cum ex artis errore, quam profitentur, abſceſſus & ſinus in fiſtulas abire permittunt &c.*

§. XIII.

Denique ex variis cauſis ani fiſtula progenerari poteſt, ut a partu difficili, quemadmodum TULPIUS *Cap.* 41. *obſerv. Medic. Lib. IV.* refert, vel etiam a dyſenteria, obſervante MARCHETTIS *in Tract. de fiſtulis.* Frequens quoque irritatio cum penna facta ad alvum promovendam in cauſa eſſe poteſt, quale exemplum recenſet AQUAPENDENS *in ſcript. Chirurg.* Præterea variæ quoque cauſæ occaſionales ad fiſtulæ ani geneſin poſſunt eſſe, ut equitatio, caſus ab alto, ictus, &c., quas omnes recenſere ſupervacaneum eſſet.

§. XIV.

Traditis cauſis ac origine fiſtularum ani, proximum nunc erit earum exiſtentiam ac præſentiam oculis ſubjicere. Colligitur autem fiſtula ani ex purulentæ & ichoroſæ materiæ per anum vel foramen ei vicinum effuſione, linteamina imbuente, conjuncta cum dolore, tumore, duritie, & nonnunquam teneſmo. Aliquando per fiſtulæ foramen flatus, imo ipſa excrementa ichoroſâ materiâ onuſta prodeunt. Injectiones quoque ano immiſſæ extra fiſtulæ foramen aliquando egrediuntur; imo ſtylo, candela cerea, vel digitis manifeſtantur; vel ſi externas tantum fiſtulæ obſederint partes, in viſus ſenſum incurrunt.

§. XV.

Ordine nunc provolvimur ad fiſtularum ani differentiam. Authores ordinarie eas diſtinguunt in patentes & latentes, illæ foramine exterius conſpicuo ichoroſam fundente materiam ſeſe manifeſtant, hæ vero intrinſecus abſconditæ latitant, oculiſque haud conſpicuæ ſunt, & niſi materiæ ichoroſæ excretio animadverteretur, de ejus exiſtentia Chirurgus haud certus eſſe poſſet. Præterea dividi quoque hæ fiſtulæ ſolent in internas & externas, quarum priores inteſtinum rectum ejuſque membranas perreptant, conterminaſque partes, uterum, veſicam, &c. pervagantur: poſteriores vero ani ſphincterem, muſculos glutæos pervadunt. Differunt quoque non minus ratione durationis, dum aliæ ſunt recentes, aliæ vero inveteratæ. Hæ duriore callo obſeſſæ ſunt, & tenue pus e ſinubus eructant, illæ vero molliore ac tenuiore callo præditæ, & materia, quam effundere ſolent, craſſioris quodammodo conſiſtentiæ animadvertitur. Vel potius fiſtulas ani differentes eſſe in eo judicamus, cum quædam inteſtinum rectum perforent ejuſque membranas perambulent, nullo extrinſecus foramine conſpicuo; quædam vero internas partes infeſtent. & ad inteſtinum penetrent. illo tamen intacto relicto, hæ apertura gaudeant exterius apparente. Nonnullæ non tantum inteſtinum rectum perforant, ſed & partes externas, ita ut extrinſecus & intrinſecus appareat exitus & apertura, dicunturque completæ, quum priores incompletæ vocitentur. Tandem nonnullæ inteſtinum rectum conterminaſque partes pluribus perreptant ſinubus modo rectis, modo recurvis, modo obliquis modo tortuoſis, in notabilem alium cuniculum deſinentibus.

§. XVI.

Pro differentia itaque fiſtularum ani penſiculatius nunc trutinemus earum ſigna, ex quibus dignoſcuntur. Fiſtuloſum ulcus inteſtini recti ſubſtantiam tantum perforans, ejuſque membranas pervagans, partibus externis relictis intactis, dignoſcitur ex ichoroſæ materiæ per anum tam ante, quam poſt fæcum alvinarum rejectionem, profuſione, prout fundus fiſtulæ vel ſuperius vel inferius latitat. Fundus fiſtulæ, quod ſi ſuperius eſt, tunc excrementis leviter ſaltem induratis ichoroſa acris materia ante fæculentiarum ſeceſſionem tranſit ac expellitur, quippe excrementa fundum fiſtulæ alluentia latera ejus ad invicem comprimendo puris expulſionem proritant. Sin fiſtulæ fundus inferius, ſuperius vero apertura, res contrario modo procedit, nempe ichoris ſtillicidium tunc ſequitur excrementorum dejectionem; excrementa, enim dum præterlabuntur fiſtulæ foramen, illud occludunt, & materiæ exitum impediunt, fundum vero quod ſi tetigerint, comprimendo ſaniei ichoroſæ demum expulſionem concitant. Deprehendit quoque aliquando patiens pruritum & dolorem cum teneſmo ſociatum. & digito ſi exploretur fiſtula, animadvertitur durities, inæqualitas, tumor cum dolore conjunctus; & ſi haud profunde ſatis lateat fiſtula, digitis ano intruſis exploratur protuberantia & excreſcentia quædam fungoſa, doloriſica. Fundus fiſtulæ ſi inferius hæreat, manifeſtatur aliquando tuberculo ad rubedinem vergente exterius, prope ani foramen conſpicuo, præſertim eo tempore, cum fundus ichore repletus eſt, materia vero ichoroſa effuſa tumor evaneſcit. Sin intra inteſtini tunicas fiſtula proſerpat, foramine exterius conſpicuo gaudente dignoſcitur exploratione candelæ cereæ, vel melius inſtrumento accommodato: ſi hoc intra membranas urgetur. lamella digitis immiſſis & ſtylo interjacet. Inteſtinum vero ſi interius quoque apertura gaudeat, inſtrumentum adactum digitos proxime attingit, materiaque partim per ani foramen. partim quoque excrementa per orificium fiſtulæ, ut & flatus prodeunt. Neque ſi operator ſyringæ ope infundat liquorem per ani foramen, is regurgitat & per fiſtulæ oram apertam exſtillat.

§. XVII.

Fiſtula vero ſphincterem ani penetrans perforansque apparet, quando digiti apex ano conſtricto intruſus

ſus haud fortiter detinetur & comprimitur, ſed in ampliore valdeque dilatabili cavitate recipitur. Quæ vero fiſtula multis ſinubus ſeu cuniculis prædita eſt, vel quorum ſinus in notabilem quandam cavitatem deſinunt, explorantur commodiſſime candela cerea, vel ſtyli quadantenus flexilis ope; manifeſtius vero, ſi unus vel alter ſinus aperiatur, ut conſpectui ſeſe reliqui præbeant. Quantitas quoque magna ichoroſæ materiæ excretæ non minus indicio eſſe poteſt & teſtari de ſinuum multitudine. Sinus hi diverſimode exſpatiantur, modo recte, modo oblique, modo anteriora, modo poſteriora verſus excurrunt. Quidam inteſtinum rectum perforant ſimplici vel duplici oſtio juncto, vel intra ejus tunicas ſatis craſſas divagantur. Præterea nonnullæ fiſtulæ ani partes non tantum obſident, ſed & conterminas infeſtant, nam multoties ad veſicam tendunt, eamque perforant, & ſinus unus vel alter exſpatiatur ad veſicam; quod inde adparet, ſi urina per anum proſiliat, & aliquando nonnihil ichoris & excrementorum cum urina erumpat. Non tantum ad veſicam fiſtula tendit, ſed & in ſexu ſequiore ad uterum, in quo caſu fæces cum ſanie ichoroſa per uterum egrediuntur, quemadmodum MUSITANUS *in Trut. Chir. Tom. I. de Tumor. Cap. LXIII. pag.* 283. in duabus mulieribus obſervavit; ſimiliterque eodem loco citato flatus ſeu crepitus ventris & excrementa per veſicam ſinu fiſtuloſo pertuſam prorupiſſe multoties annotavit. Quæ vero ad coxendicis oſſa vel coccygis pertingunt, difficilioris ſunt cognitionis, niſi os carie infectum, quod ex ichore graveolento & nigricante effuſo concluditur.

§. XVIII.

Poſtquam fuſius pertractavimus fiſtularum ani differentiam, earundemque ſigna manifeſtantia, e re noſtra erit, operationi debite inſtituendæ brevibus præmittere prognoſin, ut operator in curatione earum certus ſit, ne, dum multum promittit, parum præſtet, famamque ſuam lædat. Fiſtula itaque ani, quæ ſimplici tantum ductu extrinſecus aperto gaudet, ac ſphincterem ani non aggreditur, curatu eſt facillima, præſertim ſi recens fuerit. Ani quoque externas partes conterminas quæ obſidet fiſtula, ſimplici vel pluribus cuniculis haud profunde tendentibus gaudens ac recens facile quoque ſanationem recipit. Similiter quoque facilius curantur, quæ in ani foramen terminantur, ani ſphinctere intacto; neque minus quæ ſphincteris medium penetrarunt. Difficilius vero curatu eæ, quæ inteſtinum rectum perforant, vel quarum apertura longe diſſita ab ani foramine, aut quæ per inteſtini membranas ſatis denſas vagantur. Difficilis quoque curationis metus in iis eſt, quibus gravia ſymptomata aſſociata ſunt, ut inflammatio, hæmorrhoidum fluxus, intenſus dolor, teneſmus, & quæ callo duro gaudent; quæ licet operandi rationem ægre admittant eo tempore, ceſſantibus tamen ſymptomatibus curam, quamvis eam retardent, recipere poſſunt. Quæ vero fiſtulæ multis cuniculis & mæandris duro callo obſeſſis ſcatent, ac partim ſphincterem ani, partim inteſtinum rectum ejuſque membranas perreptant, eæ difficillime operationem admittunt. Fiſtulæ vero modo ſimplici, modo variis ſinubus præditæ, ſi veſicam, uterum, coxendicum & coccygis oſſa occupant, omnem curationem ob denegatum acceſſum reſpuunt, omniſque labor hic irritus ac fruſtraneus eſt, quippe depaſcunt vires, & languores, tabem corporis, atrophiam hecticam, imo ſphacelum mortis cauſam afferunt. Fruſtraneo quoque effectu curatio fiſtularum ani procedit, ſi ægrotus ſcorbuto, cachexia, vel lue venerea, (niſi prius curetur) laboret, vel ſenio conſumtus & valde debilis exiſtat.

§. XIX.

Ordo nunc quidem jubet, ut operationem ani fiſtulam tractandi manualem expendamus, ſed antequam ad eam nos accingamus, operæ pretium eſſe duximus, nonnulla prælibare, quæ ad operationem rite inſtituendam eamque feliciter peragendam neceſſario requiruntur. Antequam itaque Chirurgus prudens eam adminiſtrare intendit, prius certus ſit oportet de fiſtulæ conditione ejuſque ſtatu, quippe per aliquot ante operationem dies explorare debet fiſtulæ cavum, quod peragitur, ſi fiſtula apertura exterius conſpicua gaudeat, intrudendo inſtrumentum exploratorium vel candelam ceream, vel ſi fiſtula exitum non habeat, ſed tuberculum rubicundum prope ani foramen obſervetur, digitus in anum intrudendus eſt, ut tuberculum ſub cute magis protuberet, quo facto inciſio peragenda, poſteaque ſtyli ope exploratio tentanda, ut hac ratione operator certus fiat de fiſtulæ natura, progreſſu ac qualitate, ſi optatum finem ſperare velit.

§. XX.

Operator jam de fiſtulæ ani natura certus factus, præterea antequam operationem molitur, reſpicere debet ad habitum patientis, num ſanus corpore, vel prava corporis conſtitutione affectus ſit; nam æger ſi ſenio confectus, debilis valdeque emaciatus, cachexia, ſcorbuto vel hydrope laboret, gravibus doloribus febrique prematur, operationem tentare non licet, eaque fruſtranea cenſetur, ſed facillime ſymptomata ingraveſcunt, panditurque via ad inflammationem imo ſphacelum mortem accelerantem. Sed potius tamdiu expectandum donec dolor, febris, morbique, nec non ſymptomata funeſta ceſſarint. E contra vero ſi operator exoptatum ſcopum nanciſci contendat, corpus patientis, quod operationi ſubjicitur, ſanum, robuſtum, ſuccis temperatis vegetatum & gravibus ſymptomatibus minus obnoxium eſſe oportet. In lue venerea laborantibus & ſcorbuto infectis ſi operatio inſtituenda, eo allaborandum eſt, ut hi morbi prius propulſentur ac debellentur, poſtea enim operatio bono cum eventu ſuſcipitur. Alias, ſi neglecta horum morborum curatione ſectionem inſtituat operator, æthiopem lavare contendit. Probe itaque reſpiciendum ad ægri naturam, ſi qua ſpes exoptatæ curationis affulgere debeat.

§. XXI.

Præterea quoque Chirurgum eo reſpicere oportet, ut ægroti corpus rite præparetur. Conſiſtit autem hæc præparatio in eo, ut ægrotus diætam obſervet exactam, vitando omnia indurata, ſalſa, acida, fermenteſcibilia, ſolida, multum excrementi ſuppeditantia, ſolidioris ſubſtantiæ, ſed eupepta, fluida, ut juſcula carnium, quæ alvum lubricam ſervant, ſuadenda. Si corpus valde plethoricum, venæſectio quoque locum obtinet. Deinde ante operationem Chirurgus applicare jubeat clyſma, quo excrementa removeantur, inteſtinumque eluatur, ne ſub operatione excrementa dum elabuntur, Chirurgo moleſtia ac nauſea procreetur, & operatio turbetur. Ad quem ſcopum obtinendum etiam collimant laxantia. Peropportunum quoque tempus ad operationem rite celebrandam eligere neceſſe eſt, quippe ſereno die, horis ante-pomeridianis, & aëre temperato exiſtente ea inſtituenda, non vero hyeme, intentiſſimo gelu regnante, neque ſub Sirio operatio tentanda, ſed ad opportunum tempus differenda eſt.

§. XXII.

Operationem itaque hujus fiſtulæ quod concernit, ea triplici modo peragitur, 1) ligatura, 2) cauteriis, &

& 3) inciſione. Quæ ligatura fit, ea jam Veteribus cognita & uſurpata fuit, & ſequenti modo adornatur. Patiente ventre inflexo lecto incumbente miniſtrorum duo femora ab invicem deducunt, eaque firmiter tenent, operator poſtea indicem ſiniſtræ manus digitum ſi dextram, dextræ ſi ſiniſtram partem occupat fiſtula, oleo liliorum alborum vel amygdalarum dulcium inunctum intrudit, eumque ad rectum inteſtinum adigit; altera vero manu ſtylum vel acum flexilem lino crudo tenuiſſimo ad palmi longitudinem quintuplicato & pilo equino circumdato, vel filo ex pilis equinis complicatis contorto, vel ſerico facto armatam in fiſtulam dimittit eamque pertundit, ſi opus, poſtea acum extrahit, filo relicto, vel ſpecillum, lino infixo remanente quadantenus in ſumma ejus parte inflexum, extremitates filorum extra anum pendulas adducit, eaſque ad nexum deligat, ita ut ſingulis diebus reſtrictio fiat. Hoc tamdiu continuandum, donec diſciſſio fiſtulæ facta fuerit. Quod ſi filum computruerit, antequam fiſtulæ inciſio facta, novum ſubſtituendum venit eodem modo, ut ante dictum. Huic operationi commode inſtituendæ inſervire poteſt acus flexilis, ex argento finiſſimo parata ſub Fig. III. monſtrata. Diſciſſa jam fiſtula calloſitates removendæ ſunt, & poſtea aliorum vulnerum more tractanda. Qui fuſius de hac operandi veterum methodo legere deſiderat, is adeat HIPPOCRATIS *Libr. de Fiſtulis.* CELSUM *de Medic. Libr. VII. Sect. IV.* alioſque Authores.

§. XXIII.

Altera vero hanc fiſtulam ſanandi methodus celebratur ſepticorum & corroſivorum applicatione: fit autem hæc ſequentem in modum. Aegro decenter collocato, divaricatiſque cruribus, corroſivum medicamentum calloſo fiſtulæ ori turunda ex linteo carpto exceptum applicatur, poſtea vero alia turunda ex ſpongia compreſſa cera imbuta intruditur, quo dilatetur fiſtulæ ſinus, ut reliquæ calloſitates magis conſpectui ſeſe præbeant. Quod ſi jam ad fiſtulæ fundum perventum, corroſivum linteo carpto vel plumaceolo admovendum, quo tamdiu continuandum, donec omnis calloſitas conſumta, poſtea traumaticis & conſolidantibus cura eſt abſolvenda. Hic curandi modus, utut diutius duret, tamen ab ægrotantibus ob vanum inciſionis metum creberrime expetitur, perſuaſis, inciſione graviſſimos introduci dolores. Hac methodo feliciter ani fiſtulas curavit LE MOYNE, Chirurgus Pariſienſis, notante DIONIS *in Oper. Chirurg. Demonſtr. IV.* Verum enim vero, ſi fiſtulæ os interius lateat, ac ſinus intra tunicas inteſtini recti abſconditus hæreat, Chirurgus corroſivum applicare non poteſt; quod ſi vero hoc faciat, inde evenit, ut, dum corroſivum firmiter detinere parteſque adſitas defendere nequit, diffluat, ſanas vicinas partes aggrediatur, graveſque moleſtias creet. Adeoque hæc operandi ratio tantum procedit in fiſtulis externis recentioribus, ad ſphincterem ani tantum pertingentibus; nullo pacto autem fiſtulis inteſtinum rectum perreptantibus modo ſimplici, modo pluribus ſinibus divaricatis, ſanandis quadrare poteſt.

§. XXIV.

Reſtat nunc tertius ani fiſtulas curandi modus, reliquis longe præferendus, qui in earum inciſione conſiſtit. Inſtituitur autem ea commode, tuto ac faciliori negotio, præmiſſis præmittendis, ſequenti encheireſi: Ægro inclinato corpore ſedili, ſcamno vel lecto impoſito, diductiſque probe clunibus a duobus robuſtis viris, ſi patiens valde obeſus fuerit; operator duos digitos, indicem cum medio ſiniſtræ manus ſi dextrum fiſtula occupet latus, dextræ ſi ſiniſtrum infeſtet, oleo liliorum alborum vel olivarum madidos intrudit, altera vero manu inſtrumentum hoc valde accommodatum noviterque inventum ſub Fig. I. notatum vagina reconditum recipit, & ſtylum argenteum flexilem appenſum fiſtulæ ori immittit, tamdiu continuando, donec ad fundum fiſtulæ ſinus ſtyli acies pervenerit. Hoc facto ſtyli aciem ad digitos vertit intruſos, eamque per illorum interſtitium adigit, ſicque fiſtulæ ſinum pertundit, poſtea digitorum apicibus ſtylum recurvat, & arripit altera manu cultri aciem, poſtea manubrio abſconditam detegit, cultumque manubrio arreptum protrudit, & digitis extractionem ſtyli molientibus ſuccurrit. Stylum extractum ſequitur cultri acies, qua, cooperante utraque manu uno ictu fiſtuloſum ulcus diſcinditur. Apertione facta vulnus plumaceolis filo ſuſpenſis vel ſiccis vel ſpiritu vini rectificatiſſimo aut albumine ovorum imbutis replendum, poſtea emplaſtrum compreſſulis duplicatis apponendum. Tota deligatio abſolvitur tandem faſcia idonea ſub Fig. IV. delineata, quæ non tantum in fiſtularum ani operationibus, verum etiam in omnibus ani læſionibus apprime locum obtinet. Deligatione altero die ſoluta reſpicere debet operator ad calloſitates, quas removere intendit. Unguento ægyptiaco cum mercurio præcipitato rubro probe mixto, vel melle chelidonii mercurio præcipitato rubro remixto ſi callus mollis exiſtat, plumaceolis vel turundis excepto. Quodſi vero profunde lateat callus, lavamentum *Ruſtingh.* deſcriptum in het nieuw gebouw der Heelkorſt maritatum cum eſſentia myrrhæ, tinctura benzoes & melle chelidonii. ſyringæ ope injectum mirabilem edit effectum, brevi temporis intervallo fiſtulam detergendo, calloſitatesque, ſi non valde duræ exſtiterint, conſumendo vulnerisque conſolidationem promovendo, ita ut major ſit experientia verbis. Si variæ inæqualitates calloſæ fiſtulis inexſtiterint, nonnulli ſuadent forfice eas auferri debere. Probe tamen obſervandum, ne vas arterioſum diſcindatur, ac enormis ſanguinis effuſio concitetur; quod ſi ex improviſo id contingat, ne enormis hæmorrhagia incompeſcibilis fere propter vaſa in fundo fiſtulæ ſita, quæ conſtringi non poſſunt neque comprimi, ægro vitæ periculum minetur, cito ſtyptico idoneo ex maſtiche, ſanguine draconis, bolo armena, pulvere conſolidæ majoris &, gummi tragacanthæ vel arabico, albumine ovorum ſubacto plumaceolis proſpiciendum, digitis vero miniſtrorum alternantium circa unum alterumve oſſis latus fortis fiat compreſſio neceſſe eſt, probe innuente PALFYN. *in operat. Chirurg. p. 323.* Circa corroſiva adhuc monendum reſtat, quod aluminoſa & vitriolacea, ut alumen uſtum & æs viride, non adhibenda ſunt, quia dolorem, imo inflammationem, dum nervoſis & membranoſis partibus ſunt inimica, producunt, neque ſeptica veſperi ſed mane applicanda ſunt, vid. MARCHETTIS *in Tract. de Fiſtul.* Demto ac remoto callo vulnus conſolidantibus tractandum, ut eſſentia hyperici, cum balſamo copayvæ vel tinctura benzoini cum balſamo Peruviano maritatis, aut Balſamo Arcæi immittendum. Tandem cicatrix unguenti de lithargyrio promovenda, non vero oleoſis, pinguibus fibras relaxantibus, ut putat MARCHETTIS *loco citat.* Emplaſtrum pro deligatione haud præſtantius inveniri poteſt, emplaſtro *Ruſtingh*, vel *Benedict.* CAROL. MUSITANI deſcriptum *Tom. I. Trutin. Chirurg. de Tumor. p. 216.* Accidit nonnunquam, ut fiſtulæ orificium, callo duro & protuberante ſuperficiei inæqualis ſit obſeſſum, quo in caſu prius ſcarificatione opus eſt, poſtea vero callum auferentibus utendum. Solet quoque nonnunquam contingere, ut fiſtulæ facta inciſione ejusque prima deligatione ſanguis non effluat, ſed intra inteſtini cavum remaneat, notabili patientis detrimento, quippe ex hac ſanguinis retentione, niſi clyſtere eluatur, non

non tantum lipothymiæ, verum etiam ipſa mors ſuboritur, quale exemplum PALFYN *Operat. Chirurg. Cap. XX. Pariſiis à l'Hôpital de la Charité des hommes* ſe obſervaſſe autumat. Non minus quoque circa inciſionem notari meretur, quod ſi fiſtulæ fundus altius excurrat, digito intruſo perforatio fundi ſtyli ope in totum fieri nequeat; hoc pacto enim ſtylus recurvari ac extrahi non poteſt, multo minus fiſtulæ fundi inciſio felici ſucceſſu celebrari. Quod ſi vero inciſio inſtituenda, ægrotum augurari oportet facta operatione, materiam ichoroſam adhuc effluere, licet in minori quantitate, vitæ finem concomitantem, bene animadvertente PALFYN loc. cit.

§. XXV.

Demonſtrata methodo internas ani fiſtulas curandi inſtrumento Fig. I. notato, adhuc ſubjungimus aliam circa fiſtulas externas occurrentem, licet eodem inſtrumento fieri poſſit, tamen eam quoque, quæ minori cum apparatu inſtituitur, inſinuabimus. Fiſtula itaque ani, quæ externas tantum obſidet partes & in ſphincterem terminatur, commode detegitur acu ex finiſſima luna parata, ſpithamæ longitudinis quam fig. III. repræſentat. Operatio ita procedit. Chirurgus acum arreptam conſtanti tenet manu, eamque aperto fiſtulæ ſinui intrudit pertunditque fiſtulæ fundum, poſtea cuſpidem recurvat, acumque per fiſtulam traducit ad ejus medium, extremitates acus committit, commiſſaſque firmiter tenet una, altera vero manu recipit cultrum inciſorium, Gall. *un biſtouri*, quo fiſtulæ partem ab extremitatibus acus compreſſam reſcindit, ita ut portio acui adhæreſcat. Quo facto plumaceolis vel ſiccis vel vitello ovorum & pulvere ſtyptico imbutis vulnus replet, calloſitates ſepticis tollit, vulnusque balſamicis ad conſolidationem perducit. Deligatio fiat compreſſula quadruplicata, appoſito prius Emplaſtro *Ruſingh.* & faſcia figuram T referente, delineata fig. IV. Nonnunquam fiſtulæ orificium adeo anguſtum, ut ſtylum mediocris craſſitiei non admittat, quo in caſu commode uſus fuit PALFYN *Cap. XV. Operat. Chirurg. p.* 324. filo ex cupro facto, ſimili iis, quibus mulieres in conficiendis tibialibus utuntur.

§. XXVI.

Inciſioni fiſtularum ani debite præſtandæ non minus quoque inſervit inſtrumentum *Monſ. Beſſieres* fig. II. notatum, cujus felicem ſucceſſum ipſe Ludovicus XIV. Galliarum Rex expertus eſt, ſed hoc tantum ſtipatur incommodo, quod fiſtulæ, ſi altius penetraverit ac orificio interius non gaudeat, ob globum appenſum pertuſio fieri non poſſit, neque acie cultri longius remota, propter collum oblongum inciſio commode inſtituitur. Veruntamen in fiſtulis externis, & quæ ani ſphincterem obſident, incidendis uſum ejus ſatis commodum non detrectarem. Similiter quoque ſtatuendum de cultris inciſoriis, pro ani fiſtula excogitatis & delineatis ab AQUAPENDENTE, SCULTETO, MECKEREN, qui pari ratione ad ſcopum rite proſequendum in multis non ſatisfaciunt, exceptis ſaltem fiſtulis externis, in quibus ad operandum facilior patet aditus. Verum enim vero reliquis omnibus inſtrumentis palmam præripit hoc Fig. I. delineatum, quo non tantum commode ac faciliori negotio fiſtulas ani externas incidimus, verum etiam internas, cujuscunque etiam fuerint generis, ſi modo operationem admittant, ad quarum acceſſum reliquis pertingere non licet, ut hinc dexterrimus operator, ſi operationem feliciter exequi cupit, eo carere hau poſſit.

§. XXVII.

Antequam diſſertationi noſtræ colophonem imponamus, nonnulla de inciſione ſphincteris ani in medium proferemus. Diximus §. XXIV. fiſtulam interius latentem in totum reſcindi, adeoque & ſphincteri ani ſimile quid obtingere, neceſſario inde colligitur. Quæſtio itaque nunc eſt inter Chirurgos magni momenti, num ani ſphincter in totum diſcindi debeat? Quidam affirmant, quidam negant; omnes tamen ad experientiam provocant. Nos itaque judicamus, utrorumque opiniones certo ſenſu veras eſſe, easque ſatis opportune poſſe conciliari. Nam negativam qui tuentur ſententiam, operationem forſan inſtituerunt in corporibus pravis ſuccis ſcatentibus, ſcorbuticis, cachecticis, ubi ingens perditio portionis ſphincteris in putredinem & corruptionem abeuntis pronata, quæ conſumtio & ablatio notabilis muſculi partis partim incuria & moroſitate ægroti neque minus mala diæta, partim Chirurgi negligentia etiam produci poteſt, unde poſtmodum portione notabili ſublata excrementa præter voluntatem ſecedant neceſſe eſt. Affirmativam vero qui favent ſententiam, inciſionem adminiſtrarunt in ſubjectis bonis & temperatis ſuccis prædiis, diætam exactam obſervantibus, ubi nulla corruptio, putrefactio, & notabilis poſtea ſeceſſio portionis muſculi metuenda, ſed cicatrix, ſi non adeo firma, producta functionem ſphincteris conſervat, ſecundat, multo minus vero lædit. Adeoque ſi quis dejectionem excrementorum involuntariam effugere, bonumque effectum ex ani fiſtulæ inciſione ſperare velit, eum reſpicere quam maxime ad ægroti habitum oportebit.

§. XXVIII.


De felici ſucceſſu operationis methodo §. XXIV. tradita unum vel alterum caſum apponere potuiſſem; ſed cum partim limitum diſſertationis rationem habere debeam, partim iis prolatis arti haud major lux accendatur, cum novus caſus novam requirat in operando convenientem encheireſin, Chirurgique dexteritatem, ad ſingulas circumſtantias, utut minimas, rite attendendo: hinc merito iis recenſendis non inhærebo. Qui vero exempla, ubi fiſtulæ ani curatæ fuerunt, ſed alia methodo, legere capit, is evolvat MEEKEREN, PALFYN. MARCHETTIS *Tract. de fiſtulis.*

§. XXIX.

Coronidis loco pauca quædam ſuperaddere placet de diæta in & poſt curam obſervanda. Facta itaque operatione, debita encheireſi adminiſtrata, circumſpiciendum, ut durante curatione alvus ſervetur aperta, quod commode peragitur alimentis fluidis, ut juſculis carnium cum radice cichorei & cremore tartari vel magneſia alba, pilulis quoque polychreſtis vel alio quodam clementi laxante ſuccurrendum. Quod ſi alvus nimis fluida exiſtat, vel diarrhœa corripiatur patiens, ſæpius de die deligatio renovanda, & diarrhœa convenientibus remediis tollenda eſt. Diæta quoque utatur bona, vitando omnia acida, acria, ſalſa, indurata, cruda, ſed eupepta aſſumenda. Si luis venereæ ſuſpicio adeſt, eo allaborandum, ut præter fiſtularum curationem ſuſceptam interna, hoſtem hunc radicitus evellentia, ut decoctum lignorum pilulæ mercuriales & mercurialia, vel ſudorem vel ſalivam moventia, ſubjunguntur; hac ratione major curationis ſpes, quam externis affulget. Hæc itaque ſunt, quæ de fiſtulæ ani delicta curatione in medium proferre volui, non dubitans, quin ex tenuibus his ſtudii mei Chirurgici primitiis fructus aliquis ad ægrotantium ſalutem ſit redundaturus.

INDEX




Fig. IV.
a
c
g
g
a
b
b
d
d
Fig. I.
a
b
c
e
d
e
e
e
f
f
f
f
Fig. III.
a
b
c
Fig. II.
a
b
c
d

INDEX FIGURARUM.

Figura I.

Ad vivum delineat Cultrum Inciſorium noviter inventum.

a. Cultri acies incurvata.
b. Stylus flexilis appenſus, ſtraminis craſſioris latitudine, ex argento Pariſino finiſſimo fabrefactus.
c. Styli acies minus flexilis.
d. Dorſum cultri recurvum ac undiquaque politum.
e. Vagina.

Figura II.

Exhibet ad vivum Cultrum Inciſorium Dom. Beſſieres, Chirurgi Pariſienſis.

a. Acies cultri quadantenus incurvata.
b. Dorſum ejus rotundum & politum.
c. Collum oblongum & rotundum, inferius latum, ſuperius ſenſim in mucronem abiens.
d. Globulus parvus appenſus piſi minoris magnitudinis.
e. Manubrium.

Figura III.

Repræſentat quoque ad vivum aciem flexilem ex finiſſima luna paratam, ſtraminis craſſioris latitudinis.

a. Pars ejus ſuperior & latior.
b. Foramen pro tranſitu fili ex ſerico vel pilis equinis linteo convolutis facti.
c. Pars inferior in cuſpidem deſinens.

Figura IV.

Monſtrat Faſciam inſtar T, *deligationi inſervientem.*

aa. Duo capita ſuperiora ventri imponenda, eaque
bb. Filis duobus per quatuor foramina
αα. Trajectis committenda ac firmanda.
cc. Pars faſciæ media parti poſteriori ventris applicanda trium digitorum latitudinis.
dd. Faſciæ inciſura ac diviſio.
ee. Duo capita inferiora inguina verſus reflectenda ac filis quatuor
ffff. Per duo foramina
gg. Trajectis firmanda.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA,

DE

SYNOVIA EJUSQUE ORIGINE.

Primùm edita Anno 1697.

§. I.

SICUTI præcipua providæ naturæ in univerſum lex eſt, ut effecta ac operationes ſtupendas moliatur & producat gradibus eundo per parva ſemper initia: ita nihil minus illud ipſum contingit in corpore noſtro. Etenim ex minimo naſcimur, ægrotamus ac morimur. Exigua & leviſſima ſæpius ſunt, quæ totius machinæ immutationem, vel etiam deſtructionem intendunt atque minantur. Videtur Divino artificio ſingularique concentu ita conſtructum corpus noſtrum, ut ſe habeat inſtar machinæ, cujus rotulæ ad motum neceſſariæ, ſi tantillum impedimenti vel læſionis accipiunt, tota ſtatim machina compatitur, & operationes inordinatas producit. Notabile eſt, a leviſſima quandoque fibrillarum nervearum irritatione totum corpus in conſenſum trahi, ejuſque ſimul & mentis motiones mirum in modum perturbari, ſanguinis humorumque craſi ac motione valde immutata. A levi nervorum vel tendinum punctura quam ſæva & horrenda quandoque conſpiciuntur ſymptomata, ut præſentiſſimum vitæ periculum minentur? Dorſi vertebrarum levis ſubluxatio aut contorſio Germanicis **das Wehthun** vocata, propter levem nervorum & vaſorum ſanguiferorum compreſſionem, difficilem reſpirationem, ſudores ſyncopticos, inſignes præcordiorum anxietates, vomitus, nauſeam ſæpenumero excitat, ut mortem inſtare dixeris. Ex dentitionis difficultate in infantibus intenſius vellicatus nervorum ramulus febrem acutam, diarrhæam, epilepſiam cum ſuffocatoria præcordiorum anguſtia quotidiano experimento parere atque gignere ſolet. A tendine muſculi bicipitis phlebotomo ſauciato intenſiſſimam cum febre inflammationem & tandem brachii ſphacelationem ortam fuiſſe auctor eſt HILDANUS *Cent. IV. obſ.* 70. In quam rem etiam confer *obſ.* 2. *Cent. V.* quæ de graviſſimis affectibus ex leviſſimis cauſis ortis agit. Et *Celeberrimus* DOLÆUS *in Encyclop. Chirurg. Cap. de Vulneribus*, a punctura nervi loco venæ, partis inflammationem, ſphacelum ac tandem ipſam annotavit mortem. Ex omnibus autem, quæ dolor procreare ſolet, ſymptomatibus atque productis admodum memorabile eſt ingens ſeroſæ ſubſtantiæ profluvium, quod articulorum & partium tendinoſarum ac nervoſarum læſionibus valde familiare eſt. Hoc quas cauſas ortumque habeat, & quos agnoſcat fontes, non adeo liquida ac deciſa res inter Medicos ac Chirurgos eſt; quapropter non vanum & inutile fore judicavi in mali hujus originem paulo exquiſitius inquirere, quod nunc loco ſpeciminis pro ingenii modulo exhibendi inpræſentiarum præſtabo benigniſſimam Dei opem, ſicuti in cæteris laboribus mihi promittens firmiſſimè.

§. II.

Primum autem non exiguam animo cepi admirationem, familiariſſimi hujus ſymptomatis in antiquiorum Medicorum vel Chirurgorum monumentis nullam ferme reperiri mentionem, & apud HIPPOCRATEM quoque nulla veſtigia de hoc exſtare. Omnium primus CELSUS eſt, qui *Lib. V. c.* 26. ita ſcribit: *Eſt*, inquit, *quædam ſanies, quæ vel Ichor vel Meliceria nominatur.* Et paulo poſt, *Ichor tenuis, ſubalbidus, ex malo ulcere exit, maximeque, ubi, nervo læſo, inflammatio ſequuta eſt. Meliceria craſſior, & glutinoſior, ſubalbida, mellique albo ſubſimilis. Fertur hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos læſi ſunt; & inter hæc loca, maxime ex genubus &c.* Ex Recentioribus unicus ferme HILDANUS eſt, qui ex profeſſo & copioſe pariter ac ſolide hujus affectus evolutioni ſtudet, utut ejus originem non levibus ambiguitatibus perplexam reliquerit. Appellatur hoc malum à CELSO Meliceria à Græco verbo μέλι, quod Latinis mel & κηρίον, quod iiſdem denotat favum in quo apes mellificant, quoniam affectus hic junctus eſt cum tumore in cute exiſtente, ex quo per majora foraminula, quæ apum cellulis propter figuram non abſimilia, humor glutinoſior melli albo proximus excernitur. Differt tamen hic affectus CELSI a Meliceride GALENI: etenim hæc abceſſus mollis, flaccidus & indolens eſt, ex materia frigida, mel colore & conſiſtentia referente, & membrana incluſa genitus. Latini proprio vocabulo deſtituti, quoniam ab articulis & partibus exſanguibus ut plurimum defluit, aquam articulorum nuncupant. PARACELSUS primus fuit, qui Synoviæ nomine ipſum ſalutavit. Retinemus autem, quamvis fictum hoc vocabulum, quoniam magis tritum & receptum in ſcholis chirurgicis eſt, ut ut non diffiteamur rectius facere illos, qui vocabula barbara & ficta in medicinam primum non introducunt.

§. III.

Primum autem omnium è re fore duco, quo eo melius noſtri affectus diagnoſis pateat, & in penitiorem mali cognitionem ac indolem perneſcendam deducamur, omnia ea afferre, quæcunque circa tali morbo laborantes hiſtorice fiunt & fieri ſolent, & ex ipſa practica experientia deprompta ſunt. Primum itaque dicimus affectum noſtrum non omnes corporis læſas partes, ſed exſangues, tendinoſas ac nervoſas, potiſſimum articulos, juncturas & partes adjacentes invadere atque infeſtare. (2) Non ſemper has partes ab externa cauſa læſas Meliceria corripi,

ſed

ſed tunc demum copioſa illa ſeri tenuis ac tandem glutinoſi profluxio exſurgit, quando immanis dolor, inflammatio ac intumeſcentia in parte læſa vel in vicinia ſupervenit, quibus abſentibus accidens hoc non reperitur. (3) Omnia membrorum loca, ſenſu eximio prædita, propter nervorum ac tendinum copiam & liberum ab omni carne ſitum, ſi læduntur vel a leviſſima cauſa, v. gr. a lancetta (qualia exempla exſtant apud HILDANUM *Cent. III. obſ.* 15. *&* *Cent. IV. obſ.* 70. Similem quoque caſum mihi communicavit *Excellentiſſimus* DOLÆUS, qui omnia jam recenſita ſymptomata ex mala venæ ſectionis adminiſtratione in quodam Batavo obſervavit. Similis obſervatio etiam videri poteſt in *Miſcell. Nat. Cur. Ann.* 3. *Dec. II. obſ.* 26.) acu, cultro &c. valde obnoxia eſſe huic affectui. (4) Materiam effluere variam, inter initia utplurimum tenuem, ſubalbidam & limpidam, quandoque & temporis progreſſu flaveſcentem, melli & albumini ovi, vel etiam carnium loturæ ſimilem. (5) Paucis diebus exactis ſæpius ad integram menſuram ichorem hunc ſedere, & ultra octiduum haud rarius id extendi. Sic obſervavit *Præſtantiſſimus* HILDANUS, in quodam ex levi vulnuſculo prope patellam intra horæ ſpatium duas libras effluxiſſe, & in alio ex unius digiti vulnere plus quam menſuram. (6) Peſſimum hoc ſymptoma ut plurimum productum eſſe inſcitiæ Chirurgorum, ut id rectiſſime annotarunt PARACELSUS, LANGIUS *Lib.* 1. *Epiſt.* 3. HILDANUS *Lib. cit.* dum partes exſangues ſubtili ſenſu præditas promiſcue pinguibus, unguentis emollientibus, nec non frigidis, adſtringentibus, ſtipticis, interdum etiam acribus, irritantibus perperam tractant, unde obſtructiones cauſantur, dolorum faces accendunt, inflammationem & preſſo pede ſubſequentem hanc fluxionem accerſunt. (7) Si corpora ſcorbutica & cacochymica malum hoc deprehendat & nimis præpoſtere deobſtruentium uſurpatio accedat, expeditum tranſitum fieri in ulcera cacoethica & ſphacelum, de quo legi meretur JOH. LANGIUS *Lib. c.* *&* HILDANUM *l. c.* (8) Comitari hoc ſymptoma febrim acutam cum anxietate præcordiorum, dolore capitis ac lumborum, ſiti, vigiliis, proſtratione virium, alvi conſtipatione, & quo diutius durat ac gravius eſt, omnia hæc dicta ſymptomata exacerbantur, febris evadit acutior, virium major ad lipothymiam uſque defectio, membrorum totius corporis contabeſcentia ſuccreſcit. (9) Si diutius dictis ſymptomatibus pars infeſtetur, tandem ipſa oſſa eroduntur ac carioſa fiunt ac nervis, ligamentis ac vinculis juncturarum ab acri materia abſumtis & contractis, membra rigida, incurvata, ad motum inepta evadunt, callo ſæpius oſſa a cartilaginibus & vinculis denudata inter ſe firmiſſime connectente, ac ſi nunquam ea in parte fuiſſet articulus, de quo fuſius legi meretur HILDANUS *Lib. cit. Cap.* 29.

§. IV.

Ex hiſce adductis & enumeratis pathematis noſtri circumſtantiis liquidiſſime apparet, ingentem eſſe diverſitatem illius lymphæ profluvii, quod ex diſciſſo vaſe lymphatico, ſalvis nervis ac tendinibus, citra notabilem dolorem oboritur, & inter jam deſcriptum noſtrum affectum. Accidit non nunquam, quamvis rarius, Chirurgum loco venæ aut una cum vena, vas quoddam eximiæ magnitudinis lymphaticum propter horum perplexum ſitum ſenſus fugientem perfodere. Obſervatur tunc udor perpetuus, qui tandem tamen conſolidato vaſe adſtringentibus evaneſcit, cujus exemplum affert CL. STALPART VAN DER WIEL *in p.* 2. *obſ. rar. obſ.* 46. de nauta febricitante, cui ipſius juſſu vena ſecta fuit, quo peracto è brachii apertura multum aquæ limpidæ poſtridie effluxiſſe animadvertit, continuato at abſque dolore aut inflammatione per aliquos dies fluxu. Similia exempla recenſet quoque Cl. Dn. SOLINGEN *part.* 4. *van de Manuele Operatien*: Primum de labro quodam lignario, qui muſculi ſolei caput læſerat, cujus cavi vulneris intra octiduum carne repleti infima pars pallida admodum apparuit, inferiore etiam diſſecti vaſis lymphatici parte, (quæ globuli inſtar intumuerat) quo minus liquoris animadverteretur effluxus, impediente. Quare per ſenſim lympham verſus infimum labium pollice remotam expulit SOLINGIUS, atque ita, quod in medio globulo, ſive papilla ipſius vaſis lymphatici apparebat, facillimè conſpexit oſtiolum, in quod uſque ad valvulam quandam, quæ obſtaculo erat, ſtylum immiſit tenuem, nullo, quamdiu valvula ſtylo occludebatur, humore exeunte. Illo autem preſſione continua educto, tantum effluxit liquoris, quantum cochleari implendo ſat eſſet. Hunc autem ut ſiſteret fluxum, fruſtra vitrioli Cypri pulverem loco impoſuit, poſtridie etiam cauterio, ut eſcharam induceret, incaſſum adhibito, hac enim ſeparata, humor, ut ante, fluebat. Tandem vero, uti laſis fit arteriis, vaſculum interceptum, compreſſumque ſupra pulvillum, latiore ligavit vitta, apertumque & hians vaſis contraxit oſtiolum, fluxumque blando quodam adſtringente remedio intra paucos ſuppreſſit dies, vitta, quam ſenſim ſolvebat, donec callo obductum eſſet vulnus, relicta. Alter rupti vaſis lymphatici caſus SOLINGII ita ſe habet *l. c.* Bajulo cuidam ex violenta corporis contorſione vas lymphaticum in femore ruptum fuit, tunc lympha per foraminulum exilius inſtar pori cutanei continuo emanaret, unde maxime debilitabatur æger. Accerſitus SOLINGIUS effluentem liquorem pulvillis, ligaturaque intercepit, ſcarificationes circa porum inſtituit, quibus cauterium aliquod potentiale haud diffluens, ac ex mercurio ſublimato, ſaccharo ſaturni, amylo, & ichtyocolla conſtans impoſuit, atque eſcharam, operatione peracta, cruciatim incidit, factaque ſeparatione, tandem vulnus ſanavit. Præterea Cl. MUYS duo commemorat exempla, quorum primum in *Dec. II. obſ.* 4. exſtat, & fere coincidit cum Cl. STALPART VAN DER WIEL ſuperius allegata obſervatione. Alterum videri poteſt in *Dec. VI. & VII. obſ.* 3. quod non multum diſſidet ab obſervatione Cl. SOLINGII prima. Deinde ex dictis patet, magnam eſſe differentiam inter ichorem ſeu materiam tenuem pauca quantitate prodeuntem, qui omnibus ferme vulneribus nervearum partium, etiamſi omnia ad vota ſuccedant, ab initio complicatur, & inter ichorem craſſiorem, glutinoſiorem, conſiſtentia & colore variantem, atque maxima in quantitate profluentem, concomitante immani dolore, intumeſcentia ac inflammatione partis affectæ, pallore labiorum vulneris livido, febre, anxietate & ſimilibus, ubi hæc adſunt non amplius dubitandum de affectus noſtri præſentia eſt.

§. V.

Quoniam autem hiſtoria hujus affectus, indolem ac ingenium noſtri morbi planiſſime monſtrare poterit, multum juvabit ad affectus hujus Diagnoſin majoris evidentiæ cauſa hanc ſubtexere, exſtat autem una inſtar omnium apud HILDANUM *in tr. c. Cap.* 4. Patricio cuidam Bernenſi Dn. PHILIPPO KIRCHBERGER nomine, cui in conflictu vulnus ad ſiniſtrum carpum enſe inflictum fuit, ubi vix cutis ad ligamentum obliquum ſauciata. Advocatur Chirurgus, qui ſuo more vulnus curat, & ut parvum, parvo quoque ſpatio temporis cicatricem obducere tentat. Ab initio quidem ex voto ſucceſſere omnia, & nullum adfuit ſymptoma, præterquam quod in digito annulari de ſtupore quodam

moleſto

moleſto conquereretur æger, quod in vulneribus nervoſarum partium, brachiorum videlicet ac manuum, crurum item pedumque veluti ſymptoma inſeparabile eſſe conſuevit. Diximus vulnus tam exiguum fuiſſe, ut ligamentum obliquum vix læſum, quapropter ab initio neglectum, & tum in victus ratione, tum in reliquis omnibus erratum eſt. Porro circa tertium diem morbi, cum æger ipſe ſimul & Chirurgus omnia jam in tuto eſſe arbitrarentur, paulatim exortus eſt dolor, qui intra horas 24. ita adauctus fuit, ut incredibile ſit dictu. Ego quinta die morbi advocatus ægrum præ ſummo dolore ejulantem, & alta voce exclamantem inveni. Febris maxima, ardens & continua, cum linguæ ariditate, capitis dolore continuo, & ſitis inexhauſta aderat. Vigiliis quoque, inquietudinibus, nauſea, ructationibus, cibi faſtidio & vomitu vexabatur, & lipothymiæ frequenter ſuperveniebant cum ventris conſtipatione, renum & lumborum dolore intenſiſſimo. Manus ſimul & brachium mirum in modum erant tumefacta & inflammatione obſeſſa. Vulnus carne ſpongioſa, & aliquo modo livida, aut ex pallido liveſcente, repletum: ex quo non pus coctum, ſed humor turbidus, & veluti ſerum lactis copioſiſſime extillavit.

§. VI.

Suppoſitis ac præmiſſis hiſce, quæ ad accuratam pathematis noſtri hiſtoricam cognitionem pertinent, diſpiciendum nunc erit de ejus cauſa, ortu ac geneſi. Ut autem eo feliciorem faciamus progreſſum, placet ex phyſiologicis quædam ad rem noſtram multum facientia in anteceſſum delibare atque præmonere. (1) Satis abundeque compertum atque perſpectum eſt, in ſanguine arterioſo duplo plus ſeri reperiri, quam in venoſo, ſecundum elegantiſſimum SEVERINI experimentum, idcirco non ſine ratione ambiguus hæret *Exc. Dn.* BOHNIUS *in Circ. Anatomic. phyſiologico, Cap. de Sanguine & ſero.* utrum ſanguificationis, an ſerificationis titulum hæc actio mereatur, maxime ſi a potiori fieri debeat denominatio. (2) Serum pro diverſitate individuorum & temperierum conſiſtentia & colore variare, & magis vel minus craſſum, vel tenue, oleoſum, chyloſum eſſe. (3) Succum nutritium, gelatinoſum, & qui in ſubſtantiam partium vertitur, non per nervos, ut quorundam ſententia eſt, ſed per arterias, ipſis annexos tubulos, advehi ad partes inque illarum nutrimentum faceſſere, lympham autem, ſeu partem ſucci nutritii tenuem, recrementitiam, per vaſa lymphatica ad ſanguinis fontem revehi pro ulteriore ejus vehiculo. (4) Muſculum conſtare ex innumeris fibris, quæ in media parte, ventre dicta, laxius coeuntes, carnem conſtituunt, in fine autem & principio arctius colligatæ, tendinem efformant, qui ab intermedia muſculi parte haud diſcrepat, niſi ratione coarctationis. (5) Oſſium capita articulari invicem per cartilagines, ligamenta, tendines muſculorum, quibus mediantibus conjuncta & coadunata conſervantur, partim ut ad motum apta reddantur, partim ut a loco naturali excedere nequeant. (6) Nervos illorumque exiliſſimos ramulos vel etiam majores diſpergi per juncturas, & ligamentis, membranis ac tendinibus ipſique perioſtio plus minus acutam vel obtuſam ſenſationem largiri. (7) Oſſa, cartilagines, tendines, nervos, omneſque ſolidas partes ex infinitis ſubtiliſſimis ſtaminibus & fibrillis contextas eſſe, per quas ſuccus quidam plus minus ſubtilis, quo nutriuntur, tranſvehitur ac circulatur, qui etiam ex ipſis læſis defluit atque exſudat, id quod etiam valet in oſſium fracturis humorem quendam præbentibus, qui exſiccatus & depreſſus glutinis inſtar conſolidat, unde callorum in oſſibus fractis dependet generatio. (8) Reperiri in ſinubus oſſium intra juncturas partes quaſdam molles, albicantes, ſpongioſas, inæquales, quæ a Cl. CLOPT. HAVERS glandulæ mucilaginoſæ dicuntur, quoniam mucilaginem lubricantem fundunt, quæ lubricat juncturas, ut animal has partes facilius movere & dirigere queat: præterea etiam glandulas tales intra muſculorum ac tendinum interſtitia locari, nec membranam muſculorum communem ipſis deſtitutam eſſe ad meliorem harum partium ſurſum & deorſum motum, qua de re latius videri poteſt prælaudatus CLOPT. HAVERS *in Oſteologia ſua nova.*

§. VII.

Hiſce ſic præmonitis facile jam promtum erit in clariorem explanationem producti noſtri morboſi ejuſque originem indagandam deſcendere. Primum autem non difficili labore apparet; defluvium ſeroſæ materiæ, quod læſioni tendinum, nervorum, articulorum & circa ipſos partium ſupervenire ſolet, neutiquam oriri, ſolum ut vulgaris Recentiorum fert ſententia, ex vaſis læſis vel diſſectis lymphaticis; minime enim concipi poteſt, qua ratione intra tam breve temporis ſpatium ſæpius tam ingens ſeri prodeat copia: deinde ex vaſis lymphaticis pura potius, tenuis & diaphana exſtillat lympha; contra ex læſis articulis ichor flaveſcens, vel etiam ſubalbidus, cruentus, itidem inſtar loturæ carnis: poſtremo à ſolo tendine minimum læſo incauta venæſectione ſuboritur hoc malum, ubi tamen ſalvum & intactum manet omne vas lymphaticum, ſique ex vaſis lymphaticis eſſet hoc profluvium, ſequeretur citra dolorem & inflammationem partium illud contingere poſſe, quod tamen minime accidit. Non parum falluntur & illi mea ſententia, qui originem hujus mali ex nervis ducere ac derivare aſſolent, exiſtimantes extravaſatum, ſeu corruptum eſſe ſuccum nutritium, qui ex tubulis minimis, quibus conſtant, læſis exſtillat: Verum multa obſunt, quin illorum laudem ſententiam in eamque promte accedam; res enim non levibus ambiguitatibus intricata atque perplexa eſt, nervos, utut credantur pervii, vehere ſuccum talis indolis, qui in ſubſtantiam partis converti queat. Prolixis rationibus refellere id equidem in animo non eſt, illud ſaltim attigiſſe ſufficit, nutritionem in membris ſpirituum animalium influxu deſtitutis, ſenſuque ac motibus expertibus fieri adhuc promtam, imo carnis regenerationem celerrimam & conſolidationem profundarum læſionum in membris, ubi nervi penitus diſciſſi erant, obſervari, nec ita pridem etiam id factum fuiſſe à *Magnifico Dn. Præſide* in Milite, cui globo plumbeo infima ſpinalis medullæ pars trajecta erat, ubi ſphacelo correpta & exſecta magna pars muſculi glutæi mox carne repleta erat, utut pars omni ſenſu & motu careret; Deinde etiam citra vulnerationem vel læſionem ullam nervi, ſed ſaltim tendinis gignitur noſtrum malum, nec facile ſibi quis perſuadere poterit, quo pacto ex tam minimo vulnuſculo nervi tanta quantitas ſeroſæ ſubſtantiæ promanare queat, & quod maxime memorabile, humor tam varii coloris, variæque conſiſtentiæ, & quidem gelatinoſus, glutinoſus, qui qua ratione minimos hos ſenſum fugientes tubulos penetrare & pertranſire queat non video. Nec minores difficultates ſe offerunt circa originem hujus materiæ ex glandulis recenter detectis mucilaginoſis, nam ſæpius illæ ipſæ prorſus non læſæ ſunt, & obſtat etiam magna copia, qualitas & conſiſtentia humoris profluentis. Pauca humoris glutinoſi, lubricantis quantitas eſt, quam nominatæ hæ glandulæ fundunt pro lubricatione juncturarum. Rectiſſime *l. c.* monet LANGIUS: rei operoſæ eſſe aſſerere,

rere, ex omnibus totius corporis molis articulis tantum liquoris nativi, oſſa articulata inveſtientis, elici poſſe, quantum vel una die & nocte ichoris ex vulnere apoſtemato unius articuli foras proruere cernimus.

§. VIII.

Elegantiſſime nec non veriſſime dicit DIVUS COUS duplicem dari mucum articulorum, alterum qui naturaliter ineſt, & alterum qui p. n. affluit, dum inquit *in Lib. de locis in Homine*: Mucus in articulis omnibus à natura ineſt, & cum purus eſt bene valent ipſi, ideoque facile moventur, cum ſint inter ſe lubrici. Oboritur autem labor & dolor, ubi vexaverit, quæ à carne fiuit humiditas, inprimis quidem rigidus fit articulus; neque enim lubrica eſt, quæ ex carne affluxit humiditas, & cum ob multitudinem capere eam non poſſit, effluit, vel male concreſcens nervos, quibus articulus connectitur, attollit, eluxat & diſſolvit, quibus jam *Sapientiſſimus Vir* apertiſſime profluvii noſtri circa affectos articulos fontem demonſtrat, in quo determinando tam graviter hactenus impegerunt cum antiquioribus etiam recentiores ſolertiſſimique alioquin Viri. Ex carne videlicet eſt muſculoſa & ex ſanguine, qui hanc partem perenni curſu atque fluxu irrigat ac perluit; hujus circularis & retrogradus in vaſi venoſa fluxus à quacunque etiam cauſa, ſi intercipitur, ſalvo ac perenni manente ejus in partes per arterias influxu, inſignis ſuboritur ſeri à ſanguine in ſubſtantia poroſa morante ſeceſſio, ac cum tumore profuſio. Notiſſimum experimentum LOWERI eſt, cujus mentionem facit *in tr. de Corde p. m.* 81. 82. Vena cava videlicet filo in thorace conſtricta, canis abdomini magna ſeri quantitas innatavit, non aliter quam ſi aſcite diu laboraſſet. Rurſus ex ligatis venis jugularibus partes ſuperiores mirum in modum intumuerunt, lachrymæ ſalivaque copioſius effluxit, factaque diſſectione omnes muſculi & glandulæ ſero limpido valde diſtentæ, & admodum pellucidæ apparuerunt. Confer in hanc rem ſimile experimentum, quod deſcribit B. NUCK *in Scialogr.* ubi filo venis jugularibus conſtrictis, in cane ſaliva tam largiter effluxit, ac ſi mercurio affluxus ille concitatus eſſet. Idem & hoc demonſtravit *Celeberrimus* D. D. GODOFRED. BIDLOO, *Præceptor meus ſemper deveneranaus.* Addimus quod ſi in arteriam cruralem cadaveris humani, aqua mediante ſiphone crebrius injiciatur, propter venarum ſubſidentiam adeoque ſanguinis refluxum impeditum mirum intumeſcere totum pedem, quo aperto ex interſtitiis membranarum carnearum copioſa exſtillat aqua, ut memini me non ita pridem conſpexiſſe in demonſtratione anatomica *Magnifici Dn. Præſidis.* Quo circa nullum remanet dubium, intercluſo ſanguinis per venas refluxu in carne muſculoſa ſeparari ſerum tenuius a ſanguinearum partium vinculo & conſortio, inque fibrarum tendinoſarum latifundia deſcendere, una quoque exitum quærere per poros ac glandulas tunicarum & aliarum adjacentium articulis partium.

§. IX.

Reſtat jam ut paucis explanemus atque determinemus, quidnam liberum refluxum ſanguinis per venas remoretur atque impediat; id autem noſtra ſententia dolor eſt, qui uti profluvii ſeroſi, ſic cæterorum quoque graviſſimorum ſymptomatum complicatorum, unica ac genuina cauſa eſt. Conforme id eſt experientiæ, ubi enim acutus & gravis partis nervoſæ dolor, ibi tumor, inflammatio, effuſio ſeri, febris, virium dejectio, preſſo ſubſequuntur pede. Et vice verſa ſublato partis dolore evaneſcunt dicta quoque ſymptomata. Cauſa autem materialis dolorem tam ſævum ac horrendum inferens, noſtro in caſu omni procul dubio eſt liquor, qui ex ſauciatis fibris tendinoſis & nervoſis exſtillat: & ſtaſi inſignem concipit acredinem, hic jam dum incipit lancinare ac morſicare admodum ſenſiles nervorum fibrillas, ſpiritus animales, ſeu tenuiſſimum cerebri fluidum copioſiſſime tumultuarioque motu in has partes influit, unde mutua alliſione, fibræ tenduntur ac diſtrahuntur, ſicque gravis & moleſtus ſenſus in mente producitur. Omnis enim quicunque in corpore noſtro producitur dolor, eſt à nimia tenſione, vel ſecundum Recentiores preſſione fibrillarum nervearum, ſive illa fiat externe à tumore per compreſſionem, ſive interne ob ſpirituum & ſanguinis uberiorem & vehementiorem motum, quod accidit à cauſa irritante. Notabile autem eſt in omni dolore, nimiam fibrarum tenſionem ſpaſmodicam revera eſſe, & nimium conſtringi & coarctari partis affectæ ſubſtantiam, unde æqualis ſanguinis & humorum circulus, qui maximam partem a tono partium muſculoſarum ſecundum naturam conſtituto dependet, admodum turbatur, utpote præcluſis nonnullis viis, propter conſtrictionem ſpaſmodicam, ſanguinis influxus in has partes præpeditur: quare majori impetu ac copia irruit in vicinas, quas nimium diſtendit, & diſtenſione partium elaterem ac tonum labefactat, unde ſanguine non debite repreſſo, ſtagnatio ſeu refluxio impeditior humorum fit, ſicque progignitur tumor. Ex quo facile intelligitur, qua de cauſa omnibus ferme doloribus conjungatur, vel ſuperveniat tumor. Genam intumeſcere dentibus dolentibus, perſpectiſſimum eſt. Simile contingit in membris, quæ arthriticus vexat dolor. Et hoc eſt quod Veteres dixerunt, dolores humores attrahere & fluxiones proritare, *vid.* GALENUS *Lib. V. meth. med. Cap.* 4. Equidem ſenſu philoſophico nulla datur in rerum natura attractio, attamen ſano ſenſu, ſi cauſam rite explicueris, vocabulum hoc admitti poteſt. Videlicet dicuntur attrahi humores, quando partium fibris nimium laxatis & debilitatis, ſeu tono partium labefactato, à copia & impetu humorum irruentium, ex alia parte nimis conſtricta huc miſſorum, ſtaſis, ſeu potius humorum motus & refluxus languidior fit. Accidit ſic ſæpius, ut dolor in ipſa parte, ubi conſiſtit, vel in vicinia tumorem gignat, qui tumor deinde novum ac recentem creat dolorem, propter fibrarum nervearum jam tenſarum ulteriorem compreſſionem & extenſionem.

§. X.

Ex dictis jam facile apparet, quando ſic ſanguinis & humorum per venas languidior eſt refluxus, quare à tergo ſemper ſubſequente ſanguine arterioſo, neceſſe ſit, ut ſerum tenuius à ſanguinearum partium conſortio ſe liberet, & per pororum interſtitia, qua data porta, exitum quærat. Prout itaque ſerum ſanguinis magis vel minus chyloſum, blandum, oleoſum, vario colore & conſiſtentia gaudet, variat quoque humor, qui exſtillat ex parte affecta. Inter initia tenue illud profluvium eſt, quoniam tenuius ſerum facilius perrumpit poros: ſubſequitur craſſum exhauſtis nimirum tenuioribus ac fluidioribus ſeri partibus; quinimo nonnunquam ſanguineo colore tinctum prodit, manifeſto indicio, ex ſanguine arterioſo ejus originem accerſendam eſſe. Et ſic ex dictis quoque facile conſtabit ratio, quare in ichoris profluvio ex partibus circa articulos læſis, caro muſculoſa vicina tumore obſeſſa ſit, & quo copioſius profluvium, eo tumor ſoleat eſſe gravior. Tumor hic conjunctus eſt ferme ſemper cum inflammatione, quam vehemens pulſus, & partis rubedo & calor demonſtrat: quando enim pori partis cujuſdam

juſdam nimium ſanguine infarcti & obſtructi ſunt, primi elementi materia non invenit tranſitum, ſed per poros hos anguſtatos celerrime trajicitur, tum anguſtiam ſemper compenſat celeritas, unde partium ſolidarum fibræ, & humores præterlabentes attritivo hoc globulorum cœleſtium motu concutiuntur, ſicque rubedo & calor præternaturalis à velociſſima hac motione oriuntur; pulſus fit celer, ob nimiam arteriarum à ſanguine ſtagnante & jugiter à tergo premente dilatationem.

§. XI.

Principale adhuc jam venit excutiendum, videlicet, quod febris acuta, dolor lumborum, ſitis, vigiliæ, virium proſtratio, vomitus, anxietas præcordialis & atrophia concomitentur graviorem affectum noſtrum. Dixi, hæc omnia producta eſſe doloris. Dolor eſt, qui totam œconomiam animalem evertere, omnes motiones & ſecretiones humorum turbare, & horrendam cataſtrophen corpori inducere poteſt. Nihil magis familiare eſt, quam ut vehementiori dolori complicetur febris acuta; conſpicuum id eſt in arthriticis, nephriticis, pleuriticis, & cephalalgia graviori laborantibus. Nullum ibi deprehenditur materiale quoddam, ſeu ut loqui amant fermentum, quod in craſi & motione ſua immediate perturbare poſſit ſanguinem, ſed ſolus motus ſanguinis ſufficit, qui ſi inverſus, irregularis, atque inæqualis eſt, omnia, quæ ab inæquabili ſanguinis motu dependent, præternaturaliter conſtituta ſunt; nam quamdiu motus ſanguinis & humorum vitalium per ſolidas partes circularis æquilibrii leges obſervat, pulſus, calor, & tota ſecretio animalis legitime ſe habet: ſimulac autem circulatio ſanguinis ac humorum ab æquilibrio deflectit, protinus dicta hæc omnia conturbata ac præter naturam affecta conſpicies. Multum autem ad æquabilem ſanguinis circuitum confert fibrarum motricium & muſculoſarum, quibus partes conſtant, tonus; quo nimirum ſanguis debite in partes recipiatur & ex illis reprimatur: Hic ſi vitiatus & læſus eſt, ſtatim illud redundat in ſanguinis circulum. Mirifice autem hic tonus partium patitur in dolore vehementiori, dum in hoc, uti antea dictum, partes propter uberiorem & concitatiorem ſpirituum influxum ſpaſmodice conſtringuntur & coanguſtantur, ſicque liberior ſanguinis influxus impeditur, unde venæ primum apparent minores, partes rigore ac frigore corripiuntur, aridæ fiunt, ſudor & tranſpiratio ſupprimitur, & ſanguis ſic regurgitat & reprimitur ad vaſa arterioſa, ubi plurimus colligitur, unde pulſus arteriarum vehementior; ex quo fundamento quoque horror & frigus cum ſubſequente intenſiſſima incaleſcentia petendum eſt. Illud autem memorabile eſt, non tantum in illa parte, ubi dolor oritur, ſpaſmodicam hanc fibrarum contractionem obſervari; verum pro doloris vehementia, tranſire hoc malum conſenſu per totum corpus, ita ut univerſa cutis in graviore dolore rigida ac arida evadat, horrore ac rigore quodam corripiatur, venæ detumeſcant, nauſea, præcordiorum anxietas ſæpiuſque vomitus fiat, alvus conſtringatur, quæ omnia affecta ſunt ſpaſmi per totum corpus divagantis. Quocirca hac ratione ex extremis partium redit ſanguis ad interiora, qui accedente ſimul copioſo aeris per reſpirationem elaterio, cordis muſculum ac vaſa diſtendens, pulſum citatiorem efficit, unde cruor concitatius motus accedens ad anguſtatas per ſpaſmum externas partes, & liberiorem tranſitum non inveniens, ibi ſubſiſtit, inflationem efficit, & tum celerrima per anguſtatos poros materiæ primi elementi fit trajectio, hinc ſumma incaleſcentia totius habitus corporis cum inflatione, ſiti, vigiliis, urina pauca & rubicunda; quæ omnia debentur defectui humidi, propter depaſcentis caloris ſeu motionis auctæ ſanguinis inteſtinæ exceſſum. Et hæc genuina eſt febris omniumque ipſi complicatorum ſymptomatum ratio & geneſis. Accedit in doloribus, ſpiritibus pernicioſi motu in ſyſtemate nervoſo ac fibroſo agitatis, inque cordis muſculum influentibus, ipſum ad ſui contractionem vehementius invitare, ut per totam machinam majori impetu ſanguis urgeatur, & cum progreſſivum motum non rite abſolvere queat, ipſe in ſe redeat, & inteſtinus mirifice adaugeatur.

§. XII.

Reliqua ſymptomata, uti inquietudo, anxietas, cephalalgia, dolor lumborum, ſitis, vigiliæ, virium proſtratio, alvi conſtipatio, ardor urinæ illiuſque rubedo, producta ſaltim febris ſunt, & dependent à turbatione inſigni M. S. in motu ſuo, quatenus ad interiora ſanguinis impetus vergit, extremis partibus ſpaſmo conſtrictis, unde arteriæ diſtentæ in lumbis efficiunt dolorem, in pectore anxietatem, in capite cephalalgiam, in cerebro inquietudinem & vigilias, in ventriculo nauſeam pariunt & vomitum. Ardor urinæ dependet à ſalibus vehementiori inteſtino motu acuatis & exaltatis humidique defectu, unde etiam urinæ paucitas ac rubedo, & ſitis deducenda eſt. Vires dejiciuntur propter diſſipationem ſpirituum, qui nimio dolore fortius agitati, tandem ſtationes ſuas relinquunt & fugam petunt. Atrophia & corporis contabeſcentia profluvium hoc, ſi diuturnum eſt, ſubſequi ſolent, non propter defectum ſucci nutritii ſolum, qui ſecundum nonnullorum placitum foras dejicitur, ſed quoniam dolor incendit febrim: febris autem depaſcit & conſumit inteſtina fortiſſima motione roridum humorem, qui in ſubſtantiam partium aſſimilatur. Quo diuturnior itaque febris eſt, eo magis atrophia metuenda. Vel etiam atrophia ſaltim partem affectam occupat, quoniam nimirum ſerum ſanguinis arterioſum nutritium ingenti copia ex parte læſa effluit, & pars etiam affecta propter tonum ejus labefactatum, nutrimentum illud non bene recipit, & in ſubſtantiam ſuam convertit. Inprimis hoc malum accidit, quando dislocatio circa magnas juncturas conjungitur, & vaſis compreſſis circulatio ſanguinis, & per conſequens debita nutritio ſuccumbit atque ceſſat. In ulcera cacoethica ſordida meliceriæ malum tranſit, quando corpus cacochymicum, ſeu refertum ſuccis impuris acribus eſt, & ſerum nimis acre, ſtagnans, corroſivum oſſa perforat, exedit & carioſa reddit, & ligamenta juncturarum abſumit, unde difficillima ſequitur conſolidatio, & membra rigida, incurvata ac contracta fiunt, uti Hildanus latius id deduxit *in tr. c.* variis exemplis.

§. XIII.

Quod prognoſin concernit, profluvium ſeroſum illud non leve portendit periculum, ſi ex graviori contuſione partium nervoſarum ac tendinoſarum oritur; item ſi ſenile infeſtat corpus, & livido, vel nigricante colore ſerum exſtillat; facilis enim & expeditus tunc tranſitus eſt in ſphacelum. Largior ichoris fluxus durans per ſeptimanas, accedente præſertim febre, vires totius corporis mirum exhaurit, & plurima accerſit ſymptomata, inprimis autem membro immedicabilem infert atrophiam, illud deforme reddit & contortum relinquit,

Namque tonum exſolvit, membrorum ſtilla ſeroſa.

Facilius & felicius curatur in juvenibus, benignos humores poſſidentibus, & ſi à cauſa quadam externa oboritur. Illud in genere tenendum eſt, quo vehemen-

hementior eſt dolor ac inflammatio, eo major virium eſt proſtratio & gravius impendet periculum. Inundatio articulorum, uti alia graviſſima vulnera, ſemper facilius ſaneſcit verno tempore, quam hyeme. Nec tantum eſt periculum, quando manus & pedes occupat, quam brachia vel crura. In iis autem, qui morituri ſunt, ulcus ante mortem lividum, aridum & nigrum fit, parum aut nihil egerens materiæ, propter progreſſivum ſanguinis motum penitus ceſſantem, & inde plenariam ſubſequentem corruptionem.

§. XIV.

Hiſce perfectis devolvimur jam ad curam, cujus initium faciendum eſt a remediis, quæ dolorem primario ſiſtunt atque compeſcunt. Si quid enim vires dejicit, ſi quid morbum ejusque ſymptomata auget, certe id dolor eſt: Viribus autem amiſſis fruſtra laborat Medicus. Quapropter, ſi unquam opiata & papaveracea felicem ſpondent effectum, profecto in dolore præcipue a cauſa externa oborto, dum delinimentum afferunt, vires conſervant & ſymptomata mirifice imminuunt. Et notabile, quod præter virtutem dolorem ſiſtentem, ſingularem etiam obtineant ſudorem provocandi febrimque tollendi, id quod ſæpius obſervavimus. Ratio hæc videtur: Excretoria cutis vaſcula ex fibris motricibus conſtructa, ſub doloris cruciatibus, ſpaſmo valde ſtringuntur & arcte clauduntur a ſanguine & ſpiritibus impetum huc facientibus; opiata autem, dum blanda ſua ſulphuris efficacia ſpirituum ac ſanguinis motum ac tumultum ſiſtunt, fibras cutis dilaxant, tubulosque excretorios aperiunt, ſicque ſudoris profuſionem præſtant. Ob eandem quoque rationem in ſomno plerumque oboritur ſudor, quoniam ob languidum ſpirituum ac ſanguinis motum cutis magis relaxatur, & fibræ motrices minus tenduntur. Et quoniam opiata tam feliciſſimum ſortiuntur effectum, dum dolorem & ſpaſmum partium tollunt, febrim quoque, quæ utriusque progenies eſt, vel imminuunt, vel plane tollunt. Circa opiatorum autem uſum notanda ſunt ſequentia: *Primum* illa bene correcta offerantur: Corriguntur autem optime diaphoreticorum & alexipharmacorum mixtura, talia ſunt Diaſcordium Fracaſtorii, Sylvii, Theriaca cœleſtis, juxta noſtram deſcriptionem: Vel additione purgantium, uti ſunt pilulæ Wildeganſii, Anglicæ Matthiæ. Diaphoretica enim & purgantia motus in machina efficiunt: opiata vero illos ſiſtunt; hinc ex horum mixtura neutrum exſurgit, uti virtus anodyna & reſolvens in exoptatiſſimo eſt æquilibrio. Principatum quoque inter opiata obtinent laudanum liquidum B. Sydenham: Item per fermentationem paratum cum ſucco pomorum Chinenſium. Leniora ſunt aqua papaveris rhœados, diacodium Montani, emulſio ex ſemine papaveris albi, eſſentia anodyna ex ſucco papaveris & croco methodo noſtra parata. *Secundo* opiata amicabile ineunt conjugium ac copulam cum nitroſis, cinnabarinis, abſorbentibus & præcipitantibus, quandoque etiam, ſi malignitatis metus eſt, cum camphora, ſic enim febris expugnatio remiſſior fit, & cum remiſſione ſpaſmi, ſudor largius profluit. *Tertio* remedia hæc circa tempus nocturnum, quod commodiſſimum, propinanda ſunt, ſic enim natura velificante operantur felicius. *Quarto* ſi vires nimium dejectæ ac proſtratæ, cum analepticis offerantur. *Quinto* in corporibus cacochymicis, ſenilibus, & ubi metus adeſt ſphaceli, cautiſſime cum ipſis mercandum eſt, & non niſi cum alexipharmacis, nitroſis, analepticis, ſique adhuc vehementia doloris urget, offerenda ſunt. Quod ſi autem corruptio & mortificatio partis præſens eſt, & dolor plane ceſſat, malam ut opiata devitentur. *Sexto* ſemper feliciorem ſpondent opem expurgata prima regione, quam ſi illa colluvie viſcidorum & impurorum humorum ſcatet.

§. XV.

Præter opiata interne laudibus extollenda ſunt temperantia ac demulcentia, liquida potiſſimum, quæ acres & ſalſos humores diluunt, & mollitie ſua obtundunt, & circulationem ſanguinis promovent, uti ſunt decoctum cornu cervi, hordei, ſcorzoneræ, ſarſæparillæ, radicis chinæ, acuata & exaltata cum ſpiritu nitri dulci, ſyrupo violarum, papaveris erratici. Quando ſanguis exſuperans vaſa premit, venæſectio adminiſtranda eſt, ut ſuperflua ſanguinis portio dematur, ſicque liberior ſanguinis circulatio promoveatur, ut non tam facile in partibus ſubſiſtere, easdemque in tumorem attollere queat. Experientia quippe conſtat, ſola venæſectione acres pertinaces dolores, & partium inflammationes diſſipatas eſſe. Hoc autem circa ejus adminiſtrationem notandum, ut, ſi ichor fluxerit ex manu aut cubito in pede, ejusdem lateris vena tundatur: contra ſi ex pede aut genu, brachii vena aperiatur, ſic enim retracto & aliorſum derivato ſanguine, remittere ſolet dolor, potiſſimum ſi fovetur a nimio ſanguinis ac humorum influxu. Purgantia & quidem fortiora affectui noſtro ſanando minus quadrant, dum ſpaſmo agunt, & humorum ac ſanguinis maſſam commovendo, dolorem, febrem, omniaque ſymptomata graviora efficere ſolent. Si itaque alvus proritanda, fiat illud clyſteribus, vel infuſis lenioribus laxativis ex rhabarbaro, foliis ſennæ, tamarindis, paſſulis minoribus & tartaro tartariſato conſtantibus. Nocent quoque ſudorifera fortiora, calida, ſpirituoſa, quæ ſanguinem nimium exagitando, ſalia acriora reddendo, dolorum faces magis accendunt, ſpaſmum & incendium febrile augent, & fluxionem copioſiorem excitant. Bene monet ſæpius laudatus Hildanus in fine *Cap.* 14. *tr.* c. in meliceria ſudores non temere provocandos eſſe, ſeque in vigore hujus mali ſudores nunquam provocare auſum fuiſſe, cum id fieri nequeat, niſi excalefactis viſceribus, & cum ſymptomatum incremento. Quod tamen intelligendum maxime eſt de ſudoriferis calidis & poſitive talibus. Nam de tincturis bezoarticis, eſſentia ſcordii & ſimilibus talia ſymptomata non expectanda ſunt.

§. XVI.

Verum enim vero maximum curationis momentum ſitum eſt in debita externorum applicatione. *Primum* itaque omnium, ſi fluxus hic cum dolore, tumore & inflammatione conjunctus, allaborandum, ut dolor, qui antecedens & continens cauſa eſt, auferatur, ad quod dirigenda omnia præſidia ſunt. Applicanda itaque ſunt cataplaſmata ex illis, quæ partium tenuium ſunt, & blando, ſubtili, oleoſo, anodyno elemento componuntur, cujusmodi ſunt flores chamomillæ, hyoſciami, meliloti, ſambuci: herba abſynthii: ſemina anethi, carvi: baccæ lauri, juniperi; camphora, lumbrici terreſtres, crocus, quæ in aqua florum ſambuci & lacte coqui poſſunt, & tepide reiterando applicentur. Hæc ſpaſmum partis tollunt, humores ſubſiſtentes fluxiles reddunt, & acrimoniam humorum obtundunt, unde omnia ſymptomata mitiora efficiunt. Si gangrænæ vel ſphaceli metus eſt, coquenda ſunt prædicta in ſpiritu vini camphorato. Ipſi parti autem læſæ indenda ſunt talia quoque, quæ nervos ac tendines ſauciatos blande afficiunt & ſolantur, acrimoniam mordacem deliniunt, ac balſamica ſua vi arcent putredinem, nec non debilitatas & luxatas fibras firmant ac roborant. Inſtar omnium autem

tem eſt unguentum digeſtivum HILDANI multis experimentis celebratiſſimum, & ita paratur: *Recipe ceræ, colophoniæ ana unciam unam, gummi elemi, terebinthinæ cypriæ ana unciam ſemis, olei lumbricorum, amygdalarum dulcium, ovorum & roſarum ana drachmas tres. Liquefiant in ſartagine, & per linteum tranſcolentur: adde pulveris lumbricorum terreſtrium drachmas duas, croci drachmam unam. Miſce & calide vulneri infunde, ſuperpoſito cataplaſmate prædicto.* Vel etiam ſecundum OVERKAMPIUM omittantur prædicta olea, ſc. lumbricorum, amygdalarum dulcium, roſarum, & in horum locum ſubſtituantur potius plura balſamica. Ex emplaſtris, quæ ſuperimponi poſſunt, inſtar omnium laudem illud meretur, quod dicitur *Palmeum* ſive *Slotanum*, & deſcribitur *ab* HILDANO *noſtro in obſervationibus ſuis pag.* 658. quod uti eximium uſum habet in omnibus læſionibus, ita maxime in articulis affectis. Hoc multiplici experientia edoctus ſum in graviſſimis læſionibus, tam a Venerando meo Parente, quam Chariſſimo ipſius Fratre, Fautore meo maximo, qui nulla alia methodo hactenus uſi fuerunt quam hac, & neutri hac ratione tale ſymptoma obvenit.

§. XVII.

Cavendum autem in hujus affectus ſanatione maximopere eſt ab omnibus oleoſis, pinguibus unguentis ac emplaſtris, inter quæ primatum obtinent vulgatiſſima, & ſpecioſo ac inædæquato illo titulo defenſiva gaudentia; talia enim nunquam adhiberi debent partibus tendinoſis læſis, utpote quæ textura ſua ramoſa & anfractuoſa poros fibrillarum, ex quibus hæ partes conſtant, obſtruunt, & circulationem ſubſtantiæ fluidæ nutritiæ per ipſas impediunt, ſicque ſtaſin, dolorem & inflammationem ex facili accerſunt atque augent. Ita etiam unguentis emollientibus & pinguibus imprudens Chirurgus dicta hæc ſymptomata excitavit in tendine muſculi bicipitis læſo, obſervante illud *Excell.* JOH. MAURITIO HOFFMANNO *Dec. II. An.* 3. *obſ.* 26. Quapropter ſi olea expreſſa, uti oleum hyperici, lumbricorum, imponi debent, nunquam ſola iſtis partibus applicanda ſunt, ſed ſi indicantur, miſceri debent cum volatilibus, v. gr. cum oleo terebinthinæ, balſamo peruviano aut oleo pini, (quod in omnibus affectibus adhiberi poteſt, in quibus alias balſamus peruvianus cum effectu præſcribitur, monente hoc *Excell. Dn. Præſide, Præceptore meo fideliſſimo, in Collegio ſuo chymico*) eſſentia gummi elemi, pini &c. Deinde quivis circumſpectus Chirurgus ſedulo abſtineat ab omnibus acribus, uti unguento apoſtolorum, ægyptiaco, Wurtzii, vitriolatis, aluminoſis, mercurialibus, quæ partes has ſenſiles irritando, dolorem, inflammationem, febrim ſerique profluvium adaugent & exacerbant. Infenſiſſima his partibus quoque ſunt frigida, adeoque aër frigidus arcendus, nam crebra deligatio, & de die ſæpius inſtituta inſpectio facile his vulneribus ad ichoroſum profluvium occaſionem ſubminiſtrare poteſt, quoniam aër ſubintrans maxime frigidulus, aut adeoque non ita depuratus, inſignem vim habet partes cumprimis ſenſiles denudatas alterandi, & ſtaſin ac corruptionem inibi cauſandi, ideoque methodi VESALII & HILDANI Chirurgis ſtrenue inculcandæ ſunt, quæ recenſentur ab HILDANO *Dec. V. obſ.* 2. *pag.* 384. Habebat, inquit, præterea VESALIUS in more, ut quotiescunque vulnera aut ulcera, præſertim capitis, pectoris, & nervoſarum partium deligaret, habebat, inquam, in more, ut accenſam candelulam ceream (quali utuntur ſartores ad inferendas telas ſericas) vulneri, quam proxime id fieri potuit, adjungeret: idque in eum finem, ne injuria aëris vulneri obeſſet. Hæc ante annos 40. ex ore Cl. atque Excell. Medico-Chirurgi COSMA SLOTANI, Præceptoris mei æternum honorandi, (qui curationibus VESALII aliquoties interfuit) non ſemel intellexi, qui & eandem methodum in curandis vulneratis obſervabat. Ego in eundem finem, vulneribus capitis, præſertim magnis & periculoſis, præter candelam accenſam etiam ſartaginem prunis impletam, vulneri interim, dum id curo, per miniſtrum admovere jubeo. Quapropter deligationes harum partium non fiant frigidæ, ſed magis tepidæ: omnia enim frigida, nervis & partibus exſanguibus admodum ſunt inimica, quoniam facile obſtructionem in tenerrimis partium harum tubulis efficere poſſunt. Exulent hic quoque omnia adſtringentia, uti ſunt decocta illa vulgatiſſima vulneraria, bolus armena, terra ſigillata, lapis hæmatites, ſanguis draconis, alumen, vitriolum, emplaſtra ſtyptica varii generis, quibus etiam annumero illud ad rupturam, de quo ſingulare exemplum novi, Chirurgum quendam, alias non incelebrem, paucis abhinc annis, mediante hoc emplaſtro profluvium hoc excitaſſe. Quibus harum rerum ignari & imprudentes ichoris fluxum ſiſtere ac intercipere volunt. Verum hæc omnia pernicioſiſſima eſſe, experientia infauſta (proh dolor!) ſatis ſuperque elucet, utpote hiantium vaſorum extremis obturatis, cohibetur equidem effluxus, aſt nervi partesque adjacentes humore ſtagnante acriori facto ſubter cutim corroduntur & putreſcunt, tormentisque exinde tam immenſis æger cruciatur, ut exhauſtus & tabeſcens ſæpe mori cogatur: unde LANGIUS *in Sympoſio Medico* non imbelle exclamat: O du elendes und erdichtetes Glied-Waſſer / wie viel machſt du Krüppel! Quinimo obſervatur ſæpius a nimis celeri vulnerum conſolidatione & materiæ vitioſæ impedito effluxu, generari hunc noſtrum affectum. Quapropter turundæ e foro chirurgico penitus non ſunt eliminandæ, aſt cum hac conditione, ubi plumaceolæ applicari poſſunt, ibi turundæ ſunt negligendæ, &. ſi indicantur in talibus vulneribus, mallem, ut ex linteis inveteratis carptis, vulgo Corpey / conficiantur; quippe cæteræ vulgares nimis rigidæ ſunt, & ſic malum potius augent quam imminuunt. Poſtremo cavendum eſt in harum partium læſione, ne motu nimio præſertim in principio agitentur, motus enim lædit has partes, & dolorem acerbiorem efficit; potius itaque blande quieſcere debent. Edoctus ſum multiplici experimento, minimas ſaltim læſiones motu vehementiori ita exacerbatas eſſe, ut gravia exinde ſymptomata inſequuta fuerint.

§. XVIII.

Hæc omnia ſi recte obſerventur, *primo* vulneratus calidis & temperatis balſamicis deligetur. *Secundo* ab omnibus acribus, frigidis, deobſtruentibus æger abſtineat. *Tertio* aër nimis frigidus & calidus arceatur, nec motu pars exagitetur, tunc præcaveri ac averti poſſunt a vulneribus harum partium pleraque gravia ſymptomata, & præcipue profluvium hoc. Hinc bene docet HILDANUS hydropem articulorum ſeu ſynoviam ex ignorantia Medici vel Chirurgi provenire: ichor enim acris non fluit, niſi error in curatione, ſive a Medico, ſive ab ipſo ægro commiſſus fuerit. Ego jam, inquit, in quinquageſimum annum fere uſque praxin chirurgicam exerceo, ac interim ſæpiſſime articulos ſauciatos curandos habui, per Dei tamen gratiam, nunquam ſymptoma hoc ægris meis ſupervenit, benedictus ſit Jehova. Apud Dn. SLOTANUM quoque, cui in ſextum annum inſervivi, neque apud alios rationales Medico-Chirurgos, illud vulneratis ſuperveniſſe memini;

ni; hactenus HILDANUS. Tale exemplum nuper quoque mihi obſervare licuit, ubi junctura brachii dextri ad dimidium ferme diſciſſa erat cum tendinibus muſculorum extenſorum ipſoque oſſe olecrano, æger tamen ſatis feliciter ſanatus fuit, nullo fere ſuperveniente graviori ſymptomate, niſi quod curatione peracta brachium rigidum ac incurvatum quodammodo manſerit, ob graviſſimam dictorum tendinum læſionem, quare autem nullum notabile ſymptoma ſupervenerit, ſedulum ac indefeſſum ſtudium *Exc. Dn. D.* STAHLII *Fautoris ac Præceptoris mei æſtimatiſſimi*, unice in cauſa fuit: quippe qui ægrum in blanda & continuata diaphoreſi ſervavit, & externe præter Chirurgi operam liquorem ſuum balſamicum, ex eſſentia ſuccini, myrrhæ, hyperici, & oleo terebinthinæ compoſitum, ſingulis deligationibus tepide injici curavit. Spirituoſa hæc balſamica præſervant egregie has partes a ſtaſi & corruptione humorum, ſicque arcent inflammationem, graviorem dolorem, & exinde reſultans profluvium ichoris ſeroſi. Commendari hunc in finem etiam meretur eſſentia vulneraria *Exc. Dn. Præſidis*, quæ hæc eſt: *Recipe gummi elemi, maſtichis, olibani, ſuccini, aloes hepaticæ ana dr. chm. unam, florum hyperici unciam unam, balſami peruviani drachmam unam ſemis, ſpiritus vini rectificati uncias octo, camphoræ drachmam ſemis, olei lilis roſati . f. Miſce*; quæ eſſentia egregie quoque incarnat atque conſolidat.

§. XIX.

Tandem commoda, ratione ætatis & anni temporis, diæta, nimirum tenuis temperataque commendanda eſt. Confert itaque aër temperatus, non exceſſivis quali tatibus donatus, nec nimis frigidus, calidus aut humidus. Suadendi cibi facilis concoctionis & boni ſucci, omnibus acidis autem, acribus, ſalſis, leguminoſis abſtinendum. Potus præter decocta ſuperius in theſi XV. allegata, eſſe poteſt infuſum thee, veronicæ, hederæ terreſtris aut alterius herbæ blandæ vulnerariæ. Vinum bonæ notæ in aſſuetis non plane interdicatur, & præſertim, ubi virium reſtauratione opus eſt, tunc cochleare unum vel alterum eximium uſum habet. Venus animique pathemata, ſanguini concitatiorem motum excitantia, & ſymptomata nunquam non exacerbantia, cane pejus & angue vitanda ſunt.

DISSERTATIO

EXHIBENS

PRAXIN CLINICAM

MORBORUM INFANTUM,

Primùm edita Anno 1715.

PROOEMIUM.

MORTALE genus, poſtquam primæva ab Summi Numinis juſſu & præcepto defectione peſſum ſe dedit, præceps in omnis generis calamitates, tamquam in profundiſſimum mare, non modo tunc irruit, ſed continuo fere actu longius delabitur. Id ita fieri is facile intelliget, qui ſecum conſideraverit, quantas in animum tenebras illa prævaricatio induxerit, quantam rerum ignorantiam, qua non ſolum veri cognitione caremus: ſed prava etiam diſpoſitione ad errores proclives aut iis potius imbuti ſumus. Neque ſolum intellectum occupavit tam terribilis caligo, ſed voluntatem maxime etiam debilitavit & pervertit, ut ea nunc affectibus facile & cuivis deſiderio abblandienti ſuccumbat, ſicque vitiorum pudendam ſervitutem ingenuæ & beatiſſimæ libertati, virtuti inquam, anteponat. Quis autem fando aſſequetur animi morbos & languores ſingulos, quum ea non valeamus ſatis enumerare, quæ corpus affligunt, ægritudinum ac dolorum innumera genera, ut veriſſime ſane, quisquis dixerit, univerſum hominem ab ipſa inde nativitate ſua morbum eſſe. Nulla enim ætas eſt, quæ non ſibi peculiares extimeſcat morbos, nulla corporis humani habitudo, quam complexionem dicere ſolent, quæ non pateat certis ac variis ægritudinibus, nullus denique ſexus, qui non ſuos habeat, quos metuat, hoſtes continuo impetum facturos. Quid non perferunt matres, ante quam tædia geſtationis ſuperent, & quam pauciſſimæ ſunt quæ gloriari poſſint quod Lucinam ſine mille doloribus, & periculis adſpexerint? Non jam dico morbos nobis a parentibus tamquam hereditario jure quoſdam ingenerari: ſed illud

modo verbulo indicabo, quantumvis ſani & ſine notabili noxa in lucem protrahamur, in mera tamen vitæ pericula nos conjici. Ipſe qui nos ambit, & quo animamur, aer, tam facile inopinam mortem & perniciem quam ſalutem afferre ſolet. Adeo nihil eſt tutum, nulla regio, nullum clima eſt, nullum anni tempus, quod non ad generandos & fovendos in corpore mille morbos quaſi ſtipem conferat, & nullum vitæ genus aut vivendi ratio quæ incommodis careat, immo nullum aut alimentum aut medicamentum quod non idem validiſſime nocere queat. Tot tantiſque incommodis, difficultatibus, atque miſeriis hominis corpus undiquaque cinctum & circumvallatum eſt, ut pervideri nequeat quæ cura, quæ ſollicitudo & diligentia ſufficere poſſit ad impreſſionem tot ſimul conjuratorum hoſtium, tamque diverſo modo nos aggredientium, fortiter & diu ſuſtinendum, aut quis artium apparatus expedire jam intricatas malignitate partes & integritati reſtituere ſatis valeat. Infans in lucem editus cum ejulatu vix ſalutavit hanc miſeriam, quum jam innumeris ſeptus & obſeſſus periculis de ſalute quotidie quaſi decernere cogitur. Quid faciat autem tenera, imbellis & tantum non omni præſidio orbata ætas, cui nec ipſi licet remedia tollendis malis conquirere, nec indicare quidem ob infantiam, mali ſui conditionem aut magnitudinem, niſi forte miſerrimus ploratus aliaque tunc accidere ſolita alienam miſericordiam moveant. Quo magis convenit eos, qui ſalutarem profitentur artem ingenuo & attento ſtudio imbecillæ ætatis cauſſam ſuſcipere, ut magis magiſque clarum & perſpicuum fiat, quæ mala & incommoda hujus ætatis, quibus ſignis agnoſci & quaſi prædici queant, qua cautione præcaveri debeant & denique etiam qua arte, quibus præſidiis debellari poſſint? Is quidem huic diſſertationi finis præfixus eſt, &, ut conſequamur, ſummi numinis efflagitamus auxilium.

CAPUT I.

De Morbis Infantum in genere.

OBSERVATIONES.

1. MOrborum infantilium cauſæ poſſunt maxime referri primo quidem ad nutricis violentos affectus, ſecundo ad lac copioſum, craſſum, caſeoſum & impurum, tertio ad excretionum per alvum turbationem, ex tono ventriculi & inteſtinorum deſtructo, quarto ad inſenſibilem tranſpirationem impeditam, quinto ad nimis teneram & ſenſibiliſſimam membranarum ac generis nervoſi texturam, ſexto denique ad vitium in diæta tam nutricis quam infantis commiſſum.

2. Quia infantes propter teneram fibrillarum & membranarum inteſtinalium texturam, nervorumque ſenſibilitatem perquam facile anomalis & inordinatis motionibus tam ſolidarum quam fluidarum partium patent: hinc non modo omnia, quæ exceſſivis qualitatibus pollent, ipſis noxia ſunt; ſed & cautiſſime, ſummaque cum prudentia ipſis adminiſtranda ſunt remedia, omniaque parum vehementiora ſedulo evitanda.

3. Infantes corpulentiores & ſpongioſiori carne præditi, & qui lacte copioſiori & craſſiori veſcuntur, aut qui nutricem habent ſucci plenam & corpulentam, aliis frequentius morbis atque convulſionibus afficiuntur.

4. Vitium, quod nutrices in diæta & vivendi ratione committunt, perſæpe graviter luunt infantes. Quare ut ipſæ fructus horæos, acetaria, uſum vini & ſpiritus vini, nimiumque carnium eſum & frigus quoque veſpertinum improvide admiſſum, amplexus quoque mariti, ne menſes irritentur, evitent, etiam atque etiam cum cura providendum eſt.

5. Acida in copia ſi aſſumant nutrices, vel liberalius utantur vino, quam facillime fomitem epilepticum infanti ingenerant. Interdicendum quoque ipſis eſt caſeo, quia exinde lac viſcidum & craſſum evadit, quod ad obſtructiones primarum viarum & vaſorum lacteorum, nec non ad generationem calculi in veſica, qui non infrequens huic ætati eſt, proxime diſponit.

6. Nil magis & celerius lædit vel turbat infantis ſtatum, quam præpotens nutricis affectus, videlicet ira, vel terror. Incurrunt exinde facile epilepticas convulſiones, præſertim quando protinus ipſis mammæ præbentur.

7. Infanti lactenti non facile nocet vomitus ſponte obortus, quia naturæ vigorem monſtrat & ab onere alimenti, quod ordinario majori, quam par eſt, copia aſſumitur, ventriculus liberatur.

8. Mirum delinquunt nutrices, quæ nimium infantes alunt, &, quandocunque male habent, mammas obtrudendo lactant: præſertim vero illud nocet, ſi infantes ſunt valde teneri ac parvi, lac vero craſſum ac caſeoſum, quo caſu non poſſunt non multa in infantem incommoda redundare.

9. Non modo copioſum ſed etiam impurum lac viam ſternit ad morbos infantiles, tale fit ſi nimium comedunt nutrices, corpus vero motu non exercent, ſed ſine labore in magno & alto otio vivunt. Redditur quoque impurum per ſalſa, acida, nimis acria vel ſpirituoſa aſſumta, & quando menſes incipiunt fluere, ubi præſtat ab lactatione abſtinere.

10. Nihil æque infantibus lac ſugentibus male cedit, quam ſi ſæpius lac cum nutricibus mutent. Sicuti enim adulti non æque bene mutationem potus vel alimentorum ferre poſſunt: ſimili ratione id magis de ſenſibilioribus infantum corporibus exiſtimare æquum eſt.

11. Improvidæ alternationes frigoris & caloris non modo infantibus ſed quoque nutricibus nocent, præſertim quum mammas aeri paullo frigidiori exponunt.

12. Nil pejus eſt ac ſi nutrix paſſionibus hyſtericis patet, quum alvus eſt adſtricta &, ob ſpaſmos ac flatus in primis viis, variæ ſanguinis & humorum in corporis partibus fiunt congeſtiones.

Curatio.

Curatio.

1. Ad præſervationem infantilium morborum nil convenientius eſt, quam, non modo nutrici ſed & infanti, paullo largiori etiam in quantitate frequentius offerre infuſum herbarum ſanguinem edulcorantium cum aqua calida factum, quem in finem non poſſumus non vehementer laudare infuſum ſcorzoneræ, liquiritiæ, ſeminis fœniculi, herbæ veronicæ, ita enim lac tenue ac fluidum redditur, quo minus angustiora vaſa obſtruere, ſed liberius per omnes corporis tubulos ac glandulas ferri poſſit.

2. Quoniam in ventriculo ac duodeno lac ſtagnans facile aceſcit, corroſivum evadit atque coagulatur, ſicque mille gravia mala excitat: hinc omni cum cura agendum eſt, ut lactis illa tam periculoſa coagulatio præcaveatur. Cui ſcopo admodum egregie ſerviunt pulveres, qui lapides cancrorum, ovorum teſtas, radices iridis Florentinæ, crocum, ſemen aniſi vel ejus oleum, ſperma ceti, cinnabarim vel lapidum cancrorum ſolutionem habent atque recipiunt, de quibus doſis bis vel ter ſingulis hebdomadibus commode offerenda eſt.

3. Quia ſanitatis infantilis negotium verſatur maxime in debita ac ſufficiente fæcum per alvum egeſtione, hinc ut tonus ventriculi & inteſtinorum conſervetur, nullo vero modo turbetur vel pervertatur, maximopere providendum eſt. Nil vero potentius id efficit, quam acrium purgantium abuſus, externum frigus abdomen feriens, & in nutricibus gravior animi affectus.

4. Omnia purgantia fortiora, acria, ut reſinam jalappæ, ſcammonium, gummi guttæ, elleborum nigrum, eſulam, infamia & infantibus abſolute noxia declaro, quia non modo ad tormina, & alvi adſtrictiones, ſed & ad atrophiam & affectus convulſivos diſponunt.

5. Ab aloe quoque, ob nimium fervorem & ebullitionem, quam excitat, & ſennæ foliis torminoſis, abſtineant infantes, quia, quo plus remediis alvus ad excretiones irritatur; eo major egerendi poſtea difficultas, alvique tenſio & conſtrictio ſubſequitur.

6. Ex mercurio, quocunque etiam modo præparata remedia, præſertim in pulvere ac paullo majori ac repetita doſi, infantibus, qui corroſivam colluviem, ex fæcum virore & torminibus judicandam, fovent, deleteria & infamia judicamus, partim quod gravitate ſua hinc inde plicis ventriculi & œſophagi firmius adhæreſcunt, partim etiam quod acceſſu bilis acrioris & corroſivi acidi vehementiorem & corrodentem naturam induunt, unde tonus inteſtinorum mirifice non modo læditur, ſed & ad morbos, qui ex debilitate generis nervoſi vel ſpaſmo oriuntur, via panditur.

7. Cum metallicis aliis remediis, ut auro fulminante, martialibus, venereis, & antimonialibus, ut mercurio vitæ, pulvere Monckii cautiſſime quoque agendum eſt, quia hæc infida & inſecura admodum ſunt remedia, quum pro conditione humorum in primis viis reſidentium, quatenus ab iis ſolvuntur, operationes ſuas vel languidiori vel vehementiori modo exercent.

8. Omnia quoque acida, quia lac coagulant & obſtruunt, infantibus ſunt infenſiſſima; hinc lactentibus pariter & lactantibus numquam danda.

9. Ad alvum expediendam & irritandam non facile ultra mannata & rhabarbarina aſcendendum eſt; clyſteres vero emollientes omnium ſunt utiliſſimi.

CAPUT II.

De Torminibus Infantum.

1. NUllum malum frequentius tenerrima infantium corpora affligit, quam dolorum tormenta inteſtinorum membranas exagitantia, ſiquidem hac in ætate tenerrimæ & ad motum ſubeundum ſpaſmodicum promptiſſimæ ſunt inteſtinorum, membrorum ac muſculorum membranæ.

2. Summa acredo, eaque acido-cauſtica, in lactentium inteſtinis frequentiſſime generatur, quæ inteſtina corrodit, inflammat, lac in grandinoſos globulos cogit, ac bilem gramineo vel æruginoſo virore imbuit, unde fæces viridiſſimæ ob acrimoniam lintea corrodunt, podicem vero infantum arrodunt & perpetuum teneſmum faciunt.

3. Corroſivas eſſe infantium virides fæces, præter jam dicta, vel ex eo patet, quod, quibus excipiuntur, ænea vaſa arrodunt, & adjecto oleo tartari per deliquium ex viridi rurſum flavæ fiunt. Canes vero, qui alias lubentius lacteas infantum ſordes abſorbent, ab viridibus excrementis plane abhorrent.

4. Multum ad acrimoniam corroſivam bilis & lactis coagulum, infantum & nutricum iracundia contribuit, ſique nutrix a coitu non abſtinet, & ſalſis, acribus & acidis veſcitur.

5. Omne, quod tonum inteſtinorum deſtruit ac retardat excretiones, ad acrimoniam lactis & bilis multum confert, hinc dolores a dentitionis difficultate ſuborti, ob ſpaſmos, quibus conſtringunt inteſtina, lac corroſivum, fæceſque virides ſæpe reddunt, quare non infrequens eſt dentitioni difficili, ſi diutius durat, tormina & ſpaſmos ventris ex lacte corrupto aſſociari.

6. Quia nimis creber laxantium, ne dicam purgantium uſus tonum ac motum inteſtinorum periſtalticum naturalem deſtruit, hinc quoque ad lactis ſtagnationem, acrimoniam, tormina ventris & reliquam cruciatuum ſcenam viam pandit apertiſſimam.

7. Atrocia inteſtinorum tormenta, niſi cito opitulemur, & febres, & epilepticas convulſiones, paralyſes quoque aſthmata aliaque funeſta mala in infantibus proferunt.

8. Si fuerint infantes adultiores ablactati, fructus horæi, item mellita, ſaccharata copioſius aſſumpta, ſique citius per alvum obſtructam non feruntur, fermentatione acerrimos ſuccos ingenerant, quorum acrimonia intenſior a ſuperveniente fit iracundia. Fiunt inde præcordiorum anguſtiæ, cardialgicæ tenſiones, febres, bilioſæ vomitiones, appetitus læſiones.

9. In infantibus recens natis meconii retentio ſæpe eſt cauſa torminum, inquietudinis, immo convulſionum.

Curatio.

Eo ante omnia dirigi debet, ut acidum primarum viarum corroſivum abſorbeatur, corrigatur, & blande, vel per ſuperiora vel inferiora, educatur. Huic indicationi ſequentia remedia egregie ſatisfaciunt:

1. Porrigendus eſt ſequens pulvis, qui conflatur ex lapidum cancrorum, matris perlarum, oſſis ſepiæ, antimonii diaphoretici, ſingulorum drachma ſemis, extracti caſtorei liquidi gr. j. olei macis & aniſi utriuſque guttis duabus, ſingulis duabus horis ad ſcrupulum dimidium offeratur in decocto cornu cervi.

2. Clyſter ex emollientibus & demulcentibus compoſitus infundatur. Talis componi poteſt ex decocti

hordei

hordei excorticati uncia una cum ſemiſſe, olei amygdalarum dulcium drachmis tribus, ſyrupi violarum drachmis duabus, olei tartari per deliquium guttis XX. & olei aniſi guttis ſex, probe commiſcendis.

3. Alvus expediatur rhabarbari Alexandrini, lapidum cancrorum drachma una; adjecto ſyrupo cichorei cum rhabarbaro electuarium fiat, quod in decocto hordei poteſt aſſumi, adjecta mannæ convenienti quantitate.

4. Loco potus offeratur decoctum cornu cervi, vel hordei, vel gelatina cornu cervi ordinario potui immittatur.

Cautelæ.

1. In torminibus ventris cavendum utique eſt ab omnibus ſtimulantibus, ſalſis, acribus, præſertim purgantibus. Admodum enim intutum eſt acerrimam ſaburram, antequam corrigatur, per longum inteſtinorum canalem evacuare.

2. Reſinoſa, ut eſt reſina jalappæ, imprudentiſſime infantibus ex lacte corrupto acri laborantibus offertur, &, utut copiam humorum aliquot vicibus ejiciat, nihilominus continua ſua irritatione tunicarum inteſtinalium nocet, ſi vero purgandum pulvis mechoacannæ albæ cum ſyrupo datus ſufficit.

3. Præſtat potius acerrimam ventriculi & duodeni ſaburram abſorbentibus & corrigentibus alterare, poſtea mannatis, rhabarbarinis & clyſteribus ejus excretionem moliri.

4. Inſecura quoque tali caſu ſunt emetica, utpote quæ facile in inteſtinis jam diſpoſitis inflammationem ſuſcitant.

5. Neque nutricibus tutum eſt tali caſu offerre purgantia fortiora, ut infans purgetur, nam, cum experientia, tum auctoritate clariſſimorum Medicorum evinci poteſt convulſiones in infantibus hac ratione fuiſſe promotas.

6. Quando ſpaſmi & inteſtinorum tormina non tam a cauſſa materiali quam formali, i. e. nervorum tractione per conſenſum a gravi in aliis membris dolore ſubnaſcuntur, tum laxantia non æque commodum locum inveniunt, ſed potius, ut perquam moleſtæ generis nervoſi ſpaſticæ contractiones ſopiantur, invigilandum eſt.

7. Torminibus infantum egregie quoque ſuccurrunt emollientia cum lacte cocta & veſicæ infuſa ventrique impoſita.

CAPUT III.

De Epilepſia & Convulſionibus.

1. NUllus affectus tam frequens & quaſi proprius eſt huic ætati, quam ab anno primo ad ſeptimum extendimus, ac epilepſia, nullam aliam, ut videtur, ob cauſſam, quam quod infantium nervoſæ & ſenſibiles membranaceæ partes ex tenerrimis & valde contractilibus fibrillis ſint compoſitæ, quæ ſubſequente ætate firmiores, ſolidiores ac tenſiores evadunt, quibus non tam facilis contractio ſeu irregularis commotio competit.

2. Infans, quo tenerior & ætate minor, & quo ſenſibiliores affectibuſque vehementioribus obnoxii parentes fuerint, aut matres, dum geſtarunt fœtum utero, eo plus malo epileptico expoſiti ſunt.

3. Nil celerius dirum hunc affectum in tenellis infantibus producit quam validus terror nutrici incuſſus, ſi protinus ab eo mammam præbeat.

4. Infantes comitiali morbo facile laborant, quibus habitudo craſſior, tenſior & alvus adſtrictior eſt, nec non qui copioſo ac craſſo lacte nutriuntur, & nihil magis epilepſiam proritat, quam quod ventrem ſiſtit.

5. Ordinario in epilepticas convulſiones, difficulter admodum curabiles incidunt infantes, quando nutricibus menſtruæ purgationes, quibus ab initio lactationis ad tempus caruerunt, revertuntur.

6. Matres gravidæ & nutrices hyſtericæ, ſi acetaria, fructus horæos frequentius devorant, vel vina liberaliori manu ingurgitant, perfacile fomitem epilepticum infantibus ingenerant.

7. Meconium quoque retentum cauſſa fieri poteſt epilepſiæ & motuum convulſivorum.

8. Sicuti pueri tuti ab epilepſia redduntur, quibus ſupervenit favus, cruſta lactea, vel ſcabies cum magnis puſtulis: ita iſtis improvida tractatione retropulſis, ordinario ſubſequitur epilepſia graviſſima.

9. Dolor ex dentitione atrox, tormina quoque ventris & vermes inteſtinorum tunicas lancinantes ſollemnes epileptici mali cauſſa exiſtunt.

Curatio cum Cautelis

Hoc modo inſtituenda eſt ut intentio & judicium Medici ad cauſſas, unde malum fuerit ortum, animadvertat. Itaque

1. Si ex terrore aut alio vehementi affectu nutricis epilepſia naſcatur, id potius agendum eſt, ut inordinatæ ſpaſticæ contractiones placide compeſcantur, quam ut ſpirituoſis acribus, irritantibus aut purgantibus naturam magis turbemus, & motus exaſperemus. Commendamus tali in caſu clyſteres ex floribus herbarum emollientium & ſeminibus carminativorum paratos. Laudamus quoque uſum pulveris Marchionis, ſi miſceatur cum cinnabari, & addatur parum moſchi. Proſunt quoque aquæ florum fragrantium, ut tiliæ, liliorum convallium & alborum, primulæ veris, aurantiorum.

2. Meconio primis menſibus non rite expurgato, ſed ſubſiſtendo acrius facto in inteſtinorum canali; expurgandum illud eſt lenioribus laxantibus, quæ miſceri poſſunt cum abſorbentibus. Utile hunc in finem eſt electuarium ex ſyrupo cichorei cum rhabarbaro, extracto rhabarbari, lapidibus cancrorum & pulvere marchionis paratum.

3. Ex lacte corrupto, corroſivo ſi vitium hoc proficiſcitur, decoctum cornu cervi paullo ſpiſſius pro potu ſumatur, & clyſteres demulcentes & abſorbentes pulveres adjecto croco, moſcho, vel momento extracti caſtorei in uſum vocentur.

4. Si primæ viæ ab ſordibus acido-corroſivis ſint purgandæ, id præſtandum eſt decocto mannæ ſucceſſive dato, cui aliquot guttulæ olei tartari per deliquium inſtillentur.

5. In dolore dentium graviori ſpiritus noſter anodynus mineralis optatiſſimam fert opem.

6. Si vermium cauſſa ſubſit, tunc convenit ea dare, quæ hiſce interficiendis & expellendis accommodata ſunt.

7. Malo epileptico ex repreſſione ſcabiei vel tineæ capitis aut aliorum exanthematum nato, veſicatorium non ſine fructu in nucha applicatum fuiſſe experientia repetita didicimus.

8. Quando lac craſſum & copioſum cauſa mali eſt, tunc pauciori lacte infans alendus, & talia præbenda ſunt nutrici alimenta, quæ illud fluidius & ſeroſius, quod magis laxat, reddunt.

9. Stagnante & infarcto ventriculo ab coagulato lacte, conveniens eſt lene emeticum dare. Sufficit autem unius grani dimidium vel tertiam aut quartam partem de tartaro emetico cum ſyrupo violarum & aqua quadam deſtillata ſolutum, ſuppeditare.

10. Caute mercandum eſt in epilepſia cum opiatis,

tis, etiam theriaca cæleſti & maſſa pilularum de cynogloſſa.

11. Ab aſſumtis purgantibus, præſertim reſinoſis & mercurialibus crebrius oblatis, in infantibus adhuc lacte viventibus gulæ ſpaſmum, ut continuo deglutire & certum ſonum edere cogantur, ſæpe animadvertimus quo caſu tutius eſt oleum amygdalarum dulcium cum decocto hordei excorticati, quam purgantia porrigere.

12. In epilepſia & convulſionibus nocet potius quam prodeſt uſus volatilium, etiam externus ſpiritus ſalis ammoniaci, oleum ſuccini, rutæ, quæ omnia caput replent & motus nervorum irritant.

CAPUT IV.

De Pathematibus ex dentitione difficili.

OBSERVATIONES.

1. Nihil plus incommodi vel periculi tenellis infantibus minatur, quam dentium eruptio, quæ non poteſt doloribus carere, maxime ubi grandiores & acutiores, ut ſunt dicti canini ſeu oculares, gingivalem carnem perforant.

2. Dolor hic vehemens gingivarum inflammationi plerumque conjunctus, febrem acutam, motus convulſivos, & epilepſiam facile accendit, pavorem quoque in ſomno, vigilias, vomitus, diarrhœas, aſthmata excitat.

3. Infantes, qui ab eruptione dentium male ſe habent, vel etiam febricitant, non omnes motibus convulſivis tentantur. Præcedit plerumque innata vel acquiſita cerebri nervoſique generis debilitas, & ad ſpaſmodicas contractiones diſpoſitio, quæ, dolore acuto cum febre urgente, in actum deducitur.

4. Qui alvo ſunt laxiori præditi, melius ſe habent, quam qui ſunt adſtricta, unde tunc temporis alvum roborantibus vel adſtringentibus continere res periculi pleniſſima eſt, convulſiones enim & atrociora ſymptomata ſubſequuta fuiſſe, narrant hiſtoriæ.

5. Deterrima res eſt, quando ſimul & ſemel plures erumpunt dentes, præſertim canini & molares, quod in ſenſibilioribus ſubjectis, & qui ab iracundis parentibus nati ſunt, non ſine convulſionibus junctis fieri ſolet.

6. Quando eruptio retardatur, creſcentibus ſymptomatibus, naturæ robur imminuitur: unde infantum tenera corpuſcula huic oneri imparia redduntur, & morbus in mortem terminari ſolet.

7. Convulſiones, quæ ex difficultate dentitionis proveniunt, gravius afficiunt caput, maxillas, cum dentibus & oculis, quam alia corporis membra.

8. Signa difficilioris eruptionis ſunt inquietudo, morſus papillæ mammarum, rubor & tumor gingivæ, & frequentior manus ad os admotio, alvi fluxus copioſior, qui plus prodeſt quam nocet.

9. Sicuti omnis vehementioris doloris, ita etiam ejus, qui ex dentibus naſcitur, ea eſt natura, ut univerſum corpus ſpaſmo afficiat, & ventrem conſtringat, quare in dentitione difficili plerumque etiam male habent primæ viæ, dum non modo lac facile aceſcit & corrumpitur; ſed & inordinate alvus fluit vel ſupprimitur.

Curatio cum Cautelis.

In cura id maxime agendum eſt, ut dolor & inflammatio placide ſiſtatur: deinde, ut dentium eruptio promoveatur, cui ſcopo obtinendo, quæ ſequuntur remedia, ſatis feciſſe obſervatum eſt.

1. Medulla crurum vituli vel mucilago ſeminis cydoniorum aut linimentum ex ſpermate ceti, ſyrupo papaveris albi, oleo amygdalarum dulcium, croco, nitro paratum & inunctum egregio uſui eſſe ſolent.

2. Sequens mixtura crebrius offeratur, quæ conſtat aquis liliorum convallium, florum tiliæ, primulæ veris, ſingularum una uncia, pulveris Marchionis drachmæ dimidio, cum tantundem antimonii diaphoretici, cinnabaris ſcrupulo & croci ſex granis; quibus adjiciantur liquoris noſtri mineralis & ſpiritus ſalis ammoniaci, de utroque guttæ circiter decem, & ſyrupi de pœonia vel de papavere rhœade ana drachma ſingularis.

3. Alvus obſtructa clyſtere emolliente & oleoſo aperienda eſt.

4. Nocent in dentitione difficili omnia calidiora, purgantia, externa quoque valde ſpirituoſa naribus oblata, quia omnia ſunt in motu, quem intendunt magis & exacerbant, quam placant, & quia febris ordinarius doloris comes eſt.

5. Ex dentitione difficili quando infans laborat, ſuademus, ut nihil ſolidioris cibi aſſumat vel infans vel nutrix, cui potius aquæ potus imperandus eſt, & tenuiſſimus victus; infans vero tenuioribus ſorbitionibus nutriendus eſt.

6. Sicuti ſemper tutius eſt in infantium gravibus morbis nutrici præbere medicamenta, quam infanti: ita quoque hoc valet in gravioribus dentitionis difficilioris ſymptomatibus, ubi lactanti feminæ remedia antiſpaſmodica ex radice pœoniæ, cornu cervi ſine igne, unicornu foſſili, ſuccino, ambra, moſcho, caſtoreo cum victu tenui & refrigerante danda & imperanda ſunt.

7. Quando dentes plane renuunt erumpere, ſectione ipſis faciendus eſt exitus, & ſcalpello membrana, cui incumbunt dentium extremitates, incidenda eſt, quod ſæpius ex voto ſucceſſit experimentum.

8. Peccant maximopere matres, quæ infantes in morbis, quibus dolor febris aut inflammatio jungitur, nimis calido regimine tractant, & lectis aut conclavibus nimis calidis eos includunt.

CAPUT V.

De Vermibus.

1. Vermes admodum frequentes ſunt inteſtinorum infantilium hoſpites, magis tamen eos fovent ablactati, quam qui lacte adhuc nutriuntur.

2. Vermium indicia ſunt tormina, nauſea, lipothymiæ, phlogoſes, tuſſes, fluxiones & pruritus narium, ſalivationes crebriores, oris fœtor, urina turbida, febris, vomitus matutinus, ventris intumeſcentia & dolor.

3. Vermes ſæpiſſime dolores pleuriticos ſub coſtis ſpuriis mentiuntur, quum in inteſtino colo verſantur. In ventriculo ſi reſident, famem, ſyncopen & cardialgias faciunt: in medio ventre fluorem alvi & lienteriam: in inteſtino recto, pruritum & teneſmum, & ferme ſemper febres putridas, quotidianis ſimiles ſuſcitant.

4. In pueris vermes frequentius graviſſimarum tragœdiarum, ſtupendarum convulſionum & motuum epilepticorum cauſſa ſunt, ut incantamenti ſæpe ſuſpicionem afferant: quæ omnia ſymptomata, enecatis & excluſis vermibus, levantur.

5. Si in ventriculo ſunt, ſtomachus ſæpe inflatur, & tumet, ut compreſſo diaphragmate, ſuffocationis periculum immineat.

Curatio cum Cautelis.

Haec commodiſſime procedit, quando habita ratione ſubjectorum, cauſſarum & circumſtantiarum prudenter anthelmintica adhibentur, quae cum varia ſint, variam etiam indicationem deſiderant.

1. Acidula, ut ſuccus citri, ſpiritus vitrioli, ſpiritus nitri, phlegma vitrioli, ad vermes necandos medicamenta ſunt utiliſſima, praeſertim in febribus verminoſis; nocent vero majori in copia, quia chylum valde coagulant, neque uſurpanda ſunt in lactentibus.

2. Camphora, tanacetum & ejus oleum, myrrha, allium, ſcordium, abſynthium, omniaque purgantia, extractum eſulae, reſina jalappae, praeſtantiſſima ſunt anthelmintica, cautiſſime tamen cum iis agendum eſt, quia facile dum vermes iisdem ejicere conamur, febrem vel alia mala excitamus.

3. Praeſentiſſimum adverſus vermes remedium habetur mercurius dulcis, qui etiam ſua laude non eſt fraudandus, cave vero in pulvere vel etiam in copia propines, quia ſummus virium languor non ſemel ejus abuſum ſequutus eſt, cave quoque ab hoc remedio ſi duodenum acri cauſtica bile ſcatet, ne truculenta ſymptomata inſequantur. Commodiſſime vero datur in electuarii, vel melius adhuc in rotularum forma.

4. Quando mercurialia & acria itemque purgantia danda ſunt, praeſtat in lacte ea exhibere, vel lac ſuper bibere, ita enim feliciſſime ſaepe educuntur vermes.

5. Specificus anthelminticus hic eſt pulvis qui conſtat mechoacannae, mercurii dulcis, ſeminis ſantonici, corallinae, rhabarbari, ſcordii, cornu cervi uſti & nitri, ſingulorum drachma dimidia, camphorae ſex granis. Pro ratione aetatis in varias doſes diſpenſandus eſt, redactus etiam in formam electuarii dari poteſt cum ſyrupo de cichoreo cum rhabarbaro vel manna.

6. Quando in ventriculo vel tenuibus inteſtinis hoſpitantur, clyſtere ex lacte & melle infuſo ad inferiora alliciendi ſunt.

7. Salia, ut nitrum, arcanum duplicatum, ſal quoque commune, ſal ammoniacum vermibus ſunt infenſiſſima, quia non modo eos interficiunt, ſed etiam expellunt, qua de cauſa acidulae, thermae, vel aquae ſalſae, ex quibus ſal commune coquitur, liberalius hauſtae, feliciſſime ſaepius colluviem vermium foras proſcribunt.

8. Nitrum in potu datum in febribus ex putredine verminoſa ortis, magno commodo ac ſaluti eſt, partim quia refrigerat immodicumque calorem temperat, partim quod dolores & ſpaſmos ſiſtit & vermibus inimicum eſt.

9. Peſſima nota eſt, ſi in ventriculo reſident vermes, neque aliud commodius eſt, praeſertim in adultis, quam acidulas vel aquas ſalſas bibere, aut pilulas quae aſam foetidam, aloen, myrrham & balſamum ſulphuris habent, aſſumere, quibus atrociſſimae convulſiones ex vermibus ortae ſanatae fuerunt.

10. Cautiſſime cum vitriolaceis, praeſertim venereis, in hac aetate procedendum eſt, ne coagulando vel irritando inteſtinorum ac ventriculi tonum, graviter turbent ac laedant.

CAPUT VI.

De aliis Infantum Morbis.

OBSERVATIONES.

1. Inter infantiles morbos maxime referendae ſunt tuſſes ſimplices & ſuffocatoriae, cardialgiae, atrophia, rachitis, achores, aphthae, qui ſinguli vel a vitio primarum viarum aut corruptione ſuccorum, nervorumque moleſta tenſione, obſtructione ac nutritione depravata vel impedita perſpiratione laborantur.

2. Tuſſis ſaepe ferina & ſicca infantes exercet, cum magna reſpirandi difficultate & ſuffocationis metu, & epidemice ſaepe graſſatur.

3. Aſthma quaſi ſuffocativum fit vel ab inflatione nimia ventriculi, ob lac viſcidum ibi copioſe ſtagnans diaphragmatis expanſionem impediente: quandoque etiam hoc aſthma ſpaſmodicum eſt & ab repulſa e peripheria corporis ad interiora materia excrementitia acri in purpura, tinea capitis, eryſipelate vel cruſta lactea fit, vel etiam ex eo habet, quod reſpirationis nervi tenduntur per conſenſum in dolorifica dentitione.

4. Morbilli, praeſertim improvide tractati, & quando excretiones alvinae, vel etiam tranſpiratio inſenſibilis poſt morbum non debita arte procurantur, ſaepiſſime relinquunt aſthma ac infarctum pulmonum a viſcido acri humore.

5. Cardialgia fit ab inflatione ventriculi, vel etiam inteſtini coli ſtagnantibus humoribus in flatus reſolutis. Nota eſt quando coſtarum ſpuriarum tanta eſt extenſio, ut manum ſubdere vix poſſimus. Adſunt ingens anxietas, inquietudo, vigilia, dolor.

6. In infantum atrophia venter praeter modum turget, corpus reliquum ſenſim ita exareſcit, ut inſtar ſceleti habeatur, alvi quoque fluxus moleſtat: eſtque magis ablactatis familiaris, praeſertim ſi nocte potus frigidus paulo liberalius concedatur.

7. Aphthae ſunt puſtulae ardentes, quae linguam, fauces & palatum obſident, & perquam familiares ſunt infantibus ex lacte acido & corrupto, praeſertim ſi nutrices ſunt hypochondriacae, vino deditae, iracundae, alvique obſtructionibus obnoxiae.

8. Achores, vari aut tinea tubercula ſunt ulceroſa, & fiunt a vitio vel corruptione ſeri ſalſi, viſcidi, in glandulis & tubulis ſubcutaneis ſubſiſtentis. Debentur ut plurimum nimiae voracitati & externo frigori.

9. Rachitis in Anglia ſolis infantibus olim familiaris, innotuit etiam noſtris regionibus; fit cum magna inaequalitate nutritionis partium, a ſucco nutritio viſcido non liberius ob ſpaſmos partium nervoſarum influente.

10. In rachitide nonnullae partes indureſcunt, aliae flacceſcunt & ſubſident. Ita fit abdominis intumeſcentia; thoracis vero anguſtia, caput eſt magnum, pedes extreme parvi, oſſa ſunt incurva, praeſertim cubiti & tibiae. In nonnullis ſpina dorſi varie inflectitur, ut pedibus vix inſiſtant. Duri etiam nodi circa articulos conſpiciuntur.

11. A primo ortu rarius affectus hic infeſtat, frequentius menſibus aliquot elapſis, ad tertium vel quartum uſque annum.

12. Sectis cadaveribus viſcera ingentis magnitudinis, praeſertim hepar, & glandulae quoque intumefactae deprehenduntur, cerebrum autem duplo majus, quam ordinario eſſe ſolet.

13. Ab aeris vitio ac tempeſtatum mutatione depen-

pendent maxime catarrhales & ſeroſi, item in cute reſidentes affectus, ut ſunt coryzæ, gravedines, tuſſes, raucedines, cruſta lactea, parotides, oculi & aures manantes, pectoris infarctus cum roncho & ſibilo.

Curatio cum Cautelis.

1. In tuſſi & aſthmate infantum adeo nil proficiunt dulcia, incraſſantia & vulgaria pectoralia, ut potius noceant.

2. Sperma ceti cum oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo canto, addito croco & guttulis aliquot olei aniſi, ad acrimoniam demulcendam inſtar omnium eſſe poſſunt.

3. Interius pulveres abſorbentes cum radice iridis Florentinæ, & elixir carminativum balſamicum, quod compoſitum eſt ex tinctura tartari, eſſentia gummi ammoniaci, myrrhæ, croci, nuciſtæ, corticum aurantiorum, ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato egregie voto ſatisfacient.

4. Exterius inunctiones cum axungia humana & ſpiritu ſalis ammoniaci, itemque clyſteres ex carminativis & emollientibus ſuppetias ferent exoptatas.

5. In inflatione ventriculi & aſthmate a lacte coagulato, ſtagnante vel acri viſciditate præcordiales nervos vellicante ortis, cum fructu datur lene emeticum ex grano dimidio vel quarta parte tartari emetici cum ſoluta manna paratum.

6. In aſthmate, quod fit ab repulſa materia, egregia ſunt veſicatoria nuchæ appoſita.

7. In atrophia ea, quæ aperiunt obſtructas glandulas, ut arcanum duplicatum, tinctura martis Zwelferi, terra ſoliata tartari, ſolutio oculorum cancri provide data, uſus ſunt non contemnendi. In macie, quæ fit ab obſtructione pororum cutis, emollientia balnea nec non frictiones cum aqua & farina valde proſunt.

8. Saccharum lactis in cremore hordei ſolutum, datum, peculiaris efficaciæ obſervatur.

9. In externis cutis affectibus nocent omnia oleoſa & quæ poros obſtruunt: proſunt vero infuſa ſanguinem depurantia, abſorbentia, & laxantia ex mercurio dulci, rhabarbaro & manna conflata.

10. In rachitide, quæ lentorem humorum reſolvunt & obſtructiones reſerant, omne punctum ferunt. Unde tinctura tartariſata, tinctura antimonii acris, infuſum ſanguinem purificans, balnea emollientia, cinnabarina, quæ tutiora ſunt quam mercurialia, ad curam perficiendam optimam locabunt operam.

11. In aphthis prodeſt externe ſuccus raparum cum vitello ovi & ſaccharo ſubactus, cremor etiam lactis cum tantillo nitri mixtus. Interne decoctum cornu cervi dandum & alvus manna & nitro expedienda eſt.

12. In catarrhalibus defluxionibus, manantibus oculis & auribus, raucedine, tuſſi & coryza nutricibus infuſa ſanguinem & lympham diluentia ex radice liquiritiæ, cortice & ligno ſaſſafras, ſemine fœniculi, nec non pilulæ de ſuccino Cratonis & elixir pectorale ſuperius deſcriptum offerre oportet. Infanti vero pulvis ex iride Florentina, lacte ſulphuris, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, croco & oleo aniſi præbendus eſt.

13. Quando nares obſtructæ ſunt, ut reſpiratio aliquantum obſtruatur, butyrum vel etiam aquam majoranæ naribus admovere oportet.

14. Parotides exigunt interne remedia reſolventia, ut tincturam ſulphuris antimonii cum eſſentia ſuccini vel croci mixtam, exterius vero emplaſtro diachylo ſimplici & cataplaſmate emolliente, ſi tumor renuit diſcuti, ad maturitatem perducendus eſt.

15. Quando purpura infans afficitur, quod non raro fit ex ſalacium nutricum lacte, vel quando acida & vinum crebrius aſſumunt, tunc abſorbentia & acorem temperantia nutrici & infanti dare debemus: & magneſiæ albæ pulvis, dum blande laxat, non inconveniens eſt.

16. Quandocunque a nutricibus impuriſſima veneris lue infectis teneri infantes inficiuntur & maligna ulcera acquirunt, antimoniata ex regulo antimonii medicinali, tinctura antimonii tartariſata, & acris, cum eſſentia lignorum, nutrici prodeſt. Deinde mercurio dulci bene præparato & extracto rhabarbari nutrix & infans purgandi ſunt, & infuſum ſeu potius decoctum lignorum temperatius potui nutrici datum lymphæ vitia egregie corrigit.

17. De variolis & morbillis, huic ætati valde congruis & familiaribus morbis, egimus in diſputatione quam de febribus, earumque clinica praxi, conſcripſimus.

18. Ultimo loco monendum, quod quo accuratiori diæta utuntur nutrices, & ab animi affectibus ſibi temperant, motu corpus exercent, acidis & ſpirituoſis abſtinent, nec corpus refrigerant, & cibos bene nutrientes cum ſufficienti tenui potu aſſumunt: eo firmiori lactentes infantes frui valetudine.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

DE

ANIMALIBUS

HUMANORUM CORPORUM INFESTIS HOSPITIBUS.

Primùm edita anno 1734.

PROOEMIUM.

PHILOSOPHANDUM *eſſe paucis* crebro audias ex ore virorum ſapientum, inque ſcriptis eorum ſæpe legas. Equidem operæ exiſtimo pretium diſpicere, quantum ſit tribuendum huic præcepto. Dum *paucis* philoſophari jubetur, vel paucis permittitur hominibus philoſophiam attingere & tractare; vel id, *quod nimium eſt* in hoc genere, præſcinditur, utque ſobrietatem commendatam habeamus, nec ita nos ſpeculationibus abdamus, ut nihil poſſimus ex his, neque ad communem adferre fructum, neque in adſpectum lucemque proferre, admonemur. Priori ſenſu accipiendum eſt, quod circumfertur HELMONTII dicterium, *nemini philoſophandum eſſe pauperi*: quod quidem ſi nobilis ille per ignem philoſophus aliter intellexit, quam de ſua, ex qua cenſeri cupivit, per ignem philoſophia illaque ſublimiori, quæ aureum vellus tota ſua vita quærit; videat ſane ne juſtiſſimo philoſophorum judicio ipſemet a conſortio philoſophiæ proſcribatur; quæ amatores multos habuit, de quibus conſtat quod abjecerint res familiares ſuas & renunciaverint univerſis voluptatibus, ut ſolam nudamque veritatem ac virtutem nudi expeditique ſequerentur. Quid enim magnis opibus opus habet, qui ſecundum naturam, quæ paucis contenta eſt, vivere didicit, alioſque docet? Aut an officia hominis & civis ille melius pervidebit, libentiuſque exercebit, qui magis impeditus eſt rei familiaris conſervandæ & amplificandæ ſtudio, quam qui irritamentis malorum quam minime tentatur. Quod quidem ita contendo, ut facile largiar aliquas philoſophiæ naturalis partes ita eſſe comparatas, ut non multum progredi in illis poſſit, cui nullæ ſuppetunt ad impenſas experimentorum ſuſtinendas opes proportionatæ. Magnam certe laudem promeruerunt pauci illi, quos numerare licet BOYLE, REDI, qui cenſuum ampliſſimorum reditus philoſophiæ experimentali conſecraverunt,

Quique ſui memores alios fecere merendo.
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Forte tamen juſtius ſenſum illius effati, quod paucis philoſophari permittit, hunc dicemus, ut *paucis* i. e. δι ὀλίγων, illa tradamus, quæ pertinent ad ſpeculationem cujuſcunque negotii, ampliſſime autem & potiſſimo ſtudio ea conſectemur, quæ aliquem ad vitam communem uſum fructumque ſolidum adferunt. Hancque legem potiſſimum eſſe ſcriptam medicæ artis ſtudio addictis exiſtimo, quibus parens ejus HIPPOCRATES in ipſo limine inculcat ſuum: ARS LONGA, VITA BREVIS. Practica eſt diſciplina, quæ tota diſcitur, ut comparetur habitus cum recta ratione effectivus. Nequicquam hanc olim diſciplinam vir & arte & facundia inſignis ab ſapientiæ ſtudio ſeparavit, ſuaſque res ſibi ſeparatim habere voluit: quum ipſemet, rationalem illam eſſe cupiens, cum philoſophia perpetuum nexum ſtabiliverit. Neque ſane poterant ipſum inſequuti viri omnino abſtinere a rationibus e rerum natura quærendis, niſi vellent ignobili vulgo adſcribi, atque ſellulariis hominibus æquiparari. Hinc factum eſt, ut Medicina identidem novis affectuum pathologiis, agendorumque rationibus, ex naturalium rerum ſcientia mutuatis, exornaretur, quorum vel longior duratio fuit, vel brevior,

pro

pro eo ac quiſque majori auctoritate perſuadere aliis potuerat, aut facundiores & addictiores nactus ſectatores fuerat. Nullo autem tempore defuerunt, qui dialecticis artibus ſiſi labefactarent vetera, novaque proponerent ac tuerentur: non quod convicti de veritate eſſent, ſed quod acceſſio alterius haberi nimis humile cenſerent. Hæc ratio artem Medicam, a bis mille annis toties interpollem, quotidie mutat: neque dubitandum eſt fore ut ſeri nepotes noſtri, ſi qui poſt multa ſæcula futuri ſunt, novas metamorphoſes, de quibus nobis nec per ſomnium aliquid repræſentare nunc poſſumus, cogitando ſibi ſubjicere poſſint. Scilicet ſunt aliqua, eaque non pauca, in rerum potiſſimum naturalium cenſu, ad quorum cognitionem nulla patet via, quantum ſcilicet ad agendi fiendique modos pertinet. In his præclare nobiſcum agitur, ſi τὸ ὅτι, ſeu *quid* & *quod* fiant, abſque errore aſſequimur: *τὸ διότι, cur ſic* & non aliter fiant, forte omnes uſque ad finem omnium rerum ignorabimus. Atque hic exiſtimo ſapientis eſſe *paucis philoſophari*, nihilque cum contentione & pervicaci ſtudio tueri, conjecturas aliorum modeſte perpendere, ſuas, ne indoctior videatur ſi lyra in ſympoſio oblata canere neſciat, abſque arrogantia & ambitione proponere, nec demonſtrationes promittere, ubi intra conjecturam ſubſiſtere rei ipſius indoles imperat. Hæc ſunt, quæ mihi non potuerunt non in animum venire, quum ab aliquot menſibus bonas horas collocarem relegendis & comparandis iſtis, quæ de animalibus humanorum corporum incolis a doctiſſimis viris conſignata & litterarum monumentis tradita ſunt. Excitavit me, quod profiteor, Excell. D. D. Eliæ Camerarii pulcherrima Diſſertatio, quæ *Helminthologia intricata* inſcribitur, qua celeberrimorum virorum, qui hoc argumentum ex inſtituto noviſſime tractaverunt, diverſiſſimas in plerique omnibus ſententias uni obtutui ſubjicit. Accendit hic diſſenſus cupiditatem meis oculis ſingula perluſtrandi, ſimulque, quantum librorum præſens copia permiſit, ad alios auctores, quorum pleroſque celeberrimi viri, Andry & Clericus indicaverunt, exſpatiandi. Ne vero inutilis eſſet mihi tot librorum evolutio, enotavi, quæ futuris uſibus judicabam idonea; ſicque factum eſt ut amplam colligerem materiam: unde, quum per otium in ordinem ea redigerem, enata eſt præſens diſſertatio, quam tanquam induſtriæ rebus Medicis impenſæ ſpecimen exhibeo. Spero autem fore ut nemo mihi vitio verſurus ſit, ſi in re multum intricata & doctiſſimorum virorum diſſenſu turbata, arbiter ſedere ego juvenis nec volui nec potui. Potiſſimum cupiebam ea, quæ facti, ut loquimur, res ſunt, conſtituere: quoniam vero & hic diſſenſus regnat; facile prævidi, aliter me defungi melius incepto labore haud poſſe, quam ſi ſeparatis eis, quæ minus dubia ſunt, ab illis, quæ plurimum dubitationis babent, hiſtoricum potius hic agerem, quam dogmaticum. Spero autem illud me effeciſſe hac commentatione, ut lector, ſiquis noſtra percurrere velit, plerorumque, qui celebritatem conſequuti ſunt, virorum ſententias pauci temporis impenſa recognoſcat, ipſoſque fontes adire indicatos facile poſſit, ſi plura de his forte requirat. Neque tamen noſtram operam in opprobrium artis ſalutaris verti velim, tanquam æque omnia, ut hæc *lumbricorum doctrina*, incerta ſint ac dubia. Cogitent, quibus ita videbitur, quam exiguo intervallo, noſtra tempora diſtent ab illis, quibus cæco auctoritatum ductu mortales trahebantur, & ad omnem certitudinem ſufficiebat, ſi pro te Hippocratem, Ariſtotelem, Galenum, quos honoris cauſſa nomino, adducere poſſes. Hæc cogitatio ſi nondum ſatis ad excuſandos Medicos facere videtur; etiam illud perpendatur, quod grandævi inter artis opera aliqui facti ſint, quibus certi vermes numquam omni ſua vita obtigerunt viſendi; ex illis vero, quibus obvenerunt, quot ſunt, qui ſe integros lumbricos latos, quamprimum excluſi fuerunt, oculis uſurpaſſe, profiteri, idque intelligentibus probare auſint. Mirum, quot anatomiæ, quæ vocatur, practicæ ſcriptoribus, totque obſervationum auctoribus, quod quidem meminerim ego, nunquam viſenda in hominis inteſtinis hærens tænia, ſeu latus

latus lumbricus fuit oblatus, ut in ipſo nido conſiderari, integer eximi, accurateque delineari poſſet. Aliquid igitur, nec id forte minimum, noſtri, & poſt noſtrum venturi ævi diligentiæ hic relictum eſt: cujus candido judicio omnem noſtræ commentationis fructum permittimus.

CAPUT I.

Tradens ea, quæ ad nomina pertinent.

§. I.

Quid ſit vermis, ex Andryi doctrina.

Acturo de animalibus, a quibus humana corpora frequentius infeſtantur, ante omnia mihi inquirendum eſſe putavi, quid ſit vermis: quo eruta, ſi fieri id poſſit, vera vi & notione ejus vocabuli, inoffenſo pede progredi ad alia liceret. Paucis memet expediturus, conſului celeberrimum D. Nicolaum Andry, ſaluberrimæ Facultatis medicæ Pariſienſis Doctorem, qui de vermibus corpus humanum infeſtantibus ineunte hoc ſæculo commentatus eſt. *) Is vero ſermonem ab inſectis exorſus, ea dividit in *majora*, ut ſunt colubra, aſpis, vipera, ſcorpio, rana, cætera, quæ generali nomine inſectorum comprehendi docet: *minora* autem inſecta vermium appellationem ſibi depoſcere, qualia nominibus recenſet ſuis, muſcam, erucam, papilionem, formicam, pulicem, limacem, lumbricum terreſtrem, & animalcula peregrina corporibus hominum, cæterorumque animalium, ipſis fructibus, plantis, lignis, pannis, liquoribus aliisque mixtis innaſcentia. Et quamquam ſunt ex his aliqua, quæ ad conſpicuam, immo ſtupendam magnitudinem excreſcere ſolent, ut inteſtinorum lumbrici lati, qui quamcumque ſerpentem longitudine ſæpe excedunt, differre tamen eos ab his texturæ ſuæ tenuitate & teneritudine. *Vermis* autem nomen deductum ab eo, quod *vere micent*, ipſumque nomen Gallicum *ver*, quo vermem denotant, eſſe ab iſto Latino *ver*, quod vernum anni tempus deſignat. Scilicet minorum inſectorum pleraque auctumno exſpirant, poſitis prius infinitis ovulis, quæ blando verni temporis calore excluſa tunc copioſiſſime producunt prolem parentibus ſimilem.

*) Titulus eſt libro: *de la generation des vers dans le corps de l'homme*, 1701.

§. II.

Modeſta epicriſis.

Quantum quidem aliis ſatisfactura ſit hæc doctrina, ad intelligendum quid vermis ſit, cujuſvis judicio permitto: modo integrum mihi ſit profiteri, quod longe incertior, quam fueram, ab libro Andryano diſceſſerim. Quo enim jure rana inſectis permixta ſit, neutiquam video; longeque minus id intelligo, ſi magnitudo modum ponit, cur ſcorpius inter inſecta majora, limax inter minora, ſeu vermes, deſcribantur, quum unius limacis magnitudo multos utique ſcorpios ſuperet. Etymologiam non ſubjiciam ſerio examini, quod talia, tamquam ingeniorum ſæpe luſus, raro ſuſtinent.

§. III.

Clerici ſententia quæ illuſtratur.

Forte expeditiorem diſputationem reddemus, ſi, quod viro excellentiſſimo D. D. Dan. Clerico placet, rem totam invertamus & vocem *vermis* generaliorem eſſe dicamus, ita ut hoc nomen omnibus inſectorum vermiformium ſpeciebus conveniat. Et ſane acquieſcere liceret, niſi obſcurum maneret, quid ſit *inſectum vermiforme*; adeoque opus eſſet vermis ideam porro requirere, ut quid ſit vermiforme pateſcat. Adii itaque philologos & philoſophos primumque Matthiam Martinium, cujus *lexicon philologicum*, ſub titulo *vermis*, hæc habet: *animalculum repens vi oris.* Hoc ex barbariſſimis temporibus translatum tranſeat. Citat mox Ariſtotelis *hiſt. animal. I. cap. V.* hæc verba: *Vermis id eſt, ex quo toto animal totum, per ſubjecti fœtus formationem incrementumque, gignitur.*

Ariſtotelis definitio.

Fere deſperabam de his verbis, niſi ab interprete ad fontem venire licuiſſet. Intellexi ex vitioſa lectione verſionem bonam fieri non potuiſſe, quam, textu pridem per alios emendato, meliorem hanc, &, ut puto, perſpicuam dat in ſua editione I. C. Scaliger: *Vermis eſt fœtus, ex quo, poſtquam fuerit dearticulatus, & auctus, aliud animal fit.* σκώληξ ἐστὶν ἐξ οὗ ἄλλο γίνεται ζῶον, διαρθρωμένου καὶ αὐξανομένου τοῦ κυήματος. Senſum hunc capio, vermis nomen proprie competere animalculo, quod rudem formam, ſub qua vivere, moveri, cibum capere, augeri, primum conſpicitur, juſto tempore mutat & in aliam transformatur, ut eruca nuper excluſa in chryſalidem, chryſalis in papilionem abit, ut vermis in avellana, poſtquam exemtus eſt, in chryſalidem, inde in muſcam tranſit. Atque ſic patet quid *inſectum vermiforme* debeamus intelligere, ſcilicet animalculum inſectum, ἔντομον, hoc eſt inciſuras & annulos ſuos habens, quod ſub prima hac ſua forma, ex aſſumto alimento, colligit & digerit materiam nutrimentoſam, unde deinceps dearticulari poſſit in novam formam & ultimam ſuæ ſpeciei competentem.

quid inſectum vermiforme.

§. IV.

quod σκώληξ & vermis æquipolleant, probatur a) ex Plinio.

Accurate igitur reſpondere videtur, apud illos utique, quibus cum cura ſcribere animus & facultas fuit, Græcorum σκώληξ & Latinorum *vermis*: quod pluribus oſtendere non gravabor. Primum pro me citabo Plinium, hiſtoriæ naturalis luculentum auctorem, qui paſſim Græcos auctores, quos nec reticet, ſatis fideliter, ſi non ubique feliciter, interpretatur. Is vero *libr. XVII. cap.* 24. quo de morbis arborum agit, Theophraſtum Ereſium manifeſte ſequitur, quod Dalechampius indicat. Ubi vero notatum a Græco auctore ſuo primum morbum, σκωληκῶσιν attingit, reddit eum *vermiculationem*, inque toto illo ſermone tam hoc vocabulo, quam iſtis ſequentibus, *vermiculus & vermiculari*

culari frequenter utitur, quibus Græca σκωλήκιον, σκωληκιᾷν, σκωληκιῶσθαι, σκωληκοῦσθαι exprimit. Alterum adducam SENECAM *natural. quæſt. II. cap.* 31. ita ſcribentem: *in venenatis corporibus vermis non naſcitur: fulmine icta intra paucos dies verminant.* Luculentus eſt hic locus. Loquitur de corporibus animalium fulmine enecatis. Hæc dicit intra paucos dies verminare, id eſt, ut antecedentia docent, vermibus ſcatere. Ut in illis nati ſint hi vermes, nondum nunc quærimus: tales autem eſſe, qui metamorphoſin ſubeunt, & in muſcas abeunt, toto die intuemur. Germani recte, ni fallor, hanc notionem, quæ Græcorum σκώληκι & Latinorum vermi reſpondet, exprimunt vocabulo **Maden.**

) ex Seneca.

§. V.

Sed quorſum hæc de verme diſputatio? Paucis dicam, & ad rem propius accedam. Uſque adeo invaluit hodie vermis nomen, ut etiam ex vulgari ſermone in medicorum ſæpe ſcholas & libros tranſeat, ubi de ingratis vivi corporis hoſpitibus loquimur. Mirari itaque ſubiit, quum CELSUM, SCRIBONIUM LARGUM, PLINIUM, optimos Latini ſermonis auctores, ipſumque CAELIUM AURELIANUM & OCTAVIUM HORATIANUM vermium nomine abſtinere intelligerem; inque Græcis notarem, quod σκωλήκων nomine ad deſignanda animalcula ventris haud abutantur. NICOLAUS quidem PEROTTUS *cornucop. p.* 387. *citat* tamquam CORN. CELSI dictum: *nihil pernicioſius pueris, dum verminant*, quod exponit, *dum vermes habent*: ſed mihi non licuit illud apud CELSUM invenire, unde nec dijudicare poſſum, quo ſenſu dictum ſit, quum *vermina* & *verminare* alio etiam ſenſu dicantur: de quo videſis LINDENII *ſelecta Medica* VIII. §. 43. 44. Merito igitur tranſimus ad illa nomina & loquendi modos, quibus ſchola medica juſtius in hoc argumento utitur: quibus tamen dubii juris quædam intermiſcebuntur, non ſine neceſſaria admonitione.

rmis men an iven at ntris imalis?

§. VI.

Græci, a quibus ars ad Romanos & Arabas, noſque tandem derivata eſt, animalia in corporibus hominum hoſpitantia deſcripturi, vocant ἑλμινθας. Latini auctores medici eadem conſtanter *lumbricos* vocant, aut circumſcribendo denotant *ventris animalia*, *inteſtinorum animalia*, *in inteſtinis animalia nata*; ſæpe ſimpliciter *animalia*, ubi ſcilicet ex contextu ſermonis clarum ſatis eſt quæ intelligi debeant; aliquando *beſtiolas innaſcentes corpori*. OCTAVIUS HORATIANUS, qui idem ſub THEODORI PRISCIANI nomine proſtat, unico loco, qui *lib. II. cap.* 17. legitur, *minutos & tenues vermiculos* vocat eos, qui aſcaridum nomine notiores ſunt; ſed eodem capite *minutos & tenues*, *ut vermiculos*, dixerat, & generali lumbricorum nomine eoſdem comprehenderat: quare ex priori loco dijudicatus poſterior efficit, ut nec hic auctor deſeruiſſe vetuſtiorum veſtigia intelligatur.

i abſti- t Lati- Medici.

§. VII.

Quemadmodum Græci nomen σκώληξ non transferunt ad ἕλμινθας, *lumbricos* denotandos, ſic nec hoc ἕλμινς videmus adhibitum aliis extra inteſtina in nobis natis animalculis indicandis, ſed illa σκωλήκων nomine veniunt: annotante GORRAEO *in definit. medic. voce* ἕλμινθες. Sed JUL. POLLUX *lib. IV. ſegm.* 197. abſceſſus tunicatos deſcribens, inter contenta ipſorum etiam recenſet ἑλμίνθια: quod vocabulum eſt diminutivum ab ἕλμινς. Quum vero is POLLUX medicus non fuerit, ſed Grammaticus, videndum an ſatis accurate uſus ſit illo nomine. Videtur tamen ſequutus aliquem medicum aut chirurgum veterem, & forte PHILOXENUM, quem GORRÆUS in ὀθέρματα citat, quod reperta a ſe animalia intra humorem tunicatorum abſceſſuum prodiderit, culicibus aut exiguis muſcis ſimilia. Sed Græca Philoxeni verba deſidero, & tantiſper in medio relinquo de ἑλμινθίοις Pollucis judicium.

c) ei nomibus ... nctis nitur.

§. VIII.

Progredimur ad conſiderandas ſpecies τῶν ἑλμίνθων, animalium, quæ inteſtinis innaſci ſolent, ut de nominibus, quæ apud Græcos & Latinos nacta ſunt, porro exponamus. Faciamus initium ab HIPPOCRATE, qui libro *de morbis IV. §. XXVII.* duarum meminit ſpecierum ſcilicet τῶν πλατειῶν, *latorum*, & στρογγύλων, *rotundorum*. Rotundum dici, quod teres alias vocamus, manifeſtum puto, *latum* autem, quod non rotundam, ſed compreſſam in planum figuram habet: quem ſenſum inferius adducenda nomina confirmabunt. Eodem loco HIPPOCRATES, aut quiſquis auctor eſt libri, nomen *rotundum* in alium ſenſum determinat. Dicit enim quod lumbricus latus, ſi pharmaco potenter urgeatur, totus rotundus factus ad pilæ formam, prodeat. Hoc autem de accidentali mutatione dictum ad ordinarium ſtatum trahi non debet. Accidentalem quoque qualitatem denotat illud epitheton ἕλμινθος ὑποπαχέος, qualem egreſſum a ſene furioſum quid habente memorat *Popular. IV. Sect. XXIX.* Tertium genus, quod ἀσκαρίδες vocatur, invenimus *aphor. III, 26.* dictum ab agili motitatione, qua ſe verſant: quod intelligimus ex eo, quod HIPPOCRATES *de nat. puer.* fœtibus jam in lucem egreſſuris tribuit τὸ ἀσκαρίζειν, ſeſe agitare; quo fit ut membranæ perrumpantur, partusque ſuccedat. HIPPOCRATI in hoc numero conſentit ARISTOTELES *hiſtor. animal. lib. V. cap.* 19. qui tamen tanquam quartum genus, adjicit, laterum ſcilicet partus, οἷον σικύου σπέρμα, *inſtar cucumeris ſeminis*, qui *cucurbitini* in ſcholis vocantur. Et hos memoravit HIPPOCRATES *de morb. IV.* ſed fœtum eſſe latorum negavit: de quo inferius diſputabitur.

De appellatione lumbricorum latorum. a) apud Græcos.

§. IX.

Latini veteres auctores, ut CORN. CELS. *lib. IV.* 17. lumbricos *latos* commemorat & *teretes*, videturque ſub ultimo nomine complecti ſimul teretes majores, qui nomen illud proprie gerunt, & minores, quibus aſcaridum nomen tribuitur. Aſcaridas apud Dioſcoridem HERMOLAUS BARBARUS *tipulam* vertit, RUELLIUS autem *tineam*: quod utrumque a doctis viris improbatum eſt. Sed *tineæ* nomen etiam apud SCRIBONIUM LARGUM legitur *cap. XXXVI.* & apud PLINIUM & SERENUM SAMMONICUM: quare conſiderandum

b) Apud Latinos.

randum eſt, an ſit lumbrici in genere ſynonymum, an ſpeciem certam denotet. Valde intricatam hanc quæſtionem invenimus, ſed forte extricabilem, aut forte jam extricatam a doctis viris, RHODIO ad SCRIBONIUM LARG. & CLERICO *de lumbr. lato*, *cap. I.* Summa huc redit. Lumbricum latum dicebant Græci a ſimilitudine ταινίαν, quaſi faſciam. Ταινία, anguſtam telam textilem ſignificat, qualibus utebantur feminæ ad veſtes cingendas, capillos religandos, pluresque uſus. Illud nomen etiam in latinum ſermonem migravit, tam ad faſcias denotandas, quam ad lumbricum latum deſignandum. Fuit autem tractu temporis in ore hominum, qui nominis rationem aut ignorarunt aut non attenderunt, corruptum, ut tineam dicerent pro tænia: taudemque ex loquendi uſu etiam in libros migravit hæc nominum confuſio; unde evenit ut aliquando *tinea* legatur, ubi manifeſtum eſt auctorem ſcripſiſſe *tæniam.* Sic SEREN. SAMMONICUS illo capite, cui titulus eſt: *de lumbricis & tineis purgandis*, ſine dubio ſcripſit:

Quid non adverſum miſeris mortalibus addit
Natura, interno cum viſcere tænia ſerpens
Et lumbricus edax vivant inimica creanti?

pro quo tamen editum eſt *tinea*: quod metri ſeveræ leges hic non admittebant. Deinde eo res venit, ut apud aliquos tinea pro lumbrico quovis videatur poni: ut certe ſunt apud PLINIUM & COLUMELLAM, aliosque non Medicos, talia loca, ex quibus hoc ſatis perſpicue elucet.

§. X.

Quid ex Scaligeri mente ſit lumbricus teres.

Antequam longius provehamur, commemorandus etiam nobis eſt magnus ille I. C. SCALIGER, qui ad locum ARISTOTELIS ſupra citatum, (quem in ſua editione exhibet *cap. XVIII. Sect.* 213.) reprehendit THEODOR. GAZAM, quod ἕλμινθας ϛρογγύλας verterit *lumbricos teretes.* Addit rationem cenſuræ: *nam alii ſunt plani, lati, non multum a prole ſua differentes: alii globoſi, quos hic appellat Ariſtoteles* ϛρογγύλους, *alii* ἀσκαρίδες, *qui longi, ſunt figura terreſtrium: ſed differenti etiam, quod aliqui læves, ſunt candidi: aliqui fulvi, piloſi.* Quæ verba, ſi mentem rite aſſequor, id ſibi volunt: Latos ſeu planos prolem emittere globoſam, hancque globoſam prolem nomine τῶν ϛρογγύλων eſſe cenſendam: aſcarides dari majores, lumbricis terreſtribus ſimiles, ſed accidentalibus quibusdam inter ſe differentes: dari vero etiam minores, quibus illud nomen ſchola medicorum reliqua tribuit. Quam diverſus hic ſit Scaliger a cæteris, facile apparet. Mihi hic aquam hærere ſentio, quum requirenti & a doctioribus petenti clara exempla, quod ϛρόγγυλον denotet aliquid *teres* i. e. *cylindraceum*, nondum oblata ſint. Oſtenſa quidem ſunt apud JUL. POLLUCEM *lib. V. ſegm.* 69. 70. ἰσχία ϛρογγύλα, & ϛρογγύλος τράχηλος in deſcriptione leporis: ſed, fateor, ideam cylindri aut teretis non invenio in coxa & collo hujus animalis. Idem quoque *lib. I. ſegm.* 82. ϛρογγύλα πλοῖα, *naves rotundas* memorat. & alibi illarum rectores ϛρογγυλονάυλας: ſed talia navigia opponi *longis* navibus i. e. belli uſibus aptis, & oneribus tantum plurimis ferendis deſtinatas, ideoque ventricoſas fuiſſe, novi. Et forte ideam navigii rotundi in mente habuit Scaliger, non utique rotundi inſtar ſphæræ, ſed ventricoſi, cum qua ſeminis cucumeris convenientia facilius invenitur, ut proles illa latorum lumbricorum, quam pro ϛρογγύλοις aſſumi puto, ſit illud ipſum quod Ariſtoteles οἷον σικύου σπέρμα dicebat. Quod ſi vero omnino Scaliger nec hos cucurbitinos intellexit, neſcio quo pacto ſenſum eliciamus. Maneat itaque & hoc inter cætera intricatæ helminthologiæ ſpecimina repoſitum.

§. XI.

De reliquis lumbrici lati nominibus.

Sed redeo, unde Scaligeri cauſſa tantiſper deflectendum fuit, & lumbrici lati alia nomina ſubjungo. EROTIANUS in expoſitione vocum Hippocratearum affert vocem κηρίαι, quam exponit: κυρίως λέγονται αἱ πλατεῖαι ἕλμινθες *proprie ſic vocantur lumbrici lati.* Eſſe erratum in voce, ſcribendumque κειρίαι, jam dudum monuerunt viri eruditi. Eſt autem κειρία idem quod ταινία, *faſcia*, *inſtita.* Nihil de eo addimus, quoniam nec hodie in exſtantibus Hippocratis ſcriptis illud vocabulum occurrit. Recentioris ævi nomen eſt *ſolium*, quod lumbrici lati ſynonymum habetur, & ad ARN. VILLANOVANUM refertur. Celeberrimus ANDRY Gallicum nomen eſſe *le ſolitaire* ſcribit, quaſi qui ſit unicus in homine. Non licet Villanovanum inſpicere: ſed etymologia ab adjectivo *ſolus* analogiæ parum bene reſpondet. Forte nec in mentem illa venit Villanovano, aut quiſquis primo id nomen introduxit, eſtque ſcribæ vel typographi error, qui pro *ſpolio* ſubſtituit & invexit *ſolium.* Spolium ſerpentis vocatur, quod alias ſenectutem ejus dicimus, quam vere ineunte exuit, & cum nova cute permutat. Cur lumbricum latum aliquis hoc nomine denotandum credere, quin placere ſibi nova hac appellatione excogitata potuerit, inferius patebit, quando PAULI ÆGINETÆ doctrinam retulero. Ab aliquibus etiam *cingulum* vocatam eſſe tæniam reperio: cujus rationem facile licet perſpicere.

§. XII.

Eſſent plura, quæ ad nominis tractationem pertinere videantur: quæ tamen mox, ubi rem ipſam proponemus, commode interſerentur. Tranſimus igitur ad ea, quæ hiſtoricam horum animalium notitiam continent.

CAPUT II.

Continens ea, quæ ad hiſtoriam pertinent.

§. I.

Quorum animalium hiſtoria h. exſpectanda ſit.

PRæmoneo lectorem, parum hic certum exploratumque haberi: quum ad hunc uſque diem nemo fere de hoc argumento ſcripſerit, quin eos, qui ante ſe in eodem verſati fuerunt, reprehenderet. Ac prima quidem diſſenſio eſt de numero ſpecierum animalium, quæ corpora humana occupare ſolent,

lent, quibuſque Græcum nomen ἑλμινς, Latinumque lumbricus competit. In veſtibulo enim diſputationis hujus monendum eſt ranas, bufones, lacertas, erucas, aliaque id genus, quæ in homine fuiſſe deprehenſa ſunt animalia, nunc nondum eſſe in animum admittenda: ſed quando quæritur, quot ſint lumbricorum genera, ad mentem medicinæ ſcriptorum reſpondendum eſſe, dari duo, tria, aut quatuor, quinque vel ſex genera, ab HIPPOCRATE, ARISTOTELE, GALENO, AVICENNA, horumque interpretibus & ſequacibus olim quaſi civitate pathologica donata.

§. II.

Diſſenſus de numero ſpecierum lumbricorum. Si GALENO credimus *in aphor. Hippocr. comm.* 3. *aph.* 26. Hippocrati non niſi duo lumbricorum genera fuerunt nota, ſcilicet *teretes* dicti & *aſcarides*. Negat enim aperte, quod mentionem lati ſeu plani, quam tæniam dici antea ſignificavimus, fecerit. Enimvero in noſtris codicibus HIPPOCRATES ample de lumbrico lato agit *libro IV.* §. 27. Unde plane ſequitur aut non vidiſſe illum librum, aut, quod vero propius eſt, pro non genuino habuiſſe GALENUM. Hippocrati ætate ſuppar ARISTOTELES tres lumbricorum ſpecies cognovit & docuit, cui etiam GALENUS & reliqui Medici acceſſerunt, qui a GALENO diſcedere piaculum credebant. Atque hunc numerum a Græcis ad Arabes perveniſſe reor, ſed ab his ad nos, interpretum varia culpa, dubius rediit: modo enim latos & cucurbitinos a ſe disjunxerunt, tamquam diſtincta eſſent, modo conjunxerunt: itidemque cucurbitinos mox cum aſcaridibus eoſdem fecerunt, alias diverſos computaverunt. Inde igitur natæ ſunt multæ diſſenſiones & varia conciliaturorum ſtudia: de quibus legi poteſt D. D. CLERICUS *hiſt. lat. lumbr. cap. II.* qui idem refert, quod a viro arabice docto intellexerit AVICENNÆ adductum quendam locum, male ab interprete redditum, multis præbuiſſe diſſenſibus occaſionem.

§. III.

Scilicet indubium erat dari lumbricos rotundos palmam aut ſpithamam longos, terræ vermibus ſimillimos; nec dubitabatur de rotundis minoribus, qui aſcarides vocantur: lati etiam admittebantur, ſed de his diverſa tradebantur. Prodire enim eos ſæpe ſeorſim, figuræ compreſſæ, ſemini cucurbitæ ſimiles: aliquando, nec raro, in catenæ formam illos ſibi mutuo colligari & cohærere, ut unum numero animal forment, multorum pedum longitudinem æquans: non raro cucurbitinis multis ſeorſim manentibus circumdari panniculum vel ſaccum eos includentem, quem a ſe conſpectum atque ſimul a ventre rejectum deſcripſerunt, vel ſacculi nomine vel lumbrici lati veterum appellatione impoſita. Tandem vero alii contenderunt ab illa ſerie cohærentium multorum cucurbitinorum diverſum eſſe ſolium, ſeu vermem ſolitarium, verum animal multis articulationibus diſtinctum & longiſſimum. Prodeunt igitur ab auctoribus memorati & deſcripti 1. aſcarides, ſeu teretes parvi, 2. teretes, ſeu rotundi longi, lumbricis terreſtribus ſimiles, 3. cucurbitini, ſeu plani, 4. iidem in longam ſeriem connexi, cingulum ſeu tæniam mentientes, 5. rurſus iidem ſacculo ſuo incluſi. 6. vera tænia, ſolium Villanovani, animal unicum, longum, crebris articulationibus diſtinctum. Atque de his varia & multiplex eſt diſſenſio: longior utique quam ut referri de eo hic ſatis poſſit.

§. IV.

Controverſiæ origo. Controverſiæ origo altius repetenda eſt. Apud Græcos primum, quod nobis deprehendere nunc licet, AETIUS *tetrabib.* III. *ſerm. I.* de lumbrici lati origine ſic docuerat: *eſt latus lumbricus, ſi ita dicere liceat, permutatio pelliculæ intrinſecus inteſtina ambientis, in corpus quoddam vivum, quod continuos ſtomachi morſus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum. Ejus minime fallax ſignum erit, ſi cum recrementis quædam cucurbitæ ſemini ſimilia excernantur.* Prorſus his ſimilia ſunt, quæ PAULUS ÆGINETA *libr. IV. cap.* 57. de iiſdem reliquit. Quumque eruditi oſtenderint primum hunc auctorem medicum ex Græcis in Arabum manus perveniſſe, in eorum linguam translatum; inter ipſos deinde multa ſunt diſputata de lumbricorum latorum natura. Videntur AETIUS & ÆGINETA, inducta illa permutatione pelliculæ interioris inteſtinorum, occaſionem dediſſe latine medio ævo balbutientibus, ut *ſpolium* vocarent illam ita inteſtinis detractam pelliculam: ut *ſectionis* I. §. XI. adduximus: quod nomen deinde mutatum videtur in *ſolium.* Quum vero ſignum ejus certiſſimum legerent excreta cucurbitæ ſeminibus ſimilia: illa alii interpretati ſunt lumbrici lati partus, qui ob defectum alimenti non poſſent enutriri, adeoque cito excluderentur: alii ipſius longioris jam facti, quam ut inteſtina continere amplius poſſent, abrupta fragmenta interpretati ſunt: iterum alii totum lumbricum latum non eſſe unum animal, ſed connexam ſeriem multorum cucurbitinorum, contenderunt, de quorum connexionis modo diverſa tradiderunt. Alii enim communi quadam membrana contineri dicunt, alii morſu præcedentem a ſubſequente prehendi: alii uncis quibuſdam conjungi docuerunt.

§. V.

De lumbrico lato. Lumbricorum latorum incredibilis eſt longitudo a ſcriptoribus medicæ hiſtoriæ annotata. Qui mediocria commemorant, pedum quinque, decem, triginta meminerunt; qui longiſſimum ſcribunt, ad octingentos pedes eum extendunt, eamque menſuram colligunt ex computatis fragmentis, quæ diverſis temporibus prodierunt. Ea autem omnia, multorum annorum decurſu licet ſucceſſive excreta, non plurium animalium ſed unius eſſe fragmenta creduntur, quia antiquitas docuit & aſſeruit tantum unicum hujus generis lumbricum in uno homine eſſe poſſe: pluribus autem alendis non ſuppetere vel locum vel alimenti neceſſarii copiam. Illum autem unum cum homine naſci, eidemque conſeneſcere, niſi medicamentis expellatur integer, HIPPOCRATI, vel quiſquis eſt auctor libri de morbis IV. quem ad hunc referunt, creditur. Figuram multi exhibuerunt; ſed pauciſſimi integram: eorumque, qui vel caput vel caudam exhibuerunt & deſcripſerunt, alii accuſati ſunt, quod ex phantaſia ſua illud, re-

vera non viſum ſibi, ſuppleverint, vel concretum forte mucum, qui exhæſerat extremo, diutius contemplati ad nomen & uſum excogitandum, & animo fingendum revocaverint, deinde pictoris & ſculptoris adjuvante felicitate ita expreſſerint, ut clarius intuentium obtutui ſiſterent, quod ſibi de eo imaginatus quiſque auctor fuerat, lectorique ſuo perſuadendum putarat.

§. VI.

Diſcrepantes ſententiæ de capite hujus lumbrici.

Sic Nicol. Tulpius, ampliſſimus vir, *obſervat. lib. II.* 42. exhibet lumbricum latum, in priori editione 1641. emiſſa bicipitem, quem eundem ſubſequutæ editiones unico capite ſiſtunt craſſo, minori quam craſſities reliqui corporis eſt, & tamquam paſſeris aut alius aviculæ, roſtrato. Vir non minus inſignis Jo. Mich. Fehrius in *analectis de abſinthio*, iconem ponit, cum capite verrucoſo, trium papaveris ſeminum apte conjunctorum formam exprimente, quod ſubjungitur corpori ex latiori ſenſim in anguſtiam excurrenti, quum Tulpianus prope caput craſſus ſit & in cauda tenuetur. Solium D. D. Andry, ſeu lumbricus latus ab ipſo depictus, pariter tenuis & anguſtus eſt circa caput, quod nigrum exhibet, oculis magnis præditum. Ea autem figura, quam Malpighius dedit, tamquam capitis lumbrici lati iconem, prorſus monſtroſa eſt & larvæ humanam faciem mentienti ſimillima. Ab his omnibus ac ſingulis diverſiſſima eſt, quam D. D. Clericus a ſe viſam delineari curavit & *tab.* VIII. *figur.* 5. & 6. exhibuit, figura capitis ejuſdem lati lumbrici, cui chelæ cancrorum ſimile roſtrum prætenditur. Caudam idem Clericus ſibi accurate viſam exhibet, ex latiore corpore in anguſtum filum, tandemque in tenuitatem capillarem deſinentem: qualem ante ipſum neminem vidiſſe vero ſimillimum eſt, quum nemo deſcripſerit.

§. VII.

De corpore lumbrici, ſecundum Tyſonem.

Quantum in capite delineando a ſe invicem recedunt auctores, tantum etiam in reliquo corpore diſcrepant. Aggreſſi ſunt iſtud examen propiori & partim noſtra ætate doctiſſimi viri, anatomicæ diſciplinæ laude alias florentes, aut a florentibus & microſcopiorum apparatu inſtructis adjuti: quorum potiores attingere oportet. Eduardus Tyson, Med. D. & Collegii Medici Londinenſ. nec non Reg. ſociet. ſoc. dedit diſſertationem de verme annulato, a juvene quodam Londini excreto, viginti quatuor pedes longo. Obſervat ille articulos vermis in medio ejus corpore eſſe majores illis, qui prope caput vel caudam accedunt: ſuperioris articuli limbum inferiorem ſuperſcandere ac quaſi intra ſe recipere inferioris & proxime ſubſequentis limbum ſuperiorem: idque probe obſervandum eſſe, ne caudam pro capite accipiamus, quod Spigelio ita accidiſſe docet: forte etiam Fehrio, ut figura ipſius fidem facit. Cuilibet articulo ſuum os eſſe proprium. Scilicet circa mediam partem limbi uniuſcujuſque annuli orificium apertum, in tuberculo quopiam prominente, nudis oculis conſpicuum obſervari, quod ſetam porcinam facile admittat. Tubercula hæc modo ad annuli dextrum latus, modo ad ſiniſtrum, alternatim eſſe poſita: rarius ſibi viſum eſſe, quod in duobus annulis ſeu articulis orificia hæc ſeu tubercula ab eodem eſſent latere. Conſequitur itaque ut lumbrico tali plura ſint ora, quam Briareo manus, aut Argo oculi, poetarum fabulis affinguntur.

§. VIII.

Ejuſdem Tyſonis de capite lumbrici doctrina.

Caput hujus animalis ex homine non vidit, ſed in canibus repertorum lumbricorum capita requiſivit, inventaque vidit duobus ſpiculorum humatorum ordinibus inſtructa, quorum majora, e centro orta ad circumferentiam inde ferebantur, alia vero ſupra centrum originem ſuam habentia prioribus breviora erant. Nullum vero oris vicem gerens detegere valuit orificium: veroque ſimile ipſi & aliis, qui conſideraverunt, viſum fuit crinoſa illa ſpicula idem huic lumbrico officium præſtare, quod ricini a pedibus ſuis habent, ut nimirum illis fortius inteſtino inhæreſcens, alimentum reliquis oribus, in medii articuli limbo obviis, facilius ſugat, nec perpetuo ab impulſu affluentium excrementorum fluctuet. Eiſdem ſpiculis profundius adactis efficit intolerabiles dolores: ut & ob fortius impactum caput accidit, ut raro integer tractus expellatur, omniumque rariſſime caput excretum appareat. Ore autem in capite non eget, quum quilibet articulus proprium ſibi os habeat, ex quibus magna chyli copia premendo ejici poſſit, unde etiam fiat ut quivis articulus abruptus vitam per ſe diu poſſit producere & alimentum neceſſarium haurire. Quin prorſus ipſi videtur lumbricus latus aliquod Zoophyton, conveniens cum geniculatis plantis quibuſdam, quarum ſinguli articuli ejuſdem generis plantam facile producunt.

§. IX.

Andryi doctrina de ſolio ſuo.

Poſt D. D. Tysonem ſcripſit D. D. Nicol. Andry, Medicus Facultatis Pariſienſis; cujus doctrinarum aliquas præcipuas decerpemus. Statuit duplex tæniarum genus: alteram, proprie hoc nomen gerentem, nec caput formatum nec motum nec mammillas habere: alteram, cui *ſolium* nomen eſt, moveri & caput habere optime formatum, verrucam quadantenus referens. Solium in pyloro nutriri, & exinde ad omnia porrigi inteſtina. Soliorum genus aliquod, ab hoc diverſum, Spigelius delineavit, in quo medium corpus longa ſpina, nodis ſeu articulis conſtante, a ſummo ad imum tendente, dividitur. Illud autem, quod ipſe delineavit, caret illa ſpina, limbi vero inter ſingulos articulos mammillæ ſpecie aliqua donantur, in cujus extremo orificium apparet, in quo vas quodpiam, colore ad cæruleum vergente, uſque ad mediam corporis latitudinem porrectum, diſtinguitur. Putat in capite ſe vidiſſe quatuor oculos, quos tamen D. Mery pro naribus habere maluit. Protuberantiæ illæ mammillares in Andryano ſolio non erant alternatim diſpoſitæ, ut Tyso de ſua tænia annotavit; verum ita inæqualiter, ut tres ab una parte, duæ ab altera, unica hinc, duæ vel tres illinc exſtarent. Videntur autem illarum mammillarum orificia non ora eſſe, ſed toti-

totidem foramina quibus aer ad pulmones & trachæas internas ducatur.

§. X.

De ſtru- ſtura ſolii Andry- ani.

Interna ſolii ſcrutaturus D. ANDRY, ſocios habuit viros rei anatomicæ gnariſſimos, & hos inter D. MERY. Nihil, vel admoto microſcopio, invenire potuit ſtructi vel organici: magnam autem congeriem corpuſculorum globuloſorum, milii granis accedentium, rotundiſſimorum, quæ plane æquabant acervum ovorum in cyprinis occurrentium, detegebat: quæ ova in hominis inteſtina deponi & augeſcere, ſed quod non inveniunt nutritionis neceſſariam copiam, ab excrementis continuo abripi & extra protrudi, exiſtimat. Ipſum ſuum ſolium in pyloro nutriri tradit, ibique collum cum capite condere, ut delibatiſſimam chyli partem, ante quam ad lactea perveniat, aut bili commiſceatur, abſorbeat. Cæterum ſolium hoc unum tantum animal ſolumque fuiſſe inde concludit; quod jam extra abdomen ſubſiſtens ſatis vegete ſeſe moverit: quum impoſſibile ſit ut plures vermes, catenatim juncti, ita ſe moveant, ut veluti arcuati appareant, & catenæ ab ipſis formatæ poſteriores partes capitis collique motum ſequantur.

§. XI.

Valliſnerii doctrina in pleriſque contraria.

Andryanam tractationem excepit celeberrimus Italiæ Medicus D. D. ANT. VALLISNERIUS, qui 1710. Italica lingua de origine vermium humani corporis ſcriptum edidit, eoque omnium, qui ante ſe idem argumentum tractaverant, induſtriam poſt ſe longo intervallo reliquit. Occaſionem ſuppeditavit mulier Ebræa. Hæc tunc gravida a commotis lumbricis abortum, quem ſæpius paſſa fuerat, metuebat. Non ſolum per alvum reddebat; ſed evomebat ſubinde vermes, tam ſolitarios, quam in catenæ modum junctos, Andryano ſolio ſimillimos. Totus in eo eſt, ut oſtendat lumbricum latum, quem ſolii nomine appellant, non eſſe unicum animal, ſed catenam multorum ſibi arcto, ſolubili tamen, nexu junctorum. Quilibet annulus ſeu articulus illius catenæ eſt lumbricus, materia membranoſa, molli, alba, ſplendente, flexibili & lubrica conſtans. Quiſque eorum, inquit, parte ſua ſuperiore anguſtior eſt, quam parte inferiore. In ſingulorum vero utroque latere ſuperiore aſſurgunt duæ minimæ prominentiæ, quæ digitis ſubtus preſſæ cornicula quæpiam, ſeu uncinos, microſcopii ope conſpicuos, promunt; hiſque uncinis tenaciter uniuntur parti inferiori antecedentis annuli, ſeu vermis, quæ ſcilicet alius vermis pars poſtica eſt, cui inſculpti ſunt ſcrobiculi quidam, corniculis unciniſve recipiendis apti. Cujuſlibet annuli partes laterales criſpæ vel rugoſæ quadantenus ſunt, atque ex earum medio oritur quædam veluti mammilla, cujus centrum meatu facile viſibili perforatur.

§. XII.

Singulos articulos ſingula animalia eſſe.

Motum edebant tam majora catenæ talis fruſta, quam ſinguli ejus articuli, ſive ab Ebræa ſic ſeorſim excreti, ſive diſtrahendo ſeparati. Tabulæ enim impoſita progrediebantur. Si objiceretur obſtaculum viæ, converſa fibrarum ſuarum contractione remeabant, non ſecus ac de amphisbæna legimus, quod æque expedite antrorſum quam retrorſum pergat. In humido diutius quam in ſicco durabant. In mortuis & quadantenus ſiccioribus conſpiciebantur ramuli ſplendentes candidiſſimorum vaſorum, quæ microſcopio viſa & obſervata exhibet D. D. CLERICUS tabula II. quæ tota Valliſneriana obſervata ob oculos ſiſtit. Negat tali cucurbitinorum catenæ vel caput, vel caudam, vel ductum quendam communem eſſe omnibus aut pluribus: conſequitur inde vanum eſſe, quicquid vel de oculis vel naribus ipſorum diſputatur. Ova in illis frequentia eſſe & ipſe comperit. Ea autem deponi quidem & inflari; nihil autem progenerari inde falſum putat. Progenerant utique ſui ſimilia animalia, quæ catenæ longius producendæ inſerviunt. Solium Andryanum caput per pylorum porrigere, ut chyli florem decerpat, fictitium eſt, ſponteque cadit, ubi nullum caput eſt. Et quo pacto hauſiſſet, ubi nullus obſervatus in credito capite hiatus fuit, qui pro ore eſſet: nullus communis ductus, qui ad ſingulos perducere poſſit.

§. XIII.

Docet porro celeberrimus D. D. VALLISNERIUS illud foramen, quod in ſingulorum articulorum alterutro limbo, mammillæ inſtar extanti protuberantiæ ineſſe apparet, non oris vicem gerere, quod TYSONI placuit, non reſpirationi inſervire, quod ANDRYO viſum eſt, ſed potius eſſe podicem animalis. Verum os ejus, quod & illuſtri MALPIGHIO viſum fuit, eſſe in parte lumbrici anguſtiore, inter deſcriptos uncinos, in eorumque meditullio ſitum. Quumque difficile videatur intellectu, quo pacto per hoc os nutriri lumbricus poſſit: declarat vero admodum ſimile ſibi videri, quod hæc ſingula animalia non perpetuo ſibi mutuo adhæreſcant, ſed potius ſubinde paſtus cauſſa ſe invicem dimittant; tunc autem potiſſimum in catenæ modum ſe jungant, quando fugam meditantur, quale quid aliis etiam animalibus e propria ſede migraturis uſu venit. Sic ÆLIANUS *hiſtor. animal. lib. V. cap.* 22. obſervat mures, flumen trajicere volentes, caudis ore mordicus inter ſe apprehenſis, longo jungi agmine, ſicque rapiditati fluminum facilius reſiſtere junctis viribus. *Quale os ſit, quis podex animalium horum.*

§. XIV.

Singularem quoque meretur attentionem, quod eadem Judæa, quæ D.D. VALLISNERIO ſuppeditavit illos, in quibus obſervationes inſtituit, lumbricos, alio tempore ſine magno dolore, ſed maximo terrore ſuo, excreverit ſubſtantiam tamquam faſciam duplicatam, omni parte clauſam, craſſam, lubricam, diaphanam, mucilaginoſaque membrana contextam, duos pollices latam, duobuſque cubitis longiorem, cavam interius, quæ in cavo ſuo continebat innumeros lumbricos cucurbitinos, at ſolutos, minimeque ſibi invicem cohærentes. Credebat inteſtini longiſſimum fruſtum ſibi excidiſſe, adeoque Medicum, qui ſpectaculo ſtupebat, advocabat, D. D. TOR- *Valliſnerius vidit ſacculum lumbricis repletum.*

Torquatum. Similem huic ſaccum ipſe Vallisnerius in alia Judæa oculis ſuis vidit. Olim ſimilem conſpexit Gabucinus, qui talem ſaccum aut tubulum pro lumbrico lato veterum perperam habuit. Illuſtris Lancisius polypum fiſtuloſum, ex concreſcibili inteſtinorum ſucco enatum, rebatur; cui accedit Vallisnerius, quamquam judicandum lectori ſuo permittit, annon forte lumbrici ova ſua deponentes ſimul emittant tenacem glutinoſam materiam, quale quid in multis piſcibus & animalibus aquatilibus obſervatur.

§. XV.

Clerici noviſſima de lumbrico lato doctrina.

Hactenus retulimus, quæ illuſtris Vallisnerius in Tysoniana & Andryana doctrina, de lumbrico lato, tænia ſeu ſolio, emendaverit, & quam feliciter nobis cucurbitinos lumbricos, tantum non pro figmento Arabum habitos, reſtituerit. Subjiciamus illico doctiſſimi D. D. Clerici de his animalibus ſententiam. Concedit ſic feliciſſime refutatum eſſe eorum errorem, qui *tæniam ſecundam* Plateri, quæ Spigelio *degener tænia* dicitur, pro uno animali habuerunt. Sed non vult permittere, ut pro fabuloſa habeatur *tænia* Plateri prima, quam frigidioribus regionibus longe familiarem eſſe ſecunda aſſerit. Sibi hanc ſecundam, ſeu degenerem, ſemel tantum viſam fuiſſe in muliere ex Occitania advena: ſed alteram, quæ Plateri prima eſt, non minus collegis, quam ſibi, ſæpius obveniſſe ſpectandam: mediciſque Bernenſis tractus, Baſileenſibus & Tigurinis ſatis crebro offerri. Arabes autem, Græcos, Italoſque illorum non facere mentionem, non debere mirum nobis videri, quum calidiorum climatum incolis id genus non innaſci videatur. Nova itaque attentio afferenda eſt, ut noſcamus naturam tæniæ, qualem D. D. Clericus vidit, & ante eum Platerus primo loco deſcripſit.

§. XVI.

Credit ſe vidiſſe veram tæniam, unicum animal prælongum, capite & caudapræditum.

Nolumus decerpere quos laudat *cap. VII.* initio auctores, de eadem loquutos: ſed feſtinamus potius, propter dicendorum, quæ reſtant, multitudinem, ut ſummam doctrinæ paucis complectamur. Tæniæ nomen hic lumbricus ſolus jure gerit impoſitum: ſiquidem albas lineas, faſcias, quibus infantes involvuntur, plurimis lineis tranſverſis per æquabile intervallum ex goſſypio intertextis, exacte refert: medio ſuo corpore digitum latus eſt, ad caudam vergens paulatim anguſtior evadit: albus eſt multiſque internodiis ſeu articulis præditus. Articulorum ſeu geniculorum inſertio talis eſt, ut inferior ſuperiorem ſubeat, ſuperior ſequentem ſuſcipiat: ex quo fit ut a parte ſuperiore ad inferiorem manu ſuper corpus ejus ducta, inſtar anguillæ lævis & lubricus videatur, contrario modo tractatus aſperitatem aliquam offerat. In hoc genere tæniarum non adſunt iſtæ in alterutro latere ſuperius notatæ mammillæ: totam autem ſubſtantiam ejus perrepit tubulus in multos ramos laterales, totum lumbrici corpus obſidentes, diviſus. Hic alimentarius canalis ſeu inteſtinum illius lumbrici videtur. Enimvero de hoc tubulo, quod non diſſimulandum eſt, admodum titubanter ſcribit Vir celeberrimus, ſeque excuſat hunc in modum: ſat frequenter ipſum inſpexi, ut varia in eum experimenta dudum facere potuerim: ſed de iis faciendis tum duntaxat cogitavi, quum de eo ut ſcriberem nuper in mentem venit: & neſcio quo fato, vermis ejuſdem fruſtum unum aut alterum ab eo tempore ad me delata quidem ſunt, ſed ita affecta, ut partes eorum omnes, tubulum inprimis alimentarium, de quo jam quæſtio eſt, commode perfecteque retegere nequiverim. Hoc igitur, tamquam præcipuum in hac re momentum, alius viri induſtriæ reſervarum manet, cui fortuna occaſionem æque crebram, ac D. D. Clericus ſe ſe habuiſſe ſcribit, oblatura eſt.

§. XVII.

Deſcriptio capitis & caudæ.

Interim gratiæ habendæ ipſi ſunt, quod tæniæ caput & caudam accurato ſtudio conſideratum deſcripſit pingique curavit. De capite ſic ſcribit: plagula ſuprema cæteris inferioribus plagulis non modo rotundior longiorque, ſed & paulo craſſior apparebat, atque tribus præterea lineis albeſcentibus longis ſeu rectis, quæ alibi non occurrebant, inſignita erat: ſinus profundus inter duas utrinque exſtantes prominentias acutas, tamquam totidem cornua, notabatur, e quarum ſingulis acutiſſimus apex oriebatur, filum quoddam tenuiſſimum crinemve referens. Idem in vini ſpiritu quadantenus exſiccatum, abſorpta humiditate ſuperflua, oſtendit Medicis Genevenſibus. Valde accedit ad ſimilitudinem capitis, quod gerit vermis ille, quem Goedartius *erucarum hoſtem* appellavit. Conferatur *Tab. VIII.* operi ejus adjecta. Sed ad caudam progredimur, quam *Capite VIII.* deſcribit. Excrevit eam vir LXVI. annos natus, qui a decem annis multa fruſta lumbrici lati dejecerat, ſemper capite & cauda reſtitantibus, donec in ipſo mortis articulo extremum fruſtum, quod cauda erat, excrevit. Erat ad minimum decem pedum longa portio. Caudæ principium illud ſtatuebat, ubi latera æqualia nec amplius ſerrata fieri incipiebant. Atque ab illo termino, ad totalem finem, duos amplius pedes longa hæc cauda fuit. Deſinebat in tenuiſſimum filum, pedis unius menſuram ſuperans, adeo ſubtile ut capillum tenuitate ſua æquaret. Quanta autem longitudo inter caput & caudam interceſſerit, id determinatu omnino impoſſibile videtur.

§. XVIII.

Dubia in Tyſonii & Andry doctrinis

Hactenus hiſtoriam unius lumbrici lati perſequuti ſumus, facileque intellexiſſe ex allatis lector poteſt, quam non conveniat inter Medicos, etiam recentiſſimos, de hoc animali. Potiora diſſenſus momenta paucis ſubjiciam, ante quam ad reliqua progrediar. D. D. Tyson & D. D. Andry, ambo docti clarique viri, ſuum quiſque, quem deſcripſit, lumbricum habuit pro animali unico. Tyſon fatetur in reliqua natura ſimilem ipſi non obvenire, creaturam ſcilicet animatam tot oribus conſtantem, quæ non per os in capite apertum alimentum hauriat, ſed in quovis annulo os habeat. Merito videtur ipſi objectum, cui uſui tot ora ſint animali, quod nullum habeat exitum, per quem reddat aſſumta. Idem non injuſtam ſuſtinet ſuſpicionem,

nem, quod illud, quod in lumbrico canino pro capite habuit, minus recte conſiderarit; uncinumque extremi lumbrici cucurbitini ſolum conſiderans, neglexerit idem in quovis cunque articulo ſeparato intueri. D. D. ANDRY videtur præoccupatus fuiſſe perſuaſione illa, quod *ſolium* nomen habeat, tamquam ſit in homine *ſolitarius*. Habuit itaque pro uno animali, cui capite omnino opus ſit: idque pingendum curavit, & in eo oculos videre ſibi viſus fuit. Quum vero caput & oculos complures notaſſet, nullum autem os; inſuperque negaſſet mammillas illas Tyſonianas oris vice fungi: dubium relinquit lectorem, per quas vias alimentum ſubeat. Neceſſarium autem eſt credi, illud per os in capite patens intrare, quum doceat illum per pylorum caput in ventriculum extendere, ut puriſſimum & bile nondum permixtum chylum hauriat.

§. XIX.

Alia dubia de Andryano ſolio.

Non potuit hoc vidiſſe in homine, qui ſolium ab ipſo deſcriptum excreverat. Exiſtimo autem canes ipſi has cogitationes ſubjeciſſe. Scilicet memini quod in prælectionibus Ex. D. D. SCHULZII, Præceptoris piiſſime colendi, audiverim, ſe ante hos quindecim annos ſecuiſſe canem venaticum magno ære emtum, ſed valde deinceps emaciatum, ut vix incedere amplius valeret. Quare ipſum dominus ejus exercitiis anatomicis permiſit. Erant per inteſtina ſuperiora lumbrici lati ſeu tæniæ ad minimum decem, tres pedes longi, qui ſinguli per pylorum in ventriculum, ejuſque partem, quam WILLISIUS antrum pylori dixit, arrecti eminebant. Sed &, ne interrumpam ejus obſervationem, prope ilei finem longe plures erant tæniæ juvenes, longe illis ſuperioribus minores, pedem longæ & toto reliquo habitu tenuiores ac teneriores illis per pylorum protenſis. Porro quum D. D. ANDRY pro certo aſſumſiſſet, ſolium in quovis homine, quem obſidet, eſſe & manere ſolitarium, fieri non poterat, quin aſſereret ova, quæ in ipſius interaneis plura conſpexerat, deponi quidem & inflari, ſed abripi per excrementa & excludi, abſque eo, ut animal inde procrearetur. Quumque ſemel admiſiſſet, quod capite ſuo per pylorum exſerto chylum puriſſimum hauriat: non poterat mammillas Tyſonianas, pro tot oribus habitas, non revocare ad alium uſum, ſcilicet ad reſpirationem: in quo ipſum ſecuriorem fecit MALPIGHIUS, qui inſectis multas tracheas eſſe docuerat.

§. XX.

Valliſnerius clariſſima docuit: ſed Clericus nova dubia injecit.

Parum abeſt, quin illuſtris D. D. VALLISNERIUS Phyllida ſolus habere in hoc certamine meruerit. Sane facillima eſt ejus doctrina & planiſſima; noſque magno ulterius inquirendi labore levaret, niſi celeberrimus D. D. CLERICUS novas difficultates nobis objeciſſet. Dolendum tamen, quod de ſacco, cucurbitinis lumbricis pleno, nos non plenius edocuit: ſed multa ſunt viris occupatis, peregre profectis, impedimento, quo minus omnibus poſſint ſatisfacere. D. D. CLERICUS rem ſane magna conſideratione dignam proponit, quod climata frigidiora a calidioribus diverſa ferant. Quum vero in Batavis & Dania dari tænias, ad normam doctrinæ Valliſnerianæ judicandas, permittat: ubi cælum longe magis, quam apud Genevenſes & Helvetios frigidum eſſe indubium eſt: aſſertionis ejus univerſalitati multum ſane derogari exiſtimo. Optabunt ſine dubio omnes, ut in iiſdem regionibus viventes docti Medici omnem operam impendant clare ac indubie oſtendendo illi communi per totum tæniæ, quam PLATERI primam aiſeruit, corpus excurrenti, ſinguliſque articulis alimentum afferenti ductui: nam ex eo videtur totius controverſiæ deciſio pendere. In capite potuit aberrare & falli, uncinis ſuperioribus, quum nihil haberent, quod apprehenderent, ita contractis, ut duo cornua viderentur. Quæ cauda ipſi viſa fuit, ab homine moribundo & multis purgantibus medicinis exercito, tandem excluſa, potuit fuiſſe ſeries cohærentium cucurbitinorum, medicinæ viribus diu antea enecatorum & tabefactorum, unde ad tantam exilitatem fuere redactæ.

§. XXI.

Hiſtoria lumbricorum teretum & aſcaridum.

Supereſt ut hiſtoriam lumbricorum teretum atque aſcaridum paucis ſubnectamus: tandemque de reliquis animalibus, in hominum corporibus frequentius repertis, quædam ſubjiciamus. *Lumbricorum teretum* maximus & familiariſſimus eſt proventus. Etiam horum quidam prægrandes & robuſti notantur, quos *ligulas* dixerunt auctores quidam, prorſuſque tæniarum familiæ adjunxerunt: forſan ex eo, quod tineas cum tæniis olim confundere fuerunt ſoliti. Memorantur pedem longi, cornuti, villoſi, fulvi, ſanguinei. Ordinaria magnitudo eſt palmus ad ſeſquipalmum. Exterius conſiderati ſic ſatis videntur ſimiles illis terræ viſceribus, ſeu lumbricis terreſtribus: ſed interna non omnino convenire docuit REDI apud D. D. CLERICUM pag. 218. ſeqq. adductus, cui addenda ſunt apud eundem obvia VALLISNERII ad hanc conſiderationem anatomicam ſupplementa p. 222. exhibita. Plerumque obſident inteſtina tenuia: non raro ad ventriculum divertunt. Nec parva ſunt, quæ corpori afferunt damna, quum ſæpe inteſtina perforent, neque raro viſi ſint qui vel per umbilicum, vel per inguen exitum ſibi paraverint, etiam ſuperſtite homine, cui tantam injuriam ingratiſſimi hi & nequam hoſpites intulerunt. *Aſcarides* in extremo craſſorum inteſtinorum potiſſimum hærere hinc cognoſcuntur, quia moleſto pruritu inducto præſentiam ibi ſuam quam maxime manifeſtant. Vix digiti lati longitudinem excedunt, ſuntque albiſſimi & agiliſſimi, unde etiam nomen accepiſſe apud Græcos videntur.

§. XXII.

De aliis, præter lumbricos, hoſpitibus ventris humani.

Tandem quoque in hominum inteſtinis hoſpitari viſa ſunt alia animalia, ab ordinariis illis, hoſtibus an hoſpitibus dicam, diverſa, ut *hirudines*, *ranæ*, *bufones*, *lacertæ*, *ſcarabæi*, *eruciformes*: cujus generis multa exhibent MARC. DONATUS de *med. hiſt. mirabil. IV. cap.* 26. SCHENCKIUS *obſervat. medicinal. lib. III. p.* 416. *ſequ. Ephemerides Acad. N.C.& Annales medico-phyſici Vratislavienſes*: unde excerpta, quæ ad manus ſunt, huc transferre nimis longum foret: tempe-

ſtivum enim nunc videtur tranſire tandem aliquando ad illam diſquiſitionem, quæ & lumbricorum originem quærit & nocendi varios modos exponit.

CAPUT III.

Tradens ea, quæ pertinent ad originem lumbricorum, aliorumque ventris humani hoſpitum, & ad illorum moleſtos noxioſque effectus.

§. I.

Lumbricorum originem ex putredine docent Hippocrates & Ariſtoteles.

De vermium & inſectorum omnium origine, non ſolum de lumbricorum, qui corpus humanum infeſtant, primo ortu, jam olim diſputatum eſt, neque in hunc uſque diem uno omnes ore de hac re philoſophantur. Paucis non agemus de re abſtruſiſſimæ cognitionis, potiuſque referemus quid magnis olim viris placuerit, quam quid nobis ſit compertum. Aristoteles *hiſt. animal. V. cap.* 9. lumbricos in genere refert ad animalia ἔντομα *inſecta*, eaque non a congeneribus genita ἀλλ' αὐτομάτως γινόμενα ſua ſponte prognata, aut, ut noſtra ætate ſcholæ loquuntur, æquivocæ generationi ortum ſuum debentia. Ejuſdem ſententiæ fuiſſe deprehendimus auctorem libri *de morbis IV.* cui inter Hippocratea ſcripta locus datus eſt: quamquam primo intuitu diverſum ſentire videatur. *Aſſero*, inquit, *lumbricos latos in puero, dum adhuc in utero eſt, naſci.* Hæc verba lucem accipiunt ex ſequentibus: *multa naſcuntur, dum puer in utero eſt, hoc modo: ubi ex lacte & ſanguine computreſcente ac redundante, utpote quod dulce eſt, pus factum fuerit fervidum, animal iſthic generatur. Naſcuntur autem & rotundi lumbrici iſthic eodem modo.* Fundamentum aſſerti ſui tale prodit: *poſtquam in lucem editi ſunt pueri, mulieres ipſis in cibo offerunt medicamenta, quo ſtercus ex inteſtino exeat multique ſane tunc pueri & rotundos & latos lumbricos una cum primo ſtercore excernunt.*

§. II.

Theophr. Ereſii curioſa opinio de lumbricis ſecundum nationes diverſis.

Curioſior in hoc fuit Theophrastus Eresius *hiſtor. plant. libr. IV.* circa finem, quem excerpſit Plinius *libr. XXVII. cap.* 13. cujus hæc ſunt verba: *Sunt & gentium differentiæ non mediocres: ſicut accepimus de tineis lumbriciſque, ineſſe Ægypti, Arabiæ, Syriæ, Ciliciæ populis: e diverſo Græciæ Phrygiæ omnino non innaſci.* Minus id mirum, quam quod in confinio Atticæ Bœotiæque Thebanis innaſcuntur, quum abſint Athenienſibus. Nititur quidem Dalechampius hunc locum trahere ad dracunculos ſeu venam Medinenſem: ſed omnino infeliciter, præſertim quum Theophraſtus de lumbrico lato hoc diſerte prodat. Credo autem manifeſtum illud conſequi, quod ex hac doctrina amplius quid cogitandum relinquatur, quam ortus ex ſola putrefactione, ſupponatque aliquid organicum, quod a parentibus in generatos quacunque ratione propagetur. Ut huic obſervationi aliquid tribuendum exiſtimemus, facit recordatio quod ſupra ſæpius laudatus Vallisnerius ſuas obſervationes de lumbrico lato ſere tantum ex Ebræis habuerit: de quibus diſerte aſſerit, quod in hac gente frequentiſſimus ſit: & quod pariter a nobis ſæpe laudatus D. D. Clericus contenderit tæniam, quam dixit Spigelii degenerem, Platerique ſecundam calidioribus regionibus eſſe peculiarem: uti alteram, quæ Plateri prima eſt, Helvetiis aliarumque frigidarum regionum incolis vindicatum ivit.

§. III.

An ſemel in nobis nati lumbrici generatione propagentur?

Ita de prima lumbricorum origine Veteres diſſenſerunt. Sed non minus in diverſa abierunt circa illam quæſtionem decidendam, an ſemel in ventribus genita hæc animalia, ſui ſimilia procreent. Hippocrates, aut auctor libri ad ipſum relati, rotundos parere dicit, de latis autem negat, & aſſerentibus contradicit: quamquam concedit talem lumbricum alentes crebro per alvum excernere aliquid cucumeris ſeminibus ſimile: de quo ita ſentire videtur, ut non habeat excretum hoc pro fœtu animalis, ſed pro fragmentis animalis longioris jam facti, quam ut inteſtina capere & includere amplius queant. Ariſtoteles contra ſentit quod ſoli lati aliquid generent cucurbitarum ſimile. Quid Aetio & Paulo Æginetæ in mentem venerit de latorum lumbricorum origine ex tunicæ inteſtinorum interioris ſeceſſu, & putrefactivi caloris virtute vivifica, ſuperius vidimus, neque recoquere nunc juvat. Atque ſic ex principiis de generatione æquivoca primum fere ortum explicabant, propagationem vero per generationem univocam plerique admittebant. Quam larga hinc ſeges quæſtionum, ſed a foro medico alienarum ſuborta ſit, cogitari facile poteſt: quæ ſi quis perluſtrare deſiderat, abunde multum, ni forte ad nauſeam multa, legere poteſt apud Petrum de Apono *Conciliatr. differ.* 101. & Hieron. Mercurialem *de morbis puer. lib. III.* qui totus lumbricorum doctrina conſtat.

§. IV.

Difficultates in generatione univoca intelligendæ.

Quum noſtra ætate generatio æquivoca fere reprobetur, & pro univoca omnes certent, maxima difficultas ingeniis nobiliſſimis objecta eſt, unde derivata ſint in hominem, lumbricis obnoxium, ova illa aut ovum illud, ex quo prima pullities venit. Tanto difficilius hæc quæſtio ſolvitur, quum extra hominis, aut animalium inteſtina nondum reperti ſint lumbrici vel teretibus vel tæniis hominum exacte ſimiles. Nam quantum ad teretes lumbricos pertinet, accuratiſſimorum virorum obſervationibus, etiam microſcopiorum ope facti cognitum eſt, quod teretum humanorum, eorumque qui lumbrici terreſtres vocantur, diverſa cum in aliis ſtructura ſit, tum in his maxime quæ ad organa generationis pertinent. Latorum autem lumbricorum, ſi ad normam illius ideæ concipias, quam nobis Plateriana tænia prima & Clericana ſiſtit, exemplum nullum in tota rerum natura ſuppetit ſimile, ſi extra animalium corpora requiras. Et inter ipſa animalia, quibus tæniæ ineſſe fuerunt cognitæ, magna deprehenſa videtur differentia, ut nemo impune paſſus ſit a lumbrico lato canum, ad eundem in homine, concluſionem firmam fieri: multoque

que minus fidem invenerit LEWENHOECKIUS obſervationibus ſuis e piſcium diverſis generibus, ſi ad hominem transferri deberent.

§. V.

Lumbrici, certis temporibus magis frequentes ſunt.

Nolo huc referre capita argumentorum, quæ ab utraque parte proferri ſolent, ſed potius Medica inquiſitione digniſſimam utique rem, quæ facti eſt, commendabo. Scilicet diu obſervaverunt medici, quo tempore morbi populariter graſſantur, alterum ex duobus, aut exanthemata, aut lumbricorum pullitiem, in ægrotantibus, ſæpe autem utrumque ſimul, enaſci. Graviter de eo admonuit Medicorum Galliæ non poſtremum decus NICOLAUS CHESNEAU, cum alibi in obſervationum libris, tum præcipue *libr. III. cap.* 8. quo de lumbricis ex inſtituto agit. Quid vero eſt cauſſæ, cur hæc ita eveniant? An extra nos vagata ovula inferuntur & cito exclusa lumbricis inteſtina implent; an in nobis jam antea contenta ova, ex aere demum vivificantur; an ipſa animalia inſciis nobis adfuerint, & aeris epidemia malignitate offenſa nunc demum inquieta redduntur & ad exitum quærendum compelluntur? Si extra hominem in aere vagantur ovula, & per aerem afferuntur, unde quæſo in aerem fuere immiſſa, quum nondum extra hominem ſimilia humanis lumbricis inſecta fuerint inventa, etiam a ſagaciſſimis harum rerum ſcrutatoribus. Nam quod aiunt aerem ſeminibus multorum animalium vegetabiliumque perpetuo ſcatere & repletum eſſe, non ſufficit: quum non ex quolibet ſemine quodlibet animal gignatur; ſed perpetua & conſtantiſſima naturæ lex ſit, ut ovulum cujuſvis animalis idoneo loco ſuſceptum excludat ſuæ ſpeciei animalculum, quod ubi ſibi idoneum invenit pabulum, creſcit & adoleſcit: ubi locus & pabulum non conveniunt, illico perit. Si non ex aere invenire licet, forte aquæ nobis, dum potamus eas, infundent: quo trahi poſſunt LEWENHOECKIANÆ obſervationes plurimæ, quibus conſtat piſcium plura genera lumbricis, etiam latis, plenæ eſſe. Sed & hoc repudiandum eſt, quum tæniæ piſcium nullo pacto humanis conveniant, ſoloque adſpectu inſignis differentia cognoſcatur. Ne dicam aquatilium ova requirere utique elementum aqueum quo victitent: hoc negato perire ea neceſſarium eſſe.

§. VI.

Lumbricorum fœcunditas & varius in corpora noſtra ingreſſus.

Nolumus nos ulterius immiſcere quærentibus originem lumbricorum ultimam, ne extra medicinam vagati litibus cum philoſophis & forte theologis quoque implicemur. Expediant hæc ingenia perſpicaciora: nobis ignorantiam profiteri impune ſit, ubi nondum inventus fuit doctor, qui clare & ſufficienter hanc rem explicaret. Illud nobis ſufficit, quod intra hominem mira fœcunditate ſeſe multiplicent: cujus ſtupendum ſpecimen legimus EPHEM. A. N. C. *Cent. VII. obſerv.* 43. Supereſt ut luſtremus aliquas rationes alias, quibus animalia noxia & infeſta, corpus noſtrum ſubire perhibentur. Elegantiſſimus Medicus HENRICUS ab HEER *obſervat.* 13. exhibet adoleſcentem, qui philtro epoto in morbum incidit graviſſimum, variis horrendis ſymptomatibus ſtipatum, quæ inter & illud fuit, quod aliquo die uno ſeceſſu rejecerit quatuordecim limaces magnos, rubros, cornutos, vivos & repentes. Unde hi limaces ad adoleſcentem pervenerunt, niſi ab illo noxio pulvere, quem amaſia nequam potui permixtum exhibuerat, fuere orti? Qualis autem ille fuerit ſane ignoratur, adeoque rem in medio relinquere cogimur. Hirudines, ranas, lacertas aquaticas in ventres hominum inferri poſſe intelligimus, ſi quis vehementia ſitis compulſus aquas lacunarum turbidas bibere coactus fuit: eademque ratione aliorum animalium ſeminia nos ſubire poſſe intelligimus. Etiam cum acetariis devorare poſſumus hirudinum rudimenta, quæ ſæpe naſturtii aquatici foliorum imæ ſuperficiei, inſtar gelatinæ pellucidiſſimæ adhærere inveniuntur: quæ ſi quis avidius comeſto acetario, dentibus non probe comminuta deglutiat, facile fovebitur calore & humiditate intra ventriculum oblata, donec animal ſatis conformatum, ſanguinem, quo pabulo delectatur, ſugere incipiat.

§. VII.

Cur lumbrici non digerantur & concoquantur in animalibus.

Etiam hoc curioſam ſpeculationem affert, cur ventriculus & inteſtina, quæ tot alia concoquunt & digerunt, animalia hæc, quorum pleraque ſatis teneræ ac mollis ſtructuræ ſunt, non vincant: & cur animalia, quibus vis digerendi ac concoquendi longe potentior eſt, quam homini, non illud efficere valeant. Canes certe duriſſima oſſa devorata in pulpam mollem redigunt, & ex ea omne gelatinoſum extrahunt, ut nihil niſi terreum remaneat: cur iidem tamen non concoquunt mollem & tenerum lumbricum: præſertim quum nunquam magis fame torqueri canes, nunquam voraciores eſſe intelligantur, quam ubi lumbricis vexantur. Equidem plane credo hominem, tantoque magis canem, facillime concoquere poſſe quemcunque lumbricum, ſi vita prius ipſi adempta fuerit: & hoc ipſum, quod vivit animal, efficere ut menſtrua ventriculi noſtri in illud prorſus nihil valeant. Quo vero pacto vita ipſa animalis reſiſtat actioni tot cauſarum ad reſolutionem & digeſtionem ſtructi omnis efficacium, id fateor eſſe abſtruſioris cognitionis, quam ut ſatis perviderі & explicari a me poſſe confidam.

§. VIII.

An lumbrici ventriculum ordinario obſideant.

Illud quoque dici poſſet, ut aliquid digeratur, omnino opus eſſe ut præciſe ventriculo inhæreſcat, ipſiuſque actioni plane paſſive ſe ſubjiciat: hincque fieri ut lumbrici evitato ventriculo inteſtina obſideant. Si vero aliquis irruperit ad ventriculum, ipſiuſque vires ſibi contrarias experiatur, evenire inde ut tanto furore ibidem deſæviat, niſi exitum bona fortuna vel ſuperius per gulam, ſive inferius per pylorum inveniat. Vehementiſſimi enim dolores, quos ſentiunt miſeri homines, ab eo excitantur, quod beſtia illa effugere conatur, exitumque roſtro ſuo in parietes ventriculi profundius immiſſo parare ſatagit. Nam ordinarios & perpetuos ventriculi incolas eſſe lumbricos vix eſt credibile. Anatome quidem brutorum contrarium docere videtur. Nam in equorum ventriculis, illorum utique qui in pratis recens gramen

depaſcuntur, incredibilis ſæpe copia reperitur vermium rotundorum brevium: & in canum ventriculis, immo equorum etiam longorum ſed tenuiſſimorum aliquod genus invenitur. Enimvero magis hæc obſervatio ſirmat noſtram ſententiam quam eandem deſtruit. Ea enim eſt horum animalium ſolertia, ut ſe ventriculi actioni ſuſtinendæ admodum callide ſubducant. In equis enim ſuperiori orificio ventriculi infixo roſtro ſuo pertinaciter inhærent, (vide *Ephemer. N. C. Cent. IV. obſ.* 195. ipſique adjectam delineationem *tab. XIII.*) & non relinquunt locum, niſi pabulo multo repletus & diſtentus ſit, cui tunc intererrant: quamprimum vero expulſo illo vacuus reddi incipit, ſemet capitibus ſuis iterum affigunt dicto loco, & fundum ventriculi ſtudioſe ſic evitant. Canum autem tenues & longi lumbrici, perforata interiori villoſa tunica, cavum ſibi ſpatium inter hanc & muſcularem paraverunt, in quod ſe recipere poſſint, exſpatiaturi quoties repletus ſtomachus ad pabulum invitat. Idemque in equis obſervatur; *vide Acta phyſico-medica A. N. C. Vol. I. p.* 520. Eandem ſolertiam lumbricorum latorum in canibus jam ſupra notavimus, qui capite per pylorum in ventriculum exſerto, adventum chymi præſtolantur.

§. IX.

De effectibus lumbricorum.

Jam ordo nos vocat ad conſiderandum, quid lumbrici aliaque peregrina animalia in inteſtinis hoſpitantia corpori inſerant. Si verum eſt, quod nonnulli dicunt latum lumbricum ſeu tæniam homini connaſci & cum illo adoleſcere, oportet ſane fateri eſſe aliquos eorum ſatis mites, quum multi ad conſpicuam ætatem ipſamque ſenectutem pervenerint, ante quam ſe incola hic ullo ſigno proderet. Etiam cucurbitini multi ſæpe prodeunt, abſque notabili moleſtia. Tale quid viſum fuit Illuſtri Luc. Schroeckio, qui in *Miſcell. Ac. N. C. Dec. II. Ann. IV. obſ.* 256. refert de puerulo unius anni, cui ſanitate cæterum integra gaudenti, lumbrici tales per anum ſecedebant, perque abdomen & dorſum filioli oberrantes ſtupenti matri viſendos ſemet obtulerunt. Nihil moleſtiæ ab illis fuiſſe credibile facit, quod obſervator, de ſanitate cæterum integra diſerte teſtatur. Sed lucem plenam affert ab Exc. D. D. El. Camerario ad *Act. phyſico-medica* ejuſdem Academiæ *Cent. VII.* relata obſervatio, quæ eſt XLIII. ubi femina 32. annorum, cui per octo menſes continuos quotidie ſecedebant cucurbitini XV. XX. & plures, vivi ac vivaces, prorepentes quippe vel invitæ, ſibique viam per conſtrictum etiam ſphincterem lubricitate ſua parantes per totum diei decurſum, interque omnes mulieris labores. Quam vero hoc dignum admiratione, quod iſta mulier vix conquerebatur de moleſtia, ac dubitaverit fere, an velit uti remedio ullo contra hoſpites iſtos ſatis modeſtos ac parum moleſtiæ creantes: quin amici hortatu compellenda eſſet, ut medicinam aliquam ſibi præſcriptam adhibere vellet. Sic ſatis ſæpe etiam cum excrementis prodire aliqui lumbricos teretes vident, qui vel minimum ſuſpicandi de ipſis cauſam nullam habuerant.

§. X.

Eorundem effectus graviores.

Quam vero gravius alii luunt hoſpitum horum præſentiam? Pleni ſane ſunt omnium Medicorum libri querelarum & teſtimoniorum de illorum pravitate & ferali inſania. Non dicam leviores illas moleſtias, morſicationes inteſtinorum, tormina, oris fœtorem, pavorem in ſomno, appetitus varia vitia, alvum modo adſtrictam modo fluentem, nutritionis & virium decrementum. Graviora aliqua ſunt quæ vel a lumbricis manifeſte effecta, vel illorum ſocia ſaltem culpa quibuſdam evenerunt. Multis convulſiones epilepticas attulerunt, aliquibus mentis aberrationes: nonnullis iliacam paſſionem, cardialgias ſyncopticas: ſunt quibus perforatis inteſtinis mortem cum convulſionibus induxerunt: quod triſte fatum mihi cariſſimum fraterculum trium annorum, antea ſemper alacrem & ſaniſſimum intra duos dies, cum convulſionibus, abſtulit, in cujus inteſtinis tenuibus graſſatores iſti, numero duo, rubra linea per totum dorſum notati, fuere deprehenſi. Aliquibus poſtquam inteſtina perruperant, alvum inſuper perforarunt & vel per umbilicum, aut per inguen, tantum non ſemper dextrum, exiverunt, ſuperſtitibus quibuſdam tantæ læſioni, aliis mortem inde incurrentibus ſatis miſeram. Ubi cum morbis chronicis, malo hypochondriaco & hyſterico ſocietatem ineunt, omnia graviora faciunt, motuſque jam exacerbatos mirum quantum magis exacerbant. Si cum acutis morbis adſunt, illos propria ſua indole graviores faciunt, præcipueque turbant exanthematicorum placidum decurſum, intempeſtive excitatis doloribus ſpaſticis, diarrhœiſque, quibus unice ſalutaris diapnoe interrumpitur, omniaque in deterius ruunt. Gravidis ſæpe abortum lumbricos induxiſſe ab auctoribus commemoratur.

§. XI.

Signa lumbricorum ſatis ſunt incerta.

Ex tanta diverſitate fatorum, quæ habuerunt homines lumbricos gerentes, facile cognoſcitur haud uſque quaque certiſſima ſigna ſuppetere, quibus præſentia eorum certo cognoſcatur. Probabiliter quidem colligere ex multis poſſumus, adeſſe poſſe infeſtam hanc pullitiem: ſed nullum tamen eſt certius, quam ſi per alvum exeuntes oculis conſpicimus, & ex moleſtiarum continuatione colligimus plures debere ſupereſſe. Hoc non ſolum de lumbricis valet; ſed de aliis quoque animalibus, docere poteſt caſus fœminæ Memmingenſis, quæ per integros XVIII. annos Medicorum induſtriam fatigaverat, quum nemini in mentem veniret de ranis cogitare: qui in annalibus phyſico-medicis Kanoldianis integer legitur. Facile poſſem afferre exempla, partim ex documentis editis cognita, ubi de vermibus aliiſque beſtiis præſentibus cogitatum fuit, ſed eventu ſpem & promiſſa deſtituente. Tanto minus deſiderandum videtur ut ſigna certa afferam, quibus aliqui accuratiſſime dignoſcere volunt ſintne lumbrici teretes, an lati, & quæ latorum ſpecies, unde id pendet quod ægroto faceſſit negotium & moleſtiam. Sed nimis jam diu theoreticis occupati fuimus, quare tandem progredimur ad curationem tam infeſtis hoſpitibus, quo hominem deliberant, &

& cum ſanitate in gratiam redire permittant, debitam.

CAPUT IV.

Ea proponens, quæ expellendis lumbricis, aliiſque infeſtis ventris hoſpitibus, conveniunt.

§. I.

An detur prophylaxis a lumbricis.

CUratio eſt vel *prophylactica*, qua avertimus ab homine inſtantem morbum; vel *therapeutica*, qua præſentem jam expellimus & hominem ad integritatem priſtinam valetudinis, per omnia artis præſidia rite adhibita, reducimus. De utraque diſpiciemus. Et primo quidem quæri poteſt deturne prophylaxis ab hoc gravi morbo, quo vivi circumgerimus ingrata animalia, tortores corporis noſtri, ejuſdemque, ſi qua eos cauſa irritaverit, deſtructores futuros. Et ſunt ſane quædam doctrinæ, quas ſuperius attigimus, ex quibus directe & neceſſaria conſequentia ſequitur, neminem ſibi poſſe immunitatem ab his beſtiolis promittere. Nam ſi, ſecundum HIPPOCRATEM, congeniti ſunt fœtibus in utero conceptis: ſi, ſecundum THEOPHRASTUM ERESIUM inter gentes hæc differentia intercedit, ut aliæ certos lumbricos gerant, aliis nunquam innaſcantur: ſi denique nullibi extra hominum aut animalium corpora inveniuntur tæniæ, & lumbrici teretes humani a terreſtribus multum diverſi ſunt: eodem ipſo cognoſcitur ſemina illarum beſtiolarum aut ovula extra hominem obſervari non poſſe, adeoque fruſtraneam eſſe omnem curam, ne in hos veniant cum ovulis inter eſculenta & poculenta deliteſcentibus. Si porro certum eſt epidemiam aëris conſtitutionem ad lumbricorum epigeneſin celerrime valere, neque hic apparet, quo pacto avertere aërem, quo carere non poſſumus, liceat, aut ab aere neceſſario ſequeſtrare illud, quodcunque ſit, quod ad generandam pullitiem inimicum valet.

§. II.

Quo jure illa relinquatur.

Quo ipſo cadit quicquid ſollicite præcipitur de incongrua voracitate puerorum & infantum, tamquam cauſa lumbricorum, coercenda: nihilque aliud relinquitur, quam caveri forte poſſe ne ova ranarum, bufonum, & limacum, ut & hirudinum fœtus, cum aqua aut acetariis in noſtrum corpus deferantur. Si plurimum circumſpectionis adhibere volumus, etiam illud relinqueretur, ne decumbamus eodem lecto cum homine lumbricis latis, cucurbitinis impleto. Nam ſi tam facile per anum, ejuſque ſphincterem, lubricitate ſua penetrant, & per membra hominis & lectum oberrant, poſſet fieri ut oberrans talis beſtiola æque facile in hominem ſanum irrepat, ſeſeque ibidem eadem fœcunditate, quam ſuperius oſtendimus, multiplicet. Enimvero quum theoriam de lumbricorum ortu nondum ſatis liquidam & indubiam eſſe ſupra conceſſerimus, neque videmus cur reprobare illam cautelam debeamus, quæ moderationem in victu præcipit & præcipue primam ætatem ab incondita voracitate prohibet: præſertim quum ad reliquam valetudinem tuendam plurimum præſidii in temperantia poſitum eſſe perſuaſiſſimum habeamus.

§. III.

Remedia non ex qualitatibus manifeſtis, ſed experimentis diſcenda ſunt.

Remedia, quibus tam ingratos hoſpites oppugnamus, vocantur *anthelmintica*, cujus nominis ratio ex primo capite ſatis patere debet. Eaque conſideranda ſunt, quatenus in hominem agunt, & quatenus corpus animalis peregrini, humano longe utique tenerius, afficere veroſimile videtur. Ac cum lumbricis quidem varia experimenta inſtituerunt viri celeberrimi REDI & CLERICUS, ex quibus diſcimus, quid præ aliis facile ferant, quid minus tolerent, a quibus citiſſime & celerrime enecentur. Docent hæc experimenta illud in genere, quod ad unam aliquam generalem regulam haud facile revocari ſingula poſſint, & quod multa ad noſtros omnes ſenſus ſic ſatis convenientia in effectu ad vermes relato mirum quantum diverſa deprehendantur: adeoque agnoſci aliquid ſpecificum debeat, quod ſenſibus noſtris non quidem manifeſtum, illa animalcula efficaciſſime aggreditur. Sic lac commune e vaccæ uberibus recens eductum, omne lumbricorum genus blandiſſime fovet & ad multos dies vivos alacreſque conſervat, modo provideatur ut dulce maneat, adeoque identidem mutetur: ſed emulſio ex amygdalis dulcibus & ſeminibus frigidis, pineis etiam & piſtaciis facta, qua lacti nihil magis eſt ſimile, eoſdem cito enecat, præſertim ſaccharo edulcorata: ut vix excogitari inter blanda & noſtræ naturæ amica poſſit certius & citius remedium hac ipſa emulſione copioſius data & continuata.

§. IV.

Anthelmintica amara.

Ab omni fere ævo creditum deprehendimus, quod *amara* ante omnia alia averſentur lumbrici. Experimenta itaque docuerunt diverſiſſimam vim amarorum, quæ ad ſenſum convenire videbantur. In decocto centaurii minoris ſaturato, & aqua ab aloe diſſoluta amariſſimum ſaporem nacta, vitam per triduum protraxerunt lumbrici teretes. Decoctum abſinthii ultra XXIV. horas vivos conſervavit, quum longe citius morerentur in decocto colocynthidis. Decoctum ſeminis ſantonici intra octo horas vitam auferebat. Sed illa aqua, cui trifolium fibrinum fuerat incoctum, intra duas, ad ſummum quatuor horas necem inferebat: ſuppar huic fuit virtus enulæ campanæ. Paullo lentius, poſt quinque ſcilicet vel ſex horas, interfecit decoctum tanaceti, marrubii albi, matricariæ ut & rutæ. Decoctum granorum coffe molitorum æque cito perimebat, ac illud abſinthii. Quis non videt infuſum coffe longe minus eſſe amarum abſinthio aut aloe: hanc tamen ſuperat, illam æquat viribus anthelminticis. Si graveolentiæ aliquid tribuimus, illa abſinthio, ſemini ſantonico, marrubio, tanaceto ſuppar: cur vero non ſuppar ſed multum diverſa virtutis celeritas. Et cur trifolium fibrinum, minime olens cætera omnia vicit? Illud etiam notabile, quod tam illa quæ celeriter necaverunt, quam quæ tardius, euti-

cuticulam lumbricos ambientem prius in veſicas extulerint & deinde ſucceſſive abſtulerint.

§. V.

Anthelmintica dulcia.

Dulcia laudant alii, poſtquam celeberrimus REDI effectum mellis pauca aqua diluti conſpexit, a quo intra viginti minuta perierunt lumbrici: muſtumque generoſius immiſſos illos horæ dimidiæ ſpatio interfecit. Quo viſo etiam ſuccos fructuum horæorum experimento ſubjecit, eoſdemque commanſos in ore ſuper eos magna copia injecit, ut poma, pira, ceraſa, mala armeniaca, perſica, pruna, fraga, ſimilemque effectum, lumbricis utique deleterium, conſpexit. Ex quo conſpicitur tantum abeſſe ut talium eſu ſevere interdicendum pueris animalium pullitie infeſtatis, ut potius pro optima Medicina imperari illis debeant. Similiter decoctum polypodii poſt octo horas interemit immiſſos lumbricos. Ne vero exiſtimemus omnia dulcia promiſcue id facere, non omittendum eſt quod decoctum glycyrrhizæ eos diutiſſime vivos conſervaverit. Etiam conſuetudinis rationem hic non eſſe negligendam exiſtimaverim, quum lumbrici ex homine in vino per tres integros dies vitam degere poſſint, terreſtres brevi emoriantur. Et ſane lumbricis nemo laboraret in illis tractibus ubi vinum quotidie potatur, ſi certum eſſet illorum remedium. Ita etiam cum aliis hujus generis dulcibus fieri exiſtimare licet. De melle obſervationem, ut videri poteſt, contrariam invenimus *Act. phyſico-med. A. N. C. Vol. II. obſ.* 144. ubi juvenis ruſticus ſiſtitur, pro jentaculo melle ac pane diu uſus, qui in virium notabile decrementum mox incidit, tandemque eo pervenit, ut poſt levem & brevem corporis motum illico in ſyncopen incideret. Hujus ægritudinis cauſa inventa fuit, quum ab uſu infuſi purgantis prodirent vermes albi, inſtar millepedum aut ſcarabæorum: quorum ortum ex jentaculo diu conſueto fuiſſe nihil dubitavit ipſemet ægrotus. Enimvero ſcarabæi hi undicunque orti, potuerunt ab eſu mellis turbati fuiſſe & commoti. Quicquid autem ſtatuatur de illis, non valde feriet aſſertionem de lumbricis prolatam, quum alia poſſit utriuſque generis ad mellis naturam ſubeſſe relatio.

§. VI.

Anthelmintica oleoſa.

Oleoſorum magna virtus in enecandis lumbricis eſſe deberet, ſi eadem horum eſſet ratio, quæ eſt inſectorum in libero aere vivere adſuetorum. Quippe de his MALPIGHIUS obſervavit, quod oleo tacta, tanto magis perfuſa, maximopere lædantur immo emoriantur. Sed REDI experimentis edocti ſumus, minus ipſis oleum & omnia pinguia nocere. Quin magno ſtudio compoſita olea contra vermes, paſſim celeberrima, experimentis adhibuit, quibus impune peruncti perfuſique ſatis diu duraverunt. Sed penetrantiora illa olea ſulphurea & bituminoſa, ut petroleum, oleum ſuccini, omniaque aromatica ætherea, nec non per deſcenſum deſtillata illa ex lignis juniperi, betulæ, buxi, coryli minime ferunt, quin ſi paucas eorum guttas vitri fundo inſtilles, atque lumbricos immittas, paucis momentis convulſi morientur. Manifeſtum hinc eſt non tam oleoſas partes ipſis adverſas eſſe quam ſulphureo-bituminoſas cum ſalinis penetrantiſſimis arctiſſimo connubio ſociatas. Neque ſolum graveolentia illa oleoſa graviſſime ferunt, verum etiam ſuaveolentia quædam ut aquam roſarum, florum aurantiorum, quorum contactu majores intra breve tempus aſcarides ipſo momento emoriuntur. De aquis vero dubium eſſe poſſit, an ſolius odoris efficacia id præſtiterint: quum aqua graminis radicum deſtillata idem præſtiterit: & de roſarum aqua notum ſit quam raro ſine cupri contagio transſtillet, inſuperque virtutis catharticæ multa documenta ſæpius ediderit.

§. VII.

Anthelmintica ſalina.

Præter cetera inſigni laude celebrantur *ſalina* ad omne noxiorum animalium genus exturbandum. Salſedo enim non ſolum tenera eorum corpuſcula undique aggreditur & vellicat, ut retroſugere cogantur, verum etiam ipſe ſapor contentis inteſtinalibus inde impreſſus videtur ea lædere. Efficaciam ſalis culinaris plebs etiam novit, quæ ſubinde potum largum muriæ, fontium ſalinorum infundit pueris lumbricis obnoxiis, unde ſatis cito expelluntur. Ad fontes ſoterios multi ejiciunt animalia, quæ in ventre ſuo hoſpitari vix ſuſpicati antea fuerant. Illuſtris DN. PRÆSES, Patronus ac Præceptor æternum venerandus, ſæpius mentionem hujus effectus fecit in aureis ſuis ſcriptis, quibus uſum aquarum & fontium ſalubrium docuit. Quare fons Sedlicenſis, ejusque ſal amarum catharticum, præcipue celebrari etiam hoc nomine ſoleat. Idem faciunt ſalia cathartica ad imitationem eorum arte parata, ut ſal mirabile *Glauberi*, Epſonienſis æmulum, a deſtillatione ſpiritus ſalis communis cum oleo vitrioli reſiduum, debita induſtria paratum, cæteraque ſalia media, ut tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, quin ipſum nitrum, modo ſufficienti quantitate dentur & ſubjungatur multus potus, egregie exturbant infeſtos ventris incolas. Qui ad mare habitant, marinam potant: qui vilitatem remedii adſpernantur, ex oſtreis recentibus aquam marinam colligunt & ebibunt: quin multi, qui oſtreas cum aqua ſua, adjecto limonum ſucco & pipere largius aſſumſerunt, ex his junctis optatam opem conſequuti ſunt, ut ſcilicet expulſis noxiis beſtiis a marcore priſtino liberarentur.

§. VIII.

Anthelmintica ſalina vitriolica.

Potentius omni alia Medicina lumbricos aggrediuntur & exterminant *ſalia vitriolica*, ſeu metalla ſalibus acidis ſoluta & in formam ſalinam cum illis concreta. Hæc inter laudem inprimis meretur illud quod ex ferro factum eſt & martiale audit, quod ſive in pulvere detur, ſive in forma liquida tincturæ martis nomine, ſive denique in corpore enaſcatur, limatura aſſumta & a noſtris menſtruis ſoluta ſæpe chronicos & abſtruſos morbos percurat, expulſis, de quibus vix cogitatum fuerat, lumbricis omnis generis. Laudabo in hanc rem unicam recentem obſervationem ex D. D. WERLHOFII *obſervat.*

de

de febribus pag. 140. *ſequent.* ubi femina a febre intermittente nuper curata, ante vero pathematibus hyſterico-hypochondriacis vexatiſſima ſiſtitur, cui poſt martialia adhibita primo aſcarides plurimi, magno cum levamine ſeceſſerunt: ſequebantur ſub uſu Pyrmontanarum aquarum multi cucurbitini concatenati: tandem magna tænia, quam vir doctiſſimus ſolium fuiſſe exiſtimabat: quo facto incantamenti inſtar ab omnibus pathematibus priſtinis liberata fuit. Abſtineo a pluribus auctoribus nunc laudandis, & aliquid ſubjungo de vitriolo lunari, ſeu cryſtallis lunæ Boylæi, quarum confectionem docet celeb. D. D. Boerhaave in *chemia tom. II. p.* 467. uſumque oſtendit *pag.* 468. Inter alia vero commendat ad necandos lumbricos, tænias, aſcarides. Salina vitriolica ex hydrargyro, præter mercurium dulcem, ſunt periculi pleniſſima: hic vero omnium maxime proſunt, ſi uſus cum debita cautione inſtituatur.

§. IX.

Anthelmintica acida mineralia. Etiam *acida* præſertim *mineralia*, ut ros vitrioli, clyſſus antimonii, illæque tincturæ vegetabiles cum aqueo menſtruo factæ & acidulatæ, ſæpius expulſis lumbricis graves turbas compeſcuerunt, ut epilepſias aliosque motus exacerbatos: putoque propter hunc eventum meruiſſe in claſſem antepilepticorum transſcribi, perinde ut etiam vitriolum ipſum. *vegetabilia.* Succis acidis immerſos lumbricos ſatis cito perire vidit ſæpius laudatus Redi, ut aceto vini, limonum, & citriorum pomorum: ſed citius in limonum ac aurantiorum dulcium ex Luſitania advectorum, ſuccis. Convenit talium acidorum uſus vel hoc anthelmintico etiam uſu in morborum exanthematicorum initiis, quo mature exturbati, ſi qui adſunt, periculoſi hoſpites tanto placidiorem morbi progreſſum fieri permittant. *Confer.* B. D. D. Wedelii *amœnitat. mat. med. p.* 365.

§. X.

Anthelmintica empyreumatica & volatilia urinoſa. *Spiritus* etiam *empyreumatici & volatiles urinoſi*, ſæpe expellunt noxia animalia, quæ anthelminticorum aliorum uſum longo tempore contempſerant. Sic ſpiritum cornu cervi fugandis lumbricis commendat Hartmannus in *praxi chymiatrica*, cui liquorem cornu cervi ſuccinatum licet ſubſtituere, præſertim quando turbulentiores hoſpites graves & convulſivas turbas faciunt. Credo oleum animale Dippelianum huic quoque fini non male inſerviturum. De ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato ſcio, quod in femina Memmingenſi, quam ſupra attigimus, omnium præcipue adorſus fuerit ranas, quæ per XVIII. integros annos miſeram omni tormentorum genere vexaverant. Dederat enim Medicus doctiſſimus D. D. Wogau, a quo remedium raucedinis petierat, linctum ex ſyrupo violarum, oleo amygdalarum dulcium, ſpermate ceti & hoc ſpiritu: quo aſſumto, in diros motus antea quietæ beſtiæ conſurgebant, tandemque per anum diſcedere cœperunt: qua fuga capta prodiderunt ſe. Vir prudens juſſit inſtare eadem mixtura, ſubjunctoque cathartico commodo uno die ad ſanitatem integram reduxit feminam per tot annos diriſſima paſſam.

§. XI.

Anthelmintica adſtringentia. *Adſtringentia* quoque aliqua ab antiquo fuere in uſum tracta & laudem conſequuta ob rem bene geſtam. Laudatiſſimus Redi ſaturato infuſo theæ indidit lumbricos, inque eo celerius vidit mortuos quam in decocto Coffe. Non autem erant cuticula exuti, ut ii qui in amaris exſpiraverant, ſed potius duriuſculi, & velut amethyſtino colore tincti, ut appareret adſtrictivis particulis contractos eos fuiſſe. Multa antiqui celebrant practici adſtringentia, ut corticem radicis mori arboris, & mali punici corium, biſtortam, tormentillam: quæ fere plerasque compoſitiones ad lumbricos ingrediuntur.

§. XII.

Purgantia lumbricis adverſa. *Purgantia* pleraque a Veteribus inter anthelmintica fuerunt relata: ſed præcipue laudabant hoc ſcopo turpethum vegetabile: unde etiam ſpecies diaturbith cum rharbaro frequentiſſime adhibebantur. In ejus locum fere ubique ſucceſſit jalappa, quæ iisdem principiis, niſi benignioribus etiam gaudet. Non multum diſpiciemus de reliquis ex longo catharticorum catalogo: eaque dijudicare ſecundum ſuum cujuſque principium, quo potiſſimum adverſari animalculis hiſce poſſe videatur. Facile credo quemvis eſſe largiturum, vero eſſe ſimile ut quæ hominis tanti corpus tantopere commovet, movere etiam tantilla animalia debeat, ut non mirum ſit ſi uni alterove modo eos adgrediantur & vel emori faciant vel fugam capeſſere cogant. Solent autem prudentes Medici, quando oppugnant lumbricos ex ſuperioribus aliqua præmittere & deinde ſubjungere catharticum, quod jam ante male affectos ab illis facilius exturbet & profliget: de quo deinceps propius diſpiciemus.

§. XIII.

An ſint anodina & narcotica anthelmintica? Si tam multa in aciem adverſus hæc animalcula educuntur, an in caſtris ſola *anodina, opiata & narcotica* feriabuntur? Immo vero & his partes ſuæ in hoc bello jam olim aſſignatæ ſunt, & nec hodie exauctorata eadem volumus: quippe inſidiis aptiſſima. Antiquus auctor Cælius Aurelianus caſtoreo utitur cum mulſo. Valescus de Taranta fere ubique addit anthelminticis crocum, addita alicubi ratione: qui roborat & vermes occidit. Sed theriacam multi in curatione hac adhibere jubent. Scilicet ſæpe importunæ beſtiæ graviſſimos dolores ad paſſionem iliacam inducendam vel filum vitæ per convulſiones inductas abrumpendum ſpectantes creant, quod præcipue fit quando inteſtinorum tunicas perfodere tentant. Hic moram illis indulgere neutiquam conſultum eſt. Juvat potius illico exhibere anodinum efficax, quod non minus homini doloris ſolatium, quam animali furibundo ſtuporem inducat: ut tantiſper quieſcat & torpeat, donec machinæ adornentur idoneæ. Id ut in omni tali caſu fieri B. Wedelius prudenter præcipit; ita in hoc plane eſt neceſſarium; longe enim majus damnum a duratione ſævorum ter-

tormentorum imminet quam a provida Medicinæ opiatæ doſi extimeſcere poſſit etiam is, qui ſe cautiſſimis in talium uſu annumerari deſiderat.

§. XIV.

Anthelmintica ſpecifica.

Superſunt multa, quibus practici medici in oppugnandis lumbricis multum tribuunt, quæ ad ſuperius recenſitas claſſes referre vix audeo, quamquam aliqua eorum modo ad hanc, modo ad illam tributa ſunt. Ea percurram, liberum lectori permittens perſpicaciori, ut quibuſcunque viſum fuerit ſociis ea adſcribat. Sunt autem ex mineralibus *argentum vivum*, omnium practicorum ſcriptis celeberrimum, quod ſub nativa currente forma exhibent HARTMANNUS, CHESNEAU, alii, aut mortificatum, ut loquuntur, alii cum limonum ſucco diligenter terendo, alii admixto ſulphure in æthiopem, quem vocant mineralem, mutando. Rurſus alii præferunt, quem ſupra attigi, dulcificatum mercurium, alii decoctum cum aqua paratum exhibent. Commodiſſimum ac tutiſſimum modum equidem puto illum, ſi cum ſulphure mixtus adhibetur, cujus præſtantiam GUALTHERUS HARRIS *de morbis infantum* pulchro exemplo comprobat. *Amygdalas amaras* & ex iis paranda ſorbilia, quæ Græci τροφήματα vocarunt, commendat CAEL. AURELIANUS: alii *flores perſicorum* indeque paratam eſſentiam & ſyrupum magni faciunt. Ut aliquam attentionem iſti commendationi adjiciendam putem, facit quod in amygdalis amaris & perſicis invenio, eſſe certis animalium generibus valde deleterium, ex quo ſuſpicor fieri poſſe ut porro experiendo deprehendamus certum alium uſum. Ceterum de amygdalis, cum quibus perſicorum nuclei conveniunt, ad emulſionem parandam adhibitis ſupra dixi; illud tantum nunc addo TYSONIS tæniam tali emulſione eſſe expulſam: ubi videndum an juſtius ille effectum bonum ſeminibus cucurbitarum adſcripſerit, an tribuere debuerit amygdalis ad eandem emulſionem adhibitis.

§. XV.

Plura hujus generis.

Sunt quoque alia multum commendata, quorum rationem haud facile aſſequimur, ut radices filicis & graminis, hypericum, corallina & cornu cervi uſtum: quare quicquid de eorum vero effectu conſtat, ſola empiria niti videtur. In corallina quidem alii intuentur ſalis marini adhæreſcentem ſaporem, alii ſubadſtringens terreum principium: quæ tamen nulla tam ſunt manifeſta, ut non manifeſtiora in aliis inveniantur, quæ huic uſui nemo commendavit. Filicem cum hyperico eadem virtus antimagicorum catalogo inſeruit: quum ſæpe malis artibus adſcripti morbi ceſſaverint, lumbricis expulſis. Qui cornu cervi alcalini quid tribuunt, videant quo modo requirenti id probaturi ſint. Superſedeo ceteris, quorum magnus eſt numerus, uſque ad betam & portulacam, inſipidiſſima utique, adducendis, ne ſi omnia conſectari voluiſſe videar, de medicinis lumbricorum ex ipſo lumbrico ſumendis dicere cogar.

§. XVI.

Selectus & adhibendi modus a) in tenera ætate.

Supereſt, ut in tanta remediorum ſylva de ſelectu & prudenti ſubordinatione eorum paucula dicamus. Fieri autem ſæpe ſolet ut advocemur ad ægrotos, quorum præſens quidem ſtatus multas de lumbricis aut aliis inteſtinorum animalibus ſuſpicandi cauſas offert, ſed ad plenam certitudinem ſufficientia ſigna nondum invenimus. Tali rerum ſtatu nihil conſultius eſt, quam curationem ordiri ab iis, quæ communiora ſunt, & in quovis morbo non acuto locum inveniunt. Scilicet præſcribenda ſunt digeſtiva, reſolventia, per epicraſin laxantia, glandulas & colatoria omnia aperientia. Sic nobis campus aperitur ampliſſimus admiſcendi talia, quæ infeſtos hoſpites male habeant, & vel unum ac alterum, qui reliquorum proditor ſit, eliciant, vel univerſos ſimul ejiciant. Si ſint pueruli, quibus non poſſunt quævis ingeri, facile admittent æthiopem mineralem cum ſaccharo permixtum: ſi paullo adultiores eundem cum cornu cervi uſto vel ſine igne præparato & ſaccharo: aut mercurium dulcem cum æquali pondere pulveris radicis gialappæ & ſaccharo: quod ultimum laxans etiam in atrophicis & pleriſque puerorum affectibus æthiopis uſui poſt tertium vel quartum diem juvat interponere.

§. XVII.

b) in adulta ætate.

Adultis & virilem ætatem adeptis, ubi ſuſpicamur de lumbricis, dari per aliquos dies poſſunt pulveres digeſtivi ſalini: deinde ſalis cathartici Anglicani vel mirabilis Glauberi uncia una in ſufficienti quantitate aquæ ſoluta detur, ſubjungaturque potus uberior aut ſal Egranum, thermarum Carolinarum, Sedlicenſe & ſimilia cum aqua Sedlicenſi adhibeantur. Si ſalina diſplicent, fiant infuſa ex herbis & radicibus, quibus limatura martis jungatur, vinumque cum aqua graminis extractioni adhibeatur: hæc inter locum inveniunt radices graminis, filicis, polypodii, trifolii fibrini, fol. ſennæ, rhabarbarum & plura, quæ lumbricis adverſa ſunt: qui ſi ſe certius produnt, deinde directe porro erunt oppugnandi. Si tempus non permittit longam per infuſa talia medicationem, licebit breviori via per pulverem abſorbentem WEDELII, aliquot ſucceſſive diebus exhibendum, præparare ægrotum, deinde eum purgare pilulis mercurialibus cum extracto panchym. Crollii factis, adjecta reſina gialappæ & grano uno vel altero trochiſcorum alhandal. Mire pertinaces ſint oportet lumbrici, qui non tali curatione ad prodeundum aut propius ſeſe prodendum compellantur.

§. XVIII.

Quomodo diris ſymptomatibus occurrendum ſit.

Accidit ſæpe ut homines ſimul ac ſemel gravibus ſymptomatibus corripiantur, ut cardialgia ſyncoptica, torminibus vehementiſſimis cum vomendi conatibus ipſoque vomitu crebro, ut res omnino ad paſſionem iliacam ſpectet: ubi vel ſuſpicamur ſubeſſe vermes, vel ſatis certi id ſcimus ex eo, quod ſæpius ante, aut nunc ſeſe conſpiciendos dederunt. Tali ſtatu nihil fere certius eſt, quam effractio-

fractionem meditari teretes lumbricos, a quacunque cauſa ad furorem actos. Tunc alterutro opus videtur, ut vel illico efficaciſſimis remediis perniciem beſtiæ paremus, vel eandem torpidam languentemque reddamus. Prius tentare vix quiſquam audebit, niſi certiſſimus ſit in ventriculo aut ſuperioribus inteſtinis eas hærere, & nondum omnino peregiſſe, quod moliuntur. Fugari autem ſine mora oportet multa aqua ſalſa infuſa, non valde diluta: ſive ſimplicem muriam velis, ſive ſal ex ſæpe commemoratis catharticis mediiſque amaris. Licebit ſubjungere doſin non minimam olei cujuſdam penetrantioris antiſpaſmodici, ut animalis Dippeliani vel petrolei, aut liquoris cornu cervi ſuccinati, aut ſimilis. Interea paretur decoctum ex optimis anthelminticis, quo ſal aſſumtum diluatur & lumbricos per inteſtina fugam capeſſentes ſubſequatur. Si non licet tam generoſe inſiſtere, illico confugiamus ad ea quæ feram beſtiam placant, lac dulce tepidum, cui ſubjungamus anodynum, ut laudanum liquidum *Sydenhami*, vel aliud quodcunque familiare: deinde ad mercurialium uſum veniamus, quibus incautæ ac languentes vel enecentur, ut cathartico accommodato ſubigi expellique poſſint. Hæc inter non negligere utique oportet externa, qualia parantur ex alliis, cepis, variiſque aliis, umbilico imponenda. Enema injiciatur ex lacte omnino dulci. Nam ſi verum eſt, quod alia lumbricis adverſa ſint, male utique & periculoſe ipſis prope exitum objicietur, quo territi reſiſtant vel revertantur. Eademque ratio diſſuadere debet omnia alia ingrata & anthelmintica clyſteribus indenda, dum ſuperne eos propellimus.

§. XIX.

Inexſpectata in lumbricorum curatione.

Non raro accidit ut *inexſpectata* eveniant, dum fugiunt, & loco purgationis per alvum vomitus oriantur, cum quibus noxia animalia fugiunt. Ejus rei exemplum habemus *Ephem. Ac. N. C. Centur. IV. obſerv.* 140. Memini caſus ab Exc. D. D. Schulzio relati, quod puero decem annorum pulvis laxans ex mercurio dulci & radice gialappæ datus vomitum attulerit, qui parentes non modice terrebat. Suffocatio enim omnino imminebat puero, quum impactus gulæ lumbricorum glomus multa viſcida materia obvolutus tarde procederet. Et forte ſuccubuiſſet puer, niſi ipſum pedibus apprehenſum tenuiſſent, & mater dorſum manibus concuſſiſſet: quo facto ſemineci puero vita rediit, elapſa per os ſaburra tenaciſſima ranarum ſpermati ſimillima, cui majores minoreſque lumbrici erant permixti.

§. XX.

Epilogus.

Quando lumbrici cucurbitini vel ſolitarii, vel in catenam juncti, longo annorum decurſu ſecedunt, ſatis utique otii præbent Medico experiendi vires eorum, quæ his ſeorſim expugnandis valent: quæ ex D. D. Clerico vel aliis, unde ipſemet deſumſit, facile quiſque addiſcet. Quo minus immorari his nunc volo, quum jam nimis ultra modulum diſſertationis excreverit hæc commentatio; multaque ſint, quæ pedem hic figere, & in patriam ſuſcipiendo itineri accingere me cogunt. Eademque ratio efficit, ut unum alterumque caſum notabilem de lumbricis per abdomen, & tantum non ſemper per umbilicum aut inguen dextrum, iter ſibi parantibus nunc premere cogar, meaſque de hoc eventu meditationes ampliori otio reſervare. Deum veneror ut porro meis adſpiret conatibus, & a ſtudio Doctoribus academicis per ſeptem annos navato ad artis exercitium tranſituro eos largiatur ſucceſſus, ut, quod unice opto, ipſius gloriæ & ægrotantium ſolatio plurimum inſervire valeam.

F I N I S.

FRIDERICI
HOFFMANNI

CONSILIARII REGIS BORUSSIÆ INTIMI,
ET ARCHIATRI,
PROFESSORIS MEDICINÆ PRIMARII IN ACADEMIA HALENSI,

OPERUM OMNIUM
PHYSICO-MEDICORUM
SUPPLEMENTUM
SECUNDUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM;
QUIBUS CONTINENTUR
OPERA VARIA QUÆ IN MAGNA OPERUM
COLLECTIONE ET PRIMO SUPPLEMENTO DESIDERANTUR.

PARS TERTIA.



GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCLIII.

CONSPECTUS
PARTIS TERTIÆ.

Hiſtoria Corporis Humani Anatomica, cum uſu ejuſdem in Phyſiologiâ, Pathologiâ, & Chirurgiâ.

CAPUT I. *De Cuticula.* Pag. 1
CAP. II. *De Cute.* 3
CAP. III. *De Pilis.* 8
CAP. IV. *De Unguibus.* 9
CAP. V. *De Pinguedine.* ibid.
CAP. VI. *De Muſculis Abdominis.* 11
CAP. VII. *De Peritonæo, Umbilico, & Omento.* 14
CAP. VIII. *De Oeſophago & Ventriculo.* 16
CAP. IX. *De Inteſtinis.* 21
CAP. X. *De Meſenterio, Venis Lacteis, & Ductu Thoracico.* 27
CAP. XI. *De Pancreate.* 30
CAP. XII. *De Liene.* 32
CAP. XIII. *De Hepate.* 35
CAP. XIV. *De Viis & Ductibus biliariis, nec non de bilis naturâ & uſu.* 40
CAP. XV. *De Renibus.* 43
CAP. XVI. *De Veſica Urinariâ.* 46
CAP. XVII. *De Partibus Genitalibus Virilibus.* 49
CAP. XVIII. *De Membro Virili.* 52
CAP. XIX. *De Partibus Genitalibus Mulierum.* 54

SECTIO II.

De Ventre Medio.

CAPUT I. *De Diaphragmate.* 58
CAP. II. *De Pulmone.* 60
CAP. III. *De Corde & Pericardio.* 63
CAP. IV. *De Pleura, Mediaſtino, & Pericardio.* 66

SECTIO III.

De Supremâ Cavitate, Capite.

CAPUT I. *De Cranio, ejuſque partibus exterioribus.* ibid.
CAP. II. *De Cerebro, cerebello, & medullâ oblongatâ.* 68
CAP. III. *De Partibus Nervorum.* 70
CAP. IV. *De Oculis.* 72
CAP. V. *De Auribus & Auditu.* 74
CAP. VI. *De Linguâ.* 76
CAP. VII. *De Dentibus.* ibid.
CAP. VIII. *De Naribus, earúmque ſtructurâ.* 78
CAP. IX. *De faucibus, glandulis ſalivalibus, uvula, & amigdalis.* 79

OPUSCULUM de Erroribus Medicorum in Theoriâ, & præcipuè in Praxi Medicâ. pag. 81

OPUSCULUM de Materiâ Medicâ, in quo Medicamentorum ſimplicium hiſtoria, vires, agendi & legitimè applicandi modus, una cum compluribus cautelis ac obſervationibus practicis ſelectiſſimis, perſpicuè & ſuccinctè traduntur.

REGNUM MINERALE.

CAPUT I. *De Auro.* 125
CAP. II. *De Argento.* 127
CAPUT III. *De argento Vivo ſeu Mercurio currente.* 128
CAP. IV. *De Stanno.* 129
CAP. V. *De Cupro.* ibid.
CAP. VI. *De Plumbo.* 130
CAP. VII. *De Ferro.* 131
CAP. VIII. *De Antimonio.* ibid.
CAP. IX. *De Sulphure.* 132
CAP. X. *De Vitriolo.* 133
CAP. XI. *De Alumine.* 134
CAP. XII. *De Nitro.* ibid.
CAP. XIII. *De Sale communi.* 135
CAP. XIV. *De Sale Ammoniaco.* 136
CAP. XV. *De variis Salium generibus.* ibid.
CAP. XVI. *De Borace.* 137
CAP. XVII. *De Cobalto & Arſenico.* ibid.
CAP. XVIII. *De Biſmutho.* ibid.
CAP. XIX. *De Lapide Calaminari, Zinco & Tutia.* 138
CAP. XX. *De Terris Medicinalibus.* ibid.
CAP. XXI. *De Unicornu Foſſili.* 139
CAP. XXII. *De variis aliis Medicinalibus Terris.* 140
CAP. XXIII. *De Gemmis ſeu Lapidibus pretioſis.* 141
CAP. XXIV. *De Adamante.* ibid.
CAP. XXV. *De Rubino.* ibid.
CAP. XXVI. *De Sapphiro.* ibid.
CAP. XXVII. *De Smaragdo.* 142
CAP. XXVIII. *De Amethyſto.* ibid.
CAP. XXIX. *De Hyacintho.* ibid.
CAP. XXX. *De Achate.* ibid.
CAP. XXXI. *De Topaſio.* ibid.
CAP. XXXII. *De Carneolo.* ibid.
CAP. XXXIII. *De Oniche.* ibid.
CAP. XXXIV. *De Oculis Cati ſeu Beli.* ibid.
CAP. XXXIV.* *De Opalo.* 143
CAP. XXXV. *De Granato.* ibid.
CAP. XXXVI. *De Lapide Lazuli.* ibid.
CAP. XXXVII. *De Jaſpide & Lapide Nephritico.* ib.
CAP. XXXVIII. *De Marmore.* ibid.
CAP. XXXIX. *De Cryſtallo.* 144
CAP. XL. *De Lapidibus minus pretioſis, Talco, Amianto, lapide ſpeculari, & ſciſſili nigro.* ibid.
CAP. XLI. *De Fluoribus Cryſtallinis.* 145
CAP. XLII. *De Lapidum generatione.* ibid.
CAP. XLIII. *De Lapidibus figuratis & petrefactis.* ibid.
CAP. XLIV. *De Corporibus bituminoſis, in ſpecie de Succino.* 146
CAP. XLV. *De Ambra Gryſea.* 148
CAP. XLVI. *De Carbonibus Foſſilibus.* ibid.
CAP. XLVII. *De Aſphalto.* 149
CAP. XLVIII. *De Petroleo.* ibid.
CAP. XLIX. *De Coralliis.* 150
CAP. L. *De Margaritis.* ibid.

REGNUM ANIMALE.

CAPUT I. *De Oſſe Sepiæ.* 151
CAP. II. *De Spermate Ceti.* ibid.
CAP. III. *De Corallina.* ibid.
CAP. IV. *De Lapide Spongiæ.* ibid.

CAP. V.

Y

CONSPECTUS PARTIS TERTIÆ.

CAP. V. *De Dente Hippopotami.* pag. 151
CAP. VI. *De Lapide Manati.* 152
CAP. VII. *De Teſtaceis variiſque Conchiliis.* ibid.
CAP. VIII. *De Mure Marino.* ibid.
CAP. IX. *De Unicornu Animali.* 155
CAP. X. *De Ichtyocolla.* ibid.
CAP. XI. *De Stinco Marino.* ibid.
CAP. XII. *De Cancris & eorum Lapidibus.* 156
CAP. XIII. *De Lumbricis terreſtribus.* ibid.
CAP. XIV. *De Viperis & Serpentibus.* 157
CAP. XV. *De Hirudinibus.* 158
CAP. XVI. *De Cantharidibus.* ibid.
CAP. XVII. *De Bufone.* ibid.
CAP. XVIII. *De Aſellis ſeu Millepedibus.* ibid.
CAP. XIX. *De Scorpione.* 157 *
CAP. XX. *De Formicis.* ibid.
CAP. XXI. *De Araneis.* ibid.
CAP. XXII. *De Coccinella ſeu Coshinilla.* 158 *
CAP. XXIII. *De Variis aliis Inſectis.* ibid.
CAP. XXIV. *De Lapidibus Medicinalibus, in ſpecie de Lapide Bezoardico.* 159
CAP. XXV. *De Ægagropilis.* ibid.
CAP. XXVI. *De Excrementis nonnullorum Animantium Medicamentoſis, ſpeciatim de Caſtoreo, Moſcho, & Zibetho.* 160
CAP. XXVII. *De Cervo.* 161
CAP. XXVIII. *De Alce.* 162
CAP. XXIX. *De Elephante.* ibid.
CAP. XXX. *De Rhinocerote.* 163
CAP. XXXI. *De Materiâ Medicâ ex Animantibus, maximè domeſticis, deſumptâ.* ibid.

REGNUM VEGETABILE.

SECTIO I.

De Lignis Medicis.

CAPUT I. *De Ligno Aloes.* 163
CAP. II. *De Ligno Rhodio.* 164
CAP. III. *De Ligno Guajaco.* ibid.
CAP. IV. *De Ligno Saſſafras.* ibid.
CAP. V. *De Ligno Nephretico.* ibid.
CAP. VI. *De Santalo.* 165
CAP. VII. *De Ligno Colubrino.* ibid.
CAP. VIII. *De Ligno Junipero.* ibid.
CAP. IX. *De Ligno Fraxini.* 166

SECTIO II.

De Corticibus.

CAPUT I. *De China Chinæ.* ibid.
CAP. II. *De Cortice Capparum.* ibid.
CAP. III. *De Cortice Caſcarillæ.* ibid.
CAP. IV. *De Cortice Winterano.* 167
CAP. V. *De Canella alba ſeu Coſto albo.* ibid.
CAP. VI. *De Cortice Thymiamatis.* ibid.
CAP. VII. *De Cinnamomo.* ibid.
CAP. VIII. *De Corticibus Tamariſci.* ibid.
CAP. IX. *De Cortice Mandragoræ.* 168
CAP. X. *De Corticibus Granatorum.* ibid.
CAP. XI. *De Corticibus Citri.* ibid.
CAP. XII. *De Corticibus Aurantiorum.* ibid.
CAP. XIII. *De Corticibus Sambuci.* 169
CAP. XIV. *De Corticibus Radicis Acaciæ.* ibid.

SECTIO III.

De Viſcis.

CAPUT I. *De Viſco Quercino.* ibid.
CAP. II. *De Viſco Coryli.* ibid.

SECTIO IV.

De Fructibus.

CAPUT I. *De Baccis Lauri.* ibid.
CAP. II. *De Baccis Myrtillorum.* 170
CAP. III. *De Baccis Sambuci.* ibid.
CAP. IV. *De Anacardio.* ibid.
CAP. V. *De Dactylis.* ibid.
CAP. VI. *De Ficubus.* ibid.
CAP. VII. *De Jujubis.* 171
CAP. VIII. *De Fructibus Sebeſten.* ibid.
CAP. IX. *De Granis Kermes.* ibid.
CAP. X. *De Pineis.* ibid.
CAP. XI. *De Piſtaceis.* 172
CAP. XII. *De Fructibus Alkekengi.* ibid.
CAP. XIII. *De Fructibus Cynosbatos.* ibid.
CAP. XIV. *De Fructibus Berberum.* ibid.
CAP. XV. *De Paſſulis Majoribus.* ibid.
CAP. XVI. *De Paſſulis Minoribus ſeu Corinthiacis.* 173
CAP. XVII. *De Ribibus.* ibid.
CAP. XVIII. *De Fructibus Cacao.* ibid.
CAP. XIX. *De Fructibus Coffée.* ibid.
CAP. XX. *De Vaniglia.* 174
CAP. XXI. *De Siliquis dulcibus.* ibid.
CAP. XXII. *De Fructibus Been.* ibid.
CAP. XXIII. *De Nuce Moſchata.* ibid.
CAP. XXIV. *De Gallis.* 175
CAP. XXV. *De Caryophyllis Aromaticis.* ibid.

SECTIO V.

De Purgantibus.

CAPUT I. *De Scammonio.* ibid.
CAP. II. *De Mechoacanna.* ibid.
CAP. III. *De Jalappa.* 176
CAP. IV. *De Agarico.* ibid.
CAP. V. *De Euphorbio.* ibid.
CAP. VI. *De Elaterio.* ibid.
CAP. VII. *De Gummi Gutta.* 177
CAP. VIII. *De Helleboro nigro.* ibid.
CAP. IX. *De Helleboro albo.* ibid.
CAP. X. *De Turbith.* ibid.
CAP. XI. *De Hermodactylis.* ibid.
CAP. XII. *De Eſula.* ibid.
CAP. XIII. *De Manna.* ibid.
CAP. XIV. *De Rhabarbaro.* ibid.
CAP. XV. *De Tamarindis.* ibid.
CAP. XVI. *De Polypodio.* 179
CAP. XVII. *De Aloe.* ibid.
CAP. XVIII. *De Foliis Sennæ.* 180
CAP. XIX. *De Caſſia fiſtulari.* ibid.
CAP. XX. *De Seminibus Carthami.* ibid.
CAP. XXI. *De Myrobalanis.* ibid.
CAP. XXII. *De Colocynthide.* 181
CAP. XXIII. *De Granis Tilli.* ibid.
CAP. XXIV. *De Seminibus Cataputiæ.* ibid.

SECTIO VI.

De Balſamis.

CAPUT I. *De Balſamo Peruviano.* ibid.
CAP. II. *De Balſamo de Copaiva.* 182
CAP. III. *De Balſamo de Mecca.* ibid.
CAP. IV. *De Balſamo de Tolu.* ibid.
CAP. V. *De Opobalſamo.* ibid.
CAP. VI. *De Liquidambra.* ibid.
CAP. VII. *De Therebinthina.* 183
CAP. VIII. *De Benzoe.* ibid.
CAP. IX. *De Styrace.* ibid.
CAP. X. *De Maſtiche.* 184
CAP. XI. *De Myrrha.* ibid.
CAP. XII. *De Tacamahaca.* ibid.
CAP. XIII. *De Labdano.* 185
CAP. XIV. *De Gummi Elemi.* ibid.
CAP. XV. *De Gummi Anime.* ibid.
CAP. XVI. *De Olibano.* ibid.
CAP. XVII. *De Camphora.* ibid.
CAP. XVIII. *De Gummi Ammoniaco.* 186
CAP. XIX. *De Aſa fœtida.* ibid.
CAP. XX. *De Gummi Galbano.* 187
CAP. XXI. *De Gummi Bdellio.* ibid.
CAP. XXII. *De Gummi Sagapeno.* ibid.
CAP. XXIII. *De Gummi Opopanace.* ibid.
CAP. XXIV. *De Sandaracha.* ibid.
CAP. XXV. *De Gummi Arabico.* ibid.
CAP. XXVI. *De Sanguine Draconis.* 188.
CAP. XXVII. *De Gummi Hederæ.* ibid.

SECTIO VIII.

De Succis.

CAPUT I. *De Opio.* ibid.
CAP. II. *De Terra Catechu.* 189
CAP. III. *De Succo Glycyrrhizæ ſeu Liquiritiæ.* ibid.
CAP. IV. *De Succo Acaciæ.* ibid.
CAP. V. *De Saccharo.* ibid.

SECTIO IX.

De Viribus Herbarum. 190

FRIDE-

FRIDERICI HOFFMANNI HISTORIA CORPORIS HUMANI ANATOMICA, CUM USU EJUSDEM IN PHYSIOLOGIA, PATHOLOGIA ET CHIRURGIA.

CAPUT I.

De Cuticula.

Conſideratio cuticulæ anatomica & phyſiologica.

§. I.

PRIMUM integumentum noſtri corporis eſt cuticula, quam Græci epidermidem appellant, & eſt membrana ratione texturæ firma, diaphana, omnis ſenſus expers, cuti per filamenta ſubtiliora nervea firmiſſime adhærens, variis uſibus dicata.

Scholion.

Quod cuticula ſit firma ſolida membrana, vel ex eo cognoſcitur, quod materia liquida in veſicis cuticulæ contenta non tam facile tranſpiret vel effluat, ſed opus ſit, ſi effluere vel evacuari debet, apertione. Deinde quod cutis filamentis firmiſſime adhæreat, vel ex eo dijudicandum venit, quia non niſi ignis violentia vel affluxu copioſioris lymphæ ex cutis vaſculis, vel etiam diuturna immerſione partis in aquam calidam vel per veſicatorium exterius applicatum ſeparari poteſt. Separationem cuticulæ per immerſionem in aquam calidam propoſuit NUCKIUS.

§. II.

Cuticula eſt pars corporis peculiariter ſtructa atque in utero efformata, neque, ut vulgaris eſt opinio, vaporibus & exhalationibus e corpore externo frigore coagulatis & preſſione atmoſphæræ conglutinatis debetur.

Scholion.

Sententia vulgaris hæc eſt, quod tenuior pars lymphæ nutritiæ, quæ effluit ex orificiis vaſculorum cutis a craſſiori evaporet, ejus partes poſtea coeant atque agglutinentur, non ſecus ac videmus in præparatione extractorum tenuem pelliculam gigni; ſed potius eſt, ut cum Veteribus loquar, ſpermatica ad formationem & eſſentiam corporis humani pertinens, qua carere homo minime poteſt.

§. III.

Cuticula partim ab expanſione ductuum cutis excretoriorum & fibrillarum nervearum & tendinoſarum tenuiſſima, quæ minimas ſquammulas ſive lamellas inter ſe cohærentes conficiunt, originem habet.

Scholion.

Hæc eſt ſententia RUYSCHII & LEUWENHOECKII, qui poſterior ex ſquammulis etiam inſtar piſcium minimis cuticulam eſſe compoſitam confirmat. Videri hac de re poſſunt *Tranſact. Anglic. pag.* 542. & LEUWENHOECKIUS ſquammularum iſtarum ſtrata ſibi invicem incumbentia per microſcopium annotavit atque ex ſquammularum interſtitiis, non vero fora-

minulis ſudoris guttulas erumpere obſervavit. Alii, quod ex pelliculis ſibi invicem incumbentibus cuticula conſtaret, affirmant, quia ſic craſſior facta eſt & inſtar cepæ dividi poteſt.

§. IV.

Cuticula copioſis poris prædita eſt, in quos ſudorifera cutis vaſcula terminantur, ac etiam firmamentum præbet ipſis pilis.

Scholion.

Quia totum corpus ex auctoritate HIPPOCRATIS & ſpirabile eſt & inſpirabile, quod etiam per experientiam certum eſt & confirmatum, hinc nullum eſt dubium ipſaque docet autopſia, materiam humidam tranſire per cuticulam, cujus pori ſunt conſpicui, qui etiam firmamentum præbent ipſis pilis, quos apte excipiunt & firmiter in ſedibus retinent, quare, ſi cuticula caſu eroditur, pili firmamento ſuo & filamentis deſtituti defluunt & evelli poſſunt.

§. V.

In volis manuum præcipue hominum laborioſorum & pedum plantis durior eſt cuticula, mollior ac rarior in facie & ob eam rationem facile ibi tranſparent capillaria vaſcula ſanguifera, cum contra cuticula propter duritiem in manuum volis & pedum plantis facile callum contrahat, idque ob pororum factam compreſſionem, dum ſuccus nutritius fibrillis non amplius interponitur, ſed per compreſſionem agglutinatur.

§. VI.

Cuticula variis uſibus gaudet. Primo eſt operculum extremitatum vaſorum in cutem hiantium; deinde æqualitatem cuti conciliat & multum ad pulchritudinem confert; denique temperat ſenſum tactus, & impedit, quo minus papillulæ nerveæ, quæ tactus organa ſunt, ſubſtratæ ab objectis externis lædantur.

Scholion.

Cuticula occludit orificia tubulorum excretoriorum cutis, & ſic moderatur tranſpirationem & nimium humiditatis & vaporis exitum. Nimia enim eſſet humorum ea abſente effuſio, ſicuti videmus plorare continuo cutim humorem, ſi per ambuſtionem fuerit ſublata.

§. VII.

Qua de cauſa, ubi cutis nimis dura fit & callum contrahit, evaporatio impeditur, quamobrem in pedibus pediluviis frequentius opus eſt, ut calloſa admodum cutis facile emolliatur. Reprehendendus hoc loco eſt communis Chirurgorum error, cum tranſpirationem impoſitis emplaſtris, quæ impactam materiam relinquunt, difficiliorem reddant, unde venit, ut dolores exacerbentur & aliæ cutis læſiones ægrius coaleſcant. Frictiones, quoniam cutis ac cuticulæ poros aperiunt, tranſpirationem egregie adjuvant, & apud antiquos Medicos maximo in uſu & pretio ſemper fuerunt, ea propter, quod non modo tranſpirationem promovent, ſed etiam humorum impetum ab aliis remotis partibus divertunt.

§. VIII.

Cuticula, quo purior, mollior ac magis polita eſt in facie, eo pulchrior apparet facies, quare cuticula eſt pulchritudinis ſedes.

Scholion.

Coſmetica, quæ pulchritudini conciliandæ dicata ſunt, vix alium uſum habent, quam ut abſtergant ſordes ac mollem & politam cuticulam reddant. Mirifice hanc in rem faciunt axungia humana cum ſpermate ceti, cera alba, & addito oleo tartari per deliquium ac balſamo de Copaiva in linimentum redacta; item aqua Martia pluvialis diuturna putredine depurata.

Conſideratio cuticulæ pathologica & chirurgica.

§. IX.

Ad ſtatum præternaturalem ſpectat nimia cuticulæ durities & calloſitas in pedum plantis; quæ facillime gignitur atque ex particulis e nutritione cutis relictis ſalſis & viſcidis ibidem contentis & compreſſis originem trahit.

Scholion.

Evaporant continuo ex cuticula vapores, qui ſordes in interſtitiis pororum mucoſas & pingues relinquunt, quæ ſudore potiſſimum reſolvuntur ac ſapore abſtergi poſſunt. Veſtigia harum ſordium a tranſpiratione relictarum quam maxime apparent in induſiis, unde ex induſiorum colore & ſorditie tranſpirationis conditio, qualitas & quantitas optime poſſunt dignoſci. Quando itaque tranſpiratio impeditur, & hæ ſordes ſalſæ & viſcidæ ſub cuticula colliguntur, variæ veſiculæ & papulæ elevantur.

§. X.

Cuticula in veſiculas elevatur a veſicatoriis, quæ ſale acri cauſtico ſubtili agunt, & ab igne; quia vaſcula cutim cum cuticula connectentia ſolvendo & deſtruendo majorem effluxum humorum ſeroſorum producunt, qui per cuticulam adeo celeriter evaporare nequeunt.

Scholion.

Non tantummodo a motu & ſpaſtica conſtrictione elevatur cuticula in veſicas, ſed & ab atonia, ſive a nimia fibrarum reſolutione, deſtructione ſenſationis id accidit; quemadmodum id evenit in membris ſphacelo tactis; ita etiam in mortuis ſæpe aſſurgunt magnæ veſicæ in artubus, præſertim in plethoricis, & qui ex interna putredine vel ſubito a veneno ſumto viſam amiſerunt.

§. XI.

Ex morbis cuticulæ, qui ipſam quoque cutim afficiunt, principem locum obtinet pruritus, qui non modo in infantibus, ſed etiam in adultis ex inordinata victus ratione vel etiam in ſexu ſequiori ex menſium ſtagnatione tantus fit, ut vix ungues ſufficiant; adeo, ut, quo magis ſcabendo dilaceratur cuticula, eo plus pruritus creſcat; nullam aliam agnoſcit cauſam, quam lympham ſumme acrem, cujus per cutis vaſcula ingens fit affluxus, ut tota quaſi excoriata & quaſi ulcus manans videatur.

§. XII.

Cuticula in læſionibus cutis non ita expedite & facile gignitur, præſertim, ſi nimia humiditas ibi prædominetur.

Scholion.

Scholion.

Tam facile patet ratio, quare in excoriationibus, quæ fiunt a ſcabie, pruritu vel exanthematibus ſcorbuticis, item infantibus etiam lactantibus exſiccantia ut ceruſſa, lapis calaminaris, lintea raſa ad cuticulæ amiſſæ reſtaurationem magnum uſum præſtent.

§. XIII.

Poſt morbos tam acutos quam chronicos non raro tota cuticula cum capillis decidit & nova ſuccreſcit, non aliam ob cauſam, quam quod ob defectum ſucci nutritii in morbis cutis ſe coarctet & arida fiat; affluente autem poſt reconvaleſcentiam ſucco nutritio copioſiori cuticula quaſi mortua & arida ſeparatur & nova exurgit.

Scholion.

Ex his jam facile poteſt reddi cauſa, quare cervi cornua, viperæ & ſerpentes cutem, & cancri teſtas & cruſtas verno tempore deponant. Hyeme enim ſufficienti ſucco nutritio deficiente extremitates exareſcunt; poſtea ob victum uberiorem, & incrementum ſanguinis & ſucci nutritii affluentis partes hæ aridæ & quaſi mortuæ vi quadam a vivis partibus ſeparentur.

§. XIV.

Quæſtio hic occurrit, num cuticula vitiata ita ſeparari poſſit arte a cute præſertim faciei, ut poſtea nitidior atque tenerior ſuccedat? Inter Italarum muliercularum coſmetica vulgo hoc præcipuum eſt, ut cuticula certis artificiis a facie ſibi detrahi curent, ut tenerior & albedior poſtea ſuccedat. Atque idem Tibulli jam ætate in more poſitum fuiſſe poteſt concludi ex verſu quem *Eleg. I. verſ.* 8. habet:

Tollere dum cura eſt albos a ſtirpe capillos
Et faciem demta pelle referre novam.

Verum enim vero experientia huic opinioni non reſpondet. Videmus enim, poſt cuticulam decidentem in morbis, ſive in facie fiat, ſive in aliis partibus, faciem non pulchriorem reddi. Deturpatus enim color & ſtatus faciei non tam a cuticula quam a ſubſtrata cute, ejuſque ſtructura integra & ſucco lymphatico, qui per eam circulatur, dependet.

§. XV.

Quæſtio etiam occurrit, num in variolis maculæ, foramina & cavitates cuticulæ artificio quodam impediri queant? Res ita decidenda venit. Si materia varioloſa altius ſerpit ac fibras & vaſcula ſubcutanea lædit, exulcerationeſque profundiores ſunt, foveæ non tam facile in totum impediri poſſunt, quod fit maxime in corporibus, quæ intemperatis & ſalſis ſuccis repleta ſunt; ſi vero ulcuſcula in ſuperficie hærent ac cuticulam in magnas veſicas extollunt, tunc maturior apertio vel fotus infuſi herbæ Thée vel veronicæ ad faciem admiſſus deliniendo acrimoniam impedit, quo minus materia varioloſa profundius ſerpat.

CAPUT II.

De Cute.

Conſideratio cutis anatomica & phyſiologica.

§. XVI.

Cutis eſt membrana ſui generis, id eſt peculiaris ex fibris nerveis & tendineis conſtructa, vaſorum extremitatibus intertexta & certis uſibus deſtinata.

Scholion.

Membrana dicitur, quia eſt candida & expanſiva & alias partes tegit, vel cuſtodit; ſed tamen peculiaris eſt membrana, quia canaliculis excretoriis gaudet, quia ex nerveis & tendineis eſt conſtructa, quia poris manifeſtis eſt donata, & ſenſu exquiſito prædita, glandulis etiam obſita & pilis, qui poris inſident; maxime vero omnium illud peculiare habet, quod valde elaſtica ſit, id eſt mirum in modum expandi poſſit & ceſſante vi expandente eam rurſus coarctari. Vim cutis elaſticam demonſtrat hydropicorum & gravidarum conditio.

§. XVII.

Cutis optime in duas lamellas diſpeſcitur, quarum exterior ex fibris magis tenſibilibus, ſenſibilioribus & ſubtilioribus; interior vero ex craſſioribus, poroſioribus fibris & tendinibus muſculorum ſubſtratis eſt contexta.

Scholion.

Nonnulli anatomicorum comparant cutim cum cortice mali citrii vel aurantii; in quo exterior pars longe ſubtilioris, ſolidioris & tenſioris texturæ eſt, interior vero rudioris, craſſioris & denſioris. Nonnulli partem ſuperiorem cutis dicunt eſſe ſpermaticam, interiorem vero a ſanguine & ſucco nutritio dependere, unde cauſam allegare ſolent, quod vulneratæ fibræ cutis exterioris nerveæ nunquam recte rurſus coaleſcant, ſed in cicatricem abeant deformem.

§. XVIII.

Superſtructa eſt cuti membrana ſubtiliſſima, quæ vulgo appellatur rete mirabile Malpighii. Hoc ex papillulis pyramidalibus nerveis exquiſitæ ſenſationis eſt compoſitum, atque a Malpighio *in libro de tactus organo* deſcriptum, atque etiam inventum conſtituitque genuinum tactus organon.

Scholion.

Cuticulæ hoc rete Malpighii firmiſſime adhæret & manifeſto conſpicitur cuticula detracta in volis manuum plantiſque pedum, præcipue in digitorum apicibus; atque papillulæ, ex quibus conſtat, nihil aliud ſunt quam nervorum extremitates; & ſicuti in lingua ejuſmodi papillulæ, tanquam extremitates nervorum, genuinum guſtus inſtrumentum conſtituunt, ita illæ ipſæ in cute tactus organon efficiunt. Figuræ ſunt pyramidalis, & in lingua figuram obtinent orbicularem ſive fungoſam. Neque vero in univerſo corpore illud rete Malpighianum tam clare perſpicitur quam in manibus & apicibus digitorum, quia ibi maxime tactus celebratur.

§. XIX.

Adhæret cutis firmiter pinguedini, a qua etiam accurate neque ſine difficultate cultro anatomico debet ſeparari; atque per pinguedinem abeunt vaſa ſanguifera tam arterioſa quam venoſa, item filamenta tendinoſa ac nervoſa ad cutim.

Scholion.

Vaſa ſanguinea venoſa, quæ ſectione aperiuntur, ſuperſtrata ſunt pinguedini, eaque ſatis ampla & capacia in pedibus & manibus conſpiciuntur; arterioſa vero vaſa profundius latitant ſub muſculis & pinguedine, & non niſi tenuiſſimas propagines, quæ nec in viſum incurrunt, nec tactu capi nec inſtrumento tangi poſſunt, emittunt. Muſculorum vero tendines per filamenta quædam interventu pinguedinis ad ipſam cutim ferri manifeſto conſpicitur in tendinibus muſculorum abdominis, qui ſeſe interne miſcent cum pinguedine & cute.

§. XX.

Sub cute recentiores Anatomici, ex quibus præcipuus eſt Nicolaus Steno, copioſas glandulas miliares poſitas eſſe ſtatuunt, quæ ſudoris materiam ſeparent, eamque per excretorios tubulos tam majores quam minores, quos poros vocant, ad ſuperficiem cutis evehant. Verum enim vero has glandulas facile invenire non licet, ut ut etiam quiſpiam accuratiori microſcopio ſit munitus. Neque tamen negamus, ſub axillis & in inguine glandulas eſſe poſitas majoris etiam magnitudinis, quæ facile tactu deprehendi poſſunt, neque peculiari uſu deſtituuntur.

Scholion.

Enata hinc procul dubio fuit hæc hypotheſis ſeu ſententia, dari copioſas ſubcutaneas glandulas ſudoriferas, quia inſtar axiomatis fuit habitum, quod ſecretiones humorum in univerſo corpore non aliter fiant quam per glandulas; verum non univerſale eſſe hoc dogma, exemplo eſſe poteſt ſecretio ſeminis, quæ etiam in teſtibus non glanduloſis ſed mere vaſculoſis perficitur: denique ſecretio ſucci nutritii qui partes corporis ſolidas auget & reſtituit, nullibi deprehenditur quod fiat glandularum interventu; ſed potius ſecretio etiam in tubuloſa partium ſubſtantia, modo humores ſecernendi diametris vaſorum ſecretoriorum reſpondeant, commodiſſime fieri poteſt; atque eadem ratione etiam in cute vaporis & materiæ, quæ ſudorem conſtituit, ſecretionem fieri exiſtimamus.

§. XXI.

Cutis nutritur ſucco roſcido lymphatico, qui ex tubulis ac poris arteriolarum exſudat cutiſque filamentis apponitur, & prout hic ſuccus colore atque textura differt, ita differt etiam cutis textura & color.

Scholion.

Hujus aſſerti ratio clariſſime ipſa experientia confirmatur. Etenim in morboſo ſtatu, atque præſertim in morbis chronicis, ubi viſcerum, qua ſanguinis depurationi inſerviunt, labes ſubeſt, mirum in modum cutis color vitiatur. Ita in ictero ob ſecretionem vel excretionem bilis impeditam ejuſque ad maſſam ſanguinis & lymphæ regurgitationem cutis flaveſcit. In cachexia & hydrope, ubi identidem viſcera abdominis magnam labem, a qua nec hepar nec lien nec pancreas ſunt immunia, lividum ac plumbeum colorem univerſa cutis contrahit; atque hinc ex cutis colore naturali immutato non ſine ratione in arte periti interiorum & viſcerum maxime vitia cognoſcere poſſunt & ſolent. In ſtatu ſecundum naturam pro differentia ætatum, temperamentorum, vitæ generis ac anni temporum non levis in cute apparet ratione coloris mutatio, cum æſtate flavior & rubicundior, ſique hyems eſt, albidior appareat, & qui temperamenti ſunt phlegmatici cutem albidiorem, qui ſanguinei rubicundiorem, & floridiorem, qui melancholici fuſciorem, & flavidiorem qui cholerici ſunt poſſideant cutem.

§. XXII.

Cum color cutis a diſpoſitione & craſi ſucci lymphatici nutritii dependeat, ratio in proclivi eſt, eum nullis auxiliis externis unquam poſſe immutari, niſi univerſa humorum maſſa quoad temperiem & texturam fuerit correcta vel in præternaturali ſtatu cauſæ, quæ morbum & vitiatum inferunt colorem, fuerint ſublatæ.

§. XXIII.

Ingens eſt differentia cutis ratione craſſitiei, ſiquidem in capite eſt craſſiſſima, poſtea in collo mediocriter craſſa & in lateribus, dura in cervice, dorſo plantiſque pedum, mollior & rarior in facie, & tenuiſſima in glande penis. Deinde firmiſſime adhæret auribus, fronti, labiis & digitis pedum, item manibus & manuum volis. In pueris fœminiſque & phlegmaticis ſubjectis mollior & ſpongioſior eſt cutis, in juvenibus præcipue temperamenti cholerici magis tenſa & ſenſibilis nec non tenuior, in ſenibus & melancholicis & tempore hyemali dura, firma & conſtricta.

§. XXIV.

Ratio diverſæ texturæ cutis cauſam ſuggerit, quare dolores cujuſcunque generis mitiores ſint in molliori laxiori, & ſpongioſiori corporis habitu ut puerorum & fœminarum, quam in corpore juvenili & cholerico, ubi propter teneritudinem & majorem tenſionem ſolent eſſe acutiſſimi, adeo, ut non raro in iis ſtruant vitæ periculum, niſi naturæ mitigando opem feramus. Ratio hinc etiam petenda eſt, quare ambuſtiones, exulcerationes in variolis longe pericuioſiores ſint, ſi ætas eſt juvenilis, quam ſi quis verſatur in infantia vel pueritia ac molliori cutis habitu ſit inſtructus. Patet denique ex eo ratio, quare longe intenſiores dolores ex podagra laborantes patiantur ægri in juvenili & virili quam ſenili ætate.

§. XXV.

Univerſa cutis propter fibroſam ejus texturam ſingulari tono ac potentia elaſtica gaudet, quæ in eo conſiſtit, ut valde poſſit dilatari a cauſa nempe interna & hac ceſſante etiam coarctari ſive in priſtinum ſtatum reſtitui.

Scholion.

Ita mirifice dilatari cutem animadvertimus in gravidis, in hydropicis & ubi ingens inteſtinorum moles in ſcrotum prolapſa fuerit. In gangræna quoque & aliis tumoribus ingens eſt cutis diſtenſio; manifeſto vero ſe contrahit in ſenibus & iis, qui tabe conficiuntur.

§. XXVI.

Univerſa cutis peculiari ſpecie motus, qui vocatur tonus,

tonus, gaudet, cum animadvertamus, eam variis a cauſis vel nimis coarctari & conſtringi, vel etiam relaxari.

Scholion.

Ita obſervamus, ab aere frigido, ventis ſeptentrionalibus item a terrore ac in ſtatu præternaturali a dolore ſpaſmiſque primarum viarum cutim notabiliter conſtringi, ejus poros contrahi ſicque humoris tranſpirabilis & ſudoris exitum impediri; ita, ut durior & aſperior evadat & quaſi in monticulos quoſdam inſurgat, quo in caſu vulgo dicitur die Gänſehaut. Contra ab aere humido & calido, ſique ver vel autumnus eſt, aut nocturno tempore, vel ſi venti regnant auſtrales & occidentales, cutis valde relaxatur, ampliatur, intumeſcit, pori aperiuntur, ſudor largius effluit, & cutis mollis, rara & ſpongioſa evadit, idque maxime contingit ſub remiſſione febrium vel aliorum ſpaſticorum affectuum intermiſſione.

§. XXVII.

Tonus cutis ejuſque peculiaris ſenſibilitas maxime dependet a ſanguinis ſubtilioris per arteriolas & liquidi nervei per nervos influxu, ſiquidem ramificationes ſubtiliſſimæ ex multis nervorum paribus ad cutem abeunt & ſparguntur.

Scholion.

De diſtributione nervorum ex pari quinto, intercoſtali, vago, cervicali ſecundo, ſexto dorſali, & inferioribus lumborum, & cruralibus inter omnia meretur legi Vieussens in Nevrologia. Quemadmodum vero omnis motus partium ſolidarum in univerſo corpore, omne robur & potentia elaſtica, reſiſtens etiam, nec non motus partium voluntarius ab influxu convenienti fluidi ſanguinei & nervei dependet, adeo ut per ligaturam vaſis arterioſi & nervi vel etiam per utriuſque vaſis diſciſſionem, influxu ſufflaminato ſtatim hæc omnia exſpirent, ita nullum eſt dubium, quin ſenſus, tonus & motus etiam cutis ab his dependeat cauſis.

§. XXVIII.

Senſatio cutis quæ non ſine motu intelligi poteſt, ut plane peculiaris in iis animadvertitur, quibus ea læſa fuit a vulnere, ſic ut cicatricem contraxerit; ſiquidem hi tempeſtatum mutationes promtiſſime præſentiunt, ita, ut commode etiam eas prænuntiare poſſint; quia atmoſphæra mutata a ventis, qui tempeſtates afferunt, peculiarem motus ſpeciem, videlicet tractionem, vellicationem & irritationem in ea efficiunt.

§. XXIX.

Propter diverſam cutis ſenſibilitatem fit, ut vulnerati vel ii, qui dolorem vel inflammationem in ea paſſi fuerunt, non æque bene omnis generis topica ferre poſſint, ita, ut id, quod unum juvat, alterum ſæpius lædat.

Scholion.

Hoc aſſertum vel maxime Chirurgorum experimentis confirmatur, qui optime ſciunt, non omnes homines neque omnes læſiones ferre poſſe emplaſtra, vel etiam linimenta, aut cataplaſmata pinguia vel humida, ſed interdum etiam lædi a ſpirituoſis linimentis & emplaſtris calidioribus. Medicis quoque non ignotum eſt, quoſdam doloribus articulorum vexatos, vel inflammatione cujuſdam partis laborantes ægerrime ſæpius affici a topicis, adeo, ut non ſine periculo & materiæ peccantis retroceſſione partibus languentibus emplaſtra, cataplaſmata vel etiam ſpirituoſa admoveantur. Multum itaque refert, noſſe ægrotantium in applicatione externorum naturam & habitudinem ſive potius ſenſibilitatem cutis. Perpetuum fere illud eſſe ſolet, quod qui teneriores & ſenſibiliores fibras obtinent, ut cholerici ſunt, minus commode ferre poſſint ſpirituoſa vel omnia calida acria, quæ magis conveniunt iis, quorum fibræ molliores & laxiores ſunt, ut phlegmaticis & frigidis; utpote quibus omnia oleoſa pinguia nec non frigida & humida ſunt inimica.

§. XXX.

Cutis non tantum tenuiſſimis nervorum ramificationibus, quæ ſenſum tactus efficiunt, ac robur, motum, elaterem & tonum ipſi largiuntur, ſed etiam plurimis ac minimis arteriarum & venarum ramificationibus, quæ ex intercoſtalibus, lumbaribus, epigaſtricis, cruralibus, carotidibus & jugularibus externis oriuntur, intertexta eſt, a quibus non modo ſuccus nutritius, ſed præcipue omnium etiam materia illa, quæ per vaporem vel per ſudorem fertur ac tranſpirat, ſalſa tenuior adducitur.

Scholion.

Cutis tota eſt perſpirabilis & tranſpirabilis atque innumeris tubulis excretoriis, majoribus & minoribus vel etiam poris inſtructa, per quos non modo calore adapertos continuo exhalat vapor quidam, qui frigore condenſatus maxime viſum incurrit, ſed etiam humida ſalſa materia guttatim exſtillat, quæ conſpicitur in ſudore.

§. XXXI.

Tubuli excretorii, qui evehunt materiam ſudoris, ſunt continuationes arteriolarum ſive vaſculorum ſanguinem advehentium, ſiquidem hæc tandem deſinunt diametro facto minori & anguſtiori in excretoria vaſcula.

Scholion.

Error eſt anatomicus, tranſpirationem & ſudoris excretionem tantummodo fieri per glandulas, quæ tamen minime in ſenſus incurrunt; ſed potius rationi conſentaneum eſt, ipſa vaſa ſanguifera adducentia, per quæ intelligimus arterias, tandem deſinere in innumeros tubulos patulos cuti intertextos, per quos materia e corpore evehenda exit.

§. XXXII.

Non alius itaque uſus cutis eſt quam ut primo ſit tactus organon, deinde univerſale cribrum & emunctorium totius corporis, cujus beneficio omne illud humidum excrementitium, quod ſuperfluum, incongruum & vitalibus ſuccis inimicum eſt, eliminetur, uno verbo, ut ſit tranſpirationis ſaluberrimæ, ſine qua vita & ſanitas conſiſtere nequeunt, accommodatum organon.

Conſideratio cutis pathologico-practica.

§. XXXIII.

Qui fixam in cute ſedem habent, morbi ſunt ſequentes. Primus eſt nimius ſudor, adeo, ut citra externum calorem vel teporem ſudor diffluat &

guttatim exſtillet, idque fit maxime a nimis relaxato & debilitato cutis tubulorumque excretoriorum tono.

Scholion.

Frequentiſſimum id evenit hecticis & febre lenta laborantibus, item poſt paroxyſmos febrium intermittentium ſudores largiſſime profluere ſolent, & denique ii, qui morbo diuturno confecti ſunt & ſtomacho languido ac digeſtione depravata laborant, eo præſertim tempore, quo chyli diſtributio fit, ſudores valde copioſos habent, qui vero non fiunt ex robore naturæ, id eſt, circulo ſanguinis aucto & tono ac robore partium ſolidarum, ſed potius, ut cum vulgo loquamur, ex imbecillitate naturæ, id eſt, ex tono partium & maxime ipſius cutis dejecto, dum nimium relaxatis his partibus ſanguis & humores ibi hærent, non bene progrediuntur ac ita ſerum ſecedit a ſanguine & per cutis tubulos elabitur; unde patet ratio, cur omnibus debilibus ac languentibus perquam familiares ſint copioſi ſudores; item, quare refrigerantia acida, nitroſa & adſtringentia plus noceant quam proſint, roborantia vero, ſtomachica & temperate balſamica in coercendis his ſudoribus optimum levamen adferant, eam videlicet ob rationem, quia tonum & robur partibus ſolidis addunt & fluidorum circulum reſtituunt. Nocent quoque in iis ſudoribus opiata omniaque anodyna, quia atoniam augent, cum alias hæc ipſa, ubi ſudor ex nimia ſtrictura ſuppreſſus eſt, ut in gravioribus doloribus & febre, relaxando poros & tubulos ſudorem proliciant; qua de re legi poteſt diſſertatio egregia olim conſcripta ab ETTMULLERO *Profeſſore Lipſienſi de virtute opii diaphoretica.*

§. XXXIV.

Secundo rigor & horror cum refrigeratione cutis, præſertim partium externarum, fixam quoque ſedem in ipſa cute ejuſque fibroſis, nervoſis ac tendinoſis nimium conſtrictis partibus & vaſis ſanguiferis compreſſis obtinent.

Scholion.

Symptomata hæc ſunt perquam familiaria in principio febrium intermittentium, omni gravi dolore & ſpaſmodicis paſſionibus, cujus generis ſunt iſta pathemata, quæ hypochondriacis & hyſtericis eveniunt, utpote in quibus externa algent, conſtringuntur ac rigor in univerſo corpore quoad partes externas invadit. Quædam tamen inter horrorem & rigorem diſtinctio intercedit. In rigore enim rigidæ duræ ac aſperæ tantummodo ſunt externæ partes; in horrore vero tremunt & concutiuntur, quod tamen ſemper fit cum frigoris ſenſu. Sunt autem hæc accidentia cutis nihil aliud quam ſpecies toni cutis nimis conſtricti, ſive, ut clarius loquamur, cutis ſpaſmi, quo conſtringuntur fibræ ejus fortiter & ſubcutanea vaſcula tubulique excretorii comprimuntur, unde ſanguis ad & per habitum corporis non rite fluit neque vapor recte effluit, atque eandem ob cauſam ſub hiſce ſymptomatibus tranſpiratio valde eſt imminuta, ſanguis & humores ad interiora feruntur & congeſtiones periculi plenæ fiunt ſanguinis & humorum ad remotas ſæpe partes.

§. XXXV.

Tertio pororum cutis occluſio & inde tranſpiratio prohibita fit vel a cauſis externis, uti a frigore, linimentis & cataplaſmatibus adſtringentibus externe applicatis, vel ab animi affectu ut terrore, vel a cauſis internis ut ſpaſmis & doloribus. In graviori enim dolore & ſpaſmo partium internarum tubuli ſubcutanei conſtringuntur & tranſpiratio ſupprimitur; id quod etiam fit ab emeticis & acrioribus purgantibus.

§. XXXVI.

Quarto inter cutis vitia præcipuum etiam locum tenent tumores, quorum magna eſt differentia, prout nempe cauſæ differunt vel ipſæ etiam partes in cute ſunt affectæ.

§. XXXVII.

Conſiderandæ ergo ſunt primo verrucæ, quæ vel penſiles vel ſeſſiles ſunt. Utræque a lympha nutritia ex fibrillis vaſculiſque capillaribus in cutem deſinentibus laceratis effuſa & cutis texturam fibroſam extendente enaſcuntur. Illæ radice non adeo profunda ſunt inſtructæ & ligatura facile tolli poſſunt; hæ vero latiores in ſuperficie commodius exſcinduntur circulo cultro non adeo acuto facto vel etiam cauterio, quod foramini emplaſtri infigitur, applicato.

§. XXXVIII.

Calli ſeu clavi germanice Hüneraugen a condenſatione ſucci nutritii & compreſſione pororum ſubcutaneorum fiunt. Illi in cute, inprimis pedum, enaſci ſolent, & periculo non vacant, ſi quis tendines profundius læſerit, quia in corporibus impuris & ſenio confectis inflammatio facile ſuccedit & in ſphacelum abit.

§. XXXIX.

Tumores veſiculoſi, ubi cuticula in veſiculas attollitur humore quodam repletas, & ex his ſunt veſiculæ ſudoroſæ, quæ facile a ſudore acri ſuppreſſo tempore æſtatis a frigore admiſſo proveniunt. Impetigo identidem a lympha erodente ad cuticulam effuſa oritur inque cruſtas furfuraceas abit. Alphus ſeu morphæa germanice Weiſſer Ausſchlag dicitur, quando maculæ ſunt aſperiores majores ac ipſam epidermidem exulcerant & duram efficiunt. Huc referri etiam debet herpes, qui vel miliaris vel exedens eſt; illa cuticulam in puſtulas pruriginoſas ſemini milii ſimiles attollit, & latius proſerpit: hic vero ob humorem acrem & aquoſum cutem valde depaſcit, & latius diffundit. Quo etiam ſpectat *Zona*, quæ nihil aliud eſt quam herpetis ſpecies, & inſtar cinguli mediam abdominis partem circumducit; de quo poteſt legi exemplum in TULPIO, JOH. LANGIO in *Epiſt. Medicinali.* Pejus malum ex hiſce eſt *Lepra Arabum* quæ à Græcis ἐλεφαντίασις vocatur, ubi totius corporis cutis cum fœdis maculis ulceroſis, quæ in ſquamas abeunt cum dolore & pruritu, intumeſcit, indureſcit, & defœdatur. Mitior eſt ipſa *Scabies*, ubi in puſtulas magis vel minus humidas, a ſero acri ſtagnante productas cutis abit, & maxime in partibus extremis, manibus & pedibus moleſtias creat. Unde ſcabies eſt vel humida quum multum humorem effundit, vel ſicca ferina, quæ cum majori pruritu & moleſtia eſt conjuncta, & ſenibus & ſiccioris temperaturæ hominibus eſt familiarior.

§. XL.

Majoris vero periculi & acutior tumor eſt *Carbunculus* ſeu *Anthrax*, qui tumor cum atrociſſimo dolore & inflammatione junctus, profundiorem in cute ſedem figens; iſque eſt vel benignus, qui in ulcerationem tendit; vel malignus, qui facile abit in ſphacelum, & peſte affectis commune fere ſymptoma eſſe ſolet.

§. XLI.

§. XLI.

Pertinent huc porro *Variolæ*, quæ nonniſi exulcerationes a ſero ſanguinis ſtagnante intra cutem & cuticulam ſunt, eæque vel profundiores, adeoque magis inflammatoriæ & copioſiores, vel diſtinctæ & magis ſuperficiales, parum ardoris & periculi habentes; illæ cicatrices, hæ non facile eas relinquunt.

§. XLII.

Morbilli ſunt maculæ rubræ magnitudinis exilis, febre acuta motu critico intra tertium & quartum diem ad habitum corporis propulſæ, quæ citra ſuppurationem aliquot poſt dies evaneſcunt.

§. XLIII.

Purpura ſunt maculæ inſtar milii ſeminis, aſperæ tactu, & vel coloris rubicundi aut albi, quæ poſteriores veſiculis tenuibus aquoſis conſpicuæ ſunt, identidem cum febre propulſæ, & a putrida ac corrupta lympha ortæ, junctæ cum ingenti pruritu, atque etiam intra aliquot dierum intervallum diſparent. Si vero chronicum eſt malum, ſæpius per aliquot menſes durat, & quandoque etiam revertitur.

§. XLIV.

Inter maculas minus malignas referri etiam debent *maculæ hepaticæ flaveſcentes*, vel ex livido fuſcæ faciem maxime deturpantes, & æſtatis potiſſimum tempore conſpicuæ, & eo tempore quoque revertentes, ab excrementitiis, fæculentis & bilioſis particulis ex ſanguine huc delatis.

§. XLV.

Maculæ ſcorbuticæ lividæ ſunt & maxime femora & crura, interdum etiam brachia obſident, ſed majoris ſunt magnitudinis, & oriuntur a ſanguine corrupto vappido in tubulis ſubcutaneis ob viſcoſitatem ſtagnante.

§. XLVI.

Lentigines ſunt maculæ lentis magnitudine, faciem inprimis, quandoque etiam pedes defœdantes, pejores adhuc maculis hepaticis, & a ſolis radiis incumbentibus faciei in bilioſis impuris corporibus interdum oriuntur.

§. XLVII.

Ad vitia cutis referri etiam debent tumores glandularum, & inter hoc *Furunculus*, qui tumor eſt inflammatorius glandulæ ſubcutaneæ anguſtiori tamen termino circumſcriptus cum rubore ac calore, a ſanguine viſcido impuro ibi ſtagnante productus abeunte in exulcerationem, emollientibus præſertim ſi tractentur.

§. XLVIII.

Panaritium eſt tumor in extremitatibus digitorum, præſertim manuum, inflammatorius, a ſanguinis guttis quibuſdam inter perioſtium collectis, proveniens, vocari etiam ſolet *Paronychia*, jungitur dolor intolerabilis, & niſi mature ſuccurratur, gangræna ſupervenit.

§. XLIX.

Spectat huc quoque *tumor glandularum axillarium* inflammatorius, & in exulcerationem abiens, qui cum magno dolore & ardore, neque ſine febre invadit, ob ſanguinem in vaſis glandularum axillarium extravaſatum.

§. L.

Tumores glandularum inguinalium, vel cum, vel ſine exulceratione & inflammatione. Illi *Bubones* dicuntur, & ſæpius in abſceſſus abeunt; hi vero frequentes ſunt eryſipelate pedum affectis: Ut plurimum enim tertio poſt invaſionem die tument & dolent hæ glandulæ, citra abſceſſum vero cum tempore diſcutiuntur.

§. LI.

Referendi huc etiam ſunt *tumores glandularum ſubcutanearum*, magnitudine piſorum, in brachiis & pedibus hinc inde diſperſi, & tactu dignoſcibiles. Familiariſſima ſunt ſcabiei, præſertim quæ mali moris eſt, obnoxiis, atque cum dolore & inflammatione; neque facile ſcabies in totum deſinit, niſi prius tumoribus hiſce ſublatis.

§. LII.

Tumores glandularum Colli etiam inflammationis & doloris expertes a lympha viſcida ſtagnante ortæ, familiares ſunt admodum infantibus, & pueris qui tinea capitis, & achoribus, item defluxionibus acribus oculorum laborant; quos morbos hi tumores fovent, nec facile deſerunt, niſi prius hi fuerint diſcuſſi.

§. LIII.

In Coryza quoque & faucium exulceratione ac tumore ſub mento, ejuſmodi glanduloſi tumores conſpiciuntur, ſuppurationis expertes & calidis fomentis atque emollientibus cataplaſmatibus cedunt.

§. LIV.

Pejoris notæ ſunt *tumores glandularum ſalivalium* majoris magnitudinis, pone aures, quæ *Parotides* vocantur, quia cum inflammatione, intenſiſſimo dolore, ac rubore oriuntur, & non raro in ſuppurationem præſertim in infantibus abeunt, neque ſine febre eſſe ſolent, & periculoſum etiam febrium ſymptoma exiſtunt.

§. LV.

In glandulis colli tumores majoris magnitudinis creſcere ſolent a lympha ibi ſubſiſtente viſcida, qui vocari ſolent *Strumæ*, quæ ſi ingentem ad magnitudinem perveniunt, *ſcrophulæ* vocari ſolent.

§. LVI.

Eſt quoque ſpecies peculiaris tumoris, qui in capite conſiſtit, & inter cutim & pericranium colligitur ex ſucco nutritio extravaſato, ibique congeſto, & vocari ſolet *Talpa*.

§. LVII.

In ipſa facie notabiles ſunt *vari* qui tubercula ſunt non forte magnitudinem ſeminis cannabini excedentia, quæ ſebaceam & ſanguineam materiam in ſe continent; ſi ejus modi puſtulæ majoris ſunt

 magni-

magnitudinis, etiamque majori copia ſimul & ſemel faciem invadunt, ſuſpicionem excitant infectionis venereæ, præcipue a gonorrhœa per adſtringentia male curata. In ipſa facie etiam *gutta roſacea*, quæ tumor eſt faciei tuberoſus & puſtuloſus cum ardore & effluxu acris ichoris conſideranda eſt, qui affectus maxime æſtate affligit, neque facile ubi fixam poſuit ſedem cedit.

§. LVIII.

Ejuſdem farinæ tumor eſt, & magis ulceroſus, qui ipſam cutim capitis, & cranii exterius occupat, infantibus familiariſſimus, & vocari ſolet *tinea capitis*, vel *Cruſta Lattea*; proveniens a ſucco chyloſo nutritio vappido, acri, & corrupto.

CAPUT III.

De Pilis.

§. LIX.

PILI quoque ad cutem, adeoque ad corporis integumentum referri debent; quoniam pili omnibus partibus innaſcuntur, pedum plantis, & manuum palmis exceptis. Longiſſimi ſunt in capite, deinde in barba, breviores ſub axillis & regione inguinali, breviſſimi in reliquo corpore.

§. LX.

Quando ſubjiciuntur microſcopio tranſparentes ſunt, & variis modis interſtincti, ſed non cavi, vel medulla quadam repleti, ut aliorum eſt ſententia, ſuperficiem non exacte planam habent, ſed prominentiis variis præditam & quaſi lanugine ornatam. Creſcunt inſtar cujuſdam plantæ, quiſque enim pilus habet ſuum bulbum inhærentem, in pinguedine infra adhæreſcit nervorum & membranarum extremitatibus. Ob dolorem qui excitatur quando radix pili extrahitur, bulbus hic ſine dubio cavitatibus & vaſculis eſt inſtructus, uti videmus plumas, quæ loco pilorum in volucribus ſunt in infima parte, cavas & humore repletas.

§. LXI.

Nutriri ſolent non ſalſa extrementitia materia, ſed nutritio ſuperfluo ſucco; qui quoniam abundantior eſt in humidioribus ſubjectis & fœminis atque infantibus, ideo & facilius & majori copia in iis pili creſcunt; in ſenibus enim, ſiccis emarcidiſque corporibus, & poſt humidi conſumptionem a diuturna febre ob deficiens nutrimentum non creſcunt, ſed potius decidunt.

§. LXII.

Pro differentia ſucci nutritii, quin etiam reſpectu climatum multum variant, coloreque etiam differunt pili. Nam in regionibus frigidis albidiores & flavidiores ſunt, in temperatioribus fuſci, in calidioribus nigri; in ſenibus in canum mutantur colorem. Ratione texturæ, ſunt duriores in ſiccioribus & magis criſpi, uti videmus in Æthiopibus; in humidioribus vero fœminis & infantibus ſunt molliores. Cæterum de ſtructura pilorum curioſa legi meretur BIDLOO *in Anatomia. Act. Erud.* SUPPL. *Tom. II. ſect. 9. pag.* 436.

§. LXIII.

Quidam ex pilis connaſcuntur, quales ſunt in capite, ciliis & ſuperciliis; quidam certo tempore conſpiciuntur, qui exiſtunt in barba & pudendis. Uſum habent pili ut ſint corpori ornamento, eique tegumentum quoddam adverſus frigus præbeant, neque non poris ſubcutaneis ſeu ſudoriferis tubulis firmamentum quoddam præbeant. Præterea liberant corpus à ſuperfluo & inutili ſucco nutritio; unde nota ſunt exempla ubi à reſectione pilorum dolores capitis & fluxiones oculorum ceſſarunt, ut pote fortius poſt reſectionem creſcere ſolent.

Conſideratio Pathologica.

§. LXIV.

Ex morbis pilorum maxime eminet affectus plane peculiaris, & quidem in Polonia & Sileſia ſuperiori endemius, qui *Plicæ* inde *Polonicæ* nomine venit, & eſt nihil aliud quam inſignis copia pilorum invicem implicatorum, beneficio materiæ glutinoſæ, ita prorſus ut pugni magnitudinem & ultra ſæpius excedat.

Scholion.

Naſcitur hic tumor in capite, aliquando etiam, rarius tamen, in pudendis. Antequam hæc excretio fiat, homines variis affectibus & graviſſimis excruciantur; quidam gravi cephalalgia urgentur, alii fiunt maniaci, alii arthritici, nonnulli luis venereæ naturam æmulantibus torquentur; quæ pathemata omnia mox ceſſant, ſimul ac excretio hæc fit in capite; & plerumque hic morbus eſt hæreditarius, & ſæpius etiam ſemel curatus repetit. Qui portant plicam ſanæ ſunt conſtitutionis, modo eam non abſcindant, vel pectine turbent, alias gravia conſequuntur ſymptomata, interdum mors ipſa. Oritur maxime a victu valde ſpirituoſo, mulſo & cauſa hujus affectus eſt glandularum ſub cute capitis nimia relaxatio, & ductuum qui radices pilorum conſtituunt ampliatio; unde lympha valde glutinoſa quæ in pilos protruditur, & quæ ex poris exſtillat, agglutinationem inter ſe facit mutuam.

§. LXV.

Ad morbos capillorum ſpectat etiam eorum *defluvium*, quod ordinarie poſt diuturnos perverſos morbos, febres, præſertim tabem, phthiſin incipit & vel ob nutrimenti defectum, vel quod cutis pori nimis fuerint relaxati & glandulæ nimis exſiccatæ & aridæ naſcitur. Senes etiam hoc vitium frequentius corripit.

Scholion.

Quod a relaxatione & atonia cutis capitis hoc malum incidat, vel illud poteſt eſſe argumento, quia linimenta quæ tonum roborant, egregie huic vitio ſuccurrunt, uti eſt decoctum conorum pini ex cereviſia, item Eſſentia Benzoini adjecta ejuſmodi dictis. Si vero a nimia aridura, quale quod contingit in ſenibus, hoc accidit, tunc linimentum ex Radice Altheæ, ſpermate ceti, oleo amygdalarum dulcium, & Eſſentia ſtyracis paratum perficit.

§. LXVI.

Tertium genus morborum qui pilis familiare, eſt eorum *fiſſura*, dum funduntur in plura filamenta, præſertim in extremitatibus conſpicua. Provenit hoc vitium ex nutrimento impuro ſalſo, unde ſcorbuticos frequentius invadit.

§. LXVII.

§. LXVII.

Calvities quoque ſenili ætati admodum familiaris, a poris & glandulis cutis nimis coarctatis & compreſſis naſcitur. Ut itaque creſcant pili, ſi nempe ætas eſt virilis, opus eſt linimentis ſupra memoratis, qui cutis poros aperiunt, & humorem nutritium ad ſummam cutim alliciunt.

CAPUT IV.

De Unguibus.

§. LXVIII.

UNgues e papillulis nerveis, quæ cuti inſiſtunt, & reticulari ejus integumento inhæreſcunt elongatis coaliti videntur, uti MALPIGHIUS *de Org. Tact. p.* 23. latius deducit.

Scholion.

Peculiaria ad ungues ſpectantia vaſa JOB A MECKEREN *Obſ. Chirurg. cap.* 66. invenit, & ſtratum coccineum ſub unguibus, una cum glanduloſa ſubſtantia, deprehendit. Ex ſubſtantia valde ſenſibili nerveo-tendinoſa ungues creſcere vel ex eo apparet, quod ſi profundius paulo diſſecentur, & quidem ſecundum longitudinem, graviſſimus dolor exſurgat.

Conſideratio Pathologica.

§. LXIX.

Morbus qui ex unguibus procedit præcipuus eſt, ſi exulcerentur, quod ab externa læſione aliquando accidit, ſed cum ſummo dolore, neque in impuris corporibus ſine periculo.

Scholion.

In læſione unguium maximopere cavendum ab omnibus pinguibus, item oleoſis, quæ nunquam partibus nerveo-tendinoſis ſine læſione inferri poſſunt. Egregiam vero opem fert una vel altera guttula Balſami de Copaiva, ſeu Balſami Peruviani, vel olei Therebinthinæ, deſuper tegmine ex ſola cera impoſito, idque non modo ad dolores placandos, ſed & conſolidationem plurimum confert.

CAPUT V.

De Pinguedine.

§. LXX.

CUTI proxime ſubſternitur panniculus adipoſus, qui nihil aliud eſt quam membrana tranſparens, ex minimis ductibus, ſacculis, celluliſque quæ pinguem ſubſtantiam continent, compoſita, membranæ muſculorum ſuperſtrata.

Scholion.

MALPIGHIUS ſingulares ductus adipoſos conſtituit, qui in omento ranarum optime conſpiciuntur; ſed potius laterales ſunt hi ductus arteriolarum rami, ex quibus pinguis chyli & ſeri fertur ſubſtantia, ad loculos & cellulas, in membrana quæ baſis contentæ pinguedinis eſt.

§. LXXI.

Cellulæ ſeu ſacculi quæ continent pinguedinem racematim inter ſe invicem ſunt colligati, atque in corporibus macie confectis, vel quando pinguedo ſoluta fuit in aqua fervente, ad oculum patent.

Scholion.

Notatu hic loci dignum eſt quod non tantum in macie confectis, ſed interdum etiam in melancholicis vix ullum pinguedinis in corpore veſtigium reperiatur. Ita diſſecui tres melancholicos, & quidem primum qui ex melancholico delirio laqueo vitam finiit, & hic robuſti corporis, omni plane deſtitutus erat pinguedine. Alter erat ſtudioſus nobilis, qui ex variolis hic decedebat, melancholicæ etiam conſtitutionis, hic poſt ſectionem omni etiam carebat pinguedine. Tertia perſona erat fœmina, quæ ex melancholia arſenicum ſumpſit, & penitus etiam intus deſtituta erat pinguedine. Cæterum quoque illud monendum eſt, quod non ſemper omnes qui tabe vel phthiſi moriuntur careant pinguedine, ſed quandoque ſatis copioſa facta ſectione ea adhuc reperiatur.

§. LXXII.

Qui ex febre ardente laborant, in iis ſæpius celeriter fit pinguedinis conſumptio, quod etiam accidit in Hecticis.

Scholion.

A calore nimio colliquatur pinguedo, inque vaſa venoſa recipitur, & partim per ſudorem exhalat, partim cum urina emittitur, unde hecticorum urinæ effuſæ nullum ſtrepitum, ut fit cum oleis, edere ſolent, atque urinæ febricitantium ſupernatantem habent pelliculam quamdam varii coloris, quæ etiam lateribus vaſis urinarii ſeſe apponit.

§. LXXIII.

Reperitur pinguedinis magna quantitas ordinarie circa renes, omentum, meſenterium, cor, mammas, & circa glandulas, & quidem in illis externis membranis quæ has partes cingere ſolent. In fronte vero, palpebris, labiis, in pene, ſcroto, auribuſque pinguedo non viſitur.

Scholion.

Pinguedinem quæ intra corpus reperitur vulgo vocare ſolent axungiam, & paulo compactioris & craſſioris texturæ eſt. Pinguedo vero, quæ extra corpus reperitur inter muſculorum interſtitia, tenerioris & ſulphureæ magis indolis eſſe ſolet, unde etiam colorem magis ſervat flavum quam axungia. Partes vero extremæ carere ſolent pinguedine, quia nullius uſus ibi eſt, & frigus quoque, quod has partes magis tangit, ejus effluxum ex poris arteriolarum videtur prohibere.

§. LXXIV.

Circa umbilicum, nates, femora, ingens ordinario pinguedinis copia deprehenditur, quia ibi ingentis magnitudinis ſunt muſculi quorum interſtitia ordinario replere ſolet pinguedo, ut corpus ubique planum & æquale reddatur.

Scholion.

Pinguedo copioſa in natibus multum refert ad commodiorem ſeſſionem.

§. LXXV.

Differt etiam ratione copiæ pinguedo ſecundum temperamenta, ſexum, & habitum corporis.

Scholion.

Ita qui carnem habent laxiorem & ſpongioſiorem plus alunt pinguedinis quam qui habitus ſtrictioris ſunt. Deinde ſanguinei & ſanguineo-phlegmatici, item ſanguineo-melancholici majorem pinguedinis copiam gignunt & fovent, quam cholerici & melancholici. Fœminæ quoque plus habent pinguedinis quam ipſi viri, nam appoſitio pinguedinis requirit paulo tardiorem ſanguinis progreſſum, & calorem temperatum, qui in fœminis ſanguineis, & iis qui ſpongioſi ſunt habitus obſervatur.

§. LXXVI.

Materia pinguedinis non eſt ſanguis, ſed potius pinguis & butyroſa ſubſtantia ipſius chyli.

Scholion.

Si celeriter velimus ut pingueſcant animalia, verbi gratia ſues, capones &c. tunc includere oportet ea locis ubi carent motu; deinde alere ea oportet nutrimento quod copiam pinguis chyli ſuppeditat, cujus generis ſunt farina vel frumentum, hordeum, ſecale, triticum, fabæ, piſa tritura bene conquaſſata, item lac. Ad pinguefacienda animantia multum etiam confert aquæ calidæ potio, eoque non tantum hac ratione ex alimento ſubſtantia pinguis & oleaginoſa melius extrahatur, ſed & meatus, ad quos ſuccus nutritius ferri debet, in univerſo corpore melius aperiantur & explicentur, unde ſtratagematis loco eſt, ſi quis celeriter animalia pinguefacere velit, ut locis includat, & cum aqua calida optimum nutrimentum frequentius & partitis vicibus offerat. ALPINUS *in Medicina Ægyptior.* Methodum qua Ægyptiæ fœminæ celeriter pinguefiant tradit, hancque eſſe dicit; videlicet balneis frequenter utantur, & frequentius cibos interpoſita aquæ calidæ potione facilioris concoctionis aſſumant.

§. LXXVII.

Uſus pinguedinis eſt ut cedat in nutrimentum, quare obeſi diutius famem ſuſtinent quam macilenti; utpote pinguia & oleoſa ſoluta, & cum aqueo liquore intime mixta conſtituunt emulſionem, cujus etiam naturæ eſt ipſe chylus.

Scholion.

Hoc theorema uſum habet in Praxi; ſiquidem febre acuta & ardente qui laborant, ſi pingues & obeſi ſunt, non facile nutriendi ſunt, & diu ſine alimento vitam & vires ſuſtinere poſſunt. Si vero ſunt macilentiores & immodico calore corripiuntur, eos oportet citius, ut vim morbi ſuſtineant & vires ſerventur, commodo nutrimento alere.

§. LXXVIII.

Pinguedo acrimoniam quoque ſalſam, acrem humorem temperat, unde rarius videmus corpora ſcorbutica obeſa; omneſque ex ſale procedentes morbi, ſemper pejoris ſunt naturæ & effectus in macilentioribus, quam in pinguibus & ſucci plenis.

Scholion.

Salia omnis generis ſpiculis & aciebus eſſe inſtructa, quibus arroſiones & vellicationes ſolidarum partium efficiant, res clara atque manifeſta eſt; neque vero melius hæ acies & ſpicula ſalium involvuntur, & nocendi virtute privantur ac ſi cum pinguibus & oleoſis combinentur, utpote quæ quaſi involucro ſuo viſcido & ramoſo hæc ſpicula excipiunt, ut omni careant effectu. Ita notiſſimum quod cauſticorum venenata potentia non certius & melius vinci poſſit quam pinguibus copioſe aſſumptis. Ex quibus apparet pinguibus non adeo nocere ſalinas exceſſivas qualitates, quam macilentis & pinguedine deſtitutis. Quapropter etiam videmus hos rheumatiſmis, catarrhis, & doloribus, alvi quoque immodicis fluxionibus plus obnoxios eſſe quam pingues.

§. LXXIX.

Pinguedo defendit quoque corporis nervoſas & ſenſibiles partes a frigore, quare videmus macilentos plus lædi a frigore, quam pingues.

Scholion.

Frigus humanæ naturæ, ſeu, ut rectius dicam, motibus ſanguinis vitalibus admodum infeſtum eſt, quia fluiditatem, ſine qua circulatio quæ vitam conſervat ſalva eſſe nequit, humoribus demit, eoſque coagulat: Deinde quia meatus obſtruit, denſat, coarctat, & nervoſas partes ſpaſmo inimico contrahit. Contra hunc noxium frigoris effectum & humores, & nerveas partes defendit pinguedo, unde macilentiores, ſi velint incommoda a frigore arcere, bene veſtibus munitos eſſe oportet. Inprimis autem adjuvat & pedes, & ventris, & ventriculi regionem probe a frigore defendere.

§. LXXX.

Pinguedo quoque multum facit ad pulchritudinem faciei & colli, dum replet muſculorum interſtitia; quare ea abſumpta complicatur cutis, & fiunt rugæ ut in ſenibus.

§. LXXXI.

Pinguedo quoque multum facit ad flexilitatem partium, quæ alias facile aridæ & rigidæ fierent.

Scholion.

Duras, oſſeas, cartilagineas, membranaceas partes pinguedo emollit, lubricat, & ideo ad motus obeundos aptiores reddit; quare omnibus juncturis aſſiſtit pinguis mucidus humor e glandulis ſic dictis mucoſis, a CLOPTON HAVERS Anglo inventis, exſtillans.

Conſideratio Pathologica.

§. LXXXII.

Primo peccat pinguedo, ſi nimis abundat; ſiquidem nimia obeſitas non modo deforme corpus reddit, & ſæpius monſtro ſimile, ſed & aptitudinem ad omnes functiones corporis præſtandas aufert, & præfer-

præſertim eam quæ ad alacritatem corporis & potentiam motus pertinet.

§. LXXXIII.

Secundo ingenerat maxime anguſtiam & difficultatem ſpirandi, unde obeſi facile fiunt aſthmatici, ſique corpus valde vehementer movent, vel ſcalas aſcendunt, mox omnis ſpiritus ſubtrahitur, quia ſcilicet pinguedo tonum muſculorum hebetat, qui non ſe rite dilatare poſſint.

§. LXXXIV.

Tertio obeſi, ſecundum Hippocratis experientiam *Sect. II. Aph.* 44. citius moriuntur, ægrius convaleſcunt, & plus morbis obnoxii ſunt quam macilenti, inde quia tranſpiratio difficilior eſt.

Scholion.

Incidunt facile in apoſtemata, aſthma, in calculum renum, in affectus ſoporoſos, hydropem, tumores pedum œdematoſos, fœminæ in ſterilitatem & uteri vitia, quia circa Tubam Fallopianam nimia pinguedinis ſedet copia. Quæ ratio in promptu eſt, quia pinguedo omnia comprimit vaſa, præſertim minora, unde liber ſanguinis & humorum circuitus impeditur, tranſpiratio difficilis, unde ſtagnationes ſanguinis & humorum fœcundiſſimæ morborum chronicorum materiæ proveniunt. Difficilius autem, ut experientia abunde teſtatur, ſaneſcunt pingues, tum quod major ſordium excrementitiarum in iis corporibus ſit abundantia, tum quod ſanguinis circulatio, cujus beneficio morbi expugnari & vinci debent, in illis corporibus valde præpeditus & difficilis ſit. Secus ſe res habet in macilentioribus, qui ordinario capaciora vaſa habent quam pingues, qui exilitate & copia vaſorum inſtructi ſunt.

§. LXXXV.

Nimia obeſitas efficit in fœminis & parciorem menſium fluxum, & ſi lactant, parciorem lactis ſecretionem.

Scholion.

Hoc fit maxime propter exilitatem vaſorum, & ſecretoriorum ductuum, citius etiam, quod notabile eſt, deſinunt menſes in pinguibus quam in macilentis.

§. LXXXVI.

Nimia obeſitas in mulieribus ſterilitatem maxime promovet, eam ob rationem, quia aura ſeminalis per Tubas Fallopianas, ſecundum vulgarem ſententiam, ad ovarium muliebre, ſi hæ partes obtectæ pinguedine ſunt, proferri non poteſt. Deinde quia etiam in pinguibus vaſa ſunt ordinario exilia valde propter quod cum non ſufficiens quantitas ad fœcundandum ovum & alendum fœtum adducatur, neceſſe eſt ut fœtus generari nequeat. Accedit denique quod admodum obeſæ fœminæ ad coitum & recipiendum ſemen non adeo ſint aptæ.

§. LXXXVII.

Tandem pingues homines diſpoſiti admodum ſunt ad generationem polyporum & abſceſſuum.

Scholion.

Rationem hanc facile quiſque aſſequetur, ſi conſiderat valde tardum eſſe & impeditiorem in ejuſmodi corporibus circuitum, tum ob vaſorum exilitatem, tum ob vim ſolidorum motricem languidiorem; quare ſpiſſi humores accedentibus & concurſantibus aliis cauſis quæ promte coagulum inferunt ſanguini & ſero, cujus generis ſunt maxime frigidus potus, item ſpirituoſa copioſe ingurgitata, vel etiam abuſus acidorum, concretiones polypoſas ſanguinis in vaſis majoribus facile progignunt, vel ex omnimoda ſtaſi ſanguinis & humorum in vaſis minoribus apoſtemata producunt; id quoque confirmat ipſa experientia, qua in dies edocemur repletos maxime & pingues hiſce vitiis obnoxios eſſe.

CAPUT VI.

De Muſculis Abdominis.

§. LXXXVIII.

POST pinguedinem in homine ſeparatam in conſpectum venit membrana muſculis immediate inſtrata, cui firmiter annexa eſt pinguedo, a qua etiam provide ſeparari debet. Male autem hæc membrana pro panniculo carnoſo & tertio integumento corporis habetur, utpote qui non in homine, in beſtiis vero adeſt, & tunica eſt carnea inter cutem & pinguedinem conſiſtens, cujus beneficio cutem movent & muſcas abigunt, neque datur in homine, niſi tantum in facie.

§. LXXXIX.

Membrana muſculis communis eſt ſatis firma ac dura, præſertim quæ muſculis rectis inſternitur, atque hæc ipſa ex tendinibus muſculorum abdominis maxime formatur; & hæc membrana eſt duplicata, quæ viſitur maxime in hydropicis inque tumoribus pedum œdematoſis, ubi inter duplicaturam hujus membranæ ingens ſæpe quantitas ſeri coagulati & extravaſati a diſruptis vaſis lymphaticis continetur.

Scholion.

Equidem hujus ſum ſententiæ, quod omnes quæ in corpore continentur humano membranæ nunquam ſint ſimplices lamellæ, ſed ex pluribus lamellis ſint conflatæ, inter quarum interſtitia etiam ipſa vaſa tum ſanguinea tum lymphatica feruntur, adeoque eo minus dubii eſt quin membrana muſculorum ex duplici lamella ſit compoſita.

§. XC.

Quinque vero paria muſculorum recenſent Anatomici. Primum quod *Rectum*, dicitur quia ejus fibræ per medium abdominis a ſterno ad juncturam oſſium pubis excurrunt & connectuntur cum cartilagine enſiformi, item cum cartilaginibus inferioribus duabus ſterni ad coſtas vergentibus. Habent Recti Muſculi tres vel quatuor diſtinctiones, quæ cum tendine muſculi aſcendentis vel deſcendentis arctiſſime connectuntur, dubio procul eum in finem, ut compreſſio & dilatatio reliquorum in abdomine muſculorum conjunctis viribus ad compreſſionem viſcerum eodem fiat tempore.

§. XCI.

§. XCI.

Secundum dicitur *Par oblique deſcendentium*, propter fibrarum curſum qui oblique a coſtis ad os pubis deſcendit. Oritur a 5. 6. 7. & octava coſta, & connectitur cum muſculo ſerrato antico majore, a quo etiam ægre ſeparatur. Deinde a 9.10.11.& duodecima 12.coſta productionibus ſerrati interioris poſtici interjacet, & accipit circa hæc confinia nervum ex ramo intercoſtali una cum vaſis, nempe arteriis & venis intercoſtalibus, & terminatur in marginem exteriorem oſſis pubis lato tendine qui inferius muſculum Rectum tegit, ſuper quem tendit in lineam albam.

§. XCII.

Tertium par eſt *oblique aſcendentium*, quorum ſitus eſt infra deſcendentem, oritur principio carnoſo a margine oſſis ilii atque ligamento pubis & ſpinæ oſſis ſacri; adhæret ejus tendo coſtis nothis 8. 9. 10. 11. & duodecimæ unde conſtringit thoracem in exſpiratione. Terminatur in lineam albam tendine longo, qui dividitur in duas lamellas, ſuperiorem & inferiorem: ſuperior lamella ſupra muſculum rectum fertur, inferior ipſi ſubſternitur; unde Muſculi recti in vagina horum tendinum quaſi ſunt reconditi.

§. XCIII.

Quartum par dicitur *Pyramidale*, & inveniuntur facillime, modo diſcindatur removeaturque cultro tendo muſculi oblique deſcendentis, ſupra rectum poſitus, cui immediate ſubjacet, & terminantur fibrillis tendinoſis in lineam albam, & oriuntur ex medio oſſis pubis infra ejus marginem, longitudinem habent digiti minoris.

§. XCIV.

Quintum par dicitur *tranſverſale*, naſcuntur ex inferiori margine oſſis ilii, & proceſſibus lumbaribus tranſverſalibus connectuntur, & cum diaphragmate quoque ſub coſtis ſpuriis eorum eſt connexio, quare etiam diaphragma ab ipſis debet ſeparari.

§. XCV.

Hi muſculi non tantum ad abdomen, ſed etiam lumbos pertinent; nam renes immediate ſub ipſis ſiti ſunt.

Scholion.

Quia ſub muſculis tranſverſis renes cum ductibus ſuis, qui ureteres vocantur, proxime & immediate ſitum ſuum habent, hinc nihil eſt periculoſius quam ſectionem moliri, ſi quis ibi læſus fuerit, quia teſte experientia quam facile læſio, vel renibus, vel ureteribus infertur.

§. XCVI.

Cæterum muſculi abdominis immediate & arctiſſime connectuntur cum peritonæo, unde eorum tendines abeunt in lineam albam, adeo ut ægerrime poſſint ab hoc ſeparari.

§. XCVII.

Linea alba per medium abdominis a ſterno ad juncturam oſſium pubis extenſa eſt, & ex tendinibus horum muſculorum conflata, cujus in medio extat umbilicus.

Scholion.

Propter nervoſo - tendinoſam ſubſtantiam linea alba exquiſitiſſimæ eſt ſenſationis, unde nulla ibi ſectio locum habet, vel punctura cum paracentheſi, vel etiam operatio alia quædam chirurgica; maxime locus ille ubi umbilicus poſitus, ſenſibilis eſt, quare medicamenta activioris naturæ, purgantia (†), diuretica, & ſedativa, ſeu anodyna umbilicali regioni impoſita, & alvum movere, & urinam provocare, & inteſtinorum dolores lenire quam optime poſſunt, eo quod, ut notum ex anatomicis, ingens & mutua eſt nervoſarum partium conſenſio.

§. XCVIII.

Muſculi abdominis arterias & venas ſuas mutuantur partim ab intercoſtalibus mammariis, partim a lumbaribus & epigaſtricis; nervos vero accipiunt ſatis magnos a dorſalibus & lumbaribus.

§. XCIX.

Ante omnia notabilis eſt circa muſculos abdominis, & quidem tranſverſalem aſcendentem & deſcendentem perforatio, in horum parte inferiori, quæ annuli figuram habet pro tranſitu proceſſuum peritonæi & ſpermaticorum vaſorum in viris, in mulieribus vero ligamenta uteri rotunda tranſmittuntur.

Scholion.

Provida natura ſapientiſſime ita perforationem horum tendinum a dictis vaſis conſtituit, ut non recto tramite, ſed obliquo ductu fiat, quo inteſtinorum deſcenſus eo melius impediatur.

§. C.

Uſus horum muſculorum eſt continere viſcera in abdomine, & comprimere ac dilatare ejus cavitatem, ac conſequenter viſcera in eo contenta; deinde motu dilatationis & conſtrictionis progreſſionem alimentorum in inteſtinis, & excrementorum quoque promovere; porro excretionem fæcum alvinarum & urinæ; item tempore partus fœtus & ſecundinarum adjuvare; tum flexionem corporis adjuvare; tandem reſpirationi inſervire, & vomitum quoque facilitare.

§. CI.

Duplex eſt ille motus quo muſculi abdominis gaudent, alter eſt involuntarius, alter voluntarius. Ille fit mediante reſpiratione; quoniam hæc præter noſtram voluntatem etiam accidit, & quia diaphragmati & coſtis adhærent muſculi, accidit ut in reſpirationis actu ſemper illi moveantur; hic fit, quoniam reſpiratio etiam eſt actus voluntarius, dum pro lubitu elevari & deprimi coſtæ poſſunt, conſequenter abdomen diſtendi & comprimi.

Scholion.

Ita cohæret motus muſculorum & coincidit cum reſpiratione, ut ſi in inſpiratione thorax dilatetur, venter

(†) Ut emplaſtrum ſaponatum Barbette in infantibus, quod impoſitum alvum obſtructam movet, in adultioribus vero exemplo eſſe poſſunt oleum Ricini Americani, ut & pinguedo ceti, illa enim alvum arctiſſime clauſam reſerare valent, ſi tantum umbilico applicentur.

venter comprimatur in exſpiratione ; cum conſtringatur thorax, venter dilatetur. Poteſt itaque pro lubitu corpus vel gravius vel levius reddi ; illud fit in inſpiratione, hoc in exſpiratione, unde corpus aquis in inſpiratione ſupernatat ; in exſpiratione vero in aquis deſcendit.

§. CII.

Quod voluntatis imperio ſit ſubjectus motus muſculorum abdominis, patet ex propulſione fæcum ex alvo, urinæ ex veſica, fœtus ex utero, flatuum ex inteſtinis ; dum eam pro lubitu inſpiratione aeris in thoracem & compreſſione abdominis poſſum augere vel minuere. Et quia etiam eſt actus qui fit præter voluntatem hominis, ille ventris & muſculorum motus etiam in ſomno peragitur, inde fit ut mediante hoc, motus periſtalticus ventriculi & inteſtinorum, chyli ingreſſus in venas, & progreſſus per venas lacteas, item per ductum thoracicum, neque minus ſanguinis per Venam Portam, & conſequenter per hepatis viſcus progreſſio adjuvetur & promoveatur. Hinc patet ratio quare interdiu quando vigilamus, & corpus movemus propter acutiorem reſpirationem & excretio per alvum, & ſanguinis circuitus per abdominis viſcera promptior atque expeditior ſit, ſegnior vero ac tardior in quiete atque ſomno.

Conſideratio Pathologica.

§. CIII.

Morbi qui domicilium ſuum & quaſi fixam ſedem in abdominis muſculis habent ſunt, ex præcipuis abſceſſus, ſive apoſtemata, quæ plerumque a cauſa externa violenta, a vehementi contuſione, lapſu, percuſſione præcedente fieri ſolent, rarius a cauſa interna, propter ſtaſin ſanguinis in vaſis horum muſculorum.

Scholion.

Notandum hoc loco eſt quod abſceſſus ſub umbilico ſemper plus habeant periculi ac ſi ſupra eum poſiti ſint, tum propter vaſa ſanguinea ibi ſubtiliora & pauciora, tum quod in hypogaſtrica regione peritonæum longe tenuius ſit, & facilius ab apoſtemate diſrumpi poſſit, unde pus in cavitatem abdominis deſcendit ; in regione vero epigaſtrica peritonæum longe craſſius eſt, & linea alba latior, neque tanta ibi ſanguinis ob anguſtiora vaſa congeſtio fieri poteſt. Deinde notandum & hoc eſt quod in ejuſmodi abſceſſibus facile formentur ſinus & canales fiſtuloſi ob materiam purulentam quæ facile ibi ſubſiſtit & per poros deſcendit, & membranas cartilagineas & ſcirrhoſas reddit. Denique notabile hoc eſt, quod in ejuſmodi abſceſſibus facile innaſcantur calculi, ſeu concretiones arenoſæ. Vide *Miſcell. Naturæ Curioſ. Dec. II. ann.* 3. *obſerv.* 183. & *ann.* 5. *obſerv.* 107.

§. CIV.

Secundo tumor œdematoſus qui ingens ſæpius abdominis muſculos occupat, præſertim in hydropicis, cum a ruptis lymphaticis vaſis humor inter eorum interſtitia extra vaſa hæret.

Scholion.

In hydropicis extravaſatio lymphæ variis in locis fit ; vel enim tantum intra muſculos abdominis & duplicaturam peritonæi, quod non tantum periculi habet, ea accidit, vel in ipſa abdominis cavitate evenit, quod non ſine ingenti periculo eſt. Priori in caſu paracentheſis cæteris paribus locum invenit ; nunquam vero ea admittenda eſt ubi intra abdominis cavum magna aquæ illuvies eſt, utpote cum hic facile ſphaceloſa ab aere irrumpente viſcerum fiat corruptio.

§. CV.

Tertio, ex dilatatione vel etiam ruptione tendinum muſculorum abdominis circa os pubis herniæ fiunt inteſtinales & ſcrotales, ingentis ſæpe magnitudinis.

Scholion.

Herniæ ſcrotales ſeu inteſtinales, ſi recentes ſunt, & parva ſaltem portio ilei in ſcrotum deſcendit, tunc relaxatio tantummodo proceſſuum peritonæi fit ; quando vero, quod interdum incidit, ingens quantitas inteſtinorum, & ſæpius, quod mirandum, dimidia illorum pars ad ſcrotum prolapſa fuerit, ut tumor capitis magnitudinem excedat, tunc ruptio tendinum abdominis facta eſt, & malum eſt inſanabile.

§. CVI.

Quarto, hernia inguinalis, tam viris quam fœminis maxime familiaris, oritur ab incipiente relaxatione vel dilatatione proceſſus abdominis ; in fœminis vero, quia ligamenta uteri rotunda non ſecus ac in viris vaſa ſpermatica per annulum, quem tendines muſculorum formant, & a NUCKIO diverticulum vocatur, decendunt. Ab ejus utique dilatatione fit ut pars inteſtini ilei ad inguina prolabatur ingenti ſæpius & præcipiti vitæ in fœminis periculo.

§. CVII.

Quinto ; Muſculi abdominis ſæpe abeunt in ſphacelum, quod fit vel in hydropicis facta paracenteſi, vel ſpontanea in umbilico ruptura, vel etiam a pure diu retento in apoſtematibus, ſiquidem illud mora in fœtidiſſimam putrilaginem abit, quæ ſenſim ipſum locum cui inhæreſcit putredine inquinat.

Obſervationes Chirurgicæ circa muſculos abdominis.

§. CVIII.

Paracenteſis nunquam eſt peragenda ſupra vel infra umbilicum ; multo minus in umbilico, propter rationem anatomicam ; quoniam ibi concurſus eſt tendinum in linea alba ; ſed potius inſtituenda eſt ad latera umbilici ad diſtantiam duorum ad minimum digitorum tranſverſorum.

§. CIX.

Secundo ſi in caſu Chirurgico ſectio eſt facienda in abdominis muſculis, tunc probe fibrarum ductum attendere oportet ; idque præcipue in muſculis rectis, quorum fibræ ſecundum lineam rectam decurrunt a ſterno ad os pubis ; itaque ſi læſio hic exigit ſectionem, nunquam ea tranſverſim facienda eſt.

Scholion.

Hæc Lex in univerſum firma ac ſtabilis ſtatuenda eſt, nunquam tranſverſim ſecandas eſſe muſculorum fibras, ſed ſemper reſpiciendum eſſe ad earum ductum, eo quod difficillime tum coeant & conſolidationem ægerrime recipiant.

§. CX.

Quoniam peritonæum infra umbilicum valde tenue eſt, & facile rumpi poteſt, hinc abſceſſus ibidem exiſtentes longe celerius aperiendi ſunt quam ii qui ſunt ſupra umbilicum, ne nimia protractione ſponte intus rumpantur, & pus in cavitatem abdominis deſcendens alias nobiliores partes corrumpat & putrefaciat.

CAPUT VII.

De Peritonæo, Umbilico, & Omento.

§. CXI.

PEritonæum membrana eſt quæ proxime ſubjacet muſculis abdominis, valde tenuis, ac interius mollis ac lubrica, exterius vero aſperior; continet totius abdominis viſcera.

Scholion.

Muſculi præſertim tranſverſi intime cohærent cum Peritonæo, adeoque etiam difficulter admodum ſine ejus læſione ſeparari ſolent: cohæret ſuperius cum diaphragmate, a quo etiam non ſine difficultate ſeparatur.

§. CXII.

Duplicata hæc eſt membrana, quod manifeſto viſitur in hydropicis, in quibus interdum in duas, interdum in tres lamellas commode diduci poteſt. Viſitur etiam maxime in dorſo, quandoquidem renes, ureteres, veſica, ſpermatica vaſa, itemque ſanguinea majora, arteriæque & venæ umbilicales, ſub hujus duplicatura feruntur & latitant.

Scholion.

Vaſa ſanguinea non modo, ſed etiam lymphatica per duplicaturam hujus membranæ feruntur, unde accidit ab hiſce diſruptis, vel hydatides, vel apoſtemata, vel tumores aquoſos generari.

§. CXIII.

Peritonæum connectitur arctiſſime cum ſecunda & tertia lumborum vertebra, ut abſque dilaceratione vix ſeparari poſſit. Conſtituit quoque diaphragmatis tunicam primam in ea parte quæ verſus abdomen ſpectat, inferius vero os ſacrum & pubis inveſtit.

§. CXIV.

Notabile eſt in medio abdominis lineam per peritonæum ferri, ſic dictam albam, quam concurſus tendinum qui ſunt in muſculis abdominis conſtituit, quæ ſub umbilico multa pinguedine obducta eſt & anguſtior, ſupra umbilicum longe latior eſt & denſior.

§. CXV.

Attentione dignum, quod peritonæi membrana mirabilem pati poſſit dilatationem, cujus rei teſtimonium atque exemplum præbent hydropici, gravidæ, & qui herniis, tam inteſtinalibus quam ſcrotalibus laborant.

Scholion.

Dilatatio peritonæi viſitur maxime in herniis ſcrotalibus, ſi ingentis ſunt magnitudinis. Nam quandoque plus quam dimidia pars inteſtinorum extra abdomen in ſcrotum delabitur, ſine ulla ruptione peritonæi, ſed tantummodo cum ejus dilatatione maxima. In herniis quoque umbilicalibus, quæ interdum ſatis ingentes ſunt, non ruptum, ſed potius mirum in modum dilatatum peritonæum eſt, utpote ſub hoc ipſo inteſtina extra ſitum abdominis prolapſa adhuc recondita ſunt.

§. CXVI.

Ruptio Peritonæi non facile fit, ſed potius eroſio ejus, & dilaceratio in apoſtematibus muſculorum abdominis, præſertim ſi ea conſiſtant infra umbilicum, ubi hæc membrana eſt tenuiſſima.

§. CXVII.

Cum Peritonæum membrana ſit duplicata, evenit interdum ut inter hanc ipſam ingens ſeri copia a diſruptis lymphaticis vaſis colligatur & extravaſatur, quo caſu paracenteſis ſecura eſt, quæ alias ſi ſerum hæret extravaſatum in abdominis cavitate periculi ſemper eſt pleniſſima.

Scholion.

Meretur hac de re legi NUCKIUS *Obſ. Chir.* Item *Adenographia*, ubi aliquot felices abdominis commemorat paracenteſes. Ejuſmodi collectio fieri poteſt ſalvis & integris viſceribus in retentis menſibus, vel etiam a nimia potus copia in æſtu febrili.

§. CXVIII.

Stagnant quandoque humores ſeroſi intra peritonæi duplicaturam, quæ eſt in dorſo, item infra meſenterium, & per quam ureteres & vaſa ſpermatica feruntur, ubi ſæpius hydatides ſeu copioſæ veſicæ aquæ plenæ in cachecticis viſuntur, quæ ſi rumpuntur, repentinum ſæpe eumque funeſtum tumorem producunt.

Scholion.

Naſcitur interdum hydrops iſque lethalis ſubito in homine cachectico, adeo ut intra breve tempus venter mirum in modum intumeſcat, urina pauca feratur, eaque craſſa & rubicunda appareat, & homo intra aliquot ſeptimanas pereat, cujus ſubiti hydropis generatio non aliter fit quam a ruptione hydatidum quæ ſæpius circa abdominis viſcera, hepar præcipue, item infra peritonæum in dorſo amplæ & copioſæ reperiuntur. Ejuſmodi experimentum ante aliquot annos hic notavimus in Profeſſore Juris ſubito ex hydrope mortuo, ubi corpore ejus diſſecto magnæ hydatides ruptæ in dorſo & meſenterio in conſpectum veniebant, viſceribus non adeo corruptis & dubio procul ejuſmodi in caſu in paracenteſi auxilium quoddam invenire licet.

§. CXIX.

Umbilicus in medio abdominis ſitum ſuum habet, & eſt nihil aliud, quam pars funiculi contorta ex una vena, & duabus arteriis umbilicalibus dictis, communi membrana craſſa ſed molli amnio continua cinctis, compoſita.

Scholion.

Scholion.

Veteres exiſtimant umbilicum conſtare etiam ex peculiari ductu pervio, qui cum veſica embryonum communicet, qui dicitur urachus, ſed talis non reperitur, & potius eſt ligamentum membranaceum quo vaſa umbilicalia colligata ſunt.

§. CXX.

Umbilicus in fœtu maximi uſus eſt. Nam ex ſecundina ſanguinem matris chyloſum per venam adducit in infantem, & quidem primo in ejus hepar, qui ſanguis poſtea reducitur per arterias umbilicales ad ſecundinam, adeoque mediante hoc funiculo circulatio ſanguinis materni cum fœtu, & fœtus cum matre communicatio fit. Quandocunque vero in lucem editur, & ex proprio nutrimento vivere debet; tunc ceſſat] penitus hujus funiculi uſus atque officium, quapropter etiam prope infantis corpus ligatus abſcinditur, unde illud quod remanet in hepate ex arteriis & venis ligamenti ejus tantum vicem gerit.

§. CXXI.

Umbilicales arteriæ ſunt duplices, & oriuntur ex arteriis iliacis dextri & ſiniſtri lateris. In fœtu ſatis amplæ & capaces ſunt, poſtea ſenſim concidunt & coarctantur, quod etiam fit in vena umbilicali, quæ ad hepar tranſiens, ſenſim paulatimque cavitatem ſuam amittit & coaleſcit.

Scholion.

Notetur hic vulgaris error, arterias nempe umbilicales, item urachum præbere in adultis fulcrum veſicæ, ſiquidem duobus tranverſis digitis a veſica diſtant, & intra peritonæum feruntur, ac ſatis ſunt exiles.

§. CXXII.

Curioſa eſt obſervatio, quod in fœtu demortuo per venam umbilicalem inflatione per tubulum forti facta totum vaſorum ſyſtema in corpore infantili turgidum jucundiſſimo ſpectaculo conſpici queat.

§. CXXIII.

Umbilicus cum annexis vaſis eſt pars ſenſus acutiſſimi, quia valde nervoſa eſt, & cum univerſo corpore ejuſque partibus maxime nerveo-membranaceis connexa, unde ejus læſiones non vacant periculo.

Scholion.

Maxima enim conſenſio & communio eſt nervoſarum partium in toto corpore, adeo ut ſi una fortius vellicetur vel agitetur, reliquæ fere omnes in conſenſum rapiantur, & graviſſima ſæpe in diſſitis locis fiant ſymptomata, quorum rationes, cauſas, & modum generandi nemo facile perſpiciet, niſi quis nexum ac derivationem, & propagines nervorum probe cognoſcit. Ob connexionem & conſenſionem harum partium, accidit quoque ut medicamenta penetrantia hiſce partibus applicata vim ſuam atque virtutem cum longe diſſitis partibus communicent. Ita memorabile eſt unguentum ex purgantibus compoſitum, quale eſt unguentum de arthanita regioni umbilicali appoſitum alvum ſolvere; ſi urina in veſica ſtagnat, eaque iners in illa excutienda eſt, tum ſpiritus therebinthinæ aliquot guttæ, cum goſſypio umbilico admotæ, liberiorem ejus effluxum promovent. Ad inteſtinorum acuta tormina placanda zibethi aliquot grana umbilico inuncta præſtantiſſimam ferunt opem.

§. CXXIV.

Umbilicus quandoque introrſum trahitur in vehementioribus abdominis ſpaſmis, hyſtericis nempe & hypochondriacis; quæ retractio fit a peritonæo quod annectitur lineæ albæ, per quam feruntur urachus & arteriæ umbilicales, unde membrana peritonæi ipſa & contracta, ſimilem motum patiuntur partes annexæ.

§. CXXV.

Quia regio umbilicalis propter ſubſtantiam tendinoſo-nervoſam exquiſitioris ſenſationis eſt, inde periculoſas ejus læſiones eſſe & vulnerationes perſpicue intelligitur.

Scholion.

Eam itaque ob cauſam paracentheſis nunquam ſolet a peritis Chirurgis in hac parte vel proxime circa eam inſtitui, ne convulſiones vel ſpaſmodica ſymptomata ſubſequantur.

§. CXXVI.

Solet quandoque umbilicus aperiri, & pervius fieri, idque in abſceſſibus abdominis, hydrope; item in herniis umbilicalibus aquoſis, præſertim in infantibus, ſed ſubſequuntur plerumque ſphacelus & mors.

§. CXXVII.

Omentum dici ſolet quaſi operimentum, quia ſuperſternitur inteſtinis; & eſt membrana in orbicularem figuram inſtar marſupii aucuparii expanſa, cum cavitate quadam intermedia intus relicta, variis ramificationibus arteriarum & venarum imbuta, ex quibus membranoſi ſacculi pinguedine repleti exſurgunt.

§. CXXVIII.

Dividitur autem omentum in alam ſuperiorem & inferiorem. Inferior libera eſt & fluctuat; ſuperior anterius cum ventriculi fundo, duodeno & jejuni principio, item bene connectitur; poſterius cum inteſtino colo. Pondus in homine ſano non facile ſuperat libram dimidiam, niſi admodum ſit pinguis. In brutis vero multum variat ratione pinguedinis, adeoque etiam ratione ponderis.

§. CXXIX.

Omentum vaſa ſanguifera varia habet, nempe communia cum ventriculo, & hæc dicuntur gaſtroepiploica; & propria, quæ in inferiorem ejus partem diſperſa, & dicuntur epiploica. Arteriæ à cœliaca, venæ a vena porta ejuſque ramo ſiniſtro oriuntur.

Scholion.

Notandum eſt quod duplicis generis hæc ſint vaſa, nullaque gaudeant inter ſe communicatione; ramo enim arterioſo gaſtrico inflato inflantur quidem gaſtro-epiploica, minime vero epiploicâ, quia hæc a meſenterica arteria propagantur.

§. CXXX.

Pauci ſurculi nervorum a vago pari & octavo abeunt ad omentum. Hinc fit ut fere ſenſus expers ſit,

ſit, & citra dolorem in herniis inque vulnerationibus gravioribus abſcindi poſſit.

§. CXXXI.

De glandulis omenti quarum mentionem facit HIPPOCRATES tenendum hoc eſt, quod pauciſſimæ dentur in ſtatu naturali, & tantum in ea parte quæ connectitur cum fundo ventriculi conſpiciantur. In hydropicis vero non modo omentum ſcirrhoſum ſed & innumeris glandulis ſtipatum fuiſſe *Miſcellanea Naturæ Curioſorum Decuria II. Ann. V. Obſerv.* 456. memorant.

§. CXXXII.

Quod ad ejus ſitum attinet, falſum eſt omentum ad uterum uſque eſſe protenſum, ſique nimis ſit pingue, os uteri comprimere, & ſic ſterilitatis cauſam in fœminis præbere, ſecundum ſententiam HIPPOCRATIS.

§. CXXXIII.

Varii ſunt uſus qui aſſignantur omento. Secundum noſtram ſententiam, eſt diverticulum nimiæ ſanguinis copiæ in plethoricis, qui valde tarde movetur in his per abdominis viſcera.

Scholion.

Eſt hæc quoque cauſa cur in hydropicis, ſcorbuticis omentum corruptum, vel manifeſto quodam vitio laborans deprehendatur. Laniones ex omenti conditione ſtatim judicare ſolent de ſanitate alicujus animalis, & ita quoque res ſe habet in homine.

§. CXXXIV.

Alii ſtatuunt omentum eſſe inſtar meſenterii dum per illud vaſa ad ventriculum, inteſtina & hepar feruntur; cujus ſententiæ eſt BARTHOLINUS *in Hiſt. Anat. p.* 220. Sed prorſus hæc ſententia autopſiæ Anatomicæ repugnat.

§. CXXXV.

Plures ſunt in ea ſententia, quod ventriculo & inteſtinis multum ſuccurrat in digeſtionis negotio. Verum & hæc ſententia plane abludit a vero, quia hæc membrana nullum calorem, propter tenuitatem vaſorum quæ ſanguinem vehunt in inteſtinis, conciliare poteſt.

§. CXXXVI.

Uſus vero omenti hic etiam eſt ut pinguedine ſua membranas inteſtinorum ab acrimonia præſervet, eaſque blande demulceat ne facile exſiccentur, vel etiam nimias conſtrictiones in doloribus patiantur, adeoque etiam lubricitate ſua inteſtinorum motui inſerviat.

§. CXXXVII.

Morbi quibus omentum premitur ſunt inter alios ejus diſruptio, de qua experimenta proſtant *in Miſcellaneis Naturæ Curioſ. Decuria II. Ann. VIII. Obſerv.* 75.

§. CXXXVIII.

Omentum ſæpiſſime deprehenditur corruptum, putridum, & plane exeſum, præſertim in hydropicis, cachecticis, & tabe confectis.

Scholion.

VILLISIUS quoque *in Pathologia Cerebri Cap. IX.* refert ſe in pleriſque tabe ac chronicis morbis demortuis putrilaginoſum & corruptum omentum oſtendiſſe. Videatur quoque PEYERUS *de glandulis Inteſtinorum.* Ratio procul dubio hæc videtur, quod nempe in hiſce morbis difficilior ſit progreſſus ſanguinis per viſcera abdominis, præſertim hepar; unde ſanguis regurgitans & ſtagnans in membrana omenti, facillime ibi in corruptionem abit putridam, quia per hanc partem fibris motricibus deſtitutam difficulter admodum, etiam in ſtatu naturali, ſit regreſſus.

§. CXXXIX.

Quandoque in ingentem excreſcit molem carnoſam, vel in pingue evadit: Talia experimenta legi poſſunt apud VESALIUM *de Fabricâ Humani Corporis, Cap. IV. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſerv.* 174. & tali in caſu ventriculus facile e ſede ſua deturbatur, unde occaſio fit continui ſingultus.

§. CXL.

Quod attinet ad uſum Chirurgicum, in vulneribus abdominis facile prolabitur pars omenti, quæ ſi non reponatur, calore & frigore premitur, abitque quam facile in corruptionem ſphaceloſam funeſtam.

Scholion.

Optimum conſilium eſt, ſi non reponi poſſit, ut ligetur & abſcindatur, quod ſine omni periculo fieri poteſt; alias ſi in ſphacelum abit ille propagatur & totum omentum inficit, atque inteſtina ſubjecta, unde neceſſario mors ſequitur. Vulnera omenti non ſunt lethalia, ſed ſi ramus vaſis majoris lædatur, extravaſatio fit, & talis læſio vocari ſolet a Medicis lethalitas, non neceſſitate phyſica, ſed morali, quia difficilis eſt occaſio opem ferendi, quod fit per apertionem abdominis, & ligaturam ejuſmodi vulneris.

CAPUT VIII.

De Oeſophago & Ventriculo.

§. CXLI.

OEſophagus eſt Canalis membranaceus a faucibus ad ventriculum extenſus, per quem eſculenta & potulenta in ipſum ſtomachum deſcendunt. Ejus principium dicitur Gula, Græcis φάρυγξ, qui tribus paribus muſculorum deglutitioni inſervientium movetur. Primum par dicitur *Stylopharyngæum*, & oritur a principio oſſis ſtyloides temporum, & inferiori lateri pharyngis annectitur. Secundum par dicitur *Cephalo-Pharyngæum*, quod maximum eſt, & naſcitur in infima oſſis occipitis parte, ubi inarticulatur vertebris, inque partem inferiorem pharyngis inſeritur, hi muſculi dilatant gulam. Tertium dicitur *Conſtrictorium*, ſeu ſphincter gulæ, quod cingit totum œſophagum, & ab oſſe hyoide & larynge oritur. Componitur œſophagus ex variis tunicis; exterior eſt cum pleura continua, & dicitur communis; ſecunda eſt muſculoſa, & componitur ex fibris longitudinalibus & annularibus: Tertia eſt nervea, vaſculis multis & glandulis obſita, & hæc cum membrana oris, imo ventriculi eſt continua: Quarta eſt cruſtacea, humore mucido obducta.

Scholion.

Scholion.

Nervea tunica avulſa, Anatomicus Du Verney luce oppoſita innumeras glandulas lentis figuræ, ſingulas tamen vaſe excretorio donatas obſervavit. Vid. *Du Hamel in Philoſ. Vet. & Nov. Tom. II. Part. III. pag.* 316. & notandum eſt quod ſicut œſophagus, ventriculus & inteſtina unum tantum canalem, qui a gula ad podicem extenſus eſt, conſtituunt; ita etiam hic ejuſdem texturæ & ſtructuræ eſt, ex tunicis nempe glanduloſo - nerveo - muſculoſa & communi compoſitus. Propter nerveam hanc communem ſtructuram magna communicatio ventriculi cum œſophago, & horum cum inteſtinis; unde non mirum eſt digiti quantum fieri poteſt longiſſime intruſione in fauces vomitum excitari, inque paſſione iliaca, vel in colica contenta in hiſce inteſtinis per motum horum inverſum protrudi.

§. CXLII.

Gaudet œſophagus etiam vaſis ſuis; atteriæ a carotidibus, aorta, intercoſtalibus & cœliaca; & arterias has hactenus neglectas propoſuit Ruyschius *Epiſt. VI. Tom. VII. fig.* 3. Venæ progrediuntur a jugularibus, azygos, & coronaria ventriculi.

§. CXLIII.

Tranſeunt Oeſophagum inſignes octavi nervorum paris rami; ab utroque latere unus magnus cum multis ramificationibus. Ipſe vero Oeſophagus in collo nervo recurrente colligatus eſt.

§. CXLIV.

Annexus eſt Oeſophagus arteriæ aſperæ cui ſubjacet, unde ſuper hanc & epiglottidem omnia tam ſolida quam fluida alimenta in ventriculum debent deſcendere. In inferiore parte connectitur cum arteria magna, a parte poſteriori cum vertebris colli & dorſi ſecundum longitudinem.

Scholion.

Notatu dignum eſt, quod eo loco ubi connectitur cum arteria aſpera, valde anguſtus & carnoſus ſit Oeſophagus. Si vero pertingit ad arteriam magnam cui ſubjacet, tunc amplior & tenuior evadit.

§. CXLV.

Principium Oeſophagi eſt inſtar infundibuli ut eo melius deſcendere per hoc poſſint alimenta. Penetrat Oeſophagus per diaphragma; non vero in nervea ejus parte, ſed potius in carnea, & quidem ſuperiori inferioris muſculi diaphragmatis.

Scholion.

Perperam in libris Anatomicis depingitur diaphragma, atque Oeſophagi perforatio ſtatuitur in ejus parte nervea, quod tamen falſiſſimum eſt. Vid. Bartholinus *de Diaphragm. Structura nova. pag.* 19.

§. CXLVI.

Ubi aſpera arteria in dextrum & ſiniſtrum truncum dividitur, a parte poſteriori, circa vertebras dorſi glandulæ conſpiciuntur conglomeratæ duæ, vel etiam plures lympham ſeparantes præterpropter circa quintam thoracis vertebram, & vocantur a Vercellonio *in Tract. de Glandulis*, dorſales, qui ductus novos excretorios eorum in Oeſophagum deſinentes deſcripſit. Præter hos ductus ex glandulis conglomeratis ſiniſtro ventriculi orificio affuſis, ductus etiam quoſdam gaſtricos dictos invenit, per quos infundi humorem digeſtionis negotium promoventem exiſtimat.

§. CXLVII.

Quod attinet ad uſum Oeſophagi, notandum eſt, quod is ſeſe non habeat pure paſſive, ut aſſumpta alimenta per eum deſcendant; ſed potius motu propulſorio & dilatatorio, qualis in ventriculo & inteſtinis periſtalticus dicitur, deſcenſus ciborum in ventriculum adjuvatur.

Conſideratio Oeſophagi Pathologica.

§. CXLVIII.

I. Muſculos pharyngis internos ſæpe occupare ſolet tumor inflammatorius ſeu eryſipelaceus, ſeu oedematoſus, & dicitur Cynanche: Quando vero occupat exteriores muſculos, dicitur Paracynanche.

Scholion.

Inflammatio muſculorum internorum plus habet periculi quam ſi externi fuerint affecti, ſique eſt a ſanguine, venæ ſectio omnibus aliis auxiliis eſt præferenda, & ſtatim circa initia adminiſtranda.

§. CXLIX.

II. Spaſmus ſubinde fortiter conſtringens gulam occupat in affectibus hyſtericis, hypochondriacis, quod ſymptoma plerumque pendet a ventriculi inflatione, ſi octavum nervorum par quod ventriculo cum gula commune eſt nimis tenditur.

Scholion.

Hic affectus perquam familiaris hyſtericis, & videndum ſemper ne ab imperitis Medicis confundatur cum angina, quia interdum tam gravis eſt, ut omnem videatur deglutitionem impedire, ſed facile aſſumptis antiſpaſmodicis ex caſtoreo, aſſa fœtida, vel naribus tantum per odorem admotis diſcutitur.

§. CL.

III. Oeſophagi inflammatio in febribus continuis malignis, peſte, dyſenteria, inflammatione ventriculi facile ſupervenit, & jungitur cum intenſiſſimo faucium ardore, difficili deglutitione & regurgitatione ingeſtorum, & lingua plerumque craſſa alba pituita viſcida obducitur.

§. CLI.

IV. Exulceratio Oeſophagi a variolis ibi hærentibus copioſis parit identidem difficilem deglutitionem, ardorem in faucibus, ſpirandi quoque anguſtiam.

§. CLII.

V. In vomitu & nauſea motus Oeſophagi periſtalticus invertitur.

§. CLIII.

VI. Quandoque tumor glandularum Oeſophagi, quæ dicuntur glandulares, increſcens, gulam occludere ſolet.

Scholion.

Obſervationem hac de re habet Heisterus *in Not. ad Compend. Anat. p.* 184. Ante plures, inquit, annos virum ſecui, qui nihil cibi aut potus amplius deglutire poterat, propter obſtaculum quoddam, quod non in faucibus ſed thorace percipiebatur. In hoc hanc glandulam ad ovi gallinacei magnitudinem auctam reperit, unde oeſophagus ita comprimebatur, ut nihil amplius tranſire potuerit. Et Verheyen ex eadem cauſa penitus coalitum vidit. Vid. quoque Tulpium *Lib.* 1. *Cap.* 4. Occluditur etiam gula ſæpius a cauſſis externis in ea firmiter hærentibus, qualem caſum de annulo aureo Stalpartius van der Wiel. *Cent. I. Obſervationum*; & de floreno aureo Platerus *Lib. II. p.* 59. Tumor quoque a glandula circa confinia ventriculi hærente deſcenſum ciborum plane impediens obſervatur, quamquam rarius, qualem habuit obſervationem Brunnerus; unde febris hectica incurabilis ſequitur.

§. CLIV.

Quod attinet ad Chirurgicos caſus, vulneratio & inciſio gulæ, maximo cum periculo conjuncta eſt, ſi nempe fit in collo, præſertim in ejus parte poſtica, ſique in thorace, vel circa diaphragma contingit; ibi enim applicari nequeunt medicamenta, & alimenta in cavitatem thoracis deſcendunt. Inciſio igitur gulæ ſecundum longitudinem in collo non tam periculoſa eſt quam ſi transverſim facta.

§. CLV.

Quandoque accidit bolum cibi deglutitum, vel etiam piſcis officulum firmiter inhærere gulæ, ut ſuffocationis metum incutiat, quo in caſu optimum eſt moliri ejus extractionem vel intruſionem in oeſophagum cum commodis inſtrumentis ex oſſe ceti & ſpongia paratis, quæ videri poſſunt in Hildano. Juvat etiam, ſi cibus gulæ inhæreat, dorſum paulo fortiter percutere, ita enim ſæpe deſcenſio ejus in ventriculum promovetur.

§. CLVI.

Ventriculus eſt pars membranacea ex variis varii generis tunicis compoſita, cava, quæ recipiendo, digerendo, & expellendo cibo dicata eſt.

§. CLVII.

Situm ſuum habet immediate ſub diaphragmate, cujus ſuperiori parti incumbit inter hepar & lienem & ſubter pancreas, cujus vero tres fere partes in latere ſiniſtro, & una ſaltem pars in dextro poſitæ ſunt.

Scholion.

Ex hoc genuino ventriculi ſitu, qui rarius recte ab Anatomicis & Medicis attenditur, intelligi debet ejus paſſio admodum communis hypochondriacis; cum ille inflatur, ſeu a flatibus diſtenditur, ubi dolor & tenſio in ſiniſtro latere eſt, & uſque ad dorſum ſe ſe extendit, & falſo imputari ſolet lieni. Diſcimus quoque ex eo perperam applicari morbis ex vitio ſtomachi cordis ſcrobiculo emplaſtra, aliaque ſtomachum roborantia, cum potius ea imponenda eſſent ſiniſtro hypochondrio, & prope regionem ſpinalis medullæ. Error quoque eſt ex ignoratione hujus ſitus provenïens, quod cardialgiæ ſedes in orificio ſiniſtro ſtatuatur, cum illud ipſum ſit dorſo valde vicinum; dolor vero circa ſcrobiculum cordis qui dicitur cardialgicus torqueat, unde recte hujus ſedes in dextro ventriculi orificio ponitur.

§. CLVIII.

Dextræ ventriculi pacti incumbit hepar, viſcus ſatis amplum & vaſis ſanguineis refertiſſimum, lien vero adhæret ejus parti ſiniſtræ & poſticæ, ſub pancreate vero jacet ipſa ventriculi ſubſtantia, fundus connectitur cum omento, & hoc mediante cum inteſtino colo.

§. CLIX.

Calorem, qui ciborum digeſtioni, fermentationi, & diſſolutioni intimæ moderatus admodum favet, accipit ventriculus potiſſimum a viſceribus illis ſanguineis calidis hepate & liene adjacentibus; cum proprius calor, qui ſanguine advecto per vaſa arterioſa debetur, non ſufficiat digeſtionis negotio.

§. CLX.

Subſtantia ventriculi eſt pure membranacea, & quidem ex meris tunicis conflata. Prima communiter dicitur a peritonæo nata, & eſt illa exterior, ejuſque fibræ tranverſim excurrunt; ſecunda eſt muſculoſa, in qua duplex fibrarum ordo obſervatur; tertia dicitur nervea; quarta villoſa. Sub nervea repunt vaſa ſanguinea arterioſa & venoſa, & parvis glandulis obſita eſt.

Scholion.

Muſculoſa ex longitudinalibus & circularibus fibris, quæ illas in angulos obliquos ſecant, compoſita eſt. Obſervantur hæ circulares, maxime in fundo ventriculi, inque ejus dextra parte, circa pylorum, ubi & craſſiores & copioſiores ſunt carneæ illæ. Præterea datur peculiaris ſtructura fibrarum carnearum ſecundum longitudinem ab uno orificio ad alterum tendentium. Porro notabile eſt, quod circa orificium ſiniſtrum fibræ hæ carneæ circulariter abeant. In ſiniſtro latere ubi maxima ventriculi eſt capacitas, omnes quæ ventriculum conſtituunt tunicæ ſunt admodum tenues, ſubtiles, quia ibi non opus eſt ingenti robore ad cibum expellendum, quia ob ſitum altiorem reſpectu dextri orificii alimenta facile deſcendunt; vaſa enim brevia ibi extant. Circa fundum vero, & circa exitum ventriculi tunicæ admodum robuſtæ ſunt. Expanſio vero fibrarum longitudinalium ab uno orificio ad alterum, efficit ut in vomitu ex uno orificio in alterum ejicienda transfundantur; quare ſæpius contingit ea quæ modo abſumpta fuerunt, inque fundo ventriculi hærent per vomitum non ejici; ſed quæ in inteſtinis continentur vitioſi & bilioſi humores vomitu extruduntur.

§. CLXI.

Tunica nervea eſt ſedes appetitus, quæ alias orificio ſiniſtro vulgo aſſignatur, & oritur a reliquiis ciborum aceſcentibus, dum blanda ſua & ſpirituoſa aciditate vellicando nerveam tunicam deſiderium ciborum in mente producunt.

§. CLXII.

Orificia ſunt duo, ſiniſtrum & dextrum; illud cum gula eſt continuum & valde nerveum, ſed altius dextro ſitum eſt; exterius vero ramis duobus paris vagi cingitur ſatis inſignibus, quæ poſtea ſuper dorſum ventriculi tendunt ad orificium dextrum.

§. CLXIII.

§. CLXIII.

Accipit ventriculus nervos valde inſignes, partim a pari octavo, partim etiam ab intercoſtali, & quidem a latere ſiniſtro, accipit a pari octavo; a dextro, ab intercoſtali: Ex hiſce duobus ramis varii ſurculi emergunt, qui per parietes orificii ſiniſtri diſtribuuntur, & inſtar retis vel coronæ illud ambiunt.

§. CLXIV.

Quod attinet ventriculi vaſa, notandum eſt, quod arteriæ ex cœliacæ ramo hepatico, ſplenetico oriantur, dextræ nempe arteriæ ex illo, ſiniſtræ ex hoc; poſtea ad fundum ventriculi a cœliaca oritur arteria, quæ dicitur gaſtroepiploica, quoniam etiam ſpargit inferiores ramos ad omentum. Ab hac inſignis ramus tendit ad pylorum, hinc arteria pylorica dicitur.

Scholion.

Hæc vaſa tam inferiora gaſtroepiploica quæ ingrediuntur in fundum ventriculi, quam gaſtrica quæ dorſum ſeu ſuperiorem ventriculi partem ſubeunt, cingunt ventriculi parietes, hinc conjunctim hæc vaſa coronaria appellantur.

§. CLXV.

Arterias proxime comitantur venæ quæ eandem cum illis diſtributionem habent, unde etiam eo nomine inſigniri ſolent: Sanguinem nempe reducunt ad venam Portæ, & quidem ſiniſtre in venam ſplenicam, dextre ad ramum meſentericum.

Scholion.

Notatu dignum eſt quod non modo vaſa arterioſa ipſius ventriculi, ſed & ipſa venoſa, & quidem utraque inter ſe mutua anaſtomoſi ſibi juncta atque unita ſint, neque inveniri poſſit ex arteriis in venas per liquores coloratos ſanguinis ex arteriis regreſſus.

§. CLXVI.

Vaſa ſic dicta brevia duplicis ſunt generis, nempe arterioſa & venoſa, & prodeunt ex ramo ſplenetico tam arterioſo quam venoſo inſeruntur ſiniſtræ ventriculi parti, ubi ejus eſt maxima cavitas & maxima teneritudo, & hæc facile rumpi ſolent & aperiri in vomitu cruento.

§. CLXVII.

Uſus vaſorum ſanguiferorum eſt, ut ſanguis ad ventriculum adductus ipſi calorem temperatum, qui ad ſolutionem & fermentationem ciborum admodum neceſſarius eſt, fœneret; deinde, ut menſtrualem, ſubtiliorem & fermenteſcibilem ſuccum ad ſeparationem, ſeu potius tunicam glanduloſam ventriculi afferant, tum ut motum tonum & robur ventriculo concilient.

§. CLXVIII.

Uſus ventriculi eſt alimenta recipere, & ad tempus retinere, eaque beneficio menſtrui ſalivalis, & fermentativæ naturæ intime diſſolvere, & poſtea ſoluta motu periſtaltico & pylori conſtrictione ad inteſtina propellere.

Scholion.

Differt retentio alimentorum in ventriculo, pro diverſa natura & ratione illorum, pro diverſa etiam motus periſtaltici qui in ventriculo viget conditione. Nam alimenta compactiora, & quæ non cum maſticatione diſſoluta ſunt, diutius ibi hærent antequam diſſolvantur; deinde quo Ventriculus eſt robuſtior, id eſt quo vegetior eſt motus periſtalticus, eo citius cibi exprimantur e Ventriculo.

Conſideratio Ventriculi Pathologica.

§. CLXIX.

Multa & varia mala ſunt quibus ſcatet ventriculus, & hoc modo ex motus periſtaltici vitio, modo ex influxu ſanguinis non recte ſe habente, vel fluidi nervei, modo liquoris gaſtrici proficiſcuntur.

Scholion.

Tribus officiis fungitur Ventriculus, viget in eo appetentia ciborum, deinde eorum digeſtio, tum etiam contenta in Ventriculo conſiderari debent. Hinc omnia ſtomachi vitia derivari debent, & quæ Ventriculi vitiis ſuccurrunt, ad hæc directa medicamenta tria eſſe debent.

Ex Ventriculi motu vitiato. I°. Dolor cardialgicus duci debet. Hic enim non aliunde quam a ſpaſtica ſtrictura Ventriculi, & maxime ejus orificiorum, præſertim dextri, inducitur. Dolor hic eſt acerbiſſimus, & percipitur circa ſcrobiculum cordis, & pertingit uſque ad dorſum, imo ad humeros; & ſæpe occurrit etiam in praxi, præſertim apud hypochondriacos, ſique Ventriculus eſt inflammatus ab ira (1), a veneno, a purgantibus, vel emetico. Dyſenteriæ & choleræ ſolet eſſe comes, ſæpe ejus tanta vis eſt ut animi defectionem pariat.

§. CLXX.

II°. Læditur tonus Ventriculi periſtalticus nimia ejus inflatione, ſeu diſtenſione a flatibus, qui affectus eſt valde dolorificus, atque inſignem anxietatem atque inquietudinem affert, & familiariſſimus eſt hypochondriacis. Et quia Ventriculus inflatus diaphragmatis deſcenſum impedit fit ut reſpiratio valde anxia evadat; hic proſunt medicamenta calefacientia.

§. CLXXI.

III°. Vomitus, qui nihil aliud eſt quam inverſio motus periſtaltici in ipſo Ventriculo cum conſtrictione fortiſſima pylori.

Scholion.

Magna eſt vis in orificio Ventriculi dextro ſyſtaltica & contractiva, & revera principium motus periſtaltici qui per totum volumen inteſtinorum propagatur, eſt in hoc orificio. Quandoque per convulſionem illa Ventriculi pars quæ debebat dilatari & duodenum per conſenſum conſtringitur, non deorſum ſed potius ſurſum fit contentorum ejectio.

(1) Quia ſcilicet ſpaſmodice agunt afficiendo Ventriculum, inflammatio ventriculi etiam emergit a vomitivo fœminæ circa menſium fluxus tempus dato.

§. CLXXII.

IV. Singultus eſt quidem convulſio muſculorum diaphragmatis ; ejus tamen cauſa ut plurimum in Ventriculo , ejuſque ſiniſtro orificio conſiſtit.

Scholion.

Sæpe ſola refrigeratio , ut videmus in infantibus , cauſam præbet ſingultus ; interdum acris materia inhærens tunicis Ventriculi in vitio eſt & protinus potu aquæ frigidæ extinguitur ; ſi vero inflammatio vel ſphacelatio hanc paſſionem cauſatur , ſpes nulla vel plane exigua eſt.

§. CLXXIII.

V. Paralyſis etiam Ventriculum afficere ſolet , & cognoſcitur ex gravativo dolore , ſi inſtar ponderis cibi aſſumpti & ingeſta premunt , & fit ab reſoluto ejus tono vel motu in valde languidis , & qui modo a morbo gravi convaluerunt.

§. CLXXIV.

VI. Nimia Ventriculi diſtenſio ab ejus atonia proficiſcens , cauſa eſt ingeſta diutius in eo remanere.

Scholion.

Quandoque Ventriculus ita extenditur , ut ad pubem uſque devolvatur , omniaque inteſtina operiat ; tale exemplum legitur in BONETI *Sepulchreto Anatomico Lib. III. Sect. VIII. pag.* 870.

§. CLXXV.

VII. Ventriculum fatigare quoque ſolet ſpaſmus , qui valde conſtringit & coarctat eum & familiariſſimus eſt hypochondriacis ; fit cum dolore ſæpius acerbo & ingenti cibi faſtidio. Cauſa ut plurimum eſt iracundia , potus frigidus , vehemens purgans , aut emeticum.

Scholion.

Spaſmo mirifice conſtringi poſſe Ventriculum teſtis eſt HILDANUS *Lib.* I. *Cent.* 4. *in obſerv.* ubi ex abuſu croci metallorum , & ſecuta hypercatharſi mortua puella fuit , & Ventriculus ita coarctatus repertus fuit , ut ovi vix magnitudinem excederet.

§. CLXXVI.

VIII. Inflammatio Ventriculi eſt quidem frequentius malum quam vulgo æſtimatur , & periculoſum , ſi aliis morbis ſupervenit ſymptoma.

Scholion.

Qui ex veneno , vel vehementiori purgante aut emetico moriuntur , aut quos ira vel frigida potio enecat , hi omnes pereunt inflammatione Ventriculi , & quæ hanc ſequitur ſphacelatione ; morbis acutis , variolis & morbillis , item dyſenteriæ , ſi accedit inflammatio Ventriculi , funeſta eſſe ſolet. Qua de re latius actum *Diſſertatione de Inflammatione Ventriculi.*

§. CLXXVII.

IX. Ventriculi exulceratio rarior quidem eſt affectus , ſed tamen occurrit quandoque poſt choleram, dyſenteriam ; etiam in hypochondriacis a colluvie acidorum & corrodentium humorum gignitur , item ab iracundia crebriori.

Scholion.

Eſt affectus qui difficulter ſanationem recipit , & facile recidivat , & nonniſi demulcentia & delinientia omnis ſaporis expertia poſtulat.

§. CLXXVIII.

X. Vomitus cruentus fit a ruptis vaſis brevibus , in ſexu præſertim ſequiori , menſibus ſtagnantibus vel etiam ſuppreſſis , vel etiam in hypochondriacis liene infarcto aut obſtructo.

§. CLXXIX.

XI. Quandoque vermes in Ventriculo funeſtam ejus perforationem efficiunt.

§. CLXXX.

XII. Perforatio Ventriculi fit a venenis aſſumtis & plerumque eſt lethalis.

Scholion.

Talia exempla legi poſſunt in *Miſcell. Nat. Curioſ. Decad. I. Anno IV. & V. Obſ.* 38. *Decad. II. Anno II. Obſerv.* 76.

§. CLXXXI.

Et hæc ſunt vitia Ventriculi quæ ex ſubſtantia læſa proveniunt ; jam tranſitum facimus ad ea quæ ex humorum ibi contentorum vitioſa colluvie proficiſcuntur ; & hæc ſunt :

I. Fames canina , quam Græci βούλιμον appellant ſeu appetitus valde auctus , qui fit ab acido humore Ventriculi tunicas valde irritante ; naſci ſolet ſub morborum declinatione.

§. CLXXXII.

II. Anorexia , ſeu appetitus plane dejectus , plurimis morbis aſſociatur , & fit a fermento Ventriculi plane inerti.

Scholion.

Actio Ventriculi qua & appetitum & digeſtionem & contentorum expulſionem comprehendimus ſyſtematica eſt , quæ dependet a toto corpore , ſeu potius a motu atque temperie ſanguinis ac fluidi nervei moderato ac libero. Si itaque hic motus fluidorum in morbo quodam vel alia ex cauſa turbatus eſt , vel nimis celer , vel nimis tardus , tunc protinus & ciborum appetentia & eorum digeſtio perit , unde in nullo propemodum morbo interno hæc recte ſe habent.

§. CLXXXIII.

III. Apepſia dicitur digeſtio ciborum & reſolutio plane ablata ob magnam intemperiem & cruditatem menſtrui gaſtrici , vel ob defectum caloris temperati.

§. CLXXXIV.

IV. Bradypepſia eſt quando cibi ſemicocti e Ventriculo exeunt , & fit identidem ab inſufficienti ciborum reſolutione.

§. CLXXXV.

§. CLXXXV.

V. Dyſpepſia differt tantum gradu ab apepſia, ſi cruditates ex digeſtione in primis viis remaneant.

Scholion.

Cruditates duplicis ſunt generis, vel enim acidæ vel nidoroſæ, illæ ructibus, vomitibus, arroſione Ventriculi & dolore, cum ex ano exeunt fæces ſe maniſeſtant, & plerumque, quod notabile eſt, fæces albicantes reddunt. Nidoroſæ eructatione fœtida, neque minus ardore & phlogoſi circa præcordia ſe ſe produnt.

CAPUT IX.

De Inteſtinis.

§. CLXXXVI.

OEſophagus, Ventriculus & Inteſtina unum continuum oblonge rotundum canalem conſtituunt, a faucibus uſque ad anum expanſum, qui plurimis in locis, pro diverſa capacitate, ſitu, ſtructura, uſu, varia accipit nomina.

§. CLXXXVII.

Dividuntur Inteſtina in tenuia & craſſa, quorum utraque ſunt tria; illa dicuntur ob tenuitatem membranarum, & incipiunt a pyloro ac deſinuntur ad coli valvulam. Reliqua ob membranarum craſſitiem & majorem capacitatem Veteribus plena dicuntur.

§. CLXXXVIII.

Primum inteſtinum vocatur *duodenum* quoniam duodecim digitos tranſverſos longitudine plerumque æquat; ortum habet a pyloro, & primo perpendiculariter, deinde horizontaliter a dextra abdominis parte verſus ſiniſtrum renem decurri.. Hujus Inteſtini figura eſt inſtar Ventriculi, inflexa nempe, unde Ventriculum ſuccenturiatum ſi quis nominare velit, non errabit; inſervit non ſecus ac Ventriculus, & digeſtioni, ſeu reſolutioni alimentorum, & majori chyli elaborationi, quem in finem recipit ad aliquot digitorum diſtantiam a pyloro bilem & ſuccum pancreaticum, qui per diverſos ductus uno tamen oſculo in hoc inteſtinum feruntur, & ex alto quaſi in fundum hujus inteſtini deſcendunt. Et quia copioſius egimus hac de re in Diſſertatione *de Duodeno multorum malorum ſede*, ita conſuli hæc ipſa circa hoc poterit.

Scholion.

In canibus, aliiſque animantibus duodeni finis ſtatuitur ubi pancreatis ductus inſeritur, nam duo diverſa orificia a ſe invicem multum diſtantia, & ductus pancreaticus, & cholodochus habent.

§. CLXXXIX.

Duodenum eſt valde robuſtum ac craſſum, ſed non adeo amplum, cruſta glanduloſa obductum.

Scholion.

Notabiles ſunt in hoc Duodeno innumeræ glandulæ miliares quæ clare in hoc inteſtino cocto, ſi prima tunica fuerit ſeparata, conſpiciuntur: has invenit & accurate deſcripit Brunnerus in *Diſſertatione Epiſtolica.* Hæ glandulæ ſuccum ſalivalem fermenteſcibilem magna in copia plorant, qui alimentis mixtus ad eorum intimam diſſolutionem plurimum facit.

§. CXC.

Cruſta villoſa & glanduloſa, quæ in Duodeno ſatis craſſa conſpicitur, hunc quoque habet uſum ut tunicam nerveam ſubſtratam exquiſitiſſimæ ſenſationis tam a bile acri quam ab alimentis nimium ſalſis evadentibus defendat.

§. CXCI.

Differt Duodenum ab aliis inteſtinis in eo quod non cohæreat cum meſenterio quemadmodum Jejunum atque Ileon. Deinde quod peculiaria habeat vaſa, ſiquidem non accipit ramos ex arteria meſaraica ſuperiori & Vena portæ, ſed ex cœliaca & trunco Venæ-Portæ; tertio quod in nullum inteſtinum peculiares humores infundantur ſicuti hic influit pancreaticus & bilioſus ſuccus, quarto quod deſtitutum ſit vaſis lacteis.

§. CXCII.

Situm habet in latere dextro ſub hepate cum quo arctius connectitur, a quo etiam debet ſeparari, poſtea facta flexura horizontaliter fertur verſus opinam.

§. CXCIII.

Secundum Inteſtinum dicitur *Jejunum*, quia plerumque reperitur vacuum. Hoc incipit circa vertebras lumbares, circa centrum nempe meſenterii, poſtea elevatur in ſiniſtro latere in altum, & ſupra umbilici regionem fertur Finis ejus eſt ubi deſinit color rubicundus, atque in pallidum mutatur, & ubi valvulæ conniventes, quibus copioſis gaudet hoc inteſtinum, obliterari incipiunt.

§. CXCIV.

Viget maxime in Jejuno motus periſtalticus cujus beneficio ſuccus chyloſus in vaſorum lacteorum orificia impellitur, cui ſcopo maxime inſerviunt valvulæ conniventes. Quia vero a fortiori ejus motu citius contenta tranſeunt, plerumque vacuum reperitur.

Scholion.

Valde probabile eſt in hoc inteſtino, qui copioſiſſimis vaſis lacteis inſtructum eſt, potiorem partem liquidi ſeu potus tranſire per venas lymphaticas & lacteas ad ſanguinis maſſam.

§. CXCV.

Tertium eſt *Ileon*, omnium graciliſſimum, & longiſſimum, ſiquidem longitudine omnia reliqua ſimul ſumpta adæquat, rariores internæ ſunt plicæ & valvulæ, pauciora etiam ſanguinea vaſa, quare coloris magis eſt pallidi, & non tam rubicundum uti jejunum. Situm ſuum habet ſub umbilico, & latera oſſis Ilei occupat, hinc etiam nomen Ilei accepit; replet quoque totam regionem hypogaſtricam & inguinalem, firmiter connectitur cum meſenterio, & fluctuat quaſi in ventre, adeo ut ſupra & infra, & ab uno latere in aliud poſſit moveri.

* §. CXCV.

Hoc habet peculiare, quod inſignes plexus glanduloſos habeat a Peyero inventas, & hi maxime circa finem ejus apparent, magnitudinem & figuram habent ſeminis milii, ſed copioſius unitæ ſunt, ex iis latex inſtar ſalivæ ſolventis & fermenteſcibilis naturæ

naturæ ad ulteriorem chyli elaborationem effunditur.

Scholion.

Hi plexus milii formes glanduloſi ſtimulo purgante acri compreſſi, vel etiam a ſale corroſivo acri bilioſo in diarrhœis irritante ingentem ſeri copiam quæ ex arteriis affluit exprimunt inque cavitatem abdominis effundunt.

§. CXCVI.

Ex inteſtinis craſſis primum occurrit *Cœcum* quod ſitum eſt ad os Ileum dextrum, & incipit ubi Inteſtinum Ileum deſinit, & in appendice ſeu proceſſu vermiformi finitur. Longitudo hujus inteſtini non excedit trium vel quatuor digitorum tranſverſorum latitudinem. In appendice vermiformi obſervantur glandulæ quæ aliquid ſecernunt. Eſt capaciſſimum, firmis tunicis inſtructum; appendix brevis eſt, & nullibi eſt exitus, ſed tantum introitus.

§. CXCVII.

Alterum eſt *Colon*, cujus principium eſt ubi Inteſtinum Ileon deſinit in valvulam. Hoc Inteſtinum & firmioribus membranis & capacioribus vaſis gaudet, ut motu validiori conſtrictivo periſtaltico excrementa ſurſum propelli poſſint; utpote ſitum ſuum habet in dextro latere circa coſtam Oſſis Ilei, cui etiam connectitur.

§. CXCVIII.

Colon aſcendit ex coſta Oſſis Ilei ad renem dextrum, cui etiam jungitur per membranas, deinde ſub hepate facit flexuram, & connectitur ibi cum Duodeno & folliculo fellis, per membranam, in qua ſæpius conſpicitur a tranſſudante bile flavus color. Porro tranſverſim pergit ſub Ventriculi fundo, cui etiam mediante omento adjungitur: Pergit porro ad latus ſiniſtrum, ubi beneficio membranarum jungitur cum liene, ubi rurſus facit flexuram, & pergit ad renem ſiniſtrum, cui per meſocolon alligatur; poſtea rurſus aſcendit, & facit flexuram in latere ſiniſtro inſtar literæ S, & ſic fertur poſtea ad pelvim, & os ſacrum.

Scholion.

Situs & connexio Inteſtini Coli Medico qui praxin exercet ſcitu admodum neceſſaria eſt; non modo ut ſedem affectam morbi, ſed & ſymptomatum rationem & ortum in plurimis morbis cognoſcat. Nam hoc inteſtinum maxime patitur in affectu hypochondriaco & hyſterico, & ejus inflatio ac dolor in latere ſiniſtro olim falſo lieni adſcriptus eſt; & quia reni ſiniſtro firmiter jungitur, hinc fit ut flatus ibi incarcerati calculum in hoc rene deliteſcentem facile irritent atque commoveant, & rurſus etiam, dolor a calculo productus hoc inteſtinum in conſenſum trahendo atrocem coli dolorem ſuſcitet. Notatuque dignum eſt, quod flexura circa cavitatem oſſis Ilei ſiniſtri hujus Inteſtini, quæ deſcribitur litera S, firmiter ſit connexa cum ultimis lumborum vertebris, oſſique ſacro mediante meſocolo, per quod etiam tranſeant vaſa hæmorrhoïdalia.

§. CXCIX.

Colon eſt inter craſſa longiſſimum & valde capax, præſertim in principio, cujus ratio hæc eſſe videtur, quia propter ſitum declivem Ilei facile ibi ſtagnant excrementa, illudque diſtendunt, & beneficio validiorum membranarum quibus gaudet earumque ſtrictura contenta ſurſum pelluntur.

§. CC.

Ligamenta habet tria quo majus robur & ſtabilimentum ipſi concilietur; terminantur in proceſſu vermiformi arterioſi quoque & venoſi rami, nec non nervi ibi eximiores.

§. CCI.

Valvula huic inteſtino appoſita a Bauhino eſt inventa, cujus imaginem optime exhibet Tulpius *Lib. III. Cap.* 21. & hæc ita eſt conſtructa, ut per hanc fæces ex colo ad Ileon aſcendere poſſint. Conſtat hæc valvula ex tunicis admodum robuſtis & glanduloſis.

§. CCII.

Colon deinde plurimas habet cellulas ſemicirculares, quæ in ſtercoribus ſiccis figuram imprimunt, & impediunt quominus excrementa accumulentur, ſive in unum acervum coeant.

§. CCIII.

Glandulas quoque Colon habet plures ex quibus lymphaticus & mucidus ſuccus exſudat, & ſunt inſtar lentis.

§. CCIV.

Conſtat Colon ex tunicis craſſioribus, quibus tenuia ſunt deſtituta. Tunica enim interior magis eſt nervea, neque ita glanduloſa ficut ea quæ in Jejuno vel Duodeno eſt conſpicitur, ſine omni dubio hanc ob cauſam quia in his copioſa ſunt vaſa lactea, quorum orificia chylum excipientia in tunicam villoſam deſinunt. Nam hæc eſt inſtar cribri per quod chylus filtratur Ubicunque igitur ſunt vaſa lactea, ibi quoque hæc tunica viſitur, ut fit in Jejuno. In craſſis vero plane deficit, quia nec vaſa lactea ibi ſunt, neque etiam chyli elaboratio ulterior hic expectanda eſt.

§. CCV.

Diſtinguitur Colon ab aliis inteſtinis per ligamenta & cellulas, quæ ligamenta in principio ſunt tria, poſtea duo valde nervea, quæ ſi cultro diſcinduntur valvulæ ſeu cellulæ internæ diſparent, indicio maniſeſto, cellulas coli eſformari ex tunicis internis a ligamentis conſtrictis.

§. CCVI.

Nervos accipit Colon ex intercoſtali & ramo meſenterico inferiori nec non medio, & eam ob cauſam eſt valde ſenſibile variiſque ſpaſmodicis contractionibus obnoxium, quæ ſæpe tam fortes ſunt ut inteſtinum rectum firmiſſime conſtringant, ut etiam nec enema commode in illud injici poſſit.

§. CCVII.

Rectum dicitur inteſtinum, quando Colon anguſtatur & circa os ſacrum recta via pergit ad anum, qui finis eſt hujus inteſtini, cujus tunicæ craſſiſſimæ ſunt & valde carnoſæ. Caret vero cellulis ſeu valvulis, quales ſunt in colo, ſed tantum adſunt rugæ quæ exitum ſtercorum impediunt. Cingitur copioſa pinguedine, & multas habet glandulas lenticulares quæ mucum ſeparant lubricandis fæcibus admodum aptum; copioſa & ampla vaſa hæmorrhoïdalia ibi quoque conſpiciuntur. Hoc inteſtinum validis ligamentis oſſi ſacro, coxendicis & pubis alligatur, mediante peritonæo in viris radici penis & veſicæ

veſicæ collo, in fœminis vero utero ejuſque vaginæ; quare harum partium maxima & mutua eſt conſenſio.

Scholion.

Ob conſenſum harum partium fit ut qui teneſmo laborant ſimul urgeantur ad matulam, & qui calculum in veſica habent ad deponendam alvum continuo ſtimulentur. In fœminis ſi fœtus partui proximus deſcendit ad collum uteri ſtimulus ſemper fit fœminæ ad urinam reddendam, quin & ſuppoſitoria acria nonnunquam promovent abortum.

§. CCVIII.

Anus habet tres muſculos, primus eſt ſphincter qui externe anum complectitur, eamque conſtringit, & ex fibris annularibus eſt compoſitus, & fibrillarum interventu cuti & veſicæ affigitur: Reliqui duo ſunt elevatores, ab oſſibus coxendicis & eorum ligamentis diſtincte procedunt, anumque facta excretione fæcum retrahunt, hi ſi nimium relaxentur ani fit procidentia.

§. CCIX.

Rectum inteſtinum nervos habet ex nervo oſſis ſacri, item plexu meſenterico inferiori, unde acutiſſimæ eſt ſenſationis, quod teſtantur dolores qui ex venarum hæmorrhoidalium tumore naſcuntur & totum corpus graviter affligunt.

§. CCX.

Sphincter ani externe firmiter connectitur cum cute, & lacunas quasdam ſeu valvulas ſex habet ad minimum, ex quibus per glandulas ſeroſitas quædam deſtillat ad humectandum alvum & promovendam fæcum excluſionem.

Conſideratio Pathologica.

§. CCXI.

Plura ſunt mala quibus inteſtina afficiuntur, & inter hæc I. recenſenda eſt eorum inflammatio, quæ non ſecus ac ea quæ Ventriculum afficit, funeſta producere ſolet ſymptomata, eaque maxime conſpicitur in paſſione Iliaca, colica convulſione, ſæpius quoque in dyſenteria & ab aſſumtis venenis, aut quando Medici necant homines per fortiora purgantia aut emetica, quæ niſi cito diſcutiatur opportunis auxiliis, brevi in ſphacelum & mortem terminatur.

§. CCXII.

II. Non tantum Ventriculus ſed & ipſa inteſtina nimiam diſtenſionem a flatibus præſertim, & nimiam quoque contractionem patiuntur.

Scholion.

Si Ventriculus & inteſtina a flatibus nimium expanduntur, ut vis earum ſyſtaltica atque contractiva pereat, non modo alvus clauditur, excrementa remanent, ſed & ob tractionem & tenſionem nervorum intercoſtalium, & paris vagi, maximæ inquietudines, anxietates, partium externarum refrigerationes in univerſo corpore fiunt, & hoc modo generatur colica ſic dicta flatulenta. Si enim membranæ inteſtinales nimis corrugatæ & conſtrictæ ſunt, identidem alvina ejectio comprimitur, ſique a ſpaſmo fit illa ſtrictura, ſanguinis libero tranſitu impedito ille cum impetu ad alia loca transfertur, ubi congeſtus gravia mala excitat.

§. CCXIII.

III. Inteſtinorum perforatio maxime funeſta, & hæc fit plerumque a vermibus, vel a corroſivis acidis bilioſis humoribus, plerumque id obſervatur in Inteſtino Ileo, quia hoc omnium tenuiſſimum eſt, & ordinarie vermium hoſpitium.

§. CCXIV.

IV. Convolutio Inteſtinorum fit, & hæc maxime in Iliaca paſſione deprehenditur, uti exempla proſtant in *Miſcell. Natur. Curioſ*, propter motum periſtalticum inverſum. Et tali in caſu non præſentius auxilium reperitur quam in mercurio currente cum oleoſis copioſius exhibito.

§. CCXV.

V. Tormina inteſtinorum vel a lancinatione tunicarum nervearum, vel ab earum nimia diſtenſione a flatibus fiunt; illud maxime fit in dyſenteria, hoc a flatibus.

§. CCXVI.

VI. Inteſtinorum dolor crudelis ſæpe exercet illa, & a ſtagnante ſanguine præſertim fluxu hæmorrhoïdali oritur, & tunc cauſa inter membranas, & non in cavitate inteſtinorum quærenda eſt; vocari autem ſolet colica hæmorrhoïdalis, & ſæpius eſt ſpaſmodica convulſiva.

§. CCXVII.

VII. Cholera, quæ eſt copioſa & dolorifica dejectio humorum, per vomitum & alvum, neque periculi expers eſt, niſi cito ſuccurramus, materiæ bilioſæ valde corroſivæ debetur.

§. CCXVIII.

VIII. Eorum vulneratio plerumque lethalis, quæ transverſim facta eſt, præſertim in inteſtinis tenuibus, ob majora vaſa dilacerata, facile ſuccedit gangræna & ſphacelus.

IX. Inteſtinorum ſitus mutatio quæ fit non modo ex hernia ſcrotali, ſed etiam umbilicali.

§. CCXIX.

X. Nimia conſtrictio tunicarum inteſtini duodeni & inde proveniens bilis affuſio impedita, unde regurgitat ad ſuam officinam, id eſt ad hepar, & fit icterus; ſequi hinc ſolent ſæpius tormina & dolores inteſtinorum, cardialgiæ.

§. CCXX.

XI. Conſiſtit etiam ibi frequentius fomes febrium intermittentium, ubi opus eſt non modo abſterſivis ſalinis remediis, ſed etiam emeticis, ſique altius ſedet materia, mercurio dulci.

§. CCXXI.

XII. Tormina atrocia plerumque fiunt in inteſtinis tenuibus, præſertim Jejuno & Ileo, cujus rei argumentum eſſe poteſt ipſe ſitus doloris, qui eſt circa umbilicum.

§. CCXXII.

XIII. Tympanitis eſt nimia diſtenſio inteſtinorum à flatibus, tunicis eorum ſtrictioribus & tenſioribus factis.

§. CCXXIII.

§. CCXXIII.

XIV. Quod ſi levatores ſic dicti muſculi nimium relaxantur, quod fit ſæpius in infantibus, in dyſenteria, alvus procidit, præſertim ſi niſus adeſt ejiciendi fæces, & non ſine difficultate reducitur.

§. CCXXIV.

XV. Paralyſi etiam inteſtinum rectum afficitur cum ejus ſphinctere, præſertim in ſenibus & morti proximis, ubi involuntarie fæces ſuccedunt. In morbis acutis ſi hoc fiat, mors ante fores, ſi vero a ſenio proſunt nervina balſamica interne.

§. CCXXV.

XVI. Pruritus etiam ſedis partes vicinas & externas occupat ſatis moleſtus, præſertim in ſcorbuticis, lue venerea affectis, lenibus, a ſero acri cauſtico per glandulas & lacunas tranſſudante.

§. CCXXVI.

XVII. Diarrhœa chyloſa naſcitur ab obſtructione tunicæ villoſæ, quæ maxime extat in jejuno ab amurca, materia viſcida, glutinoſa, quæ oſcula vaſorum lacteorum obſtruendo, chyli tranſgreſſum impedit; unde collectæ crudæ & chyloſæ alimentorum ſordes irritando, inteſtinorum motum cauſantur præternaturalem, alvi fluxum.

Scholion.

Hic affectus maxime familiaris eſt infantibus præſertim lactantibus, propter lac primis in viis coagulatum, ſigna ſunt inflatio abdominis, partium ſuperiorum tabeſcentia, ſitis copioſa & albicans alvi fluxus.

§. CCXXVII.

XVIII. Diarrhœa eſt motus inteſtinorum periſtalticus auctus, cum crebra & celerrima ſordium excretione ab acrimonia ſalino-ſulphurea præſertim bilioſa, quæ tunicas inteſtinorum arrodit, productus.

Scholion.

Diarrhœa plerumque eſt epidemica æſtivo tempore ſub ſole ferventiſſimo, ſi prohibetur tranſpiratio ab aura frigida præſertim nocturna; graſſare etiam ſolet a principio autumni a fructibus horæis comeſtis & cohibita tranſpiratione, ratio eſt in promptu, quia ſordes ſalino-ſulphureæ acres tenuiſſimæ indolis, quæ per habitum cutis tranſpirare ſolent, ſi in corpore maneant, per glandulas inteſtinales & ductus bilioſos feruntur ad inteſtinorum tunicas.

§. CCXXVIII.

XIX. Dyſenteria eſt fluxus alvi cruentus cum atrocibus torminibus ventris junctus ab acrimonia bilioſa valdè corroſiva dependens.

§. CCXXIX.

XX. Paſſio Iliaca eſt expulſio per os, eorum quæ per alvum excerni debebant a motu inteſtinorum tenuium periſtaltico inverſo orta, variis ex cauſis dependens.

Scholion.

Paſſio iliaca merito diſpeſci poteſt in chronicam & acutam; illa eſt ſine inflammatione & ſine atroci dolore ac febre, qualis contingere ſolet ſi ingens inteſtini ilei copia in ſcrotum delabitur, & interdum ad quatuor vel quinque ſeptimanas durat ſine periculo. Acuta cum atrociſſimo dolore, convulſione, inflammatione juncta eſt; quæ ſi in ſphacelum abit funeſta fit; & naſcitur ſi pauca tantum portio ilei in ſcrotum prolapſa fuerit, vel ſi in fœminis, pars inteſtini deſcendit in inguina, & inter tendines muſculorum abdominis ubi ligamenta uteri rotunda jacent coarctatur.

§. CCXXX.

XXI. Huc etiam ſpectat morbus ſic dictus niger Hippocratis, qui eſt dejectio excrementorum fœtidiſſimorum atro colore tinctorum, a ſanguine in Ileo extravaſato, plerumque juncta cum vomitu nigro & eventu funeſto.

§. CCXXXI.

Colica hæmorrhoidalis eſt vehemens dolor qui in latere ſiniſtro incipit & ſe ſe extendit per totum abdomen, ſub regione ſtomachali, cum maxima anxietate, inquietudine, extremorum frigore junctus, & alvi contumaciſſima adſtrictione, ob ſanguinem intra tunicas inteſtini coli nerveas hærentem, eaſque valde diſtendentem.

Scholion.

Dicitur hæc colica Hæmorrhoidalis, quia valde familiaris eſt iis qui fluxui hæmorrhoidali obnoxii ſunt, ſi is ſupprimitur, tunc ſanguis cum impetu ruit ad tunicas coli, quæ nimium ab eo diſtentæ dolorem acutiſſimum cauſantur, qui totum corpus in conſenſum protrahit. Optime curatur venæſectione, hirudinum applicatione, & moderatis diſcutientibus ſedativis, item refrigerantibus aquoſis.

§. CCXXXII.

XXIII. Nimia inteſtinorum inflatio, ſeu colica flatulenta eſt diſtenſio dolorifica inteſtinorum a flatibus ibi ſtagnantibus, ob atoniam ſeu motum periſtalticum languidiorem redditum; jungitur cum intumeſcentia abdominis alvique obſtructione.

Scholion.

Vehementes ſæpiſſime fiunt inflationes in inteſtinis, quandocunque fortior conſtrictio ſeu ſpaſmus partem quamdam vel coli, vel etiam ilei occupat, unde flatus tranſmitti nequeunt.

§. CCXXXIII.

XXIV. Inflatio inteſtini coli, in dextro latere ubi incipit circa coſtam Ilei, non infrequens affectus eſt: Conqueruntur ægri de dolore circa dextum latus, ubi coli principium ſitum eſt. Pertinent huc etiam inflativi dolores circa dextrum & ſiniſtrum hypochondrium, qui oriuntur in flexuris coli, quando ibi hærent flatus, vel materia ſtercorea acris corroſiva.

Scholion.

Inflationes hæ dolorificæ circa hypochondria, tactu & viſu quæ cognoſcuntur, admodum familiares ſunt iis, qui morbo ſic dicto ſpaſtico hypochondriaco laborant, & perperam adſcribuntur deliteſcentibus ibi viſceribus, hepati nempe & lieni; cum potius originem ſuam trahant a flatibus in flexuris inteſtini coli, quæ in hiſce locis admodum conſpicuæ ſunt, ſtagnantibus, quare etiam clyſteres carminativi præſentiſſimum levamen adferunt, dum flatus diſcutiunt, atque illis exitum ſubminiſtrant.

§. CCXXXIV.

XXV. Tormina ventris ſunt nihil aliud quam vehementiſſimæ conſtrictiones ſpaſticæ cum ſæviſſimo dolore junctæ, quas vel alvi fluxus, vel ejus vehemens conſtrictio comitatur.

Scholion.

Scholion.

Hæc maxime locum habent, ſi venenata, acris, cauſtica materia inteſtinorum tunicas infeſtat, eaſque arrodit, unde ab aſſumpto veneno, verbi gratia arſenico, a draſtico purgante dato, ſæviſſima ventris tormina excitantur, idem fit in dyſenteria quæ nunquam ſine atrocibus tormentis, quæ poſtea ſubſequitur alvi crebrior dejectio.

§. CCXXXV.

XXVI. Colica convulſiva metallurgorum huc quoque ſpectat; quæ nihil aliud eſt quam ſpaſmus inteſtinalis vehementiſſimus dolorificus cum pertinaciſſima alvi conſtrictione, a fumis & vaporibus ſaturninis ore hauſtis ut plurimum profectus.

Scholion.

Legi poteſt hac de re Diſſertatio noſtra *de Metallurgia morbifica*; item WEDELII *Diſſertatio de Colica ſaturnina.* STOCKHAUSEN *de fumo lithargyrii noxio.*

§. CCXXXVI.

XXVII. In claſſem morborum qui a motu perverſo inteſtinorum periſtaltico oriuntur referenda etiam ſunt excretionis alvinæ vitia, quibus merito annumerari debent alvus nimis tarda & pertinax, alvus dura & obſtructa, & alvus conſtricta.

Scholion.

Alvus obſtructa vocari ſolet ea quæ fit a materiæ quantitate, a copioſis nempe & induratis fæcibus, ſi hærent in inteſtinis craſſis, ibique conglomeratæ progredi, vel exitum per anum habere nequeant. Alvus retardata ea dicitur, quæ fit a motu languidiori inteſtinorum, defectu bilis, & prædominio acidorum conſtringentium ſuccorum, quale quid ordinarie in hypochondriacis occurrit; alvus conſtricta non ex vitio materiæ venit, ſed potius ſpaſticæ conſtrictionis, ſi illa inteſtina infeſtat, ſoboles eſt, quare omnibus fere doloribus gravioribus qui a ſpaſmo naſcuntur alvus conſtricta jungi ſolet; uti videmus in colica convulſiva, calculo, dolore capitis, dentium, cardialgia, dolore hæmorrhoidali, epilepſia infantum. Ex quibus facile jam apparet ratio quare ſalia volatilia oleoſa, nervina, abſorbentia, nitroſa, antiſpaſmodica, ut Caſtorina, anodyna opportuna & optima ſæpe adverſus alvum conſtipatam ſint præſidia.

§. CCXXXVII.

XXVIII. Ad Inteſtinorum morbos qui a motu periſtaltico inverſo aut perverſo fiunt ſpectat etiam totus ille morbus ſpaſticus hypochondriacus, utpote qui in nullis partibus corporis ſedem & domicilium ſuum habet, tam ratione cauſæ quam ratione operationis & effectuum, quam in ventriculo & magno inteſtinorum canali, ac in perverſo & inverſo harum partium nervoſarum potiſſimum motu conſiſtit.

Scholion.

Flatibus & ſpaſmis moleſtus maxime hic eſt affectus quem ructus retenti, flatus, alvi adſtrictiones, tormina, anxietates, inflationes hypochondriorum, alvi quoque fluxus, interdum nimii, ſatis manifeſtant; adeoque recte ſedes hujus mali in ventriculo & inteſtinis reponitur; neque originem ſuam debet, ut nonnullorum eſt ſententia, viſceribus in abdomine obſtructis vel infarctis. Nam cachectici, ſcorbutici, hydropici, ab hoc malo plerumque ſunt immunes, ubi tamen ob viſcera abdominis male affecta ſanguinis progreſſus per meſenterium & inteſtina valde eſt difficilis; neque ex ſuppreſſione fluxus hæmorrhoidalis oritur, ut ut ab hoc fluxu male ſe ſe habente admodum exacerbetur, ſed potius diſpoſitio hæmorrhoidalis effectus mali hypochondriaci eſt; quia ob ſpaſmos & flatus inteſtinorum liber progreſſus & circulus ſanguinis per viſcera abdominis & vaſa meſaraica impeditur & inteſtina; unde facile a ſpaſmis compreſſis venis ſanguis cum impetu ad inteſtini recti extrema per arterias delatus, orificia vaſorum facile reſerat; ſed potius omnia ea quæ naturalem ventriculi & inteſtinorum tonum, robur, motum deſtruunt atque invertunt, originem ac cauſam graviſſimo huic malo præbent; cujus generis ſunt potus valde frigidus poſt gravem iracundiam, terrorem, vel etiam vehementiorem corporis motum copioſius aſſumptus, quod etiam vidimus poſt validas purgationes, item emetica data, eveniſſe. Hæmorrhagiæ nimiæ, vel etiam febres, ut & alvi fluxus, & dyſenteriæ ſuppreſſæ & cohibitæ cum adſtringentibus, nimiæ abdominis refrigerationes, acidorum abuſus, & maxime omnium nimia triſtitia, angor, vel nimiæ mentis fatigationes poſt cibum, lucubrationes præpoſteræ, & vigiliæ aſſiduæ, quæ omnia maxime in corporibus natura debilibus, vel a morbo labefactatis, quam facile hunc affectum inducere poſſunt.

§. CCXXXVIII.

XXIX. Eroſiones tunicarum inteſtinalium non tam infrequenter ab humoribus acribus, acidis inductæ & diuturnas moleſtas alvi fluxiones, anxietates, anguſtias, dolores poſt ſe relinquunt, difficilemque curationem recipiunt.

§. CCXXXIX.

XXX. Lumbrici, qui inteſtinorum canalem occupant, roſione, quandoque etiam perforatione, graviſſima movent ſymptomata, adeo ut præter dolores & tormina, & ventris inflationes, convulſiones, epilepſiæ, atrophia, lentæ febres inde proveniant.

Scholion.

Variæ lumbricorum dantur ſpecies; quidam enim ſunt longi, teretes, qui in gyrum interdum convolvuntur; vel etiam ſunt lati, tenuis membranæ inſtar, & tæniæ nomine veniunt; vel etiam ſeminis cucurbitæ ſpeciem referunt, in inteſtino recto aſcarides vocantur. Periculoſiſſimi qui in ventriculo hoſpitantur, qui bina capita interdum habent; quandoque perforata a lumbricis inteſtina fuiſſe teſtantur Obſervationes; vide *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. III. Obſ.* 141. *Dec. II. Ann. I. Obſ.* 120.

§. CCXL.

XXXI. Inteſtinum Rectum pluribus etiam vitiis obnoxium eſt; ſi acris humor vel ex glandulis lenticularibus ſtillat, vel materia acida arrodens ex fæcibus ibi ſtagnat, conſtringitur, ſeu ſpaſmum patitur; & tunc crebra cupiditas deſidendi naſcitur, quæ teneſmi nomine venit.

Scholion.

Hoc malum admodum frequens eſt iis qui diarrhœa vel dyſenteria laborant, aut qui acidum copioſum primis in viis colligunt, ut ſunt hypochondriaci, ſenes, & qui vinis acidis indulgent. Jungitur teneſmo ſæpius cupiditas urinam crebrius emittendi, cum ardore & ſtillicidio, quia ſphincteri veſicæ firmiter eſt annexum inteſtinum rectum, unde e contra ſtranguriæ, præſertim quæ fit a calculo, ordinario teneſmus jungitur.

§. CCXLI.

XXXII. Inteſtinum rectum exulcerationibus etiam ſubjectum eſt, quæ viſuntur maxime in dyſenteria, diſſectione cadaverum id teſtante, quibus præſentibus teneſmus eſt continuus, & acris ulceroſa materia; pauca tamen, ejicitur.

§. CCXLII.

XXXIII. Dolor & tumor inflammatorius hoc inteſtinum ſæpiſſime affligit, præſertim ſi ſanguis qui per venas ſedis exire ſolet ibi ſtagnat; affectus dici ſolet hæmorrhoides cæcæ.

Scholion.

Hic dolor quandoque ſæviſſimus, ſi ſanguis hæmorrhoidalis exitum non invenit, quia diſtenta vaſa vehementer nerveam tunicam tendunt atque premunt. Quare optimum præſidium, ſi in principio admoveantur hirudines, vel ſi diſcuſſio per externa paregorica & reſolventia tentetur, aut ſi ſanguis coagulatus jam fuerit, apertura circumſpecte fiat, ut cruor ibi ſubſiſtens exprimi queat.

§. CCXLIII.

XXXIV. Ex tumore hæmorrhoidali interno ſæpius fit inflammatio, cui niſi cito ſuccurramus, ſequitur interdum ſphacelus, interdum vero in abſceſſum tranſit, qui ſi non recte tractatur in ulcus fiſtuloſum terminatur.

§. CCXLIII. *

XXXV. Quandoque Inteſtinum rectum vehementiſſime conſtringitur in affectibus ſpaſmodicis, ut nihil liquidi vel flatuum, neque etiam clyſterum transmittat, in hypochondriaco malo, colica hæmorrhoidali & convulſionibus laborantibus.

Conſideratio Chirurgica.

§. CCXLIV.

Omnia vulnera inteſtinorum, præſertim Duodeni, ſunt lethalia abſolute, ut & Jejuni, quia copioſa ibi ſunt vaſa, & motus periſtalticus celerior, quo & contenta citius elabuntur, & putridam corruptionem externis partibus inferunt ſucceſſive; deinde etiam omnia inteſtinorum vulnera facile abeunt in inflammationem & ſphacelum, adeoque celeriter necant.

§. CCXLV.

Læſiones graviores inteſtini Ilei itidem pro abſolute lethalibus habendæ ſunt, niſi ſint minores, & exterius pateant, viſuique ſe ſe offerant, ut medicamenta conglutinantia poſſint applicari; ita enim contentis exitus præbetur ne in cavum abdominis deſcendant.

§. CCXLVI.

Vulnerationes inteſtini Coli non tantum periculi & lethalitatis habent quam tenuium, tum quod craſſiores & robuſtiores habeant tunicas, quæ facilius conglutinari poſſunt, tum quod facilius coeant & conglutinentur cum integumentis corporis, relicta apertura per quam fæces tranſeunt; porro etiam quia hoc inteſtinum præſertim ſub ventriculo & in dextro latere extra abdomen promtius prolabatur & promineat, unde non omnia Coli vulnera lethalia æſtimanda ſunt.

§. CCXLVII.

Porro hernia umbilicalis fit a prolapſu inteſtini Ilei ſi infra, ſi ſupra umbilicum inteſtini coli, a nimia peritonæi relaxatione & muſculorum abdominis orta, ubi cita repoſitio & ſubligatio cum emplaſtris glutinatoriis firmata locum invenit.

Scholion.

Hernia umbilicalis frequentius oritur in ætate infantili, & naſcitur quoque in Colica flatulenta; fit quoque in mulieribus a fortiori conatu in enitendo fœtu.

§. CCXLVIII.

Hernia inguinalis eſt prominentia portionis ilei circa inguina, ubi vaſa ſpermatica proprio ductu per tendines abdominis deferuntur; quando vero nimium diſtenditur peritonæum, & pars ilei prolabitur in ſcrotum, tunc Hernia inteſtinalis ſeu enterocele vocari ſolet.

§. CCXLIX.

Dantur caſus, ubi per foramen umbilici extra abdomen Coli portio prolapſa fuerit in fœtu, & quia pro ſarcomate imprudenter talis tumor habitus, lethaliter & temere a Chirurgo reſectus legitur in *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. III. Obſ.* 183.

§. CCL.

Quoad inteſtinum Rectum, varii etiam incidunt affectus, qui conſiderationem chirurgicam merentur; & primum ani procidentia, quæ fit a muſculis levatoribus qui ſub initio peritonæi juncti ſunt oſſi ſacro & pubis, nimium ab affluxu humorum relaxatis, ſi præſertim teneſmus urget, & gravis niſus fæces deponendi; eſt malum non infrequens infantibus.

§. CCLI.

Reſtant adhuc illi qui occupant anum exterius tumores variæ figuræ & magnitudinis, unde ficuum, mariſcarum, condylomatum nomine veniunt, & ex ſucco nutritio foras protruſo, ex ſanguine in vaſis extremis ſtagnante ſolent enaſci; præſertim in ſpongioſioribus ſubjectis, & ubi hæmorrhoides exteriores fluere ſolitæ variis de cauſis cohibitæ fuerunt; valde impediunt deſcenſum fæcum alvinarum, & commodiorem in natibus ſedem.

§. CCLII.

Tumorum horum genera optime curantur per ſectionem, modo capitulum commode ligari queat, Hæmorrhagia ſiſti poteſt capite mortuo vitrioli. Plura qui deſiderat conſulere poteſt Hier. Fabricium ab Aquapendente *de Operationibus Chirurgicis*, *pag.* 327.

§. CCLIII.

Pertinent huc etiam fiſſuræ dolorificæ, ſeu raghades quæ a ſero acri miaſmate virulento infecto transſudante fieri ſolent, & nonniſi mercurialibus & ſulphuratis linimentis anodyno commixtis curantur opportune.

§. CCLIV.

Spectat huc etiam anus non perforata in fœtu in lucem ſic edito. Si veſtigium foraminis adeſt, facile fieri poteſt per crucem inciſio & cannula plumbea intrudi, ne rurſus fiat coalitio.

§. CCLV.

Pruritus ſedis partes vicinas & extremas occupat, affectus

affectus ſatis moleſtus eſt, ſenibus, ſcorbuticis non adeo rarus, a ſero acri ex lacunis glandulofis circa ſphincterem ſedis erodente proficiſcens.

§. CCLVI.

Ulcera non raro infeſtant ipſam ſedem, & hæc potiſſimum ex vaſis hæmorrhoidalibus tumidis & cœcis, ſeu non fluentibus, præſertim externis naſcuntur, maxime ſi improvide a Chirurgis per cauſtica tractantur, & acria.

Scholion.

Differunt hæc ulcera ab exulceratis hæmorrhoidibus internis, quæ majoris conſiderationis ſunt, quia facile in fiſtulas abeunt, dum materia ulceroſa per membranas inteſtini recti ſerpit, & ad partes etiam externas diſcurrit, ut circa anum aperturæ & foramina fiant, ubi prudenter factæ inciſiones cum opportunis inſtrumentis optimam locant operam.

§. CCLVII.

Fæcum involuntaria excretio fit vel a paralyſi fibrarum muſculoſarum carnearum, ex quibus ſphincter componitur, in paralyticis vel ſenio confectis, aut morti proximis, vel naſcitur a diſciſſione plenaria ſphincteris.

CAPUT X.

De Meſenterio, Venis Lacteis, & Ductu Thoracico.

§. CCLVIII.

Meſenterium dicitur quaſi medium inter inteſtina, ſiquidem hoc ipſum non modo eſt Inteſtinorum vinculum quo colligantur, ſed & omnis generis vaſorum, arterioſorum, venoſorum, lacteorum, neque minus nervorum, quæ omnia numeroſa ſobole & propagine ad inteſtina excurrunt, fulcimentum.

§. CCLIX.

Conſtat meſenterium ex duplici membrana ſuperiori & inferiori, cui quidam tertiam, celluloſam, ſeu mucoſam addunt, in quo ejus pinguedo continetur, ſub quibus atque etiam pinguedine nervi & vaſa omnis generis tuto ſubſtrata & locata ſunt, ne forſan ſi homo ſaliat vel cadat, ea diſruptionem incurrant.

§. CCLX.

Meſenterium vulgo in ſtricte dictum ſeu Meſereum, & in Meſocolon dividitur; illi annexa ſunt inteſtina tenuia per conſequens Jejunum & Ileon; meſocolo vero inteſtina craſſa præſertim Colon unde etiam nanciſcitur nomen illud; craſſius eſt & circularem figuram habet, & medio dorſi annexum eſt, hoc vero oblongam figuram, & lateri dextro atque ſiniſtro mediante peritonæo, præſertim circa oſſa Ilei, annexum. Meſenterium magis liberum eſt, ita ut poſſit ab uno in alterum latus volvi, ſed ita ſeſe res non habet cum Meſocolo quod firmius peritonæo annectitur.

§. CCLXI.

Meſenterii ſeu Meſeræi origo a peritonæo vulgo ducitur, ſed ſi rem accuratius perpendamus, membranæ meſenterii potius oriuntur a ligamentis quæ lumborum vertebras connectant, & ex membranis arteriarum ac venarum externis exſtruuntur; firmiter connexum eſt cum prima, ſecunda & tertia lumborum vertebra. Centrum autem Meſenterii, quod vaſa arterioſa, vena meſaraica ſuperior & ramus dexter venæ Portæ, nec non magnus nervorum ramus ingrediuntur, primæ lumborum vertebræ firmiter connexum eſt.

§. CCLXII.

Meſocolon vulgo ſtatuitur productio Meſenterii, ſed teſte autopſia meſocolon quod in dextro & ſiniſtro latere ſitum, nihil aliud eſt quam productio omenti.

Scholion.

Hujus veritatis jam meminit Laurentius *Lib. VI. Anatom. Cap. XV.* dum inquit Epiploon in inteſtino Colo meſenterii vicem gerit, & inter uſum Epiploi hic eſt præcipuus, ut fungatur officio meſenterii in colon, adeoque nullum aliud meſocolon eſt; item Vesalius *Lib. de Fabrica Corporis humani*; Meſenterium, quod colon dextro ilei lateri & ſiniſtrum ſiniſtro connectit, ſimilem cum omenti membrana quæ colon ſecundum Ventriculi fundum exporrectum continet ſortitur exordium.

§. CCLXIII.

Sub Meſenterii membranis ingens & numeroſa ſoboles in pinguedine glandularum, quæ non æqualis ſunt magnitudinis, deliteſcit, & non modo racematim ſunt diſpoſitæ, ſed & ductum habent circularem, ita ut totus meſenterii ambitus ſecundum lineam circularem glandulis quæ ex conglobatorum numero ſunt circumſeptus ſit.

Scholion.

Glandularum conglobatarum, quæ ſub meſenterii membranis latent, munus eſt, ut fulciant vaſa lactea & lymphatica, ac quaſi eorum cataractæ ſint, fibrarumque nervearum robore ac conſtrictione chyli ac lymphæ motum ad ciſternam chyli promoveant.

§. CCLXIV.

Vaſa, quæ ad meſenterium & meſocolon abeunt, arterioſa duplicis ſunt generis, nempe arteria magna in ramum ſuperiorem, qui abit ad meſenterium & meſaraica ſuperior dicitur, & inferiorem dividitur, qui ſub ſeminalium arteriarum initiis oritur & abit ad meſocolon, præſertim illam partem, quæ in ſiniſtro latere jacet.

Scholion.

Notandum eſt, quod ramus ex arteria meſaraica ſuperiori abeat ad principium coli, & eam hujus inteſtini partem, quæ in latere dextro ſitum habet, arteria vero meſaraica inferior colo, quod in latere dextro poſitum eſt, atque etiam inteſtino recto inſeratur.

§. CCLXV.

Venas meſenterium & meſocolon mutuantur a Vena Portæ, & quidem ejus ramus dexter eandem cum arteria meſaraica ſuperiori diſtributionem habet, ad coli vero partem ſiniſtram & inteſtinum rectum vena ex ramo ſplenico ſeu ſiniſtro Venæ Portæ ſecundum meſocoli longitudinem fertur ad hoc inteſtinum, qui ramus in inteſtino recto vocari ſolet hæmorrhoidalis, quia hujus ora aperta ſanguinem ſtillant & hic affectus vocari ſolet hæmorrhoides internæ.

Scholion.

Notabile eſt, quod vaſa ſanguifera in meſenterio reſpectu inteſtinorum, ad quæ advehunt ſuccos & nutritionem ipſis ſubminiſtrant, valde ampla & capacia ſint.

§. CCLXVI.

Comitari ſolent ſanguinea vaſa in meſenterio inſignes nervorum plexus atque faſciculi ex copioſis nerveis fibris conflati, qui ſuam mutuantur originem partim ex nervo utriuſque lateris intercoſtali, partim ex ramis nervi paris vagi ſurculiſque lumbarium nervorum. Solent vero ramuli nervorum tranſcendere ſanguinea vaſa, eorumque tunicis ſeſe inſinuare, adeo ut quaſi ligent vaſa atque involvant, dubio procul eo fine, ut progreſſio ſanguinis copioſi & viſcidi per hæc vaſa facilius promoveatur.

Scholion.

Vieussens in *Nevrologia* tres plexus nervorum meſenterii ſtatuit, unum ſuperiorem, qui meſenterii centrum ſubit, alterum medium, qui ad meſocolon fertur, & tertium infimum, qui ad pelvim, inteſtinum rectum, atque veſicam urinariam terminatur.

§. CCLXVII.

Largiuntur nervi inteſtinorum membranis acutiſſimum ſenſum, id quod graviſſima tormenta & ſpaſmi, qui inteſtina occupant, & ex inteſtinis ad alias partes nervoſas feruntur, declarant, impertiunt etiam illis ipſis motum, tonum, & robur, ut eo felicius proprium ſuum, quo gaudent, periſtalticum motum abſolvere poſſint.

Scholion.

Ut ut vero inteſtina exquiſito & acuto ſenſus gaudeant, attamen ipſum meſenterium propemodum omni ſenſu vacat, neque alia hujus rei ſuppetit ratio, quam quod membranæ meſenterii tantum ſint ſimplices, non compoſitæ ex fibris carneis & nerveis, ſicut tunicæ inteſtinales: ſiquidem membranæ nerveæ & carneæ ſunt tantummodo genuinum & verum organon ſenſuum.

§. CCLXVIII.

Feruntur etiam per meſenterii duplicaturam vaſa ſic dicta lactea ab Asellio anno 1622. inventa, quæ ex inteſtinis originem ſuam ſortiuntur, & numero ſunt infinita, magis vel minus exilia, ex inteſtino jejuno & ileo maxime prodeuntia & modo ſeparata a reliquis vaſis modo cum ipſis recto vel obliquo ductu ſerpunt, vaſaque ſanguifera tranſcendunt juncta ſæpiuſcule inter ſe anaſtomoſibus; & primo ad glandulas copioſas meſenterii, quæ circum divaricationes vaſorum ſitum ſuum potiſſimum habent, abeunt, & vaſa lactea primi generis dicuntur; poſtea vero ab illis glandulis pergunt ad receptaculum chyli ſeu lumbarem a Pecqueto triginta poſt annis poſtea inventum, a quo per ductum ab eodem detectum thoracicum ipſe chylus & lympha aſcendit & cum ſanguine per oſtiola valvulis ſemilunaribus munita in vena ſubclavia ſiniſtra miſcetur.

§. CCLXIX.

Succus chyloſus per tunicam maxime villoſam in jejuno & ileo exiſtentem tanquam per chartam bibulam filtratur, ubi vaſorum lacteorum copioſiſſimæ radices eum excipiunt & per vaſa lactea primi ordinis, poſtea per glandulas, deinde per vaſa lactea ſecundi generis ad ipſam ciſternam chyli vehunt.

§. CCLXX.

Promovent chyli motum atque progreſſum motus periſtalticus inteſtinorum, qui imprimis viget in jejuno; promovent quoque in eo exſtantes valvulæ conniventes, circum quas implantantur vaſorum lacteorum oſcula; promovent quoque muſculorum abdominis nunquam ceſſans actio, itemque valvulæ in ipſis vaſis lymphaticis copioſiſſime exſtantes, ipſæque glandulæ meſenterii, quæ elatere fibrarum nervearum chylum impellunt in vaſa lactea ſecundi ordinis.

§. CCLXXI.

Vaſa lactea optime ſeſe oculis ſiſtunt & demonſtrari poſſunt. Si hora tertia vel quarta poſt paſtum canis ſecetur, & demto ſterno pulmones ſiniſtri in oppoſitum latus flectantur, atque in medio ſpinæ ductus thoracicus inter venam azygos & arteriam magnam poſitus vinculo conſtringatur, ita mox in conſpectum prodeunt & turgida chylo fiunt omnis generis vaſa lactea; & ductus thoracicus ſub ligatura una cum ciſterna chyli repletus viſitur.

§. CCLXXII.

Ductus thoracicus inventu in cane vivo bene paſto facilis, ſed paulo difficilior in homine mortuo, variæ tamen dantur encheireſes eum commode & facile in veniendi.

Scholion.

Scripſit *de nova encheireſi inveniendi ductum thoracicum* Saltzmannus Argentorati Diſſertationem, quæ conſiſtit in eo, ut inquiratur vas lymphaticum eximiæ magnitudinis venæ emulgenti ſiniſtri renis incumbens, diſſecto prius trunco arteriæ magnæ circum confinia, eoque ſeparato, ut melius hoc vas inveniri & tubulus adaptari poſſit; tunc flatu immiſſo ciſterna ſeu receptaculum chyli extra tendines proceſſuum diaphragmatis poſitum & adhærens primæ lumborum vertebræ in conſpectum venit una cum toto ductu thoracico, qui liquore colorato vel melius cera repleri poteſt, modo prius vena ſubclavia ſiniſtra & jugularis ejuſdem lateris filo conſtringantur. Inventio vero longe facilior ſequenti modo redditur: ſeparatur nempe diaphragma a coſtis lateris dextri & in abdomine ipſi renes diaphragmati & peritonæo connexi attolluntur & reclinantur verſus ſiniſtrum latus; poſtea inter proceſſus tendinoſos diaphragmatis circa vertebram primam & ſecundam lumborum verſus latus dextrum exigua fiat inciſio, ita ſeparata pinguedine ciſterna chyli invenitur, quæ tubulo inflata in conſpectum dat ductum inter arteriam magnam & venam azygos ſub pleura collocatum.

§. CCLXXIII.

In homine aſcendit hic ductus primo ad coſtas dextri lateris, ubi vero ad quartam thoracis vertebram pervenit, circa cor verſus latus ſiniſtrum inclinatur, & ſic abit per duos & plurimum ramos & pervadit glandulam thymi & ſic pergit ad ſubclaviam ſiniſtram, cujus orificium unum vel etiam duo valvula ſemilunari munita ſunt, ne ſanguis ad ductum feratur.

§. CCLXXIV.

Chyli & lymphæ motus ac progreſſus verſus ſuperiora per ductum thoracicum non parum promovetur ab ipſo motu arteriæ magnæ accumbentis, & a perpetuo motu proceſſuum diaphragmatis ſub reſpirationis actu. Valvulæ quoque, quibus hic ductus gaudet & interſeptus eſt, impediunt, quo minus ſuperior lymphæ pars reſiſtat inferiori a tergo ſequenti.

Scholion.

Scholion.

Quod valvulis ſemilunaribus inſtructus ſit ductus thoracicus, optime demonſtrari poteſt experimento, quo ſupra cor in apertum ductum per ſiphonem injicitur liquidum vel cera liquefacta, ubi deprehenditur parvam portionem canalis tantum eo repleri, vacua relicta inferiori ejus parte; cum contra injectio liquoris, ſi inſtituatur in inferiori ductus parte, promte totum ductum repleat.

Conſideratio Pathologica.

§. CCLXXV.

Nulla pars univerſi corporis ita patet infarctibus, vaſorum obſtructionibus, inflationibus, humorum ſtagnationibus, tumoribus, & ſcirrhoſis indurationibus, quam meſenterium, quia in nulla parte corporis liber ſanguinis circulus tam graviter & crebrius turbari poteſt.

§. CCLXXVI.

Plurimi morbi chronici, ut cachexiæ, febres lentæ, hecticæ, intermittentes chronicæ, aſcites, tabes, affectus hypochondriaci, tormina ventris, alvi fluxiones ſanguinolentæ ſæpiſſime ſedem ſuam fixam & domicilium in meſenterio habent.

Scholion.

Jam dudum hoc notavit Fernelius in *Pathologia Lib. II. Cap.* 7. Ego enim, inquit, affirmo & profiteor, me cholerae, melancholiæ, maniæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, febrium lentarum, errantium, latentium denique morborum cauſas in meſenterii ſedibus plerumque animadvertiſſe.

§. CCLXXVII.

Morborum, qui in meſenterio ſedem fixam habent, cauſæ plerumque ſunt abſceſſus, exulcerationes, glandularum tumores, ſcirrhi, ſteatomata, vaſorum meſaraicorum infarctus & diſtenſiones a nimio ſanguine, horumque apertiones in inteſtina, meſenterii inflammationes & ſphacelationes.

Scholion.

Ex abſceſſibus & exulcerationibus meſenterii lentæ & hecticæ febres ſuam trahunt originem; ex ſcirrhoſis & induratis glandulis fiunt atrophiæ; a tumoribus glandularum ingentibus tumores abdominis duri hydropem vel etiam tympanitidem mentientes; ex vaſorum meſaraicorum infarctu a craſſo ſanguine ſpaſmi hypochondriaci & tormina ventris chronica; ex apertione horum vaſorum in inteſtino ileo fluxus ſic dicti hepatici ſeu potius hæmorrhagiæ inteſtinales; a pure perrumpente per inteſtinorum tunicas dolores & alvi fluxiones ſanioſæ fœtidæ, nigræ, ſanguineæ; ex inflammatione meſenterii & plerumque etiam inteſtinorum ſemitertianæ ſeu hemitriteæ periculi non expertes.

§. CCLXXVIII.

Morbi meſenterii maxime originem ſuam trahunt a ſanguinis circulo in hac parte impedito; quandoquidem intercepto libero ſanguinis circuitu infarctus vaſorum, humorum & ſanguinis ſtagnationes, ſtaſes & extravaſationes fiant, quæ cauſæ morborum meſaraicorum continentes & proximæ ſunt.

§. CCLXXIX.

Nihil magis ad morborum meſaraicorum generationem contribuit, quam menſium vel hæmorrhoidum obſtructio, atque intempeſtivus uſus adſtringentium & opiatorum in cohibendis febrium paroxyſmis, enormibus hæmorrhagiis ac diarrhœis.

Scholion.

Mirum non eſt, excretionibus iis criticis, quæ nimis redundantem & noxium ſanguinem ſalutariter evacuant, ſuppreſſis vel ceſſantibus congeri ac accumulari ingentem ejus quantitatem in vaſis meſaraicis; qua non modo ejus tonus valde ſolvitur & relaxatur, ſed & ſubinde ſtagnationes, ſtaſes & extravaſationes fiunt, præſertim, ſi non ſalva & integra ſunt, ſed obſtructa vel conſtricta hepatis ac lienis viſcera. Præterea temperamentum ſanguineum; vita ſedentaria, potus defectus, liquorum ſpirituoſorum ingurgitatio & abuſus potus frigidi copioſi in corpus calefactum; temerarius quoque commoventium, emmenagogorum, purgantium aut ſudoriferorum in corporibus plethoricis, & quæ defectu excretionis ſanguineæ laborant, abuſus horum morborum generationi imprimis velificatur.

§. CCLXXX.

Quandocunque apoſtema latitat ſub membranis meſenterii, tunc ſeſe manifeſtat febris lenta cum tuſſi & corporis contabeſcentia; quandocunque vero perrumpit inteſtinorum membranas, dolor abdomen occupat & materia fœtida ac ſanioſa cum fæcibus excernitur.

Scholion.

Hildanus *Cent. I. Obſ.* 70. recenſet hiſtoriam, ubi puella laboravit febricula cum tuſſi & tabe per ſex ſeptimanas, & repertum fuit meſenterium maſſa purulenta repletum & circumcirca inventi ſunt tumores, quorum nonnulli ovi gallinacei, alii nucis & caſtaneæ magnitudinem excedebant. Raygerus *in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Dec. III. An.* 3. *obſ.* 139. in perſona, quæ febre lenta, abdominis duritie & corporis contabeſcentia mortua eſt, invenit ulcera in meſenterio. Abſceſſus meſenterii cum fluxu nigræ fœtidæ maſſæ, quæ continua alvi tormina excitavit, deſcribit Dodonæus *obſ. XXXIII. p.* 169.

§. CCLXXXI.

Si abdomen intumeſcit, durum ac denſum fit, ſuperiores vero partes detumeſcunt & aridæ ac exſuccæ fiunt, pulſus frequens & debilis obſervatur, tunc plerumque meſenterium ſcatet tumoribus glanduloſis ingentis magnitudinis.

Scholion.

Ejuſmodi obſervationes legi poſſunt in *Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Dec. I. ann. IV. obſ.* 166. ubi poſt mortem glandulæ meſenterii in tumores fungoſos miræ magnitudinis degeneratæ, quæ hydropem mentiebantur, repertæ fuerunt. Videatur quoque Hoechstetterus *Dec. VI. caſu* 6. ubi fœmina poſt partum laboravit ingenti ventris tumore & dolore, & inventus eſt magnus tumor in meſenterio. Idem etiam confirmat Tulpius *Obſ. Lib. II. cap.* 32. qui enarrat, quod glandulæ meſenterii ſteatoma ponderaverit ℔ xiix. intra biennium magnam in molem excreverat abdomen, ut crederetur firmiter laborare aqua intercutem: vide eundem autorem *cap.* 33. & 34. Infantes qui pereunt atrophia & abdomen durum & tenſum habent, poſt ſectionem factam in meſenterio ingentis magnitudinis glandulas induratas habuerunt.

§. CCLXXXII.

A vaſis meſaraicis copioſo & viſcido ſanguine infarctis atque diſtentis pathemata ſpaſmodica & hypochondriaca fiunt.

Scholion.

Ita GUARINONIUS *Conſult. V.* in hypochondriaco venas meſenterii mire dilatatas reperit, ut ſpeciem inteſtinorum præ ſe tulerint. MERCATUS *Tom. III. lib. I. cap.* 17. in hypochondriacis vaſa meſaraica varicoſa & cancroſa invenit. Plura vide MARTINI MARTINI *lib. de morbis meſenterii abſtruſioribus*, item in *Miſcellaneis Naturæ Curioſorum Dec. I. an.* 1. *obſ.*32.

§. CCLXXXIII.

Quando in meſocolo ulcus delitefcit, vel etiam venæ ſanguine, præſertim hæmorrhoidali, nimis diſtentæ aperiuntur, tunc ſæpe ſanguis putridus congrumatus magna prodit in copia.

Scholion.

Id ſæpius obſervavimus, quod poſt febrem continuam, ſed diutius affligentem, quædam libræ ſanguinis nigri per alvum fuerint excretæ cum euphoria in corporibus, quæ fluxui hæmorrhoidali antea fuerunt obnoxia.

§. CCLXXXIV.

Quando nimis diſtentæ meſaraicæ venæ a ſanguine copioſo aperiuntur in inteſtino ileo, tunc ſanguis cum fæcibus & ſine iis ſubinde prodit copioſus & dicitur hic fluxus hepaticus.

Scholion.

Ejuſmodi obſervatio legi poteſt in Obſervationibus KLAUNIGII, in quo caſu ſæpe ſanguis niger prodit.

§. CCLXXXV.

Neque cruſta villoſa, quæ colatorium omnis chyli & humidi ad ſanguinem abeuntis eſt, immunis a morbis & vitiis deprehenditur, dum vel nimis anguſtatur, vel conſtringitur vel obſtruitur.

Scholion.

Radices vaſorum lacteorum implantantur tunicæ nerveæ tenuium & cruſtæ ſic dictæ villoſæ, neque deſtituuntur ſuo tono & motu conſtrictionis & dilatationis, quemadmodum hic communis eſt omnibus, qui liquidum vehunt in corpore humano, canalibus.

§. CCLXXXVI.

Si nimia eſt horum vaſorum anguſtia, vel conſtrictio aut obſtructio, non modo paucior quantitas liquidi tranſit ad ſanguinem, ſed & craſſius lacteum remanet & fiunt inde flatulentiæ, alvi copioſæ dejectiones, ſenſus gravativus & tenſivus in abdomine. Attenta conſtat obſervatione, ſumto circa introitum lecti purgante in forma pilularum parcius ſecedere urinam, quam ordinario fieri ſolet hac nocte, immo poſt purgationem ſecundo vel tertio die fluxum fieri parciorem.

§. CCLXXXVII.

In ſenili ætate, ubi omnium vaſorum ſucceſſive major fit anguſtia, ita etiam id accidit in vaſis lacteis, quare alvi longe ſtrictioris ſunt, quam juvenes.

§. CCLXXXVIII.

Si obſtruitur hæc tunica villoſa, quod fit ab adſtringentibus remediis, ex quorum numero etiam eſt cortex chinæ, quando præpoſtere iis utuntur in tollendis febrium paroxyſmis, vel alvi fluxibus, diarrhœæ chyloſæ cum intumeſcentia abdominis & flatulentia, necnon inflatione ventriculi maxime anxia fiunt, qui morbus maxime familiaris eſt ipſis infantibus lactantibus, dum a lacte nimium coagulato, craſſo, viſcido vaſorum minimorum oſcula obturantur & inviſcantur.

§. CCLXXXIX.

Nimia relaxatio hujus tunicæ, ſicut adeſt in diarrhœa & alvi fluxu, a nimia ſeceſſione ſeri acrioris per glandulas efficitur; & quia ceſſantibus ſpaſmis & conſtrictionibus partium affectarum ut plurimum ſequitur ingens relaxatio, hinc patet ratio, quare die intermittentium vacuo ſordes craſſiores fæculentiores bilioſæ ad maſſam ſanguinis abeant & materiam ad novum paroxyſmum inchoandum præbeant.

§. CCXC.

Quando orificia vaſorum lacteorum vel obſtructa vel conſtricta ſunt, tardior ſecedit thermarum, acidularum, potus Thée & aliorum infuſorum ſeceſſio & tranſitus, & hoc multa incommoda excitare ſolet; quia vero hæc orificia non felicius & facilius poſſunt detergi & reſerari quam copioſo potu continuato, hinc animadvertimus, tranſitum liquidorum copia & pondere aquarum, ſi harum uſus continuetur, commodiſſime promoveri.

CAPUT XI.

De Pancreate.

§. CCXCI.

PAncreas eſt glandula corporis humani maxima longitudinem ſeptem vel octo digitorum transverſorum, latitudinem trium circiter, craſſitiem unius pollicis habens. Situm habet tranſverſum ſub poſteriore ventriculi parte & annectitur firmiter duodeno nec non lieni atque omento.

Scholion.

Pancreas, quia ſpeciem carnis ſimplicis præ ſe fert, ita dicta eſt hæc glandula; atque VESALIUS olim credidit hanc glandulam pertinere ad omentum, quare ſcribit *Lib. V. cap.* 4. *de fabr. corp. human.* inferior omenti membrana poſteriori ventriculi ſedi ſubſtrata glanduloſum quoddam corpus impenſe magnum nanciſcitur, quod pancreas dicitur. Nam ſi connexionem & ſitum hujus glandulæ curatius intueamur, deprehendimus omenti membranam denſam, ſatiſque firmam inſtratam eſſe poſteriori ventriculi parti, cui poſtea inhæret firmiter pancreas.

§. CCXCII.

Antequam glandularum fabrica & ſtructura rite detecta fuit, & ante ductus thoracici & venarum lactearum inventionem, antiquitas credidit, uſum pancreati nullum eſſe alium, quam quod molle ſit fulcimentum ſtomachi, & quod fulcrum etiam ſit vaſorum ſplenicorum, quæ ad lienem, omentum & ventriculum tranſeunt.

Scholion.

Poſtquam inventa fuerunt ab ASELLIO anno 1622. vaſa lactea, alius uſus aſſignatus eſt pancreati, nimirum quod attenuando & depurando chylo, quo promtius tranſmutetur in jecoris viſcere in ſanguinem, inſerviat.

§. CCXCIII.

Anno CIƆDCXLIV. inventus eſt primum a MAURITIO HOFFMANNO in gallo gallinaceo ductus pancreaticus, poſtea a VIRSUNGO in homine demonſtratus & publicæ luci expoſitus, qui per medium pancreatis

creatis decurrit & craſſitiem tenuioris calami ſtraminei habet, & circum duodenum amplior, gracilior verſus lienem obſervatur & ſuccum peculiari orificio ſatis amplo & valvula extrorſum ſpectante prædito infundi in duodenum.

Scholion.

Invento hoc ductu crediderunt, eum vehere ſerum quoddam ſalſum excrementitium a chylo ſeparatum, unde depurando chylo pancreas utiliſſimum judicarunt; ſed primus MOEBIUS alium uſum oſtendit, nempe, quod hic ſuccus fermentationem & ſolutionem alimentorum promoveat. Si nempe hic liquor purum putum excrementum ac nullius uſus eſſet, provida natura non canalem illum ac ſuccum ad inteſtina ſuperiora, ubi elaboratio chyli in ventriculo perfici debet, ſed potius ad inteſtina inferiora, ubi colluvies ſcybalorum excrementitiorum humorum congeritur, poſuiſſet.

§. CCXCIV.

Pancreas glandula eſt conglomerata, quæ conſtat ex ingenti acervo glandularum minimarum, quarum quævis ſuum peculiare vas ſanguineum arterioſum & venoſum, nervum, ductum excretorium, & membranas fibroſas habet. Omnes hi ductus minimi excretorii numeroſiſſimi diffuſi tandem abeunt in majorem canalem, in quem ſuccum ſecretum infundunt, ut vidémus in glandulis ſalivalibus, ſublingualibus, mammariis & parotidibus.

Scholion.

VIEUSSENS in *novo ſyſtemate vaſorum* egregio experimento pancreatis ſtructuram ac fabricam, quod glandula ſit conglomerata, demonſtravit. Integrum nempe & recenter extractum pancreas ex corpore humano clavo affigebat per aliquot ſeptimanas, unde exſiccatum illud dividebat in quam plurimas imo numeroſiſſimas membranulas pellucidas, in quibus ſingulis microſcopio perſpexit vaſa ſanguinea, excretoria, lymphatica & nervorum ramulos, ſiquidem omnes glandulæ nil niſi conglomerationes & convolutiones ſunt membranarum, per quas expanſa ſunt vaſa omnis generis minima.

§. CCXCV.

Vaſa pancreas mutuatur arterioſa a ramo ſplenico ſeu cœliaca ſiniſtra, venoſa vero a Venæ Portæ ramo ſiniſtro, qui etiam ſplenicus dicitur; quæ duo majora vaſa tranſverſim ſuperiorem pancreatis ſuperficiem tranſcendunt, & recto itinere feruntur ad lienem, numeroſas vero propagines in ipſum pancreas transmittunt. Dextra & amplior pars pancreatis, quæ cohæret firmius cum duodeno, ramulum etiam accipit arterioſum ac cœliaca dextra: nervi quoque ſpargunt ramulos ad hanc glandulam, quæ ab intercoſtali & pari vago ſuam ducunt originem.

§. CCXCVI.

Uſus pancreatis non alius eſſe videtur, quam aliarum glandularum conglomeratarum, qui conſiſtit in ſecretione. Secernunt nempe ſubtiliorem laticem a ſanguine, qui maxime convenire videtur cum ſucco, quem ſeparant glandulæ ſalivales, parotides & ſublinguales. Neque alius etiam hujus ſucci uſus eſt & virtus, quam ſalivæ, quæ liquor eſt naturæ fermenteſcibilis, ad ulteriorem diſſolutionem alimentorum & ſpirituaſcentiam chyli promovendam multum contribuens.

Scholion.

SYLVIUS DE LE BOE & ejus aſſeclæ exiſtimarunt hunc ſuccum eſſe acidum, & confligere cum bile alcalina in duodeno, ejuſque acrimoniam infringere & ad ulteriorem chyli perfectionem atque elaborationem plurimum conferre. Hic ipſe Autor ex præternaturali tam bilis quam ſucci pancreatici conſtitutione plurimorum morborum & imprimis chronicorum ortum ac cauſas derivavit; ſed ipſa experientia & maxime ipſe ſenſus guſtus hanc deſtruit opinionem: nunquam enim ullus acidus ſapor in hoc viſcere ejuſque ſucco deprehenditur, neque hic ipſe curioſius collectus unquam effervеſcit alcalino liquori mixtus, ſenſu fere inſipidus eſt, quare idem videtur præſtare ad intimiorem alimentorum ſolutionem in inteſtinis peragendam, quod ſaliva in ore copioſius affluens & cibis intermixta in ventriculo.

§. CCXCVII.

Notatu dignum eſt, quod in homine, non vero in aliis animantibus, ductus choledochus & pancreaticus concurrant, & uno communi orificio in duodenum hient, ita nempe, ut ex ſuperiori ſede & quaſi ex alto in fundum flexuræ duodeni ſucci hi deſtillent, & ſubjacens chyli maſſa iis imbuatur.

Scholion.

In animantibus brutis plerumque ad diſtantiam aliquorum digitorum a ductu choledocho orificium ductus pancreatici poſitum eſt, in homine vero bilis, antequam pertingat ad inteſtinum, ab inſipido & ſalivali liquore hujus glandulæ diluitur & præparatur, haud dubie eam ob cauſam, quod copioſa & valde calida acris bilis generetur in homine, qui tot ingeſtis ſpirituoſis calidis acribus utitur; quod in animantibus non accidit, quæ victu ſimplici, temperato, ex vegetabilibus potiſſimum, & aqua pura pro potu utuntur. Hanc ſententiam illuſtrat BRUNNERUS in *Tractatu ſuo de pancreate*, qui obſervavit, exciſo pancreate ex animantibus, ut canibus, eos frequentioribus vomitibus tentatos fuiſſe, & PANAROLUS *in obſervationibus pentecoſtes dictis* ſcribit: Virum correptum fuiſſe crebrioribus & fere diuturnis vomitibus, poſt mortem vero pancreas ſcirrhoſum & quaſi lapideum fuiſſe inventum.

§. CCXCVIII.

Omnia illa vitia, quæ omnis generis glandulis ſunt communia, incidunt etiam in pancreas, & inter hæc potiſſimum ſunt tumores ingentis magnitudinis, indurationes ſeu ſcirrheſcentiæ, apoſtemata & exulcerationes.

Scholion.

Vitia, quibus obnoxiæ ſunt glandulæ, potiſſimum derivanda ſunt ex obſtructione minimorum tubulorum tam ſanguineorum quam excretoriorum, ex quibus congeſtis tota fabrica glandularum eſt compoſita. Quid enim facilius obſtrui poteſt, quam canalis tenuiſſimus & anguſtiſſimus? Ex obſtructione & infarctu vaſculorum primo exoritur tumor, poſtea durities ſeu ſcirrhus, qui quam prompte in cancroſum ulcus pro more ſuo degenerat.

§. CCXCIX.

Quando pancreas valde tumidum evadit, vel etiam ſcirrhoſum aut corruptum, tunc chronici morbi potiſſimum naſcuntur, ut ſunt cachexia, atrophia, intenſus dorſi & lumborum dolor, phthiſis, melancholia, affectus hypochondriacus.

Scholion.

Ejuſmodi caſus, ubi pancreas miræ magnitudinis

 fuit

fuit inventum, & ægrotus atrociſſimis renum doloribus vexatus eſt, legi poteſt apud BLANCARDUM *in Anatom. Practic.* & apud RIOLANUM *Lib. II. Cap.*16. qui in melancholia illud mire tumefactum reperit, item in *Miſcellan. Natur. Curioſ. Dec. II. anno VI. obſ.* 91. ubi ZWINGERUS pancreas ingentis magnitudinis in maniaco invenit. SCHELHAMMERUS itidem teſtatur, ſe in cadavere infantis ſex annorum atrophia extincti totum pancreas ſcirrhoſum inveniſſe. Porro vide *M. N. C. Dec. I. anno II. obſ.* 88. *Dec. II. anno II. obſ.* 79. ubi in puella duorum annorum atrophia lenta mortua itidem pancreas induratum inventum fuit. SCHENCKIUS in cadavere phthiſi demortui totum pancreas ſcirrhoſum vidit, de qua re legi poteſt *Obſ.* 117. *Dec. III. anni III. M. N. C. it. Dec. III. ann. VII. obſ.* 146. *anni III. obſ.* 288. Memorabile eſt, quod TILEMANNUS, ut teſtantur *M. N. C. Dec. II. Ann. V. obſ.* 138. in viro anaſarca demortuo pancreas longitudine quadrantis ulnæ & duorum digitorum tranſverſorum craſſitie duriſſimum invenerit, quoad omnia vero ſanum hepar. Hoc in loco inſinuat idem auctor plures ac ſimiles hac de re obſervationes.

§. CCC.

Pathemata hypochondriaca & hyſterica aliaque ſpaſmodica, præſertim vero melancholica, ex pancreate obſtructo aut corrupto oriuntur.

Scholion.

Habemus aliquot ſectionibus compertum, ubi hypochondriaci perierunt cachectici & pancreas ſcirrhoſum deprehenſum fuit, quod in aliquo viro primario hujus urbis viſum fuit. In diſſectione anatomica fœminæ convulſionibus, epilepſia, & paſſione hyſterica conflictatæ poſt mortem pancreas male affectum viſum eſt. Hiſtoriam ſimilem refert HARVAEUS *Obſ.* 59. & 91. & RIOLANUS *in Anthropologia* pancreas ad ingentem magnitudinem ſurrexiſſe in Auguſto Thuano affectu hypochondriaco laborante & mortuo, in quo etiam ſcirrhoſum fuit inventum, teſtatur.

§. CCCI.

Quemadmodum glandularum ſcirrhi ſenſim & decurſu temporis abeunt in cancroſa & ſerpentia ulcera, ita etiam illud vitium incidere poſſe in pancreas, obſervationes anatomico-practicæ teſtantur. Oriuntur inde lethalia ſymptomata, lipothymiæ, hecticæ febres & atrophiæ.

Scholion.

Obſervationes hac de re collectæ videri poſſunt in *Diſſert. noſtra de pancreatis morbis.*

§. CCCII.

Quando capacior & amplior pars pancreatis, quæ firmius adhæret duodeno, dura & ſcirrhoſa evadit, & eandem labem duodeno pariter & orificio ventriculi dextro communicat; tunc vomitiones crebræ ingeſtorum fiunt, adeo, ut atrophia lentaque febris ſequatur, cujus rei obſervationem inſinuat RIVERIUS in praxi.

§. CCCIII.

Pancreate obſtructo & indurato ceſſat ejus uſus in ſubtiliſando & perficiendo chylo, inque diluenda bilis acrimonia, unde non mirum eſt, ejuſmodi homines valde eſſe obnoxios crebris alvi dejectionibus, vomitionibus, item affectibus chronicis, phthiſi præſertim & cachexiæ, quia crudus & non bene mixtus chylus minimorum vaſorum occluſioni multum velificatur.

CAPUT XII.

De Liene.

§. CCCIV.

Lien eſt viſcus ſanguineum, quod ſitum ſuum habet in hypochondrio ſiniſtro ſub diaphragmate, cui connectitur leviter ſaltem per fibras membranaceas, firmius vero cum peritonæo & coſtis ſpuriis connectitur; adhæret quoque involucro ſiniſtri renis, item ventriculo per vaſa brevia, cum pancreate per vaſa ſplenica connexionem habet, & talem obtinet ſitum, ut connexa ſua parte adhæreat coſtis & diaphragmati, concava vero ſpectet ad ſiniſtram partem ventriculi. Hiſce partibus quaſi pendulus adhæret. Lien in homine figura gaudet ovali & oblonga, longitudinem habet ſex pollicum, latitudinem circiter trium, craſſitiem unius, pondus vero uncias præter propter decem vel undecim complet. Membrana, qua cingitur in homine, una eſt, & ſimplex, valde tenuis, in brutis vero firmior eſt, & figura etiam ſplenis in iis venit alia, nempe linguæ figuram repræſentat.

Scholion.

Lien etiam in animantibus alium ſitum habet, magis nempe inclinat ad anteriora, in homine ad dorſum magis; jacet ſub poſteriori ventriculi & diaphragmatis parte, quare etiam tumor ſub coſtis ſpuriis in latere ſiniſtro apud hypochondriacos perperam habetur pro tumore lienis, qui in hac regione non ſitus, ſed potius porrigitur ad dorſum.

§. CCCV.

Notabile, quod in infantibus recens natis lien proportione habita ad reliqua viſcera longe majoris ſit molis, quæ ſenſim paulatimque decurſu annorum decreſcit.

Scholion.

Ratio hujus phænomeni potiſſimum hæc eſſe videtur, quod in fœtu paulo difficilior ſit tranſitus ſanguinis per vaſculoſum lienis viſcus, quia deficit inſpiratio, cujus beneficio perpetuo agitatur ac premitur ſurſum ac deorſum lien proxime ſub diaphragmate ſitus; hinc facilior & expeditior in infantibus extra uterum poſitis ſanguinis per hoc viſcus eſt circuitus.

§. CCCVI.

Color lienis variat, in quibuſdam nempe lividus eſt, in aliis plumbeus, in quibuſdam ſubruſus vel etiam atro-purpureus, prout nimirum ſanguinis conditio, natura & color varius eſt, & prout etiam ætates & temperamenta differunt.

§. CCCVII.

Satis notabilis ex aorta ſub diaphragmate ſtatim exoritur arteria, quæ cœliaca dicitur, & hæc impertit non tantum ſuos ramos ventriculo, omento, hepati, duodeno, ſed etiam inſignem & capacem ramum tranſmittit ad lienem, quem ingreſſus per totam ejus molem diſtribuitur innumeris ramis.

§. CCCVIII.

Vas quoque eximiæ magnitudinis venoſum ad lienem abit ex ramo portæ ſiniſtro, qui ſplenicus audit, & amplitudine arteriam bis fere æquat; & in innumerabiles quoque propagines & ſurculos in lienis viſcere

cere dividitur. Accipit præterea lien nervos a pari vago & intercoſtali ſatis eximios, qui ejus corpus ingrediuntur, & per totam ejus ſubſtantiam dividuntur.

§. CCCIX.

Quia lien fere ſenſu caret, cum membranis nerveo-muſculoſis ſit deſtitutus & tamen inſignes rami ejus corpus ingrediuntur, certe non alio id factum videtur fine, quam ut ſanguinis curſum & circulationem per vaſa, quæ in innumeros ramos diſpeſcuntur, promoveant; ſiquidem certum eſt, ad arteriarum tunicas pertingere nervos, ut earum ſyſtole & contractio, quæ multum a vi elaſtica & ſtructura fibrarum annulari dependet, intendatur.

§. CCCX.

Notabile quam maxime eſt, quod ex trunco venæ ſplenicæ pronaſcatur ramus, qui ad inteſtinum rectum tranſit & vocari ſolet vena hæmorrhoidalis interna. Hæc ſanguinem ex arteria meſaraica inferiori ad hoc inteſtinum advectum longo & perpendiculari itinere reducere debet ad hanc venam ſplenicam, & quia hic motus ſua natura paulo difficilior eſt, hinc etiam ſanguis quam facile in hoc inteſtino ſubſiſtit & minimos ramulos diſtendendo tandem diſrumpit, unde fluxus hæmorrhoidalis ſuam nanciſcitur originem.

Scholion.

Hujus rami inſertionem eleganter deſcripſit & depinxit CASSERIUS *in tabulis ſuis lib. VII. tab. 9.* qui etiam in eadem tabula lienem humanum mere vaſculoſum primus omnium oculis ſubjecit. Vaſa brevia minimi rami ſunt tam arteriæ quam venæ ſplenicæ, quæ ad ſiniſtram ventriculi partem, ubi tenuiſſimus eſt, ſanguinem advehunt & etiam facile in vomitu cruento aperiuntur, ſi nempe lien obſtructus obicem ponat libero ſanguinis circulo.

§. CCCXI.

Quod attinet ad uſum & officium lienis, is ipſe ex ejus ſtructura optime cognoſci poteſt.

MALPIGHIUS primus fuit, qui lienem conſtare ex meris cellulis atque innumeris glandulis indicavit experimento inſtituto in liene animantium, maxime vitulino; ubi obſervavit, quod ſi in arteriam ſplenicam injiciatur aqua tepida & crebriori injectione totus lien elutrietur poſtea immittatur flatus per arteriam vena ſplenica conſtricta & arteria quoque poſtea ligetur & inflatus lien exſiccetur, totum lienem eſſe conflatum ex cellulis, conſpiciatur.

Scholion.

Verum enim vero utut hoc experimentum in animantibus brutis inſtitutum rite ſuccedat, tamen licet etiam in liene humano tentetur, non tamen ejuſmodi cellulæ reperiuntur.

§. CCCXII.

RUYSCHIUS etiam artificioſiſſima vaſorum impletione clare demonſtravit, lienem humanum ex innumerabilibus vaſorum ramulis & ramuſculis arterioſis & venoſis eſſe compoſitum & carere hiſce cellulis, quas reperire licet in animantibus. MALPIGHIUS glandulas quoque demonſtravit in liene humano, ſed arteriarum venarumque propagines, quæ in liene faſciculatim diſpoſitæ & in corpuſcula molliora ſuccoſiora redactæ glandularum faciem repræſentant, ſicque optimos Anatomicos fefellerunt. vid. RUYSCH. *epiſt. IV. probl.* & *theſ. Anatom.*

Scholion.

Circa hanc materiam legi merentur RUYSCHII *epiſtola X. problem.* & *theſauri anatomici.*

§. CCCXIII.

Illud notabile eſt, quod ſanguis in liene admodum fluidus purpureo-rubicundus difficulter concreſcens intimeque mixtus reperiatur, & per venam etiam ingentem lienarem emittatur.

Scholion.

In univerſum tenendum eſt, quod ſanguis tenuis & probe mixtus elaboretur, quo circulatio per minimos & capillares tubulos partium promtior & facilior ſit, hinc lienem tantummodo eo fine eſſe conſtructum judicamus ex innumeris tenuiſſimis vaſculis, ut preſſione per minima hæc vaſcula, quam plurimum impetus arteriæ, nervorum propagines & perpetuus ſucculſorias diaphragmatis motus adjuvant, in minimas partes attenuetur, dividatur, conquaſſetur, intimaque ſic partium fluidarum ac ſolidarum unio fiat; non ſecus ac in pulmonibus fit, cum ſanguis ex ipſis per venam pulmonalem longe fluidior purpurei coloris exeat quam per arteriam pulmonalem fuit admiſſus.

§. CCCXIV.

Fluidior ac tenuior factus ſanguis in liene maxime inſervit officio hepatis, ut videlicet is, qui ex meſenterio, meſocolo, omento & ventriculo humiditate quadantenus orbatus fuit, promtius per hepatis vaſa, nempe ramos Venæ Portæ, qui pulſu & ſyſtole carent, transfluat & circuletur, quod fit, dum a liene proficiſcens & rediens ſanguis valde tenuis & fluidus intermiſcetur.

§. CCCXV.

Varia phænomena & effectus obſervantur in iis animalibus, quibus lien exſectus eſt, pingues nempe & voraces evadunt, immo ſalaces & tunc tumorem in dextro hypochondrio patiuntur, qui a magnitudine hepatis naſcitur qua de re legi omnino meretur MALPIGHIUS *in Diſſert. Anat. Cap. 5.*

Scholion.

Sine vitæ periculo ex animantibus brutis lienem exſcindi poſſe plurima experimenta eo fine inſtituta teſtantur, ſed non æquè feliciter in corpore humano id poterit tentari, partim, quia lien in homine ſpinali medullæ vicinior, quam in brutis; partim etiam, quia homo longe ſenſibilioris ſit naturæ, & inde gravioribus affectibus, convulſionibus & febribus obnoxius ſit, quam aliud animal, adeoque illud, quod de lienis exſectione commemoravit BARTHOLINUS *Cent. IV. hiſt.* 51. in medio relinquo.

§. CCCXVI.

Phænomenorum vero, quæ in animalibus, quibus lien eſt exſectus, contingunt, ratio inde deducenda venit. Primo major hepatis magnitudo in iis naſcitur, quia ſanguis majori quantitate poſt lienem exſectum ad hepar advehitur ejuſque vaſa magis implet & diſtendit; deinde hæc animalia, quibus lien eſt exemtus, plus mingunt, quoniam major quantitas ſanguinis exemto liene per vaſa emulgentia, quæ ſuppoſita ſunt arteriæ cœliacæ, fertur adeoque copioſior ſeri ſalſi fit ſeparatio; porro ſalaciora fiunt, cum per arterias ſpermaticas major etiam portio ſanguinis deferatur ad teſtes: neque minus voraciora evadunt ob ſanguinem copioſius delatum ad ventriculi tunicas.

Conſide-

Conſideratio Pathologica.

§. CCCXVII.

Propter ingentem copiam vaſorum minimorum, ex quibus tota ſubſtantia lienis compoſita eſt, nullum viſcus tam ſubito intumeſcere, inflari & infarciri poteſt, quam ipſe lien, cum nempe ſanguis craſſior difficilius ramuſculos venarum ingrediatur, & arterioſa vaſa valde diſtenta & relaxata ingentem molem brevi & facile inducere poſſint.

Scholion.

Nihil tam ſubito lienem in tumorem attollere poteſt, quam potus frigidus copioſus in corpus ſudore perfuſum ingeſtus, & hic tumor, qui niſi cito diluentibus, aqua nempe calida largius hauſta reſolvatur, motu corporis fortiori accedente graviora mala minatur.

§. CCCXVIII.

Si tumor inveteraſcit, difficile diſſolvitur & tunc ſæpe increſcit ad maximam molem, ita ut interdum VIII. libras ponderet, de quo videatur DIEMERBROECK; & REALDUS COLUMBUS lienem ponderantem xx libras obſervavit. HIPPOCRATES eos, qui lienes magnos geſtant, lienoſos vocat.

§. CCCXIX.

Secundo inſignis dolor in hypochondrio ſiniſtro verſus dorſum, ſi contumax eſt, & non cedit, ſed certam ſedem occupat, haud dubium ſignum magni lienis, præſertim ſi reſpiratio difficilior fiat, & anxietas etiam circa præcordia cum inappetentia quadam ciborum jungatur, utpote lien ingentis molis pondere ſuo nimium diſtendit ipſa ligamenta ac vincula, cum quibus lien diaphragmati, ventriculo & coſtis annexus.

§. CCCXX.

Lienis ruptura contingit interdum a nimia ejus vaſorum expanſione, ſique cauſa externa violenta quædam acceſſerit, facilius hujus viſceris fit ruptio, quia membranis admodum tenuibus eſt inveſtitus lien humanus.

Scholion.

Ejuſmodi exempla legi poſſunt in *M. N. C. Dec. II. Anno IIX. obſ.* 129. & in BOHNIO *de lethalit. vulner.* TULPIO *lib. II. obſ.* 29. HIER. AB AQUAPENDENTE *in libris anatom. chirurg.* vel *in libr. de operat. chirurg. p.* 52.

§. CCCXXI.

Tertio ſcirrhus & durities lienis; incipit hæc ipſa maxime in membrana, qua lien cingitur, & ſucceſſive abit ad capillaria vaſa, quæ ſenſim ita conſtringuntur & indurantur, ut lien lapidis inſtar durus evadat vel cartilaginoſus.

Scholion.

Exempla legi poſſunt in *M. N. C. Dec. I. Anno III. obſ.* 188. *Dec. I. Anno I. obſ.* 29. Occaſionem ad ſcirrhos lienis ſubminiſtrare poſſunt intempeſtive uſurpata adſtringentia in hæmorrhagiis nimiis, dyſenteria & febribus intermittentibus, præſertim quartanis.

§. CCCXXII.

Quarto lienis inflammatio, quæ tamen paulo rarior morbus eſt, cognoſcitur ex ipſo pulſu magno circa coſtas ſpurias in hypochondrio ſiniſtro, quale exemplum refert TULPIUS *Obſ. Lib. II. Cap.* 8.

§. CCCXXIII.

Corruptio lienis ejuſque putrida conſumtio; inflammatione poteſt eſſe forſan frequentior ipſe abſceſſus.

Scholion.

Lienem nigrum picis inſtar obſervarunt BLANCARDUS in *Obſervationibus Anatomico-Practicis*, item *M. N. C. Dec. II. Anno* 10. *obſ.* 146.

§. CCCXXIV.

Inter morbos lienis vitia, præſertim ejus tumores, obſtructiones & indurationes ſequentes ſunt votiſſimum vomitus cruentus, ubi ex diſruptis vaſis brevibus cruor in ventriculi ſinum expellitur & vomitionem ſanguinis vel ſinceri, maxime vero nigri & fæculenti exhibet.

Scholion.

Obſervationes anatomico-practicæ teſtantur paſſim hinc inde notatæ, quod in vomitione cruenta nunquam inſons deprehenſus fuerit lien vaſis brevibus maxime diſtentis, neque hoc eſt mirandum, quia ventriculus in ſiniſtra regione, quam hæc vaſa attingunt, eſt tenuiſſimus, adeo ut ea facilius diſtendi & aperiri poſſint.

§. CCCXXV.

Morbus ſic dictus HIPPOCRATIS niger, in quo ſupra & infra nigra & fœtida excernuntur, natales etiam ſuos agnoſcit in liene obſtructo vel indurato, ubi & vaſa brevia in ventriculo nec non vaſa ſanguifera in ileo, quod inteſtinum tenuiſſimum eſt, aperiuntur ob circulum ſanguinis poſito quaſi in liene obice liberiorem interceptum.

Scholion.

Obſervationes hac de re peti poſſunt ex *Diſſ. noſtra de hoc morbo nigra.*

§. CCCXXVI.

Nimiæ etiam hæmorrhagiæ, præſertim contumaces & chronicæ, ſeu per nares præſertim ſiniſtros vel etiam hæmorrhoidum nimia fluxio & hæmorrhagia uteri, inſequi ſolet obſtructa abdominis viſcera, hepar maxime & lien.

Scholion.

Ejuſmodi hæmorrhagiæ valde pernicioſæ ſunt & facile mortem poſt ſe trahunt ob ingens virium decrementum, ut ſolennes ſunt hydropicis & cachecticis, qui indurato aut obſtructo hepate vel liene laborant.

§. CCCXXVII.

Cachexia ſcorbutica vel chloroſis virginum excipiunt maxime lienis vitia, præſertim ejus intumeſcentiam & obſtructionem, & meretur maxime hac de re legi HIPPOCRATES *de intern. affect. ſect.* 34. & 40. *item* 35.

Scholion.

Scorbutus & cachexia maxime ſunt vitia viſcerum obſtructorum infimi ventris, hepatis præſertim & lienis, quibus obſtructis ſanguis & lympha incraſſantur, ſpiſſeſcunt humores impuri & corrupti evadunt, quia in hepate ſcoriæ bilioſæ ſalinæ non ſeparantur. Hinc a ſanguine craſſo & impuro omnes fere corporis partes luunt pœnas, depravatur autem maxime nutritio, corpus intumeſcit, color pallidus fit, vires decreſcunt, ac exulcerationes & defœdationes cutis hinc inde propullulant, gingivæ maxime putreſcunt & ſanguinolentæ fiunt.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Hepate.

§. CCCXXVIII.

HEpar in elatiori primi ventris parte locum ſuum habet, nempe in hypochondrio dextro proxime ad diaphragma, indeque verſus latus ſiniſtrum porrigitur paulo ultra cartilaginem enſiformem.

§. CCCXXIX.

Dividitur in gibbum ſeu partem convexam & concavam. Illa mediante peritonæo firmiter annexa eſt ſpuriis dextri lateris coſtis, maxime vero parti diaphragmatis, circa dextrum latus ſpinæ, ad quam transverſim protenditur; cava vero ejus pars, præcipue ſiniſtra, pylorum ventriculique partem anteriorem amplectitur; dextra vero pars cava ad renem dextrum pertingit, & ibidem quoad aliquam partem coli partibus incumbit, atque etiam duodeno & jejuni quibuſdam partibus ſeſe aſſociat. Inferior hepatis pars in ſano erecto homine infra coſtas ſpurias deſcendit & ipſi umbilico appropinquat.

Scholion.

Hepar morboſum & intumeſcens interdum infra umbilicum pertingit.

§. CCCXXX.

Ligamenta, quorum ope hepar locum ſitumque debitum tenet, tria vulgo numerantur, quorum tamen præcipuum eſt, quod ſuſpenſorium dicitur & diaphragmati valde annectit hoc viſcus, nam per hoc ipſum grave alias hepatis pondus ſuſtinetur, ne deorſum ruat.

Scholion.

Hoc ligamentum non ſolum hepatis membranæ externæ affigitur, ſed hepatis ſubſtantiam quoque penetrat.

§. CCCXXXI.

Reliqua duo ligamenta, quorum primum eſt vena umbilicalis, quæ ex fiſſura hepatis egreditur & in umbilico terminatur; & ſecundum ligamentum, quo hepar cartilagini enſiformi adhæret & valde tenue ac flaccidum eſt & e duplicatura membranæ hepatis enatum, non adeo valida hepatis ſunt firmamenta.

Hepar, prout diverſa eſt corporis poſitura, idque vel erectum vel inverſum vel pronum, aut ſupinum vel in latus dextrum aut ſiniſtrum reclinatum fuit, ſitum ſuum mutat, quod maxime apparet ex hepatis tumoribus, qui mutata corporis poſitura a loco ſuo recedunt.

§. CCCXXXII.

Cum diaphragmati firmiter adhæreat hepar, illudque in actu inſpirationis & exſpirationis ſurſum & deorſum moveatur, facile apparet, diaphragmatis motum ſequi motum hepatis, ita nempe, ut in inſpiratione deorſum deſcendat, in exſpiratione vero ſurſum feratur.

§. CCCXXXIII.

Hepar ex meris fere vaſis ſanguiferis compoſitum eſt, atque inter ea primo notari meretur vena ſic dicta portæ, quæ in hac parte arteriæ vices adminiſtrat & ſingulari quadam quaſi prærogativa & privilegio præ omnibus aliis partibus gaudet; nam adducit ſanguinem ad hoc viſcus deſumtum ex ventriculo, meſenterio, inteſtinis, omento, meſocolo, pancreate & liene.

Scholion.

Peculiaris eſt hujus venæ ſtructura aliis vaſis venoſis denegata. Nam uti in hiſce ramuli minimi & minores ſanguinem adducunt ad truncum, & ita ad cor; ita vena Portæ recipit quidem ſanguinem ex vaſis minoribus in truncum, ſed poſtea ex hoc rurſus eum deducit ad innumerabiles ramos minores & minimos, quod aliis arteriis proprium eſt, unde vice venæ fungitur & arteriæ.

§. CCCXXXIV.

Veteres non inepte hanc venam compararunt cum arbore ramis & radicibus inſtructa, ubi radices in innumeras fibras diſſolvuntur, quarum ope ſuccus nutritius ex terræ poris recipitur, & poſtea in copioſiſſimos atque numeroſiſſimos ramos diffunditur.

§. CCCXXXV.

Vena Portæ mediam fere partem concavam hepatis ingreditur, & quidem quinque majoribus ramis; ſimulac vero hæc vena ingreditur & ſubſtantiam hepatis penetrat, ſtatim induit tunicas arteriarum ſimiles, firmas nempe & robuſtas, quæ etiam intime adhærere ſolent parenchymaticæ hepatis ſubſtantiæ, eum procul dubio in finem, ut horum vaſorum orificia magna hient maneantque aperta, neque facile concidant, & obicem ponant liberiori ſanguinis tranſitui.

§. CCCXXXVI.

Notari imprimis meretur ante ingreſſum venæ Portæ in hepar involucrum quoddam membranaceo-muſculoſum, quod inſtar vaginæ, non modo truncum venæ Portæ, ſed & arteriam hepaticam & ductus biliarios inveſtit ac recondit a GLISSONIO inventum, qui & nomen dedit capſulæ Gliſſonianæ, qua de re legi poteſt *Cap.* XXIIX. *Anatomiæ Hepatis* GLISSONII.

Scholion.

Hæc capſula muſculoſa membranacea dat originem primæ tunicæ venæ Portæ, quæ per hepatis viſcus diſtribuitur, eamque in hepate efficit robuſtiorem & denſiorem. Recte nempe GLISSONIUS ejus inventor *l. c.* ſcribit, quod hæc membrana ad portæ normam divaricetur, & ad ultima vaſa capillaria cum ipſa dividatur & diſtribuatur; neque videtur etiam improbabile, hanc tunicam largiri ductibus biliariis hepaticis per intimam hepatis ſubſtantiam diſperſis membranam exteriorem, ut inde fiant robuſtiores. Notabile quoque illud eſt, quod vena Portæ careat valvulis ſemilunaribus, quibus alias venæ ordinario inſtructæ ſunt, quæ etiam in ramis venæ cavæ hepatis inveniuntur.

§. CCCXXXVII.

Notabilis quoque eſt venæ cavæ ſtructura atque connexio cum vena Portæ, qualis in univerſo corcorpore non reperitur. Nempe venæ cavæ fines conjunctæ ſunt cum extremitatibus venæ Portæ ſanguinem adducentis, non ita, ut unum canalem continuum conſtituant, quemadmodum conjunctio fit arteriarum & venarum, ſed potius minimæ ramificationes venæ cavæ latera venæ Portæ ingrediuntur, adeo ut angulum rectum hæc diſſecet.

Scholion.

Non alium in finem hæc peculiaris ſtructura venæ cavæ & venæ portæ videtur efformata, quam ut ſanguis,

guis, qui bile tenuior eſt, per venæ cavæ orificia non ſecus ac chylus in inteſtinis per vaſa lactea impellatur, craſſiore bile relicta, quæ deinde in ductus biliarios Venæ Portæ continuos influit, & per eos per ductum majorem in duodenum invehitur.

§. CCCXXXVIII.

Præter venam portæ hepatis, quæ vicem arteriæ adminiſtrat, inſtructum eſt hepar ingenti vaſe venoſo, quod ſanguinem relictum a ſecreto humore bilioſo & lymphatico reducit verſus cor, & hoc vas nihil aliud eſt, quam magnus ramus venæ cavæ, qui per diſtincta foramina accipit tres diſtinctos ramos ab hepate, ſimul etiam ipſum ſanguinem ex inferioribus partibus reducens ingentis magnitudinis ramus ſeſe convexæ hepatis parti inſinuat, adeoque & ſanguis jecoris & ſanguis inferiorum partium per diaphragmatis foramen verſus cordis dextrum ventriculum reducitur.

Scholion.

Notatu dignum eſt, quod venæ cavæ in hepate cavitas minor ſit quam venæ portæ, neque ratio eſt difficilis; nam in hepate magna & copioſa fit ſecretio humoris tam bilioſi quam lymphatici a ſanguine per venam portæ advecto.

§. CCCXXXIX.

Præter venam portæ datur adhuc aliud vas ſanguinem adducens, quod conſtituit ramus arteriæ cœliacæ dexter, qui totum jecoris cavum ſubit, totamque ſuperficiem & ſubſtantiam innumeris ramificationibus perambulat, ſed hic ſanguis non adducitur eum in finem, ut bilis ibi ſeparetur, ſed ut ipſa vaſa eorumque tunicæ, quorum maximus numerus eſt, nutrimentum accipiant. Obſervatum enim eſt ab oculatioribus anatomicis, hujus arteriæ propagines, ſi quis eas curioſius perſcrutatur, tantummodo pertingere ad involucra vaſorum, nullumque eſt dubium, quin hic ſanguis per ramuſculos venæ cavæ verſus cor inſinuetur.

§. CCCXL.

Præter hæc vaſa ſanguinea copia etiam innumerorum aquæ ductuum, qui vaſa lymphatica audiunt, in hepatis ſubſtantia obſervatur. Hæc vaſa in brutis recenter ſtrangulatis viſui ſeſe facile offerunt, levi artificio accedente, ligatura nempe ductus thoracici: in homine vero redduntur conſpicua, ſi in ramum cœliacæ dextræ vel etiam per venam portæ ope ſiphonis ingens quantitas aquæ calidæ injiciatur.

Scholion.

Memorabile maxime eſt, quod circa medium ſuperioris ſeculi uno anno in diverſis & diſtinctis regionibus peculiares aquæductus ſeu vaſa lymphatica a doctiſſimis & ſagaciſſimis quibuſdam anatomicis inventa fuerint, ſcilicet in Dania a BARTHOLINO, in Suecia ab OLAO RUDBECKIO, in Anglia a GULIVIO, in Belgio a SYLVIO, ubi deinde ſurrexit magnum certamen inter BARTHOLINUM & RUDBECKIUM de eorum inventione. NUCKIUS vero hanc doctrinam & hiſtoriam vaſorum lymphaticorum variis novis additis exemplis optime illuſtravit, & quidem mediante injectione argenti vivi vaſa lymphatica eorumque ramos atque curſum oculis exhibuit.

§. CCCXLI.

NUCKIUS in connexa hepatis parte ad minimum trecenta vaſa lymphatica numeravit; ex ejus vero concava parte etiam innumera prodeunt & repunt maxime per ductus bilioſos & capſulam Gliſſonianam.

Scholion.

Notatu eſt dignum, quod ductus lymphatici, qui ſupra convexa hepatis parte ſerpunt numeroſi ex ſola extima ejuſdem hepatis membrana ortum ducant, & per ligamentum ſuſpenſorium ſeſe etiam inſinuent ductui thoracico; qui vero ex concava parte emergunt, ex intima & profundiori hepatis ſubſtantia, non vero ex glandulis conglobatis ad concavam partem hepatis ſitis proveniunt, & poſtea per pancreatis portionem & inter duplicaturam peritonæi in commune lymphæ receptaculum, nempe ciſternam, lympham ſuam exonerant.

§. CCCXLII.

Extat adhuc aliud vas venoſum in hepate peculiaris uſus ad alendum fœtum, vena nempe umbilicalis, per quam adfertur ſanguis maternus cum ſucco nutritio ex ſecundinis refluxus per hepatis ſubſtantiam in totum corpus fœtus; quia vero non in venam portæ terminatur, ſed potius peculiari canale cylindrico, quem egregie deſcripſit & depinxit HEISTERUS in *M.N.C. Cent. V. & VI. obſ.* 27. adducitur immediate ad ipſam venam cavam. Ratio, quod non prius ſe in venam portæ exoneret, eſt, quia ſanguis a matre adductus purus eſt, & ab excrementitiis partibus bilioſis liberatus. Hæc vena umbilicalis dicta in adulto homine non fruitur hoc uſu amplius, ſed ejus cavitas obliteratur, & ipſa hæc vena in ligamentum tendinoſum vertitur, quod impedit, ne hepar verſus thoracem cum impetu quodammodo feratur in affectibus ſpaſmodicis.

§. CCCXLIII.

Præter vaſa ſanguifera item lymphatica dantur in hepate etiam ductus excretorii, qui biliariorum pororum nomine vulgo veniunt. Hi eadem cum vena portæ ramorum gaudent divaricatione, atque ex omnibus hepatis partibus excipiunt humorē in hepate ſecretum, eumque deferunt ad canalem ampliorem, qui ductus biliarius hepaticus dicitur, partim etiam per ſingulares ductus hepaticos ad cyſtidem felleam, ex qua deinde rurſus per peculiarem tortuoſum canalem, cyſticum ductum, in communem meatum, qui choledochus dicitur & ad inteſtinum duodenum fertur.

Scholion.

Peculiaris eſt ſtructura pori ſeu ductus hepatici in hepate, dum nempe fines ejus terminantur in ipſa interiori venæ portæ cavitate, manifeſto indicio, abſorberi hanc ipſum humorem bilioſum ex ipſo ſanguine in vena portæ contento, ſi prius ſanguis per ramuſculos venæ cavæ ſeparatus fuerit; BIANCHI vero in hac eſt ſententia, ductum hepaticum cum vena portæ eſſe continuum, qui canalem inverſum conſtituat, & exiſtimat, refluere bilem ceu graviorem, cum contra ſanguis ceu levior a ramis venæ cavæ abſorberetur, & exonerari in ipſum inteſtinum.

§. CCCXLIV.

Ex hac ſtructura hepatis mere vaſculoſa & ductibus copioſis excretoriis bilioſis clariſſime jam patet ejus officium, quod nullum aliud eſt, quam ſecretorium & depuratorium ſanguinis, dum nempe hic ipſe a ſordibus ſalino-ſulphureis alcalinis aduſtis per hoc colatorium liberatur, & purus temperatus ac nutritioni admodum aptus evadit.

Scholion.

Veteres verum uſum hepatis ignorabant & æſtimabant, illud eſſe organon ſanguificationis, quia hepar totum vaſis & ſanguine repletum conſpiciebant, &

& ſuccum chyloſum per meſaraicas venas immediate ad hepar ferri ſibi perſuadebant; ſed detectis aliis chyliferis ductibus & rectius omnibus circumſtantiis conſideratis nullus alius uſus huic viſceri remanet, quam depuratorius & ſecretorius humoris biliosi, qui utique ad ſanitatem tuendam ampliſſimus eſt.

§. CCCXLV.

Per nullum viſcus in univerſo corpore circulus ſanguinis tam lentus & tardus eſt quam per ipſum hepar, quare provida natura ſapientiſſime hepatis nexum ad diaphragma conſtituit, ut ejus continuo motu, qui fit ſurſum & deorſum, ſanguinis lentus circuitus promoveatur.

Scholion.

Ratio, cur tardior per hepatis viſcus ſit circuitus ſanguinis, eſt, quia vena Portæ ceu vas adducens caret pulſu & impulſu ſanguinis in extrema vaſorum capillarium orificia, adeoque etiam ſapiens natura hunc defectum ſupplevit & correxit, dum venam Portæ robuſtiorem effecit aliis venis, quo moli ſanguinis concreſcentis eo melius reſiſtere poſſit. Deinde ſanguinem in viſcere lienis valde ſubtiliſatum & tenuiorem factum affundit iſti quodammodo craſſiori facto, qui ex toto inteſtinorum volumine, meſenterio, omento regreditur, ut ſanguis hic fluidior redditus per hepatis minora vaſcula eo melius tranſire poſſit. Tertio demum nexus hepatis ad diaphragma valde neceſſarius fuit ad ſecundandam & facilitandam ſanguinis per hepar circulationem.

§. CCCXLVI.

Ex hiſce clare jam intelligitur, motum & laborem corporis, ſub quo continuo augetur reſpiratio, ad obſtructionem hepatis & lienis, adeoque ad præcavendas chronicas paſſiones præſentiſſimæ eſſe efficaciæ; & hinc quoque ratio eluceſcit, quare vitæ ſedentariæ addicti ad chronicos morbos, calculos hepatis & cyſtidis felleæ, hepatis infarctus, obſtructiones, & inde oriundam cachexiam, ſcorbutum, aliaque mala ad modum ſint diſpoſiti.

§. CCCXLVII.

Ad circulationem ſanguinis facilitandam per hepar multum confert, quod inſignes nervorum rami, qui diaphragma perforant, & ex pari octavo ad hepatis vaſa & ductus, venam Portæ nempe, ductus biliarios & arteriæ hepaticæ ramos abeant, & hæc vaſa invicem vinciant & ligent, non alium certe in finem, quam ut tonum, robur, motumque vaſis fœnerentur & curſum ſanguinis regant ac dirigant.

Scholion.

Ex hoc facile apparebit ratio inſignis iſtius conſenſus, qui eſt hepatis & per conſequens ductuum bilioſorum cum ipſo ventriculo, dum nempe utræque partes ſimilibus nervorum ramificationibus gaudent, unde fit, ut aſſumto vomitorio vel purgante acriore ductibus biliariis valde ſtimulatis ingens copia bilis ex hepate in inteſtinum duodenum deferatur ac ventriculus & duodenum ſpaſmis conſtricta eoſdem propagare ſoleant ad ductus biliarios, & hinc icteritiam cachexiam producant, quæ frequenter ſe aſſociat cardialgiæ.

§. CCCXLVIII.

Uſus nervorum non ſolum ad motum localem & ſenſum conciliandum, ſed etiam ad motum ſanguinis multum contribuit; ab his enim robur partium dependet.

§. CCCXLIX.

Præter ſecretionem bilis a ſanguine hepar adhuc alium uſum etiam præſtat, utut magis ſecundarium, dum nempe prægrandi ſuo volumine & ſubſtantia valde calida ad ventriculum firmiter accumbit & ita ciborum ſolidorum ſolutioni ſeu chylificationi egregie inſervit.

Scholion.

Notum eſt pulcherrimum illud experimentum phyſico-mechanicum, quod Papinus inſtituit cum machina, cujus orificium & operculum, indita prius quantitate oſſium duriſſimorum & portione aquæ, firmius clauſit, hinc ſubdito levi & moderato calore brevi tempore oſſa hæc dura ad mollitiem redegit.

§. CCCL.

Notum quoque porro eſt, qua ratione brevi tempore animantium oſſa impoſita alembico veſicæ per halitus aqueos emolliri poſſint, quod Chymici vocare ſolent philoſophice præparatum vel ſine igne calcinatum.

§. CCCLI.

Videtur itaque veriſſimum eodem modo duo illa calida viſcera hepar a dextra parte & lien a ſiniſtra conſtituta, dum firmiter accumbunt ventriculo ipſumque operiunt, & clauſuram orificiorum ſimul, promovent halitus, qui emergunt ex calore, aere & ſalivali menſtruo occluſo, ad texturam & compagem alimentorum intime diſſolvendam aptiſſima eſſe. Nam occluſus ventriculus ad tempus ſinit tranſpirare activiores aereas alimentorum & ſalivalis menſtrui partes; hinc etiam patet ratio, quare animalia voraciora, ut canes, lupi, mures, ſues, habeant hepata ventriculum ſtricte cingentia, quem multiplicatis globis circumplectuntur.

§. CCCLII.

Alius adhuc uſus hepatis eminet, dum nempe ipſum diverticulum ſanguinis mole peccantis vel nimis rarefacti eſt, utpote tertiam fere partem totius maſſæ ſanguineæ tota Vena Portæ cum omnibus ſuis ramificationibus complectitur; & ita hepar conſtructum eſt ampliſſimum ex innumeris vaſis, ut diverticulum ibi nimium exæſtuans ſanguis inveniat, & ne quantitate ſua & mole excreſcens nimium diſtendat vaſa, horum elaterem & tonum reſolvat atque ſic ſanguinis circulum impediat.

Conſideratio Pathologica.

§. CCCLIII.

Magna conſideratione dignum eſt hepatis viſcus, ſi illud male affectum ſit, in præcavendis morbis chronicis, qui præcipuam ſuam ſedem ac domicilium in hoc viſcere labefactato habent. Primo notandus eſt ejus infarctus ſeu vaſorum nimia repletio & præternaturalis diſtenſio a ſtagnatione ſeu tardiori ſanguinis progreſſu per ejus vaſa. Hic affectus maxime familiaris eſt plethoricis, vitæ ſedentariæ addictis, & iis, qui valde voraces ſunt, & parum bibunt, vel incongruum potum aſſumunt, ut ſpiritum vini, vina acida; plurimiſque affectibus chronicis ſeſe aſſociat vel potius illos antecedit.

Scholion.

Ingens ſæpe diſtenſio vaſorum hepatis molem hujus viſceris valde ponderoſam reddit, ut ventriculum & diaphragma quoque inferius intrudat, non ſine magno

magno ſanitatis detrimento. Oriuntur exinde ſpirandi difficultates, dolores & ſpaſmi, diaphragmatis diſtenſiones & inclinatio ad vomitum.

§. CCCLIV.

Ob nimiam repletionem & diſtenſionem vaſorum in hepate non raro obſervantur aneuriſmata & varices. Illa rariora quidem ſunt & fiunt a ramo cœliaco mirifice diſtento & manifeſtantur forti & moleſta pulſatione, varices vero ramorum venæ portæ ſunt frequentiores. Exempla poſſunt legi apud Vesalium, Guarinonium, & Mortonem.

Vaſorum hepatis obſtructio duplex eſt, vel calida vel frigida. Illa nihil aliud eſt, quam ſanguinis ſtaſis, quæ dolorem, febres, ſingultum, anxietates in dextro hypochondrio, dolorem tenſivum & vomitum producit, & uno verbo eſt hepatis inflammatio, utut etiam hic affectus ſit paulo rarior.

Scholion.

Rariores ſunt inflammationes hepatis, quam pulmonum & aliarum partium, quia illa fiunt maxime a ſanguinis impulſu vehementiori in ſubtiliſſima & minima vaſa, a quibus, cum non regreditur, ſed immotus manet & acquieſcit, naſcitur inflammatio. Ratio hæc eſt, quia ob venarum copiam, quæ etiam hic vices gerunt arteriarum, impetus & impulſus ſanguinis in vaſorum extremitates minimas deficit.

§. CCCLV.

Ex inflammatione, ſi hæc ipſa non diſſolvitur & profundior eſt, naſcitur abſceſſus hepatis ſeu apoſtema, quod etiam paulo rarius contingit. Hoc ſi aperiatur, ipſa ſanies & corrupta maſſa per ductus biliarios fertur & tranſit ad duodenum & inteſtina, comitem ut plurimum habet hoc malum febrem hecticam, atrophiam & inſignem virium lapſum, appetentiam imminutam & malum valde eſt chronicum.

§. CCCLVI.

Si inflammatio non diſſolvitur, neque in abſceſſum degenerat, ſphacelus fit hepatis, cum febre procedente, hecticum quaſi mentiente, & ſumma virium proſtratione, ſingultum comitatur. Poſt ſectionem hepar nigrum corruptum una cum partibus vicinis, colo, dextra parte ventriculi, & diaphragmate ſphacelatio hepatis reperitur.

§. CCCLVII.

Induratio & ſcirrhus hepatis fit a membranis & tunicis vaſorum nimium diſtentis a ſero ſanguinis, & inde oriundo tumore, qui tandem ob ſtagnantes ſuccos durus ac cartilagineus redditur; & quia totum viſcus hepatis ex vaſis conſtat, quæ gaudent membranis venæ portæ valde robuſtis, hinc ſuccis his denſioribus & craſſioribus redditis durities fit; nam membranæ maxime indureſcunt & ingraveſcunt.

§. CCCLVIII.

Non omnes vero indurationes ſeu contractiones & craſſities vaſorum ſtatim ſcirrhi dicendi ſunt, ſed tum demum, quando occalleſcunt & cartilagineam formam induunt, & locum habent magis in externa hepatis parte membranacea & vaſis extimis; induratio vero totum vaſorum genus ſæpius occupat.

§. CCCLIX.

Sphacelus hepatis ex ſanguinis ſtaſi in hoc viſcere diuturna ob ejus graviorem atoniam naſcitur, in iis præſertim corporibus, quæ gravi animi affectu, diuturno mœrore premuntur & ſummam debilitatem partium inde contraxerunt.

Scholion.

Tale exemplum obſervavimus in Conſiliario ante xx. annos, qui ex diuturno mœrore prolapſus erat in ſummam virium jacturam, appetitus proſtrationem plenariam, calorem internum cum pulſu debili & celeri, accedebat poſtea ſingultus & conatus, quamvis irritus, ad vomendum, & intra quatuor ſeptimanarum ſpatium exſpirabat. In hujus diſſecto corpore totum hepar corruptum inſtar picis nigrum cum fœtore apparuit, protracta quoque in ſimilem labem diaphragmatis, quæ hepati adhæret, & dextra ventriculi parte.

§. CCCLX.

Vera inflammatio hepatis rarior eſt affectus, ſed frequentior ſpuria, ubi non tam ipſa hepatis ſubſtantia, quam potius ejus ligamentum, quod coſtis ſpuriis & diaphragmati cohæret, maxime omnium vero partes externæ, peritonæum, muſculi intercoſtales item abdominis in dextro latere ſub diaphragmate ſub coſtis ſpuriis gravativo dolore tenſivo lancinante una cum febre & præcordiorum anxietate afficiuntur; ſupervenit poſtea tuſſis, qua tamen parum excernitur.

Scholion.

Licet hic affectus ſit frequentior & ſub nomine inflammationis hepatis ſeu hepatitidis in parte convexa venditetur, tamen in ſcholis medicis & in artis noſtræ exercitatione rarius vel plane non de hoc mentio reperitur. Nota quidem eſt pleuritis ſpuria, non vero hepatitis ſpuria; cognoſcitur vero, ſi partes externæ & integumenta corporis circa hunc locum affectum ſita dolent, ipſeque dolor tactu augetur, cum frigore intenſo præcedente & ſubſequente æſtu vehementiori ſimul & ſemel invadit, & omni periculo vacat, modo diſcutientibus diaphoreticiſque rite tractetur.

§. CCCLXI.

Dantur etiam in hepate interdum nimiæ dilatationes tam arteriæ, quam etiam venæ Portæ ſeu aneuriſmata & varices: dantur etiam nimiæ expanſiones vaſorum lymphaticorum, quæ hydatides vocantur.

Scholion.

Ejuſmodi aneuriſmata etiam in dextra cœliaca, in hypochondracis moleſtiſſima ejuſdem vaſis pulſatione per longum tempus vexatis, annotavit Bianchi *in Hiſtoria hepatis*, & varicum exempla in ramis venæ portæ videri poſſunt apud Morton, Vesalium & Guarinonium; hydatides vero hepatis in hydropicis ſæpius occurrunt, & ab harum ruptione interdum ſubito enaſcitur hydrops.

§. CCCLXII.

Morbi ex male affecto hepate præſertim chronici ſunt, maxime hydrops, qui plerumque in hoc viſcere ſedem ſuam habet fixam, id quod diſſectiones hydropicorum confirmant, ubi plerumque hepar magnum, induratum, corrugatum, & quaſi coctum, vel etiam hydatidibus ſeu magnis veſicis obſeſſum reperitur.

Scholion.

Hepatis vaſis obſtructis ſanguinis & lymphæ ſecretio, quæ in hoc viſcere ingens eſt, ejuſque circulatio per vaſa lymphatica impeditur, unde intercepto libero ejus curſu ſeroſitas in aliis locis tam externis præſertim pedibus, quam inter cutem & inter muſculos abdominis & inter peritonæum vel etiam meſenterii

ſenterii duplicaturam deponitur vel lymphatica vaſa in hiſce partibus mirifice expanduntur & interdum rumpuntur.

§. CCCLXIII.

Febres etiam contumaciores intermittentes, quæ ſine aëris vitio naſcuntur, præſertim quartanæ plerumque ex hepatis vitio emergunt, dum illud vel ejus vaſa obſtructa vel ſanguine infarcta ſunt.

Scholion.

Hanc ob rationem febres quartanæ, quæ adoriuntur corpora ſine aeris vel temporum inordinata & præcedente conſtitutione, difficilioris ſanationis ſunt, & quam facile, ſi intempeſtive adſtringentibus tractentur, in hydropem & cachexiam tranſeunt.

§. CCCLXIV.

Inter morbos, qui ex hepatis vitio promanant, ſunt etiam referenda cachexia, præſertim ſcorbutica, quæ plerumque ex obſtructione lienis, nec non vaſorum meſaraicorum, & pancreatis naſcitur. Nam ſi hepar obſtructum atque infarctum eſt, ordinario etiam vicina viſcera, quæ propter communionem venæ Portæ communicationem habent, labem ſimul contrahunt, maximeque lien, pancreas, glandulæque meſentericæ.

Scholion.

Hanc aſſertionem confirmant maxime diſſectiones cadaverum, ubi nihil familiarius occurrit, quam quod in morbis chronicis utræque hæ partes, hepar & lien, vitio laborantes & obſtructione potiſſimum deprehendantur.

§. CCCLXV.

Inter morbos, qui hepatis vitia conſequuntur, locum quoque habet nimius hæmorrhoidum fluxus, & maxime is, qui vocari ſolet fluxus hepaticus, utpote qui magis ex apertis vaſis inteſtinorum tenuium, quam hæmorrhoidalibus provenit, & quoniam pro fundamento infarctum & obſtructionem hepatis agnoſcit, quo liber ſanguinis curſus & tranſitus impeditur, hinc non inepte dicitur hepaticus, & ſicuti hæmorrhoidalis maxime certis fit temporibus, ita hepaticus magis frequens eſt & continuo affligit, facileque motu animi aut corporis vel alimentis ſpirituoſis & generatim a qualecunque commovente medicina irritatur, & difficulter quoque tractatur, & ſanationem ægre admittit.

§. CCCLXVI.

Ex eodem fonte etiam promanat in hepatis affectibus ſtillicidium narium, nam infarcto hepate cogitur maſſa ſanguinea majori copia & impetu ruere in alia vaſa & loca magis aperta.

§. CCCLXVII.

Oritur etiam hoc ex fundamento diarrhœa bilioſa, ſive ex vitio bilis, præſertim ejus inertia & defectu, ſive etiam ex nimia lymphatici humoris ſalſi acris ad glandulas inteſtinales profuſione proficiſcatur, & cum torminibus ſæpe affligit, & ægre quoque ſanationem recipit, niſi ratio habeatur affectus hepatis.

§. CCCLXVIII.

Neque reticenda eſt affectio hypochondriaca quæ ex hepatis & viſcerum imi ventris læſione atque affectione pronaſcitur.

Scholion.

Affectio hypochondriaca eſt quidem morbus ventriculi & inteſtinorum, in quo harum partium nervoſarum tonus & motus periſtalticus plane turbatus ac inverſus fit, & ſpaſmi miſerrime torquent & exercent has non modo ſenſibiles nerveas partes, ſed etiam alias & diſſitas nerveo-membranaceas totumque ſyſtema nervorum afficiunt; cauſa tamen hujus affectus ſæpe reſidet in viſceribus, hepate, liene & pancreate, quibus obſtructis humores tam bilioſi quam lymphatici digeſtioni alimentorum nec non ſecretioni & excretioni alvi velificantes corrumpuntur & pravam diatheſin induunt, unde ſucceſſive digeſtio læditur & tonus partium deſtruitur.

Conſideratio Chirurgica.

§. CCCLXIX.

Conſideranda hic merito ſunt vulnera hepatica, quæ lethifera ſunt, ſi vaſa majora ſeu potius rami majores venæ cavæ & portæ fuerint diſſecti. Lethalis nempe fit hæmorrhagia ſubito labaſcentibus viribus & effuſio ſanguinis fit in cavitatem abdominis ubi putreſcit, & difficulter educitur. Si vero in ipſa hepatis ſubſtantia rami minores tantummodo læſi fuerint, tunc ſanguis extravaſatus per ipſum vulnus exit, vel etiam per ductus biliarios deſcendit ad inteſtina & per alvum ejicitur, quia pori biliarii ramuli, quibus hepar undique ſcatet, etiam diſcinduntur. Hac de re meretur legi Obſervatio GLISSONII, quam refert *in Anatomia hepatis p. 98.*

§. CCCLXX.

Vulnera ſi cæſim infliguntur, periculoſiora ſunt, quam ſi punctim fiant. Nam in priori ſtatu non fieri poteſt, quin multa vaſa lædantur, ſi vero punctim fiant, poſſunt vaſa multa inſtrumento pungenti ſe ſubducere. Periculoſiora adhuc ſunt vulnera, quæ fiunt ſclopeto trajecto globo vel globulis plumbeis, Schroot / propter magnam parenchymatis læſionem; vaſorum diſciſſionem & fibrarum contuſionem: ita nimirum hæmorrhagia lethalis vel ſphacelus facile ſequitur.

§. CCCLXXI.

Contuſio hepatis gravior a cauſſa violenta externa propter dilacerationem diſtorſionemque vaſorum & inde proficiſcentem humorum extravaſationem maximæ etiam conſiderationis eſt in chirurgica medicina, neque ſine periculo; quia, niſi cito externa diſcutientia & interna diaphoretica & quæ ſanguini congrumato diſſolvendo accommodata ſunt, uſurpentur, levius etiam malum & ſanabile immedicabilem noxam poſt ſe trahere poteſt.

Scholion.

Vidimus exemplum, ubi puella XII. annorum graviori lapſu in eam regionem, ubi hepar ſitum, profluvium alvi non modo cruentum, ſed etiam mictum ſanguineum paſſa fuit cum ingenti anxietate & interno calore, reſtituta tamen infuſis vulnerariis, axungia humana recenti & pulvere ex ſpermate ceti, ſolutione oculorum cancri, antimonio diaphoretico, nitro & croco præparato, & cataplaſmate diſcutiente ex vino & ſpeciebus nervinis aromaticis confecto.

§. CCCLXXII.

Apoſtema hepatis rarior quidem affectus eſt, ſed tamen, ſi incidit, ingentes creat & Medico & ægrotanti moleſtias, quia malum eſt admodum chronicum, multis ſtipatum ſymptomatibus & leniſſime vult tractari.

Scholion.

Ejuſmodi apoſtema obſervavimus poſt gravem contuſionem, ubi maſſa purulenta tam per urinam quam per alvum interdum cum ſanguine mixta evacuata fuit cum animi defectione, inappetentia & dolore acuto in hypochondrio dextro, febre lenta & præcor-

diorum anxietate. Sanatus etiam fuit patiens, ſed intra ſpatium dimidii fere anni, cum tantum medicamenta leniſſima vulneraria & temperata balſamica cum axungia humana mixta ferre poſſet, contra vero ab omnibus acribus læderetur.

CAPUT XIV.

De Viis & ductibus biliariis, nec non de Bilis natura atque uſu.

§. CCCLXXIII.

HEpatis munus conſiſtit unice in ſecretione humoris bilioſi, qui humor eſt craſſiuſculus, ponderoſus & ex ſero glutinoſo & ſubſtantia ſulphurea reſiniformi nec non ſale alcalino compoſitus, a ſanguine per venam Portæ allato ſeparatus, & per peculiares ductus minores in majores & tandem in truncum & canalem collectus, quem ductum hepaticum vocant, & ex hoc per ductum communem choledochum in inteſtinum duodenum tranſmiſſus.

§. CCCLXXIV.

Præterea in ſingulari capſula hepati annexa, ſcilicet veſicula fellis ſeu cyſtide fellea, idem humor colligitur, in ea tanquam in promptuario ad uſum adſervatur, & peculiari etiam ductu, qui dicitur cyſticus, in ipſum quoque duodenum hac ratione tranſmittitur.

§. CCCLXXV.

Ipſi ductus & canales biliarii in hepate exiſtentes ex variis tunicis, quas communes habent cum ductu cyſtico & choledocho, compoſiti ſunt, nempe ex vaſculoſa, fibroſa, muſculari & nerveo-tendinea, idque maxime notabile eſt, quod tenuiſſimæ ramificationes ex plexu hepatico terminentur maxime in hiſce tunicis.

§. CCCLXXVI.

Ex fabrica horum ductuum apparet, eos & ſenſu & motu, qui in omnibus canalibus eorumque ſtructura viget & maxime in inteſtinis, periſtaltico, dilatatorio nempe & conſtrictorio ſucceſſivo gaudere, eum nempe in finem, ut hujus beneficio bilis ex anguſtioribus viis ad ampliores promoveatur.

Scholion.

Quia hi ductus hepatici, qui bilem vehunt & evehunt, tam exquiſito motu & ſenſu prædìti ſunt, luculenter jam apparet ratio, quare emetica vel etiam purgantia acriora hos ductus mirifice evacuent, & ingentem bilis copiam ex iis profundant, ſtimulo nempe ab hiſce penetrantioribus remediis ad horum tunicas delato; itemque, quare a vehementiori iracundia ingens bilis copia ex hiſce ductibus præter naturam in duodenum effundatur, nam ab hoc affectu fortior ſtrictura & compreſſio illorum fit ductuum. Porro etiam exinde liquet, quare a cardialgia ſeu ſpaſmo ventriculi, item a ſumto veneno neque minus a graviori animi excandeſcentia icteritia fiat cachexia, dum nempe vehementiori ſpaſmo hiſce ductibus conſtrictis bilis curſus & egreſſus ad duodenum impeditur, ipſaque per lymphatica vaſa ad ſanguinis maſſam regurgitat.

§. CCCLXXVII.

Ejuſdem ſtructuræ membranaceæ ipſa eſt etiam veſicula fellis, quam ex quatuor tunicis jam denominatam coagmentatam eſſe hodierni anatomici ad unum omnes confirmant; manifeſto documento, non tantum hanc capſulam receptaculi vicem gerere, ſed etiam motu quodam conſtrictorio & dilatatorio gaudere, qui & remitti & variis de cauſis intendi etiam poteſt, & cujus beneficio ipſa bilis e fundo ſuo propellitur ad ejus cervicem & ductum cyſticum, qui reſpectu fundi veſiculæ altiorem ſitum habet.

§. CCCLXXVIII.

Unde bilis ex cyſtide fellea ſuam habeat originem, non una eademque omnium eſt conſenſio. Quidam exiſtimant, tunicam hujus capſulæ eſſe glanduloſam, quæ ſeparet bilioſum a ſanguine humorem: alii putant, quod per peculiares & proprios ductus cyſtico-hepaticos ibi congeratur bilis: nonnulli per ductum hepaticum eam ingeri in hanc veſiculam ſtatuunt; nos multis experimentis convicti immo autopſia ſtatuimus, bilem partim per ductum hepaticum, partim etiam per plures minimos ductulos biliarios ex hepate immediate ad veſiculam vergentes, qui intra hujus membranas oblique terminantur, in eam infundi.

Scholion.

Primo enim quando caute ſeparatur hæc capſula, ſcilicet cyſtis fellea ab hepatis parenchymate, deprehendimus eam partem, quæ altius inſeritur hepati, valde mucoſam eſſe, ex qua ipſe ſuccus bilioſus flavus & ſapore amarus digitis exprimi poteſt, qualis etiam oculis deprehenditur in ipſa illa hepatis portione, quæ firmiter annexa eſt fundo veſicæ; hinc nullum eſt dubium, quin ſubtiles ductus hique numeroſi ex hepate abeant & implantentur omnibus cyſtidis membranis in fundo poſitis. Deinde, quando omnis veſica bilis in cane exprimitur, & ductus cyſticus ligatur, tunc multum adhuc bilis in veſicam influit. Porro deprehendimus, ſi flatus immittitur in choledochum, & capſulam & hepaticum ductum inflari, vel etiam, ſi in ductum hepaticum flatus immittitur, ipſe pergit ad cyſtidem & choledochum ductum, ut adeo ductus hepatici & cyſtici communicatio clare appareat. Jam vero ſi conſideramus, fundum veſicæ & ductum hepaticum ac cyſtidis collum ſublimiori loco eſſe poſitum, valde eſt veriſimile, multam portionem bilis ex hepatico ductu delabi in veſicam, ex qua poſtea compreſſione facta a ventriculo cibis repleto vel etiam proprio periſtaltico motu in primum inteſtinum exprimitur. Notabile hoc eſt, quod bilis in cyſtide, ſcilicet fellea, longe ſpiſſior ſaturatior & amarior ſit illa, quæ ex hepate immediate per ductum hepaticum ad duodenum profluit, utpote quæ longe tenuior, fluidior, nec tanto amarore prædicta eſt, cujus phænomeni ratio procul dubio eſt hæc, quod bilis pars tenuior & aquoſior per vaſa lymphatica veſicæ ſeparetur, ſiquidem copioſis lymphaticis venis hanc eſſe imbutam recentiores anatomici teſtantur, & quod ipſa bilis per membranas veſicæ tranſudare poſſit, ex eo colligendum eſt, quia portio coli, quæ huic veſicæ adjacet, plerumque flavo colore a bile tranſſudante tincta eſt.

§. CCCLXXIX.

Collum veſicæ bilariæ conſtare ex annulo fibroſo nerveo, & quaſi ex valvulis ſemilunaribus, curioſiores anatomicorum recentiorum annotarunt. *Vid. M. N. C. C. Cent. V. & VI.* quæ via valvuloſa & tortuoſa efficit, quo bilis curſus promoveatur ad duodenum, quia nempe fundus veſicæ eſt declivis & quam facile regurgitare alias hic humor poteſt ad cavitatem veſicæ.

Scholion.

Scholion.

Bauhinus & Spigelius cyſticum ductum ſemilunarem ad cochleæ modum extenſum, multiſque rugis aſperis præditum notarunt in ſubjectis humanis; quæ anguſtia facit, ne egreſſa ſemel bilis craſſior in cyſtidem facile regurgitet, per quam tamen bilis hepatica facilius tranſit.

§. CCCLXXX.

Meretur quoque notari inſertio ductus choledochi inter duodeni tunicas exteriorem & interiorem, quæ inſertio ad aliquot pollices ſeſe extendit, hic tandem ductus rotundo annulo etiam fibroſo ceu ſphinctere armato in ejus cavitatem ſe aperit.

Scholion.

Obliqua hæc inſertio ductus intra membranas duodeni cauſa eſt, quare, ſi ſpaſmo afficiatur vel flatu nimio diſtendatur hoc inteſtinum, facile regurgitet bilis per ductum choledochum ad ductum hepaticum, immo ejus deſcenſus ad inferiora plane impediatur, & hac ratione icteritia generetur. Dependet hinc quoque ratio, quare in affectu iracundiæ circa ſcrobiculum cordis ad latus dextrum, ubi pylorus & principium duodeni exſtat, dolor quidam compreſſorius obſervetur.

§. CCCLXXXI.

Ductus hepaticus itemque cyſticus nec non choledochus ex tunicis admodum firmis muſculoſo-nerveis compoſiti ſunt, adeoque exquiſitiori ſenſu præditi, ſiquidem notante Vieussens in *Nevrol. p. 326.* ex nervo intercoſtali plexu hepatico ſemilunari ſex emergunt fibræ, quarum tres inferiores ac minores veſiculæ felleæ, tunicis ductus choledochi, pyloro & duodeno inſeruntur, & iis partibus tonum, ſenſum ac robur fœnerant.

Scholion.

A ſubtiliori horum ductuum ſenſu fit immanis ille dolor, qui ex ſtagnatione vel potius inhæſione calculi biliarii in ductibus hiſce vel cyſtico vel choledocho naſcitur; & hæc quoque ulterius eſt ratio, quare cyſtis fellea a grandiori calculo nimis extenſa gravia ſymptomata ſpaſtica necnon dolores in dextro latere, ardores, anxietates & vomitiones concitet, quemadmodum obſervationes practicæ id confirmant.

§. CCCLXXXII.

Quod attinet ad uſum humoris bilioſi, qui magna in copia in tam amplo & vaſto viſcere quotidie ſecernitur, is ſatis eximius eſt. Nam licet bilis ſit humor ratione ſuæ mixtionis & ingredientium, ex quibus conſtat, partibus corporis noſtri fluidis & ſolidis non adeo congruus, ſed potius inconveniens & hinc recte recrementum vocetur: nihilominus tamen ad negotium chylificationis, digeſtionis & excretionis alvinæ ſummæ utilitatis eſt, adeo, ut neque animal ſine bile ſanum & incolume exiſtere poſſit.

Scholion.

Egregium bilis in animantibus ad tutelam ſanitatis uſum compluribus rationibus ſtabilire ſolent Medici anatomici 1) quod nullum in rerum natura animal bile careat; 2) quod non ad inteſtinum rectum, ſed duodenum, quod primum eſt a ventriculo, deferatur; quod manifeſto eſt indicio peculiaris ibi præſtandæ utilitatis: 3) quod ampliſſimum illud hepatis viſcus, quo nullum animal caret, vix alium finem quam ſecretorium bilis habeat: 4) quod inſignis hujus humoris copia quotidie in hepate ſeparetur & ad duodenum defluat: 5) quod duplici ductu cyſtico & hepatico is feratur ad duodenum, &, quod maximum, in peculiari receptaculo, nempe veſicula, reſervetur, ſi forſan humoris in ſecretorio hepatis ratione copiæ deficiat, vel temperie delinquat.

§. CCCLXXXIII.

Non tam accurate quidem bilis quantitas, quæ ſingulis diebus in hepate ſeparatur, determinari poteſt, ſed tamen præterpropter ex quibuſdam experimentis id conjicere licet.

Scholion.

Ductus biliarii, hepaticus nempe & cyſticus, ſatis ampli, qui unum ſatis eximium ductum choledochum conſtituunt, non exiguum ſed copioſum ad maſſam chyloſam bilis influxum comprobant.

§. CCCLXXXIV.

Saturatior quoque fæcum alvinarum flavus color, qui a bile eſt, largiorem ejus quantitatem indicare videtur. Denique ſequenti experimento manifeſte probari poteſt, canales biliarios plures uncias ejus humoris capere, quando nempe ex ductibus chyliferis & ex cyſtide fellea hominis ſani & violenta morte extincti per repetitam aquæ tepidæ prius pondere examinatæ injectionem bilis eluitur & aqua illa cum bile mixta rurſus ponderatur, tunc facile bilis pondus in toto hepate contentum explorabitur. Sic Bianchi uncias ſex bilis invenit.

§. CCCLXXXV.

Bilioſus humor compoſitus eſt ex duplici elemento ſuo, nempe viſcido glutinoſo inſipido, & poſtea ex principio reſinoſo ſulphureo-alcalino.

Reſinoſa bilis natura exinde cognoſcitur, quia inſpiſſata bilis apertiſſimam concipit flammam & a ſpiritu vini relicto muco diſſolvitur, & deſtillata quoque dat oleum fœtidum inflammabile.

Scholion.

Patet jam ratio, quare homines, qui calidiorem ſanguinem habent, & vulgo cholerici dicuntur, qui motum corporis vehementer exercent, & calidis & ſulphureis alimentis & ſpirituoſis veſcuntur, bilem & copioſiorem & calidiorem ſulphuream generant.

§. CCCLXXXVI.

Reſinoſum bilis principium multum differt ab aliis reſinis ex regno vegetabili petitis, quia eæ acidum in compoſitione ſua admittunt, illud vero hoc ipſo deſtitutum eſt, utpote magis ſal alcalinum in mixtione ſua poſſidet. Deinde vegetabilium reſinæ non alio menſtruo niſi ſpirituoſo, neutiquam vero aqueo, diſſolvuntur, bilis vero inſpiſſata non tantum ſpiritu vini rectificatiſſimo diſſolvitur, ſed etiam in aquam tranſit.

§. CCCLXXXVII.

Abundat etiam bilis elemento ſalino alcalino, quod vel exinde patet, quia ſyrupo violarum immixta viridem ipſi affert colorem, & cum forti acido, ut eſt oleum vitrioli vel aqua fortis, vehementer ebullit, & denique, quia ſpiritum alcalinum facta deſtillatione fundit. Tandem & deterſoria & pinguem mucidam ſubſtantiam reſolvente & abſtergente virtute ejus vis ſaponaria & alcalina dilucide probatur.

§. CCCLXXXVIII.

Ratione principii reſinoſi ſulphurei valde ſolubilis & ſalini alcalini bilis eſt medicina corporis animantium præſtantiſſimi uſus, & a multis morbis præſervatoria; præterea chylificationis & digeſtionis ne-

gotio item ſecretioni chyli & excretioni ſordium multum velificatur, neque minus motum inteſtinorum periſtalticum in moderamine ſalvum & incolumem ſervat.

Scholion.

Multoplex eſt bilis uſus, quem præſtat primis in viis propter ſulphureum & alcalinum, quo pollet, elementum. Primo pingues alimentorum partes, quæ ab acido ventriculi non diſſolvuntur, in duodeno & annexis inteſtinis ceu homogeneum menſtruum expedite diſſolvit; Secundo ex ſinu ventriculi egredientem acidum chymum temperat, infringit, & in naturam inſipidam convertit; Tertio cruſtam villoſam, quæ colatorium & plicas format, abſtergit & lacteorum orificia aperit, ne ſuccus chyloſus in itinere & progreſſu ſuo per vaſa lactea impediatur; Quarto blande laceſſit & ſtimulat nervoſas inteſtinorum tunicas, ut motus periſtalticus promoveatur & intendatur, cujus beneficio ſecretio chyli & excretio alvina optime perficitur.

§. CCCLXXXIX.

Quod bilis recte conſtituta & temperata reſpectu quantitatis, motus, ſitus, inſtar medicinæ ſaluberrimæ animantibus ſit, vel ex eo patet, quia ad affectiones chronicas, ad infarctus viſcerum, ad ſecretiones & excretiones imminutas, ad morbos inteſtinales ut diarrhœam, colicam, flatulentias vel alvi conſtrictiones nimias ea remediorum genera, quæ bilis defectum ſupplent, & conſimilem cum ea naturam, mixtionem & virtutem poſſident, ut ſunt amara, hiſce malis præſervandis ſunt aptiſſima.

Conſideratio Pathologica.

§. CCCXC.

Ingens eſt morborum numerus, qui ex bile vel quantitate vel qualitate ſive temperie aut motu peccante naſcuntur.

Scholion.

Inde nimirum oriuntur choleræ, diarrhœæ, dyſenteriæ, cardialgiæ, febres binoſæ, continuæ, tertianæ, vomitiones, colicæ, ventris tormina, fluxus hepatici, cachexia, icteritia flava & nigra, & gravia ex calculo veſicæ felleæ ſymptomata, dolores dextri hypochondrii cum febre & ſingultu. Inde etiam cachexia, hydrops, & corruptelæ chyli oriuntur.

§. CCCXCI.

Quandocunque bilis nimis copioſa & acris in duodeno ſtagnat, & copia corruptorum ingeſtorum accedit, præſertim fermenteſcentium acidorum, tanta gignitur humorum excedentium copia, ut laceſſitis vel valde eroſis tunicis dyſenteriæ & choleræ interdum cum inflammatione partium junctæ ut plurimum funeſtæ pronaſcantur.

§. CCCXCII.

Si tanta eſt acrimonia corroſiva bilis tunc fiunt diarrhœæ, quæ ſubjectis iracundiæ deditis valde ſunt familiares.

§. CCCXCIII.

A bile præſertim acri atque intemperata per iram effuſa in duodenum fiunt exinde ſæpius cardialgiæ, ſi orificium inferius ventriculi afficitur; fiunt quoque exinde inflammationes periculoſiſſimæ duodeni & ventriculi, præſertim, ſi quis ſecundum vulgarem modum aſſumat ad evacuandam bilem poſt iram emetica.

§. CCCXCIV.

Si bilis paulo copioſior & ſupra modum acris tunicas duodeni, intra quas fertur, aggreditur, portio ductus choledochi, immo ductus hic ſpaſmo afficitur & conſtringitur, & tunc bilis fluxu & motu ad inteſtina intercepto ea regurgitat per vaſa lymphatica ad ſanguinis alveum & ita ſubito gignitur cachexia icteritia.

Scholion.

Ejuſmodi ſubitaneus icterus producitur non raro in cardialgia, in febribus continuis tertianis & bilioſis, a dato purgante vel etiam venenis, quia hæc indoles & natura eſt harum rerum, ut ſpaſmum inferant ventriculo. Si acidus ſuccus affluit & cum bile miſceatur, ebullitio fit admodum calida, & vapores exſurgunt calidiſſimi, qui delati ad ventriculum & œſophagum ſenſum ardoris ingentis inferunt, & ita generatur ſoda ſeu ardor Ventriculi.

§. CCCXCV.

Ex bilis defectu, qui a ſecretione ejus diminuta & inopia partium ſulphurearum in ſanguine fit, multi chronici morbi oriuntur, præſertim cachexia, leucophlegmatia, ſcorbutus, viſcerum infarctus, obſtructio & exinde hydrops.

Scholion.

Nam ſi bilis deficit in inteſtinis, ingens proventus fit cruditatum acido-viſcidarum, quæ delatæ in alveum ſanguinis ad obſtructiones, infarctus, concretiones polypoſas & calculoſas, propter lentorem & coagulum, quod fluidis partibus inferunt, diſponunt.

§. CCCXCVI.

A bilis defectu & inertia tarditas quoque & durities alvi fit, quia bilis eſt laxans naturale, quod ſtimulat inteſtina, ut alvi promtior fiat ſeceſſio, & acidum ingeſtorum, quod conſtrictivæ virtutis eſt, præſertim cum terreis partibus commixtum, in ſal ſalſum leviter & innoxie ſtimulans convertit. Notum autem eſt experimentum practicis, neutra ſalia ad alvum ſtimulandam eximii uſus eſſe.

§. CCCXCVII.

Deficiens bilis cauſam ſubminiſtrat generationi verminum, præſertim in phlegmaticis, infantibus & iis, qui dulcibus fructibus, horæis, lacticiniis & rebus farinaceis frequenter veſcuntur.

Scholion.

Depravatur bilis temperies & mixtio, ſi excrementitiæ ſordes, quæ per alia emunctoria evacuari debent, bili admiſcentur, idque maxime fit a prohibita tranſpiratione & ab urinæ ſecretione imminuta, vel etiam, ſi ſucci corporis a quodam morbo, ut ſcorbuto, lue venerea, & febribus, valde impuri redditi fuerint; inde fit, ut bilis in cyſtide fellea ſæpe reperiatur viridis, atra, atramentaria, porracea, cœrulea; vel etiam, ſi copia partium aquearum & ſeroſarum nimia eſt uti in cachecticis & hydropicis eſſe ſolet, pallida, inſipida, aquea, & limoſa generetur. Mutat vero ſæpenumero ſuum colorem bilis etiam naturalis a contentis inteſtinorum, ſi ſupra modum acore pontico prædita ſunt: ita nimirum bilis colorem cœruleum induit, qui etiam ad excrementa tranſire ſolet, præſertim in corporibus infantilibus, & ut plurimum prodromus eſt convulſionum epilepticarum, propter tormina, quæ bilis corroſiva concitat in tenerrimis hiſce ſubjectis.

§. CCCXCVIII.

§. CCCXCVIII.

Bilis motu, defectu, & qualitate i. e. temperie peccare poteſt propter partes ſalino-ſulphureas a tranſpiratione cohibita intra corpus retentas. Hæ enim abeunt ad bilem & illam reddunt corroſivam, ut indolem veneni acquirat.

§. CCCXCIX.

Plurimi e morbis epidemicis, præſertim febribus, doloribus, ſpaſmis & alvi dejectionibus ſuum trahunt ortum a bile depravata, intemperata, & acriori reddita, ob impeditas ſe- & excretiones.

Scholion.

Quando conſideramus morborum epidemicorum generationem, qui æſtate ſolent eſſe febres billioſæ, ardentes, tertianæ continuæ & intermittentes, in autumno diarrhœæ, dyſenteriæ cum torminibus ventris junctæ, quæ procedente tempore majorem induunt malignitatem, præſertim quod ad febres attinet, producuntur hæ ipſæ ab inordinato & maxime inæquali ſtatu temporum, ſi vel unum anni tempus in alterum tranſmutatur, v. g. hyems in autumnum, autumnus in hyemem, ver in æſtatem, æſtas in autumnum & ſic porro, vel ſi certis diebus regnat vehemens æſtus, quem per aliquot dies excipit nimia humiditas, cœlum valde nebuloſum aut pluvioſum; aut etiam, ſi urget magnus æſtus certis diebus in meridie & post meridiem, & poſtea nox ſequitur valde humida & frigida, aut ſi in uno die, ut ſæpius fit in autumno, tempeſtas ſubito mutatur, ita ut mox frigus, mox æſtus, mox ventus, mox pluvia, mox cœlum ſerenum, mox nubilum fiat, tranſpiratio, quæ ſaluberrima eſt excretionum, valde minuitur, & tonus ipſius cutis, quæ univerſale eſt emunctorium corporis, in ejuſmodi ſtatu temporum valde turbatur, & deſtruitur, & hinc fit proventus variarum materiarum excrementitiarum in ſanguine, quæ poſtea ad humores & inde bilem delatæ graſſantes morbos proferunt.

§. CCCC.

A bilis ſecretione translata ad alia ſecretoria organa morbi identidem fiunt, ita maxime ſolenne eſt, bilioſum liquidum, ſi ejus ſecretio in hepate impediatur, transferri & ſegregari per ſalivales glandulas, per urinæ quoque cribrum nempe renes, porro etiam per poros & tubulos ſubcutaneos.

Scholion.

Si fertur ad ſalivales oris glandulas, dependet inde ſapor ciborum depravatus amaricans, qui non infrequens eſt iis, qui ex febre tertiana vel etiam bilioſa laborant, & vulgo falſo adſcribi ſolet halitibus bilioſis e ventriculo exſurgentibus. Cum urina tranſire ſimul laticem bilioſum teſtatur ictericorum urina, quæ coloris ex flavo bruni valde ſaturati eſt, ipſaque linteamina more bilis tingit. Quod vero per tubulos ſubcutaneos ſecernatur bilioſus humor in cachexia icteritia, flavus color demonſtrat, quin imo in certis partibus per cutis poros tranſſudantes bilioſæ craſſiores particulæ efformant illas maculas flavas faciem defœdantes, quæ hepaticæ non inepte dicuntur, quia ex ſecretione bilis in hepate impedita oriuntur. Porro etiam Medicis & Chirurgis notum eſt, ex partium ulceribus & vulneribus non raro flavum ichorem ſubamaricantem profluere.

Conſideratio Chirurgica.

§. CCCCI.

Vulnera veſicæ ſelleæ non tantum, ſed etiam ductuum, qui bilem vehunt, læſiones grandiores lethales eſſe omnino ſtatuendum eſt & id confirmant maxime *M. N. C. Dec. II. Anno X. obſ.* 160. quamvis non mors has læſiones ſubito conſequatur, ſed procedente tempore demum fiat. Humor nempe bilioſus in cavitatem abdominis delatus putreſcit, & putredine inficit vicinas partes, præſertim nerveas, inteſtinorum tunicas, ſicque oritur putrida febris. Læſiones vero ductuum biliariorum, præſertim choledochi, inflammatio cum febre plerumque funeſta ſequi ſolet, adeoque vel brevi necant, vel, ſi longius protrahatur mors; ipſi præcedit etiam lenta & putrida febris, quæ ex corruptione partium orta fuit.

§. CCCCII.

Ruptio quoque ipſius cyſtidis ſelleæ, quæ vel a nimia ejus ob bilis copioſæ affluxum turgeſcentia, vel a vomitu violento producitur, etiam lethalis pronuncianda eſt, quale exemplum proponit Bierlingius *Obſ. Lib. X. c.* 1. item Faber in *additam. ad M. N. C. Dec. II. An.* IIX. *p.* 466.

CAPUT XV.

De Renibus.

§. CCCCIII.

Renes ſunt viſcera duo, phaſeoli figuram habentia, longitudinis quinque vel ſex digitorum tranſverſorum, latitudinis trium, & craſſitiei unius, in latere ſiniſtro & dextro circa lumbos ſita, ex varii generis vaſis a natura conſtructa ad ſecernendum & tranſcolandum ſerum ſalſum ab ipſo ſanguine.

§. CCCCIV.

Renes ſitum ſuum habent ſub diaphragmate ſub coſtis ſpuriis inferioribus, circa vertebram lumborum primam & adhærent peritonæo firmiter per fibras; exterius teguntur muſculo tranſverſali; interius prope muſculus pſoas ipſis adjunctus eſt & connectuntur cum renibus ſuccenturiatis cumque vaſis emulgentibus.

Scholion.

Notabile eſt, quod ren dexter ordinario inferiorem ſitum habeat præ rene ſiniſtro, qui altiorem locum obtinet, procul dubio, ut hepar commodiorem inveniat ſitum & locum.

§. CCCCV.

Situs & nexus harum partium, ſcilicet renum, ſic ſe habet, ut vicinarum partium motu horum functio, nempe ſecretio & excretio quodammodo adjuvari poſſit.

Scholion.

Nullum nempe eſt dubium, quod diaphragmatis motus ille continuus ſub inſpiratione & exſpiratione cum illud modo aſcendat, modo deſcendat, ſubnexarum & adhærentium partium, hepatis, lienis, immo ventriculi atque ipſorum renum functionem plurimum adjuvet, dum preſſione & agitatione ſanguinis per vaſa regreſſum, humorumque ſecretionem egregie adjuvat.

§. CCCCVI.

Renes etiam connexionem & communicationem habent cum inteſtino colo, qui in dextro latere renem ſupergreditur, flexura vero hujus inteſtini in ſiniſtro latere prope renem in vicinia fit.

Scholion.

Inde jam in pathologicis deducenda eſt ratio, quare dolor colicus ſæpe habeatur pro nephritica, & nephriticus cum colico confundatur, item quare inflatio hujus inteſtini dolorem ex calculo augeat, vel etiam promoveat, præſertim in ſiniſtro latere; porro, quare atrox dolor ex calculo ſæpiſſime totum inteſtinorum volumen in conſenſum rapiat, quod maxime fit, ſi calculus ex renibus moveri incipit & iter affectat per ureteres.

§. CCCCVII.

Jacent renes inter duplicaturam peritonæi, quæ tunica eſt valde adipoſa peculiaribus vaſis inſtructa, & fortiter connectitur cum lumbis vertebriſque lumbaribus.

Scholion.

Notandum hoc loco eſt, quod non tantum renes, ſed & ureteres, immo veſica ipſa urinaria, adeoque totus apparatus viſcerum & ductuum urinam ſecernentium, ſub duplicatura membranæ peritonæi deliteſcat, ipſique incluſus ſit, adeo, ut per flatum per fiſtulam immiſſum duplicatio peritonæi in omnibus iſtis partibus quam facile in viſum occurrat.

§. CCCCVIII.

Renum ſtructura & aliorum colatoriorum mere eſt vaſculoſa, quandoquidem toti compoſiti ſunt ex vaſis arterioſis & venoſis emulgentibus, deinde ex canalibus nervoſo-membranaceis copioſiſſimis urinam ſecernentibus & vehentibus.

Scholion.

Accipit uterque ren ex aorta deſcendente ramum quendam, qui poſtea rurſus in alios multos minores abit, & tandem in tenuiſſimos arcuatos viſum effugientes, qui per omnem renum ſubſtantiam diſtribuuntur & in glomeros mutuo concurſu ad receptaculum abeunt, ex quibus ultimis poſtea venæ minimæ reduces nec non tenuiſſimi canales laterales urinoſum liquorem a ſanguine arterioſo ſecretum accipientes oriuntur. De vaſculoſa hac renum ſtructura poteſt legi Ruyschius *in Theſ. Anat.* qui elegantiſſimas exhibet figuras vaſorum renalium liquore rubicundo per injectionem repletorum & viſui ſeſe offerentium.

§. CCCCIX.

Fiſtulæ urinoſæ in renibus, ubi unitæ ſunt, corpora conſtituunt pyramidalia, polygona & tandem deſinunt in XII. plerumque corpora membranacea, quæ papillæ dicuntur. In his collecta plura fiſtularum uriniferarum renalium orificia oblique & undique patent, tam extus quam intus, & exſtillat ſerum urinoſum ex fiſtulis uriniferis in amplam cavitatem membranaceam, quæ vocatur pelvis.

Scholion.

Hanc renum fabricam & ſtructuram primum omnium recte depinxit Eustachius & poſtea Bellinus.

§. CCCCIX. *

A papillarum ambitu orti membranacei XI. vel XII. canales excipientes urinoſum laticem in tres abeunt magnos ramos, qui collecti in unum faciunt, magnam pelvim, quæ ulterius porrigitur & deſinit in canalem membranoſo-nerveo-muſculoſum robuſtum, & variis etiam vaſis & nervis inſtructum, qui vocatur ureter, & ipſam urinam vehit ad veſicam.

§. CCCCX.

E pelvi, quod infundibulum eſt ureteris, hic recta in dorſo deorſum primo æquali via, poſtea vero inflexus ſub peritonæi duplici membrana decurrit & inæquali in variis locis amplitudine parti poſticæ veſicæ binorum fere digitorum a cervice inferiori a ſe invicem diſtantia inſeritur & perforata exteriori tunica ſpatio minoris digiti inter hanc & interiorem oblique decurrit & in cavum veſicæ penetrat, procul dubio non aliam ob rationem, quam ut impediatur urinæ fluxus ſive regurgitatio ad ureterem.

§. CCCCXI.

Ureteres ſunt canales ex variis tunicis, exteriori nempe peritonæi, muſculoſa & nervea, quæ velamine glanduloſo intus obducitur, compoſiti, & nervorum etiam ramulis ex plexu renali ortis, nec non ſubtilioribus arterioſis & venoſis inſtructi vaſis; unde non tantum gravitate ſua & pondere urina deſcendit in veſicam; ſed motu etiam horum canalium reciproco conſtrictorio & dilatatorio, qui commode periſtalticus dici poteſt, eo fertur. Sunt vero hi canales longi non citra finem a natura producti; quia nempe ex mechanicis notum eſt, fluidorum preſſionem maximam eſſe ſecundum altitudinem cylindricam & canali quatuor pedum, qui pollicis diametrum in latitudine habet aqua repleto qui præter propter libras tres aquæ continet, xx ℔ aquæ in altum attolli poſſe. Reſiſtentia itaque fluidi urinoſi in hoc canale; ſcilicet uretere, impedit, quo minus ex cavo veſicæ in ureterem urina reſurgat.

§. CCCCXII.

Quod ureteres valde ſenſibiles ſint, teſtis eſt calculus ibi hærens, qui vel laceſſens aut nimium diſtendens tunicas ejus nerveas mole vel aſperitate ſua crudeles procreat dolores.

§. CCCCXIII.

Uſus renum non alius eſt, quam colatorius; quia nihil aliud ſunt quam cribra & colatoria ſeri ſalſi, quod urinæ nomine venit. Cum nimirum vi cordis ſanguis propellitur per arterias emulgentes in mere vaſculoſam renum ſubſtantiam, tenuior, aquoſior pars & ſalſa per tubulos urinarios minoris diametri a ſanguine in arteriarum extremitatibus ſeparatur & transfluit relicto ſanguinis fluido craſſiori, quod per venas majoris diametri ad alveum ſanguinis reducitur.

Scholion.

Quod ex arterioſis tubulis tranſitus pateat in tubulos renum urinarios & ex hiſce in ipſam pelvim & ureteres id vel hoc unico experimento quam facile evincitur, quo venis emulgentibus prius ligatis aqua colorata ope ſiphonis in arteriam emulgentem injicitur, quo facto non ſolum renum corpus inflatur, & turgeſcit, ſed & ipſe liquor ex renibus in ureteres transfertur. Hæc tamen cautio ſimul eſt adhibenda, ut nempe renes e corpore recenter mactato aſſumantur. Ex hoc experimento etiam clare pateſcit, continuitas vaſorum ſanguiferorum cum ipſis ſanguiferis, qua continuitate læſa multorum morborum renalium patet origo.

§. CCCCXIV.

§. CCCCXIV.

Cum itaque renum uſus ſit unice colatorius, apparet, jam plures ex recentioribus multum erraſſe, qui peculiare fermentum urinæ præcipitans, vel etiam attractionem quandam in ipſis renibus ſtatuerunt. Sola hic ſufficit mechanica ſecretio, dum pars liquidioris ſanguinis per fiſtulas anguſtiores vaſis ſanguiferis ſecernitur.

§. CCCCXV.

Renum ſummitati incumbunt duo corpora variæ figuræ, plerumque tamen ovalis, compreſſæ, coloris griſei vel flaveſcentis, intus cava, & vocari ſolent renes ſuccenturiati ſeu capſulæ atrabilariæ, quarum uſus adhuc valde incognitus eſt.

§. CCCCXVI.

Peculiaris harum partium eſt ſtructura, nempe glanduloſa, compreſſa & intus cavitatem continens, quæ flaveſcenti & ſubdulci humore repleta eſt. Plura etiam intus occurrunt orificia; & foraminula, quæ videntur ductuum excretoriorum origines eſſe, utut ipſi nondum fuerint detecti. Gaudent hæ partes ſuis arteriis, venis, nervis & vaſis lymphaticis a Nuckio deſcriptis.

§. CCCCXVII.

Variæ ſunt de harum capſularum uſu Medicorum opiniones. Plurimi exiſtimant, alcalinæ & attenuantis naturæ eſſe, quem ſeparant, liquorem, qui per pororum orificia ſeſe inſinuet in ſanguinem venoſum, qui regreditur a renibus; ut nempe eum cum orbatus ſit ibi fluxilitate aquea, materia ſua alcalina fluxiliorem reddant. Verum neque alcalina natura hujus liquoris detecta eſt, neque etiam inventæ ſunt viæ, per quas cum ſanguine per venas emulgentes redeunte communicet.

§. CCCCXVIII.

Notatu digna hæc eſt obſervatio, quod in fœtu hæ partes grandiores & majores ſint, quam in adultis, unde interdum renum magnitudinem æquarunt, quare valde eſt probabile, eas in fœtu peculiaris uſus eſſe.

Scholion.

Nobis hæc ſententia videtur probabilis, liquorem ſecretum in renibus ſuccenturiatis procul dubio tranſire per orificia interna ad vaſa lymphatica, quorum ingens ibi reperitur copia. Hæc poſtea lympham a liquore renum ſuccenturiatorum ſubtiliorem redditam ad capſulam lumbarem vehunt; ut lympha quo melius per ductum thoracicum tranſire poſſit, fluidificetur.

Conſideratio Pathologica.

§. CCCCXIX.

Inter renum morbos maxime eminet mictus cruentus, qui naſcitur a nimia dilatatione vaſorum arterioſorum, eorumque apertione in urinoſos renum conſtituentes ſubſtantiam tubulos.

Scholion.

Quando ſecundum naturam ſerum ſeparatur a ſanguine in renibus, tunc per anguſtos canales & fiſtulas urinarias ſaltim tranſfluit aquoſa pars ſanguinis, relicto craſſiori cruore, qui refluit per venas; ſi vero orificia arteriarum, ex quibus naſcuntur ductus urinoſi, a nimio congeſto & copioſo ſanguine amplientur, ipſe ſanguis in tubulos urinæ ſeparationi dedicatos ſæpius influit, & ſic per ureteres in ipſam veſicam fertur; qua de cauſa hic affectus plethoricis, præſertim in ætate ſenili, quando hæmorrhoidalis conſuetus fluxus ceſſat, & præceſſit vel vehementior motus corporis aut ſanguinis exagitatio a copia ingurgitati potus ſpirituoſi, familiaris eſt.

§. CCCCXX.

Quando in mictu cruento ſanguis congrumatus in ureteribus ſtagnat, & introitum eorum in veſicam obſtruit, tunc non tantum urinæ fit ſuppreſſio, ſed etiam atrociſſimus dolor in regione pubis oritur, & poſt mortem inveniuntur ipſi ureteres mirum dilatati, ita, ut inſtar farciminis magni appareant. Id etiam accidit, quando calculus ureteribus, qui oblique per veſicæ tunicas feruntur, firmiter impactus hæret.

§. CCCCXXI.

Nullum viſcus tantopere obnoxium eſt concretionibus calculoſis, quam renum corpus, ob hanc rationem, quia ibi ſeparatur ſerum partibus terreſtribus, maxime ſalinis & tartareis, facile in concretionem abeuntibus, valde turgidum, quæ etiam ob impeditiorem urinæ fluxum & curſum in canaliculorum renum ſubſtantia, præſertim in illis ſiphunculis, qui pelvim conſtituunt, facile coëunt, inque dura & aſpera corpora concreſcunt, maxime, ſi multum viſcidæ & limoſæ materiæ in urina continetur.

Scholion.

Per nullum viſcus corporis tranſcolantur & ſecernuntur tam congrue & tam copioſe ſalia microcoſmica neutra fixiora ſulphurea, quam per renum canaliculoſam ſubſtantiam, &, quoniam ejuſmodi ſalia, præſertim ſpiculis armata, facile in unum coaleſcunt, præſertim ſi ſtagnant, vel diutius in uno loco manent, non mirum eſt, renes valde obnoxios eſſe generationi calculorum.

§. CCCCXXII.

Generatur etiam calculus quam facile, quando læſa eſt renum ſubſtantia; ut, ſi atonia laborant, quoniam ob nimiam laxitatem ſanguinis circulatio impeditior per hanc partem fit & urina diutius moratur in vaſculis urinoſis; vel etiam, ſi ab inflammatione vel eroſione tubuloſa renum ſubſtantia dilacerata & læſa fuerit; ita enim ſanguis & humores urinoſi ſtagnant & circulatio eorum per venas intercipitur.

§. CCCCXXIII.

Notabilis eſt obſervatio practica, renem ſiniſtrum magis vexari calculis & morbis etiam aliis, quam dextrum. Hujus rei ratio hæc eſſe videtur, quod in dextro latere ren ſitum habeat ſub ipſo hepate, a cujus calore fovetur: ut humores ibi non tam facile coagulentur, ſed fluxiliores maneant; deinde etiam in ſiniſtro latere prope renis regionem ingens fit flexura coli, in qua ſæpius flatus ſtagnant, & hanc partem inteſtini mirifice diſtendunt, ut corpus renis prematur, qua preſſione circuitus ſanguinis partim difficilior redditur, partim etiam ipſi calculi in renum ſubſtantia nidulantes ad exitum & progreſſum ſtimulantur.

§. CCCCXXIV.

Quamdiu calculus fixam ſuam ſedem & domicilium retinet in ipſis renibus, tamdiu nullus acutus & gravis dolor excitatur, ſimulac autem incipit moveri atque in pelvim deſcendere, vel etiam per ureteres tranſire, tunc acutiſſimus & vix tolerabilis naſcitur

citur

citur dolor, qui in conſenſum trahens vicinos nervos & muſculum pſoas non modo ſtuporem femoris, vomitum & nauſeam, ſed dolorem etiam valde contractivum & gravativum ejuſdem lateris cum extremorum frigore, attractione teſticuli, urinæ totali ſuppreſſione, ſtrictura alvi & atrocia abdominis tormenta excitat.

§. CCCCXXV.

Renes ſunt viſcera, quæ non adeo exquiſito ſenſu prædita ſunt, quia ex membranis muſculoſo-nerveis, quæ genuinum ſenſus organon conſtituunt, compoſiti ſunt; ſed renum canales urinoſi ſunt ex tenuibus membranis minus nerveis vel fibroſis compoſiti, unde licet, ſi vehementer diſtendantur a calculis ibi ſecretis nulla tam moleſta fit ſenſatio: quia vero pelvis, qui infundibuli quaſi ureterum vicem præſtat, & ipſi juncti ureteres ex membranis valde robuſtis, nerveis & muſculoſis conſtant, facile apparet ratio, quare a calculo ad has partes delato gravis oriatur dolor.

§. CCCCXXVI.

Inter renum morbos, qui in ejus ſubſtantia fiunt, referenda primum omnium eſt eorum inflammatio, quæ a ſtaſi ſanguinis in minimis arteriis fit; ex hac poſtea prodit tumor, rubor, ardor cum aucto pulſu & morbus dicitur nephriticus, ſed quod probe notandum, hic affectus non tam frequens eſt, quam vulgo putatur.

§. CCCCXXVII.

Inflammationem ſæpe excipit abſceſſus, qui totam interdum renis ſubſtantiam depaſcit atque abſumit, hinc ſectiones teſtantur, in iis, qui tabe renum mortui fuerunt, totum renem conſumtum purulenta materia quæ in ſacculis incluſa fuit, parvis veſtigiis ſtructuræ renalis relictis.

Scholion.

Signa abſceſſus renalis ſunt præcedens fixus ardor & rubor in lumbari regione cum urina purulenta, calore lento hectico & corporis tabeſcentia, & ſolet hic affectus paulo longius ſe trahere.

§. CCCCXXVIII.

Poſt inflammationem interdum quoque ſequitur ulcus, quod plerumque comitatur copioſa calculorum generatio; nam renalibus tubulis, qui urinam vehunt, dilaceratis, urina tartareis concreſcibilibus ſalibus fœta extravaſatur, & magnam quantitatem hujus maſſæ dimittit, ex qua facta concretione pullulant calculi.

§. CCCCXXIX.

Vermes in renum ſubſtantia præſertim ulceroſa hoſpitari poſſe, autor eſt MOEBIUS *Phyſiol. cap.* 17. SENNERTUS *in Praxi Part. III. Sect. I.*

§. CCCCXXX.

Diabetes principem etiam locum inter morbos renales tenet, qui eſt nimia urinæ ſecretio, ita nempe ut plus urinæ mingatur, quam liquidi fuit aſſumtum. Oritur a magna atonia vaſorum & fibrarum renalium ſeu potius ex earum paralyſi, hinc vaſa nimium diſtendantur, & propter tonum dejectum omne liquidum a ſanguine ſecedit & ſic ſanguis mire defraudatur ſero.

Scholion.

Hic affectus quidem unus eſt ex rarioribus, qui nempe ab ipſa paralyſi renum naſcitur, frequenter tamen obſervatur in Praxi, ubi in morbis certis etiam in acutis plus liquidi per urinam redditur, quam potu fuerit aſſumtum, cauſa mali ſubſiſtente in ipſa ſanguinis craſi atque textura, quæ naturalis conſiſtit in vinculo intimo ſeri atque craſi ſanguinis; ſi itaque hoc vinculum per admixtos varios ſuccos deſtruitur, vel etiam ſi ſanguis tardiori motu procedat, ſerum ſecedit a cruore in morbis acutis, urinæ copioſæ & albæ lethalem plerumque eventum, imo ipſam phrenitidem futuram prænunciant.

§. CCCCXXXI.

Renes etiam occupant ſcirrhi, qualia exempla leguntur in *M. N. C. Dec. II. An. V. obſ.* 67. *Anno IIX. obſ.* 159.

Scholion.

Scirrhi vel glandulas, vel etiam viſcera, quæ ex innumerabilibus vaſculis contexta ſunt, occupant & naſcuntur a materia viſcida terreſtriori vaſculis minimis firmiſſime impacta quæ obſtructionem horum vaſorum progignere ſolet; quia itaque renum ſubſtantia & ſtructura mere eſt vaſculoſa, hinc etiam non mirum eſt, quod obnoxii ſint hiſce vitiis.

§. CCCCXXXII.

Spaſmum etiam patiuntur renes, qui affectibus ſpaſmodicis hypochondriacis & hyſtericis ſæpiſſime ſeſe adjungit, & tunc urina limpida aquoſa eluitur.

Scholion.

Certum ſignum gravioris ſpaſmi interni eſt, ſi urina antea naturalis aurantii coloris mutatur, & inſtar aquæ communis profluit. Siquidem & ipſi ſpaſmi, qui affectus ſunt nervoſarum partium, tubulos renales maxime arterioſos, ad quos ex pari octavo & intercoſtali, atque ad eorum tunicas feruntur nervi, conſtringunt, & anguſtiora orificia harum efficiunt, ut tenuis tantum aquoſitas craſſiori ſalina ſulphurea parte tantum transfluat.

§. CCCCXXXIII.

Urinæ ſuppreſſio, ſeu imminutus ejus fluxus, qui dyſuriæ nomine venit, plures agnoſcit cauſas; vel nempe ſpaſmus vehementior ureteres conſtringit, ut nihil liquidi recipiant, vel tranſmittant; vel maſſa tartarea viſcida, aut calculus ſolidus pelvim occupat, aut ureteribus inhæreſcit; vel ſanguis congrumatus, aut alia maſſa tenaciſſima introitum ureteris in veſicam occludit.

Scholion.

Sunt adhuc aliæ cauſæ dyſuriæ, quæ non ex renum vel ureterum, ſed urethræ & veſicæ urinariæ vitio proveniunt.

CAPUT XVI.

De Veſica Urinaria.

§. CCCCXXXIV.

VEſica urinaria eſt viſcus mere membranaceum in cavitate pubis, quæ pelvis dicitur, ſitum ad recipiendam ex ureteribus urinam & ad eam per urethram ejiciendam.

§. CCCCXXXV.

Veſica ſitum habet ſuum intra duplicaturas peritonæi, ſub qua probe defenſa & tuta hæret, atque connecti-

connectitur beneficio peritonæi anterius cum oſſibus pubis, in parte poſteriori in fœminis cum uteri vagina, in viris cum inteſtino recto: per urethram etiam connexio fit cum genitalibus.

Scholion.

Communiter etiam veſicæ connexio proponitur cum umbilico per arterias umbilicales, quæ quaſi fulcra, ne decidat deorſum, ejus habentur. Sed re accuratius inſpecta arteriæ umbilicales ad latera veſicæ exporriguntur; ſed per peritonæum, inter cujus duplicaturam inferius latitat, potius connexio quædam cum umbilico ſtatuenda eſt, quare etiam in urinæ ſuppreſſione, ſi veſica in contractione deficit, & atonia quadam laborat, vulgus non ſine fructu umbilico non ſecus ac pubis regioni applicare ſolet urinam pellentia, ut ſunt cepæ toſtæ, oleum juniperi, ſpiritus terebinthinæ: ſub duplicatura etiam peritonæi ita latitat, ut aperto jam per ſectionem abdomine, ſi veſica urinaria eſt vacua, vix eam obſerves, præſertim ſi quis rei anatomicæ ſit imperitus: flatu immiſſo in duplicaturam veſica mirum diſtenditur.

§. CCCCXXXVI.

Figura veſicæ eſt oblongo-rotunda, pars ſuperior amplior, & dicitûr fundus, inferior magis eſt oblonga anguſtior & vocatur collum ſive cervix, cavitas ejus in adultis præter propter liquidi ℔j. capit, in quibuſdam etiam plus.

§. CCCCXXXVII.

Veſica eſt pars, quæ ex meris membranis variæ tamen ſtructuræ compoſita eſt: nos propter duplicaturam peritonæi, ſub qua latitat, quæ proprie non eſt membrana veſicam conſtituens, numeramus exteriorem, ſub qua globuli & cellulæ pinguedine repletæ, parciori tamen & teneriori, latitant: ſecunda eſt muſcularis, quæ ex fibris carneis tranſverſalibus & obliquis conſtat, quæ ſubtiliores & teneriores in corpore veſicæ, in collo vero robuſtiores, & ibi in faſciculum collectæ & orbiculares redditæ formant ſphincterem, cujus beneficio orificium clauditur. Tertia membrana & inferior eſt nervea, ſed ex copioſis glandulis mucoſis, quæ maxime circa collum veſicæ in inferiori parte conſpiciuntur, referta.

§. CCCCXXXVIII.

Veſica itaque eſt pars valde ſenſibilis & etiam mobilis, motu nempe elaſtico contractorio & dilatatorio proprio inſtructa, qui membranæ muſculoſæ debetur, cujus fibræ ea gaudent natura atque virtute, ut valde dilatari queant, & poſt dilatationem ſua inſita virtute rurſus ſe conſtringant, ac in priſtinum locum & ſtatum ſe reſtituant. Hujus membranæ beneficio urina non tantum gravitate & pondere ſuo ſphincterem veſicæ ſuperat, aperit & ex urethra exit, ſed etiam virtute hujus membranæ expultricis expellitur; hinc fit, ut poſt nimis diuturnam urinæ detentionem propter nimiam expanſionem difficulter rurſus contrahatur, & exitus urinæ ſphinctere licet aperto præter voluntatem impediatur.

§. CCCCXXXIX.

Eſt quoque membrana exquiſitiſſimi ſenſus nervea, quæ ad motum illum contractorium multum facit; quia ſi hæc ab urinæ acrimonia læditur, vel calculi veſicæ pondere & aſperitate atteritur, acutiſſimus oritur ſenſus. Ne vero urinæ acrimonia eam continuo lædat atque laceſſat, adeſt alia tunica mucoſa ſ. glanduloſa, quæ lubricum & mollem liquorem effundit, quo acrimonia temperetur, & nervea etiam tunica defendatur.

§. CCCCXL.

Sphincter veſicæ in viris per fibras firmiter annexus eſt inteſtino recto: hinc fit, ut ſtranguriæ, quæ eſt dolor acerbus, à moleſta irritatione ſeu contractione vel criſpatura ſphincteris veſicæ & urethræ dependens, teneſmus ſeu deſiderium deſidendi continuum ſubjungatur; & contra etiam in teneſmo veſica ad urinam reddendam ſtimuletur: in fœminis vero, quia vagina uteri firmiter cum cervice veſicæ connexa eſt, hinc accidit ultimis graviditatis diebus, quando deſcendit fœtus in cavitatem pubis gravidæ ad crebriorem mictum ſubinde ſollicitentur. Porro etiam in fluore albo præſertim venereo urinæ ſtimulus cum dolore quodam fiat, ſique calculo veſicæ laborant ex dolore quem patiuntur, glandulæ, quæ urethræ exterius appoſitæ ſunt, mucum quendam plorant.

§. CCCCXLI.

Ejicitur urina per urethram, quæ canalis eſt membranaceus cylindricus, cujus longitudo vix duos tranſverſos pollices in fœminis ſuperat, in viris vero multum longior eſt, ſiquidem vel XIV. pollices tranſverſos exæquat.

§. CCCCXLII.

Urethra continua eſt ipſi cervici veſicæ, & ſeſe in viris uſque ad extremum glandis extendit, minime vero ejus ductus rectus eſt in viris, ſed per anfractus, mox deſcendit, mox aſſurgit, incurvatur & rurſus deſcendit & literam S figura exprimit, unde etiam catheteris inſertio inexpertis valde difficilis.

Scholion.

Quam primum urethra humilem regionem commiſſuræ pubis oſſeam ſuperavit, ad elatiorem uſque oſſis pubis ſedem aſcendit, & hinc rurſus deorſum tendit, adeoque ductus plane inflexus eſt, in fœminis vero hic ductus rectus & brevis eſt, quare etiam longe felicior in iis catheteris admiſſio ad explorandum calculum vel urinæ fluxum facilitandum.

§. CCCCXLIII.

Urethra in fœminis facilius dilatatur, quam in maribus, hinc fit, ut ſola dilatatione hujus canalis calculus ex veſica urinaria fœminæ extrahi queat; quod minus evenit in viris, ubi vel XII. digitorum pollices tranſverſos hic ductus porrigitur, longeque anguſtior & ſenſibilior eſt.

§. CCCCXLIV.

Notabilis eſt inſertio ureterum in veſicam urinariam, quæ nempe fit in humiliori & inferiori veſicæ parte circa latera cervicis, & quidem hi ductus obliquo anfractu penetrant primo exteriorem tunicam, poſtea muſculoſam & nerveam permeant, & non aliter ingrediuntur veſicam ac ductus choledochus duodenum. Oſculis vero interne appendet laxa membranula, cujus hic eſt uſus, ut, ſi quando veſica urinaria repleta eſt, claudat orificia & hac ratione regurgitatio impediatur.

Scholion.

Et hæc quoque eſt ratio, quare flatus in urethram immiſſus promtiſſime in veſicam, non vero in ureteres penetret.

§. CCCCXLV.

Vaſa ſanguifera, quæ ad veſicam feruntur, tam arterioſa quam venoſa partim ex hypogaſtricis, partim

tim

tim ex hæmorrhoidalibus, ſpermaticis in fœminis proveniunt, & vario & anfractuoſo reptatu hinc inde per membranas decurrunt, longe aliter ac in viſceribus vel aliis partibus fieri ſolet. Senſum ſuum accipit veſica a ramulis paris intercoſtalis, & qui ex oſſe ſacro proveniunt.

§. CCCCXLVI.

Inter figmenta merito reponimus, quod certi ductus ex ventriculo & inteſtinis aqueam chyli ſubſtantiam ferant ad veſicam, vel quod ſeroſitas per poros inteſtinales & per meatus peritonæi duplicati & poſtea per poros varie figuratos in veſicam intra ſoras ſpectantes deſcendat, breviori nempe via, quam per circulum ſanguinis & ureteres.

Conſideratio Pathologica.

§. CCCCXLVII.

Veſica cum ejus annexis partibus permultis etiam obnoxia eſt vitiis ac morbis, inter quos primum locum tenet calculus in ea concreſcens, qui ſæpe miſerrime torquet & excruciat per multos annos ſubjecta, & certis locis quaſi endemius eſt, præſertim in Helvetia, in Belgio, neque inſontes ab hoc ſunt infantes. Ejus primordia ſæpiſſime ſunt concretiones lapidoſæ ex renibus huc delapſæ & non expulſæ, urina poſtmodum tartareo limoſo principio fœta facta & turbida generationem horum valde promovet: confert huc multum diæta lactea & acidorum abuſus item paucus potus & aquæ calcarea gypſea terra imbutæ.

§. CCCCXLVIII.

Generantur quandoque, quod tamen rarius, vermes in veſica, qua de re legi poſſunt *M. N. C. Dec. I. Ann.* IX. *&* X. *obſ.* 113. SCHENCKIUS *Lib.* XIII. *de veſica obſ.* 139.

Scholion.

Nolumus penitus impugnare hanc ſententiam de vermibus in veſica generatis; id tamen experientia exploratum habemus vermiculos iſtos parvulos Germanice Maaden cum urina in matulam illapſos, re paulo diligentius examinata originem ſuam ex inteſtino recto habuiſſe, ex quo foras prodeuntes in ipſa labia pudendorum ab urina poſtea fuiſſe deterſos.

§. CCCCXLIX.

Veſicæ morbis annumeranda etiam ejus excoriatio, ab antiquioribus ſcabies veſicæ vocatur, & fit ab acriori aut valde corroſiva urina aſperis tartareis ſalibus imbuta, vel, quod plerumque, a corrupta in lue venerea lympha oritur ſeminali erodente ipſam tunicam mucoſam internam ejuſque glandulas. Signa ſunt ejus pruritus in pube, gravis urinæ ardor cum ſedimento furfuraceo & ardor ac dolor conſtrictorius in emiſſione urinæ.

§. CCCCL.

Mictus dolorificus ardens ſtillatim exiens ſtranguriæ nomine venit, & eſt affectus non infrequens variis ex cauſis ortum ſuum trahens, maxime iis familiaris, qui ex veſicæ vel renum calculo laborant; eſt quoque ætati ſenili magis proprius, quam aliis; oritur etiam a potu inconſueto, minus defæcato acido, copia vini, præſertim ſi corpus intempeſtive frigori exponitur, noctu vel mane frigidum potum hauriunt, quia ſic tranſpiratione intercepta partes ſalino-ſulphureæ acres, quæ per corticem cutis evaporant, remanent & ad veſicam deferuntur; maxime vero omnium ſymptoma eſt gonorrhœæ malignæ, item ulceris renum ac veſicæ.

§. CCCCLI.

Dyſuria ſeu difficultas mingendi varias etiam dignoſcit cauſas; vel nempe ab obſtructis ureteribus, vel a calculo ſeu a grumis ſanguinis poſt mictum cruentum, vel etiam fit, ſi ipſe ſphincter veſicæ vel a calculo vel a materia tophacea viſcida, aut a glanduloſo tumore ibi concreto occluditur, vel etiam ſpaſmus ſphincterem veſicæ conſtringens in affectibus majoribus ſpaſmodicis cauſa hujus mali eſſe ſolet, unde colicæ convulſivæ nervoſæ ſymptoma eſt conſuetum; vel cauſa vitii hæret in urethra a concretis ibi carunculis, ut non raro fit in lue venerea, in gonorrhæa, vel ſi calculus ibi hærens exitum non habet.

§. CCCCLII.

Urinæ incontinentia fit vel a læſione ſphincteris v. g. diſſectione in extractione calculi veſicæ, vel etiam a paralyſi; unde ſenibus & qui paralyſi ac apoplexia tanguntur, vel ſyncope graviori afficiuntur, aut ſi frigus vehemens hiſce partibus admittunt, vel etiam ab infelici & difficili partu hujus mali ortus fieri poteſt.

§. CCCCLIII.

Mictus cruentus varias etiam agnoſcit cauſas, vel enim in renibus vitium hæret, de quo ſupra egimus, vel ex ureteribus eroſis urina prodit ſanguine tincta, vel quod frequentius eſt, a fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo in ætate præſertim ſenili, ſique haud diu huic fluxui adſueti fuerint. Namque ex hæmorrhoidalibus venis ramus quidam intra tunicas veſicæ fertur, qui a nimia expanſione apertus ſanguinem in ejus cavitatem effundit.

Scholion.

Ejuſmodi obſervationes, ubi ex fluxu hæmorrhoidum impedito mictio ſanguinea producta fuit, legi poſſunt apud HOECHSTETTERUM *Dec. I. Ann.* IIX. *obſ.* 144.

Conſideratio Chirurgica.

§. CCCCLIV.

Dyſuria vel etiam totalis urinæ ſuppreſſio fit non raro ab extravaſato ſanguine, inque cavitatem pelvis deſcendente, ubi cum preſſione liberum urinæ exitum prohibet. Vulnera veſicæ lethalia quidem non, ſunt, ſed inter inſanabiles læſiones recte referuntur; relinquunt enim urinæ incontinentiam vel ingentem ſordiciem, dum liquor urinoſus per aliam viam abdominis locum affectat & exit.

§. CCCCLV.

Carunculæ ſi creſcunt in urethra, peculiari inſtrumento applicato ſunt adurendæ, vel pulvere quodam cauſtico abſumendæ, ea tamen adhibita cautione, ne lædatur ſana urethræ pars.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Partibus Genitalibus Virilibus.

§. CCCCLVI.

PArtes virorum genitales recte dividuntur in ſemen præparantes, deferentes, conſervantes & excernentes.

§. CCCCLVII.

Præparantes ſunt teſtes, dicti ab eo quod teſtantur de virilitate; & ſunt gemini, propendent extra abdomen ad penis radicem propter vaſorum ſpermaticorum eximiam longitudinem.

§. CCCCLVIII.

Teſtes inveſtiti ſunt integumentis tam externis, quam internis. Inter illa obtinet primum locum ſcrotum, quod conſtat ex cuticula, cute & membrana muſculoſa ex fibris multis carneis conflata, quæ dartos vocatur, & hæc maxime eſt contractionis hujus ſacculi cauſa. Notum enim eſt ſcrotum & intenſe dilatari & etiam contrahi poſſe.

Scholion.

Ingens dilatatio hujus ſacculi obſervatur in hernia, quæ ſæpe tantam copiam inteſtini ilei continet, ut caput magnitudine ſuperet, item in hernia aquoſa, quæ familiariſſimum ſymptoma eſt aſciticis; item ab externo admiſſo frigore, ex quibus patet, hanc membranam ex fibris maxime elaſticis conſtare, quare ea natura & indole eſt, ut poſt inſignem dilatationem ſua ſponte ſeſe in priſtinum locum recipiat.

§. CCCCLIX.

Cutis ibi eſt valde tenuis & pinguedine deſtituta, ut eo commodius expandi poſſit, & contrahi; ſenſu quoque tenero & exquiſito prædita eſt, quam alio in loco propter innumeras propagines nervulorum, qui ex oſſe ſacro in hanc partem abeunt.

Scholion.

Tam ſubtili ſenſu imbuta eſt hæc membrana, ut ſpiritus vini rectificatus vel oleum deſtillatum admotum creet ardorem & dolorem, & puſtulæ, quæ ibi generantur, conjunctæ plurimum ſunt ingenti cum dolore atque pruritu.

§. CCCCLX.

Dividitur ſcrotum in partem dextram & ſiniſtram, per lineam intermediam, quam vocant ſuturam, quæ ob vaſa ibi concurrentia, ut probe notat VERHEYEN, in ſectione evitari debet. Interne in regione hujus lineæ oritur tenue ſeptum, quod ex duplicatura membranæ darti eſt compoſitum, hoc partem dextram a ſiniſtra diſtinguit, & inventum eſt a RUYSCHIO. Hoc ſeptum impedit, quo minus aqua in hydrocele ex uno latere profluat in alterum, & inteſtinum quoque in herniis prolapſum in uno tantum latere permaneat.

§. CCCCLXI.

Vaſis etiam tam arterioſis quam venoſis membrana ſcroti inſtructa eſt, quæ ex hypogaſtricis & iliacis externis proveniunt, atque in plethoricis ſatis capacia conſpiciuntur propter difficiliorem per venas regreſſum.

§. CCCCLXII.

Inter teſtium tegumenta interna primo occurrit erythroides tunica ita dicta propter colorem rubicundum, quæ vaſorum præparantium plexus in modum hederæ contorta fovet, atque hæc ex cremaſtere muſculo naſcitur.

§. CCCCLXIII.

Muſculus cremaſter oritur a parte inferiori, anteriore ſpinæ oſſis ileum obliquo deſcenſu adnaſcens carneis fibris ad marginem anteriorem deſcendentem oſſis ilei verſus os pubis, unde antrorſum, deorſum oblique ſe expandit lateralia atque anteriora tunicæ vaginalis amplectitur, qui muſculus cavus & tunicam vaginalem ipſumque teſtem elevat, ſuſtinet, comprimit, exprimit.

§. CCCCLXIV.

Altera tunica dicitur vaginalis, quoniam inſtar vaginæ vaſa præparata & teſtem complectitur, cujus tunicæ cum cremaſtere officium eſt, ne pondere ſuo nimio deſcendat.

§. CCCCLXV.

Tunica tertia dicitur albuginea & eſt teſtibus propria, robuſta valde nervoſa, molliemque teſtis ſubſtantiam complectitur, exterius lævis eſt & humore aqueo madida, interius vero aſpera; tunica hæc eſt exquiſitiſſimi ſenſus, quia ex innumeris nervulis contexta.

§. CCCCLXVI.

In hujus tunicæ parte elatiori inſeruntur vaſa ſanguinea, lymphatica quoque & nervi, quæ ſingula tenuiſſimis ſurculis & ramulis ad interiora teſtium exporriguntur.

§. CCCCLXVII.

Nervi oriuntur ex intercoſtali & pari vago, partim ex lumbari & oſſe ſacro & ad has tunicas abeunt, hinc magna eſt conſenſio teſtium cum partibus ſuperioribus.

Scholion.

Hoc jam olim notavit HIPPOCRATES, qui *in Aphoriſmis* ſcribit: Teſtis intumeſcens facit tuſſim ſiccam. Notum porro in praxi eſt, epithemata teſtibus frigida applicata in univerſo corpore quandam efficere alterationem, ita ut vulgus etiam ebrios hac ratione ad ſenſus reducat.

§. CCCCLXVIII.

Notum eſt porro, contuſionem magnam in his partibus totum genus nervoſum afficere, animi deliquium vel etiam ſummas anxietates inducere poſſe propter dolorem, qui producitur ibi, maximum & tremores, convulſiones efficere poſſe.

§. CCCCLXIX.

Nonnulli ad vires proſtratas reſuſcitandas vino calido aromatico ſcrotum cum teſtibus fovent.

§. CCCCLXX.

Teſtium ſubſtantia non glanduloſa eſt, ut Veteres rebantur, ſed ex meris innumeris vaſis minimis & tubulis invicem contortis & conglomeratis compoſita.

Scholion.

GREWIUS ad xx ulnas vaſa unius teſtis explicari poſſe autor eſt, & BELLINUS in *opuſc. Anat.* ad xxx. ulnas

ulnas Florentinas vaſcula, ex quibus teſtes conſtant, evoluta agnoſcit. Hæc evolutio optime fieri poteſt, ſi teſtis liquetur in aceto per aliquot dies, ſi prius albuginea tunica ſeparata fuit, poſtea madida ſpongia agitatur, in innumeros canaliculos reſolvitur.

§. CCCCLXXI.

Eſt itaque teſtium ſubſtantia atque compages non glandulоſa, ſed mere canaliculoſa, & hæc ipſa ſtructura nos maxime deducit ad eorum uſum atque officium, quod in eo conſiſtit, ut per innumerabiles vaſorum myriades maximaſque eorum anguſtias non modo a ſanguine tenuiſſima adeoque fere ſpirituoſa lymphæ portio ſeparetur, & continuo attritu, impulſu & conquaſſatione, dum per longiſſimos canales fertur, ſubtiliſetur, attenuetur, & in ſpumam quaſi ſpirituoſam convertatur.

Scholion.

Teſtes eadem fere ſtructura vaſculoſa gaudent ac cortex cerebri, qui etiam propter anguſtias vaſorum nil niſi quam tenuiſſimam & delibatiſſimam ex ſanguine fluidam portionem admittit, & ſecernit, motuque attritorio magis elaborat; ut poſtea liquidum ſubtiliſſimum per nervorum tubulos pro motu & ſenſu præſtando univerſis corporis partibus motricibus inſervit, quapropter magna eſt conſenſio cerebri & teſtium, adeo, ut ſeparata & profuſa nimia ſeminis quantitate functiones animales multum labefactentur, memoria & ingenii vires decreſcant, & ſenſus labaſcant.

§. CCCCLXXII.

Semen itaque animantis nihil aliud eſt, quam ſuccus lymphaticus ſanguinis bene excoctus in ſummum ſubtilitatis gradum per anguſtos & innumeros ductus & motus attritorios teſtium redactus.

§. CCCCLXXIII.

Nonnulli ex Recentioribus hanc de ſemine fovent ſententiam, eamque microſcopiis firmare nituntur, conſtare id ex innumerabilibus exiguis vivis animalculis, in quibus rudimenta futuri corporis jam contineantur, quæ animalcula innatent ipſi humori, qua de re legi poſſunt obſervationes & experimenta Leuwenhoeckii.

§. CCCCLXXIV.

Vaſa, quæ ſanguinem ad teſtes adducunt & reducunt, ſpermatica vocari ſolent; arteriæ principium ſuum ducunt ex trunco arteriæ magnæ duobus digitis tranverſis ſub emulgente, dextra vero profundius habet principium; vena ex cava ſub renali dextra, ſiniſtra ex emulgente vena oritur, & hæc multas faciunt flexuras & varicoſos ductus & per communem membranam peritonæi duplicatam tanquam vaginam feruntur, & decurrunt ſupra muſculos pſoas & ureteres, donec pervenerint ad locum ſui exitus in inguine, ubi non recto ſed obliquo ductu per tendines muſculorum abdominis deſcendunt in ſcrotum.

Scholion.

Natura provida ſapientiſſime vaſorum ſpermaticorum ingreſſum in ſcrotum efformavit, qui non rectus, ſed obliquus eſt, ut prolapſus & deſcenſus inteſtini ilei adeoque herniæ impediantur; nam locus, ſub quo coeunt, in muſculo tranverſo altiſſimus eſt, alter in obliquo deſcendente transmittens inferior eſt, dum ad hunc tranſeunt per annulum ovalem in tendinem muſculi obliqui deſcendentis primis lineis, deinde deſcendit hæc cum ſuis vaſis contentis ſupra os pubis atque in ipſum ſcrotum defertur.

§. CCCCLXXV.

Arteria ſpermatica emittit multos ramulos, qui in corpore pyramidali ſ. epididymide in venam ſpermaticam per veras anaſtomoſes ſanguinem derivant.

§. CCCCLXXVI.

Notabile eſt circa vaſa ſpermatica, quod venæ & arteriæ per anaſtomoſin ſint arctiſſime junctæ, unde non modo flatus, ſed & liquor beneficio ſiphonis injectus in arteriam ſpermaticam fluit & penetrat ſimul in venam.

§. CCCCLXXVII.

Arteria ſeminalis teſti propinqua ſpargit ramulos ad inferiorem & interiorem epididymidis partem, & alios quoque ramulos in tunicam teſtium nerveam, atque in ipſam teſtium canaliculoſam ſubſtantiam, ubi in ambitum teſtis diſſeminantur, per quos advehitur ſaltim tenuiſſimi liquidi humoris non colorati portio. Arteriæ illæ, quæ tunicam nerveam penetrarunt, in innumeros ramos atque capillaria vaſa ſubtiliſſima abeunt, quæ totum teſtem occupant, & forte in vaſa majora ordinatim poſita atque in unum majus per medium teſtem deſinens epididymidi continuatum ſuum humorem innumeris oſculis evomunt, cum teſtes venis ſunt deſtituti.

§. CCCCLXXVIII.

Corpus pyramidale varicoſum vel pampiniforme dictum ex dorſo teſtis ortum conſtans venis innumerabilibus communicantibus rete quaſi efficientibus donatis, tandem in unam venam deſinentibus, unde opportunitas commodiſſima ſanguinem diffundendi in his venulis.

§. CCCCLXXIX.

Vaſa, quæ liquorem ſeminalem in teſtibus præparatum evehunt, terminantur in epididymidibus ſeu paraſtatis, atque in cavum ejus canalem humorem ſuum emittunt. Eſt vero fabrica ejus unum continuum cavum cylindricum vas, in plexus innumerabiles complicatum, teſti incumbens inque unum vas ejaculatorium deſinens, quod rurſus aſcendens ſupra os pubis in pelvim deſcendit, & poſteriori parti cervicis veſicæ appropinquans in veſiculis ſeminalibus finitur.

§. CCCCLXXX.

Innumerabilibus vaſculis lymphaticis teſtes & Epididymides gaudere oculati & accuratiores anatomici teſtantur, quibus procul dubio ille humor aqueus, qui ſuperfluus eſt, in ſemine a teſtium ſubſtantia reducitur, ut ſemen magis coctum & ſpiſſum evadat, ſpiritu nempe copioſo non deſtitutum; & valde veriſimile eſt, per hæc vaſa ipſum quoque ſeminalem liquorem vel maxime ejus partem ſubtilem etiam in iis, in quibus nulla eſt evacuatio, reſorberi, inque corpore pyramidali tanquam ſanguineo miſceri atque exinde totam œconomiam corporis noſtri mutari.

Scholion.

Illud præcipue meretur notari, quod increſcente potentia generativa, quæ conſiſtit in ſufficiente ſeminis ſecretione, inſignem mutationem corpori maſculino accedere; dum barba creſcere incipit, vox ſonora evadit, & omnes corporis partes robur accipiunt & incrementum. Contrarium videmus in eunuchis; cujus mutationis ratio vix alia eſt, quam quod ſpirituoſa ſeminis ſubſtantia cum corporis noſtri ſuccis rurſus communicata, præſertim in iis, qui non vacant

cant veneri, inſtar elixirii quaſi ſpirituoſi incaleſcentiam, motum & ſpiritualeſcentiam ipſis largiantur.

§. CCCCLXXXI.

Notandum eſt illud, quod fabricæ teſtium plures teneriores nervuli jungantur, ex rete nervolo abdominali una cum vaſis ſpermaticis tunicæ nerveæ impreſſæ inque ea evaneſcentes, item nonnulli a lumbaribus ad has partes accedant, quorum officium non aliud eſſe videtur, quam ut fluidum ſubtiliſſimum in iis contentum liquori ſeminali uberius inſtillent, ut inde majorem ſubtilitatem accipiat.

§. CCCCLXXXII.

Vaſa deferentia ſemen confectum in teſtium vaſculoſa ſubſtantia in veſiculas ſeminales, quæ collo veſicæ a parte poſteriori per membranas intime connexæ ſunt, inferunt.

Scholion.

Quod veſiculæ ſeminales cum deferentibus vaſis communicationem habeant, vel ex eo ſatis liquet, quod, ſi in vaſa deferentia flatus per ſiphonem immittatur, ipſæ ſeminales veſiculæ etiam inflentur, & quod magis mirandum, totum ſyſtema vaſorum lymphaticorum hac encheireſi portione nempe flatuum immiſſa deferentia vaſa conſpicua reddi poſſe.

§. CCCCLXXXIII.

Veſiculæ ſeminales ſecundum deſcriptionem Leal Lealis, nihil aliud ſunt, quam inteſtinula cœca in gyros, cryptas, receſſus complicata, in quæ deſinit vas ejaculatorium ſenſim latius & ſinuoſum, rurſus anguſtius, ubi incurvatum recto itinere ingreditur in hæc inteſtinula, verſus horum fundum capaciſſimum, iterumque hinc in alio canale emiſſorio cum priori ad angulos acutos juncto, neque veſicula prædita eſt; qui bini canales emiſſorii in urethra ad angulum obtuſum juncti in unum canalem emiſſorium deſinunt in urethram patentem, veſiculæ vero hæ membranula muſculoſa colligatæ ſunt.

§. CCCCLXXXIV.

Terminantur vero veſiculæ in principio urethræ dupli oſculo, ut æque proſtat caruncula, quæ dicitur caput gallinaginis & impedit continuum ſeminis affluxum; preſſis vero hiſce veſiculis ſeminis effluxus mox conſpicitur in principio urethræ per illa oſtiola.

§. CCCCLXXXV.

Seminalis quoque liquor adhuc ſeparatur præter teſtes in corporibus duobus glandulofis, quæ proſtratæ dicuntur, atque immediate urethræ adhærent in parte inferiori cervicis veſicæ; ſed hic humor paulo ſpiſſior inſtar albuminis ovi eſt, & videtur magis eſſe vehiculum & quaſi involucrum ſpirituoſi ſeminis, quam ſeminali virtute inſtructus.

§. CCCCLXXXVI.

Proſtatæ ex numero glandularum conglomeratarum & juglandis minoris magnitudinem habent, quævis ſeptem ad minimum vaſcula ſecretoria habet, quæ inferunt liquorem in urethram circa galli criſtam, & orificia habent tam ampla, ut ſeta porcina immitti poſſit. Nonnulli anatomicorum exiſtimant, hos ductus valvulis eſſe inſtructos, quæ impediunt, quo minus præter voluntatem & inexpectato hic liquor effluat.

§. CCCCLXXXVII.

Præter has duas majores proſtratas inveniuntur adhuc duæ minores piſi magnitudinem vix æquantes proxime ad majores ſitæ & nuper admodum a Cowpero detectæ. Videntur quoque eum uſum habere cum proſtratis majoribus, ut nempe ſeparent craſſiuſculum quendam lymphaticum humorem, qui ſpirituoſam ſeminis partem ex veſiculis proficiſcentem verſus urethram amplectatur, & quaſi involucro detineat, partim ne mox in auras diſſipetur, partim etiam ut ſub tali vehiculo eo commodius in uteri cavitatem poſſit propelli.

Conſideratio Pathologica.

§. CCCCLXXXVIII.

Inter vitia partium generationi inſervientium in ſexu maſculino referenda eſt I.) nimia ſcroti expanſio, quæ fit ab hernia inteſtinali ſeu enterocele ingentis magnitudinis, quæ ſæpe caput humanum exſuperat, a qua nimia expanſione retrahitur ipſe panniculus carnoſus membri, ut ejus expanſio non ſufficienter fieri poſſit.

§. CCCCLXXXIX.

II.) Hydrocele ſeu intumeſcentia ſcroti ab aqua extravaſata, quæ vel a vaſculis lymphaticis diruptis fit, vel in aſcite ex cavitate abdominis deſcendit, & intra ſcrotum ac tunicam vaginalem continetur; rarius ſine ſectione, quæ tamen in aſciticis non expers eſt periculi, tollitur.

§. CCCCXC.

III.) Scroti pruritus cum erumpentibus puſtulis valde ardentibus, affectus non infrequens ſenibus, ſcorbuticis vel lue venerea infectis.

§. CCCCXCI.

IV.) Scroti inflammatio & exinde proveniens ſphacelatio, quæ in vulneribus, contuſionibus gravioribus ſupervenit, vel in ſcorbuticis aut cachecticis gignitur. In infantibus quoque nonnunquam parvulis poſt eryſipelas ſcroti accedit.

Scholion.

Notatu perquam dignum eſt, quod ſcrotum ſphaceloſa corruptione conſumtum renaſci ſoleat, quod aliquoties vidimus & a Hildano etiam notatum.

§. CCCCXCII. *

Inter morbos, qui teſtes affligunt primum fere locum obtinet eorum tumor, ſæpe ſatis grandis inſtar pugni cum acerbo dolore junctus variis ex cauſis natus; præter externas lues venerea male curata, vel bubones venerei retropulſi ſubminiſtrare poſſunt materiam & cauſam: vexantur etiam hoc ipſo interdum cachectico-ſcorbutici, hypochondriaci, ubi ſanguinis & humorum dyſcraſia eſt nimis viſcida, tenax, & lympha ſeminalis per teſtium mæandros & ſubtiles canaliculos tranſiens vitium contrahit, glutinoſa evadit, tardiuſque progreditur.

§. CCCCXCII.

Scirrhus teſtium, in quem tandem deſinit tumor neglectus, & non ſtatim in principio diſcuſſus. Nam temporis diuturnitate ita tenaces & impacti hærent in tenerrimis iſtis vaſis humores, ut duritiem fere ſaxeam æmulentur, malumque vix ſanabile niſi teſtis exſectione tollatur.

§. CCCCXCIII.

Teſtes interdum etiam corripit inflammatio, quæ tamen rarius accidit a cauſa interna, ſed plurimum

rimum a contuſione & læſione violenta externa excitatur; terminatur non raro in abſceſſum, cui jungitur febris acuta ſatis & continua, qua de re legi poſſunt obſervationes in *M. N. C.*

§. CCCCXCIV.

Tumor vaſorum ſpermaticorum non infrequens infantibus & etiam ſenibus, & fit a ſanguine per venas ſpermaticas tardius regrediente. Nam propter ſitum perpendicularem & anfractus, quibus hæ venæ conſtant, convolutos, lentius ſanguis aſcendit & progreditur; quando hic tumor increſcit & in conſenſum etiam trahit ipſum teſtis corpus, hernia varicoſa dicitur; quæ ſanguineo-melancholicis, vitæ ſedentariæ addictis & qui inconvenienti vitæ genere utuntur, ſanguiniſque miſſiones non admittunt, familiaris.

§. CCCCXCV.

Hernia carnoſa ſeu potius fungoſa etiam ex teſtibus ſeu potius eorum vaſis male affectis pronaſcitur, dum lymphaticus ſuccus intra tunicas teſtis vel epididymides ſtagnans & concretus in fungoſam carnem abit, quæ interdum in ulcus mali moris tranſit, ubi etiam unicum auxilium eſt in circumſpectione.

§. CCCCXCVI.

Hernia inguinalis eſt tumor in regione inguinali ſupra ſcrotum, ubi vaſa ſpermatica in illud deſcendunt per tendines muſculorum abdominis, a lamella peritonæi, ſub qua ſerpunt nimis expanſa, a portione inteſtini ilei ibi hærente, & ſic præſertim in ætate teneriori & puerili quam facile ſanatur.

§. CCCCXCVII.

Hernia inteſtinalis fit, quando major adhuc fit dilatatio & expanſio tendinoſæ muſculoſæ ſubſtantiæ, & ipſius peritonæi, ſub quo vaſa ſpermatica vehuntur; unde ilei major portio deſcendit ad fundum ſcroti, & increſcente dilatatione hac dimidia fere moles inteſtinorum extra abdomen prolabitur, ut ipſum ſcrotum virile caput æquet tendinibus muſculoſis interdum ruptis. Magnitudo hujus herniæ impediri poteſt commodis ſubligaculis, & rarius etiam, ſi malum eſt inveteratum, ſine ſectione tollitur, ſed tamen hæc ita inſtituenda & per certas encheireſes adminiſtranda, ut non opus habeamus exſcindere teſtem ſeu caſtrare quoad partem hominem.

§. CCCCXCVIII.

Ex morbis, qui in partibus ſemen conficientibus naſcuntur, primum fere locum obtinet pollutio nocturna, malum non infrequens, præſertim non maritatis, ſi dorſo incumbunt & ſanguinis ebullitionem & orgaſmum in partibus infimi ventris patiuntur ob vitam ſedentariam, potum ſpirituoſum & cogitationes vel etiam inſomnia venerea. Oritur a tono veſicularum ſeminalium valde dejecto, dum vel nimia atonia primo laborant, ut ſemen ibi congeſtum ſtagnet & veſiculas has repleat, poſtea a nimia copia vel expanſione ſeminis, dum nimium expanduntur, ad fortiores conſtrictiones, quibus ſemen propellitur, ſtimulantur.

§. CCCCXCIX.

Gonorrhœa benigna eſt pollutio increſcens & de die etiam fit ob majorem expanſionem vaſorum ſpermaticorum, veſicularum ſeminalium, unde etiam citra cauſſam externam liquor ſeminalis profluit.

§. D.

Alia gonorrhœa dicitur maligna & etiam eſt involuntarium ſeminis profluvium in vigilantibus, & hæc magis ab eroſione & exulceratione veſicularum ſeminalium, præcipue vero proſtatarum, dum lympha ibi hærens miaſmate venereo infecta corrumpitur & virulentam indolem accipit, unde ſemen profluit ſæpius purulento-ſanioſum varii coloris, ſanguine ſæpius tinctum.

CAPUT XVII.

De Membro Virili.

§. DI.

Hoc ſitum habet in prima abdominis regione, ut commodior fieri poſſit congreſſus; ejus radices nerveo-tendinoſæ firmiter implantantur ligamentis oſſis pubis.

§. DII.

Ejus magnitudo reſpectu aliorum animantium eſt brevior, quia homines non inſtar beſtiarum a parte poſteriori, ſed per mutuum complexum coëunt: magnitudinem habet unius ſpithamæ in ætate virili atque figuram teretem, niſi in parte ſuperiori, quæ dorſum dicitur, ubi latior quodammodo eſt.

§. DIII.

Ratione ſuæ ſubſtantiæ neque oſſeus, uti in cane & lupis, neque ſemper rigidus, ita enim multum impedimenti crearet, neque cartilagineus, tunc non poſſet diſtendi, neque nerveus, qui non potuiſſet inflari, neque ex carnea ſubſtantia compoſitus, ſed plane peculiaris ſtructuræ & fabricæ, qualis in nulla alia corporis parte reperitur. Conſtat videlicet ex tribus folliculis cavis & cavernoſis, duobus majoribus & uno minori a Ruyschio nuper invento, Veteribus dictis corporibus nervoſis, quorum tertium minus ſub urethra latitans glandis corpus maxima ex parte conſtituit.

Scholion.

Corpora hæc cavernoſa oriuntur a parte inferiori oſſium pubis & inveſtiuntur propria membrana, faciunt præcipuum penis corpus, quod ad anteriora ſub corona glandis ſenſim imminutum glandiſque interiorem ſubſtantiam conſtituens definit.

§. DIV.

Corpora nervoſa cavernoſa ſunt, ſeu ex innumeris cellulis componuntur, quod vel ex eo patet, quia flatu per tubulum immiſſo, valde intumeſcunt. Replentur ordinario ſanguine & ab ejus affluxu intumeſcunt, quod fit in erectione penis, flacceſcunt vero ſanguine expreſſo & ad vaſa redeunte.

§. DV.

Ingrediuntur cavernulas has complures venæ & arteriæ, hæc ex cœliacis internis oriuntur, & in innumerabiles capillares venas dividuntur, quæ continuatæ conſtituunt tandem venulas: in his autem innumeræ cellulæ cavæ inter ſe communicantes dantur, quæ omnes ſe evacuant in magnam venam decurrentem per penis dorſum, quæ circa proſtatas dividitur in binos ramos, qui tandem in venas internas iliacas abeunt; venæ autem corporis cavernoſi minoris poſitæ ſunt circa muſculos acceleratores.

Scholion.

Valvulæ venis appoſitæ ſunt, quæ impediunt, quo minus

minus ſanguis ex ramis facile in truncum ſeu ramum pergat majorem. Tenent vero vaſa in dorſo penis hunc ordinem, & ſitum, ut venæ occupant medium, nervus, qui ex plexibus pelvis & nervo crurali & ultimo pari vertebrarum naſcitur, & arteria circa latera ſitum habent.

§. DVI.

Glandis eminentior pars vocatur corona, ubi copioſæ glandulæ minores adſunt, quibus ab impuro congreſſu venereum malignum miaſma facile ſeſe inſinuans permoleſtam exulceration efficitur.

§. DVII.

Tegitur glans capſula, quæ vocatur præputium, quod ex duplicatura cutis compoſitum; ejus terminus eſt in principio corporum nervoſorum & connectitur cum glande ope vinculi, quod dicitur frenulum.

§. DVIII.

Obſervantur in pene duo paria muſculorum; primum par ſumit originem ab oſſe coxendicis, cujus fibræ terminantur in membranam craſſiorem nerveam membri virilis & hoc ad erectionem membri multum facit; alterum par minus ab ani ſphinctere naſcitur, & hi duo muſculi invicem interne juncti obliquo gradu in inferiori parte urethræ excurrunt, pariterque terminantur in craſſorum corporum membranas & dicuntur urethræ dilatatores.

Scholion.

Graefius qui omnium optime de partibus generationi dicatis egit, hos muſculos recte ſcribit, minime efficere penis erectionem & turgeſcentiam, quippe quæ non tam expanſione muſculorum, ſed potius a ſanguinis affluxu & influxu in corpora cavernoſa majori eoque paulo diutius detento dependent; ſed tamen nil dubii eſt; quin etiam aliquid contribuant per indirectum quaſi ad ipſam excretionem, quia nempe expanſis & quaſi inflatis muſculis comprimuntur ſanguinis vaſa, quibus compreſſis non cito regreditur, ſed pauliſper moram nectens penem diſtendit. Falſum quoque eſt, muſculos breviores urethram dilatare, ſed potius illam adſtringunt & anguſtiorem reddunt. Nam quando muſculorum ventres increſcunt, intumeſcunt, quod fit in coitu, urethra comprimitur, quæ compreſſa ejicit ſemen.

§. DIX.

Urethra conſtat binis membranis, quarum una interna valde tenuis, ſenſibilis, qua etiam glans tegitur, exterior magis carnoſa ex fibris tranſverſis conflata, quæ ad ſeminis & urinæ expulſionem multum facit.

§. DX.

Conſtat quoque urethra ex cavernoſo corpore membranis interpoſitis, quod inter finem proſtatæ & unionem corporum nervoſorum valde craſſum, deinde gracilius fit; poſtea ad interiora penis rurſus craſſeſcit atque extrorſum flectitur, inque medio relinquit urethræ os apertum in glande, cujus ſuperficiem exteriorem ſpongioſam conſtituit.

§. DXI.

Urethra in cavitatem ſuam recipit ex glandulis Cowperianis confectum humorem blandum glutinoſum, præſertim ſi membrum flaccidum eſt, ut nempe ipſa membrana ejus nervea defendatur ab urinæ acrimonia.

§. DXII.

Externa glandis ſuperficies ſubtiliſſima tegitur membrana, ſub qua latitant nervoſæ admodum & ſenſibiles papillæ, quæ voluptatem excitant, ſub qua demum mirabilis celluloſa membrana deliteſcit, de qua videri poteſt Ruyschius *in Theſaur. Anatom. P. X. p.* 43.

§. DXIII.

Omnes penis partes ſunt admodum ſenſibilis naturæ, quare hæ ipſæ minime acria, calida ſpirituoſa, volatilia, ut olea aromatica vel ſpiritum vini rectificatum ferre poſſunt, ſed ingens inde excitatur dolor.

Conſideratio Medica & Chirurgica.

§. DXIV.

Iam. conſiderationem meretur. ſcroti & membri virilis tumor aquoſus ingentis magnitudinis a collectione aquæ intra duplicaturam tunicarum ſeu cutis & membranæ internæ, quod moleſtum ſæpius eſſe ſolet hypochondriacorum ſymptoma, quod non raro urinæ emiſſionem impedit.

§. DXV.

II. Scroti inflammatio, quam facile excipit ſphacelus, præſertim in corporibus cachecticis, hydropicis ab incauta paracentheſi inſtituta.

§. DXVI.

III. Puſtulæ inflammatoriæ ardentiſſimæ, quæ non modo ſcrotum ſed & penem invadunt nec ſine periculo ſunt in lue venerea affectis, & difficilioris curationis, ſi corpora ſimul ſunt ſcorbutica vel cachectica, & ſolet etiam eſſe ſoboles miaſmatis venerei, cujus maxima vis eſt lympham in coagulum valde corroſivum putridum cogere.

§. DXVII.

Penis inflammatio ſubinde evenit ex impuro concubitu, nec doloris nec periculi expers, interdum abit in abſceſſum atque exulcerationem.

§. DXVIII.

Glandis inflammatio non ſine crudeli dolore cum eroſione ſæpius juncta, & niſi malum probe præmuniatur, corruptio ſphaceloſa jungitur, & identidem fructus eſſe ſolet impurioris Veneris, vocatur etiam cancer penis der Schancker.

§. DXIX.

IV. Eroſio puſtuloſa & putrida fœtida a lento coagulo occupans locum, qui eſt inter præputium & glandis eminentiam ob glandulas ibi minimas copioſas ipſam inferiorem partem glandis cingentes a fermento ulceroſo & venereo eroſum.

§. DXX.

V. Tumor etiam inſignis cum dolore, inflammatione & rubore totum membrum occupat, quod identidem non raro fit in lue venerea infectis.

§. DXXI.

Excreſcentiæ carnis fungoſæ immo carnoſæ, ganglia, verrucæ, calloſitates duræ, & in corruptionem abeuntes corporibus lue venerea tactis, & ſimul ſcorbuticis & impuris præſertim, ſi mercurialibus non rite adminiſtratis & minus rite tractatæ fuerint, membri partes corporaque nervoſa urethræ occupare ſolent cum graviſſimis ſymtomatibus: dum eroſione &

& abſumtione vaſa partium aperiunt, humores concitant, urinæ liberum per urethram fluxum impediunt, canales fiſtuloſos & calloſos hinc inde efficiunt, per quos urina cum ichore effluit.

§. DXXII.

Verrucæ etiam ſeu fungoſæ excreſcentiæ non raro creſcunt in ipſa urethra, & urinæ liberum influxum impediendo magnas creant moleſtias, & non niſi cautiſſime & difficulter tolli vel cauteriis abſumi poſſunt.

§. DXXIII.

Penis rigiditas ſeu tenſio dolorifica omni voluptate carens fit in lue venerea, vel in ſcorbuto a ſpaſmo tunicarum, quæ corpora nervoſa inveſtiunt, unde ob contractionem ſpaſticam ſanguinis regreſſio per venas impeditur, & ita membrum manet inflatum.

§. DXXIV.

Præputium quoque varias afflictiones nobis offert, inter quas primo recenſenda eſt phimoſis, id eſt impedita præputii a glande detractio, quæ fit vel ob contractionem, & coarctationem, vel ob inſignem glandis tumorem, vel ob præputium per ſe mediante ligamento ſub glande arctius connexum, quemadmodum teſtatur Hildanus *Cent. III.* exemplis.

§. DXXV.

Paraphimoſis eſt glandis a præputio detracto denudatio, ut denuo nequeat retrahi, & ſæpius fit a præputii ſub violenta contentione a frenulo abrupti, & inflammatione tumefacti aut ulcuſculis virulentis obſeſſi, tumore.

§. DXXVI.

Defectus erectionis, qui affert impotentiam, naſcitur, vel a paralyſi muſculorum penem erigentium, vel ab affluxu ſanguinis propter nimis coarctata vaſa parciori, vel liquidi nervei influentis defectu, idque evenit in imbecillioribus ſenio vel morbo confectis, præſertim cacheċticis.

§. DXXVII.

Alia impotentiæ ſpecies a cauſis externis oritur, ſi nempe corpora nervoſa & muſculi membri exulcerationibus cancroſis, gangliis conſumta; ſi ob ſpaſmos dolorificos membrum ſuperius incurvatur, vel ob muſculorum abbreviationem deorſum flectitur.

§. DXXVIII.

Satyriaſis ſeu continuus ad Venerem ſtimulus proficiſcitur a ſemine valde acri, veſiculas ſeminales & ductus genitales valde ſtimulante, unde interdum intempeſtiva & præcox ſeminis fit ejectio, præſertim inſenſibilioribus & imbecillibus ſubjectis, qui affectus etiam ineptitudinem ad procreandum poſt ſe trahere ſolet.

§. DXXIX.

Hæmorrhagia penis eſt affectus quidem rarior, obſervatur tamen in plethoricis, ſique fluxus hæmorrhoidalis fuerit ſuppreſſus, & hinc ſtillat ſanguis vel ex urethræ orificio vel etiam ex extremitatibus præputii.

§. DXXX.

Vulnera inflicta membro, tam ob ſpongioſam corporum nervoſorum ſubſtantiam, curationem non facile ſuſcipiunt, & ob capaciora vaſa ſanguinea periculoſis hæmorrhagiis obnoxia. Occluſio urinæ a calculo ibi hærente minatur periculum, niſi arte tollatur, quod fit vel ſuctione vel inflatione in penem & compreſſione vel etiam ſectione prudenti.

CAPUT XIX.

De Partibus Genitalibus Mulierum.

§. DXXXI.

HÆ dividi ſolent in internas & externas; ex his præcipuum locum obtinet uterus, qui ſitum habet in cavitate, quæ dicitur pelvis, quæ in fœminis latior, quam in viris; nam in his os ſacrum magis extrorſum vergit, & os coccygis plus retrorſum redit, atque innominata oſſa magis a ſe invicem diſtant, ſimulque eminentiæ inferiores oſſis pubis identidem magis extrorſum feruntur.

§. DXXXII.

Uterus ſitum habet inter inteſtinum rectum, quod in parte poſtica eſt ſitum, & inter veſicam urinariam, quæ in anteriori parte locatur; unde notum eſt proverbium: inter ſtercus & urinam hominem naſci.

Scholion.

Notabile eſt, quod, licet tempore geſtationis mirifice extendatur, ejus tamen craſſities non extenuetur, hanc ob rationem, quia majori humorum affluxu in hoc ſtatu omnia ſupra modum fere expanſa ſunt, quod poſt partum non fit & in ipſis quoque virginibus.

§. DXXXIII.

Figura uteri eſt pyriformis, fundi ejus pars latior, collum anguſtius, & vaginæ propinquius: ratione magnitudinis in virginibus pyrum mediocre vix ſuperat, in gravidis vero valde increſcit atque primis menſibus ad veſicæ urinariæ magnitudinem accedit; poſtea ſucceſſive propter augmentum ſecundinarum & fœtus valde extenditur & maximam cavitatem acquirit.

§. DXXXIV.

In vetulis ita contrahitur, ut interna ejus cavitas vix fabam capere poſſit.

§. DXXXV.

Cavitas cervicis oblonga eſt & valde coarctata, orificium habet internum, quod propendet, ex textura valde compacta conſtat, in virginibus vix filum admittit, in parturientibus mirifice expanditur.

§. DXXXVI.

Uteri ſubſtantia tota fere eſt vaſculoſa & membranoſa atque fibroſa, & facile extenſibilis & elaſtica.

Scholion.

Nulla pars in toto fere corpore ex fibris & membranis tam elaſticis vaſiſque extenſibilibus & contractibilibus conſtat, quam uterus; mirabile enim & ſtupendum fere eſt, quod tam exiguum corpus a fœtu ſæpius duplici vel triplici & ſecundinis ejuſdem numeri ita poſſit extendi, ut commode hæc capere poſſit; poſt partum vero ita ſe rurſus contrahit, ut ſæpius intra paucum tempus priſtinam figuram ac magnitudinem recuperet.

§. DXXXVII.

§. DXXXVII.

Accipit uterus arterias ex ſpermaticis & hypogaſtricis, iliacis internis valde copioſis, quæ multis anaſtomoſibus inter ſe in plexus reticulares mirifice unitæ ſunt, quæ totum uteri ambitum ejuſque partes omnes perreptant.

§. DXXXVIII.

Hiſce inde arteriæ ex ramo iliaco externo in arcum flexæ ſurſum per inguina ex altis femoribus in pelvim erectæ, lateribuſque applicatæ accedunt.

Scholion.

Vaſa ſpermatica non tantum ad ovarium tendunt, ibique terminantur, ſed per alas veſpertilionum ad uteri fundum deſcendunt; hypogaſtrica vero vaſa magis ſanguinem ad interiorem uteri partem ejuſque collum atque vaginam deferunt. Horum vaſorum mutuæ anaſtomoſes & conjunctio, conſequenter mutua communicatio vel ex eo apparet, quod, cum inflantur vaſa ſpermatica, non modo tota uteri ſubſtantia etiam infletur, ſed & ipſa vaſa hypogaſtrica ſimul; & vice verſa flatus in hypochondria immiſſus pergit etiam ad ſpermatica eaque diſtendit.

§. DXXXIX.

Venæ, quæ eandem originem habent, nempe vel ſpermaticæ vel hypogaſtricæ, & pariter etiam omnes inter ſe communicant, ita ut una inflata omnes reliquæ inflentur, & ſanguis ex una per omnes redire queat.

Scholion.

Notatu maxime dignum circa fabricam uteri hoc eſt, quod vaſa per hanc partem tortuoſo implicato & pampiniformi ductu procedant, adeoque lentius ibi fiat ſanguinis circulus, ut vaſa a copioſiori ſanguinis influxu & tardiori reditu magis diſtendi & dilatari queant.

§. DXL.

Tortuoſa copioſiſſima vaſorum uteri flexura efficit, ut ſanguis in fœminarum corporibus, quæ ad ejus generationem valde proclivia ſunt, habeat diverticulum quoddam, & quia copioſior ſanguinis affuſio hæc vaſa plus, quam alia dilatat, & etiam minora, quæ ad cavum uteri feruntur, nimium implet, adeoque diſtendit, hinc fit, ut ſanguis ipſe in cavitate uteri ſingulis menſibus ſtillet, & os ejus lubricetur, laxetur, & ſanguis exeat, ſicque imminutio fiat ſanguinis cum maximo fœminarum emolumento.

Scholion.

Ob flexuram itaque vaſorum & ſerpentinum quaſi ductum ſanguis affluens ad uterum deſcendens, affluxuſque perpendicularem viam difficillime regreditur, hinc ob tardiorem curſum vaſorum uteri fit diſtenſio, tandemque apertio; nam experientia compertum eſt anatomica, circa id tempus, quo menſes fluunt, uterumque magis inturgeſcere, diſtentumque reperiri.

§. DXLI.

Ad generationem copioſioris ſanguinis in fœminis quam viris, multum conferre videtur earum laxior & ſpongioſior vaſorum & fibrarum habitus: omnia enim vaſa tam ſanguifera & lymphatica & adipoſa, tum membranæ omnes in fœminis longe laxiores & diſtenſibiles ſunt, quam in viris; unde non modo ob contractionem & reſiſtentiam debiliorem ſanguinis & humorum curſus ſegnior eſt, tranſpiratio debilior & calor & pulſus infirmior; hinc accumulantur humores, qui in viris a majori motu & calore reſolvuntur, & ita cavitates, vaſa, cellulæ facile humoribus & ſanguine replentur, hinc etiam plus pinguedinis in fœminis, quam in viris obſervatur, & uno verbo fœminæ præ viris magis ſunt plethoricæ, & ex plethora etiam, qui naſcuntur, morbis, plus ſunt obnoxiæ, quam ipſi viri, quod menſium negotium ſuppreſſum clare docet.

§. DXLII.

Utero annexi ſunt duo canales conici tortuoſi fundo uteri juncti, qui ob figuram vocantur tubæ, & quia a Fallopio inventæ ſunt, Fallopianæ dicuntur; longitudo eorum VI. circiter digitorum, & una extremitas valde anguſtata eſt, & in cavitatem hiat uteri, ſtilumque tenuem admittit; altera vero, quæ in abdomine, eſt amplior, & hæc multis fimbriis quaſi muſcularibus ornata & hæc ovario ſe applicat. Per has tubas in uterum devehi ovula ex ovario, eſt communis ſententia, & confirmatur maxime experientia, cum ſæpius in harum cavitate ovulum fuit repetum.

§. DXLIII.

Ex duplici membrana conſtant, quarum exterior cum peritonæo, interior continua eſt cum uteri ſubſtantia, & ſcatet in homine multo humore, in brutis vero habet multas cellulas, dicuntur in quadrupedibus cornua uteri, in avibus ovi ductus.

§. DXLIV.

Duo ovaria per ligamenta valida utero connectuntur, quæ corpora ſunt inæqualis ſuperficiei ſphærica membrana firma incluſa, quæ irrigantur arteriis ſpermaticis & hypogaſtricis quoque, quæ ante ingreſſum ita uniuntur, ut quaſi unum vas in reticulares plexus contextum conſtituere videantur: conſpiciuntur quoque ibi multa vaſa lymphatica, & ſæpius hydatides copioſe ibi reperiuntur, & horum corporum fabrica ex meris fibris, membranis & vaſis nervoſis contexta eſt, & reperiuntur ſub membrana veſiculæ ſphæricæ plures vel pauciores repletæ humore albugineo, qui etiam coctione in igne concreſcit non ſecus ac albumen; & veſiculæ hæ calice ſuo finibus minimorum vaſorum adhærent.

§. DXLV.

Conſtans fuit uſque eo ſententia, has veſiculas & bullulas vera ova eſſe, quibus rudimenta fœtus humani contineantur, quæ a ſpiritu genituræ virilis turgeſcant, membranamque ovarii extendant, ita, ut emineant & appendiculo ſuo pendeant, indeque ſeparata cicatricula quadam relicta recipiuntur a fimbriis muſculoſis tubarum Fallopianarum, ex quibus tubis ope fibrarum muſculoſarum ſenſim propellantur in uteri cavitatem.

§. DXLVI.

Hoc ovarium nonnulli inter recentiores jam vocare voluerunt in dubium & quidem ex hiſce rationibus, quia tubæ Fallopianæ plane non connectuntur cum ovario, ſed ejus extremitates duobus digitis diſtentæ; deinde iſta corpora, quæ vocantur ovarium, forti nervoſa membrana cincta ſunt, quæ quomodo citra dolorem, immo inflammationem & dilacerationem muſculorum etiam divelli & ovulum ex ea egredi & locus relictus tam cito conſolidari queat, non intelligi poteſt.

§. DXLVII.

Tertio utut variæ veſiculæ in iſtis corporibus contineantur, ubi coctione earum numerus concreſcit, tamen etiam ſimilibus veſiculis tota regio & annexæ partes ſcatent præſertim externæ, hinc in alis veſpertilionum, ligamentis rotundis item ſuper vaſa ſpermatica, in exteriori uteri membrana, ingens ſæpe numerus ejuſmodi veſicularum conſpicitur humore identidem per ignem concreſcente.

§. DXLVIII.

Quarto videtur potius horum corporum officium eſſe, ut fulcrum & ſuſtentaculum ſint vaſorum ſpermaticorum, quæ magno numero ad ipſum uterum tendunt, eique ſanguinem infundunt, eundemque revehunt, adeoque quaſi meſenterii vicem gerunt, atque idem officium, quo meſenterium fungitur, præſtent.

§. DXLIX.

Quinto non quidem prorſus negandum eſt interdum & ovulum & fœtum quoque inter canales ſeu tubas fuiſſe repertum; at vero ovulum ex utero longe facilius ad horum canalium cavitatem, quia intra uterum apertæ ſunt, potuiſſe penetrare, quam ex ovariis, quæ plane nullam connexionem habent cum iſtis tubis, huc deferri.

§. DL.

Sexto vaſa, quæ ad ovarium tendunt, minus recte ſpermatica vocanda ſunt, quia nempe non tanto numero & tanto ſanguinis affluxu opus eſt, ad minimum illa ovula humore replenda & irriganda; hinc alium uſum habeant neceſſe eſt, prorſus vero aliter ſe res habet cum ejuſmodi vaſis in viris, quæ, quia ad ſeparationem liquoris ſeminalis materiam copioſam adferunt, recte hinc ſpermatica vocantur.

§. DLI.

Septimo plane nec prorſus intelligi nec explicari commode poteſt, qua ratione ſpirituoſa ſubſtantia ſeminis virilis genituræ per ipſum uterum valde denſum, neque per alias vias, quæ nullam connexionem cum iſtis ſic dictis ovariis habent, penetrare ad ea integris ſuis & minus alteratis viribus poſſit, & ovulum intra hujus membranas contentum fœcundare.

§. DLII.

Aliud itaque ovarium quærendum videtur, quod hiſce difficultatibus non ſit obnoxium, & hoc ipſum etiam a ſapientiſſimo corporis noſtri architecto intra ipſum uterum, & quidem circa collum ejus interius fabrefactum, in omnibus ſubjectis fœmininis adoleſcentibus & ad concipiendum aptis.

§. DLIII.

Tunica ſubtiliori ablata nudis oculis clare conſpicitur, ita ut non una veſicula hic vel illic hæreat, ſed quam plurimæ racematim diſpoſitæ & calicibus ſuis adhærentes fibris uterinis conſpiciuntur.

Scholion.

Hæ veſiculæ jam dudum etiam ab aliis obſervatæ fuerunt, ſed pro hydatidibus habitæ ſunt nempe a Graeffio & Morgagnio pro glandulis liquidum glutinoſum ſecernentibus, ſed longe rectius congeries harum veſicularum pro vero ovario haberi dicitur, cujus ſententiæ primus auctor *Anatomicus Lipſienſis Dom.* Naboth, qui *in Diſſertatione de ſterilitate* 1707. *Lipſiæ impreſſa* ſatis egregiis documentis id demonſtrat. Nam ſi hydatides eſſent, non in omnibus ſubjectis tam in adultis ſanis & vegetis ea reperiri liceat, neque etiam in uno certo loco, ubi certo ordine & ſerie diſpoſitæ, eas videre poſſumus; minus etiam recte habentur pro glandulis ſecernentibus humorem; ingens enim differentia inter glandulas, quæ ſunt congeries vaſculorum & inter veſiculas humore repletas.

Conſideratio Pathologica.

§. DLIV.

Inter morbos, qui ex vitio internarum partium genitalium naſcuntur, primum fere locum occupant affectus acuti, inter quos primo loco poni debet inflammatio uteri partiumque adjacentium, quæ nunquam ſine febre & turbatione omnium actionum œconomiæ corporeæ contingit, & ex dolore, ardore circa regionem pubis cognoſcitur, & ſequitur plerumque ſanguinis excretionem ſolemnem & maxime in puerperis, quæ lochialis dicitur, ſuppreſſam propter varias cauſas, maxime ob admiſſionem aëris frigidi vel etiam animi affectum, præſertim terrorem, neque eſt ſine periculo, niſi ſtatim in principio opportunis auxiliis Medicus ſuccurrat, cujus generis ſunt venæ ſectio in pede & diaphoretica fixiora cum nitroſis mixta nec non infuſa diluentia & reſolventia.

§. DLV.

II. Uteri abſceſſus, quod plerumque fit ex inflammatione male curata, vel etiam ex ſanguinis menſtrui cohibitione ſubita, ſive per animi affectus, ſive per medicamenta adſtringentia aut frigus nimis acre admiſſum; contingit maxime in corporibus habitus ſpongioſi, ſucculenti, ſanguineis & cognoſcitur ex effluxu puris, rarior tamen hic affectus eſt & plerumque poſt ſe trahit hecticam lethalem.

§. DLVI.

III. Uteri exulceratio, ubi materia fœtida continuo exit, & hæc pro cauſa agnoſcit vel acrimoniam ſeri ſcorbuticam, vel impurum plerumque congreſſum a miaſmate virulento corroſivo putrido, in vaſis & glandulis uteri ſuſcepto, ſed tunc alia pejora ſymptomata juncta ſunt, & magna eroſio etiam cum dolore & ardore partium externarum ſimul adeſt; ſequuntur etiam ulcera uteri ex male tractata inflammatione, vel etiam abſceſſus poſt partum etiam laborioſum & puerperium fiunt, neglectis præſertim evacuantibus ſanguinemque depurantibus.

§. DLVII.

IV. Uteri ſcirrhus ſeu tumor ejus valde durus inſtar lapidis ſæpe tales hiſtoriæ legi poſſunt in *M. N. C. Dec. III. Anno VII. & IIX. obſ.* 152. *Dec. I. Anno IV. & V. obſ.* 56. *Dec. I. Anno IX. obſ.* 126. Gignitur ſæpius poſt inflammationem, vel per adſtringentia improvide uſurpata, vel etiam ab externo frigore; inſanabilem ſterilitatem poſt ſe trahit & valetudinem penitus infirmat.

§. DLVIII.

V. Uteri ingens tumor ſanguineus a viſcido nempe ſanguine, cum quo vaſa infarcta & repleta ſunt, & hic tumor ita ſæpius increſcit, ut imprægnationem æmuletur; ſucceſſu tamen temporis & medicamentis congruis adhibitis minuitur & tollitur. Obſervavimus ejuſmodi caſus a præpoſtero adſtringentium in nimio menſium profluvio uſu.

§. DLIX.

§. DLIX.

VI. Inſignes aquarum ſtagnationes & tumores occupant ſæpe ovaria & partes utero adjacentes qui a retrogrado ſanguinis admodum difficili per venas uteri & ſpermaticas etiam motu, & ſtagnatione in vaſis inflexis admodum oriuntur, ſecedente lympha in vaſa lymphatica, quæ valde diſtenta efformant magnas veſicas, quas Medici vocant hydatides, quæ ſi rumpantur, abdominis cavitatem ingenti aquarum copia replent; Italis hic morbus dicitur hydrops uteri, cujus exempla legi poſſunt apud Fallopium, Tulpium, ubi circa tubas Fallopianas ingentis magnitudinis tumores fuerunt reperti; item in *M. N. C. Dec. II. anno 2. obſ.* 195. *anno IX. obſ.* 196. Hardero *obſerv.* 87. Nuckio *in anatomicis curioſis*; Si aquæ exitus per uteri poroſam ſubſtantiam conceditur, quemadmodum interdum fieri ſolet, morbus eſt ſanabilis.

§. DLX.

VII. Uteri ruptura quæ non adeo etiam infrequens eſt difficili partu laborantibus, imo ex eo mortuis. Sic nos tria exempla notavimus, ubi a fœtu non excluſo mortuæ fuerunt parturientes, & abdomine aperto uterus ruptus fuit inventus; & dimidium infantis corpus cum pedibus in abdominis cavitate jacuit; poſſunt quoque legi ejuſmodi exempla apud Tulpium & alibi.

§. DLXI.

VIII. Uteri procidentia, quæ duplex eſt, altera valde frequens, altera rarior, immo rariſſima: Illa eſt, ſi tunica rugoſa uteri vaginæ & cum ea cervix & orificium internum uteri procidit, & prominet; altera eſt, quum fundus uteri inſtar chirothecæ invertitu, qualia exempla legimus apud Ruyschium *in Obſ. Anatom.* Diemerbroeckium & Manget in puerperis improvide tractatis, ſi ſecundinæ arctius adnatæ ſunt utero & obſtetrices violenter eas extrahere nituntur.

§. DLXII.

IX. Uteri præternaturalis occluſio anguſtiaque, quæ vel nativa eſt, vel aſcititia. In nativa membrana vaginam vel etiam internum uteri orificium craſſa occludit, quod neque ſemen admittit, vel menſium quandoque exitum recludit, & tunc ſanari poteſt apertione ſive inciſione: adſcititia vero plerumque fit a tumore duro cartilaginoſo intra tunicas vaginæ enato, qui etiam ſterilitatis cauſa eſt, quia ſemen non admitti in uterum poteſt. Interdum etiam ab exeſis & exulceratis vaginæ tunicis parietes & latera ejus invicem coaleſcunt & conglutinantur.

§. DLXIII.

X. Sterilitas, quæ frequens utique malum eſt, fœminas ceteroquin ſanas & vegetas infeſtans, cujus cauſæ tamen non una, ſed variæ, maxime vero, præter menſium inordinatum ſtatum & ſcirrhum uteri, nimia ejus laxitas circa uteri orificium internum ejuſque ſphincterem, quæ ipſum reſolvens & atonia afficiens impedit, quo minus ſemen recte immitti & retineri poſſit; quare etiam fluore albo correptæ ſæpius ſterilitate laborant, (balſamus peruvianus adhiberi poteſt ad inungendam partem affectam.) Alia ſterilitatis ſæpius cauſa eſt nimia pinguedo vel potius craſſities uteri, qua ejus expanſio non modo impeditur, ſed & inde fit, ut aura genituræ virilis non bene penetrare & ad ovaria accedere poſſit.

§. DLXIV.

XI. Ad morbos uterinos referri etiam debent molæ, quæ ſunt duplicis generis, aliæ extra uterum ejuſque cavitatem, vel ejus vaſa exiſtunt & inhærescunt tantum ſeu adnatæ ſunt exteriori & ſuperiori uteri parti, & nihil aliud ſunt, quam maſſæ & excreſcentiæ carneæ glanduloſæ ſeu fungoſæ peculiari folliculo membranaceo contentæ, ingentis ſæpe magnitudinis & vocari ſolent molæ nutritionis; aliæ vero intra uteri vaſa maxime generantur, & nihil aliud ſunt, quam concretiones fibrarum & membranarum ſanguineæ ſeu concretiones polypoſæ quædam & etiam carneam maſſam referunt, & pondere non facile ℔. excedunt & hæ vocari ſolent molæ generationis.

§. DLXIV. *

XII. Inter vitia uteri merito etiam referendus eſt abortus ſeu nimis præcox ante maturitatem ex utero ejectio, quæ varias habet cauſas; vel enim a convulſiva quadam uteri fundi remotione ea ipſa fit, vel a ſanguinis circulo per vaſa uteri impedito & nutrimenti fœtus defectu. Illa pro cauſa occaſionali maxime agnoſcit vehementiam affectus terroris maxime vel iræ, &c. item valde acria purgantia, emetica, vel etiam venena, quæ in ſpaſmos & convulſiones uterum conjicere poſſunt aſſumta; atque etiam perſonis ſenſibilioribus ſubinde hæc vitia familiaria ſunt; vel abortus præcipuæ cauſæ ſunt ſanguis in venis uteri ſtagnans ob molas ſeu polypoſas concretiones ibi hærentes; quæ liberum ſanguinis reditum dum impediunt, hæmorrhagias immoderatas efficiunt, quæ plerumque prodromi ſunt abortus; hinc tertio ob deficiens nutrimentum fœtus ſequitur expulſio. Nulla enim pars in univerſo corpore eſt ſexus fœminini, quæ varicoſis tumoribus tam obnoxia eſt, quam ipſe uterus propter vaſa uterina maxime convoluta & inflexa, quæ liberum ſanguinis tranſitum cum impediant, ad expanſiones non tantum vaſorum, ſed & ad polyporum concretionem plurimum conferunt.

§. DLXV.

XIII. Ex morbis, qui uteri vitium pro cauſa agnoſcunt, primum fere locum obtinent menſium inordinatus fluxus, qui gravium affectuum ſpaſticorum non minus, quam cachexiæ cauſam atque originem ſuppeditat, quibus ſubinde ſequior ſexus graviter affligitur. Conſiſtunt vero hæc menſium vitia vel in totali eorum emanſione, vel inſufficientia aut per aliquot menſes ſuppreſſione, vel in eorum immodica effluxione vehementiori vel etiam crebriori; quæ omnia vitia liberiori ſanguinis per uteri vaſa impeditæ circulationi debentur; dum vel prima ætate ob vaſorum anguſtiam ſanguinis ſufficiens copia ad hanc partem ferri nequeat; vel etiam ſi ſanguis ipſe deficiat, aut ſi ſpaſmo ipſa uteri ſubſtantia vaſculoſa & muſculoſa fortiter ſit conſtricta, quod fit ſæpius a terrore improviſo circa inſtans menſium tempus, a medicamentis adſtringentibus improvide adhibitis, a nimio frigore ad partes inferiores infimi ventris admiſſo; vel etiam cauſa eſt nimia ſanguinis craſſities, & motus ſegnities, qualis maxime fit ex vita ſedentaria, acidorum & frigidorum alimentorum abuſu. Nimius vero fluxus ſi crebrius invadit, & chronicus eſt, plerumque pro cauſa agnoſcit varicoſam uteri ſubſtantiam ſeu ſanguinis grumoſi ſtagnationes vel polypoſa concrementa intra venas.

§. DLXVI.

XIV. Hyſterica paſſio quæ dicitur, & familiariſſima fœminis conſiſtit maxime in ſpaſmo violentiori generis nervoſi, maxime ventriculi & inteſtinorum & earundem quoque ſuccedente nimia atonia, quæ flatulentiarum genitrix eſt, & graviſſimis ſymptomatibus

matibus ſtipatur & cauſam ſuam plerumque poſitam habet in menſium negotio non rite ſuccedente.

§. DLXVII.

XV. Menſium totalis emanſio fit in fœminis annoſioribus circa annum 50, plerumque ubi hic fluxus ex toto ceſſat, & fit maxime eam ob cauſam, quia ſub ætate provectiori fibrarum fit durities atque craſſities, tubulorumque uterinorum, qui ſanguinem vehunt, anguſtia vel potius occluſio, ut non amplius ſanguis in tanta copia ut antea per hoc viſcus ferri poſſit.

SECTIO II.

DE VENTRE MEDIO.

CAPUT I.

De Diaphragmate.

§. DLXVIII.

Diaphragma ſeu ſeptum intermedium ſeu transverſum dicitur, quoniam thoracem ſeu medium ventrem dividit, ſeparat ab infimo ventre ſeu abdomine, & eſt pars valde muſculoſa & tendinoſa, orbicularis, figura verſus thoracem convexa & verſus abdomen concava, cujus pars anterior altior, poſterior vero declivior eſt.

§. DLXIX.

Diaphragma compoſitum eſt ex duobus muſculis nempe ſuperiori & inferiori; ſuperior eſt figuræ orbicularis, ſubſtantiæ tenuis, fibris a ſuperficie ad centrum tendentibus muſculoſis, ubi in medio nempe tendines conveniunt & partem tendinoſam ſeu centrum nerveum quod dicitur a veteribus, conſtituunt; inferior vero exilior eſt & craſſior, jacetque ad dorſum & duobus proceſſibus conſtat cum tendinibus, quorum dexter longior vertebræ primæ lumborum ſecundæ & tertiæ adhæret; ſiniſter vero brevior terminatur in primam lumborum vertebram.

§. DLXX.

Anterior diaphragmatis muſculus connectitur cum ſterno & cartilagine enſiformi, item coſtis ſpuriis; poſterior vero in lumborum vertebras protenditur & connectitur iis, ſicut jam dictum: coit ejus extrema pars, ut probe notavit Vesalius & Morgagni cum obliquo adſcendente & longe magis adhuc cum transverſo muſculo abdominis.

§. DLXXI.

Firmiter quoque diaphragma in thorace eſt annexum pericardio & mediante eo cordi circa cartilaginem enſiformem, ne vaſtiſſimi molis hepar diaphragma ad interiora trahat, in æquilibrio quodammodo detinetur & verſus ſuperiora trahitur per pericardium.

§. DLXXII.

Firmiter quoque connexum eſt hoc ſeptum per validam membranam hepati, ejuſque vaſis, venæ nempe cavæ hepatis, & trunco hujus venæ aſcendenti, a quo etiam hæc vaſa caute debent ſeparari, & vinculo prius ligari, ne gravis ſanguinis profuſio dexteritati anatomicæ obſit. Adhæret vero diaphragmatis tendinoſæ parti valida ſatis membrana & ſuperficie admodum lata. Quare autem diaphragmatis motu, dum vel deſcendit verſus abdomen in inſpiratione, vel verſus thoracem in exſpiratione aſcendit, hepar ſimul ſurſum & deorſum movetur, qui motus maxime ſecretioni bilis & transgreſſui per venam portæ & venam cavam ad cor velificatur.

§. DLXXIII.

Diaphragma duplici membrana veſtitur; in parte ea, quæ verſus thoracem ſpectat pleura, quæ verſus abdomen peritonæo, a quo primam tunicam accipit, & hinc fit, ut quando ſpaſmodice illud trahitur, peritonæum etiam ob conſenſum retrahatur, & cum eo viſcera omnia inferioris ventris & hæc contractio in morbis malam edit prognoſin.

§. DLXXIV.

Subjacent quoque diaphragmati & ipſi veluti ſubſtratæ ſunt renes & lien, unde diaphragmate ab ipſis coſtis ſpuriis ſeparato, renes, qui ipſi incumbunt, ſimul ex ſitu ſuo turbantur; quo fit ut in inſpiratione, ſanguinis fluxus per renes etiam & inde dependens urinæ ſecretio promoveatur: ſimili modo etiam lien auctiori diaphragmatis motu ſuccutitur, quod non parum quoque ad promtiorem ſanguinis tranſitum per hoc viſcus mere vaſculoſum confert.

§. DLXXV.

Subjacet porro diaphragmati ventriculus cujus ſiniſtrum orificium firmiter ejus muſculo inferiori annexum eſt, quare diſtento valde ventriculo flatibus, diaphragmatis liber motus impeditur, ſpiratio fit valde anxia & difficilis, ſæpe ad ſuffocationis uſque metum, quod ſymptoma & hypochondriacis & hyſtericis fœminis familiariſſimum eſſe ſolet.

§. DLXXVI.

Tranſit per diaphragmatis muſculos primo vena cava ex hepate emergens in dextro latere per tendinoſam & nerveam ejus partem, tranſit quoque œſophagus, ſed non ut depingitur a Veslingio & Bartholino per ejus partem tendinoſam, ſed muſculoſam, & quidem ſuperius per proceſſus muſculi inferioris; cum œſophago ſimul deſcendunt nervi ex pari vago & intercoſtali ad ventriculum. Ductus porro thoracicus, arteria aorta, vena azygos & par vagum cum ramo intercoſtali non proprie perforant diaphragma, ſed inter duo capita muſculi inferioris proceſſus transmittuntur.

§. DLXXVII.

Inſtructum eſt diaphragma vaſis ſanguiferis variis & nervis quoque; nervi duplicis ſunt generis, vel etiam duo ſatis inſignes abeunt ad diaphragma & oriuntur ex tertia, quarta & quinta colli vertebra, ex quibus tres ſurculi emittuntur, poſtea invicem coeunt & per collum & pericardium feruntur ad diaphragma ac per ejus ſubſtantiam muſculoſam & tendineam per varios ramulos propagantur. Poſtea etiam diaphragma recipit nervos ſed minoris magnitudinis ex pari vago & intercoſtali; qui nervi majores muſculo huic maxime robur & motum, qui ad reſpirationem neceſſarius eſt, largiuntur, atque hanc in rem notum eſt experimentum Bellini, qui in cane vivo aperto thorace poſt ſternum abſciſſum obſervavit, ſi nervi hi ligentur inſigniores vel comprimantur digito, omnis motûs diaphragmatis ſimul & ſemel concidat, ſi vero ſublatis digitis vel ligatura fluidi nervei liber affluxus rurſus fiat, ſtatim incipit diaphragma moveri & attolli. Et quoniam nervi hi phrenici oriuntur ex vertebris colli, jam facile ratio patet, quare ſub aſthmate flatulento vel etiam ſpaſmodico in

brachiis dolor vel difficilis motus obſervetur, & in cervice quoque impedimentum motus. Nam cervicales hi rami abeunt etiam ad brachia, quin imo ſi brachia infeſtat tumor vel inflammatio aut vehemens dolor, reſpirandi anguſtia & difficultas ſequitur.

§. DLXXVIII.

Inſtruitur etiam diaphragma arteriis & venis duplicis generis ex aorta arteria & vena cava, tranſit ramus ad diaphragma, & totam ejus ſubſtantiam inveſtit: ſuperius vero ex mammariis circa cartilaginem enſiformen rami arteriarum & venarum immittuntur, quos primus detexit VERHEYEN *in Anatomia ſua.*

§. DLXXIX.

Notandum præterea eſt, quod diaphragmatis convexa pars thoracem, concava vero abdomen reſpiciat, & error eſt diaphragma in inſpiratione verſus viſcera convexum & circa abdomen concavum fieri. Docet enim experientia per ſectiones vivorum animalium, convexitatem ejus in inſpiratione in planitiem deduci, qua ejus latera una cum annexis coſtis extrorſum & antrorſum moventur, atque hinc etiam neceſſario extrorſum atque deorſum deſcendunt abdominis muſculi, & omnia viſcera diaphragmati annexa; in exſpiratione vero ipſum fit convexum, dum coſtæ aſcendunt & ita ſurſum cogitur abdomen, quod amplius fit, thorax vero anguſtior.

§. DLXXX.

Præcipuum vero diaphragmatis munus eſt, ut beneficio muſculorum intercoſtalium & elevatarum coſtarum thoracem elevet, ſimulque eundem conſtringat atque coarctet. Active vero ſe magis exſerit hic muſculus in exſpiratione; in inſpiratione vero magis paſſive: ſub hoc actu inſpirationis & exſpirationis ſeu depreſſionis & elevationis diaphragmatis, thoracis, & abdominis, mirifice promoventur motus ſanguinis, chyli, lymphæ, per ductum thoracicum, arteriam aortam & venam cavam. Promovetur inde quoque liber ſanguinis curſus per hepar & interruptus per lienem, facilitaturque quoque ſic ſecretio urinæ per renes, adjuvatur ſimul diaphragmatis motu propulſio contentorum ex ventriculo & inteſtinis; ad rejectionem per vomitum multum etiam facit conſtrictio diaphragmatis. Porro nec fæcum emiſſio, nec urinæ expulſio, neque fœtus aut ſecundinarum ex utero excretio ſine inſpiratione & actione diaphragmatis commode fieri poteſt.

Conſideratio Pathologica.

§. DLXXXI.

Inter morbos acutos, qui diaphragma afficiunt, eminet I. ejus inflammatio, quæ ex febre continua, ſingultu, reſpiratione anxia & dolore in reſpirando cognoſcitur; rarior tamen affectus eſt, vocari ſolet græce paraphrenitis; poteſt etiam ſupervenire hæc inflammatio vulneribus diaphragmatis.

§. DLXXXII.

II. Diaphragmatis ſpaſmus, qui fit cum moleſtiſſimo circa præcordia & coſtas ſpurias ſenſu, ſummaque ſpirandi difficultate, valdeque familiaris eſt hypochondriaco ſic dicto malo laborantibus. Jungitur frequentius cardialgiæ, item ſolenne fere ſymptoma eſt veneni aſſumti corroſivi & effectus; quo ſpaſmo ſurſum detinetur diaphragma ejuſque ad inferiora deſcenſus & reductio ad planitiem impeditur: hinc dilatatione thoracis ſic præpedita pulmones cum ejus vaſis non poſſunt rite expandi, & ſanguis libere ferri; hinc oritur maxima anxietas atque inquietudo, hyſtericis quoque fœminis familiariſſimum eſt ſymptoma. Ejuſmodi ſpaſmus vehementiſſimus imo lethalis ſæpiſſime fit a diaphragmate vulnerato; ſi nempe ejus ſubſtantia tendinoſa nervoſa perforetur; vel etiam ipſa ſubſtantia diaphragmatis ſecundum longitudinem & planitiem inſtrumento lædatur & quaſi contundatur; vel etiam ſi vehemens ejus contuſio fiat a forti ictu circa cartilaginem enſiformem.

§. DLXXXIII.

III. Aſthma flatulentum quod dicitur, eſt quoque morbus diaphragmatis, ubi a ventriculo flatibus diſtento ejus deſcenſio impeditur, conſequenter thorax non poteſt ampliari, per pulmonum quoque vaſa ſanguis libere circulari; hinc ſumma anguſtia, anxietas cum ægerrima ſpiratione ſequitur; eſt malum hypochondriacis & hyſtericis familiare, ſolvitur ructibus & flatibus.

§. DLXXXIV.

IV. Singultus huc etiam referendus; & quamvis cauſa plerumque hæreat in cavitate vel etiam ſubſtantia ventriculi, & orificium ejus ſiniſtrum ambiant proceſſus muſculi inferioris diaphragmatis, facile patet affecto ventriculo & ſpaſmo correpto in conſenſum quoque trahi ipſum diaphragma, ita tamen ut convulſio hujus muſculi fiat, quæ in violenta atque involuntaria ejus conſtrictione & dilatatione & ſubſequenti vehementi inſpiratione & exſpiratione conſiſtit.

§. DLXXXV.

V. Dolor acerbus in diaphragma etiam incidit cum vel a ſanguine aut ſero extravaſato, aut empyemate aperto ſeu pure ſtagnante in thoracis cavitate, proceſſus diaphragmatis, qui lumborum vertebris inhæret, mole vel etiam acrimonia violenter diſtenditur, comprimitur, irritatur, unde ſequitur dolor vehemens circa regionem lumborum cum reſpiratione anxia & anxietate, eſt dolor valde auctus & rei anatomicæ ignaris calculi renalis præſentiam imponit.

§. DLXXXVI.

Quod attinet ad diaphragmatis læſiones & vulnerationes. I. Ejus contuſio vehementior, quæ fit circa cartilaginem enſiformem, cui connectitur, & cui etiam in propinquo eſt ipſum cor, plerumque eſt funeſti eventus. Pluribus exemplis & obſervationibus anatomico-chirurgicis id ipſum teſtantur auctores, qua de re legi poteſt BOHNIUS in *Libro de renunciatione vulnerum.*

§. DLXXXVII.

II. Contuſio etiam ſi fit cum inſtrumento non adeo acuto, quod ipſam ſubſtantiam diaphragmatis muſculoſo-nerveam afficit, cum v. g. gladio inter coſtas introducto ipſa ſubſtantia ſine perforatione facta læditur, non raro lethalitatem infert.

§. DLXXXVIII.

III. Vulnera diaphragmatis illud perforantia in tendinoſo-nervea ejus parte, quæ maxime ejus centrum conſtituit, ſæpe lethalia fuerunt obſervata propter ſpaſmum non modo hujus partis vitalis vehementiſſimum, ſed & quod nulla conſolidatio ibi locum invenire poſſit, facileque inflammatio & ſphacelatio in hiſce partibus ſuccedat; in parte vero muſculoſa craſſiori carnea, quæ annexa eſt ſterno & coſtis vulnera

nera ſi conſiſtunt, licet periculi non ſint expertia, tamen non per ſe lethalia exiſtunt, ſed ſi negliguntur, facile necari poſſunt inflammatione ſuperveniente.

§. DLXXXIX.

Diaphragmatis muſculus ejuſque maxime inferior pars, quæ vertebris dorſalibus annexa eſt, extravaſationi aquæ in thorace vel etiam puris in empyemate pulmonum aperto ſubjicitur, & inde oppreſſura ac diſtenſione non modo dolore ſatis gravi & acuto, fixoque ſed & ſpaſmis violentis inde ſubortis afficitur, ut ſuffocatio ſæpe ſubſequatur.

CAPUT II.

De Pulmone.

§. DXC.

Inter viſcera corporis noſtri vaſtiſſima pulmo principem fere locum obtinet, adeo, ut in inſpiratione diſtentus ſpatia repleat in thorace fere omnia. Dividitur in dextrum & ſiniſtrum lobum, quorum uterque rurſus in duos lobos diſpeſcitur; ſuperior pars pulmonum magis eſt convexa, inferior autem, quæ ad dorſum ſpectat, magis concava eſt. Hunc lobum dextrum & ſiniſtrum diſtinguit ipſum mediaſtinum, quod membrana eſt ſterno firmiter annexa, multa pinguedine obſita.

§. DXCI.

Eſt quoque connexio pulmonis notanda. Primo enim annectitur aſperæ arteriæ & per hanc ipſi œſophago & vertebris colli; connectitur quoque cum ipſo corde per arteriam & venam pulmonalem; cum diaphragmate per pericardium & mediaſtinum; cum ipſo ſterno, cum coſtis veris præſertim ſecunda, tertia & quarta in uno vel utroque latere mediante Pleura, beneficio tractuum nervoſorum & fibroſorum.

§. DXCII.

Conſtat pulmonis ſubſtantia ex meris vaſis & membranaceis veſiculis, quæ vaſa & veſiculæ membrana quadam continua invicem connectuntur, & qua etiam pulmo externe cingitur ſatis ſolida, nec pervia, ut vulgaris eſt opinio: ſiquidem flatus immiſſus in pulmonem per hanc membranam externam non tranſit, ſed per vaſa ſanguifera.

§. DXCIII.

Subſtantia pulmonis vaſculoſa originem ſuam ducit ex arteria aſpera, item arteria & vena pulmonali. Aſpera arteria diſtribuitur per totum corpus pulmonum, per eorumque minima propagatur. Nam dividitur ſtatim in principio in duos ramos majores, dextrum & ſiniſtrum, poſtea hi rurſus abeunt in aliquot ramos horum, & quodvis horum in innumerabiles; tandem vero deſinunt in plures membranaceas lamellas, quæ orbiculatim per fibras muſculoſas colligatæ, aereos tubulos ſeu veſiculas conſtituunt, quorum talis connexio eſt, ut ex aſpera arteria in has & rurſus ex quavis in alteram pateat tranſitus. Quamdiu vero ipſa arteria aſpera in innumeros ramulos diviſa nondum in veſiculas membranaceas degenerat, nomen habet bronchiorum.

§. DXCIV.

Veſiculæ hæ aëreæ ex fibris carneis & nervoſis conſtructæ retiformi vaſorum plexu cinguntur, atque eorum interſtitia vaſa quoque ſanguinea, fibræque carneæ & nerveæ replent.

§. DXCV.

Rami arteriæ aſperæ, quæ bronchia dicuntur & ex lamellis cartilaginoſis orbiculatim diſpoſitis conſtant, interius veſtiuntur tunica villoſa ſeu potius glanduloſa, minimis & inſtar milii glandulis in quibuſdam locis obſita, quæ glandulæ & tunica glanduloſa perpetuo plorant humorem, qui quo minus ab aëre ſicco & elaſtico exſiccetur, hoc membranaceum viſcus impedit, & ob hunc humorem bronchia pulmonum ſemper ſunt repleta hoc ore quodam viſcoſo; & hic humor per aërem, qui eum recipit in poros ſuos ſub forma vaporis exſpiratione educitur, quare etiam pulmo organi ſecretorii & excretorii vices gerit.

§. DXCVI.

Quidam exiſtimant in ſano homine intra diem & noctem ℔j humoris in exſpiratione in auras ejici. Vaſa ſanguinea quæ cingunt veſicularem pulmonum ſubſtantiam ſunt duplicis generis; alterum eſt arterioſum, alterum venoſum. Illud arteria pulmonalis, hoc vena pulmonalis dicitur. Arteria ex ventriculo cordis dextro ſanguinem adducit, vena vero a pulmone ad ſiniſtrum cordis ſinum, & quidem ad ejus auriculam reducit. Innumerabiles vero hæc vaſa ramificationes a ſe ſpargunt ad veſiculas membranaceas, ubi tortuoſo admodum flexu procedunt, invicemque contortæ atque implicatæ ſunt, unde opus eſt, ut in inſpiratione expandantur; quo eo liberior ſanguinis curſus & iter fieri queat, cum ejus progreſſus per inflexas & implicatas ramificationes valde ſit difficilis.

§. DXCVII.

Talis vero eſt ſtructura venæ & arteriæ pulmonalis, ut inferiorem aſperæ arteriæ regionem vena, ſuperiorem vero ejus arteria pulmonalis ambiat, atque adeo ramificationes arteriæ aſperæ inter ramificationes arteriæ & venæ pulmonalis medium fere occupent locum.

§. DXCVIII.

Habet vero pulmo præter hæc magna vaſa adhuc quædam propria & peculiaria, quæ ejus nutritioni ſerviunt, & dicuntur bronchialia, quorum unum eſt arteria, altera vena. Arteria Galeni temporibus jam innotuit & Marchettis etiam obſervavit, hanc poſtea neglectam in lucem quaſi revocavit Ruyschius. Ejus principium eſt ex trunco arteriæ magnæ deſcendentis, ſupra exortum arteriarum intercoſtalium inferiorum. Dividitur in tres ramos, quorum unus decurrit externe ſupra arteriam aſperam, reliqui duo abeunt cum ramificationibus aſperæ arteriæ per totam pulmonum ſubſtantiam ejuſque membranas.

§. DXCIX.

Dantur quoque venæ bronchiales, quas Ruyschius non invenit, demonſtrari tamen poſſunt & fecit id maxime Paulli, *qui ſcripſit commentarium in Hornii anatomiam*; nam cum perpetui venæ ſoleant eſſe comites arteriarum, hinc eandem cum arteriis etiam habent diſtributionem: Hæc vaſa advehunt ſuccum nutritium ad vaſorum tam bronchialium quam ſanguiferorum & maxime membranarum ſubſtantiam nutriendam, non ſecus ac arteria hepatica, parenchymatis

matis hujus partes nutrit & uti ſanguis in hepate per Venam Portæ & Cavam tranſiens non vacat nutritioni, ita etiam id fit in pulmone ſanguine nempe ex arteria in venam pulmonalem tranſmiſſo.

§. DC.

Non vero tantum vaſis ſanguiferis inſtructus eſt pulmo, ſed & nervos quam plurimos & ex his multas propagines admittunt, qui a plexu thoracis paris vagi & intercoſtalis delati ad pulmones una cum vaſis ſanguiferis per totam illorum compagem diſtribuuntur, & non modo bronchiorum ductus, ſed & tubulos quoque arterioſos & venoſos aſſequuntur, & ſurculis quaquaverſum emiſſis hæc vaſa ſuperſcandunt & cingunt ac quaſi ligant. Præterea nervi ſtomachici intra duplicaturam mediaſtini decem ſurculos in pulmones emittunt, unde etiam pulmonum & ventriculi ſeu potius aſperæ arteriæ & ventriculi profluit conſenſus.

§. DCI.

Denique pulmonum corpus copia etiam vaſorum lymphaticorum, quæ exterius per ejus membranam feruntur, inſtructum eſt, quemadmodum NUCKIUS eorum delineationem in *Adenographia* ſua optime exhibuit.

§. DCII.

Quod attinet ad uſum & officia pulmonum, id certe valde eximium & ad conſervationem vitæ præcipuum ſummeque neceſſarium eſt. Recte dicitur reſpirationem & vitam pari paſſu ambulare; ſiquidem ſublata reſpiratione, quæ in expanſione & coarctatione thoracis pulmonumque conſiſtit, cujus beneficio aer immittitur & emittitur, vitam tolli neceſſe eſt. Pulmones enim ſunt illud viſcus, cujus beneficio circulatio ſeu motus progreſſivus ſanguinis & humorum in orbem abiens perficitur: Nequit tamen ſanguis ex uno ventriculo in alterum & ex vaſe magno venoſo in vas magnum arterioſum transfundi, niſi prius per pulmones tranſitus fiat, quod evenit maxime in hominibus extra uterum vivente. Quamdiu enim fœtus degit in utero, pulmones uſu atque officio ſuo vacant, & per peculiares canales, canalem nempe arterioſum & foramen ovale, ſanguinis maſſa ex dextro cordis ſinu directa & breviſſima via tendit ad ſiniſtrum; in homine vero nato, dum ab aëre incumbente gravi & admiſſo pulmonum corpus expanditur, aliud iter ac curſum mox ipſe ſanguis conficit, ſucceſſive iſtis prioribus canalibus anguſtatis & clauſis.

§. DCIII.

Quapropter probe diſtinguendum eſt inter circulationem ſanguinis majorem & minorem. Major, quæ per Venam cavam & arteriam magnam fit, ſalva perſiſtere nequit ſine circulatione minori, quæ fit ex arteria pulmonali in venam pulmonalem per ſubſtantiam pulmonum. Hac itaque intercepta neceſſe eſt vitam perire, cujus cauſa circulatio illa, quæ per totum corpus fit.

§. DCIV.

Quando itaque ſanguis per pulmonum innumerabiles ramificationes tranſit, quæ in reſpiratione attolluntur, tunc 1. ſanguis valde atteritur, & attritione mutua dividitur, attenuatur, & ſubtilior ac fluidior redditur; cum nempe motu hoc tranſpreſſorio per myriades canalium minimorum in tenuiſſimos globulos ſolidæ ſanguinis partes oleoſo-humidæ terreſtres diſſolvuntur. Quare etiam conſtans & perpetua eſt obſervatio, ſanguinem tenuiorem & fluidiorem ex pulmonibus in ſiniſtrum ventriculum tranſire, quam ingreſſus ille fuerit ex dextro ventriculo in pulmones.

§. DCV.

2. Sanguinis motus per pulmonum corpus mere vaſculoſum facit etiam ad intimam unionem & mixtionem, non modo ſeri & lymphæ, ſed & chyli cum ſanguine: Quare nullum dubium eſt, quod pulmones præcipuum ſibi vindicent locum ad ſanguificationis negotium. Motu enim hoc attritivo, qui fit partium humidarum cum ſolidis, conquaſſatione horum in vaſis, adeoque etiam chylus cum ſanguine intime tunc miſcetur, quæ mixtio ad ſanguinis naturam & indolem aſſumendam ſumme neceſſaria eſt.

§. DCVI.

Denique ad vitam conſervandam maxime hoc viſcus facit, cum aëris fluidum cum ſanguine & fluidis partibus ſeſe magis quam cum ſolidis communicat, quæ fluidi hujus elaſtici ſubtilioris communicatio vitæ neceſſaria & utiliſſima eſt; aëris enim ingreſſus in pulmones & regreſſus non tantummodo hunc habet uſum ut expandat & explicet intortôrum vaſorum pulmonalium contextum, quo liberius ſanguis per hæc meare queat, atque aër egrediens copioſas humiditates ex bronchiis pulmonum & arteria aſpera evehat, ſed præterea nobiliorem adhuc habet uſum, dum æthream, elaſticam & ſubtiliorem ejus partem, quæ inteſtinæ motionis & caloris cauſa eſt, communicat.

§. DCVII.

Aër vero inſpiratus variis modis ſeſe cum humoribus & partibus ſolidis miſcens & uniens magnam utilitatem præſtat corpori 1. enim materia illaætherea agiliſſima, quæ caloris effectrix eſt, in aëre per inſpirationem cum ſanguine in pulmonum vaſis detento, communicatur, dum experimentis phyſicis & maxime thermometris conſtat, ab aëre externo calido majus ſpatium & rarefactionem liquores intra tubos vitreos contentos acquirere; ætherea ſubtiliori materia per vitri ſolidi poros etiam tranſeunte; quidni etiam tranſeat per membranas vaſorum pulmonalium, quæ rarefaciendo & motum inteſtinum ſanguinis partium inſignem alterationem in textura humorum eorumque motu efficit; aër inſpiratus ſi nimis humidus ſeu vaporibus aqueis repletus, tunc quidem non materialiter intrat per poros vaſorum in humores, ſed ipſas fibras nerveo-membranaceas veſicularum pulmonalium, nec non vaſorum pulmonis nimium relaxat, earumque tonum, robur, & potentiam motricem infringit, atque imminuit; hinc fit, ut ſi quis in aëre humido diu verſetur, qualis eſt in autumno, ſique diutius regnant venti occidentales, tuſſes naſci humidas & multum phlegmatis craſſi tuſſi e pulmonibus educitur, & univerſum quoque corpus ejuſque actiones, animum quoque vigorem ſuum amittere, tranſpirationem quoque impeditiorem reddi. Serenus vero, purus & frigidior aër expanſiva virtute & elaſtica qua donatus eſt, dum robur & tonum fibris membranaceis pulmonum & vaſorum reſtituit, non modo circulum ſanguinis per pulmonum corpus liberiorem & expeditiorem reddit, ſed & totius corporis actiones vegetiores efficit.

§. DCVIII.

Quod vero aër inſpiratus non modo in ſolidas pulmonum partes agat, ſed & materialiter influat, ſeu materiam quandam ſubtiliorem cum ſanguine in pulmonum vaſis contento communicet, plura habemus id confirmantia argumenta. 1. Obſervamus enim contagium

tagium ſeu miaſma peſte, variolis & aliis morbis contagioſis infectorum hominum per inſpirationem ejuſmodi aëris miaſmate imbuti cum corporis ſuccis communicari, ubi tamen non negandum mediante ſaliva in ventriculum quidpiam de miaſmate deſcendere.

§. DCIX.

2. Notum eſt, quod aër fumo ſulphuris vulgaris vel etiam carbonum vivorum valde repletus ſubitam necem omnibus animantibus & homini quoque inferat, non quidem intercipiat circulum ſanguinis per pulmones & ita ſuffocationem efficiat, ſed quod celeriter ſtuporem inſerat & omnium fere ſenſuum tam internorum quam externorum imminutionem & abolitionem efficiat, ac narcoſin inferat. 3. Notabile eſt, quod aër, licet valde ſit compreſſus vel etiam aqueis vaporibus aut effluviis ſalinis ſubtilioribus imbutus ac ſaturatus homini vel animantibus non inferat necem; ſi vero vapore vel fumo ſulphuris vulgaris aut carbonum ardentium vel aliis ſulphureis effluviis, præſertim quæ ex fermentatione muſti aut cereviſiæ recentium oriuntur, refertus ſit, utique facile animantia interficere poſſit, inventis, quod obſervationem meretur, pulmonibus admodum inflatis. Nulla hic alia ratio dari poterit, quam quod vapor penetrantiſſimus, qui eſt in ſulphure accenſo vel reſoluto, beneficio inſpirati aëris per poros vaſorum & veſicularum pulmonalium cum ſanguine communicetur, neque tantum cum ſanguine, ſed etiam fluido mobiliſſimo illo, quod membranaceas & nervoſas partes incolit, quod dum inquinat & inficit ſenſum & motum omnibus corporis noſtri partibus aufert & ſic vitam tollit, 4. quod cum aëre etiam per inſpirationem ſanguinis partes quædam ſubtiliores admiſceri poſſint, vel ex eo ſufficienter probari poteſt, quod in extrema virium debilitate ſeu animi defectione odorifera mirifice reficiant, vires erigant & ſæpius deliquium auferant.

§. DCX.

Quam neceſſarium vero ad vitam & ſanitatem aëris ſit uſus, ex eo eluceſcit, quod aëre per antliam ſubtracto mox exſpiret animal, & ſtatim etiam redeat ad vitam, modo tempeſtive aër rurſus admittatur. Ratio hujus extinctionis duplex eſt, 1. aëre exhauſto veſiculæ & vaſa pulmonum non poſſunt expandi, hinc ſequitur, ut ſanguinis circulus per pulmonum viſcus aboleatur: 2. aëre externo, qui corpus animantis ambit detracto gravi, creſcit internus ſanguinis & humorum elater & mirifice vaſa præſertim auriculam dextram expandens impedit eorum contractionem ſeu ſyſtolen ſine qua ſanguis in vaſa impelli nequit, & hinc neceſſario animali pereundum, quia ſanguinis progreſſius & circularis motus, ceſſante ſyſtole præſertim tantummodo auriculæ cordis dextræ, concidit.

§. DCXI.

Præterea maxime illud conſiderandum circa reſpirationis negotium, quod inſpiratio aeris non tam ab ipſis pulmonibus, quam potius a thoracis motu reciproco expanſivo & conſtrictivo dependeat. Nam quando beneficio muſculorum intercoſtalium & qui coſtas elevant, tota compages coſtarum ſurſum attollitur & dextrorſum movetur, tunc diaphragmatis ſinuoſitas complanatur, & amplior fit thoracis cavitas & ſic aëris externi & interni æquilibrium in thorace ac pulmonibus tollitur, & vacuum quoddam ſpatium in cavitate thoracis fit, quam externus aër, dum gravitate ſua ingredi vult, neceſſario expandit, ut ipſe expanſi relictum ſpatium impleat. Hinc patet in inſpiratione pulmones ſeſe habere pure paſſive: quando vero rurſus coſtæ concidunt & diaphragma ſurſum ad cavitatem thoracis trahitur, tunc minor fit cavitas, & ſic aër non ſecus ac per follem parietes contractos per fiſtulam aëream ſeu tracheam expellitur.

Conſideratio Pathologica.

§. DCXII.

I. Inter morbos, qui ex pulmonum vitio proveniunt, primum fere obtinet locum eorum inflammatio, quæ a ſanguinis intra pulmonum vaſcula ſtaſi ejus circulum impediente proficiſcitur & vel levior, vel gravior eſt. Illa pleuritis vera, hæc vero peripneumonia vocatur. Morbus eſt admodum familiaris ac frequens, cujus ſigna & ſymptomata ſunt tuſſis, reſpiratio difficilis, dolor lateris punctorius, febris cum pulſu duro & dejectio materiæ ſanguinolentæ.

§. DCXIII.

II. Vaſorum pulmonalium diſruptio, apertio a ſanguinis copia & impetu, ejuſque mediante tuſſi rejectio, qui morbus vocari ſolet hæmoptyſis, quæ etiam vel gravior vel levior eſt: illa dicitur, ſi ſanguis copioſus una vice ad ℔ ſ. vel ℔ j. interdum ex ore ejicitur, quæ non expers eſt periculi propter diſruptionem vaſorum majorum: facile enim malum revertitur vel in phthiſin tranſit; levior eſt, ubi parcior ſanguinis quantitas rejicitur & hæc ſæpius fit a ſuppreſſis per alia loca ſanguinis excretionibus.

§. DCXIV.

III. Frequens pulmonum vitium eſt, ubi reſpiratio anxia & difficilis, & dicitur orthopnœa, quæ pro diverſitate cauſarum magis vel minus periculoſa eſt & varia etiam nanciſcitur nomina. Orthopnœa fit 1. a ſanguinis nimia copia & congeſtione in plethoricis & maxime hypochondriacis, ſæpius quoque eſt a ſuppreſſione excretionis ſanguineæ vel Venæſectione omiſſa, præſertim circa æquinoctia naſcitur & vocari ſolet aſthma ſanguineum: 2. vel fit ab infarctu pulmonum, ab humoribus valde tenacibus & viſcidis cum ſanguine mixtis, hinc plurimi plethorici, cacochymici & cachectici ſub aſcenſione in loca acclivia difficultatem ſpirandi patiuntur, & hic affectus eſt magis chronicus & dicitur aſthma cachecticum, ſæpius jungitur tumor pedum & ſequitur hydrops: 3. orthopnœa fit a pulmonibus exceſſivæ magnitudinis & ſupra modum diſtentis, cujuſmodi exempla paſſim occurrunt, ubi orthopnœa demortui diſſecti fuerunt. Gignitur hoc malum a ſucceſſiva & nimia expanſione vaſorum pulmonalium a tardiori ſanguinis circulo. Nam ſicut lien, qui etiam mere vaſculoſus eſt, ex impedito progreſſu ſanguinis, nimium intumeſcit, & valde magnus fit, ita etiam in pulmones hoc vitium incidit. Quo magis vero vaſa ſanguine infarcta & diſtenta, eo tardior a debilitate fit trajectio, eo promtius quoque & facilius vaſa minora plane obſtruuntur: vel 4. orthopnœa fit a ſpaſtica ſtrictura nervoſarum & membranoſarum veſicularum, & tale aſthma dicitur ſpaſmodicum ſeu convulſivum, & eſt hypochondriacis, hyſtericis, arthriticis admodum familiare: vel 5) orthopnœa fit ab extravaſatione ſeri in hydrope pectoris, quæ ſi increſcit liberam expanſionem pulmonum impedit & tandem mortis fit cauſa: ſequitur plerumque aſthma convulſivum crebrius & diuturnius, ubi in diſſectis corporibus aſthmate convulſivo demortuis ſerum ſæpe ad

ad multas libras extra vaſa poſitum in cavo thoracis reperitur; vel 6) reſpiratio difficilis fit a polypo vel cordis ventriculorum, vel pulmonum majora vaſa obſidente, qui liberum ſanguinis tranſitum impediendo, præſertim ſi motu corporis aut potu calidorum vel iracundiæ affectu ſanguis ad pulmones cum quodam impetu fertur, ſummam parit ſpirandi anguſtiam atque anxietatem; familiaris maxime eſt corporibus ſpongioſis vitæque ſedentariæ deditis, quique parum bibunt; vel etiam 7) orthopnœa fit a nimia exſiccatione & quaſi contabeſcentia veſicularum pulmonalium, quod maxime fit a cauſa externa, v. g. a fumo carbonum foſſilium, vapore ſaturnino, ſulphureo, vitriolico & hoc aſthma vocari ſolet metallurgicum, quia iis admodum familiare eſt, qui mineras præſertim plumbeas in igne tractant. In Anglia vero propter atmoſphæram, onus tam copia effluviorum ſulphureorum ex carbonibus foſſilibus incenſorum emergentium, familiaris eſt pulmonum contabeſcentia: & tabe viriumque deficientia pereunt plurimi hominum; vocatur conſumtio.

§. DCXV.

Pertinet huc etiam catarrhus ſuffocativus, ubi ob plane impeditam reſpirationem, ſanguiniſque cohibitum per pulmonum corpus circulum vita valde periclitatur. Hæc plerumque pro cauſa agnoſcit paralyſin nervorum pneumonicorum & qui ad thoracis elevationem & motum conferunt; qua de cauſa ſenibus & imbecillis familiarior eſt affectus; neque vero debet confundi cum ſyncope & morte ſubita proveniente a polypo in corde vel pulmonum vaſis hærente: neque etiam debet confundi cum ſuffocatione imminente ab illapſu vel humoris ex faucibus deſcendentis copioſi, vel aliarum rerum externarum & aſperarum in aſperam arteriam, qualem cauſam ut plurimum mox ſubſequitur commotio cum tuſſi pectoris.

§. DCXVI.

Phthiſis quoque, quæ κατ' ἐξοχὴν fit ab exulceratione pulmonum cum tuſſi, febre, macie & difficultate ſpirandi, & tunc vocari ſolet pulmonalis, quia proxima ſedes hujus morbi eſt pulmo. Nam alia phthiſis eſt ſymptomatica, ubi identidem & hectica febris cum tuſſi, copioſa ejectione humoris & ſpiratio ægra jungitur; item corporis contabeſcentia; ſed vitium latitat in aliis viſceribus infimi præſertim ventris, inde vocari ſolet phthiſis hypochondriaca vel etiam cachectica.

§. DCXVII.

Vera phthiſis ſæpius naſcitur ab hæmoptyſi male curata, item ab obſtructione, ſcirrheſcentia, duris nodis, vel etiam vomicis partes pulmonum occupantibus, ubi plerumque eſt tuſſis ſicca ferina conjuncta; vel etiam phthiſis magis humida cum copioſo & ſæpius purulento ſputo, naſcitur ab apoſtemate ſeu abſceſſu, qui nihil aliud eſt quam ingens exeſio ſubſtantiæ pulmonalis a ſanguinis & lymphæ ſtaſi inflammatoria producta, quæ ſæpius tanta eſt, ut dimidium pulmonem penitus conſumat relictis tantum vaſorum veſtigiis.

§. DCXVIII.

Empyema thoracis dicitur, ubi pulmonum apoſtema intus aperitur, & pus in cavum thoracis deſcendit, neque exſpuitur.

§. DCXIX.

Pulmonum exulceratio chronica differt a phthiſi apoſtematica, itemque ab obſtructione vaſorum, vomicis, tuberculis. Nam illa non tam periculi plena eſt, neque cum febre hectica vel tabe conjungitur, ſed ſæpius ad ſenium & ipſam mortem ægros comitatur. Exſpuitur ſaltim parva materia fœtida ichoroſa, & naſcitur ex parvo apoſtemate, quod tandem in ulcus fiſtuloſum tranſit, parietibus ejus calloſis factis.

§. DCXX.

Tuſſis etiam eſt affectus pectoris & maxime pulmonum, quia in iis plerumque deliteſcit cauſa. Tuſſis quidem eſt ſpecies convulſionis thoracis totius ejuſque muſculorum, cum præter voluntatem totus thorax mirifice concutitur ad ejiciendum id, quod moleſtum eſt. Nam maxima eſt conſenſio partium, quæ thoracem conſtituunt cum diaphragmate, pulmonibus & maxime arteria aſpera. Si itaque in hiſce partibus latitat quædam materia acris ſtimulans partes nervoſas & erodens totus thorax in conſenſum trahitur.

§. DCXXI.

Tuſſis humida fit potiſſimum a copioſa ſeceſſione ſeri per glanduloſam aſperæ arteriæ tunicam ob harum partium atoniam & difficiliorem ſanguinis per pulmones transgreſſum: ſicca vero magis fit a ſtimulo partium nervoſarum pauca præſente materia, & vocari etiam ſolet tuſſis ferina convulſiva.

§. DCXXII.

Spectat huc quoque tuſſis ſuffocativa, quæ quaſi ſpecies eſt epilepſiæ thoracis & fit cum maximo impetu & concuſſione ejus, facie facta cærulea & nigricante & cum reſpirationis deficientia & hæc infeſtat maxime puerilem & infantilem ætatem. Oritur utplurimum a tranſpiratione vel etiam excretione critica & exanthematica ſuppreſſa, a ſero valde acri nervoſis pulmonum partibus inhæreſcente.

CAPUT III.

De Corde & Pericardio.

§. DCXXIII.

Cor princeps corporis noſtri pars eſt, a qua proxime pendet vita, utpote hoc circulum ſanguinis, quo præſente præſens eſt vita, quo deſtructo mors adeſt, unice moderatur. Qua de cauſa non ſine ratione Anatomici æque ac Phyſici cor primum movens & ultimum moriens adpellarunt.

§. DCXXIV.

Situm ſuum habet in media corporis regione, thoracis nempe cavitate & pulmonibus, eorumque medio inhæret, ab ipſiſque circumcingitur, adeo ut hi cum corde totam ſolummodo thoracis cavitatem repleant.

§. DCXXV.

Connectitur cor cum pulmone per vaſa majora, arteriam nempe & venam ſic dictam pneumonicam; connectitur quoque cum diaphragmate & quidem beneficio pericardii, quod vero duntaxat fit in homine.

§. DCXXVI.

Ratione ſtructuræ & texturæ cor tantum eſt muſculus, quod jam ſuo tempore notavit HIPPOCRATES.

Non vero conſtat ex uno muſculo, ſed ex quatuor diverſis, duobus nempe majoribus & duobus minoribus, illi ſunt duos cordis ventriculos conſtituentes: hi vero duas auriculas: diverſis quoque hi muſculi gaudent motibus. Nam quando auricula dextra ſe contrahit & eſt in ſyſtole, tunc dexter cordis ventriculus eſt in diaſtole: contra quando ſiniſtra auricula in ſyſtole eſt, tunc ſiniſtra cavitas ventriculi eſt in diaſtole. Hac ratione ſit pulſus.

§. DCXXVII.

Notandum vero, quod dexter ventriculus ſit major ſiniſtro, & quod plane alia ſit ejus ſtructura. Ille enim eſt longe capacior ac amplior & non tanto robore fibrarum & columnarum, quæ congeries ſunt & coagmentationes harum fibrarum, inſtructus eſt, quam ipſe ſiniſter, qui anguſtior quidem ſed longe denſior, hic etiam validiori niſu, motu, elatere gaudet ac impulſu: hic etiam quaſi concavus ſemilunaris obſervatur dextram cordis cavitatem quodammodo circumcingens, deinde auricula dextra quoque longe major eſt ſiniſtra & differt etiam ab hac ratione ſtructuræ: ſiniſtra enim figuram quaſi criſtæ galli repræſentat, uti probe hoc annotat RUYSCHIUS, *Epiſt. Anat. X.* eſt annexa cum ſacculo membranoſo, in quam rami ex utroque pulmonum latere duo ſicque quatuor terminantur. Atque adeo ſanguis non proxime fertur ex pulmonibus ad auriculam ſiniſtram, ſed potius in hunc ſacculum deſcendit. Dextra vero auricula caret tali ſacco & tota ex faſciculis & columnis carneis eſt compoſita.

§. DCXXVIII.

Uſus harum auricularum, quæ muſculi cordis ſunt, eſt, ut adjuvent ſanguinis motum ex venis tardius redeuntem, ut æqualis maneat ejus circulus.

§. DCXXIX.

Quod vero auricula dextra majori robore gaudeat ſiniſtra cauſa eſt, ut ſanguis ex vena cava allatus tardiori motu perſiſtens eo expeditius ad dextram cordis cavitatem propellatur. Cum vero ſanguis ex pulmone ad ſiniſtrum ſinum delatus non modo fluidus ſit, ſed & gravitate ſua ſponte quaſi in ipſum deſcendat, hinc non opus fuit ſiniſtram auriculam tanto fibrarum robore inſtruere.

§. DCXXX.

Notabile porro eſt, quod motus auricularum & cordis reciprocus ſit, adeo, ut quando cor eſt in ſyſtole auriculæ ſint in diaſtole, h. e. ſi e corde ſanguis pulſu exprimitur in arterioſa vaſa eodem tempore auriculæ eum recipiunt e venis: ſicuti contra, quando auriculæ ſunt in ſyſtole h. e. quando conſtrictione ſanguinem a venis acceptum in cordis ſinus effundunt, tunc cordis ventriculi ſunt in diaſtole i. e. ſanguinem ab auriculis recipiunt. Hæc reciproca actio auricularum & cordis facit, ut jugi motu ſanguis progrediatur & circulum ſuum abſolvat. Simulac vero in una parte hic motus vitio laborat, protinus ſanguinis circulus non ſine ſanitatis diſpendio vel vitæ periculo turbatur.

§. DCXXXI.

Cor merito a Veteribus dicitur fons vitæ, primum monens & ultimum moriens; dicitur quoque non ſine ratione principium omnium arteriarum & venarum, & egrediuntur ex ipſo duo vaſa ſanguifera, unum venoſum nempe vena cava, & unum arterioſum nempe arteria pulmonalis, quorum vaſorum unum ſc. vena cava magnum eſt; parvum vero arteria pulmonalis. Ingreditur vero vena cava & ſanguinem reducit ex toto corpore in dextrum ventriculum, & arteria magna adducit in totum corpus ſanguinem, minora autem vaſa circulum tantum ſanguinis ex uno ventriculo ad alterum per pulmonale corpus intermedium abſolvunt.

§. DCXXXII.

Notabilis vero eſt ipſa ſtructura & fabrica arteriarum, quæ, ſi rem exacte perpendas, nihil aliud ſunt, quam tubi & canales muſculoſi ſeu muſculi in canales extenſi. Earum enim princeps functio eſt gaudere motu tam dilatationis quam conſtrictionis, utpote non ſecus ac cordis ventriculus a ſanguine recepto diſtenditur, & poſtea rurſus facta conſtrictione ſanguis in venas propellitur: ſunt itaque nihil niſi quaſi ſiniſter cordis ventriculus elongatus.

§. DCXXXIII.

Gaudent hæ ipſæ tunicis variis, fibroſis nempe & muſculoſis; & notabile eſt, quod ex fibris partim longitudinalibus, partim etiam tranſverſalibus & ſphiralibus ſint compoſitæ; gaudent etiam ſuis vaſculis, item nervorum ramificationibus: hinc nonnulli membranam vaſculoſam & peculiarem nerveam ſtatuunt, adeoque non ſolo motu paſſivo, ſed etiam activo, qui muſculis proprius eſt, ſyſtaltico nempe & diaſtaltico inſtructam, cujus ope ſanguis per venarum ſyſtema fertur. Conf. de cordis anatomia & ſubſtantia LOWERUS *de corde*. BORELLUS *de motu animalium*. HOFFMANNUS *de pulſuum theoria*.

§. DCXXXIV.

De pulſu arteriarum hæc quoque monenda ſunt, quod ille nihil aliud ſit, quam dilatatio arteriarum manum tangentis feriens, orta a ſanguinis ex dextro cordis ventriculo in arterias impulſu; quo fit ut a majori ſanguinis quantitate influente ejus latera extrorſum diſtendantur. Pulſus itaque index eſt motus cordis & conſequenter circulationis ſanguinis, & hujus notitia exquiſita Medico tam in ſtatu naturali ad pernoſcendum temperamentum, quam in ſtatu præternaturali, febrili potiſſimum, ſumme neceſſaria eſt.

§. DCXXXV.

Sunt itaque inſtrumenta circuli ſanguinis non modo cor ſed etiam arteriæ, quæ quando conſtringuntur, infundunt ſanguinem in ipſas venas, quæ ex fibris & lamellis variis muſculoſis conſtant, ſed manifeſto motu conſtrictionis carent, quoniam eorum fabrica & ſtructura non ita comparata eſt, ut in arteriis: magis itaque gaudent tono quam motu, cujus beneficio reſiſtentia a tergo venientis ſanguinis paratur.

§. DCXXXVI.

Deinde perquam curioſa eſt obſervatio, quod in fœtu, quamdiu in utero eſt, nulla fiat circulatio ex uno ventriculo in alium per pulmones, ſicut fit in iis, qui lucem aſpexerunt, ſed alia & brevior via datur a dextro ad ſiniſtrum ventriculum, utpote ex vena cava canalis quidam arterioſus immediate ad ſiniſtram fertur cavitatem: deinde rurſus alius canalis hic obſervatur, qui arterioſus vocatur, inter arteriam aortam & pulmonalem. Hic vero proxime ipſum ſanguinem ex ſinu cordis dextro adfert ad arteriam magnam. Hi vero duo canales ſucceſſu temporis occluduntur: in fœtu vero ſunt pervii atque aperti. Ratio eſt, quia reſpiratione caret embryo in utero neque pulmonum corpus veſiculoſum ab aëre gravi atmoſphærico expanditur.

§. DCXXXVII.

§. DCXXXVII.

Eſt [b] præterea cor inſtructum propriis arteriis & venis, quæ ad ſubſtantiam ejus nutritionis fine penetrant & vocari ſolent coronaria, quæ ipſum cor inſtar coronæ ambiunt. Arteria principium ſuum petit ex arteria magna; in ea nempe ejus parte, ubi egreditur ex ventriculo proxime ſupra valvulas ſemilunares; vena vero cordis coronaria principium habet in vena cava, ubi in cor ingreditur & ſupra valvulas tricuſpidales. Neque cor deſtituitur nervis, qui a pari vago & intercoſtali ſuam nanciſcuntur originem, feruntur ejus ramificationes maxime ad arteriam pulmonalem & ad inferiorem cordis partem, cui inter arteriam bronchialem & arteriam magnam inſeruntur.

§. DCXXXVIII.

Porro notabiles ſunt valvulæ cordis duplicis nempe generis, utpote propter figuram, quam habent vel ſemilunares vel tricuſpidales ſunt; illæ arterioſis vaſis nempe arteriæ pulmonali & arteriæ magnæ adſtant, ſtatim cum ex ventriculis egrediuntur; tricuſpidales vero venis, nempe venæ cavæ & pulmonali, ſunt adpoſitæ. Harum valvularum uſus eſt eximius & plurimum ad circulum ſanguinis continuum & non interruptum juvant, quandoquidem, quando cor conſtrictum infundit ſanguinem in arterias, valvulæ tricuſpidales venis adjectæ impediunt, quo minus ad ipſas curſum ſuum dirigat. Eadem eſt ratio ſemilunarium, quæ arterioſis vaſis ad lites ſunt quæ ſub dilatatione cordis ac influxu ſanguinis ex venis ad cor impediunt, quo minus ad ipſas curſum ſuum dirigat & regurgitet, quapropter harum valvularum utilitas ad circulationem ſanguinis maxima eſt, unde etiam nullum viſitur in ullo genere animantium cor, quod auriculis & valvulis hiſce non gaudeat.

Tractatio Pathologica.

§. DCXXXIX.

I. Cor in nonnullis ſubjectis immenſæ magnitudinis reperitur, &, ut proverbium ait, timiditatem hominis arguit. Obſervatum tale cor fuit in iis, qui palpitatione cordis laborarunt, & ubi polypo etiam cor fuit obſeſſum.

§. DCXL.

II. Cor nimis parvum & quaſi tabidum & exſiccatum in nonnullis ſubjectis reperitur: vide Bartholini *Anatom. Lib.* 2. *cap.* 6. Kerckring. *Obſerv.*

§. DCXLI.

Illud vero notari perquam dignum eſt, quod vaſorum capacitas in univerſo corpore reſpondeat ordinario cordis capacitati. Hinc plerumque ii, qui vaſa habent exilia, ut ſunt pingues & qui ſpongioſo corpori habitu præditi ſunt, plerumque etiam cor parvum habent; & contra qui habent vaſa ampla, iis etiam cor magnum eſt.

§. DCXLII.

III. Cordis inverſio. Vide *Schediaſma patris mei* Frid. Hoffmanni de *cardianaſtrophe.*

§. DCXLIII.

IV. Cordis palpitatio, quæ eſt ejus convulſio; cum cor ex ſede ſua & loco movetur propter vehementem & auctum influxum fluidi nervei vel etiam ſanguinis ſtagnantis, & cauſas varias agnoſcit. Oritur enim ex gravi animi affectu v. g. terrore &c.; vel a congeſtione nimia ſanguinis ad cor in hyſtericis & hypochondriacis; vel ſi vetus & diuturnus eſt, plerumque polypoſam ſanguinis concretionem pro cauſa habet.

§. DCXLIV.

V. Febres omnis generis ſunt morbi cordis & ſyſtematis arterioſi, provenientes a circulatione ſanguinis auctiori, quæ cordis & arteriarum motui celeriori & vehementiori debetur. Nam celer (qui ex frequentia pulſuum cognoſcitur) arteriarum pulſus eſſentiale & pathognomonicum perpetuumque febrium ſignum eſt.

§. DCXLV.

VI. Lipothymia ſeu animi defectio fit a cordis motu ad tempus ceſſante, unde impeditur ſanguinis circulus, extrema frigeſcunt, ſenſus & motus cum calore pereunt. Variæ vero ſunt cauſæ; vel enim nervi cordis forti ſpaſmo ſtringuntur, & ſic denegato influxu ſpirituum cordis motus perit; quale etiam fit a gravioribus animi affectibus, vel etiam in convulſivis, ſpaſmodicis, hypochondriacis & hyſtericis partium nervoſarum conſtrictionibus; vel etiam fit a nimia diſtenſione ventriculorum cordis, maxime vero auriculæ ſiniſtræ; quando nempe a ſanguine ibi ſtagnante & rarefacto hujus fibræ ſupra modum extenſæ ad molem ſanguinis congeſti extrudendam & circulum ſanguinis continuandum ſunt invalidæ, quale quod maxime in plethoricis, quando poſt cibum aut potum ſpirituoſum largius aſſumptum, in aerem calidiſſimum vel etiam balneum concedunt, obſervatur.

§. DCXLVI.

VII. Suffocatio lethalis quæ naſcitur ex polypis, qui vel venæ cavæ orificiis inſident, vel oſtium arteriæ pulmonaris obſtruunt, aliique inhærent & ſic univerſo circulo ſanguinis obex ponitur, unde facile ſuffocantur homines, & deinde mortui in lecto inveniuntur.

§. DCXLVII.

VIII. Præcordiorum anxietas, quæ familiariſſima eſt febricitantibus; vel quæ a ſpaſmodico affecta fit, & oritur à ſanguinis nimia congeſtione circa cordis thalamos, & jungitur plerumque extremorum frigus.

§. DCXLVIII.

IX. Cordis tremor, qui perquam familiaris eſt hypochondriacis & hyſtericis; fit ex præcordialibus plexibus leviter convulſis; oſſa & lapides, imo vermes in ventriculis cordis fuiſſe repertos plures docent. Vid. *Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. I. Obſ.* 50. *Ann. IX. & X. Obſ.* 13. *Dec. III. Ann. I. Append.* 103. *Dec. I. Ann. III. Obſ.* 182.

§. DCXLIX.

X. Quod attinet ad cordis vulnera, ea propter extravaſationem nimiam & funeſtam ſanguinis neceſſario mortem inferunt; exceptis caſibus, ubi non penetrant in cordis cavitatem.

CAPUT IV.

De Pleura, Mediaſtino, & Pericardio.

§. DCL.

Pleura totam cavitatem thoracis cingit, membrana eſt firmiter muſculis intercoſtalibus annexa, ipſiſque coſtis, & eſt duplicata, cujus exterior pars durior & craſſior eſt, interior proxime coſtis adjacet, tenerior. Serpunt vero per hujus duplicaturam & arterioſa & venoſa vaſa, intercoſtales quoque nervi, vena azygos, & ipſe ductus thoracicus, & inter hanc duplicaturam pleuræ ipſoſque intercoſtales muſculos materia non nunquam purulenta colligitur.

§. DCLI.

Mediaſtinum ab ipſa quoque pleura ſuam ducit originem, quæ ex medio pectore ad dorſum porrecta hanc membranam binis lamellis conſtituit; thoracis vero cavitatem in duas ſecundum longitudinem partes, ſeu latera diſpeſcit, & dextrum a ſiniſtro pulmonem ſeparat.

§. DCLII.

Quod attinet Pericardium, itidem illud ex duplici membrana conſtat, quod in hydrope Pericardii optime viſitur. Cum vero hoc ipſum mater membranarum quæ arterias & venas exterius jungunt (quod primum notavimus) jure merito audiat, falſam videmus eorum hypotheſim qui pericardium tunicam nanciſci a pleura volunt. Quemadmodum enim dura mater cerebro & ipſis nervis extimam tunicam largitur, ita etiam pericardium ipſis arteriis & venis primam lamellam concedit. Sparguntur vero per Pericardium, non modo ſanguinei & lymphatici rami, ſed nervoſi etiam, utpote pneumoniaci inſignes nervi, ſecundum aſperæ arteriæ longitudinem ad diaphragma tendunt, ac cordis membranam tranſeunt. Firmiter vero hoc ipſum in homine annexum eſt diaphragmati, quod aliter in animantibus accidit. Malpighius putat ejus internam tunicam mere eſſe glanduloſam, quæ lympham ſecernat cor humectantem, quia ordinario liquidi portio intra Cor & Pericardium reperitur. At vero difficultas hæc poterit demonſtrari; alii ex glandulis circa auriculas quas exiles vocant, hujus liquoris originem accerſunt; alii ex vaporibus ſanguinis in cordis ſinu calefacti, in pericardio concentratis, hujus originem deducere malunt: videtur vero potius probabile quod ex auricularum, præſertim dextræ, poris & foraminulis nimium a congeſto ſanguine diſtentis & apertis ſtillet hæc lympha, quia ubi polypus vel cordis palpitationis morbus adeſt, ibi aggeſtus in finibus cordis ſanguis minus expedite fertur & ingenti ſæpius copia Pericardii humor viſitur, adeo ut etiam in maxima copia collectus peculiarem hydropis ſpeciem contrahat.

Tractatio Pathologica.

§. DCLIII.

I°. Dolor inter intercoſtales membranas ſatis acutus, qui Pleuritidis ſpuriæ nomine venit, ortus a ſero acri ibi ſtagnante; differt a vera Pleuritide, non tam periculo, ſed etiam majori febrili motu, æſtuque; multum etiam ratione medendi.

§. DCLIV.

II°. Empyema quod fit a collectione puris intra Pleuram & intercoſtales muſculos, ob inflammationem harum partium, præſertim pinguibus remediis tractatam.

§. DCLV.

III°. Mediaſtini inflammatio & abſceſſus, qui affectus rarus deſcribitur tamen a Riolano *in Enchiridio Anatom. pag.* 290. & curatur ſterno perforato.

§. DCLVI.

IV°. Dolor ſterni fixus naſcitur a ſtagnante ibi intra ejus membranas depoſito ſero acri.

§. DCLVII.

V°. Pericardii hydrops dicitur, ubi ingens copia ſeri, quandoque ad libras duas accedens, intra Cor & Pericardium reperitur. Cauſa ut plurimum eſt tardior nimis ſanguinis progreſſus per cor, ob polypum ibi contentum, vel ſi ex aſthmate convulſivo pulmones conſtringuntur, hydrops thoracis, qui individuus comes eſt aſthmate convulſivo laborantium, & plerumque ad mortem deducit. Vide *Diſſertationem de aſthmate convulſivo cum hydrope pectoris.* In hoc caſu opus eſt paracentheſi. Oritur procul dubio a vaſis lymphaticis intra Pleuram vel Pericardium ruptis.

SECTIO III.

De ſuprema cavitate, Capite.

CAPUT I.

De Cranio, ejuſque partibus exterioribus.

§. DCLVIII.

Tegitur cranium variis integumentis, quæ ſunt 1°. Pili; 2°. Cuticula cum cute; 3°. Subſtrata pinguedo; 4°. Membrana muſculoſa, præſertim circa tempora; 5°. Pericranium, quod nempe ex variis lamellis compoſitum eſt; duplicatura ejus manifeſto conſpicitur in muſculis temporalibus, qui quaſi in hujus medio poſiti ſunt; exquiſiti ſenſus eſt, utpote ex quarto nervorum pari ramus ad Pericranium fertur. Sparguntur quoque per hoc inſignia vaſa ſanguinea, arteriæ & venæ, & per hanc membranam abeunt in medullam cranii, quæ Diploe ab Anatomicis inſignitur, in hanc vero ſanguinem adducunt: adhæret hoc Pericranium ſatis firmiter oſſi, ut difficulter ab hoc poſſit ſeparari.

§. DCLIX.

Tegitur Pericranium panniculo carnoſo, pingui potius, per quem feruntur inſignia vaſa arterioſa & venoſa, quæ ex carotide & vena cava ſuam petunt originem, ubi major ramus ſupra aurem oritur, & variis ramificationibus totum caput ambit, quod ſi in hiſce vaſculis ſtagnans ſanguis, vaſa comprimit & diſtendit, dolores cauſatur; ſedes capitis doloris rarius in membranis verbi gratia dura aut pia matre eſt, frequentiſſime vero & ſemper fere in Pericranio.

§. DCLX.

Cranio diſſecto, in conſpectum veniunt duæ membranæ ſic dictæ Meninges, prima dura, altera tenuis ſeu pia appellatur. Illa ex duplici quoque lamella componitur, quarum prior durior & aſperior, inferior vero mollior, & quaſi lævigata ac polita exiſtit. Proceſſibus duobus gaudet dura mater, unus ſecundum longitudinem cerebri exporrigitur, & falciformis eſt, atque a ſe invicem duo non ii hæria cerebri dividit, & pertingit uſque ad os callolum & criſtæ galli adhæret; ejus uſus eſt impedire quominus unum hemiſphærium alterum comprimat; alter proceſſus qui magis internus cerebrum a cerebello diſtinguit, & ne hæc ſe invicem comprimant impedit.

§. DCLXI.

Peculiaria etiam vaſa habet dura mater, per foramen ſextum cranii ingredientia, quæ ad ipſam perveniunt; dividuntur in duos ramos, unum majorem qui verſus occiput, alterum minorem qui verſus ſinciput currit.

§. DCLXII.

Abeunt quoque ad duram matrem rami nervorum per idem foramen rotundum & acutum admodum ſenſum huic membranæ largiuntur: Gaudet vero hæc membrana multiplicibus ſinuoſitatibus, quæ nihil aliud ſunt, quam ductus venoſi eximioris capacitatis; vice enim venarum funguntur, & ſanguinem ex ſubſtantia vaſiſque arterioſis reducunt; ſerpunt inter duplicaturam hujus membranæ; primus ſinus dicitur longitudinalis ſeu falciformis, qui tamen minime, ut communis fert opinio, uſque ad criſtam galli pertingit, ſed cavitas tantum uſque ad mediam ejus partem reperitur, triquetræ figuræ eſt, falſoque hujus ſinus apertio hæmorrhagiæ narium enormis cauſa ſtatuitur. Deinde præter longitudinalem illum majorem datur adhuc minor falciformis, ſub ejus proceſſu, dictus Williſianus, & hic corpori calloſo incumbit; inſeruntur vero hi duo falciformes ſinus in laterales, ſæpe in dextrum, ſæpe in ſiniſtrum.

§. DCLXIII.

Præterea in longitudinali ſinu notetur, 1°. Quod varii proceſſus membranoſi ab uno latere ſinus ad alterum transverſum progredientes reperiantur, qui valvulæ dicuntur. 2°. Quod venæ ex pia matre in ſinum hunc abeant, quæ etiam diſſectione & ſeparatione a cerebro debent ſeparari.

§. DCLXIV.

Inſuper adhuc reperiuntur notabiles duo ſinus in occipite, laterales dicti, dexter & ſiniſter, & per foſſam transverſalem oſſis occipitis progrediuntur, & curvaturam in foſſa media oſſis temporum accipiunt, unde etiam vocantur Flexuoſi.

§. DCLXV.

Quintus ſinus intimus eſt & profundus, parvus tamen, principium habens circa glandulam pinealem, & oblique verſus ſuperiora progreditur; inſeritur vero ſinibus lateralibus, & locus ubi hoc accidit vocatur Torcular.

§. DCLXVI.

Sextus & ſeptimus dicuntur laterales minores; horum principium eſt circa medium oſſis occipitis in poſtica parte duræ matris; progrediuntur a ſinibus lateralibus majoribus, transverſo ductu inſeruntur quoque lateralibus prope curvaturam.

§. DCLXVII.

Octavus dicitur Rectus Fallopii, cujus principium eſt in oſſis occipitis medio interno.

§. DCLXVIII.

Nonus, decimus, undecimus, & duodecimus ſunt quatuor ephippiales, qui circa ſellam turcicam extant, & inventi ſunt a Vido Vidio, jam vero rurſus in lucem dati a Vieussens.

§. DCLXIX.

Decimus tertius in principio ſinuum ſellæ turcicæ majorum viſitur, ubi etiam oritur, & ſuper baſin occipitis per transverſum progreditur.

§. DCLXX.

Decimus quartus eſt circularis ille ſellæ turcicæ, inter quatuor proceſſus ſphenoides, inſeritur ephippialibus, quem olim etiam deſcripſit Vidus Vidius.

§. DCLXXI.

Decimus quintus & decimus ſextus dicuntur ſphænoidales, habent ſitum in oſſe petroſo, & inſeruntur ephippialibus.

§. DCLXXII.

Decimus ſeptimus, circularis Williſii, in foramine magno oſſis occipitis eſt, & communicat cum venis vertebralibus.

§. DCLXXIII.

Hi omnes ſinus inſtar venarum ſunt, quia ſanguinem revehunt ex arteriis ad cerebrum, nec non ad duram & piam matrem delatum; infundunt vero omnes ſanguinem in ſinus duos laterales dictos majores, per quos demum deſcendit ad jugulares, & ſic dextrum cordis ventriculum.

§. DCLXXIV.

Secunda cerebri membrana, duræ ſic dictæ ſubjecta, dicitur Pia meninx, ſeu mater; & hæc eſt tenerrima, & proxime corticalem cerebri ſubſtantiam involvit; per hanc copioſiſſima vaſa, ſumme tamen, tenuia ſerpunt.

§. DCLXXV.

Curioſum admodum eſt, quod hæc membrana integra tota a cerebro ſeparari poſſit, ſalvis manentibus vaſculis ſuis, quæ cera vel liquore rubicundo repleta elegantiſſimum præbent ſpectaculum; arteriæ deponunt ibi tunicas ſuas craſſiores, unde inſtar venarum rubræ apparent. Tegit vero hæc membrana, etiam infra ſitam cerebri portionem, medullam ſic dictam oblongatam, proceſſus annulares, thalamos opticos, teſtes, nates, vulvam, glandulam pinealem.

§. DCLXXVI.

Tertia tunica nuper inventa eſt, & dicitur arachnoidea; ſita eſt inter duram ac piam matrem; viſitur maxime in ſpinali medulla & baſi cerebri; deſcripta eſt a Ruyschio; in ſtatu præter naturam, facile cognoſcitur, ſero nempe inter duram & piam matrem ſtagnante.

§. DCLXXVII.

Notandum porro eſt quod hæ tres membranæ per univerſam medullam continuitate una inveniantur, ipſamque medullam inveſtiunt, omniumque nervorum tunicam primam conſtituunt.

Tractatio Pathologica.

§. DCLXXVIII.

I°. Hydrocephalus, recens natis familiarior quam adultioribus, oritur plerumque a nimia capitis compreſſione in partu laborioſo; eſt autem duplex, vel enim intra cranium & cutem ſtagnat ſerum, quod malum facile ſectione tolli poteſt; vel intra duram ac piam matrem ſeri fit nimia collectio, vel utrumque fit, difficillime curatur, & ſucceſſu temporis fit lethalis.

§. DCLXXIX.

II°. Cephalalgia eſt dolor capitis, ſi ullus, frequentiſſimus partium magis externarum quam internarum capitis, Pericranio potiſſimum inſidens, a variis cauſis, copia, qualitate & quantitate ſanguinis, uti & motu, nec non ſuccis peccantibus.

§. DCLXXX.

III°. Hemicrania dolor capitis eſt dimidiam ejus partem occupans, diuturnus atque contumax ſtatas plerumque periodos obſervans.

§. DCLXXXI.

IV°. Clavus eſt dolor in certa parte ac circumferentia capitis fixus, roſivus, pericranium lancinans, frequens ſcorbuti & cachexiæ, frequentiſſima vero luis venereæ ſoboles.

§. DCLXXXII.

V°. Tubercula in cute capitis prominentia, quæ interdum inſtar ovi columbini ſunt, ex ſeri viſcidi ibi diu ſtagnatione intra panniculum carnoſum & adipoſum, habent ſecum continuos dolores, cum imbecillitate & torpore capitis.

§. DCLXXXIII.

VI°. Tumores duri inſtar cornu in capite, qui vel atheromata, vel meliccrides, vel ſteatomata dicuntur: Hi curantur per apertionem.

§. DCLXXXIV.

VII°. Tinea capitis eſt exulceratio integumentorum, & fit ab eroſione vaſculorum extimorum cutis, & lancinatione, ſero exiſtente acri; infantibus & ſimilibus familiare eſt vitium.

§. DCLXXXV.

VIII°. Contuſio integumentorum, qualis fit a violentia externa, eamque comitatur tumor, dolor & rubor, oritur a vaſculorum læſione, partim etiam a dilaceratione.

§. DCLXXXVI.

IX°. Caries oſſium cranii, quæ fit a violenta ejus læſione, contuſione, vel etiam fiſſura, dum ſanguis & humores in diploe ſtagnant, corrumpuntur, & laminam ut plurimum exteriorem arrodunt, inque ſimilem corruptionis vel putrefactionis modum conjiciunt. Vid. *Differt.* SLEEVOGTII *de Carie Cranii.*

§. DCLXXXVII.

X°. Inflammatio muſculi temporalis fit etiam a contuſione vel percuſſione violenta, & niſi cito ſuccurratur, facile fit lethalis.

CAPUT II.

De Cerebro, cerebello, & medulla oblongata.

§. DCLXXXVIII.

QUoad partes cranii interiores, conſiderari merentur cerebrum, cerebellum, & medulla oblongata.

§. DCLXXXIX.

Cerebrum eſt maximum, & pondere communiter æquat libras tres cum cerebello; eſt figuræ globoſæ; dividitur in duo hæmiſphæria, dextrum nempe & ſiniſtrum, per ſinum falciformem; in quolibet duo lobi notantur, anterior nempe, qui minor eſt, & poſterior qui major. Anteriores continentur in foſſis anticis majoribus oſſis frontis, poſteriores in foſſis majoribus oſſis occipitis, & hi diſtinguuntur a cerebello per proceſſum poſticum.

§. DCXC.

Dividitur cerebrum in ſubſtantiam corticalem & medullarem, illa in ſuperficie latet, livida eſt ob vaſorum eam pertranſeuntium copiam, & multi anfractus & circumgyrationes in ea obſervantur, adeo ut in orbem voluta quaſi inteſtina referat. In oſſe petroſo profundior anfractus jacet. Medullaris ſubſtantia diſtinguitur a corticali candore & mollitie. Hæmiſphæria ſeparantur a ſe invicem diſſecto proceſſu falciformi, & tunc in conſpectum venit corpus calloſum, quod eſt medullæ cerebri principium. Deinde notantur dicti fornices, qui ſubſtantiam habent magis fibroſam, tubuloſam & medullarem, albicantem, hi ſi in ſpiritum acidum, verbi gratia ſalis vel vitrioli fundantur, eorum fibræ magis conſpicuæ fiunt.

§. DCXCI.

Circa ventriculos cerebri notandum eſt, quod hi ipſi non ſint cavitates in ipſa ſubſtantia cerebri interiori exiſtentes ſecundum Veterum ſententiam, qui crediderunt eos eſſe ſpirituum animalium receptacula, qui poſtea exinde in nervos deriventur, ſed per accidens ſaltim naſcuntur hæ cavitates, dum cerebri ſuperficies inferior, varie invicem complicatur; Nam proceſſus medullæ oblongatæ anteriores, ſeu corpora ſtriata ſuperiora antica nec non corpus calloſum, ſeptumque lucidum horum conſtituunt cavitates; horum ventriculorum pars ſuperior dicitur a SYLVIO Fovea Digitalis; in parte antica ventriculorum ſedem habet lucidum ſeptum, contingit corticem & fornicem, quibus interjacet; in medio ſepti lucidi, in parte antica apparet rima, quæ a SYLVIO dicitur hiatus, & in ſubjecto recenti lympha in eo reperitur; ſub ſepto lucido fornix notetur, qui principium habet in ſubſtantia medullari, progreditur inter corpora ſtriata ſuper thalamos opticos, & abit in duo crura, dicta Hypocampi, quæ tegunt hos thalamos, inque oculi centro terminantur. Vid. VIEUSSENS, COWPER, BIDLOO, VERHEYEN.

§. DCXCII.

Foramina autem fornicis tendunt ad ventriculum anteriorem, parte antica ad ventriculum tertium, hoc eſt ad vulvam. Sub fornice in conſiderationem venit plexus choroideus, qui tenuiſſima eſt membrana ex plurimis vaſculis, præſertim vertebralibus, conſtans, & hic circumcingit inſtar annuli ventriculos, & connecti-

connectitur circum latera cum cerebri pia matre, plures quoque miliares glandulæ in hac membrana diſperſæ viſuntur. Glandula vero pinealis firmiter huic plexui in parte antica prope teſtes annexa eſt. Firmioris texturæ eſt hæc glandula in ſubjecto humano recenti, lividi coloris, figuræ inſtar piſi, tegitur tenuiſſima tunica a pia matre orta, vaſis exiliſſimis ſanguineis ornata.

§. DCXCIII.

Præterea anterius in baſi medullæ oblongatæ prope coalitum nervorum opticorum apparet infundibulum, quod eſt tuberculus membranaceus, inferius anguſtior, ſuperius latior, & terminatur in glandulam pituitariam, quæ ſitum habet in ſella turcica; ejuſque officium eſt, ut ſeparet ſeroſitates, ſi quæ ſint, in ventriculis.

§. DCXCIV.

Medulla oblongata compoſita eſt ex duobus eminentiis lentiformibus, in parte anteriori amplioribus, quarum ſubſtantia externa eſt corticalis cerebri, quam pia mater inveſtit; interior eſt medullaris, & quando hæc ſubſtantia corticalis diſcinditur, corpora ſtriata in conſpectum veniunt, quæ nihil aliud ſunt quam fibroſi hujus ſubſtantiæ tubuli; ubi hæ eminentiæ deſinunt, incipiunt thalami ſic dicti nervorum opticorum, qui tales dicuntur, quoniam ibi nervi optici oriuntur. Verſus poſteriora prope cerebrum quatuor protuberantiæ velut monticuli ſuperiori corticis medullaris ſubſtantiæ accreſcunt, quorum anteriores dicuntur Nates, poſteriores Teſtes. Nates in animantibus inſignis ſunt magnitudinis, & multum differunt. Quoniam vero hi quatuor monticuli ſæpius concreſcunt, inferius vero non, hinc intercedit cavitas, quæ ſub cerebello continuata quartus ventriculus nominatur, cujus orificium dicitur anus.

§. DCXCV.

Poſtremo cerebellum explorandum eſt, quod quaſi parvum cerebrum, minoris tamen magnitudinis eſt; conſtat etiam ex corticali ſeu glanduloſa, & ex medullari ſeu tubuloſa ſubſtantia: ſuperficies ejus inæqualis multis circumgyrationibus conſtat, & compoſita videtur ex plurimis circulis parallelis invicem contiguis. Tegitur etiam pia matre, quæ vaſis ſanguineis plena eſt. Cerebello diſciſſo, ſecundum latitudinem, elegantiſſimæ ramificationes inſtar arboris apparent, quas ſubſtantia corticalis interſperſa medullari efficit. Annectitur vero cerebellum lateribus medullæ oblongatæ, ubi varii proceſſus obſervantur, nempe annulares, ovales, pyramidales, qui tendunt a pia matre, & copioſis vaſis cinguntur.

§. DCXCVI.

Vaſa quæ ducunt ſanguinem ad cerebrum ſunt Carotides & duæ Vertebrales. Carotidum rami eximii ſunt, & naſcuntur circa cordis regionem ex trunco arteriæ magnæ aſcendente, & quidem ſiniſter ex flexura hujus arteriæ ſimul ac egreditur ex ſiniſtro cordis ſinu, dexter ramus carotidum ex axillari dextra originem ſuam ſumit. Aſcendunt hi rami juxta latera aſperæ arteriæ, ubi etiam ſatis vehementi pulſu percipiuntur, & per ſinum ſic dictum Williſianum prope os petræ ſacta prius flexura calvariam ingrediuntur, & in loco ubi nervi optici ſitum habent, quos in proceſſu tangunt. Feruntur maxime per inferiorem cerebri partem, & ingrediuntur ad ſuperiorem cerebri portionem duramque matrem. Notatu vero dignum, quod tunicam craſſiorem ſuam deponant ipſo in cerebro, unde membrana ſaltim veſtiuntur tenuiſſima.

§. DCXCVII.

Præterea in cerebrum abeunt duæ arteriæ ex cervicalibus per foramen occipitis magnum; hæ cum carotidibus anaſtomoſi connectuntur, & rete mirabile fingunt, quod medullam oblongatam cingit, item plexum ſic dictum choroideum efformat; manifeſtæ hæ anaſtomoſes fiunt, quando ſiphone infunditur liquor coloratus in carotidem dextram, tunc per ſiniſtram, vel etiam ramos cervicales revehitur, ſicuti contra, ſi in cervicalem injicitur, remeat in carotides; ſimile etiam contingit cum flatu immiſſo.

Conſideratio Pathologica.

§. DCXCVIII.

Morbi qui ſedem habent in capite ex externa læſione maxime contingunt, recenſiti ſunt capite præcedenti; verbi gratia Cephalalgia, Tubercula, Hemicrania &c. Interni vero morbi cerebri, & ejus membranarum, ſunt ſequentes.

I. Duræ matris inflammatio cum febre, & delirio quodam, dici ſolet Phrenitis, & plena eſt periculi, præſertim ſi febribus acutis ceu ſymptoma ſupervenit, ut plurimum etiam jugulat.

§. DCXCIX.

II. Memoriæ abolitio fit a nimia cerebri humiditate ſecedente a ſanguine, ac membranarum nimia relaxatione, ſequitur plerumque apoplexiam & paralyſin, vel ſoporoſum affectum.

III. Affectus ſoporoſi qui ex ſero extravaſato inque cortice cerebri ſtagnante oriuntur, quando febris jungitur ſopori profundo, dicitur Lethargus, qui nunquam periculi expers eſt.

IV. Coma ſomnolentum, ſeu Carus, eſt profundus ſopor ſine febre.

V. Coma vigil dicitur, ubi ſub inclinatione in ſomnum, ægri, vigilantibus ſimiles, varia ſibi fingunt phantaſmata, & oculis clauſis varia fabulantur.

VI. Somnolentia eſt continua in ſomnum propenſio, cum capitis nutatione.

Cuncti hi affectus ex nimia humiditate cerebri, & ſanguinis ſtagnatione oriuntur, vel a decubitu horum ad caput fiunt.

§. DCC.

VII. Apoplexia dicitur, ſi abolitio eſt omnium ſenſuum & motuum voluntariorum, ſalva reſpiratione ac pulſu cordis; differt a ſyncope, quod in hac cor & arteriæ non pulſent, & etiam reſpiratio non adſit. Eſt autem vel ſanguinea, vel ſeroſa: Illa a ſanguine extravaſato in medullam oblongatam effuſo oritur, & valde periculoſa eſt. Hæc a ſero ſecedente a ſanguine fit, quod dictam medullam inundat, quæ quidem non funeſta ſemper eſt, ſed memoriæ abolitionem, & capitis, & actionum animalium languorem inſignem poſt ſe trahit.

VIII. Paralyſis dicitur ſenſus & motus abolitio in uno latere, ſalva ratiocinatione, & memoria manente; ſi vero actiones animales ſimul læſæ valde fuerint, & aphonia jungitur & defectus memoriæ fit, tunc dicitur.

IX. Hemiplexia; in Paralyſi ſedes morbi eſt in principio ſpinalis medullæ, in hemiplexia in medulla oblongata.

X. Paraplegia, in qua omnes ſub capite partes exſolvuntur, & periculi plena eſt, quia non unum latus medullæ oblongatæ, ſed utrumque affectum eſt.

XI. Pa-

XI. Pareſis eſt ſenſus vel motus privatio in aliqua parte, verbi gratia in manu, brachio, muſculis, non nervis inhæret malum, catarrhis ac rheumatiſmis familiare.

§. DCCI.

XII. Phrenitis eſt inflammatio meningum cerebri cum febre, furore, audacia; ſupervenit plerumque ut ſymptoma aliis morbis.

§. DCCII.

XIII. Mania eſt delirium cum ſumma audacia & furore junctum, ſed febre deſtitutum, a vehementi trajectione ſanguinis per caput, fortique fibrarum cerebri ſtrictura.

XIV. Melancholia eſt delirium cum triſtitia & timore, ſine cauſa manifeſta, a ſtrictura fibrarum cerebri, & tardiori ac difficiliori ſanguinis per id tranſitu.

XV. Hydrophobia eſt phantaſtica omnium humorum averſatio, inducta a morſu canis rabidi, lupi, &c.

XVI. Philtromania eſt furor ex amore inſano ortus; in fœminis vocatur furor uterinus.

§. DCCIII.

XVII. Vertigo eſt depravatio imaginationis circa viſum occupata, dum objectorum circumrotatio præſentatur cum oculorum caligine, vel motus voluntarii imbecillitate; fit a preſſione nervi optici ob ſanguinem carotides nimis diſtendentem.

§. DCCIV.

XVIII. Catalepſis dicitur, ubi ægri inſtar ſtipitis in eodem ſtatu ac ſitu permanent, in quo affectu fuerint deprehenſi, denegato voluntario membrorum motu.

§. DCCV.

XIX. Epilepſia eſt vehementiſſimus ſpaſmus duræ matris cum cerebri compreſſione & celeri ſpirituum involuntario in omnes muſculos corporis impulſu; quia omnes nerveæ membranæ in dura matre natales habent.

§. DCCVI.

XX. Motus convulſivi fiunt a motu involuntario muſculorum ob vehementem fluidi nervei in membranas, nervos, ac muſculos, præter animæ arbitrium, impulſum; oritur plerumque a membranarum medullam ſpinalem inveſtientium fortiori ſtrictura, quæ eſt ſpaſmus in dura matre, hoc eſt convulſio in ſpinali medulla.

§. DCCVII.

XXI. Vigiliæ immodicæ fiunt a rapidiori ſanguinis motu per cerebri vaſa, & hinc facta nervorum agitatione.

§. DCCVIII.

XXII. Inquietudo cum magna anxietate fit, a vellicatione ſeu irritatione nervoſarum partium, vel ob flatus, vel materiam erodentem aut inflammationem; ſedes mali plerumque eſt ventriculus.

§. DCCIX.

XXIII. Tremor partium, quorſum etiam ſpectat horror, & rigor, fiunt ex præternaturali agitatione & commotione nervorum & membranarum muſculos inveſtientium.

CAPUT III.

De Paribus Nervorum.

§. DCCX.

Cerebri procul dubio uſus eſt atque officium ut ab ipſo ſanguine per vaſa arterioſa allato ſeparet tenuiſſimum fluidum, quod ex noſtra ſententia nihil aliud eſt, quam ſubtiliſſima lympha aereo-æthereo-elaſtica, quæ per corticem cerebri glanduloſum filtrata, per minutiſſimos ac exiliſſimos medullaris ſubſtantiæ canaliculos demum in nervos infunditur, qui per totum corpus diſperſi, hujus ſubſtantiæ ſpirituoſæ portitores ſunt.

Oriuntur vero omnes qui ad partes corporis pertingunt nervi, vel ex medulla cerebri oblongata, vel ex ſpinali: eorum qui ex oblongata procedunt decem paria numerantur, nonnulli duodecim recenſent.

Primum vocari ſolet Olfactorium; 2. Opticum; 3. Oculorum motorium; 4. Patheticum; 5. Guſtatorium; 6. Intercoſtale; 7. Auditorium; 8 Vagum; 9. Linguæ motorium; 10. Cervicale: Duo reliqua paria ad muſculos cervicis pertinent, qui tamen potius ex ſpinali medulla, quam oblongata prodeunt. De ſingulis paribus jam ſeorſim.

Ium. quod eſt olfactorium, in homine molliſſimum ac tenuiſſimum eſt, atque ex ipſo cerebro in narium cavernoſam ſubſtantiam fertur: Quidam hoc cavum eſſe putant, quod tamen non ſemper viſitur, licet in quibuſdam ſubjectis notatum fuerit; ob id etiam plurimi dubitant, an ſenſui olfactus præſit, quem potius ramulo quintæ conjugationis ad nares intime penetranti recentiores adſcribere ſolent.

IIum. Par dicitur opticum, & eſt omnium maximum & craſſiſſimum, breviſſimum tamen; progrediuntur hi ex thalamis nervorum opticorum, & circa infundibulum cruciatim ſeſe interſecando uniuntur, & perceptionem objectorum in oculis conſtituunt. Notavimus tenuiſſima vaſa hos ipſos nervos ambire.

IIIum. Par dicitur oculorum motorium; oritur ex baſi medullæ oblongatæ prope infundibulum, & per orbitam ad oculorum tranſit muſculos, quibuſque etiam motum impertit; unde etiam videmus in gutta ſerena, quæ nervorum opticorum affectus eſt, oculorum ſalvum & incolumem manere motum.

IVum. Par Patheticum dicitur & eſt valde ſubtile; naſcitur prope tertiam protuberantiam, & in orbita ingreditur trochlearem oculi muſculum, qui oculum ſurſum, verſus & circum trahendo ipſos ad angulos inclinat, in animi pathematibus ſuum officium exercet.

Vum. Nervorum par ſeu conjugatio quinti paris eximio uſu gaudet, & non modo guſtui, ſed & omnibus externis capitis partibus inſervit, ut earum ſenſum & motum adaugeat. Nam primo ad muſculos, deinde ad mandibulam ſuperiorem & inferiorem, ubi dentes inſeruntur; tertio ad palatum & fauces; quarto ad narium muſculos, ad narium tunicam pituitariam; quinto ad oculorum palpebras; ſexto ad oculos ſuos tranſmittit ramos. De hoc pari mittitur quoque ingens ramus ad pectus, & concurrit ad conſtituendum nervum intercoſtalem, oritur e lateribus proceſſus annularis; Hujus vero paris ramificationes inſignes, & ſcitu neceſſariæ Medico ſunt. Accurate has deſcribit VIEUSSENS *in Neurologia p.* 234.

Nervus VIæ. conjugationis ex proceſſu annulari oritur,

oritur, & circa ſellam equinam calvariam permeat; quædam cum ramificationibus nervorum quintæ conjugationis ſeſe uniunt, & nervi intercoſtalis principium efformant.

Nervi VIImæ. conjugationis dicti Auditorii, ex media ovalis centri regione prodeunt, juxta paris vagi radices & duos ramos a ſe ſpargunt, unum molliorem, qui per os petroſum ſpargitur, & ad labyrinthum, concham, & cochleam fertur, & in membranam, ibi deſinit, qua ſenſus auditus fit. Mollior quoque hujus pars coaleſcit cum pari vago, unde tanta inter aurem & viſcera, quibus par vagum proſpicit, eſt conſenſio, ut pro diverſo tono, non modo in cerebello ſeu cerebro, ſed & in præcordiis & univerſo corpore diverſi motus fiant. Durior pars hujus nervi ex oſſe petroſo tympani membranam ingreditur, & pergit ad ductus Euſtachianos, nec non in internis aurium muſculis terminatur; abit quoque hic ramus ad muſculum maſſeterem & adjacentes auris glandulas, necnon ad muſculum maxillæ inferioris quartum.

VIIIum. Par eſt magnum, & dicitur vagum, quia vagatur per totum fere corpus, haudquaquam vero capiti ſervit. Hujus radices exiguis fibris conſtant, collocantur ſupra corpora olivaria, quibus ex tranſverſo reciſis, ut notat Vieussens, animal intra XX. horas moritur, conſtituunt par intercoſtale. Exeunt hi nervi e foramine magno, per quod etiam tranſeunt ſinus laterales in venas jugulares. Exquiſita horum nervorum diſtributio, nec non ſtructura Medico valde eſt neceſſaria, ut motuum præternaturalium cauſas agnoſcere, & qua ratione conſenſus unius partis cum altera celebretur, & inde varia pathemata oriantur, poſſit intelligere. Hic nervus communicat primo cum muſculis cervicalibus, & ſuas propagines committit muſculo ſcaleno, maſtoideo, & ſternoideo, unde deducitur ratio quare in tremore & terrore inſolito circumagatur cervix, quæ etiam in quibuſdam animalibus ab indignatione intumeſcit, & cur cervix in affectibus pectoris & abdominis, ubi par octavum eſt, in conſenſum trahatur. Ita quare etiam iratis in animi pathematibus facies palleat vel rubeat, prout nempe vaſa colli, quæ ligantur & vinciuntur nervis variis modis vel relaxantur, vel conſtringuntur, ſicque vel majorem vel minorem ſanguinis copiam vultui adferunt.

Poſtea pectoris cavitatem ingreſſus nervum recurrentem conſtituit. Dexter vero nervus recurrens reflectitur circa axillarem arteriam dextram, unde ſurſum elatus, propagines œſophago, aſperæ arteriæ & laryngis muſculis impertit, quare magna eſt ſympathia inter œſophagum, aſperam arteriam, & laryngem. Officium nervi recurrentis eſt ut trachææ annulos pro aere hauriendo & ſonos reddendo tanquam plicas follium diducat.

Cingit vero ramus recurrens etiam aortæ truncum deſcendentem & axillarem dextrum, qua ſtrictura horum vaſorum ſanguinis motus verſus caput, qui alias proprio motu tenderet, magis deorſum dirigatur. Præterea par vagum ramum emittit, qui fibras ad tunicas aortæ, dextrum pulmonis lobum, cor, & pericardii dextram partem largiatur, necnon pericardio perforato trunco deſcendenti venæ cavæ concedit.

Inſuper dexter ramus Paris vagi nervum intercoſtalem admittens, plexum pulmonicum dextrum conſtituit, ex quo innumeræ fibrillæ in tunicas œſophagi, ipſique appenſas glandulas, item in lobum dextrum pulmonum, & bronchia abeunt.

Porro nervus dexter paris vagi diaphragmate perforato in quatuor dividitur ramos, quorum tres ſuperiores ſupernæ & poſticæ ſtomachi regioni proſpiciunt, & ad pylorum uſque protenduntur, quo loco ſimul coaleſcentes cum intercoſtali dextro plexum hepaticum faciunt. Quartus ramus partim in pyloro, partim in pancreate & ductibus biliariis terminatur. Hoc enim plexu caput cum toto corpore conſentit.

Siniſter paris vagi ramus thoracem ingreſſus deſcendentem aortæ truncum ſuperſcendit, & in quinque propagines dividitur, quorum tres ſuperiores ſurſum reflexæ nervum recurrentem ſiniſtrum faciunt, qui uti dexter trachææ, laryngi, œſophago, & trachææ glandulis proſpicit. Quarta propago in nerveum plexum cardiacum ſuperiorem deſinit; quinta venam pulmonalem in modum annuli, ſimulque in auriculam cordis ſiniſtram terminatur.

Porro ſiniſter paris vagi nervus infra recurrentem nervos intercoſtales admittit, qui una coaleſcentes in pulmonibus nerveos plexus pulmonicos ſuperiorem & inferiorem efformant. Valde itaque ii errant, qui pulmones ſenſu privatos eſſe ſtatuunt, nam plures fibræ in eorum membranas abeunt, quare etiam pulmonum inflammatio non expers eſt doloris; præterea tonum pulmonibus adferunt, qui ad faciliorem reſpirationem, & ſanguinis tranſitum neceſſarius eſt, unde membranaceæ pulmonum veſiculæ aereæ non tantum vaſa ſanguinea, ſed & nerveas fibrillas recipiunt.

Siniſter perforato diaphragmate ad cordis ventriculum ſiniſtrum fibras quaſdam emittit, quæ cum concurrentibus nervis alterius lateris tantam inter eos & ſtomachum ſympathiam efficiunt, ut nimium laceſſito ejus ſiniſtro orificio animi deliquium quam facile ſuccedat. Ventriculus enim ſuum robur ac tonum qui conſtrictione in motu periſtaltico ſeſe exſerit ab his quoque nervis mutuatur; denique & horum nervorum beneficio fit, ut vellicata ventriculi tunica nervea ciborum appetentia in anima excitetur. Reſtant jam quædam de nervo intercoſtali dicenda, cujus notitia & diſtributio Medico in praxi, ad reddendas phænomenorum cauſas, & ſedem affectam explorandam ſumme utilis atque neceſſaria eſt. Principium hic nervus ſumit ex quinto & ſexto pari intra cerebrum, hi coaleſcentes juxta ſellæ equinæ latus deſinunt in truncum nervi intercoſtalis, qui inter tunicas carotides rependo e calvaria emergit, & dicitur eam ob cauſam Intercoſtalis, quia coſtarum radicibus accumbit, miſcetur hic nervus plerumque cum pari vago extra cerebrum, unde tantus eſt conſenſus cerebri cum iis partibus ad quas par vagum pertingit, nec non ratio inde deducitur, cur oculi & omnes faciei partes ad quas par quintum & ſextum abit ad præternaturales in præcordiis motus diverſas mutationes patiantur, item cur capitis partes præternaturali motu agitatæ motus in præcordiis in conſenſum protrahant, ſicuti patet in ſternutationis actu, ubi irritatis tunicis narium protinus diaphragma fortiter deprimitur, ac vehementer rurſus retrahitur, unde violentior fit exſpiratio, ſicuti quoque contra ſi quando diaphragma ſpaſmo afficitur, his nervis efficitur ut cachinnus excitetur.

Nervi intercoſtales e calvaria egreſſi in plures plexus gangliformes circa cervicem excurrunt, & quidem quatuor, quorum bini ſuperiores cum cervicalibus paris octavi coaleſcunt, unde fit ratio perſpicua, quare non raro ab hyſtericarum vel hypochondriacorum ſpaſmodicis pathematibus guttur in conſenſum trahatur, quaſi tumor globuloſus vel durus occludens fauces ibi formetur.

Notabile eſt quoque quod nervi paris intercoſtalis circa ſingulas colli & dorſi vertebras a nervis ſpinalibus ramum accipiant, unde fit ut hi nervi ſucceſſive ſemper majores, robuſtiores, & craſſiores evadant.

Hinc quoque haberi poteſt ratio quare ſpirituum animalium influxu per medullam ſpinalem obſtructam

ctam impedito, ut fit in paralyſi, vel ſi ſpina fracta fuerit, cordis motus adhuc vigeat, & ſenſus & motus in inferioribus partibus adhuc ſuperſit, dum nempe, quia per par octavum ſpirituum adhuc fit influxus; ob par vagum non obſtructum, adhuc ſalvus eſt liquidi nervei influxus. Ita etiam videmus in apoplexia, ubi cerebrum patitur, & ſpirituum ſic dictorum animalium nullus amplius fit in nervos influxus, pectoris tamen & cordis motu ac pulſu ſalvo manente, quoniam per medullam ſpinalem quæ incolumis eſt fluidi nervei ſeparatio adhuc viget, quod per intercoſtales nervos cum hiſce partibus communicat.

Nervi intercoſtales circa arteriam aſperam ſurculos emittunt quoque ad muſculos collum flectentes, unde læſis & affectis pectoris partibus, atque abdominis ad quas par hoc abit, cervix in conſenſum trahitur: Præterea ſupra plexum cervicalem ſuperiorem ramulus abit ad arteriam axillarem, quam circumligat, unde deſumitur ratio quare ſpaſmo his nervis affectis brachia evadant frigida. Abit quoque intercoſtalis nervus in carneam diaphragmatis ſubſtantiam, necnon in nerveum ejus circulum, quare titillatio in hypochondriis facta, viſionem in homine movet; abeunt quoque ex hoc nervo fibræ ad veſiculam felleam, ad pylorum, ad vaſa ductus choledochi, ad duodenum, pancreas, ut hepatis & abdominis conſenſus firmetur, ac inde partes hæ tonum & robur accipiant.

Præterea arteria hepatica circumcincta & ligata eſt nerveis hujus paris fibrillis, ut hæc ſanguinem citatiori motu in hepar infundat, ne ſanguis, quia totum hoc viſcus ex vaſis nervoſis conſtat pulſu carentibus, ibi ſtagnet, ſed expeditiori curſu progrediatur.

Porro quoque fibræ plexus hepatici nervei circa pylorum cum fibris nervi dextri octavi paris communicant, unde vellicato ventriculo, bilis e cyſtide fellea in duodenum promptius deſcendit, imo fortior ſpaſmus ventriculi in conſenſum etiam rapit ductus biliarios & cyſtidem felleam, quare vomitione bilis in magna quantitate ejicitur.

Abit hic nervus quoque præſertim intercoſtalis dexter ad renem dextrum ejuſque membranas, vaſa ac ſubſtantiam, unde magnus eſt conſenſus renis dextri cum partibus abdominis.

Abit quoque hic ramus, ex lumborum vertebris, & oſſis ſacri fibris multis acceptis, ad meſenterium; dividitur vero in duos ramos, exteriorem ac interiorem, exterior in ramum cruralem dextrum poſticum deſinit, unde ingens inter pedem, dextrum præſertim & inteſtina eſt conſenſus.

Quod attinet ad intercoſtalem ramum ſiniſtrum, ille ferme eodem modo ac dexter diſpenſatur, præter quod ingentem plexum cardiacum conſtituat, qui per cor & auriculas diſpergitur, nec non magna cordis vaſa circumligat, ut nempe pro vario animi & corporis motu ſanguinis motus etiam varie modificetur, majori vel minori nempe vaſorum conſtrictione facta, propter illum conſenſum nervorum conſentit anima.

Notabile etiam eſt quod ſiniſter ramus perinde ac dexter varias propagines in nervos dorſales inſerat, unde in omni nervorum intercoſtalium ſpaſmo reſpiratio ſimul lædi ſolet, quia hæc magna ex parte dorſalium miniſterio peragitur.

Deinceps abit hic ramus ſiniſter etiam ad ſtomachum, item lienem, cujus vaſa firmiter ligat, nec non ad renem ſiniſtrum, cujus vaſa etiam ſtringit; fertur etiam ad meſenterium; Quapropter harum partium magna inter ſe eſt conſenſio, hinc non mirum quare lienis inflationibus vel etiam nephritici & colici dolores ſuperveniant. Fit quoque ex hoc nervorum ductu, ut hypochondriacorum dolores e ſiniſtro latere in dextrum, & ex hoc in ſiniſtrum ſæpius decurrant, quia primo perturbatione facta a liene præcordia deorſum trahuntur & conſtringuntur, adeo ut ſumma pectoris anguſtia cum ſpirandi difficultate, deſperatione, melancholici obruantur, & mortem ante fores vel oculos ſuos exſpectare putent.

Quando renales nervi, qui amplectuntur arterias emulgentes ſpaſmo corripiuntur, frequens & copioſa, mictio, eaque dolorifica, excitatur. Plexus meſentericus ſuperior, plures nerveas fibrillas inteſtinis largitur, quæ periſtalticum perficiant motum. Rami hi tranſcendunt vaſa meſaraica, eaque firmiter ligant, ut curſum ſanguinis promoveant ac moderentur; abeunt quoque ad glandulas meſenterii & receptaculum chyli, ut nempe chyli motus per has vias promoveatur.

Plexus meſenterii medius fibras ſuas meſenterio, inteſtinis, aortæ deſcendentis & venæ cavæ adſcendentis tunicis largitur, inferius vero abſumitur in tunicam inteſtini recti, uterum, teſtes, inque femur, quare in hyſtericis omnia fere abdominis viſcera caput quoque in conſenſum trahuntur; quando nempe acris vellicans materia in utero ac teſtibus congeritur, unde etiam fit, ſi omnes meſaraici circa umbilicum contrahantur, ut globi figuram æmulentur, & imperiti Medici vel mulierculæ uterum adſcendere putant.

Ulterius ſiniſter ramus abit in cruralem poſticum, quare magnus etiam conſenſus pedis ſiniſtri datur, cum internis & externis partibus, nec non capite.

Tandem ad ureteres, item ad rectum inteſtinum, veſiculas ſeminales, proſtatas, & vicinas partes ſurculi quidam abeunt. Hinc ratio depromitur, quare dolor a calculo veſicæ totum corpus in conſenſum trahat, & convulſivos tremulos motus excitare queat; ratio quoque exinde fluit, quare affecto veſicæ ſphinctere ani ſphincter ſimul afficiatur, & contra.

Tandem etiam dicenda quædam de IX°. ac X°. pari nervorum. Illud ex corporibus pyramidalibus & olivalibus medullæ oblongatæ oritur, inſeritur linguæ radici, ejuſque ſubſtantiæ interiori; unde non modo hoc, ſed & quintæ conjugationis nervi & guſtum & linguæ motum perficiunt.

Decimum Par ex infima parte corporum pyramidalium & olivalium oritur, & ingreditur inter os occipitis & decimam cervicis vertebram in muſculos caput retrorſum flectentes, item aurium muſculos, & in proceſſibus maxillaribus abſumitur.

CAPUT IV.

De Oculis.

Oculi dividi poſſunt in partes externas & internas. Externarum ſunt ſeptem; ſcilicet, 1°. Tunica adnata, quæ e tendinibus muſculorum oculi producitur, & hinc tendinoſa vocatur. Quidam ejus originem a pericranio derivant, firmiter adhæret oſſi & orbitæ; naturæ eſt valde ſenſibilis, & fibras nerveas a pari quarto nervorum accipit. Gaudet multis vaſculis ſanguinis, tam arterioſis quam venoſis, quæ in ſtatu ſano vix viſuntur, in ophthalmia vero vel contuſione ſatis ſanguine turgent ut rubicunda fiat, in ictero vero flava eſt.

2°. Palpebra ſuperior, & inferior, quæ conſtat cartilagine, panniculo carnoſo tenui, cum pilis & muſculis; cartilago eſt in margine ſita circularem in modum, ne inæqualiter attollatur; uſus eſt ut circulum palpebrarum teneat expanſum.

3°. Glandulæ palpebrarum interius ſitæ, quæ maxime

ximè ſpectant ad palpebræ interiorem partem, ubi lympham deponunt. Sunt harum glandularum vaſa reperta a MEIBOMIO *in Tractatu de vaſis Palpebrarum.*

4°. Pili, qui dicti ſolent ſupercilia, ſunt pro tutela oculorum efformati, ne pulveres ab extra illabantur.

5°. Puncta lachrymalia ſunt duo foramina juxta angulum oculi internum ſita; ſetam equinam admittunt, & in ſaccum membranaceum deſinunt; ex hoc ſacculo canalis abit ad naſi interiora, quo humiditas ex oculo in nares exoneratur. Et hic canalis cum ſacculo objectum eſt fiſtulæ lacrymalis in cantho interno ſeu caruncula, ex qua lymphæ duo ductus in palpebræ ſuperficiem dehiſcunt.

6°. Pinguedo copioſior, quæ interjacet muſculis oculi, & interiorem orbitæ cavitatem occupat, quo liberiori motu oculi poſſint gaudere.

7°. Oculi orbita, quæ ſex oſſibus conſtat.

Partium internarum octo ſunt.

I°. Glandula lacrymalis magna, ſeu innominata, ſitum habet in ſuperiori parte oculi in angulo externo intra orbitam. Plures ductus palpebrales ex hac glandula in palpebræ ſuperficiem interiorem tranſeunt.

II°. Tunicæ oculorum, quarum excepta albuginea quinque ſunt.

1°. Cornea, quia eſt pellucida inſtar cornu pellucidi, a parte poſtica dicitur ſclerotica, ſed tunc non amplius eſt cornea, ſed valde tendinoſo-nervea, ut fulcrum vaſorum & muſculorum; originem mutuatur a dura matre, uti multorum Anatomicorum eſt opinio. Tunica hæc inveſtit & complectitur totum bulbum oculi cum ſuis humoribus, nam tunica eſt valde firma & robuſta, quam vaſa tam ſanguinea quam lymphatica tranſeunt, & muſculorum tendines ipſi adfixi ſunt.

2°. Uvea, a poſteriori parte dicitur choroides; ejus originem a pia meninge derivant; eſt enim tenerrima, intus nigricans. In hac exiſtit pupilla, quæ nihil aliud eſt quam foramen, per quod radii viſivi ab objecto ad humorem cryſtallinum & retinam tunicam feruntur. Conſtat ex duplici lamina fibrarum ſuperiorum & exteriorum quæ Iris audiunt, & inferiorum ſeu internarum, quæ ligamentum ciliare dicuntur.

Scholion.

Notabile eſt quod iris mobilis ſit dum dilatatur & conſtringitur; a conſtrictione anguſtius, a dilatatione amplius fit foramen; illud accidit quando oculus radiis ſolaribus vel igni obvertitur, quæ mobilitas vel conſtrictio ceſſat in gutta ſerena, quando hic motus pupillæ conſtrictorius vel dilatatorius penitus tollitur & aboletur.

3°. Tunica retina eſt valde tenſiva, candicans, & nihil aliud eſt quam nervus opticus expanſus; ambit interius totum humorem vitreum.

4°. Tunica cryſtallina; hæc humorem cryſtallinum complectitur ne diffluat.

5°. Tunica vitrea; hæc humorem vitreum claudit, ambæ hæ tunicæ ultimæ ſunt tenuiſſimæ, inſtar telæ aranearum.

III°. Oculorum humores, quorum tres ſunt.

1°. Aqueus, qui fluctuat inter tunicam corneam & uveam.

2°. Cryſtallinus, qui ſolidior eſt, figuræ convexæ, ſumme pellucidus, & componitur ex pelliculis copioſiſſimis invicem ſibi connexis & incumbentibus, quæ apparent quando exſiccatur.

3°. Vitreus, qui ſumme etiam pellucidus eſt, ſed fluidior cryſtallino, quem etiam quantitate ſuperat, in hujus medio ſitum habet humor cryſtallinus; ſi quis humores dextre in ſitu ſuo obſervare & inveſtigare cupit, is gelu debet prius conſtringere totum oculum, & tunc diſſectionem moliri.

IV°. Muſculorum qui oculos movent ſex numerantur; primus eſt attollens, ſecundus deprimens, tertius adducens, quartus abducens, reliqui duo dicuntur obliqui, quorum ſuperior tenuiſſimus ac longiſſimus eſt, ac dicitur trochlearis, & tranſit per cartilaginem ſitum in oculi cantho interno, mediante ligamento membranoſo, quod a figura trochlea vocatur; oculum enim movet in gyrum; inferior obliquus opponitur ſuperiori, oritur in parte inferiori orbitæ, non procul ab angulo externo, & trahit oculum verſus canthum externum.

V°. Nervi qui abeunt ad oculum, plures ſunt, primum par eſt opticum, quod craſſiſſimum, breviſſimum tamen, & ingreditur ipſum oculum & tunicam retinam; ſecundum dicitur oculorum motorium, quod per rimam orbitæ magnam ad plurimos fertur muſculos; tertium patheticum, quod abit ad trochlearem muſculum, & valde ſenſibile eſt ac ſubtile. Denique rami quidam ex quinto & ſexto pari, ad muſculum adducentem & abducentem perveniunt.

VI°. Arteriæ per fiſſuras ex carotidibus internis abeunt ad muſculos, & oculi tunicas, & venæ revehunt ad ſinus. Dantur quoque certa vaſa ac ductus, per quos pellucida ac delicatiſſima lympha ad humores pro ipſorum nutritione, abit, vaſaque revehentia, quæ partem aquoſiorem reducunt, adeo ut peculiaris circulatio lymphæ detur, quæ humorem oculi reſtituit. Deſcripta hæc vaſa ſunt in *Actis Erudit. Lipſ.* unde facile experimenti Burrhani ratio, cur humor aqueus exemtus viſu deperdito pauco tempore reſtitutus fuerit, viſu recuperato, explicari poterit.

Oculus cameram obſcuram repræſentat, quia omnia ea habet requiſita. 1°. Cameram obſcuram facit in oculo tunica choroïdes & uvea, quæ ambæ interius ſunt nigræ. 2°. Pupilla eſt foramen uveæ per quod viſivi radii objectorum ad tunicam retinam, quæ loco chartæ eſt feruntur, ut ibi imagines rerum repræſententur. 3°. Humor vitreus eſt loco lentis vitreæ convexæ, qua refractio ac inverſio radiorum fit. Quemadmodum vero in camera obſcura ſimplici vitro inſtructa, objecta ſemper inverſa præſentantur, erecta vero, ſi duplex lens fuerit convexa adhibita, ita etiam non tantum humor cryſtallinus, ſed & vitreus lentis vicem gerit, unde fit ut erecto ſitu objecta in ſenſum viſus incidant.

Tractatio Pathologica.

I°. Palpebræ ſuperioris obdureſcentia, quæ oritur a contractione muſculi pyramidalis ſpaſtica verſus fibrarum ſuarum principium.

II°. Ectropion, ſeu inverſio palpebræ ad exteriora, cum accretione carnis laxæ; oritur a conſtrictione fibrarum muſcularium ſphincteris palpebrarum.

III°. Paralyſis palpebræ, ubi nempe clauditur palpebra, nec rurſus attolli poteſt, ob nimiam atoniam & denegatum influxum fluidi nervei in muſculos palpebram attollentes.

IV°. Inflammatio palpebræ cum tumore aquoſo, ob ſtaſim ſeri vel ſanguinis in minimis vaſculis.

V°. Tuberculum Palpebrarum tarſo implantatum eſt, a figuræ ſimilitudine nomen habens, & hordeolum dicitur; eſt ſtagnatio ſucci nutritii in folliculo membranaceo depoſiti tardius ad ſuppurationem venientis; quando hordeolum durius fit ac immobilius, & candore ſplendeſcit, tunc dicitur grando.

VI°. Fiſtula lachrymalis ſeu ægilops eſt ulcuſculum fiſtuloſum in oculi angulo interno reconditum

oſſi narium cariem minitans & ſæpe efficiens; naſcitur quando ductus lachrymales narium obſtruuntur, unde lympha lachrymalis in ſacculo membranaceo ſtagnans & acrior facta, non modo tumorem, ſed & corruptionem, imo oſſis cariem inducit, unde niſi ductus deobſtruantur, oſſiumque corruptio auferatur, perpetuum ſaniei ſtillicidium oritur.

VII°. Eroſio ſuperciliorum cum rubore, ubi palpebræ ob lympham acriorem in glandulis ſtagnantem eroduntur; non eſt infrequens ſymptoma in infantibus poſt variolas & morbillos; accidit quoque in ſcorbuticis.

VIII°. Palpebrarum conglutinatio oritur a lenta & viſcida materia, quam glandulæ nimis relaxatæ admittunt, præſertim in infantibus.

IX°. Palpebrarum ingens tumor naſcitur ſæpius a fortiori contuſione, a cauſa externa præcedente, ob ſtagnationem ſeri.

X°. Ophthalmia, ſeu inflammatio tunicæ adnatæ fit a ſtaſi ſanguinis ejuſque circulo impedito in vaſculis ſanguinem vehentibus tam a cauſa externa, quam interna proficiſcens: Cognoſcitur ex tumore, dolore, & rubore adnatæ.

XI°. Sugillatio adnatæ dicitur quando macula lata pure ſanguinea in adnata viſitur, ob extravaſatum ſanguinem inter duplicaturam hujus tunicæ hærentem, tam a cauſa interna quam externa.

XII°. Hypopion, puſtula ſeu ulcuſculum adnatæ, naſcitur a lympha ibi ſtagnante & arrodente.

XIII°. Epiphora, ſeu perpetua ex oculis lacrymarum defluxio, plus minus, cum pruritu, rubore, dolore ac moleſtia ad lucem oculorum apertura; eſt affectus chronicus, quandoque etiam epidemicæ ſcorbuticis & rheumaticis familiarior, teſtatur de glandularum lachrymalium tono deſtructo, & facto ibi ſeri aquoſi decubitu.

XIV°. Oculi œdema vocatur inflatio humida tunicæ adnatæ & ſimul corneæ, ab uberiori affuſione ſeri, ejuſque inter lamellas carneæ & adnatæ ſtagnantis.

XV°. Pannus oculi eſt tunica albuginea quæ adnatæ adnaſcitur, quandoque corneam tegit, & ſic viſum impedit, dicitur etiam Cataracta externa; fit a ſucco nutritio oculorum tunicas irrigante copioſiori ibi ſtagnante; frequens vitium eſt infantibus variolarum morbum ſubſequens.

XVI. Nubecula oculorum eſt tenuis membranula corneæ adnata, ejus diaphaneitatem adeoque viſum impediens, fit ex lymphatico oculorum ſucco ſtagnante, lacteſcente; infantili ætati perquam familiaris, præſertim a variolis.

XVII. Uveæ procidentia fit quando rumpitur tunica cornea a cauſa interna vel externa, nempe ab exulceratione; manifeſtatur tumore, qui ad acini uvæ magnitudinem accedit.

XVIII. Cataracta ſpuria dicitur, ubi culices vel muſcæ quaſi volantes oculo videntur, quando per telam quaſi aranearum videmus, & hæc cataracta ſpuria ſæpe veram etiam in fieri antecedit, fit ab humore turbido, dum plures particulæ heterogeneæ viſcidæ terreſtres, per vaſa oculorum nimis aperta in humorem aqueum ex ſanguine & lympha transferuntur, ejuſque diaphaneitatem impediunt.

XIX Cataracta vera eſt, quando in ſuperficie humoris aquei ex ejus viſcidis & impuris terreſtribus partibus tunica quædam contexitur, ſæpe ſub papilla, quandoque etiam ſuper ipſam extenſa, quæ pro diverſo colore ac tenuitate varia nomina habet.

XX. Pupillæ nimia dilatatio, vel ejus nimia conſtrictio ſunt ſpecies paralyſeos, & fiunt quoque in paralyticis; dilatationi vero nimiæ jungitur plerumque cœcitas, ſeu gutta ſerena, nam pupillæ nimia conſtrictio magis ſpaſmi ſpecies eſt.

XXI. Glaucoma, ſeu viſus imbecillitas aut imminutio ex humoris cryſtallini vitio, dum ille vel nimium turbidus fit, naſcitur; curationem difficilem vel plane nullam admittit; apparet quando color glaucus in pupilla paulo profundius obſervatur.

XXII. Viſus depravatio eſt, quando objecta videntur duplicata, vel non linea recta, ſed obliqua in oculum decurrunt; hæc vitia naſcuntur a ſitu valde mutato humoris cryſtallini; accidit quandoque in deliriis, item in ſpaſmis vel convulſionibus, item in hyſtericis vel hypochondriacis.

XXIII. Myopia, eſt affectus ubi propinqua perſpicua, quæ paulo longius diſtant plane non, vel vix cernuntur; oritur ex nimia remotione tunicæ retinæ a foco humoris cryſtallini, vel etiam a nimia convexitate cryſtallini humoris; eſt malum plerumque hereditarium congenitum.

XXIV. Gutta ſerena eſt cœcitas, ubi nihil adparet præternaturam, excepta nimia dilatatione pupillæ in oculo, nullum vero objectum viſu percipitur; fit a nervo optico obſtructo vel compreſſo, aut nimis reſoluto; malum eſt difficilioris curationis, præſertim ſi inveteratum fuerit.

XXV. Strabiſmus fit a diſtortis oculorum muſculis ob ſpaſmum, unde Epilepſiæ frequens comes eſt; ſi vero vitium adnatum fuerit, vel per conſuetudinem contractum, tunc in uno latere muſculi oculum moventes nimia brevitate laborant.

XXVI. Convulſio oculorum, ubi oculi involuntarie in gyrum rotantur, ſeu ſurſum ac deorſum trahuntur, a contractis & convulſis oculorum muſculis nerviſque motoriis; aſſociatur hic affectus vehementibus motibus convulſivis.

XXVII. Dolor oculi gravativus preſſorius fit a nimia humiditate inter tunicarum interſtitia ſtagnante, & fibrillas premente; quare in hoc affectu ordinario bulbus intumeſcit.

XXVIII. Exulceratio oculi fit ex graviori & profundiori inflammatione, quæ ſi non diſcutitur, abit in exulcerationem, quæ latius ſerpendo non modo oculorum tunicas, ſed & humores depaſcit, ac plenarie viſum tollit.

XXIX. Carcinoma oculi eſt exeſio & conſumptio totius oculi putredinoſa, incipit plerumque in cornea ubi dolor inſtar clavi infixus hæret, a corroſivo humore ibi ſtagnante, qui auctis viribus poſtea latius ſerpit, & corroſiva putredine non modo ipſum oculum ſed & orbitam & maxillam ſuperiorem adgreditur atque depaſcit.

CAPUT V.

De Auribus & Auditu.

Dividi ſolet auris in externam & internam, illa ſuos limites agnoſcit in membrana tympani, quæ externam aurem ab interiori diſtinguit: Figuræ eſt ſemicircularis & convexæ atque ex cartilagine & tenui cute componitur: Diſtinguitur in partem ſuperiorem & inferiorem, quæ auricula ſive lobus auris dicitur, ſubſtantia admodum mollis eſt: externa circularis vocari ſolet Helix, interna Antihelix, ſpatium intra has circumferentias vocatur Scapha: Helices illi cum cavitatibus ſuis colligendo & reverberando aeri inſerviunt. Auris externæ interior profunda cavitas dicitur Concha, quæ recipit aerem inter helices exceptum, anterior pars conchæ piloſa & eminens dicitur Tragus, oppoſita Antitragus.

Con-

Continuatio conchæ eſt meatus auditorius, ubi cerumen aurium colligitur; naturæ eſt oſſeæ & cartilagine ac cute intus obducitur; inter hanc cartilaginem & cutem proſtant multæ glandulæ flavæ inſtar ſeminis milii, quæ aurium cerumen ſeparant; a qualibet glandula ductus excretorius per cutem in meatum auditorium penetrat, & pinguedinoſum flavum ſuccum adducit, qui, ne exſiccetur meatus auditorii membrana, humectat eam ac inungit. Recipit arterioſa vaſa a ramo externo arteriæ carotidis, quæ ſitum habet in parte auris depreſſa, ubi eſt concha; nervos accipit a pari quinto partim, partim a pari ſecundo cervicali.

Tympanum, quod ſeparat aurem externam ab interna, eſt membrana admodum tenuis, tranſparens tamen, ſuper oſſeum circulum tenſa; ſicut omnis membrana, ita & hæc eſt duplicata; Figura tympani externa cava eſt, interna convexa: RUYSCHIUS in ea vaſa ſanguinea, glandulaſque obſervavit.

Auris interna dividitur in Cochleam & Labyrinthum: illa eſt cavitas inter membranam tympani & labyrinthum. In cavitate auris obſervari quatuor oſſicula, ſcilicet malleolus, incus, ſtapes, & os orbiculare, & notari quoque debent tres muſculi laxator, malleator, & ſtapedis allevator; porro duo meatus debent conſiderari, primus ex cavitate proceſſus maſtoidei verſus tympanum fertur, alter ex tympani cavitatibus nares pertingit, cujus una pars eſt oſſea, altera cartilaginea; vocari ſolet ductus Euſtachianus. Deinceps duo foramina ſeu feneſtræ conſpiciuntur, ovalis nempe & rotunda; in illa nempe ovali muſculus ſtapedis quieſcit & immerſus eſt. Labyrinthus conſtat ex tribus partibus, ex veſtibulo, canalibus circularibus & cochlea. Veſtibulum eſt pars media inter canales ſemicirculares; tres ſunt: ſuperior & inferior κατ' ἐξοχὴν dicuntur labyrinthus, ſunt cavi & intus membrana molliori veſtiti; in cochlea tres ſpiræ ſeu circuli obſervantur. Fundus vocatur lamina ſpiralis; veſtiti ſunt nervo molliori paris ſeptimi: nam notabile eſt, quod nervus auditorius abeat in membranam, quæ totum labyrinthum, nempe veſtibulum, cochleam & ſemicirculares canales inveſtit ubi ſonus percipitur.

Tota illa mechanica & artificioſa auris ſtructura, quæ ex anfractibus & ſpiris conſtat, una cum tympano & meatus auditorii ductu, aeri colligendo, reverberando & multiplicando inſervit, quæ reverberatio aeris ad efficiendum ſonum valde eſt neceſſaria.

Tractatio Pathologica.

Auditus abolitio plenaria fit, vel a rupto tympano, vel ipſo corrupto per exulcerationem una cum muſculis & oſſibus auditus, vel ex vitio nervi acuſtici, quando ipſe aut nimis exſiccatur aut plane obſtruitur atque corrumpitur, unde habemus exempla ex nimia collectione ſeri huc delati, præſertim in morbo Hungarico vel aliis acutis paſſionibus, fuiſſe exortum; item a merculiali ſalivatione præſertim in cachecticis, ubi poſt mortem in diſſectis cadaveribus portio medullæ oblongatæ, quæ originem nervis acuſticis largitur, a ſero ſtagnante corrupta reperta fuit.

II. Gravitas auditus. Varias hæc quoque agnoſcit cauſas & primo fit vel a defectu auris internæ, vel ab obſtructione auditorii meatus, quando cerumen aurium gypſeam vel lapidoſam induit naturam; vel quando idem meatus tumore fungoſo, vel a glandulis aurium tumefactis obſtruitur; vel fit etiam ex vitio tympani, quando hoc nimium relaxatur, vel ab humiditate ibi collecta, vel ab externis medicamentis oleoſis improvide admiſſis, vel ab atmoſphæra nimis humida, quare obſervamus cœlo nubilo ordinario fieri auditum difficiliorem, qui cœlo ſereno auctior & promtior fit.

Interna ſeri in auribus collectio membranam organi auditus madefacientis oritur, vel quando glandulæ, quæ aurium cerumen fundunt, nimium relaxatæ inſignem humoris quantitatem a ſanguine ſeparant, vel a tunica proceſſus maſtoidei nimium relaxata oritur, quæ ſeparans inſignem humiditatem eam in cavitatem tympani infundit.

Denique quoque naſcitur auditus difficultas ex nimia tympani tenſione, tunc leviſſimi ſoni fiunt intolerabiles. Fit hoc, dum ex ſpaſmo muſculi auris ipſa membrana nimis tenditur. Tali ſymptomate quandoque ipſi hypochondriaci & hyſtericæ cephalalgia aut phrenitide laborantes affliguntur.

Vel oritur auditus difficultas ex nimia tympani exſiccatione, vel denſitate ejus vel craſſitie v. g. in ſenibus, vel ſi medicamenta ſpirituoſa improvide in aures inſtillentur.

Poſtremo auditus gravitas oritur ex nervi acuſtici nimia relaxatione, ſeu reſolutione paralytica, quare poſt inſultum apoplecticum qui paralyſi laborant, item fœminæ, ſi menſium ſuppreſſione laborant, gravem auditum ſentiunt.

Ex difficili auditu ſæpius laborare ſolent in febribus continuis, præſertim morbo Hungarico, ob decubitum ſeri ibi factum, ubi natura ſolenni & vitioſo quandoque motu ad partes externas materiam peccantem excrementitiam amandat, a qua obſurdeſcere ſolent.

III. Tinnitu aurium auditus quandoque depravatur; hic fit vel a membrana tympani nimis arcte tenſa, ſi humiditates in tympani cavitate collectæ in flatum ſive ventum reſolvuntur, qui membranam tenſam conſtringendo impetum ſive ſtrepitum ſuſcitat. Familiare vitium eſt iis quibus ſolennes ſanguinis & humorum ad ſuperiora congeſtiones fiunt, vel qui digeſtione laborant vitiata.

IV. Otalgia eſt inflammatio meatus auditorii, cum dolore acutiſſimo juncta, quæ quandoque apoplexiam & convulſionem minatur: fit a ſanguine ſtagnante in tunica nervea meatum hunc inveſtiente collecto; gignitur quandoque inde abſceſſus.

V. Exulceratio interna auris meatuſque auditorii, ſequens inflammationem, plerumque quando ea non diſcutitur, quæ ulceratio ſi gravior & profundior eſt, ipſum tympanum atque oſſa auditus aggreditur, quandoque ipſum os petroſum carioſum reddit, quod malum eſt fere incurabile & cognoſcitur ex pure fœtido, quod ex auris cavitate exſtillat.

VI. Ichoris ſeroſi & purulenti diuturnus & copioſus ex auribus effluxus, qui infantilem ætatem ſæpius infeſtat, fit ex nimia glandularum ceruminis laxitate. Quando vero glandulæ parotides ſimul ſunt exulceratæ, tunc quoque per poros & ductus vel meatus minimos materia purulenta in meatum auditorium penetrat. Talis aurium fluxus deſcribitur a BALLONIO *Lib. II. de morbis epidemicis pag.* 270. item ab HILDANO in *Cent. III. Obſ.* 3. a SCHENCKIO *Obſ.* 351. *Lib. I.* ab HAGENDORN *Centur. I. Hiſt.* 65. Tandem meretur quoque notari

VII. Sanguinis ex aure effuſio poſt fortem contuſionem, ictum aut lapſum; fertur hic ſanguis, non ex cerebro ut quidam perverſe opinantur, ſed ex oſſibus vicinis vaſiſque diſruptis fit, & in cavum vel hiatum tympani, quod ſpectat ad meatum auditorium, tranſit: per eundem meatum & flatus cum ſibilo & tabaci quoque fumus plenis buccis emittitur

CAPUT VI.

De Lingua.

Lingua inhæret faucibus atque laryngi, & oſſi hyoideo mediantibus muſculis atque ligamento membranoſo annectitur: in baſin & apicem dividitur; illa eſt latior pars, hæc anguſtior. Subſtantia ejus muſculoſa triplici tunica tegitur: (1) externa & poroſa in qua ſitum habent corpora illa papillaria, quæ guſtus organum genuinum conſtituunt: (2) cribroſa & reniformis, quæ corporibus papillaribus tranſitum largitur: (3) eſt papillaris ſeu nervoſa. Papillulæ triplicis ſunt generis; vel capitatæ vel conicæ ſunt figuræ aut figuram dentis apri referunt; pauciores ſunt capitatæ, plures tamen ſunt in homine quam in aliis animantibus: apparent ſicut capita acicularum; Conicæ ſunt mollioris texturæ; Aprinæ ſunt in baſi linguæ majores. Nil vero aliud ſunt hæ papillulæ, quæ linguam inveſtiunt, quam nervorum atque tendinum extremitates; præterea variæ glandulæ tunicis ſunt intertextæ, quæ copioſiores & majores in baſi conſtituunt foramina quæ cellæ vocari ſolent. Convenit vero linguæ ſtructura cum cutis textura quæ etiam partim papillaris partim reticularis eſt.

Muſculorum paria ſunt quinque. Primum dicitur *genioglosſum*, & oritur ſub mento ab interna parte inferioris maxillæ & per totam linguæ longitudinem extenſum eſt & deſinit in oſſis hyoidis baſin, hi muſculi linguam retrahunt. Secundum par eſt *baſiogloſſum*, quod linguam antrorſum & retrorſum movet, originem ducit ab apice linguæ & deſinit in baſin oſſis hyoidis & hæc duo muſculorum paria ſunt maxima. Tertium par dicitur *ceratogloſſum*, quod flectit linguam in latus; hi muſculi circa linguæ circumferentiam jacent & ad extrema cornuum hyoidis exporriguntur. Quartum par eſt *ſtylogloſſum* & originem circa appendicem ſtyliformem oſſis temporum habet; in principio valde eſt gracile, ſed incraſſatur, ubi linguæ accedit, ad ejus latus etiam abit, nam linguam diducit ad latera. Quintum par eſt breviſſimum & dicitur *Myloglosſum*; oritur ab inferioris maxillæ interno latere circa molarium dentium radices initio lato fibris transverſis: ſub linguæ baſi in ligamentum, quo faucibus ligatur, inſeritur & movet linguam ſurſum ac deorſum. Sub lingua glandulæ maxillares deliteſcunt, utrinque duæ externæ & internæ: externæ exiguæ ſunt inque medio maxillæ inferioris ſitæ: internæ ſunt majores & conglomeratæ juxta muſculum geniohyoideum jacent; vas excretorium habent a Warthonio inventum, cujus orificium ſub lingua conſpicitur & ſalivam effundit. Vaſa arterioſa quæ ad linguam feruntur proveniunt ex ramo externo carotidis, & proſtant ad nares & fauces; venæ vero in venam jugularem externam deſinunt; Quidam etiam ramuli juxta frenulum jacent & venæ raninæ vocantur. Nervi a pari quinto, item a nono linguæ juxta latera inſeruntur; quintum ad guſtum, nonum ad linguæ motum facit.

Tractatio Pathologica.

Lingua variis obnoxia eſt vitiis.

I. Tumore inſigni interdum corripitur, qualis fit vel ab inflammatione, vel a ptyaliſmo mercuriali, aut a ſcorbuto vel cachexia ſcorbutica; quando videlicet ſanguis & humores non modo ad caput, ſed maxime ad linguam magno cum impetu ex partibus inferioribus rapiuntur ac transferuntur.

II. Ulcus linguæ benignum vel malignum: ho- omnem fere Medici operam eludit & periculi expers non eſt: Vid. *M. N. C. Dec. II. Obſ.* 10. nam talismodi ulcus ſæpe fit cancroſum. Vel a ſalivatione mercuriali in ſcorbuticis naſcitur in medio fere linguæ quam exedit, junctum quandoque cum inſigni hæmorrhagia; vel abſceſſus in lingua generatur: Vid. *M. N. C. Dec. II. Ann. III. Obſ.* 136.

III. Ulcuſcula linguæ, palati, faucium, ardentia, quæ a Græcis aphthæ nominantur, in ſuperficie linguæ, palati, faucium hærentes, magna cum moleſtia & ſenſu ardoris juncta ſunt, ſcorbuticis ac hypochondriacis familiaria.

IV. Aphthoſa linguæ cruſta palato firmiter adhærens quandoque candicans, præſertim in infantibus. Vid. *M. N. C. D. III. Ann. III. Obſ.* 200.

V. Tumor ſub lingua, qui ranula vocatur, qui poſteriorem ranæ partem quodammodo refert; mollis eſt & laxus; linguæ vinculo maxime adnaſcitur, & fit à lympha tartarea terrea viſcida in glandulis fibriſque laxioribus hærente & diſpoſito. Calculi quandoque etiam hoc in tumore generantur, qui exſcindi debent: Vid. *Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann.* 5. *Obſ.* 142.

VI. Linguæ vulnera fiunt quandoque a dentibus ſeu dentitione in epileptico paroxyſmo, vel ab inſtrumento ſecante aut urente; ægre conſolidationem admittunt.

VII. Guſtus abolitio fit ſæpius in febribus, ubi omnia quaſi putridum lignum ſapiunt; fit partim ab obſtructione papillularum nervearum à muco tenaci viſcido, partim à lympha ſalivali corrupta ſalſa; fit quoque ſæpius in catarrhis, lingua & faucibus inflammatis.

VIII. Loquelæ abolitio ſeu aphonia, quæ vel a nativitate vel ex vitio nervorum oritur; fit ſæpe a læſione externa capitis vel cranii in apoplexia, epilepſia infantili, ſæpius à vermibus, item ab ulceribus capitis exſiccatis; fit etiam quandoque a tumore nervos recurrentes premente.

IX. Imminutio loquelæ, quando ſaltem quædam literæ non exprimuntur, vel quando quis in ſermone non bene progredi poteſt & ſæpe eandem ſyllabam repetit, qui affectus dicitur linguæ præcipitantia. In infantibus cauſa eſt plerumque muſculorum imbecillitas, vel prava linguæ & ejus muſculorum conformatio.

Notandum ulterius eſt linguæ colorem magnum in morbis judicandis præbere indicium, quare inſpectionem ejus in morbis HIPPOCRATES egregie commendat; ſtatum enim ſeu conditionem lymphæ manifeſtat; nam quando nimis rubicunda apparet ſanguinis nimiam ebullitionem denotat; ſi alba & livida eſt ſtatum cachecticum patefacit; ſi vero ſicca & arida eſt, fiſſuris plena acredinem & internum calorem denotat; nigricans tumida lingua inflammationem faucium in ſphacelum vergentem præſagit, quando lentore mucido quaſi cruſta caſei obducitur, ut in febribus ardentibus, tunc ſignum eſt valde corrupti & ſtagnantis ſeri. Nimia linguæ humiditas & copioſus lymphæ affluxus notat ſanguinem non bene cum ſero miſceri & promte circulari, ut fit in hypochondriacis, melancholicis.

CAPUT VII.

De Dentibus.

Dentes ſunt partes corporis oſſeæ ex ſubſtantia duplici, una lapidea duriſſima, nempe ex terrea, altera molliori ac poroſiori conſtantes; intus gau-

dent cavitate quadam & maxillarum alveolis per gomphoſim inarticulantur. Externa ſubſtantia lapidis quaſi ſpeciem præ ſe fert, ſed quia in aqua forti more aliorum oſſium diſſolvitur, quod lapidibus negatum, hinc meritò ſubſtantia eorum duriſſima oſſea dici ſolet; Durities vero ex eo apparet, quia vehementi dentis attritu cum chalybe ſcintillulæ elici poſſunt. Interior ſubſtantia mollior eſt, hinc facile ob poros laxiores conſumitur & reſolvitur, hinc quoque carie maxime afficitur & læditur; tegitur cortice ipſa lapidoſa dura ſubſtantia exteriori, ne facile ciborum acres reliquiæ ibi reſideant eamque lædant. MALPIGHIUS in *anat. plantar. pag.* 19. *edit. Londin.* obſervat quod lapidoſæ ſubſtantiæ ſtriæ obliquo ſitu in circellos terminentur; interior vero ex multis fibrarum planis ſecundum longitudinem ſibi firmiter ſuperinductis conſtructa ſit, externa ſubſtantia ex circulis planis.

Cavitas in dentibus reperitur quæ maxime in baſi eximior, & reperitur inibi funiculus mucoſus veſicæ oblongæ forma ex tenuiſſimis vaſis ſanguiferis, membranulis nerveis & ſubſtantia quadam glutinoſa compoſitus, qui etiam uſque ad dentis extremitates pertingit, ſed ibi ob membranulas quodammodo conſtrictus durior & rubicundior apparet, hic in dente ſecundum longitudinem diſciſſo optime conſpicitur; In infantili ætate cavitas magis ampla & magna eſt, tenui ſquammula ad ſeptimum annum circumſepta, quæ tamen in adultis ſucceſſive minuitur: hoc in dente vitulino optime videri poteſt. Mucoſa ſubſtantia, quæ in cavitate dentis ſubſiſtit & dentium nutrimentum eſt, quo robuſtiores & firmiores fiunt dentes, eo magis ipſa conſumitur: oritur mucoſitas ex ipſo ſanguine per arteriolas minimas externæ carotidis allato, unde in folliculis membranoſis interne apparet rubicundus. Quod vaſa ſanguinea ad cavitates dentium pertingant, vel ex eo patet, quia ex dente facto carioſo interdum ſuctione purus ſanguis vel ichor elicitur.

Quomodo dentes generentur in utero materno & duplex eorum ordo in ipſo embryone obſervetur, de hoc legi debent EUSTACHIUS & *Diſſertatio noſtra de Phyſiologia & Pathologia dentium*, quia dentes acceſſu novi nutrimenti augentur ac extenduntur, hinc neceſſarium eſt ut majus ſpatium etiam occupent & ex gingivis protrudantur.

Senſum quoque poſſident dentes qui aliis oſſibus negatur, non quatenus ex oſſea ſubſtantia conſtant, ſed quatenus ſingulis dentium radicibus tenuiſſimi nervorum ſurculi ex quinta conjugatione derivandi implantantur, & non modo dentium cavitatem cum vaſis ſanguineis ingrediuntur, inque folliculum membranoſum deſinunt, ſed quatenus etiam per ipſam dentium oſſeam ſubſtantiam diſſeminantur vel diſperguntur, quod maxime fit in molaribus, hinc etiam hi magis ſtupore quam reliqui afficiuntur.

Quod attinet ad numerum dentium, ſi ſunt completi debent eſſe triginta duo; fœminæ ut plurimum viginti octo habent. HIPPOCRATES *Lib. VI. Epidem.* numerum dentium inter ſignum longævitatis numerat, adeo ut quo numero plures quis habeat dentes, eo vivacior & longævior evadat. Dentes dividi ſolent in inciſores, caninos & molares; inciſores ſunt quatuor lati & acuti qui inſtar cultri cibos dividunt, vocari etiam ſolent lactei, quia primo ſolent prodire.

Canini, qui inciſoribus ſunt proximi, in utraque maxilla duo ſunt; ſunt longi & acuti, baſin habent amplam & radicem quoque longam: Superiores duo vocari ſolent oculares, quia evulſi ciere ſolent oculorum moleſtias, quoniam eorum nervi cum nervis oculorum communicant, ut pote nervus ex oculi orbita inferiori per foramen maxillæ egrediens ad partem nempe dictos dentes propagatur.

Molares ſunt viginti ampliores, aſperiores & lata ac inæquali baſi conſpectiores. Color dentium quo candidior eo melior; ſanitatis enim judicium talis color præbet & denotat bonam conſtitutionem lymphæ. Dentes maxillarum alveolis & foſſulis clavorum in modum infiguntur, ut non facile commoveantur aut vacillent, neque vero paribus radicibus collocati ſunt, utpote inciſorii & canini una tantum gaudent radice, molares ſuperiores tribus, priores duobus, poſteriores tribus maxillæ ſunt infixi: Inferiores molares omnes duobus ſaltem inſtructi ſunt, quia maxilla inferior durior, laxior vero & mollior ſuperior, deinde ſuperiores ſunt penduli, hinc fulcris & vinculis quaſi opus habent pluribus. Præterea notabile eſt, quod radices omnes dentium membranaceis, nerveiſque ligamentis interius cinctæ ſint, quibus ceu loculis firmiter inhærent, exterius vero has ipſas radices gingivalis ſubſtantia ambit & circumcingit. Eſt vero gingivalis caro dura & ex fibroſis lamellis juxta ſe invicem collocatis conflata, innumeris ſanguiferis capillaribus vaſculis intertexta, unde etiam intenſa rubedine tincta eſt. Deinde gingiva copioſis membranulis, glandulis ac nervorum ramificationibus ſcatet, unde admodum ſenſibilis & perpetua humiditate irrigatur; Hæc caro inſtar valli dentes cingit & loco muſculorum roborat ipſos, quare carne gingivali corrupta aut conſumta vel reſoluta dentes facile excidunt vel vacillant. Membrana autem, quæ immediate dentium radices inveſtit, notante CLOPTON HAVERS, glanduloſa eſt: Perioſteo vero carent dentes, alveoli tamen eo gaudent quod cum ipſa membrana quæ dentes tegit coaleſcit, ut quaſi unam conſtituere videatur. Uſus dentium eſt maſticatio, ſive ciborum ſolidorum inciſio, diffractio & comminutio, quare quidam totam concamerationem & ſtructuram dentium microcoſmicam molam vocant. Secundarius uſus eſt vocis alteratio dum inſtar valli linguæ aërique refluenti objiciuntur, quare infantes qui carent dentibus vagitum edunt.

Tractatio Pathologica.

Inter morbos dentium conſiderari meretur:

I. Eorum caries, cujus individuus comes eſſe ſolet fœtor; corripere maxime ſolet dentes molares, quia in ſuperficie corticem teneriorem habent & multis aſperitatibus præditi ſunt, ubi ciborum reliquiæ hærent, acres evadunt & ſubſtantiam dentium depaſcunt. Incipit vero caries exterius cum parvo foramine nigricante, interdum etiam a cauſa interna fit, ſero nempe acri, acido in ſcorbuticis & incipit quoque interius; neque immunes ſunt a carie ipſæ maxillæ, quam humores acres ſcorbutici vel etiam venerei quandoque inferre ſolent, in leviori nempe & profundiori eorum ſubſtantia. Naſcitur ſæpiſſime à ſanie carioſi dentis, qui per radicem ipſam maxillam aggreditur, & primo efficit fiſtulam quæ nequit curari, niſi evulſo dente; quod ſi vero non evellitur, tunc ipſa ſanies ſubſiſtens in ſuperiori maxillæ ſubſtantia inſignem ibi facit exulcerationem & corruptionem, adeo ut quandoque tota maxilla corripiatur & a carioſa abſceſſu abſumatur: vide *Miſc. Nat. Curioſ. Dec. II. & V. obſ.* 232. HILDANUS *Cent. IV. obſ.* 121. SCHENCKIUS *Lib. I. de maxillis pag.*213.

II. Tartarus dentium, qui firmiter ipſis circa radicem adnaſcitur & ſucceſſive etiam eorum ſubſtantiam conſumit; fit à lympha gingivali tartarea. Affectus eſt familiaris ſcorbuticis, arthriticis & infantibus multo ſaccharo & dulcibus veſcentibus.

III. Odontalgia, ſive graviſſimus dentium dolor, qui fit, vel à cauſa interna, rheumatiſmo ſive ſero

acri ſalſo ligamenta dentium nervea infeſtante, vel etiam ipſum funiculum membranoſum in cavitate dentium exiſtentem occupat, præſertim ubi dentis exterior caries adeſt; vel fit a ſola cauſa externa in carioſis & cavis dentibus, maxime v. g. à nimio frigore admiſſo, potu nimis calido vel frigido, ſaccharatis & dulcibus quæ odontalgiam cauſantur; hoc vero modo cauſata facile poteſt curari. In ſanguineis convenit venæ ſectio in lingua, clyſteres ubi alvus adſtricta, lenia laxantia, diaphoretica, externe diſcutientia, ut flores ſambuci, chamomillæ &c. in ſacculo.

IV. Fiſtula ſeu potius cavitas in maxilla ſuperiori, quæ in ipſum ſinum maxillarem, ſeu antrum Highmori deſinit: vid. Diſputatio noſtra de dentibus.

V. Dentitio difficilior, quæ circa duo tempora infantes maxime cruciat; alterum dicitur germinationis, alterum eruptionis: difficilis vero & magno cum dolore jungitur. Vel dentium culpa eſt quando nimis duri & acuti ſunt, ut dentes canini ſeu oculares; vel in culpa eſt gingiva nimis denſa & calloſa quam penetrare nequeunt & continua vellicatione ingentes dolores creant, præſertim ſi non unus, ſed plures numero erumpunt.

VI. Dentium vacillatio ob ligamentorum nimiam relaxationem, quæ vel ab eorum corroſione vel ob conſumtionem eorum aut nimiam ibi ſtagnantem humiditatem oritur: Ex inunctione mercurii ad ſalivationem producendam in ſubjectis pituitoſis ſine præmiſſa purgatione nonnunquam cauſatur vellicatio dentium.

VII. Caſus dentium oritur ex ſphacelatione nimia & conſumtione gingivalis ſubſtantiæ, quod in ſcorbuticis novum non eſt.

VIII. Dentium ſtridor & eorum involuntaria & crebrior invicem concuſſio, fit plerumque à convulſione & ſpaſmo muſculorum in genis adductioni & abductioni mutua opera inſervientium, nec infrequens quoque ſymptoma eſt in vermibus, dentitione difficili, epilepſia.

IX. Stupor dentium eſt moleſtiſſimus ſenſus excitatus in membrana minima dentium à ſucco auſtero conſtringent.

CAPUT XVIII.

De Naribus earumque ſtructura.

DIviditur naſus in externum & internum: in exteriori parte primo dorſum, ſecundo longitudo excurrens ejuſque acuminata pars ſpina & partes duæ lateraliter adhærentes pinnæ conſiderari debent. Cingit vero naſum cuticula & cutis, cui ſubjecti ſunt muſculi; dividitur rurſus per ſeptum intermedium in duo foramina ſeu ſinus, & quivis ſinus dividitur rurſus in duas partes, quarum altera ſurſum tendit ad os cribroſum, altera ſupra palatum abit in faucium interiora; quapropter conſtat experientia ore per vomitum ejecta tranſire ſæpius per naſeum ductum. Præterea naſus componitur ex oſſibus & cartilaginibus: oſſa ſuperiores naſi partes conſtituunt & partim ſpectant ad os cribroſum, partim ad os maxillæ ſuperioris; cartilagines vero inferiorem naſi partem faciunt & recenſentur quinque, in quolibet latere duæ, media vero & infima ſeptum narium efficit.

Quatuor dantur paria muſculorum, duo dilatatoria, duo conſtrictoria; primum dilatatorium oritur circa ſuturam quod os frontis cum maxilla ſuperiori connectit & naſi pinnæ implantatur; alterum par ab oſſe orbitæ naſcitur, hoc partim in naſi dorſum exterius, partim in naſum ſuperius deſinit. Secundum conſtrictorium naribus prope extremitatem ſphincteris in modum circuli circumducitur. Quartum oritur interius ab extremitate oſſis naſi lateribuſque narium inſeritur.

Quod internam narium concamerationem ſpectat, deprehendimus 1) gyros anfractuoſos oſſeos triplices, qui ſcalæ, item oſſa tortuoſa vocantur; 2) deprehendimus ſinus ibi ſeu oſſium cavitates duodecim, nempe duo ſphenoidæi, qui intra os, quod ſphenoides dicitur, cavitates habent & ſellæ equinæ ſubjacent: ex his per unum foramen humores in binos meatus dilabuntur qui e naribus ad fauces ducunt. Ethmoidei ſex numerantur, qui frontalibus & ſphenoidalibus intermedii ſunt, in utroque latere tres & hi tenuibus oſſibus transverſis & nonnihil obliquis ab invicem diſtincti ſunt, quorum anteriores reliquis ſunt ampliores, in quibus etiam duo foramina reperiuntur, quorum beneficio anterior ſinus ethmoideus cum maxillari communicat; in oſſe frontis juxta naſi radicem duæ quoque extant ſinuoſitates dictæ frontales, quarum una ſæpius altera amplior eſt, & diſtinctas etiam fovet cellulas: in illorum ſinuum poſtica parte foramen eſt, quod narium poſteriorem partem ſeu portionem reſpicit. Præterea in maxilla ſuperiori duæ cavitates ampliſſimæ ſunt, in quarum ſuperna parte unum eſt foramen & brevis ductus, qui ex ſinubus ethmoideis anterioribus humorem recipit, vocari etiam ſolent hi ſinus antra Highmori, quia ab eo inventi ſunt. Sinus hi duodecim nec non os vomeris, omniaque oſſa ad narium fabricam ſpectantia membrana inveſtiuntur, quæ ob ſuum officium pituitaria dicitur; ſpongioſa eſt & glanduloſa, copioſiſſimis vaſculis inſtructa, ſublivida, quæ compreſſa mucum emittit; hæc ſi in aquam temperate calidam immittitur, ſpongiæ inſtar intumeſcit. Hæc inſtar cribri mucum ſeparat, illum per ductus in nares, qui congruum pituitæ & humorùm pituitoſorum ſunt emunctorium, derivat. Hæc tunica non eſt ubique æqualis craſſitiei; nam poſtica pars, quæ utriuſque oſſis palati parti annectitur, craſſior eſt & tota glanduloſa muciferis vaſis inſtructa, quæ vero oſſibus turbinatis ſeu ſquammoſis annectitur, magis denſa ac membranoſa eſt. Tunica pituitaria narium & tunica inteſtinorum præſertim recti uti & coli ſecernunt pituitam.

De oſſibus turbinatis uti & de fabrica narium præclara habet Caſſerius *Lib. III. cap. 26.* qui ſic ſcribit; In profundo narium recondita ſunt oſſicula illa oblonga ſpongioſa, quæ ſcalæ appellantur, eo quod gradatim unum ſupra aliud poſitum ſit; vocari etiam ſolent turbinata oſſa, quia figuram conchæ turbinatæ repræſentant; oriuntur ex parietibus narium oſſis, genarum cavitatem interne ſepientibus, ubi ex tenui initio exorta ſucceſſive concreſcunt & turbinis formam aſſumunt, undique libera videntur, & nunquam niſi ſuo principio alligata deorſum pendent; jucundum enim eſt ſpectaculum, hæc oſſa ſeu potius lamellas oſſeas, quæ non cartilagineæ ſunt, in varios cylindros tubuloſos & ſemicirculos oſſeos convolvi, & quaſi in diverſos ſpecus dividi, ubi nulla alia in aliam tendit. Dictum fuit, quod hæc oſſa cum cavitatibus ſuis tunica inveſtiantur nervea, quare ſenſu etiam exquiſito gaudent, nullumque dubium eſt quin hæc oſſa tam ſenſibili membrana inſtructa, ſint verum olfactus organon, cujus ſtructura in tunicæ narium multiplicitate, cum ex anguſto in anguſtum tendit & in concavitate oſſiculorum aerem odoriferum non tantum remorante ſed & reverberante conſiſtit.

Pituitaria vero tunica, quæ ſinus duodecim oſſium obducit, non tam ad ſenſum, quam ad muci ſecretionem deſtinata eſt; probe enim eſt tenendum, copiam muci, qui naribus ejicitur, non ex cerebro ſeu cavitate

tate cranii prodite, ut inepta fuit Veterum ſententia, quia os cribriforme, utut foraminulis copioſis inſtructum, nullam tamen quamvis fluidiſſimam materiam transmittit ex cavitate cranii ſeu cerebri ad nares, cum foramina illa dura matre & nervorum ramulis qui tranſeunt firmiſſime ſint occluſa, ſed potius omnis mucus ex membrana hac narium pituitaria profluit, ubi ſi diutius moram nectit ab aere frigido, præſertim nocturno, concreſcit.

Vaſa quæ ad hanc membranam feruntur & ſanguinem adducunt, ſunt arteriæ ex carotidum externarum ramo, venæ vero ad venam jugularem externam ſpectant. Nervorum ramuli ex quinta conjugatione derivantur qui olfactui inſerviunt.

Tractatio Pathologica.

Inter affectus & vitia quæ nares obſident, numerari poteſt

I. Nimia muci effuſio, quæ in ſubjectis pituitoſis, infantibus, quandoque etiam ſenibus, & ubi ſalſi acres humores ad tunicam narium defluunt, ſæpiſſime viſitur, facile poſt ſe trahit deperditum odoratum.

II. Nimia narium ſiccitas, quæ fit ex tunica glanduloſa nares inveſtiente partim obſtructa, partim obdurata, talis fit vel a nimio ſternutatoriorum uſu, vel etiam a fortiori ſtrictura membranæ in hypochondriacis & ſpaſmodicis affectibus, præſertim in capitis paſſionibus, vertigine, cephalalgia & aliis.

III. Narium hæmorrhagiæ, quæ fiunt ex apertione arteriolarum membranas narium percurrentium, quando a ſanguinis copia & impetu nimium diſtentæ tandem rumpuntur; ſunt perquam familiares ætati juvenili, item plethoricis, ſi aliis conſuetis ſanguinis evacuationibus carent.

IV. Ulcus narium ſive ozæna, quod ſæpius quoque fit carioſum & ſquammoſa oſſa exedit; ſymptomata ſunt ſcorbuti confirmati nec non venerei mali ob corroſivam acrem lympham ibi ſtagnantem in putredinem vergentem.

V. Narium polypus, qui eſt concretio carnoſa, fungoſa, ex nimium diſtentis & ampliatis vaſis ſanguineis & lymphaticis in tunicis exiſtentibus facta, dum ſuccus nutritius glutinoſus ex ampliatis poris profluens concreſcit, interdum altiores radices habet, uſque ad ſinus cranii penetrantes.

VI. Coryza eſt nimia ſeri ex naribus profluxio cum frequenti ſternutatione ob decubitum ſeri nimium in hiſce partibus factum propter tranſpirationem prohibitam & glandulas cutis conſtrictas; fit plerumque vernali & autumnali tempore, ubi ingens aëris eſt inæqualitas; comitem habet plerumque tuſſim & mutationem caloris.

VII. Vehemens & continua ſternutatio, per paroxyſmos ſæpe revertens, ob acrimoniam lymphæ & nimiam nervoſarum partium irritationem; præcedit ſæpius epilepſiam.

VIII. Odoratus abolitio; naſcitur hæc ex nervis olfactoriis obſtructis vel induratis, aut membrana oſſium ſquammoſorum calloſa facta.

IX. Depravatio odoratus; fit hæc ex nimia humiditate & relaxatione membranæ, quæ ſubjectum odoris eſt; & notabile eſt, quod depravato odoratu alter ſenſus nempe ſapor vitio etiam laboret.

CAPUT IX.

De faucibus, glandulis ſalivalibus, uvula & amygdalis.

TOta palati regio interius cincta eſt tunica, ſub qua, bene notante STENONE, innumeræ glandulæ ſitæ ſunt, quarum quævis ductum habet excretorium, & oſculum quoddam, quod compreſſione facta lympham emittit. Hæ glandulæ ratione figuræ & amplitudinis ſunt inſtar lentis & madidam ſervant faucium cavitatem. Præterea in poſteriori faucium regione duæ majores glandulæ, ratione figuræ & magnitudinis amygdalæ dictæ, alias tonſillæ, ſitæ ſunt ad latera faucium, inque medio harum pendet uvula. De hiſce ſcribit WARTHONUS, quod habeant ſinum utrinque unum communem, amplum, & ovalem, in os apertum, intra cujus fibriam duos majores & plures minores ſimiles obtinent. Ubi vero amygdalæ craſſiſſimæ ſunt, earum ſinus communis aperto oſculo in guttur hiat: VERHEYEN dicit, quod plures minores offenderit, quarum pleræque capitis aciculæ vel ſeminis orobi erant capaces. Obtinent arterias ex carotidibus & venas ex jugularibus, nervos vero ex quinto & octavo pari accipiunt. Glandulæ hæ ſeparant mucum qui non modo fauces lubricat, ſed & cibos ad œſophagum tranſeuntes humectat, ut eo melius queant deſcendere.

Inter amygdalas locata eſt uvula, quæ ſupremo digiti infantis articulo aſſimilatur, verſus palatum eſt craſſior, præterea cuſpidem obtuſam accipit; movetur duobus muſculorum paribus externo & interno, ille erigit uvulam & naſcitur a maxilla ſuperiori infra dentem molarem & uvulæ lateribus implantatur; internus oritur a parte inferiori alæ oſſis cuneiformis, atque inferius in uvulæ corpus deſinit, applicat uvulam palato; præterea uvula ſurſum tenetur quatuor ligamentis membranaceis. Uſus uvulæ eſt, non modo aërem frigidum, qui laryngem ambit, temperare, ſed & ad formandam vocem multum conferre, quare ea ſublata vox clara & ſonora perit; dein impedit quoque quo minus deglutiendus liquor in nares refluat.

Glandulæ, quæ in faucium regione ſitæ ſunt, in majores & minores diſpeſci poſſunt; ex majoribus parotides eminent, circa aures ſitæ, & ob tumorem, quo afficiuntur, lippis & tonſoribus notæ, ab utroque latere circa radicem auriculæ ſitum habent quam totam ambiunt. Hæc glandula, ſcribit VERHEYEN, parte anteriori in limbum expanſa, oblongam aliam & conglobatam ſinu ſuo abſcondit; ductum habet excretorium inſignem ab inventore Stenonianum dictum qui ſupra maſſeterem muſculum in eam oris partem, quæ dentibus molaribus maxillæ ſuperioris ſuperponitur, orificio ſuo hiat.

Minores glandulæ, hinc inde diſperſæ, ſunt innumeræ in palato, labiis, ſub lingua, viſu & tactu teſte; ab his ductus minores ſalivales, qui preſſione humorem eructant, emergunt. Tandem ſitæ ſunt glandulæ inter muſculum buccinatorem ipſamque cutem, quarum quævis canaliculo gaudet, à nemine hactenus deſcriptæ, a nobis vero aliquoties in anatomia demonſtratæ: vid. noſtra Diſſ. de neceſſaria ſalivæ inſpectione. Huc etiam ſpectant ductus iſti, qui lympham lachrymalem per nares ad os ducunt; de qua vid. diſſert. noſtra de ſaliva ejuſque morbis. Salivalis latex qui ſeparatur per haſce glandulas, non humor ſimplex eſt, ſed liquor valde ſubtilis activiſſimæ indolis, admixtus fermenteſcibilibus dulcibus ſuccis mox fermentationem excitat.

Eſt

Eſt quoque ſaliva genuinum ventriculi menſtruum, cujus beneficio alimenta intime diſſolvuntur, præterea multum facit ad ſaporem, quia promte ſal ſapidaſque ex alimentis partes extrahit & nerveis linguæ papillulis inſinuat: denique ſaliva ad meliorem deglutitionem ciborum admodum facit dum faucium & œſophagi cavitatem humectat.

Tractatio Pathologica.

Quod attinet amygdalas, has frequentius occupat

I. Tumor quandoque ſatis inſignis præſertim in infantibus, adeo ut non modo deglutitionem ſed & liberiorem tranſpirationem impedit, qui caſus etiam Chirurgi opem deſiderat, quando indureſcunt.

II. Earum inflammatio, quæ frequentius occurrit, tumore, dolore & rubore id teſtantibus, in febribus catarrhalibus, tempeſtate præſertim diuturna humida regnante, ſi eam protinus borealis frigida excipiat cura.

III. Earum ſuppuratio, qui rarior tamen affectus eſt, & anginoſam quandam inflammationem ſupponit.

IV. Perpetuum humoris fœtidi craſſi ſtillicidium quale viſitur plerumque in ſcorbuticis & quandoque fit cum eroſione.

Uvula ſuos quoque patitur manes, & eſt

I. Laxitas ejus & prolongatio, qui affectus eſt frequens ob flacciditatem ligamentorum & muſculorum relaxationem nimiam, in ſubjectis humidis; ordinario impedimentum facit deglutitionis.

II. Inflammatio uvulæ in acri catarrhali defluxione.

Fauces quoque afficiuntur morbis, ut pote non modo

I. Tumor & inflammatio ipſas occupat, ſed maxime omnium

II. Ulcuſcula parva à Græcis ἄφθαι vocata, quæ linguam & totam regionem faucium cum magna moleſtia, præſertim in ſcorbuticis adultis occupant.

III. Præterea etiam faucium regionem ipſaſque glandulas ſæpius ſquallida inflammatio cum muco copioſo, qui inſtar caſei eas obducit, affligit, præſertim in febribus ardentibus & continuis.

Neque glandulæ ſalivales a vitiis ſunt immunes; occupat illas,

I. Tumor parotidis, qui vel ad inflammationem vel ad ſcirrhoſitatem tendit; ille maxime in acutis affectibus per metaſtaſin criticam & ſymptomaticam; hic vero in chronicis morbis, in ſubjectis cacochymicis ſcorbuticis contingit, vel in febribus ab applicatione externorum repellentium, quæ in ſcirrhum ducunt, imo in ulcus quaſi cancroſum depaſcens.

II. Carcinoma Parotidis, quod fit a ſcirrhoſitate hujus glandulæ in putrefactionem abeuntis.

Circa ſalivam notentur:

I. Ejus defectus, unde ſitis naſcitur & ſapor perit ob ſeri inopiam à calore præternaturali factam, vel quando ob obſtructiones glandularum ſalivalium non ſeparatur.

II. Lymphæ perpetuus adfluxus, qui fit vel a ſale ſtimulante glandulas & ſic majorem affluxum ſanguinis procurando, vel ob ſpaſmum venas comprimentem & refluxum ſanguinis impedientem.

FRIDERICI HOFFMANNI

OPUSCULUM DE ERRORIBUS MEDICORUM IN THEORIA ET PRÆCIPUE IN PRAXI MEDICA.

§. I.

Pertractationis ordo.

CUM de erroribus in morborum cauſis perſcrutari neque minus in iiſdem tollendis nobis propoſitum ſit diſſerere, neceſſarium fore maxime omnium arbitramur, ut prius in genere, in quonam veritatis vel erroris natura contineatur, noſtram exponamus ſententiam; tum enim facilius erit, errorum vias tum in theoria tum in praxi medica evitare, & verum, quod unice in doctrina & ſcientiis expedit, intueri atque amplecti.

§. II.

Veritas & error quid?

Primum itaque dicimus, neque veritatem neque errorem in ipſis rebus, quamdiu cognitionis vel conſiderationis noſtræ expertes ſunt, contineri, ſed tantummodo naturam veri in recto de rebus, erroris vero indolem in falſo de rebus vel earum cauſis judicio poni, atque adeo errorum atque veri origo non in alia re quam in noſtra ratione, quæ res conſiderat, diſponit & ordinat, eſt quærenda. Deinde probe notandum eſt, quod omnis veritas vel in factis & effectibus, vel in cauſis factorum & effectuum reddendis verſetur. Illa veritas facti dicitur, hæc vero ſcientia & demonſtratio eſt; illa ſaltim proponit factum cum omnibus circumſtantiis nulla neglecta, & effectus rerum naturalium cum omnibus circumſtantiis accurate & debito ordine enumerat, unde veritas dicitur hiſtorica. Scientia vero horum effectuum juſtas & genuinas inquirit & demonſtrat cauſas. Cauſas autem rerum ſcire maxima ſapientiæ humanæ pars eſt; nam qui novit effectuum cauſas proximas & veras, is poſtea multa incognita penetrare ac detegere, immo nova invenire & judicium de eventibus atque actionibus rectum dare poterit.

Veritas quotuplex?

Veritas eſt vel ſcientifica vel hiſtorica.

Veritatis ſcientificæ effectus.

§. III.

Medico valde utilis eſt veritas ſcientifica tam in cognitione & curatione morborũ quam prognoſi formanda.

Inſervit vero hæc cauſarum ſcientia maxime Medico. Nam cum ſanatio morborum nonniſi ablatio cauſarum morbificarum ſit, hinc, quicunque veras callet morborum cauſas, facile remedia, quæ iiſdem cauſis tollendis opponi debent, invenire & methodum, qua procedere debet in curando, oſtendere poterit. Porro etiam Medicus cauſarum morbi peritus facillime ex iiſdem præſentibus vim ac naturam morbi quoad eventum immo originem morborum prævidere & prænuntiare poterit.

§. IV.

Errorum medicorũ in genere cauſa prima & præcipua eſt inopia

Cum vero de erroribus Medicorum in theoria & praxi medica dicere noſter præcipuus ſit labor, hinc non inutile fore arbitramur, ut paulo diligentius errorum Medicorum in genere primam originem atque fontes aperiamus,

hiſtoriarum morborum minus accuratarum & completarum.

mus, quibus detectis longe facilius erit, diſſipatis errorum nebulis, clariſſimam veritatis lucem intueri. Primus vero & præcipuus mihi videtur error, quod Medicorum tam Veteres quem Recentiores morborum progreſſum, curationum ſucceſſum, eventus morborum & remediorum effectus non accurate ſecundum ſingules circumſtantias, ſaltem præcipuas, obſervaverint atque hiſtorias & obſervationes morborum non meliori concinnaverint cura, cum tamen hæ ſint fundamentum omnis ratiocinationis & conſequenter curationis ſive indicationis ad curandum fundamentum. Dici enim vix poteſt, quanto defectu quantaque inopia accurate & complete conſcriptarum obſervationum & hiſtoriarum morborum ars noſtra laboret; id quod clariſſime & Veterum & recentiorum monumenta oſtendunt, & quamvis nonnulli Medicorum caſus vel obſervationes quaſdam ſcriptas reliquerint, minus tamen accurata cura eas eſſe conſignatas, ex eo patet, quod plerumque præcipuæ & principes circumſtantiæ, quæ tamen veluti filum eſſe debent, ad quod Practici raciocinium ſuum dirigere debent, ſunt neglectæ vel omiſſæ. Quoniam vero hoc argumentum paulo diligentius pertractavit Clariſſimus Baglivius *in Cap. I. II. III. & IV. Libr. I.* hinc commendamus horum locorum ſedulam perlectionem.

§. V.

In adornanda accurata hiſtoria morbi ratio habenda eſt individui.

At vero, cum accuratiores & completiores morborum hiſtoriæ omnis ſapientiæ, prudentiæ & artis medicæ, ut diximus, verum ſint fundamentum, idcirco, quomodo hæ ſint adornandæ, monendum eſt. Ad accuratiorem itaque morbi hiſtoriam perficiendam primo probe conſiderandum eſt ipſum individuum ſeu corpus, quod laborat, & attendendum, cujus nempe ſit ætatis, ſexus, habitus corporis, temperamenti, ſenſibilitatis animi, deinde, quibus parentibus, utrum ſanis & robuſtis an infirmis & morbo certo affectis ſit natum, qua conſuetudine in victu & diæta, quoque vitæ genere ſuerit uſum, qualem exceſſum forſan in ſic dictarum ſex rerum non naturalium uſu commiſerit, quibus morbis antea laboraverit & an rite & ſecundum naturam illi fuerint tractati. Maxime omnium vero ſpectare oportet, num corpus, quod curandum ſuſcipimus, ſit infirmioris & ſenſibilioris an robuſtioris & ſegnioris naturæ, quæ omnia ſcire multum intereſt; nam qui Medicus bene & intime callet naturam corporis ægrotantis, is felicitate non minus quam prudentia curationem ſuam inſtituere poterit.

§. VI.

deinde morbi ipſius,

Cognito jam ſubjecto opus eſt, ut Medicus ſe accingat ad morbi indolem morem & proceſſum pernoſcendum. Neceſſarium itaque eſt, ut omnia pathemata, ſymptomata & functiones læſas probe obſervet, & annotet, quomodo unum ſymptoma alterum excipiat, maxime omnium vero debet attendere, quis ſit ſtatus actionum animalium, quem ex rationis & ſenſuum integritate, atque motuum voluntariorum, ſomni & vigiliarum, conditione debita percipere debemus. Opus quoque eſt, ut ad actiones vitales, quænam earum ſit habitudo, attendat, quod ex pulſu, robore ac viribus membrorum & reſpirationis negotio abunde cognoſci poteſt; tum actionum, quæ dicuntur naturales, ſtatum quoque ſcrutari eum oportet, quod fit, ſi animum ſuum & attentionem ad appetitum, excretiones per alvum, urinam & ſudorem & actum nutritionis dirigit; quæ omnia clare & diſtincte notata certoque ordine digeſta ingentem morboſi ſtatus notitiam ſuppeditant.

§. VII.

tum operationis alimentorum, medicamentorum & externi regiminis.

Ultimo loco nullo modo eſt prætereundum, quod adſcribere debeat Medicus in hiſtoria morbi, quam concinnare vult, quænam tam ex alimentis quam ex medicamentis vel externo regimine ægro convenerint, num male an bene ab eorum uſu ſe habuerit, an forſan morbus & ſymptomata augmentum vel decrementum ſumſerint, & quem effectum atque operationem medicamenta habuerint; etenim operatio remediorum multum facit ad naturam & morbi & ſubjecti accuratius cognoſcendam.

§. VIII.

tandem loci, in quo degit medicus & æger,

Præterea in accuratis obſervationibus, quæ caput artis noſtræ ſunt, conſcribendis maxime omnium opus eſt, ut Medicus loci, in quo degit, naturam, ſitum, aquarum indolem, terræ naturam, exhalationes, potulentorum, quibus incolæ utuntur maxime, proprietates atque vires, vivendi rationem vitæque genus ſimul annotet, quæ omnia & ſingula ad ſalubritatem & inſalubritatem locorum dijudicandam & determinandam nec non ad morborum, qui endemii dicuntur, generationem perſpiciendam multum valent adeoque magnæ in praxi ſunt conſiderationis.

§. IX.

& poſtremo aeris.

Poſtremo cum plurimi morbi, quibus genus humanum affligitur, ſint ex eorum numero, qui epidemii appellari ſolent, hoc eſt, qui certo tempore graſſantur multoſque ſimul corripiunt, atque adeo ex communi cauſa aeris, videlicet aeris mutationibus & tempeſtatibus præcedentibus, originem ſuam ducunt, cujus generis ſunt fere omnis generis febres tam malignæ quam benignæ, continuæ vel intermittentes, exanthematicæ, nec non inflammationes partium tam externarum quam internarum, quibus etiam ſolent adjungi febres, item febres catarrhales, catarrhi, coryzæ, tuſſes, diarrhœæ & varii putridi morbi, ut ſunt purpura, vermes, febres malignæ & petechiales; hinc ſi quis horum morborum hiſtoriam ſcribere velit, ut præcedentes tempeſtates annique tempora horumque temperiem atque intemperiem, aeriſque ſtatum, quem barometra & thermometra optime docent, accuratiori cura ſimul annotet neceſſe eſt, candide ſimul junctis morborum indole, progreſſu, eventu atque remediis, quæ auxilio atque ſaluti fuerunt & quæ nocumentum ægris attulerunt.

§. X.

Deſcriptoribus hiſtoriarum

Suſceperunt hujus laboris conatus laudabiles Ramazzinus & Vratislavienses Medici

& obſervationum medicarum.

DICI multique alii & nonnulla ex academiis curioſorum membra, quarum actis tales inſertæ ſunt obſervationes.

§. XI.

De utilitate completæ & accuratæ hiſtoriæ morborũ.

Ex his itaque quam facile patet, quantum incrementi & perfectionis ars noſtra ſalutaris a tanto theſauro atque apparatu ſelectarum obſervationum capere immo conſequi poſſit. Neque enim ullum datur neque excogitari poteſt aliud medium artis noſtræ & praxeos accuratioris incrementa promovendi quàm per copiam accurate conſignatarum obſervationum & per ſolidam ratiocinationem atque judicium, quod ex circumſtantiis & natura rerum, quæ continentur in obſervationibus, formandum eſt atque eliciendum. Quis itaque ex hiſce non clariſſime intelligit, quam perverſa ratione illi procedant Medici, qui ſine accuratà morbi cognitione & circumſtantiarum conſideratione ac ſine prævia deliberatione curationes ſuſcipiunt, medicamenta præſcribunt & medicorum ſcriptorum quoque conſultationes evolvunt? Etenim tales neque ægrotantibus neque ſibimet ipſi in acquirenda meliori notitia praxeos conſulunt, & ſæpius plus damni quam emolumenti ſuis conſiliis afferunt.

§. XII.

Errorum medicorum cauſa ſecunda & præcipua eſt experientia fallax & minus firma.

Secundus error iſque æque ac primus gravis, ex quo velut ex fonte complures in medicinam & praxin potiſſimum derivantur errores, eſt, quod pauciſſimis cognitum ſit, quid vera ſit experientia medica. Omnes fere & ſinguli, etiam minus periti & idiotæ, ad hanc tanquam ad aſylum & certitudinis firmum fulcrum confugiunt, attamen re accuratius conſiderata nil minus quam experientes ſunt; ſiquidem genuino ſenſu atque conceptu experientiæ deſtituti id credunt eſſe experientiam, quando ſemel vel bis fauſtam vel infelicem in certo morbo a ſumpto medicamento annotarunt efficaciam, unde mox ſibi perſuadent, inhærere adverſus talem morbum ſanandum certam remedio efficaciam, & ea propter ſimili in caſu protinus illud adhibere non dubitant.

§. XIII.

Experientia fallax cognoſcitur ex diſſenſu Medicorum circa efficaciam omnis fere generis remediorum heroicorum.

Quam fallax vero talis ſit experientia, id non modo ſapientiſſimus medicinæ noſtræ parens HIPPOCRATES in primo aphoriſmo edixit, ſed res etiam ipſa id clariſſime loquitur. Etenim quando perpendimus, quanta diſſenſio & diſcordia ſit Practicorum circa efficaciam fere omnis generis remediorum heroicorum iiſdem fere in morbis, & quod omnes ac ſinguli diſſentientes ad experientiam, qua diſſidentem tuentur ſententiam, confugiant, non poſſumus non exinde concludere, hanc Practicorum experientiam, quam vulgo allegant, minus tutum & firmum eſſe praxeos medicæ fulcrum. Quod ſi enim ad univerſalia & magna illa morborum præſidia, ut venæſectionem, purgantia, emetica, ſudorifera ſive alexipharmaca calidiora, nec non mercurialia & ſalivantia reſpiciamus, tantum diſſenſum inter Practicos eſſe intelligemus, ut nonnulli ea e foro medico exſtirpare non erubuerint. Ita jam olim tempore Galeni ERASISTRATUS venæſectionis remedium plane damnavit, ASCLEPIADES & methodicæ ſectæ addicti ipſo etiam CELSO teſte vomitoria & purgantia acriora plane ex praxi medica ejecerunt & horum methodum ac rationem medendi ex recentioribus ſequuti ſunt HELMONTIUS & nonnulli Batavi Carteſianæ ſectæ addicti, ut BONTEKOE & OWERKAMP, qui idem ſtatuerunt & inter infamata auxilia hæc retulerunt.

§. XIV.

Antecedens probatur porro ex diſſenſu circa uſum alexipharmacorum,

De calidioribus alexipharmacis, quæ radices ſale ſubtili acri gaudentes nobis ſuppeditant, non minima jam quoque oritur controverſia, dum non modo Veteres, ſed plures etiam ex Recentioribus ad quamcunque virulentam in ſuccis corporis noſtri reſidentem materiam expellendam in peſte, febribus malignis atque acutis non minus quam chronicis morbis, qui ex corrupto ac putrido humore gignuntur, cujus generis ſunt ſcorbutus & lues venerea, ea maximi fecerunt, adeo, ut omnis fere curationis punctum ferant, cum tamen Recentiorum accuratiorum experientia plane contrarias de horum effectu nobis inſinuet obſervationes, dum nempe obſervarunt, hæc omnia in morbis, ubi expulſione opus eſt, ut in peſte, variolis, morbillis & exanthematicis quibuſcunque affectibus longe eſſe vehementiora neque ſine periculo dari, dum nimium motus naturæ augent, ſed leniora ac temperatiora magis conducere.

§. XV.

circa uſum ſalivantium & mercurialium,

Denique circa mercurialia, quæ lympham valde colliquant & ſalivæ fluxum admodum provocant, monendum hoc eſt, quod nonnulli ex Veteribus ſibi perſuaſerint, luem illam, quæ ex impura venere naſcitur, nullo alio auxiliorum genere poſſe depelli quam ſalivatione, quæ fit ope mercurii; cum tamen accuratiorum obſervationes oſtendant, & ſine mercurio & ſalivatione poſſe rebelles morbos tolli vel ad minimum ſummam in ſuſcipienda & adminiſtranda cura mercuriali requiri prudentiam, præſertim in ſubjectis infirmioribus iiſque, quæ generis nervoſi debilitate laborant, tenerioris ſunt texturæ vel puerilis ætatis.

§. XVI.

circa uſum opiatorum,

Eidem fato obnoxia ſunt evacuantia & alia remediorum genera, ea nempe, quæ ſedandi dolores & ſomnum inducendi viribus pollent, cujus generis ſunt papaveracea & opium, quod eſt ſuccus papaveris. Noto enim notius eſt, in quanta laude atque æſtimatione opium & ea, quæ hoc ingreſſum fuit, remedia apud Veteres fuerint, adeo, ut inter nobiliſſima antidota Græci & Arabes theriacam, mithridatium, pilulas de cynogloſſo & requiem Nicolai receperint; qua de re conſuli poteſt *Diſpenſatorium Valerii Cordi* & *Pharmacopœa Auguſtana*. Ex recentioribus PARACELSUS & HELMONTIUS univerſalia ex eo concinnare contenderunt remedia, laudana dicta, veluti laudatiſſima remedia ad Archæi furorem in omnibus morbis, ubi vehementes ſæviunt motus, ſedandum, quos inter Recentiores fere omnes ſecuti ſunt celebriores Medicorum, qui

opiata remedia prudenter applicata ceu divina celebrant, adeo, ut omnibus fere morbis ſanandis iſta quadrare debita doſi & tempore uſurpata judicaverint. Nihilominus ſunt & reperiuntur adhuc inter Practicos non pauci, qui cum nonnullis Veterum ea pro venenis naturæ inimiciſſimis & frigidiſſimis habent iiſque vel plane non vel parciſſime utendum eſſe aſſeverant, ea propter, quod ſalutares naturæ motus, qui fiunt in morbis, præſertim febribus, ſupprimant & excretiones non minus ad ſanitatem tuendam quam morbos tollendos neceſſarias cohibeant.

§. XVII.

circa uſum roborantium, ut corticis chinæ & caſcarillæ;

Præterea eadem Practicorum diſſenſio & diſcordia circa roborantia quoque obſervatur. Exemplo inſervire poteſt cortex chinæ de china ſeu Peruvianus, & cortex caſcarillæ, utpote quos cortices plures ad cœlum uſque ob eorum in tollendis febribus intermittentibus efficaciam laudibus extollunt, alii vero pro infidis infecuris & compluribus lethalibus exemplis infamatis remediis habent eorumque uſum ad febres tollendas diſſuadent & damnant.

§. XVIII.

circa uſum camphoræ;

Camphora, quæ roborans eſt remedium, quo vix præſentius in rerum natura eſt ad tonum partium languidum reſuſcitandum, a pluribus imperitis expellitur ejuſque uſus internus plane diſſuadetur propter calorem ſive incendium, quod corpori præſtat. Alii vero eam in omnibus fere tam acutis quam chronicis morbis non ſatis laudare poſſunt, propterea, quod ad drachmam unam aſſumta calorem corporis noſtri minime augeat, ſed penetrantia ſua omnes corporis poros pervadens potius progreſſum humorum eorumdemque ſuperfluorum excretiones promoveat.

§. XIX.

circa uſum martialium,

Notum porro eſt, in quanta laude atque æſtimatione martialia pro intentione roborandi apud plurimos Medicos præſertim chemiæ addictos adhuc ſint & fuerint; nihilominus tamen ſunt ex recentioribus plures, qui ea in iis morbis, ad quos pervincendos ab aliis laudata fuerunt, ut in cachexia, hydrope, malo hypochondriaco, menſium defectu & ſuppreſſione, magis nocere quam prodeſſe aſſeverant.

§. XX.

& circa vires remediorum.

Præterea hoc eſt notatu admodum dignum, quod omnes ac ſinguli adeo contrarias circa medicamentorum vires foveant ſententias & ad experientiam ceu veritatis & certitudinis verum fulcrum confugiant, unde, quam miſerum mancum ac inſtabile hoc ſit medicinæ fulcrum, clariſſime intelligitur, & hæc quoque eſt ratio, quare apud prudentiores ingens contemtus & opprobrium Medicis & medicinæ omni acceſſerit tempore.

§. XXI.

Si experientia fulcrum medicinæ eſſe debet, ut ſit ſolida & accuratæ hiſtoriæ morbi ſuperſtructa neceſſe eſt.

Ut itaque experientiæ fulcrum vindicemus, opus eſt. Dicimus itaque, experientiam eſſe utique omnis certitudinis & veritatis in praxi medica parentem, dummodo non ſit ſuperficiaria vel incompleta, ſed ſolida ac accurata, hoc eſt, hiſtoriæ morbi diligentius annotatæ ſuperſtructa, unde non ſufficit, Medicum laudabilem vel infauſtum ſine conſideratione hiſtoriæ medicæ omniumque circumſtantiarum protinus aſſignare remediis effectum, ſed opus eſt, ut, ſi quis velit eſſe certus de remedio- efficacia, omnes circumſtantias indolemque ſubjecti, morbi, cauſarum morbificarum, horum omnium naturam ac quidditatem, nec non doſin remedii, ejus adhibendi modum & tempus, quo aſſumitur, probe reſpiciat & perpendat, & hac ratione experientia naſcitur certa & accurata, cui tuto fidere poſſumus, adeo, ut ſi ſimiles circumſtantiæ ratione ſubjecti, morbi, originis morborum atque ſymptomatum occurrant, ſimilem quoque effectum remedia præſtare debeant; ex quo patet, ingentem ſæpius diſſenſum atque diſcordiam Practicorum circa noxam vel utilitatem ejuſdem remedii in certo morbo ejus hiſtoria completa & accurata optima ratione decidi & componi poſſe. At vero, quoniam corpora ratione ſexus, ætatis, vitæ generis, hæreditariæ diſpoſitionis, ſenſibilitatis, roboris & debilitatis mirum in modum inter ſe variant, & origo morborum, præſertim epidemicorum, ratione tempeſtatum & anni temporum diverſiſſima eſt, morborum quoque ingenium atque indolem, eorum cauſas & ſymptomata, quæ omnia admodum variant, probe ſibi reddere debet cognita. Diverſiſſima quoque cum ſit ratio & methodus medendi morbis pro climatum ac regionum diverſitate, v. g. in Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Dania & Suecia &c., clariſſime hinc intelligitur, quam difficilis ac magni operis res ſit, medendi rationem & remediorum virtutem & applicationem per ſolam experientiam ſive ſolas obſervationes etiam accurate conſcriptas addiſcere; nam profecto centum hominum ætates tam gravi ac operoſo negotio non ſufficerent.

§. XXII.

Sola experientia ſine accedente ratione eſt infirmum medicinæ fulcrum.

Cum itaque ſola experientia admodum imbecille & mancum ſit medicinæ fulcrum, hinc potius illud firmandum eſt & ſuffulciendum altero fundamento, quod Medici tam veteres quam recentiores rationem appellant.

§. XXIII.

Ratio quid ſit?

Primo vero loco monendum eſt, quid per rationem hoc loco intelligatur? ſiquidem hoc vocabulum non omnis eſt expers ambiguitatis. Per rationem itaque intelligimus Medici judicium ſeu rectam & fundatam, uti HIPPOCRATES *in libro de arte* loquitur, ratiocinationem, quæ cauſas in rebus medicis & phyſicis accurate inquirit, maxime in praxi, morborum rationes & effectuum, cur & quomodo hi fiant, cauſas ſolide ſcrutatur atque demonſtrat; maxime omnium morborũ cauſas dilucide explicat & medicamentorum vires modumque agendi perquirit, & ex cauſis morborũ ac remediorum viribus perſpectis indicationes medendi accurate elicit. Nam ſi ulla in arte vel ſcientia neceſſarium eſt noſſe rerum cauſas, profecto hoc eſt in medicina. Sanare enim morbum nihil aliud eſt quam cauſam morbi per remedia, quæ cauſis debent eſſe contraria, tollere; hinc intelligitur, Practicum

cum ante omnia & morborum cauſas & medicamentorum vires explorare debere.

§. XXIV.

Materia ratiocinationis medicæ quænam?

Materiam ratiocinandi accurate conſignatæ morborum hiſtoriæ & obſervationes ampliſſimam ſubminiſtrant, nam ex hiſce Medicus ſolido judicio & ratione præditus morborum originem & primas cauſas, ægrotantis indolem, morbi naturam cauſaſque adæquatas & ſymptomatum rationes elicit atque detegit, poſtea, quid agendum ſit vel omittendum, concludit, &, quæ remedia, quo ordine, tempore, & regimine & qua doſi ſint præſcribenda, decernit prudenter, neque minus judicium de remediorum efficacia, eventu morbi dextro vel ſiniſtro; item prædictiones de ſalute & morte inde elicit.

§. XXV.

Medicus, ne fallatur in ratiocinando, debet noſſe logicam.

Ut autem Medici ratiocinatio recte procedat neque in judicando fallatur, opus habet multis ſubſidiis ſive adminiculis. Primo methodum & artem recte ratiocinandi ſeu demonſtrandi callere debet, hoc eſt, ex primis per ſe cognitis principiis ſeu cauſis recto ordine cauſas ſubalternas & proximas morborum & effectuum morbi ſive ſymptomatum breviter & perſpicue deducere debet; nihilque in hoc nexu ipſi eſt demonſtrandum, quod non clarum, diſtinctum, perſpicuum, & perſpectum eſt, &, quod quiſque hominum concipere vel intelligere poteſt, debet admittere, omneſque voces & terminos ab omni ambiguitate purgare. Deinde definitiones & proprietates rerum, de quibus agitur, exquiſite cognoſcere & res diſtinctas diſtinguere, eaſdem res vero non ſeparare ſed potius conjungere debet. Denique & axiomata ſive rationes univerſales earumque copiam ex particularibus rationibus ſibi acquirere debet, quibus deinde ſummam ſcientiam in indagando, inveniendo & ex cognitis incognita deducendo ampliſſime conſequitur. Et hæc methodus, ſicut eſt ad eliciendas veritates promtiſſima, & ea propter a Mathematicis & Geometris adhibetur ad certitudinem ſcientiæ ſuæ acquirendam, ita maxime ad ſcientiam in arte noſtra promovendam meretur commendari atque hujus methodi ope, non ſperamus ſolum, ſed certo etiam confidimus, fore, ut ars noſtra in ſe citra uſum ratiocinationis difficillima omnium facillima immo certa evadat. Methodum enim Geometrarum nobis verum ordinem procedendi in veritatibus inquirendis demonſtrat, unde non ſine ratione HIPPOCRATES filio ſuo medicinæ ſtudioſo geometricum ſtudium commendat in epiſtola ad ipſum ſcripta his verbis: „Matheſis non ſolum vitam illuſtrem & ad multa commodam in humanarum rerum ſtatu efficit, ſed etiam animam acutiorem & clariorem reddit ad omnium, quorum uſus in medicina deſideratur, utilitatem conſequendam.

§. XXVI.

Principium ratiocinationis medicæ debet eſſe clarū;

Principium vel potius prima cauſa, cum qua omnes reliquæ ſubalternæ cauſæ connecti debent, & ex qua omnes effectus atque phænomena, quæ in theoria & praxi medica explicanda occurrunt, deducenda ſunt, debet eſſe in ſe & ſua natura clarum, perſpicuum atque diſtinctum, quod ab omnibus intelligi & concipi poteſt, minime vero obſcurum, ambiguum & non intelligibile. *perſpicuum & diſtinctum.* Nam ſicuti veritas debet eſſe perſpicua & facilis conceptu, cum facilitas & perſpicuitas ſit genuinus veritatis character, ita nihil obſcuri vel conceptu difficilis in veritatis demonſtrationem debet influere.

§. XXVII.

Principium ratiocinationis medicæ debet eſſe reale.

Maxime omnium vero principium hoc demonſtrationis & ratiocinationis medicæ debet eſſe reale, id eſt, in rerum natura extra mentem hominis exiſtens & ſubſiſtens, immo in natura corporis contentum, & hoc ipſum cauſa eſſe debet vitæ, ſanitatis, immo motuum, orgaſmorum & omnium mutationum, quæ in corpore humano contingunt, ſive, ut res clarius exprimatur, ex tali principio vitæ, mortis, ſanitatis, morborum, reſtitutionis omniumque alterationum, quæcunque etiam in corpore humano contingant, ratio & natura clariſſime explicari debet.

§. XXVIII.

Principia ſterilia recenſentur & rejiciuntur.

In hujus autem principii inventione maximus error tam a Veteribus quam Recentioribus omni fere tempore fuit commiſſus, dum tales primas cauſas in medicinam ad explicationem naturæ operationum infauſto ſidere introduxerunt, ex quibus maxima ſterilitas in theoriam medicam & in veram medicinam rationalem emanavit. Ad hanc claſſem merito reduci debent Veterum calidum innatum ſeu calidum emphytum & ſymphytum cum humido radicali, ſpiritus corporis inſitus & influus, anima cum ſuis facultatibus attractrice, retentrice & expultrice, Galenicorum quatuor humores & inde deductæ quatuor temperies, intemperies & temperamenta, Veterum natura vel principium omnium actionum in corpore, quod poſtea HELMONTIUS Archæi nomine inſignivit, porro ſpiritus vitalis, animalis & naturalis, chemicorum principia chymica ſcilicet ſal, ſulphur & mercurius, nonnullorum recentiorum acidum & alkali, SYLVII ſuccus pancreaticus, acidum & viſcidum, Batavorum nonnullorum viſcidum & acidum, Recentiorum ſalia diverſi generis morboſa acria alkalina ſalſa & acida, quorundam fermenta & ſemina morborum, Carteſianorum æther peregrinus, textura & craſis humorum vitiata nec non particulæ varia figura ramoſa & hamata præditæ, & WILLISII fermentatio: quæ omnia ac ſingula ita ſunt comparata, ut nullo modo nomen & titulum verorum & genuinorum medicinæ principiorum mereantur. Partim enim ſunt termini mere ambigui obſcuri, qui nec explicari nec definiri poſſunt, partim vero in ipſa rerum natura non continentur adeoque mera ſunt figmenta, & quamvis nonnulla ex hiſce per ſpicua ſint & ad morborum & vitæ cauſas aliquid conferant, minime tamen principii genuini ſeu primæ cauſæ vices tuentur.

§. XXIX.

Num anima ſit genuinum & adæquatum

Quæſtio hic incidit non minoris momenti, num ſcilicet ea hominis pars, quæ dicitur anima, ſit genuinum & adæquatum univerſæ medicinæ principium; quod STAHLIUS ejuſque aſſeclæ

univerſæ medicinæ principium?

aſſeclæ ſtrenue defendunt? Rationes, quibus hanc ſententiam tuentur, afferunt ſequentes. Primo dicunt, hominem conſtare ex duabus partibus eſſentialibus, anima nempe rationali & corpore organico. Deinde corpus quidem artificioſe, aſſerunt, eſſe conſtructum, certum etiam in finem, illudque eſſe inſtrumentum animæ, in quo agat & domicilium ſuum habeat, in ſe vero pure eſſe paſſivum, tantum mobile ſive ad actiones animæ recipiendas tantummodo aptum, omnis autem actionis & motionis expers; animam contra eſſe principium omnis motus & actionum, quæcunque in corpore fiunt & conſpiciuntur, eamque actuare omnia organa & pro diverſa eorum ſtructura varias edere operationes. Statuunt hinc, animam eſſe cauſam vitæ ac ſanitatis, eam nempe actu immateriali ſeu motu, in quo ejus conſiſtat præcipua actio, præſervare corpus humanum in ſe & ſua natura ob mixtionem ſuam ſumme corruptibile & ad durationem minus aptum, dum non modo heterogeneas & inimicas mixturæ ſalino-ſulphureas agiliſſimas, ſed etiam in quantitate delinquentes aqueas particulas continuo actu & progreſſu fluidorum in circulum per congrua emunctoria excernunt & hac ratione vitam & ſanitatem tuetur.

Stahlii hypotheſis & rationes, quibus defenditur, allegantur.

Stahliani habent animam pro principio omnium mutationum in corpore contingentium.

§. XXX.

Stahliani attribuunt animæ ſingularem corporis notitiam.

Porro animam non tantum corpus a putredine defendere & ſanitatem efficere autumant, ſed corpus etiam a morbis præcavere illoſque a corpore depulſare exiſtimant; quapropter animæ innatam quandam notitiam ſeu rationem adſcribunt, qua non modo omnia, quæ ad ſtructuram, mixtionem partium & motum noſtri corporis pertinent, optime cognita habeat ac perſpecta, ſed etiam pro hac notitia motus inſtituat & dirigat certo ordine, certo tempore, certa proportione, determinato gradu & certum in finem, neque minus per convenientia loca & vias illud, quod vitæ inimicum ſit ipſique perniciem machinetur, e corpore eliminet motu humorum auctiori reddito. Eam ob cauſam judicant, omnes morboſos actus ac motus, ſive conſiſtant in doloribus, ſpaſmis & convulſionibus, ſive in motu ſanguinis & humorum intenſiori, quod in febribus contingit, eſſe in ſe & ſua natura ſalutaria naturæ conamina, quæ eum in finem tendunt, ut a ſuperfluo & inimico machina liberetur. Quare etiam animam, ſive, quod idem eſt, naturam optimum & internum corporis Medicum, qui omnia ſapienter & ſuo tempore facit, cum Veteribus æſtimant, quem Medicus in ejus operibus & medendi methodo exquiſite imitari cujuſque proceſſum noſſe, ſequi vel etiam adjuvare debeat.

§. XXXI.

Stahliani morbos ad duas præcipuas claſſes reducunt.

Quoniam vero vitæ & progreſſui ſanguinis in circulum, qui vitam tuetur, nihil magis ſit inimicum, quam nimia ſanguinis & humorum quantitas ſive plethora; hinc naturam afferunt, maxime occupatam eſſe in morbis ſive ſalutaribus motibus, ut copia peccantem ſanguinem vel excernat per debita loca vel motu humorum aucto febrili conſumat; qua de cauſa ab iis ad duas maxime claſſes, videlicet ad hæmorrhagias & febres, omnes fere morbi interni ſeu potius morboſi reducuntur.

§. XXXII.

Negotium naturæ in moliendis hæmorrhagiis quomodo ulterius explicetur a Stahlianis.

Ulterius negotium naturæ in moliendis hæmorrhagiis ſequentem in modum deducitur: aſſerunt nempe, in infantili & puerili ætate uſque ad annum vigeſimum primum naturam maxime per nares ſuperfluum emittere ſanguinem, in ætate juvenili ab anno vigeſimo primo ad trigeſimum quintum excretionem ſanguinis per pulmones moliri, in provectiore vero ætate ſequente in viris per hæmorrhoides. Quoniam vero mulieres ob ſpongioſiorem corporis habitum vitamque magis otioſam valde copioſum generent ſanguinem, hinc eum, ne nimia ſua copia noceat, a natura ſingulis menſibus per uterum excludi ſtatuunt; & quoniam nonnulli viri, qui fere eadem, qua fœminæ, gaudent corporis ſtructura, ſcilicet laxiori & ſpongioſiori, gulæque nimium dediti ſunt corpuſque parum motu exercent, in magna copia & plus, quam neceſſe eſt, generant ſanguinem, hinc naturam per ani venas in nonnullis ſingulis menſibus, in quibuſdam ſpatio trium menſium vel bis tantum in anno circa æquinoctia ſuperfluum ſanguinem educere aſſeverant. Quæ excretiones ſanguinis omnes ac ſingulæ cum, ſi non ſemper, plerumque tamen cum magno ſanitatis commodo contingant, eam ob cauſam maxime ſalutares ab iis judicantur. Ex turbato vero & impedito naturæ negotio in excernendo ſanguine ſuperfluo originem multorum & gravium morborum deducunt. Si enim, dicunt, natura in ætate puerili intendat quidem excretionem ſanguinis per nares, ſed minus ſufficienter & complete id præſtet, id eſt, ſi ſanguinem quidem ſpaſmis externarum partium urgeat ad caput, vel id non ſufficienter faciat, vel plane non ſequatur hæmorrhagia, quia vel ſanguis nimis viſcidus eſt vel orificia vaſorum conſtricta ſunt aut obſtructa, tum hunc ipſum ſanguinem circa caput ſtagnare & non modo varias dolorum ſpecies ut cephalalgias, hemicranias, cephalæam, dolores aurium, dentium, rheumatiſmos faciei & eryſipelata, ſed catarrhales etiam defluxiones ſeu ſeri ſtagnationes in naribus, auribus, oculis, inflammationes oculorum, tumores colli, cruſtam lacteam & tineam capitis producere affirmant.

§. XXXIII.

Antecedens ulterius pertractatur.

Si in ætate, pergunt, juvenili natura per pulmones ſuperfluum ſanguinem ejicere moliatur atque in ſuo turbetur negotio, tunc ex ſtagnatione ſanguinis circa collum & viſcera thoracis multa deducunt incommoda ut anginas, pleuritides tam veras quam ſpurias, inflammationes pulmonum, aſthmata tam ſicca quam humida & ſanguinea, tuſſes, tubercula & obſtructiones veſicularum pulmonalium, exinde fientes corruptiones & apoſtemata pulmonum & phthiſin, quæ incommoda maxime ætatem infeſtant juvenilem ab anno vigeſimo primo ad trigeſimum quintum.

§. XXXIV.

Ulterior pertractatio antecedentium.

In adultioribus providam naturam per ſedis venas ſalutari conatu ſanguinem ſuperfluum eliminare ſtatuunt: id quod, ſi minus feliciter

feliciter ſuccedit, plurima morborum agmina poſt ſe trahere autumant, atque ex hoc fundamento originem & cauſam mali hypochondriaci & ſpaſmodicorum affectuum, qui graviter partes nervoſas abdominis & thoracis ſubinde exercere ſolent, nec non colicæ, quin ipſam cachexiæ, hydropis, calculorum renalium, nephritidis, mictus cruenti, melancholiæ hypochondriacæ & inſaniæ deducunt. Nam ſanguinem ſuperfluum, ſi non evacuetur irritusque ſit conatus, regurgitantem ad inteſtina ibidem efficere ſpaſmos ac flatulentias; ad hepar icterum flavum, nigrum, hydropem; ad lienem tumores lienis, cachexiam & morbum nigrum; & ad renes nephritidem, calculum vel etiam mictum cruentum producere affirmant. Tandem etiam arthriticorum dolorum & rheumatiſmorum, podagræ præſertim, geneſin inde deducunt atque derivant hac ratione. Spaſmos dicunt eſſe partium externarum violentas inordinatas & erroneas contractiones, quibus ſanguis ad interiora pellatur, ut ibi per conſueta loca, nempe venas hæmorrhoidales, evacuetur.

§. XXXV.

Continuatio antecedentis.

Simili ratione ex menſium ſuppreſſione ſeu eorum inordinata ac impedita fluxione, quam natura per ſpaſmos infimi abdominis molitur, præcipuorum morborum, affectuum ſpaſmodicorum & pathematum hyſtericorum, quæ ſequiorem ſexum graviter nunquam non exercere ſolent, cauſam & ortum explicant atque deducunt; &, ut rem in pauca contraham, plethora hujusque non conveniens & ſufficiens a natura inſtituta per ſinceri ſanguinis emiſſionem congruis in locis ablatio videtur ipſis cauſa eſſe plurimorum & fere omnium morborum chronicorum.

§. XXXVI.

Febrium origo quomodo explicetur a Stahlianis.

Verum enim vero ab iis plethora non tantum, uti jam dictum eſt, pro cauſa chronicorum affectuum habetur, ſed etiam ad morborum acutorum ſeu febrium ortum & generationem extenditur. Dicunt nimirum febres eſſe naturæ ſalutaria conamina eum in finem inſtituta, ut motu auctiori & intenſiori ſanguinis & humorum reddito eorumque celeriori facta circulatione illud, quod ſuperfluum eſt, de ſanguine conſumatur inque ſerum excrementitium, quod poſtea per varia emunctoria evacuandum, reſolvatur, unde febres eſſe optimam plethoricorum medicinam contendunt. Sed hoc maxime ſpectat ad febres intermittentes. Quod vero attinet ad acutas, quæ potiſſimum ex inflammatione ſeu ſtaſi ſanguinis & humorum naſcuntur, eas ſimili modo a prudenti natura inſtitui aſſeverant, dum nempe hæc ipſa non alia ratione ſtagnantem & ſubſiſtentem in vaſis ſanguinem, qui tandem putredinem ac ſphacelum minatur, reſolvere, in ordinem redigere & ex tubulis excutere poſſit, quam impulſu ſanguinis vehementiori & celeriori ad partem affectam & obſtructam facto, ita, ut ſi feliciter hoc ſuccedat, febris curetur, & contra, ſi non feliciter ſuccedat, in apoſtema vel funeſtum ſphacelum tranſeat inflammatio.

§. XXXVII.

Anima in operationibus ſuis erroris accuſatur a Stahlianis.

Tandem etiam ipſam naturam in ejus actione & operatione ſæpiſſime erroris accuſant Stahliani, aſſerentes, quod ſæpe bonam & optimam aliquid exequendi habeat intentionem, ſed non aptis, incommodis & minus idoneis utatur mediis idque non legitima & juſta perficiat ratione, ſed conatum irritum & fruſtraneum exerceat; id quod contingere putant in epilepſia, motibus convulſivis & ſpaſmodicis, vel, ſi qualitate tenue acri venenata peccat humor, vel miaſma quoddam virulentum corpus ſubierit, vel ſi flatus peccant, in quibus omnibus caſibus naturam enormes generis nervoſi commotiones, febres & dolores inſtituere ſtatuunt. Dicunt videlicet, naturam non alio medio ſeu inſtrumento ad cauſas morbi profligandas quam motu eſſe inſtructam, minime vero materias hoſtiles vi ſuæ qualitatis & texturæ vitiatæ corpus humanum alterare vel mutare poſſe; quare eam, cum neſciat aliud medium, inſurgere motu violento contra id, quod corporis vitæ infenſum eſt, & in eo laudandam eſſe naturæ intentionem, quamvis convenienti deſtituta ſit inventione atque adeo Medicum in ejuſmodi caſibus arte ſua naturam errantem in ordinem redigere & exorbitantes motus compeſcere debere. Ad enormes ſeu potius inordinatos naturæ motus pertinere quoque cenſent eos, qui ex mala & diuturna conſuetudine & habitu fiunt. Hos enim natura utpote ad eos excitandos promtiſſima ex leviſſima cauſa irritata promtius facilius & ſæpius rurſus ſtata periodo & determinato tempore repetit ex eorum ſententia.

§. XXXVIII.

Fundamentum pathologiæ Stahlianæ.

In hac deductione & explicatione conſiſtit Stahlianorum fundamentum totius eorum pathologiæ atque ex antecedentibus intelligitur, ex eorum mente plethoram eſſe maxime materialem & occaſionalem & fere univerſalem morborum cauſam, naturam vero ſapientem & providam eſſe formalem & proximam. Quapropter etiam naturam tanta notitia cognitione & ſapientia bonaque intentione & directione præditam veramque morborum effectricem ſtatuunt & ex ejus autocratia ſive vigore & conſtantia agendi rationem convaleſcentiæ morborum explicant. Si vero hæc ipſa natura vel plane in opere ſuo ſeu motu atque activitate deficiat, & quaſi diffidens aut timens motus ſuos inſtituat vel eos plane deſerat, tunc aut non aut ſaltem non legitime curari aſſeverant.

§. XXXIX.

Quod homines præ brutis magis ægrotent, hoc deducunt Stahliani ex animæ hominis præſtantia præ brutorum anima.

Tandem & illud non eſt prætereundum, quod videlicet rationem, cur homo præ brutis magis ægrotet, ex animæ noſtræ ſive naturæ præ brutorum anima præſtantia deducant. Nam cum hominis anima, dicunt, majori ratione & conſequenter ſcientia ac prudentia præ brutorum anima ſit inſtructa, hinc eam longe majori atque accuratiori notitia eſſe inſtructam earum rerum, quæ corpori poſſunt nocere, eaque propter etiam magis invigilare corpori ſervando adeoque crebrius in homine motus inſti-

inſtituere ad illud, quod inimicum corpori humano, eliminanduḿ & in homine maxime febres, quibus bruta carent vel ſaltim rarius affliguntur, ſalutarem in finem efficere autumant.

§. XL.

Stahliani animum pro cauſa perſonalis infrequentiæ ægrotandi & morborum certis ætatibus propriorum habent.

Cum itaque Stahliani plethoram præcipuam & fere univerſalem morborum tam acutorum quam chronicorum cauſam ſtatuant, hinc facile patet, quare pathologiam ſalſam explodant & pauciſſimos ab acrimonia ſalina deducant morbos, & acre irritare vel nocere aut morbos producere poſſe negant. Tandem cauſam infrequentiæ morborum perſonalis in hominibus, ſive, quod quiſque hominum paucis per totam ſuam vitam ægrotet morbis, ex eadem animæ providentia, qua corpus humanum a morbis præcavet, derivant. Nam ſi acre vel acidum vel alcali vel medium, dicunt, frigidum & calidum, aer intemperatus, alimenta tam ſolida quam fluida varii generis ſive ſint acria ſive ſpirituoſa morbi cauſam ſuppeditarent, neceſſe eſſet, ut homo ſingulis fere diebus vel ſeptimanis ſaltem ſingulis ægrotaret; cum vero hoc non accideret, ſed potius obſervaretur, quod ſub certis ætatibus maxime provenire ſoleant morbi certi tantum & peculiares ſpecifici animam hujus perſonalis infrequentiæ ægrotandi & morborum certis ætatibus propriorum cauſam habendam eſſe concludunt. Et quoniam porro plethora ceu cauſa materiali & naturæ morali æſtimatione rerum noxiarum & ad eas avertendas & e corpore eliminandas motu auctiori totius pathologiæ ſuæ fundamentum ſuperſtruunt, facile hinc patet ratio, cur legum diæteticarum fere nullam habeant rationem & ſaltim morum, laborem ac abſtinentiam ſive temperantiam in victu commendent.

§. XLI.

Therapiæ Stahlianæ regula eſt, quod natura ſit optima morborum medicatrix.

Quod attinet ad ipſam therapiam hypotheſi Stahlianæ ſuperſtructam, conſiſtit hæc in ſequentibus regulis. Quoniam ex Stahlianorum mente natura optima eſt morborum medicatrix & ſuperfluum ſanguinem, ut nec putreſcat nec alio modo machinæ humanæ interitum afferat, omni arte ac ſapientia certis temporibus & per congrua loca evacuare vel febrili motu conſumere ſolet, hinc dicunt, nullo modo hoc ſalutare naturæ negotium eſſe turbandum, & omnia ea, quæ motus naturæ ſiſtunt, ſopiunt vel adſtringunt, in hæmorrhagiarum & febrium curatione ceu ſumma noxia eſſe fugienda; cujus generis ſunt, quæ in hæmorrhagiis ſiſtendis ſolent adhiberi, omnia ſtyptica, adſtringentia, opiata & martialia, & , quæ ad febres intermittentes curandas uſurpari ſolent, aluminoſa, martialia & cortex chinæ de china. Ex turbato enim hoc modo ſapienti naturæ conſilio ſtagnationes, obſtructiones, putrefactiones & corruptiones viſcerum graviſſimaſque ægritudines oriri autumant.

§. XLII.

Secundum therapiam Stahlianam venæſectio fere univerſale eſt morborum curativum & præſervativum remedium.

Quia Stahliani plethoram pro præcipua morborum cauſa habent, hinc venæſectionem univerſale morborum eſſe præſervativum aſſerunt, quin immo, ſi natura conſuetis & ſolennibus ſuis evacuationibus ſanguinem ſuperfluum ſufficienter evacuare nequeat, artem Medici ei ſuccurrere & venæſectionis ope ſanguinem, qui ſuperfluus & naturæ oneri eſt, detrahere debere perhibent, ut hac ratione cauſa morbi ablata motus morboſi ceſſent. Quare in omnibus fere morbis chronicis imperant venæſectionem præſertim in pede inſtituendam, partim, ut a partibus ſuperioribus ad inferiores derivetur ſanguis, partim etiam, ut ipſa natura aſſueſcat ad ſanguinem in fœminis per uterum & in viris per alvi venas abundantem evacuandum. Contra vero in morbis acutis fere nunquam niſi ſtatim in principio & magis præſervationis quam curationis cauſa ſuadent venæſectionem, quia hanc fovent ſententiam, quod tali evacuatione negotium ſapientiſſimæ naturæ, quæ in febribus circa ſanguinem & ſerum non ſolum evacuandum, ſed etiam calore conſumendum, eſt occupata, turbetur, quod etiam eſt cauſa, cur in nulla febre, etſi vel maxime ſit inflammatoria, facile admittant curationis ſcopo venæſectionem.

§. XLIII.

Ex Stahlianorum mente natura curat omnes morbos eiuſque medendi methodus eſt addiſcenda.

Cum natura ſecundum Stahlianorum ſententiam ipſa ſuis viribus inſtructa ſponte curet morbos, hinc cognoſcendam ejus methodum medendi, eam nunquam turbandam ſed potius quodammodo adjuvandam eſſe inculcant, ita nimirum, ut naturæ motus, ſi nimis excedant, temperentur vel, ſi deficiant, augeantur, poſtea vero materia morbifica ad motum & evacuationem apta reddatur vel eam, ſi viſcida ſit, incidendo, diluendo & reſolvendo vel, ſi acris eſt, corrigendo; unde porro colligunt, pauciſſimis opus eſſe remediis & ſola nitroſa ad motus effrenes & ſpaſmodicos partium ſolidarum compeſcendos & fluidorum exæſtuationem ſedandam ſufficere, neque opus eſſe aliis ſedativis & ſopientibus; ad naturæ vero motus deficientes promovendos atque excretiones adjuvandas ſufficere poſitive agentia ſudorifera ex radicibus alexipharmacis parata vel fixiora terrea; & ad alvinas ſordes exterminandas aloeticum temperatum cum extractis amaris & reſinis balſamicis; ad urinæ excretionem promovendam ſalia neutra omnem fere medentis intentionem explere; ad alterandos & corrigendos humores acres alcalicos, acidos vel bilioſos pulveres præcipitantes & abſorbentes cum nitro mixtos; ad diluendum viſcidum & ſalſum juſcula tenuia ut decoctum avenaceum tenue & potum aquarum medicinalium; & ad tenaces viſcidos humores reſolvendos ſalia media omne curationis punctum implere.

§. XLIV.

Therapia Stahliana jubet, ut medicos erroneos naturæ motus in ordinem redigat.

Quia vero ſecundum hypotheſin Stahlianam natura ſæpe ex errore motus morboſos fruſtraneos inſtituit movendo materiam, quæ mobilis non eſt nec facile excerni poteſt, vel ducendo materiam morbificam ad incongrua loca, hinc maxima, qua fieri poteſt, prudentia & ſolertia Medicus ut hos naturæ erroneos motus in ordinem redigat jubent, vel motus hos aliorſum derivando per pediluvia, venæ-

venæſectiones & evacuantia, vel nimios impetus ac motus naturæ ſiſtendo v. g. in hæmorrhagiis per narcotica in remiſſiori doſi data ut pilulas de cynogloſſa.

§. XLV.

Ex praxi excludunt Stahliani emetica,

Excludunt Stahliani ex claſſe remediorum uſui aptorum & ex praxi fere omnia emetica, hoc caſu excepto, quo natura inclinet ad vomitum & cruditates quæ in ventriculo collectæ ſunt eliminandas. Ratio hujus præcepti eſt conceptu facilis, quia emeticorum uſus cum plethora, quam ſemper adeſſe ſupponunt, conſiſtere nequit nullamque habet convenientiam.

§. XLVI.

narcotica opiataque tam papaveracea quam caſtorina,

Deinde ex praxi medica proſcribunt Stahliani omnia opiata & narcotica tam papaveracea quam, quæ blando vaporoſo principio agunt, caſtorina, & camphorata, quæ ſulphure itidem vaporoſo gaudent, quoniam talia naturæ motus ſalutares ſiſtant vel turbent & materiam morbi nec evacuent nec corrigant ſed intus detineant.

§. XLVII.

corticem chinæ de china, martialia & terrea adſtringentia.

Porro corticem chinæ de china omniaque martialia, & terrea adſtringentia ab iis damnantur & ſumme nociva habentur, eam maxime ob rationem, quod occludendo emunctoriorum canalium vias metaſtaſin materiæ morbificæ ad alia, ſæpius nobiliora, loca faciant ;| unde gravia chronica mala ſuam nanciſcantur originem.

§. XLVIII.

Stahliani minus æſtimant aquas minerales.

Thermis quoque, acidulis & aliis aquis mineralibus parum fidei habent; & putant, has aquas ſcopo tantum diluendi inſervire, forſan etiam ob eandem rationem, quod plethoræ conſumendæ minus apta & ſufficientia ſint remedia.

§. XLIX.

Stahliani rejiciunt calidiora & balſamica;

Præterea ſalia volatilia, elexiria calida, balſamica, omnia calidiora & camphorata raro vel plane non commendant, quia credunt, quod ea omnia naturam in opere ſuo, ad quod exſequendum requiritur certum tempus, turbent & præcipitent, vehementes quidem motus excitent; minime autem corrigant vel eliminent morbi materiam.

§. L.

contra vero magnā laudem & fiduciam adſcribunt ſpecificis, & cæteris remediis denegant virtutem directam.

Specificis vero remediis magnam laudem & fiduciam adſcribunt, ſibi perſuadentes, quod nonnulla remedia non explicabilibus quibuſdam ſingularibus virtutibus certos & peculiares morbos feliciter expugnandi & certas partes præ cæteris afficiendi earumque tonum alterandi ſint prædita. Cæteris remediis tam ſudoriferis quam emeticis & purgantibus aliiſque evacuantibus non vim quandam directam agentem in corpus humanum & motus producentem adſcribunt, neque irritationes & ſtimulationes admittunt, ſed omnem a remediis aſſumtis in corpore reſultantem effectum interno principio agenti maxime attribuunt, aſſerentes, quod hoc ex æſtimatione morali remediorum tanquam cauſarum occaſionalium has vel illas actiones & hos vel illos motus inſtituat & certas moliatur excretiones. Excipiunt autem ea remedia, quæ materiali contactu agunt, ut humida, incraſſantia, acida, alcalina & abſorbentia.

§. LI.

Finis hypotheſeos & praxeos Stahlianæ.

In his dictis & adductis verſatur Stahlianæ hypotheſeos cardo ac fundamentum, & optimus quiſque facile perſpicere poteſt, eam maxime ſuperſtructam eſſe interno quodam in corpore noſtro exiſtente principio, quod non modo corpus humanum fabricari & ſtruere, ſeu generare, ſed id etiam genitum adhuc conſervare, nutrire, defendere ab omni eo, quod ipſi eſt inimicum, morbos ſanare, & omnium omnino functionum, quæ in corpore exiſtunt & fiunt humano dominum eſſe & auctorem Stahliani contendunt. Adſcribunt autem huic principio interno peculiarem quandam ipſi inſitam rationem, prudentiam, intentionem, rerum in corpore humano contingentium notitiam, ſollicitudinem, vigilantiam, terrorem & iracundiam, item, quod obſervantiſſimum ſit temporis, numeri, ponderis, menſuræ, proportionis, gradus & directionis motuum, quos inſtituit. Atque in hoc concordat hæc hypotheſis cum Veterum non tantum philoſophorum ſed maxime etiam Medicorum mente; nam ipſe ARISTOTELES naturam dicit principium motus & quietis, PLATO naturam ſpiritum ex ſe motum vocat, & GALENUS & HIPPOCRATES naturam dicunt vim corporis ex ſe & ſua natura rectricem & gubernatricem corporis, quæ non modo illud generat, ſed etiam genitum conſervat, eamque optimum eſſe morborum Medicum, ſolvere criſi morbos, vigore ſuo morbos curare & ejus virium defectu morbos vinci non poſſe expreſſis aſſerit verbis. Habent itaque hoc principium pro cauſa efficiente omnium actionum & motuum in corpore & unum idemque cum anima. Hoc ut probent, ſequentia afferunt argumenta.

§. LII.

Quod anima ſit principium omnium mutationum in corpore, exinde probare conantur Stahliani, quod corpus ſit mere paſſivum, & motus in corpore producantur ab anima.

Primo dicunt, materiam omnem eſſe expanſam quidem, ſed in ſe paſſivam, omnis motus & actionis expertem, &, licet ſit artificioſiſſime conſtructa, tamen ad certam tantum mobilitatem eſſe aptam, nec virtutis movendi capacem nec vi ſua motum producere poſſe, quapropter opus eſſe alio principio activo ſeu agente non materiali, quod illam materiam, ejus mechaniſmum & organa actuet & in motum concitet. Nam quemadmodum inſtrumenta artificis artificioſiſſime etiam fabricata nihil agere vel operari poſſunt, niſi a manu artificis actuentur & dirigantur ad certum ſcopum, ita ſimili modo dicunt ſeſe habere noſtram machinam ejuſque organicas partes artificioſiſſime conſtructas, quæ in ſe omnis actionis & motus expertes ſunt, adeoque, ut moveantur, opus habent principio movente. Hoc principium movens & agens dicunt eſſe animam, & quod anima eadem ſit cum natura, id ex eo probare contendunt, quia ad animæ certas cogitationes & ejus imperium pro lubitu membra corporis

ris moventur, adeo ut, ſi imperet anima, mox motus ſequatur, & contra, ſi ceſſet ab imperio, motus quoque deſinat. Provocant quoque ad animi pathemata ut terrorem, iram, gaudium & ardens deſiderium quoddam, utpote in quibus pro eorum differentia internæ corporis partes, cor nempe cum arteriis fibræque muſculoſæ, quæ alias animæ imperio non obſecundant, diverſis agitantur motibus, ita, ut mox animi quendam affectum citatior ſequatur cordis & arteriarum pulſus & major fibrarum in toto corpore fiat tenſio, mox vero ab alio animi pathemate partes externæ valde conſtringantur, earum tonus augeatur & contra arteriarum & cordis tonus languidior & debilior evadat, quod in terrore contingere ſolet.

§. LIII.

Præcedens ulterius continuatur.

Verum enim vero animam non tantum in actiones vitales ſed illas etiam, quæ dicuntur a Medicis naturales, ut nutritionis & conformationis partium ſolidarum actum, habere imperium, exinde colligunt, quia ad matris fortiorem phantaſiam & impreſſionem variarum rerum externarum fœtus in utero ſtructura vitietur, ut veſtigia rei impreſſæ, ut muris, fructus cujuſdam, in fœtu appareant. Quod denique ipſa anima ſpeciales quoque in certis partibus motus efficiat, exinde adſtruere conantur, quia ad adſpectum grati cibi ſaliva in os largius eructat; ad viſum nauſeoſi cibi, pediculi vel crinis in cibo ſumendo nauſea vel etiam vomitus ſuboriatur; porro ad aſpectum fœminæ pulchræ motus inſurgant in partibus genitalibus; item, ſi quis videt alterum oſcitare vel mingere, præter voluntatem ipſe ad ſimilem actum propellatur; atque ex his omnibus colligunt, animam eſſe omnium motuum, qui ad vitam ſanitatem & cuſtodiam corporis humani pertinent, & ad morborum curationem faciunt, auctorem, maxime omnium, cum juxta eorum ſententiam motus ſit res immaterialis, quæ non competat materiæ ſed potius enti immateriali, quale judicatur natura ſeu anima.

§. LIV.

Animam gaudere intellectu inſito probare conantur Stahliani 1) ex ſapientiſſime conſtructa machina humana,

Quod vero hoc principium certa ſapientia, prudentia & notitia agendi ſit inſtructum, & quod omnia agat certo tempore & ordine, debita proportione & menſura, ex ſequentibus deducunt argumentis & quidem primo ex ſapientiſſime conſtructa fabrica corporis humani, quæ eum in finem tendit, ut per organa varie & certum in finem diſpoſita elaboretur ex alimentis chylus, ex chylo lympha & ſanguis atque hi ipſi humores, ut in debita temperie ac mixtione maneant nec putreſcant, non modo continuo circulari motu per corporis tubulos ferantur & partium heterogenearum, ex quibus conſtant, vinculum & mixtio conſervetur, ſed etiam inutiles noxiæ & ſuperfluæ partes ſeparentur, quo deinde ex puriori lympha omnium partium nutritio fiat. Porro organa ſenſuum artificioſiſſime eſſe conſtructa perhibent, ut anima ibi pro differente objectorum in illa actione varias ſibi formare poſſit perceptiones.

§. LV.

II) ex certo ordine & tempore, quæ obſervat anima in agendo.

Naturæ ſapientiam in conſervando corpore noſtro vel exinde quoque colligunt, quod certo ordine ac accurato tempore in conſtruenda machina noſtri corporis agat numerumque ſeptenarium maxime obſervet, adeo, ut tertio ſeptenario hebdomadum fœtus in utero primum motum exſerat & menſe ſeptimo perfecta vita fruatur, ut etiam extra uterum vivere poſſit; ſeptimo poſtea menſe, cum in lucem editus fuerit, incipiat dentes emittere, qui ſeptimo anno demum decidunt novis renaſcentibus. Provocant porro ad ætates, quæ ſeptenario numero includuntur & ad notabiles in corpore humano contingentes mutationes, utpote quæ maxime ſeptenario includuntur numero. Ita anno XIV. potentia generandi in fœminis & maſculis incipit & ſpeciatim in fœminis hoc anno menſes fluere incipiunt, quibus incipientibus fœcunditas incipit & quibus deſinentibus, quod ſeptimo ſeptenario annorum videlicet XLIX. anno contingere ſolet, fœcunditas quoque deſinit. Præterea pergunt, quod tertio ſeptenario nempe vigeſimo primo anno corpus creſcat in longitudinem & perfectum ſuum incrementum adipiſcatur tuncque adoleſcat; ab anno vero XXI. ad XXXV. duplici rurſus ſeptenario thoracis regio & vitales partes perfectum ſuum acquirant robur; ab hoc anno uſque ad annum XLIX. duret virilis ætas, quoniam hac in ætate corporis vires ac robur maximo vigore gaudent & ingenii judiciique vires maxime ſeſe exſerunt, unde non incongrue vir a vi ſeu viribus dicitur; ab hoc anno XLIX. decreſcant rurſus vires ſucceſſive & tres ſenectutes ſequantur, quarum quævis ſeptenario numero abſolvitur & prima ad annum LVI. dicitur viridis, ab hoc ad annum LXIII. media, ab hoc ad annum LXX. extrema, ubi ordinarie ſolet vitæ humanæ finis claudi. Cæterum naturam non tantum in conſtructione corporis noſtri ſed etiam in ejuſdem conſervatione & reſtitutione morborum certo ordine ac tempore uti perhibent. Notiſſimum enim eſt, dicunt, in morbis acutis ſeptenarium numerum maximi eſſe momenti, adeo, ut vel dimidio ſeptenarii vel ſeptenario primo vel uno & dimidio ſeptenarii vel demum ſecundo ſeptenario a natura ſolennes producantur excretiones & morbus ſolvatur; & ſi hoc non contingat, deterior evadat morbus, vel morti aperiatur janua. Porro proferunt, quod ſingulis menſibus ſeu intra viginti octo dies ſuperfluus ſanguis ordinario in ſexu ſequiori per uteri vaſa magno ſanitatis commodo a natura expurgari ſoleat. Denique hoc urgent, quod natura ſtata quoque tempora eorumque periodos non modo in febrilibus commotionibus ſed ſpaſticis etiam & convulſivis morbis exquiſite ſervare ſoleat, adeo, ut ſæpius certo die, certa hora immo certo anni tempore febres, epilepſiæ, motus convulſivi & ſpaſtici ad hæmorrhagiam excitandam tendentes recurrant, vel etiam, ſi arte facta fuerit ſanguinis in certis locis evacuatio, eodem anni tempore revertente ſimilem modum excretionis in iiſdem partibus ſua ſponte moliri ſoleat natura.

§. LVI.

§. LVI.

(II) ex convenientibus locis excretoriis, quae eligit natura, ejusque methodo excernendi.

Tandem etiam prudentiam & ſapientem naturæ intentionem conſervandi ſuum corpus ex eo judicant, quod ad excernendum illud, quod corpori humano inimicum moleſtum & noxium eſt, non modo convenientibus locis ſed etiam accommodatis mediis & methodo ac proceſſu ad tale negotium accommodato & directo utatur, atque adeo, quandocunque materiam tenuem alienam & inimicam ſalino-ſulphuream per cutis emunctorium vult excludere, alvinam conſtringat regionem, quo eo fortiori niſu ſanguinem ad habitum corporis poſſit protrudere, quod maxime in variolis, morbillis, purpura & ſcabie apparet. Porro quando ſuperfluum ſanguinem per loca convenientia ut nares, uterum & hæmorrhoides, vel etiam per inconvenientia loca, ut pulmones & ventriculum, natura vult eliminare, tunc juxta eorum ſententiam partium externarum habitum poros & vaſcula conſtringit, adeo, ut manifeſte refrigerentur & conſtringantur, quo ſanguis a partibus exterioribus retropreſſus alia partium vaſa, ad quæ vergit, facilius diſtendere ac aperire poſſit. Eundem proceſſum a natura inſtitui dicunt in omnibus commotionibus febrilibus, utpote quas eum in finem a natura ſuſcipi perhibent, ut vel viſcera a ſtagnationibus, ſtaſibus, obſtructionibus & infarctibus liberent, vel jam in vaſa congeſtum & in iis incarceratum ſanguinem reſolvant vel ex primis viis moleſtam materiam excutiant. Eandem quoque a natura tunc adhiberi methodum dicunt, uti in habitu corporis extremo & extremis partibus vaſa conſtringit, unde horrorem ac frigus explicant, &, cum ſic ſanguis in vaſis majoribus accumuletur eaque ad majorem ſollicitet motum, deducunt hinc celeritatem & augmentum circulationis ſanguinis atque hoc aucto & celeriori reddito ſanguinis circuitu naturam intentionem ſuam facile poſtea exſequi aſſerunt.

§. LVII.

(V) ex proportione motuum, quos animi ſuſcipit ratione materiæ peccantis.

Ultimo naturæ prudentiam ex eo probare conantur, quod proportionem ac gradum agendi & movendi obſervet, ita, ut, quo major & præſentior noxa a materia peccante imminere ipſi videatur, v. g. a contagio maligno, veneno, materia ſumme acri & cauſtica, eo celeriores vehementiores ac frequentiores ad hanc expellendam efficiat motus, & contra, quo minus periculi a materia peccante metuit, eo tardiores & languidiores adverſus eam ſuſcipiat molitiones; id quod in quartana & ſeroſis affectibus contingere putant. Quoniam itaque naturam in corpore humano conſervando illudque defendendo a morbis, cauſis morbificis & pernicie, tam prudentem & ſapientem a Deo, optimo & ſapientiſſimo medicinæ auctore factam eſſe ac creatam ſibi perſuadent, hinc ipſam hanc naturam ſapientiſſimum corporis humani Medicum immo optimam medicinam, quam Deus in corpore poſuit quamque Medicus ſequi & imitari, non vero turbare & præcipitare debet, prædicant.

§. LVIII.

Hypotheſis Stahliana laudanda in eo 1) quod medico præcipiat naturæ ductum ſequi;

Ut huic novæ hypotheſi, quam Stahliani ſequuntur, noſtram adjiciamus epicriſin, dicimus, eam complures in ſe complecti veritates & in multis eſſe approbandam, & quidem primum in eo, quod ductum naturæ, quæ ope ſuarum virium ſæpius ſola morbos curat, ſequi ejuſque ordinem ac methodum medendi imitari medicum jubeat. Hoc, licet a Veteribus Medicis ſatis fuerit inculcatum, noſtra tamen ætate ab iis, qui practica ſcripſerunt, fere omiſſum eſt, utpote quorum medendi methodus non tam ad naturam ejuſque medendi methodum ac ductum quam potius ad cauſas morborum fictitias unice eſt accommodata.

§. LIX.

2) quod plethoram & ſuppreſſionem hæmorrhagiarum multorum morborum cauſam ſtatuat;

Deinde hæc hypotheſis in eo laudem quoque meretur, quod plethoram, quæ quidem a GALENO ejuſque aſſeclis recte pro multorum morborum fœcunda matre pronunciata ſed a recentioribus fere penitus neglecta fuit, plurimorum malorum & maxime chronicarum paſſionum cauſam eſſe defendat & a ſuppreſſione ſalutarium a natura inſtitutarum hæmorrhagiarum ſive excretionum ſanguinis tam in fœminis per uterum & vaginam uteri vaſaque hæmorrhoidalia quam in viris per vaſa hæmorrhoidalia cauſam multorum graviſſimorum pathematum, præſertim affectuum chronicorum deducat, cum hanc Recentiores potius ex acrimonia, viſciditate, obſtructionibus vel alia qualitate humorum perverſa derivare ſoleant.

§. LX.

3) quod ex impedito per hepar circuitu ſanguinis mala multa derivet;

Amplectenda quoque hæc eſt hujus hypotheſeos ſententia, quod videlicet ſanguinis tranſitus per hepar ob ſingularem venæ portæ ſtructuram & uſum, quem præſtat inſtar arteriæ ſeu vaſis adducentis, ſit per ſe jam difficilis, atque quod impeditior factus magiſque retardatus multorum morborum chronicorum, præſertim cachexiæ, hydropis & mali hypochondriaci, immo fluxus hæmorrhoidalis fons ſit atque origo.

§. LXI.

4) quod motum tonicum introduxerit;

Commendanda porro in hoc eſt hypotheſis Stahliana, quod præter pulſum cordis & arteriarum fibris corporis humani, præſertim muſculis, ſpecialem quandam motus ſpeciem ſcilicet motum ſic dictum tonicum adſcribat, quo ſanguinis circulus varie mutatur & ad certa loca plus vel minus dirigetur.

§. LXII.

5) quod certa remedia rejiciat, alia admittat, pauca commendet, morborum ætatibus propriorũ habeat rationem;

Laude præterea in eo digna eſt, quod abuſum nimium adſtringentium, anodynorum & ſedativorum rejiciat & uſum venæſectionis item hirudinum præſertim ad præſervandos morbos extollat. Deinde quoque laudari mereтur in eo, quod Medico pauca & ſelecta remedia ad adjuvandam naturam commendet, illique diligentiorem conſiderationem morborum certis ætatibus familiarium, quod in ſuis monumentis HIPPOCRATES maxime urget, injungat

& motus naturæ potius quam materiæ peccantis indolem reſpiciat.

injungat atque eidem præcipiat, ut non tam ad materiam ejuſque indolem atque affectiones quam potius motus naturæ conſuetos atque in habitum degeneratos attendat.

§. LXIII.

Deſiderata hujus hypotheſeos afferuntur, quorum primum eſt, quod naturæ vim ſanandi plus juſto extendat.

Verum enim vero plura in hac hypotheſi non ſine ratione deſiderantur, primo, quod naturæ autocratia ſeu ſanandi ſapientia & poteſtas juſto plus extendatur & arti noſtræ ſic multum derogetur. Nam utut illud veriſſimum ſit, quod multi motus a natura inſtituti v. g. ad ſuperfluum ſanguinem evacuandum vel conſumendum & obſtructiones viſcerum reſerandas ſint ſaluberrimi, neque ſæpius egeant ulla Medici opera & ſanitatem quoque corpori rurſus afferant, minime tamen hoc dici poteſt de omnibus omnino motibus morboſis, utpote quorum plerique ita ſunt comparati, ut non modo minus idonei & ſuperflui ſint, ſed damnum etiam perniciem ipſam ac mortem inferant; ſicuti videmus id fieri maxime in motibus convulſivis, epilepticis & vehementibus ſpaſmodicis item excretionibus enormibus ſanguinis & humorum a cauſa plane incongrua v. g. flatibus in ventriculo & inteſtinis flatulantibus, vermibus inteſtina rodentibus, veneno aſſumto vel cum corpore communicato, miaſmate putrido ſeu contagio, peregrino fermento ex aere in corpus ſuſcepto, externa læſione aut punctura nervi & tendinis, vel acrimonia cauſtica inteſtinorum membranas irritante. Ad has omnes cauſas removendas omnes iſti morboſi motus fere nihil faciunt ſed potius deteriorem perniciem corpori afferunt illa, quæ exſpectanda fuiſſet ab ejuſmodi cauſa in corpore reſidente.

§. LXIV.

deinde hoc eſt reprehendendum, quod naturæ ſingularis ſapientia attribuatur & ea cum anima confundatur.

Deinde quoque minus recte naturæ ſapientiſſima omnium omnino rerum, quæ in corpore humano contingunt, cognitio & ſingularis prudentia omnia ad corporis conſervationem & morbos ab eo depellendos dirigendi attribuitur, atque hoc ex fundamento nimium extollitur & Medico plus quam par eſt commendatur. Minus recte etiam animam & naturam unam eandemque rem eſſe omneſque motus ac actiones in toto corpore ab anima fieri & perfici aſſeritur. Ut vero hæc controverſia recte dirimi poſſit, opus eſt, ut obſcura hæc vocabula prius recte explicentur atque definiantur, quod nunquam vero factum eſt, ideoque nobis incumbit Veterum, præſertim HIPPOCRATIS, atque omnium philoſophorum tueri ſententiam, qui animam a natura diſtinctum quid eſſe judicarunt. Per animam nempe intellexerunt eam facultatem in corpore noſtro, præſertim in cerebro & nervoſo ac membranoſo genere, reſidentem, quæ externa objecta eorumque motus ac actiones percipit cognoſcit & de rebus externis varias ſibi format ideas, ex quibus porro determinatur ad motus in quibuſdam partibus efficiendos. Per naturam vero intelligitur a Veteribus partim ipſa corporis artificioſiſſima diſpoſitio ac ſtructura tam quoad partes ſolidas quam fluidas, partim etiam ipſe motus in ſtructura partium corporis humani fundatus regularis & ordinatus, quem nos ſyſtole ac diaſtole ſeu dilatatione & conſtrictione fibrarum circumſcribimus & a materiali quodam principio fluido nempe ſumme activo, in motu conſtituto & magna vi motrice inſtructo derivamus. Hoc vero principium fluidum ſumme activum, partim ex aeris tenuiſſima & mobiliſſima ſubſtantia, partim etiam ex alimentorum tam potulentorum quam eſculentorum ſpirituoſa & ſubtiliori parte conſtare aſſerimus pluribus experimentis phyſicis & medicis perducti & hoc fluidum utique pro communi & univerſali cujuſvis corporis ſic dicti animali ſubjecto materiali immo inſtrumento, in quo & per quod vis & facultas hæc percipiendi agat & producat effectus in corpore, agnoſcimus; unde etiam facile patet, quod utique anima ſic dicta ſenſitiva, quæ cum brutis nobis etiam communis eſt, (non vero rationalis, quæ nullum commercium habet cum corpore & proſapiæ eſt longe altioris & ad imaginem Dei, quocum fuit unita ante lapſum & uniri debet, condita) magnam potentiam habeat in corpus noſtrum ejuſque motus turbare, augere, ſuſpendere, imminuere & dirigere poſſit, ſicuti id videmus in variis animi pathematibus variiſque irrationalibus impreſſionibus.

§. LXV.

Corpus quodlibet habet vim moventem.

Neutiquam vero hæc ipſa facultas ſeu vis percipiendi & imaginandi ullum motum vel ullam actionem in ſe & ſua natura exercet in partes ſolidas, ſed tantummodo motum, qui jam ipſis ineſt, turbat vel dirigit ad certas partes eumque vario modo modificatur. Nam illud ex principiis mechanicis & phyſicis ceu veriſſimum ſuppoſitum eſt tenendum, quod eſſentia corporis non tam in ſimplici quadam paſſiva extenſione ſed in vi quadam ſubſtantiali & primordiali activa nitente & renitente movente & mobili conſtet, adeoque extenſio corporis nihil niſi hujus virtutis diffuſio eſt & tantummodo corporis phænomenon, unde nullum datur corpus in rerum natura, quod non exerceat ſuam vim & actionem in alterum & quando vis major alteram reſiſtentem vincit, tunc loci fit mutatio ſeu motus. Quapropter non ex alio quodam principio ſeu Deo ſeu ente quodam immateriali ut ſpiritu vel anima motus origo in corporibus petenda eſt, ſed in ipſis corporibus tanquam ſubſtantiis natura ſua agentibus quærenda. Hæc vero veritas mechanica mechanicis ſtaticis & hydraulicis experimentis clariſſime poteſt demonſtrari, quæ magna evidentia probant, corpora etiam in quiete poſita agere & potentiam exercere, immo reſiſtentiam corporum eſſe motum & actionem in contrarium & ſublato virium motricium æquilibrio motum incipere, ut hinc artifex pro lubitu, quandocunque tantummodo ſitum, figuram vel locum mutat, in machina, motum in eadem vel imminuere vel augere vel moderari poſſit. Ecquis itaque eſt, qui negare velit, motus, qui fiunt in machina noſtri corporis artificioſiſſima, non a ſimili principio proficiſci, dum animadvertimus, omnia fere corpora, ſive ſint ex elementorum, alimentorum ſive medicamentorum claſſe, neque minus calidum, frigidum, acre vel acidum vel alcalicum vel ſalſum, craſſum, ſubtile, grave, leve, elaſticum & humidum varie modificari

modificari corporis noſtri motus nec non pulſum cordis tonumque partium circulumque ſanguinis & humorum mutare. Hæc etenim ſi ita non eſſent, cauſæ hæ corporeæ externæ nec vitam tueri nec morbos excitare neque ad morborum ſanationem aliquid conferre poſſent. Manet itaque firmum ac ſtatum, quod machinæ noſtræ motus propter artificioſiſſimam ſtructuram & diſpoſitionem contingentes & naturales dicti directe & efficienter a cauſis fiant corporeis, ita tamen, ut animæ facultas eos augere, vel imminuere, alterare, mutare & varie modificari poſſit.

§. LXVI.

Quidnam natura corporis humani propria ſit?

Ex quibus omnibus clariſſime apparet, differre utique animam a corpore. Illa in ſe & per lapſum corrupta nihil ſapienter & provide ac ſalubriter, ſed potius turbulenter, & confuſe, ut in animi pathematibus & variis impreſſionibus videmus, agit & multorum morborum cauſa exiſtit, multo minus conſilio & prudentia corpus ſanare poteſt. Natura vero eſt corpus noſtrum ſummo cœli artificio conſtructum ex diverſis partibus tam moventibus quam mobilibus, & viis, per quas fit motus, eum in finem, ut motus ſanguinis & humorum conſervantes corpus ab omni corruptione regulariter fiant; motibus ſyſtoles & diaſtoles, qui ſunt præcipua naturæ inſtrumenta, omne excrementitium inutile ac ſuperfluum ſeparetur & eliminetur e corpore; utile vero ac temperatum ad nutritionem ac reſtaurationem machinæ & virium harumque conſervationem colligatur & intus retineatur, & anima denique ſuas operationes per certa organa exerceat, nempe percipiat, ſentiat & ſecundum impreſſiones & repræſentationes ſuas motus quoſdam dirigat. Apparet exinde, quod omnes actiones, quæ fiunt a natura & in corpore noſtro, ex neceſſitate cauſali & naturæ ordine ſeu motuum legibus æternis fiant, omnes vero, quæ in corpore noſtro ab anima fiunt, actiones ex varia & quacunque in animam impreſſione contingant & ſint mutabiles.

§. LXVII.

Perperam adſcribitur ſapientia fibris motricibus noſtri corporis.

Si qua igitur ſapientia & ratio in naturalibus actionibus ſeu corpore noſtro animadvertitur, hæc divino machinæ noſtræ artificio adſcribenda eſt, non vero enti cuidam, quod ex impreſſione variarum rerum externarum turbulenter magis agit & maximos committit errores. Patet porro ex dictis quoque, quod perperam fibris noſtri corporis motricibus internis, quæ ſunt v. g. in membranis, corde & arteriis, cognitio, ſapientia & prudentia vel intentio certa aut error idque genus alia prædicata adſcribantur, quoniam hoc nullo valido vel evidenti argumento poteſt probari & demonſtrari. Denique notandum eſt, quod, ubi phænomenon explicari poteſt per cauſas manifeſtas mutuaſque corporum inter ſe actiones vel reactiones, id eſt, mechaniſmum; quamvis modus, quomodo fiat, ob imbecillitatem intellectus noſtri demonſtrari haud poſſit, non opus ſit, ut confugiamus ad ſapiens quoddam phantaſma ſeu penitus occultum principium.

§. LXVIII.

Cauſæ externæ corporeæ corpus adficiunt neceſſitate cauſali.

Cum itaque cauſæ externæ corporeæ antea memoratæ ex cauſali neceſſitate & immutabili ordine & nexu vario adficiant corpus noſtrum ejuſque motus, hinc Medicus ad hos motus, præſertim in morbis, debet probe attendere & obſervare, utrum per accidens tantum in ſalutarem finem tendant, an pernicioſi ſint & ad perniciem & plenariam deſtructionem vergant, & ejuſmodi motus ſiſtere & tollere debet, cauſas eorum proximas auſferendo. Minime itaque omnes motus morboſi in corpore noſtro ſunt ſalutares & bona inſtituti ex intentione. Hujus generis ſunt convulſiones epilepticæ, vehementes artuum externorum & internarum partium ſtricturæ ſpaſticæ, quas vel mors vel ſumma pernicies in corpore ut plurimum ſequitur. Ubi vero pernicies adfertur, ibi non poteſt bona intentio habere locum. Porro ex his dictis patet, Medicum, quando cum fundata ratione & ſcientia curam ſuſcipere velit vel corpus a morbis præcavere, tueri & conſervare intendat, debere eſſe exquiſitum phyſicum, chymicum, anatomicum & mechanicum; nam harum diſciplinarum ope corporum effectus, motuum leges, cauſas effectuum naturalium, corporum craſin, elementa ac principia agendi addiſcit, ut deinde hæc ipſa ad rationes reddendas in medicina, cur hæc vel illa noceant vel proſint machinæ noſtræ, commodius applicare poſſit.

§. LXIX.

Hypotheſis Stahliana multum attribuit naturæ & in eo taxanda, quod omnes fere morbos derivat a plethora.

Ex his itaque dictis & adductis evidenter patet, hanc hypotheſin nimium naturæ in ſanandis morbis attribuere atque arti noſtræ cauſiſque externis, per quas alimenta medicamenta ipſumque aerem intelligimus, juſto plus detrahere ac derogare. Neque minus recte plethora ſeu nimia ſanguinis abundantia pro cauſa morborum fere univerſali habetur, quoniam longe plures morbi accuratiori ægrotorum ſcrutinio facto ex longe aliis cauſis, quam nimia humorum redundantia, pronaſci obſervantur. Sic multi morbi ex aeris vitio atque intemperie annique temporibus & tempeſtatibus inſalubribus oriri ſolent, qui epidemici dicuntur ac familiariſſimi ſunt, pluresque uno tempore afficiunt vel tollunt, nec ullum cum plethora habent commercium. Hujus generis ſunt I) omnes fere febres tam intermittentes quam continuæ, tam acutæ inflammatoriæ quam catarrhales, exanthematicæ cum variolis, morbillis, petechiis & purpura, nec non dolores & defluxiones ut rheumatiſmi, arthritides, coryzæ, raucedines, tuſſes, diarrhœæ, dyſenteria & tumores glandularum colli & faucium. II) Morbi ſic dicti maligni putridi, qui ab externo miaſmate ſeu contagio virulento naſcuntur & fluidis ac ſolidis partibus putredinem vel celerem vel lentiorem inducunt, cujus generis ſunt peſtis, febres petechiales, & petechizantes, dyſenteriæ malignæ, variolæ, & morbilli maligni moris & purpura maligna; ex morbis chronicis lues venerea, lepra, ſcabies maligna cum plethora nullum habent commercium & magis corpora ſanguine & viribus exhauſta quam repleta adoriri ſolent. III) Vehementes animi

paſſiones celeres & longos graveſque morbos aliaque graviſſima mala inſerunt, quotidiana id teſtante experientia, nulla plethoræ habita ratione. IV) Morbi ſic dicti endemii certis regionibus ob vitium aëris, locorum, vel malum victum ſeu vivendi rationem quaſi proprii, quorum præcipuus ſolet eſſe ſcorbutus, ex abundantia ſanguinis & humorum minime ſunt derivandi. V) Multa mala graveſque ægritudines ex præpoſtera medicatione & mala medicamentorum adminiſtratione, ut intempeſtiva febrium & hæmorrhagiarum criticarum vel alterius criticæ ad habitum corporis ablegandæ evacuationis ſuppreſſione oriuntur, quæ nullum cum plethora habent commercium. Tacemus morbos hæreditarios, qui a parentibus ad liberos transferuntur. Atque ex his omnibus clariſſime eluceſcit, cauſam morborum non tam ex quantitate nimia ejuſque exceſſu, quam potius ex qualitate, intemperie & vitio materiæ peccantis, inprimis vero ex motuum turbatione, perverſione atque irregularitate petendam eſſe.

§. LXX.

Hypotheſis Stahliana minus recte rejicit pathologiam ſalſam.

Tandem etiam in eo delinquit hæc hypotheſis, quod pathologiam ſalſam nimium extenuet & plane e foro medico proſcribat. Peccarunt utique quidem plures ex Recentioribus in eo, quod fere omnium morborum genera ex ſalium vitio & natura derivare auſi fuerint, ſed ſalinas potentias multum nocere corpori noſtro & plurimorum morborum cauſas præbere certiſſimum eſt. Nam quod attinet ad morbos epidemicos, certe in plurimis corroſiva tenuis ſalina ſeſe oſtendit potentia & hæc maxime apparet in catarrhis, tuſſi, purpura, rheumatiſmis, tuſſi convulſiva infantum, & febribus intermittentibus, ut tertiana & quartana. Non modo tuſſes ſed oris etiam exulcerationes & ſtranguriæ humorum præternaturalem acredinem teſtantur. In ſcorbuto ſalibus excrementitiis corroſivis ſuccos eſſe onuſtos ſalſæ & ſaturatæ urinæ, exulcerationes partium externarum, eroſiones gingivarum, faucium & palati, & defluxiones ſalſæ acres ex naribus & oculis abunde teſtantur, neque minus hoc exinde apparet, quod hi morbi a ſalibus manifeſto exaſperentur, per ea vero, quæ acrimoniam ſalinam temperant, hi mitigentur. In ſcabie, lepra, purpura, variolis & morbillis ſal quoddam acre tenue peccare, perpetui pruritus, dolores & eroſiones, quæ nunquam non hos affectus comitantur, neque minus, quod ea remediorum genera, quæ ſalinam acrimoniam intendunt, manifeſto noceant, quæ vero eam corrigunt & temperant diluendo & ſalium ſpicula involvendo, præſentiſſimum ſolamen afferant, abunde declarant. Porro in diarrhœis, dyſenteria, cholera, torminibus infantum & dolore inteſtinorum graviſſimo tanta ſæpe corroſivitas & acrimonia humorum obſervatur, ut vomitus acidiſſimi ſicuti & fæces viridiſſimæ lintea corrodentes excreti fuerint. Hæc acrimonia humorum in primis viis ſtabulans & inteſtinorum tunicas arrodens optime & præſentiſſime abſorbentibus & mucilaginoſis demulcentibus ut oleoſis, lacte & clyſteribus emollientibus mitigatur & corrigitur, morbique, qui ab ea oriuntur, tolluntur. In arthriticis affectibus ut podagra, chiragra & iſchiadico malo ſerum ſalſum acre vel tartareum peccare, non tantum ex tophis tartareis & cretaceis & doloribus lancinantibus ſed ſalſis etiam excrementis ut urina valde tartarea & ſudore acidum ſpirante colligitur, & exinde quoque apparet, quod qui calculo laborant, facile fiant arthritici, & vice verſa, & quod medicamenta, quæ ſalia diluunt, involvunt, temperant & e corpore evehunt, ut lac in copia hauſtum, aquæ potus, infuſa herbarum calida nec non acidulæ & thermæ optima ſint arthriticorum dolorum præſidia. Hypochondriaci, qui perpetuis fere ſpaſmis, flatulentiis & inde oriundis ſexcentis malis affliguntur & fœminæ, quæ ſimili modo exercentur ſub ſpecie hyſtericæ paſſionis, evidentiſſimam & præſentiſſimam noxam ab omnibus acidis aſſumtis ut fructibus horæis, aceto & vino percipiunt, atque in ventriculo horum ſubjectorum perpetuo quaſi humor acidus corroſivus reſidet, qui efferveſcendo cum bile viſcida ardorem intolerabilem ſodam dictam facit, ructuſque & vomitus acidos producit, omniaque aſſumta in acidam viſcidam maſſam convertit, adeo, ut ventriculus inſtar vaſis, quo acidum præparatur, exiſtat. Ab acido quoque in primis viis exſuperante albæ fæces, tormina & roſiones inteſtinorum, cardialgiæ nec non alvi adſtrictiones & quandoque diarrhœæ proficiſcuntur. Ab acidorum abuſu fœminas chronica ſibi acterſere mala, præſertim hyſterica pathemata in omnibus ſimilia hypochondriacis ſymptomatibus, neque minus inordinatum menſium fluxum & inde provenientia vitia, is nunquam in dubium vocabit, qui horum morborum originem exactiori facto examine ſcrutabitur. Qui calculo ſive renum ſive veſicæ obnoxii ſunt, omne acidum in victu, niſi malum velint augere, fugere debent, & cum acidum ſit omnis concretionis tartareæ viſcidæ calculorum cauſa primaria, hinc qui acidis ac viſcidis, præſertim lacticiniis, frequentius utuntur & hæreditariam jam ad calculos diſpoſitionem habent, facile ſibi calculos contrahere poſſunt, non modo in renibus & veſica, ſed etiam in cyſtide fellea, adeoque ex his omnibus evidentiſſime intelligitur, neutiquam ſalia ex cauſarum morbificarum claſſe eſſe removenda.

§. LXXI.

Quod hypotheſis Stahliana minus recte morbos certis ætatibus familiares a plethora deducat, oſtenditur.

Neque etiam omnes morbi certis ætatibus familiares a ſanguinis redundantia ſeu naturæ molimine ſanguinem ſuperfluum ad certas partes ut in ætate puerili ad caput propellendi & excernendi poſſunt deduci. Nam iſti morbi, qui ætati infantili & lactantibus accedunt, ut tormina ventris, convulſiones, epilepſiæ, aphthæ, tuſſes convulſivæ, cardialgiæ, atrophiæ, variolæ, morbilli & vigiliæ a cauſis manifeſtis ut vermibus, dentitione difficili, lacte coagulato & corroſivo, tranſpiratione impedita, affectibus nutricum vel epidemica aeris conſtitutione dependent. Ita porro cruſta lactea, tinea capitis, favi, coryzæ, fluxus aurium & oculorum, nec non tuſſes humidæ ex abundante vitioſo ſero & impedita tranſpiratione potius quam a ſanguinis copia ſeu ejus motu ad caput naſcuntur. Neque etiam omnes capitis dolores adoleſcentiæ familiares a mo-

a molimine hæmorrhagico dependent & quamvis hoc in ſanguineis ſeu ſanguine abundantibus, præſertim accedente cauſa externa, ſit veriſſimum, neutiquam tamen omnium capitis dolorum cauſa exinde poterit derivari. Nam frequentius cauſa doloris capitis hæret in ventriculo & primis viis, quæ partes, quando roduntur & tenduntur, ob conſenſum nervorum membranas capitis valde ſenſibiles ſimul adficiunt. Neque etiam hic motus ſanguinis ad caput fit tantum in adoleſcentibus, ſed etiam in virilis immo ſenilis ſæpius ætatis ſubjectis, utpote quæ etiam hæmorrhagiis ſunt obnoxia, & apoplexiæ ſenum ex narium hæmorrhagia ſuppreſſa plerumque oriuntur. Nec hæmoptyſes, phthiſes, pleuritides veræ & ſpuriæ, rheumatiſmi thoracis & convulſiva aſthmata ſanguinis abundantiæ vel naturæ molimini ſanguinem ſuperfluum ad thoracem propellendi & per pulmones evacuandi ſuam ſolum debent originem, ſed potius plerumque a cauſis externis manifeſtis oriuntur & foventur; ſiquidem omnia hæc mala a nimio corporis motu, vino copioſo aſſumto, iracundia, intempeſtivis refrigerationibus, frigido potu celerius in corpus calefactum infuſo, vel hæreditaria diſpoſitione oriuntur, quamvis non ſit negandum, plethoram etiam multum ad generationem horum malorum poſſe concurrere. Denique nec ipſa mala virili & ſenili ætati familiaria ut dolores arthritici, podagrici, iſchiadici, calculus renum & veſicæ ſemper a plethora vel fruſtranea ſanguinis ſuperflui per renes vel hæmorrhoides excretione naſci ſolent, ſiquidem experientia & obſervatio accuratior docet, hos affectus a longe aliis cauſis poſſe proficiſci, ut ab hæreditaria diſpoſitione & vitio in diæta commiſſo, quamvis in totum plethoram non poſſimus excludere. Multo minus vero pathemata hypochondriacis familiaria a fluxu hæmorhoidum ſuppreſſo vel fruſtraneis motibus hæmorrhagicis dependent. Notum enim eſt, hypochondriacum affectum familiariſſimum eſſe ætati juvenili, ubi ordinario tales motus ad hæmorrhagias non conſpiciuntur. Deinde cauſæ dantur mali hypochondriaci evidentiſſimæ, quæ inſtituto accuratiori examine facile cognoſcuntur & ſunt plerumque paulo debilior & ſenſibilior corporis conſtitutio, vita ſedentaria, compreſſio abdominis, virium conſumtio per nimias lucubrationes & ingenii labores, acidorum abuſus, potus paucus, diæta flatulenta, febrium intermittentium præpoſtera curatio & ſuppreſſio, diarrhœæ intempeſtiva adſtrictio, opiatorum abuſus, fortiorum purgantium crebrior aſſumtio, abdominis refrigeratio & in fœminis mala in puerperio tractatio: Hæ memoratæ cauſæ fere ſemper affectus iſtos ſpaſmodico-flatulentos, quos in viris malum hypochondriacum, in fœminis vero malum hyſtericum Medici appellant, ingenerant; illud tamen in dictis morbis frequentiſſime accidit, ut per hæmorrhoides interdum ſanguis exoneretur vel etiam motus ſeu molimina ſanguinis ad has partes ſæpius fiant, quamvis irrito interdum conatu, unde tumentes & cœcæ hæmorrhoides apparent. Illud quoque rariſſimum eſt, quod hæmorrhoides fluentes ingens ſequi ſoleat ſymptomatum levamen, ſed hoc in caſu hic fluxus potius ut ſymptoma morbi quam ejus cauſa debet ſpectari. Porro etiam illud certum eſt, quod, ſi in iis, in quibus ſanguis per hæmorrhoides conſueto tempore excerni ſolet, hic fluxus ſupprimatur, interdum ſpaſmodica & convulſiva gravia colica pathemata ſuboriantur non ſecus ac ex menſium fluxu ſuppreſſo id fieri ſolet, hæc tamen ſunt tranſitoria, affectus vero hypochondriacus, qui in viſcerum læſione vel tono inteſtinorum deſtructo conſiſtit, pertinax eſt & diuturnus. Accedit & illud, quod fluxus hæmorrhoidum ſit ætati ſenili congruus & demum incipiat poſt annum quinquageſimum, ubi mali hypochondriaci rarius ſit geneſis ſed potius ſymptomatum ejus remiſſio.

§. LXXII.

Podagræ cauſa proxima non rite deducitur ex fluxu hæmorrhoidali.

Multo minus vero proxima podagræ cauſa ex natura motuum hæmorrhoidalium derivari poterit, utut podagra æque ac hæmorrhoidalis fluxus ſint affectus ætati provectiori familiares, ſiquidem nobis nota ſunt exempla, ubi podagra gravius corpus affixerit hæmorrhoidibus etiam fluentibus; ad quod accedit, quod podagra a cauſis manifeſtis phyſicis ut corporis & ſyſtematis nervoſi magna debilitate, diſpoſitione hæreditaria, abuſu veneris, vehementia affectuum, intemperie in victu, præſertim vinorum acidorum ingurgitatione, & aëris epidemica conſtitutione oriatur, quæ omnes cauſæ nullum cum fluxu hæmorrhoidali habent nexum.

§. LXXIII.

Perperam rejicitur actio cauſarum externarum.

Denique in hac hypotheſi etiam hic error committitur, quod a cauſis externis, nempe aëre, alimentis quantitate vel qualitate peccantibus, & immoderata vivendi ratione pauci deriventur morbi, unde etiam legum diæteticarum obſervantia parum commendatur neque opus eſſe ad medicinam rerum phyſicarum accuratiori ſtudio, paulo liberius aſſeritur. Ratio vero, qua perducti fuerunt ad hanc ſententiam, videtur hæc eſſe, quod, ſi cauſæ externæ ut aër, alimenta qualitate & intemperie peccantia morborum cauſas conſtituerent & acre vel acidum vel alcalinum vel ſalſum aërque intemperatus adeo inimica eſſent corpori, ſequeretur, omnem hominem omni fere tempore debere ægrotare & conflictari cum omnibus fere morborum ſpeciebus per omnem etiam ætatem, quod tamen non accidit, ſiquidem experientia docet, paucos ſaltim eſſe morbos, quibus nonnulli homines per totam vitam affliguntur. Verum enim vero conſiderandum hoc loco utique eſt, quod cauſæ externæ corporeæ, quæ corpus noſtrum adficiunt & nonnaturales vocantur, tantummodo ſint remotæ morborum cauſæ, hoc eſt, diſponendo tantum agant, non vero proxime & formaliter morbum efficiant, utpote ad cujus conſtituendam cauſam proximam plures ſimul concurrere & conſpirare debent. Res autem divinæ prudentiæ eſt, quod dictæ hæ res nonnaturales diverſiſſimæ ſint naturæ & rarius inter ſe ratione certi effectus conveniant, ut potius una res alterius effectum moderetur atque impediat, & ut res hæc clarior evadat, adducam exemplum. Si ſcilicet febris ardens ſeu cholerica produci debeat, neceſſe eſt, ut ad hujus geneſin plures cauſæ ex cauſis

ſis naturalibus & nonnaturalibus concurrant. Opus nempe eſt, ut 1) adſit temperamentum corporis cholericum, 2) ſtrictior & denſior habitus corporis, 3) ſenſibilior natura, 4) ætas juvenilis vel virilis, 5) tempus æſtivum & ſtatus aëris auſtrinus, eumque excipiat corporis refrigeratio vel ventis frigidis vel corporis expoſitione aëri frigidiori, 6) aromaticorum & calidorum ciborum nec non potulentorum ſpirituoſorum abuſus, 7) iracundiæ affectus. Hæc enim ſi concurrunt, utique febris ardens & cholerica facillime producitur. Cum autem hæc rarius in uno ſubjecto concurrant, hinc rarior quoque eſt hujus febris geneſis, & ita quoque cum cæteris morbis ſeſe res habet.

§. LXXIV.

Cauſa morborum principalis & proxima potius in partibus ſolidis quam fluidis quærenda eſt.

Deinde hoc maximopere meretur attentionem, quod cauſa morborum principalis & proxima magis in natura & læſione ſolidorum quam fluidorum ſit quærenda, adeoque vitium in fluidis conceptum, niſi ſolidas afficiat partes eorumque tonum ac motum pervertat, nullum facile excitabit morbum. Ut autem ſolida, quæ motum & impulſum dant fluidis & totum ſecretionis, excretionis & ſanitatis negotium moderantur & diſpenſant, præternaturali modo afficiantur, non neceſſe eſt, ut vitium in uſu omnium ſex rerum non naturalium commiſſum fuerit, ſed ingens ſolum ſufficit & res ſic dictæ naturales, quæ conſiſtunt in temperamento, habitu corporis, diſpoſitione hæreditaria, ſexu & conſuetudine conſiſtunt, concurrere debent. Et hæc eſt ratio, quare ea, quæ celeriter motum partium ſolidarum naturalem turbant atque invertunt, & vehementes ſpaſmos inducunt, ut animi pathemata vehementiora, & omnia venenorum genera, præſentiſſime morbos inferre poſſint, ea vero, quæ quantitatem, temperiem ac mixtionem ſanguinis & humorum immutare valent, ut alimenta & aër & id genus alia, non adeo promta, parata ac idonea ſunt ad ſtatum naturalem tam ſubito immutandum. Quare utique haud obſcure patet falſo in pathologicis ſalinas vel alcalicas vel acidas vel mediæ indolis potentias immo plethoram ipſam pro cauſis morborum proximis allegare.

§. LXXV.

Rationes allegantur, cur homo præ brutis magis ægrotet, nec tamen omnibus affligatur morbis nec ſemper.

Ex hiſce nunc facillime colligitur, quare quiſque hominum non omnibus pateat morbis & perſonaliter etiam raro ægrotet. Deinceps ex hiſce quoque facile ratio reddi poterit, quare homo præ brutis animantibus magis ægrotet. Primo enim in homine plus regnat & valet animæ commotio quam in ipſis brutis. Deinde bruta non adeo facile ratione alimentorum tam quoad copiam quam intemperiem delinquunt uti homo, & denique homo quoque eſt ſenſibilioris naturæ propter cerebri & nervorum copiam, unde etiam tonus partium ab ingeſtis rebus inimicis plus alteratur & turbatur.

§. LXXVI.

In hypotheſi Stahliana virtus & modus agendi medicamentorum minus rite explicatur.

Porro etiam illud deſiderandum eſt in hac hypotheſi, quod medicamentorum virtus & operatio minus commode explicetur. Etenim quo agendi modo, quibus elementis & qua ratione emetica, purgantia, ſudorifera, alexipharmaca, diuretica, opiata, mercurialia, nitroſa & id genus alia in corpus noſtrum agant & effectum ſuum exſerant, vix uſquam rite explicatum legitur. Neque id mirum eſt; nam quia cauſa eorum, quæ fiunt ac eveniunt in corpore noſtro, habetur agens quoddam certa notitia & intentione inſtructum, neceſſaria eſt conſequentia, medicamenta potentia agendi in corpus minus eſſe inſtructa, reali nempe & phyſica, & ſicuti omnes fere materiales cauſæ, etiam morbificæ, occaſionales tantum habentur, ex quarum morali æſtimatione actiones ab anima inſtituuntur, ita etiam nihil dubii eſt, quin eodem jure atque eadem conſideratione cenſeantur etiam varia medicamentorum genera.

§. LXXVII.

Refutatur antecedens.

Verum enim vero quid opus eſt, ad occultas operationis remediorum confugere cauſas & poſitivam activam ipſis virtutem detrahere, ubi evidentes adſunt operandi modi & virtus manifeſta? Siquidem maxime notum eſt, omnia evacuantia, ſive per vomitum, ſive per alvum aut ſudorem vel urinam ſuperfluum excrementum detrahant, agere quodam principio eminente ſalino ſtimulante & vellicante, quod ipſo ſenſu dignoſcitur & aliis etiam effectibus ſeſe prodit; nam acrimonia emeticorum & purgantium ſubtiliſſima penetrans in lingua ſe prodit & guſtu cognoſcitur, inque naribus ſternutamentum provocat, intus vero majori in copia data purgantia & vomitoria tunicas ventriculi & inteſtinorum arrodunt, quod etiam exterius admota faciunt, & pleraque purgantia præſertim validiora veſicas in cute excitant. Emetica ex mineralibus petita omnia ſeptica virtute eminent, immo venena potentiſſima ex mineralium claſſe erodente cauſtica vi ſpaſmos in univerſo corpore validiſſimos provocante interficiunt, neque minus poſitive ſudorifera, ut radices & herbæ ſic dictæ alexipharmacæ ſale ſubtili acri ſulphureo ſcatent, quod etiam valet de reſinoſis lignis, utpote quæ etiam agunt acri principio, ſi eorum decocta porriguntur. Quæ urinam cient ac evocant, manifeſte cauſticæ ſunt & irritantis indolis, quo ſpectant omnis generis ſalia, item lapides in calcem uſti & omnia inſecta, quæ veſicas faciunt. Adjicimus & hoc, quod omnis generis errhina & quæ ſternutamentum excitant, ob ſal acre manifeſtum narium tunicas irritans, quo pollent, id efficiant. Et quod acrimonia vellicans & irritans fibras motrices cauſa ſit omnis auctioris excretionis, id vel ex eo elucescit, quod imminuta, temperata vel ablata hac acrimonia ſalina omnis vis evacuans exſpirat, & tollitur; id quod promte in emeticis & purgantibus diuturna coctione perficitur, ubi ſale ſubtili cauſtico in auras avolante, quod remanet, omni fere virtute evacuante vacuum eſt. Deinde acrimoniam cauſam eſſe operationis in evacuantibus vel etiam in venenis, vel ex eo patet, quod omnia, quæ demulcent ac temperant acrimoniam, ſi intus in copia ſumantur, ut lac, emulſiones, oleum amygdalarum dulcium, manifeſto infringant vomitoriorum, purgantium & venenorum etiam vim deleteriam.

Ex

Ex quibus omnibus patet, quam commode evacuantium operationem explicari poſſe fibrarum irritatione ſeu vellicatione, quam poſtea preſſo pede ſyſtole ſeu contractio auctior in emunctoriis inſequitur, qua fit, ut ſucci excrementitii majori in copia, quam antea factum eſt, exprimantur. Quod autem in corpore vivo ad ſtimulum ſeu vellicationem fibrarum motricium ſyſtole & contractio in ipſis augeatur, hoc ex mechanica fit neceſſitate, quod ex eo clarum eſt, quia ſemper id fit, utut modus fiendi ſenſibus noſtris adhuc ſit incognitus.

§. LXXVIII.

Antecedentis continuatio.

Eodem etiam modo ac ratione medicamenta ſic dicta aperientia, incidentia, ſanguinem depurantia, & quæ obſtructiones reſolvunt & ſtagnantes humores diſcutiunt, agere debent, dum nempe ſtimulo ſalino acri ipſas motrices vires ad intenſiorem contractionem adigunt & circulum ac progreſſum fluidorum hoc modo augent atque intendunt, unde etiam excretiones melius & felicius ſuccedunt. Nam quemadmodum partium ſolidarum robori ac motioni in corpore noſtro præcipue actiones debent adſcribi & in ſolidis partibus morborum proximæ cauſæ quærendæ ſunt, ita etiam medicamenta quam maxime agunt in partes ſolidas, atque earum motum varie modificando operationes ſuas exſequuntur. Deinde alius modus agendi eſt remediorum, quæ intenſos motus & ſpaſmos corporis noſtri ſedant, placant, & ſiſtunt, & ſicuti ea, quæ motus intendunt ex ſalino principio, ita iſta, quæ motus compeſcunt, ex ſulphureo principio ſuam activitatem mutuantur; nam omnia medicamenta, quæ ſedativa, anodyna, ſomnum inferente & motus nimios refrænante virtute pollent, vaporoſa quadam ſulphurea potentia id perficiunt & fortem de ſe ſpargunt odorem, quin immo ipſa, quæ dici ſolent a Medicis ſpecifica in ſedandis motibus, vim ſuam maxime exſerunt ſulphureo potiſſimum elemento ſeu principio. Præter ea vero, quæ motum reſpiciunt, medicamenta dantur etiam alia, quæ ad materiam videlicet ſanguinis & humorum horumque mixtionem referri debent, & hæc dicuntur Alterantia, ad quæ ſpectant omnia diluentia, humectantia, eluentia, acidum abſorbentia, partes volatiles ſulphureas figentia, acrimoniam temperantia. Ex quibus omnibus clariſſime patet, utique virtutem activam medicamentis non eſſe detrahendam, ſed potius ex iis principiis derivandam, quibus ſapientiſſima natura ejus opifex Deus omnia remediorum genera inſtruxit ad operandum. Diſcimus igitur exinde cauſarum morbificarum, quæ tam ad motum, quam ad materiam ſpectant, naturam atque formalem rationem. Porro diſcimus quoque exinde & colligimus, cauſas morborum eſſe varias materiales ex ſale, ſulphure, & qualitatibus manifeſtis petendas, quæ ſimili modo ut medicamenta corporis noſtri actiones & motus alterant, in ſolidas quoque & fluidas partes agere, eaſque turbare & morboſum ſtatum inducere poſſunt.

§. LXXIX.

Obſervantia legum diæteticarum quoad alimentorum qualitatem ſecundum hypotheſin novam minus utilis in medicina, quod effatum tamen falſum eſſe demonſtratur.

Cæterum inter alia & hæc quoque deſideranda ſunt, quod poſita hac hypotheſi, morbos tantummodo ex ſanguinis abundantia naſci & certis ſolum in ætatibus præcipuos & peculiares fieri morbos, obſervantia legum diæteticarum, præſertim quoad alimentorum qualitatem, parum in medicina habeat utilitatis; id quod tamen experientiæ minus reſpondet, cum propter abuſum earum rerum, quas Galenus non naturales appellat, ingentes læſiones ac morbi in corpus noſtrum incidant, unde ei, qui ab ipſis velit eſſe immunis, opus eſt, accuratam diætæ obſervantiam habere, niſi graviter hanc negligentiam velit corpore ſuo luere.

§. LXXX.

Therapiæ huic hypotheſi ſuperſtructæ defectus.

Quod vero pertinet ad Therapiam ſive ad morborum curationem, utique & hic aperte fatendum eſt, ex male fundata hac hypotheſi ſeu theoria non exiguos in praxim defectus influere.

I) Vomitoriorum uſum parciſſimum vel fere nullum admittit.

Ex quorum numero ille defectus primum obtinet locum, quod vomitoriorum uſus parciſſimus vel fere nullus admittatur, cum tamen certiſſime experientiæ fide confirmatum habeamus, ea non tantum in longis & vetuſtis morbis, ſed etiam in principio morborum acutiſſimorum, quibus multum periculi ſubeſt, auxilium præſtare præſentiſſimum; ſiquidem morbi caſtrenſes & inter eos potiſſimum Hungarica ſic dicta febris ex cruditatibus & corruptis humoribus in primis viis naſci ſolent, & hos ſi cita ope opportuno & convenienti emetico e corpore ejiciamus, maxima curationis pars abſoluta eſt; idemque fit in morbis contagioſis, ubi miaſma virulentum per ſalivam deſcendens ad ventriculi & duodeni cavum fermentativa quadam corruptione humores ibi contentos contaminat, & poſtea vel ad ipſam peſtilentiam vel ad dyſenteriam malignam vel petechiales febres diſponit. Si autem protinus, antequam corruptio tranſeat ad vitalia, illud, quod corruptum eſt in primis viis, cum maligno hoc quaſi fermento ejiciatur, facile curationis reliquum alexipharmaco propinato aut diaphoreticis expediri poterit. Dehinc quod emeticorum conveniens uſus præſtet in febrium intermittentium curatione, iis, qui in artis operibus verſati ſunt, non poteſt eſſe obſcurum, ſiquidem hæ ex mala diæta & collectis prima in regione corruptis humoribus plerumque unice ſuſtentantur, hinc dato emetico vel etiam hoc iterato ſubjunctis ſpecificis adverſus febrem pugnantibus ut cortice chinæ de china aliiſque paucis diebus febris jugulari poteſt; quamvis non negandum ſit, hoc non eſſe perpetuum ſed curationem utique febrium intermittentium pro ratione cauſarum, quæ variæ ſunt, & ſubjectorum, item ætatum multum differre, & utique judicium ac prudentiam Medici requirere.

Eſt quoque præſtans emeticorum uſus in colluvie ſeroſa collecta in corporibus cachecticis expurganda; ſiquidem purgantia etiam valentiora huic negotio non ſufficiunt, neque etiam ſemper tutum eſt, ea ob ſpaſmos, quibus

quibus inteſtinorum tractum afficiunt exhibere.

Denique ad viſcerum expediendum infarctum in chronicarum paſſionum principio nil præſtantius ipſis emeticis, ſed cum prudentia adhibitis, invenitur. Tacemus, quod in principio bene datum emeticum omnium morborum ſive chronicorum ſive acutorum curationem faciliorem & tutiorem reddit, quia primam regionem a colluvie vitioſorum humorum liberat, qui non ſolum morbum fovent, ſed etiam medicamentorum operationi infenſi ſunt. In melancholia, mania, vertigine aliiſque etiam gravioribus capitis morbis, qui a vitio primarum viarum ſuſtentantur, vix præſentius auxilium quam in emeticis reperis.

§. LXXXI.

2) Hypotheſis Stahliana curationem febrium non ita inſtituit, ut cauſam earum tollat.

Denique & illud quoad Therapiam tangendum eſſe arbitror, quod hypotheſis nova nimium naturæ prudentiæ confidens febrem optimam curandi methodum, immo remedium eſſe perſuadeat, adeoque minus occupata ſit in cauſis febrium tollendis, quo fit, ut diuturnior febris, præſertim intermittens facta, corpus viribus exhauriat, idque poſtea aliis novis morbis facile obnoxium reddat & exponat. Qua de cauſa id primo ante omnia Medico agendum eſt, ut cauſas, quæ febrilem motum concitarunt, ea, qua fieri poteſt, ſolertia ſcrutetur & convenientibus auxiliis removeat, neque naturæ negotium curæ tantum committat, ipſique nimium confidat, unde utique febres intermittentes, licet ſint repletis corporibus pulcherrimum remedium, quam ociſſime fieri poteſt, tollendæ ſunt, ſi modo non paroxyſmi, ſed cauſæ remediis tollantur. Quoniam vero non omnibus eadem remedia, vel eædem curandi methodi conveniunt, hinc utique Medicus corpora, ætates, cœlum, anni tempora, viſcerum conſtitutiones & diverſas naturas maxime omnium ſpectare debet.

§. LXXXII.

3) Hujus hypotheſeos patroni nimis liberales ſunt in repudiandis quibuſdam remediis.

Poſtea etiam in repudiandis quibuſdam remediis nimis hujus hypotheſeos Patroni videntur eſſe liberales v. g. in exhibendo cortice chinæ de china, remedio opiato vel anodyno &c. Etenim remedia, quo majoris activitatis ſunt, eo plus auxilii ab iis ſperandum eſt, ſed eo majorem quoque in uſu deſiderant prudentiam, & ſi ejuſmodi remediorum uſum infauſtus inſequitur effectus, hoc non ipſis remediis eſt imputandum, ſed ipſi Medico, qui imprudenter ipſis uſus eſt. Omnia ea remediorum genera, ut ſunt opiata, caſtorina, ſalia volatilia, camphorata, martialia, roborantia & ex his cortex chinæ de china viribus pollent præſtantiſſimis, quia ab eorum uſu magnus ſequitur effectus, & deſiderant in adhibendo prudentiam, nam quod potens eſt & plurimum valet auxilio, hoc quoque, ſi ipſis abutamur, plurimum nocebit. Immo hæc remedia & ſolus cortex chinæ de china monſtrat, quid medicina ſit & quid diſtinguat Medicum a Medico. Qui eum recte & debito ordine utitur, is divinam fert opem, qui vero male & præpoſtere eum exhibet, is ſummam affert perniciem; quod etiam valet de cæteris modo allegatis remediis.

§. LXXXIII.

4) Acidularum & Thermarum uſui nimium detrahit hæc hypotheſis.

Denique & illud animadverſione dignum videtur, quod thermarum acidularum & aliarum aquarum ſalubrium uſui nimium detrahatur, ſiquidem horum remediorum in medendis rebellibus & per alia medicamenta inſuperabilibus morbis præſtantiam conſtans per tot ſecula experientia ac uſus ſatis ſuperque comprobavit. Etenim poſito ceu veriſſimo fundamento, quod longi & graves morbi, qui genus humanum affligunt, ex viſcerum infarctu, obſtructione, humorum de ubitu, ſanguinis copia, vel etiam ejus intemperie viſcida magnaque humorum impuritate oriantur & foveantur, profecto nullum remedii genus tanta hæc vitia tollendi pollet efficacia præter ipſas jam dictas medicatas ſalubres aquas minerali ſale alcalino & ſpirituoſo ſubtili elaſtico ſulphure necnon martiali ſubtiliori terra imbutas, quæ cuncta fontium ſalubrium elementa naturæ amiciſſima alterando evacuando & reſolvendo id præſtant, quod aliis remediorum generibus negatur.

§. LXXXIV.

Praxis rationalis eſt admodum imbecillis, quia Medici naturam corporis non recte penetrarunt.

Hiſce diſcuſſis revertimur jam ad priora, oſtenſuri pathologiam uno praxin rationalem admodum imbecillis huc uſque fundamentis innixam eſſe, ea maxime de cauſa, quod Medici naturam corporis non recte penetraverunt, cujus tamen cognitionem & diligentioris Anatomes (quæ ſtructuram, nexum & ſitum partium docet) Chymiæ experimentalis & Phyſicæ doctrina, quæ corporum mixtionem tradit, & ex Mechanica, quæ motus naturam & leges explicat potuiſſent cognoſcere. Neque ex neglectu Phyſices earum rerum corporearum, quæ nos afficiunt, & quibus ceu velut elementis & medicamentis carere non poſſumus, cognitionem ſibi vindicarunt, & demum demonſtrationis doctrina ac legibus veritatem eliciendi ac detegendi minus inſtructi, neque de principio ſcientiæ & demonſtrationis, neque de debito plurimarum cauſarum ordine & nexu harum cum effectibus minus ſolliciti fuerunt, unde non potuit aliter fieri, quam ut mere ſterilia figmenta, chimeræ, & male fundatæ rationes atque opiniones in noſtram divinam artem & ſalutarem profeſſionem in ingens non modo mortalium damnum, ſed etiam in ipſorum Medicorum opprobrium irrepſerint.

§. LXXXV.

Phyſici ac Medici non reſpexerunt ad motum.

Maxime omnium vero univerſalis quaſi error eſt notandus, quod Phyſici æque ac Medici in reddendis effectuum naturalium cauſis minus reſpexerint ad motum, ſed tantum modo in materia ejuſque copia, temperie ac qualitate ſuas meditationes defixerint; cum tamen motus principale naturæ inſtrumentum ſit, quin immo omnium actionum & effectuum, qui in hac univerſa natura fiunt, fons atque cauſa.

§. LXXXVI.

Quod omnia in corpore noſtr…

Multo vero magis in Medicina motus utpote principium actionum attendendum eſt, quo

motu fiant, demonſtratur. quo ipſa omnibus artibus eſt nobilior, quia vitam & ſanitatem, bona omnibus theſauris ſuperiora, præſtat.

Vita quid? Quid enim vita aliud eſt quam motus & progreſſus circularis ſanguinis & humorum per univerſum corpus? *Mors quid?* Quid mors aliud eſt quam extinctio hujus progreſſivi motus? *Sanitas quid?* neque aliud quid ſanitas eſt, quam moderatus, æquabilis ac liber per univerſi corporis meatus & vaſa circulus? *Morbus quid?* & quid aliud eſt morbus quam deflexio a libero moderato & æquabili ejuſmodi motu? dum vel nimius & in exceſſu fit, quemadmodum in febre, convulſione & ſpaſmo contingit; vel in defectu peccat & impeditus eſt, ſicuti fit in morbis longis, qui a ſtagnatione, obſtructione & corruptione foventur. *Mors quid?* Neque etiam Mors, quomodo nempe inferatur corpori noſtro, aliter quam ex æquilibrio motus naturalis deſtructo explicari poterit; omnis enim homo vel ex exceſſu motuum vel ex eorum defectu moritur; & prius fit per ſpaſmos & convulſiones, poſterius vero per virium defectum & ſphacelum.

Cauſarum morbificarum operatio ex motu explicanda. Neque aliter quam ex motus natura cauſarum morbificarum, quæ deſtruunt motuum æquilibrium, operatio explicari poterit; ſiquidem eæ ipſæ vel in intenſione motuum in univerſo corpore, quod dicitur febris, vel in intenſione eorum certis in partibus, quod ſpaſmi & convulſionis nomine venit, vel in motuum nimia remiſſione, quæ corruptionem poſt ſe trahit, verſantur.

Omnes cauſæ externæ agunt motu. Quin immo omnia, quæ corpus noſtrum ex cauſis externis afficiunt, non alia ratione agunt in corpus noſtrum, quam quod motus reddant moderatos, quod ſaluberrimum & ad valetudinem firmandam eſt optimum, vel eos efficiant immoderatos, auctos & deficientes.

Medicamenta operantur motu. Poſt hæc etiam medicamentorum, quæ æquilibrium motuum in corpus noſtrum introducere & eorum exceſſum ac defectum corrigere debent, actio & operatio in corpus noſtrum non alia eſt, quam quod vel motus deficientes promoveant & augeant, vel nimios ſiſtant, quin immo univerſa legum diæteticarum ſcientia tantummodo in eo verſatur, ut doceat, quomodo per congruum victum ac uſum rerum non naturalium moderatos motus conſervemus, in exceſſu vero vel defectu delinquentes evitemus.

§. LXXXVII.

Concluſiones ex antecedentibus & refutationes certarum hypotheſium. Nonne itaque huc uſque propoſitæ in medicina hypotheſes hoc laborant defectu, quod effectus naturæ noſtri corporis & eas, quæ contingunt in eo, mutationes ex inepto principio ſolius materiæ, minus vero ex motus natura & legibus probe explicaverint? & quamvis ſuperiori ſeculo rebus medicis clariſſima lux affulſerit per divinum illud circulationis ſanguinis inventum, quod etiam univerſus orbis admiratus eſt, nihilominus tamen hoc ipſum quoque non ultra explicationem ſtatus ſecundum naturam, ſeu phyſiologiam extenſum fuit, cum videamus, pathologiam & praxin medicam rationalem nihil incrementi vel lucis inde percepiſſe, quod Medici hoc principio ad explicationem morborum & therapiam parum uſi fuerunt. Non nulli quidem ex ſanguinis circulo morborum ac ſymptomatum ortum nec non curationis morborum fundamentum deduxerunt, ſed minus etiam felici ubique ſucceſſu; nam id maxime in eorum hypotheſi deſiderari debet, quod tantummodo partium fluidarum, non vero ſolidarum, quæ tamen fluidas movent & regunt, naturam & conditionem reſpexerint. Deinde hoc etiam reprehendendum eſt, quod ex acido & viſcido ſanguiniſque impedito circulo & viſcerum obſtructionibus omnes morborum cauſas derivare contenderint, & in curatione morborum tantummodo ad tollendum acidum & viſcidum, fluiditatem ſanguinis reſtituendam ejuſque circulum promovendum remediorum genera direxerint, remotis ab uſu venæſectione, purgantibus, acidis, incraſſantibus & refrigerantibus. Hujus itaque hypotheſeos inſufficientiam jam olim peculiari exercitatione de acidi & viſcidi principio pro ſtabiliendis omnium morborum cauſis oſtendimus.

Notari enim circa hanc hypotheſin meretur, quod ex hoc principio acidi & viſcidi & circulationis ſanguinis impeditioris nulla ratione explicari poterit, cur certis ætatibus, temperamentis, anni temporibus, climatibus & ſexui ſint certi morbi proprii ac familiares, & quare nonnulli morbi a parentibus in liberos transferantur. Multo minus vero ratio poterit intelligi, quare nonnulli morbi per contagium propagentur, vel certis anni temporibus epidemice graſſentur, item, unde affectus animi tantam habeant potentiam corporis noſtri ſtatum naturalem mutandi.

Neque hypotheſis hæc correſpondet praxi, nam peſtilentiſſimus error fuit totalis neglectus venæſectionis, quæ certe efficaciſſimis præſidiis adverſus morbos eſt annumeranda, item quod indiſtincte omnia purgantia, acida & emetica fuerint rejecta, minus vero congrue operatio opiatorum & mercurialium per principium alcalinum, quo acidum morboſum deſtrueretur, explicita fuit. Deinde experientia certiſſima veritatum medicarum magiſtra docet hanc curandi rationem per volatilia, infuſa calida & aromatica minus eſſe univerſalem, neque in curatione morborum acutorum, neque in calidis climatibus & regionibus facile poſſe ſuccedere, ſed magis hanc methodum curandi ad Batavos fuiſſe reſtrictam, & magis valere ad præſervationem morborum chronicorum quam ad curationem omnis generis morboſum.

§. LXXXVIII.

Ulterius in genere hoc loco notandus venit maxime communis in omni doctrinarum genere error, quod nempe ii, qui certum ſtudium amplectuntur, judicandi facultate non ſatis inſtructi certis hypotheſibus vel ſectis auctorum firmiter inhærere ſoleant, nihilque verum vel rectum putent, niſi quod cum eorum dictis conveniat. Hoc, uti eſt commune vitium, ita maximam ſterilitatem ſcientiis affert atque earum incrementum impedit, adeoque potius quiſque eruditorum id in ſuis ſtudiis agere debet, ut ex omnibus ſeligere ſciat rectum ac bonum, ac nulli auctoritati ſit addictus, ſed de omnibus potius dubitet, donec talia inveniat, de quibus non amplius dubitatio *Communis error eſt, quod ii, qui certum ſtudium amplectuntur, judicandi facultate non ſatis inſtructi certis hypotheſibus vel ſectis inhærent, & nihil verum putant, quod non cum eis conveniat.*

invenit locum, & quia plerumque quævis ſecta quædam non contemnenda habet, hinc ex quavis optimum ſeligere, & omnia denique in ordinem redigere debet, ſi eruditi nomen tueri velit. Paucis, uti philoſophia, ſic etiam medicina debet eſſe eclectica, & ut rem exemplis confirmemus, optime is facit Medicus, qui ex HIPPOCRATE methodum conſtruendi morborum hiſtorias addiſcit, & obſervationes in praxi, ſicuti ille, magni facit, nam nullus fere Medicorum ipſi eſt æquiparandus, qui ex victus, aeris, tempeſtatum, anni temporum, aquarum, locorum varietate ac mutatione morborum originem nobis tam clare demonſtravit, quam hic ipſe; nullus ante & poſt ipſum fuit, qui tam accurate docuit, quibus morbis certæ ætates, temperamenta, regiones, climata & ſexus affligi ſolent, & nullus ante ipſum ſtudium phyſicum & anatomicum & naturæ proceſſum in curando tantopere commendavit. Laudandus quoque in eo eſt, quod Medicis commendet Chirurgiam, utpote de qua optimos ſcripſit libros.

Medicus debet eſſe eclecticus & ex omni ſecta optimum eligere.

§. LXXXIX.

Ex GALENI monumentis, qui alias multum ratiociniis ſuis Ariſtotelicis ſcientiam medicam ab HIPPOCRATE nobis præclare traditam deturpavit, illud deſumere poteſt eclecticus Medicus, quod nempe ſanguinis abundantiam ſive plethoram multos & magnos morbos inducere docuerit, de qua gravi re tamen pauca apud HIPPOCRATEM jam exſtant veſtigia. In eo quoque laudandus eſt, quod animam multorum morborum cauſam paſſionibus & commotionibus eſſe demonſtraverit & quod temperamentum hominis eum ad peculiares mores & inclinationes diſponat. In praxi vero in eo laudandus quod venæſectionem ceu ſummum morborum remedium commendaverit.

Quænam ex Galeni ſcriptis ſeligere debeat medicus.

§. XC.

Ex Methodicorum ſecta, cujus Inventor ſecundum CELSUM ASCLEPIADES judicatur, illud bene addiſcere debet, quod laxum & ſtrictum in rationibus reddendis Medicis in conſiderationem venire debeat. Nam cum illi Medici deprehenderent, ex materiæ ſola quantitate vel temperie peccante non poſſe morborum & ſymptomatum cauſas reddi, hinc potius diſpoſitionem partium variam in laxitate vel ſtrictura ſtatuerunt eſſe accerſendam, & hoc ipſum ſtrictum & laxum pathologiæ & praxeos rationalis methodicæ præcipuum fuit fundamentum. Inter Methodicos vero, quorum monumenta adhuc exſtant, CÆLIUS AURELIANUS merito principem obtinet locum, & ALPINUS Methodicæ ſectæ opiniones in unum volumen collegit. Methodici nempe paſſiones in celeres & tardas diſtinguebant, illas a ſtrictura partium, has vero ab earum nimia laxitate deducebant; per ſtrictum vero & laxum partim duritiem & ſtricturam partium ſolidarum, partim etiam humorum craſſitiem & obſtructionem; per laxum vero reſolutionem partium, nimiam fluidorum tenuitatem & fluxionem denotabant. Maxime omnium vero ex hujus ſectæ principiis & auctoribus hoc ſeligendum eſt, quod omnes fortes medicinas, præſertim valentiora purgantia & emetica reſpuerent, leniora vero & laxantia in omnis fere generis morbis magnifacerent, ut tamarindinata, mannata, rhabarbarina, aloetica, caſſiam & folia ſennæ, quia credebant, fortiora pravos ſuccos corpori noſtro inimicos alere. Deinde quoque ex methodica ſecta illud mutuari poſſumus, quod etiam, teſte CELSO, victu, exercitatione corporis & frictionibus plus pugnarent adverſus morbos, quam medicamentis.

Quid ex methodicorum ſecta depromere debeat medicus.

§. XCI.

Ex Medicina Arabum, qui multum ſectæ methodicorum addicti erant & quorum princeps merito habendus erat AVICENNA, hoc identidem laudandum eſt, quod nunquam ad medicinas fortes deveniendum eſſe aſſeruerint, niſi debiles deficiant. Deinde etiam opiata & narcotica inter venena annumerarunt, neque facile ultra papaveracea aſcendendum eſſe judicarunt. Inter alia vero remedia etiam Arabes exercitationum genera multum æſtimabant, & uſum atque abuſum evacuantium optime docebant.

Quid boni ex medicina Arabum ſeligendum.

§. XCII.

Ex Chymicorum, præſertim Paracelſicorum, ſcholis hoc tenendum eſſe arbitror, quod medicamenta chymica, ſive illa quæ igne præparata & extracta fuerunt ex ſimplicibus, quibus vero nimium indulgebant, in medicina etiam locum inveniant, debito tempore ac doſi adminiſtranda.

Quid boni ex chemicorum ſcriptis deſumendum.

Ex HELMONTIO magno quoque olim Chymico, qui Galenicorum dogmata valde caſtigavit & perſtrinxit, quædam etiam non minoris momenti in uſum medicum ſeligere & depromere poſſumus. Ille enim primus fuit, qui monſtravit, ſalia præſertim acida & alcalina magnam habere ad morbos excitandos eoſque curandos potentiam. Tam ex acido, quod ventriculo gratum, venis vero ſemper hoſtile dicebat, quam bilis defectu morborum chronicorum plurimorum ortum derivabat, & primus erat, qui in pathologicis conſenſum partium præſertim cum ventriculo commendabat, unde etiam ſedem animæ in ipſo ponebat, ita nempe, ut quaſi in ventriculo occultum regimen in corpus univerſum exerceat. Is quoque primus fuit, qui medicamenta *Galeni*, quæ maxima ex parte ex mixtione ſpecierum cum ſaccharo vel melle conſtabant, damnabat & potius medicamenta chymica ſubſtituebat, ſicuti docet in *diſpenſat. moderno* & in Libro *Poteſtas Medicamin.* dicto. Recte judicabat, medicamenta veterum compoſita multa habere fruſtranea, contraria, inepta, inutilia & cruda. Ipſe quoque demonſtrabat, medicamenta alcalina, quæ acidum abſorbeant, optima eſſe præſidia, nullius vero pretii interne ſumta, quæ non poterant a ventriculo ſolvi, ut aurum & gemmas.

§. XCIII.

Poſt HELMONTIUM unus ex ſecta Galenicorum prodiit magni nominis Medicus SANCTORIUS, qui medicinam ſcripſit ſtaticam, in quo libro, quantum valeant excretiones ad ſanitatem tuendam, ſique impediantur, ad morbos progenerandos, ſolide & curioſe per varia ſtatica experimenta demonſtravit: quæ doctrina

Quid ſentiendum de medicina ſtatica Sanctorii.

doctrina excretionum utique magnæ etiam debet eſſe conſiderationis in medicina.

§. XCIV.

Quid de Sylvio judicandi.

Sylvius in eo laudandus fuit, quod omnia remediorum genera ad paucas claſſes redegerit, eorumque agendi modum demonſtraverit, quod videlicet alia remedia acidum abſorbeant, alia pituitam tenacem incidant, & motum humoribus addant, alia vero nimiam acrimoniam temperent, & exorbitantes motus moderentur. Ad prius genus relata fuerunt abſorbentia omniaque alcalina; ad ſecundum genus medicamenta ſale volatili oleoſo prædita & aromatica, & ad poſteriorem claſſem acida & opiata. Idem primus omnium in medicinam abſorbentium & ſalium volatilium oleoſorum uſum introduxit.

§. XCV.

De Bontekoe.

Ex Batavis Bontekoe, una cum iis, qui eum imitati fuerunt, circuli ſanguinis uſum in praxin medicam & pathologiam introduxit, & in eo quoque laudandus venit.

§. XCVI.

De Willisio.

Ex Anglis Willisius morborum convulſivorum & ſpaſmodicorum naturam optime demonſtravit, ſimul oſtendens, in plurimis morbis ac motibus morboſis aliquid ſpaſmodici & convulſivi ſubeſſe.

§. XCVII.

De Highmoro.

Highmorus affectionis hyſtericæ & hypochondriacæ naturam in flatulentiis & ſpaſmis primarum viarum conſiſtere, & unum eundemque morbum eſſe clare nobis aperuit.

§. XCVIII.

De Sydenhamio.

Sydenham hiſtoriam morborum epidemice graſſantium non modo tradidit, ſed etiam omnibus Medicis in exemplum commendavit & ſimul monſtravit, omnes febres, maxime vero variolas & morbillos, lenioribus diaphoreticis & ſedativis, minime vero alexipharmacis calidis & expellentibus eſſe tractanda.

§. XCIX.

De Borello, Bellino & Malpighio

Ex Italis magnifaciendus eſt Borellus, qui uſum mechanicarum legum in Medicina monſtravit, & muſculorum motum ex principiis geometricis & mechanicis deduxit.

Bellinus vero primus fuit, qui tonum partium & ſyſtolen & diaſtolen fibrarum ad explicationem non modo functionum naturalium, ſed etiam præternaturalium uſurpavit, & venæſectionis uſum in multis morbis & mechanicis principiis ſolide deduxit.

Inſtar omnium vero eſt Malpighius, qui non modo in Anatomicis multa egregia præſtitit, maxime omnium vero oſtendit, plures chronicas affectiones a polypoſis concretionibus ſanguinis circulum turbantibus fieri.

§. C.

De Baglivo, Ramazzini & quibusdam Germanis.

Baglivus vero, diſcipulus Malpighii, omnium optime ſolidorum ſive fibrarum motricium naturam & effectus ſolidorum in ſanguinis circulum explicuit, & inde magnam lucem in Pathologia & Praxi rationali accendit.

Ramazzini in eo laudandus eſt, quod epidemicorum morborum generationem ex præcedentibus tempeſtatibus & anni conſtitutionibus oſtenderit, &, quam ingentem uſum tempeſtatum ac ventorum obſervatio accuratior habeat in medicina, clare & perſpicue nobis tradiderit.

Ex Germanis, qui maxime Chymiam & artem Pharmaceuticam excoluerunt, laudem merentur nonnulli Medici, qui artem noſtram præſtantibus medicamentis & compoſitionibus decorarunt. Inter hos eminent Crollius, Mynsichtus, Hartmannus, Angelus Sala, Michaelis, Rolfinckius, Glauberus, Moebius, Conerdingius, & Ludovici.

§. CI.

Perpauci Medici norunt, quomodo natura optima corporis conſervatrix & morborum curatrix ſit.

Delabimur jam ad aliud magni certe in Medicina momenti deſideratum, videlicet paucos Medicos nec cognoſcere nec intelligere, quod & quomodo natura optima ſit corporis noſtri in ſe corruptibilis conſervatrix, & optima morborum curatrix, in quo tamen maximum fundamentum vitæ, ſanitatis & therapeiæ continetur, ſiquidem notiſſimum eſt, corpus noſtrum animale ex materia in ſe ſumme corruptibili eſſe mixtum & compoſitum, nihilominus tamen non corrumpi, quam diu dicitur adeſſe vita. Eſt itaque neceſſario quædam cauſa, quæ efficit, quo minus corruptibile corrumpatur. Denique videmus & quotidiana experientia diſcimus, plurimos morbos, præſertim febres varii generis ut variolas, & morbillos immo ad malignitatem accedentes, ſine Medico & medicamentis ſponte beneficio naturæ & temporis ſanari, ægrotos reconvaleſcere, & ſæpiuſcule horum morborum curationem rectius & magis ordinate procedere, quam ſi copia medicamentorum fuerit aſſumta. Quænam igitur cauſa hujus ſpontaneæ curationis ſit? non immerito quæritur. Præterea etiam animadvertimus, ſanguinis excretionibus vel evacuationibus ſeri per alvum in diarrhœis, vel per tuſſim aut nares in coryza, corpus immune a variis malis, quæ ipſi imminent, præſtari. Quidnam itaque hoc ſit, quod tales evacuationes ſalutares in finem certum perficiat? Quæſtio certe non levis momenti eſt.

§. CII.

Veterum ſententia de natura morborum curatrice & corporis conſervatrice.

Veteres hanc cauſam conſervationis & ſanationis dixerunt naturam, quæ primum movens ſive principium motus ſit immanens & permanens, non externum ſeu acceſſorium, in univerſo corpore. At vero hoc ipſo nihil fere dicitur vel explicatur, cum non rei ſed nominis tantum fiat explicatio, neque etiam hac definitione audita intelligimus, quomodo a primo illo principio movente fiat corporis noſtri corruptibilis a putredine vindicatio, vel morborum præſervatio aut curatio.

§. CIII.

Aliorum de natura ſententia.

Alii vero principium illud movens in corpore omnium actionum, adeoque & vitæ, ſanitatis & curationum cauſam dicunt eſſe animam, & quidem ratiocinantem, ſive ens quoddam immateriale notitia non modo corporis

&

& eorum, quæ ſunt & fiunt in corpore, inſtructum, ſed etiam virtute & potentia corpus noſtrum in ſe immobile, ad certos tamen motus diſpoſitum movendi ac actuandi præditum, &, quia γνῶσει ſeu notitia nec non potentia movendi id præditum eſſe credunt, hinc etiam aſſerunt, idem & intentione corpus corruptibile ſeu ſubjectum ejus conſervandi gaudere, idque perpetuo ſanguinis circuitu & excretionibus rerum ſuperfluarum & alienarum id præſtare, & quia notitia rerum, motus potentia & intentione gaudet corpus conſervandi, hinc quoque facultatem habere directionis motuum, quæ conſiſtit in eo, ut pro differentia earum rerum, quæ perniciem poſſunt creare, corporis motus vel augeat, vel imminuat, vel eos dirigat ad certa loca, eoſque certo tempore inſtituat, inchoet & abſolvat, ut nempe illud, quod alienum eſt, ejiciatur, idque medendi negotium ſpectari maxime in febribus & hæmorrhagiis utpote ſalutaribus naturæ motibus, minime vero morboſis paſſionibus.

§. CIV.

Epicriſis antecedentis ſententiæ.

Qua ſententia recte perpenſa approbamus itaque illud, quod motu circulari humorum, qui ſyſtole & diaſtole, quæ in arteriis & corde dicitur pulſus, in fibris tonus, perficitur, & excretionibus ſuccedaneis conſervetur corpus a corruptione.

Approbamus quoque hoc, quod nonnulli motus extraordinarii auctiores ſanguinis & humorum ſint ſalutares, ut videmus in excretionibus ſanguinis inque nonnullis febribus.

Hoc vero improbamus, quod hi motus fiant ab ente quodam notitia intentione bona ac directione motuum inſtructum, cum tale quid nec ullo modo concipi nec probari poſſit, neque animam, quæ perpetuo fere in actionibus ſuis phantaſiæ & impreſſionis aberrat, ſicuti videmus in animi pathematibus, quæ mere aberrationes a ratione & veritate ſunt, ſcientiam & notitiam habere noxiarum rerum internam vel motus pro lubitu dirigere poſſe, concedimus. E contrario potius per naturam, quæ corporis ſit conſervatrix & morborum curatrix, nihil aliud intelligimus, quam ſtructuram corporis noſtri artificioſiſſimam, inque ea exiſtentes motus ſolidorum in debita dilatatione & conſtrictione conſiſtentes, quorum beneficio mechanica neceſſitate perpetuo & jugi motu ſanguis & humores circulantur, res alienæ & ſuperfluæ ex corpore ejiciuntur, & ſimul quoque id ipſum motibus nutritur, vires accipit, ipſaque anima hiſce motibus ſuſtentatur & ſuas operationes exſerit. Hos itaque motus, qui corpus conſervant, præſervant & curant, etiam a Medico eſſe ſpectandos, cognoſcendos, imitandos, quandoque etiam promovendos, vel ſi nimii fuerint, imminuendos, nullum eſt dubium, unde recte dicitur a Veteribus Medicus naturæ miniſter, id eſt, qui idem præſtare debet, quod natura facit, ſimili modo, via, methodo ac ratione, qua natura conſervat, præſervat vel ſanat corpus, hoc eſt, circulum ſanguinis & ab eo dependentes excretiones, quibus alienum ejicitur ex corpore, & corruptibile a corruptione vindicatur, ſemper debet attendere & naturam in eo negotio ſecundare.

§. CV.

Id, quod motum præſtat quid ſit?

Quid vero ſit illud, quod motum præſtat in corpore noſtro, & cujus naturæ ſit illud principium motus, ad Medicum uſum directe non pertinet; hoc tamen ad eam pertinere arbitror, quod Medicus ea cognoſcere debeat ex elementis, alimentis & medicamentis, quæ ſolidorum motus turbare, pervertere, augere, minuere, vel conſervare poſſunt ac valent, & quod etiam actus ideales & immateriales animæ idem præſtent. Atque etiam ex his ipſis non ſine ratione concludi poterit, quod hoc, quod movet interne corpus noſtrum, ſit utique ſubtiliſſimum & activiſſimum fluidum quoddam idque materiale, quia videmus, aerem, ætherem, ſpirituoſa alimenta, & odores in fibras corporis noſtri motrices & motus tantam habere potentiam. Neque tamen inficiandum eſt, hos motus ab ideis quoque & actibus animæ immaterialibus ſive impreſſionibus varie turbari immo dirigi poſſe, quomodo vero id fiat, ſupra captum noſtrum eſt.

§. CVI.

De motibus & morbis ſalutaribus & inſalutaribus.

Ex hac Theoria Medica vera, quod natura ſit morborum medicatrix, profluit illud maxime in Medica praxi momenti aſſertum, multos dari morbos & motus ſalutares, qui nempe ſaluti & præſidio ſunt corpori, dum illud a ſuperfluo inutili & alieno vindicant. Hos vero morbos & motus ſalutares, cum non omnes hujus generis ſunt, probe & recte inter ſe diſtinguere pauci Medicorum norunt.

Veteres motus ſalutares criticos vocare ſolebant, minus ſalutares & noxios ſymptomaticos. Illos non ſiſtere, ſed prudenter regere & gubernare in corporis noſtri conſervationem, hos vero omni ſtudio tollere & avertere ſolebant.

Salutares vero eſſe quoſdam morbos, ex eo patet,

1) Quod morbo ceſſante ſanitas ſequitur.

2) Quod poſt morbum magna ſæpe fit allevatio eorum malorum & dolorum, quibus ante morbum æger premebatur.

3) Quod in taliſmodi morbis ſecernitur & excernitur ex corpore noſtro aliquid, quod corpori noſtro minus amicum fuit & noxium.

4) Quod ſi morbus talis minus perite tollatur, & excretiones impediantur, gravia non ſine periculo vitæ naſci ſolent ſymptomata, & morbus inde fit longe deterior.

§. CVII.

Antecedens ulterius probatur & illuſtratur.

Equidem omnis taliſmodi motus, quem ſuſcitat cauſa morbifica, in ſe & ſua natura non eſt bonus, quia eſt præternaturalis & turbat actiones corporis noſtri, ſalutaris tamen fit propter effectum, qui ſæpiſſime morboſum talem motum ſequitur, quoniam diſponente ſic divina & ineffabili ſapientia ipſe præternaturalis & morboſus motus a mala cauſa proficiſcens ſæpiſſime ipſam morbi cauſam, a qua oritur, tollit, adeo, ut ipſi ſit optima medicina.

Quandocunque talis morboſa & præternaturalis ſanguinis & humorum vel generis nervoſi commotio non eum finem aſſequitur, ut cauſam

cauſam morbi tollat, ſed potius eam pejorem reddat, quin imo plus lædat corpus, quam ipſa cauſa in ſe & ſua natura, tunc pernicioſus motus eſt, & omni ope ac opera, quam celerrime fieri poteſt, ſiſtendus. Prioris generis ſalutares morbi & motus ſunt fere omnes febres intermittentes, continuæ, exanthematicæ, eryſipelaceæ, purpura, variolæ, morbilli, febres catarrhales, rheumatiſmi, diarrhœæ, coryzæ, tuſſes, ſcabies, febres petechiales, ipſaque peſtis, uno verbo, omnes illi morbi, in quibus ad cutem aliquid materiæ vitioſæ deponitur vel excernitur, qua depoſita vel excreta ſymptomata atrocia remittunt; nec non ii morbi, in quibus materia ſtagnans reſolvenda, vel ſanguis viſcidus tenax conſumendus ac diſſolvendus, aut obſtructiones reſerandæ ſunt. Ita obſervamus, hæmorrhagias ſolennes & conſuetas ſingulis menſibus in fœminis per uterum, in viris per hæmorrhoides certo anni tempore recurrentes, in quibuſdam etiam hæmorrhagias narium conſuetas ſumme eſſe ſalutares, adeo, ut corpus exinde ſingularem vigorem conſequatur & a multis moleſtiis ac malis liberetur. Conſtat quoque per experientiam, poſt catarrhos ac febres catarrhales vel etiam diarrhœas, ſi debita in quantitate & legitimo tempore fiunt, corpora fieri longe vegetiora nec de ullo queri languore ac laſſitudine. Ita quoque docet experientia, poſt morbum variolarum & morbillorum infantilia corpora melius creſcere, & longe feliciorem habitum corporis acquirere, item convulſivos & epilepticos inſultus, qui diu exagitarunt ætatem infantilem vel puerilem, fluxu menſium accedente, vel etiam poſt variolas ac morbillos plane conquieſcere. Novimus etiam, ubi motus ſpaſmodici & convulſivi diu fœminas exercuerunt, a purpura ſuperveniente eas ſanatas fuiſſe, & quoſdam ſcorbuticis & hypochondriacis ſymptomaticis correptos a tertiana febre bene curata penitus fuiſſe curatos a morbo priori valde pernicioſo.

Novimus quoque, aſthmata, febres intermittentes, hemicranias, cordis palpitationes, artuum dolores & tremores a ſuperveniente ſcabie ex toto fuiſſe ſublatos. Diſcere exinde debet prudens Medicus, in quocunque morbo oboriente probe cognoſcendos, diſtinguendos & indagandos eſſe naturæ motus & morbos, ipſique inquirendum, num ſalutares ſint nec ne, ut nempe eos ſcilicet ſalutares arte ſua & ope adjuvet & ſecundet, non vero ſiſtat, pravos vero ſeu inſalutares ſublata cauſa removeat. Cognoſcit vero hoc ipſum ex natura ſubjecti ſeu corporis quod tractat, & ex natura ipſius morbi.

§. CVIII.

De motibus vitioſis ſeu inſalutaribus ſpeciatim.

Vitioſi vero & ſymptomatici illi motus ſunt, qui nullo modo ſubveniunt cauſæ morbificæ tollendæ. Tales vero v. g. ſunt, qui oriuntur a calculo in renibus vel veſica hærente, a flatibus in hypochondriacis & colica laborantibus, a vermibus, a viſcerum putrefactione vel corruptione in hydrope, phthiſi, febre hectica & lenta, item maxima tormenta & tormina convulſiva, ſpaſmi, febres, convulſiones immanes ab aſſumto veneno, a bile acri cauſtica in inteſtinis ſtagnante, item intermittentes febres, quæ ex cruditatibus & ſaburra in ventriculo & primis viis proveniunt, item ſymptomata ut dolores & febres, quæ partes internas nervoſas ſauciatas conſequuntur omneſque dolores idiopathici, & mala, quæ exinde oriuntur, ut febres, vigiliæ, deliria, virium languores, motus convulſivi artuum atque epileptici inſultus; quæ omnia nullum habent uſum, ſed potius perniciem corpori immo ipſam mortem inferunt, niſi prudenti conſilio ac arte eorum imprudentiam retundamus ac cauſas ſubjugemus. In hiſce itaque ſymptomaticis paſſionibus non eſt magnopere exſpectanda criſis ſive excretio ſalutaris, neque ſalutis quippiam corpori promittendum eſt, ſed potius eo allaborandum a Medico, ut quam fieri poteſt celerrime hæc mala compeſcantur, non tamen neglecta morbi cauſa.

§. CIX.

Antecedens ulterius continuatur.

Tandem etiam illa ſymptomata, quæ corpus affligunt poſt intemperiem affectuum ſive vehementiſſimam animi commotionem, ad pernicialium ſeu non ſalutarium motuum claſſem pertinent; utpote & hæc nullius ſunt uſus, ſed potius vitæ & ſanitati infeſta ſunt, unde, quo citius illa ſedantur, eo plus detrimenti a corpore avertitur.

Et ut rem in pauca contrahamus, ſymptomata & motus illi morboſi, qui magis a motuum irregularitate & vitio citra ullam materiam, vel a tenuiſſima quadam virulenta materia proficiſcuntur, aut ſaltim a conſenſu partium ſenſibilium nervoſarum fiunt, magis pro ſymptomaticis ſunt habendi; qui vero a materiæ copia, viſcoſitate, vel excrementitiis ſordibus in corpore retentis aut viſcerum obſtructione vel ſanguinis in vaſis ſtagnatione fiunt, & in ſpaſmis & febrilibus commotionibus conſiſtunt, illi ſalutares habentur, vel ſi in ſe non ſunt, a Medico tamen in ſalutem & conſervationem corporis dirigendi ſunt.

§. CX.

Error circa Topicorum applicationem.

Ex hiſce jam dictis profluit jam clariſſime ratio maximi & frequentiſſimi erroris in praxi medica circa topicorum applicationem, quæ quam peſtifera ſit & exitioſa, crebberrime experientia loquitur. Sive enim natura moliatur excretiones per corporis habitum ut per ſudores, exanthemata, puſtulas, cutis & partium externarum inflammationes, ſive ad partem debilitatam decubitus fiat ſanguinis & humorum, perpetuo peſſimum eſt, has excretiones, quæ noxium ſeparant a corpore & ab interioribus, ſiſtere, vel materiam vitioſam in corpus retropellere, cum potius omni modo allaborandum ſit, ut illud, quod ſuperfluum, alienum & inimicum eſt corpori, ejiciatur & ab eo corpus liberetur. Quapropter peſſime illi Medici procedunt, qui in eryſipelate, ophthalmia, doloribus arthriticis, præſertim podagra, capitis præprimis eryſipelate, puſtulis venereis, gutta roſacea, tinea capitis, achoribus infantum, ſcabie, variolis, morbillis, petechiis, purpura, bubonibus venereis & ſudoribus criticis, præſertim ſudore fœtido pedum aut glandularum ſubaxillarium externis utuntur repellentibus anodynis, item exſiccantibus cutis poros conſtringentibus. Hac enim ratione materia retropulſa longe majorem virulentiam, quam antea, in parti-

bus

bus membranoſis præſertim exercet & periculoſiſſima ſymptomata infert. Si enim fertur ad cranii meninges, facile fit epilepſia vel convulſio aut gravis, ſi ad pericranium fertur, cephalalgia; ſi ad nervos præcordiales, aſthma ſpaſmodicum; ſi ad nervos diaphragmatis, anxia conſtrictio; ſi ad cor, lipothymia & cordis palpitatio; ſi ad ventriculi membranas defertur, ejus inflammatio, ſumma anxietas, inquietudo, nauſea ac vomitus; & ſi ad inteſtina, colica convulſiva, alvi pertinaces adſtrictiones & inteſtinorum inflammatio extimeſcenda ſunt.

§. CXI.

De errore circa neglectum dierum criticorum.

Incidit adhuc alius nobis in memoriam magni momenti error, qui noſtris temporis a Medicis in praxi ſæpius committitur, quod nullam fere habeant in morbis acutis criſeos vel dierum criticorum rationem.

Ex Veterum monumentis, præſertim ipſius Hippocratis, notum eſt, quanti fecerit in judicandis morbis acutis criſin & dies criticos. Inter Veteres quippe præcipue magnus Hippocrates longo uſu atque experientia annotavit, quod febres, ſi ſalutares fuerint, id eſt, bonum eventum habuerint in ſubjuganda cauſa morbifica inque corpore a pernicie defendendo, ſe terminaverint certis temporibus, & maxime ſeptenario numero, & quidem per certas tunc temporis factas excretiones, &, ſi hæ vel per ſudorem vel per alvum irent, judicium ſive criſis facta ſit de febre ſalutarem in modum finita; quod accidebat vel dimidio ſeptenarii, vel die ſeptimo, vel undecimo, vel decimo quarto aut vigeſimo primo. Jam annotatum fuit, quod in ſenſibilioribus & mobilioribus naturis febres, præſertim acutæ inflammatoriæ, die ſeptimo ad finem perveniant, in ſanguineis die undecimo, in ſegnioribus die decimo quarto, in phlegmaticis & in torpidioribus demum vigeſimo primo die.

Excretiones itaque hiſce temporibus prodeuntes criticas dixerunt ac ſalutares, alias vero excretiones, quæ alio tempore & minus propere contingebant, ſymptomaticas & minus ſalutares judicabant, utpote ex quibus vel diuturnitatem morbi vel infauſtum notarunt morbi eventum.

Ad has excretiones criticas quoque referendi ſunt varii abſceſſus in cute, eryſipelata, bubones, purpura, variolæ, morbilli, arthritici dolores & puſtulæ, quas natura etiam ſtatis diebus excernit.

Indicium vero excretionis ſalutaris & criticæ eſt, quandocunque ingens remiſſio & allevatio ſymptomatum fit, & vires incrementum capiunt. Poſt Hippocratem deinde plures ex Veteribus hanc ejus doctrinam de diebus criticis in dubium vocare voluerunt, & inter hoc primus fuit Asclepiades, teſte Cælio Aureliano *Libr. I. cap.* 14. una cum C. Celso *in Libr. III. c.* 4. ſtatuit: non eſſe in paſſionibus ſtatos dies, quos criſimos appellat, nec certo & legitimo tempore ægritudines ſolvi. Inter recentiores excellit Helmontius, *qui in libro de tempore* criſes in praxi ſedulo perſtrinxit, inquiens: notavi, quod nuſquam ſit criſis, ubi Medicus artis ſuæ gnarus morbum ante criſeos exſpectationem ſuſtulit. Boni porro, dicit, atque fidelis Medici eſt negligere criſes, & *Libr. de febribus c.* 2. ſcribit: Verus Medicus antecriſin morbum ſuperare debet, ſi ſecus egerit, Medici arti aut auxilio nihil adſcribi poterit. Huic Helmontio aſſentitur *Chriſtianus* Langius in *Miſcell. Nat. Curioſ.* & Faber in *Panchymagogo*, item Waldschmidt in *Fundament. Medic.* Alii vero, ut Eustachius, Hollerius & Baglivius criſin quidem in totum non negant, ſed in noſtris frigidis & borealibus regionibus rariſſime exſpectari vel perfecte ſuccedere aſſerunt.

§. CXII.

Judicium de errore circa dies criticos.

Ut itaque hanc controverſiam facilem ac planam reddamus ac decidamus; dicimus, utique criſin & dies criticos & excretiones criticas maximæ eſſe in Praxi Medica & quidem in febrium acutarum curatione conſiderationis, tantum abeſt, ut criſis imprudenter negligi debeat. Etenim ſi id certum eſt, uti eſt certiſſimum, quod ſola natura ſine externa arte ſuis viribus utens morbum acutum tollere poſſit, quemadmodum id in iis ægrotantibus, qui Medicis & medicina ſæpenumero carent, contingit, tunc certe opus eſt, ut motus illi morboſi, qui cauſam morbi, ſi ſalutaris eventus ſequi debet, ſubigere & expellere e corpore debent, ea ſubacta & depulſa quieſcere debeant & ſanitati reddatur æger.

Hæc autem ſubjugatio morbificæ cauſæ certum requirit tempus, quia nihil in tota rerum natura, nulla corporum operatio & nullus motus ſine tempore fit.

Sapientiſſime vero divina Providentia in adminiſtratione & coordinatione rerum corporearum ita omnia conſtituit, ut, ſi juſto ordine motus fiant, certum tempus abſolvatur, & obſervamus attenta meditatione, quod, quemadmodum magnæ mutationes in corpore humano ad illud perficiendum ſeptenario numero fiunt & contingunt, uti ſupra docuimus, ita etiam natura, quæ optima medicatrix in medendo, id eſt, cauſam morbificam ſubigendo certo utatur tempore, quo abſoluto quieſcit, & ſpaſmi illi, qui univerſum corpus in febre occupant, & maxime ad cauſam vincendam directi ſunt, fere remittunt paulatim, & tandem plane ceſſant.

Inde accidit, ut relaxato partium & emunctoriorum tono excretiones, per ſudorem maxime & per alvum, liberius & liberalius ſuccedant.

Quapropter prudens Medicus ex iſtis ejectionibus, ſi die critico, id eſt ſeptimo vel ſemiſeptimo, fiunt, ac ſymptomatum ſequitur allevatio, & virium incrementum, febrem ſeu morbum ad ſalutem hominis finitum jam eſſe rectiſſime dijudicat ſive criſin de morbo inſtituit.

Ex quibus patet, utique Criſes hos habere in ipſa re & natura corporis noſtri fundamentum, haſque etiam in regionibus quoque noſtris adhuc fieri, niſi ab imperitia Medicorum vel errore ægrotantium, hi ordinati & ſalutares motus juſto tempore procedentes turbentur vel intercipiantur.

§. CXIII.

§. CXIII.

Criſes non in arbitrio Medici ſunt poſitæ.

Ex hiſce porro intelligitur, quam imprudenter illi Medici ſentiant & perverſe agant, qui exiſtimant has criſes in arbitrio Medici eſſe poſitas, qui eas anticipare & abbreviare pro lubitu poſſit, quod tamen omni experientiæ repugnat, cum omnia quæ in corpore noſtro fiunt vel ad ejus perniciem, vel ad ejus ſalutem, tempus certum requirant.

§. CXIV.

Medicus non debet eſſe Magiſter naturæ.

Neque Medicus debet eſſe magiſter ſed miniſter naturæ, neque in poteſtate ejus eſt ſitum leviſſimum tantum morbum v. g. coryzam aut ſuppurationem quandam ad arbitrium ſuum curare, ſiſtere aut promovere, vel variolas expellere, aut menſes vel hæmorrhoides promovere, niſi conveniens adſit tempus.

Prudens itaque Medicus naturæ motus & tempora, quibus ipſa utitur in medendo, obſervat, & modum ac methodum medendi naturæ attendit & imitatur, eamque negotio ſuo tantum ſecundat atque adjuvat, materiam ad motum præparando, temperando ac motus ſi nimii fuerint, moderando & ſi deficiant, ſtimulando; in quo omnis ejus actio & officium in perſanandis acutis morbis conſiſtit.

Imprudentiſſime igitur & magno damno ægrotantium faciunt Medici, qui ea omnia negligunt, & pro lubitu in morbis acutis movent, ſiſtunt, evacuant, nulla habita temporum ratione, &, dum ſæpiſſime ſalutares excretiones intercipiunt, præpoſteris ſuis curationibus maximum damnum non modo, ſed ſæpius mortem etiam inferunt.

Cæterum tamen hoc negari non poteſt, quod Medicus id agere arte ſua poſſit, ut cauſam periculoſæ acutæ paſſionis, antequam radices egerit, & natura in ea amolienda per febrilem motum occupata ſit, ſub initio morbi & ſatis mature ſubjugare & medicina quandoque ex corpore expellere poſſit, & tum utique eum rectiſſime officium ſuum feciſſe exiſtimandum eſt, neque tunc neceſſarium eſt, ut illud, quod ipſe perfecit, naturæ faciendum committere debeat.

§. CXV.

Errorum Theoriæ Medicæ finis & errorum practicorum initium.

Perſpectis jam variis erroribus, qui ad Theoriam veram & Medicam pertinent, ſequitur jam, ut etiam eos, qui in medendo & artis exercitatione perfrequenter occurrunt, notemus, noſtramque ſententiam ac judicium de iis afferamus.

§. CXVI.

De errore circa Venæſectionem.

Primum vero nobis in mentem venit magnum illud auxilii genus, videlicet venæſectio qua inter omnia remedia non facile datur ullum præſtantius, quod tam celeritate juvandi quam ſalutari uſu ſe commendat, ita, ut in omnibus fere morbis, ſi prudentia Medici adminiſtretur, opem ferat exoptatiſſimam.

Nihilominus tamen dolendum eſt, quod plures ex Medicis, etiam magni nominis, dentur, qui vel illud plane contemnunt, vel tamen juſto in pretio non habent, neque in eo caſu in quo opus eſt, utuntur. Ex horum numero olim fuit ERASISTRATUS & noſtris temporibus fuerunt HELMONTIUS, &, qui Carteſianam ſectam ſequuti fuere, Batavi, ut BONTEKOE, OVERKAMP, aliique, qui nimis magnifice de Chymia ejuſque arcanis in Medicina ſentiunt.

§. CXVII.

Judicium Autoris de uſu venæſectionis ejuſque commendatio in plethora, & morbis hinc oriundis.

Nos vero libere & aperte profitemur, quod is pro Medico, qui vitæ & ſanitatis negotium morborumque originem & medendi rationem intelligit, habendus non ſit, qui hoc remedii genus non æſtimat, quod ratio, quod experientia & quod denique auctoritas graviſſimorum Medicorum in omnibus nationibus, omnibus climatibus, omnibus ætatibus, immo in omnibus ſectis, quæ viguerunt in Medicina, adprobavit & confirmavit. Si enim illud certum eſt, ut eſt certiſſimum, quod inter movens & mobile ad producendum motum ſemper debeat eſſe proportio, & quod maſſa mobilis ſua reſiſtentia ac mole imminuere poſſit immo vincere vim activam motricem corporis viventis; ſi porro verum eſt, quod nimia copia ſanguinis & ſuccorum in vaſis colligi & accumulari poſſit, quæ motum cordis & arteriarum ſyſtolemque eorum debilitet, imminuat, ut tardior ac ſegnior ſanguinis per vaſa fiat curſus ac circuitus; tunc certe nihil plus & rationi & ſenſibus conſentaneum eſt, quam quod imminuta mobilis mole ac quantitate, quæ reſiſtit vi motrici cordis, hoc poſtea promtius ſeſe contrahat, ſanguinemque celerius & majori impetu propellat & circulationem faciat expeditiorem.

Quantum vero ad morbos progignendos tardior ſanguinis per viſcera & emunctoria progreſſus faciat, & quod hinc ſanguis ſpiſſus & impurus evadat, viſceraque inde infarciantur & obſtruantur, hoc non ſatis in medicina commemorari poteſt.

Videmus itaque, cum origo plurimorum malorum chronicorum ex impeditiori ſanguinis motu dependeat, non dari præſtantius horum morborum præſervatorium ipſa venæ ſectione.

§. CXVIII.

Commendatio venæſectionis in excretionibus ſanguineis ſuppreſſis & congeſtionibus.

Deinceps nullum remedium ſanguinis miſſione naturæ convenientius eſt, dum hæc ipſa, ſapientiſſimo conſilio ſummi Artificis corporis noſtri ita diſponente, corpus a ſuperfluo ſanguine ſua ſponte per excretiones tam in ſequiori maxime ſexu, quam etiam in viris, ſolennes & conſuetas liberat & vindicat.

Et cum ars debeat eſſe non tantum adjutrix ſed etiam imitatrix naturæ, hinc liquido fluit, quod, ſi natura ſui muneris obliviſcitur, & ſalutares & naturales excretiones non rite ſuccedunt, Medicus arte defectum hunc compenſare debeat.

Novimus porro ex pathologicis, quantas turbas & funeſtas paſſiones nimii ſanguinis ad partes congeſtiones ex nimia ſtrictura aliarum partium provenientes efficiant, & quomodo exinde apoplexiæ, cephalalgiæ, vertigines, aſthmata, melancholia, mania & cordis palpitationes oriri poſſint, & hos omnes morboſos affectus & paſſiones omnium optime apta venæ-

venæſectione & præcavere & avertere poteſt Medicus.

§. CXIX.

De uſu venæſectionis in morbis acutis egregio.

Quod attinet ad morbos acutos, novimus identidem, quod complures acutæ & perniciales febres inflammatoriæ ex ſtaſi ſanguinis oriantur; immo ob inflammationem, quæ tandem in ſphacelum abit, homines tollant. Jam vero in tota rerum natura ad præcavendam majorem inflammationem & ad ſtaſin ſanguinis diſſolvendam præſentius ipſa venæſectione remedium non reperitur.

Notum quoque porro eſt, quod multi acuti morbi a materia naturæ infenſa cauſtica membranas & genus nervoſum affligente fiant, quæ ſeparari & propelli ad corporis habitum debet. Hoc vero minime feliciter contingit, ſi nimia adfuerit ſanguinis quantitas, hinc, ſi ſtatus adſit plethoricus in variolis, morbillis, aliiſque exanthematicis febribus, admiſſa in principio venæſectio utiliſſima eſt.

§. CXX.

De errore circa uſu venæſectionis tempore æquinoctii.

Præterea notandi adhuc ſunt alii errores, & quidem communes circa venæſectionis uſum. Notum namque eſt, quod circa æquinoctia tam a Veteribus quam etiam noſtri temporis Medicis ſoleat ad præſervationem multorum morborum venæſectio commendari. Neque res eſt de nihilo, ſiquidem vere & autumno plurimi ob mutationem iſtam creberrimam aeris & tempeſtatum ſuſcitantur morbi, quos præcavere hac ratione Medicus intendit.

Verum enim vero notandum hoc loco eſt, quod in noſtris regionibus circa æquinoctia inſignis ſoleat eſſe aeris mutatio ut vel calor vel frigus, vel ſiccitas & humiditas uno die ſæpe crebras habent viciſſitudines, ſub quibus corpus, debilitatum præſertim, male afficitur, & tranſpiratio corporis etiam mutatur & impeditur. Annotavimus itaque plus vice ſimplici, venæſectionem ſub tali aeris ſtatu adminiſtratam plus detrimenti quam utilitatis attuliſſe, ea propter, quod magis redditum fuit corpus tam ad cruditates in primis viis generandas quam ad catarrhales defluxiones diſpoſitum. Alia vero ratione ſeſe hæc res habet in regionibus calidioribus, in quibus vixerunt HIPPOCRATES & GALENUS, utpote in quibus non tanta aeris & tempeſtatum mutatio obſervatur; ab hiſce vero Autoribus noſtri hanc methodum mutuati ſunt. Conſultius itaque nobis videtur, ſi corpus ſanguine redundat die ſereno 2. vel 3. & plures ſeptimanas ante æquinoctium, ubi major aeris eſt æqualitas, ſanguinem mittere & ſuperfluum detrahere, inque eo nobis perplacet Helvetiorum modus, qui menſe Februario & quidem die Vincentii quaſi ſolemni venæſectiones inſtituere conſueſcunt.

§. CXXI.

De errore, quod æſtate & diebus canicularibus non debeat adminiſtrari venæſectio.

Vulgaris quoque error eſt, qui multorum præſertim vulgi animos invaſit, quod æſtate & diebus canicularibus ſanguis non debeat mitti. Nititur hæc opinio ſententia HIPPOCRATIS, qui in cane & ſub cane omnes purgationes rejicit, id quod etiam nonnulli ad ſanguinis miſſiones extendunt. Sicuti vero illud in medicina perpetuum eſt, quod, ubi corpus in maximo æſtu eſt conſtitutum, perſpiratio aucta, ac humores ſalſi ac bilioſi fiunt, omnino fortes purgationes locum non inveniant, adeoque etiam media æſtate eas adhibere non liceat, neutiquam tamen de venæſectione id interpretandum eſt, quæ utique & hiſce temporibus præſente indicatione egregii eſt uſus. Nam profecto nullo anni tempore corpus noſtrum robuſtius eſt, & minus ægrotat, quam æſtate, neque alias melius hoc genus remedii ferre poſſumus, quam hoc ipſo tempore, ubi minus debiles ſumus, quapropter ſapiens Medicus confidenter & ſecure, ſi res viget, ſanguinem etiam hiſce temporibus mittere poterit. Idem judicium eſto de venæſectione circa ſolſtitia adminiſtranda. Sub his quidem, præſertim hyberno, natura admodum eſt imbecillis; at vero præſente ſanguinis copia & morbo, qui ejus evacuationem deſiderat, interdum propter evacuationem naturæ ſolennem omiſſam, tunc etiam non ſine periculo confidenter ſanguinem detrahere poſſumus.

§. CXXII.

De errore, quod venæſectio prima liberet a morbo graviſſimo vel morte.

Multo major vero hic error eſt, & quidem communiſſimus, quod venæſectio prima liberet a morbo graviſſimo vel morte, hinc plures hoc nobile auxilii genus tamdiu differre volunt, donec gravi morbo corripiantur; quod omni ſanæ rationi minus eſt conſentaneum. Nam ſi morbus invadens a ſanguinis copia oritur vel ſuſtentatur, tunc utique matura venæſectio egregium afferet auxilium; ſi vero ex alia cauſa naſcitur, tunc non juvabit venæſectio. Quid autem dementius eſt, prius morbum exſpectare a ſanguinis redundantia, & tunc uti auxilio, quam morbum illum per venæſectionem avertere & præcavere, quod morbus poſtea non tam facile unico auxilio vinci ſolet, ſed & aliis ſimul eodem tempore ad curandum opus eſt remediis.

§. CXXII. *

De errore, quod venæſectio in febribus intermittentibus reformidetur.

Præter hos & alii non minoris momenti circa venæſectionis adminiſtrationem communes errores notandi veniunt. Inter hos maxime meretur hic attendi, quod plures vel ferme omnes Practici uſum venæſectionis in febribus intermittentibus adeo reformident, ut ſibi perſuadeant febres exinde fieri contumaciores, vel facile alios graviores morbos poſt ſe trahere, e. g. cachexiam, hydropem & vitiatam digeſtionem. Verum hic metus plane eſt ſupervacaneus, ſiquidem teſtem habemus experientiam, quod ſæpe unica ſola venæſectione intermittens febris, etiam quartana, conquieverit. Multum itaque refert, ut Medicus reſpiciat ad habitum corporis, & conſideret, num plethoricus ſit, necne qui febre laborat; præſente enim plethora confidentius ſanguis poteſt mitti, & hoc ſi non accidit & longior fit febris & facile recidivat, & graviſſimas chronicas paſſiones, præſertim ſi præpoſtere cortice chinæ de china vel aliis adſtringentibus cohibeatur, poſt ſe trahit. Nunquam autem venæſectio in paroxyſmo vel circa paroxyſmum ſed vacuo tempore inſtituenda eſt.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

De errore circa uſum venæſectionis in puerperis.

Denique & plures Medicorum hoc in errore verſantur, quod puerperis non ſit ſanguis e vena mittendus, quia hac ratione multum virium ipſis decedere exiſtimant. Sed gravis etiam hic error eſt, cui & experientia attenta & ſolida ratio contradicit; ſiquidem omnes gravidæ in ſtatu plethorico verſantur, qui in quibuſdam vergit in cacochymiam. Quod ſi itaque poſt partum per lochia ſanguis is impurus & copioſus variis ex impedimentis non expurgetur, ſed in uteri vaſis ſubſiſtat & ſtagnet, non poteſt aliter fieri, quin in ſenſibilioribus & calidioribus ſubjectis ſeu naturis inflammatio, in ſegnioribus & phlegmaticis funeſtæ ſphacelationes ſint exſpectandæ. Nil itaque præſentius eſt, quam quieſcente lochiorum fluxu venam in pede aperire, ipſumque uterum exterius calidis fomentis, quæ coagulatum ſanguinem reſolvunt, tractare; ita non modo dolores, qui graviter ſæpius affligunt poſt partum mulieres, protinus levantur, ſed etiam ſanguinis fluxus per uterum reſtituitur.

§. CXXIII. *

Errant, qui in cachexia & tumore pedum œdematoſo a ſuppreſſione menſium orto venæſectionem non admittunt.

Ulterius adhuc non infimi momenti error caſtigandus eſt, qui verſatur in eo, quod nonnulli Medici hac perverſa opinione laborant, in cachexia & in tumore pedum œdematoſo, qui vel a ſuppreſſione vel ab imminutione menſtrui fluxus provenit, non eſſe detrahendum ſanguinem propter metum ne hydropico malo hoc modo via pandatur. Sed hic metus eſt omnis fruſtraneus, & potius oſtendit triſtis experientia, quod ex neglectu hujus remedii fœminæ in graves & lethales acutas febres enormibus & incompeſcibilibus hæmorrhagiis ſtipatas incurrerint: ſiquidem cauſa hujus tumoris cachectici nulla alia eſt quam ſanguinis & humorum abundantia. Quid itaque rationi eſt convenientius, quam cauſam hanc tollere, qua ſublata & ipſe effectus exſpirat.

§. CXXIV.

Errant, qui venæſectionem ad phthiſin disponere dicunt.

Simili ratione etiam vanus metus eſt, quod venæſectio diſponat ad phthiſin & hydropem, quod certe falſiſſimum eſt, ſi nempe non turbulenter & temerarie ea inſtituatur. Potius non datur præſentius remedium ad hos morbos præſervandos, ſiquidem ſæpiuſcule ex nimia ſanguinis abundantia ob evacuationes ſolennes naturæ conſuetas per hæmorrhoides & menſes, vel etiam evacuationes artificiales omiſſas hi morbi oriuntur.

§. CXXV.

De errore circa uſum venæſectionis in ætate ſenili.

Ulterius & notandus venit peſtilens hic error, qui multos ſenes interficit, quod nempe in ætate ſenili non locum inveniat venæſectio, eam nempe ob rationem, quod vires proſternantur, quæ hac in ætate maximopere ſunt cuſtodiendæ. At vero profecto plures Senes ad longam vitam poſſent pervenire, ſi venæſectionem admitterent. Nam morbi illi, qui ſenibus ſunt infenſi & lethales, ad quos pertinet præſertim maraſmus, a ſanguine copioſo viſcera infarciente ſæpius ſuos habent natales.

Immo ipſa ratio hoc ſuadet, nam illi ſenes, qui bene appetunt & ingerunt, (quorum plures dantur) multum chyli & ſanguinis colligunt in vaſis, excretiones vero per alvum & tranſpirationem cum jam per ſe & ob motum quoque & exercitationem corporis hac in ætate ceſſantem ſint imminutæ, non poteſt aliter fieri, quin ſanguis craſſus tenax, & ſpiſſus evadat, inque viſceribus hærens in corruptionem lentam ſucceſſive abeat, unde febris lenta vires & corpus conſumens ſive maraſmus naſcitur, quo plures ex ſenibus exſtinguuntur.

§. CXXV. *

De errore circa uſum venæſectionis in gravidis.

Ultimo loco nec prætereunda illa valde perverſa & vulgaris opinio eſt, quod venæſectio uterum gerentibus noceat, ex metu, inde fieri abortum, præſertim, ſi major ſit fœtus. Sententia hæc fuit HIPPOCRATIS & exſtat *Sect. V. aph.* 31. Verum enim vero in noſtris climatibus hoc directe experientiæ eſt contrarium, qua manifeſtum fit, ſanguinem tutiſſime, immo cum ſummo ſanitatis & fœtus commodo non ſemel ſed aliquoties tempore, quo mulier eſt gravida, mitti poſſe, ſi ſanguine nempe redundet; quin nullum præſentius datur remedium ad abortum præcavendum præter venæſectionem, & nullum quoque aptius inveniri poteſt præſidium ad avertendas multas ægritudines a puerperis & fœtibus, quos in utero gerunt, quam venæſectio, quæ non tantum plethoram, ſed etiam impuritatem multorum morborum matrem a matre atque infante aufert. In regionibus vero calidioribus in quibus vixit HIPPOCRATES, rarius ſanguis abundat, corpora ibi non tam bene appetunt, cibi ſunt ſubtiliores, & longe major perſpiratio fit, unde rarior ibi plethora eſt, quam in noſtris regionibus. Nihilominus tamen prudentia requiritur ad venæſectionem in gravidis, ſiquidem ſi hæc adminiſtretur in iis corporibus, quæ minores habent venas ſuccis & ſanguine deſtitutas, & facile animo deficiunt, tunc utique periculum aliquid facile erit exſpectandum.

§. CXXVI.

De errore circa uſum venæſectionis in curatione febrium epidemicarum.

Denique & frequens committitur error a multis Medicis in curatione morborum acutorum, præſertim febrium epidemice graſſantium, ut purpuratæ, petechialis & catarrhalis, quod non habeant rationem tempeſtatum præcedentium, a quibus hi morbi prognati fuerunt, ſed promiſcue nullo habito diſcrimine venæſectionem vel commendent vel diſſuadeant, cum tamen doceat experientia, quod venæſectio certis temporibus, quando epidemicæ febres graſſantur, longe utiliſſima ſit & ſub aliis temporum rationibus ſummum detrimentum inferat, adeo, ut per experientiam damnum ejus prius addiſcere debeat Medicus. Ut autem Medicus a priori ſciat, in quibuſnam epidemice graſſantibus febribus venæſectio locum habere poſſit, & in quibus nullum, notandum eſt, quod, ſi epidemica febris a conſtitutione aeris diuturna, auſtrina, humida, pluvioſa, & autumnali ventis carente naſcitur, venæſectio rariſſime habeat locum, quia tunc corpus maxime diſpoſitum eſt ad putredinem, vires corporis exhauriuntur, & ſanguis magis corruptus quam copioſus & bonus eſt. Sanguine itaque ſubtracto vires auferun-

auferuntur, & illud corruptum, quod eſt in ſanguine, ad corporis habitum non ſatis valide pelli poteſt, quare exanthemata non potenter expelluntur, ſed remanent & vitæ periculum minantur. Si vero epidemica febris ex regnante aeris conſtitutione calida, & ſicca, vel aquilonari aut boreali, frigida nempe & ſiccâ, nata fuerit, & morbus epidemicus ipſo in vere vel æſtate exſurgit, tunc venæſectio tutior & ſecurior eſt, & gravia ſymptomata, ut inflammationes & deliria, avertere poteſt, præſertim, ubi vaſa turgent ſanguine, vel quis aſſuetus fuerit venæſectioni.

Denique & illud notandum eſt, quod, ſi ex fame ſeu inedia diuturna, vel vigilia longius protracta vel viribus fractis oriatur malignus vel epidemicus morbus, tunc nunquam venæſectione ſit utendum, ſed potius, ſi mature id fieri poteſt, primæ viæ a ſordibus ſtagnantibus & putrefactis deplendæ ſint.

§. CXXVII.

Error eſt gravis, quod viribus vehementer fractis ſuadeatur venæſectio.

Poſtremo & illud adhuc eſt notandum, quod peſſime illi Medici faciant, qui viribus vehementer fractis ſive per morbum quendam præcedentem, ſive per diuturnum animi mœrorem, inediam vel diuturnam vigiliam, venæſectionem ſuadeant, qua certe nil aliud efficiunt, quam ut mortem vel faciant vel promoveant.

§. CXXVIII.

De errore, quod venæſectio ſub certis planetarũ adſpectibus ſit adminiſtranda.

Ultimo loco neque illud prætereundum eſt ſilentio, quod merito explodi debeat eorum ſententia & communis quorundam error, quod venæſectio maxime præſervationis cauſa ſub certis lunæ phaſibus vel planetarum adſpectibus ſit adminiſtranda. Nam cum valde lubrico fundamento aſtrorum in ſublunaria corpora influxus nitatur & vulgaris aſtrologica ſcientia magnis vitiis ac defectibus laboret, hinc etiam nullo in caſu, ubi medicina adhiberi debet, idque neceſſitas poſtulat ac urget, ad aſtra confugiendum eſt. Interea tamen illud veriſſimum eſt & experientiæ correſpondet, quod certo tempore vel die melius hoc remedii genus ferre poſſimus quam alio. Nam ſi cœlum caliginoſum eſt, intemperies aeris pluvioſa exiſtit & humida, & occidentales venti atmoſphæram noſtram cum impetu exagitant, ſique tempus valde eſt mutabile, ut mox calor, mox frigus ſequatur, cœlum mox ſerenum, mox turbidum ſit & argentum vivum in barometro ſæpe ſtationem ſuam mutat, tunc ſanguinis miſſiones, præſertim largiores, quodammodo lædere functiones corporis noſtri, præſertim ventriculi, deprehenduntur. Neque ratio hujus rei eſt difficilis. Tale enim humidum cœlum robur fibrarum univerſi corporis noſtri quodammodo relaxat & imminuit, unde detracto ſanguine vis motrix & robur partibus ſolidis magis detrahitur, quod ſtomachi tonus mox experitur: contra vero cœlo tranquillo & ſereno & aere bene temperato exiſtente vigor & animo & univerſo corpori adeſt, & tunc etiam facilius corpus noſtrum & ſanguinis & virium quoddam decrementum ſine ulla offenſa pati poteſt.

§. CXXVIII. *

Error eſt, quod homines poſt ſectam venam non debeant dormire.

Monendum etiam hoc loco eſt, quod errorem committere ſoleant ii, qui exiſtimant, poſt ſectam venam hominem non debere dormire, metu, ne ſanguis rapiatur ad caput & ibi decumbens capiti & nervoſo generi mala quædam invehat. Verum omnis hic metus ſupervacaneus eſt. Sicuti enim ſomnus, modo non ſit præternaturalis, placidus nunquam corpori noſtro eſt inutilis, quocunque etiam tempore venit, ita, ſi ex debilitate ſit, non pertimeſcendus eſt, ſed potius corpus reficit, ipſique vires addit, quæ cum ſanguine ſubtractæ fuere. Illud tamen obſervandum eſt, ne forſan jactatione membrorum in ſomno ligaturæ ſolvantur & vena rurſus aperiatur, quod adſtantibus non animadvertentibus ſummo cum periculo ægrotanti venæſectionem paſſo contingere poteſt.

§. CXXIX.

De erroribus circa Purgantium uſum.

Perviſis itaque & conſideratis erroribus, qui circa uſum venæſectionis communiter in praxin medicam irrepſerunt, nunc quoque eos, qui circa Purgantium & Emeticorum uſum vulgares ſunt, in conſpectum adducemus; & primo prodeat peſſimus ac vulgaris ille error, quod ſana & robuſta corpora fortiori purgatione, præſertim vernali & autumnali tempore facta, a multis & gravibus morbis, ſe poſſint præſervare, ideoque multis ſolenne eſt, tunc temporis Medicos, Chirurgos, Pharmacopoeos vel alios, qui licentiam ſibi ſumunt medicinam faciendi, adire, & pharmaca, quæ aliquot ſedes movendo magnam humorum copiam excludunt, petere, ſed quam detrimentoſum & pernitioſum ſæpius hoc ſit, præſertim ubi imbecilliora corpora eaque quibus ventriculi & inteſtinorum tonus deſtructus eſt id faciunt, dici vix poteſt.

Etenim in genere hic ſciendum eſt, quod pharmaca vehementiora, quæ fortiter inteſtina ſtimulant & ſedes movent, ex eorum genere ſint, quæ deleterio naturæ inimico ſubtili cauſtico ſale partes ſolidas inflammante & arrodente inſtructa ſint, & hoc nomine merito ad venena referri debeant, quemadmodum etiam id compluribus pulchris experimentis WEPFFERUS *in Tractatu ſuo de cicuta aquatica* demonſtravit, oſtendendo, quod ejuſmodi draſtica purgantia funeſtam inflammationem in ventriculo canum, quibus ea ad devorandum oblata fuerunt, ſuſcitarint, eaque propter non ſine ratione olim ASCLEPIADES omnes vehementiores purgationes, ſi ex nimis valentibus medicamentis fierent, ex medicina expulit teſte CELSO *Lib. I. cap.* 3. quia, ut alibi ſcribit, malum ſuccum fovent & naturam debilitant, in quo etiam conſentit HIPPOCRATES in ſuo *Libro de locis in* §. 55. ſcribit: purgantia omnia præſentem ſtatum tranſmutant, quam maxime vero fortiora, & *Aph.* 16. *Sect. IV.* helleborum periculoſum eſſe ſanas carnes habentibus, aſſerit: Quod ſi itaque ſanis corporibus validum purgans officit, multo magis debilioribus ſubjectis expediet, tam fortes medicinas non exhibere. Nunquam enim, ut verum dicamus, utile eſt, pauciſſimis caſibus exceptis, corpora fortioribus purgantibus

gantibus exercere non tantum, quia juxta HIPPOCRATEM *Sect. II. aph.* 51. multum & repente evacuare nocivum eſt, ſed maxime eam etiam ob rationem, quia validiora hæc pharmaca ſpaſticis contractionibus, quibus operationem ſuam exſerunt, inteſtinorum & ventriculi tonum ac motum periſtalticum, quo tamen maxima pars & præcipuum momentum ſanitatis continetur, deſtruunt, & non modo ad ſpaſticas affectiones, ſed etiam ad alvi conſtrictiones corpus diſponunt, unde etiam ordinario purgationem per medicamenta factam ſequentibus diebus clauſa & adſtricta alvus ſequitur. Solida quoque & attenta experientia conſtat, ſanos alias homines per uſum purgantium draſticorum quam maxime morbis obnoxios reddi, quia illud, quo agunt, principium naturæ inimicum eſt, id eſt, tono partium adverſum; hinc etiam talem evacuationem ab aſſumto forti purgante languor corporis & virium proſtratio, inappetentia, ſitis, pulſus crebrior, & facies adſpectu non jucunda ſed contracta ſequitur, quæ cuncta accidentia, non ſolum multitudini & evacuationi fortiori, ſed potius hoſtili principio motus naturales partium conturbanti adſcribenda ſunt, ſiquidem & copioſas ſedes non alias debilitare, documento ſunt ipſæ acidulæ vel thermæ, quarum uſum ſingulis diebus vel decem ſedes & plures ſine ulla virium vel appetitus jactura ſequuntur, qua propter non ſine ratione purgantia illa draſtica a quibuſdam Recentioribus ut HELMONTIO & BONTEKOE Mordmittel vocata fuerunt. Qua de re quo magis ab iiſce homines abſtinent, eo melius ſe habent, & tanto crebrius male diſpoſiti fiunt, quo frequentius ipſis utuntur. Hinc veroſimile ſcribit HIPPOCRATES *Sect. I. aph.* 36. ſana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exſolvuntur & *aph.* 37. Qui bene valent corpore, eos operoſum eſt medicamentis purgare. Plura de hac re legi poſſunt in *diſputatione noſtra de Purgantibus fortioribus.*

Longe vero adhuc deterior error eſt, quando fortiter purgans non vult operari vel movere ſedes, ſicut in quibuſdam accidit, de novo idem remedium aſſumere & naturam ad purgandum cogere, propter ea enim, purgans, niſi operetur corpori, eſſe nocivum. Recte enim HIPPOCRATES *in Libro de Purgantibus* ſcribit, quod purgantium res non ita ſe habeat, quemadmodum vulgo putatur; quidam enim medicamento quodam purgantur, alii eodem non purgantur, aliquando nimium purgantur, aliquando purgantia ea quæ debent facere facere renuunt; hinc non temere hæc medicamenta eſſe adhibenda ſuadet, multominus, ſi humores non ſunt fluxiles nec amant per inferiora evacuari, item, ubi inteſtina ad motum conſtrictionis, qui excitatur a purgantibus, ſubeundum, non ſunt diſpoſita; alias natura corporis mire debilitatur.

§. CXXX.

De erroribus circa uſum laxantium remediorum.

Deinde in Praxi Medica illud adhuc maxime deſideratur, quod tam pauci exiſtant, qui virtutem lenientium & laxantium recte intelligunt, & pro diverſa ætatum, temperamentorum & morborum ratione, debita doſi & opportuno tempore ea uſurpare

ſciunt. Hæc enim ejus ſunt indolis, ut principio elementi naturæ non infeſto, ut valentiora cathartica, operationes ſuas exſerant, vireſque non proſternant, utut evacuationem fortiorem quoque quædam ex iis præſtent. Methodicæ Sectæ dediti Medici horum virtutem & uſum mirifice æſtimarunt exploſis omnibus fortioribus, & quamvis etiam noſtris temporibus adhuc quidem in uſu ſint, pauci tamen eorum recte adhibendi modum ſciunt; quem jam exponere animus eſt. Per laxantia vero intelligimus, Mannam, Caſſiam, Tamarindos, Aloen & Rhabarbarum. Communiter ad hæc quoque referuntur folia Sennæ, ſed noſtro quidem judicio minus recte, quia ſubtili cauſtico acri principio, quod tormina excitat & corporis viribus adverſum eſt, imbuta ſunt. Reliqua vero omnia ita ſunt comparata, ut etiam in majori doſi minus noxia ſint ſola aloe excepta, quæ ſecundum Veteres lotione vel, quod melius eſt, coctione depurata ad pauca grana ſufficit. Quemadmodum vero omnes morbos in tres claſſes diſpeſcere nobis ſolenne eſt, dum vel aucto & intenſiori cordis & arteriarum motu celerrimus ſanguinis progreſſus fit cum ſummo calore, qualis ſtatus dicitur febris; vel quædam partes corporis noſtri vehementius conſtrictæ ſunt, unde ſanguinis & humorum circulatio fit inæqualis, qualis ſtatus dicitur ſpaſmus; vel partes corporis noſtri & fibræ motrices nimium relaxatæ & a tono ſuo dejectæ ſunt, quod atoniam appellamus; ita cuivis huic morboſo ſtatui peculiaria accommodata ſunt laxantia, ſiquidem in omni febrili exæſtuatione omne propemodum fere punctum Tamarindi abſolvunt, dum non modo laxante virtute gaudent, ſed etiam propter gratum acorem & ſitim ſedant & nimium æſtum extinguunt, acrem utplurimum & volatilem bilem temperando; uſurpari vero debent in decoctis, & edulcoratio poteſt fieri cum manna. Ubi vero præſens eſt inteſtinorum & viſcerum atonia, quod in plurimis morbis chronicis, præſertim cachexia & malo hypochondriaco, ubi inteſtinorum canalis flatibus repletus eſt, locum habet, ibi rhabarbarina & aloetica propter amaricantem balſamicam peculiarem & plane ſingularem ſubſtantiam opem ferunt. Ubi vero ſpaſmodicæ adſunt ſtricturæ inteſtinorum ac partium, quod fit in paroxyſmis & motibus morboſis morborum chronicorum & acutorum, vel etiam ubi prima regio auſteris, acidis humoribus ac ſordibus abundat, ibi ſoluta manna & extractum caſſiæ, adjectis ſalinis deterſivis v. g. tartaro tartariſato, arcano duplicato & nitro antimoniato, omne abſolvunt punctum. Notandum vero hoc loco eſt, quod manna, ſi aliquot ſedes movere debeat, non ad ℥ß vel ℥j, ſed ad iij vel ℥iv. immo ultra cum decocto avenaceo ſucceſſive debeat uſurpari, qua ratione & acor humorum inteſtinis adhæreſcens in Melancholicis & Hypochondriacis optime corrigitur & diluitur.

§. CXXXI.

Quod attinet ad uſum aloeticorum, vulgaris per multa ſecula fere ſed peſſimus error fuit, quod in nimia quantitate pilulas fere omnis

De errore circa uſum aloeticorum.

omnis generis ab Auctoribus compoſitas & deſcriptas ingrediantur, adeo, ut ad minimum dimidiam compoſitionis ingredientium conſtituant partem, quæ doſis major, quia nimium exſiccat & tunicis inteſtinorum adhæreſcendo propter gummi-reſinoſum principium nimium ſtimulat vel vaſa aperit, plus nocet quam prodeſt, præſertim in ſubjectis bilioſioribus, ſanguineis, vino ac iracundiæ deditis, utpote in quibus facile ſanguinis profuſiones ſeu hæmorrhagiæ, præſertim vero hæmorrhoides ſuſcitat. Accedit quoque & hoc, quod a liberaliori aloes doſi nimium inteſtina exſiccentur, ut poſteris poſt ejus uſum diebus alvus minus ſuo officio reſpondeat. Totum arcanum itaque hanc aloen in noſtri corporis ſalutem & ad tonum ventriculi & inteſtinorum conſervandum & reparandum adhibendi unice in eo conſiſtit, ut aloe prius probe lota vel cocta miſceatur cum variis extractis & temperatis balſamicis, ita ut pro doſi grana ij vel iij cum gr. xx. aliorum ingredientium permixta porrigantur; hac enim ratione fit, ut ſubſtantia illa gummea reſinoſa aloes diviſa & diſcontinuata non amplius tunicis inteſtinorum adhæreſcere eaſque vehementius exagitare & ſtimulare poſſit, quod alias ad deſtructionem toni inteſtinalis multum facit.

§. CXXXII.

De errore circa uſum rhabarbarinorum & foliorum ſennæ.

Inter communes errores, qui circa Purgantium adminiſtrationem occurrunt, & illi merentur referri, quod plures Medicorum peſſimo more rhabarbarum foliaque ſennæ multo tempore cum liquore decoquant, qua ratione virtus eorum laxans & purgans, quæ in ſale tenui ſtimulante acri volatili conſiſtit, avolando deperditur, remanente decocto nauſeoſo inerti, quod multa tormina ciendo movet quidem, ſed tamen purgationem non promovet. Longe itaque melius & conſultius eſt, hæc ipſa tantummodo calide vel etiam frigide per 24 horarum ſpatium infundere, ita operatio longe expeditior ſequetur & magis ex voto ſuccedet.

§. CXXXIII.

De errore circa uſum reſinæ jalappæ.

Quod attinet ad radicem jalappæ & ex ea paratam reſinam, hæc equidem magno in pretio habetur & mirifice ob virtutem activam non facile quieſcentem in praxi extollitur. Verum enim vero non minimum damnum ac detrimentum eſt, quod hoc ſimplici ejuſque reſina humanis corporibus adfertur, ſiquidem reſina hæc acerrima eſt & plus cauſtici habet, quam aliud ullum purgans, hinc magna cum cautione eſt offerenda, quæ tamen communiter negligitur. Primo enim nunquam expedit eam exhibere in forma pulveris, multo minus vero cum vehiculo calido, quia protinus a calore ſive externo ſive interno in corpore in unam maſſam coit & colliquatur, quæ poſtea difficulter eſt reſolubilis, (cum nullum menſtruum, niſi ſpirituoſum eam diſſolvat) & adhæreſcens tunicis ventriculi ac inteſtinorum eas vehementiſſime ſtimulat, exagitat atque inflammat, ut non modo atrocia tormina, ſed etiam convulſiones, præſertim in tenellis & ſenſibilibus corporibus, pareſis aliæque graves paſſiones exinde ortæ obſervatæ fuerunt. Tutius itaque, ſi res urget & valido ſtimulo opus eſt in ſegnioribus naturis vel ſubjecta gaudent robuſto ventriculo, ſique humorum adeſt fluxilium copia, ſub forma pilulari eam præbere, ita tamen, ut non ſolida reſina, quæ difficilius dividitur & diſſolvitur, ſed ſoluta in ſpiritu vini rectificatiſſimo, vel prius bene contuſa cum amygdalis aut pineis exquiſite cum ingredientibus pilularum miſceatur, ut ejus ſubſtantia & efficacia non unita maneat, ſed potius diviſa & diſperſa ſine noxa inteſtinorum tunicas ſtimulare poſſit.

§. CXXXIV.

De errore quod Medici parum curent in exhibendis purgantibus & emeticis ventriculum & naturam ægrotantis.

Denique non tantum error ſed potius ignorantia in Praxi quotidie conſpicitur, quod Medici in exhibendis & Emeticis & Purgantibus parum reſpiciant ad ventriculum & naturam ægrotantis, cum tamen præcipue omnium in hiſce generoſis remediis uſurpandis robur ventriculi & corporis attendendum ſit, ea propter quod hæc ipſa immediate & primario ſuam vim & operationem in ventriculo exercent. Si itaque hic debilis eſt, ſi molliori & exquiſitiori ſenſu præditus, ſi tono debito deſtitutus, ad ſpaſmos & vomitus, vel, quod peſſimum eſt, ad inflammationes eſt diſpoſitus, peſſime ſemper horum valentiorum remediorum ſuccedit operatio, neque tunc laxativa propter diffuſiorem molem & quantitatem convenire vel utilia eſſe deprehendimus, quia magis ventriculi tonum deſtituunt, appetitum tollunt, & nauſeam ac faſtidium movent; deinde, ubi inteſtina ad ſpaſmos & tormina inclinant & corpora valde ſenſibilia ſunt, ibi cautiſſime etiam agendum eſt cum purgantibus præſertim validioribus.

§. CXXXV.

De alio errore circa uſum purgantium & emeticorum.

Tandem & illa obſervatio neceſſaria eſt, quam pauci norunt & attendunt, quod & Emetica & Purgantia minori doſi tutiſſime & efficaciſſime operentur; ſi modo cum ſalibus ſtimulantibus v. gr. arcano duplicato, tartaro tartariſato, tartaro vitriolato & cremore tartari exhibeantur & cum liquore ſpirituoſo, vel vino aut carminativis & balſamicis miſceantur & offerantur, ſiquidem hæc ipſa non modo vim emetici & purgantis egregie adjuvant, ſed etiam indolem eorum naturæ alienam ſimul corrigunt & tonum ventriculi & inteſtinorum ſimul corroborant.

§. CXXXVI.

De errore, ſi purgantia & emetica in morbis ab ira vel terrore ortis exhibentur.

Gravis vero & peſtilens is multorum Practicorum error eſt, quod tam prompti & faciles ſint in exhibendis emeticis vel purgantibus fortioribus, ſi quando ex gravi animi affectu, præſertim ira aut terrore, quis gravia pathemata, ut anxietatem circa præcordia, immo conatum vomendi & conſtrictiones diaphragmatis patiatur. Plures novimus ab emeticis hac ratione datis fuiſſe internecioni datos, ſiquidem in ejuſmodi caſu ventriculus vehementi ſpaſmo laborat & cum annexis & vicinis partibus fortes ſtricturas præſertim a vehementiori iracundia patitur, unde in ea regione, ubi dextra ventriculi pars & pylorus ſitum habet, ſenſibilis compreſſio, nauſea, conatus ad vomitum & os bile amaricante

te diffluens percipitur, & facile tunc accidit ab emetico, præſertim fortiori & in forma ſicca data, propter ſpaſmorum vehementiam quam excitat & auget, inflammatio, quæ, ſi non protinus opitulemur, lethalis fit. Simili ratione emeticum inſtar veneni eſt, quando a potu frigido corpori ex motu vel alia de cauſa calefacto ingeſto ventriculus gravia patitur ſymptomata, & quis hæc tollere emeticis laborat, nam certiſſime inde ſequitur, ſi non adeſt, inflammatio, vel, ſi jam præſens eſt, fit gravior & inde oritur mors.

§. CXXXVI. *

De errore, quod vomitoria & purgantia in febribus intermittentibus reformidentur nec adhibeantur.

Præterea & non minimi momenti error is culpandus eſt, quod nonnulli Medicorum in intermittentibus febribus & morbis, qui circuitum habent, adeo reformident purgantia & vomitoria, ut ea omni modo ac ſtudio diſſuadeant. Sed mirum quantum falluntur; nam ſi ulla medicina potens eſt, & fomitem febrilem, ac certe plerumque latitantem in tenui inteſtino duodeno, ejiciendi efficacia pollet, & ſæpe febres ſimul & ſemel tollit contumaces, & recidivas abigit, immo impedit, certe eſt emeticum debita doſi & cum convenienti regimine datum. Juvat quoque hoc ipſum miſcere cum laxantibus v. g. manna & caſſia, præſertim, ubi acidi & pontici humores in inteſtinorum canale ſubſiſtunt, ut ſimul ipſi & corrigantur & per inferiora excludantur; ſubtracto enim ſic febris pabulo, longe facilius jam eſt reliquias morbi & morbificæ cauſæ jam tollere; & tutiſſime tunc ea, quæ ſudorem movent & tonum partium roborant, ut martialia, cortex chinæ & hujus generis alia ad ulteriores acceſſiones reſcindendas dari poſſunt.

§. CXXXVII.

Errant ii, qui acriora purgantia in febribus ſanandis adhibent.

Vehementer vero ii errant, qui in intermittentibus febribus ſanandis ad eluendas ex regione prima ſordes utuntur acrioribus purgantibus, quæ admodum nocentiſſima ſunt, quod ob acre cauſticum ſal quo imbuta ſunt, fibras ad ſpaſmos, ſine quibus nullus febrilis paroxyſmus eſſe poteſt, magis ſtimulant & naturæ inimicum elementum ſanguini & vitalibus ſuccis ſubminiſtrant, ut ſymptomata omnia graviora & acerbiora conſequantur; & quandocunque, ut nonnullorum mos eſt, creſcente & decreſcente febre ejuſmodi purgantia propinant ad recidivas avertendas, certe longe facilius in eaſdem incurrunt, ac ſi forte purgans non fuiſſet datum, quod uſus & experientia irrefragabili teſtimonio confirmat.

§. CXXXVIII.

Errant vehementer, qui Purgantia vel Emetica tempore paroxyſmi vel non multo ante febris acceſſionē dant.

Peſſimus vero modus eſt, Emetica vel Purgantia dare tempore paroxyſmi vel non multo ante febris acceſſionem, ſiquidem per experientiam perſpeximus, ſubſequentem paroxyſmum longe eſſe acerbiorem propter intenſiores factos ſpaſmos, qui mire exercere & laborantes defatigare ſolent. Ratio quoque eſt in procinctu, nam hæc evacuantium genera agunt ſpaſmo; febrem vero omnem intermittentem ejuſque paroxyſmos ſpaſmis perfici, conſtrictiones cutis, nauſeæ, conatus ad vomendum, præcordiorum anxietates, horripilationes, refrigerationes extremorum, flatulentiæ, abdominis tenſiones & alvi adſtrictiones teſtantur.

§. CXXXIX.

Error eſt, quod mercurius dulcis inter purgantia refertur.

Hiſce jam dictis adjici & illud debet, quod magnum errorem admittant illi Medici, qui mercurium dulcem habent pro purgante, cum tamen is nil minus faciat quam purgationem, per ſe exhibitus ſine purgantis ſtimulo, ſed potius indies confirmet experientia, ipſam ſalivam movere. Quandocunque vero in paulo majori doſi ad ſcrupulum unum vel ultra admittitur, propter gravitatem non modo diutius ventriculi membranis firmius adhæreſcit, verum etiam occurſu ſalium, cujuſcunque generis fuerint, præſertim in hypochondriacis, ſcorbuticis, quartanariis & melancholicis ex miti natura in virulentam & corroſivam abit, adeo, ut ſpaſmodicas vellicationes non tantum in ventriculo & inteſtinis, ſed etiam in univerſo corpore efficiat, unde vel vehementes ſalivationes, ſummi languores, in quibuſdam apoplexiæ & convulſiones, præſertim in ſenſibilioribus & tenellis ſubjectis notatæ fuere. In quibuſdam vero, ubi non tanta ſuccorum acrimonia, alvi laxitatem per aliquot dies immo ſeptimanas producit cum virium languore & debilitate ventriculi & inteſtinorum. Quod ſi vero hic mercurius dulcis in forma pilularum cum purgantibus fuerit mixtus, in ſubjectis ſeroſioribus & iis, ubi viſcidi & tenaces in prima regione aut in maſſa humorum hærent humores, utiliſſimam opem præſtat, & hoc unicum medicamentum documento eſſe poteſt, medicinam debita doſi & forma, convenienti tempore & ſubjecti habita ratione datam incomparabilem præſtare opem; & contra non debito tempore, legitima doſi aut forma, nec conſentiente natura ſubjecti vel diſpoſitione humorum pernitialem vim exſerere poſſe.

§. CXL.

De medicorum errore, quo ad menſes movendos paulo ante vel in principio fluxus propinant purgantia fortiora vel Emetica.

Peſſimus denique & valde culpandus etiam mos eſt, quando quidam Medicorum ad menſes movendos paulo ante vel etiam in principio, quod adhuc deterius eſt, fluxus propinant Purgantia fortiora vel Emetica, quæ alio tempore & quando natura non inſurgit motibus in hoc caſu, non ſunt inconvenientia. Novimus vero aliquot exempla, quod hæc ipſa inſtante menſium fluxu propinata miras anxietates, ſpaſmodicas præcordiorum conſtrictiones, cardialgias, imo vomitionem cruentam excitaverint cum ſumma virium proſtratione & vitæ periculo. Nam quando natura in motu eſt & conatur ſupervacaneum ſanguinem expellere, ſpaſmodicæ conſtrictiones hinc inde in primarum viarum partibus membranoſis fiunt, quibus ceu inſtrumento natura perpetuo uti ſolet ad expellendum id, quod copia naturæ eſt alienum. Hos itaque motus & ſpaſmos taliſmodi exagitantia vehementiora mirifice augere & intendere ſolent non ſine maximo damno. Simili modo res eſt deterrima, ſub idem tempus mercurialia ad ſalivæ fluxum concitandum propinare, ubi peſſima conſequuta fuiſſe ſymptomata novimus.

§. CXLI.

Error eſt, ſi Purgantia fortiora in curandis Infantum morbis propinantur.

Non leve quoque erratum committitur in curandis infantum ægritudinibus, dum nonnulli Medici tam faciles & prompti ſunt ad exhibendum infantibus, quando male ſe habent, a quacunque cauſa etiam id fiat, vel alvus ſit paulo tardior, Purgantia acriora ut pulverem radicis jalappæ, ejus reſinam, & diagrydium vel ſola vel cum mercurio dulci mixta. Equidem hæc ipſa, quando viſcidi humores cum corrupto lacte in inteſtinis ſtagnant, aliquot ſedes movent & egregie taliſmodi ſaburram excludunt; nihilominus tamen cum magna cautione & rariſſime dari debent propter has rationes: maxima nempe ſanitatis pars in omni homine verſatur in tono ac motu periſtaltico ventriculi & inteſtinorum ſalvo ac integro, quo non modo digeſtio viget & recte fit alimentorum in chylum mutatio, ſed etiam inutile excrementum per alvum recto ordine & tempore excluditur. Jam vero nil pejus eſt, quam infantes aſſueſcere purgantibus & quidem acrioribus, quia nil magis tonum harum partium turbare & deſtruere ſolet, quam purgans, eoque magis, ſi vehementius eſt & inteſtinorum tunicis firmius adhæreſcit, ut reſina jalappæ, aurum fulminans & mercurius dulcis, quæ remedia ob gravitatem ſuam non facile eluuntur & e ſede ſua moventur, ſed partem, cui inſident, mire lancinant & exagitant, præſertim ſi ſalibus occurrunt. Quemadmodum vero in adultis ejuſmodi purgantia ſæpius iterata & ſæpius adhibita primarum viarum tonum maxime invertunt, eaſque ad flatulentias, ſpaſmos & alvi adſtrictiones diſponunt, ita multo magis id quoque accidit in tenellis infantibus, qui tenerrimas & valde ſenſibiles inteſtinorum habent tunicas, quorum tonus & motus facile poteſt inverti, unde evenit, ut poſtea alvus longe adſtrictior evadat & multis ſtagnationibus immo ſpaſmis inteſtina ſubjiciantur. Quapropter utique artis & ſcientiæ Medicæ eſt, prudenter ac circumſpecte & tonum inteſtinorum penes infantes conſervare & excretiones alvinas debita ratione ac modo facilitare & ſine noxa promovere, ſemperque tutius atque conſultius eſt, per clyſteres & medicamenta laxativa acidum abſorbentia ac leniter ſtimulantia alvum laxam reddere & ſui officii admonere, quam uti valentioribus, quæ naturæ tenerrimæ infantum plane ſunt contraria atque inimica. Præterea univerſum genus nervoſum repetita & præpoſtera ejuſmodi acrium purgantium exhibitione non parum læditur, ut ad febriles commotiones & convulſiones non parum infantes proclives reddantur.

§. CXLII.

Error committitur, ſi purgantia fortiora ſub doloribus vel in paroxyſmis febrilibus dantur.

Erroribus quoque practicis annumerari debet is, qui ſæpe admittitur, & in hoc conſiſtit, quod ſub doloribus eorumque atrocia & in paroxyſmis febrilibus purgans detur ex validiorum genere, quo mirum in modum toto die peccatur. Etenim præſente dolore & febre tunc patitur genus nervoſum idque conſtringitur, quin per conſenſum inteſtinorum canalis afficitur ejuſque motus periſtalticus læditur, ut eo tempore parum vel nihil alvus reddat. Hic vero neutiquam fortiora ſtimulantia locum habent, utpote quæ potius ciendo tormina & ſupervacaneo ſtimulo ſpaſmos & dolores & febres augent. Tutius itaque eſt, alvum clyſtere infuſo vel aliis inſontibus laxantibus aperire aut purgationem plane differre in tempus dolore vel febre vacuum. Qua de re præclare ſcribit HIPPOCRATES *in Libr. de Purgantibus* §. 4. Quicunque a febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerint. & §. 5. inquit: ſi quem purgare opus ſit, inſuſum per clyſterem adhibere potes, quotiescunque volueris.

§. CXLIII.

Errant qui infantibus in dolore & dentitione difficili alvum acribus purgantibus datis movent.

Ex hiſce etiam intelligi poteſt, quam graviter illi Medici delinquant, qui, quando infantibus ex dolore vel difficili dentitione alvus conſtringitur, eam acribus purgantibus datis movere intendunt, cum nihil aliud efficiant, quam quod ad majores commotiones febriles & convulſiones nervorum ſyſtema diſponant.

§. CXLIV.

Error eſt quod in nulla febre præſertim acuta continua exanthematica alvum aperire nolint Medici.

E contrario vero & plures Medicorum in eo ſummopere delinquere ſolent, quod in nulla fere febre, præſertim acuta continua exanthematica, ut varioloſa, morbilloſa & purpurea, alvum aperire velint, adeo, ut in ægris per octo ſæpius dies clauſam relinquant, quo nihil poteſt eſſe pejus; ſiquidem ex coacervata interea temporis colluvie vitioſorum & corruptorum humorum in inteſtinis nova & funeſta ſæpius ſymptomata morbo ſuperveniunt: cujus generis ſunt purpura, delirium, inflammatio faucium & cerebri, capitis dolor & febris augmentum. Potius ſemper eo annitendum eſt, ut alvus in febribus conſervetur aperta; quod vero non præſtari debet per acria purgantia, ſed per clyſteres nitroſos, mannata, tamarindinata, niſi natura in motu ſit conſtituta & conetur aliquid expellere ad corporis habitum. Nam dici vix poteſt, quanta colluvies ſub iſtis febrilibus paroxyſmis in primas vias confluat, quia ipſe ſanguis & benigni humores præternaturali calore reſolvuntur in excrementum ſalſo-bilioſum, quod per hepatis & pancreatis ductus & glanduloſas tunicas ad inteſtina delatum & non evacuatum moram trahendo corrumpitur & novum morbo pabulum ac materiam ſuggerit.

§. CXLV.

Similis quoque error eſt, ſi purgantia in catharris, coryza, febribuſque catharralibus propinantur.

Quod ſupra dictum fuit de febribus & inſultibus febrilibus, quod in paroxyſmo minus locum inveniant purgantia, id quoque valet de catharris, coryza & febribus catharroſis & commotionibus aliis, quibus per certa emunctoria aliquid excernitur. Hoc tempore etiam minus expedit, purgans exhibere & motus naturæ partim turbare, partim intendere, neque etiam purgantia & laxantia facile tunc temporis, quo febrilis adeſt commotio, & omnia ſunt conſtricta in corpore, officium ſuum faciunt. Multominus vero tunc ex minerali regno petita, ut mercurius dulcis & aurum fulmimans, purgantibus admiſceri debent, quia plerumque in catharroſis iſtis febribus ſaburra quædam acido-ſalſa in ventriculo reperitur,

peritur, cujus admixtione mercurialia remedia corroſivam & cauſticam indolem acquirunt. Si vero alvus laxanda eſt in præſentibus caſibus, tutiſſime id fieri poteſt per clyſteres, mannata, caſſiam & rhabarbarum.

§. CXLVI.

De errore eorum, qui ante venæ ſectionem corpus fortiter purgant.

Tandem neque is error prætereundus eſt, quem plures in praxi admittunt, dum ante ſanguinis e vena miſſionem corpus fortiter purgare ſolent & quidem maxime hanc ob rationem, ne cruditates primarum viarum emiſſo ſanguine reſorbeantur & ad ſanguinem deferantur. Verum dici vix poteſt, quantum noxæ & detrimenti inde capere queant plethorici, ſi ante ſanguinis e vena miſſionem corpus validioribus purgantibus exagitatur, multo magis adhuc emeticis. Nam cum hæc remedia multos ſpaſmos in prima regione inque toto corpore efficiant, non aliter fieri poteſt, quam ut ſanguis in vaſis redundans magna cum vehementia ad hæc vel illa loca, præſertim ad pectus vel caput pellatur, quo in caſu pectoris oppreſſiones, animi deliquia, ſummas anxietates, tumores, vertiginem, apoplexiam, immo paralyſin efficere poteſt. Illud tamen certum eſt, quod ſemper præſtet, ante ſectionem venæ alvum habere apertam, immo utiliſſimum eſt, ut prima regio laxante remedio a ſordibus ibi hærentibus prius liberetur, eapropter quod omnis venæſectio ventriculi vim quodammodo debilitet, quo magis ventriculi cruditates augentur. Has itaque prius eliminare, utique convenientiſſimum eſt.

§. CXLVII.

Error eſt, ſi ante venæſectionem vel primarum viarum evacuationem ſudorifera validiora cum calido regimine dentur.

Eadem ratione ingens quoque notari meretur hic error, qui committitur per remedia ſudorifera validiora & cum calido regimine data, ſi nempe in repletis & plethoricis corporibus ante venæſectionem vel primarum viarum evacuationem in paulo majori doſi exhibentur. Innumerabilia enim mala ſunt, quæ inde exſurgunt. Vidimus cacochymicos exinde præcipitatos in apoplexiam, paralyſin, guttam ſerenam, catarrhum ſuffocativum, languorem univerſi corporis, cordis palpitationem, horrendas cephalalgias, affectus ſoporoſos & memoriæ abolitionem. Ratio hujus rei eſt facilis, ſiquidem ſudorifera calidiora motu exagitant ſanguinis & humorum maſſam & orgaſmum in ipſis efficiunt, unde ſanguis vel alius humor congeritur vel in pectore vel in capite, inque eo facile ſeceſſio ſeri & ſanguinis fit, unde affectus memorati capitis procreantur. Accedit & illud, quod ſudoriferis alvus claudatur & corruptæ acidæ bilioſæ ſordes prima in regione reſidentes, quæ debilitant, in habitum corporis non ſine ſumma noxa transferantur. Idem monitum valet de Hydropicis & Cachecticis, quando vel per balnea laconica vel interna data ſudorifera exſuperans humidum extrahere intendimus, quod certe minus feliciter contingit, quoniam graviora ſymptomata conſequi ſolent. Longe itaque conſultius eſt, ante uſum ſudoriferorum validorum curam adhibere, ut prius exſuperans ſanguis per venæſectionem detrahatur & corpus vitioſo ac copioſo ſero per convenientem evacuationem depleatur & humores fluxiles reddantur.

§. CXLVIII.

De errore circa Diureticorum uſum.

Quod de ſudoriferis jam monitum fuit, id etiam valet de diureticis ſeu urinam moventibus validioribus, quæ nunquam plethoricis & repletis, ubi primæ viæ colluvie humorum ſcatent, ante purgationem vel ſanguinis miſſionem facile dari debent, niſi dolores capitis & lumborum gravativos & renum inflammationes excitare, immo ipſos renes ad calculum diſponere velint.

§. CXLIX.

De erroribus circa uſum mercurialium.

Denique & circa ſalivationem movendam per mercurialia aut intus aut extus uſurpata notari etiam meretur error non levis momenti, dum quidam nimis celeriter ſtatim in principio auctiori mercurialis remedii doſi eam movere moliuntur, quo fine mercurium dulcem ſingulis diebus ad ſcrupulum unum vel etiam ultra propinant, & unguentis ſimul utuntur quæ mercurium habent, quibus artus & ſpinam dorſi ungere ſolent. Sed quam gravis inde ſæpius ſequatur noxa ex tam præcipiti ac violenta tractatione in quibuſdam ſubjectis, dici vix poteſt, ſiquidem ſi ulla cura vel ulla medicina prudentiam Medici & diſcrimen corporum deſiderat, certe eſt cura per mercurium & mercuriale remedium, quia nempe experientiæ certæ fide didicimus, mirifice mercurialium effectus pro diverſa corporum indole, ratione roboris, imbecillitatis, ſenſibilitatis, diſpoſitionis & proclivitatis ad ſpaſmos, & pro diverſa humorum in primis viis & ſanguinis conditione effectus ac operationes variare, ſiquidem in quibuſdam brevi tempore lymphaticus humor movetur & pellitur ad caput ejuſque loca glanduloſa exhibitione perpaucorum mercurialium; in quibuſdam vero tardius id procedit, præſertim in robuſtis & melancholicis, niſi prius humores præparentur. Periculum itaque eſt, ſi cum violentia urgeatur lympha ad caput, ne ibi vehementia ſymptomata & perniciales effectus excitet. Mire enim intumeſcere ſolet caput, lingua, os, fauces, & glandulæ tumore & humore turgent, dentes vacillant, gingivæ incipiunt putreſcere, perpetuo ſtillat ſaliva fœtida ex ore, nulla adeſt appetentia, nullus ſomnus, ingens virium collapſus, externorum refrigeratio, neque tam cito hiſce malis ſuccurrendi datur locus atque occaſio. Nota ſunt exempla, ubi paralyſes, ſcotomiæ, hemiplexiæ, & apoplexiæ lethales inde exortæ fuerunt.

Ut itaque tuti ab ejuſmodi periculis ſimus, neque quicquam detrimenti iis, qui noſtræ fidei ſeſe commiſerunt, inferamus, quædam cautelæ eximii uſus atque utilitatis obſervari debent. Nunquam enim

1) hoc remedii genus aggredi debemus niſi corpore prius bene præparato, hoc eſt, demta plethora, evacuatis ex prima regione ſordibus & humoribus redditis fluxilibus atque temperatis, quod optime per balnea, decocta emollientia & diaphoretica perficitur,

2) ſemper conſultius eſt, paucam doſin mercurialis medicamenti v. g. gr. iij. vel iv. mercurii dulcis bene præparati, vel in forma pilularum vel pulveris cum lapidibus cancrorum exhibere mane per aliquot dies & ſimul

decoctum

decoctum ſudoriferum temperatum tam ad ordinarium potum quam mane ad ſudorem movendum exhibere; & diætam convenientem & ſalubrem moderatam & parcam ordinare, ita futurum eſt, ut ſalivatio præſertim in diſpoſitis ſuccedat, quæ poſtea pro arbitrio & lubitu vel augeri vel minui poteſt, vel, ſi non ſuccedat, tamen curetur æger, quia rebellis gallica lues etiam ſine ſalivatione per mercurialia ſeu ſudorifera quam commodiſſime expugnari poteſt, modo tunc id animadvertatur. Si enim mercurius renuit ſalivam movere, eo reſpiciendum eſt, ut ſudor magis eliciatur, neque ille ullo modo ſiſtatur, hinc præſtat tunc nunquam corpus aeri præſertim frigido exponere, neque niſi calide bibere, qua ratione tum ſudoriferi tum mercurialis remedii virtute tenaces & viſcidi humores ſolvuntur, liquantur, obſtructiones glandularum reſerantur & putridum & corruptum per poros cutis ejicitur.

DE ERRORIBUS SPECIALIORIBUS, *in Praxi Vulgari Medica.*

§. CL.

De erroribus circa uſum calidiorum in peſte.

Nullus facile vitæ infenſior ipſa peſte datur morbus, quippe qui brevi tempore omnis generis homines, nulla habita ratione ſexus, temperamentorum, virium & imbecillitatis adoritur & maximam ſtragem edit. Nihilominus pauci ex Medicis ſunt, qui ejus genium recte cognoſcunt, & quomodo tractari debeat, intelligunt. Unice vero in ea illorum cura conſiſtit, ut fortioribus ſudoriferis, quæ alexipharmaca vocant, tenue, quod per aërem ſuſceperunt, venenum e corpore citiſſime expellant, quin immo in toto morbi decurſu id in curatione intendunt, ut venenum a corde & vitalibus partibus depellatur. Tametſi vero hæc intentio optima & laudanda ſit, attamen inventio ea, qua per calidiora miaſma peſtilentiale expellere conantur, minime approbanda eſt. Primo enim experientia optima rerum magiſtra docet, hiſce alexipharmacis, tantopere uſque ad cœlum ſublatis, nil profici & præſtari, ſed attenta obſervatio docet, omnibus calidioribus vehementiam mali exacerbari non ſine ingenti vitæ periculo. Neque diſſentit hic ratio, nam quandocunque miaſma peſtilentiale, tenuiſſimæ certe naturæ, nuptum fuerit & intime immixtum ſuccis vitalibus ac membranoſis ac nervoſis partibus inhæreat, non vi, non impetu, non calore, non celeriori & rapidiori ſanguinis motu poteſt expelli, ſed certo hic opus eſt tempore & moderatione motuum, qua optime ſecretiones & excretiones procedunt. Et hoc naturæ negotium eſt & Medicus certe eo in caſu vehementia ſua plus obeſt quam prodeſt. Exſpectandum itaque tempus eſt, quo natura id facit, quæ temperatis leniter adjuvanda eſt, unde omnia illa alexipharmaca, ut tincturæ bezoardicæ, ſpiritus bezoardici volatiles, ut ſpiritus cornu cervi, eboris, viperarum & eſſentiæ alexipharmacæ, camphorata & electuaria alexipharmaca variæ compoſitionis antidotorum nomine ſplendentia certe nullius ſunt uſus & plane ex peſtilentiali praxi quoad uſum debent excludi. Hunc errorem jam dudum annotarunt FRACASTORIUS, THONERUS, SYLVIUS aliique. Potius Medicus, ſi quid arte præſtare in difficillimo hoc morbo velit, eo allaborare debet, ut venenum mediante ſaliva in ventriculum admiſſum ſuffocetur, ſeu in prima, ut ajunt, herba juguletur vel mox expellatur. Priori intentioni ſatisfaciunt optime acida, quæ putredinoſæ miaſmatis peſtilentialis indoli plus reſiſtunt quam ulla alia, vel hoc miaſma emetico cum aceto bezoardico mixto ociſſime expelli debet. Si vero non datur amplius locus correctioni vel expulſioni per vomitum, tunc ſoli naturæ relinquendum eſt negotium, quod ſaltem diaphoreticis moderatis & fixis, humectantibus, temperantibus & temperato calore eſt adjuvandum.

§. CLI.

De erroribus circa refrigerantia & nitroſa in peſte & febribus malignis nec non exanthematicis.

Denique in peſte, neque minus in omnibus malignis febribus & morbis valde quidam Medicorum delinquere ſolent medicamentis nimium refrigerantibus, præſertim nitroſis, quæ, ubi adeſt inflammatio & intenſus fervor, in febribus utique incredibilem adferunt opem. Sed ubi vires deficiunt, natura admodum eſt inermis, invalida, metus eſt ſphaceli, humorum ſtagnationes ad putredinem vergentes præſto ſunt, vel motu ad habitum corporis aliquid eſt expellendum, præſertim in corporibus phlegmaticis, ſpongioſi habitus, quæ magis præ aliis malignis morbis patent, ibi omnia nitroſa & refrigerantia perencioſiſſima ſunt, quod non ſolum ratio, ſed etiam experientia confirmat. Idem tenendum eſt circa variolas, morbillos, purpuram, petechias, aliaque id genus exanthemata, quæ robore naturæ foras debent expelli, ubi cautiſſime ſunt danda ejuſmodi refrigerantia, niſi maximus æſtus & incendium adſit, temperamentum cholericum vel tempus æſtivum præſens ſit, ubi moderatiori in doſi non ſunt inconvenientia. Hunc errorem maxime notavit RAYGER *in Obſervationibus*, qui in petechialibus febribus & peſte nitrum valde noxium animadvertit.

§. CLII.

De erroribus circa alvi excretionem in febribus acutis præſertim malignis.

Communis quoque & exitialis error multorum Practicorum animos tenet, alvi fluxum in continuis & malignis febribus eſſe peſſimæ notæ ſymptoma, unde in id omni ſtudio allaborare ſolent, ut alvum cohibeant nec ullo modo eam ſtimulent, ſique dejectiones crebriores fieri ſolent, protinus adſtringentibus, alexipharmacis & theriacalibus eas ſiſtant. Verum toto cœlo errant atque falluntur, & dici vix poteſt, quantum detrimenti accedat ægrotantibus hac perverſa tractatione, quinimmo, ſi circa tempora critica alvus laxior vi ſuppreſſa fuerit, mortem inde productam eſſe animadvertimus. Nititur hæc praxis falſa hypotheſi ſeu fundamento, quo nempe malignitatis natura in ſubtili putredine ponitur, quæ non per alvum ſed per habitum corporis debeat eliminari, hinc omnem frequentiorem alvum credunt pernitialem & ſympromaticam. Verum enim vero, tametſi malignorum contagioſorum morborum origo & prima cauſa ſit utique miaſma tenuiſſimum ſummæ activitatis & effectus putredinoſi, nihilominus tamen

men cum per putredinem, quam humoribus inducit, hi ipſi in varii generis excrementa, & non tantum tenuia ſed etiam craſſa, pinguia, viſcida & bilioſa reſolvantur, quæ per ductus biliarios & glandulosos deſcendunt ad inteſtina, hinc natura non tantum per habitum corporis, ſed etiam per inferiores partes a fæculentis & craſſis ſordibus ſe purgare ſolet & debet, quapropter alvi fluxus præſertim per dies criticos nunquam ſunt ſiſtendi, ſed ſi forte nimii ſint ac vires exhauriant, non alia niſi roborantia, maxime extrinſecus admota, locum inveniunt. Oſtendit quoque experientia, in peſte inque malignis petechialibus febribus ſalutares eſſe hoſce alvi fluxus, & morbum ſolvere, ſicuti id fuſius demonſtravimus *in Diſſertatione noſtra de Diarrhœa in febribus malignis ſalutari.*

§. CLIII.

Error eſt, quod in variolis & morbillis omnis alvi fluxus ſit pernitialis.

Similis naturæ quoque eſt is error, qui multorum animos invaſit, quod in variolis & morbillis omnis alvi fluxus ſit pernitialis. Experientia certe contrarium loquitur, & præſertim docet, quod infantes alvi fluxu laborent citra omnem noxam. In eo tamen differentia eſt notanda, quod ſcilicet, ſi tempore eo, quo natura debet ad habitum corporis peccantem materiam ablegare, alvi creber fluxus fiat cum virium proſtratione & extremorum frigore, tum in juvenili præſertim corpore ejuſmodi fluxus utique noxius ſit & inflammationem plerumque primarum viarum indicet; poſt expulſionem vero variolarum vel morbillorum in pituitoſis & laxioribus alvus laxa potius ſaluti quam detrimento ſit. Quod ſi vero alvi fluxus in ejuſmodi morbis nimii fuerint & ſupra modum vires exhauſerint, non aliud remedium quam alexipharmacum & theriacale adhibendum eſt, nunquam vero vi alvus debet ſiſti ac compeſci. Errant itaque & falluntur quoque ii Medici, qui declinante morbo & apparente ſolutione ejus per alvinas excretiones nolunt alvum per ſtimulantia movere, metu, ne vires exhauriant, cum tamen nulla medicina, certe in omni febris ſpecie, quando declinat & criſis per alvum adeſt, convenientior ſit quam per innocens laxans inſtituta alvi ductio; eam nempe ob rationem, quia ipſa febre ejuſque inteſtino calido motu copioſiſſimæ ſordes excrementitiæ bilioſæ & viſcidæ, quæ per ſedes evacuari debent, ſunt generatæ, & laxantia naturam magno onere liberant, immo corpus a novo propullulante morbo vindicant.

§. CLIV.

[D]e errore [ci]rca uſum [j]ſcu orū [n]utrientiū [i]n febri[bu]s, præ[ſert]im [m]alignis.

In febribus acutis & præſertim malignis committi ſolet frequentius magnus error, quod non tantum a vulgo, ſed etiam a Medicis juſcula nutrientia & reſtaurativa in ipſo morbo ejuſque vigore, vel etiam in ejus declinatione offerantur, ea intentione, ut vires exhauſtæ hoc modo reſtaurentur, quibus tamen mirum in modum nocere ſolent ipſis ægrotantibus, ſiquidem attenta atteſtatur obſervatio, quod, in declinatione ſi fuerint ægri & ventriculos ejuſmodi alimentorum copia onerent, non modo recidivæ fiant, ſed etiam ipſi morbi evadant periculoſiores & ipſa ſymptomata conquieſcentia de novo reſuſcitentur & exacerbentur. Prudentiores in hiſce fuerunt Veteres, & inprimis magnus noſter HIPPOCRATES, qui non tantum in *Libro ſuo de Victu Acutorum*, ſed etiam paſſim in aliis, quæ nobis reliquit, monumentis ſerio & cum magna cura id inculcat, ne febre acuta laborantibus præſertim in vigore victus craſſus ſed potius tenuiſſimus exhibeatur, idque in omni febrium genere, & etiam in intermittentibus febribus commendat. Ratio quoque eſt facilis: nam quando magna adeſt impuritas in corpore ac primis viis, contracta etiam ipſo in morbo, quæ debet excerni, tunc nutrimentum potius in excrementum vertitur, & nihil prodeſt corpori recte ſentiente HIPPOCRATE, qui dicit: *Corpora impura, quo magis nutriveris, eo magis læſeris.* Deinde etiam ipſa natura imbecillior a morbo facta non poteſt hoc alimentum digerere, ſubigere & excernere, præſertim ſi morbus eſt in vigore conſtitutus, hinc neceſſe eſt ut potius in excrementum & fomentum morbi convertatur. Potius perpetuo & omni tempore ratione alimentorum aſſumtorum hæc regula valet & valere debet, quod ſecundum vires corporis copia alimentorum ſit æſtimanda, hinc viribus deficientibus tenuiſſimus victus adminiſtrandus eſt, minime vero craſſus.

§. CLV.

De erroribus circa uſum decoctorum ex cornu cervi in febribus.

Tandem & hoc loco etiam monendum eſt, quod is modus admodum familiaris decoctum ex cornu cervi vel ejus gelatinam in nimis larga quantitate febricitantibus præbendi non adeo conveniens vel utilis ſit; quia nempe multum gelatinæ alimentoſæ ejuſmodi decocta complectuntur, quæ in febrili ſtatu minus utilis eſt, ut potius, cum omnia, quæ ex animantibus ſumta ſunt, facile in corpore putreſcant, exinde in febribus & morbis malignis ingens humorum ad putredinem fiat diſpoſitio. Hæc omnia igitur liberaliori manu data magis nocent quam proſunt, præſertim in febribus malignis, & hinc longe conſultius eſt, in omnibus febribus ab omnibus alimentoſis & nutrientibus, præſertim ex regno animali ſumtis, ut carne ovis, & pinguibus abſtinere, & potius præbere decocta v. g. hordei & radicis ſcorzoneræ, quæ cum ſucco citri, ſyrupo acetoſitatis citri, vel berberum, & pauca quantitate vini ad reſuſcitandas vires commiſceri poſſunt. Nonnulli ad aquas corrigendas adjicere ſolent cornu cervi uſtum, bolum Armenam vel terram ſigillatam, & cum his coquunt aquam, ut ſubtilior evadat, quod conſilium non eſt ſpernendum.

§. CLVI.

De errore magno, qui committitur in retinendo ægros in ſitu erecto.

Ultimo loco in curanda febre omnis generis acuta, præſertim maligna, ſingularis occurrit notanda circumſtantia, quam pauci attendunt & ob id mirum quantum ægrotantibus nocent, immo in vitæ diſcrimen eos conjiciunt, eaque hæc eſt, quod interdum hiſce morbis afflictos nimis diu in ſitu erecto & perpendiculari retineant & relinquant, quo fit, ut mox pejus ſe habeant & viribus collapſis omnia eant in præcipiti, animus incipiat deficere, corporis extrema refrigeſcant, exanthemata, ſi adſunt, mox retrocedant

&

& totus ſtatus morbi mutetur, quæ omnia a nulla alia cauſa, quam ab hoc erecto ſitu dependent, & ratio hujus rei eſt in procinctu. Nam languescente cordis robore ſanguis non poteſt in linea recta ad caput debita in quantitate pelli, & hoc longe facilius fit ſub ſitu corporis horizontali, unde cerebrum copia ſanguinis ſufficienti deſtitutum non præparat in ſufficienti quantitate fluidum nerveum, quo magis adhuc cordis vis ac robur debilitatur, ſicque lipothymia evenit, unde extrema refrigeſcunt, cortex cutis conſtringitur, motus naturæ a centro ad circumferentiam turbatur ac plane invertitur, adeoque ingens periculum imminet, quod etiam jam olim HIPPOCRATES prævidit, dum paſſim in ſuis ſcriptis diuturnum ſitum erectum damnat.

§. CLVII.

De errore circa uſum expellentium in variolis & morbillis.

Quod attinet ad variolarum & morbillorum tractationem, rejiciendi hic ſunt communes perverſi hos ægros tractandi modi, quorum præcipuus eſt, quod ante tempus eruptionis non tantum nimis calido regimine externo, ſed etiam internis expellentibus calidis ægros fatigent & materiam peccantem vi, &, antequam matura & cocta fuerit, foras expellere allaborent. Quam male autem & inauſpicato hæc res cedat, quotidiana teſtatur experientia, ſiquidem maculæ, ſi ante conveniens tempus violentia hac erumpunt, non diu perſiſtunt, ſed mox ad interiora retrocedunt leviſſima accedente cauſa, in aliis vero, præſertim calidioribus ſubjectis, ingentes anxietates & inquietudines, in infantibus epilepſiæ & convulſiones ſuſcitantur non levi cum vitæ periculo. Alia itaque potius ineunda eſt curandi via, &, quoniam natura primis diebus in hiſce morbis in vehementi commotione ſolet eſſe conſtituta, potius quæ placant effrænem motum, temperant acrimoniam, & blandam movent diaphoreſin, propinanda ſunt, rejectis omnibus internis & externis calidioribus: ita circa quartum diem ſua ſponte feliciter prodeunt exanthemata. Quadrant huc Aphoriſmi omni laude ſuperiores HIPPOCRATIS ex *Sect. I.* Ubi morbus eſt in vigore, nihil eſt movendum, porro, concocta & non cruda movenda ſunt.

§. CLVIII.

De errore circa uſum myrrhatorum in febribus exanthematicis & neglectum laxantium in declinatione harum febrium, & diaphoreſeos poſt morbum ſuperatũ.

Peccare quoque communiter in praxi ſolent hic medicamentis myrrhatis, præſertim in formam liquidam redactis. Sunt enim, qui myrrham ceu ſpecificum variolarum miris encomiis ornant, ſed certe ejus uſum ſerio diſſuadeo præſertim in eo caſu dare, ubi natura eſt in motu. Cæterum in declinatione & exulceratione jam peracta utiliſſimam hæc balſamica collocant operam. Notum enim eſt, quam graviter ſucci poſt iſtos morbos corrupti ſint vappeſcentia & aceſcentia contracta, unde non modo viſcera gravem labem ſæpiſſime inde patiuntur, ſed etiam maligna ulcera hinc inde in corpore propullulant, præſertim, quando poſt morbum non purgata fuerit prima regio vel nimis cito frigori corpora exponuntur & victu crudo ventriculus oneratur.

Peſſimus vero error eſt, quando declinante morbo variolarum ac morbillorum prima regio convenienti remedio non evacuatur & quidem reiteratis vicibus, quandoquidem plures ipſo in morbo ibi accumulantur ſordes, neque minus poſt morbum corpore & ventriculo adhuc debili, ſi ingeritur alimentorum copia, fit colluvies vitioſorum humorum, qui quando mora corrumpuntur & abeunt ad ſanguinem, varii generis mala inferunt, & maxime in pulmonibus poſt morbillos infarctus fiunt ſanguinis & humorum, unde catarrhi ſuffocativi fiunt.

Præterea illud quoque obſervandum eſt, quod finito morbo corpus in libera perſpiratione relinquendum, neque aëri facile exponendum ſit, quia hac ratione acres decubitus ſeri in oculos & artus & exulcerationes factæ fuerunt.

§. CLIX.

De errore circa uſum refrigerantium in febribus lentis.

In curatione febrium lentarum non exiguus quoque committi ſolet a Practicis error, quod ordinario inteſtinum & lentum calorem, qui vires & corpus conſumit, refrigerantibus, humectantibus, atque nitroſis expugnare allaborent, quin immo nonnulli eo dementiæ procedant, ut ſaccharum ſaturni & tincturam antiphthiſicam Garmanni ad hecticam curandam propinent. Verum enim vero multi Medici neſciunt cauſam hujus febris neque ejus ſedem cognitam atque perſpectam habent, ſiquidem interdum nihil aliud eſt quam colluvies corruptorum humorum primis in viis reſidentium, quibus clementi emetico vel laxante, ſubjunctis roborantibus & ſtomachicis, decenter evacuatis protinus & omnis calor & omnia juncta ſymptomata fere remittunt & recte data medicina penitus conquieſcunt.

§. CLX.

De erroribus, qui committi ſolent circa uſum adſtringentium in febrium intermittentium curatione.

In curatione febrium intermittentium quam graviter Medici in medendi methodo communiter delinquant, ad experientiam provocamus, qua conſtat, curatos a febre vel in peſſimas recidivas incidere, vel morbos longos & graves experiri, qui ſæpiſſime etiam occidere ſolent. Peccant vero maxime in eo, quod ſine habita ratione cauſarum vel morbi vel etiam corporum, quæ, uti notum eſt, mirum in modum inter ſe differunt, ſine evacuatione præcedente ſordium excrementitiarum protinus ad ſpecifica quædam febrifuga, ut corticem chinæ, caſcarillæ, aluminoſa, radicem tormentillæ, corticem fraxini, crocos martiales, & abſorbentia terrea fixa confugiant, quibus majori etiam in doſi, quam par eſt, & per longum tempus etiam propinatis impetus febris, quin ex toto febris quieſcit, ſed plerumque ad tempus, & poſtea graviori cum periculo revertitur, aut, ſi hoc non accidit, peſſimi ſequuntur morbi, ut ſunt febres lentæ, tumores pedum, hydropes, cachexiæ, motiones convulſivæ, affectus ſpaſmodici & flatulento-hypochondriaci, idque genus alia mala plura. Ratio eſt in proclivi, ſiquidem in febre, niſi cauſa, ſive ea conſiſtat in qualitate ſive quantitate nocente, quæ naturam ad motum febrilem provocat, tollatur & e corpore expellatur, nuſquam ſecura poteſt eſſe curatio. Deinde, quod prope notandum eſt, ſub ipſis febrilibus paroxyſmis & commotionibus humores ac ſanguis in ſuccos excrementitios, acres & viſcidos reſolvuntur, quod patet

patet ex copioſo ſudore, alvi fluxu bilioſo, urina craſſa rubicunda cum ſedimento & corporis conſumtione. Quod ſi itaque hæc excrementa neque natura debite per emunctoria excernit, neque Medicus hunc neglectum compenſat, ſed potius adſtringentibus utitur, non poteſt aliter fieri, quam ut a materia peccante, quæ febrem primo concitavit & quæ poſtea eam fovet & ſuſtinet, remanente ſolidis ac fluidis partibus graves noxæ & damna inferantur. Nil tunc melius eſt, imo optimum eſt & fortunæ res, ſi febris reverti tur; alias materia retenta & impacta ſolidis partibus & viſceribus longas & periculoſas ægritudines excludit.

§. CLXI.

)e noxa dſtrin- entium n febrium ntermit- entium uratione.

Quod de cortice chinæ aliiſque allegatis adſtringentibus diximus, hoc in genere de omnibus omnino adſtringentibus eorumque uſu in curandis ſeu potius ſupprimendis intermittentium febrium paroxyſmis valet, quod videlicet rarius ſine periculo exhibeantur, vel ſummam Medici prudentiam deſiderent; ſiquidem ea eſt adſtringentium natura vis atque potentia, ut in ſolidas non minus ac fluidas partes agant & adſtringente medicamento ſumpto univerſum ſolidorum ſyſtema conſenſu quaſi univerſali & mutuo facto afficiatur, unde dependet ratio, quare adſtringens in diſſitis partibus, v. g. ſi nares vel pulmones corripiuntur nimia hæmorrhagia, protinus operetur. Quapropter in intermittentibus febribus nimis liberali in doſi data adſtringentia minimos canales & ductus, ex quibus viſcera & glanduloſa emunctoria conſtant, coarctant atque occludunt, unde non mirum eſt, quod remanente in corpore ejuſque ſuccis impuritate & viſcoſitate copioſa poſt corticem chinæ & aliorum adſtringentium abuſum tumores, cachexiæ, hydropes, phthiſes, aſthmata, hecticæ & pathemata hypochondriaco-ſpaſmodica, quæ omnia a viſcerum obſtructione dependent, progignantur.

§. CLXII.

1dſtrin- entium & craſſi- orum a- iorum re- mediorum uſus in uartana alde no- ius eſt & d ejus cu- ationem equirun- tur ape- ientia & eſolven- ia.

In nulla vero intermittente febre periculoſior eſt adſtringentium uſus quam in quartana, quia hæc ipſa plerumque labem in viſceribus, obſtructionem nempe & humorum tenacitatem pro cauſa agnoſcit; hinc etiam maxime ſenes, melancholicos, duro victui adſuetos, item autumnali tempore adoriri ſolet, & raro autumno vel hyeme ſolvitur, ſed potius æſtate, qua humorum fit colliquatio, fuſio & ſubtiliatio, finitur. Illi igitur etiam Medici peccant, qui ad profligandam hanc pertinacem febrem martialibus, fortioribus purgantibus, emeticis, & maſſam ſanguinis exagitantibus ſudoriferis vel etiam opiatis utuntur, ſed potius ipſa ratio ſuadet & experientia confirmat, quod, ſi velimus tuto & feliciter hujus febris contumaciam debellare, id aperientibus, incidentibus, obſtructiones reſerantibus, & viſcidos humores reſolventibus perficere debeamus. Circa hoc vero negotium notanda venit generalis practica regula, quod, ſi velimus veteres obſtructiones reſolvere & totam humorum maſſam viſcidam corrigere, non vi, non impetu, ſed blande, ſucceſſive, paulatim & longiori tempore id præſtandum ſit, qua methodo etiam rebelles inveteratas ægritudines expugnare poſſumus luis venereæ exemplo. Neque vero datur felicior ſecundum noſtram experientiam methodus curandi quartanas, quam per mercurialia rite præparata & decenter adhibita cum decocto & balneis humectantibus, quæ in nonnullis ſalivationem movendo non modo citra periculum, ſed certe effectu cum laudabili febri expugnandæ inſerviunt, in quibuſdam vero præſertim, ſi recenter fuerint præparata, citra ſalivationem id præſtant.

§. CLXIII.

De errore circa uſum calidorum in purpura & legitima ei medendi ratione.

Purpura alba eſt febris exanthematica olim fere incognita, ſed noſtris temporibus in quibuſdam Germaniæ locis, ubi homines delicatiori & molliori victui dediti ſunt nec ſalubribus aquis utuntur, admodum frequens. Videtur ſuam originem trahere ex lymphæ corruptiva quadam diatheſi ac primarum viarum impuritate, quæ aliis acutis febribus, præſertim ſi alvus diutius fuerit clauſa, facile ſupervenit. Hæc lympha impura & corrupta naturæ robore foras propulſa puſtulas profert albas & inſtar ſeminis milii apparentes. Præcedere ſolet eruptionem exanthematum plerumque ingens præcordiorum anxietas, inquietudo, vigilia, virium defectus & vehemens corporis æſtus, & ſi hæc exanthemata retrocedunt, quod quam facile variis ex cauſis evenit, eadem imo pejora ſymptomata ſuperveniunt & vitæ exitium minantur. Hoc in morbo vulgari methodo ſic procedere ſolent Medici, ut bezoardica, volatilia & ſic dicta alexipharmaca propinent cum regimine calido ſudorifero, quo materia virulenta foras eliminetur, &, ne regrediatur, calidis lectis & hypocauſtis ægrotantes includi jubeant, neque unquam alvum lubricam ſuadent, metu ne virus intus regrediatur. Verum enim vero quam perverſa hæc methodus tractandi hanc febrem ſit, vel ex eo conſtat, quod pauci evadant, ſed potius hoc morbo pereant. E contrario certa & hucuſque conſtanti experientia a ſolertioribus Practicorum notatum fuit, non præſentius hac in febre auxilii genus eſſe, quam in temperatis & fixioribus diaphoreticis & ſic dictis bezoardicis pulveribus nec non humectantibus decoctis cum regimine temperate calido porrectis, non neglectis, præſertim ſtatim in principio, iis quæ alvam lubricam ſervant, ut clyſteribus & aliis laxativis, qua methodo per Dei gratiam jam efficitur ut plerique ſerventur & pauci pereant. Neque hæc methodus ratione deſtituitur, ſiquidem putrida materia lymphæ & ſanguini immixta per nimium calorem & agitationem longe agilior redditur, humoribus intimius admiſcetur, neque tam promte rurſus ab iis ſeparatur & foras propellitur; quin potius, ſi propulſa ſic fuerit, leviſſima ex cauſa ob ſummam, qua prædita eſt, mobilitatem regreditur & priora repetit ſua veſtigia. Conſultius itaque eſt, talia adhibere, quæ putredini ſunt adverſa,

verſa, eam corrigunt, partes tenues acres ſulphureas coercent & roborando partium tonum materiam peccantem blande & ſucceſſive expellunt, &, quoniam cauſa hujus morbi plerumque latitat in primis viis, hinc nihil eſt præſentius, quam eas convenienti medicina prima ſtatim morbi acceſſione purgare, eam maxime ob cauſam, quod hic morbus ob diutius clauſam alvum morbis aliis acutis, præſertim puerperarum morbis, atque impuritatem putridam exinde enatam ſuperveniat. Expedit eum in finem uti vel clyſteribus vel infuſis laxantibus ex rhabarbaro, manna, foliis ſennæ, tartaro ſolubili vel cremore tartari. Eadem etiam methodus commendanda eſt, ut ſupra jam innuimus, in omnibus acutis febribus, inflammationibus, & aliis morbis, ubi natura ad habitum corporis critico motu quippiam ſecernere nititur, ſicuti in variolis & morbillis id accidit, ut ſcilicet lente procedamus, ſicque ab omnibus calidis, exagitantibus, ſudoriferis, & acribus abſtineamus, ſed bezoardicis fixis, leniter laxantibus, humectantibus & temperatis totum curationis negotium abſolvamus, & rem potiſſimum naturæ ac tempori relinquamus; ita feliciſſime Dei gratia adjuti optato fine potimur.

§. CLXIV.

De errore circa uſum largum acidorum, nitroſorū & aliorū refrigerantium in febribus acutis.

Præterea in morbis acutis, cujuſcunque generis fuerint, taxanda adhuc communis, ſed peſſima quorundam methodus eſt, qua nimis liberales ſunt in exhibendis nitroſis, acidis & nimium refrigerantibus, ſiquidem nitroſa, ubi malignitas in corpore adeſt, putredo nempe ex ſphacelo, vel etiam inflammatio in ventriculo, valde nocent; cum potius ibi diaphoretica & a centro ad circumferentiam pellentia ſint adhibenda; nimium vero acida & refrigerantia nocent præſertim circa tempora critica, ubi acrimonia eſt in primis viis vel ſanguine, vel viſcera ſunt inflammata, & tuſſis adeſt, tam propter irritationem partium nervoſarum, quam propter nimiam coagulationem, quam humoribus inducunt, unde cum acidis cautius mercandum eſſe in his morbis ſuademus. Poſſunt vero ea in moderatiori doſi admitti in febribus ardentibus bilioſis, corporibus cholericis, vino deditis, tempore æſtibo, & ubi ſitis inexplebilis & calor vehemens ægros affligit. Inter acida primas vero tenet partes acidum ex pomis citri ſumtum cum decocto hordei, avenaceo vel cornu cervi propinatum; ſpiritus enim illi addi minerales, ut ſpiritus vitrioli, nitri & ſalis, propter penetrantiorem acrimoniam partes nimis vehementer afficiunt.

§. CLXIV. *

De erroribus, qui committuntur in curatione hæmorrhagiarū aliarumque excretionum per adſtringentia & damnis exinde oriundis.

Quod attinet ad hæmorrhagias earumque curationem, non leves quoque hic committi ſolent errores uſu adſtringentium & ſtypticorum, quibus ſanguinis impetum reprimere & coercere moliuntur, ſed quam infauſto id fiat effectu, experientia edocemur, ſiquidem quando horum uſu ſanguis in motu ſiſtitur, protinus in hac parte, per quam ſanguinis copia fertur, a ſanguine ibi infarcto & coagulato ingens noxa paratur. Teſtantur id ſuo exemplo hæmoptici, quibus infelix exhibitio adſtringentium reſpirationis difficultatem, pectoris anguſtiam & poſtea ipſam phthiſin contrahit, niſi natura ſuccurratur medicina. Si nimius menſium fluxus celeriter ſiſtitur ac cohibetur, plurima incommoda ſubſequi ſolent; vel enim menſes ex toto ſupprimuntur, vel fluor albus, varia ulcera, inflammationes cum hectica febre, tumores abdominis & uteri, cachexiæ & varia ſpaſtica hyſterico-hypochondriaca pathemata oriuntur. Idem fit, ſi nimia ſanguis per anum profuſio violentia quadam ſiſtitur; protinus enim tumores pedum & abdominis, cachexiæ vel in junioribus pathemata ſpaſmodico-hypochondriaca ſubnaſcuntur. Neque minus periculum exſpectandum eſt a narium hæmorrhagia nimis propere adſtringentibus & internis & externis cohibita; inde autem fiunt cephalalgiæ, dolores capitis gravativi, in quibuſdam etiam apoplexiæ, vertigines, capitis eryſipelata, vel etiam aſthmata, ſcotomiæ, & affectus ſoporoſi. Per adſtringentia vero tam externa quam interna intelligimus & inter hæc maxime vitriolacea, martialia, aluminoſa, tincturam hæmatitæ, ſanguinem draconis, crocos martis, tincturam antiphthiſicam Garmanni, liquorem florum ſalis ammoniaci martialium & id genus alia. His merito ſubjunguntur opiata, quæ itidem in hæmorrhagiis cujuſcunque generis nimiis compeſcendis merito atro carbone notanda ſunt. Id in genere in praxi notandum eſt, non facile majorem quam ab adſtringentium uſu noxam & damnum humanis corporibus inferri. Huc etiam pertinet infelix ille & valde ſolennis noſtris temporibus corticis chinæ abuſus; &, quod jam dictum eſt de hæmorrhagiis, id quoque valet de omnibus alvi fluxibus, præſertim diarrhœis & dyſenteriis, ſi imprudenter & præpoſtere adſtringentibus tractantur & coercentur; nam innumerabilia inde mala propullulant, ſingultus, periculoſæ inflammationes, funeſtæ ſphacelationes aut diuturnæ exulcerationes in inteſtinis ſuſcitantur; vel via inde ſternitur ad morbos longos difficillimæ ſanationis, videlicet ad malum hypochondriacum, ſpaſticas abdominis & medii ventris contractiones, flatulentias perpetuas, cachexias, hydropes, atrophias, phthiſes & omnis generis mala. Ratio vero, quare tam pernicioſa vitæ & ſanitati noſtræ ſint adſtringentia, non eſt adeo difficilis inventu. Quis enim vel anatomiæ fundamentis leviter imbutus ignorat, plurimas corporis noſtri partes internas ipſaque viſcera & glandulas ex congerie innumerabilium minimorum & capillarium vaſculorum componi, quæ quo facilius anguſtantur vel obſtruuntur, eo minus ſuo officio funguntur, neque ſecernunt vel excernunt illud, quod debebant, unde magnæ impuritates in ſanguinem & ſuccos redundant, & cum paulatim obſtructiones, quæ in minimis vaſis incipiunt, in majoribus incrementum capiant, evenit, ut viſcera indurentur, in ſcirrhos abeant, atque hac ratione chronici iſti morbi, qui pro fundamento ſemper habent obſtructiones & indurationes viſcerum, teſtantibus id ſectionibus, oborian-

oboriantur, ſiquidem phthiſis & aſthma a glandulis induratis ſcirrhoſis pulmonum & bronchiorum in exulcerationem deſinentium propullulat; ex glandulis & vaſculis hepatis obſtructis vel induratis fiunt cachexiæ, icterus, hydropes; ex lienis viſcere obſtructo, infarcto & indurato cachexia ſcorbutica, vomitiones cruentæ, atrophiæ & morbus niger; ex glandulis meſenterii induratis & obſtructis nec non pancreatis lentæ & hecticæ febres, abſceſſus meſenterii & atrophiæ propullulant; ex tunicis & glandulis ventriculi & inteſtinorum obſtructis, præſertim, ubi ſimul labem conceperunt viſcera jam dicta, pathemata illa, quæ hypochondriacos affligere & exercere ſolent, oriuntur; uteri vero glandulis & vaſculis obſtructis menſes fiunt imminuti, tumores, ulcera inde naſcuntur & concretiones quoque polypoſæ in uteri vaſis genitæ originem molarum & continuæ abortionis ſuppeditant. In abortu ſolet ordinario maxima ſanguinis profuſio fieri, ut vitæ etiam minetur periculum, & hæc ſolet eſſe eo gravior, quo fœtus eſt immaturior, neque facile ceſſat vel ſiſti poteſt medicamentis niſi prius abortu facto. Idem quoque fit in nimio lochiorum profluvio, quod non prius ceſſat, niſi ſecundinæ totæ fuerint expulſæ, vel earum portio remanens fuerit extracta. Quicunque itaque Medicus ejuſmodi in caſibus adſtringentibus, opiatis vel narcoticis uti vult, is non modo malum reddit deterius; ſed etiam, cum ſumma virium defectio ad lipothymiam uſque a cruore copioſiſſime effuſo fiat, atque hæc vires magis peſſundent atque extinguant, hinc ſummum utique ab horum remediorum uſu vitæ periculum imminet. Et ut verum fateamur, ferme omnis Medici opera atque auxilium his in caſibus eſt ſupervacaneum. Si vero quid opis ſperandum eſt, ab analepticis cum lenioribus adſtringentibus mixtis nec non ligaturis id expectari debet, quæ ventrem comprimendo impetum ſanguinis ad inferiora quodammodo coercent; neque ſine levamine & effectu fuerunt pilulæ Beccheri exhibitæ, quæ in omnibus hæmorrhagiis nimiis uſus ſunt eximii, quoniam tonum viſcerum & partium roborando ſtagnationes & decubitus ſanguinis auferunt, & circulo ſanguinis æqualitatem reſtituunt.

§. CLXV.

De erroribus Medicorum circa uſum adſtringentium in phthiſicis & aliorum remediorũ, quæ vulgo commendantur, uſu in hæmorrhagiis.

Præterea notandus adhuc alius non minoris momenti error venit circa vulnerariorum uſum in affectibus phthiſicis, ubi pulmones ſanguinis infarctu laborant, tuſſi, difficultate reſpirationis, vel etiam hæmoptyſi afficiuntur. Nihil vero ſolennius eſt in praxi Medica vulgari, quam pulmonum vitia ipſamque phthiſin decoctis, quæ herbas vulnerarias recipiunt, ut ſaniculam, hypericum, millefolium, conſolidam ſaracenicam, vincam pervincam, pyrolam, & veronicam, præcavere & curare. Verum enim vero ut ut horum effectus non ſit ſpernendus in vulnerationibus & internarum partium læſionibus, attamen non ſemel obſervatum fuit, ab omnibus adſtringentibus & hiſce quoque vulnerariis majus damnum quam emolumentum conſequutum fuiſſe; ſiquidem in genere ſciendum eſt, nihil eſſe magis inimicum pulmonibus quam adſtringens remedium, ob hanc maxime rationem, quia pulmones ex minimis innumerabilibus vaſculis & glanduloſis tunicis, quæ interna bronchia, & veſiculas pulmonales inveſtiunt, conſtant; unde minima hæc vaſcula & glandularum ductus occluduntur, aër libere pulmonum bronchia ingredi & tranſire nequit, & ſanguis libere per vaſcula ferri non poteſt, quo facto portiones pulmonum abeunt in tubercula & ſcirrhos, quæ ſuccedente tempore abeunt in ulcera maligna vel carcinomata; ex quibus patet, omnia hæc adſtringentia & vulneraria eſſe inutilia, & hæmoptyſin non facilius in phthiſin quam accedente adſtringentium uſu abire. In nimiis atque immoderatis ſanguinis profluviis, quibuſcunque etiam in locis fiant, expedit contra vulgarem practicorum opinionem & præjudicium primas vias per epicraſin laxare, cui ſcopo egregie infuſa laxantia ex rhabarbaro, manna, tamarindis, nitro & foliis ſennæ parata quadrant, vel pilulæ ad Beccheri mentem vel meam methodum concinnatæ balſamicæ temperatiores polychreſtæ. Deinde in omnibus hæmorrhagiis non datur præſentius auxilium quam in nitro cum camphora mixto, cujus utriuſque maxima vis in compeſcendis ſanguinis commotionibus eſt; & tantum abeſt, ut camphora, uti vulgo ſtatuitur, maſſam humorum nimis commoveat ut potius cum nitro mixta humorum & ſanguinis exæſtuationem compeſcat, & quod ſperniola Crollii a Veteribus in compeſcendis ſanguinis fluxibus tantopere commendata fuerit, id ſoli camphoræ, quæ hanc ipſam ingreditur, adſcribendum merito eſt, & pulvis *Heurnii*, quem *in Notis ad Aphoriſmos* HIPPOCRATIS communicat, eximiam quam in ejuſmodi caſibus poſſidet, virtutem, camphoræ maxima ex parte debet. Deinceps contra vulgarium Practicorum præjudicium & falſum ſuppoſitum in cohibendo ſanguinis impetu egregia virtute ſplendent ſalia volatilia crebriori, ſed parciori doſi data. Vulgaris de hiſce ſententia eſt, quod nimis ſanguinem commoveant ipſique orgaſmum & turgeſcentiam inimicam concilient, quod tamen non eſt univerſale, neque locum habet niſi in plethoricis & ubi magna in quantitate propinantur, vel febris corpus occupat; contra potius hæc ipſa data in hæmorrhagiis propter virtutem, tonicam & ſpaſmos refrænantem, qui præcipua inæqualis ſanguinis circuitus, congeſtionis & eruptionis hæmorrhagicæ cauſa ſunt, egregie conferunt. Optime vero paratur ejuſmodi remedium volatile ex tinctura tartari & ſpiritu volatili ſalis ammoniaci, quibus addi poteſt oleum macis vel aliud.

§. CLXVI.

De erroribus, qui committi ſolent in reſtituendis hæmorrhagiis ſuppreſſis.

Progredimur quoque ad eos errores Medicorum practicorum vulgares, qui in ſuppreſſis hæmorrhagiis ſive fluxibus ſanguinis criticis ſolent committi & verſantur in eo, quod, ſi menſes vel hæmorrhoides vel lochia ſubſiſtunt vel parcius fluunt, ſtatim ad pellentia ſeu ſic dicta emmenagoga calida confugiant, e quibus

e quibus potiſſimum eminent myrrhata, crocata, ſuccinata, ex ſabina parata, item gummata ut galbanum, bdellium, ammoniacum, aromata, & herbæ ſale volatili oleoſo acri præditæ, ut roſmarinus, meliſſa, pulegium, omneſque alexipharmacæ radices, ut radix angelitæ, enulæ, quæ intempeſtive & ſine præmiſſa venæſectione, ſine primarum viarum expurgatione, ſine prævia vaſculorum in utero apertione, ſine præmiſſis medicamentis quæ fluiditatem ſanguini conciliant ac ſpiſſitudinem ejus ac viſciditatem tollunt, peſſima inferunt ſymptomata, cujus generis ſunt febres lentæ, capitis dolores, vertigines, anxietates vel hæmorrhagiæ per aliena loca, deliria melancholica, & id genus alia mala. Poſſunt vero habere & habent quoque hæc ipſa locum, præmiſſis hiſce jam dictis & præparato ac diſpoſito corpore ad ſanguinis effluxum, circa tempus illud quo ordinarie ſequi ſolent ſolennes & criticæ ſanguinis excretiones, ubi utique natura ſtimulo adjuta plus præſtat quam hoc neglecto. Quapropter præpoſtere etiam agunt ii, qui tempore intermedio ſtimulantibus & emmenagogis calidis utuntur, ubi fruſtra agunt, quia natura tunc non conſueſcit ſanguinem emittere; ſed potius intermedio tempore præſtat, corpus, vias & humores ad fluxum ſanguinis præparare & diſponere. Deinceps notari etiam meretur inſignis & egregia obſervatio in promovendis ſanguinis fluxibus, præſertim hæmorrhoidibus & lochiis, quæ conſiſtit in eo, quod urgente dolore, ſpaſmo, vel febre, ſi lochialis fluxus vel hæmorrhoidalis fluxus ſubſiſtit, nitroſa, anodyna, antiſpaſmodica, inter quæ palmam ferunt caſtorina & cinnabarina, omne curationis punctum abſolvant; nam ſub dolore, ſpaſmo & febre omnia ſunt conſtricta, pori & orificia vaſorum clauduntur, quibus per convenientia remedia remotis pori & vaſa ultro aperiuntur, ſua ſponte ſanguis per vaſa fertur & perrumpit.

§. CLXVII.

De erroribus circa uſu martialium in hæmorrhagiis.

Neque etiam ſilentio præterire poſſumus martialium in ciendis ſanguinis fluxibus abuſum. Hæc vulgariter mirifice in menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione ſolent commendari, ſed cum omnia adſtringentia, ad quæ etiam martialia pertinent, ſint infida remedia & magnam in adhibendo cautionem requirant, hinc etiam cautiſſime cum iis hoc in negotio eſt mercandum. Itaque non negamus, ea poſſe habere locum dempta prius plethora, depletis & purgatis prius primis viis, viis uterinis apertis, & humoribus redditis fluxilibus in corporibus habitus ſpongioſi, laxioris, & ubi atonia & debilitate viſcera laborant. Sub his circumſtantiis utique cum aromaticis mixta egregium faciunt officium impulſum, tonum ac robur partibus augendo.

§. CLXVIII.

De erroribus circa uſu martialium in malo hypochondriaco, hydrope & tympanitide.

Eadem quoque cautio adhibenda eſt circa uſum martialium in malo hypochondriaco, hydrope, & tympanitide. Etenim ubi ſpaſmorum adeſt ferocia parteſque membranoſæ & nervoſæ ſunt conſtrictæ, ubi porro viſcera ſunt obſtructa, indurata, ſcirrhoſa & vaſcula glandularum minima eodem vitio laborant, ibi certe martialia, quæ omnem ſuam vim adſtrictione exſerunt, potius officiunt quam proſunt. Neque una vice obſervatum fuit, ab eorum uſu in hypochondriacis ſpaſmos fuiſſe exacerbatos, in cachecticis vero pedum tumores ſequutos. Alia vero ratio eſt, quando viſcera ut hepar, lien, pulmones, uterus, vaſa meſaraica, tantummodo ſanguine ſpiſſo infarcta ſunt & habitus corporis laxus & ſpongioſus eſt; nam tunc certe eorum uſus tonum & robur relaxatis viſceribus præbendo ſtagnantes humores e loco ſuo propellit, in ordinem redigit, vel etiam conſuetas ejus evacuationes ſeu excretiones per uterum vel per hæmorrhoides provocat. Ex his jam facillime intelligitur, quanta cautione, diſcretione, & notitia individuorum & cauſarum morbi opus ſit, ne ejuſmodi remediis plus damni quam emolumenti afferamus & ut iis recte in uſum & ſalutem ægrotantium utamur.

§. CLXIX.

De errore, quo aquæ minerales frigide uſurpantur.

Ultimo loco adjiciendus quoque eſt error maximi momenti, qui in uſu aquarum mineralium, præſertim acidularum, quotidie fere admittitur, dum nempe hypochondriaci & qui pathematibus ſpaſticis vehementibus continuo exercentur, item arthritici, podagrici, fœminæ frigidioris temperamenti vel hyſtericæ eas frigidiſſime ſic hauriunt & uſurpant, ut peracta operatione vel in ea non leve malum ſibi contrahant, eam tantummodo ob cauſam, quia frigidiſſime eas magna in quantitate ventriculo vacuo hauſerunt, cum alias earum uſus moderatus ſique tepefactæ fuerunt etiam in adductis caſibus ſit magnopere laudandus. Nihil enim magis nocet hiſce in caſibus quam frigus, quod omnibus nervorum ſpaſmodicis affectibus & nominatis hypochondriacis eſt inimiciſſimum, quia nervorum minimos ductulos conſtringendo minimum tranſitum ſpirituoſi liquidi, quod nervos vehunt, impedit, glandulas minimas, ductus etiam, qui in cute exiſtunt occludit, unde non modo ſpaſmi augentur, ſed & intus remanet agiliſſima excrementitia materia, quæ per tranſpirationem debebat ejici, atque hæc tenſiones, dolores, conſtrictiones, & mille mala in genere nervoſo parit. Notavimus vero, ob ejuſmodi perverſum aquas minerales adhibendi modum maxime podagram præſertim in ſenibus fuiſſe in corpore retentam, ubi maximas anguſtias, anxietates & tenſiones ſpaſticas circa præcordia & primas vias effecit, non ſine funeſtæ inflammationis vel ventriculi vel coli metu.

§. CLXX.

De errore, quo fortiora purgantia ante uſum aquarum mineralium adhibentur.

Neque hoc loco prætereundus eſt vulgaris quidam circa potum aquarum mineralium error, dum ſolenni methodo ac ritu iis, qui hiſce aquis uti volunt, ad præparationem corporis ante earum uſum fortia purgantia propinant, quibus quantum noceant dici vix poteſt. Horum enim valida actione tonus ventriculi & inteſtinorum deſtruitur, tunica glandulosa

dulosa ſeu cruſta villoſa, ex qua omne humidum abit in vaſa lactea & in ſanguinem, conſtringitur, & hoc modo nihil aliud efficitur; quam quod ſequentibus diebus aquæ potatæ nec per alvum, nec per urinam tranſeant, ſed ſubſiſtant & maximas anxietates pariant. Potius itaque alvus lubrica & laxa eſt facienda & a ſaburra ac ſcoriis impuris & viſcidis inteſtinorum regio ante uſum harum aquarum liberanda, quod optime perficitur laxantibus, innocentibus ſtimulantibus, ut clyſteribus, vel ſale Anglicano, magneſia, rhabarbaro, manna vel pilulis balſamicis.

§. CLXXI.

De errore circa uſum aquarum mineraliũ & balneorum, in neglectu venæſectionis conſiſtente.

Denique etiam in potu aquarum ſalubrium raro habetur ratio plethoræ, dum humoribus repleti & ſanguine pleni ſine omni ſanguinis præcedenti detractione ad uſum harum aquarum & balneorum calidorum admittuntur, non ſine magno ſanitatis incommodo. Conſtat enim frequenti obſervatione, plethoricos ex uſu balneorum in graves febres incidiſſe, neque facile in ejuſdi corporibus per tenera emunctoria aquæ hæ tranſeunt propter difficiliorem jam in iis exiſtentem humorum circuitum. Itaque conſultum eſt, ut omnes qui venas ſanguine, præſertim ſpiſſo, plenas habent, prius ſanguinis miſſionem & detractionem per ſectiones venarum inſtituant, quam aquas minerales & balnea adhibere incipiant; ita enim fit, ut effectus harum fontium in omnis generis perſanandis morbis longe felicior ſit, ſiquidem tunc aquæ non tantum per omnes canales corporis celerius & melius feruntur, ſed etiam per alvum, urinam & ſudorem debite eliminantur.

§. CLXXII.

De errore, quod circa criſin in febribus continuis nihil ſit movendum nec medicamenta ſint adhibenda.

Neque ſilentio prætereundus eſt error in praxi circa curationem febrium continuarum admodum familiaris, quod nempe tempore criſeos nihil ſit movendum, nullaque remedia ſint danda, ſed totus labor ac negotium naturæ committi debeat, utpote quæ propria virtute cauſam morbi e ſede ſua removere atque expellere poſſit. Verum enim vero recte cũ *Clariſſimo* Screta *de febre caſtrenſi maligna p.* 296. pronunciamus: nunquam magis efficacia remedia & ſalutaria conſilia prodeſſe & neceſſaria eſſe quam ſi febres præſertim malignæ ad ἀκμὴν tendunt, & hinc etiam liberaliori doſi exhibita diaphoretica volatilia, ut ſpiritum cornu cervi puriſſimum & ſpiritum vini camphoratum & crocatum, egregias virtutes in pene moribundis oſtendiſſe; ſiquidem efficaciſſimi liquores hi magna doſi cum morte luctantibus infuſi inſignem mutationem effecerunt, quia ægri non tantum in faucibus aut trachæa hærentem viſcidam crudam tenacemque plenam ſuffocationem minitantem materiam ampla excreatione ut mitiore vomitu, aut conſequente alvi profluvio, ſed etiam morbificam materiam largioris ſudoris imbre non ſine manifeſto levamine ejecerunt. Ratio hujus methodi verſatur in eo: quando corpus eſt in vehementiſſimo motu & ſpaſmis, ſapientiſſime Hippocrates omne, quod vehementer movet uti emetica, purgantia vel etiam venæſectiones damnat & tunc pariter nimis calida & volatilia ſudorifera omittenda ſunt; quod ſi vero natura vergit ad excretionem vel ſecretionem, quæ fit inſtante tempore criſeos, tunc ea, quæ motus delaſſatos in corpore erigunt, vires morbi violentia ſuppreſſas reſtituunt, cujus generis ſunt ſupra laudata remedia, neutiquam ſunt reformidanda, ſed potius in uſum admittenda, ſiquidem roborata natura & reſtitutum ejus robur antea obrutum materiam morbificam longe felicius & melius per congruum emunctorium expellit.

§. CLXXIII.

Solutio quæſtionis: num febris intermittens tempeſtive ſit tollenda, annon?

Circa curationem febrium intermittentium memorabilis quoque hoc loco incidit quæſtio, num ſecurum ſit, brevi tempore febrem diſcutere ſeu tollere, an tutius, indulgere febri & tempori ac naturæ ejus motum ac curſum committere. Diſſidentes hac de re inter practicos ſunt opiniones. Nonnulli, e quorum numero eſt Baglivi, Harveus, Sydenham, ea ſunt in opinione, has febres nimis cito purgantibus vel aliis febrifugis curatas non ſolum exacerbari vel duplicari, ſed ad mortem etiam viam ſternere & morbum facilem in diuturnum ac difficilem converti. Alii vero, ex quorum numero maxime ſunt Galliæ Medici, ut Riverius aliique, & ex Germanis Bohnius experientia non minus quam ratione ſana inducti affirmant, febris medelam, quam primum ſuſceptam, nunquam vim inferre ægris, modo in remediorum applicatione methodice agatur. Allegant maxime experientiam Riverii qui *Cent. I. obſ.* 20. *&* 26. it. *Cent. II. obſ.* 57. & *Cent. IV. obſ.* 20. commmemorat, tertianarios poſt paucas acceſſiones fuiſſe commode reſtitutos, quinimmo tertianas duplices in principio etiam brevi ſanatas: Fatetur Bohnius in *Diſſ. de præmaturiore intermittentium fuga ſuſpecta*, inter quinquennium ſe notaſſe, ultra 60 tertianarios, quotidianarios & quartanarios poſt quinque, tres, imo duos paroxyſmos exantlatos per paucorum pharmacorum uſum reconvaluiſſe, nihil plane aut recidivæ aut alterius incommodi poſtea expertos. Porro id maxime contendunt atque urgent, omnes febres intermittentes, quo diuturniores ſunt, eo altiores radices agere, habituales magis evadere, hinc longe difficilius exterminari illis, quæ brevioris ſunt durationis. Provocant etiam ad experientiam, quod, ſi diutius iſtæ febres inhæreant corporibus, eo majorem labem affricare ſoleant viſceribus, ut deinde graves aliæque chronicæ naſcantur paſſiones. Alii vero, qui contrariam tuentur ſententiam; etiam confugiunt ad experientiam, qua oſtendere conantur, motus hos febriles nimis cito ſuppreſſos ſpaſtica mala graviſſima vel etiam chronicas ex viſcerum obſtructione oriundas paſſiones attuliſſe & recidivas paſſiones fuiſſe conſequutas; unde ſuadent, longe conſultius & tutius eſſe, non ſtatim intermittentium febrium curam aggredi, ſed eas per aliquot dies imo ſeptimanas intactas relinquere, eam ob rationem, quoniam hi motus regulares & ordinati bonum in finem plerumque cederent, & ſalutares eſſent, partim, dum ſanguinis copiam imminuerent, partim, dum viſcerum infarctum tollerent, & materiam corpori infenſam per congrua emunctoria excluderent atque excernerent. Ut itaque ex hiſce difficultatibus diverſarum opinionum practicarum emergamus, dicimus, in curatione febrium harum reſpiciendum ſemper eſſe ma-

xime ad ipſum ſubjectum, quod patitur, & ad cauſas, quæ febri materiam & occaſionem ſubminiſtrant, & ſecundum harum conditionem curationem eſſe adminiſtrandam. Itaque, ſi Medicus animadvertit, perfecte alias ſanum hominem vel ex diætæ vitio, vel ex epidemica aeris conſtitutione, vel ex impedita tranſpiratione in currere in graſſantem febrem, tum utique nil impedit, quominus remota cauſa & principiis ſublatis febris tollatur, quod ſæpe unico emetico, remediis diaphoreticis & ſpecifico quodam remedio antifebrili, quale eſt cortex chinæ, ſubjuncto, feliciſſime & ſine ulla noxa ſubſequente fieri poteſt, & certe ejuſmodi febres ſæpe in initio paucis medicamentis poſſunt ſanari, quæ, ſi diuturnæ fiunt, difficillime curantur & medicationi mirifice reſiſtunt, quia cacochymiam corpori afferunt & viſcera debilitant. Quandocunque vero corpus infeſtat febris, quod ex plethora contraxit cacochymiam & impuris humoribus ſcatet vel viſcerum laborat infarctu, ſpaſmodicis pathematibus obnoxium eſt vel debilitate ventriculi laborat, tunc utique longe alio modo adornanda eſt curatio, neque tunc prodeſt, impetus & motus febriles adſtringentibus mox refrænare, ſed potius præſtat, motus febriles, qui in auctiori ſanguinis circulo verſantur & utique ſalubres ſunt ad obſtructiones viſcerum veteres reſerandas, congruis remediis aperientibus, ſalinis, deterſivis, amaris, leniterque laxantibus ſecundare; ita taliſmodi febris optima fit medicina corporis male antea diſpoſiti. Quod ſi vero ſtatim in principio iſti motus ſiſtuntur, tunc certe in ejuſmodi corporibus vehementia & magna mala ſuſcitantur. Deinceps illud etiam notandum eſt adhuc, quod circumſpecte & provide ſpecifica antifebrilia & paroxyſmos ſupprimentia propinanda ſint iis corporibus, quæ febre jam per aliquot ſeptimanas vel menſes laborarunt, & oportet tunc etiam ante exhibitionem horum remediorum alvinam regionem ſufficienter evacuare, obſtructiones tollere & ſordes bilioſas abſtergere; alias, ſi hæ ipſæ retinentur, multa etiam mala & recidivæ peſſimæ ſubſequuntur. Ex his jam clariſſime intelligitur, utrorumque diſſentientium ſententiam ſalvam manere atque integram, ſi tantummodo modo dicto ratio recte habeatur corporis, quod ſanandum ſuſcipitur.

§. CLXXIV.

De errore circa uſum antifebrilium remediorum.

In intermittentium curatione ſicuti multi committuntur errores, ita hic non infimus numero eſt, quod nonnulli, cum ingentem noxam antifebrilium ſpecificorum ut corticis chinæ, caſcarillæ, martialium, vitriolaceorum & aliorum adſtringentium perſpectam habeant & cognitam, plane eorum uſum non modo averſentur, ſed plane etiam damnent & ex foro medico ejiciendum eſſe contendant. Verum enim vero in hoc maxime decipiuntur, nam conſtat utique & maxima laus eſt ac manet hiſce remediis, quæ in genere nervoſo roborando præſentiſſimi ſunt effectus, & ſiniſter, qui eorum uſum conſequitur, eventus non ipſis ſed Medicis potius eſt imputandus, qui ſine habita ratione individuorum, ſive corporis quod curant, temperamenti, primarum viarum, morbi cauſarum & temporis, & ante diſcuſſionem & ſublationem veræ cauſæ hæc remedia adhibent. Nocere nunquam poterunt, ſi

1) in crebriori & minori doſi offeruntur,

2) id fit extra paroxyſmum, tempore nimirum vacuo,

3) corpus in tranſpiratione ſervatur, & ab omni frigore defenditur,

4) deſuper ſumitur potus calidus, ut diaphoreſis conſervetur,

5) evacuatis primo probe primis viis, quod per uſum vel emeticorum vel laxantium ut ſalivam aperitivorum impetrari poteſt. Et certe rariſſime feliciter nec niſi magno cum incommodo & detrimento ægrotantis, nec niſi longo tempore ſine auxiliis curantur ejuſmodi febres.

§. CLXXV.

De errore circa uſum ſudoriferorum ante febrium intermittentium acceſſum.

Deinceps plures verſantur in hac perverſa opinione circa intermittentium febrium curationem, quod diaphoretica & ſudorifera nullum habeant locum ante acceſſionem morbi propinata, ſed potius ingens damnum afferant. Rationem hujus ſententiæ exinde depromunt, quia natura demum declinante febre ſudorem movet, adeoque contra naturæ ordinem & ductum Medicum agere, ſi in principio febris ſudorem excitare velit. Verum enim vero non univerſaliter valet hæc cautela, ſed cum diſtinctione quadam eſt accipienda, ſiquidem verum eſt, quod, ſi quis inſtante paroxyſmo & frigore jam imminente velit propinare forte ſudoriferum, tunc non poſſit non hujus uſu noxam inferre, quia omnia tunc ſpaſmo ſunt conſtricta. Peccabit etiam Medicus eo tempore forte ſudoriferum offerendo, quo primæ viæ nondum ſunt evacuatæ, ſed ſordibus & cruditatibus turgent, quas ad ſanguinem deducere magnæ imprudentiæ vel temeritatis eſt. Quando vero prima regio jam probe fuit expurgata nec plethora amplius urget, febris tamen adſit contumacia, tunc utique docet nos non una ſed crebrior experientia, quod non mox ante paroxyſmum, ſed demum tribus vel quatuor ante ejus invaſionem diebus penetrantiſſimum etiam ſudoriferum cum vehiculo calido & regimine calido oblatum incomparabilem virtutem in febre tollenda exſeruerit. Novimus hac ratione quartanas ſublatas, ſimulque obſervavimus, quod, ſi ſudor, quem movet medicina, per conſuetum tempus frigoris perduraverit, certiſſime minuta, vel plane curata fuerit febris, idque ſi prima vice non ſtatim contigerit, altera tamen vel tertia factum fuerit. Medicamentum poteſt eſſe liquor noſter bezoardicus, ſpiritus cornu cervi bene præparatus vel ejus oleum cornu cervi decies vel vigeſies deſtillatum; ſic enim penetrantiſſimum fit & vehementer movet ſudorem ſumtum cum infuſo veronicæ.

§. CLXXVI.

De errore circa diſtinctione tuſſis.

In curatione tuſſis non infrequens animadvertitur in Praxi medica error, quod tuſſim idiopathicam & pulmonalem non probe diſtinguant a ſtomachali; deinde, quod materiam & humorem, qui excernitur per tuſſim, viſcidum & flaveſcentem a pure non probe diſtinguere ſciant, cum tamen accuratior harum rerum diagnoſis in medendo maximam utilitatem atque uſum habeat. Nam ſi tuſſis humida cum copioſæ materiæ ejectione ex principaliter affecto vel læſo pulmonis viſcere naſcitur, chronica illa eſt & maxime continua nec facile

facile ſanabilis; & dulcia, vulneraria balſamica & lacticinia expoſtulat vel ſaltim ferre poteſt, & tunc etiam verum pus exit, quod cognoſcitur ex eo, quod febris hectica ac lenta ſemper juncta ſit & materia in aquam frigidam injecta non conglobetur, ſed penitus fluida fiat ac diſſolvatur. Quod ſi vero ex ſtomachi vitio ac cruditatibus ibi collectis & ſola pulmonum atonia ſine ejus ſubſtantiæ eroſione ejuſmodi humida tuſſis fit, tunc tuſſis eſt magis periodica & maxime abſoluta digeſtione & facta chyli diſtributione urget e. g. circa horam noctis tertiam matutinam vel circa quartam vel quintam pomeridianam, aut mox poſt paſtum, quando ventriculus adhuc alimentis turget, & quod tunc ejicitur, inſtar muci narium eſt, ſique refrigeratum fuerit, admodum viſcidum, conglobatum & difficulter in liquido etiam calido diſſolubile eſt. Tali in caſu benigniora laxantia, nec non balſamica, tonica & carminativa omne fere curationis punctum abſolvunt rejectis ceu inſalubribus omnibus dulcibus, decoctis pectoralibus, mucilaginoſis, lacticiniis & electuariis, utpote quorum uſu ventriculi & inteſtinorum tonus mirifice frangitur atque debilitatur.

§. CLXXVII.

De errore circa uſum topicorum in doloribus articulorum.

Tandem nec ſilentio prætermittenda eſt vulgaris ſed peſſima podagræ cura, qua videlicet Medici ad dolorum allevationem variis externis ut linimentis, emplaſtris, epithematibus vel pulveribus uti ſolent. Quantum vero detrimenti ab horum remediorum externorum uſu capiant ſæpenumero ægri & quam atrocia immo periculi plena ſymptomata ex hac mala tractatione producantur, quotidiana fere ſed triſtis experientia eloquitur; & quamvis nonnulli Medicorum externa emplaſtica, unguenta & alia, quæ poros obſtruendi facultate donata ſunt, maximopere fugiant, inque eorum locum ſpirituoſa, camphorata vel etiam anodyna linimenta & topica ſubſtituant, attamen & hæc res raro dexitre atque feliciter ſuccedit, ſiquidem omnia externa, cujuſcunque fuerint generis, tonum cutis afficiunt & hanc acutiſſimi ſenſus membranam, quæ multis ductibus excretoriis inſtructa eſt, vel nimium relaxando vel conſtringendo ita alterant, ut minus poſtea feliciter materia morbifica ſecerni atque excerni poſſit. Ita novimus a camphora ſub forma pulveris externe applicata vel a ſpiritu vini camphorato exterius inuncto materiam arthriticam, quæ pedes occupare incipiebat, fuiſſe retropulſam & aſthma convulſivum vel ſpaſmodicos ſcapularum & thoracis dolores & rheumatiſmos excitaſſe, eique rurſus e corporis ſphæra emovenda & expellenda anxium auxilium fuiſſe quæſitum. Quod ſi vero materia eſt paulo fixior viſcidis atque tartareis particulis involuta, tunc ejuſmodi ſpirituoſa externe adhibita nimia exſiccatione artus ad tophos diſponunt, quos contractura ſequi ſolet. Novimus quoque ab opiatis in gravi dolore podagrico inunctis materiam ad pectus immo ad ventriculum receſſiſſe cum ſummo ægrotantium vitæ periculo; quare nil conſultius eſt quam in ejuſmodi doloribus, quos natura critico & ſalutari conſilio in partibus externis, amandando ad eas materiam morbificam, efficit, plane ab omnibus topicis abſtinere, præſertim quando natura eſt in motu, morbus in vigore, & dolor ac rubor membra occupat, præſtat tunc potius, partem affectam moderato calore & placida quiete detinere. Si vero dolorum vehementia nimium urget, ut vires minuantur, tunc conducit quoque tam internis quam externis doloribus placandis opitulari.

§. CLXXVIII.

De erroribus circa Diureticorum uſu.

Circa diureticorum uſum notandus adhuc eſt ille error admodum vulgaris, quod pauci practicorum ipſis recte uti ſciant, ſed plerumque præpoſtere & perverſe hæc alias generoſa remediorum genera uſurpent. Nunquam enim ea, quæ urinam fortiter movendi vel urinarias vias ſtimulandi facultate pollent, adhibenda ſunt, ubi vel ingens calculus in renum ſubſtantia deliteſcens conjicitur, vel ubi calculus in ureteris anguſtia infixus hæret vel in meatu urinario conſtitutus eſt, propterea quod, cum materia non ſit mobilis ſeu ad exitum apta, majores ſpaſmos, dolores, aliaque majora ſymptomata inducunt; cum potius tunc antiſpaſmodicis, emollientibus, vias relaxantibus materia ad exitum ſit præparanda. Quandocunque vero concrementum quoddam tartareum viſcidum in veſica conſiſtit ibique productum fuit vel ex renali calculo vel ex alia cauſa, nempe lymphæ coagulo, quod veluti primum fundamentum ac principium calculi veſicæ eſt, tunc certe nihil efficacius nihilque potentius veſicæ calculum præcavet quam forte diureticum, cum ſufficiente tamen liquido propinatum, & hoc nomine ipſæ quoque cantharides earumque tinctura nec non terrea uſta & calcinata, ut conchæ uſtæ, corallia uſta, pulvis Volkammeri & id genus alia, item tincturæ tartari, antimonii & ſuccini, ex vegetabilibus alliacea, raphanus ruſticanus, petroſelinum & apium locum inveniunt aptiſſimum, ſemper tamen, quod probe notandum eſt, cum ingenti liquidi copia ſunt præbenda, ut eo melius eluantur & abſtergantur ſordes tartareæ viſcidæ limoſæ, atque eandem ob cauſam acidularum etiam & thermarum uſus ejuſmodi in caſibus plane ſingularis efficaciæ eſt.

§. CLXXIX.

De erroribus circa urinæ inſpectionem & ex hac deſumtam diagnoſin & prognoſin morborū.

Notabilis adhuc invaluit error, qui non ſolum Medicorum ſed maxime etiam vulgi mentes occupat circa urinæ inſpectionem & judicium ex ea circa cognitionem & morbi eventum dijudicandum, unde etiam ſcribit MONTANUS *in Conſil.* 137. ſtulta peſſimaque eſt Medicorum conſuetudo, qui ex urina, nunquam viſis iis quorum urinæ ſunt, non ſolum corporum ſtatum ſanum vel morboſum, ſed etiam ætatem, ſexum & graviditatem ſe poſſe indicare gloriantur, eam tantum ob cauſam, ut homines argento privent eoſque, quibus decipi volupe eſt, in fraudes inducant. Nos itaque recte cum JOH. LANGIO hanc artem uromanticam ſeu ex lotio divinandi impoſturis adſcribimus. Optandum igitur foret, ut hæc tam recepta & ſolennis impoſturæ ſpecies ex foro Medico prorſus relegaretur, & honeſti Medici in eo invicem convenirent, ut nunquam judicium ex inſpectione urinæ proferrent, niſi prius ſatis cognito ſubjecto ejuſque ſtatu, vel per literas vel oralem confeſſionem. Error enim eſt & falluntur maxime Medici, qui ex ſola urina morbum, ejus ſtatum

ſtatum & eventum, ſine ulla ſubjecti & ad id pertinentium circumſtantiarum cognitione judicare volunt, &, qui hoc faciunt revera fraudes committunt ab honeſto viro non committendas. Contra vero etiam ii Medici errant, qui plane omnem inſpectionem urinæ in morbis negligunt & nihili habent, quandoquidem utique debita hujus excrementi inſpectio inter ſigna, quæ non modo fluidorum temperiem & mixtionem, ſed etiam certo reſpectu ſolidorum conſtitutionem & motum patefaciunt, primas jure meritoque partes tenet, quamvis & hac ſola nil certi poſſit pronunciari, quod tantummodo fit, quando omnia ſigna, ſymptomata & circumſtantiæ ſimul conſiderantur. Quamvis vero urinæ inſpectio non inutilis & quandoque etiam neceſſaria ſit in morbis judicandis, nihilominus tamen etiam hoc eſt veriſſimum, quod admodum parcæ & minus firmæ obſervationes circa hanc materiam ab autoribus collectæ fuerint.

Placet itaque generales quaſdam regulas, quæ in praxi per crebram & attentam experientiam notatæ fuerunt, in medium proferre:

1) In omnibus febribus, cujuſcunque ſint generis, ſive continuæ ſive intermittentes & ubi calor immoderatus urget, nunquam urinæ tenues ſine ſedimento bonæ & ſalutares judicantur, adeo, ut quo ſunt tenuiores & magis aquoſæ, eo gravius periculum, ut ſanguinis congeſtiones & ſtaſes inflammatorias periculoſas indicent. In febribus intermittentibus contumaciam & mali moris febres indicant, quæ difficilem ſanationem recipiunt.

2) Peſſimæ urinæ ſunt & ſiniſtrum morbi eventum pronunciant, ſi in omni acuta febre vel inflammatione interna copioſæ & tenues minguntur. Ratio eſt, quoniam ejuſmodi urinæ indicant, ſanguinis & ſeri vinculum eſſe valde deſtructum & partem ſeroſam ac fluidam a craſſa ac ſolida ſanguinis parte ſecedere, unde non poteſt aliter fieri, quam ut ſanguis craſſior exinde factus facillime inflammationem, præſertim in partibus membranoſis ventriculi vel inteſtinorum vel cerebri excitet.

3) In morbis chronicis omnes urinæ tenues & aquoſæ graves paroxyſmos vel jam præſentes vel futuros ſpaſticos, e. g. in hypochondriacis cordis palpitationem, anxietates præcordiales, tormina ventris, animi deliquia, melancholica pathemata, capitis vel artuum dolores prænunciant. Ratio hujus obſervationis practicæ eſt, quod ejuſmodi urinæ indicant ſpaſticas tubulorum & glandularum renalium ſtricturas jam præſentes, quæ poſtea per genus nervoſum magis diſperguntur.

4) Omnes urinæ craſſæ flavæ vel etiam ad nigredinem vergentes, Germanice dunckel braun, & linteamina croceo dolore tingentes obſtructos ductus biliarios & liberum bilis ad inteſtinum duodenum circulum impeditum adeoque morbum ictericum manifeſtant.

5) Urinæ turbidæ, limoſæ wie Leim-Waſſer in chronicis morbis flatulentias, ſpaſmodicas inteſtinorum contractiones, tormina vel etiam diarrhœam pronunciant.

6) Omnis urina, quæ pituitam tenacem glutinoſam mox in fundum vitri dimittit cum furfuraceis & ſquammoſis fruſtis urethræ & veſicæ excoriationem ſive ex calculo ſive ex gonorrhœa pronunciat.

7) Urinæ, quæ mox poſt emiſſionem in fundum vitri ſabulum rubrum deponunt, indicium præbent calculi renalis, quando vero cryſtallos rubicundas ſplendentes tartareas in copia lateribus vitri apponunt, dolorum arthriticorum vel etiam ſcorbuticorum indicium præbent.

8) Urinæ paucæ rubicundæ vel bruno-rubræ, quas dicunt Germani Schwartzbraun-roth cum obſcuro ſedimento in phthiſi vel etiam hydrope funeſtum deſignant morbi eventum.

9) Urinæ, quæ minguntur ab hominibus, qui non decumbunt, & ſunt turbidæ craſſæ parum flaveſcentis coloris, quod Germani exprimunt per verba: wie Sauer-Kraut Lacke vel magnas cruditates circa primas vias vel in ſuſpectis luem veneream indicant.

10) Urinæ infantum lacteum ſedimentum deponentes vel malam nutritionem vel diſpoſitionem ad vermes notant.

11) Urinæ tenues lividæ vel virideſcentes diuturnæ cachecticum ſtatum & menſium ſuppreſſionem in fœminis denotant.

12) Omnes urinæ, quibus cuticula pinguis ſupernatat & ſedimentum deponunt rubrum, internum lentum calorem & maciem corporis præſagiunt.

13) Urinæ obſcuræ rubicundæ vel nigræ & turbidæ icteri flavi gradum vehementem vel etiam nigrum icterum ſignificant.

14) Si ſanguis mingitur cum urina, quod ex grumis ſanguinis, tinctura rubicunda atque filamentis perſpicitur, hoc eſt indicium eroſionis factæ in renibus tubulorum.

15) Urina autem purulenta, quæ ex fœtore materiæ viſcidæ, quæ ſecedit in fundum, ſi prunis immittitur, & ex macie corporis lentaque febre & urina antea clara dijudicari poteſt, internum & magnum abſceſſum indicat.

F I N I S.

FRIDE-

FRIDERICI HOFFMANNI OPUSCULUM DE MATERIA MEDICA,

IN QUO MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM

hiſtoria, vires, agendi & legitime applicandi modus, una cum compluribus cautelis ac obſervationibus practicis ſelectiſſimis, perſpicue & ſuccincte traduntur.

REGNUM MINERALE.

CAPUT I.

De Auro.

AURUM dicitur a veteribus philoſophis & præſertim alchymiſtis ſol, item rex metallorum & perfectiſſimum metallum, quia gravitate, ductilitate, incombuſtibilitate ſeu conſtantia in igne nec non puritate & ſplendore omnia reliqua metalla ſuperat.

Reperitur in natura vel purum, quod Germanice dicitur, gediegen Gold / quod vero eſt rariſſimum, & vel in granis, quale eſt fluviatile cum arena mixtum, vel in mineris præſertim cupreis & argenteis. His mineris, ſcilicet argenteis & cupreis, maxime ſe aſſociat, quia nullum metallum tam proxime accedit ad aurum quam argentum, unde etiam nullum fere argentum in natura rerum reperitur, quod non contineat portionem & particulam quandam auri; cuprum vero ſulphure metallico prægnantiſſimum colorem auro fœnerari videtur. Apparet id maxime in mineris auriferis, quas urbes Hungariæ Cremnizium, Chemnizium & Neoſolium nobis largiuntur, utpote quæ partim argenteæ, partim cupreæ ſunt. Hoc vero dignum obſervatione eſt, quod aurum purum nunquam reperiatur in lapide calcareo, qui vocatur ſpathum, Germanice Spath / nec ignis vehementia in vitrum ſed calcem tantum convertitur, verum ſemper in pyrite, qui dicitur Germanice Quarß & forti igne abit in vitrum; & mineræ, in quibus aurum invenitur purum, ſemper fere indolis martialis ſunt, ſeu ſilices ſive pyrites, qui ferrum ſimul complectuntur, & videtur quoque ferrum adjunctum & admixtum eſſe puritatis auri cauſa & origo, quia nihil tam promte ſulphur, quod omnibus mineris metallicis admixtum eſt, abſorbet quam ferrum. Porro aurum reperitur in granis, & hoc colligitur ex arena fluviorum, ſiquidem multi fluvii, uti Tagus in Hiſpania & Luſitania, Ganges in India, Niger in Africa, Rhenus in Germania & fluvius prope Rudolſtadium, qui dicitur die Schwartze / ipſaque noſtra Sala ejuſmodi auri ramenta ſecum vehunt, nam per elutriationem ſeu lotionem cum aqua factam remanent auri puriſſimi ramenta cum aliorum metallorum & lapidum pretioſorum particulis & minutiæ auri beneficio argenti vivi, quod avidiſſimum eſt auri, colligi poſſunt. Notandum vero eſt, quod ipſi fluvii non generent aurum, ſed hoc potius ſuam originem debeat ipſis auri mineris, per quas tranſeunt fontes & fluvii. Aurum maxima in quantitate in India

India Occidentali & Orientali reperitur & quidem in regno Peru & Mexico, ex quibus transfertur in Hiſpaniam. Continetur ibi in mineris, quæ ſimul complectuntur argentum. Ex India vero Orientali & Sumatra a Batavis mineræ auriferæ transportantur in Belgium & ex hoc in Germaniam, ubi excoquuntur, & ducatis Hollandicis cudendis impenduntur. In Europa, Hungaria maxime dives eſt minerarum aurum largientium & ſolus Imperator hoc gaudet monopolio auri & argenti vivi.

Characteres auri ſunt 1) maxima ejus gravitas ſpecifica, qua omnia corpora, quæ dantur in rerum natura, ſuperat; 2) ductilitas mirabilis, nam unica auri uncia in 1600 folia extendi poteſt, 3) mirifica ſympathia, quam habet cum argento vivo, dum illud facile attrahit, ab eo colorem album nanciſcitur atque in eo fundum petit, immo ab eo ſolvitur & cum eo in amalgama abit; 4) ingens in igne fixitas, dum ejus maſſa in igne plane non minuitur; 5) quod a nullo corpore in tota rerum natura deſtrui, corrumpi vel in rubiginem verti poſſit; 6) quod a nullo alio menſtruo quam ab eo, quod dicitur aqua regis & ex ſpiritu acido nitri & ſalis communis conſtat, ſolvatur; 7) quod antimonium, ſi cum auro funditur, ſeparet ab eo omnia alia metalla idque purum reddat; 8) quod magiſterium auri accedente calore vim exſerat fulminantem & deorſum feratur, unde etiam appellatur aurum fulminans, immo cochlear argenteum, ſi fulminet, aureo tingat colore.

Notandum porro eſt, quod uncia una auri puriſſimi dividi ſoleat in 24 karath, &, quando ad unciam unam auri ſcrupulus unus mixturæ, quæ conſtat ex argento & cupro, jungitur, tunc aurum dicatur habere 23 karath, &, ſi ipſi duo ſcrupuli hujus mixturæ adduntur, 22 karath. Unum vero karath dividitur in 12 grana. Notabile præterea eſt, quod ex auro puriſſimo ob mollitiem ejus neque nummi neque inſtrumenta neque aliæ res confici poſſint, ſed ad hoc requiratur, ut aurum antea ligetur, quod fit additamento cupri & argenti. Idem aurum ingreditur quoque ducatos, & hi continent 23 karath auri puri. Denique notandum eſt, quod ad res metallicas auro obducendas non niſi puriſſimum aurum adhiberi debeat.

Quod attinet ad uſum medicum auri, tenendum eſt, illud omni virtute in corpus humanum agendi eſſe deſtitutum, quia a corporis humani menſtruis ſolvi nequit, & metalla non agunt nec virtutem quandam medicamentoſam exſerunt, niſi fuerint ſoluta; ſolutio vero auri fit ordinario per corroſiva, ſpeciatim aquam regis, & quando corroſivum auro, quod nil niſi mercurialis ſubſtantia fixiſſima eſt, aſſociatur, corroſivitas ei conciliatur, ideoque, ſi virtus in medendo ex auro peti poſſet, & ab eo exſpectanda eſſet, tunc neceſſarium eſſet, ut aurum blando naturæ amico & omnis corroſivitatis experte menſtruo diſſolveretur. Hoc vero perficere nobilioris chemiæ cultores allaborant hunc in modum: aurum nempe in ſubtiliſſimum pollinem variis artificiis ut trituris, ſolutionibus, lotionibus & ſublimationibus redigere ſolent & poſtea ſic præparato auro menſtrua inſipida, activa tamen, ut ſpiritum roris majalis, ſpiritum pruinæ ſeu pruinam aliquoties deſtillatam, aquam pluvialem frequenti deſtillatione ſpirituoſam factam, ſpiritum ex manna, melle, ſaccharo, infundunt, & debita digeſtione ſubtiliſſimas quaſdam ex auro extrahunt particulas & ita tincturas ſeu eſſentias auri conficiunt, quas ceu univerſalem medicinam contra omnis generis morbos propulſandos celebrant ac magnifaciunt. Quicquid hæc remedia ex auro liquida efficiant, id præſtant maxime tonum partium roborando, adeoque non omnis virtus ipſis eſt deroganda, quamvis noſtra ſententia ſit, longe parabiliori & minus pretioſo modo ejuſdem, immo præſtantioris, virtutis remedia ex viliſſimo ferro parari poſſe. Deinceps quod attinet ad medicamenta, quæ ex auro ſub forma pulveris præparantur, dicimus, ea quoque nullius eſſe valoris, niſi aurum cum tenuiſſimis ſalinis vel mercurialibus & ſulphureis partibus intime mixtum & combinatum fuerit: id quod patet ex auro ſic dicto fulminante, quod præparatur, ſi aurum purum ſolvitur in aqua regis & hæc ſolutio additione olei tartari per deliquium vel ſpiritus ſalis ammoniaci præcipitatur & præcipitatum aqua calida illotum exſiccatur; nil niſi crocus ſolaris eſt, cui particulæ ſalinæ etiam poſt elutriationem adhærent, & pro doſi ad granum unum vel duo mixtum cum ſalibus mediis alvum fortiter movet. Denique inter medicamenta, quæ ex auro parari poſſunt, primas fere tenet partes crocus ſolis ſubtiliſſimus purpureus, qui præparatur, ſi ſolutio auri & ſtanni ſimul infunduntur aquæ communi, quæ exinde colorem accipit cæruleum & evaporata in fundo relinquit maſſam, quæ crocus ſolis purpureus audit. Hic pulveribus bezoardicis ad granum unum vel duo admixtus non caret effectu roborante & diaphoretico. Porro mercurius diaphoreticus auri ſeu ſolaris, qui ex commixtione auri, mercurii vivi & æquali portione reguli antimonii deſuper abſtracta aqua regis & facta edulcoratione præparatur, egregia virtute prædītus eſt, inveteratas glandularum obſtructiones reſerandi & morbos ab impura lympha ortos, ut luem veneream, ſine ſalivatione curandi. Ejus virtus vero magis a mercurio quam auro dependet, quod tantummodo eo fine admiſcetur, ut volatilem ac virulentam mercurii vim & indolem fixa ſua natura quodammodo figat ac manſueſaciat. Famigeratiſſimus pulvis auri Zellenſis nihil virtutis auro ſed ſuam virtutem oleo cinnamomi, cinnabari & ſaccharo debet. Quod ad tincturas ſic dictas ſolares attinet, hæ lucri cauſa potiſſimum factæ ſunt nihilque aliud ſunt quam tincturæ antimoniales, quæ exiguam ſulphuris antimonii portionem continent. Tandem folia auri pulveribus ſic dictis cordialibus & bezoardicis ornamenti cauſa adjici iiſque pilulæ obduci ſolent. Poſtremo quæritur, quid de arte illa, quam Chryſopœiam vocant, ſtatuendum ſit. Fuit nempe antiquiſſimis temporibus nota ſecta philoſophorum, quos alchymiſtas appellarunt; hi ducti argumento, quod natura etiam in mineralibus ſemper intendat optimum metallum nempe aurum producere, impediatur vero a variis conditionibus, hunc defectum naturæ per varios labores ut maturationes & mixtiones ſupplere ſtuduerunt. A ii per vim ſeminis multiplicativam metalla ignobiliora in nobiliora tranſmutare voluerunt, ſicuti id apparet in vegetabilibus, hinc ſemen auri variis modis quæſiverunt, quod ipſorum lapis philoſophorum eſt. Nonnulli id in ipſo auro, alii in antimonio, quidam in mercurio & rurſus alii in vitriolo abditum eſſe & inveniri poſſe pro certo habent. Varias quoque illud extrahendi vias, quarum una dicitur ſicca, altera humida, ingrediuntur, & hiſce duabus viis aurum in ſua principia reſolvere vel ex dictis mineralibus ſal, ſulphur & mercurium auri blande & ſine corroſione ac radicaliter extrahere volunt & hæc rurſus mediante ignis calore digeſtorio combinando, maturando & exaltando in nobiliſſimam metallorum & hominum medicinam mutare allaborant. Qui utuntur via humida, diſſolutionem auri humido menſtruo & quidem ſubtiliſſimo ex univerſali ſpiritu deſumto, quale in pruina, rore, aëre, aqua pluviali, manna, melle vel nitroſa terra quærunt, moliuntur. Qui vero via ſicca procedunt, hi maxime mercurium ſic dictum philoſophorum puriſſimum cum auro miſcent & diu-

turna

turna coctione ſemen auri conficere ſtudent. Alii ſal, ſulphur & mercurium ex antimonio vel vitriolo præparata cum auro miſcent ejuſque exaltationem in lapidem diuturniore & moderata coctione quærunt. Verum enim vero omnes hi nituntur falſis fundamentis, ſiquidem error eſt, naturam ſemper intendere auri productionem, quum intentio naturæ nulla ſit, ſed merum ens rationis nec revera exiſtat, &, quia omnia mineralia & metalla in terræ viſceribus ſola mixtione ex ſubſtantia ſulphurea terrea ſalina & mercuriali componuntur & naſcuntur ſine omni ſeminali ac vegetativa virtute, mens humana nunquam valebit ullum ſemen producere, quo natura in corporibus ſtruendis non miſcendis utitur, hinc etiam omnis labor de ſemine auri conficiendo inanis & fruſtraneus eſt. Deinceps contra tranſmutationem metallorum hoc maxime pugnat argumentum, quod, ſicuti omnia metalla in rerum natura propria ac ſpecifica gaudent proprietate, ita etiam hoc de auro valeat & hinc metalla nulla ratione vel arte in ſe invicem tranſmutari poſſint, quia ſimilem pororum & partium diſpoſitionem & ſitum in alio corpore effici poſſe per quandam adjectam materiam, nullum unquam extitit experimentum.

CAPUT II.

De Argento.

INter metalla nobiliora recenſetur quoque argentum, quia ſplendore, ductilitate, conſtantiæ ac immutabilitate in igne reliqua metalla excepto auro ſuperat. Reperitur in mineris rariſſime a contagio metallorum ac mineralium immune, quod Germanice vocatur gediegen Silber/ plerumque aliis mineralibus & metallis permixtum invenitur. Amat vero maxime connubium auri, plumbi & cupri, & reſpuit conſortium mercurii, ferri & ſtanni. Nullum datur cuprum, quod non ſecum gerat argentum, adeo, ut in centenario cupri ad minimum uncia una, vel duæ, immo plures unciæ argenti inveniantur. Nullum quoque fere datur plumbum, quod non contineat portionem argenti quandam, ſolo Villacenſi excepto, ita, ut centenarius ad minimum unciam unam vel dimidiam argenti contineat, quapropter ad docimaſiam inſtituendam omne plumbum præter Villacenſe inutile eſt. Mineralia, quibus argentum jungi ſolet, ſunt ſulphur, cobaltum & biſmuthum; id quod oſtendunt mineræ argenteæ Miſnicæ, utpote quæ de hiſce multum participant mineralibus. Generatim notandum eſt, quod, prout in terræ viſceribus mineralium & metallorum admixtio, quam argentum accipit, differt, pro eo differentes quoque colore & figura ac valore mineræ argenteæ exſurgant. Magna minerarum argentearum, quæ conſtant ex ſulphure, biſmutho & argento, vel ex ſulphure, cupro & argento, multitudo reperitur in Miſnia, quæ mineralium varietate fœcundiſſima eſt, præſertim ejus urbibus *Annaberg*, *Schneeberg*, *Marienberg*, *Freyberg*, *St. Georgen-ſtadt*. Præcipuæ argenti ſpecies ſunt argentum purum, quod Germanice gediegen-Silber vocatur; capillare, quod Germanice appellatur Haarſilber; & rude, quod Germanice vocatur Bauerſilber. Reperiuntur hæ argenti ſpecies duæ poſteriores in Miſnia ſæpius in ingenti magnitudine & elegantiſſima forma, & generantur ex minera argenteo-ſulphurea, quæ dicitur Germanice Glaß-Ertz/ ſolo calore ſubterraneo; ſiquidem per artificium ex mixtura argenti & ſulphuris ſolo ignis calore argentum capillare certa encheireſi produci poteſt. Quando argentum in terræ ſinu cum ſulphure mediante calore ſubterraneo jungitur, tunc emergit exinde minera argentea ſciſſilis, friabilis, coloris lividi, quæ Germanice dicitur Horn-Ertz item Glaß-Ertz. Hæc minera argenti dives eſt, nam ejus centenarius interdum continet 70. vel 80. marcas argenti. Ubi vero argentum in terra coit cum ſulphure & cobalto, tunc inde naſcitur minera argentea rubri coloris, ſeu argentum rude rubrum, quod Germanice dicitur rothgüldiſch Ertzt; & quando argentum cum biſmutho & ſulphure in terra miſcetur, prodit exinde minera albi coloris argentea, ſeu argentum album rude, quod Germanice vocatur weißgüldiſch Ertzt; & denique, ſi argentum ingreditur mixturam ſulphuris & cupri, fit exinde minera argentea, quæ Germanice vocatur ſchwartzgüldiſch Ertzt. Hæ mineræ poſteriores ſunt rariores quidem, ſed ditiſſimæ, &, quod notabile eſt, earum venæ non uti viliores plumbeæ, in latum vel profundum extenduntur, ſed certis tantum ſpatiis incluſæ reperiuntur, quod Germani exprimunt per hæc verba: ſie liegen Nieren und Neſterweiſe. India occidentalis ſeu America ingentem nobis largitur hodie argenti & auri copiam, & mineræ argenteæ ibidem celeberrimæ ſunt in provincia Peru, regione argentea, ſeu ſic dicta Rio della Plata, & Potoſi urbe provinciæ Peru, conſtantque ex auro, argento & ſulphure. Olim Miſnia & Bohemia tantam argenti copiam Germaniæ largitæ fuerunt, ut vix quiſquam id credere poſſit, & legi hac de re poteſt ALBINUS in *Chronica metallica Miſnienſi Tit. IV pag.* 330. Celeberrimæ argenti fodinæ olim fuerunt in Bohemiæ urbe dicta vallis Joachimica, quæ dicitur Germanice Joachims-Thal / & ab hac urbe imperiales Joachimici, qui in ea primum cuſi fuerunt, nomen ſuum fuerunt mutuati. Præterea in Miſniæ urbibus *Annaberg*, *Marienberg*, *Freyberg*, *St. Georgen-ſtadt*, & in Saxonia inferiori in Sylva Hercynia in urbibus *Clauſthal*, *Cellerfeld*, *Goslar*, *S. Andreasberg*, celeberrimæ & antiquiſſimæ mineræ argenteæ fuerunt & ſunt. In Hungaria urbes Chemnizium & Neoſolium argentum & aurum nobis largiuntur, & Islebia quoque olim in notabili copia cuprum & argentum nobis ſuppeditavit. In Norwegia ante aliquot annos quædam fodinæ argenteæ repertæ fuerunt, purum, ſed in minori quantitate argentum ſuggerentes. Notabile hoc eſt, quod argentum præ cæteris metallis in lapide, qui dicitur ſpathum, & marmoris ignobilioris friabilis ſpecies eſt & forti igne in calcem vertitur, inveniatur, rarius vero nec niſi purum in ſilice candido, qui dicitur Quartz / & interdum in terra lutoſa pingui, reperiatur.

Argentum purificatur ab aliis ignobilioribus metallis, quæ ipſi admixta ſunt, mediante plumbo in cupula cinericea, utpote quod abſorbet & imbibit omnia reliqua metalla ſolo auro & argento excepto & in cineres ſecum abripit, duobus metallis nobilioribus ſcilicet auro & argento relictis. Hoc deinde adhuc ulterius purificatur ope fluoris nigri, & tali modo præparatum argentum dicitur Germanice fein Silber/ 16 löthig Silber / quia nullam particulam alterius metalli complectitur. Quando hujus argenti partes quindecim miſcentur cum una parte cupri, exſurgit exinde argentum, quod dicitur Germanice 15 löthig Silber / ſi duæ partes admixtæ fuerunt, dicitur 14 löthig/ & ex hoc conficiuntur thaleri Joachimici, qui pondere æquant unciam unam & dicti fuerunt nummi unciales.

Quod attinet ad notas argenti characteriſticas, quibus diſtinguitur ab aliis metallis, hæ ſunt ſequentes, 1) quod gravitate gaudeat peculiari, dum poſt aurum, argentum vivum & plumbum gravius eſt reliquis metallis; 2) quod a nullo alio menſtruo quam aqua

forti, quæ nil niſi ſpiritus nitri eſt, ſolvatur; 3) quod promtiſſime ſeſe conjungat cum ſulphure, adeo, ut, licet in ſe ſit difficillimæ fuſionis, cum ſulphure addito fluat ipſique firmius adhæreat, unde dependet fundamentum artificii aurum ab argento mediante fuſione ſeparandi, quod nonnullis artificibus magnum affert lucrum; 4) quod illud commune habeat cum auro, quod in cupella cinericea ſubſiſtat & a nulla re in calcem verti poſſit; 5) quod ſolutum in aqua forti & ſale communi præcipitatum ad fundum demittat magiſterium ſeu calcem, quæ liquefacta tota volatilis eſt & vocatur luna cornua, Germanice Hornſilber; 6) quod admiſſo vapore ſulphuris nigrum induat colorem.

Quod ſpectat ad uſum ejus medicum, is admodum exiguus eſt, proſtat tamen de eo 1) tinctura argenti cærulea, quæ præparatur, ſi argento affunditur ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, color vero ejus non argento ſed potius admixto cupro debetur, quod ægrius ab argento, nec niſi per cupellam & ulteriorem ejus cum nitro deflagrationem, quæ dicitur Germanice das Albrennen / ſeparatur, & pauca cupri grana inſignem quantitatem menſtrui præſertim alcalini cæruleo colore imbuunt. Quod autem hujus tincturæ color cæruleus dependeat a cupro, ex eo fit manifeſtum, quia ferro præcipitatur, atque, in majori copia ſi propinetur, vomitum excitat, ad quod accedit, quod puriſſimum argentum nunquam menſtruis urinoſis cæruleum colorem conciliet; 2) Bezoardicum lunare, quod ex regulo antimonii & argento conficitur, ſuamque virtutem unice regulinæ antimonii ſubſtantiæ, a nitro addito in calcem converſæ, non vero argento debet; 3) ſal quoddam corroſivum cauſticum ſub nomine lapidis infernalis notum, quod præparatur ex argento ſoluto in aqua forti ſeu ſpiritu nitri per evaporationem & dein liquefactione convertitur in lapidem corroſivum. Hoc lapide Chirurgi ad excitandos fonticulos & conſumendam ſuperfluam & putridam carnem feliciſſime utuntur, nec dum inventum eſt in rerum natura eo potentius cauſticum.

CAPUT III.

De Argento vivo ſeu Mercurio currente.

Dicitur hoc a Græcis Hydrargyron, quod ſignificat aquam argenteam, quia fluidum eſt metallum ſplendorem argenteum habens. Eſt verum naturæ miraculum, quia non datur corpus ei ſimile. Nam eſt fluidum, manus tamen non madefaciens, poſt aurum ponderoſiſſimum, ſimul tamen volatile & penetrantiſſimum, quia minimos metallorum poros ſubit eaque emollit atque in amalgama convertit. Denique eſt indeſtructibile, quia, licet in diverſiſſimas redactum fuerit formas, nihilominus tamen arte ſemper ad priſtinam reduci poteſt formam.

Reperitur in mineris vel purum, quod dicitur virgineum, ſed rariſſimum eſt caroque conſtat pretio, quia ab Alchymiſtis ad chryſopœiam admodum utile cenſetur & creditur vulgari præſtantius ob puritatem & majorem activitatem, quam ipſi adſcribunt. Ut plurimum aliis terris lapidibuſque immixtum eſt cum ſulphure. Mineræ argenti vivi ſunt rubicundæ, nec hoc mirandum eſt, quia ſulphur cum mercurio mixtum & ſublimatum hepaticum ſeu rubicundum induit colorem. Reperiuntur mineræ mercuriales noſtris temporibus nullibi majori in abundantia quam in Iſtria in Ducatu Carniolæ ſub Imperatoris poteſtate ſita, ubi mineræ hepatici coloris magna in copia ex terræ viſceribus eruuntur, quæ aqua elutriatæ fatiſcunt in pulverem rubrum, qui in retorta ferrea in pulverem nigrum ſublimatur, qui dein ulteriori præparatione mercurium currentem largitur. De fodinis hiſce mercurialibus legi poſſunt Acta Anglicana, utpote quæ referunt, ibidem quotannis 2000. centenarios argenti vivi confici. Olim id in Hiſpania & America fuit repertum, ſed hodie jam omnes venæ mercuriales exaruerunt, adeo, ut ſolus Imperator jam ejus monopolium poſſideat. Datur præterea alia minera mercurialis rubicundi elegantiſſimi coloris, quæ dicitur cinnabaris nativa. Hæc vel pura & integra vel cum aliis materiis mixta in Hungaria, Tranſylvania & India Orientali reperitur. Ex hac cinnabari puriſſimus mercurius vivus confici poteſt, ſi cum limatura martis in portione æquali miſceatur & deſtilletur; ita enim prodit mercurius vivus in vas recipiens, quod aquam continet. Quia vero hæc minera valde rara eſt caroque conſtat pretio, hinc minus uſurpatur ad extrahendum mercurium vivum.

Solet hic admixtione plumbi & biſmuthi adulterari neque facile hæc fraus detegitur, qui, cum his metallis per corium tranſit, niſi facta deſtillatione, qua admixta heterogenea remanent. Si quis igitur puriſſimum mercurium ad uſum medicum expetere velit, eum ex cinnabari vel nativa vel artificiali extrahere & conficere debet.

Notæ characteriſticæ, quibus ab aliis corporibus, mineralibus & metallis diſtinguitur argentum vivum, ſunt præter gravitatem ſpecificam, quam auro excepto in univerſa rerum natura maximam poſſidet, 1) auri dealbatio & amicum cum hoc metallo connubium, ſiquidem vix ullum corpus tam promte imbibit mercurium & arctius cum eo ſe conjungit quam aurum; 2) ejus amalgamatio facillima ac promtiſſima cum omnibus metallis ſolo ferro excepto; 3) color eleganter rubicundus, quem per mixtionem cum ſulphure & ſublimationem factam induit, dum in cinnabarin abit; 4) quod in ſpiritu acido nitri vel ſalis ſolutum in venenum, quo non datur potentius corroſivum, abeat, quod videtur in mercurio ſublimato; 5) quod ſummæ ſit penetrantiæ, dum non modo omnium metallorum poros excepto ferro penetrat, ſed etiam per corium tranſprimi poteſt & externæ cuti illitum ad interiora corporis penetrat; 6) quod lympham ac ſerum colliquet, hos humores impuros redditos depuret, ſalivationem excitet & luem veneream & ſcabiem alioſque cum lue venerea agnatos affectus curet.

Varia ex mercurio vivo præparantur medicamenta, ex quibus eſt 1) mercurius dulcis, qui ex mercurio ſublimato, quod ſummum venenum eſt, & mercurio vivo debita facta eorum mixtione & ſublimatione præparatur & hoc modo ſublimatum omnem corroſivitatem deponit & fit magnum reſolvens, lympham ac ſerum depurans & ſalivans remedium, hinc in lue venerea, ſcabie & ulceribus malignis ſummo cum fructu uſurpari poteſt; datur ad pauca grana & vel ſenſim, ſi opus eſt, augetur doſis, vel priſtina doſis tantum continuatur, 2) æthiops mineralis eſt mercurius vivus, qui cum floribus ſulphuris vel mediante igne vel ſine eo ſola tantum tritura miſcetur & redigitur in pulverem nigrum; omnes quas mercurius dulcis, poſſidet virtutes & adultis dari poteſt pro doſi ad ℈ß - ℈j. 3) mercurius præcipitatus ruber ſeu arcanum corallinum, quod præparatur ſolutione mercurii vivi in aqua forti hujuſque abſtractione; adhibetur externe ad calloſitates abſumendas, exedendum & carnem luxuriantem conſumendam; 4) mercurius præcipitatus luteus ſeu citrinus ſive flavus, qui etiam turpethum minerale vocatur, præparatur ex mercurio vivo digeſto cum oleo vitrioli,

trioli, quod poſtea abſtrahitur; Interne tuto adhiberi nequit, quia ad pauca grana datus vomitum, hypercatharſin, diarrhœas & ſpaſmos efficit; 5) mercurius præcipitatus albus, qui eſt mercurius ex ſolutione ejuſdem in aqua forti facta ope ſalis communis ab aqua ſoluti præcipitatus & aqua ſimplici edulcoratus. Externe adhiberi ſolet ad aquas phagædenicas, quibus ulcera impura calloſa & fiſtuloſa repurgari & conſolidationi ſperandæ aptari ſolent. Deinde inter illa coſmetica expeti ſolet, quibus varorum & ſerpiginum fœditas emendatur, neque minus contra ſcabiem & alias cutis exulcerationes celebratur, ſed hic magna opus eſt cautione & conſultius eſt, ab ejus uſu abſtinere, utpote qui minus tutus & ſecurus eſt; 6) cinnabaris tam ea, quæ ſit ex ſulphure vulgari, quam ea, quæ ex ſulphure antimonii per artem paratur, quo ſpectat etiam nativa in mineris inventa. Hæ cinnabaris ſpecies inter mercurialia omnia tutiſſimam præbet medicinam, quia ſubſtantia mercurialis ramoſis ſulphuris partibus eſt involuta, quo fit, ut ſalium acriorum in primis viis vel ſanguine oberrantium ſpicula minus in mercurium agere eumque corroſivum reddere poſſint. Denique egregium quoque ex mercurio præparari poteſt medicamentum, quod dicitur mercurius diaphoreticus ſolaris vel jovialis, ſi ſuper amalgama mercurii cum ſtanno vel auro ſufficiens quantitas ſpiritus nitri abſtrahitur & reſiduum in retorta cum aqua calida coquitur. Hic debita doſi & legitimo regimine exhibitus diaphoreſi contumaciſſimos morbos ex lymphæ impuritate & corruptela oriundos, ut luem veneream, ſcabiem & ulcera nec non paralyſin ſine ſalivatione feliciter tollit. Poteſt in forma pulveris dari ad duo grana & in eadem doſi cum extracto panchymago Crollii vel maſſa pilularum balſamicarum mixtum in lue venerea & aliis morbis ex vitio lymphæ orientibus glandularumque obſtructionibus præſtantiſſimam exſerit opem.

CAPUT IV.

De Stanno.

Triplex apud Veteres fuit cognitum ſtannum 1) nigrum, quod noſtrum eſt plumbum; 2) cinereum, quod eſt bismuthum; & 3) candidum, quod noſtrum eſt ſtannum.

Reperitur in tota Europa nullibi quam in Anglia, Bohemia & Miſnia, neque datur in mineris purum, ſed effoditur e mineris, quarum nonnullæ ſunt nobiliores & puriores, aliæ impuriores & ignobiliores. Illæ ſunt ſplendentes, lucidæ, coloris plerumque obſcuro-rubicundi vel bruni, dicuntur Germanice Zinngraupen & ſunt ſtanni admodum divites, ſiquidem earum centenarius 70. vel 80. libras ſtanni complectitur. Videntur hæ mineræ eſſe ſtannum a ſulphure ſubterraneo diſſolutum, quare hæ mineræ leni calcinatione, quæ ope ignis fit, ut ſulphur evaporet, tractatæ & poſtea cum carbonibus fuſæ puriſſimum elargiuntur ſtannum. Si ſtanni mineræ cum aliis terreſtribus & lapidoſis partibus ſunt commixtæ minusque puræ, vocari ſolent Zwitter/ oder Zinnſteine. In Angliæ provincia, quæ vocatur Cornubia, ingens ſtanni eruitur copia & mineræ admodum ſtanni ſunt divites. Hoc ſtannum vulgo creditur eſſe præſtantiſſimum, ſed jure non meretur hoc encomium, quia nimis molle & flexile eſt, unde opus habet induratione, quæ perficitur adjecta mixtura, quæ ex biſmutho, zinco & regulo antimonii componitur, qua tam durum fit, ut ſonum edat, cudi poſſit & argentum æmuletur; ſed habet id incommodi, quod denuo facta fuſione decrementum ponderis patiatur & maſſa ab eo ſecedat friabilis, quam Angli vocant Mondick. In Bohemiæ urbe metallica, quæ non procul a thermis Carolinis diſtat & vocatur Schackenwalde/ eruitur ſtannum, quod Anglicanum & bonitate & duritie ſuperat longiſſime. Copioſiſſimum vero ſtannum Miſnia elargitur & inprimis ejus urbes *Altenberg*, *Marienberg*, aliæque ſtanni fodinis clarent. Notabile eſt, quod hoc metallum non facile in lapide calcareo, qui vocatur Spath/ ſed potius in ſilice, qui dicitur Quartz/ item in terra calciformi pingui, quæ Germanice vocatur das Seifengebürge/ vel in terra arenoſa, quæ appellatur Germanice das Sandgebürge/ reperiatur. Deinceps curioſum quoque hoc eſt, quod ſtanni mineræ nunquam diffundantur in longiora & profundiora ſpatia ſeu venas, ſed acervatim inveniantur, quod Germani exprimunt per hæc verba, ſie liegen Neſter= oder Stockweiſe. Tum illud quoque notatu dignum eſt, quod non tantum ſtanni foſſores, ſed ii etiam, qui mineras ſtanni igne tractant, nullo morbo metallico corripiantur, ſed ſani & incolumes permaneant vivantque.

Characteres, quibus ſtannum ab aliis metallis diſtinguitur atque cognoſcitur, ſunt 1) quod ſit metallorum leviſſimum; 2) quod igne convertatur in cineres; 3) quod, ſi funditur cum auro, ipſi firmiſſime adhæreat, ut ægerrime nec niſi cum ingenti quantitate plumbi & cupri addita iterum fundatur & demum in cupella cinericea tractetur, ſeparari poſſit; 4) quod, ſi ſolutio ſtanni & auri aquæ inſtillentur, elegantiſſimus rubineus color exſurgat, pulviſque ejuſdem coloris fundum petat, quo etiam artifices utuntur ad rubineum vitrum pretioſum conficiendum; 5) quod limatura ſtanni injecta nitro in crucibulo fuſo flammam excitet.

Quod attinet ad uſum medicum 1) ſtannum ingreditur famigeratiſſimum illud medicamentum, quod dicitur antihecticum Poterii & præparatur, ſi limatura ſtanni cum regulo antimonii martiali miſcetur & ad hujus mixturæ partem unam nitri partibus tribus ſumtis convertitur in calcem, quæ cum tribus argenti partibus reverberata colorem induit cæruleum; 2) præparatur ex amalgamate mercurii & ſtanni, ſpiritu nitri deſuper abſtracto, mercurius diaphoreticus, qui non facile niſi majori doſi, ſi bene præparatus fuerit, vehementiam exercet & vomitum & ſalivæ fluxum excitat; 3) præparatur a curioſis ex ſtanni parte una, argenti vivi partibus tribus & mercurii ſublimati partibus quatuor ſpiritus perpetuo fumans ſeu cum aere fermentans.

CAPUT V.

De Cupro.

Cuprum a Veteribus dicitur æs idque vel Cyprium, vel Corinthiacum audit, illud noſtrum eſt cuprum, hoc noſtrum orichalcum.

Mineræ cupreæ ſunt vel puriores vel impuriores. Inter illas hæc minera cupri, quæ vocatur Germaniæ gediegen= Kupfer/ rarior eſt, & comparatur ex aquis vitriolicis Hungariæ Neoſolienſibus & in civitate, quæ dicitur *Herrengrund*, reperiundis; nam quando ferrum iis injicitur, illi adhæret cuprum puriſſimum. Reperitur quoque purum cuprum in forma pulveris in nonnullis Sueciæ locis, præcipue in aquis ſubterraneis, item in Thuringiæ oppido *Saalfeld*. Deinceps inter mineras cupreas merito referri debet minera cupri, quæ dicitur vitrea, Germani-

ce Glaß-Kupfer / & hæc eſt vel cærulea lucida, quæ rarior eſt, vel ſubnigricans opaca, cujus centenarius 80. libras cupri ſæpius continet. Arte præparari poteſt hæc minera vitrea, quando ſulphur commune cum cupri lamellis colliquatur. Ex eadem minera per lenem calcinationem præparari ſolet vitriolum veneris cæruleum, quod colore & virtute ad cyprium accedit. Reperitur hæc minera magna in copia in urbe *Schvvartzenberg*. Præterea dantur aliæ nobiliores mineræ cupreæ eleganti colore ſplendentes, quæ vocari ſolent Pfauenſchwäntze / & Schneebergæ, Freybergæ & Goſlariæ reperiuntur, ignobiliores vero ſeu impuriores mineræ cupreæ cum ſulphure, plumbo & ferro mixtæ, lapidoſæ ac lutoſæ ſunt, & ſæpe lapidi ſciſſili, qui vocatur Germanice ein Schärfer / frequentius vero ſpatho inhærent. Dantur quoque marcaſitæ cupreæ ſulphureæ Goſlariæ, quæ ſuſæ primo ſulphur nigrum, deinde vero forti calcinatione & inſtituta fuſione cuprum largiuntur, ex quo poſtea lege artis argentum ſeparari poteſt. Notabile eſt, quod venæ, quæ cuprum fundunt, vel in profundum extendantur, quod Germanice exprimi ſolet per hæc verba: in die Tiefe ſetzen / & tunc pro matrice plerumque habeant ſpathum, vel in latum exporrigantur, quod Germani dicunt thonlegig oder ſie ſetzen ins Feld / & tunc pro matrice habeant lapidem ſimilem. Notatu digna res eſt, quod cuprum plerumque amplectatur argentum, quod ſingulari artificio durch Seigern ſeparant.

Notæ characteriſtæ, quibus cuprum ab aliis corporibus & metallis diſtinguitur, ſunt 1) quod cum lapide calaminari, qui Germanice dicitur Gallmey / vel, quod melius eſt, cum zinco vel tutia ſutum aureum ſplendorem ac colorem acquirat & in orichalcum mutetur, quod duplex eſt, vel vulgare, quod cum lapide calaminari eſt confectum, vel nobilius, quod Germanice dicitur Printzmetall / quia Princeps Robertus in Anglia id invenit, & cum tutia, quæ lapidis calaminaris flos eſt vel cum zinco paratur; 2) quod omnia ſalia alcalina tam volatilia quam fixa, immo aqua calcis vivæ, quæ omnia nullum metallum quam cuprum diſſolvunt, elegantiſſimam cæruleam tincturam ex cupro, acida vero viridem ex eo extrahant; 3) ſolutionem argenti, ſi ipſi injicitur, præcipitet, cupri vero ſolutio præcipitetur a ferro; 4) quod nullum metallum ſine ulla additione retortæ vitreæ inditum ſpiritum acidum ſponte dimittat quam cuprum. Sic viride æris, quod nihil aliud eſt quam cuprum ab acido ſolutum deſtillatione largitur acidum ſpiritum, qui dicitur ſpiritus viridis æris.

Quod attinet ad uſum Medicum, is exiguus eſt quoad medicamenta interna, nam omnia ex cupro præparata nauſeam & vomitum excitare ſolent, & ſi in paulo majori offeruntur doſi, hæc eo facilius & magis efficiunt, & propter acrimoniam ventriculo & generi nervoſo ſunt inimica. Laudantur tamen temperata, uti tinctura veneris Helvetii ad enecandos vermes, item ad epilepſiam, ſi ex ſaburra in inteſtinis & ventriculo viſcida proveniat. Spectant huc quoque cryſtalli veneris cærulei dulces, quos deſcripſit STISSERUS in Laboratorio ſuo, quique ad epilepſiam & morbos chronicos debellandos admodum celebrantur. Crebrior vero cupreorum uſus eſt externus, inprimis viridis æris, cryſtallorum veneris & vitrioli cuprei, quæ exedentem facultatem habent, unde in carne luxuriante & calloſitatibus fiſtularum abſumendis egregiæ ſunt efficaciæ.

CAPUT VI.

De Plumbo.

HOC metallum natura producit maxima in copia. Ingentem ejus copiam ſylva Hercynia ſuperior & inferior, præſertim urbes *Zellerfeld*, *Clauſthal* & *Goslaria* largiuntur. In Miſnia quoque, Polonia & Suecia itidem producitur ſed in minori quantitate. Ejus mineræ ſunt vel nobiliores, quæ rariores, vel ignobiliores ſeu vulgares. Inter illas dantur pellucidæ inſtar cryſtalli, varii coloris, viridis, flavi, cærulei & albicantis, & has maxime profert Freyberga in Miſnia. Harum centenarius ad minimum 70. vel 80. libras plumbi habet, & eruuntur hæ mineræ ex unica tantum fodina, quæ dicitur Scherfe. In Polonia & quidem ejus urbe Ilcuſſia minera provenit alba inſtar cretæ vel boli albi ponderoſa, quæ complectitur copioſum plumbum, quod ſtatim crucibulo ignito indita & baculo ferreo agitata in fundum demittit. Imitantur mineræ plumbeæ pellucidæ vitra ſaturni, quæ identidem pellucida ſunt & ex plumbo, ſale & ſilicibus præparantur. Præterea mineræ plumbeæ ignobiliores ſeu vulgares rurſus dividuntur in pauperiores & impuriores ac divites & puriores. Divites vocantur Germanice grobglantzig oder grobſpießig / item Spaniſch-Bley Ertzt / & paucas admixtas habent terreas & lapidoſas partes; habent ſæpius figuram cubicam vel ſexangularem & ex earum centenario producuntur 70. vel 80. libræ plumbi. Pauperiores plumbi mineræ dicuntur Germanice Kleinſpießig / & admodum refertæ ſunt lapide, qui vocatur Germanice Spath / & copioſæ ſunt in ſylva Hercynia. Notatu dignum eſt, quod Anglia quotannis ad minimum 120000. centenarios plumbi largiatur. Ejus fodinæ exſtant in urbibus inter Scotiam & Angliam ſitis ut Novo Caſtro aliiſque. Sylva Hercynia tam ſuperior quam inferior quotannis 60000. centenarios plumbi ſuppeditat, urbs Villacum in Ducatu Carinthiæ quotannis dat 2000. centenarios plumbi, quod omnium eſt puriſſimum & adhibetur maxime ad ſeparationem auri & argenti ab aliis metallis: urbs Poloniæ Ilcuſſia & comitatus Marck in Weſtphalia etiam quotannis mille centenarios plumbi largiuntur: ſed univerſa India eo plane caret. Plumbum maxime amat connubium argenti, hinc nullum datur ejus expers præter Villacenſe. Reperitur maxime in lapide, qui dicitur Germanice Spath / rariſſime in ſilice, qui vocatur Quartz. Datur præterea alia minera, quæ forma & colore æmulatur plumbum & dicitur Germanice Waſſerbley & magis eſt excrementum metallicum, quo artifices ad lineas ducendas utuntur, nullum vero plumbum eſt & tantummodo in Anglia & Miſnia Altenbergæ in mineris ſtanneis reperitur. Mineræ plumbeæ omnes ſulphuris conſortium amant & cum eo plumbum conjunctum in mineras abit, unde artificio ex ſulphure & plumbo confici poſſunt mineræ plumbeæ; notandum vero eſt, quod ſulphur non poſſit niſi leni calcinatione & adjectione alcalinorum, non vehementi fuſione, ſeparari.

Singularibus gaudet plumbum proprietatibus, quæ aliis metallis negatæ ſunt a natura 1) omnis ejus calx, ſive rubicunda, quæ eſt minium, ſive alba, quæ eſt ceruſſa, cum pulvere ſilicum in igne forti abit in vitrum; 2) ſi in liquore acido ſolvitur, ipſi conciliat dulcem ſaporem; 3) fumus ejus nobilioribus metallis ut auro & argento perniocioſiſſimus eſt, dum illa penetran-

penetrando reddit friabilia; 4) vitrum ejus omnia vaſa & crucibula terrea penetrat.

Quod attinet ad uſum medicum, ejus fumus omniaque præparata corpori humano prorſus noxia ſunt & inimica; id quod metallurgorum in plumbo laborantium morbi ſatis evincunt.

Quo pernicioſior vero eſt ejus uſus internus, eo nobilior eſt ejus uſus externus, ſiquidem omnia ejus præparata ut ceruſſa, minium & lithargyrium omnia fere emplaſtra ingrediuntur & ſalia acida ſubtilia dolorem & inflammationem inferentia abſorbent. Saccharum quoque ſaturni & lithargyrium in oculorum affectibus ut eorum inflammationibus, doloribus & defluxionibus acribus ſiſtendis & ad partes exulceratas exſiccandas & abſtergendas præſtantiſſima ſunt remedia.

CAPUT VII.

De Ferro.

FErrum omnium metallorum eſt quidem viliſſimum & copioſiſſimum, ſed ſimul antiquiſſimum & ad artes mechanicas & medicinam utiliſſimum. Provenit in omnibus fere Europæ regionibus, maxima vero in abundantia in Germania. Optimum habetur Norwegicum & Stiriacum, quod Germanice dicitur Steyermärkiſch / & id, quod ex Helvetiæ montibus effoditur. Bonitas ferri conſiſtit in ejus duritie, ductilitate & in eo, ſi præſtantiſſimum chalybem largitur. Notabile eſt, quod ferri mineræ variis figuris, formis & coloribus ludere ſoleant. Sic figura earum interdum conchas ſtriatas, cochleas, cornua Ammonis, membra genitalia muliebria, item crania animalium & hominum exprimit. Nonnullæ mineræ ſunt figuræ rotundæ, politæ, pyramidalis, octoedræ, & aliæ ſquamas piſcium referunt & vocari ſolent germanice Glaß-Köpfe. Porro mineræ ferri dantur vel albicantis coloris ut flavi, rubicundi, coccinei, obſcuro-rubicundi vel bruni. Pro matrice habent mineræ ferri lutum vel bolum vel calcareum lapidem, rarius ſilicem. Porro mineræ ferri ratione bonitatis differunt, dum quædam ingentem ferri copiam fundunt idque vilioris pretii, aliæ melioris notæ ferrum ejuſque minorem largiuntur quantitatem. Producitur ferrum ex mineris ſola fuſione, prius facta mixtione cum lapide calcareo vel ſolo carbonum pulvere. De chalybe notabile hoc eſt, quod is non detur nativus, ſed omnis fit artificialis & præparetur variis modis, per cæmentationem & ignis ſuppreſſionem, quo fine ferrum cum pulvere carbonum, oſſibus & cornibus animalium miſcere & in vaſe clauſo igni exponere ſolent. Optimus chalybs præparatur in Hiſpania, unde adhuc magnopere æſtimantur gladii Hiſpanici, item in Gallia, ex quo præſtantiſſimi illi forfices ſatis noti ad nos feruntur. Optimum ferrum vocant Kroneiſen.

Characteres atque proprietates ferri, quibus ab aliis diſtinguitur corporibus, ſunt 1) quod a lapide magnete attrahatur, adeo, ut omne id, quod a magnete attrahitur, ferreæ naturæ corpus eſſe pronuntiandum ſit; 2) quod ferrum ignis vehementia fuſum igneam quaſi ebullitionem ſubeat, copioſiſſimas igneas ſcintillulas in aerem diſpergendo, tamdiu donec omne deflagraverit, ſcoria tantum terreſtri relicta, quod fit ob ſulphuris, quo ferrum ſcatet, abundantiam; 3) quod rubigini tam facile ac prompte ſit obnoxium, quam non modo cujuſcunque generis ſalia acida ſed aer etiam humidus inferunt; 4) quod a quovis acido ſolvatur & cum eo in vitriolum abeat; 5) quod argentum vivum, quod tamen omnia reliqua metalla aggreditur, illud intactum relinquat.

Ad mineras ferri ſpectant quoque lapides quidam ut 1) magnes, 2, hæmatites, 3) ætites, 4) lapides nigri varie figurati, qui in quibuſdam rivis contenti ſunt & in pharmocopoliis ſub nomine roher Saphir venduntur. Omnes enim hos lapides magnes attrahit & vitrum magnum cauſticum in ferrum colliquare poteſt, unde perperam ad lapides referuntur ſed potius ad mineras ferri referendi ſunt.

Ex ferro multa in medicum cedunt uſum 1) limatura ejus cruda, qua primus in medicina uſus eſt Sylvius, & quæ in abſorbendo primarum viarum acido & ad robur viſceribus relaxatis conciliandum in chronicis paſſionibus egregii uſus eſt & utilitatis: 2) croci martiales, qui vario præparantur modo. Optimus crocus is eſt, qui non ignem experitur ſed ex limatura martis per certum tempus aeri libero exponenda conficitur. Dividitur crocus martis vulgo in aperitivum & adſtringentem. Ille cum leniori acido ut vegetabili, hic cum fixiori acido præparatur. Iſtæ croci martis præparationes ſunt optimæ, quando aqua fortis vel ſpiritus nitri adfunditur limaturæ, maſſa poſt ſolutionem coagulatur atque in crucibulo calcinatur, vel, quando limatura martis extremo igne calcinatur & comburitur in calcem tenuem purpureo-rubicundam. 3) Ex ferro præparantur variæ ſolutiones & eſſentiæ, quæ ob colorem tincturæ martiales vocantur. Hæ pro differentia menſtruorum, quibuscum factæ ſunt, & pro vario præparandi modo admodum differunt & fine aperiendi adſtringendi vel roborandi uſurpantur. Sic eæ tincturæ martiales, quæ cum ſubtiliori & leviori acido ut vegetabili præparantur, ſcopo aperiendi, & eæ, quæ cum acido graviori & fixiori, ut minerali conficiuntur, magis fine adſtringendi adhiberi & ordinari ſolent. Inter illas priores principem locum obtinent tincturæ quæ præparantur cum ſuccis acidis ut ſucco malorum cydoniorum, pomorum citri, aurantiorum & vino Rhenano. Poſterioribus tincturis, quæ adſtringendi virtute gaudent, martialibus accenſendæ ſunt illæ, quæ cum ſpiritu ſalis nitri & vitrioli præparantur. Spectat huc quoque liquor martialis, qui ex floribus ſalis ammoniaci martialibus in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutis conficitur, & aperiendi & roborandi ſcopo adhiberi poteſt.

CAPUT VIII.

De Antimonio.

MIneralia optime in ſulphurea, ſalina & mercurialia dividi poſſunt. Ad ſulphurea pertinent ſulphur vulgare, omnis generis bitumina, carbo foſſilis, ſuccinum & ambra; ad ſalina ſal commune, alumen, vitriolum ejuſque mineræ variæ; & ad mercurialia cobaltum. Illud vero minerale, quod ex mercuriali & ſulphurea ſubſtantia compoſitum eſt, audit antimonium, ſeu ſtibium, Germanice Spießglaß. Hoc magni ab Alchymiſtis æſtimatur, quia credunt, duo illa auri principia, nempe ſulphur & mercurium ipſi ineſſe pura, atque id colligere volunt exinde, primo, quia aurum mediante hoc minerali ab omnibus peregrinis metallis aliiſque heterogeneis materiis admixtis liberatur & depuratur, dum nempe hæc omnia quaſi abſorbet, unde etiam ab Alchymiſtis non inconvenienter lupus metallorum dicitur; deinde, quoniam auri colorem & ſplendorem, ſi ſæpius cum ipſo funditur & forti igne in auras pellitur,

intendit; & denique, quoniam mercurialem fovet ſubſtantiam, quæ in ejus regulo conſpicitur, & agit omnia metalla & ipſum aurum friabilia reddendo, hinc mercurium philoſophicum, qui ita dicitur, quoniam aurum intimè diſſolvit, in eo quærere contenderunt ſed fruſtraneo & infelici conatu.

Reperitur in variis Germaniæ locis. Olim magna ejus copia inventa fuit in Vogtlandia. Noſtris temporibus in comitatu Stolbergenſi ditiſſimæ ſunt mineræ antimoniales. In Galliæ quoque provinciis, Poitou, Provence, Bretagne & Auvergne, & in Hungaria & Tranſilvania eruitur. Hungaricum & Tranſilvanicum judicant Alchymiſtæ præſtantiſſimum, prætertim Cremnizenſe & Chemnizenſe, ſed falsa ex opinione, qua ſcilicet ſibi perſuadent, id magis aptum eſſe ad aurum conficiendum majoremque cum eo habere affinitatem, quia id ibidem ſimul reperitur.

Ex mineris ſequenti modo elicitur & præparatur antimonium: contundunt nempe eas in pulverem & aqua elutriant, quod Germanice exprimitur per verba: pochen und ausſchwämmen / poſtea eas in duabus olis, quarum una terræ infoditur, altera ſuperimponitur intercedente lamina ferri foraminibus pertuſa igne ſubdito fundunt, quo ſcoriis in olla ſuperiori remanentibus maſſa antimonii pura in inferiorem ollam deſcendit, quæ nominatur panis, Germanice Kuchen. Conſtat antimonium, uti jam antea dictum fuit, ex ſulphure, quod a ſulphure vulgari non differt, & ſubſtantia mercuriali gravi, quæ dicitur quoque ſubſtantia regulina. Quod hoc verum ſit, patet ex eo, quia antimonium perfectum exſurgit, ſi portio ejus regulina cum ſulphure debita in quantitate addito igne ſuppreſſo funditur. Sulphur antimonii, niſi quid de ſubſtantia regulina in ſe contineat, omnis virulentiæ & noxiæ virtutis eſt expers, regulina vero ejus portio indolis eſt arſenicalis ſeu cobalticæ, adeoque virtutis venenatæ & valde noxiæ. Quamvis igitur antimonium ex parte valde noxia & venenata, puta regulinam ejus ſubſtantiam, ſit compoſitum, nihilominus tamen antimonium crudum pulveriſatum interne abſque ullo damno & ſubſequente vomitu vel alvi fluxu adhiberi poteſt, immo potius rite uſurpatum egregium exſerit effectum reſolventem & ſanguinem & humores depurantem, unde etiam ad equos pinguefaciendos, eorum morbos tollendos & diſpoſitiones morboſas præcavendas ſummo cum fructu a vulgo ſolet uſurpari. Præterea ad curandos morbos a lymphæ impuritate oriundos, ut luem veneream, affectus ſcabioſos & ulcera maligna, antimonium crudum in refracta doſi in pulvere crebrius ſumtum vel cum ſpeciebus lignorum debita in quantitate decoctum maximopere commendatur, & nonnulli Medicorum id in morſulos redactum cum aliis convenientibus ingredientibus in phthiſi magnis extollunt laudibus; ſed more magis eſt receptum, illud, ſi ſcopo ſanguinem & humores depurandi eſt adhibendum, in petia ligatum cum ſpeciebus decoctorum purificantium coquere & ſic uſurpare. Simulac antimonium igni committitur, ut ſulphur deflagret, vel hoc ope corporum alcalinorum admixtorum ſeparetur a regulina ſubſtantia, tunc ſtatim virtutem aſſumit draſticam, cauſticam, venenatam & vomitum vehementem atque inflammationes excitantem; id quod vitrum antimonii & crocus metallorum ſatis ſuperque teſtantur.

Singularibus gaudet antimonium proprietatibus ſeu notis characteriſticis, quæ ſunt 1) quod cum limatura martis mixtum & fuſum in crucibulo exhibeat regulum, 2) omnia metalla auro admixta fuſione ſeparet & quaſi imbibat ſolo auro relicto, quod fundum cum portione reguli petit: 3) quod cum nitri partibus tribus mixtum & detonatum in calcem albam diaphoreticam abeat; 4) quod ejus vitro vehemens virtus emetica inſit.

Quod attinet ad uſum medicum & pharmaceuticum, multa ex eo præparantur medicamenta, ut 1) Vitrum antimonii, ex quo per infuſionem vini fit aqua benedicta RULANDI, quæ emetica virtute gaudet, & tartarus emeticus, qui longe vehementior eſt illo vulgari, qui ſecundum *Mynſichtum* præparatur ex croco metallorum, conficitur; 2) crocus metallorum, qui ex æqualibus partibus antimonii & nitri præparatur & tartari emetici præparationi inſervit; 3) ſulphur antimonii auratum, quod præparatur, ſi ſcoriæ reguli antimonii ſimplicis in aqua decoquuntur & aceto optimo præcipitatio inſtituitur, & ſi ad præcipitationem hanc ſolutio tartari crudi adhibetur, exurgit Panacea Glauberiana; 4) antimonium diaphoreticum, qui ex antimonii crudi parte una & nitri partibus tribus detonatione præparatur & virtutem diaphoreticam & abſorbentem exſerit; 5) ceruſſa antimonii, quæ ex reguli antimonii martialis parte una & nitri partibus tribus detonatione præparatur & eandem, quam antimonium diaphoreticum, poſſidet virtutem. Ex aqua iſta, qua antimonium diaphoreticum fuit edulcoratum, cryſtalliſatione paratur ſal, quod dicitur; 6) nitrum antimoniatum & ex eadem acido præcipitatur ad fundum materia alba, quæ dicitur 7) materia perlata Krugneri; 8) tinctura antimonii tartariſata; 9) tinctura antimonii acris, quæ ex ſpiritu vini rectificatiſſimo cum partibus æqualibus nitri & reguli antimonii martialis antea calcinatis digeſto conficitur; 10) bezoardicum minerale, quod eandem, quam antimonium diaphoreticum poſſidet virtutem & pulveres ingreditur bezoardicos. Præparatur vel via humida ſcilicet ex butyri antimonii parte una & ſpiritus nitri partibus octo, vel via ſicca, nempe ex mercurii vitæ parte una & nitri partibus tribus; 11) mercurius vitæ, qui eſt pulvis præcipitatus ex butyro antimonii per aquam communem; draſticum minus tutum & in ſecurum eſt remedium & vomitum movet; 12) butyrum antimonii, quod nihil aliud eſt quam regulus antimonii ſolutus in ſpiritu ſalis; & præparatur, ſi antimonii crudi pars una cum partibus duabus mercurii ſublimati miſcetur & ex retorta deſtillatio inſtituitur; 13) regulus antimonii medicinalis, qui ex antimonii crudi partibus quinque, ſalis communis partibus quatuor & ſalis tartari parte una præparatur; gaudet virtute egregia reſolvente & diaphoretica & ſummo cum fructu in morbis ex lymphæ vitio adhibetur; 14) clyſſus antimonii ſulphuratus; & 15) cinnabaris antimonii, de qua legatur diſſertatio noſtra.

CAPUT IX.

De Sulphure.

Sulphur a Græcis appellatur θεῖον, procul omni dubio tam propter ignem, cujus principium eſt, quam propter mirabiles effectus, quos in regno minerali & in tota rerum natura producit. Sulphur minerale eſt corpus inflammabile, quod leni calore fluit & ex acido ſpiritu & terra phlogiſta ſeu ſubtili inflammabili conſtat; id quod ſulphuris artificialis præparationes ſecundum BOYLE, GLAUBERUM, & STAHLIUM confirmant. Tota regio ſubterranea eo ſcatet nec ulla a terræ viſceribus eruitur minera, quæ non de ſulphure participet, ut non immerito a Philoſophis & Chemicis pro materia metallorum & mine-

mineralium, item anima & forma metallorum æſtimetur.

In magna copia reperitur in Italia, præcipue regno Neapolitano & Siciliæ, ubi longi & ampli terræ tractus eo repleti ſunt, & montes ignivomi proſtant, qui fumos ſulphureos in flores coeuntes eructant, quod fit maxime in diſtrictu prope Veſuvium. Patet ſimul hinc, cur his in regionibus terræ motus adeo frequentes ſint & aquæ calidæ ſcaturiant. Rariſſimum eſt ſulphur purum, nitidum, interdum tamen in montibus Goſlarienſibus metallicis, vulgo der *Kammelsberg*, reperitur. Datur quoque ſulphur nativum ſalſi ſaporis, inflammabilis naturæ, coloris flavi, quod in monte Veſuvio reperitur & ſal ammoniacum nativum dicitur. De hoc ſcripſit diſſertationem WEDELIUS. Deinceps quoque curioſæ ſunt illæ mineræ ſulphureæ, quæ ſparſim in ſtratis argillaceis reperiuntur variisque figuris notatæ ſunt, & vocari ſolent marcaſitæ ſulphureæ vel mineræ vitriolicæ aut mineræ martis ſolares. Copioſiſſimæ hæ mineræ ſunt in Anglia atque ex his præparatur vitriolum Anglicanum. Curioſum eſt, quod hæ mineræ, ſi igni ſubjiciuntur, elargiantur ſulphur, ſi vero diutius aeri libero exponantur, tranſeant in vitriolum martiale omnis venerei contagii expers. In Germania Goſlariæ ſulphur magna in copia ex mineris ſequenti modo præparatur: exponitur nempe ſtratum ſuper ſtratum ex mineris & lignis ſub nomine Germanico Reißholtz notis libero aeri & magno collecto acervo ſubjicitur ignis illeque accenditur; ſic ſulphur ex mineris ſublimatur, colliqueſcit & colligitur in cavitatibus. Illud, quod ſublime petit & poſtea calore colliquatur, eſt puriſſimum & dicitur Germanice Tropfſchwefel / quia guttatim deſtillat; illud vero, quod in media hujus acervi cavitate colligitur, duplicis eſt generis; ſuperius eſt ſulphur vulgare flavi coloris, inferius in fundo eſt chryſeum impurius & Germanice vocatur Roßſchwefel. Quotannis Goslaria bis mille centenarios ſulphuris largitur, deinde in Miſnia ingens quoque ſulphuris puriſſimi quantitas præparatur, quia mineræ ejus copioſo ſulphure ſcatent, & quotannis Miſnia quinque mille centenarios ſulphuris largitur.

Proprietates & characteres ſulphuris ſunt ſequentes: 1) eſt inflammabile & totum igne conſumitur; 2) ab omnibus liquoribus alcalicis ſolvitur; 3) ſolutio & fumus ejus argentum atro tingunt colore; 4) argentum, ſi ipſi additur, leniſſimo igne accedente in fluorem redigit; 5) accenſum dat fumum, qui acidum largitur ſpiritum, & vapor ejus hoc habet peculiare, quod animantia protinus ſuffocare ſoleat; 6) in menſtruo alcalino ſolutum, ſi præcipitatur aceto affuſo, fundum petit pulvis albus, qui dicitur lac ſulphuris; 7) omnia metalla excepto auro aggreditur, ſolvit & in mineras convertit.

In medicina varia proſtant e ſulphure præparata, ut 1) ſpiritus ſulphuris acidus, qui maxima ex parte cum ſpiritu vitrioli convenit ſed ſubtilitate & volatilitate ab eo differt; 2) flores ſulphuris virtute gaudentes diaphoretica; 3) lac ſulphuris, quod bonum eſt aſthmaticum; 4) tinctura ſulphuris; hæc cum quovis ſale alcalino ex tempore confici poteſt; ſic enim ſulphur convertitur in hepar, quod eſt ſubſtantia bruni coloris ex ſulphure & ſale alcalico conſtans, ex qua affuſo ſpiritu vini rectificatiſſimo tinctura aurei coloris emergit; 5) balſama ſulphuris, quæ vel cum oleis deſtillatis vel expreſſis variis modis præparari ſolet. Sic emergit exinde balſamum ſulphuris terebinthinatum, ſuccinatum, aniſatum & juniperatum. Optimum eſt ratione uſus interni cum oleo amygdalarum dulcium confectum. Si loco ſulphuris ſumitur ejus hepar, balſamum fœtidi odoris exinde emergit externe uſurpatum magna virtute diſcutiente gaudens. Sulphur intus ſumtum tranſpirationem promovet & non ſolum hujus ope humorum impuritates ab humoribus ſeparat, ſed exanthemata etiam retropulſa expellit. Eandem ob rationem commendatur etiam & conducit in iis morbis, qui a tranſpiratione impedita & ſuppreſſa oriuntur, quales ſunt catarrhi, tuſſis, coryza, gravedo & nonnulli alii affectus pulmonum, ſi nulla febre ſtipantur. Externe applicatum diſcutit & ſcabiem aliaque id genus exanthemata retropellit, hinc uſus ejus externus debita cum cautione eſt inſtituendus. Ad uſum internum eliguntur flores ſulphuris & dantur pro doſi ad grana tria vel quatuor immo largiori doſi.

CAPUT X.

De Vitriolo.

Vitriolum dicitur etiam Chalcanthum, item atramentum ſutorium, quoniam eo utuntur ſutores ad coria atro colore imbuenda. In variis regionibus & provinciis reperitur ut in Hungaria, Italia, Germania & Anglia. Variæ ejus dantur ſpecies. Eſt enim vel cæruleum vel viride vel album vel ex cæruleo & viridi mixtum. Cæruleum eſt indolis cupreæ uti Cyprium; ex viridi & cæruleo mixtum naturæ cupreæ & ferreæ; & viride & flaveſcens martialis tantum eſt proſapiæ, uti Anglicanum & Italicum. Hoc perperam dicitur Romanum, nam Romæ nullum præparatur vitriolum, ſed ex Campania fertur. Illud vitriolum, quod mixti eſt coloris ſeu viride & cæruleum, maxime in Hungaria Chemnitzii & Cremnitzii & in Germania Salisburgi & Goslariæ effoditur & præparatur. Facile detegi poteſt, num cuprum ingrediatur vitriolum, ſi ſaliva madefactum ferro ut cultro affricatur; nam cuprum dimittit, quod mox adhæret ferro. Vitriolum Anglicanum & Italicum ex pyrite ſeu minera ſulphuris vitriolica præparatur. Has nempe mineras in Angliæ colligunt in acervos, aeri libero aliquamdiu exponunt, & poſtea aquam in doliis ſuperaffundunt & lixivium in vaſis plumbeis incoquunt. Ejuſmodi vitriolum ad medicinam eſt longe utiliſſimum, quia eſt indolis martialis nec uti cupreum nauſeam & vomitum movet corporique eſt inimicum. Præterea vitriolum eſt vel nativum vel factitium. Illud reperitur Goſlariæ in monte Goſlarienſi vulgo *Kammelsberg*, rarius eſt & ex aqua ex cryptis ſubterraneis exſtillante & minera vitriolica imprægnata generatur & ab ea deponitur. Alias coquitur quoque Goslariæ ex mineris, quæ vocantur lapides atramentarii Germanice Atramentſteine. De vitriolo albo hoc eſt notandum, quod artificiale ſit nihilque aliud quam vitriolum, quod ad latera ahenorum plumbeorum, in quibus vitriolum coquitur, ſeſe appoſuit, unde color ejus cæruleus ab admixto plumbo in album fuit mutatus. Hoc vitriolum Medici in oculorum affectibus, in quibus ſaturnina remedia tanquam ſpecifica commendari ſolent, adhibent, & quoniam cuprum admixtum habet, ſimul vomitum excitat, ſiquidem omne vitriolum cupri particeps emeticam poſſidet vim, cum contra martiale vitriolum, uti Anglicanum & Bohemicum, quod conficitur zu *Altſattel*, alvum potius moveat.

Uſurpatur vitriolum ſcopo vel medico vel mechanico vel alchymiſtico. Alchymiſtæ hoc credunt eſſe veram materiam lapidis philoſophici & omnium metallorum matricem, unde celebre hoc dictum, ex cujus literis initialibus emergit vocabulum *Vitriolum*, originem

originem ſuam duxit: *Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.* Mechanici vitriolo utuntur ad tingenda varia colore nigro, ſed ad hoc non omne vitriolum æque aptum eſt, & Salisburgenſe eſt omnium aptiſſimum & præſtantiſſimum ad hunc ſcopum.

Medici ex vitriolo varia præparant medicamenta, ut 1) phlegma vitrioli; 2) ſpiritum vitrioli; 3) oleum vitrioli; 4) colcothar vitrioli; 5) ſpiritum vitrioli volatilem; 6) tartarum vitriolatum; 7) terram vitrioli dulcem; 8) ſal vitrioli emeticum ſeu gillam Theophraſti; & 9) pulverem ſympatheticum.

Singulares vitrioli proprietates ſunt ſequentes; 1) ejus ſolutio, admixta ſolutionibus vegetabilium adſtringentium cum aqua factis colorem atrum his conciliat; 2) omnia vitriolacea intus adſumta fæces alvinas atro tingunt colore; 3) additum nitro eique admixtum ſpiritum ejus acidum liberat, ut leni calore avolet, & in hoc conſiſtit artificium præparandi ſpiritum nitri ſeu aquam fortem; 4) ſolutum, ſi liquoribus alcalicis præcipitatur, dimittit ad fundum terram flavam, quæ dicitur ochra.

CAPUT XI.

De Alumine.

Apud Veteres varia fit mentio aluminis ſciſſilis, plumoſi & rupei; ſed hæ aluminis ſpecies nec ſpectant ad noſtrum alumen, nec ſunt verum noſtrum alumen, quod proprie eſt ſal adſtringens ex certis mineris mediante ſolutione cum aqua evaporatione paratum. Notabile eſt, quod, ſicuti vitriolum in mineris, quæ ſulphur commune ſeu minerale continent, naſcitur, ita alumen plerumque inveniatur in ejuſmodi mineris, quæ ſovent terram bituminoſam ſeu inflammabilem, & ſunt lithantracis ſpecies, & circa Bohemiæ urbem Altſattel & Miſniæ urbem Düben magna in copia reperiuntur. In Miſniæ pago Schwentzel non procul ab urbe Düben ingens aluminis copia præparatur & hæc præparatio ſequenti inſtituitur modo: minera nempe aluminoſa in ingentes congeritur acervos, aerique libero exponitur; ſæpius vero fit, ut ejuſmodi acervi ſolis æſtu ſponte accendantur, quo facto omni cura aqua affuſa ignis debet extingui. Si hæc minera per aliquot menſes ſic ſteterit libero aeri expoſita, poſtea immittitur in dolia & aqua adfuſa ſal per aliquot dies extrahitur, tum lixivium per canales in lebetes plumbeos laboratorii ducitur ac derivatur & coctio inſtituitur. Poſtea cum jam ad dimidiam partem inſpiſſatum fuit, ſolutio cinerum clavellatorum admiſcetur; ita mox vehemens cum ſpumeſcentia oritur ebullitio & pulvis granulatim copioſus in fundum ſecedit. Poſtquam omnia refrigerata fuerunt, liquor ſupernatans flaveſcens removetur & farina alba aluminoſa in fundum dejecta ſolvitur in aqua ac denuo coquitur & aqua probe ſaturata in magna dolia infunditur, quæ occluſa per aliquot ſeptimanas in uno loco perſiſtunt, poſtea iis apertis eorum lateribus ingentis magnitudinis & figuræ octoedriæ cryſtalli appoſitæ cernuntur. Inſuper notatu dignum eſt, quod mineræ iſtæ ſale fixo orbatæ, ſi denuo in acervos colliguntur iique per integrum annum diu aeri libero exponuntur, de novo ſale aluminoſo imprægnentur, ut præparationi aluminis denuo & quidem per tres annos inſerviant. In coctione aluminis illud quoque notabile occurrit, quod ex ejus lixivio ſine additione cinerum clavellatorum vel ſalis cujuſdam alcali alumen non in ſolideſcentem formam redigi, multo minus in cryſtallos reduci poſſit. Olim & hodienum in aliis locis, ubi alumen coquitur, loco cinerum clavellatorum urinam humanam putrefactam adjiciunt ob ſal urinoſum volatile, quo etiam acidum nimium temperari ſolet, ſed parabiliori hac encheireſi inventa jam urinæ uſus exolevit.

Speciales aluminis proprietates ſunt ſequentes: 1) in cryſtallos figuræ octoedræ abit; 2) ſolutio ejus, ſi ipſi affunditur liquor alcalinus, pulverem candidum in copia ad fundum dimittit, 3) adſtringentis & ſtyptici eſt ſaporis; 4) igni impoſitum valde ſpongioſum evadit, forti igne acido ſuo privatur & illud ex aere rurſus attrahit.

Præterea tam mechanico quam medico uſui egregie inſervit. Tinctores & librarii, qui chartam conficiunt, eamque aqua glutinoſa ſpiſſant, eo frequentius utuntur. In medicina interne raro vel plane non uſurpatur a prudentibus Medicis, exceptis Empiricis, qui illud ad febres intermittentes ſupprimendas ſed infeliciſſimo ſubſequente effectu adhibent. Externe illud, ſcilicet crudum, uſurpant Chirurgi in hæmorrhagiis nimiis ſiſtendis, quia ſanguinem coagulat ejuſque fluxum ſiſtit, uſtum vero ad carnem luxuriantem abſumendam & cum aliis idoneis remediis mixtum ad carnem gingivarum nimis relaxatam roborandam uſurpare ſolent. Mediante ſale alcalino ut ſale tartari vel cineribus clavellatis præparatur ex alumine ſal neutrum, quod aperitiva & abſtergente virtute gaudet & alvum & urinam movet.

CAPUT XII.

De Nitro.

Nitrum a Græcis vocatur φλογιςὸν ob inflammabilitatem, quam actu exſerit igni impoſitum, & dicitur quoque ſal petræ, quoniam ſaxis præſertim calcareis adhærere ſolet. Noſtrum nitrum differt a nitro Veterum, præſertim Ægyptiorum, quod natron vocarunt. Noſtrum enim nitrum eſt ſal neutrum & inflammabile, Veterum vero nitrum eſt ſal alcalinum inſtar cinerum clavellatorum nullam concipiens flammam. Collectum olim fuit, hoc & adhuc hodie colligitur magna in quantitate ex lacubus ſtagnantibus in Ægypto & Smyrnæ eruitur ex terra, unde magna in copia Lutetiam Pariſiorum transfertur, ubi ex eo cum additis axungiis ſaponem conficiunt. Europa hoc nitro plane caret. Differt porro noſtrum nitrum a ſpuma nitri, quæ etiam aphronitrum dicitur, nihilque aliud eſt quam ſubſtantia ſpumoſa candida in ſpecubus præſertim ſubterraneis e calcareo lapide conſtantius effloreſcens, ſaporis amaricantis, nec inflammabilis naturæ neque in igne ad fundendum idonea, uti noſtrum nitrum. Reperitur inſignis ejus copia Bononiæ, item circa Puteolos in regno Neapolitano & in quibuſdam montibus excavatis prope Jenam. Noſtrum vero nitrum præparatur tur ex terra ſulphurea alcalinæ naturæ & optima eſt illa, quæ in ſuperficie murorum exſtat, & ab ea abraditur diuque pluviis & radiis ſolaribus expoſita fuit. Ad nitri generationem terra illa eſt optima, quæ ex ſtabulis, in quibus jumenta excrementa depoſuerunt, effoditur. Ejuſmodi terram in acervos colligunt, per aliquot menſes pluviis liberoque aeri exponunt, poſtea in dolia inferunt duobus fundis inſtructa, quorum ſuperior multis foraminibus eſt pertuſus, huic imponunt terram eique affundunt calidam aquam, quæ ſal illud nitroſum imbibit & hoc imprægnata per foramina & lintea ſuppoſita deſcendit

dit in dolium inferius & vocatur lixivium nitri, quod poſtea miſcetur cum lixivio ex calce viva & cineribus vulgaribus parato & ſic præparatur nitrum ex acido aëris ſulphureo & ſale alcalino, poſtea coquitur & ad cryſtalliſationem reponitur, deinde rurſus coquitur & coagulatur & ita purius evadit. Lixivium quod a cryſtalliſatione relinquitur, ſolet vocari matrix nitri, & ex hac præparatur egregia medicina laxans & acidum primarum viarum abſorbens magneſia dicta, quæ nihil aliud eſt, quam calcis vivæ ſubtiliſſima terrea portio. Præſtantiſſimum quoque præparatur nitrum in India Orientali & quidem in provincia Pegu, item in Ruſſia, quod utrumque noſtrum virtute inflammatoria & puritate longe ſuperat & noſtro ad pulverem pyrium conficiendum longe convenientius & præſtantius eſt. Differentia vero puritatis inter nitrum Indicum, Ruſſicum, & noſtrum in eo conſiſtit, quod in purificatione centenarius nitri Indici, quod optimum eſt, amittat 7 libras, Ruſſici 17 libras & noſtri 27 libras. Notabile eſt, quod terræ nitroſæ elutriatæ, ſi denuo ſat diu aëri exponantur libero, iterum ſal nitroſum ſuppeditent ex aëre attractum, & conſtat ex obſervationibus porro, quod menſibus Majo, Junio, Julio & Auguſto, ſi tempeſtas ſit ſicca & venti boreales & orientales flent, copioſiſſimum generetur nitrum, pauciſſimum vero ſub flatibus auſtrinis occidentalibus & tempeſtate humida & pluvioſa.

Notæ characteriſticæ nitri ſunt 1) quod carbonibus vivis injectum vel ſulphuri liquato mixtum totum deflagret; 2) cryſtalliſando figuram nanciſcatur priſmaticam ſeu pyramidalem; 3) peculiari encheiriſi tractatum largiatur ſpiritum volatilem & fumantem acidiſſimum, qui olea aromatica, ſi iis affunditur, incendit & flammam excitat; 4) interne uſurpatum eximia refrigerandi virtute gaudeat, quæ guſtu quoque percipitur, & aquæ frigidæ injectum ejus frigus intendat & augeat; 5) hoc habeat peculiare, quod ſanguini, quamvis illum refrigeret, fluiditatem tamen & floridum colorem conciliet.

Uſus nitri tam in mechanicis quam medicina eſt plane eximius: Baſis enim eſt pulveris pyrii, cujus virtus in commovendis & diſſipandis ſolidiſſimis maximæ molis corporibus perquam nota eſt, quæ eo vehementior eſt, quo purius eſt nitrum.

In medicina proſtant 1) nitrum depuratum, quod omne reliquum nitrum alio modo depuratum virtute ſuperat; 2) lapis prunellæ, qui præparatur, ſi nitro in crucibulo fuſo injiciatur ſulphur. Ejuſdem eſt virtutis, cujus nitrum depuratum, hoc excepto, quod magis ad indolem accedat alcalinam minuſque refrigeret; 3) nitrum fixum, quod eſt purum ſal alcali & præparatur, ſi nitro fuſo pulvis carbonum injicitur tamdiu, donec non amplius accendatur; 4) ſpiritus nitri fumans, qui vel cum argilla vel ſpiritu vitrioli vel ejus oleo præparatur & valde eſt corroſivus; 5) ſpiritus nitri dulcis, qui carminativæ, anodynæ & diureticæ virtutis eſt & ex ſpiritus vini rectificatiſſimi partibus octo & ſpiritus nitri fumantis parte una per deſtillationem ex alembico prodit; 6) ſal polychreſtum, quod ex partibus æqualibus nitri & ſulphuris præparatur; 7) nitrum antimoniatum, quod exſurgit, ſi lixivium in præparatione antimonii diaphoretici incoquitur & ad cryſtalliſationem reponitur; 8) arcanum duplicatum, quod in præparatione ſpiritus nitri in fundo retortæ manet, ex acido vitrioli & terra alcalina nitri conſtat adeoque ſal medium eſt; 9) aqua fortis, quæ nil niſi ſpiritus nitri eſt & ad chymicas & mechanicas operationes maxime uſurpatur. Denique notandum eſt, quod nitrum ſibi relictum & tantummodo purificatum inſigni virtute refrigerante & antiſpaſmodica gaudeat, arcanum vero duplicatum, nitrum antimoniatum & ſal polychreſtum inflammabilitatem amiſerint & virtute tantum aperitiva laxante & diuretica inſtructa ſint.

CAPUT XIII.

De Sale communi.

SAl commune eſt triplex vel foſſile vel marinum vel fontanum. Foſſile e terra eruitur, durum eſt & ſolidum, omniumque celeberrimum eſt Polonicum, quod magna in copia provenit in urbibus Poloniæ, Bochna & Vilizca.

Datur quoque ſal foſſile Hungaricum, quod in Hungaria ſuperiori in Palatinatu Maramoroſienſi eruitur, & pellucidum & cryſtallinum eſt & vocatur ſal gemmæ: item Tranſilvanicum; nec non Ruſſicum in regno Aſtracan, Siberia & Tartaria, neque minus Germanicum in Comitatu Tyrolenſi, Halæ & in aliis locis.

Reperitur in profundis fodinis, ex his eruitur, in fruſta comminuitur, in foveas terræ infoſſas injicitur, & in has immittitur aqua, quæ fruſta illa ſalina ſolvit & hoc ſale imprægnata extrahitur & incoquitur. Sic præparatur illud ſal, quod dicitur Germanice Scheibenſalz. Eodem modo in conficiendo ſale proceditur in epiſcopatu Salisburgenſi.

Quod attinet ad ſal marinum, illud ſuppeditat maxime mare mediterraneum, ſiquidem libra una aquæ marinæ ex mari mediterraneo dat unciam unam ſalis, ex mari vero ſeptentrionali unciam dimidiam ſalis. Optimum præparatur in Hiſpania, Luſitania & Gallia. Optimum ſal fontanum eſt Luneburgenſe, hoc dignitate ſequitur noſtrum Halenſe, & id, quod in Ducatu Magdeburgico coquitur. De coctione ſalis noſtri Halenſis hoc notatu dignum eſt 1) quod non in ſolidiorem redigi poſſit conſiſtentiam niſi addatur in coctione portio ſanguinis bovini &, ſi hic additur, tunc ſpumeſcat & ſic depuretur; 2) quod in coctione nihil accedere debeat, quod pinguedinem habet; alias enim ad ſolidam formam non facile poteſt reduci, quod Germanice exprimi ſolet per hæc verba: es giebet keine rechte Körner/ es wird manſchig/ 3) quod vehementi igne non debeat urgeri, ſi ad cryſtalliſationem diſponitur; alias enim inſignis ſalis quantitas in auras diſploditur.

Notæ bonitatis ſunt 1) durities ſeu ſoliditas; quo enim firmius eſt & ſolidius, eo eſt efficacius; 2) duratio in aëre præſertim humido, ut non deliqueſcat; 3) candor, qui teſtatur de puritate & abſentia partium heterogenearum, præſertim pinguium; id quod quoque ex eo judicatur, quando in aqua ſolvitur & ſolutio clara eſt neque ad fundum aliquid impuri ſecedit; 4) quo majorem cryſtallorum copiam largitur, eo efficacius & melius eſt habendum. Ex bonitate vero & puritate ejus dependet melior corporum conſervatio & hoc, quod minor ad uſum œconomicum quantitas debeat impendi.

Gaudet ſingularibus quibuſdam proprietatibus, quæ ſunt ſequentes; 1) figuram cubicam in cryſtalliſatione recipit; 2) carbonibus injectum ſtrepitum edit; 3) ſingulari vi gaudet in poros auri ingrediendi, adeo, ut ſine eo nullum aurum poſſit ſolvi; 4) omni animantium generi præſertim humano eſt amicum ejuſque ſanitati conducit; 5) ſi ſpiritus ejus miſcetur cum ſale alcalico ut ſale tartari, regeneratur ſal commune.

Uſus ejus partim eſt œconomicus, partim medicus. In œconomia magnæ eſt efficaciæ ad conſervandas carnes, vegetabilia a corruptione vindicanda, cibos condien-

condiendos eoſque ſapidos reddendos, item ad corpus noſtrum ſanum conſervandum, dum non modo ad digeſtionem ciborum concurrit, ſed excretiones etiam neceſſarias promovet & conſervat. In medicina præparatur ex eo 1) ſpiritus ſalis ope acidi vitriolici; ex ſpiritu ſalis præparatur tinctura aperitiva Moebii, quæ nihil aliud eſt niſi ſpiritus ſalis oleo tartari per deliquium affuſo temperatus rubroque tinctus colore: bonum eſt reſolvens, urinam movens, calorem & ſitim ſedans, & ſtomachicum remedium; 2) Spiritus ſalis dulcis, qui conficitur deſtillatione ex parte una ſpiritus ſalis & ſpiritus vini rectificatiſſimi partibus tribus & reſolvente & ſtomachica virtute gaudet; 3) ſal mirabile Glauberi, quod impetratur ex reſiduo in retorta poſt deſtillationem ſpiritus ſalis relicto & aqua ſoluto acidoque in eo prædominante ope affuſi olei tartari per deliquium infracto; 4) ſal commune toſtum vel fuſum & cum variis aromatibus mixtum præbet egregium medicamentum ad digeſtionem adjuvandam & cruditates viſcidas reſolvendas; 5) ſal commune egregia eſt medicina reſolvens & ſtimulans, hinc quoque ſtimulandi cauſa clyſteribus addi ſolet.

CAPUT XIV.

De Sale Ammoniaco.

SAl ammoniacum nativum deficit noſtris temporibus. Illud quidem nominatur nativum, quod in Italia circa montes ignivomos & præſertim circa montem Veſuvium reperitur, & magnam ſulphuris vulgaris copiam in ſe continet, & affuſo oleo tartari per deliquium ſpiritum urinoſum præbet, ſed hoc nil niſi concrementum ſalino-ſulphureum eſt, & illud ſal ammoniacum, quod vulgare eſt & in officinis proſtat, eſt artificiale & præparatur Venetiis & Antwerpiæ, item in locis orientalibus, ſpeciatim & præſertim in Ægypto, unde Batavi ad nos tranſportant navibus. Illud, quod Venetiis præparatur, habet formam panis orbicularis minoris, & candidum eſt; illud autem, quod ex Oriente venit, magis griſeum impurum nec tam ſolidum eſt. Præparatio ejus ita inſtituitur: ſumunt nempe quinque partes urinæ humanæ, unam partem ſalis marini & dimidiam partem fuliginis, hæc omnia miſcent, coquunt & in unam coagulant maſſam, deinde magnis vaſis ſublimatoriis ingerunt & fortiore igne ſublimant; ita oritur ſal ammoniacum, quod eam formam, qua venditur, habet. Fundamentum hujus præparationis in eo conſiſtit: ſal volatile urinæ, quod ſub ejus putredine liberatur & avolat, figitur ab adjecti ſalis communis acido, cum eo conjungitur, & ita ſal neutrum penetrantis odoris emergit, quod ſublimatur, quia ſal volatile urinoſum acidum ſalis communis ſecum abripit. Si ſali ammoniaco admiſcetur ſal alcali e. g. cineres clavellati vel ſal tartari, tunc hoc aggreditur acidum ſalis communis & cum eo in connubium abit, quo ſal volatile urinoſum liberatur, ſui juris fit & avolat. Hoc fundamento nititur præparatio ſalis volatilis ſalis ammoniaci & ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci.

Proprietates ſpecificæ ſalis ammoniaci ſunt ſequentes; 1) igni expoſitum totum avolat & in vaſe clauſo ſublimatur; 2) mixtum cum ſale alcalino odorem urinoſum volatilem ſpargit; 3) mineralia & metalla fortiori igne in altum ſecum vehit.

Præparata ex ſale ammoniaco in medicina proſtant ſequentia; 1) ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, qui duplex eſt & vel cum calce viva præparatur, qui odoris eſt penetrantiſſimi, vel cum cineribus clavellatis ſeu ſale tartari conficitur, qui mitior eſt; 2) ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis vinoſus, qui inflammabilis eſt & olea ſolvit; 3) ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, quod cum variis oleis deſtillatis nervinis & cephalicis mixtum conſtituit ſal Anglicanum, quod tanquam errhinum in capitis affectibus crebro uſurpari ſolet; 4) flores ſalis ammoniaci ſimplices, qui cum ſale communi præparantur & egregiam virtutem antifebrilem poſſident; 5) flores ſalis ammoniaci martiales, qui præparantur cum hæmatite; 6) ſpiritus ſalis ammoniaci acidus, qui ex capite mortuo florum ſalis ammoniaci martialium deſtillando elicitur; 7) ſal digeſtivum Sylvii, quod per ſolutionem & coagulationem ex capite mortuo ſpiritus ſalis ammoniaci præparatur.

CAPUT XV.

De variis Salium generibus.

DAntur præter vulgaria illa & notiſſima ſalia, ut vitriolum, ſal commune, nitrum & alumen, quæ ex terra & ejus viſceribus eruuntur, plura alia ſalium genera, quæ fontibus medicatis, thermis & acidulis inſunt & ex iis præparantur. Sunt vero vel pure alcalina vel ſalia neutra varii generis vel ex ſale alcalino & neutro mixta. Chemici hac occupati ſunt opinione, quod in regno minerali a natura nullum producatur ſal alcali & artis tantummodo ſit productum; ſed quam maximopere fuerint in eo decepti, docent aquæ medicatæ, ut thermæ & acidulæ, ut quæ ſal alcali in ſe continent.

Quod vero aquæ medicatæ, ſcilicet thermæ & acidulæ, ſale gaudeant alcalino, ex ſequentibus probari poteſt argumentis, 1) quia omnes acidulæ & thermæ cum acido efferveſcunt & cum eo in ſal abeunt neutrum; 2) quia ſyrupum violarum viridi tingunt colore; 3) quia puriſſimum largiuntur ſal alcali quod mixtum cum ſale ammoniaco ejus ſal volatile liberat, & cum ſpiritu vitrioli in tartarum vitriolatum abit; 4) lac non coagulant ſed fluidum reddunt & conſervant. Ejuſmodi purum alcali reperitur in aqua Selterana & thermis Embſenſibus; ſal vero copioſum alcalinum cum neutro mixtum in thermis Carolinis; ſal alcali volatile & ſulphureum ſpirituoſum principium in acidulis Pyrmontanis; ſal alcali cum neutro ſale mixtum in acidulis Schwalbacenſibus & Egranis, ſubtile ſal alcali & principium terreum in acidulis Antonianis & Wildungenſibus; & ſal alcali una cum ſale communi in Wisbadenſibus acidulis. Non ſolum vero in Germania ſed in Gallia etiam & Anglia acidulæ & thermæ ope debitæ evaporationis partim ſal alcali partim ſal neutrum exhibent, & horum ſalium & vaporis ſeu ſpiritus ſulphurei volatilis ope ſuam exſerunt efficaciam, quam abſolvunt vaſa ſtimulando, excretiones promovendo, acidos humores alterando & infringendo, viſcidum reſolvendo, & vaſa obſtructa reſerando, qui effectus ex parte quoque ab aqua ſimul ipſa ejuſque copia dependent.

Hæc ex fontibus præparata ſalia habent virtutem reſolventem, incidentem, aperitivam, antifebrilem, laxantem & ſtomachicam & diſſoluta in aquæ puræ fontanæ quantitate debita conſtituunt aquas ſalubres medicatas artificiales & virtute aperitiva & laxante gaudent & in morbis chronicis maximæ ſunt utilitatis. Horum famigeratiſſimum eſt ſal Ebſonienſe ſeu Anglicanum, quod in alvo aperienda & detergendis primis viis magnam famam & laudem conſecutum eſt. Spectat huc quoque ſal Egranum & Sed-

Sedlicenſe, quod ratione virtutis cum priori convenit, & notabile eſt, quod nullum ſal artificiale ratione ſaporis & virtutis ad ſalia iſta, quæ ex fontibus medicatis parantur, propius accedat, quam ſic dictum ſal mirabile Glauberi. Notatu porro dignum eſt, quod ex thermis Carolinis duplex ſal præparari poſſit, unum alcalinum inſtar ſalis tartari & alterum ſal neutrum amaricans cryſtallinum ſaporis quodammodo nitroſi refrigerantis.

CAPUT XVI.

De Borace.

AD ſalia nativa ſpectat quoque ſal illud famigeratiſſimum, quod boracis nomine venit. Borax a voce Arabica Baurach derivatur & a Græcis vocatur chryſocolla, quia ab aurifabris ad conglutinationem & fluorem auri & argenti facilitandum adhibetur, unde etiam gluten auri vocatur. Nihil aliud eſt quam ſal minerale, inſtar ſalis gemmæ tranſparens, & eruitur ex terra crudum, quod dicitur Tincar Hoc ſolvitur in aqua, coagulatur & ita præparatur ſal illud cryſtallinum album, quod in officinis proſtat & dicitur borax

Magna ejus copia proſtat Smyrnæ, ex qua transfertur ad Venetias vel Angliam, ubi depuratur & conficitur. Præparatio fit ſequenti modo: ſali cremato affundunt urinam & lixivium cinerum, & hæc invicem cocta ad cryſtalliſationem reponunt. Eſt ſaporis urinoſi amaricantis neque effervescit cum alcali & acido; in aere deliqueſcit, neque ſpiritum urinoſum præbet, ſive cum alcali miſcetur, ſive ex retorta deſtilletur, ſed tantum phlegma odoris & ſaporis expers ſub deſtillatione ope vehementis ignis inſtituta largitur. Nonnulli boracem artificialem conficiunt ex nitro fixo, alumine & urina, ejuſdem quoque eſt ſaporis, cujus nativa ſed non idem præſtat in conglutinatione metallorum, quod borax vera nativa. Proprietates ejus ſingulares ſunt ſequentes 1) calore admoto facile fluit, id quod non cum aliis contingit ſalibus, unde etiam omnium metallorum liquefactionem promovet eaque ſimul purificat; 2) in crucibulo acriori igne fuſa in vitrum eleganter pellucidum mutatur & hinc primarium eſt ingrediens vitrorum pellucidorum cryſtallinorum & vitri parandi ex calce ſeu cineribus antimonii.

Mechanici eo utuntur, uti jam dictum eſt, in arte vitriaria & aurifabri ad conglutinanda metalla, aurum nempe & argentum. In medicina adhibetur ad menſium & lochiorum fluxum ſuppreſſum revocandum & fœtus mortui expulſionem promovendam. Virtute quoque egregia gaudet incidente, reſolvente & abſtergente, nec non alvum & urinam movente & obſtructa vaſa reſerante, hinc in morbis chronicis ſummo cum fructu uſurpatur, præſertim, ſi ſufficiens ejus quantitas in aqua fontana ſoluta adhibetur.

CAPUT XVII.

De Cobalto & Arſenico.

COBaltum vocatur etiam Cadmia foſſilis metallica, Germanice Kobalt/ ad differentiam a cadmia foſſili lapidea, quæ vocatur lapis calaminaris, Germanice Gallmey/ & cadmia fornacum, quæ appellatur Germanice Hüttenrauch/ & fuligo eſt ex mineris igne aduſtis proveniens & furnis & caminis adhærens. Cobalto abundant metallifodinæ Schneebergenſes in Miſnia & effoditur vel purum vel cum aliis mineralibus & metallis mixtum, ſiquidem facile argento, ſtanno & bismutho adhæret. Differt ratione figuræ, formæ & coloris, dum vel album vel nigrum vel gryſeum datur. Eſt mercurialis metallicæ venenatæ indolis & ex eo ſummum venenum, arſenicum ſcilicet, præparatur, quod ſequenti perficitur modo: quando cobaltum in præparatione ſmalti igne tractatur, vapor oritur, qui inſtar fuliginis furnis ſe apponit ac venenatæ indolis eſt, & Germanice vocatur Fliegenpulver/ quia eo muſcas necare ſolent. Hic pulvis funditur cum ſale communi, deinde ſublimatur & ſic conſtituit arſenicum album, quod inſtar vitri fragile & ſummum venenum eſt. Si hoc cum ſulphure mixtum denuo ſublimatur, exſurgit arſenicum coloris eleganter flavi vel rubicundi naturæ minus virulentæ. Porro ex cobalto calcinato cum cineribus clavellatis & arena fuſo præparatur maſſa vitrea opaca obſcure cærulea, quæ molarum ope in tenuiſſimum pollen cæruleum redigitur, quod dicitur ſmaltum vel encauſtum cæruleum, Germanice die blaue Farbe/ & ad linteamina mundanda & albificanda & a pictoribus ad cæruleum colorem adhibetur. Non vero omnis cobalti ſpecies inſervit genuino ſmalto præparando, ſiquidem illud cobaltum, quod plumbum admixtum habet, ad hoc minus idoneum exiſtit, ſed id ad hunc ſcopum omnium aptiſſimum eſt & optimum, quod mineris jovialibus adhæret.

Proprietates cobalti ſingulares ſunt 1) quod fuſione vitrum elegantiſſimi cærulei coloris largiatur; 2) per ſublimationem ſummum evadat venenum. Arſenici vero proprietates ſunt 1) quod igni injectum fœtidiſſimum odorem alliaceum ſpargat; 2) cuprum, ſi cum eo funditur, dealbet, colore argenteo tingat & friabile reddat; 3) virulentia ſua homines & animalia interficiat; 4) ſi carbonibus ardentibus injicitur, fumum emittat, qui albo colore ferrum inficit. In medicina quidem interne vix vel plane non uſurpatur; quidam tamen ex eo conficere ſolent antifebrile, quod ad febres intermittentes curandas magnopere commendatur ut ſpecificum; ſed remedium eſt minus tutum & ſecurum. Exterius quoque ad conſumendam carnem ſpongioſam uſurpari ſolet, ſed hoc quoque non præſtat ſine dolore. Cobalto Mechanici utuntur ad vitrificationem cæruleam, & arſenico ad vitrificationem albam in præparatione terræ porcellanicæ utuntur.

CAPUT XVIII.

De Biſmutho.

BIſmuthum dicitur a Veteribus plumbum cupreum, & a Recentioribus marcaſita. Ejus minera paucis in locis in Europa ut in Miſnia Altenbergæ & Schneebergæ & ibidem magna in copia eruitur. Eſt vel purum, quod dicitur Germanice gediegen/ ſed reperitur rarius, & igne ſubterraneo eſt quaſi fuſum & ſplendet inſtar argenti, ac vario gaudet colore vel adhæret lapidibus maxime impuris, a quibus leni igne ſeparari poteſt: nam facile leni igne ad fluorem redigi poteſt. In Anglia juxta fodinas ſtanneas reperitur & in Miſnia effoditur frequentius iis in locis, in quibus ſunt vel olim fuerunt divitiſſimæ mineræ argenteæ, quare etiam Metallurgi & Alchymiſtæ hanc fovent ſententiam, quod biſmuthum ſit argentum immaturum ſeu imperfectum, & ſi metallurgi ejuſmodi mineras biſmutho divites deprehen-

prehendunt, dicere ſolent: wir ſind zu früh gekommen. Quia vero in iiſdem mineris non raro ſimul argentum offendere ſolent, hinc, ubi biſmuthum inveniunt, maximam ſibi faciunt ſpem inveniendi argentum, unde etiam dicere ſolent: Biſmuth gedoppelten Muth. Biſmuthum indolis eſt mercurialis, quare ſeſe facile conjungit cum argento vivo & hoc etiam ab illo adulterari ſolet, deinde eſt volatilis naturæ, nam leni igne tractatum abit in auras & denique facile funditur, & vim poſſidet deleteriam. Metallis ſi admiſcetur, ea reddit friabilia, excepto ſtanno, quod durum, ſtabile & ſonorum efficit & argenteo tingit colore. Purificari & in regulum fundi ſolet cum tartaro crudo & nitro & præterea in præparatione eodem, quo in præparatione reguli, modo proceditur. Hic regulus biſmuthi quando ad unciam unam cum ſtanni libra una miſcetur, hoc durum & ſonorum evadit.

Quod attinet ad ſpeciales proprietates, quibus hoc minerale gaudet, hæ ſunt ſequentes; 1) facile funditur, ita, ut flamma candelæ ejus fuſionem efficere poſſit; 2) ſtanno duritiem conciliat, reliquis vero omnibus metallis fragilitatem; 3) facile connubium init cum mercurio vivo. Uſus biſmuthi mechanicus nullus alius eſt quam quod mixtura ex biſmutho, ſtanno & mercurio vitra interius interdum obducantur, ut ſpecula imitentur & ut ſtanno major durities & ſplendor concilietur. Uſus ejus Medicus internus rarior eſt. Nonnulli quidem ejus magiſterium, quod præparatur, quando in ſpiritu nitri ſolvitur & poſtea oleo tartari per deliquium præcipitatur, ad febrem quartanam contumaciorem curandam magnopere commendant, ſed ſuadeo, ut ab ejus abſtineatur, quoniam biſmuthum arſenicalem ſubſtantiam in ſe continet & vehementem vim vomitoriam habet. Externe magiſterio biſmuthi utuntur ad guttam roſaceam curandam & faciei maculas detergendas, quo fine illud probe edulcoratum cum axungia humana miſcent & ſub forma linimenti illud adhibent vel ex eo cum aliis ingredientibus aquam efficiunt coſmeticam, Omnia vero metallica id habent vitii, quod cuti extrinſecus applicata vaſcula ejus conſtringant, maculas & guttam roſaceam non funditus tollant, ſed repellant tantum & cutem ipſam deſtruant. Curioſum eſt noſtrum experimentum, quod magiſterium biſmuthi vitro grandiori cauſtico fundatur in corpus metallicum ſtanni naturam æmulans.

CAPUT XIX.

De Lapide calaminari, Zinco & Tutia.

Lapis calaminaris, qui vocari etiam ſolet cadmia foſſilis, eſt mediæ ſubſtantiæ inter terram & lapidem, texturæ mollioris & friabilis & coloris varii, ut ſublutei cinericei vel flaveſcentis, vel ſubrubri. Reperitur in variis Germaniæ locis nempe inter Coloniam Agrippinam & Aquisgranum, in Weſtphalia ad oppidum Lemgow, item in Polonia & Miſnia. Indolis eſt alcalinæ terreæ; id quod ex eo patet, quia ab omni acido ſolvitur, cum eo efferveſcit, & ſi cum ſale ammoniaco miſcetur, more alcalinorum ſal volatile urinoſum ejus liberat; ſed hoc habet peculiare, quod, ſi deſtillatur, inſtar vitrioli ſpiritum acidum odoris valde ſulphurei largiatur & accenſus fumum eructet luteum.

Characteres & proprietates lapidis hujus ſunt ſequentes: 1) ſi cum cupro ſtratificatur & mixtura inditur magno crucibulo & vehementi exponitur igni, aureo colore cuprum tingit ejuſque pondus auget, & ſic præparatur orichalcum; 2) ſub fortiori fuſione flores emittit cinericei coloris, nullius odoris & ſaporis, qui adhærent racematim operculis, quibus tigilla ingentis magnitudinis teguntur, & veniunt nomine tutiæ, quo nomine ſalutati hi flores fuerunt ab Arabibus Medicis &, quoniam olim ex Alexandria tutia in Germaniam & alias provincias apportata fuit, vocata fuit κατ' ἐξοχὴν Alexandrina. Tutia hæc, quæ non niſi lapidis calaminaris ſubtilior portio eſt, adhibetur ad purius orichalcum, quod Germanice vocatur Prinzmetall/ conficiendum.

Quod concernit uſum lapidis calaminaris & tutiæ, is eſt exſiccans, adeoque in defluxionibus oculorum, ulceribus exſiccandis & ſcabie humida exſiccanda lapis calaminaris &, quod melius eſt, tutia in pulverem redacta & cum aqua roſarum mixta cum fructu externe adplicari poteſt. Ingreditur quoque emplaſtra exſiccantia.

Singularis quoque datur lapidis calaminaris ſeu cadmiæ ſpecies, quæ non e terra eruitur, ſed arte quaſi inter operationes metallicas præparatur, id quod Goſlariæ viſitur, ubi minera plumbi nitida, quæ Germanice vocatur Kleinſpießig/ ſi igne funditur, emittit vaporem volatilem, qui ſe lateribus furni apponit inſtar fuliginis, veluti leviter colliquatur, & aperto deinde furno decutitur & dicitur Oefenbruch. Cum hoc concreto & cupro præparant orichalcum.

In hujus mineræ plumbeæ Goſlarienſis præparatione producitur quoque zincum, quod in anteriori furni pariete, quem appellant Germanice die Bruſt/ concreſcit. Ibi enim foramini furni apponuntur lateres, ſub quibus iſti vapores colliguntur & condenſantur in maſſam metallicam, quæ inſtar ſtanni fuſi apparet & remotis iſtis lateribus profluit. Cum hoc zinco præparatur orichalcum purius, quod Germanice vocatur Prinzmetall. Characteriſtica zinci nota eſt, quod quando flagrat, albam lucidam flammam alat & edat, paucis momentis ita deflagret, ut in levem album cinerem abeat, ac, ſi fortiori igne clauſo ex cucurbita ſublimatur, emittat flores ſiccos, qui egregiam virtutem exſiccantem poſſident.

CAPUT XX.

De Terris medicinalibus.

Innumerabiles terrarum, quarum in medicina uſus eſt, ſpecies e terra eruuntur, & eæ, quæ ſigillari ſolent, dicuntur hanc ob cauſam ſigillatæ. Differunt hæ ratione coloris, figuræ & conſiſtentiæ a ſe invicem. Ratione coloris ſunt albæ, rubicundæ, puniceæ, purpureæ, luteæ, flavæ, hepaticæ vel cinereæ. Ratione figuræ ſunt orbiculares, concavæ, vel convexæ magis vel minus oblongæ; & denique reſpectu conſiſtentiæ ſunt vel craſſiores vel teneriores. Nil niſi ſpecies ſunt margæ ſubtiliſſimæ, quæ inter rupium duriſſimarum commiſſuras reperitur, inſtrumentis ferreis ſeparatur, &, ſi ejus ſufficiens quantitas habetur, contunditur, cum aqua miſcetur & mediante hac a ſordibus depuratur, in maſſam certæ figuræ redigitur eique ſigillum auctoritate publica imprimitur. Hæc vero marga originem ſuam habet ex aquis perfluentibus & præterfluentibus, quæ ex argilloſis locis venientes tenuiſſimam argillæ portionem ſecum abripiunt & rupibus earumque fiſſuris apponunt. In variis Europæ locis ejuſmodi terræ præparantur & ſigillantur. Speciatim ex terris, quæ in Germania præparatæ ſigillantur, celebris eſt terra Sileſiaca, inprimis illa, quæ in monte

monte S. Georgii ad oppidum Strigau ſito in ducatu Schwidnicenſi inter duriſſimas rupes invenitur & vel rubra vel alba eſt, & vocatur, Strigavienſis; deinde celebris quoque illa terra Sileſiaca, quæ dicitur Goldbergenſis alba. Hæc ex monte dicto Goldberg eruitur in ducatu Lignicenſi & aquilam habet impreſſam. Datur præterea in Germania terra Laumbacenſis, quæ ſigillo Comitum Solmenſium eſt ſignata; in Hungaria proſtat Cremnizenſis, in Bohemia Brandeiſenſis, quæ in oppido Brandeis tribus milliaribus a Praga diſtante reperitur, & in Italia famigeratiſſima eſt terra Melitenſis Sti. Pauli ſigno ornata. In Tranſylvania & Turcia itidem reperiuntur variæ terrarum ſigillatarum ſpecies varii coloris & variis litteris Turcicis inſignitæ. Turcæ in medicina magni has terras æſtimant, ſed in Germania minus frequenter uſurpantur. Affertur quoque ad nos terra ſigillata Perſica rubra in parvis orbiculis duris, qua Medici raro, tinctores autem ad corium atro colore tingendum uti ſolent. Porro apportatur ad nos ex inſula Samos terra Samia, quæ in hæmorrhagiis, vulnerationibus & oculorum vitiis valde commendatur. Terra illa Lemnia, quam Medici valde æſtimarunt, nihil aliud eſt quam Turcica, ſiquidem non ex inſula Lemnus ſed ex Conſtantinopoli in Germaniam advehitur, in exiguos orbes redacta & variis armis ſignata.

Peculiare id habent terræ illæ ſigillatæ, quod linguæ firmiter adhæreant, aquæ injectæ copioſas bullulas excitent & ſaporis & odoris ſint expertes. Virtute gaudent humidum abſorbendi, fibras corporis humani relaxatas roborandi & conſtringendi & acres humores temperandi, quare in alvi fluxu, diarrhœa, dyſenteria, febribus malignis, ubi per ſudorem ſine calore aliquid eliminari debet, item in hæmorrhagiis earum uſus non eſt rejiciendus; quamvis error ſit, quod peculiari & ſpecifica virtute venenis reſiſtant. Deinceps notandum eſt, quod hæ terræ non alium in medicina habeant uſum quam qui a ſubtiliori bolo ut bolo Armena, bolo rubra vel alba & lithomarga poteſt exſpectari, quapropter opinio plus favet huic medicinæ quam ipſa veritas.

CAPUT XXI.

De Unicornu Foſſili.

UNicornu foſſile dicitur etiam unicornu minerale ad differentiam unicornu animalis. Forma, figura & conſiſtentia non tantum cornu ſed etiam dentes & varii generis oſſa animantium refert. Eruitur ex ſpeluncis maxime ſubterraneis & magna in copia ex ſpelunca Germaniæ ſic dicta Baumanniana, ſpecubus ſpatioſiſſimis in montibus Carinthiæ conſpicuis, nonnullis Helvetiæ & ſylvæ Hercyniæ antris, item ex antro circa Altorffium, quod dicitur Germanice das Geißloch. De ejus origine & natura variæ proſtant Phyſicorum ſententiæ. Nonnulli id pro margæ ſpecie fluida habent, quæ a vi quadam univerſali plaſtica varias figuras & formas efficiente in ejuſmodi ſubſtantiam varia oſſa & eorum figuras referentem transformata ſit. Alii vero putant, quod in terræ ſinubus variæ ſint conſtitutæ matrices ſeu formæ, in quas materia fluida gypſea vel lapidea illapſa varias aſſumat figuras v. g. oſſis, dentis vel ſceleti animalis. Nos vero evidentibus convicti argumentis hanc fovemus ſententiam, quod oſſa hæc, quæ ex profundis terræ ſpeluncis & antris eruuntur & unicornu nomine veniunt, partes animantium ſint & ad regnum pertineant animale. Nam 1) hæc oſſa etiam duriſſima, ut dentes, quando igni aperto injiciuntur & comburuntur, odorem urinoſum fœtidum volatilem ſpargunt, manifeſto documento, ea eſſe animantium partes, quæ hoc ſingulare habent, quod, dum comburuntur, ſal volatile urinoſum in auram emittant; 2) ſpeculo cauſtico prægrandi in maſſam albam vitriformem abeunt, quod longe citius & facilius fit, ſi cum ſale alcalino miſcentur: id quod nulla mineralis terra ut argilla, lutum vel marga facit; 3) perfectam formam & ſtructuram, quam oſſa & dentes animalium poſſident, habent, talis vero forma & ſtructura caſu & per accidens in terra formari nequit. Accedit ad hoc, quod non raro integer dens elephantis item hippopotami cum aliis oſſibus elephantinis, immo mandibulæ cum dentibus repertæ fuerunt. Unde vero hæc oſſa animantium ſuam nanciſcantur originem, difficile eſt determinatu. Nonnulli credunt, hæc oſſa eſſe diluvii teſtes & rudera, alii exiſtimant, ab inundationibus aquarum, terræ motibus & montium lapſibus animalia, quæ ſpeluncas ingreſſa fuerunt, obruta & necata fuiſſe; de qua re prolixius & ex profeſſo egit BURNETUS *in Theoria telluris* & WHISTON *in ſua deſcriptione terræ*.

Præterea eo reſpiciendum eſt, ut unicornu foſſile, ſi eo uti velimus, accipiamus genuinum; nam lucri cupidi oſſa cadaverum animantium ab aëre & ſolis æſtu calcinata vel oſſa horum, quæ in ſpeluncis diu retenta & temporis diuturnitate unicornui foſſili ſimilia reddita fuerunt, pro unicornu foſſili vero venditare ſolent! Ingens quoque in unicornu foſſili deprehenditur differentia, nam quoddam eſt valde purum, aliud ſimul lapidoſum ſive cortice lapideo, qui ab aquis lapideſcentibus, ejus poris ſe inſinuantibus, productus fuit, obductum; aliud eſt valde firmum & ſolidum, aliud contra valde molle & friabile, aliud eleganter eſt candidum, quoddam gryſeum vel flaveſcens, ſæpiſſime multis nigris punctis eſt interſtinctum & ejus ſuperficies figuram modo arboris, modo herbarum, modo alius corporis repræſentat. Omnium optimum eſt, quod in aquis reperiri ſolet & exteriorem corticem duriorem, interiorem vero molliorem habet & tale vocari ſolet Ebur foſſile, cujus uſus in medicina longe nobilior & præſtantior eſt præ altero illo vulgari.

Notæ characteriſticæ veri & boni unicornu ſunt, ſi figuram habet dentis elephantini & exterior cortex durior, interior mollior eſt, ſi adhæret linguæ &, quando aquæ immittitur, innumeras bullas excitat. Quod ſpectat ad uſum medicum, is certe laudabilis eſt, nam prodeſt & poteſt adhiberi in iis caſibus, ubi 1) fibræ, membranæ & vaſa ſunt roboranda, præſertim ventriculo & inteſtinis relaxatis major eſt tonus conciliandus; 2) prima regio & reliquæ corporis partes nimia ſcatent humiditate; 3) acrimonia humorum in ventriculo & inteſtinis peccat; & 4) leni adſtrictione opus eſt; hinc in omni alvi fluxu, vomitu, hæmorrhagiis, diarrhœa, dyſenteria, cholera & malo hypochondriaco ejus virtus eſt eximia. Gaudet quoque virtute diaphoretica & ſudorem pellente, unde ſingulari cum fructu in variolis, morbillis, purpura aliiſque morbis, ubi materia morbifica ad habitum corporis eſt propellenda, egregiam præſtat opem. Poſſumus vero, ut verum fateamur, eo carere in medicina, modo ejus loco dentes & cornua animantium philoſophice, ut dicitur, præparata ſubſtituamus.

CAPUT XXII.

De variis aliis medicinalibus terris.

EX harum cenſu eſt Lac lunæ, quod dicitur etiam agaricus ſaxatilis ſeu fungus petræus. Eſt ſubſtantiæ candidæ, levis, fungoſæ, inſipidæ, quæ reperitur in commiſſuris ſaxorum & tunc inter has hærens eſt mollis immo fluida, ſimulac vero aëri aperto committitur, ſicca & friabilis evadit. Advehitur ad nos ex Helvetiæ ſpeluncis, præcipue ſpelunca montis fracti ſeu Pilati, quæ in ſupremo ejus cacumine viſitur & ab incolis das Monloch vocatur, item ex ſpeluncis Alpium, & nihil aliud eſſe videtur quam ſpecies ſubtiliſſimæ pinguis argillæ ſeu margæ, quæ ab aqua vehitur in commiſſuras rupium, quibus poſtea per adpoſitionem adhæret. Genuina nota, qua lac lunæ diſtinguitur ab aliis terris, hæc eſt, quod cum aqua probe mixtum eam albicantem & lacteam reddat neque tam cito uti aliæ terræ ad fundum ſecedat.

Ad uſum ejus quod ſpectat in medicina, nonnulli ſunt, qui id loco terræ ſigillatæ Strigavienſis in febribus malignis inſigniter commendant. Interne quoque in enormibus ſanguinis effuſionibus ejus uſus laudatur & vulgo ad lac nutricum augendum & promovendum adhiberi ſolet. Dicitur etiam interne urinam & calculum pellere, externe vero ad exſiccanda ulcera, item in defluxionibus oculorum acribus ſub forma collyrii adhibetur.

Ad ſpecies margæ ſaxatilis pertinet etiam lapis, qui vocari ſolet ætites, vulgo der Adlerſtein. Hic eſt coloris bruni vel flavi ochrei & duplici conſtat ſubſtantia, altera exteriori, quæ cortex eſt ac durioris naturæ, altera interiori ſive medulla molliori, quæ ſaporem habet argillaceum pinguiuſculum inſtar boli vel terræ ſigillatæ. Notabile hoc maxime eſt, quod hic lapis ſemper adhuc incluſum habeat alium parvum lapidem, qui motu agitari poteſt & agitatus ſonum edit, unde etiam vocari ſolet Klapperſtein. Externus cortex tantæ eſt duritiei, ut nitidiſſimus politura reddi poſſit. Perperam vero vocatur lapis, quoniam in pulverem contuſus facile cum aqua miſcetur inſtar boli vel argillæ, quod de lapidibus non valet. Reperiuntur hi lapides in lapidicinis intra commiſſuras lapidum, in diſtrictu præſertim Norimbergenſi & in Miſnia non procul ab urbe *Oſchatz*. Superſtitio eſt, ab aquila generari hunc lapidem. Nota ejus characteriſtica eſt, quando alium adhuc lapidem incluſum habet, qui motu agitari poteſt atque agitatus ſonitum edit. Interne ejus uſus eſt in omnibus iis affectibus, ubi terræ ſigillatæ, boli, & margæ ſpecies locum habent, ut in omni alvi fluxu, hæmorrhagia & febrili motu compeſcendo, nam indolis eſt martialis, quod non tantum ex colore ochreo, quem habet, ſed etiam ex eo, quod, ſi cum ſpiritu vitrioli miſcetur, vitriolaceum accipit ſaporem, patet. Falſo creditur, hunc lapidem partum promovere.

Spectat quoque ad medicinales terras bolus pinguis rubra ex rubicundo flaveſcens vel ex flavo rubicunda, ſaporis paululum adſtringentis, quæ vocatur Bolus Armena, quia olim in Armenia reperta fuit. GALENUS ejus uſum in peſte mirifice extollit. Effoditur jam in Germania ex fodinis lapidum in diſtrictu Wurtembergico & reperitur quoque inter commiſſuras lapidum. Turcæ olim eam ſigillarunt. Si impurior eſt, cum aqua miſcetur, agitatur & ita a lapidoſis recrementis per decantationem liberatur. Differt hæc bolus ab aliis bolis & argillis non tantum colore, ſed maxime etiam eo, quod tactu mollis & pinguis appareat ejuſque color mox digitis adhæreat. Ejus uſus medicus coincidit cum uſu omnium terrarum ſigillatarum, ſecundum noſtram vero ſententiam his longe nobilior æſtimatur, quia ejus partes facilius cedunt in aquam, adeo, ut eo facilius ſanguinem ſubire & in eum ejus vis penetrare poſſit. Olim mirifice æſtimata fuit hæc bolus ceu ſummum remedium adverſus peſtem, hinc etiam THUCIDIDES ejus meminit, quod optimam tulerit opem in peſte Carthaginenſi. Contemperat & demulcet maxime humores acres ſalſos, hos mites atque inertes reddit, fluida incraſſat & condenſat & hinc in omnibus iis affectibus, ubi acrimonia demulcenda & temperanda & fluida incraſſanda ſunt, ut in catarrhis ſalſis, coryza, diarrhoea, dyſenteria &c. maximopere commendatur.

Porro ex bolis quoque ſunt multæ medicinales, maxime alba & rubra. Sunt vero nihil aliud quam argillæ pinguioris & mollioris ſpecies. Rubra ordinarie ſolet eſſe naturæ martialis, unde, quando cum ſulphure tractatur & comburitur in vaſe clauſo, terram exhibet, quæ vitro prægrandi cauſtico in ſcorias martiales abit. Melior eſt alba. Saporis boli ſunt pinguioris & adſtringentis. Ante uſum probe aqua elutriari debent, ut ab aliis terreſtribus & lapidoſis ſordibus liberentur. Eandem fere cum aliis terris ſigillatis habent efficaciam. Spiritus ſalis cum bolo ejuſmodi rubra deſtillatus creditur poſſidere propter ſulphur martiale ipſi nuptum majorem in medendo efficaciam & majori quoque flavedine tingi ſolet quam qui ordinarie cum argilla deſtillatur.

Pertinet huc quoque quædam boli ſpecies valde rubicunda & ſolidioris texturæ, quæ vocari ſolet rubrica fabrilis Germanice röthelſtein / quia fabri lignarii ea uti ſolent in ducendis lineis, ſi prius ſaliva fuerit madefacta. Eſt hic lapis minera martialis & ſulphur martis in ingenti copia poſſidet, quod etiam cum ſale ammoniaco ſublimatur, ubi tunc flores exinde fiunt croceo colore tincti & hanc ob cauſam, ejus uſus in medicina, præſertim phthiſi & hæmoptyſi, a POLEMANNO & aliis chemiatris maximopere commendatur, & ejus virtus partim a concreto argillaceo partim a ſulphure illo martiali dependet. Ingens ejus copia ex Bohemia & Hungaria ad nos affertur.

Ex terris quoque eminet *Creta*, quæ eſt terra candida friabilis naturæ alcalinæ, id quod ex eo patet, quoniam promtiſſime efferveſcit cum omni acido, in quo etiam differt a bolis & nota ejus characteriſtica conſiſtit. Ad nos adfertur in ingenti copia ex Gallia & quidem Campania, ubi vites in cretaceis terris creſcere ſolent, item ex Britannia, ubi montes exſtant cretacei. Uſus ejus partim eſt mechanicus, partim medicus. Mechanici ea ad polituram & ſplendorem rebus metallicis conciliandum utuntur; Medici vero eam, quia promtiſſime abſorbet acidum, ad ſedandam ſodam adhibent, unde etiam in pharmacopoliis proſtant famigeratiſſimæ illæ de creta ſpecies. Ad alvi & ſanguinis fluxus cohibendos nonnulli eam adhibent & fœminæ ea utuntur ad faciei albedinem conciliandam, ſed peſſimo conſilio, quia frequentiori ejus uſu in gravem incidunt hecticam, propter hanc rationem, primo, quoniam creta non modo acidum ventriculi enervat, quod tamen ad appetitum excitandum & digeſtionem ciborum promovendam multum valet; deinde, quoniam acidum cum creta mixtum in corpus facultatis conſtringentis abit, quæ viſceribus ex innumeris vaſculis conſtantibus valde eſt inimica, cum horum obſtructionem producat. Externe ad cutis confricationem loco lapidis calaminaris item ad ſcabiem humidam exſiccandam egregiæ eſt virtutis, neque illud quoque eſt prætereundum, cum

cum creta confici poſſe elegantiſſimum pellucidum vitrum vulgo Kreidenglaß. Poteſt quoque cum creta ex antimonio mediante fuſione elegans parari regulus, quia ſulphur antimonii cum cretæ ſubſtantia alcalina ſeſe conjungit & regulinæ antimonii partes graves fundum petunt.

CAPUT XXIII.

De Gemmis ſeu Lapidibus pretioſis.

ERuuntur e terræ viſceribus lapides duritie, pelluciditate & ſplendore valde nobiles & commendabiles, qui vocari ſolent gemmæ & propter raritatem & pretium, quo conſtant, magnum vocari ſolent lapides pretioſi. Magna inter eas datur differentia: Quæ enim ex Oriente ad nos adferuntur, longe nobiliores ſunt iis, quæ in Occidentalibus locis reperiuntur, nam illæ his ſunt ponderoſiores, duriores, pellucidiores & ſplendidiores. Primum inter gemmas locum obtinent adamas, rubinus, ſapphirus, ſmaragdus, chryſolithus ſeu topaſius, hyacinthus, amethyſtus, & granatus, quæ gemmæ ſunt pellucidæ. Spectant huc quoque achates, chalcedonius & opalus. Diſtinguendæ probe ſunt gemmæ nativæ ab artificialibus, utpote quæ nihil aliud ſunt quam vitra pellucida cryſtallina varie colorata fragilia, quæ lima tentata diſſiliunt. Orientales ex India & præſertim regno Pegu, inſulis Philippinis & Perſia ad nos feruntur; Occidentales vero Hiſpania, Gallia, maxime vero Hungaria & Bohemia ſubministrat. Notandum tamen hoc loco eſt, quod Orientales gemmæ præſtent Occidentalibus, ſi ſolus tantum granatus excipiatur; nam Bohemicus granatus præſtantior eſt Orientali. Quod attinet ad uſum medicum & vires gemmarum, hæ à Veteribus quidem Medicis maxime olim fuerunt æſtimatæ, ſed certe, ſi verum fateri licet, nullius ſunt momenti. Nam propter duritiem non poſſunt ab ullo corporis humani liquido diſſolvi, adeoque in id nec agere nec efficaciam ſuam exſerere queunt. Si quid vero præſtant, quod tamen non veroſimile eſt, certe idem, ſi non melius, ſaltem æque bene efficere poteſt ſolus cryſtalli pulvis. Quare Veterum ſpecies de gemmis & pulveres bezoardici pretioſi, quos modo dicti lapides pretioſi ingrediuntur, plus ad confidentiam ægrotis conciliandam quam ad auxilium ferendum faciunt.

CAPUT XXIV.

De Adamante.

ADamas eſt gemma omnium pretioſiſſima & vel Orientalis vel Occidentalis. Hic eſt Bohemicus vel Hungaricus, ille ex India & præſertim ex provincia Biſnagar & urbe Raolconda, ubi rupes ſunt, quæ adamantes ferunt, ad nos adfertur. Eſt utplurimum incluſus mineris matricibus lapidoſis & ſiliceis. Reperiuntur quoque adamantes in fundis fluminum, quia aqua, quæ has rupes tranſit, in flumina illos fert. Crudus adamas nullius eſt ſplendoris, ſed inſtar ſilicis diaphani tantum apparet; per polituram vero elegantiſſimum acquirit ſplendorem, &, quoniam a duobus tantum ſæculis ars poliendi gemmas demum cognita fuit, hinc in corona imperiali, quæ tempore Conradi confecta eſt & Norimbergæ aſſervatur, crudi, non præparati reperiuntur adamantes.

Ad proprietates quod ſpectat adamantis 1) omnium gemmarum eſt duriſſimus & ponderoſiſſimus, ita, ut quod ratione ponderis inter metalla eſt aurum, hoc adamas ſit inter gemmas. Dicitur adamas ab ἀ privativo & δομάω *domo*, quaſi eſſet indomabilis, quia poliri non poteſt niſi pulvere adamantino; 2) Pelluciditas ſeu nitor ejus omnes reliquas gemmas, quando nempe per polituram pelluciditatem accepit, ſuperat: Dependet vero hic ſplendor maxime a duritie & politura. Differt multum adamas ratione puritatis, ſi nempe eſt ſine maculis, & ratione pelluciditatis, magnitudinis & figuræ. Notabile eſt, quod carbunculus, cujus ſit mentio in ſacra ſcriptura, ſecundum nonnullorum Rabbinorum ſententiam ſit adamas, quia adamantis nulla in ſacra ſcriptura ſit mentio. Fabula eſt, adamantem non poſſe malleo diffringi, item pulverem adamantis eſſe venenum. Denique adamas nullo igne neque vitro cauſtico grandi fundi poteſt, ſed in ſuperficie cuticulam quandam acquirit, quæ tamen mox auferri poteſt politura. In medicina nullius eſt uſus.

CAPUT XXV.

De Rubino.

RUbinus coloris eſt rubicundi, coccinei, inſtar laccæ Indicæ, & colligitur maxime ex arena ad ripas fluminum in India, præſertim in regno Pegu, Calecut, Biſnagar & inſula Ceylon. Eruitur quoque ex rupibus & teſta lapidea incluſus reperitur. Poſt adamantem eſt duriſſimus & colore gratiſſimo ſe commendat. Colorem mutuatur ab auro & ſtanno. Paratur & artificialis rubinus ex vitro fuſo cryſtallino mediante magiſterio ſtanni & auri. Occidentales reperiuntur rubini in Bohemia, ſed minus duri & pellucidi. In medicina ingrediuntur pulveres bezoardicos & cordiales ſed ſine ullo effectu.

CAPUT XXVI.

De Sapphiro.

SApphirus eſt gemma pellucida coloris cærulei ſeu cyanei elegantiſſimi. Duplex eſt vel pallidior, qui fœmina appellatur vel coloris ſaturate cærulei, qui mas vocatur. Curioſum eſt, quod ſapphirus poſſit colore privari, quando ignitur, & tunc imitatur adamantem, ſed pelluciditate & duritie illo eſt multo inferior. Adducuntur optimi ſapphiri ex inſula Ceilon & colorem ſuum mutuantur a cupro & argento. Creditur hic lapis ſingularem poſſidere virtutem oculos defendendi a variolis, quando nempe cum ipſo circulus circumſcribitur circa oculos, ſed, ſi quam virtutem hac ratione exſerit, quod tamen non credendum eſt, illa certe frictioni adſcribenda eſt. Crudi ſapphiri occidentales, qui adhibentur in pharmacopoliis, nihil aliud ſunt quam minera ferri delicatiſſima & puriſſima, quia magnes hos lapides non ſecus ac ferrum attrahit.

CAPUT XXVII.

De Smaragdo.

SMaragdus gemma eſt pellucida viridis amoeniſſimi coloris, ſed reliquis gemmis tenerior & fragilior. Orientales ſmaragdi ſunt rariores & plerique ſunt Occidentales. Orientales vocari ſolent praſimi & coloris ſunt viridis admodum jucundi, plerique vero ſunt Occidentales. Afferuntur ex India & quidem regno Pegu, Cypro, Helvetia & Britannia minori. Colliguntur ex arena fluviorum & mutuantur ſuum colorem ex ſulphure cupri & ferro. Notatu porro dignum eſt, quod minera, quæ venditatur pro ſmaragdo & in fodinis Bohemiæ & Miſniæ reperitur, falſo dicatur ſmaragdina neque ex hac præparentur ſmaragdi; illud tamen eſt curioſum, quod hæc minera parum ignita in obſcuro inſtar phoſphori luceat. Quod ſi hæc minera in pulverem redigitur, cum aqua pulticula fit & cum hac in lamina cuprea efformantur litteræ, poſtea vero hæc lamella igni carbonum exponitur, hæ litteræ in obſcuro lucent. Hæc minera etiam adhibetur in medicina. Pulveres enim ingreditur antidyſentericos & antepilepticos, & virtutem habent a ſulphure veneris, quod in illis latitat, ſiquidem hujus mineræ pulvis in paulo majori doſi datus vomitum excitat.

CAPUT XXVIII.

De Amethyſto.

AMethyſtus eſt gemma coloris violacei ex cæruleo & rubicundo mixti, unde etiam a Gallis vocatur *rubin violet*. Eſt vel Orientalis vel Occidentalis. Hic reperitur in Hiſpania, ſed non tam purus eſt quam ille, & invenitur quoque in aurifodinis Hungariæ, quoniam auri ſulphur coloris rubinei eſt. Diſtingui debet amethyſtus a fluore amethyſtino, qui ſæpius in ingenti quantitate reperitur in Bohemia & Hungaria.

CAPUT XXIX.

De Hyacintho.

HYacinthus gemma eſt ex flavo & rubicundo colore compoſita, pellucida, crocei coloris & inſtar ignis quaſi ardentis lucens, ſi orientalis fuerit. Occidentales hyacinthi inclinant ad flavedinem, ſunt molles & reperiuntur in Bohemia item Sileſia prope Hirſchbergam. Color eorum dependet a plumbo & ferro. Vulgariter eis adſcribitur virtus eximia alexipharmaca & cordialis, unde ſpecies de hyacintho maxime commendantur adverſus peſtem, febres malignas & hæmorrhagias, ſed, ut verum fateamur, virtutes earum non ab hyacintho ſed ab aliis admixtis roborantibus dependent.

CAPUT XXX.

De Achate.

AChates eſt lapis pretioſus, qui varietate colorum & figurarum ſe maxime commendat; eximius enim naturæ luſus in eo conſpicitur. Datur achates alba, flava, nigra, livida, rubicunda & ex variis coloribus mixta. Pellucida eſt, & variæ figuræ, ut arborum, animalium, fructuum, vegetabilium & fortalitiorum, in ea conſpiciuntur. Plurimæ in ſe habent fluorem cryſtallinum. Orientales ſunt optimæ. In Germania ſub ditione Landgrafii de Lichtenberg, item in Palatinatu inferiori prope *Oberſtein*, ubi peculiares proſtant molendinæ hujus lapidis politura inſervientes, reperiuntur & in duriſſimis rupibus ut plurimum in forma ovali continentur. Diſcindunt ſerræ ope hos lapides in lamellas, & poſtea poliuntur; ita ſplendidiſſimi apparent. In Anglia quoque reperiuntur. In medicina nullius ſunt uſus, ſed mechanicis inſerviunt ad varias res artificioſas exinde conficiendas.

CAPUT XXXI.

De Topaſio.

TOpaſius gemma eſt etiam pretioſa. Vocari quoque ſolet chryſolithus. Eſt mixtus ex colore viridi cum pauxillo colore flavo. Orientales magni æſtimantur & apportantur ex Arabia, Æthiopia & mari rubro, & referunt eos in lapide etiam alabaſtro naſci. Occidentales dantur in Bohemia & ſunt Orientalibus majores, pulchritudine vero illis cedunt. Commendant eos nonnulli Medicorum ad fluxum ſanguinis vel ventris cohibendum.

CAPUT XXXII.

De Carneolo.

CArneolus ſeu Sardus ex luteo colore rubeſcit. Affertur ex Turcia & Miſnia. Antiqui ſigilla & characteres ei inſcribere ſoliti fuerunt.

CAPUT XXXIII.

De Onyche.

NOn eſt totus pellucidus & ad minimum ex duobus conſtat coloribus, qui non ſunt intime mixti, ſed quorum unus ſuccedit alteri. Affertur ex Hiſpania. Quando color incarnatus ei mixtus eſt, dicitur Sardonyx. Indicum mirifice æſtimant.

CAPUT XXXIV.

De Oculis Cati ſeu Beli.

VOcantur Germanice Katzenaugen. Non eſt pellucidus, ſplendet tamen ut oculus cati. Videtur

detur eſſe ſpecies opali. Affertur ex India. Optimus eſt rotundus, in medio flavus & in circumferentia cæruleus.

CAPUT XXXIV. *

De Opalo.

Eſt gemma albicans pellucida ſplendore jucundiſſimo donata. Germanice vocatur Elementſtein/ quaſi omnia elementa in eo conſpicerentur propter varios, quibus ſplendet, colores. Quo ſplendidior eſt, eo eſt elegantior & pretioſior. Artificialis præparatur ex antimonio diaphoretico mixto cum ſilicibus calcinatis item ex cornu cervi uſto. Notabile eſt, quod vitra ex opalo confecta magnum uſum habeant in inſpectione ſolis ad obſervandas maculas.

CAPUT XXXV.

De Granato.

Granatus eſt gemma pellucida ex flavo rubicunda; ſoli expoſitus carbonis imaginem repræſentat. Quidam nigri ſunt coloris, quidam hyacinthini. Afferuntur quidam ex India, ſed minoris ſunt pretii Occidentalibus. Optimi ſunt Bohemici, qui plerumque ſine nubeculis & maculis ſunt. Reperiuntur plerumque in minera talci & eximiæ ſunt magnitudinis. Adſcribitur eorum color ſulphuri ferri, quod continent.

CAPUT XXXVI.

De Lapide Lazuli.

Lapis Lazuli non eſt pellucidus, ſed cyanei elegantiſſimi coloris, & plures micas & venulas aureas intermixtas gerit. Dividitur etiam in Orientalem & Occidentalem. Orientalis ignem ſuſtinet & color ejus non mutatur, ſed Occidentalis ignis vim ferre nequit. Præparatur ex eo ille color, qui dicitur ultramarinus in aere & igne conſtantiſſimus. Occidentalis vero itidem largitur quidem eundem colorem, ſed non æque durabilem, quia externis injuriis facile læditur & temporis progreſſu vireſcit. Vocatur hic color Laſurblau. Colorem ſuum habet a ſulphure cupri, hinc etiam pulvis ejus dat tincturam cæruleam, quando ei ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus affunditur. Laudatur in epilepſia. Virtutem habet a cupro. Ingreditur ſed malo conſilio & inepta ratione confectionem Alkermes. In quantitate ſumtus vomitum excitat. Si Orientalis eſt adeoque durus, inſervit characteribus & ſigillis imprimendis.

CAPUT XXXVII.

De Jaſpide & Lapide nephritico.

Jaſpis eſt gemma minus pellucida, in qua omne genus coloris ejuſque mixtura reperitur. Nobiliſſimæ ſunt virides, præſertim, ſi punctula rubicunda habent, & hæ mirifice æſtimantur externe ad ſanguinem ſiſtendum. In Bohemia & Miſnia elegantiſſimæ reperiuntur jaſpides. Differunt a marmore duritie. Molliores ſunt achate, nihilominus non ſecus ac achates colliſione facta cum chalybe ſcintillulas emittunt.

Spectat ad jaſpidem lapis nephriticus, qui non niſi ſpecies jaſpidis durioris & coloris viridis eſt, ſed tactu mollis, pinguis neque maculis rubris notatus. Affertur ex Bohemia & commendantur ceu ſingulare diureticum, opus tamen eſt, ut, ſi hoc ſcopo eſt adhibendus, prius vehementiſſimo igne redigatur in calcem: Eſt principale ingrediens pulveris Volkammeri nephritici. Notandum eſt, quod jaſpis & lapis nephriticus ſint ſpecies marmoris ſubtiliſſimi, hinc comburi poſſunt in calcem, reliquæ vero gemmæ pellucidæ pro matrice habent ſilicem, qui dicitur Quartʒ.

CAPUT XXXVIII.

De Marmore.

Marmora lapides ſunt non pellucidi neque tam duri uti jaſpides: Comburi poſſunt ope ignis in optimam calcem. Eruuntur ex fodinis, ubi lapides calcarei duri effodiuntur. Innumeræ dantur pro differentia colorum, quos referunt, marmorum ſpecies, ut marmor unicolor vel variegatum vel figuratum, quæ iterum alias ſub ſe complectuntur ſpecies. Sic marmor unicolor eſt vel album vel nigrum vel flavum vel rubrum vel lividum vel venetum ſeu palumbinum vel viride. Marmor variegatum eſt vel album vel nigrum vel flavum vel rubrum vel lividum vel venetum vel viride vel ſtratoſum. Marmor figuratum eſt vel Florentinum vel Haſſiacum. Candida marmora ſunt Italica, quæ ſerris æneis ſecantur & in copia eruuntur Genuæ. In Luſitania magna quoque eſt abundantia marmorum. Præterea datur marmor Ratisbonenſe, item nigrum Dantiſcanum, Stolpenſe, rubrum Bohemicum & Miſnienſe, cinerei coloris Hildeſienſe, item Cygneæ variæ marmorum ſpecies eruuntur. In Haſſia prope urbem Franckenberg eruuntur quoque elegantiſſima marmora rubicunda, nigra & alba. Præſtantiſſimum etiam marmor largiuntur Miſniæ urbes Annaberga & Auguſto-burgum. Mollioris marmoris ſpecies datur Nordhuſæ & Plaviæ. Singularis marmoris ſpecies eſt, quæ dicitur marmor ſerpentinum & in Miſnia non procul ab urbe *Marienberg* eruitur gaudetque venis flavis, nigris, vireſcentibus. Omnium præſtantiſſimum quod variis non tantum coloribus ſed imaginibus etiam inſculptis ſe commendat, eſt Florentinum. Porro notatu dignum eſt, quod alabaſtrum non niſi marmor mollius ſit candidiſſimum, poteſt enim cultro diſcindi. Reperitur magna in copia prope Norimbergam. Deinde differentia eſt inter alabaſtrum & alabaſtriten, hic enim illo longe eſt durior. Datur quoque alabaſtrum pellucidum Venetiis, & arte quoque faciunt nonnulli alabaſtrum ex gypſo. Propter texturam molliorem eſt inſtar terræ alcalinæ; efferveſcit enim cum acido. Interne nonnulli pulverem alabaſtri adhibent, præſertim in cholera, quoniam alvum adſtringere dicitur. In officinis in uſu eſt unguentum de alabaſtro, quod in doloribus capitis adhibetur. Uſurpatur quoque alabaſtrum ad dentifricia.

CAPUT XXXIX.

De Cryſtallo.

Cryſtallus lapis eſt pellucidus albus inſtar glaciei, neutiquam tamen, ut nonnullorum eſt ſententie, glacies in lapidem converſa eſt exiſtimandus, ſiquidem huic errori occaſionem dedit, quod in Helvetiæ montibus glaciatis montium vulgo Glätſcher-gebürge dictis in ingenti quantitate reperiri ſolet. Præter Helvetiam Italia, & Anglia, præſertim regio circa hujus urbem Briſtolium ſita, nec non Islandia magnam quoque cryſtallorum copiam ſubminiſtrat. Differt cryſtallus ratione pelluciditatis; quo enim pellucidior, eo eſt pretioſior. Differt quoque ratione figuræ, quam plerumque ſortitur priſmaticam vel etiam pyramidalem: In apice ſæpius ſexangularem obtinet figuram. Differt duritie & quod nullo igne domari & fundi poſſit, ab artificiali ſeu vitro cryſtallino, quod præparari ſolet ex pulvere ſilicis vel arena alba, ſale tartari & borace. Character enim eſſentialis cryſtalli eſt, quod igne ſolari penetrantiſſimo, quod prægrandibus vitris cauſticis colligi ſolet, in fluorem redigi nequeat neque in calcem verti poſſit, quod de adamante, ſapphiro, ſmaragdo, rubino, granato, amethyſto, cryſtallo & ſilice tantum valet. Cryſtallus cum ſilice & omnibus lapidibus id habet commune, quod ignita & repetitis vicibus in aqua frigida extincta in pulverem converti poſſit. Quod attinet ad uſum medicum, cryſtallus in pulverem redacta venditatur pro ſumma medicina adverſus venena præſertim corroſiva ut arſenicum, mercurium ſublimatum, nec non morbum cholericum, item dyſenteriam alioſque id genus morbos, qui ex ſumma humorum acrimonia proficiſcuntur. Quodcunque præſtat in medicina, id efficit principio ſuo alcalino terreo abſorbente. Cum vero longe præſtantiora, parabiliora & magis fida habeamus remedia, quæ plus præſtant, hinc merito ab illa abſtinere poſſumus. Præparari ex eo ſolent varia vaſa, pocula & id genus alia, quæ in aulis principum magni æſtimantur.

CAPUT XL.

De Lapidibus minus pretioſis, Talco, Amianto, lapide ſpeculari & ſciſſili nigro.

Talcum dicitur lapis mollis in laminas flexiles diviſibilis. Datur pellucidum ac coloratum. Illud quo pellucidius, ductilius ac mollius eſt, eo majoris eſt æſtimationis ac pretii. Conſervari in eo poſſunt varia inſecta, præſertim papiliones, & varia vegetabilia ab omni carie & corruptione integra. Inſervit quoque Talcum Moſcowiticum uſui mechanico, cum ex eo præparari poſſint varia ſpecula in forma cylindrica, item lucernæ, quæ ab igne non comburuntur. Dantur deinceps talci variæ ſpecies coloratæ ſeu lapides ſciſſiles colorati ut talcum nigrum, flavum, argentei & aurei coloris; vulgare eſt cinericeum vel viride. Talcum igne nec comburitur nec funditur, quare differt a lapide ſpeculari, qui forti igne in calcem comburitur. Chemici ex albo ſive argenteo talco parare volunt oleum, quod ſummum eſſe coſmeticum jactitant & præparatur cum nitro fixo, quod vehementi igne funditur & poſtea liqueſcit, ſed admodum falluntur, ſiquidem liquor ille nec oleum eſt nec ſoboles ipſius talci ſed potius nitri fixi neque ipſi ineſt talis virtus, qualis jactatur. Notabile eſt, quod in quibuſdam provinciis ingentes montes & diſtrictus talciformes dentur, ex lapide nempe in lamellas diviſibili conſtantes, & notatu dignum eſt, quod aquæ ſive fontes, qui ex tali monte talceo oriuntur, ſint ſaluberrimi. Curioſum quoque eſt, quod talcum nigrum carbonibus vivis impoſitum mole augeatur & aureum colorem acquirat.

Lapis ſpecularis ſive ſelenites ſeu glacies Mariæ etiam eſt lapis ſciſſilis, in planas lamellas diviſibilis & pellucidus, ſed differt a talco Moſcowitico, quia in calcem comburitur, hinc etiam in fodinis marmorum reperiri ſolet. Deinde facile in pulverem redigitur album. Reperitur ſæpe in magna copia in montibus Carpathicis Hungariæ inter marmora & mineras calcareas. Ejus pulvis ceu ſpecificum in partu difficili & dyſenteria jactatur.

Amiantus etiam ſpecies videtur eſſe talci, quod tamen in minima fila ductile eſt, & quoniam hic lapis non eſt combuſtibilis, ex eo mappas, chartas, veſtes & linteamina populi orientales ſolent conficere. Ellychnia etiam perpetua ex eo præparant. Veſtes & linteamina, quæ præparantur ex amianto, ſi depurare volunt, injiciunt in ignem; ita purgantur a ſordibus. Datur hic lapis non tantum in India, ſed etiam in Italia, præſertim in Sicilia, item in Græcia & ſpeciatim in inſula ejus Negroponte, atque de eo elegantem diſſertationem ſcripſit *Jo. Sinapius.*

Lapis fiſſilis ſeu ſciſſilis niger vulgo dicitur Schiefer / quoniam in lamellas dividi ac diſcindi poteſt. Reperitur hinc inde magna ejus copia, adeo, ut montoſi diſtrictus ipſo ſint referti. Eſt vel metalli expers & hic eſt vulgaris, quo uti ſolent ad tecta domuum, vel metallum continet ut cuprum, argentum vel ferrum, hinc etiam, quando ſufficientem metalli quantitatem continet, a metallurgis igne tractari & debita encheireſi metallum præſens ab eo ſeparari ſolet. Celeberrimæ a longo tempore ſunt & fuerunt mineræ illæ cupreæ Mansfeldenſes, quæ nil niſi nigri lapides ſciſſiles ſunt, in quibus cuprum & argentum continetur & ex quibus etiam magno cum lucro ſeparatur. Res vero maxime curioſa circa hos lapides occurrit, quod nonnulli in eorum ſuperficie varias figuras piſcium, præſertim percarum, halecum, carpionum, truttarum &c. inſculptas gerant, ita, ut accuratiſſime poſſint dignoſci. Ejuſmodi lapides Islebiæ, Oſterodæ & in aliis locis hic ſitis inveniuntur, & quia non facile in quavis alia regione ſimiles benigna natura largita eſt, ab exteris magni æſtimantur. Magna inter rerum naturalium ſcrutatores agitatur controverſia, unde hæ figuræ ortum ſuum habeant. Quidam eas unice eſſe luſus naturæ arbitrantur, alii vero earum originem ab ipſo diluvio petunt atque deducunt a piſcibus a lapidum ruina compreſſis & inter lapides putrefactis veſtigiis tantum in ipſis lapidibus relictis. Certi quid vero hac in re determinare res eſt adhuc difficilis. Dantur præterea in lapidibus ſciſſilibus præſertim gryſeis metalli expertibus figuræ elegantiſſimæ plantarum, præſertim ſilicis, folia, caules, item abſinthium, rutam murariam & hypericum repræſentantes, atque ejuſmodi lapides quandoque in montibus, ubi carbones foſſiles effodiuntur, reperiuntur, ut in agro Wethinenſi non procul a noſtra Hala ſito. Deinde & ſingulares ſpecies marmorum item lapides calcarei dantur, qui in lamellas diſcindi poſſunt, quibus elegantiſſimæ figuræ arborum, ſilvarum & plantarum inſculptæ videntur & hæ figuræ interdum totum corpus pervadunt. Valde vero probabile eſt, has inſculptas figuras eſſe naturæ luſus. Res autem adhuc magis curioſa eſt, quod in duris marmoribus quin rupibus

figuræ

figuræ elegantiſſimæ arborum reperiantur, ubi materia, quæ deſcribit has figuras, ferreæ naturæ eſt.

CAPUT XLI.

De Fluoribus Cryſtallinis.

FLuores cryſtallini, qui vocantur Germanice Bergdruſen / Cryſtalldruſen / Quartz / in metallifodinis reperiuntur variæque ſunt figuræ & magnitudinis. Nonnulli cuſpides habent ſexangulares, alii pyramidales, alii cubicas, nonnulli inſtar candidi ſacchari apparent, quidam ex lamellis ſunt compoſiti & inſtar tabulati ſunt. Differunt ratione magnitudinis, dum quidam inſignem molem habent, alii vero minoris ſunt molis. Variant quoque colore; nam quidam ſunt pellucidi, quidam rubicundi, flaveſcentes, cærulei, virideſcentes, bruni, colorati tamen ſemper ſunt rariores. Pellucidi & magnæ molis reperiri ſolent in Sylvæ Hercyniæ mineris, præſertim iis, quæ ſunt in urbibus *Clausthal* & *Cellerfeld.* Colorati dantur in Miſniæ urbibus *Freyberg* & *Annaberg.* Adhæreſcere ſolent ſpatho &, ubi inveniuntur, ſignum præbent divitum minerarum, quæ ſub ipſis latitare ſolent. Nonnulli eos habent pro matrice & materia prima metallorum, mihi autem potius eſſe videntur producta ex aquis lapideſcentibus, quæ commiſſuras rupium & minerarum tranſeunt.

CAPUT XLII.

De Lapidum Generatione.

IN diverſas abeunt auctores ſententias de lapidificatione ejuſque cauſis. Nonnulli arbitrantur, plane non creſcere lapides ſed eos eſſe ſolida & compacta corpora, quæ a mundi primordiis in certa quantitate & proportione eſſent creata, quæ nec addi nec imminui poſſet. Ita quoque liquida ſeu humida corpora condita eſſe certa ac immutabili qualitate exiſtimant, hinc impoſſibilem credunt tranſmutationem corporis humidi in ſolidum, ſeu, quod creſcant ex liquido lapides ceu dura corpora, negant. Quidam vero in ea ſunt ſententia, non omnes quidem lapides generatos & productos eſſe ſed plures, præſertim gemmas & omnes eas, quæ ex lamellis componuntur ſeu diſcindi & diffindi poſſunt in certa plana. Deinde ex figura, quam cryſtalli & cryſtallini fluores præſertim habent, item ex colore vario, quem ex metallorum ſulphuribus accerſunt, in initio & primo ortu fluidos fuiſſe hos lapides judicant; fundamentum vero & cauſam hujus lapidificationis nonnulli quærunt & derivant ex primo mundi ortu, alii vero a centrali & ſubterraneo igne, qui fluida corpora in duriſſimos lapides mutare poteſt, deducunt. Noſtra vero hæc eſt ſententia, utique nihil ſolidi vel fluidi in univerſo augeri vel minui poſſe, ſed, quicquid a primo ortu & conditore ſapientiſſimo productum eſt & conſtitutum, illud adhuc eſſe vel exiſtere tam quoad ſolidum quam fluidum, nihilominus tamen utriuſque elementi tam ſolidi quam fluidi mutuam in ſe invicem fieri actionem, fluidum utique tenuiſſimas ſolidi moleculas in ſinus ſuos recipere atque abripere, & poſtea rurſus ad alia loca transferre & apponere, inque eo conſiſtere omne vegetationis, nutritionis, immo generationis negotium tam in regno vegetabili quam animali. Ita etiam in regno minerali fluida & liquida, quæ varii generis lapides & dura corpora tranſeunt, tenuiſſimas horum portiones ſecum abripiunt poſteaque in alia loca transferunt & ſic ex fluido videntur lapides produci, quamvis hæc lapidum productio tantummodo ſit appoſitio, non vero generatio vel tranſmutatio fluidi in ſolidum. Ex eo conſequitur, ut lapides illos, qui mollioris ſunt texturæ & quorum particulæ facile disjungi atque in poros ſuos aquam recipere poſſunt, lapideſcentes aquæ ſuppeditent, ſicuti id clariſſime apparet ex generatione lapidis calcarei ſtalactitis, qui dicitur Germanice Tropfſtein & generatur in ſpeluncis fornicibuſque & cavernis montium, ubi aquæ ſtillatim decidentes varias figuras, formas ac moles corporum formant, uti hujus rei luculentum exemplum præbet ſpelunca Baumanniana. Omnes hujus ſpeluncæ lapides ſunt calcareæ naturæ & ex montibus calcareis ortum ſuum ducunt ac comburuntur etiam in acerrimam calcem. Deinceps proſtant in rerum natura varii generis fontes & aquæ ſalubres, uti thermæ Carolinæ, aquæ petroſæ Jenenſes, Francofurtenſes & aliæ, quæ magnam portionem lapidis deponunt eoque loca & canales per quos tranſeunt vel alia corpora injecta obducunt. Extra dubium vero eſt poſitum, quod etiam omnis generis lapides pretioſi ut adamantes, rubini, ſapphiri, ſmaragdi & jaſpides varii coloris item achates ex aquis, quæ rupes alluunt & per loca ſubterranea fluunt, producantur & incrementum ſuum accipiant. Si enim aquæ ſubtiliſſimæ per ſilicea ſubterranea loca tranſeunt, tenuiſſimas moleculas lapideas duriſſimas abripiunt, ſecum vehunt, in tranſitu aliis partibus apponunt & ſic ſucceſſiva appoſitione corpus ſtabile pellucidum efficiunt, quale eſt gemma. Illa autem durities gemmarum, quæ eas maxime nobilitat, earumque qualitas, quæ iis ſplendorem conciliat, dependet maxima ex parte ex ſumma tenuitate ſolidarum partium, quæ celeritate motus impulſæ faciunt illam arctiſſimam cohæſionem. Quo magis itaque partes, quas aquæ ſecum vehunt, ratione pelluciditatis, coloris & duritiei a ſe invicem differunt & quo magis diverſæ ſunt indolis loca, per quæ aquæ tranſeunt & ex quibus materiam gemmarum accipiunt, eo major etiam differentia productorum lapidum ratione coloris, duritiei & ſplendoris obſervatur. Materiam itaque omnium gemmarum ſtatuimus eſſe ſilicem, quia inter ſilices quoque gemmæ deliteſcere ſolent. Quod vero ex aquis nobilioribus etiam lapides poſſint produci & ex viliori lapide præſtantior fieri poſſit, id luculenter thermæ Carolinæ comprobant, quæ per lapides calcareos tranſeuntes marmoreis in locis, ubi effunduntur, circa orificium, ubi proſiliunt, canalibus apponunt lapidem duriſſimum variegati coloris ex planis multis compoſitum, qui omnium artificum conſenſu præſtantiſſimæ indolis jaſpis eſt.

CAPUT XLIII.

De Lapidibus figuratis & petrefactis.

REs maxime curioſa & indagine phyſica digna eſt, quod artificioſa & ſapientiſſima natura in intimis terræ receſſibus atque viſceribus tantopere ludat, adeo, ut non tantum in variis lapidum generibus, præſertim ſciſſilibus, marmoribus & durioribus achatibus & jaſpidibus imagines & figuras elegantiſſimas plantarum, arborum, ſilvarum, caſtellorum, artuum animantium proferat ſed ipſos etiam lapides ſigillatim variis figuris & iconibus exornet, adeo, ut nulla fere res inanimata ſit, quam non repræſentent figuræ lapidum. Ita habemus lapides, quæ

piſa,

piſa, oſſa piſcium, fabas, conchas, cochleas, oſtreas, amygdalas, cornua, oſſa, vertebras oſſium, mammas fœminarum, caryophillos, teſſeras, trochiſcos, dentes & omne fere genus concharum maritimarum referunt. Nulla vero figura concharum frequentior in varii generis lapidibus viſitur quam nautili, & lapides hac figura præditos vulgo cornua Ammonis nominant. Non vero unius ejuſdemque generis corpora ſolent eſſe hæ figuræ ſed interdum ex duro lapide, quandoque ex calcarea terra, argilla, minera ferrea, vel luto martiali ſabulo & luto interſperſo ſunt compoſitæ. Variæ tam de figuris, quæ lapidibus impreſſæ ſunt & in quibus certas ſpecies vegetabilium vel marinorum corporum imitantur, proſtant auctorum ſententiæ atque opiniones. Communis eſt opinio, hos lapides eſſe luſus naturæ, ſed, cum hoc effatum nihil reale in intellectu exprimat, multo minus cauſam mirabilium horum phænomenorum aſſignet, alii hinc vim plaſticam & architectonicam ſuccos, qui intra terræ viſcera continentur, varie dirigentem variaſque formas ipſis introducentem in medium protulerunt. Recentiores autem, qui hæc omnia pro figmentis inexplicabilibus habent, minus contenti inanibus ejuſmodi ſpeculationibus potius has diverſas figuras ac formas lapidum a rebus ſubſtantialibus creatis, quarum figuræ his corporibus fuerunt impreſſæ, derivant, vel etiam hæc varii generis figurata corpora lapidoſa pro ſubſtantiis habent corporeis partim animatis partim inanimatis diuturnitate temporis in ſubterraneis meatibus a concurrentibus variis ſuccis varie transmutatis & transformatis; paucis, omnia hæc rudera & veſtigia univerſalis iſtius, quod globum noſtrum terraqueum inundavit, diluvii eſſe credunt, atque ex horum claſſe ſunt celeberrimi nominis Angli Burnetus, Lowartus & Wisthonus, qui ingenioſe de theoria telluris ante & poſt diluvium ſcripſerunt & hanc, ut breviſſimis rem complectamur, fovent ſententiam. Exiſtimant nempe, ante diluvium præcipuas & fere omnes aquas, quas mare & flumina continent, intra terram fuiſſe incluſas ac terram aquarum fuiſſe corticem non ſecus ac in ovo ejuſque cortice inſignis humidi quantitas continetur. Cortice vero hoc terreno diffracto, quod factum fuit tempore diluvii, ex alto prodierunt iſtæ aquæ & ſic omnia in terris contenta aquis ſubmerſa fuerunt, donec aquæ ob gravitatem ſuam certum in locum confluxerint uti in mare, ſic terra fuit relicta & arida evaſit, &, quia in iſta corticis diffractione in terra multæ inæqualitates, profunditates, altitudines, & interius multæ cavitates fuerunt ortæ, hinc montium diſtrictus altiſſimos, qui jam apparent in terra, item varias ſpeluncas & crypta ſubterranea, quæ in terra hinc & inde occurrunt, ratione originis ſuæ deducunt terramque atque in ea contenta motu atque agitatione huc vel illuc eſſe tranſlata atque in hoc vel illo ordine ſibi invicem ſubſtrata contendunt; quare etiam diverſa ſtrata, quæ præſertim in montium diſtrictibus conſpiciuntur & ſub quibus etiam, quod notabile eſt, variæ animantium partes immo tota animantium ſceleta, elephantum & variorum incognitorum animantium oſſa, dentes item conchæ, oſtreæ, cochleæ, variaque marina reconduntur & extrahuntur, ab aquarum factis inundationibus ſatis ingenioſe deducere ac derivare ſolent atque adeo ex eo concludunt, diluvio ſubmerſa in terra animantium & alia varii generis corpora innumera fuiſſe, hæc diuturnitate temporis ob varios transfluentes ſuccos, quandoque lapidis naturam induiſſe, animalium oſſa friabilia & poroſa reddita fuiſſe vel in eorum corpora, ſi concava fuerint, ut oſtreas, cochleas, conchas nautilorum influxiſſe materiam quandam lutoſam vel argilloſam, quæ reſoluto tandem cortice exteriori vel aliis partibus deſtructis formam ac figuram iſtius corporis, in quod influxit, adſumſit & retinuit. Noſtra hiſce de rebus eſt ſententia, ſtare nempe has jam commemoratas opiniones ſalvas atque integras poſſe, modo non indiſtincte ac promiſcue ſed cum diſcrimine ac judicio cuncta ſeorſim ponderentur. Quapropter ſtatuimus, utique exiſtere quoſdam naturæ ſic dictos luſus a mechanica tamen cauſa orientes atque de eo eò minus dubitare poſſumus, quando conſideramus varias figuras angulares non modo lapidum ſed etiam imagines arborum & ſilvarum vel formas animantium in lapidibus depictas. Eadem hæc phænomena teſtantur, quod materia prius fluida fuerit, quam æther intermixtus expanſiva & agiliſſima ſua agitatione ita præparavit ac transformavit factaque varia cohæſione minimarum partium ac configuratione molecularum ſibi ſimilium in ordinem quaſi certum diſpoſuit, ut deinde caſu certæ figuræ exinde reſultaverint. Perperam itaque a ſola figura & ſimilitudine externa ad rem ipſam ſeu alienam quandam ſubſtantiam Phyſici argumentari ſolent adeoque diluvii effectus ſic nimis extendunt. Nos utique diluvii effectus non negamus, quia ejus tam aperta & manifeſta veſtigia proſtant, ut nulla ſolida ratione ea in dubium vocare poſſimus, ſiquidem animadvertimus, in profundis aquarum & altiſſimis ſtagnorum & terræ receſſibus corpora animantium & partes ex animantibus deſumtas item corpora, quæ mare tantum profert, ut oſtreas, cochleas, conchas, ejuſdem ſubſtantiæ & texturæ, quam a natura habent, cuſtodiri & contineri, ut facto examine chemico & phyſico certo demonſtrare poſſimus, ea corpora eſſe proſapiæ animantium & e. g. oſtrearum, cochlearum & concharum naturam poſſidere. Deinceps ex lutoſæ vel argillaceæ aut tophaceæ materiæ forma & figura, quæ hoc vel illud animalis corpus refert, non inepte concluditur, hanc materiam fluidam atque corporum horum cavitates ingreſſam fuiſſe atque horum partibus quibuſdam, ut v. g. cortice teſtaceo, corruptis vel quacunque alia ex cauſa diuturnitate temporis remotis eorum tamen formam ac figuram accepiſſe ac retinuiſſe.

CAPUT XLIV.

De Corporibus bituminoſis, in ſpecie de Succino.

IN terræ gremio ejuſque viſceribus non tantum varii generis metalla, mineralia, lapides, terræ, & ſalia, ſed inſuper etiam corpora ſulphureæ indolis pinguia & tenacia, quæ vocari ſolent bitumina, continentur. Non communis eſt bitumini natura cum ſulphure vulgari & minerali: hoc enim per deſtillationem neutiquam in oleum & ſpiritum diffluit; bitumina vero in vaſe vitreo deſtillata oleum & ſpiritum cum terra effoeta & inerti largiuntur. Sulphuris vero mineralis tam vapor quam odor plane diſſimilis eſt illi, quem corpora bituminoſa exſpirant. Dantur vero duo inprimis bituminum genera; alia enim ſunt nobiliora, alia ignobiliora & utraque ſunt vel ſicca vel humida. Nobiliora bitumina ſunt ſuccinum & ambra: ignobiliorum claſſem ducunt lithantraces, carbones foſſiles, terra ampelites, quæ nil niſi terra eſt ſucco bituminoſo referta, atque aſphaltum, quæ tamen ratione bonitatis & conſiſtentiæ multum a ſe invicem diſſident. Fluida bitumina ſunt petroleum & naphtha.

Quod

Quod ſpeciatim ad ſuccinum attinet, hoc magna in abundantia profert Pruſſia, adeo, ut hujus ſimplicis productio huic regioni propria eaque vera ejus ſedes ſit. Quamvis autem ſit terræ fœtus, datur tamen ejus copia in mari Baltico ad litus Sudavicum, ubi ſummis undis innatat interque fluctus fertur, quod inde retibus expiſcari ſolent. Loca ſuccini feracia inprimis ſunt pagi *Fiſchhauſen*, *Groſsdiick-ſtein*, *Wernichen* & *Palmonick*. Nec vero hoc bitumen eſt maris progenies; nam mare vento ac tempeſtate commotum illud ſaltem ex terræ viſceribus eluit & impetu fluctuum ſecum abripit tandemque littoris confinio admovet. Longe rectius autem bituminoſum hoc corpus mineralium claſſi accenſetur, ſiquidem terræ ſoboles eſt & pariter ac carbones foſſiles vel reliqua mineralia proprias intra venas colligitur. Illi venarum tractus ante aliquot annos juſſu Potentiſſimi Regis Friderici hunc in modum fuerunt detectæ. Fodiendo nimirum primo in conſpectum venit arena, qua ſublata ſtratum ſeſe obtulit argillaceum; poſt terra profundius ſubruta ſtratum apparuit ligneum ex ligno quaſi vetuſto flammam tamen concipiente coagmentatum, ſub cujus fundo plerumque deprehenſa eſt minera vitrioli, ex qua libero aeri expoſita non ſecus ac ex minera martis Haſſiaca vitriolum omnis venerei contagii expers efflоruit. Denique terra altius ſuffoſſa inventum eſt ſtratum arenaceum idque bono admodum omine; ex hoc enim convenientibus inſtrumentis dives ſuccini copia variis in locis fuit extracta. Nam digna res obſervatione eſt, quod arena matrix ſuccini eſſe ſoleat, hinc, ubi intra terræ ſinus offenditur arenæ copia, ibi interdum ſpes ſuccini reperiundi oſtenditur. Hac ratione in Marchia prope Kuſtrinum item in tractu Stolpenſi & Dantiſcano ex arena eruitur. Reperitur etiam certos in cumulos collectum, quod Germanice exprimi ſolet: Klumpen, oder Neſterweiſe / ex quo arguitur omnino fabuloſus error, ſuccinum eſſe arborum reſinam, quæ ex earum cortice deſtillet in mare ibique ſolis calore in ejuſmodi corpus digeratur. Generatio vero ſuccini hunc in modum procedere videtur: Ex ligno illo bituminoſo foſſili, cujus mentionem paulo ante injecimus, accedente calore ſubterraneo oleum deſtillatur, naphthæ vel petroleo ſimile, quod per ſuppoſita ſtrata per mineras vitrioli trajectum ab admixto ejus acido in corpus reſiniforme coagulatur; quam quidem ſententiam ea, quæ ſequuntur, reddunt confirmatiorem. 1) Naſcens ſuccinum fuiſſe liquidum, inde evinci poteſt, quoniam illud ſæpius ab ipſa natura in formam rotundam conglobatum conſpicitur; 2) fruſtis ſuccini interdum varii generis inſecta incluſa hærent, quod neutiquam fieri potuiſſet, niſi materia, qua circumvolvuntur, fuiſſet liquida; 3) quod ex oleo petroleo ſimili ſuccinum concreverit, ex eo colligere licet, quia oleum ex ſuccino paratum & odoris & virtutis ſimilitudine proxime accedit ad petroleum, dum hoc æque difficulter ac ſuccini oleum a rectificatiſſimo ſpiritu diſſolvitur: 4) auctor eſt CHARLETON, ſagax, ſi quis alius, rerum naturalium obſervator *in Tractatu de foſſilibus p.* 287. ſæpius eſſe inventa fruſta hujus bituminis, quæ naphtham ac petroleum intus concluſum tenuerint: 5) ſal acidum ſuccini admodum fixæ eſt indolis ſuaque virtute non cedit vitrioli acido; 6) magno hujus rei documento eſt experimentum illud phyſicum, quo animadvertitur, olea deſtillata ad unum fere omnia inque iis etiam aromatica cum oleo vitrioli vel aqua forti generoſiori commixta in maſſam denſari reſiniformem, quæ igni admota ad flammam concipiendam promta eſt ac parata: 7) ligna inſuper foſſilia & carbones foſſiles prævia deſtillatione & rectificatione fundunt oleum oleo ſuccini & petroleo ſimillimum: 8) denique magnam probationis vim habet ipſa, quam ſupra commemoravimus, ſtratorum diſpoſitio, quorum primum eſt ligneum, alterum vitriolaceum, tertium ex arena conflatum, in cujus ima parte ſuccinum & quidem per fruſta ſparſum offenditur. Reperiri ſolet magna in abundantia in littoribus maris Sudavici, eo inprimis tempore, quando borealis venti vehementia fluctus & procelloſas tempeſtates concitaverit, procul omni dubio eam ob rationem, quoniam mare, dum per illa loca ſubterranea, quæ alunt ſuccinum, cœco lapſu & cum impetu fertur, ex iis vi atque impetu concuſſis fruſta bituminis hujus divellat & ſecum auferat.

Succinum ratione coloris varium eſt & multiplex. Optimum eſt pellucidum, omnis maculæ expers, idque etiam eſt pretioſiſſimum, quod Chinenſes auro ratione pretii æquale æſtimant & ex quo etiam ſua idola affabre & eleganter efformant. Hoc tranſparente inferius eſt album, ſequitur poſtea flavum ac denique brunum omnium utique viliſſimum. Neque minus unum idemque eſt ſuccini pretium: nam quo majora ac puriora ſunt fruſta & quo magis pellucent, eo etiam carius venduntur. Vulgaris eſt ſententia, nigrum ſuccinum dari, ſed tale non reperitur, venditur autem hujus loco bitumen foſſile nigrum & ſolidum, quod ſpecies aſphalti eſt, atque in Anglia ex mineris carbonariis effoditur & ex eo incolæ varia utenſilia parare ſolent.

Quod attinet ad ſuccini uſum, ex eo mechanici & tornatores varia curioſa & pretioſa præparare ſolent, & uſus quoque medicus eſt inſignis. Nam gaudet virtute roborante, leniter conſtringente, & humores depurante, hinc in alvi fluxu ad tonum inteſtinorum roborandum; item in morbis ex ſtagnatione ſeri lymphæ ortis, ut fluore albo, gonorrhœa, non ſine fructu adhiberi ſolet. Ex ſuccino præparatur eſſentia cum ſale tartari, quod corpora reſinoſa maxime recludit, elegantiſſima, magnæ in morbis nervorum & ab atonia partium oriundis efficaciæ. Porro deſtillari poteſt ex ſuccino mediantibus cineribus clavellatis, cum quibus exactiſſime miſcetur, & ſpiritu vini rectificatiſſimo, ſpiritus ſuaviſſimi odoris & præſtantiſſimæ virtutis ad roborandum deperditum tonum partium. Si ſuccinum in pulverem comminuitur, & cum æquali arenæ portione miſcetur, per deſtillationem in arena ex retorta vitrea inſignem olei quantitatem largitur, adeo, ut ex libra una unciæ ſex olei minimum haberi poſſint. Intenſiori ignis gradu ſub finem adminiſtrato ſal ſaporis acidi craſſiori oleo immixtum in retortæ collum fertur, quod ab oleo ſeparatum & rurſus ſublimatum ſal ſuccini volatile vulgo vocari ſolet, tametſi non adeo volatilis ſit naturæ, utpote non niſi intenſiori igne in ſublime elevatur.

Nomen vero forſan adeptum eſt ob ſubtilitatem, quam habet cum ſale volatili ex partibus animantium deſtillato communem, quod demum prolectato prius oleo auctiori igne in conſpectum venit. De oleo hoc ſuccini id videtur notatu dignum, quod non, uti uti alia olea deſtillata, tam amicum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ineat conjugium, ſiquidem totum neutiquam in eo ſolvitur, ſed quædam ſubtilioris olei pars tantummodo in ſpiritum ſecedit, indicio, multum mucilaginoſæ ſubſtantiæ, quæ etiam leni facta ſuper carbones in vaſe aperto evaporatione & agitatione cum baculo in conſpectum venit, ipſi eſſe immixtum. Succini oleum, ſi cum aqua miſcetur & denuo ex veſica deſtillatur, multo evadit purius, limpidius & penetrantius, &c, quod a deſtillatione in veſica relinquitur, craſſum & mucilaginoſum magma eſt. Hoc oleum interne ſumtum magnum eſt calefaciens & ſudorem

dorem pellens remedium, unde id caute interne eſt uſurpandum. Externe vero adhibitum egregiam in diſcutiendis duris atque inveteratis glandularum tumoribus reſolvendo, & ſpaſmis & doloribus mitigandis exſerere ſolet efficaciam, unde in chirurgia magnam præſtat utilitatem. Sal ſuccini eſt valde diureticum & cum ſale volatili cornu cervi mixtum & ſolutum conſtituit famigeratiſſimum illum liquorem cornu cervi ſuccinatum diaphoretica & diuretica virtute conſpicuum, cujus auctor eſt Beatus D. D. Michaelis Profeſſor Lipſienſis.

CAPUT XLV.

De Ambra Gryſea.

Vocatur etiam hæc ambra cinericea ſeu cinerea. Eſt ſubſtantia ſolida, ſicca, opaca, cinerei ſeu gryſei coloris & odoratiſſima. Vulgo diſtinguitur in nigram & gryſeam. Nigra eſt rariſſima, & plerumque ea, quæ vendi ſolet, adulterata eſt & compoſita ex reſina ſtoracis, ladani, ligni aloes & moſcho. Vera nigra cognoſcitur ex eo, ſi eundem odorem, eandem ſubſtantiam & texturam cum ambra gryſea habet, minime vero tenax & viſcida eſt. Secundum noſtram ſententiam ambra nigra nihil eſt aliud, quam ambra gryſea ſelectiſſima, quæ, ſi pura eſt & manu calida tractatur, protinus liqueſcit, hinc, quo nigrior & liquidior exiſtit, eo eſt melior. Eſt corpus reſinoſum, id quod ex eo cognoſcitur, quia non ſolum in oleo deſtillato, ſed etiam ſpiritu vini rectificatiſſimo ſingulari tamen encheireſi præparato ſolvitur. Adfertur ex India orientali & reperitur maxime in mari Indico, item in inſula Divi Mauritii & Madagaſcar. Interdum ingentia ejus fruſta reperiuntur, quæ centum libras ponderant.

Diverſæ ſunt de ejus origine atque indole opiniones: Quidam ſunt in ea ſententia, ambram eſſe excrementum ſtercoreum avis peregrinæ orientalis, ut anſeris Madagaſcarienſis, quia hæ aves congregatæ altas rupes in mari ſitas frequentare ſolent, unde exiſtimant, earum excrementa ſale marino & ſolis calore exſiccari & in corpus ejuſmodi odoratum reſinoſum converti, idque maxime ex eo probare contendunt, quia ſæpiſſime ungues vel fruſtula roſtri in ambra incluſa reperiuntur. At vero experimentis chemicis protinus hic error manifeſte detegi poteſt; nam nulla animantium excrementa dantur reſinoſa, ſed potius facili negotio diſſolvuntur in aqueis menſtruis. Potius itaque partes animantium duræ, ut ungues & roſtra, ex eo deduci debent, quod aves utique bituminoſis ejuſmodi fruſtis vehementis ſolis calore quodammodo liquefactis inhæreant, quaſi inviſcentur ibique detineantur & moriantur, relictis iſtis veſtigiis. Alii crediderunt, ambram eſſe mellis vel ceræ quandam ſpeciem, quam apes rupibus maris apponunt, quæ poſtea a calore ſolis attenuata & digeſta ejuſmodi ſubſtantiam fragrantem exhibeat, ſed longe etiam mellis & ceræ natura ab ambræ natura differt; nam mel ſolvitur ab aqua, ambra vero non item. Recentiores quidam exiſtimarunt, ambram eſſe ſingularem ſpeciem reſinæ ſive lacrymæ, quæ ex arboribus adhuc incognitis orientalibus exſtillet & in mare transferatur, ubi ulterius & ſolis calore & ſale marino excocta ejuſmodi reſinoſum corpus conſtituat. Verum præter multas alias opiniones ea maxime huic opinioni repugnat, quia omnia reſinoſa vegetabilium corpora levi labore in ſpiritu vini rectificatiſſimo phlogiſto ſolvuntur & extrahuntur, cum tamen id ipſum non fiat cum ambra, quæ difficillimæ eſt ſolutionis in ejuſmodi ſpiritu, &, quia obſervamus, corpora inflammabilia, quæ ex terra naſcuntur, ut ſuccinum, bitumen Judaicum, carbo foſſilis, etiam difficilioris eſſe ſolutionis neque tam libenter conjugium inire cum liquore valde ſpirituoſo, hinc ſubſcribimus eorum ſententiæ, qui ſtatuunt, ambram ad bituminis genus eſſe referendam, cujus natales ſunt in terra, & ex cujus viſceribus fluctuum maris impetu ac vehementia evellitur ac defertur in mare, non ſecus, ac ſuccinum, quare etiam ſub impetuoſis tempeſtatibus, præſertim vere & autumno, majori in copia ad rupes colligi ſolet. Hanc ſententiam confirmant varia mineralia, quæ interdum in ambra conſpiciuntur, ut marcaſitæ ſulphureæ & aſphaltum. Quod vero liquida in principio fuerit ambra, ex eo liquet, quia non modo roſtra avium ſed conchilia etiam ei incluſa reperiuntur. Ambra, quia bitumen ſeu reſina eſt, ex ſubtiliſſimo oleo & acido ſpiritu conſtat.

Quum vero tam difficilis ſolutionis ſit ambra, hinc certe nullam adhuc genuinam ambræ ſolutionem in officinis conſpicimus; nam eam plerumque parare ſolent cum moſcho, oleis cinnamoni, roſarum, vel etiam zibetho, & ita poſſidemus quidem ſuaviſſimi odoris eſſentiam, quæ etiam ſua virtute & uſu non caret, at parum participat de ambra, quæ potius intacta remanet. Quapropter hos genuinæ eſſentiæ characteres ponimus; 1) parari debet ex ſola ambra nulla alia re ſolvenda admixta; 2) menſtruo fere totam reſolvi oportet; 3) ſi inſtilletur hæc eſſentia aqueo liquori, more omnium oleorum & reſinarum lacteſcat neceſſe eſt. Pararur vero ſequentem in modum: Spiritus roſarum penitus dephlegmatus non ſemel ſed minimum bis abſtrahatur a ſale tartari forti igne uſto & calcinato; ita prodit ſpiritus, qui ſua penetrantia intimam mixtionem ambræ invadit ejuſque oleoſum contextum diſcerpit ac reſolvit. Cum ejuſmodi ſpiritu parata eſſentia ambræ inter remedia confortantia & quæ debilitatum nervorum ſyſtema roborant, adeoque inter medicamenta, quæ morbis ex deficiente robore nervoſarum partium oriundis dicata ſunt, facile principem obtinet locum neque vapore ita caput replet vel commotiones atque agitationes in debili corpore provocat, ut quidem ea, quæ vulgo ex ambra admixto zibetho vel moſcho præparatur, ſiquidem ejuſmodi fragrantia debiles viros & fœminas, ſpaſmis obnoxias minus commode ferre ex practicis notum eſt. Hæc ambræ eſſentia acceſſu aeris frigidioris quandoque deponit mucilaginem quandam albam, quæ cum ſaccharo mixta dat confortantem elegantiſſimam medicinam. Ambra propter balſamicam ſuam reſinam naturæ valde amicam & ſuaveolentem ſubſtantiam magnum eſt analepticum ſeu tonum & robur partium confortans & reſtituens, & propter vaporoſum illud ſuaveolens principium eſt ſimul ſedativum anodynum & ſomnum concilians, quod maxime ſenibus convenit ipſiſque facilem & ſuavem conciliat ſomnum propter vim balſamicam. Crato ipſi adſignat præſervatoriam vim contra omnes morbos & etiam peſtem, & Verulamius eam ſpecifice commendat ad prolongandam vitam.

CAPUT XLVI.

De Carbonibus Foſſilibus.

Ad bitumina ignobiliora pertinent carbones foſſiles, qui magna in copia in certis & ampliſſimis terræ diſtrictibus reperiuntur. Tota terra circa Halam noſtram, referente jam olim Agricola, carbo-

carbonum foſſilium plena eſt. Teſtes ſunt agri Wettinenſes & Loebejünenſes, qui magnam copiam carbonum & quidem optimi generis, præbent, nullibi vero majori in abundantia proſtant quam in Scotia, Anglia & in epiſcopatu Leodienſi. Admiranda etiam eſt in eo divina providentia, quod lignorum defectum, qui multas regiones premit, combuſtibili materia ſubterranea compenſaverit. Duplicis vero ſubſtantiæ dantur carbones foſſiles & merito in nobiles atque ignobiles dividi poſſunt. Ii, qui non in terræ profundo ſed ejus ſuperficie hærent, ſunt leviores & ad ignem diu ſuſtinendum minus aptæ, & Germanice vocari ſolent Tage-Kohlen. Præſtantiores iis ſunt, qui magis profunde in terra hærent & generatim eſt notandum, quod, quo ponderoſiores, ſolidiores & nigriores ſunt, eo meliores ſint eoque vehementiorem & diuturniorem alant ignem. Res perquam notatu digna eſt, quod hi carbones non ſecus ac mineræ ſuas habeant venas per longos & latitudine aliquot ulnas explentes tractus diffuſas. Plerumque ſub argilla ſunt ſiti, interdum inter duriſſimas rupes lapide nigro vel gryſeo ſciſſili tecti jacent, & hoc vocatur tectum carbonum, in quo interdum variæ arbores depictæ conſpiciuntur. Notabile porro eſt, quod carbones foſſiles, quando per retortam deſtillantur, ingentem olei fœtidi inflammabilis copiam largiuntur, quod per deſtillationem repetitam rectificatum multum cum petroleo convenit & flammam celeriter concipit. Prodit quoque in hac deſtillatione ſpiritus urinoſi ſaporis & odoris, qui etiam cum liquore acido confligit, & denique fortiori igne ſuccedit ſal acidum & remanet tandem caput mortuum terreum omnis inflammabilitatis expers, quia eſt orbatum ſuo oleo, qood matrix ignis eſt.

Datur prætere-a alia carbonum foſſilium ſpecies, quæ lignum foſſile dicitur, quoniam ejus texturam & formam valde æmulatur, differt vero a genuino carbone foſſili in ſequentibus qualitatibus: carbo foſſilis eſt niger & ſolidus, lignum foſſile vero leve eſt & bruni coloris, & carbo foſſilis flammam apertam ſine multo vapore concipit, lignum autem foſſile exiguam flammam cum multo ingrato & fœtido fumo alit, unde etiam rarius in uſum cedit. Res memoratu digna eſt, quod ejuſmodi ligna foſſilia ſæpiſſime matricem ſeu mineram præbeant, ſali aluminoſo vel vitriolaceo in terra, unde etiam fere omne alumen in Germania ex ejuſmodi terra lignoſa bituminoſa foſſili coquitur, ut in Bohemiæ urbe Altſattel & Miſniæ urbe Düben. Eadem ligna foſſilia mineram ſulphuris vitriolaceam ſæpiſſime ſuppeditant, uti id videmus in agris Quedlinburgenſibus, item mineris ſuccini, quæ proſtant in littoribus maris Baltici. Differt etiam hoc lignum foſſile inflammabile a terra foſſili pingui & inflammabili, quæ vocari ſolet a Phyſicis ampelitis, quæ cum aqua & luto in globos vel maſſas globoſas redacta ignem alit, ſed cum copioſo odore fœtido conjunctum. Differt porro carbo foſſilis a terra pingui inflammabili, quæ ex pluribus fibrillis compoſita & magis proſapiæ vegetabilis quam mineralis eſt & vocari ſolet Torff. Nil niſi terra eſt paludoſa pinguis ſolis calore ſiccata, cui inhærent adhuc multæ plantarum fibræ ac filamenta, & in magna copia eruitur in Weſtphalia & Friſia Hollandica. Quia nonnulli terræ diſtrictus ſubterranei repleti ſunt inflammabili lignoſa vel carbonum materia, cui multum ſulphuris, aluminis, vitrioli & terræ martialis interſperſum eſt, non ſine ratione exinde ſubterranei ignis immo flammæ, qua nonnulli montes in Italia, Sicilia & Iſlandia uruntur, cauſam deducimus, permoti maxime hac ſingulari obſervatione, quod montes circa urbem Zwiſcau carbonibus foſſilibus repleti per multos annos incenſi afferunt flammam & fumum eructantes, donec tandem omnibus clauſtris, orificiis, & aperturis obduratis & clauſis ignis fuit extinctus: qua de re legi meretur Georgius Agricola item Albinus *in Hiſtoria Miſnienſi*.

CAPUT XLVII.

De Aſphalto.

Aſphaltum eſt bituminis ſubterranei ſpecies & vocari ſolet bitumen Judaicum, Germanice Juden-Pech. Reperitur ejus copia in mari mortuo & lacubus in Judæa, in quibus ſupernatat & propellitur ad littora, nullumque dubium eſt, quin terra circa mare mortuum inſignes venas hujus bituminis alat, quod maris fluctibus eruitur & abripitur. Eſt coloris nigri, texturæ friabilis & ſplendentis, flammam facile concipit & vapore gravi caput replet. Deſtillatur ex eo oleum inflammabile. In medicina uſurpatur rariſſime nec niſi ad colorem nigrum balſamis conciliandum. Veteres olim in Ægypto & Judæa eo plurimum uſi fuerunt ad condienda cadavera, hinc mumiæ maxima ex parte aſphaltum & myrrham continent. Hodie utuntur eo ad vernices nigros conficiendos.

CAPUT XLVIII.

De Petroleo.

Petroleum ſeu naphtha eſt bitumen liquidum, bituminoſi penetrantis validi ſed ingrati odoris, ſtillans ex rupibus ſubterraneis in Italia, Sicilia & agris Mutinenſibus. In Sicilia fontes oriuntur in rupibus, aquam protrudentibus, quæ ſupernatans petroleum habet. Eſt liquor bituminoſus flavus vel rubicundus: flavus vocari ſolet naphtha, rubicundus petroleum. Videtur hic liquor generari ex bitumine ſeu carbone foſſili per calorem ſubterraneum extracto & quaſi deſtillato. Dum enim ſub terra bitumina accenduntur, vapor oleoſus elevatur in altum, qui per arenoſa loca tranſcolatus in aquis colligitur & condenſatur & ſic tranſit in oleum: ſiquidem, quando oleum deſtillatum ex carbonibus foſſilibus cum calce miſcetur & deſtillatur, liquor, qui penetrantia, colore & virtute cum petroleo convenit, obtinetur. Adhibetur externe, quia magnam habet vim penetrantem & cito poris ſe inſinuat, in affectibus a cauſa frigida ortis nec non ad diſcutiendos tumores; aſt, quoniam odore & vapore ingrato præditum eſt, qui caput petit & replet, raro in uſum trahitur, præſertim a delicatis & ſenſibilioris naturæ hominibus. Magnum vero uſum habet in affectibus externis pecorum & jumentorum ut in eorum contracturis, exulcerationibus & tumoribns duris diſcutiendis. Neque minus utuntur artis pyrotechnicæ ſtudioſi, quia hoc oleum cito flammam concipit & ſub aqua ardet.

CAPUT XLIX.

De Coralliis.

Corallia habentur vulgo a rerum naturalium perſcrutatoribus pro plantis marinis, quoniam in varios ramos inſtar arboris diſtributa videntur, ſed, quia fructibus & foliis deſtituuntur atque inſtar lapidis dura ſunt, eam ob cauſam potius ad eorum lapidum, qui creſcunt & varias nanciſcuntur figuras, ſpeciem ut lapidem ſtillatitium ſpecuum e. g. ſpecus Baumannianæ & lapidem ſub nomine flos ferri venientem accenſeri debent. Maxime conveniunt & comparari poſſunt cum ſic dicto flore ferri præſertim Stiriaco, qui ex ſucco lapidoſo puriſſimo effloreſcit variaſque formas ac figuras ſortitur. Solent enim omnes ejus generis lapides calcaream habere indolem, unde, ſi extremo igne uruntur, calcem acerrimam præbent, quod etiam valet de coralliis tam albis quam rubris, quæ utraque in calcem acerrimam tranſeunt ignis vehementia. Deinde coralliorum cum lapide ſtillatitio convenientia ex eo eluceſcit, quoniam, ſicut lapis ſtillatitius propter naturam alcalinam ab acido liquore facillime diſſolvitur, ita etiam idem contingat cum coralliis. Reperiuntur maxime in mari Mediterraneo ad littora Provinciæ non procul a portu Telonienſi, Cataloniæ, Sardiniæ, Siciliæ, Majorcæ & Minorcæ, item in mari rubro. Adhærent maxime montibus & rupibus in mari extantibus procul omni dubio ex lapide calcareo conſtantibus. Sunt vel alba vel rubra. Rubra ſolent eſſe ſolida non poroſa &, quod notabile eſt, externo cortice albo obducta, qui a ramis majoribus ſpiritu acido ſeparari poteſt. Notandum eſt, quod corallia alba rariſſime ex toto ſolida reperiantur, & videntur ſpecies oſteocollæ eſſe, dum nempe plantis marinis præſertim rupibus inhærentibus apponitur ſuccus calcareus, qui obducit externe plantæ partes & ramulos, unde interne quoque veſtigia vegetabilis corporis plerumque reperiuntur. Corallia itaque rubra magis cum ſic dicto flore ferri, qui etiam ſolidos ramos habet, comparari poſſunt & conveniunt, corallia vero alba cum oſteocolla. Corallia nigra rariſſima ſunt, poſſunt tamen de his videri *Miſcellanea curioſa*, & eorum ſpeciem vidimus in rarithecio Berolinenſi Menzeliano. Error eſt, quod corallia in mari mollia ſint & ſuccum lacteum inſtar animalis in mari præbeant, qua de re videri poteſt Olaus Wormius *in Muſæo.*

Quod attinet ad uſum medicum, vulgo corallia rubra præferre ſolent albis propter tincturam, quam ex illis extrahere contendunt & cui adſcribunt præſtantiſſimam virtutem ſanguinem purificantem & partes vitales corroborantem. Verum enim vero, cum color non niſi ex varia diſpoſitione partium lucem vario modo reflectentium oriatur, vana omnino eſt virtus tincturæ coralliorum. Rectiſſime itaque una eademque coralliis rubris & albis adſcribitur vis, quæ conſiſtit in acido abſorbendo, alterando, corrigendo & temperando, præſertim eo, quod in primis viis oberrat. Quia vero principium illud alcalinum terreum, quo gaudent, quodammodo rudius eſt & craſſius aliis alcalinis corporibus, quæ regnum animale præbet, hinc adſtringentem quandam vim poſt abſorptionem acidi in corpore humano exſerunt, quare non ſine ratione ad hæmorrhagias ſiſtendas præſcribuntur. Ad tincturas quod attinet coralliorum, non niſi ſolutiones ſunt & virtutem maxime mutuantur ſuam a menſtruo, quocum fuerunt præparatæ, hinc non omnis ipſis deneganda eſt virtus. Nos ope ſpiritus nitri dulcis bene præparati præparavimus ſolutionem coralliorum, quam rubicundiſſimam effecimus inſtillatione aliquot guttularum liquoris martis. Hæc egregia ſe commendavit virtute roborante, reſolvente, anodyna & antiſpaſmodica. Proſtat quoque ſal coralliorum. Corallia calcinata & in pulverem redacta ad grana decem diureticam exſerunt virtutem atque in calculo pellendo proficua ſunt, præſertim, quando aliquot guttulæ eſſentiæ ſuccini ſimul cum iis ſumuntur. Cæterum notandum eſt, quod corallia rubra albis ad uſum medicum præferri & frequentiſſime uſurpari ſoleant.

CAPUT L.

De Margaritis.

Margaritæ ſunt lapides rotundi & ovales, argentei coloris, duri & compacti, variæ magnitudinis, nati in conchis margaritiferis, quæ certum piſcium genus continent. Dividuntur in Orientales & Occidentales: illæ his ſunt longe præſtantiores propter ſplendorem & nitorem majorem, quo gaudent, & reperiri ſolent in Sinu Perſico circa inſulam in hoc Sinu ſitam dictam Bahrein ſeu Baharem, in Arabia felici non procul ab urbe de Cariſa, in freto a Batavis dicto Straate van Manaer in mari circa Maduram e regione inſulæ Ceylon ſitam & denique in Japonia. Occidentales reperiuntur circa inſulas in Sinu Mexicano ſitas ſeu potius in ipſo Sinu Mexicano. Offenduntur quoque margaritæ in variis Europæ & Germaniæ fluviis, atque ex his celebres ſunt Scoticæ, Bavaricæ & Voigtlandicæ, qua de re legi poſſunt Epiſtolæ itinerariæ Tollii *p.* 129. *&* 187. ſed bonitate tam orientalibus quam occidentalibus non ſunt æquiparandæ. Conchæ margaritiferæ ſunt bivalves, oblongæ, majores, accuratiſſime clauſæ, atque continent animalia, in quorum fimbriis hærent margaritæ, quæ a nonnullis rerum naturalium perſcrutatoribus pro glandularum tumoribus vel induratis tophis habentur: alii exiſtimant, quod margaritæ ex tumore genitali, qui ſtato tempore pro teſta nova efformanda emittitur, intra teſtas coagulato creſcant. Diſtingui merito ſolent in maturas & immaturas. Immaturæ ſunt pallidæ & lividæ, maturæ ſplendentes, nivei & argentei coloris inſtar matris perlarum; longum autem requiritur tempus, antequam matureſcant, adeo ut quinquaginta anni quandoque non ſufficiant. Ex meris pelliculis ſeu lamellis ſunt compoſitæ, id quod apparet, quando per medium diſcinduntur. Conchæ hæ aperiuntur certis uncis & tenaculis; arcta enim eſt earum clauſura. Teſtæ margaritis refertæ ſignatæ ſunt externe linea exaltata (*ſie haben auswaerts einen erhabenen Strich.*) Margaritæ, quæ magno habentur pretio, ſunt eæ, quæ eximiæ ſunt magnitudinis, figuræ rotundæ, lævigatæ & tranſparentes.

Quod ad uſum attinet medicum, exiſtimabant Veteres, ſummam analepticam & cordialem virtutem ipſis ineſſe, quare iis etiam in extremo virium lapſu fuerunt uſi, immo ad mitigandum hecticum calorem atque hecticam & phthiſin ſanandam perlarum pulverem ut ſummum & ſpecificum remedium adhibuerunt. Verum enim vero earum virtus a virtute matris perlarum plane non differt; nam ejuſdem, cujus hæc eſt, ſunt proſapiæ atque indolis ipſique in omnibus virtutibus ſimiles nullamque aliam exſerunt virtutem quam acidum abſorbentem & leniter

conſtrin-

conſtringentem, unde viliſſimi pretii mater perlarum ipſis commode ſubſtitui poteſt.

REGNUM ANIMALE.

CAPUT I.

De Oſſe Sepiæ.

OS ſepiæ eſt corpus candidum, oblongum, in parte ſuperiori durius, quam in inferiori, in hac magis ſpongioſum, friabile, molle, leve, terrei & ſalſi ſaporis. Naſcitur in dorſo piſcis, qui vocatur ſepia Germanice Blackfiſch / cujus deſcriptio legi poteſt in GESNERO *de piſcibus.* Piſcis hic degit in fundo maris, præſertim Mediterranei, victum quærit ex aliis piſcibus, longus eſt circiter duos, ſecundum aliorum vero relationem, plures pedes, & habet in pedibus acetabula, e quibus liquor niger profluit. Chinenſes ex hoc liquore parant ſuum atramentum, dum illum cum aqua gummoſa vel gelatinoſa miſcent & igne inſpiſſant. In Galliæ urbibus Nantes, Lyon, Bourdeaux, aliiſque eo utuntur loco alimenti. Liquor, quem deponit tam extra quam intra mare, eſt inflammabilis, amaricans & virtutis purgantis. Magna gaudet copia ovorum, quæ coloris ſunt violacei & ſingula tecta membrana denſiori. Os hoc nihil aliud eſt quam ſquama piſcis modo dicti; &, quod ad uſum ejus medicum attinet, gaudet virtute abſorbente atque exſiccante propter principium alcalinum terreum, quod continet. Commendatur ceu ſpecificum in gonorrhoea, quia ob abſorptum acidum virtutem leniter adſtringentem acquirit: nonnulli id ob eandem virtutem abſorbentem miſcent cum pulvere radicis glycyrrhizæ & magno cum fructu ad ſodam exſtinguendam uſurpant. Externe optimum præbet dentifricium & ejuſmodi pulvis, qui dentium dealbationi atque impuritatibus abſtergendis inſervit, commode concinnari poteſt ex oſſe ſepiæ, lapidibus cancrorum, radice iridis Florentinæ & maſtiche æquali quantitate ſumtis & additis aliquot guttis olei caryophyllorum. Inſpergitur etiam pulvis hujus oſſis ulceribus humidis & ſordidis, ut eo facilius exſiccentur & mundificentur. Quod ſpectat ad uſum mechanicum, aurifabri eo utuntur ad conficiendas formas, quibus aurum infundunt.

CAPUT II.

De Spermate Ceti.

SPerma ceti eſt ſubſtantia alba, mollis, pinguis, ſaporis butyracei, ex ſquamulis quaſi confecta & reperitur in mari ſeptentrionali & glaciali, cui innatat ſub forma olei, quando caret fluctibus. Reſolvitur ſolaribus radiis & omnem ſocietatem cum aqua reſpuit. Veteres illud habuerunt pro ſpermate ipſius ceti piſcis; nonnulli Recentiores exiſtimant id eſſe cerebrum balænæ, quæ vocari ſolet orca, & alii id habent pro bitumine maritimo, quod ex fundo maris tempeſtatibus procelloſis eruitur. Verum enim vero nihil aliud eſt quam oleoſus & pinguis ille humor, qui continetur in cavitatibus & ſinubus cranii cetorum & interdum per nares ejicitur, unde imperitiores exiſtimant cerebrum per nares effluere. In Iſlandia & Seelandia, ubi ceti ſtupendæ magnitudinis capiuntur, oſſa cranii & eorum ſinus divellentur, eximitur pinguis ille humor & in lixivio ex calce viva & cineribus clavellatis compoſito coquitur, donec in ſubſtantiam illam ſpiſſam abeat, quæ ſub nomine ſperma ceti in pharmacopoliis venditur. Poteſt hac de re legi ETTMULLERI *Diſſertatio de cerebro orcæ ſive ſpermate ceti.* Quod attinet ad uſum medicum ſpermatis ceti, hoc egregia reſolvente & antiſpaſmodica virtute præditum eſt, unde ejus uſus in coagulatis humoribus reſolvendis, præſertim vero in pectoris affectibus, ubi humores ſpiſſi & tenaces ſunt reſolvendi tuſſisque una cum ſpaſmis & doloribus lenienda, neque minus in leniendis doloribus & ſpaſmis colicis & nephriticis maximopere laudatur & commendatur. Externe uſurpatum egregiam exſerit utilitatem & virtutem in emolliendis & reſolvendis duris tumoribus, præſertim, ſi cum gummatibus temperatis miſcetur. Egregium quoque eſt coſmeticum; nam cutem puram & nitidam reddit, ſordes atque impuritates abſtergit ipſique pulchritudinem conciliat, quo fine cum pinguedine omenti vitulini vel alia & debita quantitate balſami de copaiva miſceri poteſt.

CAPUT III.

De Corallina.

COrallina eſt ſpecies muſci marini, coloris cinericei, ſaporis ſalſi, creſcens ex ſaxis & rupibus marinis, conchis quoque & coralliis quandoque adhærens, ex plurimis fibris ramoſis duris & aſperis conſtans & ad longitudinem trium digitorum creſcens. Ejus magna copia reperitur in mari Mediterraneo, indolis eſt alcalinæ, ſiquidem cum quovis acido efferveſcit. Fortiori igne quando calcinatur, acerrimi inſtar calcis vivæ fit ſaporis. Videtur hæc planta ex ſucco ſubtiliori calcareo non ſecus ac ſic dictus flos ferri enaſci. Uſum ejus magni faciunt & magnis extollunt laudibus in enecandis vermibus alvique fluxu cohibendo.

CAPUT IV.

De Lapide Spongiæ.

LApis ſpongiæ eſt lapis maxime friabilis, poroſus, ex ſucco calcareo & arenoſo compoſitus, reperitur plerumque in ſpongiis, quarum partes hoc ſucco ſunt obductæ, coloris eſt cinericei, &, quod oſteocolla eſt extra mare in terra, id lapis ſpongiæ videtur eſſe in mari; nam utraque tam oſteocolla quam lapis ſpongiæ, ex calcareo & tophaceo ſucco ſunt congenita. Natura eſt identidem alcalinæ; nam cum quovis acido confligit. In calcem quoque fortiori igne uritur. Singularem virtutem atque effectum exſerere creditur in diſcutiendis & reſolvendis ſtrumis & tumoribus duris, item in calculo renum & veſicæ comminuendo & confringendo & diuretica quoque virtute gaudet.

CAPUT V.

De Dente Hippopotami.

DEns hippopotami eſt dens animalis marini quadrupedis, inſtar bovis grandis, habentis caput

put equinum, ungulas bubulas, tres prægrandes dentes e quovis maxillæ ſuperioris latere eminentes & ultra pedem longos, aures breves & ſubrotundas & caudam apri. Dentis ſubſtantia eſt duriſſima, albiſſima, & ejus colliſione cum chalybe ſcintillulæ elici poſſunt. Propter duritiem, qua pollet, inſignem artifices mechanici eo utuntur ad varia manubria aliasque res conficiendas. Animalis deſcriptionem vide in LUDOLPHI *Hiſtoria Æthiopica.* Porro notabile eſt, quod dentes artificiales, qui in locum eorum, qui deficiunt, ſubſtituuntur, ex hoc dente præparari ſoleant. In medicina magna huic denti adſcribitur efficacia compeſcendi nimias hæmorrhagias, ſiſtendi ſpaſmos, immo ſanandi epilepſiam, quando ejus pulvis a drachma dimidia uſque ad integram propinatur. Externe quoque ex eo amuleta ad hæmorrhagias ſiſtendas ſolent concinnare & dicunt, præſtare hanc efficaciam propter ſal volatile copioſum, quod continet.

CAPUT VI.

De Lapide Manati.

Lapis manati improprie ſic vocatur & potius os eſt, qui in capite animalis marini, quod vocatur manati, reperitur. Hoc animal eſt vacca marina ob caput & carnem bovi haud abſimilem. Eſt e cetorum genere, amphibium, herbas ad ripas creſcentes depaſcens, habens oculos fere caninos admodum exiguos, ſedecim pedes & ultra longum, auribus carens externis & loco harum habens exigua foramina. In ejus capite reperiuntur bini lapides ſeu potius oſſa, quæ conſtituunt cochleam auris nihilque aliud ſunt quam oſſa auditus. Deſcriptionem hujus animalis exactam ſubminiſtrat LEMERY in libro ſuo, cui titulus eſt: *Dictionnaire ou Traité univerſel des drogues ſimples.* His lapidibus adſcribitur eximia virtus antiſpaſmodica, in mitigandis renum doloribus & ſopiendis motibus ſpaſmodicis & epilepticis, eorumque virtus & uſus coincidunt cum virtute & uſu dentis hippopotami. Notandum hoc loco eſt, quod multi lapidem manati confundere ſoleant cum oſſe petroſo ceti, a quo tamen multum differt & facile diſcerni poteſt magnitudine & duritie & ſoliditate minori: quæ qualitates in falſis lapidibus manati longe majores ſunt.

Genuinus lapis manati eſt quidem ſubſtantiæ ſoliſſimæ inſtar petræ, quoniam vero a ſpiritu nitri ſeu aqua forti ſolvitur, hinc apparet, eum non eſſe lapidem ſed os, quia hoc acidum non aggreditur durum lapidem. Hujus lapidis tenuiſſima raſura convenit ratione uſus & virtutis cum raſura dentis hippopotami & virtute gaudet antiſpaſmodica, hinc etiam non ſine fructu in omnibus affectibus convulſivis & ſpaſticis, doloribus & hæmorrhagiis adhibetur.

CAPUT VII.

De Teſtaceis variiſque Conchiliis.

Oceanus diverſiſſimi generis piſces & animalia teſtis & conchiliis incluſa nobis ſubminiſtrat, quæ varia forma, figura & colore mirifice inter ſe differunt, ut curioſior oculus inſigne artificium in ſtructura textura & forma teſtarum & conchiliorum & ſummi opificis exinde elucentem ſapientiam non ſatis admirari & laudibus celebrare poſſit, utpote qui etiam in iis, quæ in mari generat, rebus maximus apparere voluit: & quamvis animalia ſub teſtis iſtis recondita exiguum habeant uſum adhuc notum in re tam medica quam naturali & œconomica, nihilominus tamen in involucris illis teſtaceis non ſolum mechanicum & geometricum artificium maxime eſt admirandum, ſed etiam eadem involucra uſu quodam gaudent medico, qui conſiſtit in eo, ut ſuccos acidos ponticos, naturæ inimicos, aliorumque multorum malorum fontes & cauſas, in primarum viarum regione oberrantes, abſorbeant, invertant atque temperent, &, quoniam ex commixtione acidi cum ejuſmodi concreto marino quaſi tertium & neutrum ſalinum emergit principium amaricantis ſaporis, hinc ſimul hujus vi atque efficacia egregiam abſtergentem, viſcidos humores reſolventem & detergentem, aperientem, ſtimulantem & diureticam, quin interdum laxantem exſerant virtutem. Paucis, omnia conchilia, oſtreacea, teſtacea, & cochleæ in virtute abſorbente reliquiſque virtutibus modo dictis conſpirant idemque præſtant, quod pretioſiſſimæ perlæ. Notabilis porro res eſt, quod hæc omnia extremo igne uſta fatiſcant in calcem acerrimam, quæ præter uſum mechanicum in medicum quoque cedit diureticum, præſertim vero ad comminuendum calculum veſicalem, ſi cum debita cautione adhibetur, ſummopere commendatur, qua ex ratione etiam famigeratiſſimum pulverem Volkammeri ingreditur. Proſtant vero teſtacea vel univalvia vel bivalvia vel turbinata. Ex univalvibus eminent maxime nautili, echini marini, ſtella marina, ejuſque variæ ſpecies, ut patella optime levigata & ſtriata: ex bivalvibus eminent conchæ margaritiferæ, ut mater perlarum, concha margaritifera natatilis, concha corallina margaritifera, concha echinata ſeu cor veneris, pectines & pectunculi, concha ſtriata, concha rugata, ſquamæ, concha exprimens cor, concha dicta mytulus & concha tellina: ex turbinatis eminent præcipue murex maximus, murex marmoreus, pentadactylus, auritus, conchæ venereæ varii coloris, concha umbilicalis ſeu perſica minor, concha cylindroides, purpura tuberoſa & purpura ſimplex: ex cochleis ſe commendant alatæ oleariæ, cochlea pyramidalis, cochlea aurita, cochlea margaritifera inſtar matris perlarum ſplendens, cochlea buccinata, cochlea argentei coloris, cochlea dicta nerita, cochleæ lutariæ, ſtriatæ, cochlea rugoſa & umbilicata, cochlea rugoſa rubra elegantiſſimis maculis, ornata, cochleæ ſemilunares, concha margaritifera variis brunis maculis interſperſis & cochlea minima, cui muſcus inſidet: inter turbinatas turbo magnus, turbo ventricoſus ſive buccinum roſtratum, turbo labroſus labro falcato, tuberculoſus, tuberoſus, turbines aperti, auriti, turbo albus inſtar helicis, turbo ſtriatus & papilloſus & buccina muſicalibus notis inſignita occurrunt notanda. Plura de his vide in BONANNI *recreatione mentis & oculorum* in lingua Italica ſcripta, in qua elegantiſſimæ ſimul occurrunt icones, item in LISTERI & JONSTONI ſcriptis.

CAPUT VIII.

De Mure Marino.

Mus marinus diu fuit incognitus rerum naturalium perſcrutatoribus & Medicis. Non eſt animal, ſed potius teſta, ſeu potius ſecundina piſcis, qui vocatur raja, non vero hujus animalis uterus eſt. Primus, qui hujus mentionem facit, eſt GESNERUS in libro ſuo de piſcibus pag. 74. & ex recentioribus

BRA-

Brackenhoferus, qui in Manuſcripto de ſuo naturalium & artificialium muſeo ſequentia habet: Ova piſcis rajæ ſunt quadrangula, longitudine latitudinem paulum ſuperante. Longitudo unum & dimidium pollicem æquat, latitudo vero exiſtit pollicaris. Depreſſa & plana ſunt, in medio tamen convexa inſtar pulvinaris, & ex tenui pellicula paululum ſpumoſa utrinque conſtant, quæ circumcirca ſimplici eaque tenui membrana, qua totum pulvinar ſecundum quatuor latera cingitur, videtur munita: hæc vero membrana prominet ſeu propendet tanquam in veſtibus holoſericum ſubſutile aut cui denticulatum palagium inſuitur; color eſt ex nigro fuſcus, in angulis apparent quaſi cornua longitudine forte ſeſquidigitali. Iſta cornua ejuſdem coloris, ſubſtantiæ & materiæ ſunt atque pulvinar: nempe tenui membrana conſtant non ſimplici, qualis eſt circumcingens pellicula ſed dupla vel cava, ea tamen depreſſa & in extremitate paulum acuminata. In pulvinari anterius ſemper apparet apertura, per quam animal egreditur. Multi hanc rem raritatis cauſa aſſervant, quid vero ſit, ignorant. Hactenus Brackenhoferus. In hiſce exuviis ſeu teſtis latitant piſces rajæ juniores. Uſus hujus teſtæ ceu ſpecificus ad hæmorrhoides cœcas diſcutiendas commendatur, & hoc fine ejus fumus ad locum affectum ſolet admitti. Multum veriſimile eſt, exſpirans oleum cum ſale volatili, hanc, ſi quam exſerit, virtutem præſtare. Num vero eadem virtus etiam aliis corporibus ſale volatili & oleo fœtido præditis inſit, non immerito exinde conjicitur.

CAPUT IX.

De Unicornu Animali.

A veteribus phyſicis & Medicis falſo fuit creditum, hunc ingentis magnitudinis dentem eſſe cornu animali quadrupedis terreſtris unicornu dicti, &, quoniam ejuſmodi animal non amplius deprehenditur, hinc ſibi perſuaſum habuerunt, ejus genus per diluvium fuiſſe exſtinctum & poſt diluvium ejus cornua tantum remanſiſſe, quare etiam unicornu in maximo habitum fuit pretio, adeo, ut auro fuerit antepoſitum. Poſtquam vero navigationes in mari Septentrionali & Islandico magis celebratæ fuerunt, tunc a Groenlandis & Islandis hoc animal fuit detectum & deprehenſum, quod ſit dens animalis marini e Cetorum genere, quod in freto Davidis commoratur & capitur & a Septentrionalibus dicitur Narhval a cadaveribus quibus veſcitur; nar enim piſcis cadaver dicitur. Defertur hoc animal cum glaciei fragmentis ſæpe ad Islandos & accurate deſcribitur a Wormio in ipſius *Muſæo pag.* 282. 283. De carne hujus piſcis hoc refertur notabile, quod animal, quod eam comedit, ſive ſit homo ſive brutum, in mortis periculum non ſecus, ac ſi venenum hauſiſſet, conjiciatur; quod tamen negat Wormius. Unicornu, de quo hic ſermo, eſt mirabilis magnitudinis dens nec cornu & latitat in alveo magno & profundo maxillæ ſuperioris ſiniſtri lateris & infixus eſt per gomphoſin non ſecus ac alii dentes. Situm præterea talem habet, ut, ſi animal hoc naribus præditum eſſet, eum ex ſiniſtro nare prodire jurares, verum, cum bellua ſit marina cetacei generis, naribus & reſpiratione, quæ per has fit, non eget. Hic dens ſolidiſſimæ & compactiſſimæ eſt ſubſtantiæ, interne cavus & extrinſecus ex ſtriis variis convolutis conſtans. Adſcribitur ejus pulveri præſentiſſima adverſus quævis venena efficacia, quæ tamen omnis eſt fruſtranea. Convenit ejus virtus cum virtute aliarum ſolidarum partium animantium ut dentium & cornuum nec effectu antiſpaſmodico ſedativo caret. Uſitata eſt in pharmacopoliis ejus philoſophica præparatio, quæ perficitur ita, ut mediante deſtillatione vaporoſa emolliatur, ut poſtea ſiccatum eo melius & facilius in pulverem redigi queat, quamvis hæc operatio temporis diuturnitate gaudeat. Deſtillationi quando ſubjicitur, copioſum dat ſal volatile & oleum.

CAPUT X.

De Ichtyocolla.

Ichtyocolla eſt gluten ſeu ſubſtantia glutinoſa alba magis vel minus ad flavedinem inclinans ex albis & in ſpiram ſeu coronam convolutis fruſtis conſtans, ſaporis limoſi & glutinoſi, odoris nullius, excocta ex piſce magno, qui vocatur Huſo, Germanice Hauſen & in abundantia reperitur in fluvio Danubii. Corium ejus eſt glutinoſum, caret oſſibus ac ſpinis, capite eſt craſſo & lato, carne gaudet perdulci & glutinoſa menſiſque magnatum pro cibo accommodatur. Optime deſcribitur a Jonstonio in *libro de piſcibus pag.* 1000. *Tab.* 29. Loco ſpinæ dorſi, qua deſtituitur, cartilaginem quandam firmam habet, quandoque eſt longitudinis XXIV. pedum & ponderat quadringentas libras. Amat dulces aquas. Parare ſolent ex eo ichtyocollam ſequenti modo: inteſtina, ventriculum, corium & caudam hujus piſcis in partes diſcindunt, has macerant in aqua calida, quam poſtea lento calore ad conſiſtentiam pultis coquunt, hanc maſſam, antequam refrixerit, malaxant & in ſpiras cogunt, quæ refrigeratæ duræ fiunt, ſubalbidæ ſunt, nullius odoris & ſaporis glutinoſi. Eſt peculiaris glutinis ſpecies. Quando in aqua, vel, quod melius eſt, in ſpiritu vini non rectificato ſolvitur, conducit omnis generis chartis conglutinandis aliiſque rebus firmandis. Bonum quoque ex ea gluten pro teſtudinibus aliiſque inſtrumentis muſicis atque fractis vaſis murrhinis conficitur. Quando ſolvitur in ſpiritu vini non rectificato ſeu aquoſo, tranſcolatur & numiſmatibus infunditur, indureſcit & ſic elegantiſſime horum figura & forma ipſi imprimi poteſt. Præterea in ea inſigne artificium vina turbida clarificandi latitat: ſolvitur nempe fruſtulum ichtyocollæ in menſura vini, poſtea hæc ſolutio vino turbido infunditur & cum eo probe conquaſſatur, quo facto infuſum ſecedit in fundum & ſimul omnes turbidas vino inhærentes partes præcipitat & ita vinum redditur diaphanum. Hac ratione clarificatum vinum nullam plane affert ſanitati noxam, ſi bibitur. Utuntur quoque ichtyocolla ad res ex ſerico confectas reddendas ſplendentes. Porro uſu non deſtituitur medico, ſiquidem ichtyocolla ſoluta in aqua in humorum acrium corroſivorum temperanda, dyſentericis & cholericis alvi fluxibus, ventriculi atque inteſtinorum arroſionibus non ſine fructu a vulgo adhibetur.

CAPUT XI.

De Stinco Marino.

Stincus marinus eſt animal parvum, quod in mari rubro & circa Nilum capitur. Poſt capturam ſtatim exenteratur, quia alias difficulter ſolet ſiccari & ad nos deferri. Adſcribitur ipſi peculiaris virtus alexipharmaca, theriacam quoque ingreditur & ad venerem ſtimulandam creditur ipſi ineſſe peculiaris virtus; ſed carere commode ejus uſu poſſumus, cum tutoria parabiliora & meliora habeamus.

CAPUT XII.

De Cancris & eorum Lapidibus.

CAncri ſunt piſces teſtacei & duæ ſunt eorum ſpecies; quidam degunt in mari & grandiores ſunt & vocantur gammari, aſtaci, gallice *Hommards*. Horum magna copia datur in America & ſunt magnitudinis ſæpe monſtroſæ, ſiquidem interdum tres pedes longitudine ſuperant. Eorum teſtæ, pedes præſertim, vocantur chelæ cancrorum. Nigri quoque in uſum medicum ſolent vocari & ingrediuntur famigeratiſſimum illum pulverem Anglicanum. Altera ſpecies cancrorum, quæ in fluviis continetur, magis in uſum medicum & culinarem cedit eique accommodata eſt, ſiquidem alimentum præbet ſaluberrimum & virtutem exſerit medicamentoſam reſtaurativam in atrophia, morbis hecticis & phthiſicis, quando ſcilicet cancri contuſi coquuntur & ex iis, convenientibus rebus admixtis, juſculum conficitur. Deſcriptionem cancrorum nemo melius tradidit ipſo Sachsio a Loewenheim *in ſua Gammarologia*, ubi inter alia notabile eſt, quod oſtio ventriculi eorum membranacei, qui in capite prope verticem continetur, tres infixi ſint denticuli, duo adverſi, tertius infra. Huic ventriculo inteſtinum eſt continuum, quod terminatur in caudam, qua excrementa & ova quoque excernuntur. Hujus extremitas poteſt aperiri, quando ei cannula ſtraminea admovetur & aer fortiter inflatur; ſic enim cancer, quicquid ciborum in ventriculo continet, cogitur inſpirati aeris impulſu evomere, atque hoc experimentum continuitatem ventriculi & inteſtini demonſtrat. In ventriculo hoc generantur lapides bini, qui vocari ſolent oculi, non propterea, quod oculi ſunt, ſed, quoniam quadantenus oculi figuram repræſentant. Hi lapides, quando cancri incipiunt cruſtam deponere, majores & perfectiores fiunt & ſine omni dubio ex hac, ex qua conſtant teſtæ, materia generantur. Continentur maxime in cancris fœminis & creſcunt ac decreſcunt. Quando eos in ventriculo continet cancer, membrana nova extrinſecus obducitur &, quod notandum eſt, ejus ventriculo exterius quoque obducitur nova membrana, intra quam & ventriculum veterem eſt liquor lacteus, qui ſenſim exterius in globum ſtomachi convexum, qua parte attingit obducitque ſtomachum veterem, contrahitur ſtatimque lapideſcit, ideoque vetus ſive interior ſtomachus ſenſim in mucilaginem alimentariam abſumitur, exteriorque ac novus alter ſtomachus in vicem abſumti ſuccedit, ſiquidem iſti lacti ad ſtomachi veteris convexum ſubnato obtenditur ſtatim pellicula per modum lacti tepenti ſolitum creſcitque lac iſtud inter utramque præfatam membranam utriuſque ſcilicet ſtomachi, tandem reſidua pars lactis cancro cedit in alimentum, poſtremo etiam uterque lapis ſenſim diſſolvitur & in nutrimentum lacteum abit & ex hoc lapideſcente ſucco creſcunt hi lapides. Vide Sachsium *in libro citato pag.* 311. Lapides hi ex vivis cancris deſumti habentur majori virtute præditi quam ii, qui e mortuis vel coctis depromuntur, verum hoc diſcrimen virtutis debili vel nullo nititur fundamento. Notandum eſt, quod hi lapides cærulei appareant, quando cancri moriuntur & putreſcunt propter ſubtile ex putrefactione reſultans oleoſum principium, neque vero, ut quorundam eſt ſententia, ab hoc colore cæruleo aliam & meliorem nanciſcuntur virtutem.

Cæterum horum lapidum uſus eſt noſtris temporibus in medicina celebratiſſimus propter virtutem illorum innocentem, abſorbentem acidos humores & poſtea exinde emergentem vim detergentem, reſolventem, aperientem & diureticam. Notandum vero hoc loco eſt, quod ipſæ chelæ & teſtæ cancrorum ſiccatæ ejuſdem cum eorum lapidibus ſint virtutis iiſque commode ſubſtitui poſſint. Proſtat in officinis ſal oculorum cancri, quod ex aceto deſtillato lapidibus cancrorum affuſo præparatur & virtute gaudet abſtergente & aperiente. Porro hic notandum occurrit, quod a fraudulentis & lucri cupidis hominibus pro genuinis lapidibus cancrorum arte facti vendi ſoleant, quos ita præparant: fiſtulas nempe fumo herbæ nicotianæ ſugendo deſtinatas in pulverem contundunt, quem cum aqua mixtum & in pultis conſiſtentiam redactum formis, quæ lapidum cancrorum figuram exprimunt, infundunt & exſiccant, ſed ejuſmodi lapides artefacti a genuinis facile diſcerni poſſunt tam gravitate quam quod duriores ſint, item quod genuini lapides cancrorum ex lamellis ſibi invicem inſtratis compoſiti ſint, quod de adulteratis non valet, & facile cum acido, difficulter autem arte facti confligant. De cancris illud adhuc meretur obſervari, quod, quamvis veteres Medici lapidibus cancrorum uſi non fuerint, nihilominus tamen in figulorum furnis cancros vivos in pulverem comburi curaverint horumque cineres in quovis fere morbo, maxime ubi diaphoreſi opus fuit, magni fecerint.

CAPUT XIII.

De Lumbricis terreſtribus.

LUmbrici terreſtres ſunt animalia reptilia oblongo-rotunda, oſſibus, naribus, oculis, artubus & pedibus carentia. Naſcuntur in terra humida & pinguiori, qua nutriuntur, præſertim poſt pluvias. Male diſtinguitur eorum cauda ab ore, hoc tamen tumidius & rubicundius eſſe ſolet. Willisius *in libro de anima brutorum* eos ex muſculis orbicularibus conſtare exiſtimat, quorum beneficio is, quo gaudent, motus perficitur, dum primo ſeſe contrahunt & reliquum corpus tumefactum poſt ſe trahunt. Jonstonius *in Libr.* 3. *de inſectis cap.* 3. hæc animalcula optime deſcribit. Error communis eſt Phyſicorum, animalcula hæc eſſe hermaphrodita, cum teſte Swammerdammio fœminæ ovulorum copia ſcateant, quare etiam falſum eſt, eos ex pluvia & rore putrefacto generari. Diſtinguuntur lumbrici in longos & parvos. Generantur majori in copia tempore verno, præſertim menſe Majo, poſt pluvias calidas, quo tempore etiam optime capiuntur. In terræ ſtercoribus citius generantur & adoleſcunt.

Quamvis vero lumbricus terreſtris animal admodum vile & nullius pretii ſit, nihilominus tamen plane eximias poſſidet vires medicas. Scatet enim ſucco nitroſo & ſulphureo & principio terreo alcalino fixo & volatili. Ejus pulvis in ſubſtantia datus prævalet omnibus arte chemica ex eo paratis: nam, præter virtutem diureticam aperientem & diaphoreticam, ſingularem antiſpaſmodicam & ſedativam antepilepticam poſſidet, adeo, ut omnibus fere antepilepticis ſpecificis palmam præripiat. Ob has virtutes ſingulares in omnibus doloribus atrocioribus ut arthriticis, colicis & calculoſis, nec non in omnibus affectibus ſpaſmodicis non ſine ſalutari fructu cæteris paribus & præmiſſis præmittendis, uſurpatur. Utuntur etiam pulvere lumbricorum terreſtrium interne ad comminuendum calculum, urinæ ſuppreſſionem tollendam & lactis ſecretionem promovendam. Externe ad partes nervoſas roborandas & dolores ſpaſmoſque leniendos

dos nec non in podagra, malo iſchiadico & contracturis eorum ſuccus, oleum vel ſpiritus uſurpatur. Quando lumbrici exſiccati deſtillantur, præſertim cum calce viva mixti, dant copioſum ſal volatile. Succus eorum putrefactus ſpiritum dat fœtidiſſimum, ſale tamen volatili imbutum, & eorum ſpiritus volatilis & ſal volatile ingreditur linimenta nervina & antiſpaſmodica ſpirituoſa.

CAPUT XIV.

De Viperis & Serpentibus.

Vipera eſt inſectum ex reptilibus terreſtribus, quod cute tegitur ſquallida & ſquamoſa ſuperne aſpera inferne leviori, quam aliquot menſium decurſu inter lapidum anguſtias ſolet deponere. Pellis viperæ ſemper eſt variegata, fundum autem colore ſat diſſimile eſt; modo enim candicat, modo ſubrubeſcit, alias cinericei eſt coloris, alias flavi, alias ferruginei. Fundum hoc perpetuo diſtinguunt maculæ nigræ aut ſaltem reliqua parte multo magis fuſcæ. Pellem univerſam contegunt ſquamæ, quarum maximæ validiſſimæ & plurimum inſignes totam partem inferiorem corporis occupant, nonnullæ capitis partem infimam. Viperæ ſquamoſam hanc cutim bis in anno exuere ſolent, altera ſubtus latente formam jam adepta. Diſtinguitur vipera in marem & fœminam. Maris caput eſt acutum, venter adſtrictior & motus robuſtior, fœminæ contra ventrem habent ampliorem & caput latius earumque motus eſt placidior. Viperarum ſpina tota eſt vertebrata eique magna ſeries muſculorum incumbit, qui variis animalis hujus flexuris perficiendis inſerviunt. Aures non habent viſibiles, exactiſſime tamen audiunt, cavernas tantum auditus poſſident & armati ſunt dentibus acutis falcium inſtar, duobus caninis dentibus in ſuperiori maxilla exſtantibus, quibus lædunt hominem: Sub lingua latet glandula ſalivalis conglomerata, ex qua liquor ille virulentus, quando ira agitatæ pungunt, excernitur & animalis, quod morſu petunt, lymphæ & fluido nerveo communicatur: falſum vero eſt, dictos dentes eſſe cavos & perforatos atque in his contineri humorem virulentum flavum, qua de re pluribus egit CHARRAS *in Tractatu ſuo de Vipera*, FRANCISCUS REDI *Italus in Tractatu ſuo de viperis*, & BLASIUS in *Anatomia brutorum*. Notabile eſt, viperarum cordis, ſimulac ex eo omnis exprimitur ſanguis, motum ſtatim ceſſare, qui alias per aliquot horas durat. Unicus cordi viperarum eſt ventriculus cum magna auricula. Quando inflatur pulmo viperæ per trachæam, mortua viſa vipera de novo incipit ſe movere. Ventriculus viperarum eſt valde glanduloſus, earum penis eſt duplex & uterus in utroque latere duplici gaudet foramine, ut duos mares ſimul commode admittere poſſit. De viperarum oviductibus videatur NICOLAUS STENO in *Actis Hafnienſibus p. 989.* & RAJI *Synopſis animalium & ſerpentum*, ubi mentio fit ſerpentum in India orientali tam grandium, ut homines & boves devorare poſſint. Notandum ante omnia eſt, quod vipera multum differat a ſerpente: dicitur enim vipera quaſi vivipara, quoniam viperæ vivæ excluduntur ex ventre matris, ſerpentes vero ex ovis ſolis calore generantur: deinde viperæ minoris ſunt magnitudinis quam ſerpentes: viperæ dentibus ſunt inſtructæ, ſerpentes vero iis carent: denique morſus ſerpentium omnis virulentiæ eſt expers, non autem morſus viperarum. Serpentum magna copia datur in Germania, viperarum vero exigua. Hæ in regionibus calidioribus, inprimis Italia, & in diverſis Galliæ provinciis ut Delphinatu, Tractu Pictavienſi, Burgundia &c. reperiuntur atque in his regionibus earum ictus vel morſus longe majorem ſecum ducit virulentiam. Veſcuntur viperæ & ſerpentes tam gramine quam variis animalibus & inſectis, ut muribus, ranis, lacertis, cantharidibus, ſcorpionibus aliiſque ſimilibus animalibus, quæ integra ab illis deglutiuntur. Perhibent de viperis & ſerpentibus, quod per annum ſine alimentis ſolo aere vivere poſſint, procul dubio eam ob cauſam, quoniam earum cutis valde eſt adſtricta, ut parum humidi per eam exhalare poſſit. Syptomata, quæ morſum viperarum ſequuntur, ſunt convulſio, febris, nauſea, inquietudo, delirium, cutis flavedo &, niſi cito convenientibus remediis ſuccurratur, mors. Non vero datur contra viperarum morſum præſentius remedium quam ipſe pulvis viperarum vel etiam earum pinguedo in ſubſtantia data.

Veteres ad vitam longam & virium reſtaurationem acquirendam item ad ſanguinis purificationem in lepra, ſcabie maligna aliiſque id genus morbis viperarum uſum maximopere commendarunt. De viperis in uſum medicum & pharmaceuticum cedunt præter earum pulverem 1) ſpina dorſi, quæ etiam in malo dyſenterico epidemice graſſante a practicis maxime ſemper fuit æſtimata; 2) trochiſci de vipera, qui ex viperarum gelatina cum tragacanthæ ſolutione Venetiis præparantur & primarium ingrediens ſunt theriacæ, quamvis parum proficiant; 3) axungia viperarum, quæ non modo interius ſumta creditur adverſus horum animalium ictum præſentiſſimæ efficaciæ, ſed etiam exterius uſurpata ad oculorum maculas, præſertim eas, quæ a variolarum morbo relinquuntur, abſumendas & ad viſum acuendum magnis celebratur encomiis atque hoc fine oculis vel inſtillatur vel illinitur; 4) ſal volatile viperarum, quod per deſtillationem ex viperis impetratur & ob inſignem virtutem alexipharmacam, quam ipſi attribuunt, maxime extollitur, 5) ſal volatile viperarum fixatum ope acidi ut ſucci citri vel ſpiritus ſalis vel alius acidi liquoris; 6) eſſentia viperarum, quæ in omni impuritate ſanguinis a D. MICHAELE laudatur. Cæterum Indi ad vitam longam acquirendam & Arabes Medici in deperdita oculorum acie atque in mentis & animi vigore reſtituendo viperarum carnem commendant. Quidam carnem viperarum pro ſecreto habent contra morbos chronicos ut hydropem, hecticam, phthiſin, ſcabiem & lepram. Illud quoque certum eſt, quod nullum remedium antiquitate & conſtanti uſu ſe ita commendaverit quam vipera, unde etiam AESCULAPIUS & HERMES TRISMEGISTUS ita depingitur, ut in una manu viperam teneat, innuendo, quod huic animali magna inſit medicina. Notatu dignum eſt, quod in viperarum orientalium, quæ ſtupendæ ſunt magnitudinis, capitibus reperiri ſoleat lapis, qui vocatur lapis ſerpentum ſeu anguium, Italice *pietra de ſerpente.* Huic magna adſcribitur vis magnetica, qua ex quovis vulnere venenato venenum attrahat, ſi ei applicetur; qua de re legi poteſt KIRCHERUS *in mundo ſubterraneo.* Poſt applicationem injiciunt hunc lapidem in lac, quod venenum ab ipſo attractum iterum ex eo extrahat eumque idoneum atque aptum reddat ad venenum rurſus attrahendum. Caro conſtat pretio.

CAPUT XV.

De Hirudinibus.

HIrudines ſeu ſanguiſugæ , quæ Germanice Blut-Igel vocantur , ſunt inſecta reptilia , oblonga , quodammodo compreſſa , transverſis lineis interſtincta, capite latiuſculo & ore rotundo ac veluti calloſo prædita. Videntur eſſe limacum ſpecies. Coloris ſunt diverſi ; nam aliæ ſunt coloris viridis, aliæ nigreſcentis , aliæ ſubruffi , variis maculis & lineis interſtinctæ. Degunt maxime in dulcibus vel paludoſis aquis & veſcuntur maxime ſanguine piſcium , ſiquidem illis adhæreſcentes reperiuntur. Delectantur & nutriuntur extra aquas ſanguine. Recens captæ non ſtatim applicari ſolent , ſed per aliquot dies in aqua pura detineri, ut ab impuritatibus noxiis liberentur & magis eſurientes reddantur , quem in finem etiam ante applicationem quidam illas ex aqua eximunt & in capſula lignea vel vitro per aliquot horas detinent. Si vero in aqua ſunt aſſervandæ , ſingulis diebus aqua eſt renovanda & nova affundenda. Capiuntur verno tempore a pueris, qui nudis pedibus in ſtagna procedunt, quibus adhærere ſolent. Creduntur eſſe virulentæ naturæ , præſertim eæ , quæ ruſeſcentes ſunt ; quod tamen non obſervatur atque experientiæ contradicit. Uſus earum eſt tantummodo externus ad ſanguinem , præſertim in vaſis hæmorrhoidalibus ſubſiſtentem , exſugendum ſeu in hæmorrhoidibus cœcis , ubi præſentiſſimam afferunt opem. Quidam eas etiam in atroci capitis dolore admovent naribus vel nuchæ , & alii iis ad faciei ruborem nimium tollendum utuntur atque hoc fine in colli utroque latere eas apponunt. Ut eo melius apprehendant cutem , ſolet prius cutis lacte inungi & hirudo tubulo vitreo indi ejuſque orificium cuti apponi. Suctione ita ſaturantur ac intumeſcunt ſanguine , ut deinde decidant , quod etiam facillime perficitur , dummodo parum ſalis iis adſpergatur. Notabile eſt, quod relinquant in cute triangulare foramen.

CAPUT XVI.

De Cantharidibus.

CAntharides , quæ Germanice vocantur Spaniſche Fliegen / ſunt muſcæ mediocris magnitudinis , oblongæ , coloris eleganter viridis , ſplendeſcentes & odoris fœtidi. Æſtate calidiſſima , inprimis menſe Junio vel Julio in noſtris hortis colonias agunt per aliquot dies & commorantur circa certas arbores , præſertim liguſtrum , ſambucum Hiſpanicam & fraxinum, & diſtrictum , ubi degunt , vapore valde fœtido implent. Differunt ratione ætatis : nam quando excluduntur & adhuc parvæ ſunt , egregio cæruleo & viridi colore ſplendent , procedente vero ætate vireſcunt & ſenio confectæ flaveſcere incipiunt. Deſcribuntur optime a Gejero & ſicuti calore conſervantur , ita frigore moriuntur. Gaudent ſucco maxime cauſtico acerrimo , unde non datur præſentius remedium externe veſicatorium, quam ſi cantharides exſiccatæ recentiores in pulverem rediguntur , qui cum emplaſtro mixtus cuti applicatur præſertim circa nucham atque in morbis gravioribus oculorum , capitis , ut apoplexia , paralyſi , gutta ſerena , affectibus ſoporoſis & dolore capitis admodum ſalutarem effectum ſæpius edit. Interne ſi ſumuntur , vehementem vim diureticam exſerunt , propter ſal tenuiſſimum acre volatile renum vaſa ſtimulans & plane ſingularem ſympathiam videntur habere cum partibus urinariis ut veſica & renibus , ſiquidem obſervationes teſtantur , pluribus a ſola cantharidum applicatione externa mictum cruentum & ſtranguriam fuiſſe excitatam. Optimum veneni , quod continent , corrigens eſt lac vel emulſio quædam amygdalarum dulcium vel papaveris albi. Præterea vi aphrodiſiaca vel venerem ſtimulante gaudere dicuntur , quod vero ſæpius non ſine incommodo & magna moleſtia præſtitum fuit , ita , ut loco ſeminis ſanguis effluxerit , quare eandem ob virtutem ingrediuntur rotulas ſtimulantes Mynsichti. Tinctura cantharidum , quando juxta methodum Bartholini & Willisii cum tinctura tartari extrahitur , quibuſdam in uſu eſt ad calculum pellendum , ſed caute cum ejus uſu eſt procedendum.

CAPUT XVII.

De Buſone.

BUfo eſt corpore craſſo latoque dorſo , ventre turgido , cute denſa & tuberculis exaſperata atque inæquali , color eſt luridus & in ventre maculoſus. Stabulatur in locis humidis , putridis , opacis & obſcuris , & veſcitur herbis & vermibus. Dicunt , quod illæ herbæ , quas humectat & pervadit, veneno inficiantur , & quod eam corporis humani partem , quam tangit , tumore afficiat & ſimilia producat ſymptomata , quæ ab ictu ſcorpionis provenire ſolent : verum enim vero hæc omnia in noſtro non obſervantur climate , hoc tamen eſt certum , quod urina eorum ſit acerrime cauſtica , quapropter , quando herbæ ea fuerunt imbutæ , ſufficit ad virulentiam ipſis adimendam eas aqua tantum elutriare , quæ ſalia acria diluendo virulentiam deſtruit. In uſu medico ſunt bufones exſiccati in ſole atque in pulverem redacti , utpote qui præſentiſſimum adverſus hydropem ad aquas educendas ſunt remedium ; nam omnia inſecta propter ſal , quod cuſtodiunt , cauſticum vehementem diureticam & cauſticam habent virtutem. Sunt quoque nonnulli Medicorum in ea ſententia , quod emplaſtrum , quod bufones ingrediuntur , in peſte , carbunculis & bubonibus applicatum ſit præſentiſſimum remedium , propterea quod magnetice quaſi venenum attrahat , verum effectus non reſpondet. Porro inſtar amuleti bufone exſiccato utuntur ad ſiſtendas hæmorrhagias enormes, verum effectus , ſi quis ſuccedit , bonus ſecundum noſtram ſententiam magis terrori quam virtuti bufonis eſt attribuendus. Quod de lapide bufonum in capite reperto ſcribunt , id merito ad fabulas referri debet.

CAPUT XVIII.

De Aſellis ſeu Millepedibus.

ASelli ſeu millepedes dicuntur tales , quoniam multos habent pedes. Sunt inſecta minuta plana , digitum transverſum vix longa , ſemidigitum fere lata , & cinericei coloris. Dantur eorum duæ ſpecies : quidam ſunt domeſtici & in locis humidis , nitroſis , cellis , inter rimas lapidum inveniuntur ; alii ſunt ſylveſtres, qui in ſylvis dantur & odorem habent gravem : Fœminæ inſignem minimorum

aſellorum

aſellorum ſecum ferunt quantitatem, qui ex ventre earum egrediuntur. Vehementi diuretica virtute gaudent & eorum uſus in medicina eſt magnus contra calculum veſicæ & renum. In gutta ſerena, ictero, cancro, ſcrophulis & aſthmate humido eorum pulvis hodierno tempore, præſertim ab Anglis, magnis extollitur encomiis. Doſis eſt a ſcrupulo uno uſque ad drachmam unam. Sequitur poſt aſſumtum medicamentum univerſalis calor & ſitis & circa pubem dolor affligit. Maxime omnium vero Horatius Augenius & Laurembergius millepedum pulverem ad calculum veſicæ comminuendum commendant.

CAPUT XIX.

De Scorpione.

Scorpio eſt animal octo pedum, colore ſubatro, corpore oviformi, capite, quod in pectoris ſummitate gerit, lato, oculis tam exiguis, ut ferme nulli conſpiciantur, ſub ore ejus utrinque adſunt cheiæ tribus geniculis anguloſis & hiſpidis aculeatæ oſque ipſum emittit geniculis impoſitos duos forcipes minimos denticulatos, inter quos reſidet oris papilla. Ex imo corporis cauda producitur, quæ ſex verticillos angulares mobiles ac punctis notatos habet, quorum extremo aculeus recurvus & cavus venenum continens tanquam apophyſis adhæret. Scorpiones forma cancris fluviatilibus ſunt ſimiles. Loca frigidiora eos non alunt & innoxii ſunt, qui in Helvetia habentur. In calidis vero regionibus, ut in Italia, Hiſpania, Galliæ provincia Languedoc dicta, ut & in Aſia, Africa & inſulis Canarienſibus eorum ingens eſt multitudo terram, muros, ſub lapidibus & in parietibus habitans Non tantum herbas ſed etiam vermes, blattas, & lacertas comedunt ſcorpiones. Dantur multæ eorum ſpecies: ſic inveniuntur in America ſcorpiones qui decem vicibus noſtros magnitudine ſuperant. Scorpiones per ſe carent veneno, eorum vero ictus in regionibus calidioribus, præſertim, quando irritati fuerunt, maxime eſt venenatus. Symptomata, quæ ſcorpionum ictum ſequuntur, ſunt ſequentia: locus affectus inflammatur, intumeſcit, intenſius rubet & dolet, modo æſtuat, modo frigore corripitur, & vulnerati ſudore, præſertim frigido, immo tremore perfunduntur. Præſentiſſimum remedium adverſus ſcorpionum ictum eſt oleum liliorum alborum vel oleum ſcorpionis vel etiam ſcorpio ipſe applicatus, qui ſibi ipſi, ut Celsus dicit, pulcherrimum eſt remedium. Uno verbo, oleum expreſſum externe parti læſæ applicatum omnibus aliis antidotis prævalet, quia acrimoniam demulcet & ſpaſmos fibrillarum nervoſarum ſiſtit. Cæterum pulvis ſcorpionum exſiccatorum propter ſal cauſticum, quod ipſis ineſt, vehementer urinæ fluxum pellit & hinc ad calculum renum vel veſicæ frangendum vel potius pellendum non fruſtranei eſt effectus. Datur a ſcrupulo dimidio uſque ad integrum. Eſt quoque in uſu oleum ſcorpionum, quod paratur, quando ſcorpiones oleo olivarum infunduntur. Commendatur hoc oleum externe in nimio calculi dolore, effectus tamen eſt exiguus.

CAPUT XX.

De Formicis.

Formicæ ſunt inſecta parva. Multæ earum dantur ſpecies. Quædam ſunt nigræ, aliæ rubræ, aliæ gryſeæ & aliæ alterius coloris, quædam ſunt alatæ, aliæ non item. Caput cinctum brunis cornubus & oculis nigris & ſex pedes habent. In medicina ſunt eæ tantum in uſu, quæ ſunt grandiores, ſub arboribus reſinoſis habitant, acervos ſibi colligunt & acidum ſpirant. Ova deponunt, quæ tempore verno excluduntur. Veſcuntur reſinoſis corticibus arborum & non modo acidum ſpirant odorem penetrantiſſimum, ſed etiam quando manibus conteruntur, ſuccus eorum manifeſto acido ſapore eſt præditus. Res hoc loco memorabilis eſt, quod hæc animalcula ſingulari hoc privilegio gaudeant, quod duplex ſal volatile, unum acidum, alterum urinoſum cuſtodiant: ſiquidem, quando contunduntur cum aqua & liquor tranſcolatur, is eſt acidiſſimus, quod vero in filtro remanet, quando ex retorta aperto igne deſtillatur, ſal urinoſum præbet. Formicæ non exiguum uſum & virtutem præſtant in medicina, maxime ob ſpiritum illum penetrantiſſimum, qui ex iis elicitur, præſertim quando ſpiritus vini rectificatiſſimus ipſis admiſcetur & deſtillatur & denuo reaffunditur; ita additis aromatibus exſurgit ſpiritus ſic dictus magnanimitatis, cujus uſus ad omnes affectus capitis, ad excitandas vires nec non ad venerem excitandam & promovendam atque ad appetitum erigendum maximi ſemper habitus eſt. Ejus deſcriptionem vide *in theſauro pharmaceutico Schroederiano Hoffmanni Pharmacopœæ annexo.* Externe quoque inſtar linimenti partibus paralyſi affectis admoveri poteſt. Præterea ex formicis vel potius earum cumulo præparari ſolet balneum, quod in contracturis, paralyſi & malo iſchiadico non ſatis laudari poteſt. Ex ſucco earum acido filtrato præparari poteſt cum limatura martis tinctura omnibus martialibus liquoribus facile ratione virium ſuperior idemque ſuccus loco aceti deſtillati ad ſolutionem lapidum cancrorum & coralliorum poteſt adhiberi. Quoad uſum œconomicum ova formicarum ad nutriendos pullos phaſianorum aliarumque avium exoticarum adhiberi ſolent. Formicæ etiam ſale cauſtico præditæ ſunt, quod exinde patet, quoniam, ſi acu homines tangunt, veſicæ oriuntur.

CAPUT XXI.

De Araneis.

Aranea eſt inſectum, quod telas & fila ducit per anum. Vulgo habetur venenatum, ſed hoc veritati non eſt conſentaneum. Dantur variæ earum ſpecies differentes ratione figuræ & coloris: quædam ſunt grandiores, aliæ minores, quædam craſſæ, aliæ teneriores, nonnullæ habent gryſeum, aliæ brunum, aliæ viridem vel nigrum vel variegatum colorem, aliæ habent pedes longos, aliæ breves. Araneæ naſcuntur & habitant variis in locis ut in domibus, præſertim feneſtris & angulis ædificiorum, in hortis ſub arboribus & plantis atque in locis, quæ ventis & pluviis non ſunt expoſita. Duorum maxime ſunt generum, vel octoculares vel bioculares. Curioſum eſt, quod araneæ etiam ſint oviparæ. Coeunt æſtate & gravidæ ſunt per totum annum, antequam pariunt,

riunt, & partu excludunt exigua ova, ſphæricæ figuræ, cortice molli membranaceo pellucido inſtructa, ſemini ſinapi ſimilia, non incumbunt ovis, ſed hæc vigeſimo die excluduntur; qua de re latius videri poteſt MARTINUS LISTER *in ſuo Tractatu de araneis.* Proprium eſt aranearum, quod, quam primum natæ ſunt, telam ex ano texant, id quod tamen non faciunt areneæ bioculares ſed tantum octoculares. Æſtate uſque ad menſem Octobris fila emittunt, rarius vero hyeme, niſi ſol ſplendet. Color fili eſt pellucidus. Ex telis retia faciunt ad leges geometricas & admiratione eſt dignum, quomodo interdum ad arbores longo intervallo diſtantes retia ſuſpendere poſſint. Hiſce retibus capiunt muſcas. Curioſum porro eſt, quod diu araneæ ſine alimentis ſolo aere vivere poſſint. Præterea hoc etiam obſervatione eſt dignum, quod quotannis deponant ſuas exuvias, immo, ſi muſcis paſtæ fuerint, ſingulis menſibus. Muſcas, immo veſpas prægrandes & apes, quas capiunt retibus, occidunt & ſuccum extrahunt. In Gallia modum ex aranearum telis ſericum præparandi excogitarunt; Auctor hujus inventi eſt *Monſieur* BON, *Primarius Præſes cameræ redituum & Membrum honorarium Academiæ Regiæ ſcientiarum*, de quo vide *l'Académie Royale des Sciences de Paris* & LEMERY *Dictionaire des Drogues* ſub titulo: *aranea.* Araneæ quamvis veneno carent, nihilominus tamen interficiente ſucco cauſtico, uti omnia inſecta, plenæ ſunt, quare non modo telæ aranearum ſed araneæ etiam ipſæ cuti applicatæ veſicas excitant. PARACELSUS pulverem aranearum in febribus intermittentibus, præſertim quartana, commendat. Nonnulli includunt araneam capſula & loco amuleti in peſte præſervandi fine adhibent ſed nullus exinde effectus poteſt reſultare. Telæ aranearum convolutæ vulnerariæ adſtringentis & conſolidantis nec non ſiſtentis hæmorrhagiam, ſi vulneribus imponuntur, creduntur virtutis, ſed omnes hi effectus mihi videntur valde dubii. Ingrediuntur quoque aranearum telæ emplaſtra antifebrilia manuum carpis applicanda, & oleum aranearum per infuſionem factum identidem contra ictum virulentorum animalium laudari ſolet. Ad araneas ſpectant Tarantulæ, quæ ſunt araneæ majores octoculares, in Italia, Apulia præſertim, commorantes & quarum ictus maxime eſt virulentus. Earum hiſtoriam optime expoſuit BAGLIVIUS *in ſuis Operibus.*

CAPUT XXII.

De Coccinella ſeu Cochinilla.

COccinella nomen eſt Græcum a κόκκος granum ortum trahens. Eſt inſectum certæ arboris parvum tinctorio uſui inſerviens, cujus patria eſt America. Datur horum inſectorum magna copia in regno Peru, nova Hiſpania, &, referentibus actis Anglicanis, in Inſula Jamaica. Arbor, cui hoc inſectum inhæret, eſt ficus ſeu opuntia & deſcribitur a POMETO in *Hiſtoire des Drogues.* Multæ & variæ de his animalculis dantur opiniones: nam quidam ea non eſſe animalia ſed grana ſive ſemina dictæ arboris eſſe contendunt, quia nec pedes nec alæ in iis obſervantur; multi recentiores autem & mercatores, qui hæc loca, ubi commorantur hæc inſecta, petierunt, conſtanter affirmant ea eſſe ex familia minorum ſcarabæorum, qui corpore ferme rotundo, inferius plano, ſuperius convexo & colore rubello gaudent vulgoque dici ſolent Gottes-Kälblein. Optimam vero de iis ſententiam JOANNES LAETIUS *in Hiſtor. Nat. Indiæ Occidentalis* & doctus quidam Anglus D. EDWARDUS TYSON *in Actis Anglicanis* habent, qui affirmant, hæc grana ſub nomine coccinellæ nota non eſſe perfecta animalia ſed potius nymphas, quæ cum tempore in animalcula alata ſeu ſcarabæos, tranſeunt ſeu tranſmutantur, quandocunque vero hæc transmutatio facta fuerit, colorem illum elegantiſſimum rubrum iis adhærere; inſecta vero primo fuiſſe animalcula inſtar pulicis, quæ ſuccum plantæ rubicundum exſugunt, hoc creſcunt intumeſcunt atque in nymphas mutantur, quæ, uti notum eſt, pedibus, alis aliiſque partibus carere ſolent, uti videmus in nymphis erucarum, ex quibus papiliones exſurgunt. Hæ nymphæ continent humorem rubicundiſſimum, & poſtea in inſecta alata transmutatur. Antequam autem hoc fit, incolæ nymphas has vivas colligunt in acervum, fumo eas necant & ſuper lintea expandunt in arenoſo ſoli expoſito loco, ita contrahuntur & indureſcunt.

Coccinellæ uſus in arte tinctoria eſt magnus propter illum, quem conciliat, elegantem & pulchrum rubicundum colorem; paratur enim exinde color deſideratiſſimus ſcarlatinus & carmeſinus, qui colores ſunt conſtantiſſimi nec facile ab aere patiuntur mutationem. Æſtimatur quoque coccinella quoad uſum medicum ad calculum frangendum & expellendum & ad urinæ fluxum, qui ſuppreſſus fuit, promovendum, neque alia hujus operationis ratio eſt quam quod ſale cauſtico volatili gaudeat, ſicut omnia inſecta hoc prædita ſunt ſecundum noſtram ſententiam. Paratur ex coccinella eſſentia cum ſpiritu vini & ſale tartari. Nonnulli ei alexipharmacam & ſudoriferam virtutem adſcribunt, quæ tamen nondum ſatis cognita eſt & perſpecta. Medici hoc coccinellæ colore liquores & tincturas medicamentoſus ad gratiam tingere earumque naturam atque indolem occultare poſſunt.

CAPUT XXIII.

De variis aliis Inſectis.

INſectorum diverſa multaque eſſe genera, a rerum naturalium ſcrutatoribus & curioſis per varia volumina hactenus expoſitum eſt, ubi maxime hæc notatu digna occurrunt, quod omnis fere planta & quodvis fere vegetabile peculiaria ſua habeat & nutriat inſectorum genera, ſicuti id clariſſime videmus in erucis, quæ deinde abeunt in papiliones. Deinde memorabile eſt, generationem inſectorum non ſecus ac perfectorum animantium identidem fieri ex ovulis, quare fabulis & erratis merito annumeranda eſt generatio æquivoca, ſeu, quod ex ſola putredine animalcula naſcantur, utpote quæ tantum egregie incrementum animalium & inſectorum promovet. Varia vero datur animalculorum & inſectorum metamorphoſis ſeu unius ſpeciei in alteram transmutatio. Ita dignum eſt obſervatione, omnes erucas tranſire in alata animalia nempe papiliones, qui ratione coloris & magnitudinis pro varietate erucarum & vegetabilium, quibus adhærent, multum inter ſe differunt. Porro omnes vermes, qui vulgo dicuntur Maden / tandem transmutantur in inſecta alata, ut muſcas & ſcarabæos diverſiſſimi generis, ſiquidem prius tranſeunt in nympham & ex nympha fit inſectum vivum. Itaque fundamentum mutationum, quas patiuntur inſecta, conſiſtit in accurata nymphæ mutatione. Pluribus de hiſce rebus curioſis egerunt FRANCISCUS REDI *in experimentis circa generationem inſectorum*, SCHWAMMERDAMIUS *in hiſtoria*

ſtoria inſectorum, BONANNI *in obſervationibus circa viventia*, JUNGIUS *in hiſtoria vermium*, JONSTONIUS *in Hiſtoria naturali* & GRUNDELIUS *in Micrographia nova.* Notandum hoc loco eſt, quod India Orientalis, ut aves omnis generis elegantiſſimo colore diſtinctas, ita papiliones majores coloris pulcherrimi variegati exhibeat.

CAPUT XXIV.

De Lapidibus Medicinalibus, in ſpecie de Lapide Bezoardico.

Lapis bezoardicus eſt vel Orientalis vel Occidentalis. Uterque ſolet reperiri in ventriculis & marſupiis ruminantium animantium domeſticorum pariter ac ſylveſtrium Indiæ Occidentalis & Orientalis, præſertim caprarum, quæ dicuntur capricervæ vel juxta alios cervicapræ. Orientalis lapis bezoar ex China, Occidentalis vero ex regno Peru affertur & reperitur ibidem in quadam rupicapræ ſpecie. Orientalis bezoar coloris eſt ex atro virentis, Occidentalis vero magis cinericei. Utrique ſunt coagmentati ex plurimis lamellis ſibi incumbentibus more calculi humani & intus ſemper habent cavitatem, quæ fructus, nucleos vel ſemina ovalis figuræ in ſe continet. Differt eorum magnitudo & pretium eorum pro raritate & præſtantia variat. Orientales majori conſtant pretio quam Occidentales, & hoc tempore uncia lapidis bezoar Orientalis valet octodecim thaleros. Notatu dignum eſt, quod hi lapides a fraudulentis & lucri cupidis hominibus valde adulterari & arte præparari ſoleant, unde diſtingui ſolent in naturales & artificiales. Hi a Judæis, præſertim Conſtantinopoli, elegantiſſime præparantur: conficiuntur nempe ex magiſteriis herbarum alexipharmacarum, quibus immiſcent alia bezoardica terrea pulveriſata ut corallia, teſtas, pulverem hyacinthi, ebur uſtum &c. hæc omnia cum aqua, in qua gummi tragacanthum eſt ſolutum, in paſtam redigunt, huic paſtæ adhuc liquidæ quendam immittunt fructum, & paſta, quæ huic apponitur, lævigatur & denuo immittitur, ut nova iterum ſe apponat maſſa: ita ſucceſſive lamellæ ſibi invicem apponuntur. Varia afferuntur artificia dignoſcendi adulteratum & arte factum lapidem bezoar a nativo & genuino. Inter hæc primum eſt, quod chartæ pulvere cretæ aſperſæ hic lapis debeat affricari, & notam genuini & legitimi lapidis præbeat hoc phænomenon, ſi charta ab ejus affrictu tingitur colore ex nigro flaveſcente, ſi vero hoc non fiat, id indicium ſit, lapidem eſſe artefactum. Alii injiciunt hunc lapidem in aquam calidam, &, ſi odor exinde reſultat, pro indicio habent, eum eſſe adulteratum. Nonnulli ejus pulverem infundunt ſpiritui vini rectificatiſſimo &, ſi quid ex eo hic extrahat, pro genuino eum habendum eſſe contendunt. Verum enim vero admodum difficile eſt, per hæc experimenta horum lapidum differentiam dignoſcere. Optimus modus hoc detegendi ſecundum noſtram ſententiam hic eſt: quando pulveri lapidis bezoardici genuini affunditur ſpiritus nitri, tunc ille mirum in modum ebullit & liquor fit rubicundiſſimus, &, quando ſpiritus vini rectificatus affunditur, tinctura fit elegans rubicunda, quæ ita non procedunt cum lapide adulterato. Alter modus diſcernendi lapidem genuinum bezoardicum a falſo hic eſt, quando lapis bezoardicus carboni injicitur vivo: ſi enim ſpargit odorem volatilem, genuinus; ſi vero nullum, adulteratus eſt habendus. Perpetua enim regula eſt, omnia, quæ ex animantibus eliciuntur vel in ipſis reperiuntur, ſale volatili & oleo eſſe imbuta. Quod attinet ad generationem lapidis bezoardici, variæ proſtant opiniones. Nonnulli exiſtimant, herbarum alexipharmacarum, quibus capræ lapidem bezoar gerentes veſcuntur, relictum coagulum in lapidem converti, alii contra putant, liquorem lymphaticum ventriculi tali morboſa diatheſi eſſe infectum, ut non decenter reſolvat cibos, ſed eos potius in mucum convertat, qui poſtea ſucceſſive per calorem in lapidem concreſcat. Veriſimilior vero videtur hæc ſententia, quod horum lapidum generatio dependeat ab aquis lapideſcentibus, quas in montanis præſertim locis hæc animantia hauriunt, neque dubium eſt, quin herbæ, quibus veſcuntur, vulnerariæ alexipharmacæ ventriculi menſtruo ſolutæ cum lapideſcente aquarum materia ſucceſſive coeant & in lamellas concreſcant, præſertim, quando cortices vel fructus pro fundamento habent. Quidam ex peritioribus Medicis parvi lapidum bezoardicorum virtutem æſtimant, immo calculum humanum, bovinum, ſuillum ſuperare virtutem lapidis bezoardici contendunt, & notabile eſt, quod ſcribit BONTIUS *de medicina Indorum Lib. I. cap. 66.* quod in peſte olim, cum defecerint lapides bezoardici, calculos humanos adhibuerint eorumque virtutem excellentiſſimam ſudoriferam deprehenderint. Notandum præterea eſt, quod animal ſeu capra illa bezoardica, in qua lapides bezoardici reperiuntur, deſcribatur a RAJO *in Synopſi methodica quadrupedum pag.* 80. & cornua hujus animalis Orientalis exhibita ſint *in Ephemeridibus Germanicis ann.* 1677. Idem BONTIUS, qui capræ bezoardicæ deſcriptionem dedit, refert, capras bezoardicas non valde diſſimiles eſſe capris Europæis, & in hoc ab his differre, quod iis nulla vel exigua ſint cornua, & quædam verſicolorem pellem aſpectu pulchram ut tigrides gerant, hirci contra longiora & liberalius extenſa gerant cornua annulis diſtincta inſignioribus, quorum numeri annos ætatis referunt.

CAPUT XXV.

De Ægagropilis.

Ægagropilæ ſunt globuli ſeu pilæ rotundæ diverſæ magnitudinis variique coloris vel cinericei vel nigricantis vel fuſci, ex pilis minutiſſimis & fibris radicum & plantarum cauliculis compactæ, in ventriculo rupicaprarum ſeu caprarum Alpinarum reperiundæ. Nonnullæ exterius ſunt quaſi politæ, interius vero continent pilos, in aliis exterius quoad ſuperficiem pili ſatis longi prominent. Nonnullarum figura eſt exacte rotunda, aliarum angularis, quarundam oblonga; in quibuſdam ipſa herbarum & radicum filamenta interius conſpiciuntur, & aliæ videntur quaſi ex corio compactæ. De ægagropilis egregium tractatum ſcripſit WELSCHIUS atque in hoc varias earum figuras exhibuit. Nobis quoque ex hujus rarithecio nonnullarum copia fuit ſuppeditata. Rupicapras, in quarum ventriculo ægagropilæ ex relictis herbarum & radicum fibris producuntur, optime deſcribit JONSTONIUS *de quadrupedibus Tab. XXXII. p.* 82. Notandum hoc loco eſt, quod pedes horum animantium anteriores poſterioribus ſint breviores, ſicuti id leporibus aliiſque præcipiti curſu animalibus a natura conceſſum eſt. Generari videntur ægagropilæ ex ſucco lapidoſo tophaceo, quem aquæ montanæ ſecum vehunt, cum herbarum & radicum, maxime doronici & ſcorzoneræ, filamentis com-

commixto. Piloſæ fiunt ægagropilæ ab admixtis pilis, qui a modo dictis animalibus, dum ſe lingunt, deglutiuntur & in eorum ventriculo cum aliis huc delatis in ægagropilas piloſas abeunt. Parum vero virtutis medicamentoſæ eis ineſt, quamvis WELSCHIUS iis virtutem alexipharmacam adſcribere velit. ZWELFERUS quoque in *Animadverſionibus ad pharmacopœam Auguſtanam* piloſas has ægagropilas in capris Alpinis repertas majoris pretii quam lapidem bezoardicum æſtimat; verum enim vero non tantum in capris, ſed aliorum etiam animantium ventriculis & inteſtinis, præſertim in craſſioribus animantibus, maxime equis & bovibus, lapides inſignis magnitudinis ex cruſtis & lamellis compoſiti reperiuntur. Lapides in equis nati dicuntur hippoliti & deſcribuntur a WELSCHIO *in loco citato.* Reperiuntur quoque in corpore humano, non ſolum in veſica urinaria, ſed etiam fellea lapides variæ figuræ, magnitudinis, conſiſtentiæ variique coloris, quod maxime valet de iis lapidibus, qui reperiuntur in cyſtide fellea, utpote quæ admodum diverſam habent figuram ut ſexangularem, ovalem, octagonam, decagonam, vel cubicam vel aliam, pondere leves & concretæ ſunt ex bilis limoſæ parte viſcida; nam prompte diſſolvuntur in aqua calida & ſpiritu vini rectificato flavam & his liquidis amaricantem tincturam flavam conciliant. Uſus horum lapidum in medicina exulare poteſt. Præterea dantur lapides piſcium, qui præſertim in eorum capitibus ut capite carpionum, percarum, rajarum, piſcis illius, qui dicitur Schellfiſch aliorumque piſcium reperiuntur. Peculiaris huic lapidibus contra pleuritidem, affectus apoplecticos alioſque adſcribitur virtus, quæ tamen nondum ſatis explorata & experientia confirmata eſt.

CAPUT XXVI.

De Excrementis nonnullorum Animantium medicamentoſis, ſpeciatim de Caſtoreo.

INter excrementa ſeu potius recrementa animantium medica virtute prædita quoddam fœtidum graveolens, quod eſt caſtoreum, & duo ſuavis & fragrantiſſimi odoris, quæ ſunt moſchus & zibethum, deprehendimus, & horum omnium efficacia ac virtus utique in medicina eſt maxima. Caſtoreum deſumtum eſt ex animali, quod dicitur Caſtor & refertur inter amphibia piſcium, quia degit in undis & ipſam quoque terram inhabitat, quare ejus pedes poſteriores inſtar pedum anſerinorum ſunt, ut ad natandum aptum ſit animal. Ejus deſcriptionem vide apud GESNERUM, item JOANNEM RAJUM *in Synopſi animal. quadrup. pag.* 209. & ejus anatomen veram, a WEPFERO inſtitutam tradunt *Miſcellanea Naturæ Curioſorum Cent. I. anno* 2. Reperiuntur in India, maxime in Ruſſia, nec non in Germania in fluvio Rheno non procul ab urbe Confluentia. Detracta pelle in inguine apparent circa rimam quatuor magnæ protuberantiæ in utroque latere duæ, ſuperiores ſunt folliculi duri firmi magnitudine ovi anſerini & dicuntur ab anatomicis corpora glanduloſa, inferiores ſunt veſicæ ovalis figuræ. Quando comprimitur ejuſmodi corpus glanduloſum, exit ſubſtantia feroſa, gravis odoris, texturæ friabilis, & hæc eſt verum caſtoreum in medicina æſtimatiſſimum. Ex compreſſa vero veſica emanat fluor albicans, oleoſus, viſcidus, lentus, caſei putridi odorem æmulans, & hic eſt axungia caſtorei. Hæc veſica habetur pro corpore pure glanduloſo, quod membrana veſtitur nervea plurimis vaſculis ſanguiferis dotata & flatu inſtar veſicæ expandi poteſt, ſed accuratiori examine deprehenditur, corpus hoc minime eſſe glanduloſum, ſed burſam complicatam in varios anfractus concavos atque in ejus cavitate ſubſtantiam bruni coloris, friabilem & odoris graveolentis contineri, quæ membranæ ſquamoſæ, qua oppleta eſt hæc cavitas, intime accreſcit. Corpora glanduloſa modo dicta habentur vulgo pro teſtibus, ſed tales non ſunt, utpote qui ſub oſſe pubis tunicæ vaginali incluſi reperiuntur, exigui ſunt nullamque cum caſtoreo habent communicationem; nam ex hiſce corporibus nullus ductus teſtes vel penem ingreditur; veſicæ autem duæ, quæ corporibus ſic dictis glanduloſis adhærent, ex membranis glanduloſis compoſitæ ſunt, ex quibus compreſſis liquor oleoſus exprimitur. Cujus naturæ ſit caſtoreum, ingens adhuc eſt controverſia, neque conveniunt autores inter ſe, quod ei reſinoſum principium inſit: nam neque in ſpiritu vini rectificato ad dimidium ſolvitur neque extractum flammam concipit, relinquitur vero ab extractione ſubſtantia mucida. Alii exiſtimant, ſanguinem ſuperfluum in corporibus glanduloſis & pinguedinem ſuperfluam in veſicis ſeu diverticulis colligi, ibique poſtea ex mora fœtidum ejuſmodi odorem concipere, ſed videtur minime probabile, quod his corporibus ſanguis putridus & corruptus inſit, ſed caſtoreum potius videtur eſſe ſingularis ſpeciei excrementi ſalino-ſulphurei volatilis, quod ſecernitur: nam quia hoc animal ſimul terreſtre, pulmonibus præditum & valde calidum eſt, hinc ſanguis motu valde exagitatur, adeo, ut in ſulphuream excrementitiam partem abeat, quæ per tranſpirationem debet ejici, quia vero id minus facile & feliciter, cum animal ſimul in aqua degat, perfici poteſt, hinc veriſimile eſt, hoc excrementum ſalino ſulphureum, quod generatur in vel ex ſanguine, ne eum inficiat & multa mala excitet, deponi & ſecerni in deſcriptas capſulas per tunicas glanduloſas & in his ſtagnando acquirere fœtorem. In medicina uſus caſtorei eſt excellentiſſimus, ſiquidem eſt antiſpaſmodicum, quo non datur in rerum natura præſtantius: nam ſulphure ſuo vaporoſo naturæ non inimico ſedat & mitigat effrenes partium nervoſarum commotiones, hinc in omnibus morbis ſpaſmodicis & convulſivis ut epilepſia, pathematibus hyſtericis, hypochondriacis, nec non in doloribus ex calculo, colica vel dentibus, item in arthritide ſolamen affert præſentiſſimum, quamvis non cauſæ morborum tollendæ idoneum & ſufficiens ſit. Optime datur in pulvere, qui præſtantior ſolet eſſe extracto, vel etiam in eſſentia. Eſſentia & extractum caſtorei optime miſceri poſſunt cum pulveribus antiſpaſmodicis abſorbentibus, præſertim nitroſis & cinnabarinis.

De Moſcho.

Variæ ſunt ſententiæ de moſcho, quæ tamen in eo conveniunt, quod ex animali certo, quod in India degit, ſit deſumtus. RAJUS *in ſynopſi animalium p.* 127. id animal neque ex caprino neque cervino genere eſſe dicit, quoniam cornubus caret. Deſcribit vero hic autor hoc animal accurate, quia in Muſeo Societatis regiæ Londinenſis aſſervatur. Folliculum nempe ſeu veſicam gerit circa umbilicalem regionem, quæ continet moſchum; tres pollices longa eſt & duos lata. Animalis hujus occiſi caro pro cibo adhibetur a Chinenſibus, & totius animalis odor fragrans eſt. A ſummo roſtro uſque ad caudam tres pedes & dimidium longum eſt hoc animal, & ejus caput ſemipedem longitudine ſuperat. Vide plura apud RAJUM *loco citato.* Arborum ramos dentibus eruit, frangit, corticem detrahit & detractum devorat. Folliculus moſchi

moſchi ſubtili pellicula & ſubtiliſſimis filis veſtitus, intuſque magis membranoſæ quam carnoſæ eſt ſubſtantiæ, & ductu peculiari, cujus orificium ſphinctere munitur, gaudet. Pellicula interior, cui adhæret moſchus, habet plura vaſa ſanguifera & copioſiores glandulas, quæ procul omni dubio moſchum ſecernunt. Videtur is conſtare ex ſubſtantia ſulphurea volatili urinoſa tenuiſſima ſanguinis hujus animalis, quæ a membrana glanduloſa ſeparatur & collecta fragrantem illam ſubſtantiam conſtituit. Videtur utique eſſe excrementi ſpecies. Moſchus ſæpiſſime adulteratur a mercatoribus ſanguine & pellibus aliorum animantium, hinc ad prævacendam hanc fraudem tutius eſt folliculos emere. Incolæ quoque, apud quos hoc degit animal moſchiferum, ſanguinem ejus in vaſa colligunt, poſtea cum ſanguine pellibus abſtractis ejus teneriorem & molliorem carnem, item cor & hepar una cum materia in folliculo contenta in maſſam contundunt, hac folliculos ex pelle hujus animalis vel alius paratos infarciunt, infarctos in loco umbroſo ſuſpendunt & ſiccant, ſemi-aridos poſtea in terram defodiunt, ubi urina dejicitur, poſt tres dies rurſus effodiunt, in umbra ſiccant, & talis eſt moſchus, qui venditur communiter; nunquam enim veri folliculi moſchiferi ad noſtras feruntur terras. Noſtri quoque mercatores adulterare ſolent moſchum, dum eum cum ſanguine exſiccato miſcent, id quod tamen facile cognoſcitur ex glutinoſa ſubſtantia contenta & diminuta fragrantia. Notatu quoque dignum eſt, quod moſchus, quando ſuam amiſit fragrantiam, eam recuperare poſſit, quando ſuſpenditur in cloacis. Optimus habetur moſchus Tunquinenſis, poſt hunc Moſcowiticus, de quo tamen notandum eſt, quod Moſcowia hæc animalia non alat, ſed a Ruſſis ex China afferantur. Quod attinet ad uſum moſchi, primo memorabile eſt, quod non omnes ejus odorem ferre poſſint, præſertim fœminæ debilitati generis nervoſi & convulſivis motibus obnoxiæ, utpote quæ ab ejus uſu graviter læduntur atque in ſyncopen incidunt, procul omni dubio, eam ob cauſam, quoniam agiliſſimæ naturæ effluvia ad partes nervoſas cerebrique membranas penetrant & has ad motus inordinatos jam proclives partes præternaturaliter irritant & in ſimiles abripiunt motus. Cæterum moſchus in iis ſubjectis, quæ ejus odorem ferre poſſunt, eſt ſummum analepticum, quoniam fluidum cerebri & nervorum in motum concitat, unde quoque omnia medicamenta analeptica & confortantia ingreditur. Propter ſulphur ſuaveolens, quo gaudet, virtutem quoque poſſidet anodynam ſedativam, hinc in epilepſia non ſine fructu adhiberi poteſt. Ingredi quoque ſolet pulveres analepticos. Ad ſomnum conciliandum ſenibus & debilitatis maxime conducit. In vertigine & doloribus capitis a debilitate oriundis eſſentia moſchi cum ſacchari fruſtulo mixta & ſub lingua detenta præſentiſſimum affert levamen. Eadem eſſentia inſtillata ad aliquot guttas goſſypio & auribus indita egregiam præſtat in ſuſurro aurium, auditus difficultate aliiſque aurium affectibus utilitatem.

De Zibetho.

Zibethum eſt ſubſtantia unctuoſa, ratione conſiſtentiæ butyro ſimilis, coloris, ſi recens eſt, albi, ſi vetus eſt, flavi, odoris fragrantiſſimi ſed paululum ingrati, & deſumitur ex animali & quidem cato vel fele, quæ dicitur zibethica: nonnulli vero hac ſunt in opinione, quod hoc animal pertineat magis ad canium quam felium genus, quia capitis & roſtri figura, dentibus & eorum numero cum lupo cane & vulpe convenit, cæteris vero partibus cum fele. Color hujus animalis eſt cinereus plerumque ſubnigricantibus maculis diſtinctus, aures ſunt parvæ, pili tales quales in taxo, & utriculi zibethici inter anum & pudenda medio in perinæo prominent & compoſiti ſunt ex tunicis valde glanduloſis, in quibus fragrans hæc pinguedo ſecernitur. In maribus inter penem & anum, in fœminis ipſa in cavitate vulvæ generatur hæc ſubſtantia fragrans pinguis & ſingulis menſibus argenteo minori cochleari eximitur. Reperiuntur hæc animalia in magno numero in China & inſula Ceylon, tranſportantur exinde in Angliam, Hollandiam & Hiſpaniam, aſſervantur in locis calidis & nutriuntur lacte, ovis & carnibus aſſatis; hac enim ratione majorem hujus liquoris copiam proferunt. Exactam hujus animalis deſcriptionem vide in Raji *Synopſi animalium quadrupedum pag.* 178. Notandum vero etiam eſt, quod zibethum fiat albicans, ſi animal zibethiferum lacte vel ovis veſcatur, contra vero bruni coloris ſi carnibus aſſatis nutriatur. Adulterare ſolent mercatores zibethum cerumine aurium ex animantibus deſumto vel etiam pinguedine ſuilla. Propter vaporoſum ſuum ſubtile ſulphur exhalat zibethum odorem fragrantiſſimum magnum ſpatium occupantem & gaudet virtute, qua omnia vaporoſa ſulphurea prædita ſunt, nimirum ſedativa, anodyna, ſpaſmos & dolores demulcente, unde in doloribus & ſpaſmis colica & convulſionibus epilepticis adhiberi ſolet. Propter fragrantiam ſuam recreat quoque vires & analepticam virtutem habet, unde in virium languore poſt morbos diuturnos zibethum cum moſcho exhibetur, & ex his eſſentia extrahitur confortans, quæ cum ſaccharo candi mixta dat medicinam præſentiſſimam. Memoratu tamen hoc loco dignum eſt, quod abſtinere debeant ab omnibus iſtis remediis fragrantibus hyſtericæ fœminæ & generatim omnia ſubjecta, quæ ad enormes motus & ſpaſmodicas contractiones proclivia ſunt, quia in his plane contrariam exſerunt operationem, quæ in anxietates ſyncopticas & convulſiones & ſpaſmos excitando conſiſtit. Poteſt ex zibetho parari eſſentia cum ſpiritu vini rectificato, quando nempe miſcetur cum ſaccharo; alias non aggreditur zibethum. Ad ſtimulandum ad venerem atque vires excitandas ad coitum celebrandum convenit membrum virile zibetho inungere, ſi ejus odorem ferre poſſunt fœminæ. Inſervit quoque maxime pro linimento in torminibus infantum umbilico applicando.

CAPUT XXVII.

De Cervo.

Cervus eſt animal quadrupes vivaciſſimum, quod ſingulis annis deponit ſua cornua & quidem ſub finem menſis Februarii, quæ poſtea celeriter & ſpatio quinque vel ſex menſium renaſcuntur. Circa cornuum generationem hoc notabile eſt, quod cervi in primo anno nulla habeant cornua, ſecundo cornua ſimplicia & recta inſtar haſtæ abſque ramis, & tertio cornua ramo uno prædita ſeu bifida acquirant, ſequentibus annis novi rami accreſcant & ſexto & octavo anno cervus dicatur perfectus propter ramos ſex apparentes. Notabile porro eſt, quod cornua maribus tantum, neutiquam vero fœminis generentur. Denique memorabile eſt, quod cornua, quando renaſcuntur, primis menſibus molli cute veſtita ſint. Hæc cornua lanugine tecta vocari ſolent typhæ, Germanice Hirſchkolben / & ex his recentibus ſolet deſtillari aqua, quæ mirifice commendatur contra febres malignas & Germanice dicitur Hirſchkolben-Waſſer. Cauſas, quare cornua ſingulis annis deponere ſoleant cervi, varias vulgo allegant. Noſtra hac

hac de re eſt ſententia, quod hyeme in cervis propter alimenti defectum nutritius roſcidus ſuccus in adeo pauca generetur quantitate, ut partibus internis alendis & reſtaurandis vix ſufficiat, multo minus vero partes externas conſervare & ſuſtinere poſſit, præſertim cum motus ſanguinis & humorum ad cornua propter frigus externum valde impediatur & hoc potius poros cornuum conſtringat, ſuccos ibi contentos induret & conglaciet: quandocunque vero verno tempore accedente plus alimenti acquirunt, ſanguis & ſuccus nutritius generatur copioſior & ad partes externas & cornua defertur, ſucci vero nutritii affluxus & ingreſſus in cornua propter conſtrictionem ductuum impeditur, hinc novo hoc affluxu fit ſeceſſio cornuum aridorum & exſuccorum a cranio, cum quo per ſymphyſin juncta fuerunt. Ex cervo uſui medico inſerviunt 1) cornua, ex quibus ſal volatile & ſpiritus cum oleo deſtillari ſolet, qui ſpiritus cum ſale volatili & ſpiritu vini rectificato deſtillatus præbet medicinam alexipharmacam & ſudoriferam præſtantiſſimam; 2) ex cornu cervi proſtat in officinis ad uſum medicum cornu cervi ſic dictum philoſophice præparatum, quod coctione emollitur, & poſtea in pulverem contunditur, 3) cornu cervi in cineres uſtum, cujus uſus eſt antiquiſſimus, ſiquidem SEMPRONIUS LARGUS, item GALENUS *Libr. IX. de methodo medendi* ejus mentionem faciunt illudque in febribus commendant. Uſus quoque apud veteres fuit 4) limaturæ cornu cervi, qua de re conſuli poteſt AGRICOLA, qui optimam cervi tradit deſcriptionem una cum medicamentis, quæ ex eo parari ſolent. Porro in uſu quoque eſt 5) priapus cervinus, præſertim, quando cervus tempore coitus menſe Septembri interfectus fuit. Lavant priapum cervi vino & exſiccant. Creditur eſſe eximia virtute adverſus dyſenteriam & epilepſiam, & gaudet virtute demulcente & ſedativa. 6) Os de corde cervi, quod reperitur tantum in vetuſtioribus cervis & a veteribus ceu peculiare alexipharmacum & cordiale fuit æſtimatum: 7) ſevum cervinum, quod egregia emolliente & demulcente virtute ſe commendat; 8) cor ex cervo & ex eo paratus ſpiritus a quibuſdam Chymiatris ceu cordiale admodum extollitur. Sunt quoque in uſu 9) lacrymæ cervi, quæ a nonnullis dici ſolent bezoar cervinum, item 10) pila cervina, quæ quandoque in ſtomacho cervorum reperitur; ſed hiſce omnibus carere poſſumus propter exiguam, quæ ipſis ineſt, virtutem.

CAPUT XXVIII.

De Alce.

ALce eſt animal maxime procerum, medium inter cervum & camelum, excedit magnitudine equos majores, capite æmulatur cervum, color pilorum eſt cinereus ad camelinum accedens, auriculæ longæ, pili longi, caudam habet brevem, cornua non ſunt ramoſa ut cervina, ſed brevem initio habent truncum, mox in latum inſtar palmæ extenduntur, mucronibus aliquot in ambitu ceu digitis exſtantibus. Proprium hoc animal eſt regionibus Septentrionalibus, Pruſſiæ, Norwegiæ, Livoniæ, Scandinaviæ & Moſcoviæ. Referunt, quod hoc animal epilepſiæ ſit obnoxium &, quandocunque hoc malo corripitur, ſiniſtrum pedem admoveat auribus eaſque ungulis fricat & hac ratione paroxyſmus tollatur. Eam ob cauſam etiam huic ungulæ præſertim pedis ſiniſtri magna contra epilepticum malum adſcribitur efficacia, ſed abſque omni fundamento, quia virtus, quæ ungulæ ineſt ſiniſtræ, etiam dextræ ineſt, neque tanta eſt, ut æquiparari poſſit virtuti oſſium dentium & ungularum aliorum animantium; nihilominus tamen proſtat in officinis raſura ungulæ alcis & ungula philoſophice præparata. Ex cornu, quia valde ſolidum eſt, præparatur ſpiritus & ſal volatile optimum & copioſum & idem cornu præparari quoque ſolet philoſophice.

CAPUT XXIX.

De Elephante.

ELephas eſt animal quadrupes, magnitudine vero reliquis ſuperius, qua etiam ab aliis diſtinguitur. Accedit altitudine ad quinque ulnas. Diſtinguitur etiam ab aliis animalibus proboſcide, qua veluti manibus utitur tam ad ſiccos quam humidos cibos admovendos. Dentibus præter illos, qui in ore latitant, inſtruitur binis e maxilla ſuperiori egredientibus & extra os prominentibus, quos nonnulli cornua eſſe volunt. Propter magnitudinem & longitudinem ſunt admirabiles; nam quandoque unus dens ultra centum libras pendit. Differt itaque elephas ratione horum dentium ab aliis animalibus. Os pro mole hujus belluæ parvum eſt. Quatuor in utraque maxilla dentibus molaribus eſt inſtructa, dentibus inciſoribus caret, cutis eſt nigri vel bruni coloris, tuberculis cruſtaceis, verrucis inveteratis & profunditatibus plena, pili non adeo ſunt longi ob perpetuum affrictum. Deſcriptionem accuratam hujus animalis vide in RAJI *Synopſi animalium quadrupedum*, qui ſimul tradit ejus anatomen, item confer D. PETRI GILLII *deſcriptionem elephantis*. Patria horum grandiſſimorum animantium eſt India Orientalis. In Africa quoque ea reperiuntur. Mares dantur & fœminæ, quæ non tam grandes dentes gerunt quam mares. Adſcribitur elephantibus magna prudentia in conſuetudine & diſciplina, & ad varias artes addiſcendas prona ſunt. Quandoque laborant gravi morbo furioſo, ut omnia vincula rumpant & aggrediantur omnes, qui ipſis obviam eunt. Amant aquas, quas ingrediuntur & quibus lavant corpora. Frigus non poſſunt ſuſtinere. Veſcuntur herbis, ramis & foliis arborum, fructibus, frumentis, granis nec non parvis lapidibus ac terra. Amant vinum & uſque ad octavum diem ſine potu vivunt. Secundum Autores omnia reliqua animalia longævitate ſuperant. Ex iis dentes tantum, qui vocantur ebur, in uſum medicum vocantur. Hi ſubſtantiæ ſunt oſſeæ ſolidiſſimæ & præparari ex iis ſolet per diuturnam coctionem ebur ſic dictum ſine igne. Gelatinam dant paucam propter ſoliditatem, quia magis ex terreſtribus fixioribus partibus quam oleoſis & mucilaginoſis conſtant. Prodit ex ebore elegantiſſimum ſal volatile & ſubtile oleum. Eſt quoque in uſu ſpodium ſive ebur uſtum, quo Veteres maxime uſi fuerunt, item ebur ad nigricationem uſtum, quod colorem poſſidet, quo non datur nigricantior, & mechanicis in uſu eſt & pictoribus pro vernicibus & tincturis inſervit. Ebur foſſile, quod ex terræ viſceribus vel profundis aquis eruitur, eſt friabile & vocari ſolet unicornu. Adhæret linguæ & inter veſtigia diluvii non immerito refertur. Uti quoque ſolent dente elephantis mechanici & tornatores ad varias res artificiales exinde conficiendas.

CA-

CAPUT XXX.

De Rhinocerote.

RHinoceros eſt animal magnitudine taurum & forma aprum æmulans, hoc tantum excepto, quod hunc magnitudine ſuperet. Habet caput grande & ungulas fiſſas, & cornu gerit in naſo, quo diſtinguitur ab aliis animalibus. Solidum eſt hoc cornu, abſque ulla cavitate, & dimidium ulnæ quandoque longum. Cutis hujus animalis eſt inſtar elephantis rugoſa, admodum craſſa cum profundis plicis circa latera ac in dorſo. Reperitur hoc animal in Africæ deſertis, item in Aſia & China. Veſcitur arbuſtis & herbis, & ſatis mite eſt, quando non offenditur, irritatur vero non ſine periculo; nam quando eſt in furore, arbores eradicat cornu & omnia ipſi obvia diſrumpit. Ab Indis hujus animalis ſanguis maxime æſtimatur, adeo ut vix credant, eo præſtantius atque exquiſitius dari remedium ad curandos & præcavendos morbos contagioſos, eumque miſcere ſolent cum theriaca. Hujus animalis hiſtoriam optime deſcribit præter J. M. BARTHIUM POMET *in libro ſuo Hiſtoire des Drogues*: item JACOB. BONTIUS de *medicina Indorum cap. XIV.* Cornu ejus eſt in uſu medico. Ejus raſuram infundent vel coquunt in vino & contra epilepſiam & affectus ſpaſmodicos, & morbos malignos, fluxus alvi & hæmorrhagias commendant & adhibent.

CAPUT XXXI.

De Materia medica ex Animantibus, maxime domeſticis, deſumta.

EX domeſticis animalibus ad uſum medicum & pharmaceuticum varia depromi ſolent & quod attinet primo ad ipſum hominem, ſequentia ex eo uſui inſerviunt medico, nimirum 1) ejus pinguedo, cujus vires tam interne quam externe ad leniendas ſpaſmodicas contractiones in doloribus atrocioribus, præſertim colicis, item iis, qui fiunt a calculo renum vel veſicæ, maximæ ſunt & certe virtutem omnium aliorum oleoſorum ut olei olivarum, amygdalarum dulcium & ſpermatis ceti exſuperant. Externe in contracturis, & aridura partium motuumque impotentia axungia humana cum oleo deſtillato aromatico nervino ut oleo lavendulæ, majoranæ, caryophyllorum vel alio mixta ſolamen affert præſentiſſimum; 2) urina, ex qua præparari ſolet ſpiritus & ſal volatile, quando ei inſpiſſatæ adjicitur calx viva. 3) Ex ſtercore humano præparari poteſt oleum, quod aliquoties rectificatum penetrantiſſimum evadit & ad paucas guttas ſumtum potentiſſime ſudorem pellit, hinc ad peſtem abarcendam & ubi opus eſt expulſione per ſudorem, mirum in modum hoc remedium deprædicant. 4) Ex ſanguine humano præparatur quoque ſpiritus cum ſale volatili, quæ adverſus epilepſiam ſingularis & ſummæ virtutis remedia habentur; identidem 5) ex cerebro humano adverſus epilepſiam magnæ virtutis ſpiritus præparatur; 6) raſura cranii humani & uſnea cranii humani Mooß von Menſchen-Hirnſchaalen contra epilepſiam commendatur; 7) oſſa humana combuſta & pulvis microcoſmicus adverſus peſtem, & 8) corium humanum in partu difficili laudantur.

II) Ex bove excrementa, maxime ſtercus & urina, virtutis ſunt non contemnendæ & ex ſtercore vaccino deſtillando paratur ſic dicta aqua omnium florum, quæ vehementer pellit ſudorem & virtute ſimul anodyna gaudet, unde in doloribus arthriticis, &, ubi expulſione eſt, uſurpari poteſt. Stercus vaccinum in ſubſtantia egregie diſcutit inflammationes, & tumores, item in morſu veſparum & ictibus animantium conducit & doloribus quoque arthriticis propter ſulphur vaporoſum medetur. Urina vaccina tempore Maji, ubi medicatis & ſalubribus herbis veſcuntur vaccæ, collecta & inſtar acidularum pota tantæ eſt adverſus chronicos morbos virtutis in reſolvendis viſcidis humoribus & obſtructionibus viſcerum reſerandis, ut vix alia medicina cum ea poſſit comparari. Fel taurinum inſpiſſatum, quod interne uſurpatum non ſua caret virtute, externe ſolet applicari infantium abdomini in vermibus. Interne in forma pilularum commendatur adverſus icterum, hydropem, fluxum alvi & dyſenteriam.

III) Ex aſino in uſum medicum cedit 1) ejus ſanguis, qui ſiccatus maniæ remedium præſtantiſſimum celebratur maximeque fuit olim in uſu beato Michaeli; 2) Lac, quod propter ſerum nitroſum abſtergens & laxante virtute imbutum in phthiſi, tabe & obſtructionibus viſcerum, ſcorbuto, febre lenta & hectica, podagra & arthritide ad edulcandos acres & ſalſos humores cum fructu adhiberi poteſt.

IV) Ex hirco ſanguis ejus exſiccatus ad ſanguinem congrumatum diſſolvendum poſt caſum ab alto, item in peripneumonia & pleuritide cum aceto ſumtus uſus eſt vulgaris ſed non contemnendi.

V) Ex apro uſui medico inſervit dens, qui ex maxilla inferiori eminet, ſatis durus & longus. Hic calcinatus philoſophice creditur eſſe magnum remedium adverſus pleuritidem.

VI) Ex cane axungia in medicina uſurpatur. Hæc quidem ejuſdem eſt virtutis cum humana ſed paulo eminentioris in phthiſi. Ex reliquis animantibus, præſertim quadrupedibus, quamvis plura poſſent in uſum medicum vocari, ſiquidem omnes fere animantium partes exſiccatæ antiſpaſmodica ſedativa virtute præditæ ſunt, nihil tamen ex animalibus plus ad uſum medicum adhibetur quam eorum axungiæ e. g. taxi, vulpis, apri, cervi &c. medulla oſſium vitulorum, bovinorum, item medulla equorum propter virtutem demulcentem atque emollientem corporis humani partibus valde affinem atque amicam.

REGNUM VEGETABILE.

SECTIO I.

DE LIGNIS MEDICIS.

CAPUT I.

De Ligno Aloes.

EX arbore Chinenſi Calambac dicta deſumtum eſt hoc lignum, eſtque ejus interior medulla valde ſolida, denſa, colore ſpadiceo, reſinoſis ſtriis notata, ſaporis amari & aromatici, odoris grati & fragrantis, qui ſe præſertim manifeſtat, quando accenditur vel in pulverem redigitur. Dicitur etiam agallochum. Modus hoc lignum colligendi ſequens eſt: arbores cæduntur, dividuntur in fragmenta & illa tantum ſeliguntur, quæ ſunt reſinoſa & in meditullio conſtitu-

ta. Arbor ligni aloes arbori olivarum eſt ſimilis, differt tamen ab ea magnitudine, fructus fert ſimiles rubris ceraſis & creſcit maxime in Cochinchina. Dantur vero ligni aloes variæ ſpecies, inter quas rariſſima & pretioſiſſima eſt lignum aloes album. Hoc deducitur ex China & Perſia, coloris eſt albi ſed odoris aromatici & ſuaviſſimi inſtar olei lavendulæ, leve nec tam ponderoſum quam aliud lignum aloes, quod magis reſina ſolida fixiori copioſa gaudet, quam hoc, quod reſinam ſubtiliorem magis continet. Quod ad uſum ligni aloes medicum attinet, pulvis ejus eſt ſubtiliſſimus & naribus admotus caput roborat & pituita purgat & adhibetur etiam in cucuphis capiti roborando deſtinatis. Bontius ejus pulverem ad ſcrupulum integrum ſumtum choleræ & omnibus ventriculi atque inteſtinorum affectibus frigidis mederi, tineaſque atque aſcarides puerorum necare, autor eſt. Præparari poteſt ex hoc ligno ope ſpiritus vini rectificatiſſimi eſſentia balſamica, cephalica, nervina, colore fuſco nigricante prædita, ſaporis ſubacris amaricantis & odoris balſamici. Quando ſpiritui vini rectificatiſſimo, quocum lignum aloes fuit extractum, aqua affunditur, reſina ad fundum præcipitatur, quæ in pulvere exhibita in capitis & nervorum affectibus magnæ eſt efficaciæ, & ingreditur pilulas cephalicas. Præparari ex hujus ligni limatura poteſt mediante aqua per deſtillationem ex veſica oleum album inſtar camphoræ, craſſioris conſiſtentiæ, fragrantiſſimum, in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolubile & magnæ ſine dubio virtutis nervinæ, niſi raritas & pretium frequentiorem ejus uſum impediret: vide *Annotationes meas ad Poterium.* Cæterum lignum aloes, præcipue album, propter ſuaviſſimum volatile oleum, maſticatione caput roborat & vertigini opitulatur & dat quoque, ſi ope ſpiritus vini rectificatiſſimi extrahitur, delicatiſſimam eſſentiam.

CAPUT II.

De Ligno Rhodio.

Lignum Rhodium, quod potius eſt radix; eſt lignum creſcens in inſula Rhodo, flaveſcens, ſantalo flavo ſimile, denſum, ſolidum, reſinoſis pinguibus maculis interſtinctum, odorem roſaceum ſpirans & reſina copioſa ſubamara ſcatens. Creſcit hujus ligni arbor non ſolum in inſula Rhodo, ſed etiam in inſula Cypro & in pluribus aliis locis diſtrictus, qui dicitur Levante. Arbor eſt procera & directa, & folia ejus ſunt parva. Extrahitur ex hoc ligno ope ſpiritus vini rectificatiſſimi reſina ſuaviſſima inque uſum medicum adſciſcenda, neque minus præparatur ex hujus ligni raſpatura cum aqua ope deſtillationis oleum exacte roſarum odorem æmulans, &, quamvis hujus olei virtus interna non ſit explorata, externa tamen fere omnia balſama ingreditur. Uſus ejus externus eſt egregius in affectibus capitis atque hoc fine adhibetur in epithematibus. Solvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſed frequentius adulteratur additione oleorum expreſſorum. Pulvis ligni Rhodii adhibetur ad cucuphas & pulveres pro ſuffimigio. Poteſt etiam ex hoc ligno ope ſpiritus vini rectificatiſſimi parari nobiliſſima eſſentia reſinoſa odoris ſuaviſſimi & egregiæ in genere nervoſo roborando virtutis, qua etiam ipſam ligni aloes eſſentiam longe ſuperat. Inſervit denique hoc lignum, quando decoquitur in aqua cum aliis lignis, ſanguinis & humorum purificationi.

CAPUT III.

De Ligno Guajaco.

Lignum guajacum eſt arboris Indiæ Occidentalis Guajacan dictæ lignum ſolidum reſinoſum ponderoſiſſimum; fundum enim petit in aqua, quod alias eſt contra lignorum naturam. Color ejus eſt variegatus, plerumque niger, etiam brunus, variis maculis & ſtriis intermixtis præditus. Ex eo arte elegantiſſimæ res pro uſu pharmaceutico & domeſtico præparari poſſunt. Naſcitur ejus arbor in Mexico valdeque ſimilis eſt juglandi. Cortex eſt reſinoſus, facillime ſeparatur, & quando inciditur, exſtillat reſina, quæ valde acris eſt ſaporis. Eſt arbor hæc hexapetala nucifera binaſque nuces in putamine habet incluſas. Præditum eſt hoc lignum reſina amaricante acri copioſa, vi cujus virtutem quoque ſudoriferam, viſcidos humores incidentem & reſolventem, eorum impuritates corrigentem atque eliminantem neque minus aperientem exſerit, unde quoque ejus decoctum & eſſentia magna ſemper luis venereæ ſpecifica remedia fuerunt habita. Quod decoctione ejus cum aqua extrahatur reſiniformis & acris ſubſtantia, id ex eo apparet, quando ejus decoctum leni calore incoquitur; tunc enim remanet magma reſiniforme, quod naribus attractum ſatis fortiter eorum tunicas ſtimulando movet ſternutationem. In uſu maxime eſt ejus eſſentia & ex eſſentia præcipitata reſina in forma pulveris, quæ ſub pilulari exhibetur forma.

CAPUT IV.

De Ligno Saſſafras.

Lignum ſaſſafras eſt arboris Virginianæ bacciferæ folio ficulneo Pavame dictæ lignum, leviter ponderoſum, ſubrubrum, tenui cortice obductum, ſaporis aromatici & odoris fœniculati fragrantiſſimi. Pollet oleo ſubtili aromatico, quod etiam cum aqua ex hoc ligno, præſertim ex cortice, qui virtute longe eſt ſuperior, deſtillatur. Creſcit arbor hujus ligni in Florida & nova Hiſpania, ubi magna in abundantia in ſylvis creſcit; eſt excelſa, erecta inſtar pini, & cortice tegitur coloris intus magis rubicundi, foris cinerei, odoris & ſaporis magis penetrantis, quam lignum. Adportatur hoc lignum ad nos in magnis fruſtis. In uſu eſt ejus aqua & oleum ſubtiliſſimum odoris penetrantiſſimi, quod fundum petit in aqua, nec non ejus decoctum. Cortex maxime in infuſis adhibetur, quæ ſanguini purificando inſerviunt. Oleum ligni ſaſſafras ſolutum in ſpiritu vini rectificatiſſimo præbet egregium ſpiritum anticatarrhalem, contra paralyſin, apoplexiam & ſurditatem & adſcribitur huic ligno, & præſertim ejus cortici & oleo, magna vis ſanguinem depurans, item pectoralis.

CAPUT V.

De Ligno Nephritico.

Lignum nephriticum eſt fruticis Mexicani lignum ex flavo pallidum, ſolidum, brachii ſæpe craſſitie. Externum lignum magis eſt pallidum, interius

rius nigricans. Adfertur ex nova Hiſpania magnis in fruſtis. Arbor eſt inſtar pyri. Separatur interior ſubſtantia a cortice albo & ſumitur medulla fuſca ſolida ponderoſa, quæ multum olei & ſalis acidi, quæ deſtillatio manifeſtat, continet. Attribuitur huic ligno ejuſque infuſo & decocto excellens virtus antinephritica, unde nomen etiam adeptum eſt, urinæque mittendæ difficultatibus ejuſque ſuppreſſioni mederi præparata ex hoc ligno perhibentur. Curioſum eſt, quod infuſio hujus ligni in aqua calida facta hanc ipſam tingat colore quodammodo cæruleo, qui tamen valde diverſus apparet pro diverſa vitri, in qua infuſio continetur, expoſitione ad radios ſolares.

CAPUT VI.

De Santalo.

Santalum eſt triplex vel flavum vel album vel rubrum. Flavum eſt arboris Timorenſis bacciferæ Sercanda dictæ medulla ſolida denſa flaveſcens ab integumentis ſuis cortice & ligno ſeparata, ſaporis amari aromatici, odoris fragrantis. Adfertur ex China & Siam. Arbores ſunt excelſæ inſtar juglandum earumque fructus ſunt inſtar ceraſorum. Album ſantalum eſt ejuſdem arboris medulla ſolida pallida odoris debilioris & ſaporis minus aromatici. Quando arbores diſſecantur, ſola medulla eligitur, quæ, ſi non ſatis eſt odora & alba, dicitur ſantalum album. Santalum rubrum caret odore, ſaltem nullo manifeſto eſt præditum. Eſt arboris Indicæ ſiliquoſæ & ſpinoſæ medulla ſolida ponderoſa, coloris intenſe rubri, ſaporis nullius evidentis. Naſcitur in Malabar, Coromandel, inſula Ceylon & juxta fluvium Ganges. Quod attinet ad vires lignorum ſantalorum, flavum oleo ſubtili balſamico gaudet, quod non modo odor ejus fragrans, verum ſpiritus etiam ex eo paratus arguit, qui conficitur, quando ſpiritus vini ab eo abſtrahitur. Egregia quoque ex hoc ſantalo præparatur eſſentia cum ſpiritu roſarum cephalica, quæ & virtute & odore eſſentiam ambræ æmulatur. Quando hæc eſſentia inſpiſſatur, remanet liquor inſtar balſami Peruviani. Lignum hoc quando fornaci imponitur calido, odorem ſpargit ſuaviſſimum. Ingredi quoque ſolet decocta aperientia & ſanguinem depurantia in obſtructionibus hepatis, item vina medica cephalica vel infuſa in paralyſi. Rubrum ſantalum reſina gaudet ſatis copioſa, quæ extrahi poteſt ſpiritu vini rectificatiſſimo, & terrea adſtringens omniſque fere ſaporis expers eſt. Uſurpari eſſentia ſantali rubri concentrata ſolet ad liquores colore eleganter rubro tingendos, &, quando acidum fuerit admixtum, fine adſtringendi in gonorrhœa & nimio alvi fluxu.

CAPUT VII.

De Ligno Colubrino.

Lignum colubrinum eſt arboris nuciferæ Timorenſis radix lignoſa, dura, valde compacta, gravis, interius alba, exterius cortice bruni coloris tecta, odoris nullius ſed ſaporis valde amari. Adfertur ad nos ex India orientali in fruſtis brachium longis. Folia arboris hujus ligni ſunt bryoniæ foliis ſimilia & arbor nuces fert ſic dictas vomicas. Referunt, quod ſerpentes, qui tangunt hanc arborem, enecentur ſolo hoc attactu. Vires hujus ligni vel potius radicis ſunt valde deterſivæ, aperientes & ſimul quoque narcoticæ. Pulvis ejus propter amaritiem & narcoſin, quam inducit, contra febres intermittentes ut ſpecificum remedium commendatur. Adhibetur in ſubſtantia vel forma extracti vel etiam aliis extractis admiſcetur optime. Ingreditur quoque eſſentias antifebriles cum aliis extractis amaris. Quod attinet vero ad hujus arboris fructus ſeu ſic dictas nuces vomicas, veneſitate non carent, ſiquidem animalia ut feles & canes ex tempore interimere ſolent. Teſte WEPFERO *in hiſtoria de cicuta aquatica* aliiſque teſtantibus inducunt tremorem, convulſionem & ſtuporem, & quamvis ipſis hominibus non æque ac animalibus funeſtæ ſunt, nihilo tamen minus teſte vomitu & narcoſi, quæ inferunt, remedium valde inſecurum præbent in febribus & peſte.

CAPUT VIII.

De Ligno Juniperino.

Lignum juniperinum eſt lignum arboris, quæ in Germania, præſertim ſeptentrionali ejus parte admodum frequens eſt & ibi copioſe creſcit. In Norwegia dantur valde proceræ & craſſæ arbores juniperinæ. Foliis gaudet hæc arbor valde acutis; perennat & viridis manet per totum annum. Fructus fert baccas, quæ duobus annis integris elapſis demum maturæ fiunt: inſuper arbor hæc ſcatet baccis vel maturis vel immaturis: maturæ ſunt nigræ, molles & ſaporem & odorem habent aromaticum oleoque ſubtili reſinoſo pollent. Tota arbor reſina ſubtili & oleo ſcatet, hinc nullius arboris lignum rami & folia tam facile flammam concipiunt tamque ſinceram & luculentam edunt, quam quæ de junipero deſumta ſunt. Lignum odorem habet fragrantiſſimum, nec vapor, quem exhalat accenſa arbor, deſtituitur odore, unde ea utuntur ad aeris purificationem, item ad abigendas muſcas & culices. Lignum hoc uſu & efficacia non cedit ligno guajaco & ſaſſafras, unde horum loco commode ſubſtitui poteſt, quare id multi etiam Medici omnibus exoticis lignis præferunt. Sunt vero maxime baccæ in uſu, quæ oleum fundunt in copia balſamicum reſinoſum, ſi cum aqua infunduntur & deſtillantur. Hoc oleum oleo terebinthinæ & pini multum adulteratur & virtute maxime gaudet balſamica, ſudorifera, diuretica, ſtomachica & carminativa, præſertim, quando ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo. Proſtat quoque in officinis & in uſu eſt domeſtico ſpiritus baccarum juniperi per fermentationem paratus. Porro in uſu quoque eſt Roob ex baccis juniperinis paratum, quod parari ſolet ex reſiduo deſtillationis oleoſæ, quando cum aqua denuo coquitur, colatur & inſpiſſatur. Ex hoc roob juniperino paratur cum vino Malvatico medicamentum valde gratum dictum Malvaticum juniperinum ad ſtomachi & inteſtinorum tonum roborandum egregium. Omnia ex junipero parata remedia valde pellunt urinam & menſes, hinc cum grano ſalis ſunt adhibenda, ſiquidem non ſemper utile eſt, fortiter pellere urinam, præſertim ſi dolores ex calculo urgent & viæ non ſunt liberæ ſed ſpaſmo conſtrictæ vel anguſtatæ, & menſium fluxum pellentibus promovere, ſi viæ ad tranſmittendum ſanguinem non ſunt aptæ. Cæterum de remediis ex junipero paratis: vide SCHAEFFII *curioſam juniperi deſcriptionem.* Notandum adhuc eſt, quod etiam arbor hæc ſubminiſtret gummi, quod dici ſolet Sandarach, ex quo præparare ſolent elegantiſſimas vernices. Porro ex combuſto ligno juniperino præparatur etiam

etiam ſal juniperinum, cujus uſus mirifice æſtimatur in hydrope. Proſtat etiam in nonnullis officinis balſamum ſulphuris juniperinum, quod externe ad mundificandum & conſolidandum adhiberi poteſt.

CAPUT IX.

De Ligno Fraxini.

FRaxinus arbor eſt, quæ dicitur Germanice Eſchenbaum / & in Germania abundantiſſime provenit. Veteres hujus arboris ligno, immo toti arbori, adſcripſerunt peculiarem virtutem contra venena, præſertim viperarum virulentiam, adeo, ut æſtimarint, umbram etiam hujus arboris eſſe ſerpentium venenum & ejus folia contuſa ictibus viperarum impoſita omne aliud medicinæ genus exſuperare, an vero hoc cum experientia conveniat, de eo adhuc multum dubii ſupereſt. Alii ligno fraxini adſcribunt peculiarem virtutem vulnerariam, unde etiam vocatur Wündholtz / ita, ut non tantum ad vulnerum conſolidationem faciat ſed etiam gravia ſymptomata, quæ vulneribus ſupervenire ſolent, avertat, maxime vero hæmorrhagiam ſiſtat, quando recentia vulnera eo aliquoties tanguntur & fricantur. Verum enim vero hæc omnia cum grano ſalis ſunt intelligenda, quandoquidem auxilium, ſi quod, quod valde dubium videtur, vulnerationibus affert, a ſola partium ſauciatarum preſſione & frictione dependet; annon vero idem cum alio ligno ſuccedat, res eſt, quæ attenta experientia debet explorari. Laudamus tandem ex arbore fraxino ejus corticem, qui amaricans & adſtringens eſt & noſtra etiam experientia ſæpius illud præſtitit in abigendis ſeu potius ſupprimendis febrium intermittentium paroxyſmis, quod a cortice chinæ expectari poteſt. Propter amaritiem quoque & roborantem virtutem tonum viſcerum nimis relaxatum roborat. Decoctum corticis & ligni hujus arboris ad luem veneream curandam nonnulli commendant.

SECTIO II.

DE CORTICIBUS.

CAPUT I.

De China Chinæ.

CHina chinæ eſt arboris Americanæ, quæ dicitur Gannaperide, cortex coloris bruni ſimilis cinnamomo vel cortici ſaſſafras, ſaporis amaricantis & adſtringentis & gaudens quoque balſamicis reſinoſis partibus, unde aqua ipſi affuſa & deſtillata noſtro experimento balſamicum ſaporem & odorem exhibuit, præſertim ejus decoctum cum aqua eſt amaricantis & adſtringentis ſaporis & ad vitrioli mixturam nigreſcit, ſicut omnia infuſa & decocta ex adſtringentibus parata. Propter elementa, ex quibus hic cortex conſtat, principium nempe amarum terreum & balſamicum inſigniter roborans & tonicum exiſtit remedium, præſertim antifebrile. Anno 1649. hic cortex ex regno Peru primo fuit allatus in Hiſpaniam a Prorege in America & eodem anno a Cardinali de Lugo, a quo etiam dicitur pulvis Cardinalis de Lugo & quidam Jeſuitæ ex America in Europam redeuntes hunc apportarunt corticem, deinde vis ejus antifebrilis ubique locorum celebrata fuit, ſed, ſic ut tunc temporis cariſſimo conſtitit pretio, hodie tamen ſat vili emitur pretio propter copiam, qua affertur. Optimus cortex eſt, qui compactus, coloris ferruginei & ſaporis amaricantis eſt. Sumitur vel in pulvere vel in decocto vel in infuſo cum vino vel aqua. Paratur quoque ex eo eſſentia, item extractum ad ſedandas febrium intermittentium paroxyſmos, ſed ejus uſus magnam poſtulat cautionem, ſiquidem tam promtum ad juvandum quam ad nocendum eſt remedium propter adſtrictionem, quam præſtat. Excellens praterea ejus vis eſt in affectibus ſpaſmodicis, qui ab atonia partium ſolidarum proveniunt, ut hypochondriacis & hyſtericis, item in morbis ex nervorum imbecillitatibus oriundis. Certe uſus ejus eſt mirabilis. Poteſt maxime de ejus uſu legi SYDENHAM, MORTON & *noſtra diſſertatio de uſu & abuſu corticis chinæ.*

CAPUT II.

De Cortice Capparum.

COrtex capparum eſt cortex fruticis, qui maxime in Italia, Candia, Hiſpania, in Languedocia circa Narbonem & in Gallo-provincia circa Tolonam in locis montoſis & ſiccis creſcit. Gaudet ſpinis, folia ſunt inſtar foliorum cydoniorum; flores, qui inter folia creſcunt, ſale & aceto conteri & per totum fere orbem perferri ſolent, & fructus fert inſtar parvarum olivarum. Quamvis vero fructuum capparum uſus in medicina ad lienis vitia emendanda ab omnibus fere ſcriptoribus medicis commendetur, nos tamen in ea ſumus ſententia, eos eſſe pro palato magiſque ſpectare ad culinam, quam ad auxilium & medicinam. Cortex vero capparum non caret egregia virtute medicamentoſa, ſapore teſte, qui valde penetrans ſeu amaricans paulumque adſtringens eſt, & revera noſtro & aliorum experimento hujus corticis pulvere quartanas febres item cachexias curatas fuiſſe novimus.

CAPUT III.

De Cortice Caſcarillæ.

DIcitur hic cortex china chinæ ſpuria, quia loco hujus uſurpatur. Adfertur ex India occidentali, & exiſtimatur a POMETO, eum eſſe corticem peculiaris arboris, alii vero putant, eum eſſe ejuſdem arboris, quæ corticem china chinæ largitur, corticem teneriorem internum, externum vero corticem chinam chinæ. Coloris eſt cinericei, ſaporis valde aromatici, odoris fragrantis & texturæ valde reſinoſæ. Ejus vires certe ſunt ſuperiores viribus corticis chinæ propter reſinam illam, qua ſcatet, aromaticam & fragrantem, qua egregie ſolidarum partium tonum & robur deperditum reſtaurat, unde in omnibus morbis ex atonia ortis ejus uſus plane eſt mirabilis, v. g. in diarrhœis, fluore albo, tuſſi copioſa humida, ventriculi imbecillitate, cachexia & omni capitis & nervorum debilitate atque affectibus ſoporoſis. Cavendum autem eſt ab hoc remedio in ſtatu plethorico, & nimio calore vel pulſu celeri exiſtente. Febrium quoque intermittentium impetum mitigat, ſi cum cautione ante paroxyſmum adhibetur. Datur in ſubſtantia ſub forma pulveris & optime miſcetur cum julepo roſarum, ut formam electuarii acquirat. Præparatur ex hoc cortice quoque eſſentia

tia cum ſpiritu vini rectificato, quæ virium plane eximiarum & roborantium eſt, item extractum poſt evaporationem ſpiritus vini.

CAPUT IV.

De Cortice Winterano.

COrtex Winteranus falſo confunditur cum cortice caſcarillæ vel canella alba. Eſt cortex arboris Americanæ & ſpeciatim Peruvianæ, colore refert cinnamomum; canella vero alba album habet colorem. Habet ſaporem acrem penetrantem aromaticum & odorem fragrantem. Differt a ſapore canellæ albæ, qui inſtar pyrethri acerrimus eſt. Dicitur Winteranus a Wilhelmo Wintero, Anglo navis præfecto, qui anno 1567. Franciſcum Drake ad Magellanicum uſque fretum comitatus & ab eo in Europam primum allatus fuit. Virtute pollet roborante antiſpaſmodica, unde in febribus intermittentibus & ſanguinis vel ſeri profluviis magni æſtimandus eſt.

CAPUT V.

De Canella alba ſeu Coſto albo.

CAnella alba eſt cortex inſtar cinnamomi convolutus ſed craſſior, coloris albi, ſaporis acerrimi & ſumitur ex trunco arboris cujuſdam bacciferæ, cujus folia ſunt ſimilia foliis lauri & odoris jucundi. Arbor hæc in abundantia creſcit in inſula Sti. Thomæ & Madagaſcar & amat loca petroſa. Vehementi calore exſudat ex hac arbore gummi nigrum ſuaviſſimum, quod vocatur gummi Alouchi, quo utuntur Indi ad ſuffimigia. Confunditur hic cortex male cum coſto Arabico, qui potius calamus aromaticus eſt. Egregii eſt uſus contra imbecillitatem ventriculi, ejus flatulentiam, ad cruditates viſcidas & acidas diſſolvendas & corrigendas, item ad febres intermittentes exſtirpandas ex cruditatibus ventriculi ortas, ſi cum ſale digeſtivo mixtus propinetur. Parari quoque poteſt ex eo eſſentia mediante ſpiritu vini rectificato, quæ creditur eſſe antiſcorbutica, dum ſale volatili acri viſcidos tenaces humores egregie incidit, viſcerumque obſtructiones reſerat.

CAPUT VI.

De Cortice Thymiamatis.

COrtex hic, quamvis adhuc incognitum ſit autoribus, unde ſuam nanciſcatur originem & cujus ſit arboris, nihilominus tamen Autores Græci jam ejus mentionem fecerunt. Vox Thymiama eſt græca vox; nam omne genus ſuffimentorum a Græcis dicitur thymiama. Eſt cortex ſeu potius ſecundum noſtram ſententiam relictum quoddam magma poſt expreſſionem foliorum & corticum ex arbore ſtorace, odoris fragrantiſſimi, &, quando ei affunditur ſpiritus vini rectificatiſſimus, ex eo extrahit reſinam copioſam & eſſentia emergit inſtar eſſentiæ balſami Peruviani, quæ, ſi infunditur aquæ, lacteſcit. Abſtractus ſpiritus odoris eſt fragrantiſſimi & remanet poſt abſtractionem magma fragrantiſſimi etiam odoris balſamicum reſinoſum. Cortex thymiamatis nobis videtur eſſe cortex arboris ſtoracis, ex qua liquida ſtorax exprimitur, & quæ arbor eſt Aſiæ minoris Ciliciæ. Veteres hunc corticem thus Judæorum appellabant, quia Judæi eo loco thuris ad ſuffimigia uſi dicuntur. Alii exiſtimant, eum ex Arabia ad nos adferri, SERAPION vero omnium optime dicit, eum eſſe corticem arboris ſtyracis, qui expreſſa & excocta liquida ſtyrace remanet, quod etiam nobis valde veriſimile eſt, quoniam ſtoracis odorem refert. Uſus eſſentiæ & reſinæ corticis thymiamatis eſt ſingularis, ſiquidem in eo egregia virtus anodyna & ſedativa reſidet, unde in catarrhis ſalſis, arthritide, & aliis doloribus externe & interne convenit. In gonorrhœa quoque ejus uſus poteſt eſſe eximius.

CAPUT VII.

De Cinnamomo.

CInnamomum dicitur etiam canella Ceylanica, quoniam in inſula Ceylon fere ſola reperitur. Eſt cortex arboris Indicæ, quæ creſcit in ſylvis & ſponte provenit abſque cultura. Arbor eſt procera & folia habet ſimilia lauro vel lauro-ceraſo, fructus fert forma & magnitudine olivas referentes, folia contrita odorem ſpirant caryophyllatum & flores fragrantis odoris iis accreſcunt. Hanc arborem optime deſcribunt ROB. KNOX in der Ceylaniſchen Reiſebeſchreibung, & BALDEUS in deſcriptione Ceylanica. Cortex eſt ex rufo ferrugineus, ſaporis valde acuti, ſuavis tamen & aromatici, odoris fragrantiſſimi. Cortex vero hujus arboris eſt duplex, exterior & interior. Interior eſt tenerior, fragrantior & melior, exterior vero craſſior, rudior & minus fragrans. Utroque menſe Maji & Aprilis decorticatur ſeu abſcinditur & ſolis calore exſiccatur, unde contorquetur. Arbor cortice ſpoliata marceſcit, ſed ex ſemine mox nova provenit. Curioſum eſt, quod ſcribunt Recentiores, corticem hunc alio tempore, exceptis menſibus Maji & Aprilis, parum fragrantiæ habere, his vero menſibus pulcherrimum ſpirare odorem. *Galeni* temporibus adeo rarus fuit, ut ſoli Imperatores eo uterentur. Non datur in rerum natura excellentius confortans, quod vires tam cito reſtaurat, hoc ipſo cortice, præſertim ejus oleo & aqua cum vino deſtillata. Præparatur ex eo eſſentia cum ſpiritu vini ſtomachica, item oleum, quod vero a Batavis oleo amygdalarum dulcium adulterari ſolet, teſte ſolutione quæ fit cum ſpiritu vini rectificatiſſimo. Proſtat quoque in officinis aqua cinnamomi cydoniata, quæ cum cinnamomo & ſucco cydoniorum deſtillatur, item aqua cinnamomi roſata & borraginata. In ſubſtantia dari poteſt cinnamomum in diarrhœis, item a nobis miſcetur cum china chinæ ad febrium intermittentium paroxyſmos profligandos.

CAPUT VIII.

De Corticibus Tamariſci.

TAmariſcus eſt frutex creſcens in Galliæ provinciis nec non circa Danubium. Cortices tantum ſunt in uſu, qui exterius cinereo fuſci ſunt, interius vero rubicundi, ſaporis amaricantis aromatici & adſtringentis. Veteres Medici hunc corticem in chronicis morbis, præſertim viſcerum obſtructionibus & ſcirrhis mirifice in decoctis æſtimarunt. PROSPER ALPINUS *de plantis Ægyptiacis* ſcribit, quod Ægyptii decocto hujus corticis luem veneream curarint,

non ſecus ac noſtri decocto ligni guajaci, & SOLENANDER in fluore albo & JULIUS CÆSAR CLAUDINUS in quartana febre hunc corticem magni facit. Nos ſumus in hac ſententia, omnes cortices, qui ſaporis amaricantis aromatici & adſtringentis ſunt, roborante tonica & antiſpaſmodica virtute egregia gaudere & eandem exſerere virtutem in febrium paroxyſmis, quam cortex china chinæ, cujus generis ſunt cortex fraxini, capparum, tamariſci & alii cortices.

CAPUT IX.

De Cortice Mandragoræ.

CORtex mandragoræ eſt cortex radicis plantæ, quæ dicitur mandragora, quæ non creſcit in noſtris locis ſed ex Gallia ad nos adfertur & ſpecies eſt ſolani ſeu belladonnæ. Diſtinguitur in fœminam, quæ radicem nigram, & marem, quæ radicem albam habet. Tota planta merito refertur inter plantas virulentas, ſtupefactivas, narcoticas, quæ homines mente alienos reddunt. Agyrtæ multa fabulantur de hujus plantæ radice & cortice. Planta hæc fert poma, quibus identidem magna vis narcotica ineſt. Magi multum utuntur hoc cortice cum aliis narcoticis & præparant exinde oleum, quod iis, qui ſibi tempora, plantas pedum & medullam ſpinalem inungunt, profundum turbulentum ſomnum conciliat, in quo diabolus ſuas phantaſias & impreſſiones exercet. Proſtat in officinis oleum mandragoræ, cujus præparationem optime deſcribit VALERIUS CORDUS in *Diſpenſatorio* ſuo. Ejus uſus ad ſomnum conciliandum eſt egregius, ſi cum circumſpectione adhibetur.

CAPUT X.

De Corticibus Granatorum.

COrtices granatorum ſunt cortices fructus mali punici rugoſi, duriuſculi, coloris extus ſpadiceopunicei, intus flaveſcentes, ſaporis auſteri & valde conſtringentis. Arbor, quæ hos fructus fert, in noſtro climate nullos maturos fructus fert, ſed hi ex Hiſpania & Luſitania ad nos adferuntur. Tota arbor omneſque ejus partes, ut flores, cortices & folia adſtringentis ſunt ſaporis & virtutis. Tinctores hoc cortice utuntur ad conficiendum atrum colorem, quo coria obducere ſolent, quare etiam appellatur malicorium. Hic cortex decoctus cum aceto vehementer adſtringit, ſed, ſicuti omnia adſtringentia cum grano ſalis ſunt adhibenda, ita etiam hic cortex cum maximo judicio eſt adhibendus. Si hic cortex cum aromaticis & balſamicis decoquitur in vino, debita cum prudentia in uteri prolapſu vel alia partis ſolidæ, ut uvulæ, relaxatione adhibitus externe egregiam affert utilitatem.

CAPUT XI.

De Corticibus Citri.

COrtices citri ſunt cortices mali citrei extus flaveſcentes, intus pallidi, odoris fragrantiſſimi, ſaporis acris, omnemque ſuam efficaciam mutuantur ab oleo fragrantiſſimo & delicatiſſimo, quo ſcatent & quod per expreſſionem optimum & puriſſimum elicitur. Adſcribitur non ſine ratione his corticibus magna virtus confortans, & revera in omni virium defectu magno cum fructu uſurpantur. Merito itaque omnibus officinarum cardiacis hi cortices anteponuntur, immo plus eſt præſidii in eis ſolis contra peſtem & omnes morbos malignos, quam in omnibus aliis alexipharmacis, lapidibus bezoardicis, theriaca & mithridatio, præſertim, quando una cum pomis in taleolos diſciſſis interne ſumuntur. Hi cortices propter oleum fragrans virtutem ſedativam & anodynam poſſident, unde in ventris torminibus & colicis doloribus oleum ejus magno cum fructu uſurpatur. Proſtat in officinis duplex oleum, unum puriſſimum, quod ex Italia adfertur & per expreſſionem præparatur diciturque oleum de cedro, alterum, quod ex corticibus citri deſtillatione elicitur. Paratur quoque ex his corticibus cum ſpiritu vini tartariſato eſſentia carminativa egregia. Præterea in pharmacopoliis proſtat aqua citri cum vino præparata, item aqua meliſſæ citrata.

CAPUT XII.

De Corticibus Aurantiorum.

SUnt cortices fructus mali aurantii majoris, extus coloris aurei, intus pallidi, ſaporis acris aromatici, odoris gratiſſimi & fragrantiſſimi. Arbores in Hiſpania, Luſitania, Italia & Gallia, quæ vicina eſt Italiæ, copioſe creſcunt in ſylvis. In Germania quoque proveniunt & fructus ferunt, ſed in hybernaculis a frigoris vi debent defendi. Flores ferunt albos ſuaviſſimi odoris. Diſtinguuntur fructus inter mala aurantia dulcia & inter amara acida. Iſta mala, quæ ſuccum dulcem habent, valde æmulantur poma Chinenſia, ſunt etiam majora & cortices eorum non ſunt tam amari penetrantis ſaporis neque in medicina tantam habent utilitatem. Amaricantiora vero poma aurantia ſunt magis ſaturati aurei coloris, molis minoris & ad medicum uſum optima. Maxime etiam de his cortices expeti ſolent præ ſucco in medicina, quamvis & hic propter ſaporem acido-amaricantem egregium antiſcorbuticum remedium a nonnullis æſtimetur. Cortices effectum ſuum præſtant maxime oleo fragrantiſſimo. Hoc oleum, ſi recte fuerit præparatum, quod fit in Italia, ex corticibus per expreſſionem, vocari ſolet Neroli, gaudet virtute roborante & anodyna ſedativa & ab eo cortices ſuam virtutem habent ſedativam, dolores, tormina ſomnumque conciliantem & confortantem. Præter virtutem hanc anodynam ſedativam & confortantem, quæ ab oleo proficiſcitur, propter penetrantem amaritiem, qua gaudent, incidente roborante ſtomachica aperitiva gaudent cortices efficacia. In uſum debent adhiberi recentes, alias avolat ſubtiliſſimum oleum. Ex iis quoque poteſt præparari 1) cum vino aqua, quæ meretur principem locum inter carminativas aquas; 2) ſpiritus; 3) eſſentia, quæ, ſi rite parata fuerit, virtute ſtomachica & carminativa omnia ſuperat; 4) oleum expreſſum; 5) oleum deſtillatum, quod tamen terebinthinacei eſt vel fit odoris. Flores aurantiorum, præſertim conditi, ſunt optimum cordiale, & ex his parata aqua dici ſolet aqua naphæ, quæ virtute anodyna & confortante gaudet. Pulvis corticum aurantiorum eſt medicamentum egregium carminativum & ſtomachicum atque maxime ſalutaris in menſium obſtructionibus, febribus intermittentibus, lochiis promovendis & contra vermes efficaciæ.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Corticibus Sambuci.

Cortices ſambuci, quamvis tota arbor ſit medicamentoſa quoad omnes ſuas partes, ſingulari tamen prærogativa ratione efficaciæ pollent, & præſertim ii, qui ſunt medii, ſiquidem in iis reſidet virtus egregia aperitiva, laxans & diuretica. Diſcutientem quoque habent virtutem, nec ſine fructu in partibus eryſipelate afflictis, tumidis œdematoſis pedibus & podagra externe applicantur; dolores enim mitigant & æſtum leniunt. Cortex medius ſambuci præter memoratas, quas poſſidet, vires, virtute quoque longe vehementiori, quam radix, purgante & urinam movente pollet, &, ſi recens eſt, vomitum excitat, nec niſi in robuſtioribus eſt uſurpandus.

CAPUT XIV.

De Corticibus radicis Acaciæ.

Cortices radicis noſtræ acaciæ vix in officinis pharmaceuticis noti ſunt, multo minus eorum virtus cognita eſt, quam etiam multi Medici ignorant, ſiquidem hi cortices pulveriſati, vel, quod melius eſt, infuſi in ſpiritu vini remedium præbent contra calculum exquiſitiſſimum. Noſtra ſententia opem ferunt leniter conſtringendo conſolidando & roborando læſam renum ſubſtantiam, quæ ſemper juncta eſſe ſolet calculoſis, qui longo tempore hoc malo laborarunt.

SECTIO III.

DE VISCIS.

CAPUT I.

De Viſco Quercino.

Viſcus quercinus eſt frutex arboris quercus ſeu potius excreſcentia vel planta, quæ naſcitur in ramis quercus. Dicitur etiam lignum ſanctæ crucis. Solent hi viſci eſſe duri, lignoſi, compacti, graves, exterius ex bruno rubicundi, interius ex albo flavi. Commendatur eorum pulvis mirifice ab Autoribus ceu ſpecificum contra affectus capitis ut epilepſiam, paralyſin, apoplexiam, lethargum & convulſiones, pro roborando cerebro, porro ad ſiſtendas enormes hæmorrhagias ut hæmoptyſin & menſium fluxum excedentem. Nonnulli extollunt eorum pulverem ad quartanam profligandam. Paracelsus eum magni fecit. Præparatur quoque ex eo aqua & extractum ejuſdem virtutis cum pulvere. Noſtra ſententia eſt: quicquid præſtat hic viſcus in medicina, id elemento ſuo terreo ſulphureo-reſinoſo leniter conſtringente, quo fibrarum atoniam tollit eaſque leniter conſtringit, efficit, neque alia adverſus memoratos morbos ſpecifica virtus ipſi ineſt. Commendamus magis ejus decoctum quam pulverem, qui difficilioris eſt ſolutionis. Tutius eſt medicamentum, ſi adhibetur cum aliis aromaticis & balſamicis, quam, ſi ſolum in uſum vocatur, neque aliis ſpecificis plus quam huic eſt fidendum, niſi antea præmiſſa fuerint ea, quæ cauſam morbi tollunt.

CAPUT II.

De Viſco Coryli.

Viſcus coryli eſt frutex innaſcens arbori corylo extrinſecus coloris ſpadiceo-virideſcentis, conſtans ex medulla alba ſolida, ſubadſtringentem ſaporem præ ſe ferens & odorem habens gravem. Commendari ejus pulvis ſolet ceu ſpecificum in epilepſia. Præparatur ex eo oleum, cujus virtutem in doloribus atrocioribus ſedandis, præſertim in odontalgia & otalgia, exterius magni æſtimant. Virtutem ſuam mutuatur viſcus coryli a ſulphure vaporoſo, quod odore ſpargit, &, ſicut omnia vaporoſa graveolentia ſedativa & anodyna virtute conſpicua ſunt, ita etiam corylus & ejus viſcus hac virtute ſunt donata, ſed, quoniam longe ſecuriora, meliora & parabiliora in rerum natura exſtant antiſpaſmodica & anodyna, hinc viſcis etiam abſtinere poteſt peritus Medicus practicus.

SECTIO IV.

DE FRUCTIBUS.

CAPUT I.

De Baccis Lauri.

Baccæ lauri ſunt arboris vulgaris lauri fructus ſeu baccæ rotundo-oblongæ, ſub pellicula tenui includentes nucleum fuſci coloris, ſaporis ſubacris amaricantis aromatici, maturitatem acquirunt ſub fine autumni, quamvis in noſtro climate raro ad maturitatem perveniant. Ex Italia, Hiſpania & Luſitania ad nos adferuntur. Optimæ ſunt recentes, oleoſæ, integræ, non vermibus vel carie eroſæ, nigricantis coloris. Scatent copioſo oleo acri aromatico balſamico, vi cujus motus excitant in corpore, calorem augent, flatus diſcutiunt, menſes pellunt & tranſpirationem adjuvant. Sunt vero ſpecifica & peculiaris medicina ipſis jumentis, quorum morbos egregie præcavent, qui plerumque a putredine & ſtagnatione humorum ſuam nanciſcuntur originem. Dantur in ſubſtantia & ſunt medicina maxime domeſtica ad flatus pellendos & menſes promovendos. Præparatur ex iis mediante ſpiritu vini eſſentia ejuſdem cum earum pulvere virtutis, item deſtillatione cum aqua oleum, quod in nervorum affectibus frigidis paralyticis & contracturis cum axungia mixtum juvat. Præparatur quoque ex ipſis per expreſſionem oleum, quod in colica & ventriculi affectibus interne cum fructu datur. Præparatur etiam ex iis oleum coctum, quod inter clyſteres recipi ſolet.

CAPUT

CAPUT II.

De Baccis Myrtillorum.

BAccæ myrtillorum ſunt baccæ oblongo-rotundæ, nigricantes, ſub pellicula tenui includentes numeroſa ſemina levia alba parva, quæ ſubadſtringente virtute pollent, unde exſiccati myrtilli virtute quoque adſtringente eminent. Sunt fructus fruticis parvi, qui folia habet myrto ſimilia, creſcit in loccis ſiccis petroſis ſterilibus, præſertim in ſylvis, floret vere & Julio baccas fert. Tota planta quemadmodum acido terreſtri principio ſcatet, ita etiam baccæ adſtringente ſiccante virtute in dyſenteria & alvi fluxibus conſpicua pollent, earumque decoctum in ſudoribus colliquativis nonnulli eximie laudant. In vulneribus quoque internis, hæmorrhagiis, ut mictu cruento & hæmoptyſi, has baccas commendant cum juſculo ſumendas. Recentes carent adſtringente virtute & potius ad alvi laxationem utiles ſunt. Præparatur ex iis in officinis ſyrupus, qui in omnibus ſeri & ſanguinis profuſionibus uſurpari ſolet. Roob quoque myrtillorum nonnulli in uſu habent.

CAPUT III.

De Baccis Sambuci.

BAccæ ſambuci ſunt baccæ rotundæ nigræ granis piperis magnitudine æquantes & includentes ſub pellicula tenui & nigricante pulpa grana plerumque terna exigua plana ſaporis ſubacris. Exſiccatis baccis his contra dyſenteriam uti ſolent vulgo, optime vero ex ipſis præparatur per coctionem roob, quod certe eſt polychreſtum in ſudore pellendo, urina movenda & alvi excretione adjuvanda remedium non infimæ ſortis & a ruſtica gente maxime uſurpatur. Præſervat ab omni contagio & morborum malignorum invaſione, quando cochlear unum cum cereviſia calida & butyro bis vel ter ſumitur. Jumentis etiam prodeſt ad mala ab ipſis arcenda. Paratur quoque cum pane ex baccis his maſſa, quæ dici ſolet tragæa granorum actes. Porro ex baccis his per fermentationem præparatur ſpiritus anodyna carminativa & ſudorifera virtute conſpicuus. Ex ſpiritu harum baccarum cum ſaccharo præparatur optima aqua vitæ.

CAPUT IV.

De Anacardio.

ANacardium eſt arboris Malabaricæ Bibo dictæ fructus compreſſus, nigricans, ſplendens, cordis figura, includens ſub duplici involucro, exteriori corticoſo & duro, interiori tenui & rufeſcente, nucleum ſolidum flaveſcentem vel albicantem ſaporis grati & ſubdulcis, humor vero, qui continetur inter involucra, eſt acerrimus & corroſivus nec, ſi coquitur, ſtatim avolat. Propter humorem hunc acrem, minime vero aromaticum, fructus anacardia dicuntur habere vim memoriam omneſque ſenſus confortandi & acuendi, & ex iis confecta fuit confectio anacardina olim a GALENO & Veteribus magni æſtimata & confectio ſapientum vocata, ſed recte monuit CASPAR HOFFMANNUS, quod potius confectio ſtultorum ſit nominanda. Novi enim, ſcribit hic, quoſdam ab anacardinæ confectionis uſu maniacos eſſe factos, adeo, ut catenis opus habuerint. Quoſdam etiam frequenti hujus confectionis uſu memoriam amiſiſſe teſtantur exempla ab autoribus practicis paſſim annotata, adeo, ut maxima cum cautione ſit adhibenda, præſertim in ſiccioribus. Quicquid vero anacardia agunt, id præſtant vi modo dicti humoris acris & ab eo habent virtutem fortiter purgantem & pituitam incidentem.

CAPUT V.

De Dactylis.

DActyli ſunt fructus palmæ majoris dactyliferæ oblongo-rotundi, glandis quercus magnitudine, ſed paulo majores. Sub pellicula tenui includunt pulpam melleam ſaporis grati & dulcis nec non nucleum duriſſimum & oblongum. Arbor creſcit in India, Arabia, Perſia & Ægypto. In noſtro climate non fert fructus nec bene conſervatur. Notabile illud eſt, quod palma nunquam deſerat folia ſua, ita, ut in ejus locum alia ſuccedant. Eſt altiſſima, flores ejus ſunt albi & fructus menſe Auguſto citius vel tardius matureſcunt. Propter mucilaginem ſuam fructus hi, nimirum dactyli, incraſſant ſanguinem ſerumque viſcidum reddunt, unde in regionibus calidis parum iis teſte POMETO utuntur, præſertim quia ad generationem apoſtematum nimius eorum uſus multum facit. In omnibus e contrario morbis cum acrimonia conjunctis, ut tuſſi, coryza, variolis, morbillis, raucedine idque genus aliis, ad temperandam acrimoniam, in decocto præſertim, egregie conducunt, item in omnibus renum & veſicæ vitiis atque urinæ ardore bene ſe gerunt. Nuclei duriſſimi ſunt, ſed copioſum continent oleum, unde ſiccati luculentiſſimam edunt flammam. In Luſitania & Hiſpania nucleis iſtis utuntur ad conclavia calefacienda, dum eos in vaſis ferreis aſſervatos accendunt. Diutiſſime etiam carbones ſervant, &, ficuti omnes nuclei oleoſi urinæ fluxum promovent, ita illud etiam valet de nucleis dactylicis. Optimi ſunt dactyli recentiores, craſſi, pleni, dulces inſtar ſacchari & mellis, & tales ex regno Tunis apportantur.

CAPUT VI.

De Ficubus.

FIcus ſunt fructus arboris dictæ ficus, pyriformes, molles, ex viridi rufeſcentes, & includentes ſub pellicula tenui pulpam melleam carnoſam ſaporis gratiet & dulcis nec non minutiſſimos acinos. Adportantur optimæ ex regionibus calidis, ut Italia, Hiſpania, Gallia ejuſque ſpeciatim Provincia. In Germania etiam producuntur ficus, quamvis apud nos pauciores & non tam dulces proferant arbores. Curioſum eſt, quod arbores ſine floribus fructus ferant. Cortex arborum eſt cinericeus &, quando vulneratur, album & amaricantem fundit liquorem. Arbor ficus triplices fert fructus, 1) ficus præcoces, quæ optimæ & primum matureſcunt; 2) ficus ordinarias, quæ tardius ad maturitatem perveniunt; 3) ficus immaturas, quæ propter ingens frigus noſtris in regionibus non matureſcunt. Quamvis recentiorum ficuum uſus frequentior & copioſior ſit, nihilominus

tamen

tamen ficus exſiccatæ, præſertim eæ, quæ ex Galliæ Provincia & urbe Maſſilia ad nos adferuntur, egregio in medicina pollent uſu ad demulcendum acrem humorem in catarrhis, tuſſi ſicca, ea præſertim, quæ variolas & morbillos comitari ſolet, ſcabie, lippitudine oculorum, raucedine & omnibus renum ac veſicæ vitiis, inque decoctis pectoralibus magni uſus ſunt. Ingrediuntur quoque bono cum effectu gargariſmata & inſerviunt quoque alvo laxæ ſervandæ.

CAPUT VII.

De Jujubis.

Jujubæ ſunt fructus oblongi arboris jujubæ majoris olivæ magnitudine & forma, colore obſcure rubicundo, ſub pellicula craſſiuſcula incluſum habentes oſſiculum oblongum, utrinque acuminatum, immerſum pulpæ ſubrubræ molli fungoſæ, ſaporis leniter conſtringentis & dulcis vinoſi. Arbor creſcit in Italia, præſertim Apulia, Hiſpania & Gallia, inprimis Gallo-provincia verſus Tolonis portum, & colitur quoque apud nos in hortis. Flores pallide flavent & muſcoſi ſunt, quibus fructus ſuccedunt olivæ ſimilitudine, primum virides, poſtea vero, ubi maturuerunt, acquirentes ſaturate rubrum colorem. Si recentes ſunt, dulcem habent ſaporem & mucilaginem. In noſtris regionibus fructus non ferunt arbores. Sicci fructus ex Italia feruntur, ſed plerumque propter cariem & vetuſtatem carent ſingulari fructu, alias, ſi boni ſunt, propter mucilaginem, qua pollent, humorum acrimoniam temperant & in affectibus pectoris, phthiſi, vitiis veſicæ & renum cum ficubus, dactylis & fructibus ſebeſten præſcribi ſolent.

CAPUT VIII.

De Fructibus Sebeſten.

Fructus ſebeſten eſt fructus oblongo-rotundus, nigricans, inſtar minoris pruni, ſaporis viſcoſi dulcis, includens in ſubſtantia carnoſa mellea oſſiculum tribus angulis vel coſtis notatum, in quo nux conditur. Hoc oſſiculum eſt magnum, ſiquidem mediam fere partem fructus occupat, & valde durum. Hic fructus naſcitur in arbore non abſimili pruno, quæ flores habet minores albos, creſcit in Syria & Ægypto, & vocatur etiam Bruſt-Pflaümlein. Adferuntur hi fructus ad nos ex Venetiis & huc ab Alexandria. Propter mucoſitatem dulcem, qua pollent, acrimoniam humorum bilioſorum temperant, hinc in omnibus morbis, quos ſalina intemperies fovet, eorum decoctum non ſine fructu adhibetur, maxime vero in pectoris affectibus cum aliis convenientibus remediis eorum decoctum uſurpatur.

CAPUT IX.

De Granis Kermes.

Grana Kermes ſunt arboris ilicis aculeatæ coccigландiferæ grana foliis ejuſdem adnata rotunda levia, coloris rubicundi, ſaporis ſubamaricantis & leniter conſtringentis, odoris, ſi ſicca ſunt, nullius, ſi vero recentia ſunt, vinoſi, & repleta ſucco ſanguineo rubicundi coloris. Creſcit hæc arbor in Gallia Narbonnenſi, Gallo-provincia & Occitania, item in Luſitania & Hiſpania, & BAUHINUS eam appellat ilicem aculeatam cocciglandiferam. Foliis hujus arboris adnaſcuntur grana deſcripta: ſcilicet deponitur in foliis humor quidam, qui cum tempore concreſcit in grana, quæ ab incolis menſe Aprili & Maio colliguntur & ad nos transferuntur. Non proveniunt grana hæc omni tempore, ſed tunc demum, quando tempus calidum præceſſerit, ſi vero pluvioſa tempeſtas anteceſſerit, neutiquam colligi poſſunt. Bene ſunt ſervanda & ſiccanda, ſi humor ille ſanguineus intus contentus abit in vermiculos, qui poſtea alas accipiunt & avolant terramque inertem relinquunt. Exſiccari ſolent panno incluſa & prius aceto conſperſa. Succus ex hiſce granis expreſſus coquitur in ſaccharo & fit ſyrupus ſanguinei coloris, ex quo, ſi aromata confortantia cum foliis auri, ambra ac moſcho admiſcentur, famigeratiſſima ſic dicta confectio alkermes conficitur, quæ completa audit, ſi ambra & moſchus accedunt, incompleta vero, ſi ambra & moſchus non admiſcentur. Præparatur hæc confectio in oppido Montepeſſulano & exinde ad nos adfertur magna in copia. Adſcribitur ei virtus ſpiritus animales & vitales confortandi, hinc ea Veteres etiam uſi fuerunt in omnibus remediis confortativis & ad venerem excitandam, quin AVICENNA ſcribit, quod ejus ope ſemimortuis vitam reſtituerit, unde etiam mortuorum vita dicitur. Verum enim vero, quamvis his encomiis minus fidendum eſt, non omnis tamen virtus his granis & ex ipſis præparatis omnino eſt deroganda, ſiquidem eorum pulvis in ſubſtantia ob virtutem ſuam roborantem prodeſt in nimio ſanguinis profluvio & excretionum ſeroſarum exceſſu, & propter acidum principium adſtringens eorum ſolutio admixto vitriolo nigrum acquirit colorem. Uſum mechanicum quoque habent hæc grana: nam tinctores præparant ex iis colorem eleganter rubicundum kermeſinum & ſcarlatinum, quo res ex ſerico confectas aliaſque tingunt. Conferatur LEMERY *Dictionnaire des Drogues.*

CAPUT X.

De Pineis.

Pineæ ſunt pini ſativæ nuclei albicantes, oblongi, tunica rutila incluſi. Arbor eſt admodum procera, ſemper viridis. Creſcit in Italia non procul a Golfo di Venetia, & in Gallia quoque & Hiſpania reperitur, fert conos admodum craſſos & longos Zapfen ex ſquamis ligneis duriſſimis compoſitos, in quibus pineæ jacent, quæ vi quadam debent eximi. Ut commodius hos aperiant, apponunt igni. Maturi hi coni rarius, ſed tantum nuclei adferuntur, qui ſaporem habent dulcem & ſcatent copioſo oleo. Quando cum aqua teruntur, dant lac, egregie nutriunt, atque ob copioſum dulce oleum, quod continent, humorum acrimoniam temperant, unde eorum emulſio in phthiſi, pleuritide & urinæ acrimonia temperanda eſt egregia. Exprimitur quoque ex iis oleum, quod valde convenit cum oleo amygdalarum dulcium; & coqui utuntur his fructibus in re culinari.

CAPUT XI.

De Piſtaceis.

Piſtaceæ ſunt fructus ſeu potius nuces arboris, quæ vocatur terebinthus Indica, & creſcit in Perſia, Arabia & Ægypto, ubi ſylvæ talibus arboribus refertæ ſunt. Exinde deferuntur fructus ad Tripolin & abhinc ad Venetias. In noſtris regionibus arbores hæ neque fructus neque flores ferunt. Nuclei recentes ſunt dulcis ſaporis, coloris ſubviridis, rubicunda cuticula obducti. Per expreſſionem paratur ex iis oleum, quod quoque nutrimentum præbet & temperante virtute gaudet. Frequenter habentur majori pretio quam ipſæ amygdalæ.

CAPUT XII.

De Fructibus Alkekengi.

Fructus alkekengi ſunt baccæ rotundæ, cerasi magnitudine, ruſeſcentes, incluſæ folliculo, qui, ſi maturus eſt, rubeſcit, continentes ſub pellicula tenui flaveſcentem pulpam, in qua ſemina parva compreſſa orbicularia exiſtunt, ſaporis ſubamaricantis & ſubacris. Planta eſt baccifera flore monopetalo laciniis diviſo. Creſcit lubenter in locis umbroſis & vineis. Majo, Junio & Julio floret, autumno fructus matureſcit. Fructus propter principium amaricans & ſulphur vaporoſum acidum corrigunt & attenuant, urinam & ſabulum pellunt & ſimul quoque ob ſulphur vaporoſum virtute anodyna gaudent, unde cum fructu uſurpantur in calculo veſicæ, ſtranguria, gonorrhœa, mictu cruento, renum exulcerationibus, calculo renum & hæmoptyſi. Nonnulli eorum infuſo utuntur cum aqua, alii cum vino vel ſpiritu vini rectificato. Præparant in officinis trochiſcos alkekengi, qui virtute anodyna pollent.

CAPUT XIII.

De Fructibus Cynosbatos.

Fructus cynosbatos ſunt fructus fruticis, qui dicitur roſa canina ſylveſtris vulgaris flore incarnato odorata in ſepibus paſſim creſcens, Germanice Feldroſen / Hagebuttenſtrauch. Flores ejuſdem indolis ſunt cum roſis hortenſibus, hoc tantum excepto, quod magis adſtringentis ſint qualitatis. Fructus, qui vocantur Germanice Hagebutten / autumno colliguntur, coloris ſunt rubicundi, repleti acinis copioſis, a quibus purgati poſtea exſiccantur. Acini, qui horum fructuum ſemina ſunt, gaudent maxima virtute lithontriptica & frangente calculos. Si enim leviter igne torrentur, ut fructus Coffee, in decocto præbent in calculo renum & veſicæ maximum uſum, quia fortiter urinam movent. Neque eadem virtute ipſi fructus ſunt deſtituti, qui pulpa gaudent ſapida viſcoſa dulcique, vi cujus ſalſos acres humores temperant, unde in diarrhœa, vomitu, dyſenteria, hæmorrhagiis & ardore ventriculi eorum decoctum euporiſtum eſt, maxime vero aptum ad præſervationem calculi in ſubjectis non plethoricis. Fungi, qui innaſcuntur huic frutici, ejuſdem virtutis celebrantur adverſus calculum. Cum vero habeamus his meliora & tutiora remedia cognita, hinc ab his Medicus poterit abſtinere. Radix vero hujus fruticis ceu ſpecificum adverſus morſum canis vel lupi rabidi a Veteribus æque ac Recentioribus nonnullis commendari ſolet, cujus tamen virtus ulterius inquirenda venit. In officinis extant fructus cynosbati conditi, Germanice eingelegte Hagebutten / conſerva cynosbati Hagebuttenzucker / & Roob Cynosbati Hagebuttenſafft.

CAPUT XIV.

De Fructibus Berberum.

Fructus berberum ſunt fructus ſpinæ acidæ ſeu oxyacanthæ, parvi, oblongi, rubri, ſaporis acidi, racematim naſcentes ex caudice oxyacanthæ. Naſcuntur in frutice ſatis ramoſo & amplo, cujus lignum flavum, folia oblonga parva ſunt. Sunt repleti ſucco rubro acido adſtringente ſuavi & continent ſemina parva oblonga dura. Propter ſuccum acidum non modo hi fructus in culina conditi egregium linguæ oblectamentum ſunt ſed etiam ad extinguendam ſitim nimiumque æſtum ſyrupus eorum maxime æſtimatur, præſertim in julepis refrigerantibus egregie conducit, quia hic ſyrupus tam colore quam ſapore & virtute in extinguendo calore admodum ſe commendat. Succus berberum ex baccis recentibus expreſſus ob aciditatem, qua gaudet, æſtum & calorem temperat atque adſtringit. Acidulari eo ſolent julepi & potiones refrigerantes.

CAPUT XV.

De Paſſulis majoribus.

Paſſulæ majores adferuntur ex Hiſpania, Gallia & Italia, & ſunt baccæ ſeu fructus vitis exſiccati, depreſſi, ex ruſo nigricantes, continentes ſub tenui pellicula pulpam fuſcam acinos anguloſos involventem ſaporis dulcis mucilaginoſi, & propter hanc dulcem mucilaginem egregie acrimoniam lymphæ demulcent atque in morbis ab acrimonia humorum proficiſcentibus pectoriſque affectibus ſingularis ſunt efficaciæ. Utuntur iis maxime in decoctis pectoralibus. Servant quoque alvum mollem & humidam & minus ſunt coquendæ, alias fit earum decoctum minus mucilaginoſum. Optimæ vero paſſulæ ſunt Damaſcenæ, quæ vocantur zibebæ. Sunt craſſæ, magnæ, pingues, ſiccæque ac duræ & duos ſaltem nucleos continent & quodammodo adverſi ſunt ſaporis: aliæ contra paſſulæ ſunt majores molles nimiſque dulces ſaporeque quaſi ſaccharatæ. Præter has paſſulas majores zibebas dictas dantur quoque aliæ paſſulæ majores vulgares, quæ Germanice vocantur Korbroſinen / quia corbibus incluſæ ad nos perveniunt. Ex Hiſpania, Italia vel Gallia ad nos maxime adferuntur. Optimæ ſunt Maſſilienſes, quæ cæruleæ ſunt & ex Hiſpania per Maſſiliam veniunt, Maſſilienſes propterea vocatæ. Notandum eſt, quod paſſularum acini adſtringentis ſint ſaporis & virtutis, hinc ſeparari debent, ſi quis paſſulis uti velit in decoctis. Præparari poteſt ex iis eſſentia mediante ſpiritu vini, quæ in hæmorrhagiis a quibuſdam commendari ſolet.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Paſſulis minoribus ſeu Corinthiacis.

PAſſulæ minores ſeu Corinthiacæ ſunt uvæ & vocantur Corinthiacæ a loco natali, a quo ad nos transferuntur. Figuram habent ribium & acinis carent. Apportantur maxime ex inſula Zante. Eaſdem fere virtutes cum majoribus obtinent ſed ſunt ſimul gratiores & Medici eas majoribus anteferre ſolent. Alvum laxant, præſertim, ſi jejuno ventriculo ſumuntur. Conveniunt hypochondriacis & melancholicis, quibus alias alia dulcia ſunt adverſa atque inimica, partim ad acrimoniam temperandam, partim ad alvum laxam ſervandam. Proſtat in officinis earum pulpa, quæ commodum recipiens eſt purgantium. Proſtant quoque in nonnullis pharmacopoliis paſſulæ purgantes, quæ ex infuſo rhabarbari leniter cocto cum paſſulis præparantur & vera medicamenta ſunt in ſubjectis debilioribus, gravidis, puerperis & hypochondriacis polychreſta, præſertim, ubi alvi lubricitate opus eſt.

CAPUT XVII.

De Ribibus.

RIbes ſunt fructus fruticis in hortis notiſſimi, Germanice dicti Johannesbeerſtrauch / coloris rubicundi vel albi. Propter gratum ſuccum acidum non modo inter alimenta ſed medicamenta etiam ad extinguendum æſtum præternaturalem aptiſſima ſunt & earum ſyrupus commodiſſime julapia in omni febre continua, maxime vero in malignis febribus, utilia ingreditur. Proſtat in pharmacopoliis gelatina ribium ſimplex & cum reſina ſcammonei mixta, quæ poſterior purgans eſt, & utraque ſunt propter gratum ſaporem palato gratiſſimæ.

CAPUT XVIII.

De Fructibus Cacao.

FRuctus Cacao ſunt fructus arboris Americanæ, dictæ cacaiferæ, proceræ, quæ corticem habet obſcurum & plagulis multis tranſverſalibus minutiſque tuberculis exaſperatum. Ramis inſident folia glabra decem aut novem pollices longa, quatuor pollices lata, ibi, ubi latiſſima, acuminata & citriorum foliis valde æmula. Flores & in ramis & in ipſo ſimul caudice multi ſimul congeſti adnaſcuntur, pediculo quique ſuo tenui pollicem aut ſemipollicem longo & breviſſimis pilis hirſuto appendentes: qui, antequam expanduntur, corculum pentagonum & pallidum referunt tres lineas circiter longum, expanſi vero roſacei ſunt, quinque ſcilicet parvis petalis conſtantes in orbem poſitis, ex pallido luteis, pene cordatis, vix lineam latis. Multi e floribus abortivi decidunt, remanentium vero piſtillum abit in fructum cucumeriformem, ſemipedem & paulo magis longum, tres quatuorve pollices circiter craſſum, cucumeris ſativi noſtratis aut melonis modo novem aut decem coſtis prominentibus ſulcatum: totus verrucoſus eſt & in acumen definit. Primo e viridi albicat, initio maturitatis flaveſcit, maturus autem ſaturate coccineus fit, punctulis tamen flaveſcentibus totus inſignitus. Pediculo pennam anſerinam craſſo & pollicem longo appendet, tranſverſimque diſſectus corticem duplicem oſtendit: quorum primus ſcilicet exterior craſſus & ſubflavus, interior vero albidus tenuior & tenerior. Nuclei horum fructuum ſunt forma magnitudine & conſiſtentia amygdalis ſimiles, ſed tamen paulo tumidiores, odoris nullius, coloris obſcure rubentis, ſaporis ſubpinguis oleoſi & ſubamari. Ex nucleis hiſce decorticatis & mundatis cum ſaccharo & aromatibus, præſertim cinnamomo, vanilla & ambra conficiunt in mortario calido maſſam, quæ dicitur Succolada. Quidam addere ſolent amygdalas vel piſtaceas. Hujus potu delectantur maxime Americani, præſertim Mexicani, & ab his poſtea & in Hiſpaniam & Galliam & exinde in omnes Europæ provincias ejus uſus translatus fuit. Coqui ſolet cum aqua, lacte vel vino & addi vitellus ovorum. Eſt potus egregius nutritivus, ventriculum & totum genus nervoſum confortans, & prodeſt maxime corporibus teneris, emaciatis, ſenibus, item poſt morbos ſuperatos vel nimiam a venere debilitatem & ad acrimoniam humorum demulcendam.

CAPUT XIX.

De Fructibus Coffee.

FRuctus Coffee ſunt arboris Perſicæ item Arabicæ fructus baccis lauri ſimiles, pallidi, faba paulum minores, altera parte convexi, altera plani, mire ſibi invicem cohærentes, coloris ex fuſco albicantis, ſaporis farinacei fabarum inſtar, nullius odoris, & tecti folliculo membranaceo tenui. Arbor accedit magnitudine & figura ad laurocerasos, eamque deſcribit PROSPER ALPINUS in libro ſuo *de plantis Ægyptiacis*. Folia ejus ſunt craſſa & ſemper viridia, lignum eſt durum inſtar buxei & flores ſunt albi. Fructus torrentur leniori igne, quo ex fuſco nigricantem colorem acquirunt, poſtea in pulverem conteruntur, qui infuſus aquæ calidiſſimæ potum conſtituit paulo amaricantis ſaporis & coloris ſpadicei. Orientales populi, maxime Turcæ, utuntur hoc potu uti Europæi cereviſia vel vino. Virtutem poſſidet hic potus egregiam roborantem ventriculum & inteſtina frigida, dum cruditates acidas in ipſis extinguit & propter partes oleoſas ſalino-alcalinas mucum, qui tunicam villoſam inteſtinorum, quæ chylum ſecernit, obſtruit, abſtergit, diureſin quoque & diaphoreſin promovet, unde in omnibus affectibus ventriculi & morbis, qui ex eo oriuntur, ut cephalalgia, vertigine, torpore, tinnitu ac ſuſurro aurium, item in raucedine & tuſſi opem præſtat præſtantiſſimam. Convenit quoque nephriticis, hypochondriacis & valde obeſis corporibus. Fœminis etiam circa tempus menſium egregie conducit, quia illos promovet. Sicut vero omnia medicamenta & alimenta abuſu nocent, ita quoque potus Coffee quando non recte uſurpatur, detrimentum affert, præſertim, quando in nimia copia in dies hauritur, item, quando ſubjecta laxioris habitus corporis, humida, phlegmatica, debili ſyſtemate nervoſo prædita vel cholerica eo utuntur; tunc enim compertum habemus frequenti obſervatione eum tremorem inducere & totum genus nervoſum maxime infirmum reddere. Derivare ſolent nomen Coffee a verbo Arabico, quod denotat imminutum appetitum, quia in nimia copia hauſtus eum deſtruit. Notatu dignum etiam eſt, quod jam HIPPOCRATIS tempore notæ fuerint hæ fabæ, cum ſæpius in ejus momentis fabarum Ægyptiacarum earumque decocti fiat mentio.

CAPUT XX.

De Vaniglia.

Vaniglia, Vainiglia, ſeu Vanilla eſt, araci aromatici ſeu convolvuli Indici, qui dicitur Tlilxochitl, fructus compreſſus duos digitos longus, pollicem latus, inſtar vaginæ, exterius nigricans, interius pulpam ſimilis coloris, ſaporis ſubacris pinguis balſamici & aromatici, odoris fragrantis moſchum redolentis continens. Præcipuum ingrediens eſt ſuccoladæ & virtutem poſſidet balſamicam & totum genus nervoſum roborantem. Ex granis ejus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo præparatur elegantiſſima eſſentia, cujus uſus in affectibus nervorum & capitis maxime eſt æſtimandus. Fructus ſunt inſtar ſiliquarum. Quando ad maturitatem pervenerunt, ſuſpenduntur & exſiccantur. Ab Hiſpanis vocantur Campêche. Diureticam quoque habent virtutem. De hoc fructu confer OLAUM WORMIUM in *Muſeo Lib. II. cap. 31.* item Opuſculum *de ſuccolada Indica* a VOLKAMMERO *editum Norimbergæ* 1644. Maſſa ſuccoladæ hac ratione paratur :

℞. fructuum cacao ℔ XL.
vanigliæ no. C.
cinnamomi optimi ℥x.
ſacchari optimi. ℔ XX.
ambræ ſolutæ in ſpiritu vini rectificatiſſimo ℥ß, hæc eſſentia ambræ miſcetur cum ſaccharo.

CAPUT XXI.

De Siliquis dulcibus.

Siliqua dulcis vocatur etiam vulgo panis St. Johannis, Germanice Johannisbrodt, & eſt ſiliqua dulcis arboris Ægyptiacæ & Arabicæ, quæ vocatur Ceratia, Caroba, Ceraunia vel Xylocaracta Süſſer Schotenboum, S. Johannisbrodtbaum. Creſcit tiam in Sicilia, Hiſpania & Neapolitano regno, aliiſque Italiæ locis. Fructus eſt compreſſus, digitum longus, ſiliquoſus, paululum contortus, fuſcus, ſplendens, continens pulpam carnoſam, rubeſcentem, dulcem, includentem inter binos membranaceos loculos ſemina orbiculata compreſſa fuſca. Sapor eſt ſubdulcis ſuavis & ſubadſtringens. Arborem deſcribit optime SALMASIUS *in Exercitat. ad Solinum, item* URSINUS *in Arboreto Biblico, pag. 556.* Orientales populi exprimumt ex hoc fructu recenti dulcem ſuccum inſtar mellis, quo loco ſacchari vel mellis utuntur, tum ad condituras tum ad alios uſus. Si recens eſt hic fructus, egregium temperans & demulcens eſt præſertim in pectoris affectibus & æſtimatur quoque ceu ſingulare ſpecificum adverſus ſodam.

CAPUT XXII.

De Fructibus Been.

Fructus been ſunt nuces arboris, quæ creſcit in Perſia & nonnullis Indiæ locis. Eas deſcribit optime PROSPER ALPINUS *in libro ſuo de plantis Ægyptiacis.* Humanam arbor excedit altitudinem, multis ramis eſt donata, flores ſunt papilionacei ampli, in medio ſunt ſiliquæ ventricoſæ palmam longæ, in quibus intus latent fructus avellanæ magnitudine triquetri includentes ſub putamine conicoſo & pellicula candida fungoſa nucleum triquetrum pinguem albidum ſaporis amaricantis amari nauſeoſi & oleoſi. Exprimitur ex his nucleis oleum, quod apud Indos ceu diureticum magni æſtimatur & uſurpatur. Quia hoc oleum non facile ranceſcit & nullius odoris vel ſaporis eſt, hinc Itali eo utuntur ad olea florum fragrantiſſimorum per infuſionem paranda. Facile hoc oleum concreſcit a frigore. Adulterari etiam hoc ipſo ſolent olea fragrantia aromatica, fraus vero hæc detegitur, ſi ſpiritus vini rectificatiſſimus adjicitur vel ſi facile a frigore concreſcunt olea aromatica, quod contra ipſorum naturam eſt.

CAPUT XXIII.

De Nuce Moſchata.

Nuces moſchatæ ſunt fructus arboris Indiæ orientalis nuciferæ Pala dictæ, rotundi, ſolidi, exterius paululum rugoſi, intus pallide flaveſcentes, venis albicantibus hinc inde interpolatis, ſaporis aromatici oleoſi, odoris fragrantis paululum vaporoſi. Creſcunt arbores magna in copia in inſula Banda, quæ dives eſt aromatibus, & in Moluccis inſulis. Vide TAVERNIER *Itinerarium in Indiam.* Arbor valde æmulatur arbores noſtras perſicas ratione foliorum, quæ ſemper ſunt virentia. Flores ſunt inſtar florum ceraſorum, fructus ſeu nuces æmulantur noſtras nuces juglandes, in principio ſunt virides, poſtea maculis flavis & cœruleis item rubicundis implentur. Cortice nuces moſchatæ gaudent duplici, uti nuces juglandes. Exterior eſt mollis ſicuti viridis cortex in juglandibus, interior durus lignoſus ſicut in juglandibus. Inter hos duos cortices poſiti ſunt flores macis, qui ex flavo ſunt rubicundi, ſuaviſſimi odoris, ſaporis aromatici paululum amaricantis. Integræ hæ nuces condiri ſolent in Indiæ & ſic ad nos adferuntur. Excorticatæ vero hæ nuces & ſiccatæ item flores macis exſiccati ordinarie ad nos adportantur. Gaudent tam nuces quam flores macis oleo duplici, unum eſt mucilaginoſum & exprimitur, alterum eſt ſubtile æthereum & deſtillatione elicitur. Utrumque oleum & confortans eſt & anodyna virtute pollet, &, ſi majori in doſi adhibetur, narcoſin infert, unde, qui ad affectus ſoporoſos inclinant, caute eo uti debent. De hac virtute narcotica legi merentur *M. N. C. Dec. III. an. II. obſ.* 120. item BONTIUS *de medicina Indorum pag.* 20. &c. Eſt maxime in uſu oleum nucis moſchatæ expreſſum, quod palmarium ingrediens eſſe ſolet ſuaveolentium balſamorum, præſertim, poſtquam ope ſpiritus vini rectificatiſſimi principium oleoſum volatile ex eo extractum fuit, item eſſentia nucis moſchatæ ſeu nuciſtæ, quæ egregiæ eſt virtutis; abdomini enim illita ſedat dolores tormina & colicam. Emplaſtris quoque & unguentis, quæ temporibus applicari ſolent ad ſomnum conciliandum doloreſque mitigandos admiſcetur. Eſt quoque in uſu oleum nucis moſchatæ & macis deſtillatum, quod magnum nervinum, anodynum & demulcens eſt ſimulque in omnibus affectibus ſpaſmodicis pectoris & abdominis, diarrhœis & arthriticis doloribus magni æſtimatur. Hæc etiam præſtat eſſentia nucis moſchatæ. Nux moſchata ipſa maxime ſiſtit vomitum & diarrhœam & adſtringentem virtutem majori exſerit in gradu.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De Gallis.

GAllæ ſunt quercus vulgaris tubercula excrementitia rotunda, in ſuperficie ſalebroſa, parvis tuberculis exaſperata, levia, intus cavernoſa, ſaporis acerbi & adſtringentis, qui ab adſtringente principio terreſtri & acido provenit. Earum ſolutio cum aqua itidem adſtringens eſt & ad conficiendum atramentum item ad examinandas acidulas, quæ vitriolum martis continent, item ad uſum tinctorium frequentiſſime adhibentur, rarius vero in medicina uſurpantur, quia omnia adſtringentia, niſi aperitivo vel balſamico principio nupta fuerint, corpori humano interne inimica & noxia ſunt. Extrinſecus vero gallæ habent uſum; ingrediuntur enim decocta in procidentia ani, uteri vel aliarum partium ſolidarum relaxatione externe applicanda cum aliis balſamicis. Empirici fruſtulum gallæ denti carioſo in odontalgia indere ſolent ad demulcendum dolorem ſed ſine fructu, niſi id ſtatim in principio fiat & catarrhoſæ defluxiones aliorſum deriventur.

CAPUT XXV.

De Caryophyllis Aromaticis.

CAryophylli aromatici ſunt arboris Indicæ orientalis caryophyllifer æ, quæ ab Indis Tſinka vocatur, fructuum rudimenta ſeu fructus immaturi oblongi, inſtar clavi, depreſſi, anguloſi, rugoſi, ex rubigineo-nigricantes, quatuor in ſummo apiculis ſtellatim decuſſatis notati, cum medio capitello convexo & concavo, ſaporis acris penetrantis aromatici, odoris fragrantiſſimi. Sunt nimirum fructus immaturi, e quorum capitibus exſurgunt flores tetrapetali; antequam autem in totum defloruerunt, nigreſcunt & dicuntur antophylli nihilque aliud ſunt quam caryophylli ad extremam maturitatem redacti. Arbor accedit ad laurum, folia vero ejus ſunt acutiora, flores ſunt inſtar florum ceraſorum, in initio albi, deinde virides evadunt, & poſtea rubri. Quando florere incipit hæc arbor, ſuaviſſimum ſpargit odorem, &, quando flores exſiccantur, tunc in extremitatibus ramulorum fructus apparent, qui menſe Septembri vel manu decerpuntur vel utplurimum decutiuntur. Creſcit modo dicta arbor in inſulis Moluccis. Vires caryophylli poſſident in medicina longe excellentiſſimas propter oleum, quo ſcatent, copioſum penetrantiſſimum, quo per deſtillationem elicito inutile magma remanet. Poſſunt vero ex libris duabus caryophyllorum, ſi ignis recte adminiſtretur, unciæ quinque olei deſtillatione obtineri, & eſt hoc oleum in principio album ut aqua, poſtea vero cum tempore flaveſcit & communiter oleo Been vel amygdalarum dulcium adulterari ſolet. Hoc oleo Veteres uſi fuerunt loco veri opobalſami ut videmus in VALERIO CORDO. Eſt hoc oleum maxime nervinum & partium ſolidarum tonum & robur reſtaurat & auget egregie, unde in omnibus morbis frigidis & affectibus, qui ab atonia partium ſolidarum proveniunt, ejus uſus tam internus quam externus non ſatis laudari poteſt. Proſtat quoque in nonnullis officinis ſpiritus volatilis SYLVII, dum hoc oleum in ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo ſolvitur, & hic ſpiritus in omnibus affectibus capitis, apoplexia, vomitu & aliis ejuſmodi malis ſummo cum fructu uſurpari poteſt. Neque ullum in rerum natura datur remedium, quod ad avertendam putredinem & corruptionem ſphaceloſam tollendam tam potens extrinſecus ſit quam hoc ipſum oleum, hinc eo ad cariem oſſium tollendam nihil eſt præſentius. Nonnulli id etiam in dentium dolore, ſi a cauſa frigida oritur, non ſine ſingulari utilitate externe adhibent.

SECTIO V.

DE PURGANTIBUS.

CAPUT I.

De Scammonio.

SCammonium eſt ſuccus reſinoſus gummoſus concretus gryſei bruni coloris, qui per inciſionem radicis plantæ, quæ dicitur convolvulus Syriacus, emanat. Hæc planta naſcitur in Syria & Ægypto & ſpecies eſt convolvuli flore monopetalo incarnato, quem ſequuntur ſemina inæqua ia rotunda in capitulis, folia ſunt longa triangularia inſtar cordis formata, flores figuram habent campanulæ coloris purpurei vel etiam albi, fructus ſunt rotundi membranoſi, qui continent ſemina, radix eſt longa craſſa, exterius gryſeo bruni coloris, interius albi, & repleta ſucco albo odoris graveolentis, & tota planta lactifera eſt. Quando ſuccus ex radice plantæ extractus fuit, tunc evaporationi & inſpiſſationi ſubjicitur. Duplex vero ſcammonium in pharmacopoliis proſtat, unum, quod ex Aleppo, alterum, quod ex Smyrna ad nos apportatur. Optimum eſt prius, quia reſina magis ſcatet purgante & carioris quoque eſt pretii. Poſterius ſcammonium, ſcilicet id, quod ex Smyrna ad nos venit, eſt magis compactum, nigrum, minus reſinoſum, facilius difrumpitur, & minus purgat. Generatim omne ſcammonium ſaporis eſt nauſeoſi acris pungitivi, odoris graveolentis. Solvitur in aqueis menſtruis & ita liberatur a ſordibus; ſolvitur etiam in ſpiritu vini non rectificatiſſimo & poſtea inſpiſſatur. Præparatur ordinarie cum ſucco cydoniorum, in hoc ſolvitur & poſtea inſpiſſatur. Ab hoc dicitur diacrydium cydoniatum, &, quia ex ſucco valde acri naturæ inimico conſtat, hinc ſulphure accenſo corrigi ſolet & inde proſtat in officinis diacrydium ſulphuratum. Sal continet inflammatorium, unde, ſi exterius applicatur, veſicas excitat. Si corrigendum eſt, optime hoc fieri poteſt, quando ſolvitur in ſucco cydoniorum & fermentatur eo modo quo id fieri ſolet in laudano opiato cydoniato. Corrigitur quoque addito nitro vel antimonio diaphoretico vel cremore tartari, hinc in pharmacopoliis quoque proſtat pulvis ſic dictus Cornachinus, qui ex antimonio diaphoretico, cremore tartari & diacrydio ſulphurato paratur.

CAPUT II.

De Mechoacanna.

MEchoacanna eſt radix convolvuli Mexicani, quæ Germanice dicitur Indianiſche Zaunrübe / craſſa, carnoſa, ſubſtantiæ laxioris, circulis notata, ſaporis, qui ſub diuturna manducatione percipitur, ardentis acris & nauſeabundi, coloris albicantis. Dicitur

citur quoque bryonia alba. Adulteratur etiam ſæpius radicibus bryoniæ in taleolos diſſectis. Odoris eſt nullius. Gaudet principio reſinoſo acri, quo inteſtinorum membranas ſtimulando egregie educit aquas neque ita debilitat vel acriter erodit aut ſtimulat quam jalappa, & quia fere ſapore & odore caret, hinc optime infantibus aliiſque, qui abhorrent alia medicamenta purgantia, propinari poteſt. Poteſt vel in pulvere vel ſolo vel cum ſyrupo combinato vel cum ſaccharo in liquore idoneo infantibus propinari, e quorum ventriculo lac coagulatum & pectore pituitam egregie educit, quo facto tormina, vigiliæ, dolores & inquietudines remittunt non ſecus ac ſi anodynum ſumſiſſent. Adultis pro doſi a drachma una uſque ad duas dari poteſt.

CAPUT III.

De Jalappa.

JAlappa dicitur etiam mechoacanna nigra, & eſt convolvuli Mexicani ſeu bryoniæ Indicæ Gelapo dictæ radix in taleolos diſciſſa, oblonga, craſſa, circulis gaudens, ſaporis ingrati acris, coloris gryſei. Quo magis ſtriis reſinoſis ſcatet, eo majoris eſt efficaciæ. Ob reſinam valde acrem cauſticam, quam intus recondit, inteſtina fortiter ſtimulat atque humores educit. Si recens eſt, emeticam habet virtutem propter ſal acre ſulphureum volatile, quod diuturnitate temporis evaporat. Longe vehementius purgat quam mechoacanna alba, hinc non ſine circumſpectione uſurpari debet. Doſis ejus non debet facile ultra ſcrupulum integrum extendi. Proſtat in pharmacopoliis reſina jalappæ, quæ extrahitur mediante ſpiritu vini rectificatiſſimo & vocari etiam ſolet magiſterium jalappæ. Longe fortioris, quam radix ipſa, eſt virtutis & vehementiſſime purgat, ſed hoc habet incommodi, quod, ſi in calido vehiculo, præſertim ſub pulveris forma ſumatur, in ventriculo rurſus coaguletur, conglomeretur & tunc firmiſſime adhæreat inteſtinorum tunicis harumque ſtimulatione & eroſione graviſſima ſymptomata excitare ſoleat, unde ejus uſus cautiſſimus eſſe debet. Melius datur in pilulis & quidem hoc modo, ut reſina prius in ſpiritu vini diſſoluta cum aliis ingredientibus convenientibus miſceatur. Proſtat etiam in nonnullis officinis tinctura jalappæ & diacydonium lucidum jalappinum. Parari quoque ſolent ex reſina jalappæ emulſiones purgantes.

CAPUT IV.

De Agarico.

AGaricus olim tranſlatus fuit ad nos ex Moſcovia & Alexandria, jam vero ex multis Italiæ vel etiam Helvetiæ locis, ubi larices creſcunt, magna in copia ad nos pervenit. Naſcitur enim agaricus, qui nihil aliud eſt quam fungus, modo in medio, modo in ſummo, nunquam vero in ramis laricis. Qui ex ſylvis Helveticis venit, eſt vilior, quia eſt fibroſior. Optimus eſt, qui candidus, levis eſt, flammam facile concipit, friabilis, ſaporis ſubdulcis & ſubamaricantis eſt, ponderoſus vero lignoſus, niger & craſſus in uſum non eſt trahendus. Uſus ejus ad purgandum, præſertim in infuſo & decocto non eſt contemnendus ſed potius laudandus, ſiquidem non vi operatur ſed leniter humores viſcidos incidit eoſque ex remotis etiam partibus educit. Gaudet ſubtili ſale acri cum viſcidis partibus mixto, &, quoniam diutius moratur in inteſtinis, ejus virtus abit in ſanguinem, unde Veteres eo in omnibus capitis morbis a cauſa frigida uſi fuerunt. Democritus auctore MESUE agaricum appellavit medicinam familiæ propter ſecuritatem. Proſtant in officinis trochiſci de agarico, item extractum agarici, quod tamen leni calore parandum eſt, alias virtus purgans abit in auras.

CAPUT V.

De Euphorbio.

EUphorbium eſt lacryma tithymali Mauritanici in horto Malabarico deſcripti & dicti Schadidacali, gummoſo-reſinoſa concreta in guttulas pallido-flaveſcentes ſaporis acerrimi & adurentis, linguam & fauces inflammantis & nauſeoſi. Sponte exſudat ex arbore ſub forma lactis. Optimum eſt non vetuſtum, ad ſummum bienne, pellucidum & ſubrubrum. Ab Euphorbo Jubæ Regis Mauritaniæ Medico & ANTONII MUSÆ, qui AUGUSTI CÆSARIS archiater fuit, fratre nomen accepit & hucuſque ſervavit. Scatet tam acri penetrante & cauſtico ſale, ut cuti applicatum mox veſicas excitet, ejuſque eſſentia ſaporis etiam tam vehementer acris eſt, ut linguam & fauces adurat & ardor hic vix poſſit extingui. Naribus inflatum euphorbium in pauca quantitate potentiſſimum ſternutamentum facit adeoque non immerito ad venenorum claſſem relatum eſt, præſertim, cum etiam interne ſumtum hypercatharſin facile moveat. Externe vero Chirurgi utuntur ejus pulvere ad cariem oſſis delendam, vide HILDANUM *Cent. II. obſ.* 82. item *Cent. V. obſ.* 22. & FALLOPIUM *in libr. de ulceribus pag.* 27. Eſſentia quoque ejus cum ſpiritu vini rectificatiſſimo parata hunc in finem utuntur. Ego autor ſum, ut abſtineamus ab uſu euphorbii, quia longe tutiora & ſecuriora ad cariem oſſium tollendam habemus, ſiquidem in partibus nervoſis vicinis periculoſam excitare ſolet inflammationem.

CAPUT VI.

De Elaterio.

ELaterium eſt ſuccus luridus & viſcoſus fructus cucumeris ſylveſtris aſinini vel ſua ſponte ſolo ſolis calore vel leni compreſſione emiſſus collectus & igne inſpiſſatus, coloris fuſci, ſaporis acris amaricantis & nauſeoſi. Noſtri totam plantam colligunt & ſuccum exprimunt. Planta creſcit in hortis & ſemen ejus propagatur. Vehementer propter ſal acre purgat adeoque virulentæ eſt naturæ & nunquam uſurpatur. SOLENANDER ſcribit, elaterium eſſe in catalogo diaboli, quo necat homines, omneſque Medicos, qui elaterio utuntur, cane pejus & angue fugiendos, itaque abſtinendum eſt ab ejus uſu.

CAPUT

CAPUT VII.

De Gummi Gutta.

GUmmi-gutta, quod dicitur etiam gummi gamandra, eſt ſuccus concretus gummoſus, aurei coloris. Ex India ad nos adfertur, præſertim ex Cambodia, & creditur eſſe ſuccus ſpeciei tithymali, quæ tamen habet naturam convolvuli. Saporis eſt valde acris. Alii credunt, id eſſe gummi arboris Choraka Cingalenſis dictæ. Solvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo & aqua. Utuntur eo maxime pictores. Eſt draſticum purgans; ob ſal acre nauſeoſum vomitum etiam ciet, potenter ſeroſitatem educit, & facile inflammationes excitat. In igne facile fluit. Notabile eſt, quod eſſentia de gummi gutta cum tinctura tartari parata ſudorifera fiat propter ſal tartari, quod ſine dubio virulentam euphorbii indolem corrigit. Auctor ſum, ut ab hoc remedio Medici abſtineant propter vim draſticam & virulentam qua facile inflammationes excitare valet.

CAPUT VIII.

De Helleboro nigro.

HElleborus niger eſt radix plantæ pentapetalæ, quæ habet florem roſeum & ſemina anguloſa in capite rotundo. Radix tenuis eſt & fibroſa, nigricans, ex uno capite propendens, ſaporis amari, ingrati, nauſeabundi. Specifice purgare hæc radix dicitur humorem melancholicum acido-viſcidum. Convenit in febribus quoque quartanis, affectu hypochondriaco & melancholico & inveterata viſcerum obſtructione. In lepra quoque & maligna ſcabie Medici non ſine fructu hac radice utuntur. Notandum eſt, quod radix hæc ſucculenta longe vehementioris ſit virtutis quam ejus fibræ. Notandum porro eſt, quod loco radicis hellebori nigri radix aconiti non debeat ſumi, quæ fere ejuſdem figuræ, conſiſtentiæ ac formæ eſt cum illa, ſed ſumme venenata. Optime ſumitur radix hellebori nigri in infuſo cum vino vel etiam in extracto, quod præparatur cum aqua. Veteres frequentiſſime uſi fuerunt hoc purgante, & inter hos præcipue HIPPOCRATES, qui eo maxime in melancholia & mania uſus fuit, unde etiam proverbium enatum eſt: helleboro opus habet, & curam melancholicorum dixerunt helleboriſmum. TACKIUS commendat hanc radicem ſumtam cum ſaccharo ad vitam longam, & PARACELSUS ſcripſit librum de ea. Reſpectu extracti monendum eſt, quod id, ſi cum aqua paratur, longe efficacius ſit, quam ſi cum ſpiritu vini paratur, & deinde quod id, quo diutius coquitur, eo plus de virtute & vehementia ſua amittat.

CAPUT IX.

De Helleboro albo.

HElleborus albus eſt planta, quæ florem habet ſubviridem ſex foliolis conſtructum, folia ſunt nervoſa, ſemina ſtriata. Dicitur Germanice Weiſſe Nießwurtzel. Creſcit ubique in Germania in montibus & calidis locis. Radix eſt fibroſa, perforata, fuſca, ſaporis nauſeoſi acerrimi adurentis & propter cauſticam ſuam penetrantem vim emeticum & purgans eſt vehementiſſimum, hinc cautiſſime offerenda eſt iis, qui genus nervoſum tenellum ac tenerum habent. In paucis granis fortiter ſternutationem movet, nec ullum purgans tam celeriter operatur quam hæc radix & propter vehementiam ſuam amplius non eſt in uſu, adhibetur autem ad purgandos equos & ſues. Ingreditur etiam famigeratiſſimam illam maſſam pilularum Anglicarum Dom. *Doct. Starckey*. Externe Chirurgi utuntur elleboro albo ad diſcutiendos ſeroſos tumores.

CAPUT X.

De Turbith.

TUrbith eſt convolvuli Indici foliis altheæ ſimilibus radix oblonga, craſſa, reſinoſa, foris fuſca, intus alba, ſaporis ſubacris. Planta eſt convolvulacea, flore monopetalo, ſeminibus anguloſis diſpoſitis in rotundis capſulis. Scatet reſina, quæ purgat & extrahitur mediante ſpiritu vini. Adhibetur inter medicamenta antihydropica purgantia. RULANDUS radice hac & radice eſulæ vermes infantum necat & expellit. Proſtant in officinis ſpecies diaturbith cum rhabarbaro.

CAPUT XI.

De Hermodactylis.

HErmodactyli ſunt colchici Ægyptiaci radices exſiccatæ rotundæ, tuberoſæ, albæ, odoris nullius, ſaporis farinacei & viſcoſi. Optimi ſunt graves compacti & qui levi contuſione facile abeunt in pulverem. Adſcribitur ipſis vis purgans, ſed hæc valde eſt debilis, unde opus habent aliorum purgantium additione. Commendantur maxime ceu ſpecificum contra arthritidem. Ingrediuntur electuarium caryocoſtinum. Commode addi poſſunt decoctis lignorum pro depurando ſanguine. Ingrediuntur quoque pulverem Paracelſi in morbis podagricis. Proſtant etiam in officinis pilulæ de hermodactylis, quibus etiam carere cum aliis hujus generis poſſumus.

CAPUT XII.

De Eſula.

ESula eſt herba ubique notiſſima, cujus tamen diverſæ dantur ſpecies, quamvis qualitatibus & viribus non differant. Tota planta eſt lacteſcens & ſuccus ejus lacteus acerrimo cauſtico ſale ſcatet, ſiquidem ab eo verrucæ conſumuntur citra eroſionem & inflammationem. Idem hic ſuccus vehementiſſime purgat. Si exprimitur & inſpiſſatur, fit extractum, quod nonnulli ceu arcanum in hydrope mirifice commendant ut RULANDUS, LENTILIUS & PLATERUS. Utuntur quoque ſucco eſulæ ad clavos pedum tollendos, ſed autor ſum, ut abſtineamus ab eo, quia periculoſas excitare valet inflammationes in partibus præſertim nervoſis. Extractum eſulæ loco ſcammonei uſurpari poteſt. Denique eſula ruſticorum dicitur rhabarbarum, unde RENODÆUS ſcribit in materia medica de ea: familiare ru-

ſticis eſt remedium, cujus uſu multi convaleſcunt & multi intereunt.

CAPUT XIII.

De Manna.

MAnna eſt ſubſtantia ex flavo albicans in grumos concreta, ſaporis ſubacris & ſubdulcis. Exſudat ex fraxino ejuſque ramis & foliis æſtivo ferventiſſimo tempore & in grana ſolis calore concreſcit. Faciunt nempe inciſiones in cortice arboris & tunc effluit ſuccus, qui condenſatione abit in mannam; verum hæc magis impura quam illa, quæ ſponte ſua ſine inciſione ex arboribus effluit, utpote quæ purior & magis cryſtallina eſt. Poſt pluvias ſolvitur & perditur manna, &, quoniam pro tempeſtatis ratione manna & copia & qualitate eſt differens, hinc fit, ut vel cariori vel leviori conſtet pretio. Diſtinguitur manna in tres ſpecies. Prima venit ex Calabria & Apulia & quidem ex monte S. Angelo; ſecunda ex Sicilia, quæ ordinarie alba & ſiccior eſt; & tertia dicitur de la Tolfa, quæ eſt impurior. Optima manna eſt, quæ proſtat in guttulis ſeu lacrymis puris ſiccis cryſtallinis, coloris albi, ſaporis dulcis. Manna, quæ eſt in granis, experientia teſte magis purgat quam ea, quæ proſtat in baculis. Virtus ejus eſt propter ſal dulce ſubtile acre deterſiva & laxans, &, quod notabile eſt, ſimul anodyna. Inter naturæ rerum ſcrutatores magna oritur quæſtio, unde manna habeat ſuam originem. Multi eam habent pro rore cœleſti, alii pro melle, quod apes elaborant & apponunt arborum ramis. Verum enim vero manna nihil aliud eſt quam ſuccus arborum dulcis, inſtar ejus, qui ex corticibus arboris betulæ tempore verno exſudat, mellagineum ſuccum recondit & ſolis calore exſiccatur. Manna eſt tutiſſimum purgans & laxans, ſique in majori doſi datur ad uncias aliquot, decem quin viginti ſedes excitat. Præbetur optime iis, quorum primæ viæ ſcatent acidis ponticis humoribus, melancholicis, qui alvum ſiccam habent, item in pectoris affectibus, & infantibus quoque & gravidis. Præter virtutem acidos alioſque humores corrigentem & educentem aliam poſſidet virtutem ſpaſmodice conſtrictas inteſtinorum fibras relaxantem, quæ adhuc magis intenditur, quando cum ſero lactis ſumitur. Verum cavere ſibi debent a manna ii, quorum inteſtina flatibus turgidæ ſunt, breviter, omnes flatuoſi ſeu flatulentiis obnoxii, & hinc non omnia ſubjecta hyſterica & hypochondriaca eam ferre poſſunt. Præparatur quoque ex manna ſpiritus mediante deſtillatione ex arena, qui eſt acidus, & hoc corallia diſſolvere & tincturam coralliorum præparare ſolent.

CAPUT XIV.

De Rhabarbaro.

MUltæ recenſentur rhabarbari ſpecies, inter quas optimum eſt Orientale, quod olim ex China adferebatur, ex qua per Tartariam Ormuz & Alepum deferebatur, inde Alexandriam & tandem Venetias & abhinc ad alias Europæ provincias, unde vocatum etiam fuit Alexandrinum. Hoc eſt ponderoſum, aureis ac rufis venis præditum, amaricans croceoque colore aquam tingit. Porro adfertur rhabarbarum ex Moſcovia, & hoc eſt ponderoſius, vilius, coloris obſcurioris, ſaporis magis acerbi, & citius ſitum contrahit & cum tempore vires quoque deperdit. Notandum vero hoc loco eſt, quod jam Chinenſe & veteribus dictum Alexandrinum ex Moſcovia ad nos adferatur propter commercium Moſcoviticum cum Chinenſibus. Datur adhuc alia ſpecies rhabarbari, quod creſcit in noſtris terris & dicitur Rhaponticum & radix eſt lapathi Thracici craſſa & rotunda, rhabarbaro vero grandior & compactior, cortice fuſco obducta, intus magis crocea & ſaporis magis adſtringentis. In rhabarbaro vero duplex latitat principium agendi, unum nempe eſt laxans & conſiſtit in ſale ſubtili acri ſulphureo particulis mucilaginoſis immerſo, quod per infuſionem extrahitur; alterum eſt terreſtre adſtringens, unde rhabarbarum in ſubſtantia, quod notabile eſt, & purgante & adſtringente facultate gaudet. Veteres dixerunt rhabarbarum animam hepatis, quia in omnibus bilioſis hepatis affectibus ejuſque obſtructionibus præſentiſſimum eſt & præſtantiſſimum remedium. Tutiſſimum quoque eſt remedium & cum fructu datur in omnibus hæmorrhagiis, ut fluxu hæmorrhoidali nimio, hæmoptyſi & vomitu cruento &c. Propter amaritiem ſuam ſimul habet vim corrigentem humores acres ponticos & reſolventem viſcidos & contra icterum eſt ſpecificum. Profecto, rhabarbarum eſt tutiſſimum purgans, nam infantibus & gravidis ſine noxa offertur, blande educit quoque bilem, unde eo utuntur poſt gravem iracundiam. Proſtant in officinis de rhabarbaro 1) eſſentia cum ſale tartari parata rubicundiſſima; 2) extractum, quod paratur ex decocto rhabarbari inſpiſſando, & notandum eſt, quod rhabarbarum inſignem extracti præbeat quantitatem propter copioſam mucilagineam ſubſtantiam, quam continet: 3) ſyrupus rhabarbari item ſyrupus cichorei cum rhabarbaro. In nonnullis officinis proſtant quoque paſſulæ rhabarbarinæ & harum jam mentionem fecit MASSARIA. Notabile eſt, quod rhabarbarum optime in dyſenteria cum emulſione vel oleo amygdalarum dulcium poſſit ſumi. Proſtant quoque morſuli de rhabarbaro, qui ex rhabarbaro, cremore tartari & ſaccharo parantur & contra noxas iracundiæ adhiberi ſolent. Veteres rhabarbaro toſto fuerunt uſi in dyſenteria ad majorem adſtrictionem efficiendam. Paucis, rhabarbarum eſt optatiſſimum remedium in omnibus morbis ſeroſis, bilioſis, &, ubi alia purgantia locum non inveniunt, quare in diarrhœis & omnibus alvi fluxibus item in aliis morbis, ubi ſimul evacuatione & adſtrictione opus eſt, ut in fluore albo, nimio menſium fluxu & gonorrhœa magno cum fructu datur. Doſis ejus eſt ad drachmam unam.

CAPUT XV.

De Tamarindis.

TAmarindi ſunt ſiliquæ ſeu fructus ſiliquoſi & fibro pulpoſi Arabicæ item Ægyptiacæ arboris tamarindus dictæ. Arbor flores fert albos inſtar aurantiorum, qui ex octo petalis conſtant, poſtea ſequuntur ſiliquæ curvæ, quæ primo virides ſunt poſtea bruni coloris fiunt & ſemina duræ lupinis proxima includunt. Folia hujus arboris ſequuntur ſolis motum & ſole occidente ſe contrahere, oriente autem aperire ſolent, unde etiam arbor vocari ſolet Germanice der Sonnenbaum. Siliquæ hæ, quando maturæ ſunt, exſiccantur ſole, poſtea imprimuntur vaſis & ita ad nos transferuntur. Saporis ſunt acidi grati & paululum mucoſi. A veteribus, maxime Arabicis Medicis, maximi hi fructus habiti fuerunt, priſci vero Medici Græci & Latini eos ignorarunt. Præparatur

tur ex hiſce fructibus decoctum cum aqua, cujus uſus in omnibus febribus ardentibus, calore & ſiti præternaturali item ad bilis acrimoniam calidam mitigandam eſt præſtantiſſimus, ſiquidem eam non tantum corrigit ſed leniter etiam evacuat. Commodiſſime miſcentur cum manna & ſyrupo acetoſitatis citri & ex his gratiſſimum præparari poteſt julapium adverſus æſtuoſas febres. Minime vero conveniunt iis, quorum prima regio acidis ponticis humoribus abundat ut hypochondriacis & qui morbo laborant chronico. In ſcorbuto calido ſerum lactis cum tamarindis coquere ſolent eoque utuntur cum ſalutari effectu. Reſiſtunt quoque putredini, ſecundum Mercatum, Lusitanum item Heurnium. Ex judicio Massariæ non præſtantius datur remedium in omnis fluxu ſanguinis, item ſecundum Mercurialem ad compeſcendum hæmorrhoidum fluxum tamarindis. Proſtat in officinis pulpa tamarindorum & magiſterium martis Mynſichti, cujus uſus omni modo eſt commendandus; omne enim id præſtat, quod ab omnibus tincturis martialibus expectari poteſt. Eligendi vero ad uſum ſunt tamarindi recentes, pingues, multis filis intertexti, acidi & ex rufo nigreſcentes.

CAPUT XVI.

De Polypodio.

Polypodium eſt herbæ polypodii Germanice Engelſüß dictæ radix, quæ in muris & radicibus arborum corruptarum, præſertim quercubus, creſcit. Herbæ color perennat & viridis manet per totam hyemem, neque amittit folia, ſed hæc demum recentibus ſubortis decidunt, confer *M. N. C. Tom. I.* Radix ejus maxime eſt in uſu & ea præſertim, quæ quercubus innaſcitur, ſaporis eſt dulcis ad glycyrrhizam proxime accedentis. Radix hæc virtute laxante propter principium abſterſivum dulce ſalinum ſubtile gaudet, eaque Veteres non ſine ratione frequentiſſime uſi fuerunt in decoctis in iis morbis, quos ab atra bile deduxerunt, atque in omni ſanguinis & lymphæ impuritate cutiſque eroſione. In melancholicis quoque & hypochondriacis morbis non caret utilitate, nam dulci & mucilaginoſo ſuo principio acidis ſalium involvit, acres humores temperat, fibras rigidas & exſiccatas humectat atque relaxat, unde commode etiam ingreditur inſuſa & decocta cum aliis laxantibus.

CAPUT XVII.

De Aloe.

Aloe eſt ſuccus condenſatus aloes, pellucidus, friabilis, gummeo-reſinoſus, collectus ex diſſectis foliis & leniſſimo calore coagulatus. Præparationem ejus deſcribit Rajus *in operibus Botanicis pag.* 691. Triplex habetur aloe puritate non vero loco natali diſtincta. Prima optima & puriſſima dicitur ſuccotrina ab inſula Succotra, & hæc eſt nitida pellucida ex flavo bruni coloris, fortis & penetrantis odoris & purgat quoque vehementer. Secunda dicitur hepatica a colore, ſed hæc non tam clara & ſubtilis eſt, ſed groſſioris texturæ neque tam eminentis virtutis purgantis quam ſuccotrina. Tertia dicitur caballina, propter vilitatem caballis tantum digna videtur, eſt impurior, craſſior & rudior. Notandum vero hoc loco eſt, quod hæ tres ſpecies aloes non loco natali ſed puritate tantum differant, ſiquidem, quando ex foliis ſucculentis grandibus contuſis exprimitur ſuccus, is, qui primum elabitur ſine violenta expreſſione & coagulatur, conſtituit aloen ſic dictam ſuccotrinam puriſſimam, ille vero, qui poſt primum fortiori expreſſione ſuccedit, hepaticam aloem facit & iſte tandem, qui vi elicitur ex remanentiis foliorum, viliorem aloem caballinam reddit, ſi inſpiſſatur. Aloe ſuccotrina dicitur a nonnullis aloe lucida. Aloes uſus in medicina eſt antiquiſſimus, ſiquidem Galeno, Celso, Mesuæ & omnibus Arabibus Medicis notus & ab iis magni æſtimatus fuit, & aloe quoque baſin fere omnium pilularum conſtituit. Saporis eſt admodum amari, ut vix aliud detur amarius, odoris eſt valde penetrantis vaporoſi & nauſeoſi. Fumus ejus ore hauſtus, quando deſcendit ad ventriculum, alvum movet, nullumque medicamentum eſt quod in morbis chronicis, præſertim ſic dictis frigidis & iis, qui ab obſtructione viſcerum oriuntur, ut cachexia, hydrope, ictero, malo hypochondriaco, cruditatibus ventriculi, colica, menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione, chloroſi inque omnibus ſtomachicis morbis tantum encomium, tantam laudem ac gloriam conſecutum eſt quam ipſa hæc aloe, propterea, quod non tantum feliciter purgat crudos acidos & viſcidos humores, ſed etiam penetrante amaritie ſua obſtructiones viſcerum reſerat & bilis balſamicam naturam reſtituit, unde magnum eſt morborum chronicorum præſervativum. Eſt quoque baſis elixirii famigeratiſſimi aperitivi Clauderi, elixirii proprietatis Paracelſi multorumque aliorum elixiriorum & fundamentum pilularum Francofurtenſium, Beccherianarum, multarumque aliarum, quæ ad harum exemplar præparantur, ubi tamen notandum eſt, 1) quod tutior ſit aloe præparata; 2) quod ſæpe tutius & ſalubrius fit, eam non ſolam ſed cum aliis extractis reſinoſis & balſamicis gummatibus miſcere, eam ob rationem, quia ſuccus hic non ſolum gummoſus ſed etiam reſinoſus eſt, hinc facile adhæreſcit inteſtinorum tunicis, nec prompte ſolvitur, ſed perpetuo ſtimulo has partes, quibus adhæret, affligit earumque tonum plane lædit, quod vitari poteſt, ſi ejus ſubſtantia fuerit cum aliis remixta & diſgregata, qua ratione non facile rurſus in corpore coire poteſt. 3) Cavendum quoque ab aloe eſt, ubi ſanguis ebullit & venæ ſuccis bilioſis mobilioribus ſcatent, alias facile ſanguinis fluxum, præſertim hæmorrhoides, provocat. Convenit maxime phlegmaticis & iis, qui victu duro craſſo & cereviſiæ potu utuntur. Minus convenit cholericis item iis, qui vinoſæ diætæ indulgent. Deinde quoque notandum eſt, quod aloe leniſſimo calore coqui debeat, quo ſulphur illud peregrinum quodammodo exſpiret, hinc Veteres aloen lotam commendarunt, per lotionem vero nihil aliud intellexerunt quam ſolutionem in aqua & leniorem inſpiſſationem. Diuturniori & fortiori coctione non parum virtutis purgantis amittit aloe. Notandum eſt, quod omnia purgantia ventriculo & inteſtinis ſint inimica, aloe vero & rhabarbarum minime, hinc etiam hypochondriaci optime aloen ferre poſſunt recte uſurpatam. Helmontius ſcribit, omnia purgantia excepta aloe eſſe venena. Perperam vero illi agunt, qui aloen ſolvunt in ſpiritu vini rectificatiſſimo: ita enim relinquitur pars gummea, quæ aqueum menſtruum pro ſua ſolutione deſiderat. In pharmacopoliis proſtat aloe roſata vel violata, qualis fit, quando aloe in ſucco roſarum vel violarum ſolvitur. Quia aloe tam grata ſtomacho eſt, hinc optime ſumitur cum cibo vel ante ipſum, alia vero purgantia neutiquam ſumi poſſunt hoc modo.

CAPUT XVIII.

De Foliis Sennæ.

SEnna eſt arbor papilionacea, ſeminibus depreſſis incluſis veſiculis foliaceis bivalvibus, foliis pinnatis, ſaporis ſubacris amaricantis & nauſeoſi. Eſt vel Africana vel Europæa. Illa eſt iterum vel Alexandrina vel Syriaca, hæc vero vel Hiſpanica vel Gallica. Folia admodum ſunt ſimilia glycyrrhizæ, flores ſunt coloris aurei, quos ſequuntur folliculi curvi: Ea folia ſennæ, quibus nos uti ſolemus, maxima ex parte ex Gallia Narbonenſi veniunt, & ſunt quoque recentiora, orientalia vero vetuſtiora. In genere enim eſt notandum, quod folia ſennæ, quo ſunt vetuſtiora, eo minori facultate purgante polleant & multum amittant virtutis purgantis, quando in pulvere aſſervantur. Conſiſtit horum foliorum virtus maxime in ſale ſubtili acri laxante immerſo multis particulis viſcidis mucilaginoſis, unde optime præſcribi ſolent in infuſo, male autem in decocto, quia ſub coctione principium ſubtile purgans in auras diſſipatur & mucilaginoſa tantum ſubſtantia remanet. Poſſunt præſcribi cum aliis herbis & radicibus ceu infuſum theiforme, extractum vero eorum eſt nauſeoſum adeoque non magni æſtimandum. Proſtant in officinis præparata, in quæ ſennæ folia ingrediuntur, ut ſpecies pro decocto antifebrili, decocto aperitivo tam majori quam minori, electuarium diacatholicum & lenitivum Florenzulæ, ſyrupus fragrans laxativus Kufferi & pomorum laxativus. Optime miſceri poſſunt folia ſennæ cum ſalibus ut tartaro tartariſato & cremore tartari, quo vis purgans ejus intenditur & minus flatulenta & torminoſa evadit. Ordinario infuſis cum vino, quibus ad præſervandos morbos uti ſolent, adduntur una cum rhabarbaro & ſale vel tartari vel medio, quibus poſtea alia ſpecifica ex radicibus, corticibus & ſeminibus miſcentur.

CAPUT XIX.

De Caſſia fiſtulari.

CAſſia fiſtularis eſt ſiliqua oblonga rotunda cylindracea arboris Ægyptiacæ nigricans, ſub corticoſo putamine pulpam includens nigricantem ſaporis ſubacris & ſubacidi nauſeoſi, cui incluſa ſunt ſemina. Fiſtulæ optimæ ſunt, quæ ponderoſæ recentes ſunt & pulpam pinguem continent, ſique in dorſo lineæ, quas fiſtulæ gerunt, rubeſcunt, hoc optima earum bonitatis nota eſt. Sunt fructus arboris Ægyptiacæ, quæ creſcit maxime in Alexandria. Arborem hanc deſcribit optime PROSPER ALPINUS in *libro ſuo de plantis Ægyptiacis.* Pulpa laxat maxime principio ſuo dulci & ſubtili acri, temperat etiam bilioſos & acres humores idque ſine calore præſtat. Notandum vero eſt, quod caſſia, ſi fine laxandi præſcribenda eſt, majori paulo copia ſit præſcribenda vel ſola vel cum manna mixta, alias parum vel nihil operatur, & melius res ſuccedit, ſi ſalia adjiciantur, ut tartarus tartariſatus & lenis coctio inſtituitur, hocque decoctum non uno hauſtu ſed ſucceſſive repetitis vicibus ſumitur, ita, ut ſimul calida potio ſuperbibatur ne anxietates & vomitus ſequantur. Ab hiſce vero laxantibus commode abſtinere poſſunt ſubjecta hypochondriaca & hyſterica, item omnia ea, quæ debili laborant ſtomacho, flatuoſa ſunt & colicis paſſionibus obnoxia ſunt, neque minus prægnantes. Proſtat in officinis pulpa caſſiæ. Optima eſt caſſia in affectibus pectoris & in morbis ſalinis ut arthritide, calculis, & ubi acidi pontici humores peccant. Convenit etiam in febribus catarrhalibus, ſi in initio ſtatim adhibetur, & quandoque in tertianis.

CAPUT XX.

De Seminibus Carthami.

SEmina carthami ſunt ſemina oblonga anguloſa levia alba includentia ſub cortice duriuſculo pulpam albam ſaporis primum ſubdulcis, poſtea acris nauſeabundi. Planta eſt capitata, ſpinoſa, floribus floſculoſis, ſeminibus papposis. Notabile eſt, quod, quando provenit in loco ſteriliori, ſapor ejus ſit ingratus & nauſeoſus & catharſin moveat, in ſolo vero fertili ſapor ejus magis ſit gratus & vim habeat anodynam expectorantem. Plantam præſertim in Alſatia & circa Rhenum colunt maxima in copia, eo fine, ut floribus utantur in arte tinctoria. Ex ſeminibus poteſt præparari emulſio purgans. Iisdem his ſeminibus delectantur maxime pſittaci, quibus optimum alimentum præbent abſque eo, ut eos purgent. Optimi flores carthami ſunt, qui proveniunt ex Alexandria. Proſtat in pharmacopoliis electuarium diacarthami, quod adhiberi ſolet in clyſteribus.

CAPUT XXI.

De Myrobalanis.

MYrobalani ſunt fructus arboris Indicæ, quæ faciem habet pruni, folia majora, flores pentapetalos, quos ſequuntur fructus, qui ſub carne nucleum habent. Caro recens habet ſaporem ſubacidum & nauſeoſum. Dantur variæ & quidem quinque myrobalanorum ſpecies, nimirum citrinæ, emblicæ, chebulæ, belliricæ & Indæ. Citrinæ ſunt arboris ſorbi magnitudine fructus oblongo-rotundi, quinque angulis rugoſi, chebulis minores, coloris flavi ſeu citrini, includentes oſſiculum anguloſum. Emblicæ myrobalani ſunt arboris palmæ magnitudine foliis minutim inciſis. fructus rotundi triangulares, raro ſexangulares, ex cinereo nigricantes, includentes oſſiculum leve albidum, magnitudine avellanæ minoris, hexagonum, tribus cellulis inſignitum, in quo nucleus pomaceus ſpadiceus triangularis. Arbor embelli dicitur. Belliricæ ſunt arboris pruniferæ Indicæ folio lauri; o ſubcinericeo fructus rotundi, ſæpe anguloſi, magnitudine majoris gallæ, in pedunculum craſſum deſinentes, ex rubigineo-flaveſcentes, includentes oſſiculum durum ſub putamine carnoſo duriuſculo ſaporis adſtringentis poſtea ſubdulcis. Chebulæ ſunt fructus arboris foliis perſicæ ſimilis oblongi, omnium maximi, rugoſi, coloris obſcure fuſci, includentes ſub putamine carnoſo oſſiculum oblongum craſſum & cavernoſum. Indæ ſunt arboris folio ſalicis fructus oblongi reliquis graciliores & tenuiores, ſuperficie octangulari, ſolidi & duri intus & extus, piceæ nigredinis inſtar bituminis judaici. Afferuntur hæ myrobalanorum ſpecies ex Ægypto, Syria & multis Indiæ regionibus ut Goa, Malabar, Bengala, Cambaya &c. & veteres, præſertim Arabes Medici ut RHASES & MESUE frequentiſſime iis uſi fuerunt ad ſuccum melancholicum educen-

educendum, unde ingrediuntur pleraſque quoque tum eorum tum aliorum compoſitiones laxantes & purgantes, ſed exigua certe virtus purgans in ipſis latet atque in exſiccatis periit. Poſſunt iis optime ſubſtitui paſſulæ vel pruna, ſiquidem myrobalani non tam purgant quam potius adſtringunt.

CAPUT XXII.

De Colocynthide.

Colocynthis eſt fructus rotundus, pomi magnitudine, ex flavo virideſcens, ſub cortice tenui includens medullam albam fungoſam levem & ſemina parva compreſſa pallida oblonga cucumeracea, ſaporis amariſſimi nauſeoſi. Planta eſt cucumeracea creſcens in Ægypto, Arabia & Alexandria. Si fructus ſunt maturi, cortex ſaltim removendus eſt, alias pertinaciter fructui adhæret. Uſi fuerunt colocynthide Veteres familiariſſime ad purgandum, unde ingrediuntur quoque omnes fere eorum compoſitiones valde purgantes. Præparantur ex colocynthide trochiſci, qui vocantur alhandal, ſcatentes ſale acri cauſtico inflammatorio volatili & principio valde amaro, ſiquidem in rerum natura non datur ſimplex majoris amaritudinis quam colocynthis & lignum colubrinum. Propter ſal acre ſubtile cauſticum colocynthis non modo tormina excitat vehementiſſima in inteſtinis & fortiſſime purgat, ſed ſimul etiam ſanguinem commovet, abortum procurat, menſes provocat & fœtum enecat, unde recte FERNELIUS eam habet pro maligno medicamento, & SOLENANDER poma colocynthidis propter pernicioſam qualitatem diaboli poma habenda eſſe ait. Nihilominus ſunt, qui eam corrigere ac mitigare laborant, inter quos maxime eminet HELMONTIUS, qui colocynthidem omnium morborum chronicorum curatricem eſſe egregiam & in lue venerea longe plus præſtare quam decocta omnia radicum & lignorum aſſerit. Corrigitur vero cum ſale tartari, lixivio ex hoc facto & cocto cum colocynthide. Quoniam tam fortiter purgat, hinc non in ſubſtantia adhibetur ſed ſolent uſurpari ejus trochiſci vel extractum in morbis capitis chronicis, ut humores a partibus ſuperioribus ad inferiores derivent, quod tamen caute inſtituendum eſt in plethoricis. Ordinarie trochiſci alhandal & extractum colocynthidis ingrediuntur pilulas cephalicas fortiores, quæ Germanice vocantur geſchärfte Hauptpillen. Externe etiam oleum colocynthidis coctum ventri inunctum vermes necat & purgat. Ad auditum quoque multum facit.

CAPUT XXIII.

De Granis Tilli.

Grana tilli ſunt fructus arboris Pavana dictæ, quæ eſt perennans & producit floſculos herbaceos, quos ſequuntur fructus triquetri, quibus inſunt tria grana, quæ saporem habent acerrimum propter ſal ſubtiliſſimum cauſticum, quo pollent. Planta creſcit in Nova Hiſpania & vocari etiam ſolet flos paſſionis. Fortiſſime purgant grana tilli, quin emeſin producunt. Notabile vero eſt, quod coctione omnis vis emetica & purgans abeat in auras. Sufficiant pro una doſi grana tria. Adhibentur ſub forma pilularum ſed ſæpe cum infeliciſſimo ſucceſſu, conſultius eſt, eorum uſum e medicina expellere una cum ipſis empiricis, qui iis utuntur.

CAPUT XXIV.

De Seminibus Cataputiæ.

Semina cataputiæ vocantur Germanice Springkörner / quoniam matura facile diſſiliunt, item Treibekörner / Scheißkörner. Sunt vero duæ cataputiæ ſpecies, major & minor. Cataputia minor eſt ſpecies tithymali, cataputia vero major ricinus major Americanus & ſemina hujus vocantur groſſe Treibekörner. Utriuſque cataputiæ ſemina ſale pollent vehementi cauſtico acri & fortiſſimo purgante. Meminit jam eorum DIOSCORIDES *lib. IV. pag. 165.* Sunt, qui ſemina hæc corrigunt cum lacte caprino & faciunt emulſionem catharticam in hydrope uſurpandam. LISTERUS grana tria ſeminum cataputiæ majoris cum oleo amygdalarum dulcium miſcet & emulſionem præparat ad vomendum & purgandum. Corrigitur quidem lacte draſticum hoc ſimplex; ſed quoniam eo tutiora habemus, hoc carere poſſumus.

SECTIO VI.

DE BALSAMIS.

CAPUT I.

De Balſamo Peruviano.

Balſamus Peruvianus eſt liquor oleoſus, viſcoſus, coloris ex nigro ruſeſcentis, excoctus ex arboris Americanæ Peruvianæ, unde nomen ſortitur, balſamiferæ dictæ ligno cortice & ramis cum aqua, ſiquidem in coctione ſuccus ille oleoſus balſamicus aquæ ſupernatat. Conſiſtentiæ eſt fluidæ craſſiuſculæ inſtar terebinthinæ, odoris grati & penetrantis. Gaudet principio ſulphureo ſeu oleoſo ſubtili tenui gratiſſimo cum multis viſcidis craſſis oleoſis balſamicis & ſalinis acidis particulis combinato. Incolæ & exteri quoque adulterare hoc balſamum ſolent & quidem duplici ratione, ſiquidem illud, quod in decocto eſt reſiduum poſt balſamum abſumtum & ſeparatum, incoquunt & ita extractum quoddam craſſioris conſiſtentiæ coagulatum remanet, quod balſamo ſubtiliori ſupernatanti admiſcent. Admiſcent etiam huic balſamo ſtyracem liquidam, quæ magnam ratione odoris cum eo habet convenientiam. Adulteratum vero hoc balſamum a vero & genuino, tam ſapore penetranti quo caret adulteratum, quam odore ſuaveolente & penetrante, qui in adulterato deficit, optime vero ſolutione in ſpiritu vini rectificatiſſimo diſtinguitur; nam verum & genuinum balſamum promtiſſime ſolvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo, non vero adulteratum. Balſamum hoc merito inter præſtantiſſima adminicula eſt referendum, nam uſu tam interno quam externo ita tam medicis quam chirurgis ſe commendat ut nulla facile medicina cum ipſo poſſit comparari. Externe eſt vulnerarium præſtantiſſimum, ſiquidem ad vulnera tam recentia quam antiqua mali moris mundificanda & conſolidanda, præſertim etiam in partium nervoſarum & tendinoſarum læſionibus, omnibus merito eſt præferendum, optime vero adhibetur, quando prius ſolutum fuit in ſpiritu vini rectificatiſſimo. Interne ſummum

ſummum eſt hoc balſamum nervinum & roborans & ad uſum internum non hoc ipſum ſolum ſed ejus etiam eſſentia maxime adhibetur, unde in omnibus morbis ex partium ſolidarum & nervorum imbecillitate & atonia oriundis optimam fert opem ut in vertigine, paralyſi, epilepſia, affectibus ſoporoſis, cephalalgiis aliiſque id genus affectibus. In omnibus quoque fluxionibus, ut gonorrhœa, fluore albo, diarrhœa copioſa, tuſſi humida item in ventriculi & inteſtinorum atonia, in rheumatiſmis, catarrhis & id genus aliis affectibus magna eſt medicina. Videatur *Diſſertatio noſtra de balſamo Peruviano.* Præparari quoque poteſt ex eo ſpiritus, vide *Annotationes noſtras ad Poterium*, item ſyrupus. Præbet quoque eſſentia balſami Peruviani elegantiſſimam eſſentiam coſmeticam, ſi inſtillatur aquæ roſarum vel ſabarum.

CAPUT II.

De Balſamo de Copaiva.

Balſamus de Copaiva eſt liquor oleoſus limpidus conſiſtentiæ ad terebinthinam accedentis, penetrantis ſaporis & odoris non ingrati, ſtillans ex arbore Americana, quæ creſcit in Braſilia. Æſtate ex inciſis arboribus exſtillat & colligitur. Apportatur ad nos ex Portugallia. Duplex autem venditur in pharmacopoliis, unum limpidum ſubtile & odoratiſſimum, alterum conſiſtentiæ craſſioris & non tam grati odoris. Miſcent maxime & confundunt verum balſamum de Copaiva cum terebinthina Veneta. Hoc balſamum ejuſdem fere eſt virtutis cum balſamo Peruviano. Adhibetur maxime in fluore albo, gonorrhœa, item in affectibus renum & veſicæ. Si ſolvitur in tinctura tartari vel miſcetur cum liquore noſtro anodyno minerali, dat egregium medicamentum in ſtranguria, iſchuria &c. Interne ex balſamo Peruviano & de Copaiva cum ſpermate ceti præſtantiſſimum poteſt præparari balſamum vulnerarium ad imitationem balſami Locatelli.

CAPUT III.

De Balſamo de Mecca.

Balſanum de Mecca veteribus dictum fuit Orientale Judaicum; arbor enim balſamifera olim crevit in Judæa & Ægypto, vide Prosper. Alpinum *de plantis Ægyptiacis.* Noſtris temporibus balſamum hoc provenit in Arabia felici & præſertim in Turcarum urbe Mecca & abhinc ad nos apportatur. Arbor, quæ hoc balſamum largitur, non adeó procera eſt & ramos exiguos rectos fragiles emittit, cortex eſt ex rubro niger, interne viridis, lignum molle & album, fructuſque ejus, producit oleum valde gratum ſimile balſamo. Ejus lignum, quod tamen rariſſimum eſt, veteribus dictum fuit *Xylobalſamum*, fructus dixerunt *carpo-balſamum*, & liquor, qui fervore ſolis ex inciſuris ſtillat, vocatur *opobalſamum.* Veteribus olim tam Xylobalſamum, Carpobalſamum & Opobalſamum principalia fuerunt theriacæ, mithridatii & aliarum antiquiſſimarum compoſitionum ingredientia. Quoniam vero hæc modo dicta ſimplicia noſtris temporibus incognita fuerunt, ſubſtituerunt iis pharmacopœi alias ſpecies, vide Valer. Cordi *Diſpenſatorium.* Balſamum de Mecca eſt rarum, pretioſum, ex albo flavum, fluidum, odoris penetrantis & grati, ſaporis parum amari & peracris. Quando deſtillatur cum aqua, prodit oleum æthereum album, dein flavum, poſtea rubrum craſſius. Cognoſcitur, num hoc balſamum ſit verum, ſi gutta ejus inſtillatur vitro aqua pleno; nam tum extenditur ſupra ſuperficiem aquæ in pelliculam, quando vero eſt vetuſtius, non amplius ſe extendit & firmam conſiſtentiam acquirit. Hoc balſamum Turcæ magni æſtimant ad cor & cerebrum roborandum item ad promovendam tranſpirationem & malignitatem eliminandam. Adhibetur maxime in gonorrhœa & fluore albo. Solvitur in ſpiritu vini rectificatiſſimo & ſolutio hæc aqua florum fabarum vel roſarum inſtillata efficit aquam coſmeticam. Olim uſurpatum fuit ad corpora balſamanda.

CAPUT IV.

De Balſamo de Tolu.

Balſamum Tolutanum eſt liquor balſamicus, oleoſus, melleæ conſiſtentiæ, glutinoſus, coloris ex opaco ad aureum tendentis, ſaporis dulcis, odoris gratiſſimi & limoniorum inſtar fragrantis. Rarius eſt hoc balſamum & pretioſius. Optimum ex Anglia adfertur. Creſcit in provincia Americæ Tolu arbor, ex qua ſtillat. Arbor abietibus omnibus fere notis non eſt diſſimilis, & perennans. Veterum verum opobalſamum eſſe videtur hoc balſamum, vide Bartholinum *in Act. Haſſn. Vol. I.* & *Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. & II.* Coincidunt ejus vires cum balſamo de Copaiva, quo etiam uti ſolent loco Tolutani, quia hoc rariſſimum eſt. Eſſentia ejus cum tinctura tartari extracta interne contra calculum & rheumaticos affectus, quia pellit urinam, uſurpatur, item contra capitis affectus. Externe vero optime conſolidat læſiones & vulnera nervoſarum & tendinoſarum partium.

CAPUT V.

De Opobalſamo.

Venditur opobalſamum pro balſamo vero de Mecca, quod etiam Gileadenſe dicitur, & ſupra deſcriptum fuit; ſed illud balſamum, quod ſub nomine opobalſami ex America ad nos adfertur, eſt mere factitium, ſiquidem ex ſtorace, benzoe & balſamo Peruviano compoſitum eſt. Hæc invicem miſcent & colliquata induunt capſulis & pro opobalſamo divendunt. Quamvis vero hoc non ſit nativum ſed mere factitium, tamen ejus uſus propter ingredientia eſt præſtantiſſimus. Utuntur eo ad ſuffimigia & cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ex eo præparatur eſſentia, quæ in omnibus morbis ex atonia oriundis item ad conſolidanda vulnera præſtantiſſimæ eſt efficaciæ.

CAPUT VI.

De Liquidambra.

Liquidambra eſt liquor reſinoſus, oleoſus, pinguis, ratione conſiſtentiæ ad terebinthinam Venetam accedens, coloris ex flavo rubeſcentis ad ſtyracem accedentis, ſaporis acris aromatici oleoſi, odoris fragrantis

grantis ſtyracem æmulantis, ſtillans ex arbore, quæ creſcit in Nova Hiſpania & ab Indis appellatur Oçoçol. Effluit pari modo ex cortice ſauciato. Sunt, qui arboris ramos una cum foliis & corticibus collectos & comminutos exprimunt & coquunt & hoc, quod hac obtinent ratione, magma pro vera & legitima liquidambra venditant. Alii eam pro ſtyrace liquida expreſſa habent, illudque, quod remanet poſt expreſſionem, pro cortice thymiamatis. Gaudet liquidambra virtute roborante nervina cephalica anodyna & ſedativa, unde in pectoris affectibus ut in tuſſi, item ad ſomnum conciliandum externe emplaſtra temporalia & pilulas de ſtyrace ingreditur. Porro liquidambra vel ſibi relicta vel in eſſentiam redacta & cum ovo ſorbili ſumta pro eximio gonorrhœæ virulentæ remedio habetur. Præparari ex liquidambra poteſt oleum per deſtillationem cum aqua, quod egregia virtute confortante gaudet & externe in tumoribus, læſionibus & vulnerationibus ſummo cum fructu uſurpari poteſt.

CAPUT VII.

De Terebinthina.

TErebinthina eſt vel Cypria vel Veneta vel vulgaris. Arbor terebinthus, quæ optimam largitur terebinthinam olim in Cypro, Chio, Syria, Africa, Judæa, Arabia aliiſque Aſiæ regionibus familiaris fuit, jam vero etiam in Hiſpania & Gallia creſcit. Emittit reſinam diaphanam, coloris albi flaveſcentis & quodammodo cœrulei, ſaporis acris amaricantis reſinoſi, odoris fragrantis & mollioris conſiſtentiæ. Olim terebinthina in maximo fuit habita pretio, ſiquidem non tantum alvum & urinam movet, ſed etiam transſpirationem promovet & urinam potenter pellit. Porro egregium eſt vulnerarium & pectori maxime amicum & dicatum, ſiquidem humores craſſos viſcidos, qui tuſſim & aſthma efficiunt, reſolvit. In calculoſis quoque affectibus & renum & veſicæ vitiis item in fluore albo & gonorrhœa aliarumque partium internarum exulcerationibus & læſionibus, ſi debita cum cautione adhibetur, egregium & ſalutare eſt medicamentum. Ingreditur interna remedia maxime balſama vulneraria ut balſamum Locatelli, pilulas contra gonorrhœam & fluorem album uſitatas item aquas nephriticas. Arbores, ex quibus exſtillat terebinthina, ſunt larices bacciferæ. Datur vero adhuc alia terebinthinæ ſpecies, ſcilicet vulgaris, utpote quæ ex arbore pino picea, quando cortices ejus vulnerantur, magna in copia effluit, unde etiam vili conſtat pretio. Ingreditur terebinthina Cypria theriacam, ſed notandum eſt, quod terebinthina, quæ provenit ex Gallia & ſpeciatim Delphinatu, pro Cypria, quæ rarior eſt, vendi ſoleat. Præparatur ex terebinthina per deſtillationem cum aqua oleum, quod duplex eſt, unum æthereum limpidiſſimum & diaphanum, quod ſpiritus nomine indigitari ſolet, alterum, quod ſuccedit, craſſius eſt ejuſque uſus maxime eſt externus in contracturis, tenſionibus, nec non relaxationibus, quo fine cum axungiis animalium miſcetur vel unguenta & emplaſtra ingreditur. Quod poſt deſtillationem remanet, corpus ſtabile reſinoſum conſtituit, quod colophonium, Germanice Geigenhartz vocari ſolet. Spiritus terebinthinæ ſeu oleum terebinthinæ æthereum interne quoque uſurpatur. Pellit vehementer urinam & calculum & externe uſurpatum reſiſtit putredini. Cum ſulphure communi vel melius floribus ſulphuris ſi miſceatur, fit exinde balſamum ſulphuris terebinthinatum, medicamentum pro robuſtioribus & plebejis non contemnendum. Terebinthina in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluta præbet egregiam eſſentiam vulnerariam pro mundificatione & conſolidatione vulnerum & ulcerum. Terebinthina maxime adulterari ſolent olea plantarum nervina & cephalica. Eſt quoque in uſu terebinthina cocta, quæ ad gonorrhœam ſiſtendam ſub pilulari forma adhiberi ſolet. Poteſt de terebinthina legi fuſius *Diſſertatio noſtra de terebinthina.*

CAPUT VIII.

De Benzoe.

BEnzoe eſt ſuccus gummeo-reſinoſus, facile liqueſcens, ex variis ſplendentibus micis modo flaveſcentibus modo albicantibus ſeu ex diverſis fruſtulis diverſorum colorum compoſitus, odoris fragrantis & ſaporis glutinoſi acris. Stillat per inciſionem ex arbore Indica Sumatrenſi. Lignum ejus eſt valde durum & folia proxime accedunt ad arborem citrum. Adfertur ad nos benzoe in duplici ſpecie, una eſt nobilior, clara, tranſparens & vocatur benzoe amygdalina, altera eſt magis rudis, groſſior & minus tranſparens & hæc viliori conſtat pretio. Scatet ſubtili ſale acido oleoſo, quod patet ex ejus fumo, qui in pulmones ſuſceptus eos facile ad tuſſim irritat. Quando coquitur in aqua, dimittit flores elegantes, qui in nares ſuſcepti ſternutamenta movent. In uſu quoque ſunt flores benzoes, qui præparantur per ſublimationem in olla, cui ſuperpoſita eſt charta bibula & ad expectorationem promovendam in aſthmate & tuſſi, viſcidoſque humores reſolvendos egregiæ ſunt utilitatis. Pellunt quoque menſes & optime admiſcentur medicamentis ſub forma pilulari. Solvitur benzoe in oleo terebinthinæ, unde exſurgit balſamum in odontalgia, catarrhalibus pectoris affectibus, omnibuſque excoriationibus vulneribus atque ulceribus proficuum. Deinceps inter ſuffimigia merito priorem locum obtinet & ingreditur quoque famigeratiſſimam maſſam Hiſpanicam pro fumo. Proſtat quoque in officinis tinctura ſeu eſſentia benzoes, quæ etiam lac virginis dicitur, & tanquam coſmeticum ad maculas tollendas & nitorem faciei conciliandum & conſervandum adhibetur.

CAPUT IX.

De Styrace.

STyrax ſeu ſtorax eſt reſina, quæ guttatim partim ſponte, partim ex inciſis arboribus profluit. Subſtantia eſt pinguis, ex flavo rufeſcens, odoris fragrantiſſimi, ſaporis reſinoſi & ſubacris. Arbor, ex qua ſtillat, in Cypro, Syria, Cilicia & aliis regionibus Orientalibus præcalidis provenit & valde tam amplitudine quam maxime foliis malo cotoneo eſt ſimilis. Flores ſunt albi inſtar florum aurantiorum, ex quibus fructus prodeunt inſtar avellanarum lanugine alba obductarum. Cortice gaudent duplici, exteriori viridi, interiori lignoſo, in quo parva granula, quæ eorum ſemina ſunt, reconduntur. Hæ arbores transferuntur in Italiam item in Galliam Narbonenſem, ubi coluntur in hortis. Datur vero triplicis generis ſtorax. Prima eſt reſina puriſſima & dicitur calamita, quia illa in calamis & arundinibus ex Syria ad nos adfertur nec fluit ex arboribus in aliis regionibus e. g. in Gallia & Hiſpania, niſi in calidiſſi-

calidiſſimis. Secunda eſt rubra, & eſt magma ruſeſcens, quæ impuritatibus ut paleis & foliis admixtis ſæpe ſcatet, & videtur nihil aliud eſſe, quam extractum, quod ex foliis & corticibus arboris ſtyraciferæ mediante aqua coquitur & ad debitam conſiſtentiam inſpiſſatur. Tertia eſt reſina liquida, quæ maxime eſt artificialis, & præparatur, quando vel ſtorax liquida vel magma illud extractum vino miſcetur & in eo liquatur. Cæterum ſtorax liquida, quæ in pharmacopoliis venditur, nihil aliud eſt quam liquidambra cum terebinthina Veneta mixta & eſt adulterata. Gaudet ſtorax elegantiſſimo principio balſamico ſulphureo fragrantiſſimo, unde roborante nervina, item propter ſuave ſulphur anodyna & ſedativa virtute eſt conſpicua, quare etiam in omnibus morbis ex imbecillitate nervorum & cerebri ejus uſus internus eſt egregius. Neque minus ſalutari cum effectu in omnibus pectoris affectibus, ut catarrhis, raucedine, tuſſi inveterata & aſthmate in pilulis adhibetur. Crato eam in hiſce affectibus magni facit ipſique adſignat laxativam diureticam & emmenagogam virtutem, vide *Libr. Conſil. a* Schulz *edit.* Poteſt ex ea præparari cum aliis egregia eſſentia coſmetica, item eſſentia vulneraria. Ejus reſina extracta ope ſpiritus vini rectificatiſſimi eſt baſis maſſæ Hiſpanicæ pro fumo. Ingreditur quoque pilulas de ſtyrace, quarum uſus in catarrhis & tuſſi inveterata eſt optimus.

CAPUT X.

De Maſtiche.

Maſtiche eſt reſina pallide flaveſcens, pellucida, granulata, modo rotunda, modo oblonga, arida, ſaporis reſinoſi aromatici, odoris ſuaviſſimi fragrantis, ſtillans ex cortice ſauciato arboris lentiſci, quæ provenit in inſula Chio, & Martio & Aprili floret. Baccifera eſt, perpetuo viridis manet, non modo procera eſt, ſed & ramos habet craſſos & curvos & cortex eſt ruſeſcens. Folia ita ſunt compoſita, ut octo ſimul ſint unita, florem ſequuntur baccæ rotundæ ruſeſcentes. Hæc arbor fervore ſolis per inciſionem fundit reſinam hanc, quæ maſtiche dicitur, præſertim in inſula Chio maris Ægei, ubi optima & pura & copioſiſſima colligitur. Hæc arbor quoque in Hiſpania, Portugallia & Gallia colitur, ſed ejus maſtiche magis eſt impura; rudis, groſſior nec ita pellucida. Propter reſinam ſuavem & oleum ſubtile, quod continet maſtiche, roborantem & nervinam habet virtutem, unde in omnibus morbis ex atonia partium ſolidarum oriundis, ut in fluxu alvi, diarrhœa, dyſenteria, fluore albo, gonorrhœa, catarrhis & rheumatiſmis ejus uſus internus & externus eſt egregius. Habet quoque virtutem conſolidantem, quæ ipſi communis eſt cum aliis gummatibus reſinoſis. Præparatur ex eo aqua cum vino, quæ in vomitu omnique ventriculi imbecillitate, capitis debilitate, item in gonorrhœa medicina eſt efficaciſſima. Cum ſale tartari & ſpiritu vini præparatur ſpiritus qui identidem propter virtutem roborantem nervinam & ſimul diureticam ad medicum uſum eſt accommodatiſſimus. Cum hoc ſpiritu & julepo roſarum ſyrupus maſtiches ex tempore præparatur delicatiſſimus. Præparatur quoque ex maſtiche mediante deſtillatione cum aqua oleum æthereum fragrantiſſimum ſed paucum, mediante deſtillatione ſicca empyreumaticum oleum & mediante coctione cum oleo expreſſo oleum coctum. Maſtiche eſt baſis variorum emplaſtrorum, maxime emplaſtri ſtomachici, & ingreditur quoque ſuffimigia pro uſu externo in catarrhoſis defluxionibus utiliſſima. Solet etiam addi dentifriciis remediis pro roborandis gingivis & dentibus confortandis. Maſtiche quando coquitur in aqua communi, ſubadſtringente & roborante virtute eam imbuit, quare etiam hæc aqua in diarrhœa & dyſenteria medicamentum eſt proficuum.

CAPUT XI.

De Myrrha.

Myrrha eſt gummi reſinoſum balſamicum ex flavo ferrugineum, in glebas concretum, nitens, ſaporis amari & aromatici, odoris fragrantis, ſtillans per inciſionem ex arbore, quæ creſcit in Arabia deſerta. Creſcit etiam hæc arbor in India & dicitur Bola, unde Batavi myrrham magna in copia afferunt. Duplex eſt, alia vulgaris in majores glebas compacta, valde arida & terreſtris, alia puriſſima, quæ maculas pallidas commixtas habet, ſaporis oleoſi & aromatici, odoris fragrantis, & hæc ratione virtutis valde differt a groſſiori, quæ tantum in emplaſtris uſurpari debet, purior vero ad internos uſus eſt reſervanda. Ejus uſus Veteribus fuit jam dudum cognitus & in ſacra ſcriptura maxime celebratur: vide *Cantic. IV. 6. V.* 13. Balſamica ſua vi maxime corruptioni putredinoſæ reſiſtit, unde quoque ſpeciebus pro balſamatione myrrha cum aloe & ſucco cedri a Veteribus addita fuit & inter ſpecies pro balſamatione corporis Chriſti a Nicodemo allatas myrrha refertur præcipue. Principale quoque theriacæ eſt ingrediens & inter medicamenta peſtis & omnium morborum contagioſorum præſervativa myrrha habetur optima, unde Elixir proprietatis Paracelſi ex myrrha aloe & croco compoſitum inter medicamenta præſervativa a Paracelso non minus quam aliis Medicis recentioribus maxime æſtimatur. Convenit vero maxime phthiſicis & ubi pulmo pituita viſcida craſſiori obſtructus vel jam exulceratus eſt, in tuſſi nimia humida, aſthmate humido, pulmonum atonia & debilitate, item in raucedine. Commode datur myrrha in pulverem redacta & ad drachmam unam cum ſacchari candi uncia una commixta, quibus pro circumſtantiarum ratione flores ſulphuris, radix iridis Florentinæ & alia addi poſſunt. Myrrha præterea vermibus reſiſtit, menſes, fœtum mortuum, lochia & ſecundinas pellit. Præſtantiſſimum quoque eſt vulnerarium, nam vulnera & ulcera mundificat & conſolidat. Præparatur ex myrrha eſſentia cum ſpiritu vini tartariſato, quæ myrrha in ſubſtantia magis calefaciens eſt, externe vero ad ulcera mundificanda & conſolidanda ſummo cum fructu uſurpari poteſt.

CAPUT XII.

De Tacamahaca.

Tacamahaca eſt ſubſtantia reſinoſa, flava, pallide rubicunda, in glebas compacta, facile friabilis, ſaporis reſinoſi & aromatici, odoris fragrantis, ſtillans ex arbore, quæ populo eſt ſimilis; creſcit in India Orientali & Occidentali, & quidem in Mexico, diciturque tacamahaca. Similes virtutes obtinet cum gummatibus aliis reſinoſis temperatis ut gummi elemi, maſtiche, carranna, olibano. Frequens ejus uſus eſt in ſuffimigiis ad partes roborandas, ad diſcutien-

diſcutiendum & ad humiditatem nimiam abſumendam in procidentia uteri, ani, rheumatiſmis & catarrhis. Ingreditur quoque emplaſtrum ſtomachicum ad compeſcendum vomitum, aliaque emplaſtra diſcutientia & dolores lenientia. Externe tacamahacæ fumus admiſſus vel ſub alia forma commoda adhibita defluxionibus catarrhalibus & rheumatiſmis medetur, & dolores, ut dentium, aurium, oculorum, capitis aliarumque partium, ſedat. Datur autem duplex, alia odoris eſt fragrantioris & exſtillat ex cortice arboris, alia eſt vilior, rudior, in maſſas ingentes collecta, & hæc eſt ordinaria tacamahaca.

CAPUT XIII.

De Labdano.

Labdanum eſt ſubſtantia reſinoſa, concreta, dura, in ſpiras contorta, foris cinerea, intus fuſca, multæ arenæ permixta, ſaporis amaricantis, odoris grati & fragrantis, dum accenditur. Colligunt incolæ labdanum ex foliis cyſti labdaniferæ, quæ eſt frutex & creſcit in Græcia, præſertim in Cypro & Creta. Exſudat labdanum æſtivo tempore intenſo ſolis fervore ex foliis & corticibus. Incolæ modo dictarum regionum noctu id colligunt, quia tunc eſt condenſatum. Capræ lubentiſſime veſci ſolent frutice labdanifero, unde barbæ & pilis earum hæc adhæret gummi-reſina. Magna eſt differentia inter labdanum. Datur enim puriſſimum, nigrum, pure reſinoſum & molle inſtar ceræ vel reſinæ liquefactæ, ſiquidem ſolo calore manus molleſcit, & hoc ex barbis caprarum & etiam ex ipſis foliis fruticis labdaniferi colligitur, ſed caro conſtat pretio. Aliud vero eſt vile, rude & præparatur hac ratione: exſtillat nempe hoc gummi in arenam, ſiquidem arbor labdanifera creſcit in arena, & conglobatur cum arena, in maſſam colliquatur & in ſpiras contorquetur, & hoc eſt impurum. Labdanum optime diſſolvitur in ſpiritu vini rectificato & egregiam dat eſſentiam balſamicam, quæ mixtione cum aqua dimittit reſinam, vel in extractum redigi poteſt, quod pilulis cephalicis ſolet admiſceri. Adhibetur etiam labdanum ad ſuffimigia.

CAPUT XIV.

De Gummi Elemi.

Gummi elemi eſt gummi reſinoſum, pellucidum, ex flavo albicans, inſtar ceræ ductile, ſaporis oleoſi aromatici, odoris fragrantis, exſtillans ex cortice arboris myrobalaniferæ, quæ creſcit in inſula Ceylon. Arbor hæc quoque creſcit in Æthiopia & Ægypto. Optimum gummi eſt recens, pellucidum, pingue, lentum, viridiuſculum, odoris grati. Tota arbor ſcatet hac gummi-reſina. Incolæ modo dictarum regionum utuntur ad lampades accendendas earumque flammam conſervandam ipſiſque eſt loco lucernæ. Deſtillatur quoque cum aqua ex hoc gummi reſinoſo per veſicam oleum fragrantiſſimum, quod in gonorrhoea, vulneribus & ulceribus interne & externe eſt valde proficuum. Reſinoſum hoc gummi ſcatet oleo ſubtili, temperato tamen & balſamico, unde gratiſſimum eſt nervis & in nervoſarum partium læſione. Eandem ob rationem multa ingreditur emplaſtra & principale eſt ingrediens & baſis emplaſtri gummi elemi, quod ſolet in læſione cranii & capitis, item manuum & pedum ut vulneribus partium nervoſarum & tendinoſarum adhiberi. Ad impediendam quoque ſynoviam hoc gummi eſt efficaciſſimum, unde etiam celebratiſſimum HILDANI linimentum contra ſynoviam ingreditur.

CAPUT XV.

De Gummi Anime.

Gummi anime eſt ſubſtantia reſinoſa, gummea, modo albicans, modo flaveſcens, ſaporis reſinoſi terebinthinacei, odoris, dum accenditur, fragrantis. Affertur ex America & quidem Braſilia. Stillat ex arbore procera, quæ vocatur Jetaiba. Optimum eſt, quod purum, pingue, album vel flaveſcens, pellucidum & fragrans eſt, ſi accenditur. Ejus uſus externus convenit cum gummi elemi, interne rarius uſurpatur. Ingredi maxime ſolet emplaſtra ad tempora, contra odontalgiam. Vulnera quoque egregie conglutinat ejus eſſentia. Cæterum in ſuffimigiis in paralyſi & catarrhis admiſceri ſolet.

CAPUT XVI.

De Olibano.

Olibanum eſt reſinoſa ſubſtantia in lacrymas condenſata, ex flavo albicans, maſtiche ſimilis ſed minus pellucida, ſaporis amaricantis reſinoſi aromatici, odoris, dum accenditur, fragrantis, profluens ex arbore Arabica thurifera. Folia habet hæc arbor lentiſco ſimilia eumque deſcribit MONARDES. Fructus & baccæ inſtar nucum adhærent ramis racematim. Dicitur olibanum a Veteribus thus. Derivant olibani nomen a monte Libano, quia ibi olim arbores olibanum largientes repertæ fuerunt. Datur etiam olibanum ſelectum & purum, & hoc vocari ſolet thus maſculum, maxime album hoc nomine eſt dignum, unde dicitur etiam Germanice Weiſſer Weirauch / vilius vero & impurius dicitur thus commune. Quando affertur cortex arboris ſcatens adhuc thure, vocatur olibanum corticoſum. Non modo gaudet uſu externo ad ſuffimigia & emplaſtra, ſed etiam interno, & olim Veteres etiam ad ſacrificia thure frequenter uſi fuerunt. In pilulis mixtum tonum ventriculi & inteſtinorum, qui in plurimis morbis chronicis læſus eſt, egregie roborat atque reſtituit.

CAPUT XVII.

De Camphora.

Camphora eſt reſina ſingularis & ſumme ſubtilis oleoſa, ſeu potius oleum quoddam coagulatum ſubtiliſſimum ex arboribus camphoriferis productum. Arbor camphorifera ad quercus altitudinem quandoque aſſurgere dicitur & fructus fert inſtar avellanarum parvarum: vide BREYNIUM in exoticis plantis. Provenit hæc arbor in Java, Sumatra, Ceylon item in China, optimam fert inſula Aſiatica Borneo. Effigiem hujus arboris dedit GRIMMIUS *in Miſcellan. Germ. Cur. Dec. II. Anno I. obſ.* 15. Camphora ſub forma ſucci oleoſi deſtillat ex tota arbore, foliis, ramis & truncis, præſertim inciſura apertis, colligitur, & ad Batavos affertur, a quibus depuratur,

quod *Raſiniren* dicitur. Plerumque deſtillatione ex arboris camphoriferæ partibus elicitur. Differt camphora ab omnibus aliis reſinis, ſiquidem nulla in rerum natura datur reſina, quæ accenſa tota avolet nullo cinere vel terra quadam remanente, neque ulla reperitur reſina, quæ tota in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvatur. Deinde nulla extat reſina, quæ in vaſe clauſo tota beneficio ignis in ſublime feratur & denique ea eſt omnium reſinarum indoles, ut vehementiori igne in vaſe clauſo combuſtæ phlegma & ſpiritum acidum oleumque copioſum largiantur. Camphora vero accenſa abit tota in flammam nullo relicto cinere, in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolvitur tota, in vaſe clauſo igne tractata tota elevatur in altum, neque in vaſe clauſo ſola igni vehementiori expoſita uti aliæ reſinæ phlegma & ſpiritum acidum præbet. Potius itaque camphora oleum quoddam volatile tenuiſſimum aſt coagulatum eſt dicenda, ſiquidem ſimile quoddam oleum ex variis aliis plantis & radicibus ut radice Zedoariæ recenti, radice ſeu potius cortice radicis cinnamomi elici poteſt & roſa; balſamus Peruvianus, lignum aloes & alia per deſtillationem largiuntur oleum album coagulatum camphoræ perquam ſimile, unde inepte tanta cura quæſiverunt Chymici ex camphora oleum elicere, cum ipſa non reſina ſit, ſed oleum volatile & deſtillatum. Sicuti vero ridiculum eſt, ex oleis deſtillatis oleum elicere velle, cum jam tale quid ſint: ita etiam, ſi quis ex camphora oleum vult perficere, res merito paradoxa dici debet. Optima camphora eſt, quæ levis, friabilis, tranſparens, odoris & ſaporis penetrantis & acerrimi eſt & facillime inflammatur. Vires & uſus camphoræ ſunt longe excellentiſſimæ eaque nunquam non a Medicis, Veteribus etiam, præſertim Arabibus pro alexiterio fuit æſtimata. Propter ſuam oleoſam & volatilem penetrantiam abit facile in auras, hinc quoque in corpore humano non diu, ut alia oleoſa, retinetur, ſed inſenſibiliter tranſpirat inque eo obtinet aliquid peculiare, quod, licet ſit penetrantiſſimo principio & ſumma inflammabilitate prædita, tamen etiam in quantitate adſumta non ſenſibiliter calorem corporis augeat, niſi, ubi cutis fuerit conſtricta & tranſpiratio ſuppreſſa. Gaudet virtute diſcutiente & ſimul anodyna. Creditur omnium alexipharmacorum princeps remedium, præſertim, ſi cum nitro miſcetur, & vix ullum datur auxilium, quod tam eximie inflammationes internas æque ac externas diſcutit, quam ipſa camphora. In hæmorrhagiis quoque ejus uſus eſt laudatiſſimus. Porro in omnibus febribus putridis malignis contagioſis petechialibus aliiſque exanthematicis ad malignitatem & humorum putredinem & corruptionem infringendam atque compeſcendam nullum præſtantius & præſentius datur remedium quam camphora, uti id innumeræ Medicorum obſervationes teſtantur. Nullus vero Medicorum facile fuit, qui camphora majori doſi & tam ſæpius tamque felicius in modo dictis morbis uſus fuit ipſo RIVERIO, uti ex ejus obſervationibus & hiſtoriis patet. Dedit ille camphoram pro doſi ad grana duodecim quin ſcrupulum integrum. Ingreditur quoque camphora omnia fere compoſita antipeſtilentialia, porro in lue venerea, gonorrhœa, omnique corruptione humorum, ſphacelo & in cancroſis ulceribus externe & interne eſt remedium ſummum & ſpiritu vini camphorato nullus fere Chirurgus carere poteſt ad inflammationes & ſphacelum præcavendum. In paſſione quoque hyſterica & hypochondriaca flatus potenter diſcutit & in mania & phrenitide ejus uſus quoque interne & externe eſt maximus, nonnulli vero eam plane averſantur & rejiciunt. Cavendum autem ab ejus uſu eſt in nimis plethoricis, item iis, quibus caput infirmum eſt & qui ab ejus odore offenduntur, vel ad ſanguinis exæſtuationes ſunt proclives. Spiritus camphoratus externe in omnibus doloribus, inflammationibus & tumoribus in impetigine, lichenibus, ſcabie, tinea capitis infantum, præcipue vero in oculorum inflammationibus externe cum fructu adhibetur. Plura legi poſſunt de camphora in *diſſertatione noſtra de camphoræ uſu interno ſecuriſſimo & præſtantiſſimo.* Quod camphora non tam ſit nociva corpori noſtro, id ex eo apparet, quia in India orientali Japonenſes inter cibos camphora loco condimenti utuntur. Falſum eſt, camphoram antivenereum & caſtrantem virtutem habere. Datur etiam oleum camphoræ cinnamomiſatum. Quandocunque nempe cortex arboris cinnamomi cum aqua deſtillatur, tunc prodit oleum, quod camphoræ & cinnamomi odorem habet & magnum confortans creditur, vide BREYNIUM *in Plantis exotic. Cent. I.*

CAPUT XVIII.

De Gummi Ammoniaco.

GUmmi ammoniacum eſt ſuccus ferulæ mole arborem fere æquantis, Indiæ orientalis gummeoreſinoſus, ſtillans ex ferula ſauciata inſtar lactis ac ſi hæc eſſet ſpecies tithymali. Conſtat ex glebis foris flaveſcentibus, intus lacteis, ſplendidis, carbonibus injectus in plurimas micantes flammas diſſilit, &, quando manibus tractatur, cum lentore molleſcit. Sapor ejus eſt lentus, valde acris & amaricans, odor vero gravis eſt & viroſus. Eſt gummi, quia ſolvitur in aqua & quia multum olei præbet; nam libra ejus una largitur ad minimum quadrantem libræ olei per deſtillationem In ſpiritu quoque vini rectificatiſſimo ſolvitur, ideoque ſimul eſt reſina. Duplicis ſpeciei gummi ammoniacum ad nos adfertur, unum purum, omni ligno, lapide, arena vel aliis ſordibus & impuritatibus privatum & quod, ſi accenditur, flammam dat lucidiſſimam, alterum impurum, heterogeneis partibus immixtum v. g. arenæ, lapidibus &c Propter ſal tenuiſſimum acre oleoque pleniſſimum potenter reſolvit, obſtructiones aperit, tumores diſcutit & princeps remedium eſt inter expectorantia, quoniam ſale ſuo ſubtili oleoſo bronchia ſtimulat & tuſſim movet, unde in aſthmate humido uſus ejus eſt excellentiſſimus, item in tuſſi humida. Commodiſſime miſcetur cum pilulis, præſertim illis, quæ contra affectus hyſtericos & hypochondriacos item ad viſcera ab infarctu liberanda adhiberi ſolent, quapropter in cachexia, ſcorbuto, menſium obſtructione, gonorrhœa & lue venerea ejus uſus maxime eſt æſtimandus. Externe ad tumores ſcirrhoſos reſolvendos vix ei par datur, unde ſpecificum eſt ejus emplaſtrum in mammis a lacte induratis & ingreditur fere omnia emplaſtra reſolventia. Proſtat ejus eſſentia cum ſpiritu vini tartariſato vel tinctura tartari parata, quæ elixiriis pectoralibus & expectorationem promoventibus commode admiſcetur.

CAPUT XIX.

De Aſa fœtida.

ASa fœtida eſt liquor viſcoſus, lentus, concretus, reſinoſus, inſtar ceræ mollis, ſaporis amari acris mordacis, odoris graviſſimi, fœtidi allium redolentis. Ex planta, quæ in Perſia tantum naſcitur & a Perſis dicitur

dicitur Hingiſch, nec niſi ex ejus radice ſauciata emanat & dicitur a Germanis Teuffelsdreck. Optima eſt pura, non turbida, ex flavo ruſeſcens. Continet multum olei fœtidi & ſalis volatilis. Non ſolvitur in aqua, ſed in ſpiritu vini rectificatiſſimo, quoniam magis reſinoſa quam gummoſa ſubſtantia eſt. Nullum datur ſimplex, quod convulſionibus, præſertim motibus hyſtericis & ſpaſticis & ſuffocatoriis anguſtiis tam potenter reſiſtit eoſque ſedat quam hoc ipſum, ſive intrinſecus ſive extrinſecus offeratur. Interne commodiſſime ſumitur ſub forma pilularum, externe adhibetur ſub forma linimenti vel emplaſtri, quod in dictis affectibus ipſi regioni præcordiali & umbilicali applicari ſolet. Præterea gaudet magna virtute adverſus vermes tam hominum quam animalium.

CAPUT XX.

De Gummi Galbano.

GUmmi galbanum eſt ſuccus gummeo-reſinoſus, flaveſcens, intus ex flavo albicantibus ſplendentibus grumis in maſſam coactus, conſiſtentiæ mollis, ceræ inſtar ductilis, ſaporis acris amariſſimi, odoris non adeo ingrati. Stillat ex arbore ferula foliis latioribus fœniculaceis, ſeminibus rotundis per maturitatem nigricantibus, medulla fungoſa. Tota arbor lacte turget, quod ex cortice effluens ſolis calore concreſcit. Creſcit frutex in Syria item in reliqua Aſia & Africa. Hujus gummi virtus convenit cum gummi ammoniaco, quamvis non tam acris ſaporis ſit. Ejus uſus maxime eſt externus tum ad ſuffimigia quam inter emplaſtra diſcutientia, item in paſſionibus hyſtericis hypochondriacis & doloribus arthriticis. Ingreditur quoque emplaſtra reſolventia duros tumores. Commendatur ejus uſus internus maxime ad menſes ciendos inter pilulas.

CAPUT XXI.

De Gummi Bdellio.

GUmmi bdellium eſt ſuccus gummeo-reſinoſus, pinguis, concretus, arboris Aſiaticæ ſpinoſæ bdellifera dictæ, coloris ferruginei, ſaporis amari, odoris fragrantis, naturæ inflammabilis. Colligitur ex cortice ſauciato dictæ arboris, quæ creſcit in Perſia aliiſque orientalibus regionibus neque minus in Mexico. Ob particulas viſcidas emollit, ob ſalinoſas oleoſas reſolvit & incidit. Ratione virtutis convenit in omnibus fere cum galbano. Uſurpatur mere in affectibus hyſtericis, ad ciendos menſes, ad emplaſtra hyſterica, & ad partum promovendum & ſecundinas propellendas.

CAPUT XXII.

De Gummi Sagapeno.

GUmmi ſagapenum eſt gummi ex flavo ruſeſcens, odoris graveolentis & alliacei, ſaporis nauſeoſi pungitivi. Colligitur ex arbore ferula radice ſauciata, quæ planta eſt fruteſcens. Annua habet ſemina ſtriata & naſcitur in Ægypto & Perſia. Gummi hoc continet multum olei & ſalis ſubtilis volatilis acidi. Solvitur in vino, aceto & ſuccis plantarum. Propter virtutem incidentem & reſolventem uſurpatur identidem ad obſtructiones viſcerum reſerandas, tumores reſolvendos, in aſthmate, menſium ſuppreſſionibus & cachexia. Interne commode exhibetur ſub forma pilulari. HIPPOCRATES, quod notabile eſt, ſagapeno & galbano frequentiſſime uſus eſt.

CAPUT XXIII.

De Gummi Opopanace.

GUmmi opopanax per inciſionem ex trunco & radice fruticis, qui dicitur Sphondylium vel Panax exſtillat. Subſtantia eſt pinguis, reſinoſo-gummea, ex granis in glebas coacta, ex rufo & albo flaveſcens, ſaporis acris amari, odoris gravis. Folia plantæ opopanaciferæ ſunt lata paſtinacæ ſimilia, flores lutei & radix gummifera, ex qua æſtivis menſibus exſtillat gummi modo dictum. Provenit noſtro tempore in Apulia & in monte Apennino. Vires ejus cum gummi ammoniaco conveniunt. Potenter nempe diſcutit, reſolvit & emollit. Ingreditur cum aliis convenientibus ingredientibus pilulas, quæ eximii ſunt uſus in malo hyſterico & hypochondriaco atque iis in morbis, qui ex cruditatibus acidis prima in regione ſtagnantibus proveniunt, ſiquidem non datur purgans, quod acidum tam bene corrigit & educit tamque egregie reſolvit, uti hæc gummata, quoniam ſubſtantia oleoſa, qua gaudent, acidum infringunt & ſimul egregia viſcidos humores reſolvente virtute prædita ſunt. Externe hoc gummi inter emplaſtra duros tumores reſolventia primum merito obtinet locum.

CAPUT XXIV.

De Sandaracha.

A Græcis arſenicum rubrum naturæ venenoſæ ſandaracha vocabatur, ab Arabibus vero eorumque interpretibus hoc nomen gummi juniperino impoſitum fuit, unde etiam hoc gummi vocatur Sandaracha Arabum. Subſtantia eſt reſinoſa, arida, coloris pallidi & flaveſcentis, pellucida, & guttatim profſtillat ex inciſis juniperi truncis & ramis. Conſtat ex particulis viſcoſis & reſinoſis, quæ ſibi relictæ omnis odoris expertes ſunt. Interne rarius uſurpatur, externe vero ad conſolidationem ejus eſſentiam uſurpare ſolent item ad dentium dolores ſedandos. Mechanici & artifices ex hoc gummi parare ſolent ſingulari encheireſi vernicem liquidum vel cum oleoſo menſtruo vel cum ſpiritu vini rectificatiſſimo, quo obducere ſolent res arte factas.

CAPUT XXV.

De Gummi Arabico.

GUmmi Arabicum eſt ſubſtantia mere gummoſa, pellucida, ex albo flaveſcens, odoris nullius, ſaporis viſcoſi, in grumos variæ magnitudinis ac formæ concreta. Stillat ex arbore Ægyptiaca Acacia dicta, quæ vero non tantum in Ægypto ſed Arabia etiam felici provenit magna in copia. Folia habet alba & fructus ejus non abſimiles ſunt noſtris fabis.

Eadem arbor dat fructus, quorum immaturorum inſpiſſatus ſuccus eſt ſuccus acaciæ colore intus ruſeſcente, extus nigricante. Verum enim vero gummi Arabicum, quod in noſtris pharmacopoliis venditur, ex Arabia minime adducitur, ſed potius gummata illa aquoſa, quæ ex noſtris arboribus, prunis, ceraſis aliiſque exſtillant, venduntur pro hoc, ſiquidem ejuſdem ſunt virtutis ac facultatis. Hoc gummi valde eſt frigidæ & humidæ naturæ, caret reſinoſis partibus, unde ſolvitur in aqua, minime vero in ſpiritu vini. Virtutem habet demulcentem, humectantem & pectoralem, & uſurpari maxime ſolet a nonnullis in dyſenteria vel diarrhœa ad mitigandam humorum acrimoniam. Mechanici quoque eo utuntur liquefacto ad præparandas res ſuas ut vernicem recipiant.

CAPUT XXVI.

De Sanguine Draconis.

MUlti exiſtimant, quod ſanguis draconis ſit ſuccus expreſſus ex lapatho rubro, ſed admodum falluntur. Eſt potius ſuccus arboris prægrandis, quæ in inſulis Canarienſibus, potiſſimum in inſula Portus ſancti prope Maderam, naſcitur & dicitur draco. Eſt procera inſtar pini, rami ejus ſunt æquales & ſemper virentes, ejus truncus craſſus octo vel novem cubitos altus, in varios ramos nudos diviſus, in ſummo geſtantes capita plena foliorum cubitalium ab unciali latitudine paulatim in mucronem deſinentium coſta media denſiore & eminentiore ut in iridis foliis. Fructus ſphærici ſunt quatuor linearum diametri flaveſcentes & aliquantiſper acidi. Lacryma, quæ ſponte profluit & poſtea concreſcit, valde rubicundi coloris eſt & ſubtilior, purior & maxime tranſparens, verus & genuinus ſanguis draconis & aſſervatur in folliculis foliaceis ſed eſt rarior. Datur vero adhuc alia ſpecies ſanguinis draconis ex arbore in aliis regionibus creſcente, ſed hic ſanguis, qui vulgo venditur, eſt impurior, ſiquidem plures impuritates heterogeneæ ei mixtæ ſunt. Sanguis draconis officinarum eſt gummi reſinoſum, flammam concipit, tritus elegantem rubrum ſanguineum reddit colorem & viſcoſi eſt ſaporis. Ex Batavia adhuc alia ſpecies ſanguinis draconis adfertur in forma rotunda groſſiori ſed hujus compoſitio eſt artificialis, ſiquidem ex variis gummatibus & ſanguine draconis vero aliiſque præparatur. Sanguis draconis verus non ſolvitur in aqua ſed in ſpiritu vini & oleis deſtillatis. Pulvis ſanguinis draconis in ſubſtantia in omnis generis hæmorrhagiis, dyſenteria, diarrhœa & gonorrhœa magni eſt uſus; nam non ſolum adſtringit ſed propter viſcoſitatem etiam acrimoniam humorum corrigit. Externe ſanguinem ſiſtit cum aliis, maxime omnium vero ingreditur linimenta ad roborandas gingivas in vacillatione dentium. Ingredi quoque ſolet balſama vulneraria. Ingreditur quoque eſſentias traumaticas, quarum uſus internus eſt & externus. Cæterum ejus uſus ampliſſimus & nobiliſſimus eſt pictoribus aliiſque mechanicis. Notandum hoc loco eſt, quod *Dioſcoridi* ſanguis draconis dicatur dicatur cinnabaris.

CAPUT XXVII.

De Gummi Hederæ.

GUmmi hederæ eſt ſubſtantia reſinoſa, ex rubro nigricans, facile friabilis, ſaporis reſinoſi ſubadſtringentis, ſtillans ex ſauciato cortice arboris hedera dictæ creſcentis in Gallia, item in Italia. Gaudet virtute roborante adſtringente, quæ aliis gummatibus denegata eſt. Coloris eſt vel ex rubro nigricantis vel ex flavo rubicundi tranſparentis, odoris fortis & balſamici, ſi accenditur. Quod venditur, venit maxime ex urbe Galliæ Marſeille. Externe miſceri ſolet cum emplaſtris cephalicis nervinis diſcutientibus. Solvitur in ſpiritu vini & cum eſſentia terræ catechu mixta in gonorrhœa & fluore albo magnis extollitur laudibus. Famigeratiſſimarum pilularum Beccherianarum ingrediens eſſe dicitur.

SECTIO VII.

DE SUCCIS.

CAPUT I.

De Opio.

OPium eſt ſuccus gummeo-reſinoſus, ex capitibus papaverum hortenſium leniter inciſis emanans, calore ſolis concretus, nigricans, mollis, ſaporis amaricantis, odoris gravis & vaporoſi caput replentis. Veteres id dixerunt lacrymas papaveris. Adfertur ad nos ex Græcia & Ægypto, & optimum & purum opium ſeu lacrymæ papaveris colliguntur, quando papaveris hortenſis capita cultro ſcinduntur, & lac, quod exſtillat, ſolis calore coagulatur. Ejuſmodi vero opium ad noſtras regiones non adducitur, ſed reſervant illud Turcæ ad ſingularem uſum. Opium, quod dicitur meconium, nihil aliud eſt quam ſuccus expreſſus totius plantæ papaveris, foliorum, capitum & ſeminum, & mediante igne in formam extracti inſpiſſatus. Opium Thebaicum noſtris temporibus ad nos non affertur; ſed id, quod ad nos venit, ex Cairo, Arabia item Camboja Indiæ Orientalis ad nos affertur. Opium bene præparatum moderate circumſpecte & maxime refracta doſi datum eximias vires recondit & magnum effectum præſtat in medendo, ſiquidem ejus virtus unice dependet a ſulphure illo vaporoſo, quod dolores & motus ſedat, dependet. De modo agendi opii legi poteſt noſtra *Diſſertatio de mechanica opiatorum operatione.* Optime purificatur, quando ſolvitur tantum in aqua pluviali vel phlegmate aceti. Quoniam autem ſulphure peregrino præditum eſt & ſtuporem inducit ac torporem corpori, hinc Veteres non facile ſolum opium uſurparunt ſed admiſcuerunt corrigentia, præſertim aromatica & purgantia, immo piper & alexipharmaca, uti videmus in theriaca & mithridatio. Recentiores cum purgantibus id miſcent, uti Wildeganſiæ & Starckeyanæ pilulæ teſtantur, vel cum diaphoreticis, e. g. ſale volatili cornu cervi, eam nempe ob rationem, ut vis ejus ſtupefactiva & ſiſtens excretiones in moderamine ac temperamento quaſi conſervetur. Animadvertimus præterea, opium fuiſſe antiquiſſimum remedium & etiam ab HIPPOCRATE, GALENO & CELSO uſurpatum & inter omnia medicamenta anti dota

tidota magnæ virtutis receptum. Eſt heroicum medicamentum, quod magnam deſiderat in adhibendo prudentiam, nam abuſu facile interficere poteſt hominem, præſertim imbecillem & morbis malignis correptum. Corrigitur quoque optime per fermentationem, quando in ſucco cydoniorum ſolvitur & adjecto ſaccharo ac fermento fermentatur, cujus remedii primus inventor fuit HELMONTIUS.

CAPUT II.

De Terra Catechu.

TErra Catechu eſt ſuccus condenſatus, coloris ex rufo nigreſcentis obſcuri, ſaporis amari & ſubadſtringentis, poſtea grati & dulcis, expreſſus ex fructibus immaturis arboris ſpinoſæ acaciæ orientalis dictæ. Vocatur etiam hæc arbor arecca, creſcit in Japonia & ſimilis eſt arbori Tamarindinorum. Perperam igitur terra Japonica vocatur. Quod non ſit terra, vel ex eo apparet, quia reſolvi poteſt in aqua & ſpirituoſo liquido, atque in cineres abit, quod omnibus terris denegatum eſt. Neque artificiale quoddam eſt concretum ſecundum aliorum ſententiam ex extracto glycyrrhizæ, ſanguine draconis & ſucco areccæ compoſitum. Optime purificatur, quando ſolvitur in ſpiritu vini non rectificatiſſimo. Si ſolutio hæc redigitur in extracti formam eique miſcetur paululum moſchi & ambræ, formari exinde poſſunt trochiſci, qui nomine trochiſcorum de terra catechu amboratorum veniunt & ad conciliandum ſuavem anhelitum & roborandam gingivam uſurpantur. Ejus extractum in pilulas redactum additis ſuccino, balſamo Peruviano & ſpeciebus aromaticis roborat atque in vomitu, nauſea, alvi fluxu & fluore albo egregie conducit. Quando additur tinctura martis, in momento exſurgit color niger vide HAGENDORN *in Tractatu de terra catechu.* Proſtat in officinis eſſentia ſeu tinctura terræ catechu & optima eſt, quæ compacta, ſaporis amari, ſtyptici ſaporis & odoris ex rubro atri eſt.

CAPUT III.

De Succo Glycyrrhizæ ſeu Liquiritiæ.

SUccus glycyrrhizæ eſt ſuccus radicis glycyrrhizæ inſpiſſatus, &, quia hæc planta in Hiſpania & Portugallia copioſiſſime creſcit, optimus ille ſuccus ex his regnis ad nos adſertur &, qui abhinc venit, omnium optimus eſt, quia ſubtilior & tenerior eſt quam is, qui ex Franconia & quidem ex agro Bambergenſi ad nos fertur, ibique in magna copia præparatur. Vires radicis glycyrrhizæ ejuſque ſucci inſpiſſati ſatis eximiæ ſunt; nam propter dulcedinem teneram, qua pollet omnibus morbis, qui a ſalibus acribus proveniunt ut tuſſi, catarrhis, rheumatiſmis, ſcabiei, exulcerationibus, gonorrhœæ, ſtranguriæ aliiſque id genus malis egregie opitulatur edulcorando videlicet ſalſam illam acrimoniam. In ſoda quoque ſive ardore ſtomachi pulvis radicis glycyrrhizæ cum lapidibus cancrorum ſive oſſe ſepiæ virtute longe ſuperior eſt aliis dulcibus ut mellitis & ſaccharatis, utpote quæ facile in ventriculo fermentant & corrumpuntur, a quo vitio radix glycyrrhizæ eſt aliena. Præparari poteſt ex radice glycyrrhizæ eſſentia dulciſſima, quæ elexiria pectoralia optime ingreditur, item ſyrupus glycyrrhizæ, qui ad expectorationem promovendam inſervit.

CAPUT IV.

De Succo Acaciæ.

SUccus acaciæ eſt ſuccus, qui præparatur ex acacia vera ſeu Ægyptiaca, quæ folia habet ſcorpioides leguminoſæ, ſiliquas albas compreſſas & flores luteos. Ex hiſce ſiliquis, fructibus & ſemine ſuccus exprimitur, qui vel ſolis calore vel igne leni exſiccatur. Sapor ejus eſt acerbus & adſtringens, conſiſtentia dura & compacta, coloris atro-purpurei & virtutem habet ſtypticam incraſſantem. Ad compeſcendam hæmorrhagiam vel diarrhœam commendari ſolet, tutius vero eſt, ſemper in hiſce affectibus vel ab ejus uſu abſtinere vel moderatiſſime tantum & refracta doſi eo uti. Ægyptii utuntur eo ad oculorum inflammationem, labiorum fiſſuras & dentes firmandos. Ingreditur quoque theriacam.

CAPUT V.

De Saccharo.

SAccharum eſt ſuccus inſpiſſatus arundinis ſeu cannæ ſacchariferæ, quæ creſcit copioſiſſime in multis regionibus & quidem non tantum in India orientali ſed etiam occidentali, præſertim in Braſilia & inſulis, quæ dicuntur Antillæ. Altitudo hujus arundinis non extenditur facile ultra ſeptem pedes, duos vel quatuor pollices eſt craſſa, ex viridi flava & variis articulis diſtincta, intus ſcatet dulci alba & ſpongioſa materia. Radix ejus non multum differt a radice arundinis, ſcatet etiam dulci ſucco. GOEBELIUS in *Adverſariis pag.* 19. ſcribit, quod hæc radix ſiccata & in farinam redacta panem ſuppeditet. Optima arundo ſacchariſera creſcit in Canaria, Madera & Java. Veteres ſaccharum vocarunt ſal Indicum, vide ÆGINETAM *Lib. II.* item mel arundinaceum, vide PLINIUM. Quod attinet ad præparationem ſacchari, arundo beneficio molarum contunditur & conteritur, ſuccus exprimitur, incoquitur & poſtea beneficio aquæ & albumine ovi item aqua calcis vivæ purificatur & clarificatur & in forma pyramidali ad nos adfertur. Variæ in pharmacopoliis dantur ſpecies ſacchari partim ratione bonitatis, partim ratione loci natalis differentes, ut Thomaceum, Meliſſinum, Canarienſe, candum, refinatum, finum, magis finum & finiſſimum. Canarienſe ſaccharum dicitur ſic eam ob cauſam, quoniam ab inſulis Canarienſibus ad nos adfertur. Duplex quoque datur ſaccharum candum, unum eſt cryſtallinum album & præparatur ex ſaccharo Canarienſi, alterum eſt brunum & præparatur ex ſaccharo Thomæo. Illud maxime notatu eſt dignum, quod ſuccus expreſſus ex arundine ſacchariſera, ſi per viginti quatuor horas ſtet nec incoquitur, in acetum fortiſſimum mox mutetur. Quod attinet ad vires ſacchari, reſiſtit maxime morbis, qui ab acrimonia proficiſcuntur, utpote quam mitigat, hinc in pectoris affectibus ſyrupi, qui cum ſaccharo conficiuntur, & conſervæ uſurpantur. Laxat ſaccharum alvum & eam lubricam ſervat. Magis ſaccharum ad gratiam ſaporis conciliandam fructibus eoſque conſervandos inſervit, quam ad firmandam & tuendam ſanitatem vel morbos ſanandos, ſiquidem primis

mis in viis facile aceſcit, fermentat & corrumpitur & ſanum corpus deſiderat. Ejus nimia copia diſponit ad cachexiam, unde pueri vel juvenes, qui frequenter utuntur dulcibus vel ſaccharatis, nigros dentes accipiunt. Externe ſaccharum conſolidantem habet virtutem inſperſum vulneribus & ulceribus. Præterea & gratiam conciliat ſaccharum multis remediis ut cum voluptate & ſine nauſea ſumantur. Ita olea deſtillata, myrrha, balſamum Peruvianum, flores ſulphuris, ſperma ceti idque genus alia optime cum ſaccharo mixta optime propinantur; neque minus id ad edulcorandos gratoſque reddendos liquores ſpirituoſos & aquas ſic dictas vitæ adhibetur.

SECTIO VIII.

DE VIRIBUS HERBARUM.

QUia plantarum quoad omnes partes, ut radices, folia & flores, accuratior notitia ac deſcriptio ſecundum notas characteriſticas jam dum a præſtantiſſimis noſtri ævi Botanicis ſolide ſatis & pleniſſime tradita eſt & ex eorum monumentis petenda, hinc nolumus eſſe in iis deſcribendis & proponendis longiores, ſed tantum ſolliciti erimus, ut demonſtremus, qua facili ac ſimplici methodo ac via vires, proprietates ac virtutes plantarum ad ſanitatis tutelam & profligandos morbos idoneas inveſtigandæ ſint, ut facile ſit judicatu, quas virtutes in medendo habeant herbæ ignotæ & quoad vires incognitæ. Primo vero omnium hoc loco monendum eſſe ducimus, plantarum virtutes ſecundum loca, ubi creſcunt & ſponte naſcuntur, metiendas ac dijudicandas eſſe, quæ via ac methodus nunquam ab ullo, quantum ſcimus, tacta eſt ſed a nobis tantum inventa. In tres vero claſſes loca, ubi plantæ creſcunt, diſtinguimus. Sunt enim vel humida, paludoſa & humilia vel ſicca montoſa, libero aere & cœlo fruentia, vel fœcunda & pingui terra ac nutrimento prædita, & obſervatione attenta edocti ſumus, plantas pro differentia horum locorum, ubi proveniunt, peculiares poſſidere vires. Ita plantæ, quæ in locis ſemper humidis vel etiam paludoſis creſcunt, pollent maxime ſale acri ſubtili cauſtico, quo exterius veſicas excitant, interius præſertim majori in copia data ventriculum & inteſtina inflammant adeoque indolis deleteriæ ſunt & pecoribus quoque, dum ab iis comeduntur, nocent, minori vero doſi purgant vel vomitum aut urinam cient, menſes fortiter movent & lumbricos quoque necant. Si vero ſal ejuſmodi plantarum acre mitius ſit & ſimul tamen volatile, pituitam craſſam ac tenacem reſolvunt, aperiunt & ſcorbuto, dum humores craſſos incidunt ac attenuant, egregie medentur. Has vires omnes exſerunt principio ſuo acri ſalino, quo ſimul fluida reſolvunt, fortiter commovent, ad excretiones ſtimulant & ſpaſmodicas conſtrictiones efficiunt. Ejus generis plantæ ſunt ſequentes:

Acorus, iris eſt aquatica,
Aconitum
Arum
Aſarum
Apium paluſtre
Alſine aquatica
Anthora
Anemone, quæ ſpecies eſt ranunculi,
Aloe maritima
Beccabunga
Bryonia ſylveſtris
Colocynthis
Cicuta aquatica
Cicutaria
Colchicum
Caltha paluſtris
Chelidonium minus
Cochlearia
Cylamen
Clematis
Dracunculus
Eſula
Equiſetum
Eruca
Echium ſcorpiodes paluſtre
Flammula jovis
Gladiolus
Granadilla
Gratiola
Helleborus niger & albus
Herba kali
Laureola
Lapathum acutum
Marrubium paluſtre
Mandragora
Naſturtium aquaticum
Napellus
Nympheæ radix
Oenanthe
Petaſites
Perſicaria
Paſtinaca ſylveſtris
Ros ſolis
Ranunculus aquaticus
Sennæ folia
Sinapi album
Sinapi ſilveſtre
Scordium
Scilla
Solanum bulboſum lethale
Soldanella
Scammoneum
Trifolium aquaticum
Tribulus aquaticus
Zingiber.

Notandum vero hoc loco eſt, quod quædam ex his herbis, quæ in humilioribus & humidioribus locis creſcunt, quandoque ſemen & flores habeant, qui aliis peculiaribus virtutibus, quam jam dictæ fuerunt, ſunt inſtructæ, nihilominus tamen earundem herbarum radices cauſtico acri ſale impraegnatæ deprehenduntur.

Plantæ, quæ in ſiccis montoſis & libero aeri expoſitis locis proveniunt, ſcatent maxime principio, partim oleoſo balſamico ſalino, partim roborante terreo, unde partium tonum roborant, excretiones maxime per ſudorem & urinam adjuvant, vaſorum obſtructiones reſolvunt & roborando viſcera ſanguinis & humorum circulum promovent. Eandem ob cauſam gaudent maxime virtute vulneraria conſolidante & nervina confortante, quæ in omnibus fere morbis, qui ex atonia & infarctu viſcerum proveniunt, ut phthiſi, hydrope, menſium ſuppreſſione, calculo, capitis imbecillitate nimiaque humiditate egregias exſerunt virtutes & ejus indolis ſunt ſequentes:

abrotanum
agrimonia
ariſtolochia

adian-

adianthum
arnica
artemiſia rubra
alchymilla
abſynthium
abies
bellis
betonica
carlina
chamædris
chamæpytis
cedrus
calamintha montana
cichoreum ſylveſtre
centaurium minus
dictamnus
daucus montanus
eryngium montanum
eupatorium
filix muraria
fumaria
gentianella
geniſta
hepatica
hypericum
hyſſopus
juniperus
linaria
lavendula
lycopodium
matricaria
majorana
marum
marrubium
origanum
pentaphyllum
pulmonaria
pimpinella
piloſella minor
pyrethrum
ptarmica
thymus
ſerpillum
ſideritis
ſedum minimum
ſcabioſa
ſanicula
ſaſſaparilla
ſeſeli
ſcorzonera
ſtoechas citrina
tormentilla
tanacetum
virga aurea
veronica
verbena.

Tertia claſſis eas complectitur plantas, quæ in fœcundis & pinguibus locis naſcuntur. Harum vires in eo conſiſtunt: principio ſuo partim mucilaginoſo partim ſulphureo & vaporoſo omnis generis dolores ſedant, ſomnum inferunt, humorum acrimoniam temperant, emolliunt & ſic omnibus affectibus, qui ex ſpaſmo fiunt, medentur: poſthæc immodicas fluxiones ſiſtunt, ob ſulphur vero vaporoſum non adeo nervis & capiti gratæ ſunt. Ex harum numero ſunt ſequentes:

atriplex
anethum
aniſum
anagallis
althæa
abſynthium
balſamina
bugloſſum
chærefolium
chamomilla vulgaris
cynogloſſum
crocus
cuminum hortenſe
coriandrum
ebulus
fœnum græcum
fœniculum
hyoſcyamus
hieracium
hirundinaria
lolium
leviſticum
lupulus
lilia
mentha
mentha ſaracenica
melilotus
millefolium
mercurialis
mandragora
malva
nicotiana
papaveris ſpecies
parietaria
paſticaca ſylveſtris
pulegium
pervinca
paris
populus alba
roſmarinus ſylveſtris
ſolani ſpecies
ſambucus
ſaponaria
ſenecium
ſcrophularia
ſtramonium
urtica mortua
valeriana
verbaſcum
ulmaria.

Præterea alii dantur modi ope inquiſitionis per experientiam peculiares & proprias cuivis plantæ virtutes in medendo cognoſcere & determinare & hi modi duo ſunt, nimirum ſapor & odor. Duobus enim maxime natura gaudet in mixtione corporum principiis agendi, quibus plurima virtus atque energia in corpus noſtrum debetur. Unum videlicet eſt ſal, alterum ſulphur. Prius per ſaporem, poſterius per odorem dijudicatur. Sicuti vero ſalium diverſæ ſpecies ſunt, quæ ex commixtione ſalini principii cum aliis partibus exſurgunt, ita quoque, prout principium ſalinum cum terra, aqua vel aliis partibus varie miſcetur, diverſa ſaporis ſpecies reſultat, unde patet, quod omnino ex ſapore plantarum virtus explorari poſſit. Placet igitur certas dare leges & regulas vires plantarum ex earum ſapore cognoſcendi & detegendi. 1) Omnes amaræ plantæ propter ſal, quo pollent, alcalinum fixum terreum cum ſulphure fixiori mixtum virtute gaudent aperiente, incidente, obſtructiones ac infarctus viſcerum expediente & reſolvente, acidum corrigunt, viſcidum reſolvunt, excretiones omnis generis leniori ſtimulo

 adjuvant

adjuvant & perſpirationem faciliorem reddunt, quare in cachexia, hydrope, ſcorbuto, ictero, menſium ſuppreſſione, affectu hypochondriaco, quartana, aliiſque febribus intermittentibus, ſtomachi vitiis, cruditate acida, appetitu proſtrato & alvo adſtricta egregii ſunt uſus. Ad hanc claſſem ſpectant:

abſinthium
ariſtolochia
centaurium minus
gentiana, præſertim ejus radix,
carduus benedictus,
carduus Mariæ
cichorei radix
rhabarbarum
aloe
china chinæ
extractum colocynthidis
fumaria
ſcordium
trifolium fibrinum aquaticum
tanacetum.

2) Omnes herbæ, quæ valde acidi ſunt ſaporis & exſpirant fortem odorem volatilem, qui in deſtillatione exhalat, ſunt antiſcorbuticæ, fortiter commovent ſanguinem, pellunt menſes & in ſcorbuto ſic dicto frigido exulcerationibus & tumoribus egregias poſſident virtutes, & cachexiam a corpore abarcent. Hujus generis ſunt:

cochlearia
radix ari
acorus
beccabunga
caltha paluſtris
eruca
ſedum minus
naſturtium
perſicaria acris
ſinapi
trifolium aquaticum
raphanus ruſticanus.
allium
cepæ.

Vitiis quoque ſtomachi ejuſque cruditatibus medentur.

3) Plantæ aromatici ſaporis, quæ ſubtili grato oleo gaudent, quod in deſtillatione fundunt, totum genus nervoſum roborant, unde atoniam tollunt & in omnibus morbis, qui ex infirmitate partium ſolidarum ac nervorum imbecillitate proveniunt, interno & externo uſui inſerviunt ut in paralyſi, apoplexia, epilepſia, rheumatiſmis, vitiis ventriculi ac uteri, menſium ſuppreſſione, doloribus gravativis capitis aliarúmque partium, item ad tollendum ſphacelum, corruptiones a partibus externis abarcendas, diſcutiendos tumores, ſedandos alvi fluxus, præſertim diarrhœas mitigandas, præſtantiſſimæ ſunt virtutis. Ad hanc claſſem ſpectant

abrotanum
mentha
lavendula
mentha ſaracenica
calamus aromaticus
flores chamomillæ Romanæ
meliſſa
roſmarinus
majorana
origanum
origanum Creticum
thymus
ſatureja
caryophylli
macis
nux moſchota
cardamomum
cubebæ
cinnamomum
coriandrum
nigella

4) Plantæ terebinthinaceo-aromaticæ; quæ ſaporem habent acrem oleoſum & oleum quodammodo ad terebinthinam accedens, virtute gaudent maxime diuretica, item cephalica & roborante, inque omnibus morbis, qui ex vitio renum naſcuntur, præſervationem maxime conferunt, ſimul quoque poſſident virtutem vulnerariam & in gonorrhœa, fluore albo, ſique cachectici externis læſionibus laborant, utilitatem afferunt. Hujus generis ſunt

folia lauri
baccæ juniperi
lignum cedri
herba botryos
virga aurea
balſamita
radix valerianæ
ſerpentaria Virginiana
folia & flores hyperici
ſpica nardi
baccæ lauri
chamædris
maſtiche
olibanum
pinus
abies
oleum juniperi
balſamum Peruvianum
ſabina
terebinthina ejuſque oleum
geranium Robertianum.

Ex hiſce eſſentiæ & balſama liquida vulneraria cum ſpiritu vini egregia adornari poſſunt.

5) Plantæ, quæ ſapore amaro & aromatico gaudent, identidem roborantem tonicam vim eximiam exſerunt in omnibus ex atonia oriundis morbis ut paralyſi, imbecillitate ventriculi & inteſtinorum, cachexia, febribus intermittentibus, diarrhœis, & digeſtione depravata. Ejus generis ſunt

cortex chinæ
—— caſcarillæ
—— Winteranus
zedoaria
galanga
calamus aromaticus
cortices aurantiorum
—— citri
cardamomum
flores chamomillæ Romanæ & vulgaris.

Gaudent quoque hæ plantæ virtute carminativa & flatus diſcutiente.

6) Plantæ, quæ amaro terreo ſapore præditæ ſunt, eminentem vim exſerunt in febrium intermittentium paroxyſmis cohibendis item in immodicis aliis fluxionibus ſiſtendis. Virtute inſuper gaudent tonica ad infarctum viſcerum impediendum item vulneraria, unde

unde in febribus intermittentibus, diarrhœis, ſcorbuto, cachexia, lienis & hepatis vitiis ſalutarem exſerunt effectum. Huc pertinent

cortex chinæ
—— tamariſci
—— capparum
lingua cervina
capillus veneris
folia hederæ terreſtris
herba veronicæ
—— theæ
cortex fraxini
ſcabioſa
bugula
chamædris
urtica mortua.

7) Vegetabilia, quæ eminentem adſtringentem ſaporem habent & terreo acido elemento agunt, inteſtinorum & ventriculi tunicas conſtringendo ſiſtunt ſanguinis fluxus eorumque uſus ad compeſcendas enormes ſanguinis profuſiones item ad febrium paroxyſmos ſuſpendendos proficuus eſſe poteſt. Hujus generis ſunt

radix tormentillæ
—— biſtortæ
—— pentaphylli ſeu quinquefolii
—— acetoſæ
—— fragariæ
cortices quercus
—— granatorum
—— cydoniorum
flores balauſtiorum
radix plantaginis
equiſetum
perſicaria maculoſa
fructus cydoniorum
meſpila
uvæ immaturæ
fructus acaciæ
gallæ.

8) Gaudent quoque nonnulla vegetabilia eminenti ſapore acido, & hæc refrigerant, ſitim ſedant & incraſſant, hinc in nimio æſtu febrili, præſertim in ſiti incompeſcibili & ubi bilioſi exſuperant humores, in febribus præſertim ardentibus, optime quadrant & huc pertinent

folia acetoſæ
—— acetoſellæ, harum ſuccus,
ſuccus limoniorum
—— cydoniorum
—— aurantiorum
—— granatorum
—— ribium
—— ceraſorum
—— uvarũ & ſyrupi ex his ſuccis parati
tamarindi.

9) Multæ quoque ſunt plantæ, quæ in mixtione ſua multum aquoſæ & mucilaginoſæ inſipidæ ſubſtantiæ recondunt & hæ eximia facultate gaudent, acres humores leniendi, temperandi & ſimul emolliendi, unde in iis morbis, ubi acrimonia demulcenda, relaxandum & emolliendum eſt, non ſine fructu uſurpantur v. g. in faucium exulceratione inflammatoria, teneſmo, ſtranguria, ulcerationibus ani vel partium genitalium, gonorrhœa aliiſque id genus morbis. Talis indolis ſunt

ſemina IV. frigida majora & minora
ſemen papaveris
fœnu græci
lini
cydoniorum.
radix althææ
—— nymphææ
—— ſymphyti
—— liliorum alborum
—— bugloſſæ
folia malvæ
—— borraginis
—— parietariæ
—— portulacæ
amygdalæ dulces
gummi Arabicum
—— tragacanthum
—— ceraſorum
ſyrupus althææ
—— nymphææ
—— violarum.

10) Sunt quoque nonnullæ plantæ inſtructæ principio mucilaginoſo & ſimul ſulphureo vaporoſo, quarum virtus maxima eſt in emolliendis duris tumoribus, ſedandis doloribus uſu tam interno quam externo, quales ſunt

flores verbaſci
—— chamomillæ vulgaris
—— millefolii
—— meliloti
—— ſambuci
—— croci
—— liliorum alborum.

11) Sunt etiam nonnullæ plantæ dulcis ſaporis, quæ ex temperato & mucilaginoſo ſulphureo principio conſtant, atque ejuſmodi plantæ temperantem acres ponticos humores efficaciam exſerunt, unde in catarrhis, pectoris affectibus, aliiſque morbis, quorum origo ex acrimonia eſt, ut ſcabie, lepra, arroſionibus, eroſionibus, calculo tam renum quam veſicæ, & ſtranguria commodam locant operam. Tales ſunt

radix glycyrrhizæ
fructus ficus
—— dactyli
—— paſſulæ
mel, ſaccharum, caſſia, paſſulæ minores, ſiliquæ dulces &c.

Spectat quoque huc ſemen aniſi, fœniculi eorumque olea.

12) Reliquum eſt, ut de iis plantis, quarum ſapor eſt amaricans acris, dicamus & earum virtutes recenſeamus. Ejuſmodi vero ſunt indolis atque energiæ, ut fibras ſtimulando ſanguiniſque motum augendo diaphoreſin maxime ac ſudorem moveant, unde egregia bezoardica & alexipharmaca eminent virtute inque morbis malignis abarcendis & corruptione præcavenda omnino eorum uſus commendandus eſt. Et ad hanc claſſem ſpectant

radix contrayervæ
—— dictamni
—— gentianæ
—— imperatoriæ
—— petaſitidis
—— angelicæ
—— carlinæ
—— zedoariæ

herba

herba ſcordium
—— chamædris
—— carduus benedictus
—— ſcabioſa
—— centaurii minoris
radix valerianæ
—— ſerpentariæ Virginianæ
lignum juniperinum
—— guajacum
cortex ligni guajaci
radix ſaſſaparillæ
—— enulæ
myrrha
ruta.

Ex hiſce herbis cataplaſmata ad ſphacelum depellendum a Chirurgis optima præparari ſolent cum vino vel ſpiritu vini.

Odor quoque eſt medium, quo vires ac facultates medicæ vegetabilium indagari & dignoſci poſſunt, quandoquidem odoris beneficio activum & vivum elementum, quo multas in corpore humano operationes exſerunt, ſulphur nempe ſubtiliſſimæ indolis vaporoſum dignoſcitur. Quemadmodum enim ſal eſt primum ſapidum ſeu ſaporis objectum, ita ſulphur eſt primum odorabile & mediante ſenſu odoratus cognoſcitur. Diſtinguendum vero Medico eſt inter ea vegetabilia, quæ odorem graveolentem naturæ adverſum & ab ea alienum, & inter ea, quæ fragrantem ſuavem odorem exhibent. Sicut enim illa naturæ & mixtioni ſeu texturæ tenuiſſimarum fluidarum corporis noſtri partium contraria & inimica ſunt, ita hæc, ſcilicet ſuaveolentia, texturæ ſpirituum amicam & convenientem texturam habent, unde graveolentia magis ſapiunt, ſimul vero vires deprimunt & ſoporem, torporem, gravem ſomnum & narcoſin inferunt & ſtupefactiva ſunt, ſuaveolentia vero ſimul vires erigere & conſervare ſolent, unde etiam præferenda merito ſunt in uſu illis & maxime antiſpaſmodica carminativa ſedativa & anodyna virtute gaudent. Eandem ob cauſam etiam in omnibus doloribus, torminibus, calculo, colica, cholera, vomitu, dyſenteria, item in omnibus hæmorrhagiis, febrium paroxyſmis tollendis & affectione hypochondriaca egregiam navant operam. Ad graveolentium claſſem referri debent omnes ſpecies papaveris ſive ſativæ ſive ſylveſtres, ſemen, flores & maxime omnium opium, quod ex ipſis paratur, omnes ſpecies ſolani, ſtrammonei ſeu daturæ, hyoſcyami, lolii, mandragoræ ejuſque cortex, herba nymphææ, præſertim ejus flores, herba cynogloſſi & ejus radix, tota planta pœoniæ item abſinthium vaporoſum, corona imperialis, coriandrum, ebulus, ſambucus; nux vomica. Ad ſecundam claſſem, nempe ſuaveolentium, quæ ſuavi expanſivo vapore pollent, ſunt ferme omnes ſuaveolentes flores ut flores liliorum alborum, liliorum convallium, roſarum, primulæ veris, tiliæ, jaſmini, citri, aurantiorum, chamomillæ Romanæ, dictamni, acaciæ, ulmariæ, crocus. Hi flores omnes & eorum aquæ virtute gaudent antepileptica iisque morbis, qui a ſpaſmo membranarum cerebri fiunt, magno ſunt auxilio. Spectant huc quoque ex ſuaveolentibus cortices citri, aurantiorum, flores chamomillæ vulgaris, herba hormini, baſilici, menthæ, macis. Ex ſeminibus plura ſunt, quæ vaporoſo odore replent caput & multum olei in deſtillatione exhibent. Huc ſpectant maxime ſemina carminativa ut ſemen aniſi, cumini, dauci, chærefolii, fœniculi. Dantur quoque ſemina & fructus, qui ſulphur & evaporabile oleum maxime concedunt ſpiritui & ſedativa facultate gaudent v. g. amygdalæ amaræ, nuclei perſicorum, prunorum & malorum Armeniorum. Ultimo loco etiam monendum hic eſt, ipſam herbarum figuram quodammodo vires patefacere, quamvis non ex toto & univerſaliter hæc regula valeat. Ita exempli loco herbæ verticillatæ ſale ſubtili oleoſo aromatico gaudere eamque ob cauſam nervina roborante virtute gaudere ſolent. Tales ſunt

valeriana
ocymum
chamæpitis
meliſſa
meliſſophyllum
lycopodium
majorana
origanum
malus
nepeta
ſatureja
ſalvia
chamædris
roſmarinus & id genus aliæ herbæ.

Deinceps herbæ ſic dictæ umbelliferæ virtute ſedativa antiſpaſmodica gaudere & ſulphure ſuo vaporoſo caput replere & ſimul quoque carminativam exſerere ſolent virtutem. Tales ſunt paſtinaca, anethum, angelica, leviſticum, cervaria, aniſum, pimpinella, chærefolium, bulbocaſtanum, carum, coriandrum, valeriana, meum, geranium, ulmaria, fœniculum, nigella.

F I N I S.